1428
1428
XXI- 3


REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

APIS LIBANI

CIRCVMVOLITANS FLORES in horto Salomonis,

CONDIENDIS VIRTVTVM DAPIBVS MELLIFICANS, fraudum sæculi folia pungens.

SIVE

COMMENTARIA

IN CAPVT DECIMVM

PROVERBIORVM,

IN QVIBVS *PARABOLARVM SALOMONIS* ALIORVMVE plurimorum locorum ex tota S. Scriptura passim occurrentium sensus, tum litteralis tum mysticus, ita dilucidè exponitur, & ad *Morum doctrinam* enucleandam, qui unicus est *Regij Sapientis* scopus, dirigitur; ut tam hinc, quàm ex innumeris propemodùm *Sanctorum Patrum Sententiis* quibus hoc opus illustratur, ampla pro Concionibus materia exurgat, & pro ipsis conficiendis subtiles, imò novæ, suppeditentur ideæ.

CVM QVINQVE INDICIBVS AD CALCEM OPERIS REJECTIS,

Quorum Primus *Seriem Titulorum* indigitat. Secundus, *Biblica Testimonia.* Tertius, *Copiam pro Concionibus.* Quartus, *Doctrinam Sanctorum Patrum & priscorum Sapientum.* Quintus, *Sententias è sacra Scriptura confirmatas.*

Authore R. P. D. Fr. ANTONIO A DEI MATRE Olyssiponensi Sacræ Theologiæ Emerito Lectore, Ordinis divi Pauli primi Eremitæ,



PROPIEDAD INTELECTUAL - BIBLIOTECA PROVINCIAL - PALENCIA

LVGDVNI,

Ex Officina ANISSONIORVM, IOANN. POSVEL, & CLAVD. RIGAVD.

M. DC. LXXXV.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO REGIS.

2.345

IN ORTHODOXÆ FIDEI [illegible]

ALMÆ CONIMBRICENSIS ACADEMIÆ
quondam Rectori dignissimo.

NVNC ALGARBIENSI EPISCOPO,
ter & amplius desideratissimo.

AD Celsitudinem Tuam, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, velut ad præaltam, jugiterque virentem, palmam festinans Apis quàm breves tam celeres commovet alas. Hyblæa volucris, Hugone testante Purpurato, colit palmam quæ semper viret: vel quia pugnacissimæ sunt apes (ut Cordubensis asseruit) & idcirco martiæ gaudent arboris umbrâ, quasi ramorum ejus insigne decus apprehendere gestiant animo pene triumphali, quæ ingentes animos angusto in pectore versant: seu potius quia caducos expertæ flosculos, inconstantiam illorum pertesæ convolant, ad triumphans lignum, quod nec hyeme devenustatum, nec ardente Phœbo marcescens, perpetuam suis mellifluis laboribus materiam subministrat: In re litteraria bellaturit ætas nostra. nec api licebit, nisi valido

Hug. Car. in c. 11. Eccli. Sen. 1. de clem. c. 19. Virg. 4. Georg.

...servatum progeniæ tuæ bellicis re-
...gijs, nullisque factis heroicis adeptum, servabant intaminatum. Patricia,
in Macrin. principum nobilitas sæpenumerò in superbiam vertitur, despectis omnibus velut multò inferioribus. At qui modestiæ experimento ad imperium adsciscuntur, quasi partum labore tuentur semper, verenturque & colunt, quos consueverant. *Lunæ gestamen apud Arcadas; non autem Solis, hieroglyficum ingenuitatis extitisse constat ex Pierio,*
Pier. Valer. l. 44. hierogly. *quod postea transmissam ad Romulidas. Non id sine morali commonitione factum credam: quia Latonia micat inter Sydera, quin illa cogat oculi; sicuti solet germanus Apollo.*

Nequaquam putetur medullitus insitam propagini tuæ comitatem præstantissimam ex eo prodire quòd aliis insignibus genealogiis minus inclyta, vel ætate junior. Celeberrimam demiratæ sunt incunabula Delij luminaris, & seniorem fatentur antiquitatis venerandæ scrutatores quamsolertes. Plurium fluviorum, quorum nomina poësis decantat, initia callemus; unius Nili penitus indubia latescit origo: de cujus origine Lucanus

Lucan. lib. 3.
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi:

Rup. l. 2. in Gen. c. 29. S. Amb. to. 2. pf. 38.
Et fortasis inde factum est ut eum pro maximo Deo suo, quondam coluerit Ægyptus: *quippe cum inter amnes aquarum copiâ septem per ora manante, fœcundandique jugiter Ægypti conditione pene cœlesti superemineat: fontis, à quo sua traxit fluenta, notionem passim concedi cuivis foret indignum ejus amplitudine. Totius universi procerum exortus capita*

propalare

propalare ſolent annalia ; tuum verò , quia natus eſt ejus fulgor adulta ſublimitate conſpicuus, indagare hiſtoriographi diligentiſſimi nequiverunt : Sunt autem & tacentes qui loquantur , *inquit Ambroſius. Credenda fuerat illorum taciturnitati (Rhetoricæ quidem) res maxima. Silentium ipſi tandem exoſi libentiùs abrupêre : verùm non priùs de progenitorum ſerie tuorum narrant ſtemmata , quàm facinora.* Gentilitas non ſanguine ſolo æſtimatur apud veritatem judicem , ſed factis , ſtudiiſque ſimilibus. *Hoc modò loquentem introducit nobilitatem Philo Hebræus.*

S. Amb. to. 2. pſ. 38.

PhiloHeb. to. 2. l. de nobilit. poſt. initium.

Adhuc non plenè Lyſiadum fulmineus enſis Mauritanorum tyrannidem ſubegerat : cùm pro illorum ab Algarbiâ regno propulſione , jam Alfonſo Portugalliæ regi , nominis hujus tertio, martiale munus exhibebant Majores tui. Similiter ſtrenuitatem prodidere belligeram cùm ſucceſſor Alfonſus IV. Hiſpano Principi ſocium , ejuſque ducibus hortatorem animos injicientem , ſe præbens , impiam Saracenorum ferociam, quæ parabat Iberiam potenter invadere , victoriâ celebri vulgò dictâ do Salado *compreſſit. Illud Martis fulmen Dominus Nugnus Alvarus Pererius Luſitanorum Regum quondam ſtabilis Comes , eorundem , ſicut & Brigantinorum Ducum ſtirps heroica , quantumvis milites duceret ſtrenuiſſimos , non alteri, quàm uni prædictâ nobiliſſimâ familiâ tuâ creto militare ſignum fidit agminis , quod ipſe ductans pariter cum Ioanne primo (qui tot inter Portugallenſes monarchas nominatur magnus) pariter in arma ruebat , nullibi cadens prælio. Decurſis annorum ſpatiis illuxit Orienti demum fœlix ætas , quâ lucem accepit Evangelicam ea mundi pars, quâ cunctis naſcitur Phœbea lampas. Regnator potentiſſimus Emmanuel , quaſi fortunæ filium dilectum hæreditarium non caperet imperium , Orientales & adhuc impervias oras explorare cupiens , expeditioni nauticæ ducem tritavum tuum ſemel , ac poſt luſtrum denuo deſignavit D. Vaſquium à Gama primùm Comitem da Vidigueira , ſimul æquoris Indici maximum præfectum : qui poſtea ſub Ioanne III. Proregis miniſterio functurus , tertiò vidit Cinthÿ luminis cunas. Forſan ſcrupulum ſorti movit quòd cùm Ioannes II. (qui perfecti principis cognomen antonomaſticè conſecutus eſt) ejuſdem Viceregis parenti prædictam ignotæ regionis explorationem commiſiſſet : is morte præventus è littore pedem non ſolvit , vitale portui cunctis mortalibus communi navigium appellens. Idcirco gnatum non bis tantùm , ſed tertiò vocavit ut genitoris deſideria compleret , imo cumularet : priùs etenim vidit illum Aſia regium Legatum: ſecundò militiæ Archigubernum pertimuerunt reges , quos vel ſubditos, vel fœderatos , Portugallicæ Coronæ junxit : tertiò Vicemonarcham contremuit novus Orbis. Taceat Plutarchus inquiens :* nec Soli licet ſuos egredi fines. *Hæc non aſſereret ſi temporibus ſuis daretur veſtigatorem cernere Gamam quærentem Heſperias Terras.*

Plut. in moral.

Ex hoc Ænea (qui priori non geſtis equidem , ſed ævo ſolummodò poſterior) ad illius nepotem proavum tuum nomine reque ſimillimum ; tertium Comitem , & in patruum magnum tuum D. Ludovicum à Gama , & haud aliter ad avum D. Franciſcum à Gama, belligeratrix fortitudo libens dimanavit. Horum namque primus in certamine , quod ab oppido Alcacer *famoſum Hiſtorici noſtrates loquuntur , lacertoſam conſtantiam ſanguine proprio deſcripſit , ſecundus in Eoæ plagis non ſemel Dux maximus , in civitate videlicet* Ormus, *& claſſis regiæ contra* Cunhalè *barbarum præpotentem , denique pugnans pro patriæ decore ſervando , vitam profudit (& pariter hujus frater in Æthiopia D. Chriſtophorus à Gama , qui ſæpius Regem Ceilæ protrivit belli ſorte potens.) Poſtremò tertius ferro togaque ſimul inſignis Vicerex , bis Auroræ Gentium rexit clavum , non minùs in ſolio rectus , quàm in arena fortis: nam ut ſcribit Caſſiodorus ,* Viri fortes ſemper in pace modeſti ſunt ; juſtitiam nimis diligunt qui prudenter prælia tractaverunt.

Caſſiod. l. 5. epiſ. 3.

Alios omittam , quorum præconia prolixiùs , & numquam ſatis , concinunt Chronici, cùm de illis , poſſet repetere Tullius : omnia denique quæ ſunt in imperio , in ſtatu civitatis, ab iis defendi & firmari putantur qui militari virtute antecellunt. *Veniam ad Homeri calamo dignum Abavi tui Fratrem D. Stephanum à Gama , qui Olyſſiponis regimen obtinuit, & Gubernator ſubditæ matutino Titani Telluris , maris Eritræi dominium gloriosè reportavit , profligatâ inſulâ* Cuaquem, *& urbe* Alcocer, *civitatique* Tor *(neſcio an glorioſiùs) conceſſâ clementiâ , devenit ad* Sués *portum uſque tunc inacceſſum, fœlicitatem prævalido pectori coæquans : & in monte Sinai triumphator egregius equites inſignivit ſolemniter. Ipſorum non degenerem probaverat ſpem, hac remuneratione peculiariter gaviſuram : quia* præclaris virtutibus præclara præmia , & inſignia virtutis conveniunt, quibus conferendis utile eſt principibus eſſe magnificos, cùm non minoris ſæpe fiant inſignia virtutum, quàm præmia à viris bonis. *Sciebat Dynaſta mavortius vincendi ſortem non ſolo mucrone fulciri , ſed honorabili mercede firmari.* Spiritus militum , *ait Plutarchus*

Tull. or. pro Murena.

Natal. Com. l. 15. hiſt.

Plut. in Cæſar.

tarchus, animique ardores dux ipse excitat, atque alit, quando honores & dona largiens ostendit, se non sui luxus, aut voluptatis gratiâ bello divitias parare, nec illas opes, seu communia virtutis præmia apud se recondi, & in hoc tantùm ipsum esse divitem ut militibus pro meritis præmia dare valeat. *Monuit, fatemur, Tacitus quod* milites neque dicta imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipere par est. *Sed fallit hæc regula cum armatæ Rector aciei diademati non ineptus, regni dominatorem exequat bellandi præstantiâ. Talem censuit eum progenitorem tuum, de quo nunc incidit sermo, D. Ludovicus à Taide (postea regionis Indicæ non semel Vicerex) declaratus eques ab eodem, cum deinceps Imperatori Carolo V. dixit audacter in faciem, sed verè, jam equestrem titulum sibi collatum fuisse manibus pariter strenuis ac ipsius Monarchæ.*

Corn. Tac. l. 6. annal.

Istam progeniei tuæ cognatam animi vim præstantissimam noverunt Portugalliæ sceptra moderantes apprimè. Hinc factum quòd ex eadem arbore, quâ fœliciter satus es, tum pro Curia, tum ejus extra mœnia, prudenter obituros honorifica munia, decursu temporum sæpius elegerunt Heroas. Non minorem utilitatem adferunt qui Reipublicæ præsunt, quàm qui bellum gerunt. *Vidimus genitorem tuum Excellentissimum D. D. Vasquium Ludovicum à Gama Marchionem de Niza functum apud Christianissimum Galliarum Regem iterata legatione.* Legatos inter res maximi momenti Cyrus ponebat, *inquit Xenophon: meritò quidem, nam per illos rex videt, audit, & operatur procul. Scitè dixit quidam* hos esse principum oculos emissitios, aures, ac manus longas. *Posthàc ipsemet qui tibi lucis author, à statu regij consiliis electus consultor, per annorum producta spatia, variasque temporum vicissitudines, regnum prudentiâ stabilivit:* parum *quippe* sunt arma foris, nisi sit consilium domi: *Sic Rhetorum Princeps.*

Tull. l. 1. de offi.

Xenoph. l. 8. de insti. Cyr.

Stepha. Vivam dum in Her. Prod.

Ex prædecessoribus itidem tuis delegit Rex Ioannes III. Archippocomum suum abavum D. Franciscum à Gama (& pariter D. Franciscum de Portugal proavunculum tuum decoravit Princeps Ioannes post annos aliquot) cujus & filium D. Ioannem à Gama regalis in paupere spietatis dispensatorem constituit. Ioannes II. Alfonsi Principis infœlicis geniti sui Gazæ Arcarium tritavi tui patrem (sicut etiam Sebastianus rex propatruum tuum D. Franciscum de Portugal) atque Sinensis urbis Protocastellanum creavit: cui pridem antecesserat ibi D. Stephanus à Gama tritavi tui patruus. Avus item tuus in tribunali rerum Indicarum olim negotia pertractante, magistratus dignitate summi potitus est. D. E. Duardus à Gama nepos Fratris avi tui quinti civitatis egit Lamacensis Protocastellarium, & coram Serenissimo infante Portugalliæ Ferdinando ab Emmanuele rege progenito, domus regiæ præfecturam exercuit, & idipsum gnatus illius D. Antonius à Gama Domino Eduardo infantis Portugallensis Eduardi proli decorum præstitit obsequium. Prætermitto Gangeticæ regionis propugnaculorum Duces maximos, militantium Ordinum Commendatarios, ac innumerabiles decorosis insignibus effulgentes tibi sanguine proximos, quos benemeritis invidiosa vetustas latibulis abdidit, ubi recondere maxima quamplura priscorum curavit segnities.

Tull. proximè sup.

Auson. epi. 35.

Mors etiam saxis nominibusque venit.

Quidquid volubilium temporum livor involvat, & proterat: nec toti Lethæi fontis latices genealogica magnalia tua delere valebunt, quæ reverentur populorum obstupescentes oculi, condecorarunt largè regales dexteræ ac omnes Lusitaniæ primates lubenter amplectuntur: & ita quod vix est inter magnates primos ullus quem tibi vel affinis, vel consanguinea necessitudo non colligaverit. Hoc exultanter concedunt Comites d'Obidos, Calheta, Vimioso, Torre, Castanheira, cum pluribus aliis quos illustrat, & vicissim ab eis clarescit spectatissimum Gamæ nomen.

Advenit pede tacito, sed aliquando tandem, cum proloquium istud rescriberem, peroptatus universis dies, quo nuper Algarbiensis Ecclesiæ venerabilis Antistes designatus es. O ter fœlicem sponsam cui talis contigit Præsul! Ipsi parere non prius jubet potestas, quàm suadeat amor. Ita commodis ejus invigilas, ut istiusmet oculus computari valeas. oculo namque corporis quod est membris omnibus pulchrius ac pretiosius Episcopum advertimus significatum. *Agnoscit illa te qui gentilitio jubare natus es terræ stella coruscа, nunc inter astra cœli beneficentissima collocatum:* quid enim fratres tui omnes universalis Ecclesiæ Episcopi nisi astra cœli sunt. *Ista scripsit Gregorius Papa cujus præscriptum infulato cuidam alibi missum, nunc observas ad unguem, ac si temet ille fuerit hortatus, verbis hisce datis:* Tota ergo mente Fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam, amicam bonis, perversis contrariam. Nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere

Chromat. Episcop. in c. 6. Matth.

D. G. M. to. 2. lib. 4. indic. 13. cap. 82.

Idem. ib. lib. indic. 2. cap. 129.

ſtere etiam ſurpa virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis ſęviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira judicium ſine ira tenens; in tranquillitate autem ſeveritatis ſuæ cenſuram non deſerens. *Alieno tepenicillo depinxi; ne faciem retrahas laudes tuas averſatus humiliter.*

Parcè dixi quia nuncupatoriam epiſtolam ad modeſtiæ tuæ regulam, non ad magnitudinis normam, compoſui: neutiquam obſequij mei tenuitatem, pro tua circa me benevolentia gratanter perſolvenda, verbis optans adaugere; ſed profeſſus me nihil tibi non jure tuum dicare valuiſſe præter anſam benevolæ protectionis exhibendæ meo priori ſtudiorum germini: Solent enim principes animi tam occaſione beneficentiæ puſillis præſtandæ complacere, quaſi donum acciperent. Ergo ter & amplius illuſtriſſime Domine, labores noſtros tibi nuper non exoſos nunc tuere dignatus contueri, ſapientiæ tuæ radiis illumina copiosè, fove benigniter auguſto vultu. Hæc tua ſunt erga parvulos officia ſuperexcelſi cordis: noſtrum ſcio precibus inſiſtere ſuppliciter coram Altiſſimo ut incolumem te pro Luſitaniæ ſervet ornamento, ſic ut anni tibi mortales pro noſtris non emorituris computentur deſideriis. In Monaſterio Alferrarienſi Ordinis D. Pauli 1. Iulij anni 1685.

CELSITVDINIS TVÆ,

Servus obſequentiſſimus

Fr. ANTONIVS A MATRE DEI.

LECTORI,

VEL PIO, VEL QVALEM tulerit Sors ambigua.

TE judice cui lex arbitrium, opuſculo teſte contra producentem, vocor ad examen audaciæ reus, quòd ævo ingeniorum adeo feraci, ut illuſtria Sacrorum Bibliorum cõmentaria penè creverint in immenſum, inter aquilas hirundo volitare præſumpſerim tectis egreſſa: nec brevem ingenioli ſcapham inexhauſto pelago committere dubitaverim. Sed quem non alliceret Sacrarum litterarum prædives, & amœna dulcedo, ut vituperonum cenſuras minimè reformidans auderet procul ab audacia, neminique fonte clauſo labra proluere? Auſui permittendum aliquid ne male audiam quòd arbor infructuoſa Luſitano Solo ſterilitatis probrum inuram & ipſe. Audacem ne judices quæſo; ſed audentem. Cenſoriæ virgæ ictus formidabo à ſpe tibi placendi prorſus alienus? Pertimeſcant ij quorum labores communis plauſus excipit: vili quippe timoris pretio ſpem gloriæ mercari ſolent: *ut enim oppoſita ſpes timori eſt, ſic adverſo de fonte oritur, & neceſſe eſt quòd ſperare cœperis, ejus contrarium ut formides*, ait Petrarcha. Non ea me dementia cepit, ut ignorem quàm mihi ſit curta ſuppellex. Ergo nonne metum repellere licebit ei qui jam dudum ſpem reſecavit? *Miſerrimum eſt timere, cum ſperes nihil*, cecinit Satyricus. Inſomni multoties diviti fœlicitas negat quietem, quâ pauperis tugurium nec terræ motus pavet, neque furem. De cœlo tacta quercus experitur ignem, qui lilium relinquit illæſum. Non ergo rugato ſupercilio demireris quòd hac cenſorum minaci tempeſtate vela pandam, ſtridentibus obloquentium fulminibus ramos explicem, & clauſis oculis ingratos theatri vultus non pertimeſcam, cùm non ſoleat hybernas timere procellas antenna demiſſa. Hieronymo docente dicam: *nec expectamus laudes hominum, nec vituperationes expaveſcimus.*

Petrarcha d. remed. proſp. fortu. dial. 109.

Perſ. Sat. 1.

S. Hiero. in Prolog. ad l. Eſther.

Altiſſima fateor ſum aggreſſus: omiſſis namque libri Proverbiorum exordiis, & eâ quæ uſque ad caput nonum doctrinâ ſequitur, elegi philoſophiæ Salomonis apices, quos ejus Parabolas dicimus:

Quoſdam ceu prato libuit decerpere flores.

S. Proſp. l. Epigram.

Ipſas Regij Sapientis gnomas cap. 10. ejuſdem libri contentas perpendam ſacri textus ordine: ſique per te mihi licuerit, forſan progrediar. Ubi nam intendam ſiſtere greſſum promittere non licet:

Vitæ ſumma brevis
Spem nos vetat inchoare longam.

Horat. Ode 1.

Operis argumentum exigis ut aperiam. Illud non aliud eſt ab eo quem Salomon ſibi præfixit ſcopum ibidem: nempe virtutum ſuadere, vitia ſuggillare. Certiora velles: *nec ideo tamen debeo inde tacere quod valeo, quia dicere quantum volo non valeo*: verbis utor Proſperi. Non ingenioſæ voluptati, ſed ſpirituali profectui ſervire cupio: *grati flores, ſed gratior panis*, legis apud Chryſologum. Ideo fortaſſis accidet ut nimium in obiurgandis vitiis aliquis accuſet: cui pronum erit ſatisfacere verba mihi ſumens D. Hieronymi: *nec invecti ſumus in eos qui peccant, ſed ne peccent monuimus.* Inſuper memento quod ex naturalium ſapientum obſervatione retulit Cornel. à Lapid. *Apes*, inquit, *quæ aculeum perdunt, mella de cætero facere non poſſunt.* Quin juxta Dioſcoridem: *mel abſtergendi vim habet, ora venarum aperit, humores evocat, quâ ratione*

S. Proſp. d. vita contem. c. 2. lib. 1. Chryſol. ſer. 18. D. Hiero. ep. ad Nepoti. tom. 1 Corn. à Lap. in c. 6. Prover.

tione in sordida ulcera, sinusque commodissime infunditur. Hoc sine partis læsæ aliquali punctione præstare non valet. Dioscori. l. 2. c. 101.

Moralibus doctrinis præmisi ad singulos versus litterale commentarium notationibus mysticis, ut fastidium tuum condirem, nonnumquam permixtum, neque tam lacinioſum ut rhetoris potiùs quàm commentatoris videar suscepisse provinciam; nec adeo laconicum ut me coactum putes hoc exponendi munus exhibere, quod in re biblica præcipuum. Tam ad litteram quàm ad mores versans paræmias Regij sapientis, eas verbatim, quoad potui enucleare curavi ductus Chrysologi sententiâ: *singula Scripturæ verba si libris singulis mandarentur, nec sic mysteria quæ in ipsis sunt audientibus perlucerent:* quod ut sano disciplinatoque dicendi genere præstem, *libenter* (cum D. Bernardo loquor) *ubi mihi congruere video verba Sanctorum assumo, quò vel vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæque in eis lectori apposuerim.* Nec tamen ideo philosophorum poëtarumque dicta, quantumvis inter sacra despiciam: nam ut S. Augustinus dixit, *philosophi, si quæ forte vera, & fidei nostræ* accommoda dixerunt, non solum, formidanda non sunt, sed ab eis tanquam ab injustis *possessoribus vendicanda in usum nostrum.* ad eum modum quo Ægypti divitias, Dei, non verò Ægyptiorum dono, Hebræi recepere. Fruere D. Petro Dami. *thesaurum quippe tollit Ægyptiis,* inquit, *unde Deo tabernaculum construat qui poëtas ac Philosophos legit, quibus ad penetranda mysteria Cælestis eloquij subtilius convalescat.* Quod cum à Damiano acceperim, proposui cum Parisiensi Cancellario; dicens: *adjuvet nos philosophica positio: nihil enim prohibet vel ab hoste doceri:* præsertim cum citra doctrinæ sacræ offensam; apud sanctos Patres non semel offenderim ipsamet vatum gentilium verba in proprij sermonis contexturam usurpata. Omitto referre loca: non enim mihi sermo est cum illis qui Ecclesiæ Patres nec à limine salutarunt, & nos monent ut eorum in dicendo amplectamur exemplum.

Chrysolo. ser. 64. D. Ber. ser. 3. sup. Miss. D. Aug. l. 2. d. doctri. Christia. c. 40. tom. 3. S. Pet. Dami. l. 2. ep. 7. Gerson. tract. 9. sup. Magnificat.

Non deerit qui capitum aliquorum prolixitatem causetur: utpote quæ videatur excedere quod nomen delibationis permittit: & similiter de numerorum distinctione dicet, qui solito longiores occurrent passim. Repono cum Seneca dicens: *idem vitij habet nimia quod nulla divisio: simile confuso est quidquid in pulverem sectum est.* Adde quod semper me tęduit promittentium plura quàm donantium. Hoc etiam fuit in causâ ut indices aliquantùm extra morem texuerim: nam superfluum judicavi paginas implere sententiis refertas, quarum aliquas non superaddita suppellectili ornatas invenies in corpore libri; sed nudas, prout in alphabetica tabula reperiuntur, vel solis verbis ulterius vestitas. Si tamen in hac re me defectuosum pronuntias, accipe restitutionis loco Sanctorum Patrum repertorium peculiare, quod tibi non debueram, & offero libentiùs quàm solitam pro concionibus farraginem, quam fateor frustraneam, licet in hoc mori parendum esse putaverim. Sen. in epist.

Stylum, quem absque affectu, & fortuitò sector, à diversis non eádem via reprehendendum novi: quibusdam humilem; aliis verò comptum, & subobscurum videndum esse non dubito: voto non vivitur uno: *nec tanta vultuum, quanta sententiarum diversitas est,* inquit D. Hieronymus. Non ideo tamen à judicibus inexorabilibus petam ut clementiùs agant, quia non me petunt hujusmodi tela. Zoilus damnabit Evangelum: (quorum prior contempsit Homerum, & posterior irrisit Virgilium:) unus, inquam, alterum jugulabit censorem, dum sibi mutuo non constiterint in judicando: *cum enim,* ait Philo, *de eadem personâ, de eodem facto duæ diversæ feruntur sententiæ, necessum est, inquam, esse alterutram.* Attamen responsum præveniam facillimè prioribus: scili. iis qui verborum phaleras amant. Accipiant D. Antonij Lusitani verba quibus nostra se tueri valebit apis. *O curiose cujus sunt in multis actus, vade, non dico ad formicam, sed ad apem, & disce sapientiam. Apis non intendit flores diversos.* Optimo jure sciolos increpat Lusitanus Doctor: *horret enim sapientia spumeum verborum ambitum,* ut ait S. Isidorus Hispalensis. Majus negotium faceſſunt qui omnem dicendi ornatum in sacris oderunt, utpote qui detractionem tegunt virtutis pulchro pallio. Si, Lector, ardorem deponas calumniandi, cernes me neque rosas loqui nec spinas. Scio eundem S. Antistitem dixisse: *noli verborum obscuritate uti.* Sed vide quid ille jam subjungat: *ita dic ut intelligaris, nec simplicibus displiceas, nec prudentes offendas.* Adjice verba ejusdem Isidori dicentis: *Latinè autem loquitur qui verba rerum vera & naturalia persequitur, nec à sermone atque cultu præsentis temporis discrepat. Huic non sit satis videre quid dicat, nisi id quoque suaviter & aperte*

S. Hiero. in prolog. ad l. 11. sup. Isai. Philo Hebr. to. 1. l. d. agricult. D. Anto. Olyssip. ser. Dom. 11. post. Trin. S. Isid. Hispalen. l. 2 sententen. c. 29. Idem l. 2. Synonimor. c. 14. Idem. l. 2. Orig. seu Etymolog. 16.

apertè dicere &c. Preme illud, *ſuaviter*, ſicut illo, *apertè*, me premere vis: & ne prætereas quòd ibidem conſuetudini loquelam aptare docet atque colere: *à ſermone*, inquit, *atque cultu præſentis temporis* &c. Adi S. Ambroſium, ac docentem audies: *oratio ſit pura ſimplex, dilucida, atque manifeſta, plena gravitatis & ponderis; non affectatâ elegantiâ, ſed intermiſsâ gratiâ.* Vltima verba tene.

S. Ambr. l. 1. de offic. c. 22. fine.

Hac doctrina inſtructus (quam ſequi percupivi, etſi non obtinuerim) nec exoticam phraſim diligo, neque defectus noſtros claritatis hypocriſi tego dijudicandus à prudentiſſimis: injurius quippe tibi forem, ſi te non alio quam puerili, vel ruſtico dignum idiomate cenſerem. Itaque medium tenebo callem, *contentus* (ut Seneca ſcribebat ſuum ad Lucillum) *ſenſus meos ad te pertuliſſe, quos nec exornaſſem, nec abjeciſſem.* Tranſcendit per omnia illud veterum effatum: *ne quid nimis.* Fateor per cultum ex induſtria ſæpius elaboratum, orationem enervari, & ſollicitâ nimium latinitate reddi non latinam: *ea eſt enim* (ait ſanctus Proſper) *niſi fallor judicata latinitas, quæ breviter, & apertè obſervata duntaxat uſitatorum verborum proprietate res intelligendas enuntiat: non quæ vernantis eloquij venuſtate atque amœnitate luxuriat: & prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia.* Si horum attendiſti verborum elegantiam, crede S. Doctorem non ut calamo eruditioni valedicamus conſulere: calamiſtrum odit, ruſticitatem non ſuadet: eundem leges alibi dicentem de ſermone ſacro: *in omnium audientium pectus cum quadam delectatione deſcendat.* Et quomodo rudis & indigeſta verborum projectio delectabit omnes? Conſule Chryſoſtomum, & dicet de concionatore loquens: *Si is laudum titillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam ſale ac gratia conditam, fiet ut à multis deſpicabilis habeatur, nullo prorſus lucro commodovè ab animi magnitudine illa accepto.* Eádem lux illuminat, & recreat ægrum, quin radiorum ſaluberrima vis per eorum pulchritudinem evacuetur: nec ille oderit eam, niſi oculis ægrotet: multoque minùs obſcuram judicabit ex hoc quòd acies læſa non ſuſtineat ipſam, niſi mente ſit malè ſanus. Mihi certè cum præſtantiſſimis omnigenâ doctrinâ viris verſandum eſt: cæteros non metuo: jam enim datum eſt ut de noſtro qualicumque labore non judicet Harpaſtes, de qua Seneca lepidè ad mores philoſophatur de more ſuo. *Hæc fatua*, inquit ille, *ſubito deſiit videre. Incredibilem tibi narro rem, ſed veram. Neſcit eſſe ſe cæcam: ſubinde pedagogum ſuum rogat, ut migret: ait domum tenebroſam eſſe.* Vel aplica, vel audi Chryſoſtomum: *captus oculis etiam ſole ubique rutilante noctem ſuam patitur.*

Idem ibi. l. 1. c. 23.

Chryſoſt. tom. 5. l. 5. d ſacerd. poſt princ.

Sen. ep. 50.

Chryſoſt. hom. 21. in Matth.

Ambitioni legendi nova puto non ſatisfacturum opuſculum iſtud. Apis eſt: & *de illis non ſatis conſtat*, ait Seneca, *utrum ſuccum ex floribus ducant qui protinus mel ſit: an quæ collegerunt in hunc ſaporem mixturâ quâdam, & proprietate ſpiritus ſui mutent. Quibuſdam enim placet non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis, ſed colligendi.* Tu de apicula noſtra ſenti quod libuerit ſi aliqua priùs ab aliis inventa, hîc ſine lepore inveneris repetita. Mihi ne ſuccenſeas à crimine plagij ſatis alieno: fœlicioribus gratulare quòd fuerint natu majores. *Patet omnibus veritas.* Sique rigidus adhuc cenſor inſultas, tibi nunquam accidiſſe ut inveneris quæ prius ab antiquioribus erant occupata, pro ingenij tui ſummè fœcundi laude ſuſpicabor. Prævidimus (nec nova facies) à prælio per unicum iota diſtare prælum. Commodo tuo pro tenuitate mea ſervire ſtudui: *Sufficiet autem voluntas* (claudo periodum S. Bernardi verbis) *ubi deeſſe vides facultatem explendi. Denique & ſi tibi nullam conferat utilitatem: vel mihi proficiet ad humilitatem. Stultus quippe dum non loquitur ſapiens putatur.* Sed quid ultra pergo neſciens an tu inter eos numereris quibus diſplicent cuncta? Vale ſi placet.

Sen. ep. 84.

Idem ep. 33.

S. Bern. ep. 87.

APPROBA

APPROBATIONES.

COmmiſſum mihi à Reverendiſſimo P. Fr. Laurentio à Cruce jubilato Magiſtro, noſtroque Generali digniſſimo, hunc primum Tomum, cui titulus eſt: *Apis Libani* circumvolitans flores in horto Salomonis ad caput decimum *Proverbiorum*, à R. admodum Fr. ANTONIO A MATRE DEI in Sacroſancta Theologia ſapientiſſimo Doctore, primarioque illius jam dudum emerito Profeſſore, ac magiſtro meo amantiſſimo, in ſuis mentis acuminis primitias editum, ſummâ curâ, animique voluptate perlegi, & utinam cuncti perlegerent, ac de illius confecto dulci nectare totus potiretur orbis, ut de retroactis veluti invidum præſens hoc ſæculum quiſque ſibi perſuaderet ſatis ulciſci, dum unum pro cunctis plus cæteris ſapientiorem hunc parturit heroem. Obmuteſcat igitur Philoſophus quidam Italus, Petrarcha nomine, qui plus æquo impudenter in hæc verba prorumpere auſus fuit, impune tamen. *Libros* inquit, *ſcribunt nec ulli ætati tanta ſcribentium copia, tanta ſcientium fuit inopia.* Dum ex Luſitano Libano velut Apis argumentoſa exurgit hic Clarus heros; in quo naturam ita anteceſſit mentis acumen ut vigeſimum primum annum vix attingens in ſacra Theologia Doctorali Laurea plus cæteris glorioſiùs pro ſuis meritis dignatus fuerit redimiri: Et quod mirabilius; nunc ſacræ paginæ difficiliorũ apophtegmatum litteralẽ, moralemque ſenſum ita eminenti quadam exolvit expoſitione: reſolutiones, & ſententias ita inexplebili mentis complectitur capacitate: verborum ſingulorum pondera ita examine librat oculatiſſimo, ut ad integrum librum caput unicum facilè protenderit; ac ſi naturam ſolertiamque apum contineret, quæ dulcia mella conficiunt ubi cætera animantia quid deguſtent non inveniunt. De quo igitur plus libenter, quàm de Tertulliano Vincentius Lirienſis protulit, proferam, *ingenio*, inquit, *tam gravi, ac vehementi excelluit Tertullianus, ut nihil ſibi ad expugnandum propoſuerit quodque non, aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit.* O quantum igitur præſtantiſſimi Doctoris hujus acumen ingenij primus iſte fœtus plùs quàm ille Philoſophus ſpectabat prodit fœliciſſimus! ſed potiùs Salomoni gratulandum, cujus viridarium & concluſus hortus ortum ſibi verè in hoc uno fortunatus reperit; dum ad ejus intellectus radios florulenta myſteriorum ſoboles, veluti ſuis calycibus diù hybernata, quia nulli pervia ac ſi ad nutricis auroræ matutinum rorem calix roſæ protu-

Petrarc. Dialog. 44

Vinc. Lirie. cap. 44.

berat;quælibet in capillamenta consurgit, dum in mysteria dehiscit:de quibus decantare valeo cum Claudiano, *Zephirinis melioribus halant perpetui flores*. Flores, inquam, sed intellectuales: quorum divinum rorem, dulceque nectar hortum Salomonis circumvolitans sedula Apis ista Regia,ita colligit argumentosa, ut cæteris apibus nihil relinquat elaborandum; sed multum fruendum; ut cum Plinio dicam, *nihil est enim quod discere velis quod ille docere non possit*. O quàm igitur pulcherrimum viridarium exuberantium fructuum fertilitate litterariâ fœcundum! in quo fœlices virgæ florum & fructuum amicabili nexu copulantur,dum istius melioris Apis labore virtutum dapes condiuntur, fraudumque sęculi pompa pungitur foliorum. Parcat, quęso, qui me oratorem panegyristam cernit in elogium,dum revisorem expectabat ad censuram. Neque enim, ut cum Cassiodoro loquar, *fieri poterat ut quem tantus Auctor familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inveniret*. Quinimo non me possem cohibere,ne loco censurę in panegyrim prorumperet amoris cumulus: necessitudinis nexus: discipulique strictissima obligatio. Igitur solum laude & panegyri, non verò aliquâ eget censurâ illud quod in admirationem ponet orbem si mandetur typis.Hoc meum judicium, & calculus. Eborę in Collegio divi Pauli primi Eremitę 30. Februarij 1683.

Claudian. de raptu.

Plinius lib. 1. epist. 22.

Cassiod. lib. 4. epist. 22.

Fr. CAROLVS A DIVO BONAVENTVRA, in sacra Theologia Doctor, Lectórque primarius, ac Ordinis Diffinitor actualis.

Primum

APPROBATIO ALTERA.

PRimùm nunc in lucem prodit, seu potiùs usque ad cœlum ascendendo evolat, ac evolando ascendit *Apis Libani circumvolitans flores in horto Salomonis, condiendis virtutum dapibus mellificans, fraudum sæculi folia pungens*, Tomus primus ad caput decimum Proverbiorum, Authore admodùm R. P. D. Fratre ANTONIO A MATRE DEI Olyssiponensi, sacræ Theologiæ emeritissimo Lectore, Magistroq; meo amantissimo. Opus sanè, & si tam subtili Minerva expositum, tam copiosè, atque ornatè expensum, ut illius ingenium in proponendo, profunditatibus eluceseat, in arguendo, peritiam elucidet, ac in probando admirationibus inclareat, sacræ Scripturę, & sanctorum Patrum penè infinitum thesaurum stemma hoc non tam approbare, quàm extollere liceat aliquantulum: & nunquam satis encomium; quamvis nervis omnibus conetur officium, vires deficient laudatori. Si Oratoris Evangelici sciendi concionum regulas cupiditas adolescit, Apem istam, ac Magistram adeat, revolvat, sapiensque exiet, atque prudens: *Vade, non dico ad formicam, sed ad apem, & disce sapientiam:* verba sunt D. Antonij Olyssiponensis, quibus ad Lectorem Apis regia ista *Apis Libani*. Mons est, qui elato fastigio caput super omnes montes extollit, ut scribit Hieronymus: altior evehitur Apis nostra, neutiquam pedestris obambulat, sed aquilinè desuper circumvolitat, expansis alis coronam assecutura, & condignè. *Libani circumvolitans flores in horto Salomonis.* In Salomonis horto flores inveniet desiderium, in Tomo isto fructus carpet studium: in horto non habendi fructus in floribus; in hoc tomo reperiendi in foliis fructus: in horto Salomonis sine Apis industriâ poterit mel deprehendi; cæterùm non degustari: accessit Apis nostræ laborantis acumen, *cui nullus otio perit dies*, ecce dulcedo mellea, sapida, & jucunda, ast Api libani tribuenda: en natura mellis, atque labor Apis *cum prima aurora folia arborum melle rosc ida inveniuntur, ac si qui matutino sub diu fuere, unctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt.... præterea è fronde, ac pabulis potus, & in uterculos congestus Apum... magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert.*

D. Ant. Olyssip. serm. 11. post Trin.

Hieron. de locis Heb.

Plin. de Nat. hist. lib. 11. c. 5.

Plin. ibi. c. 12.

Condiendis virtutum dapibus mellificans, fraudum sæculi folia pungens. Mel, atque stimulum tenet Melissa, ut spiculo agitet, & indulcoret dulcedine; hâc animos ad virtutum dapes mollificat Apis nostra; illo terret mortales, ut detestentur vitia. hîc leo visitur ad horrorem, illic homo aspicitur ad lenitatem. Palmam duplicem Cherubim in Oraculo construxit Salomon, *Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex aliâ parte.* Est Cherubim plenitudo scientiæ: qui igitur Apis nostræ scientiæ complementum considerare cupierit, juxta cujuslibet paginæ faciem, palmam sapientiæ intuebitur mirabilem: dùm ad virtutum epulas blandulam demiratur faciem hominis juxta palmam ex hâc parte, atque ad stimulanda mortalium delicta horribilem aspicit faciem leonis juxta palmam ex alia parte: justè semel, atque iterum triumphans elucet Apis libani *condiendis virtutum dapibus mellificans, fraudum sæculi folia pungens. Tomus primus*, & verè primus! nulli secundus. Primas in exponendo alteri deferet Apis nostra? Nequaquàm: quin imò Authoris nomen volumen amplificat, & apprimè: nam si in concionando favus distillans labia ejus, ut Antonius; in scribendo pennam melioris *Ave* quasi acciperet à Matre Dei. Igitur, si, ut inquit Cicero, *effectus eloquentiæ est audientium approbatio*, non solùm sanè possem opus hoc industriè compositum comprobare, Lector, sed & scholasticæ, Authoris, disciplinæ auditor, qui per quadriennium ejusdem discipulus extiti amantissimus. In lucem ergo emergat Apis ista Libani Regia, atque ad Eremitarum Pauli familiæ ornamentum; cui palma victum, ac vestitum præbebat, cherubinè scribendo, & Aquilinè volando exeat victor. Ita censeo in hoc Eborensi Collegio D. Pauli primi Eremitæ 29. Martij 1683.

Ezechiel 41. n. 19.

Cicer. 2. Tuscul.

Frater IOSEPHVS A D. ANTONIO in sacra Theologia Doctor, atque ejusdem Professor.

Facultas

Facultas Reverendiſſimi Patris Vicarij Generalis Eremitarum Divi Pauli in Luſitania.

MAgiſter Fr. SIMEON A CRVCE in S. Theologia Profeſſor emeritus: ex commiſſione Diffinitorij noſtræ S. Congregationis divi Pauli primi Eremitæ, in his Portugalliæ & Algarbiorum regnis, facta Prædeceſſori meo S. Theologiæ Lectori emerito ejuſdem Ordinis Generali nuper, M. Fr Laurentio à Cruce, per cujus obitum Vicarij Generalis munere fungor: facultatem facio R. admodum P.D.Fr. ANTONIO A MATRE DEI S. Theologiæ Lectori emerito, ut mandare typis valeat librum cui titulus ineſt: *Apis Libani circumvolitans flores in horto Salomonis*, à duplici Facultatis ejuſdem Doctore noſtri Ordinis approbatum. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo majori roboratas præbuimus. In Conventu Alferrarienſi Virginis à Conſolatione die 25. Aprilis anni 1683.

M. Fr. SIMEON A CRVCE Vicarius Generalis.

IN HORTI

IN HORTI SALOMONICI AREOLA PRIORI

TAM QVOAD EXTERNAM PVLCHRITVDINEM, quàm intus in ſucco libandus occurrit api libani

FLOS PRIMVS.

Filius ſapiens lætificat patrem: filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ.

APERITVR.

1 SALOMON cupiens parentes ad gnatorum regimen erudire, quid ex eorum recta educatione capturi ſint emolumenti, à facilioribus inciſpiens aperit. Non adhuc majora docet; ſed quid ipſa naturæ conditio largiatur benè moratis filiis, ac ſollicitis erga eos parentibus, inculcat: lætitiam nempe vel mœrorem, quibus pœnas dant, aut mercedem accipiunt. Eò plùs alliciunt bona poſita intra naturæ metas ut nec altiora promittat hic ſapiens quàm lætitiam, nec acerbiora minetur quàm mœrorem. Humana voluntas puerili more trahitur pomis, vilique facit aurum. Quaſi nec in parentes, nec in filios verborum aciem intenderet, ſermonem intexuit conſulens utriſque. Mens erat doctrinam ea methodo propinare, ut indocilis ac ſuperba fragilitas non reſpueret monita. Idcirco quaſi neminem de gerendis monens aggreditur opus, ut mortales medicamentum reperiſſe potiùs, quàm recepiſſe, videantur: *Nam dubio procul his rebus ſua cuique voluntas principium dat:* ea quemque tenet *cæcus amor ſui, & tollens vacuum plus nimiò gloria verticem*, ut ſe ſibi tuto credat neſcienti, vixque alienæ ſapientiæ credere dictis exiſtimet ſecurum.

Lucr. l. 2. d. rer. nat. ver. 261. Horat. 1. Carm. 181.

Cur potius lætitiam patri adſcribat, matrique mœrorem, vulgare dubium: obviæ cuilibet ejus ſolutiones apud Interpretes. Sic exponerem cætera non improbans: filij ſapientis gloria ſic parentes extollit, ut etiam patrem qui virili conſtantiâ pollens non ita facilè gaudij ſigna profert, hilari faciant geſtire vultu. Idcirco patri lætitiam de filij ſapientia tribuit. E converſò: cum matres gnatorum defectus rarò trutinêt æqua lance matri mœrorem de filio ſtulto accommodat: quaſi dicat: ita utrumque parentem dolor angit de filij inſipientia, ut & matrem afficiat: rariſſimæ namque ſunt quæ imitentur Teleutiam Spartanam, quæ ad malè moratum, & abſentem filium ſic reſcripſiſſe fertur: aut meliùs vive, aut illuc mane.

Plat. in apot. Lacon.

Filius. Unicum nominat, ut & gaudium, & mœrorem parentum exaggeret. Cum ſoleant unicè diligi qui unici ſunt, eò plus ejus 2 ſapientia genitorem exhilarat, ut potè magna ſumme dilecti fœlicitas. Econtra fatuitas ejuſdem ampliùs torquet, qua unica ipſorum ſpes emarcuit. Sane David ut ſuum erga Jonatham extolleret verbis amorem dixit: *Sicut mater unicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam.*

Sapiens. Et prudentem ſignificat, & probum: quia verò prudentia eſt honeſtarum actionum norma, utrumque ſenſum eidem appellationi litteraliter congruere judico.

S.Bern. ſer. 8. in Cant.

Eſt quippe ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, qui inſtar apis ceram portantis, & mel habet omnino, & unde accendat lumen ſcientiæ, & unde infundat ſaporem gratiæ. Neuter ergo ſe oſculum percepiſſe putet: ſive qui veritatem intelligit nec diligit: ſive qui diligit nec intelligit. Hæc D. Bernardus.

Lætificat. Gaudium de filij probitate ſic promittit parenti, ut à filio ei afferri ſignificet. Non ait: lætetur pater de filio ſapiente; ſed: *filius ſapiens lætificat patrem*, quaſi gaudium illud foret munuſculum oblatum parentibus à filio. Mutuus amor donum dilecti pluris facere jubet. Ut ergo parentes vehementiùs accendantur præfato præmio ad gnati adoleſcentiam accurate dirigendam, docet lætitiam à filio ſapiente patri conciliandam fore. *Hoc natura docet hoc diuturnitatis appetitus ſuggerit: hoc charitatis jura miniſtrant. Verum ſi naturalis hoc format amor: ſi vivendi libido hoc ſuadet, quid aget divinus?* Sic B. Laurentius Juſtin. de amore Dei erga nos. Fruere illius profunda meditatione.

S.Laur. Juſt. in faſc. amor. c.9.

Patrem. Cur hic potius patris mentio fiat dedi ſupra. Hoc nomine matrem etiam venire ne dubites. Etiam genitrices legimus de recta filiorum inſtitutione ſic gloriantes, ut eorum compoſitos mores propria duxerint ornamenta. Spartana quædam mulieri de opere textorio miræ varietatis arte picturato jactabundæ filios oſtendit domitæ indolis, quibus ſe longè ampliùs condecorari non ambigebat. Refert Plutarchus: aliudque non abſimile maternæ ſollicitudinis exemplum habes de Cornelia Gracchorum matre apud Valer. Maxim.

Plut. ſup.

Valer. M. l. 4. c. 4.

Filius verò ſtultus. Tam improbum quam fatuum littera exprimit, juxta ea quæ de ſapiente diximus. Sed cur non malum dixit, ſed ſtultum? Fallor niſi humanæ fragilitatis gratiam captat, ut fructuoſius erudiat. Cum etenim plurimi ſtultitiam dilectorum defleant; nec ſic eorum petulantia pudori ſit diligentibus illos: clariùs de ſtultitiâ ſermonem facit, ne ſi de vitioſa fœditate aperte loqueretur, viam aperiret contemptui veritatis. Ex his in reprehendendis vitiis erudimini, qui judicatis terram, ut ſubditorum fragilitati verbis accommodis utamini. Audite Gregorium Magnum: *Sit rigor, ſed non exaſperans; ſit Zelus, ſed non immoderatè ſæviens; ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens.*

D.Greg.M. l. 20. Mora. c. 8.

Mæſtitia eſt. Immutat ſtylum, Filium ſapientem non appellaverat patris lætitiam, ſtultum verò mœrorem matris aſſeverat. Qua de causâ? ut altiùs animo inſideat filiorum corruptelam, parentibus ſupplicium, non tam doloris cauſam eſſe quam dolorem. Ipſa namque ſæpe culpa peccati flagellum eſt. Redi ad Gregorium, & audias dicentem: *Omne quippe peccatum quod tamen citiùs pœnitendo non tergitur, aut peccatum eſt, & cauſa peccati, aut peccatum, & pœna peccati.*

Idem l. 25. Mora. c. 9.

Matris ſuæ. Patrem aſſeruit, ſuumque tacuit. Ut quid matri addit *ſuæ?* inſinuat peculiarem filiorum erga matres dilectionem, quam earum nimia fovet indulgentia. Sed, (ut aliorſum ait Baſilius) *Hic neque peccati periculum cognovit, neque utilitatem pœnitentiæ, neque ei fidem habuit qui dixit: qui autem diligit inſtanter corripit.*

D. Baſil. in reg. br. interrog. 54.

DELIBATIO I.

Quàm ſollicitè Deus merita noſtra curet augeri, nec juſtitiæ ſuæ parcens opinioni.

PRovida pariter & æqua manu divina largitas rectè munera partitur. Dum merita juſtorum compenſat, juſtitiam commendat æqualitas, prudentiam probat induſtria. Negotium curans noſtrum ſtimulat virtutis deſideria lucro, & ſe diligentium pectora trahit. Verum credo quod Valentinus Antiſtes notat, ſcili: *Seipſo verus amor contentus eſt, non quærit aliquid extra ſe.* Attamen hoc non omnibus datum fatetur: ibi Præſul idem. *Sed non ita pervius eſt hic affectus ut ad eum ſtatim pertingere poſſimus, ſed gradatim ad ipſum conſcendimus.* His ergo qui non adhuc evolarunt ad amoris apices benignè ſeipſum contemperare dignatur, ſpe utilitatis accendens corda ut amplius igneſcant. Deus hoc non tantùm curat dum pollicetur beneficia, ſed etiam dum debita reddit. Non ſic virtutis palmam tradit certanti, ut accipienti fructificet, non emortuâ filiorum pompâ marceſcat, ſed germina virentia proferens abunder. Idcirco rerum Dominus ita muneribus afficit ſuos ut meminerint ne præſumant ſimilem erga illos benevolentiam, niſi meritorum pretio, accepturos: imo certius agnoſcant remuneratorem à munere ceſſaturum, ſi ab itinere cœpto pedem illi retrahere conentur.

Divina juſtitia remunerat juſtum quò creſcat, non quò marceat.

Thom. à Villano. ſer. 3. Dom. 27. poſt Pentec.

Virtutis callem tenuit integer vitæ ſceleriſque purus Abel. Caſtitatis norma, religionis idea, martyrum exemplar, ſic ſe totum exploravit ad unguem ut dilectum Servatorem diſcipulum, divinitatis præconem, ſuum meruerit encomiaſtem. *Quoniam, inquit, opera ejus maligna erant: fratris autem ejus juſta.* Opera collaudat, nullum excludit: quippe cujus facta dirigebat ita recti amor ratione magiſtra, ut nec ſui diſſimilis, nec alteri cenſeretur æqualis. In eo tandem omnem decuit impleri juſtitiam, teſte incerto ſub nomine Auguſt. *Recte ergo competebat, ut qui primus in terra juſtus eligitur, in eo totius juſtitiæ forma ſervaretur.* Attamen cum tot præclare geſtorum faſtigio nullæ videantur laudes exæquari: unum tantummodo à divina largitate munus accepiſſe ſacer tradit hiſtoriographus. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Exponit Chryſoſtomus. *Quid eſt, & aſpexit? Id eſt approbavit, laudavit mentem, coronavit voluntatem.* Hoc eſt illi conceſſum obſequij præmium ſe devoventis? ſingulare hoc ſupremæ beneficentiæ ſignum, Abelis munera rerum Domino placuiſſe, quaſi aliquid obtulerit, quod non acceperit. Singulare quidem, ſed unicum. Et certe mirum erit perpendenti quot numeravit uno in holocauſto Abelus merita, non alia munerata fuiſſe mercede quam ut ſciret in eius oblatione

1. Joa. 3. 12.

Auct. l. 1. de mirabilibus ſacræ ſcript.

Gen. 4. 5.

Chryſoſt. apud Carc. Lipom. hom. 18. in Gene.

oblatione complacuiſſe Altiſſimum. Rutilabat in igne charitas, qua Deum perituris longè præponebat. Emicuit in aſcendente flâmâ religio in obſequium Tonantis prona: Latebat ſub agno humilitas quæ ſe veluti cinerem putans obtulit munus in cinereos pulveres abiturum. Eminebat ibi liberalitas, cum non ut frater abjecta, ſed optima ſacro digna conſpectu, præparaverit. Deliteſcebat ibidem timor Dei, nam vitæ mortiſque Dominum vivo mortique tradito profitebatur obſequio. Ergo ſi præmia largiri ſolet omnipotens ultra condignum : quare in Abel hoc tantùm pretio tot rectè facta compensâtur ut ad ejus munera Dominus reſpexerit? Nonne foret æquum numeroſa poſteritate donari, quam fides Abrahæ promeruit? Fratrive in re temporaria præponi, velut accidit Jacobo? cur non divina gratitudo retribuit hæc juſto qui non exemplorum auxilio munitus, ſed ſibi ſufficiens, virtutes heroicè copulavit in victimâ? Si primus innocentiâ, quare minor in donis? imo quia primus, potiori munere gaudet. Potius dicam Deum ſacrificium accepiſſe, quàm ſi donaret ſobolem, vel temporalium bonorum abundantiam. Iſta namque præmia non ſic ejus virtutis ſtimulos adderent, ſicut holocauſti benevola receptio præbuit motivum. Hæc Dei erga hominem humanitas divino timori calcar adjecit; liberalitati alas, humilitati animos, religioni fiduciam, charitati flammas accendit nequaquam extinguendas; haud ita virtutum lilia floreſcerent in Abel, ſi quovis alio præmio rigarentur à fœlicitatum inexhauſto fonte. Qua de cauſa? Accipe. Videns Abel Deum ad ſibi oblata placido vultu reſpexiſſe animadverteret oportere ut rurſus offerret, ſi vellet ut iterum reſpiceret benignè. Si verò alia temporanea dona per obſequium iſtud lucraretur, fortaſſis, & ſimilia ſe liberaliter acceptaturum, abſque novo ſacrificio, expectaret. Acceptatio Dei benigna ſupponit munus oblatum; reliqua verò præmia minime. Igitur ut noverit ſiſtendum in donis ſi parcat obſequiis, non legimus ei præmij loco datum, niſi Dominum reſpexiſſe holocautoma: ut pergeret religioſus in cœptis, nec deſereret incepta ſecurus.

O magnum benignæ largitatis ſacramentum! Dono potiùs irrigare rationale arbuſculum quò creſcat, quàm ditare, quo ruat. Non adhuc deſinam humaniſſimum divini amoris mirari ſtylum, quo ſibi patitur negotij ſuſpicionem appingi (dum nempe ſollicitat præmio nova obſequia) qui nævus candidum dedecorat affectum, juxta illud Bernardi: *Suſpectus eſt mihi amor cui aliud quid adipiſcendi ſpes ſuffragari videtur.* Illibatus eſt divinæ charitatis nitor, & hujuſmodi contemnit calumniam; nec fœdatur nota. Imo exinde ſplendeſcit Dei amor quod utilitati propriæ videatur conſuluiſſe dum incumbit alienæ. Minus eſt quod apertè dilecti quærat hominis lucra. Excelſius, & ideo magis arduum dilectionis opus eſt quod regitur velo putatæ utilitatis propriæ.

S. Bern. ſer. 83. in Cant.

Excelſius dilectionis opus eſt quod regitur velo putatæ utilitatis propriæ.

Olim diſcipulos alloquebatur ſic divinus Magiſter: *Baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor donec perficiatur?* Baptiſmum hic appellari mortem Redemptoris non dubitas: nam in ipſius morte nos baptizatos fuiſſe conſtat ex Apoſtolo. *An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu in morte ipſius baptizati ſumus?* & qui noſtra pertulit peccata, etiam ablutionem noſtram appropriat ſibi, eâ non indigens. Plus me movet quod ſequitur : *& quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* Præſertim ſic exponente Euthymio : *quomodo* (inquit) *coarctor donec perficiatur veluti anxius ſum propter tarditatem* : Poſthac idem Dominus in vitæ mortiſque confinio poſitus, non ſe coarctari pronuntiavit, ſed aſſeruit à Patre derelictum. Ut quid dereliquiſti me? An non crucis tormentum inter cætera dirius? Hoc ita verum ut cruciatus à cruce deſumat etymologiam. Et non coarctari ſe dixit clavis affixum, ſed quandiu crux differtur. Amantiſſime locutum agnoſce. Crucis procraſtinatio, & ejuſdem perpeſſio, utiles erant humano generi; hac tamen diſparitate, quod ſcilicet paſſio charitatis divinæ teſtimonium eſt, nulla tectum emolumenti proprij umbra: nam quidquid ex paſſionis merito Chriſtus Dominus promeruit ſibi, acciperet tanquam debitum unioni hypoſtaticæ, quamvis minimè pateretur (ut eſt in comperto apud Theologos, ſi loquamur ſecluſo decreto in oppoſitum.) Atverò dilatio mortis, quamvis nobis fuerit conveniens (utpote quæ diutiùs tenuit inter mortales eum qui *pertranſiit benefaciendo, & ſanando* &c.) Prima tamen facie videbatur ipſi Chriſto præcipue commoda, cum eſſet vitæ propriæ conſervatio. Hoc velamine contegebat cordis flammam in hac mortis protelatione relucentem. Cumque nimis moleſtum ſit illud amoris opus quod à dilecto ſic ignoratur, ut non in ejus commodum videatur exhibitum, ſed potius philautia motum : ideo non in cruce dixit coarctor, ſed antea cum cernebat retardari : quia dilectionem mortis ſuæ proficuam nobis patiebatur, quæ propriæ utilitatis exhibebat colorem, quo apud homines devenuſtabatur.

Rom. 6. 3.

Euthym. in id Evang.

Act. 10. 38.

Vides quam benignè demittat ſe divinus amor, negotiationis notam ſubire non recuſans? At inquis : amor eſt majeſtatem neſcit. Imo dicam : tunc ſublimis divina retegitur majeſtas cum diſſimulari non veretur ejuſdem celſitudo. Chriſto Domino quod ad noſtra deſcendit ut abſconditus moraretur in terris, aſcendiſſe fuit, & infinitatis altiſſima clariùs aperire. Doceat id Gregorius Magnus: *Quid autem fuit Redemptori noſtro aſcendere niſi in humanitatis forma, divinitatis ſuæ alta revelare?* Inde colligo Solis hujus gradus : Cum noſtris apparet oculis deſcendens, aliis id aſcenſus eſt. Tunc, inquam Deus quiſnam ſit oſtendiſſe dignatur, cum diſſimulata majeſtate recondit præcellentiam qua ſupereminet, ut amorem erga homines palam demonſtret.

5. *Tunc Deus quiſnam ſit oſtendit cùm diſſimulat maieſtatem ut amorem demonſtret.*

D. Greg. M. l. 1. in 1. R. c. 1.

Cùm veniens ad vitę veſperam in myſtica nocte, ſtricti amoris pleno, diutinoque ſermone valediceret Apoſtolis Dei Filius, aiebat: *qui autem diligit me, diligetur à Patre meo : & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.*

Ioan. 14. 21.

meipſum. Quæſtio eſt de qua manifeſtatione loquatur: an de illa quæ in beatitudine fiet æternùm permanſura, an verò de hac qua in in terris per illuminationes adhuc in ænigmate fruuntur juſti. Pro ſecunda parte ſtant nonnulli quos tacito nomine refert indefeſſus & perdoctus Evangeliorum illuſtrator Luſitanus Sylveira. His favere videtur inibi Gloſ. *Qui habet meum mãdatum ille me cognoſcit, & hoc eſt ibi manifeſtabo ei meipſum.* Non longè abit Rupertus ad illa verba: *manifeſtabo* &c. quæ ſic commentatur: *dum ſpatiatur per amplum contemplationis campum Regem in decore ſuo videbit interioribus oculis ſuis, quem* (ut paulo ante dixi) *vos non cognoviſtis cum tanto tempore vobiſcum ſum.* Qua expoſitione præjacta, in verbis illis hærebit Philoſophus legens prius amorem Dei: *qui autem diligit me*; poſtea verò cognitionem *manifeſtabo, &c.* Contra vulgare axioma: nihil volitum &c. Quid eſt quod amori poſtponitur manifeſtatio? quia humanam dilectionem Deus amore ſuo ſolvit, & affectus iſte Dei, quis ipſe nam ſit manifeſtè monſtrat. Quare? quia rependere dignatur amore noſtram dilectionem (quaſi res inter pares ageretur) *qui autem diligit me... ego diligam eum.* Divinam ſublimitatem benignè inclinatus occultat, ut amorem erga homines dilucidè teſtetur. Sic ſeipſum quiſnam ſit Deus evulgat. *Manifeſtabo ei meipſum:* quaſi diceret: Ex hoc apertè patebit quiſnam ſim cum experti fueritis me ſic majeſtatem inclinare ut tanquam ſi vobis æqualis eſſem, amorem veſtrum dilectione ſolvam.

Sil. t. 5. l. 7. c. 12. expo. 4. Gloſſ. in 14. Ioan. n. 11. Rup. in Ioan. l. 11. c. 24.

6. *Cùm Deus hominum amorem abſcondit putat ſe honore privari?*

Nequaquam Dominus ita ſe gerens timet honoris diſpendium: quinimo judicat ſe condecorari cum nos diligere prodit. Gloria quidem ipſe ſibi Deus, & omnem terminum excludens. At nihilominus unicam ejus gloriam aſſeruit Cyrillus Alexand. produxiſſe creaturas. Hanc exaggerat, quamvis illam non inficietur, dum ait: *Una enim ipſi eſt gloria facere omnia*: quare putas hoc dictum? fortaſſis quia cæterarum creaturarum productione pandit hominis amorem: *Nam propter hominem factus eſt mundus*, ut inquit Hugo Victorin. & erga homines affectum expromere decus eſt creatoris immortale. Hoc præſertim poſt culpam verum habet, ne putetur plus valuiſſe crimina quàm Dei clementiam, eumq; voluptate quam nos diligendo capit ſpoliaſſe. Indecorum Deo foret ſic exiſtimari: Proinde ſi quando ſe Deus honore deſtitutum judicat, hoc tunc accidit cum amorem hominum abſcondere quaſi cogitur illorum ingratitudine commotus. *Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua*, dixit olim Redemptor cum adeſſet in ea quam patriæ titulo nobilitavit. Quãvis illa ſit univerſalis propoſitio, tamen certum eſt Dominum peculiariter ibi de ſe loqui. Ideo Interlinearis ibi ait: *vel ego, vel quilibet alius.* Particula excluſiva *niſi* denotat Servatorem queſtum fuiſſe quod in ſola patria ſua careret honore. Hoc tamen ſtare videtur difficulter cum hoc quod ipſe Dominus dum in Hieruſalem (quæ ſane patria ejus non erat) immoraretur, dixit ad

S. Cyrill. Alex. l. 2. contra Jul.

Hugo d. S. Vict. in prolo. l. d. ſacram.

Marc. 6. 4.

Interli. ibi.

Judæos; qui dęmoniacum appellarunt, *Et vos inhonoraſtis me.* Ecce bone Jeſu, extra patriam tuam te ſine honore deprehendo. Quid ſi expendamus quomodo ſis apud hortum comprehenſus quaſi latro, ad patibulum titulo malefactoris ductus, in eoque ſuſpenſus? An non ſine honore te putaſti dum hæc patiebaris? In patrio ſolo, non alibi, dedecus perpeſſum te quereris? Ita: quia in ſola patria legitur incredulitatem humanam ei veluti ligaviſſe manus, ne plura beneficia conferens amorem ſuum in contribules monſtraret manifeſtius. *Et non poterat ibi virtutem ullam facere* (addit Evangeliſta Marcus) *niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Paucos curaſſe abſcondere fuit multum qui corde latebat amorem: potiùs enim compaſſioni quàm affectui civium attribueretur ea, quæ non in cunctos diffundebat ſe, miſeratio. In toto paſſionis conflictu amorem palam feciſſe notum eſt: imo jam lachrymis eundem teſtatus erat erga Hieruſalem, cum videns civitatem flevit ſuper illam. Non ibi ſe dedecore cauſatur affici ubi dilectionem aperuit; ſed in patria, ubi latuit amor, quando ſcilicet plus potuiſſe infidelitatem quàm Dei clementiam, prima facie viſum eſt. *Et non poterat, &c.* quaſi vel unicus, vel ſaltem præcipuus Dei ſit honos dilectionem erga mortales aperire.

Ioan. 8. 49.

Marc. 6. 5.

7. *Quandoque Deus non vult in creatura gloriari niſi hoc pacto quod illa capiat lucrum exinde.*

Quæ ut clariùs ita ſe habere perſpicias, à ſigno tibi licebit arguere perpendenti Deum aliquando gloriæ ſuæ differre gaudium quandiu non promiſcuè cum illa ſociatur hominis lucrum. Ignoravere Philoſophi amicitiam inter inæquales. Quomodo erigerent ſupercilia, ſi audirent ſocietatem inter Deum & hominem. Solitudinem Deo propriam putavit quidam cui poterat exprobrare D. Bernardus repetens quod prædicavit olim. *Tu putas Deum noſtrum totam habiturum ſuæ gloriæ laudem, donec veniant qui in conſpectu Angelorum pſallant ſibi?* Non liberè judicat qui dixerit ſummum rerum Dominum quandoque ut ex creatura gloriam capiat, expectare quod ipſa utilitatem lucretur exinde, nec aliter velle illic gloriari, niſi ſociam habeat ejus gloria utilitatem hominis. Vis hanc ſuper aquas veritatem cernere more ſuo?

B. Bern. ſer. 68. in Cant.

Recole Petri poſtulationem, quam Domino fluctus pedibus terenti ſupplex obtulit: *Domine ſi tu es iube me venire ad te ſuper aquas. At ipſe ait: Veni.* Prece mercatus eſt, Petrus facultatem, quam poſtulabat amor? An non ejus fides eximiæ dilectionis deſiderio efferveſcebat? Senſit & laudavit utrumvis Chryſoſt. in Apoſtolorum culmine hoc loco. *Vides* (ait) *quanta fides ipſius etiam nunc eſſet? Nemo ita ut ipſe Jeſum amabat: non ſolum charitatem, ſed etiam fidem oſtendit. Quia enim credebat non tantummodo Chriſtum ſuper mare ambulare, verùm etiam id aliis poſſe concedere auſus eſt hoc petere ut cum eo citiùs eſſe poſſet.* Non patitur moras amor Petri, Et cur illum non prævenit Magiſtri dilectio? quare poteſtatem ambulandi ſu-

Matth. 14. 28. 29.

Chryſoſt. tom. 2. hom. 51. in Matth.

per

per aquas non prius conceſſit Apoſtolo quàm rogaretur ille qui ſolet dilectorum precibus anteire? Quæro inſuper; eccur non ſtabilem dedit undas proterendi facultatem; ſed mergi permiſit eum quem ſupra fluidum tenebat omnipotentia? ſerus donat, & cito aufert? Nonne maxima fuit Aſſertoris gloria Petrum veſtigia liquidum per iter figere Magiſtri fidejubente imperio? ita certè: ſed in Petri mirabili facto nolebat Dominus gloriari niſi ſub ea conditione quòd Petro meritum exhinc proveniret. Quandiu non petiit ille, nec fidem, nec amorem exercuit ibi, ac proinde merito caruit in ſubjecta materia. Differri ergo permittit interea Dominus gloriam inde ſibi comparandam. Poſtea Simon dubitans perdidit meritum: *Quando enim fides infirma eſt, tunc in profunda deſcendit Petrus*, ait Theophilactus. Quid tunc Dominus? Dimiſit gloriam quam ex ambulatione Petri ſupra gurgitem capiebat: quaſi dicens: Nolo in hujuſmodi prædilecta creatura de illius opere mirabili gloriari, niſi ſimul ipſa commodum ex eodem miraculo reportet. Prodigium cum Petro dividere vellem; ita ut quod mihi glorioſum eſt, ſit ei proficuum.

Theophylact. ib.

Sic hominum promovere merita curat ſupremus rerum Arbiter. Et ideo, ut prædicebam, aliquando numerat benemeritos dono quod ad ulteriora facinora ſtimulos addat. Ita ſe gerit lætitia quæ patri pro recta filiorum inſtitutione promittitur. *Filius ſapiens*, &c. Et quid magnum patris lætitia quam de bona indole gnati docet ipſa natura ut pro rectæ educationis diuturnis laboribus hoc tantum bono gaudeat parens? Et magnum, & perutile. Imo quia utiliſſimum, ideo maximum: agnoſcant parentes operę pretium fore ut in gnatorum diſciplina vigilantiſſime proſequantur, ſi lætam ducere cupiunt ſenectutem. Ut iterum ſimili pacto lætentur, faciant quod filij ſapientia indies augeatur. Et ſic nunquam genitores in ſegnitiem declinabunt, ut gaudentes videant ſenectam. Aliis quando ſe noverunt bonis remuneratos præſumunt iterandam munificentiam Dei, quin merita repetantur: lætitiam verò de filij probitate non diù producent, ſi juvenili animo laxent habenas; gaudebunt jugiter dum coercere non deſierint.

Terent. in Adelph.

Sic fiet modò ut nunc eſt quæſo,
Ut quiſque filium ſuum vult eſſe, ita eſt.

DELIBATIO II.

Supplicium per quæ quis peccat: quo præſertim dignus eſt qui Deo præfert creaturam.

8. Peccatoris gladius in ipſum revertitur.

RECtiſſimum orbis totius judicem torquere quemlibet iis quibus deliquit indubitatũ eſt & vulgare. Id obſervavit in ſanguineis agnis Nili Origenes: *Quod*, inquit, *aquæ fluminum in Ægypto vertantur in ſanguinem, ſatis convenienter aptatur. Ut is fluvius cui Hebræorum parvulos crudeli nece tradiderant, authorbus ſceleris poculum ſanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis quem parricidali cæde maculaverant, potando ſentirent*: Eidem cogitatui patrocinatur Auguſtinus: *juſto*, inquit, *Dei judicio factum eſt, ut de illo fluvio ſanguinem biberent, in quo infantum Hebræorum ſanguinem fuderant.* In Pharaonis clade meditatur idipſum Theodoretus: *tradidit juſtiſſimus judex exitio aquarum Pharaonem cum toto exercitu: quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.* Sic *repetit authorem ſcelus*, ut cecinit alter. Non quidem ſuimet immemor propriam iniquus machinatur ruinam: imò quia ſe tantum præ oculis habet, Deumque ſpernere non timuit, dum mentis aciem ad cæleſtia levare noluit, ipſa quam erexit machina obruitur. *Tanquam ſi quiſpiam veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat, & tanquam ſi foveam quiſque fodiat in quam quiſque inimicus ejus in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat ambulans ea via, prius illuc cadat. Ita credite, ita certi eſtote, videte, perſpicite, quia nemo malus non ſibi prius nocet.*

Aug. quæſt. q. in Exo. tom. 4.

Theodoret. q. 27. in Exo.

Sen. in Hercul. furent.

D. Aug. in Pſalm. 34. tom. 8.

O miram divinæ juſtitiæ indolem, ut ſcelus revertatur in ſceleſtum, & arcana metamophorſi, flagitia tranſmutentur in flagella! Juſtus arcum tendit in hoſtem: nec redit ſagitta retrorſum. Improbus gladio adverſus inſontem accingitur, & ſua in præcordia reverſo tranſverberatur enſe. David profuſis lachrymis in Saulis, & Jonathæ obitu, dixit anxius crebros inter ſingultus: *A ſanguine interfectorum, ab adipe fortium ſagitta Jonathæ nunquam rediit retrorſum, & gladius Saul non eſt reverſus inanis.* Quo ingenio verum erit gladium Saulis non ictu reverſum inani, cum legamus reprobum regem arrepto gladio ſuo ſuper eum irruiſſe? Cur de Jonathæ ſagitta nunquam rediiſſe retrorſum autumat, cum poſtremo in prælio non vicerit hoſtem, ſed tunc victrices olim pennas contraxerit ab hoſtis clypeo ad Principis ſepulchrum. Attende unde non redierit ſagitta Jonathæ, & unde gladius Saul non fuerit reverſus inanis. *A ſanguine*, inquit, *interfectorum, ab adipe fortium.* Itaque optimi adoleſcentis ſagitta hoſtes ſolummodo edocta percutere, non rediit retrorſum à clypeo inimico ut Jonatham feriret. Non ex propria pharetra, ſed à Philiſtinorum ſagittariis transfixus cecidit Princeps, cujus arma haud inſontium dira cæde fœdata ſunt, ſed bellorum Domini exercitatione rutilantia fuerant. A fortibus, inquam, in Iſraëlis Deique gloriam interfectis. *Sagitta Ionathæ nunquam rediit retrorſum.* Scio juxta Lirani commentarium idem prorſus de Saulis enſe quod de Jonathæ ſagitta hic enunciari. Sed liceat textum ſic expendere: gladius Saul non eſt reverſus inanis: ac ſi diceret: reverſus eſt enſis impij ſed non inaniter, nam ab his quos rex interfecit declinans ipſum tranſfixit Saulem, dum arripiens gladium irruit ſuper eum. Expoſitio hæc non eſt omnimoda veriſimilitudine deſtituta: Nam verba illa *à ſanguine interfectorum, ab adipe fortium*, dum Saulem reſpiciunt, ad ſacerdo-

2. Reg. 1. 22.

Orig. tom. 1. hom. 4. in c. 7. & 8. Exod.

tes ipsius jussu interemptos non inepte referuntur. Sic Glossa: *propter sanguinem interfectorum scili.75. Sacerdotum qui Domino adipem adolebant, quos innoxios jussit Saul interfici.* Sera fuit vindicta, sed æqua: scili. ut gladio periret suo qui gladium per crudele jussum sacrilega crudelitate maculavit. Gladius Saulis in ipsius viscera reversus est, sed non inanis: nam super illum occisus pœnas luit scelerum rex iniquus. Aliter innoxio Principi accidisse comperimus: periit alieno arcu, Jonathæque sagitta, quam recta ratione ductus collimabat in hostem, *nunquam rediit retrorsum.* Sapientissimum hoc est divinæ justitiæ inventum, ut flagitiosi arma quæ serviere peccanti servo, inserviant punienti Domino. Sagittat peccator cæleste Numen: sed inverso cuspide suamet ipse trajicitur sagitta.

Gloss. ord. ibi.

9. *Æquitas divina minuit supplicium ut è flagitio conflet flagellum.*

Hoc Dei sapientiæ ingenium sic apud Altissimum judico magni fieri, quod aliquando minuit supplicia crimini ut pœnam in ipsa noxa statuat. Delinquunt mortales ita ut peccatorum funes Deo præparent ad flagella. Ista persæpe minora sunt delicto: at supremo judici placet minus acerbè punire ut potius ipsa peccati soboles mulcta sit offensoris, eóque puniatur in quo deliquit.

Bis adversus regium Vatem ira Dei justissime gladium strinxit, quia David bis dæmoni dedit manus ignavè. Juxta delictorum numerum supplicia Deus infligere solet, qui beneficia ultra numerum multiplicat: *quia bona confert sua sponte, mala autem infert exigentibus demeritis nostris*, ait Caietanus. Post mensæ regalis delicias incauta deambulatione curas fallere volens Rex pulchro mulieris aspectu, velut adamantino telo, cecidit sauciatus, dum repente aspiciens non se continuit quin diu adamaret. Insaniens affectus in adulterium præceps ire veritus non est, imo & in homicidium ruit: tegere studens adulterium, auxit reatum. Nec mirabile dictu illum qui tot fulgoribus virtutum emicuit, sic tenebris interioribus obnubilari, dum cæco carpitur igne. A semel cadente ne, cur secundò cadat, sisciteris. *Quisnam hominum est quem tu contentum videris uno flagitio?* dixit Satyricus. Ob scelus paternum Dominus puerulum peccati sobolem languore percussit: nec filii vitam patris lachrymæ, jejunii merita, deprecantisve suspiria, obtinuere. *Accidit autem die septima ut moreretur infans:* Nonne vides quàm levem inflexerit ictum districtus ensis omnipotens? Non aliud quàm infantuli vitam resecavit, ac si tenellum florem demeteret Aquilo. Transeas nunc, quæso, ad supplicium Davidis dum elatus animo jussit Israeliticum populum numerari ad inanis gloriæ capturam. In hujusce criminis vindictam peste mulctatur vorace: ac licet doloris (quandóque sapientis) monitu pœnitens postulaverit ut in ipsum qui peccavit Davidem gladius Domini angelico brachio vibratus reverteretur, nequaquam regem cecidit angelus, imo continuit manum Deo jubente. *Ait angelo percutienti populum: sufficit: nunc contine manum tuam.* Utrumque supplicium modò cogitatione conjunge. Utrobique peccavit David, & nullibi cæditur criminis patrator. Scio verum semper illud Ruperti, *Et hic ira grandis necessariæ nobis misericordiæ societatem non relinquit.* Sed quæro, adulter, & homicida, mortem impunis evadit, juxta Dei legem morti semel iterumque obnoxius? *non morieris.* Tenellus insons sepulchrum petit vitæ ignarus? *Propter* verbum hoc, filius, qui natus est tibi morte morietur. Sane Deus ad mensuram punit æquitate servata. *Utitur mensura, ut scili. minoribus peccatis minora, maioribus verò maiora supplicia inferantur*, ait angelicus Doctor. Alienum thorum rex commaculat, & separat gladio filiorum Ammon, nec peste, fame, vel hostium fugâ, punitur? Et cum serviit gloriolæ tunc peste flagellatur? Rectissime, ut pœnas daret in puero qui vitam infantis fructum delicti collegit ex adulterio: nec non ut subditorum numerus minueretur Davidi tumenti circa numerum Israelis subjecti sibi. Opportune Hugo Card. ibi: *Item habemus hic quod David in eo punitus est in quo peccavit. Superbivit in multitudine populi, & punitus est in diminutione populi.* Dum superbiam aëreo pabulo nutrit, de numeroso populi dominio sibi placens, criminis factum numerus erat: hunc minui oportuit in pœnam ejus qui numeratione peccaverat. Adulter David filium genuit: & homicida mentiri cupiit alienum esse puerum (Uriæ scili.) Infantem igitur amittat in supplicium, qui puellum adulterio genuit, ac per homicidium velut exposuit in Uriæ domo.

Rup. l.3. in Gen.32.cap.

D. Thom.in c.27.Isai.

Hugo Card. in 2. Reg. c.24.

Vide in utroque scelere quàm aptè divinæ justitiæ ingeniosa libratio flagitium immutaverit in flagellum. Non peste, sed minori afficitur thori alieni maculator: potiùs enim Rector omnium minuet pœnam, ut ipsomet animadvertatur peccator, quo læsit Dei clementiam. Non parum roboris accedet themati, si pestis gladium ad trutinam revocemus. Peccavit rex, peritque populus: David (Ambrosii verbis utar) *cum se morti pro Domini placanda offensione promptus obiiceret & pro salute populi laborantis divinæ ultioni paratus offerret*, non in ipsum ictus revertitur, sed continet iram justitia, & triduum quod per vatem fuerat minitata moderatur ita ut, si Theodoreto credimus, pesti designatum tempus ad duodecimam tridui partem fuerit imminutum. *Trium autem dierum Deus mortem minabatur, sex autem horis solùm mortem intulit, si dies autem numerentur cum noctibus, invenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo.* Cur sic? si Deus in humilitate Davidis seipsum offerentis complacuit, feriat Davidem, ut pœnitentem coronet: populum percutit non regem? Vide. Si David cæderetur pestis gladio, mutaretur ingenium punitionis divinæ, quæ cupit ut peccator vapulet per id in quo peccat. Populus fuerat peccati Davidici materia. Occidatur ergo populus, quamvis parcatur Davidi: minuat æquitas divina pœnam ut reum plectat in eo quod delicti fuit materies. Mæstitia matris filius est stultus. Quid mirum mæsta defleat mater stultitiam gnati quam incuria fovit? Hæc parentum ignavia: hæc ignaviæ pœna.

Ambr. de bono mor. c.3.tom.1.

Theod.q.37.

Caietan.

Juven.Sat.13.

2. Reg. 12. 18.

C.24. 26.

Nec

10. *Qui peccat amore alterius ductus delinquit gravius*

Nec tamen ideo putetur levem esse hujusmodi noxam quam pater in filii mala educatione committit, quantumuis audias puniri sola mæstitia quam ex ipso gnato concipit. Est enim grave istius peccati pondus, durioque supplicio dignissimum: eò quòd pater sic se gerens delinquat filii ductus amore. Minùs turpe judico si amore proprio delusus labaris, quàm si alieno: quia de illo certus es; de isto verò nunquam sine formidine deliberas. Unde dixit bellè D. Laurentius Just. D. Laur. Just in Lig. vit. c. 7. d. Chari. *Nulla est ô homo peccati excusatio si amici causa peccaveris.* Inexcusabilis quippe dicendus qui divina præterit mandata, præceps, captans fallacem hominis dilectionem, Deo valedicens, cujus gratitudo fallere nescit, certa pro incertis linquens. Cùm amore sui quisque peccat damnum incurrit ut morigeretur ei qui favente Dei gratia remedium valet adhibere jacturæ: hoc est sibimetipsi morem gerit. At verò cum alterius dilectione lenocinante ruit, non sic se res habet: quis enim tuæ consulet animæ, pro teque pœnitebit? Unde plus lædit qui ob amorem alterius delinquit quàm si philautiâ præcipitaretur in delictum.

Peccavere protoparentes de ligni vetiti fructu comedere ausi. Convenitur uterque reus, & sententia fertur in eos, non tamen æquali verborum Dei gladio feriuntur. Nam Gen. 3. 19. Adamo infligitur mors: *in pulverem reverteris.* Et quamvis idem tacite dictum à Domino censeatur, Hevæ, tamen non parum imminuitur Matris mortalium pœna per hoc quod non illi sit expresse mors indicta per sententiam judicis cujus verba de morte subeunda, si ad ipsam dirigerentur manifeste, plurimum consterneretur protogenitrix. Cum ad Hevam expressa oratione vertitur judex afflictionibus intra mortalem vitam sustinendis illa mulctata est: Ibid. n. 16. *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris*; de morte vero nihil additur Hevæ dictum. Nonne ambo ex uno ligno, & contra idem præceptum peccarunt? Ita: sed graviùs Adam. Rationes alias theologis relinquo: unicam eligo pro themate nostro. Heva deliquit amore sui, putans Deo parem scientiam se, ut spoponderat dæmon, obtenturam. Adamus non ita videtur desipuisse; transgressus est legem ex uxoris affectu. Apposite Bernardus: S. Bern. Ser. 2. L. S. Andr. *Itaque facile seducta est mulier, & promissioni credere & acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est, sed subversus mulieris amore. Optaret enim semper servare mandatum quod sibi utile noverat, si non mulier ei aliud suaderet.* Concinit S. Thomas: S. Thom. opusc. 2. c. 191. *uxori suæ morem gerere volens, in transgressione divini præcepti eam sequutus est edendo de fructu ligni vetiti.* Heva non alteri sed sibi placens peccavit: eam quippe sic alloquitur Chrisostomus. Chrysost. hom. 16. in 3. Gen. tom. 1. *Sed vanis decepta promissionibus sperabas etiam in summum pervenire honoris fastigium. Idcirco discas reipsa quod non solum illam non assequeris, sed & omnibus iam à Deo tibi datis privabis & teipsam, & virum &c.* Severiùs igitur animadverti oportuit Adamum, qui alieno pelliciente amore perpetravit nefas: mitiùs agatur cum Heva, quæ suadente dilectione propria se maculavit scelere.

Scio quamlibet lethalem culpam involvere interpretativum (ut Scholastici loquuntur) seu tacitum Dei contemptum. Sed in eo qui alteri ut gratum exhibeat amoris signum, se crimine polluit, parum abest ne Dei contemptus formalis, seu expressus reperiatur, cum apertè Altissimo creaturam præferat. Quid ni ex hoc irritetur gravissime clementissimi Domini patiens æquitas? Hanc in peccato Adæ circunstantiam (ut ita loquar) scilicet vocem Hevæ prætulisse divinæ, Deus peculiariter objurgavit, expendente Bernardo. S. Bern. ser. 27. ex parvis. *Pro eo quod* inquit, *obedisti voci uxoris tuæ maledicta terra in opere tuo. Justum quippe erat ut illius magis voluntatem faceret cui plus debebat:* Conjice hinc te magnopore Dominum universi lædere, cum Dei dilectioni amorem alicujus creaturæ non vereris anteferre: nam injuria ista, nullo mediante, ictum infert amori divino, & solent acerbiùs dolere vulnera quibus immediate percutitur amor. Cum enim quidquid doloris cor excepit in seipso plus angat etiam inter homines videre est nihil ægriùs ferri quàm si percutiatur amor.

11. *Acerbe fertur Si percutitur amor.*

In singulare patientiæ prototypum hostes irruerunt, nec non & amici. *Irruerunt Sabæi* Job. 1. 15. 17. *tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio.... Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaserunt camelos &c.* Nec tamen questus est de spoliatione bonorum patientissimus Heros. Ab amicis verbo calumniam passus erupit in querelas. *Quare detraxistis sermonibus* C. 6. 25. *veritatis, cum nullus ex vobis sit qui possit arguere me?* An ideo quia sæviùs linguæ quam bellici furoris arma patientiam transadigunt? Ita forsan. Nunc tamen puto ideo non de hostium incursibus, maximè verò de amicorum calumniis Jobum querimonias protulisse, Pined. in Job. to. 1. ad c. 1. Job vers. 1. quia inimici majestatem læserunt (erat quippe Job rex, ut Pineda probat) audentes regalia bona diripere. Amici vero non majestatem (hoc enim jam penitus amiserat) sed amorem percusserunt quod multò gravius est. Ab eis læsam dilectionem colligo ex verbis mox additis. *Super pupillum irruitis, &* Job 6. 27. *subvertere nitimini amicum vestrum.* Ubi M. Gregorius charitatis vulnerationem adnotavit. S. Greg. M. ibi. l. 8. Mor. c. 1. initio. *Quia vero*, inquit, *ab amore recedere charitas etiam læsa nescit, & subverti velle se queritur, & tamen amicum se esse testatur.* Amor offensus non se continet quin dolorem eructet. *Quare detraxistis* &c? *subvertere nitimini amicum vestrum.* Si amici causâ peccas, amorem Dei lædis, ipsum creaturæ postponens. O Scelus, quo non vulgariter offenditur Dei patientia!

12. *Dolet amor divinus quòd Deum homines habeant tanquam alienum.*

Dum creaturam dilectam non times anteferre Deo, quid aliud agis quàm illam velut rem tuam facere magni? Deumque veluti bonum alienum despicere? Quid amori divino ingratius ac perfida repulsa? vellet amantissimus Dei Filius, qui ut esset nobis datus, in tempore nasci non abhorruit: vellet, inquam, ut omnes illum tanquam nostrum prosequeremur amore quo solemus circa res proprias affici: dolet acerbe tanquam alienum haberi ab hominibus: de cæteris taceret injuriis, dummodo illum velut nostrum computaremus.

Dum

Dum ante sex dies Paschæ Judas pessimum fœdus iniret cum Judæis, noverat hoc Dei Filius quamvis corpore absens in Bethania: & nec verbum protulit quo proditoris ingratitudinem causaretur. Acceperat Iscariotes pecuniam, & ventum ad traditionem venditi: quem ut designaret osculatus est. Tunc Servator querelam objicit discipulo dicens: *Juda osculo Filium hominis tradis?* Luc. 22. 48. *quasi dicat* (exponit Beda) *propter te suscepi, ingrate quod tradis. Interrogative sane pronunciandus puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem. Juda osculo Filium hominis tradis?* Cur non de venditione, sed de traditione queritur Dominus? Mores instruimus: non mirum quod ex morali doctrina solutionis radicem quæramus. Nosti contractum venditionis in sua essentia perfectum esse priusquam tradatur res vendita, licèt aliqualiter per traditionem compleatur. Nec ignoras quod quamvis venditor aliqua de causa non transferat dominium, tamen ad veram rationem venditionis satis esse intentionem illud transferendi. Quibus positis ad nostrum dubiolum accedimus. Judas Magistrum vendens, illo tanquam suo utebatur: nemo enim vendit nisi quod saltem putativè proprium est. Perfecto verò jam venditionis contractu tempore quo traditur res vendita, velut aliena dimittitur à venditore ad emptorem. Perfidus igitur tradens Dominum jam prius venditum, quasi alienum dimisit hostium manibus: de hoc divinus amor doluit ampliùs, quam de eo quòd ipsum vendiderit veluti suum. Ideo non de venditione, sed tantum de traditione verba querulosa deprompsit, & in cœna: *unus vestrum me traditurus est*, & in horto: *Filium hominis tradis?* Juda turpius operatur qui ut creaturæ dilectæ morem gerat, Deum non quidem osculatur, sed ei valedicit, non tam pretio alieno accepto, quam ne displiceat ipsi qui postea flagellum ita peccantis erit. Sic parentes, cum ne filiorum voluptatibus obviam eant, eorum connivent errata, Deum eis postponentes, illum gravissimè lædunt, & pœnas dabunt mæstitiâ puniti quam ex dilectorum concipient ruinâ tandem aliquando: nam hujusmodi filiorum quisque *mæstitia est matris suæ.*

Beda l. ib. 6. c. 92.

Videri potest Cardi. de Lugo de just. disp. 22. n. 16. & disp. 26. n. 4. & 5.

DELIBATIO III.

Amor magister, & virtus sapiens: bonum ab intus veniens: aliena gratiora si à nobis promanarunt.

Dum singula hujus sententiæ verba trutinare aggredior, amoris nomen occurrit ipso in vestibulo. *Filius*, nomen, inquam, ab amore dictum græca ex ethymologia. Disertissimè quidem amoris vocabulum inscribitur sacræ philosophiæ limini. Quid etenim aptius cor illuminat, quam pectore inardescens flamma? Quid prudentius erudit? *O iugum sancti amoris* (exclamat D. Bernardus) *quàm dulciter capis, glorioſe laqueas, suaviter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis! O fœlix amor ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum subtilitas intellectuum &c.* Dulciter capit amor, sed mens evolat, quæ diligens meliora sapit, & ita ut anima diligens humano contenta non sit magisterio, sed ab ipso Deo quærat doctrinam. Redeat Bernardus. *Quid optabilius charitate*, inquit, *quæ fit ut humano magisterio non contenta per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad verbum, verbo constanter inhæreas, verbum familiariter percuncteris, consulteſque de omni re quantum intellectu capax, tantum audax desiderio.* Plurimo gaudet bonorum cumulo, qui divinæ dilectionis igne tenebras fugat sæculi. Indefulget strenuis moribus: *non enim intrat diabolus, cum Deo totus occupatus est animus*, ait Cassiodorus. Nivea candet affectionum puritas tedæ nescia Cupidineæ, sed facibus melioribus ardens. Magnum tamen inter multa emolumentum amoris est intellectui lucem præbere, quò rectum à pravo dividat. Dum Phœbus abest viridarium non discernes à silva: sic nisi rationis lampas velut minoris mundi luminare majus, resplendeat, obscuro latent sepulchro cæteræ dotes animi. Hoc lumen intellectui præstat amoris divini flamma: sic iste docendi pollet solertia, ut quod sapientia inculcat annorum tractu, amor aperiat brevi mora.

D. Ber. tr. d. diligendo Deo.

Idem ser. 83. in Cant.

Cassiod. in pr. 41.

13. *Amoris compendiosum magisterium.*

Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumqae dixero vobis. Bone Deus! Omnia docebit Apostolos Divinum Flamen una luce? Maxime: nam die Pentecostes eos sicut Dominus prædixerat, edocuit Paraclitus. *Quidquid mortalibus sciendum fuit de Deo omnipotente, totum Spiritus Sanctus adveniens die Pentecostes in linguis igneis suggessit Apostolis, id est subministravit, ut intelligerent Dominum Jesum Christum ante omnia sæcula genitum à Patre &c.* (inquit Episcopus Halsbertatensis.) Patris Verbum tanto tempore, tot inter mirabilia non plene adhuc agnoverant Apostoli? & Paraclito velut una die docente capient omnia quæ de Omnipotente scienda fuerant? Non mirum. Servator hominum sapientia est incarnata: Paraclitus verò Patris & Filii amor. Quidni quod temporũ decursu instillavit Sapientia, nec alumnorum animi perfecte haurire valuerunt, divinus amor igneo imbre delapsus unica lectione sic explanet, ut jam provectis eandem repetere non sit opus? Hæc scientia vocis in dilectione superna: hæc discendi celeritas in amoris Lycæo. Nonne illud M. Gregorii legisti, quod accidit Pentecostes die? *Intus*, ait, *facta sunt corda flammantia: quia dum Deum in ignis visione susceperunt, per amorem suaviter arserunt.*

Joan. 14. 26.

Haym. in Evam. Dom. Pent.

S. Greg. M. hom. 30. in Evang.

Si causam inquiris, adi Paulum qui Ephesios sapientia Dei cupiens illustrari non intellectus, sed cordis eorum oculos illuminari flagitabat: *ut Deus.... det vobis spiritum sapientiæ, & revelationis in agnitione eius: illuminatos oculos cordis vestri:* id est (ut exponit inibi Cornelius) *illuminatos inquam vobis det oculos cordis.* Quid cordi cum oculis est, quod ænigma voluntatis dicitur, quam potentiam cæcam asserunt Philosophi? Nonne aptius diceret: illuminet Dominus oculos intellectus

14. *Si cor illuminetur, pellitur à mentis oculis umbra.*

Corn. à Lapi. ibi ex Ambr

intellectus vestri ? Cur oculorum cordis meminit Apostolus ? Quia de agnitione Dei sermo inciderat. Intellectum illustrat sapientia : cor illuminatur amore. Radiorum pompa doctrina coruscat, sed nisi cor dilectionis facem præferat, cespitabit mens : illuminato vero corde pellitur è mentis oculis umbra. Unde bene urbis Ulyssææ singulare decus D. Antonius : *Corde sapimus, felle irascimur, ne-core amamus. In corde sapientia.* Doctrinæ fulgor in lingua præceptoris radiat è lõginquo sensimque, ne tenellum obruat : accedit, & nubila non extemplò, sed temporis ope fugat, quantumlibet Solem imitetur. Amoris autem incendium semel ut exarsit effulget, nec adeo dissitum est ut non celerrimè dispareant intellectus tenebræ, cui adeo appropinquant cordis faces, & quamprimùm ardere incipiunt, illas jam debellarunt. Ecce cur, ut meditabar, ocyus est amoris quàm sapientiæ magisterium. Idcirco divinæ Philosophiæ dogmata Salomonis calamo tradita præcedit amoris nomen *Filius*, quo citò Domini disciplinam percipiant animi stylo dilectionis ipso in tyrocinio eruditi, cum justus audit unde gradum faciat ad amorem Dei.

D. Anton. Olyssip. ser. Dom. 15. post Trinit.

15. *Sapiens.* Nodus est hoc uno verbo resecandus potius quàm dirimendus, quidnam primas obtineat inter eas dotes quas natura suos claudit intra limites : virtus, an sapientia ? Suus non deerit cuique patronus. Pro sapientia decertabit sic nonnemo ex iis qui sibi placentes doctrinæ apicem tenuisse vigilantes somniarunt. Quid sapiente fortius ? Justus experientia ; sapiens autem cogitatione malorum ictus enervat : *assuescit futuris malis, & quæ alii diu patiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando*, inquit Seneca : & melius D. Petrus dixit : *cogitatione armamini.* Justitiæ sectator, sibi dominatur uni, at verò sapiens uno minor est Jove : *innumerabilis honestas per manus illius.* Virtuti quot adversa tot pericula : difficile ascendit, ac proclivis labitur ; sapientia verò semel adepta, permanet jugiter : *inextinguibile est lumen illius.* Quid speculatione divinarum humanarumque rerum difficilius ? *etiam quæ in prospectu sunt invenimus cum labore.* Ardua virtus, sed omnibus pervia : sapientia paucos, præruptamque diuturno labore tenentes viam serò ducit in altum : *à iuventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat & seminat, accede ad eam.* Sapientia omnibus chara (*non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium*) virtus quia operosa erga multa pluribus exosa est. Hæc & alia hujuscemodi forte pensitabat ille qui pronuntiavit istam liti nostræ sententiam : *sapientiâ nihil est melius.*

Sen. ep. 77.

1. Pet. 4. 1.

Sap. 7. 11.

Ibi n. 10.

Ibi c. q. 26.

Eccli. 6. 18. 19.

Sap. 8. 16.

Cic. 2. d. nat. Deor.

Non minora tamen illucebunt facile virtutis magnalia. Imo perspicies, si (quod inficior) virtus & sapientia certarent, virtutum lilia sapientiæ lauris anteire. Quem justitiæ culmen ascendisse pœnituit ? At verò doctrinæ radiis emicuisse pluribus extare pœnitudinis materiam paucis accipe. Nonne cum Nabuchodonosor *in furore, & in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babilonis* illos propriæ pigeret sapientiæ ? Nisi tanquam sapientes à rege convocati fuissent, minime illos tyrannica terneret sententia. Daniel, cujus inculpati momes somnii scientiam cæteris negatam à Domino impetraverunt, nequaquam de immaculata vivendi normâ dolere : nec enim quia justus, sed quia sapiens quærebatur ut periret. *Sapientes interficiebantur : quærebanturque Daniel & socii eius ut perirent.* Deinde virtus augmento perficitur ; sapientia decrescit subtilitate nimia. *Stultus factus est omnis homo à scientia :* virtuti, juxta Augustinum, proprium est ut nequaquam operetur malum. *Virtus est bona qualitas mentis qua recte vivitur, & qua nullus male utitur :* sapientia vero quandoque ducit in barathrum perditionis perperam utentes ea. *Sapientes sunt ut faciant mala.* Itaque delibero : si staret ab omni parte sapiẽs nisi virtute comite, haud præferenda sapientia, sed virtus. Fateor esse sphæræ sublunaris astra Palladis alumnos, justus attamen his antecellit astris, loco, luce, ac laude : loco, quia *in Deo manet* ; luce, nam *omnia opera illorũ velut sol in cõspectu Dei* : laude, cum non, ut impius, fucato brevique duraturo efferatur præconio, sed solido ac stabili prędicetur panegyrico : *memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.*

Ibi 13.

Jerem. 51. 17

S. Aug. l. 2. d. lib. arbr. c. 18 & 19.

Jerem. 4. 22.

1. Joan. 4. 26

Eccl. 17. 16.

Ast quid immoramur ? nihil seipso majus : cur ergo inter virtutem & sapientiam judicium proferre volumus de primatu ? quibus radiis micat sapientiæ claritudo ? Virtutibus coruscat. Audi Gregorium M. *Perfecta quippe*, ait, *scientia est & cuncta hæc sollicitè agere, & se de suis meritis scire nihil esse.* Igitur & ille sapientis nomine potitur jure, qui justitiam amplectitur ; & hic justus vocabitur qui sapientiâ verâ insignitur. Sapientem vocat Salomon filium, non eum quem litterarum studia exornant, sed in quo virtutum semina fructificant. Et meritò. Solida namque sapientia, non ingenio, sed moribus commendatur : probitate vitæ censenda, nec mentis acumine judicanda. Hic sapiens est & industrius qui Dei spiritu plenus.

Prov. 10 7.

16. *Solus iustus verè sapit.*

S. Greg. M. l. 17. Mor. c. 22.

Pharao cum daret placidæ membra quieti, inter somni delicias reperit insomnii curas. Semel iterumque prospexit signa calamitatis venturæ populo cujus sceptra tenebat. Optimi Principis est erga subjectorum mala, dum cæteri quiescunt, premi sollicitudine. Reliqui de publico damno neutiquam solliciti stertunt vigilantes, principem decet populi sibi commissi mala prævenire, ita ut nec sommo præpediatur. Perterritus Pharao, quid res portenderet, insçius mysteria sibi cupiens aperire *misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctosque, sapientes : & accersitis narravit somnium, nec erat qui interpetraretur.* Tunc denique ille pincernarum magister cui fœlicem è vinculis exitum Josephus in carcere prænuntiaverat, cujusque memoriâ interpretis de se benemeriti tenebat oblivio, solvit adulatio : ut, inquam, Principi anxio præstaret obsequium retulit, Pharaoni quid sibi revincto acciderit, simul & alteri æquali crimine, sed infœlicioris fortunæ. Mox ad regis imperium educitur è vinculis Joseph : & quasi ne sors inimica, illum adhuc ex forma dignoscens antiqua, insisteret persequi sæva, tondetur, atque veste mutatur. Regio in conspectu

Gen. 41. 8.

Dan. 2. 12.

audit ſomnia, proditque famis venturæ præſagia. Et quia ſapienti parum eſt mala prænoſcere, niſi præcaveat, ſuadet regi ut virum provideat ſapientem & induſtrium, qui publicæ intentus ſaluti, fructus præviæ fertilitatis diutinæ ſervet inopiæ. Quid ad hæc Princeps? *Placuit Pharaoni conſilium & cunctis miniſtris eius, locutuſque eſt ad eos: num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Vide quàm citò Joſephi conſilium rex ad ſpeciem fuerit oblitus. Ille Pharaoni ſuggeſſit ut provideret *virum ſapientem & induſtrium*, ipſique cura demandaretur annonæ; Pharao verò non ſapientem quærit, & induſtrium, ſed Spiritu Dei plenum an invenire poſſit inquirit? Invertit ne oblatum ſibi arbitrium? Nequaquam. Joſephi hæc eadem mens, hoc fuit conſilium. Quod Joſephus regi, hoc idem Pharao miniſtris. Joſeph virum induſtrium provideri conſulit & ſapientem: Pharao ſpiritu Dei plenum ſatagit diſquirere: quis enim meritò ſapiens dicitur, & induſtrius, niſi qui Spiritu Dei plenus agnoſcatur? Spiritum ſanctum præfato loco D. Auguſt. ſenſit indicari dicens: *ecce iam tertiò niſi fallor inſinuatur nobis Spiritus ſanctus, id eſt, Spiritus Dei.* Cumque Divinus Spiritus habitaculum fœdũ peccato recuſet ingredi, ſolus erit Spiritu Dei plenus qui virtutis amator extiterit. Sapientem & induſtrium monet eligi Joſeph: Pharao juſtum requirit: hic etenim ſolus ſapiens. *Qui vult igitur ſapiens ac beatus eſſe, audiat Dei vocem: diſcat iuſtitiam*, inquit Lactantius. Conſonat Ambroſius; *ille verè ſapit cuius animus in Chriſto eſt, & cuius interior oculus erigitur ad ſuperna.*

Ibi n. 37. & 38.

Ibi n. 33.

S. Aug. in q. ſup. Gen. tom. 4. q. 134

Lact. Firm. l. 3. divi. inſtit. c. 30.

S. Ambr. in Epiſ. relatus à D. Bonav. in pharetra. 17.

Lætificat. Quàm parca retributio pro educationis rectę vigiliis decernitur ſtudioſo parenti! Lætitiam nec aliud quidpiam, tam multæ promittit ſollicitudini? nullus quidem patri charior quàm filius: ſed ejus bona inſtitutione nil charius. Velut agricola, qui ut exoptata contingeret meſſis, plurimuſque proventus, in agro multùm ſudavit, & alſit. Primùm noxias frugibus plantas ſedulò convellit: mox ubertate, quam pullulantes herbæ prænuntiant, allectus agrum ferreo labore cecîdit: deinceps induſtrius ſemina depoſuit in tellurem: ſubnaſcentia iterum radicitus extirpat Zizania: vallo circumducit ſegetem ne alieno pateat ingreſſui: arboribus exornat, ut miſceat utile dulci: nuncque aliis prorſus infœlicibus lignis evulſis fructuoſum transfert illuc ſurculum, fovet munitque diligens, quò rectè creſcat, diu anxius, cupiens tandem uberes legere fructus tantæ laſſitudinis levamen. Haud aliter inſtituendo filium invigilans pater cuncta molitur. Pravos affectus animi retundit, antequam ad maturitatem veniant, eradicat mala germina prudens, ne incultus vitiorum ſentibus exuberet. Salutaria deinde monita committit præceptaque velut honeſtatis ſemina tradit, ſpinulas quas in puero emergentes compeſcuit, cum ſubitò in adoleſcente reviviſcere cernit, ſecundò reſecat: malè moratis, filii convictum denegat: artibus excolit, ac ſi in ejus animo arbuſta plantaret: ſique aliquas videt minus utiles, aut inhibet penitus, aliisve commutat quibus fructificet. Coætaneis, quos probatos habet, gnatum aſſociat, ut æmula recti virtus inſertis adoleſcat exemplis. Sapientis blanditiæ quandoque benignâ manu rigat: cuſtodem agit ne operam perdat ſi rectum deſerat tramitem: jugiter ſolicitus vigilat, nuſquam de culturæ labore peracto quieſcens. O importunam, quamvis gratiſſimam operam!

Huic ut ſe devoveant curæ parentes, qua mercede invitat eos hic Salomon? Divitiisne quas providè augere ſtudet in domo paterna filius ſapiens rei œconomicæ intentus? Haud equidem. An laude quam apud concives hæc patris vigilantia promeretur? Nequaquam. Geniti honoribus, copioſave prole? Minime. Igitur qua ſpe illorum induſtriam ſollicitat? lætitia: *filius ſapiens* &c. Cur non potius meminit honoris, quo pater filium ſortitus probum redimitur velut diademate pulchro? Si diceret Paræmiaſtes: filius ſapiens honorat patrem: nonne ardentius nobilia parentum corda inflammaret, quæ non citiùs perituris gaudiis, ſed honoribus aſſiduo manſuris, accenduntur? Fatebor utique gratius fore parentibus honorari quàm gaudere. Gaudium tamen longe præſtat honori. Nec dubites. Honor in honorante manet, lætitia gaudentem inhabitat. Quamtumuis ergo remotos fama per populos diffuſa in tui gratiam linguas explicet, ampliori munere donatur is cui prudenti contigit exultatione repleri. Illud namque velut præſtant ius expetitur ſapienter, quod animo poſſidentis immoratur; non quod ſepoſitum circumſtat habentem. *Si perpendere te voles, ſepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipſe conſidera.* dixit Seneca. Rationem ex eodem alibi collige: *Omnium*, inquit, *enim extrinſecus affluentium lubrica, & incerta poſſeſſio eſt.*

18. *Bonum intra naturæ limites illud majus quod clauditur in poſſidente.*

Sen. ep. 80.

Imminebat dira paſſionis Dominicæ tempeſtas. Servator, humanæ crudelitatis moram ægrè ſuſtinens, loquebatur de exceſſu, ut cogitans pateretur crucem, quam vel inimici protendebant. Tunc intempeſtivæ gloriæ cupidine ducta mater filiorum Zæbedei, ambitione impellente prona petit adorans, & ex materna dilectione verba deprompſit hæc: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei &c.* Dominus quem minimè latere potuit gnatos hoc ſuggeſſiſſe genetrici, ſtulta increpat thronos anhelantium deſideria: *neſcitis quid petatis.* Bone Deus, quàm acerbè tenellos adhuc diſcipulos coërces! Majori ne clementia præditus erat Elias quàm Dei Filius? Abſit. Vates ter ignem de cælo vocavit; princeps vero pacis ſuggerentes Apoſtolos ut contra Samaritanos cæleſtes flammas ab eis flagitari ſineret, increpavit. Attamen Eliam video, cùm flammigero curru jamjam foret ab Eliſæi conſpectu ſublevandus, non ſtultam vocaſſe petitionem diſcipuli geminum ſpiritum poſtulantis, ſed difficilem: *rem difficilem poſtulaſti:* Neſcire quid petant Zæbedei filios non inficior. At cur Elias inconſiderationem non arguit ejus qui difficile adeo munus expetiit, difficultatis ignarus? Et ſi fortè non latuit arduum poſtulaviſſe pignus amoris: quare non objurgat deſiderium Eliſæi neſcientis an adeo ſe diffunderet Eliæ poteſtas, ut duplicandum

Matth. 20. 21.

Ibi n. 22.

Eccli. 48. 3.

Luc. q. 54.

4. Reg. 2. 10.

candum ſibi ſpiritum valeret impertiri? vide plurimum diſtare neſcientem quid petat, vel inſcium quem roget. Ignorabat Eliſæus quemnam pro ſpiritus duplicis largitione interpellaret: quis etenim docuit illum, rem adeo magnam potentiæ Magiſtri terminos non prætergredi? ſed quid peteret ſciebat utique. Econtrario diſcipuli Servatorem non ignoravere quem matris oratione rogarent; quid verò peterent neſciebant. Docuit Chryſoſt. illos hîc ſedes temporales concupiiſſe, *Ut ſignificaret nihil eos petere ſpiritale, ſed neſcire quidem quid poſtulant: non enim petere auderent ſi ſcirent, neſcitis, ait, quid petatis*: adde Authorem Imperfecti (ſi alius eſt additus Chryſoſtomo) *neſcitis ergo quid petatis. Deſideratis quidem bonum, ſed non intelligitis quid eſt bonum.* Quid poſtularent cur probè ſcit Eliſæus, neſcit Apoſtolus? quia Zebædeo progeniti ſedium honores expetunt; Eliſæus ſpiritum duplicem flagitavit. Spiritus clauditur in habente: *fiat in me*, inquit, *duplex Spiritus tuus.* Honor eſt in honorante: ſedes ambit ſedentem. Non repletur fœliciori poſſeſſione qui bono ditatur extra ſe manente. Ampliora quærit is, cujus animum incolit optata fœlicitas. Ergo diſcipuli, quorum deſideria non regnum Dei rogarunt (quod eſt intra nos ex Chriſti doctrina) ſed in temporali regno ſedium primatus ambiebant, oportet arguantur; Eliſæus nequaquam deſipientiæ reprehendendus, licet rem difficilem obſecret, cum exquiſierit munus in ipſo manſurum. *Fiat in me &c.*

Chryſ. hom. 66. in Matt. tom. 2.

Imperfect. hom. 35. in Matth.

O quam præcipitem ludit ſua quemque voluptas. Hic ſuperbos maris fluctus non expaveſcens alienas ſollicitat oras divitiis inhians perituris: ille populari murmure gaudens chamæleontem agit, auràque paſcitur inanis gloriolæ, alter aulicam patitur ſervitutem, quò tandem dignitatis curas præmii loco venetur, ac ſpinea corona redimitus, velut roſis nequaquam marceſcentibus tempora cinctus exultat. *Itane autem nullum eſt proprium vobis atque inſitum bonum, ut in externis, ac ſepoſitis rebus bona veſtra quæratis?* Stulta certè cupidine cæci mortales extra ſe quærunt illa quæ vel nolentes extra ſe relinquunt: & fœlicitatem avidè ſitientibus temporancam poſſet exprobrari: Quod petis intus habes.

Boër. l. 2. d. conſol. proſ. 5.

19. *Patrem.* Si fraternam dilectionem parentis affectui componamus judicandum eſt impenſiùs mutuò ſe deligere ſtirpe genitos eadem, quàm genitor propriam ſobolem. Non diffitebor rariùs inveniendum qui gnatos non amet ſuos, quàm fratres domeſtica bella gerentes.

Lucan. 1. *Fraterno primi maduerunt ſanguine muri*: nam livor, & cupiditas benevolæ ſocietatis peſtes, divini humanique juris reddunt immemores, quos fraternitatis glutino colligavit nativitas. Ut de utraque dilectione quæſtionem dirimas, non memineris fratrum nomine tenus, ſeu boni nominis hoſtium. Suppone benevolos, duplicatoque nexu vere germanos: nec inficiaberis vehementiorem fratris quàm parentis amorem exardeſcere, ſi videas hoc & experientiâ niti, & ratione fulciri. Hanc dabit elegantiùs Petrarcha. *Inter parentes enim filioſque, ait, quantumlibet ſit amoris converſatio, tamen diſpar, diverſique mores ſunt: filii etſi citò patres videant, ſerò agnoſcunt. Patres etſi filios ſtatim ament, ſerò illos ſæpe etiam in ſenectute ſuſcipiunt. Fratres antequam naſcantur, & poſtquam nati ſunt in eodem domicilio, eiſdemque incunabulis ævo pares verſantur, ac moribus, licet in lucem editi ſe viciſſim cernunt uno cibo aliti, iiſdemque parentibus, iiſdemque ſociis, iiſdemque ludis, iiſdemque ſcholis, iiſdemque præceptoribus ac nutritoribus aſſuefacti pariter pubeſcunt, pariter adoleſcunt. Undique paritas, multiſque & validis nexibus vinctus amor.* Longiuſcule; ſed nihil omiſi ne gratiâ explicationis coactus aliquid ſtylo rudiori adderem.

Petrarch. de reme. proſ. fort. dialo. 83

Habes igitur quàm longe præſtet fraternus amor. Qua ergo de cauſa non legimus noſtrum apud Hortum: filius ſapiens lætificat frattem? Fallor niſi patris potiùs meminit Salomon, utpote cui filius ſapientiam (ſeu quod in idem recidit, ſanos mores) debet; non fratri. Ut plurimum ſenioris fratris monita ſpernit inſana juventus; per genitoris verò diſciplinam ſæpe coërcetur: indeque fit ut parens, non autem frater juvenis egregias dotes agnoſcat opus eſſe ſuum. Non igitur germanum, ſed genitorem ſapientia filii lætificat. Amor proprius in cauſa eſt, qui ſua tantum cuique placere docet. *Quod enim quis amat hoc iudicat bonum*, ait Dyoniſius Carthuſ. Igitur quiſque ſolùm complacet, ex aliorum factis, in illis quæ ſibimet attribuit, quia ſolum diligit iſta. Ea ineſt homini philautia ut ex alienis geſtis ad ſummum illa cernere gaudeat, quæ contulit ipſe poſſidenti.

20. *Aliena plus placent ſi à nobis profecta novimus.*

Dyoniſ. Car. th. ad 12. Prov.

Infeſtus Davidi livor Saulis regem exagitabat iniquum. Necem meditabatur inſonti. Jonathas abſente Davide illius invigilans ſaluti parentem iratum lenire verbis conabatur. Quod ut præſtaret, amici præclarè geſta revocabat in memoriam Sauli penè immemori. Potiſſimum de Goliath occiſo in Iſraelis gloriam, tueri ſtudebat cauſam innocentis, cùm hujuſcemodi facinus Saulem teſtem habuerit ocularem: *vidiſti, & lætatus es.* Exhilarat meritò regem clades inimicorum, libenterque vidit militis novelli triumphum. Sed memini Jonatham olim, uno ſolum armigero ſocio per invia, ſcopuloſamque ſemitam non ſpernendæ victoriæ aperuiſſe viam, ac Philiſtinorum proſtrata multitudine ſuæ initia fœlicitatis admirationi conſecraſſe. Et factum eſt miraculum in caſtris, per agros: *Sed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum obſtupuit &c.* Nuntiatur Sauli ſtrages Allophylorum: requiſivit quis ad inimicorum agmina ex ſuis abierit: invenit abeſſe Jonathan, & armigerum. Quis non Saulem ſperaret lætitiâ profuſum iri, comperta cæde hoſtium quos filii gladius inaudita fortitudine vaſtavit? Non ſic ſe geſſit. Imo conſternatus animo Dominum per Achiam conſulebat. *Et ait Saul ad Achiam: applica arcam Dei.* Quare Goliæ percuſſio regem exhilarat; non ita verò tot Philiſthinorum calamitas, cum filii mirus ardor hoſtem devincens parentis cedat in honorem? Quia Jonathas victor ſtrenuus gloriam taliter adeptus eſt, ut ſibi non verò Sauli debuerit palmam. *Patri autem ſuo hoc*

1. Reg. 19. 5.

Ibi c. 14. 15

Ibi n. 18.

Ibi n. 2.

ipsum non indicavit. Inscio patre profectum belli fœlicem exitum habuisse, suæmet strenuitatis, non autem paternæ directionis opus erat: quid mirum Saul de aliena sorte se inconsulto parta non exultret? Aliter se gessisse Davidem obvium est duelli cum Golia hisr. Reg. 17. 32. toriam recolenti: Coram rege adductus ait: *Ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistæum.* Tandemque adversus gigantem prodeundi licentiam impetrat. Ibi n. 37. *Vade,* inquit Saul, *& Dominus tecum sit.* Prævaluit David: lætatur Saul. O mirum! Gaudet alienâ gloriâ invidus! Alienâ certe, sed quam sibi deberi mente retinuit: idcirco namque integrum victoriæ plausum exoptabat qui partem despiIbi c. 18. 8. ciebat iratus: *dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt. Quid ei superest nisi solum regnum?* Filii victoria hilarem non reddidit Saulem, qui nullum hoc in negotio lapidem movit. Pastoris vero fœlicitas lætum habuit spectatorem regem, sub cujus beneLira. ad n. 37 placito David pugnam aggressus est. Liranus ibi: *bellum ipsi David conceditur, cum dicitur: dixit autem &c.* Quasi donum ei concessa fuit duello facultas: ergo victoriam putavit velut propriam: sibi credidit trophæum parari hoste devicto: vidit, & lætatus est. Fratris egregia facta cernit frater non sibi tribuenda, proindeque alienam reputat gloriam fraternæ sapientiæ, nec de illa gaudet. Parens verò sub cujus disciplina probi filii mores adolescunt, exultat dum sibi alienis emolumentis diviti gratulatur.

DELIBATIO IV.

Amor erga dilecti crimina qualiter se gerat. Dolor ex causa metiendus: adversa tantum nostra sunt: amans verò suus non est.

21. *Amantis est dilecti crimina vel ignorare.*

Filius verò. Ut gaudium & mœrorem divisit inter utrumque parentem, sic hujusce modi affectionum causæ sejungendæ videbantur, ita ut cum mæstitiæ maternæ meminit, adscriberet illâ improbæ filiæ. Sic integram reddiderit antithesim: filius sapiens lætificat patrem, filia verò stulta mæstitia est matris suæ. Cur non potius de vecordi filia matrem scribit tristari? Crederem genitrices erga filias ampliori dilectione cæcutientes earum defectus Chrysol. ser. 3. ignorare. *Delicta non videt vis amoris,* ait Chrysologus. Diligentis nimiùm est conniventibus oculis errata dilecti præterire. Ac si non intellectu sed affectu dijudicare nitatur facta eorum erga quos exardet amore: velut ignorare perhibetur illorum peccata quæ probè novit.

Charus Deo Moyses suprà montem divina excipiebat oracula. Interim populo ad idololatriam miserè lubrico irrepsit Deos fingere quorum ductu viam carperent. Aaron velut insanientibus morem gerere volens conflavit ex inauribus vitulum, solemnitatemque operi manuum suarum decrevit in crastinum. Surgentesque mane corruerunt præcipites in gulæ voluptatem, & sacrilegum idoli cultum. Tunc Dominus Moysi quid populus committere sit ausus indicavit, & postremum Israeli minatus est exitium in piaculi vindictam. Quid ad hæc Moyses? dicebat: *Cur* Exo. 32. 11. *Domine irascitur furor tuus contra populum tuum &c?* Iræ motivum scisitatur quasi nesciret? voce Tonantis edoctus impium Hebræorum facinus audierat: & inquirit cur Domini furor irascatur populo? Amantis hæc verba sunt: desine mirari: Moysis erga Israeliticum populum dilectionem non ignoras, quam nec valuit extinguere fœda criminis illius noxa; imo velut anti peristhasim passa charitas eò ardentius efferbuit quò videbatur compescenda flamma: nam postea pro infido populo sic orabat: *aut dimitte eis hanc no-* Ibi n. 31. & 32. *xam, aut si non facis dele me de libro tuo &c.* Greg. M. l. 20. Mor. c. 8. *Pensemus ergo* (ait M. Gregorius) *quibus vis-* tom. 1. *ceribus eundem populum amavit pro cujus vita de libro vitæ se deleri petiit.* Israelis igitur scelus ignorare videbatur Moyses, quia scelestos intimè diligebat: quærit ac si nesciret iræ divinæ causam: *Cur, Domine, irascitur furor tuus &c?* Duplicem visus est hîc gerere personam, & amantis erga plebem, & amici erga Deum. Pro Israelitico populo interveniebat amanter, & cum Dei benignitate conversabatur amicè: idipsum quod agnovit quà Dei amicus, interrogavit quatenus Israelis amans, & hinc innotescit affectuosi cordis oculos ad amati scelera obcæcari, ne quid in eo displiceat.

22. *Dei amor nescire veluti desiderat hominum scelera.*

Rem certè indubiam lubens credes, si expendas nos (cum de Deo stilo humano loquamur) licèt cuncta divinæ sapientiæ fateamur aperta, delicta nostra nescientem fingere solitos, humanæ dilectionis lippitudini assuetos. *Delictum meum cognitum tibi feci,* ait Ps. 31. 5. purpuratus vates: & mirabile dictu! (Deo cognitum fecit delictum? Nonne psaltes regius omniscium Deum agnoscebat? Quî fieri potuit ut cognitum faceret scelus cuncta scienti? Noverat utiquè David peccatum quod admiserat nequaquâ potuisse Deo celari. Attamen cum divinam erga se charitatem experiretur, nostro more locutus, ei velut sui sceleris ignaro delictum aperuisse insinuat, ut divini amoris ingenium indicet defectus humanos quasi nescire cupientis. Quid erit in affectibus humanis, quibus ut plurimum deest videndi usus? Filiæ mater chariùs adhæret: nihil in ea videt genitrix improbum, quam præcipuus amor sibi fortius conglutinavit.

23. *Stulteiscit quicumque delinquit.*

Stultus verò. Insipientem ex interpretum communi placito filium vocari eum, qui spatiosam semitam perditionis ingressus rationis monita dediscit, in literali commentario prælibavimus. Nunc se offert aperiendum quomodo stultos notet omnes qui vitiorum tramitem eligentes ruunt in præceps: cum notum sit perplures inflatos sapientiâ carnis inimicæ Deo fœdissimorum criminum vinculis irretiri. Stultus bonis, vel malis avibus dicatur ille qui sensuum picturata gaudia fœlicitati perpetuæ præponit. At saltem qui primæ viventium matris errore ductus scientiam nimiùm appetens periit non insipiens nominetur sed superbus. Crede Salomoni; tibi ne fidas. Nullum irretivit peccati laqueus, quem non deceperit aliqualis error: stulteiscit quicunque

Chrysost. apud Lipom. in cate. ad Gen. 3.

cunque delinquit. *Nihil* (Chrysostomum legis) *peccato peius dilecte. Ipsum enim ut introiverit, non solum confusione totos nos replet, sed & insipientes facit eos qui antea intellectu & sapientiâ multâ præditi.* Imo cuncta nequitiæ tela vibrantur adversus peccatoris sapientiam: quasi foret hic unicus peccati scopus, ad quem solum suos collimat ictus. *Apparet* (verbis utar glossæ) *in persona Salomonis mira excellentia, & mira subversio, flenda vorago.* Pro David patre suo ad Israelitici regni solium evectus, in sceptri auspiciis divinam expertus est largitatem. Petenti postulata concessit is qui dat omnibus affluenter, & insuper quæ non flagitaverat, erogavit. Sed, O malefidam securitatem conditionis humanæ! Sapientia munitus, Deo gratus, ingratæ vilique concupiscentiæ manus dedit. Quod cum historiographus sacer describere voluit (notatu dignum!) ter de corde Salomonis libidine saucio sermonem facit. Primò dixerat: *averterunt mulieres cor ejus.* Iterum addit: *depravatum est cor eius per mulieres.* Tertiò adjicit: *nec erat cor eius perfectum.* Ut quid toties inculcat quod semel protulisse satis? si lacrimabilem Salomonis ruinam vult graphice pingere, non uno sic in corde moretur, ut nobis ter innotescere faciat regii cordis languedinem, quasi non aliud carpat in Salomone cæcus ignis quàm cor flammeâ morbidum ægritudine. Quàm plurima sunt fœdæ libidinis damna quibus luit sceleris pœnas quicunque sectatur carnis illecebram, quæ nisi forent innumerabilia fere, hic enumeratem. Uno igitur in corde Salomon accepit jucundum sævumque vulnus? Nequaquam: sed præcordia potissimum inficere curavit amor dulci veneno, eo quòd sapientiam Deus in ejus corde locaverat: *ut audiret sapientiam eius quam dederat Deus in corde eius.* Quidni repeteret Salomonis cor fallaci voluptate languidum? Ne putares incolumi relicta sapientia Salomonis, voluntatem exarsisse; iterum, tertioque expende cor illius habitaculum sapientiæ blando aspidi patuisse. *Salomon captus est in uxore, nunquid tu sapientior? ille igitur cuius sapientia totis celebratur sæculis, factus est insipiens, quia nimium amavit uxorem.* Hæc Divus Ambrosius. Desipuit pulchritudine fœdè, turpiter insanivit dum luxuria torpuit. Insipientem agnosce illum qui compedibus delectatur, & durum canit inter opus. Hoc indigitat præsens effatum Salomonis, idipsumque ruina comprobavit ejusdem.

Glo. ad c. 11. l. 3. Neg. n. 1.

3. Neg. 11. 3. & 4.

3. Neg. 10. 24.

S. Ambr. in ps. 118. octon. 15. tom. 2.

24. *Culpabilis metitur causa dolorem potiùs quàm pœna?*

Mœstitia est. Forsan dicendum putares, filius nequàm contristat matrem. Subtiliori acumine dictum: *stultus verò mœstitia est matris suæ.* Doloris causam dolorem vocat emphaticè, quò insinuet obiter potiùs causas gemituum attendendas, quàm suspiria; nam quantumlibet anxium pectus exæstuet, aliquando discruciatur acerbius per ipsius ærumnæ causam, quàm per effectum. Si quæstibus aëra cernis implentem, lachrymisque sinum, & velis ferre judicium sit ne vulnere major ejulatus: oportet inquiras quidnam defleat: metitur causa dolorem. Imo quia, ut Chrysost. ait, *si virtuti nostra damus nihil poterit nobis dolorem inferre*: ideo dicam, recte sentientes cruciare tantùm illam, quam peccato dedere causam dolori: potiùs culpa torquet eos quàm pœna: audi Jobum.

Chryst. hom. 34. in Math. tom. 2.

Consumere me vis peccatis: inquiebat in tolerantiæ theatro fortissimus athleta Job. Quid? peccatis absumitur; an tabe resolvitur. Juventæ sceleribus torquetur? aut potiùs vermium punctionibus corrosus ingemiscit? Doloribus consumi Jobum dicerent cuncti: sed ipse non nisi defectibus adolescentiæ consumendum deplorat: quasi apertius dixisse vellet: quantunuis denso cruciatuum agmine citra omne solamen petitus, vulnera vulneribus addita receperim, acerbius torqueor pubertatis meæ peccatis quorum pœnas dare cogor. Hæc sunt causa malorum, proindeque gravius cordis mei cruciamentum. Nec ulceribus, quorum saniem testâ pello, sic angor, ut non acriùs flageller recordatione peccatorum, quæ testea fragilitate olim admisi. Titelmanus ibi antecedentia Jobi verba: *scribis enim contra me &c.* sic interpetratur: *Videtur esse metaphora alludens ad ritum scribendi in tabulis sententiam.* Duo solent in sententiæ decreto scribi: pœna, & causa. Explicat Job quod ex duabus illis amaritudinibus non pœna, sed causa sit illius consumptrix: *Consumere me vis &c.* Si quid pateris, assidua pensitatione expendas, protinus exclamabis acerbissimo doloris gladio te cædi. Parce querelis quibus aerem fatigas. Manum quæso mittas in sinum: quam si leprosam eduxeris, illud potiùs tibi deflendum est virus, quo anima tua languescit. Ne querulus diræ sortis ictus enumeres: infortunia delictis imputanda non dubites, ut horum pigeat, illaque leviùs feras.

Job. 13. 26.

Titelm. in 23. Iob.

25. *Dolent homines plus vulnera quàm scelera.*

Sed proh mortalium obcæcata judicia! nullus non eum quo premitur infœlicitatis onus censet immane. Jam lachrymæ desunt oculis, jam verba palato, & quæ, nisi mens læva fuisset, vultu forent excipienda sereno, deplorantur jugiter. Criminis reatum, quo duce ruitur in miseriarum profundum, vel unus, vel nemo, lamentatur ea qua par esset amaritudine. *Si fortè* (ait Chrysostomus) *parum aliquid morbi corpus pulsaverit, statim & medicos adhibemus & pecuniam profundimus, & omni observantia quod convenit agimus; nec prius cessatur quàm quæ molesta sunt mitigentur. Anima verò cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, ne parva quidem pro ea nos cura sollicitat.* Delicti piget duplici verbo; supplicii verò dolor profusis lachrymis expletur.

Chrysost. l. 1 de compunct. post princi. tom. 5.

Audisti quàm parcè David coram Natham geminum flagitium sit execratus? *Peccavi Domino*, inquit: neque tunc flebili gemitu vulnus deplorat sævum: cum non minori quàm puer ægritudine langueret David: nam ut D. Cirillus ait: *morbus animæ acerbissimus iniquitas*, imò non unicus est morbus; sed multiplex & letho proximus: jure namque dicet quisque peccator docente pio vate.

2. Reg. 12. 13.

D. Cir. Hier. Catech. 2. illum.

Etiam vix animæ supereſt pars ultima noſtræ,
Heu paror inferiis proxima pompa meis.
Denique qui morbos cupit omnes diſcere noſtros.
Copia quod fieri non ſinit ille cupit.

Herm. Hugo in piis deſid. l. 1. poëmate 3.

Ignorabat ista David pœnitentium ductor?

Non credam : & ut pœniteat expectat Nathan reprehenſionem in ſermone Domini ? Et interea per longum tempus inſordeſcit peccati luto ! *David qui quaſi per annum celaverat & tacuerat crimen, confeſſus eſt peccatum ſuum coram Nathan*, ait Valentia : & non flevit corã Propheta delictũ,cum oporteret non differre, nec brevi ſpatio planctum,ut citiùs veniam impetraret, ac urgentius : ait quippe Hieronymus *Oratio Deum lenit,ſed lachryma cogit.* Perge modò pauliſper, ac animadverte quàm gemebundus David indoluerit dum non atroci valdè coërcitus fuit ſupplicio. Parvulum ex adulterio natum percuſſit Dominus. Quanta molitus eſt paterno rex doctus affectu,ut incolumis evaderet infans!Deprecatur Deum ne dimidium cordis ſui patiatur auferri : jejunus inſtat:jacenſque ſuper terrã fletibus eam velut emollire conatur, ne aperto deglutiat ore infantulum. O pœnitentiæ culmen, hæc tibi forent potius auxilia contra peccati labem imploranda coram Nathan. Crimen agnoſcis ; nec veniam ſedulò deprecaris enixius ? Cum pœnam experiris, tunc oratione frequenti contendis illam avertere ? Ab alto ruiſſe fateris ; nec pronus cadens in terram, ut animi caſum expiare valeas, humiliaris ? Gnatum verò præmitti potius quam eripi dum cernis, imbecilliter cadere te non pudet ? Jugiter deflendi ſceleris piget,nec protinus liqueſcis in fletus ? Cum autem puelli morbo flagellaris, puerili modo in ploratus diſſolveris ignaviter ? Humanum puto morem tenuiſſe virum quem ſecundum cor Dei inventum eſſe novimus : nec enim luteum vas quia principi eſt in deliciis,fragilem deſueſcit naturam. Adulterio necnon homicidio admiſſo deteſtatur binum facinus duplici verbo contentus : *peccavi Domino :* nec proſternitur, neque mox lacrymatur. Malorum cauſam, nempe crimina, quæ delenda forent ampliori cordis amaritudine, minus acerbo dolore proſequuntur mortales : poſtea ſuppliciis affecti multiplicant ejulatus. Ut rectum ſapias mæſtis in rebus,animo fac inſidere tuo non flagellum, ſed peccatum, appellari ſimpliciter malum. Cum ictus excipis flagellantis deſuper vindictæ potius crimina pateris quàm flagella. Mæſtitia matris eſt culpa ipſius, ſcilicet inſipientia filii: tortoris vicem obit ipſe reatus.

Valent. in Pſal. 100.

S. Hieron. in Iſai.

26. *Adverſa noſtra ſunt ; velut aliena quæ lata.*

Matris. Poſſeſſionis caſum ne prætereas: nam etſi grammatici videatur hoc eſſe negotii, neque floribus cunctis delibandis otium ſit api noſtræ ; hunc guſtare juvat, invenitur enim & in floris apice medicamen. Mæſtitiam docuit eſſe matris ; gaudium verò, velut alienum parenti, diſſimili Sapiens pollicetur ſtylo. Minimè dicendum judicavit lætitiam de filio ſanis moribus exornato patris eſſe : quaſi fœlicitatem iſtam vocaſſet alienam, & matris mæſtitiam ei propriam. Lacrymabilis quidem eſt Adamidum conditio. Lætis velut mutuò datis potimur : nec ſua dicere quis audeat ea quæ volvuntur ſortis ad imperium, inſtabili dum fugit illa pede ; quibus verò cruciamur infœliciter, ipſa tanquam noſtra poſſidemus.

Audi Pſalmiſtam Domino grates in hæc verba perſolventem : *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum & circundediſti me lætitiâ.* Si primo inſiſtamus litteræ cortici, de ſe protulit iſta Vates, cum è dolorum profundo redditus fortunæ faſtigio, veſte lugubri depoſita, induit jucundam, deterſiſque lachrymis exultabat. Sic Bellarminus ad hunc locum : *David ex miſero exule rex potens effectus .... juſtiſſimè dicit, Convertiſti, &c.* & paulò poſt: *quod ſequitur, Conſcidiſti ſaccum meum & circundediſti me lætitia, ſignificat mutationem veſtis lugubris in veſtem lætitiæ convenientem.* Illud notatu dignum ſeſe offert quod planctum dicit ſuum, quem exterſerat ; gaudium verò minimè, quo dum hæc proferret potiebatur David. Luctuoſam, quam exuerat, togam appellat propriam ? *Saccum meum.* Certè noſtra potius vocamus ea quibus utimur de præſenti ; quæ verò jam prætereundo periere, minus propriè dicimus propria. Rex jam lætabili ſorte fruebatur ; planctum abſterſerat. Sic igitur vertenda foret ejus oratio : Convertiſti planctum mihi in gaudium meum. Horrida jam depoſuerat veſtimenta, illaque ne iterum induere formidaret conſcidit Omnipotens. Ut quid ergo ſuum ſcribit funebrem ſaccum ; nec ſimiliter ſua dicit indumenta lætitiæ ? O quàm diſertè ! Noverat utriuſque ſortis vultum : nec Davidem, quem non projecerat adverſa, falleret ſecunda. Mæſta jam dimiſerat animus, ſed non amiſerat ; lætis fruebatur, ſed ita ut ſe poſſidere non crederet amittenda. *Planctum meum*, ait ; gaudium verò non ita, quò videas fœlicitates velut cõmodari, quin dominium tranſeat in fortunatum ; incommoda verò non commodata, ſed jure ſuo poſſideri ab infœlici. Triſtitia de filio inſipiente matri adſcribitur ut propria ; lætitia verò de frugi gnato non ſic genitoris eſſe pronuntiatur. Poſſidemus ea quæ miſerè torquent ; noſtra non ſunt quæ utcunque oblectant : *& ſi veſtra ſunt hæc tollite ea vobiſcum. Sed homo cum interierit non ſumet omnia : neque deſcendet cum eo gloria eius.* Sic de divitiis Bernardus, quod ejus argumentum ad cuncta mundi gaudia transferre licet. Contra vero cum ad infernum ſæpe deferat ſecum iniquus infamiam, pauperiem, & ſimilia, hæc homini miſero propria ſunt.

Pſal. 29. 12.

Bellarm. ibi.

S. Bern. ſer. 4. de Adven.

27. *Eximius amator poſſidetur à dilecto.*

Suæ. Vidiſti Salomonem ſemel & iterum filii meminiſſe, nec in parentum dominio gnatum computari ? Mater ſua genito erit, quin filius econverſo genitrici ſuus, vocari debeat ? Neutiquam. Ergo cur mater filio ſcribitur hîc ſua ? *Filius verò ſtultus mæſtitia eſt matris ſuæ* ; ille autem non dicitur eſſe genitricis ? Amoris non ex æquo mutui ſtylum redolet oratio. Qui non mediocres alit in pectore flammas poſſidetur à dilecto. Qui leviori uſtulatur igne dilectum velut haber. Genitrix nimis diligit ſobolem utpote dimidium ſui, & exardeſcẽs ultra modum inſanit. Nec redamatur ut plurimum, quantum par erat quò illius dilectioni dignè reſponderet viciſſitudo. Igitur non mater filium, ſed gnatus genitricem poſſidere dicendus erit. Amoris eximii eſt non dominari, ſed haberi. Ad Judæos loquẽs olim orbis Aſſertor dixit:

Eſt

Ioan. 8. 54. *est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est*, &c. Advertis disparem utramque orationis partem? Patrem affirmat Redemptor suum; Judæorum verò Deum illum esse non equidem negat, sed nec affirmat: non enim dixit qui vester Deus est; sed: *quem vos dicitis quia Deus vester est*. Quare sic mutat stylum? Litera patet, sed ad mores dixerim: Pater summus Christum Dominum diligebat eximiè, cúmque possideatur valdè amans. Redemptor Patrem vocat suum. E contrariò quia Judæos non amabat Pater, quasi nollet Filius ut illi suum dicerent. Amoris est eximii haberi ab amato. Nunquam matris amor novit habere modum; gnatus illam non æquali dilectione prosequitur. Non igitur mirum quod matrem filius accipiat in sua; nec vicissim filii dominatum amoris ingenio genitricem tenere legamus. Hinc vide quàm verum sit amantes Dei quasi furti scrupulum sentire solitos, ne sui quidquam ad creaturam tanquam Dominam distrahant: Dei namque, ut diligentes ardentissimè, proprii sunt peculiari jure; *Propterea divinus amor excessum efficit, dum amantes sui juris esse non sinit, sed amatorum jubet existere.* Sic D. Dyonisius Areopagita. Quomodo patietur amor ille, ut non tuus, sed creaturarum, quæ vetat, perpetuò sis?

S. Dyo. Areopa. de d. nominibus c. 4.

APPENDIX MARIANUS.

PRO GAVDIIS QVIBVS FILIVS SAPIENS imò Sapientia incarnata, suam lætificavit Parentem:

Ad eadem verba textus: Filius sapiens, *&c.*

VERSV I.

DELIBATIO V.

Pro gaudio Conceptionis immaculatæ Deiparentis,

28. MELLIFLUUS Doctor verba Salomonis, ea qua in Mariam sanctissimam totus ardebat pietate, lætitiæ, quæ Dei genitricem decebat, adaptat, arguens à minori ad majus in hæc verba: *nam si juxta Salomonem: filius sapiens gloria est Patris: quantò magis glorioſum est matrem ipsius effici Sapientiæ?* Plurima sanctissimæ Virgini solidáque gaudia contulit Omnipotens. Æquum enim erat ut jucunditatis cumulo faceret exultare parentem fons voluptatum cælestium inexhaustus. Occasione hinc non leviter desumpta, prosequar aliqua Deiparæ gaudia.

S. B:r. hom. 4. sup. Missus, in princip.

Maria nescivit initia mæsta.

Prius illud tempore, nec non & dignitate multis nequaquam secundum gaudium fuit immunitas ab originali filiorum Adæ noxa. Nulli puræ creaturæ nisi Mariæ obtigit læta Conceptio: quia sola sine labe carpsit vitæ primordia. Reliquis funestissima sunt initia; esto fines lætissimi contingant: non consonant extrema primis. Sanctus Andreas Creten. ait ad Mariam: *Salve lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est.* In organo concinunt posteriora prioribus: cuncta lætum consonant. Sic in Maria, in aliis minimè. Cæteri primo cecidere gressu: quid mæstius? Dolere solet ex hominibus quidam vinculorum pondus, alter ignotam pauperiem, alius molestam ægritudinem, nonnullus generis sui dedecus. Hæc omnia claudit unus originalis nævus: nam & catenis onustos captivat, privat gratiæ divitiis quas perdidit Adamus, morbo afficit, & lethali, generisque notam inurit homini pudore dignissimam. O quàm luctu nostra digna sunt exordia! quàm celeres dolorum causæ! Ingenita ferè rebus mæstis velocitas est. Non prius arbor flores amittat quàm operiatur umbris. Illam excipe quæ florem ut conciperet cælitus, ab spinis libera concepta est.

S. Andr. Cret. serm. d. annun.

Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Hac virga cœlorum Reginam designari docuit Hieron. *Virgam de radice Iesse sanctam Mariam Virginem intelligimus.* Video Prophetam Virgæ florisque meminisse; foliorum verò minimè. Ne mutila maneret allegoria, videntur folia deesse. Damiano fide: non defectus est foliis carere; imò inde pulchrescit virgula. *Germinat* (inquit Purpuratus Doctor) *igitur virga Iesse de tortuosa radice generis humani, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem, foliorum tenebras nescit.* Scis jam cur folia defuerint? Ne tenebrosa Virga Jesse foliorum tegmine redderetur. Aliæ vel nobilissimæ arbores non floribus honestantur, quin & foliis obumbrentur: imò prior illis est umbræ mæror, quàm florum pulchritudo. In Virga Davidica non sic. Naturam immutavit amor Omnipotentis.

Isa. 11. 1. D. Hier. in Isai. 11. tom. 5. l. 4. S. Pet. Dam. ser. d. annun.

29. Exordiis familiaris est infœlicitas. Diei, quem naturalem vocamus, prior pars fœdatur opacitate nocturna. Non diteſcit auro spica, nisi triticum prius putrescat in semine. Argentum non effulgebit in corona, quod non primùm nigricaverit in fornace. Hæc est primordiorum veluti lex. Aliter in sanctissima

Incepit ascendens Maria Virgo.

sanctissima Virgine, cujus originali justitiæ accomoda quod aliorsum dicebat sanctus Bernardus. *Plane montana conscendens, cujus justitia sicut montes Dei.* Mons non priùs descendit, quàm ascenderet. Hoc in Dei Matre mirabile ipsi ferè sponso: quod scilicet non sicut cæteri cadens inceperit; sed statim ascendens initia sua sacraverit fœliciſſima sorte.

S. Bern. ser. in Nat. B. M.

Velut admiratione correptus Divinus Sponsus de Virgine intemerata quærit sic: *quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi &c?* Hanc similitudinem præ aliis delegit, quadilectæ clariſſimum delinearet fulgorem: quid luci & fumo? Sane locum de B. Virgine accipit. D. Bonaventura. *Dico quod Virgo Maria* (inquit) *est virga fumea incipientibus & pœnitentibus. De hac virga dicitur in Cant. quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi &c.* Alteri ergo virgæ componat dilectam: fumo assimilat? Perbelle. Rosæ seu lilij virga priùs radicem agens descendit; quam ascendat emergens: concipitur, ut ita dicam, in terræ viscera descendens; ascensum nativitati reservat. Non sic virgula fumi: ejus primum instans ascensio est: nunquam fumi virga extitit, quin jam ascenderet. Illibata Parens aptiſſimè virgulæ fumi similis asseritur, nunquam etenim vel per instans cecidit: incepit ascendens *sicut virgula fumi.* Cumque fœlicitates minuantur præcedentis infortunij satis ingrata memoria, puritas originaria, quam non præcesſit cunctorum Adamidum infelix macula, cælorum Reginam summa lætitia perfudit.

Canti. 3. 6.

S. Bonav. in Spec. V. c. 10.

30. *Amor securitatem donis adjicit, liberalitas nec semper.*

Nonnullæ sunt aliæ hoc in exemptionis originalis privilegio gaudendi causæ, quas breviter percurram. Prima sit hujus tanti doni securitas, magnum equidem sortis incrementum. Ethnicus beneficia donandi præceptor monebat sic. *Si arbitrium dandi penes nos est, præcipuè mansura quæremus, ut quàm minime mortale munus sit.... ergo si fieri potest, consumi munus meum nolo: extet, hæreat amico meo, & convivat.* Amico, dixit, ut potiſſimum hæc verificari credas cum ex amore donum profectum est. Sane quamuis æqualiter liberalitas amorque Dei nullo circumscribantur termino, hoc tamen diſſident quod liberalitatis dona sæpiſſime obnoxia discrimini sunt: quosdam tutos reddit ab accepti muneris jactura, sed speciale beneficiũ hoc est, non omnibus datum. Aliter divinus amor: eorum, quæ confert dilectis exulare pericula facit, primamque possessionem tranquillat.

Seneca d. benefic. l. 1. c. 12.

Davidi per prophetam Dominus allocutus, populo suo sic repromisit: *dedi locum populo meo Israel, plantabitur, & habitabit in eo, & ultra non commovebitur.* Locum Israeli multò ante Davidem constituerat Dominus, cum eductum ab Ægyptiaca servitute hostibus expulsis, habitare fecit in terra desiderabili: Et adhuc nunc securitatem pollicetur? *non commovebitur.* Secundò eidem Davidi promiſſionem aliam de Salomone loquens adjecit. *Suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabiliam regnum eius.* Adhuc Salomon thronum patris non conscendebat, & jam à Deo illius regni stabilitati consulitur? conferamus unam & alteram promiſſionem: alia namque videtur sera nimis, altera verò extemporanea valde. Pollicetur Deus Israeli tutum fore in acquisito domicilio, postquam per tot annorum seriem commoratus fuerat ibi? & regni Salomonis promittit firmitudinem, antequam regnare cœpisset? Ita: quia populo dona conferebat liberalitas divina; Salomoni verò amor. Israel, inquam, plurima ex parte propter peccata Deo exosus, non ab amore, sed à largitate Dei, munera solebat accipere, quæ licet effusiſſime beneficа nec semper in tuto constituit statim collata beneficia. Salomonem divinus protexit amor, ipsum etenim sibi peculiariter amandum elegisse nomen ejus apertè suadet: *Amabilis Domino.* Idcirco tam præcoci cura de sceptri ab eo possidendi stabilitate satagebat, ut ante fulciret thronum, quam ad eum Salomon ascenderet: abstulitque decidendi metum, ne donum amabili collatum instabile censeretur. *Ab hoc ergo metu* (inquit Sanctius) *liberat Dominus Davidem, promittitque futurum ut filius quem in regno successorem habebit, regnum habeat divina protectione firmatum.* Amor dilecti pericula citò cavet semper; magnificentia nonnumquam, & aliquando serò.

1. Parali. 17. 11.

Sanct. in 2. Reg. 7. 13.

31. *Altitudo Mariæ nunquam non secura.*

Beatiſſimæ angelorum Dominæ in ipso conceptionis limine divinus amor gratiam contulit, & à discrimine simul amittendi eam, non statim, sed simultaneè, liberavit eandem: Luce perhibetur amicta, sed stabili. Notavit hoc Bernardus. *In Sole nimirum & fervor, & splendor stabilis: in Luna solus splendor, atque is omnino mutabilis, & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Jure ergo Maria Sole perhibetur amicta &c.*

S. Bern. ser. insign. magn

Audi quid in Canticis Maria sanctiſſima de seipsa protulerit. *Ego murus, & ubera mea sicut turris.* Cur non Maria civitatis nomen assumit, quæ à Ricardo dicitur *civitas Dei, quia sola digna tanto rege?* Potiùs murum turrimque appellat seipsam? Non sine mysterii fructu dictum est. Civitas non statim atque constructa est tutam se reputat. Eget muro cingi; turris autem semel atque ædificatur, jam hostium tela deludit, similiterque murus. Ut igitur significaret sibi donatam altitudinem nunquam non tutiſſimam etiam primo essendi vestibulo, non civitatis, sed turris, murique, nomine seipsam designat. Et quidem optimo jure sic loquitur: nulla namque inter creatas animæ pulchritudines egit radices in vita mortali, præter illam qua sanctiſſima Deipara pollet.

Canti. f. 10

Ricar. à S. Laur.

Eius pulchritudo spiritualis radices egit.

Ego flos campi & lilium convallium. Sponsæ verba sunt secundum probabilem expositionem: *florem campi seipsam appellat*, ait Philo; florem virginem illibatam non dubito, ipsa namque spes nostra: sed in manu Dei positam existimabam; non autem in pulvere campi constitutam. De ovibus suis bonus pastor dixit: *non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ergo ne cæteras justorum animas dum certant in terris Deus in manu sua collocavit? florem verò illum Nazareth, scilicet Mariam, non manus possidet, sed campus? *Ego flos campi*: Meritiſſime flos campi dicitur Rosa mystica, ut scias quàm firma sit ejus pulchritudo, quam patriæ venustate mire depinxit

Cant. 2. 1.

Philo Carp. ad eum locum.

Joan. 10. 28.

pinxit Altissimus. Florem si manu teneas, radicibus caret; dum campo residet, redicatur ibidem. Igitur non manu Dei lilium istud locari pronuntietur; sed florem campi Virgo se nominet ipsam. Unde videas quàm læta fuerit gratiæ receptio, in conceptionis ejus instanti, utpote quam radicibus, idest securitate, cumulavit divinus amor. Nec sicut alii est flos iste, caducus: non enim Sole marcesceret, quæ Sole fulget induta.

32. *Excellentius quid est B. Virginem accepisse gratiarum dona secure fruenda, quàm abundanter.*

Imo quærere licet quid in sanctissima Deipara excellentius, an quod à divinæ manus largitate donorum cælestium copiam acceperit prædivitem, seu quòd securam statim possederit? Reor majus Dei munus esse quòd tranquilla pace fruenda concesserit beneficia, quàm quòd magnificus fuerit impertitus eorum cumulum. Dimidium boni præcidere timor audet: nam, ut Plutarchus ait, *animus non capit veram voluptatem nisi liber metu.* Integrum largitus est bonum qui donavit illud simulque reddidit à discrimine tutum. Ergo plus in B. Virgine commendandum quòd potiatur spiritualibus affluentiis gratiæ secura, quàm quòd earum sit æquor vastissimè profundum. *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Verba Sponsi Dei sunt Mariam laudantis. Cur non mare sed fontem nuncupat? Nonne plusquàm verum est illud Ricardi à S. Laurentio? *Maria est mare propter gratiarum plenitudinem.* Ergo dicat illam vel mare vel saltem fontem largifluum. Sapienter dixit fontem signatum, quia teste Nysseno, *hic testatur fontem ad alienos nequaquam effundi, cùm ait eum obsignatum esse, quod idem valet ac si diceret, custodia septum.* Hinc collige beatius esse in Deiparente, quod spirituales ejus gratiarum latices divina protectio custodiat, quæ illam reddit fontem signatum, quàm quòd usque ad similitudinem maris, & ultra repleverit eandem abundanter Omnipotens. Locus iste gratiæ in conceptione collatæ aptatur facile: nam aquarum initia dicuntur fons; postea verò flumen compellatur. Vide quàm potuit concepta lætari, quæ sic possessione gratiæ fruebatur interrita.

Plut. in mor.

Cant. 4. 12.

Ricard. à S. Laur. lib. 1. de laud. V.

33. *Mariæ sanctissimæ totum se Deus contulit, cæteris dona dividit per temporum seriem.*

Secunda lætitiæ radix, est quòd unum possidenti bonum cætera non desint, sphæram ipsius concernentia. Hac de causa nulla visitur in terris perfecta jucunditas. Qui præclaro sanguine ortus, inopia premitur: qui divitiis & nobilitate fulget, salute caret: qui dives, nobilis, & sanus est, odio & invidiis impetitur. Cumque nihil sit, nisi ab omni parte, beatum, nullus extra cælestem patriam plene jucundatur. Excipe Mariam purissimam, utpote quæ auroræ stilo concepta, cæli privilegia terreo contulit exilio. *Cæteris* (ait D. Hiero.) *per partes præstatur: Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* In ipsis originis suæ auspiciis ab omni parte beata refulsit: gratiæ candida stola pulchrescens, virtutum, quæ gratiam sequuntur, armata Satellitio, expedito rationis usu gaudens, & fœlicitatem omnium bonorum aggregatione perfectam cælitibus propriam, non dicam possidebat, quia libertate plene potiebatur, quod in beatis ex parte non reperitur.

S. Hier. ser. de Assumpt.

Verum enim verò, cur Deus ex prædicto bonorum numero differret aliquod in posterum? Non erat cur veluti vim differendo inferret amori. Cæteris non tota se solet infundere divinæ magnificentiæ plenitudo, quia oportet nos aliquam dolere boni privationem dum vita manet, ut sic desiderio condiatur voluptas & fulciatur amor: ne si contingat alicui nihil restare quod expectet, nihil extare quod doleat, refrigescat ejusdem erga Deum antea fervens dilectio. In Deipara dilecta periculo vacabat amor, ne donorum copiis confisus degeneraret vel in minimo.

Ioan. 16. 7.

Expedit vobis ut ego vadam. quid affirmas Magister, pastor, ac dilectus? Expedit amantibus absentia dilecti? Ovibus pastoris discessus? Discipulis magistri desiderium? Expedit, inquam, nam si non abiret Filius, divinus non adveniret Spiritus: *nisi enim abiero Paraclitus non veniet ad vos.* Post solutionem plus hæreo. Opus est abscedat Redemptor, ut descendat Consolator: scio cùm primùm in terras decidit Dei Verbum, totam simul Trinitatem adfuisse. Obumbravit Pater: supervenit Spiritus, homo factum est Verbum. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Nunc autem ut Spiritus adsit, Filium oportebat abesse? Dubium solves facillimè, si attendas aliam Matri, quàm servis, Dei liberalitatem congruere. Isti sub spe mercedis, non adeo excessivi amoris penna sublimati laborantes, totum si Deum simul possiderent, fortassis tanto fœlicitatis pondere pressi, pigritarent. *Quare* (Rupertus ait) *si non abiero, Paracletus non veniet ad vos? Videlicet quia non erit in quo consoletur vos.* Quasi conveniens esset aliquo dolore Apostolos fatigari, quem adventus divini Spiritus consolaretur: absentia, scilicet, Redemptoris per mortem crucis. Igitur idcirco providentia sapienter disposuit ut non simul Verbum & Spiritus sanctus ad Apostolos descenderent. Congruebat Filium discedere, ut Paraclitus adveniret. In Dei Genitrice penitus à discrimine tutus erat amor: ut staret imperturbata dilectionis flamma, similis cautelæ supervacuum foret ingenium. Non unicum Verbum, sed Pater simul, nec non & Spiritus adveniant, & erit Maria *totius beatissimæ Trinitatis nobile triclinium*, ut eam appellat S. Bonaventura. Fulciatur floribus, hoc est spebus, nostra erga Deum dilectio, quæ fere semper infirma valetudine ingemiscit, & novum non est male sanis florum auxilio sensuum vigorem roborare. At Maria sanctissima iis non eget: ideo tota simul illam gratiæ ditavit ubertas.

Luc. 1. 35.

Rup. l. 12. in Ioan. c. 16.

D. Bonav. to. 2. opusc. in Psalt. Vir.

34. *Spes B. Mariæ velut possessio tranquilla.*

Nec dicas hoc in Conceptione non accidisse, cum postea Virginis ejusdem, plusquam explicari valeat, creverit Sanctitas. Hunc gratiarum cumulum postea non acciperet (inquis) si cunctas in ipso conceptionis limine præhabuisset. Non ergo se totam plenitudo gratiæ tunc infudit in illam. Fateor plurimùm decursu vitæ Dei Matrem ab inexhausto donorum pelago hausisse; attamen quæ in primo Conceptionis instanti non aderant expectabat Maria quasi jam possidens. *Perfecta vir-*

tutis eſt quod in re non teneas, ſpei robore poſſidere. Hæc Chryſol. Id verò non omnibus datum. Spei beatiſſimæ Virginis privilegium, hoc eſt, ut poſſeſſionis quietem imitetur.

D. Pet. Chryſol. ſer. 110.

Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo, aiebat in Canticis ipſa. Sic locum exponit Guilhelmus: *ideo, quem deſiderabat habebat* (inquit) *quia ſub eius umbra ſedebat, tamen adhuc eum deſiderabat. Lucis ad corpus acceſſu umbra gignitur. Lux divina humano ſe corpori in Virgine univit*, &c. Et poſt pauca: *Sub ea tamen ſedere peculiari privilegio datum, cui dictum ab Angelo virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* En ſanctiſſima Virgo Sponſum velut arborem ſibi meditatur, quæ celſos tendit ad ſydera ramos, ſeque ſub ejus opaco tegmine conſidentem imaginatur, ac ſimul ejuſdem nectarei fructus mellea ſuavitate potiri. Quomodo ſibi cohæreant hæc, non ſemel ambigebam: nempe amœna ſub umbra ſedem eligere, ſimulque arboris vertice tangentis cœlos fructus legere potuiſſe. Cùm ſedens moratur, non ramis, ſed radici vicina manus erit: oportebat igitur ſtare ut valeret poma carpens dulcedine perfrui. Fructus collegit? & in umbraculo reſidet? Utrumque verum: quia fructus decerpere confidenter expectabat, pariterque placidiſſimè ſedens quieſcebat, ſpe in poſſeſſionem feré tranſmutata. Non igitur in prædictis ſcrupulum tibi moveat quod gratiarum Oceanum in puriſſimo Conceptionis inſtanti Mariæ illibatæ Dominus effuderit, ut irrigaret erumpentem roſam ſpinis liberam. Non inficias ibo poſtea ſanctitate creviſſe; noveris tamen quod iſta divinæ munificentiæ dona priùs quaſi poſsidebat, cum accepturam ſe confidit ſpe quæ poſſeſſioni cognata valdè fuit: ideóque hilaritate ſumma Dei Matrem profundebat.

Guilhel. apud Delriū.

35. *Mariæ Deum tunc incepiſſe beneficere cum illa rogare nequibat, magna divinæ largitatis laus eſt.*

Tertia gaudii origo genitricem in Conceptione intaminata gaudere ſuadens hæc erat, quod ſcilicet Deus quamvis etiam à dilectiſſimis rogari prius velit quàm expetita donet: *petite & accipietis*; genitricem tamen ſuam tunc originali puritate donavit, cum preces Mariæ beneficio præmittere non valuit. Licèt enim graviſſimorum placito acquieſcens non dubitem illam rationis uſum à Conceptione obtinuiſſe: ante primum inſtans, in quo gratiæ ſimul & intellectus lucem accepit, non potuit inſtans aliud anterius præcedere, quo Deum pro incolumitate originali deprecaretur. Magna quidem eſt elargiti muneris commendatio citra preces obtineri. *Divinanda* (monet Seneca) *cujuſque voluntas, & cum intellecta eſt, neceſſitate graviſſima rogandi liberanda eſt.* Sed aliquid ampliùs meditata eſt divini amoris erga Matrem ſanctiſſimam providentia munifica. Non ſolùm quin rogaretur; ſed etiam incapacem fundendi preces à lege communi benevolus exemit. *Primum eſt* (ait idem Seneca) *antecedere deſiderium cuiuſque; proximum ſequi. Illud melius occupare antequam rogemur*: hucuſque Seneca. Sed addere poſſet: hoc verò maximum, prævenire priùs quàm rogari poſſimus.

Joan. 16. 24.

Senec. de bene. c. 2. l. 2.

Seneca ſupra c. 1.

Eximia liberalitatis laus eſt tunc benefeciſſe, cùm impoſſibile foret indigenti orationem offerre pro dono conſequendo. Statutum erat Perſarum tempore, ut nemo non vocatus ante conſpectum regis accederet: quod ſi auderet, capitali ſupplicio plecteretur. Eſtherem Aſſueri regis conſortem, cum Hebræi populi clades imminebat, impulit pietas ut inſontibus tyrannicè damnatis ad mortem ſubventura ſponſum alloquatur, ſi quo modo poſſet eorum necem avertere. Ingreditur non vocata Regina, ſtat coram rege, ſed exangui facie pavorem conteſtatur, imò ruit exanimis. Quid tunc Monarcha? *Feſtinus ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, his verbis blandiebatur: quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Ut quid! Aſſuerus fruſtrà loquitur ad Eſtherem, cùm non erat rationis compos? Verba illa: *donec rediret ad ſe*, manifeſtè denotant perturbata phantaſiæ organa per animæ deliquium mentis impotem Eſtherem reddidiſſe. Pauliſper expectet eam ad rationis uſuram reverti, & incipiet alloqui benignè accipiendi beneficii capacem: exanimatam favore proſequitur? & exemptionem, derogans legi, concedit, ſororiſque nomine decorat? Amabat illam Aſſuerus non vulgariter. Largitati regiæ ſatis foret quin rogaretur benefacere. Sic idem erga Mardochæum poſthàc ſe habuit. Amor altiùs metam poſuit, quàm attingeret. Parum eſſet abſque prece vitam ſponſæ donare. Progreditur ultrà: cum impoſſibilitate ſupplicandi conjunxit peculiare beneficium: ideo rationis impotem eximit à lege, ne locus immunitatem petendi daretur ſponſæ, & petitio privilegium præveniret.

Eſth. 15. à n. 11.

Eſther Angelorum Reginæ typus eſt. *Primò* (dixit S. Bonaven.) *conſidera chariſſime quod Maria eſt domina angelorum, ipſa enim ſignata eſt in domina Eſther regina*: & infrà: *Per dominam Eſther reginam intellige Mariam Reginam: duæ famulæ quarum domina eſt Regina Maria, ſunt angelica & humana creatura.* Virginem illibatam à communi labis originariæ lege, gratiæ candore præmuniens, eripuit amantiſſimus Sponſus in primo Conceptionis inſtanti: ante quod ipſa pro diſpenſatione hac illum interpellare minimè potuit. Eandem ſororis loco tunc habuit: cum enim fratres dicantur ij qui ab eodem parente geniti ſunt, ſororis vocabulum apprimè Conceptionis privilegium indicat: Veriſſimè namque dicuntur Chriſtus & Maria fratres quoad gratiæ poſſeſſionem, utpote qui ambo concepti ſunt filii Patris unius, nempe Dei. Plaudat igitur ſanctiſſima Virgo divinæ erga ipſam beneficentiæ, ſuæque de originis piaculo alacri victoriæ: ac ſibi gratuletur gaudia quibus eam in ipſo Conceptionis momento replevit *Filius ſapiens*, imò & Sapientia: qui dum æterni Patris condecoravit filiam, *lætificat Patrem*: inſimulque hilarem fecit incipere genitricem.

D. Bonav. in ſpecul. c. 3.

DELIBA

DELIBATIO VI.

Pro eodem ſanctiſſimæ Virginis illibatæ conceptæ gaudio adduntur nonnulla.

36. POſtremam, ſed nulli ſecundam, gaudendi cauſam nunc proferam, quæ conceptæ Virgini dedit exhilarari tunc quando ſolent Adamides fœdati tetro ſceleris fumo initia ſua experiri. Cernebat illa quàm divinus penderet honos ex hac Matris immunitate: non potuit non oblectari ſummè Genitrix de ſervato Filii honore.

Dei Filio decus puritas originalis beatiſſimæ Virginis conciliavit egregium, & quà Deus eſt, & quà Redemptor. Divina Majeſtas nullius indigens eſt: Attamen in ſanctiſſimæ Deiparentis cryſtallina puritate, velut in ſpeculo clariùs relucet ſplendor quem in ſeipſo proſpicere non valentes oculi mortalium ignorarent. Scis incarnatum Verbum ut Matrem afficeret honore, ſuum non curaviſſe; ſed uſque ad mortem Crucis humiliaſſe. *Ut te veram matrem oſtenderet, verum ſe hominem patiendo monſtravit*, inquit Auguſtinus. Hinc eſt quod pro Marię originaria exemptione propiam majeſtatem coram humanis oculis ad ſpeciem quaſi demittere non dubitaverit: ac ſi diceret: Cum noverint homines me ad ſervandam Genitricis puritatem deſcendiſſe, dicent ultrò proprię magnitudini debitā celſitudinem depoſuiſſe: & neutiquam ulli cedit in opprobrium omiſiſſe quod ſuum erat. Si verò Matrem nævo Adæ maculari ſinerem, dedecori ſubjacerem. Fortè quiſque ſic ratiocinaretur: Redemptor quatenus homo ſubeſt legi naturali, cujus unum ex præceptis eſt honorare parentes. Poterat ille quidem Genitricem ſuam honore prævenire: nec fecit? Tranſgreſſus eſt ergo legem. Diſcurſum non laudo: ſatis eſt quod fortè non deeſſet qui ſic diſcurreret.

S. Aug. ſer. 35. de Sanct.

De hoc Theol. cum S. Tho. 3. p. q. 93. art. 4. ad 2.

37. *Deus ſollicitiori cura proſpexit Cōceptioni Mariæ quàm ſuæ celſitudinis exiſtimationi.* Iſai. 6. 7.

Meritò itaque Deus majore cura proſecutus eſt puriſſimæ Virginis immunitatem quàm hominum exiſtimationem de propria celſitudine. Super ſolium excelſum apparuit Altiſſimus Evangelico vati. Adſtabant ſupremo Regi Seraphim, quorum alter forcipe de altari carbone ſublato Prophetæ labia tetigit, dixitque: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* Viſionem hujuſmodi expendens Hieronymus ait: *Nulla difficultas eſt quod ſedens hic in ſolio excelſo & elevato ſit Chriſtus.* Retrocedamus nunc ad priora ſæcula. Declinans fratris iras, pergebat Meſopotamiam Jacobus; & ecce per ſomnium quieſcens vidit ſcalam per quam aſcendebant Angeli, & deſcendebant. Ibidem conſpexit Dominum non celſo ſpectabilem ſolio, ſed ſcalæ innixum: *& Dominum innixum ſcalæ*: qui certè Dominus ex Auguſtino Redemptor eſt. *Quòd autem & Jacob dormiens, & Dominus ſcalæ incumbens Chriſtum figuraverit, attendite, & videte rei huius altitudinem.* Quærerem qua de cauſa familiarius Jacobo quam Iſaiæ ſui copiam Dominus exhibuerit. Vati, quem ad maxima deſtinaverat, ſolio ſedens apparet ſublimis? Jacobo à quo minora recepturus erat obſequia, relicto (noſtro more loquamur) throno ſcalæ incumbens dignatur adeſſe? Prudentiſſime feciſſe vide. Ad Iſaiam venit ejus delictum interventu Seraphini mundaturus: *peccatum tuum mundabitur.* Contractam ſemel tollere noxam non erat adeo magnum divinæ virtutis opus, ut pro illo executioni dando, ſolium, ad oculorum ſpeciem, deſerere oportuerit. Hoc libens egit apud Jacob Dominus idem, ut oſtenderet ſe ſcalæ proſpicere, ne deſiderium illud aſcendendi, quod in Adami peccato invenitur, auderet illam attingere, quæ Dei Matris umbra fuit perſpicua, teſtante Damaſceno: *Perſpicuum eſt ſcalam Jacob te præſignaſſe*, inquit ille. Ut matris immunitatem curaret, non præcelſum tenens throni faſtigium viſus eſt: majeſtatem celavit, quaſi pro divini honoris pompa plus quàm ſatis credat intactam à protoplaſti noxa matrem ſervaſſe. Adeo verum eſt illud Bernardi: *non eſt dubium quidquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere.*

D. Hiero. Epiſt. ad Damaſum de 1. viſione Iſai. poſt princip. tom. 3.

Gen. 28. 13. Aug. in ſer. tom. 10. ſer. 79. de temp.

S. Ioan. Damaſc.

S. Ber. ſer. 4. ſuper Miſſus

38. *Privilegium exemptionis à culpa vi- detur Mariæ connaturale.*

Nec tamen putes Deum in hac propria majeſtatis velatione, decoris ſui aliqualem ſubiiſſe jacturam: quinimò dum erga Genitricis puritatem ſic ſe pervigilem exhibuit, ut excellentiæ propriæ ſe minus oſtenderit ſollicitum, excellenter fulget in hoc divinus amor, qui regia pollens prudentia fere putat debitam Verbi Matri præſervationem à primævo paradiſi lapſu. Et ut parenti quod rex debere videtur, concedat, indecorum non eſt è ſolio pauliſper, ad ſpeciem deſcendiſſe. De hyperbolicis laudibus noſti verificari paſſim illud Senecæ: *Nunquam ſperat quantum audet hyperbole; ſed incredibilia affirmat ut ad credibilia perveniat.* Quo præjacto principio, recole quod numero præcedenti notavi circa legem honorandi parentes, & permittas ut aſſeram videri prima facie debitum hoc immunitatis à peccato privilegium ſanctiſſimæ Virgini, quaſi foret ipſius naturæ proprietas quod verè gratiæ donum eſt. Naturali nexu conjunguntur proles & genitrix: gratiam autem matrem eſſe Mariæ habes, ex venerabili Guilhelmo dicente: *Mater ſeu genitrix eius illa gratia eſt quæ videlicet ipſam generavit vivam & viventem in Spiritu ſancto, filiam columbæ, filiam gratiæ, & dilectionis.*

Senec. l. 7. de benef. c. 23.

Guilh. apud Delri. in Cant.

Dic, amabo, eſt ne connaturale Soli potiri luce priuſquam oriatur? Et palmæ ante ortum inſignia victoriæ ſecum deferre? Necnon Cedro non corrumpi tinea? Quid ergo miraris ſi quaſi naturæ proprium videri dixerim originario nævo carere Virginem? Cum ſit ipſa quaſi palma, ſicut Cedrus, electaque ut Sol; culpa verò Adæ corruptio, clades, noxque generis noſtri nominetur. Audi Sponſi verba quibus Mariam intemeratam extollit. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Hæc D. Petrus Damian. B. Virgini accommodat. *Sicut lilium*, inquit, *inter ſpinas, ſic beatiſſima Virgo Maria enituit inter filias.* Sanctus Bern. ad hunc locum per Spinas accepit peccatum: *Spina culpa eſt*, ait. Quæro nunc: ſi fortè

Cant. 2. 2. D. Pet. Damia. ſer. 46. de Nat. Virg. cor. 6. S. Ber. ſer. 48. in Cant.

voluit Sponsus hoc lilii epicteto Mariam à delicto immunem asserere, si lilium, etsi spinis involvatur, illas tamen sibi nequaquam habet adhærentes, vocet potius Mariam absque spina rosam. Quid mirandum in eo quod lilium inter spinas careat eis? Prodigium foret si rosa prodiret absque solito sentium satellitio. Cur ergo non rosæ absque spinis, sed lilio coæquat sponsam? quia lilio naturale est spinis carere; Non ita rosæ. Ac ut videas adeo coaptari Deiparæ largitatis divinæ munus illud, quo maculæ Adami etiam in primo conceptionis puncto expers fuit, ut quod reipsa privilegium est, naturæ illius conditio videatur: non rosæ componit hoc loco matrem: huic enim flori miraculosum foret absque spinis concipi. Mariam exæquavit lilio, cui non miraculum, sed natura dat spinis caruisse. Potuit, & voluit in sui gloriam Omnipotens. O summa inter mirabilia numerandam B. Dei parentis immunitatem originariam, qua sic Domini majestas clarescit! Meritissimè Deus non verebatur subire nonnullam opinionis notam in eo quod appareret hominibus descendisse à supremo infinitæ altitudinis culmine pro Matris candore servando. Quinimò splendidè refulsit in hoc divinus honor.

39. *Est ne mirabilius Deum à Virgine coronari dum concipitur ipsa, quàm Deiparam victrici laureâ redimiri?*

Igitur dicam speciosissima corona Dei Filium à sanctissima genitrice in hujus candida conceptione redimitum. Non patitur amor à dilecto munus accipere, quo non cum ipso communi possessione perfruatur. Glorioſum diadema Dei Filius imposuit matri, cùm illam servitutis nota prorsus expertem creavit: illa tamen vicissim pulcherrimam è virtutum floribus coronam in ipsa conceptione sua Verbo supplex obtulit: *per singulas virtutes nostras Dominus coronatur*, ait sanctus Hieronym. Quod cùm ita sit, Filium Dei à sacrosancta Virgine coronatum non dubitabis, si animadvertas illam in primo conceptionis momento simul cum gratia virtutes, quæ dilecti sponsalitia dona sunt, accepisse, quarum usum retardasse non credam, cùm fatear à doctissimis receptam doctrinam, quæ asserit Dei matrem primo instanti conceptionis, usu rationis, & consequenter libertate potitam.

S. Hier. l. 2. in Zachar. c. 6. tom. 6.

Videri potest Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect 7. & 8. & Sherlog. in cant. c. 1. in explanasione mystica, vestig. 32.

Admiratione dignissimum est quod cùm cæteri Adæ posteri præpediuntur vinculis, tunc plusquam ter beata Virgo gemmato serto pulchra tempora cinxerit. Mihi tamen fateor mirabilius quod ipsum Sponsum regiâ laureâ coronaverit cùm primùm desponsata fuit eidem. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius*, commentatur Hugo Card. *id est Beata Maria.* Nullatenus ambigo lauream à B. Virgine Deo cum sponsaretur, oblatam valdè pretiosam extitisse: sed quid novi reperitur in eo quòd apparuerit Deus coronatus, qui naturâ, non sorte regnat? Ut quid igitur advocantur spectatores oculi? *videte regem &c.* Sequenti eiusdem Cantici capite accersit Virginem Sponsus coronámque offert. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni; coronaberis &c.* Nec tamen adcisit filias Ierusalem ut egrediantur & videant reginam totius orbis in diademate quo eam coronavit Filius suus. Putabam spectatu digniorem matris coronam præ illa quam Virgo Filio dicavit. Ducebar verbis D. Bernardi. *Et coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini &c. verum hoc aliàs: interim sanè ingredimini magis & videte reginam in diademate quo coronavit eam Filius suus: in capite, inquit, eius corona stellarum duodecim.* Eccur non vocat filias Ierusalem ut coronatam cernant Sponsam? quid causæ dissimilem fecit stylum, nunc, & antea! utriusque laureæ disparitas quædam aperta satis. Supremi regis Matrem ab illo coronari nequaquam admiranda res est, præsertim cum ejusdem Sponsa sit, proindeque reginæ insignia sibi vendicet. Quod verò Deus, qui rex regum est, non ab extrinseco accepta potestate, sed per essentiam Dominus omnium, receperit à pura creatura diadema; hoc utique demirandum! tanquam ad rem, quæ in cor hominis nunquam ascenderat, contuendam vocantur filiæ Ierusalem: *egredimini &c.* Et quandonam imposita est Verbo à matre corona? *in die desponsationis:* scio Mariam in conceptione desponsatam Dei Verbo: ibi namque primam accepit gratiam, per quam animæ cælesti nubunt Sponso. Ecce quàm refulserit ex Virginea immunitate majestas Dei.

Cant. 3. 11.

Hugo Card. ib.

Cant. 4. 8.

S. Bern. ser. in signum magnum.

Meditare nunc Dei Filium prout Redemptor est. Attende quàm augustè personuerit illustre Salvatoris nomen ex Mariæ puritissimæ conceptionis illæsa puritate. Asserere non verebor impensiori sollicitudine affectum fuisse Dei filium, pro dilectæ genitricis exemptione conferenda, quàm pro totius universi luce oritura per fidem. Divinæ maternitatis dignitas infinita secundum quid dicitur à theologis quod SS. Patrum dictis fulcitur validè: nam D. Petrus Dami. ait: *Taceat & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitatem.* Concinit Anselmus dicens: *quamvis hoc solum de S. Virgine prædicari, quod Dei mater est, excedat omnem altitudinem quæ, post Deum dici; vel cogitari potest.* Reliqui sanctorum exercitus finitum quid sunt. Merita si conferamus, totus justorum cumulus beatissimam Deiparam non æquat. *Pura sanctitas, & sanctissima puritas piissimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem sive sanctitatem transcendens &c.* Hæc D. Anselmus. Consonat Damianus. *Virgo inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & evecta, merita singulorum & omnium titulos antecedit &c.* Uno actu consensus quem incarnationi præstitit, excessisse fatetur sanctus Bernardinus omnia sanctorum merita. *Virgo beata in conceptionis Filii Dei consensu plus meruit, quàm omnes creaturæ tam angeli quam homines motibus & cogitationibus suis; &c.*

40. *Plusne conceptionis puritas quam totius orbis illuminatio Salvatori fuit in votis?*

S. Pet. Dami. serm. de Nat. B. Virg.

S. Anſel. l. de excellent. Virg.

S. Anſel. l. de laur. Virg. c. 9.

S. Petrus Dam. ſer. de Aſſump.

S. Bernardi. tom. 2. ſer. 51 art. 3. c. 1.

Cum hæc ita sint, non immeritò divina dilectio plus ad matrem gratia donandam, quam ad orbem fidei radiis illustrandum propendebat. Æternus Pater ad incarnandum Filium loquebatur præsago Davidis ore, dicens: *postula à me & dabo tibi gentes hæredi*

41.

Psal. 2. 8. *hæreditatem tuam; & possessionem tuam terminos terræ.* Genuinus literæ sensus hic est: assumpta humanitate, pete in meritorum præmium, O Fili, ut gentes fidei jugo colla subdant, ita ut ad terræ fines nominis tui cultus extendatur. Rem adeo exoptabilem (gentium scilicet conversionem) ut efflagitet, oportuit à genitore moneri? *postula, &c.* Redi mecum ad Canticum Salomonis

Cant. 1. 10. vbi sic B. Virgo: *En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea,*

Ruper. l. 2. in Cant. c. 2. ante med. *formosa mea, & veni.* Rupertus ibi nomine Deiparæ loquens exponit præfata verba sic: *tanquam præsenti loquebatur mihi, meque iubebat surgere & properare, id est nasci.* Qui nativitatem suæ genitricis adventare appetebat, multò plus ejus conceptionem quæ natalitiis præit, exoptabat accelerari. Gentium lucem non petiisset quin hortetur Pater: Sponsæ primum sollicitat non admonitus gressum: Admirare dilectionis ardorem erga matrem, quæ non cadens, sed surgens, in primo instanti conceptionis ingressa est essendi primordia. Munus assertoris obire cupiebat. Hoc ei præcipuum, pro Maria vindicem agere ne serpentis caderet icta fraude. Cunctarum gentium caliginosam pellere noctem minoribus illi erat in votis: plus enim per matris decus, quàm per finium terræ collustrationem Salvatoris cognomen insonuit. Nam licèt mundum quodammodò contineret Maria, major eo tamen erat. *In virgine* (ait S. Tho-

S. Thom. de Villa no. ser. 3. de Nativ. mas de Villa nova) *collecta est omnis Ecclesia, & sanctorum perfectio: unde microcosmus dici potest.* Et infra subdit: *talis est mater Domini nostri: imò nihil diximus: multò illustrior est absque eo quod intrinsecus latet.*

42. *Sufficeret ut Christus diceretur Salvator eximisse matrem quin redimeret cæteros?* Quinimo dictis addam: si Dei Filius nullum è cœlo delabi faceret gratiæ donum præter eam quam Virgini promeruit in conceptione collatam, cæterique mortales omnimodè gratiâ destituerentur, satis esset matri donata gratis, ut Christus Dominus insigniretur Salvatoris titulo. Tantæ molis erat originalis Mariæ puritas.

Oppressus à Madianitis dabat Israël peccatorum flagella, cum Gedeoni apparet Angelus, & spondet eundem liberaturum Israëlitas de manu Madian. Objecit ille familiæ suæ tenuitatem, seque in domo patris minimum: offertur Sacrificium, Gedeonque roboratur. Tandem volens ille fidem suam

Iudic. 6. 37. signo muniri, dicit ad Dominum: *ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israël.* Hîc ponderari solet quænam illius prodigij proportio cum liberatione Iudæorum, quam præstitit Heros? si mysterium attendamus, nulla est ibi difficultas. *Gedeon*

S. Isid. Hisp. com. in Iud. c. 3. *Christum significat,* ait S. Isidorus Hispalensis. *Maria vellus Gedeonis,* inquit S.

S. Ephrem. Ephrem. Ros vero gratiam adumbrabat ex

Theodoret. apud gloss. in judic. c. 6. Theodoreto dicente: *quæ verba innuunt Israëlitas quondam gratiâ potitos esse, sicut vellus rore.* Annecte modò hæc omnia, Gedeonisque dictum sic accipe, veluti Christus in eo figuratus diceret: si vellus hoc (Maria scilicet) gratiæ rore, hoc est primâ conceptionis gratiâ, fuerit imbutum, quamvis totus orbis siccitatem experiatur omnino destitutus, illud prodigium fat erit ut me Salvatorem appellari velim: quasi solius Virginis prima puritas moverit Verbum ut ad terras descenderet. Fruare pietate sancti Iosephi. *Filius,* ait, *æque increatus, ut Pater, in te sola reperit causam cur similem nobis naturam induceret: te enim reperit solam puritate super omnes creaturas fulgentem.*

S. Ioseph. in Mæneis Græcorum die 17. martij.

43. *Omnia turbasse videretur, si matrem à lege communi non eximeret?* Econtratiò si genitricem incarnata Sapientia non eximeret à paradisi lapsu, nomen illud, quod est super omne nomen, hominum judicio expositum periclitaretur valdè. Nam Virginis infortunium istud, si accideret, ita foret à cunctis deplorandum ut videretur hæc Dei severitas terram penitus perturbasse.

Rem exemplo manifestam reddo. Saule regnante prævaluit contra Philisthæos Dei populus: pervenit usquam ad Bethaven pugna fœliciter. Cupiens autem rex occasionis crinem semel apprehensum non tam citò dimittere, victoriam prosequi volens adjuravit suos dicens: *maledictus vir qui comederit*

1. Reg. 14. 24. *panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis.* Latuit hoc Jonatham regis filium, ideoque de mellis favo gustavit paululum. Principum facta quilibet è populo nõ præterit: non defuit qui Ionathæ adjurationem patris indicaret. Respondit ille tunc: *turbavit pater meus terram*: exponit Chry-

Ibi n. 29. Chrysost. tom. 5. hom. 14. ad pop. sostomus: *perdidit, corrupit omnes.* Et quare sic parentis calumniatur zelum? jureiurando populum adstringens quid aliud voluit Saül nisi totius Israelis gloriam victricem accumulare? In hoc turbavit, perdidit, corrupit omnes? Haud leviter locutus est Princeps prudentiâ satis exornatus, ac si diceret: tulit pater meus hanc legem cuius transgressor capite damnabitur: nec me, qui filius ejus sum excepit? victoriam pessundedit, militem exarmavit, hostibus lætitiæ causas obtulit, turbavit regnum, perdidit, corripit cunctos.

Applicuisse restat B. Virgini, nec difficile. Lege lata Deus præcepit ut si Adamus è vetito ligno comederet, ejus posteri sine gratia conciperentur. Futura erat B. Virgo, de qua dixit S. Laurentius Iustin. *Angeli in*

D. Laurent. Inst. serm. de Purifi. ante med. *Dominam, & æternus Pater in filiam*: si non illam eximetet, fortassis non deesset, qui assereret Deum cuncta per huiusmodi severitatem corrupisse, victoriamque suam à diabolo partam, per sanctissimæ Reginæ casum dehonestasse: *non enim decebat* (ait Sanct. Thom. de Villano.) *Sanctuarium Dei,*

S. Tho. de Villa nova ser. 3. de Nati. Virg. *domum sapientiæ, reliquarium Spiritus, urnam mannæ cœlestis, aliquam in se labem habere, propter quod antequam anima illa sanctissima infunderetur, plenè fuit caro illa mundata ab omni fœce, & labe: & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati.* Cernis qualiter conduxerit Marianæ conceptionis candor, ut Redemptoris nomen clarescceret? Exultet ergo de primævæ maculæ triumpho Maria. *Filius sapiens lætificat patrem*: Filius sapientia sic exhilaravit gloriosé genitricem.

DELIBATIO VII.

Sapientia Patris lætificavit Matrem dum ab ea carnem assumpsit.

44. *Maria ne Deitati similis?*

REcolamus illud Bernardi, quod à Salomonis axiomate ad genitricem plusquam Salomonis calamum divertere suasit. *Si*, inquit, *iuxta Salomonem: filius sapiens* S. Bern. hom. 4. sup. Missus. *gloria est Patris: quantò magis glorioſum est matrem ipsius effici Sapientiæ?* Qualisnam fuerit exultatio Mariæ purissimæ cum se Dei matrem novit electam, accipe ex Ruperto. Rup. l. 1. in Cant. initio: *O Beata*, inquit, *Maria, inundatio gaudii, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit, totāque obtinuit, penitusque inebriavit, & sensisti quod oculus non vidit & auris non audivit, & in cor hominis nō ascendit, & dixisti: Osculetur me osculo oris sui. Dixisti enim ad Angelum, Ecce ancilla Domini*, &c. Magna quidem tunc erat & ineffabilis causa gaudendi: Quam ut lentius trutinem præmitto quod divinæ maternitatis gloriam tria commendant: Scilicet, cum Verbo similitudo: (Filius etenim parentum imago est) ab eodem præstita obedientia Matri: nec non & peculiarissima divinarum Personarum sollicitudo ut Mariam quatenus Verbi matrem honorarent. Tria proposui: venio ad singula. Primum illustrat D. Bernardinus Senensis. D. Bernardin. tom. 1. ser. 61. c. 12. *Sed quod fœmina*, inquit, *conciperet, & pareret Deum, est, & fuit miraculum miraculorum. Oportuit enim (ut sic dicam) fœminam elevari ad quandam æqualitatem divinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum, &c.*

Ea nectitur inter Deum, Deique Matrem similitudo, ut in natura similes videantur, juxta doctrinam Aristotelis, quo magistro novimus omnes filiationem esse processionem viventis à vivente in similitudinem naturæ. Si veluti pluviam quæ descendit in vellus Dei Filium contempleris, nubem compellare solemus Mariam: Flos est Deiparæ quæ fructum protulit Deum. Sicut autem ejusdem generis flos fructusque sunt: sic nubes & pluvia, juxta philosophos, specie non dissident. Ne tamen naturalibus exemplis comprehendere velimus quod naturam exuperat, pergamus ad sacra.

Post Josephi mortem quidquid illi debuerat Ægyptus oblivio sepelivit. Crudeliter ejus, fratrumque, posteros opprimebant Ægyptii, ita ut eos ad amaritudinem perducerent. Illorum gemitus clementer miseratus Dominus descendit ut liberet eos, Moysique ignito rubo, velut fulgido solio conspicuus adest. Exo. 3. 2. & 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non comburetur. Dixit ergo Moyses: vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Adscitus Moyses Deum alloquitur, non tamen ab eo quæsivit cur non cōbureretur rubus. Tam citò quievit ardor prodigium examinandi, quo permotus dixerat priùs: *vadam, & videbo visionem, &c.* Exquirat causam portenti. Supervacaneum judicavit, re melius considerata, inquirere cur ignis non combureret vepres. Quid referebat spinosus ille frutex? Mariam. Quid ignis? Divinitatem. Sic Epiphanius videtur sentire, dum ait: *Ave sanctissima Virgo quæ velut rubus* S. Epiph. de Laud. Virg. *intellectualis absque combustione Divinitatis ignem tenes.* Valet ne quidquam agere in sibi simile? Abnuit philosophia. Ne quæras cur dumum flamma non consumpserit: & forsan idcirco Moyses hoc mirabile non discussit: frustrà namque rogaret quare Divinitatis igne Maria quæ Deitati (quoad puræ creaturæ conditio patitur) similis est, non absumeretur. Nihil agit in consimile sibi.

45. *Videtur ne Maria identitatem cum Deo quasi vendicare?*

Plus audet hyperbole: jam non dicam Mariam jure maternitatis Deo similem; sed quasi videri quodammodo identitatem cum Deo sortiri. Fœtus & mater computantur, ut unum: *Partus enim antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum*, ait Jurisconsultus. Notum est illud Petri Damia. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, *cum qua unius naturæ habet identitatem.* Eximius amor unione minimè contentus, ad unitatem usque jungit amantes. Et ne solius illud esset amoris opus, è purissimis Mariæ sanguinibus partem vendicavit Dei Filius, quam sibi conjunctam hypostaticè in æternum mansuram servavit uti charissimum dilectionis pignus. Hinc fit ut arctissimè Filius & mater similitudine, quæ identitatem redolet, connectantur: ita ut quod eloquimur Deo, Mariæ dictum videri possit.

Ulpianus in leg. tempotibus 1. ff. de inspiciendo ventre.

S. Petr. Dam. ser. 2. de Nat. Virg.

Vide cir. infrà n. 50. Suarium.

Inter præclariores Dei genitricis umbras legalis arca locum obtinet. *Arcam autem quid nisi sanctam Mariam dixerimus?* ait sanctus Ambrosius. Pergebant Israëlitæ cœptum prosequentes iter ad repromissionis fœliciſſimam quietem, & arca Dei præcedebat eos. Narrat sacer textus quòd cum vellet Moyses sacerdotes arcam sustollere, quò Hæbræi progrederentur, Deo dicebat ut surgeret, ac similiter cum è sacerdotum demitteretur humeris, Domino loquebatur ut descenderet. *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Cum autem deponeretur aiebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israël.* Deus omni loco perenniter consistit immotus: ac proinde nec surgit, nec revertitur qui replet omnia, nihil à seipso excludens. Arcam jubeat surgere Moyses & reverti; Deum verò non ista decere videntur. Sed quid refert Deum alloquatur, an arcam, si hæc Mariæ symbolum erat? Aliqua hic interfulgebat Incarnationis umbra. *Arca fœderis Domini* (ait Rabanus) *præcedit filios Israël per tres dies providens loca castrorum, quia incarnatio Domini electis ab initio mundi iter præsentis vitæ dirigit.* Hoc suspicor non ignorasse Dei amicum Moysem. Unde quasi Maria Deusque forent penitus idem, quod arcæ congruere videbatur, Deum affatus pronuntiat: *Surge Domine.... Revertere Domine.* Non umbræ, sed lucis in eâ primitus adumbratæ, animatæ, inquam, arcæ Dei viventis, excellentia supereminens hæc est: quòd scilicet identitatem cum Deo jure maternitatis assecutam esse diceres, nisi fides intellectum

S. Ambro. tom. 5. ser. 25. Confess. non Ponti.

Num. 10. 35. 36.

Raban. apud glos.

tellectum errori vitando præmuniret.

46. *Mirabilius ne Christum obedire matri, an emori?* Luc. 2. 51.

Secunda, seu potius nulli secunda inter divinæ maternitatis glorias est, Deum è cujus nutu cuncta pendent, quique omnia potenti moderatur imperio, subditum sibi habuisse dum commoraretur in terris: *& erat subditus illis.* Stupeat humana ratio, Angelus obstupescat, dum pacis Principem creaturæ intuetur obsequentem. *O primus & novissimus* (exclamat divus Antonius Paduanus) *ô Angelorum prælatus & hominibus subditus. Cœli creator subditur fabro. Deus æternæ gloriæ subditur Virgini pauperculæ. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?* Admirabilius hoc existimo quàm Deum cruci affixum emori. Moriendo quippe concessit odio eorum qui ejus Divinitatem ignorabant; obediens verò cessit Matri quæ Deum agnoscebat. Vulneribus exhaustus majestatem demisit non adeo profundè, cùm illam impetierint Judæi contectis oculis obstinationis velo, & sit minus mirabile regem ignotum indecenter tractari. At verò, cùm sciens & prudens Virgo Filii magnitudini, quam probè noscebat, & suppliciter venerabatur, imponebat præcepta, ille jussa Matris exequens notam submittebat celsitudinem ei, quam illo minorem dicere cogit fides. Admirabile dictu factum super ipsam vitæ pendentis in cruce mortem.

S. Anton. Olyss. Dom. 1. post Epiph. fin.

Luc. sup. *Et erat subditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba hæc in corde suo.* Verbis hic res significari non dubito: *Verba hæc scilicet verba & facta Filii sui,* ait Dionysius Carthu. hîc. Et textus Hæbraicus vertit: *Conservabat has omnes res:* quod ad immediatè præcedentia referri patet, ut hîc Cardinalis Toletus notat. Ventum denique ad horam quam arripuit sibi tenebrarum potestas nullo jure, cum illa esset hora ejus ut transiret ex hoc mundo ad Patrem. Audit Maria dicentem: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Videt in his verbis animam emisisse. *Et hæc dicens expiravit.* Nec tamen legimus B. Virginem aspicientem quod vivendi finem posuerit Æternus, quòd Solem divinum texerit mortis umbra, quòd in manus Paternas tradiderit spiritum, asservaverit verba hæc in corde suo, vel saltem eximium illud amoris opus ejus, qui ut mortem vinceret, huic se tradidit, posuerit in præcordiis. Fortè mirabilius fuit quod subditus erat creaturæ Altissimus (*& erat subditus illis*) quàm quòd affixus ligno vivendi usum reliquerit immortalis. Tu verò monitorem audi Bernardum dicentem: *Elige quid amplius mireris: sive filii benignissimam dignationem: sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor: utrinque miraculum. Et quod Deus fœminæ obtemperet: humilitas absque exemplo: & quod Deo fœmina imperetur: Sublimitas sine socio.*

Byon. Carth. ibi.

Lectio Heb.

Toletus ibi.

Luc. 23. 46.

S. Bernar. ser. 1. sup. Missus.

47. *Ut festinaret Iesus ad jussa B. Mariæ ea peragenda, distulit obedire Patri?*

Hunc suæ ad Mariam dilectionis apicem (scilicet obedientiam quam exhibebat ei) Christus Dominus plurimi faciebat: & ita ut si Patris præcepto alicui non valeret simul & Matri obtemperare, differret (citra culpam) obsequium à Patre jussum, mallens Genitricis exequi mandata sine mora. Multùm interest obligatio transmutetur in voluntarium, an spontaneum vertatur in mandatum. Si quod præstare debueras, amplecteris libenter, non desinet onus illud appellari, licet electione allevietur. Econtrariò si sponte offers te ipsum ad id cujus antea debitor non eras, multò suavius remanet quod tu deliberas: cum enim ex optione propria propositum animi sumpserit initia, dilectius hoc est. Unigenitus Dei voluit, quin ad id ulla posset urgeri lege, sanctissimæ parentis filius per assumptionem carnis fieri. En ab electione propria res incepit. Illa posita, subditur postea Mariæ, tanquam veræ matri, obedientiamque sic exequebatur ultrò, quod aliquando Patris negotium sibi commendatum distulerit, ut festinaret ad Sanctissimæ Genitricis imperia capienda.

Duodennis erat Jesus cum socium itineris B. Virgini, sanctoque Josepho se præbuit euntibus in Jerusalem secundum consuetudinem diei festi. Redeuntibus eis puer Jesus remansit, & per triduum oculi Mariæ lumen oculorum amisere. Tandem inventum in templo genitrix compellat hisce verbis: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Repositit Servator: *quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Sed statim cœpta reliquit, *& descendit cum eis, & venit Nazareth:* Quid agis doctorum magister? Matrem deseris antehàc ut ea quæ Patris sunt perageres; & nunc mutata vice Paterna negotia linquis ut matrem comiteris? Vel prius eligibilius erat, vel postremum: Si posterius ne genitricem dolore discruciari sinas; si prius, ne doctoris munus à Patre commissum præferas matris obsequio. Sapientia Christus est: nullibi exerravit à recto. Nisi matrem destituere, occasionem præcideret dilectionis erga illam comprobandæ: nemo enim judicaret quàm altè divino cordi ejus obedientiæ insideret amor. Mariam dereliquit, cœpit tractare solerter quæ Patris erant. Vidit attamen Genitricis de absentia dilecti cruciatus. In templo remanens ab obsequia Genitoris non cessaret; sed Matris desiderio deesset. In Nazareth civitatem venire simulque inter doctores docens perseverare, posset equidem, at noluit, ne nimis loci repleret in terris ille, qui parvulus natus est nobis. Quid igitur eligendum erat? suasit amor. Protelavit rem à Patre sibi commissam, ut sub obedientia Matris degeret: *& descendit cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Redeat piissimum Olyssæ urbis germen Antonius. *Et bonus Jesus, ait ille, ad interrogationem piæ matris dicentis: fili quid fecisti nobis sic? Usque ad triginta annos negotium distulit quod inceperat duodennis: & de templo in quo in medio doctorum sedebat, descendit. Sequitur: & venit Nazareth. Hoc est quod dicit Sponsa Cant. 6. dilectus meus descendit,* &c. Exultet igitur Maria gaudia matris habens cum virginitatis honore, quæ Deum habuit non solum obsequentem sibi, sed obedientiæ maternæ studiosum amatorem, & Beda proclamet ad præcitatum locum: *Quantum pietatis simul in Domino, & humilitatis exemplum.*

Luc. 2. 48. 49.

S. Anton. ser. 1. de Epiph.

Beda in c. 2. Luc. l. 1. c. 8.

Tertium

48. *Si posset inter Verbum & Spiritum S. dari dissidium, contenderent uter futurus esset Virginis filius.*

Tertium puriſſimæ Virginis ex incarnatione decus, quod ipſa lætabundo celebrat cordis plauſu, eſt quòd hujus occaſione miſterij patuit quàm flagranter à divino Spiritu Maria diligatur. Amoris illuſtre facinus erat per corporis aſſumptionem jacturam generis noſtri miſerrimè lapſi reficere. Cumque dilectionis opera Spiritui S. ſoleant attribui, videbantur illi perſonæ, quæ amor eſt, incarnatio & redemptio incumbere; præſertim quia Mariæ utpotè Sponſæ honores divinum Flamen, qui Sponſus ejus eſt, peculiariter attingebant. Tertiæ Trinitatis perſonæ aliqualia incarnandi vota conjicio ex eo quòd quamvis in Virgine à puriſſimo Conceptionis ejus puncto dilectiſſimum ſibi templum incoluerit, in die tamen incarnationis deſcendit ſpecialiter ad illam: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Ad quid? ut hypoſthaticæ Deo copularet carnem? Igitur ad uterum Mariæ, qui filij proprius locus eſt, venit Spiritus ſanctus, ut filiationis hujus oſtenderet ſe cupidum. Hæc deſideria fortaſſis auguratur Ephiphanius, dum loquens de Virgine Maria dixit: *quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus ſanctus percupivit.* Percupivit Mariam? Quo titulo donandam? Filia erat jampridem per adoptionis gratiam: Sponſam jam diu duxerat, & cuſtodiebat amantiſſimè. Ad quid ergo concupivit Spiritus ſanctus Mariam, niſi ut eam haberet matrem?

Luc. 1. 35.

S. Epiph. de laudibus Virg.

Si poſſet inter Verbum & Spiritum ſanctum æmulatio reperiri, de hoc ſpontè contenderent, uter futurus eſſet Mariâ genitus. Deſcendit Vnicus Patris ut pretioſo ſibi nomine Mariæ ſanctiſſimæ Filij potiretur? Plus deſcenderet Spiritus divinus lubenter, ſi deſcenſu lucraretur dici Virginis gnatus, ejuſque ſimilitudinem aſſequeretur ejuſdem naturæ cum ea factus particeps. Ad baptiſma Ioannis Auctor ſacratioris lavacri venit, ne propriæ demiſſioni deeſſet gradus iſte, ſcilicet inter peccatores tanquam unus è turbis baptizari: aſcendente Domino è Jordanis fluctibus diſrumpûtur cæli, & in columbæ ſpecie Spiritus ſanctus innocentiam ejus teſtaturus devolavit. *Et ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.* Qua ratione ductus non potius hominis quàm columbæ veram induit figuram Spiritus ſanctus hoc loco? Quia cum ex virtutibus, quæ in divinitate locum non habebant una ſit humilitas, in hac Redemptorem (ut videtur humano more loquentibus) deſiderabat ſuperare. Filius æterni Patris non eſt dedignatus apparere peccator cùm baptiſmum quæſivit Præcurſoris: Spiritus ſanctus verò ad irrationalem formam deſcendens inclinata majeſtate ſe depreſſit quodammodò. Auſculta quid ſanctus Anſelmus notaverit. *Dicitur autem Spiritus & aliter deſcendiſſe, quia ſe humiliavit, cum per tam humilem ſpeciem præſentiam ſuam manifeſtavit.* Vt divini Spiritus mentem in hac demiſſione inveſtigemus, præmittendum eſt Iordanem fluvium Virginem B. præſignificaſſe. *Ad intelligibilem Iordanem, id eſt Virginem Mariam, ſancti Spiritus gurgite plenam, duce Ieſu Chriſto ven-*

Matth. 3. 16.

D. Anſel. to. 1. enarrat. in 3. Matth.

Beda ad c. 1. Matth.

tum eſt. Conſequenter utramque perſonam ad Jordanis alveum veniſſe, quid eſt niſi ad Mariæ alvum incarnationis tempore properare? meditabar itaque ſic. Tertiam Triados perſonam non latebat, forſan aliquod ex humanis ingeniis erga res divinas temerariè ſciolum, cum videret Filium Dei nulli parcentem abjectioni ad hoc ut Mariæ natus dici poſſet; ſuſpicaturum quòd Spiritus ſanctus ideo non ſumpſerit carnem, quia cùm ſit ignis renuit deſcendere. Vt patefiat Spiritum ſanctum non rejicere, ſed amare humilitatem, hujuſque deſiderium jungere cum filiationis Mariæ votis, ſine macula ſpeculum in Iordane delineatum adit, inſidens columbæ. Columba eſt Maria, quo titulo inſignitur in Canticis: naturæ ſimilitudinem cum Maria per incarnationem avens divinus Spiritus in columba volans approperat, quo pateſcat ſimilitudinem naturæ cum Maria (quæ per generationem habetur) concupiviſſe: nec ideo deſiiſiſſe Filium Virginis eſſe ne abjiceret majeſtatem: ad infima en ſe demittebat volans in alite. Ac proinde incarnationis tempore deſcendit ad uterum Virginis, amorem erga eam probans. Vnde ſanctus Antoninus ait: *Spiritus ſanctus tecum: benevolentiam ſummam exhibens. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te. Lucæ 1. excitans dilectionem tuam in maiorem fervorem.*

S. Antonin. part. 4. tit. 15. c. 21. §. 2

49. *Amor qui non ex legis præſcripto, ſed ultro exhibetur, ardentior eſt.*

Quæres, cur ergo ceſſit Verbo deſideratam hujus filiationis gloriam? ne illius amor erga Mariam debitus eſſet lege charitatis. Filij tenentur diligere parentes: & ſic de Chriſti Domini, quatenus homo eſt, amore poteſt aſſeverari. Spiritus ſancti dilectio, ſi à Virgine progigneretur ille, ſimili debito ſubjaceret. Hoc minimè pateretur divini Flaminis in Virginem ſingulariſſima charitas: nam qui dilectionem debens perſolvit eam, nonnihil emptionis in amando admittere videtur, & quævis leviſſima contractus umbra deformat aliquantulùm pulcherrimum amoris aurum. Inſuper ex D. Thoma, *lex eſt regula & menſura actuum agendorum vel omittendorum.* Deus autem in amando menſuram excedit, regulæque moderamen, ex illo alterius Thomæ: *In omnibus alioquin moderatus & menſuratus, in ſolo amore fuiſti nimius.* Legem videtur amor fere dedignari juxta illud ejuſdem Præſulis Valentini: *Omnia vincit amor, nulla lege regitur, nullis præceptis coërcetur &c.*

D. Tho. 1. 2. q. 90. art. 2.

S. Thom. à Villa. ſer. de tranſig.

Idem ſer. de Magd.

Quò plus libertatis jure fruentem dederis amantem, eò celſiorem dicam cordis ejus flammam. Blando Servator ſub mortalis vitæ fines Apoſtolorum cœtum ſermone ſolabatur, ut minoti dolerent anxietate de magiſtri digreſſu. Inter alia dilectos aſſeruit illos ab æterno Patre. *ipſe enim Pater amat vos quia vos me amaſtis.* Vbi Cyrillus Alex. inquit: *Patremque facillimè daturum pollicetur, non ſolum meditatione ſui, ſed ultro ad hoc præparatum quaſi debitum redderet iis qui Chriſtum peramant.* Bone Deus? nonne tu es illa Sapientia quæ diligit ſui dilectores? Diſcipulorum amor, quo teipſum proſequuntur, tuo perſolvendus eſt amore, quem Patri offerunt illi remunerabit Pater: quem verò tu Domine reddere teneris, vis pendere paternis

Ioan. 16. 27. S. Cyrill. Alex. l. 11. c. 9.

expen

expensis? *Pater amat vos quia vos me amastis.* Imò sic longiùs ultra condignum affectum discipulorum solvere parabat, nam Patris dilectionem præferebat suæ. Non adeo magni æstimabat Christus propriam in Apostolos effusam charitatem, quàm Paternam in eosdem: Pater quippe nulla prorsus ligabatur lege ad Apostolos redamandos, utpote qui omnium omnino legum Dominus superiorem non agnoscit. Redemptor verò prout homo debuerat ex gratitudinis lege naturali rependere affectionem illam, qua erga ipsum exardebant Apostoli. Amor qui lege obstringitur sæpe minori habetur in pretio. Noluit ergo amorem hunc (scilicet suum) hîc repromittere, quo discipulis gratum exhiberet animum. Paternam designat affectionem in præmium, ista namque cum non subdatur legi, ex ardentiori pervolat igne. Amat genitricem Verbum Dei: necnon & Spiritus sanctus. Attamen hic quasi cum Verbo rivalis æmulari, posset quisnam impensiùs eam adamaret, noluit incarnari, ut expeditiùs ignem dilectionis ostenderet à lege solutum: veluti vincere cupiens incarnatum Verbum, cui quatenus homo est incumbit ex legis naturalis præcepto diligere parentem sanctissimam.

§9. *An vicit Redemptorem Divinus Spiritus in Deipara diligenda?*

Non hîc sistit gradum divini Spiritus ad Mariam singularis amor. Voluit aliter ut ingentis illius dilectionis flamma omnibus emicaret altiùs, præ nostri Redemptoris ad Matrem dulcissima cordis propensione. Incarnationis die, post Angelici paranimphi legationem, præstitumque suppliciter cœlorum Reginæ assensum Deo gratissimum, & mortalibus peroptatum: irroraverunt cœli, & in castissima Deiparæ viscera descendit Patris Verbum. Peracto denique Redemptionis opere Christus Dominus in cœlos remeat quos non deseruerat: sedensque ad Patris dexteram Divinum in terras mittit Pneuma quod sanè tunc præcipuè Virginem quæsivit: Nam cum Apostolis die Pentecostes aderat illa; prout colligitur ex Luca, qui postquam dixerat: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu*, addidit capite seq. *& cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes.* Adverbium illud, *pariter* non tantum accipi potest pro *simul*, sed etiam pro *similiter*: ac si diceret: erant eo modo quo prædixi antecedenti capite, scilicet Apostoli cum Dei Genitrice &c. Favent Ecclesiasticæ picturæ (in quibus minor est pictoribus audendi potestas) ubi Spiritum sanctum super Apostolos & B. Virginem linguis igneis descendentem aspicimus. His positis, dubitabam quo motivo ductus expectaverit Spiritus sanctus ascensum Redemptoris ad Patrem, ut è cœlis ad Virginem, & Apostolorum sacrum adventaret collegium. Moras trahit post absentiam Magistri per dierum spatia? Non oportuit citiùs descendere, quia minimè reversurus advenit. In hoc ferè judicabis victum Redemptorem, qui non est

Act. 1. 14. & c. 2. 1. 2.

veritus matrem præsentiâ suâ deserere, cum posset illam in Empyreum secum deferre, qui duxit alios minùs dilectos ad cœlestem regiam. Spiritus sanctus in die Pentecostes Mariam requirit, sed illam rursus non dereliquit, fortassis ut ampliùs in illam ejus amor clarescceret, quasi cum Unigenito Patris de Mariæ affectu tertia Trinitatis Persona contenderet. *Dei quidem Filius* (notavit S. Athanasius) *& Deus post impletam totam dispensationem tandem assumptus est. Spiritus verò Sanctus super Apostolos veniens, & super omnem carnem effusus: non est rursus assumptus.* Ne me audente damnes, non dicam Spiritum sanctum perfectiùs dilexisse Mariam quàm ejus Deique Genitus: licèt videamus Redemptorem abjisse relicta Matre; Spiritum verò sanctum sponsam nequaquam dereliquisse. Asseram tamen idcirco ascendisse, Genitrice destituta, Filium, quia secum Mariæ particulam deferebat unitam Verbo: nec etenim pars illa per nutritionem periit, ut credi posse autumavit Suarius. Divinus Spiritus cum desideria corporis ex B. Virgine sumendi non expleverit, ab ejus intimâ præsentiâ non abscedens, vota illa Mariæ in matrem accipiendæ morabatur. Exultat amantium quisque si novit se redamari. Pensita quàm hilari pectore hasce divini Spiritus flammas exceperit Virgo, quæ occasione incarnationis Verbi sic se ab Spiritu sancto diligi cernebat. *Filius sapiens lætificat patrem:* Sed multò plus Mater Filij, qui Sapientia est, gaudere poterat, quæ tales divini amoris erga se delicias experta fuit: *qui enim venerat triste lætificare sæculum, ventris non constristavit hospitium*, inquit S. Fulgentius. Quia verò non solum Sapientia Patris exuberare fecit lætitiâ Virginem; sed etiam verbum de tam dilecta Matre superabundè collætatur, de hoc nonnihil sub titulo sequenti dicere licebit.

S. Athan. q. 49.

Suar. to. 2. in 3. p. q. 27. art. 2. disp. 2. sect. 2. §. Primò igitur.

S. Fulgent. opusc. de laud. Mariæ.

DELIBATIO VIII.

Filius Sapiens, seu Sapientia Patris magnoperè quod Matrem elegerit Mariam exultat.

§1. *Deus Mariam sibi Matrem sorte contigisse putat?*

PRævidens olim Salomon felix illud, quamvis non aureum, sæculum, quo Deus Adæ posteros à culparum durissima servitute redempturus, humanitatis regimine in Virginis intemeratæ viscеribus induendus erat, non solùm coronam à Matre tunc accepisse pronuntiavit, sed ipsum, quo tantum mysterium peregit omnia potens, diem lætitiæ cordis ejus vocat. *Egredimini & videte filiæ Son regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius, & in die latitiæ cordis eius.* Lætitiæ divini Salomonis dies antonomastice dicitur, non Thaboris fulgor, non Jerosolimitanus triumphus, nec redivivi, cœlumve conscendentis, victoria; sed lux illa quæ primò vidit corporatum in sacratissima Virginis alvo Dei Verbum. Ductum

Cant. 3. 11.

ſequor Ambroſij ad hunc locum. *Beatus*, ait, *eſt Mariæ uterus, qui tantum Dominum coronavit quando formavit, coronavit eum quando generavit.* Lætitiæ igitur Domini dies hic eſt, in quo matris officia Verbo perjucunda primùm exercuit Maria.

S. Ambr. l. de inſti. Virg. c. 16. tom. 4.

Ita gratum Dei Filio eſt B. Virginis vocari genitum, ut quamvis illam ſelegerit in genitricem, tamen reputet hoc veluti ſortem non electione obtentam, ſed fortunæ beneficio. Expenſione peculiari puto dignum valdè ſtylum, quo Dominus in Canticis ore Salomonico non ſemel matrem puriſſimam nominat ſororem: *Veni in hortum meum ſoror mea Sponſa*, & iterum infrà: *Aperi mihi ſoror mea*, ubi doctus Mariana Scholiat. *amoris nomen eſt ſoror.* Et omittit commentator nomen *Sponſæ*, quaſi præ iſto nomen Sororis amatorium ſit. Concinit Beda. *Rectè*, inquit, *talem animam Dominus ſororem ſibi ac Sponſam eſſe teſtatur. Quia nimirum ſua eam dilectione ac conjunctione digniſſimam judicat.* Quaſi dicat: dignam judicat poſtquam eam accepit. Ut arctiſſimam utriuſque cordis, ſcilicet Mariani, & ejus Unigeniti conjunctionem apertè demonſtret, non ſatis eam ſponſam nominare, quæ mater eſt? Quid myſterij latet in ſororis agnomine claro? Attende. Sponſas eligere ſolent amatores: Sororem verò deligit nemo: ſors cuique dat fratres, non arbitrium. Ut electæ à ſe Virginis Filius demonſtraret quanto abundet gaudio ex amabiliſſima filiatione, Mariam ſimul ſponſam vocavit & ſororem, quaſi dicens: matrem velut ſponſam delegi quidem: illius tamen amore ſic rapitur animus, ut eam, tanquam non libito meo, ſed caſu fortunato fœliciter obtigerit, maximi faciam, ideoque ſororis loco habeam: *Aperi mihi ſoror mea.*

Cant. 1. & 2.

Mariana in ſchol. hîc.

Beda in 4. Cant. n. 10. l. 4.

52. *Maria ne Deo dici poteſt omne?*

Ultra omnes exaggerationis fines vehemens in Unigeniti pectore fervens amoris vis anteferre ſuaſit Mariæ filiationem cæteris donis quibus hæres univerſorum Chriſtus à Patre condecoratus eſt. Omnia dedit ei Pater, ſed unum ipſi eſt inſtar omnium. Quid? Maria, cui ſicut Deus eſt omnia: ſic illa dici Deo poteſt omne. *Inventa Virgine Maria invenitur omne bonum*, dixit ſapiens Idiota. Parum eſt ſi Deo Mariam dicas eſſe coronam, delicias, cor, oculorum lumen &c. Ut nihil excludas, dic illam Deo velut omnia. Ipſa, licet humillima, de ſe tamen loquens hoc ſtylo uſa eſt: *Dilectus meus mihi & ego illi qui paſcitur inter lilia.* Conciſa nimis alicui videbitur oratio hæc: dilectus tuus tibi ô Domina? Dicito quid tibi eſt. Quid niſi omne Deus erit amanti ſingulariſſimæ? Viciſſim illa dilecto quid erat non expreſſit: nam ut vicem rependeret, Maria Deo rerum cunctarum inſtar fuit. Utere Ruperto ad hunc locum. *Quomodo enim ille mihi & ego illi, niſi ſicut per Prophetam dictum eſt, Ecce Virgo concipiet, &c. ita enim ille mihi, & ego illi, nec opus eſt dicere verbis, quia mente melius poteſt percipi, imò nec verbis exprimi, nec mente poteſt comprehendi ſive æſtimari, quale vel quantum hoc ſit.* Calamus ergo noſter ſiſtat ad ineffabile ſecretum.

Idiota in prolo. ad contempl. de Virg.

Cant. 2. 16.

Ruper. in 2. Cant. l. 2.

53. *Maria filia*

Unum erat bonum quod à cæterorum numero fatebitur excludendum quiſque, dum Matris cum omnibus Verbi poſſeſſionibus conjunctim ſumptis collatio fit: ſcilicet Dei Patris filiatio. Hoc quod dedit illi Pater majus omnibus eſt. Verum enim verò, ſi perpendamus quàm pectore toto charam habeat ſanctiſſimam Virginem Deus homo factus, fortaſſis apparebit rationis oculis Chriſtum pluris feciſſe Mariæ filium haberi quàm æterni Parentis. An ideo quia Genitricem Verbo dedit electio propria, Patrem verò natura? Amadeum lego dicentem: *Non enim fortuitò concepit ut cæteræ mulieres, ſed Vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate matris viſceribus influxit.* Sed tu rationem quæris ab eo de quo triumphat amor? *Amor ignorat judicium, ratione caret*, ait Chryſologus. A ſaucio petis cur ipſius hæreant in corde ſagittæ. Nihil ſciſciteris. Audi quomodo Redemptor ſe geſſetit, ut agnoſcas quantum ſibi de Mariæ filiatione gratuletur.

tionem præfert ne Verbum divinæ?

Amadeus hom. 5. de laud. Virg.

Chryſol. ſer. 147.

Dum ſermonem Dominus haberet ad Judæos dixerat: *quia deſcendi de cœlo*, nec illi præ cordis duritia capiebant qua ratione potuerit è cœlis adveniſſe is cujus parentes, ut putabant, optimè noverant in terris: exiſtimabant enim D. Joſephum ejus verè genitorem, qui nutritium egerat: *Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de cœlo deſcendi?* Ad hæc eis Veritas ait: *nolite murmurare, &c.* mehercle novum non eſt quòd homo quæ ignoret, blaſphemet. Ignorantia ex qua non intelligebant illa Chriſti verba, culpabilis, fateor, fuit: Sed aliqualem adhuc excuſationem prætendere poſſent: nec enim adeo pervium erat humano intellectui quomodo è cœlorum faſtigio potuerit abſque ope viri deſcendere ad viſcera Matris. Myſterium explicet divinus Magiſter eiſque reſpondeat ſe à Joſepho minimè genitum. Conveniens non erat porcis margaritas projicere ſi Joſephum denegaret ſibi genitorem, dubitarent illi foret ne Maria Domini mater: quippe cum ipſum è Virgine natum eis nullatenus in mentem aſcenderet, ſtatim atque Dominus diceret: à Joſepho progenitus non ſum, putarent aliâ ſortiri matrem, eumque renuerent Mariæ filium confiteri. *Non enim*, ait Chryſoſtomus, *reſpondit eis, non ſum filius Ioſeph, quia non poterant illum mirabilem partum audire.* Chriſtum aſſerentes Judæi filium Joſephi, abnuebant Deo genitum. Sed cum ei, qui detractionum telis patet, ordinariè loquendo proximum ſit remedium ex duplici linguæ ictu illum eligere permittendum quod minus doleat, elegit potius permittere quòd filium ſe Dei neſcirent, quam quòd ex Maria genitum abnegarent, veluti dicens: ſi me ab æterno Parente progenitum iſtis aperuerim, & recuſavero Joſephum parentem vocari meum: Conſequenter Mariam genitricem eſſe meam negabunt ipſi, quibus eam non ex Joſepho peperiſſe res eſt penitus abſcondita. Scio quid agam. Silebo filiationem divinam qua nobilitor, ne contingat me apud hominum judicia privari tam dilecta Matre. Virginem habuiſſe parentem honor mihi eximius eſt, quo lætabundus jubilo.

Joann. 6. 38.

Ibi n. 42. & 43.

Chryſoſt. apud cate. D. Thom. in c. 6. Ioa.

bilo. Non mireris quòd æstimationem filiationis æternæ componere ausim cum ea quam Servator de temporali generatione habuit: cùm scias illam sine hac ut plurimum hominibus latuisse; per hanc verò coram orbe toto radiasse. *Fuit quidem ante sæcula Filius Altissimi Verbum, sed non vocabatur neque cognoscebatur: postquam autem incarnatum est, & apparuit in carne; tunc & vocatus est filius Altissimi, qui apparebat & miracula faciebat:* Hæc Theophilactus.

Theophylac. in 1. Luc.

54. *Si possibile foret, inqueret Unigenitus Æternum Parentem, ut ad viscera Matris carnem sumpturus descenderet.*

Non multum abest ut audeam conjectare Dei Verbum, si fieri posset, ac oporteret ab æterno Parente dividi ad mortalem naturam è Virgine accipiendam, non id recusaturum. Patrem dedit natura; humanitatem autem sibi conjungere suasit amor. Cumque tantò plus apud Verbum obtinuerit dilectio quàm natura, quòd eum, qui naturaliter interminabilem possidet vitam, reddiderit mortalem, non veritus fuisset (si pateretur hoc unitas personarum in essentia) separari à Genitore, ut Mariæ viscеribus hospitaretur. *Exivi à Patre & veni in mundum*, aiebat divinus Magister ad mæstam discipulorum coronam præimminente absentiæ suæ tempestate. Commentatur Beda; *exivit à Patre quia non in ea forma qua æqualis est Patri, sed in assumpta creatura minor apparuit.* Per incarnationem exivit à Genitore summo! Quî fieri potuit? exiens locum relinquit ubi aderat; Filius autem carnem sumens non Paternum deseruit sinum: dixit enim post incarnationem Joannes: *Filius qui est in sinu Patris &c.* Insuper. Ut incarnationis opus moliretur Spiritus sanctus ad Virginem venit: *Spiritus sanctus superveniet in te:* nec tamen deseruisse dicitur Patrem: etiam hîc aderat ut mirabile opus tota simul Trinitas perficeret: nam verba Gabrielis, *& virtus Altissimi obumbrabit tibi*, de Patre sunt exponenda juxta Gregorium Thaumaturgum. *Pater* (ait ille) *omnis principii expers, cujus obumbrantem habuisti potentiam.* Spiritum sanctum non profertur exivisse à Patre, ut ad Nazareth incarnationem perfecturus festinaret? Filius Dei se à Patre prodiisse asseverat cum induturus mortalitatem delabitur è cœlo? Non idem erat utrique personæ sibi præfixus finis: ideo non eodem stylo de una & altera venientibus ad incarnationis officinam, scilicet Virginem, sermo est. Verbum adveniebat ut Mariæ filius esset; Spiritus sanctus ab illa non erat nasciturus. Unde licèt de illo minimè asseratur exivisse à Patre, ut peteret Mariæ viscera, Filius tamen ait: *exivi à Patre & veni:* ut appareat quòd, si daretur à Patre separari, & ita foret opus ad hoc ut ex Maria dilectissima conciperetur, non renueret à Patre disjungi.

Joan. 16. 28.

Beda hom. in Dom. 5. post Pascha.

Joan. 1. 18.

Luc. 1. 35.

D. Greg. Thaum. ser. 2. de Annun.

55. *Videbantur ne Deo æterni dies illi quibus differebatur incarnatio?*

Quibusnam putas desideriorum vocibus Patris Unigenitus accelerabat illum sibi præ cæteris festivum diem cùm in civitate florida lilium inter spinas concepit fructum quem carpere cunctis liceret in medelam ægritudinum, quarum radix fuit pomum illud quod homo decerpere vetabatur? Quasi rationis compos non foret, ita ferebatur Mariæ amore ad in ea sumendam humanitatē. Adstipulatur dicto S. Thomas de Villan. *Bibit quoque Omnipotens ipse, & inebriatus amore, oblitus majestatis properat ad dilectam: ac velut unicornis filius gremio Virginis capitur, carnis nexibus irretitur:* Segnes temporis moras rumpere cupiens, & ad humillimam flosculorum vallem properare citiùs, quàm cum è summo decurrunt colle flumina, ille cui anni mille tanquam hesterna dies: tempora quibus incarnatio desideratissima sibi procrastinabatur, velut æternos dies æternitatisve, computabat.

S. Thom. de Villan. ser. 1. de annunt. fine.

Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis. Sic vaticinatus Michæas prophetiæ oculis incarnationis Dominicæ tempus prospiciens. *Egressus* pluraliter legendum: Hebræa namque habent *egressiones* ejus. Duplex hæc egressio duplex Christi generatio est juxta Rupertum. *Quid enim est*, inquit, *quod & egredietur ex te, ô Bethlehem & nihilominus egressus eius ab initio à diebus æternitatis, nisi quia duæ sunt eius egressiones, id est nativitates, altera secundum carnem, qua egredietur ex te, ô Bethlehem ex semine David, altera secundum divinitatem, &c.* Illam egressionem quæ est ante sæcula, æternam esse tam certum est, quàm humanam in tempore fuisse peractam. Qua veritate Michæas igitur unum & alterum egressum æternum fuisse pronuntiat? Adde quod æternitas non mensuratur per dies. Has voces inter se pugnantes, diem scilicet & æternitatem, quo ingenio copulavit? *à diebus æternitatis.* De diebus illis erat sermo quibus incarnatio cunctabatur: & hi non temporanei, sed æterni, seu æternitatis dies, divino videbantur amori. Per sæcula itaque retardabat providentia Dei carnis assumptionem, quæ si cum ævo ab omni parte infinito conferantur, dies poterant æstimari: nam apud omnium Conditorem veluti dies unus reputantur annorum millia. Si verò cum amore Verbi ad Mariam, ac desiderio ex ipsa corpus assumendi fiat comparatio, æternitatis æmula tempora fuerunt illa. Unde concludam: eò majus est gaudium, quò ardentiùs concupiscitur. Desideriorum fervorem de incarnatione perficienda ex temporum prædicta computatione mensurabis, & sic facilé convinces exuberantem divini Verbi de Mariæ maternitate lætitiam.

Mich. 5. 2.

Lectio Heb.

Rup. 1 in Mich. c. 5.

Postiemò, ut Filij Dei ad Mariæ illibata viscera festinantis gestientem lætitiam periodum claudens amplificem, dicam sic jucundè tam expetitum præoccupasse diem, ut summa velocitas ipsi tarda videretur, & maturare cuperet adventum, quamvis apud hominum cæca judicia celeritas illa nonnihil majestatis divinæ splendorem obnubilaret.

56. *Splendorem suum paterentur ne Deus obnubilari hominum judicio ut acceleraret incarnationem?*

Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis eius: vertit Chaldæus. *Orietur vobis qui reveremini nomen meum Sol puritatis, & sanitas in alis eius.* Quamvis de judicii die locus ad literam soleat intelligi, tamen de incarnatione potest accipi. Favet antiquus illustrator biblicus Arias Montanus dicens: *Celeritas per alas describitur: ut enim in volucri ala non accidentes sunt sed naturæ partes; sic Deus*

Malach. 4. 2.

Lect. Chald

Arias Montan. in Malach.

huic soli alas addidit, partes ipsius naturæ proprias, scilicet naturam divinam & humanam quibus Christus constans mundo apparuit. Et consonat Theodoretus adducendus infra Flore 7. n.13. Quòd Sol vocetur dum adversus principem tenebrarum præliaturus Redemptor expeditionem parat, non miror : qui tenebras oppugnat lux est. Nec etiam commovit mentem quod ubi Vulgata legit *Sol justitiæ*, vertat Chaldaica *Sol puritatis* : non Servator, qui prout à Patre genitus dicitur Sol justitiæ, prout à Matre purissima natus, Sol puritatis est. Id solummodo scrupulum injecit quod alas assumpserit Sol iste : *in pennis eius : in alis eius.* Si propheta voluit similitudine apta exprimere quàm velox Filius Dei adventurus erat, satis fuisset illum assimilare soli : hujus quippe talis pernicitas est, ut unius horæ quadrante, si fidem adhibere velis Mathematicis, planeta percurrat tam vastum spatium cœli, quàm est rotunditas terræ centum & sexaginta vicibus repetita, quæ satis magnum leucarum numerum comprehendit. Igitur sufficiat Vati dicere Verbum tam citato gressu moras esse rupturum, sicut Sol per cœli vastissima spatia gyrat. Ad quid Soli Divino volatus appingit? Non Vates huic Soli, sed amor addidit alas. Istarum usus non posset non humanis oculis Verbi radios aliqualiter obumbrare : sicut enim avis dum alas per aëra quatit, umbram cœlestibus Luminaribus objicit : ita si Phœbus alis iter conficeret, proprium splendorem nobis aliquantulum tegeret alarum remigio utens. Transi modò ad justitiæ Solem. Præpetibus pennis advolans Mariam quærit ut celeritate probet quantum lætetur de illius desideratissima filiatione. Nec timet quòd suspicentur mortales majestatem demitti. Recole S. Thom. à Vill. no. superiori nu. data verba, quibus adde Amadeum loquentem ad Virginem sic: *Obumbrabit ergo tibi, quia luci se inaccessibili assumpta à Verbo humanitas objiciet, cuius obiectu lux illa temperata castissima viscera tua perfundet.* Vides quàm parum distet à non timenda imminutione splendoris (dato quod possibilis esset) qui attemperationem fulgoris admisit ut filius Virginis foret? Verbi erga Matrem appareat amor, etsi mortalium oculis divinus ad speciem imminuatur nitor. Qui gaudio superabundat nihil veretur ut eo plenissime perfruatur. Istud Mariæ Servator debuit : ipsius namque assensu, & non aliter mysterium incarnationis executioni datum est. Ut hoc debitum exsolveret Salvator, eam divinæ maternitatis gaudiis replevit. Sapientiæ filiationisque peregit officia : nam *filius sapiens lætificat patrem.*

Amadeus hom. 2. de laud. Virg.

DELIBATIO IX.

Purissimam Puerperam lætificavit Filius sapiens unigenitus Dei suæ nativitatis gaudio,

57. *Mater piissima tunc lætitiæ suæ causas excipit corde cùm simul videt homines exultantes.* Grego. Nyss. hom. 13. in Cant.

E Dei manu largiter Genitricem amantissimam ditantis ita perenniter beneficia diffluebant, ut quidquid adjiceret non meta, sed gradus esset. *Oportebat omnino*, inquit Grego. Nyssenus, *matrem vitæ tam Conceptionem à lætitia inchoare, quàm partum in lætitia perficere.* Incarnationis die putabas Mariæ gaudia supremum conscendisse culmen : tunc enim cœlorum in se opificem corporatum totius lætitiæ fontem progerminavit, qui beatorum agmina incomparabili exultatione beat. Sed lætior adhuc ipsi fuit dies illa cùm Deum nobis protulit & hominem. Antea sola fruebatur eo qui datus est nobis. Unde S. Hilarius dixit : *Commune omnium gaudium novo munere novem mensibus Sola possides.* Post Natalitia Domini, jam cunctis thesaurum in agro minimè culto, scilicet Mariæ brachiis, cuique facillimum erat invenire. Lætetur ergo tunc specialius Virgo sanctissima : *Pariat Christum ludentibus psalmis, concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Musicum Maria inter iuvenculas melos exerceat, quia dulce Verbum plectris sancti Spiritus parturivit.* Hæc D. Augustinus.

S. Hil. ser. 2. de Nat.

S. Aug. ser. 21. de temp.

O quanti Maria faciebat sic lætitiæ suæ nos participes effici! Deum imitatur, qui de bonorum suorum communicatione gloriam concipit non mediocrem. Piissima Parens lætitiæ causas tunc excipit corde, cùm socios gaudij cernit exultantes; haud ita si mœstos videat, doloreque pressos. Nato Agno venerunt festinantes ad illum vigiles Betlehemitici armentarij. Invenerunt quod ipsis Angelus evangelizaverat, citóque reverturtur ad greges, prudenter collaudantes Deum ruditate fœlici. *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Ita scribit Evangelista Lucas. Ast ut solent alternas prospera tristiaque mutare vices, post bubulcorum laudes, & Magorum cultus, transmigrandum fuit in Ægyptum : & in exilium perrexit qui venerat exules in patriam cœlestem revocare. Vitam postea finiit sævus Herodes. Admonetur pueri nutritor Josephus, ut puellum & matrem deferat iterum in terram Israël : ac in Nazareth reversi sunt. Non tamen lego Mariam sanctissimam de fœlici hujusmodi peregrinationis exitu, facto jam periculi fine, lætitiam concepisse : nec saltem posuisse in præcordiis rem adeo mysteriis plenam, scilicet Deum se fuga eripuisse à crudelitatis gladio : sicut antea in corde verba collocavit, hoc est (ut explicat Lusitanus) res quæ tempore Nativitatis acciderunt. Sed quare? Quia dum nasceretur infantulus non sola Mater gaudebat, sed etiam pastores : *Reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant sicut dictum*

Luc. 2. 19.

Silv. t. 4. 1. ad hunc locum.

Luc. 2. 20.

Ibi n.10. *dictum est ad illos.* Preme ultima verba, *sicut dictum est ad illos.* Dixerat Angelus : *ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo* : & sicut illis dictum fuit, sic experti sunt magna perfusi de Messiæ nativitate lætitia. Exultabant illi : gaudebat & Dei mater : ideoque hilaritatis hujusmodi suæ causam *conservabat in corde :* quia sic Maria plurimi facit à Deo accepta dona, cùm socios gaudij sui cernit collætantes. At verò non sic accidit cladis Herodianæ tempore. Deus puer delusit tyranni callidos astus ; Mariaque gratulabatur sibi de incolumitate pueruli ; sciens tamen cæteras genitrices, quorum tenellos filios absumpserat sævitia, miserrimè illorum necem deplorare. Proinde minimè reposuit in corde suo gaudium quod sola inter matres Hebræas regionis illius fuerat assecuta, quasi pigeret ipsam, lachrymantibus reliquis parentibus exultare præcordiis. Optimo jure dixit Damascenus ad Mariam : *Vitam habebis natura præstantiorem non tibi soli : nec enim tui ipsius causa progenita es*, &c. Unde meritò ab Ecclesia vocatur Virgo speculum lætitiæ quia hæc est Mariæ amantissimæ in gaudiis suis nostrum omnium amor, ut more speculi tunc fulgere credat, cum reflectuntur lætitiæ radij & spectantium oculis lenocinantur.

S. Ioan. Damasc. Ora. 2. de Nat. Virg.

Non priùs se consummatè fœlicem reputabat Maria, nisi cùm gaudii sociũ inveniebat.

58. Addam B. Dei hominumque Parentem sic gnatorum, quos ipsi amor addidit, satagere bonum ut non priùs perfectè se fœlicem putaverit, quàm gaudij socium invenerit. Sol illa, ut sole clariùs perspicit anima lucis ejus radiis illuminata. A materiali tamen planeta mutuemur similitudinem. Obnubilatur hodie Sol in meridie ; cras oritur omni penitus nubium velo expeditus : quis non eum splendidiorem judicabit in ortu detecta facie fulgentem, quàm in meridiana sublimitate nubibus personatum ? Non alia de causa hoc verum est nisi quia meridie tectus minus lucem spargit qua fruitur ; oriens verò absque ingrato nubecularum paludamento rutilat impertiens omnium oculis amicè ac liberaliter quidquid splendoris possidet. Sic Maria tunc exultabat completè, cùm ex ipsa gaudium ad mortales promanabat. Velut radix quamvis irriguis vireseat aquis tamen quandiu ramis destituitur, virorem dissimulat mæsta ; postquam verò progerminat, & viridantibus ramis communicat quod possidet, consummata velut hilaritate perfunditur. Non aliter piissima Deipara tunc sibi perfectam lætitiæ sortem advenisse credebat, cùm ex radice ad ramos, ad nos inquam, alacritas protendebatur. Ea similitudine utor quia Maria gaudij radix est, ex doctrina Nysseni, qui ad illud textus *& altera Maria*, dixit *altera quidem Maria (hanc autem Deiparam fuisse credere consentaneum est : quoniam nec à passione quidem abfuit, sed stabat iuxta crucem ut Joannes memoriæ prodidit, quam etiam decebat ea quæ ad gaudium pertinebant annuntiare ut quæ radix gaudii esset, ac præclarè audivisset illud : ave gratia plena Dominus tecum) mandatum Domini exequens, discipulis omnino exposuit.* Hucusque Nyssen.

S. Greg. Nyss. Orat. 2. de resurr.

Deo gravida Purissima Virgo festinans ascendit Montana Judææ ut cognatam Elizabeth inviseret. Statim atque salutavit eandem, Canticum illud in Dei laudem celeberrimum protulit, cujus hæc sunt verba : *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Græcus textus habet *ex hoc nunc.* Theophylactus commentatur : *Et ex hoc tempore beatam me dicent omnes generationes.* Elizabeth illam dixit beatam in eo quòd fidem præbuerit Angelo nuntianti mirabilem conceptum. *Et beata quæ credidisti*, Maria verò se fœlicem dicendam asseverat, non ex illa die cùm Gabrielis attestationi credens, annuit Incarnationis mysterio ; sed *ex hoc nunc*, scilicet quando in domo Elizabet hospitabatur ? Marianæ liberalitatis hîc stylum agnosce. Licet cognata ex annuntiationis tempore inciperet hujusmodi sortem computare, dicens : *Beata quæ credidisti* ; non sic Maria, nam cùm cælesti nuntio fidem præstans assentita fuit legationi divinæ, tunc primò possedit, absque socio tamen Dei Verbum carne indutum. In ipsa Incarnationis die nec Elizabeth, imò neque Josephus tanti gaudij participes effecti sunt. Quod cùm Virgo se solam claudere nosset, fœlicitatem istam non adhuc perfectam, & consequenter beatitudinis dignam titulo, minimè censuit. Postmodo jam lætitiæ suæ compotem reddebat cognatam. Istaque præsenserat Spiritu sancto plena Mariam Verbo repletam, dixit enim : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me* ? Igitur Virgo sortem suam ex tunc perfectam judicabat, ex quo eam cœpit Elizabethæ partiri : *ex hoc beatam me dicent*, &c. Nec objicias priùs hoc Josephum resciviſse, viderique hujus beatitudinis tempora (si stat præfati discursus vis) exinde numeranda. Si priùs hoc novit Joseph ; obvia est solutio. Elizabetham Virgo sui gaudij consortem reddidit ; Josepho verò non Maria, sed Angelus incarnationis aperuit Sacramentum. Mater piissima per se ipsam sollicitare amat lætitiæ suæ non expertes : ita ut quam nulli communem fecerit, consummatè adhuc tenere non putet.

Luc. 1. 48.

Theophylac. in 1. Lucæ.

Luc. 1. 45.

Ibi n. 43.

Deus in Mariam largissimus ut hominibus effluat.

59. Plurimis gratiarum copiis Dei munifica indoles charissimam genitricem complevit. Istos attamen thesauros non, ut mundus assolet, sepeliendos tradidit ; imo distribuendos commisit. *Beata* (Chrysologus loquitur) *quæ inter homines audire sola meruit præ omnibus. Inveniſti gratiam. Quantam* ? *quantam superius dixerat. Plenam. Et verè plenam quæ largo imbre totam funderet & infunderet creaturam.* Quod pleno adjcitur, mittitur ut supereffluat. Sæculum amatoribus suis donat ea lege ne divisa dilabantur, & sic mundum ejusque servitutem odio habeant, cùm pauperes effecti denique viderint quàm levi pretio venum exposuerint propriam libertatem. Deus autem non sic Mariæ contulit gratiæ fluenta : dedit illi scatere spiritualibus lymphis ut hominibus exundet perenniter, orbi toto fœcunda vena salientis aquæ.

D. Petr. Chrys. ser. 142.

In Genesi non leges fontem à Deo creatum præter unicum, & hunc intra paradisum voluptatis. *Sed fons ascendebat è terra,* Gen. 2. 6.

Ibi n. 10. *irrigans universam superficiem terræ.* Et infrà : *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Arbores autem non solùm intra sed extra paradisum produxit Creator, ut ex ipso textu deducitur apertè. Inter paradisi flores nitidus dissiliebat fons ab initio sæculi ; nullusque præterea per vastissimum terræ gyrum Deus in ipsis exordiis mundi fecit erumpere ? Arbustis verò varietate multiplici omnem terram abundare jussit omnipotentia ? Providentiam creatricem non latebat protoplastum ob esum negati pomi de paradiso ejiciendum. Unde par erat ut extra illum positus Adamus arbores inveniret, ex quarum fructibus victitaret. Opponis jam. Et non eadem ratione fontes decebat extra locum voluptatis parari, quorum jucundo frigore sitim restinguerent exules miseri vivis ex laticibus libantes ? Haudquaquam. Sufficiebat fons ille qui paradisi claustris tectus rigabat *universam superficiem terræ.* Frustra creasset Deus plures fontes, semel atque illi unico erat adeo effusa conditio ut quatuor ex eo flumina prodirent, quæ necnon post primigeniorum parentũ expulsionem dimanarent extra paradisum. Arbores paradisiacæ Adamo post flammeum gladium non fructificabant : decebat ut alias pro alendis hominibus exteriùs terra germinaret jubente Deo ; fontes verò superflui forent pro genitoribus primis extra locum voluptatis missis. Omitte figuram : adi Bernardinum Senensem. *Figurata* (inquit ille) *fuit Virgo Maria in fonte illo de quo Gen. 2. qui de terra ascendens irrigabat universam superficiem terræ.* Hujus crystallini fontis largifluus rivus Christus Dominus est, quem Virgo dum concepit alvo, possedit sibi claudens : at non tam gaudenter, sicut postea dum natum Salvatorem complectens brachiis commune bonum offerebat singulis. Ut prænotatam Deiparæ mediteris affluentiam ne te prætereat quòd unda paradisi spiritualem torrentem designat, & fruere Ruperto. *Igitur* (ait) *dum talem hunc Dominus Deus plantavit in terra paradisum, & dividendum in omnes terras fecit inde ascendere fontem, magnum meditatus est mysterium, magnæ gratiæ fudit imaginem.* Hæc Rupertus.

D.Bernardi. Sen. to. 1. ser. 52. art. 1. c. 2.

Ruper. l. 2. in Gen. c. 28.

60. *Celsitudo Christi Domini ex brachiis excelsæ Virginis supereminet ?*

Ulterius ejusdem lætitiæ, quam in puerperio Virgo mundissima experta est, aliud fundamentum subjiciam, & prosequar. Cernebat filium inter humillimas præsepij latebras majestate refulgentem : hoc Genitricem sanctissimam summo affecit gaudio, cujus rationem contemplari supervacaneum non erit in Mariæ gloriam. Piè ausus est dicere S. Bernardinus Sen. *Vnde patet quòd Dominus Iesus Christus, qui sine matre fuit in cœlis, & absque patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit, atque dignitatem, quæ ad humanitatem sequuntur.* Dei sublimitas, quamvis nullius indigeat, nescio quam ex Virginis brachiis dignata fuit accipere supereminentiam, qua si eundem Maria deponat, carere forsan opinaberis. Thronus Regis regum est, juxta D. Bonaventuram dicentem : *Hoc solium excelsum est gratia, elevatum in gloria : in solio mentis Mariæ Dominus sedet.* Ut istud sublime solium conscenderet Verbum Patris, terræ descendit ad ima. Cumque Mariæ in terris emineat altitudo, Deus factus homo apparet oculis humilis extra brachia matris: quibus dum insidet ille, superascendisse videtur ad fastigium regale sublimiter elevatus.

S. Bernardin. Sen. ser. de S. Ioseph. to. 3.

D. Bonav. in spec. c. 7.

Angelico misso de cœlis nuntio, ipsa nativitatis Dominicæ nocte Salvator pastoribus innotuit. Facilè flectuntur ad bonum corda pauperum : properant ad Bethlehem : *Et invenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.* Luc. 2. 16. Accessit deinde solemnioris apparitionis dies, cum procidentes Magi recens nato regi & obtulerunt pretiosa munera, & divinos honores persolvere. Invenerunt etiam isti puerulum Jesum, non tamen in præsepio reclinatum, sed inter matris blandissimos amplexus : illa namque Matthæi verba, *invenerunt puerum cum Maria matre eius*, Matth. 2. 11. sic accipio : & D. Bernardum. *In infantuli* (ait) *corpore quod Virgineo mater fovebat in gremio, quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit ? Quid in eo quòd cum matre parvulus invenitur : nisi verus homo, & verus filius hominis declaratur.* Natalis Domini fœlici nocte, cum paucas adhuc vitæ puellulus numeraret horas, jam é sinu dimissum reclinaverat asperrimo præsepij lectulo Maria, quæ floridum obtulerat olim ? *Lectulus noster floridus :* Cant. 1. 15. & decursis diebus nonnullis, Magorum conspectui non in præsepio repositus apparet, sed in Virgineo Matris gremio adoratur ? Sic decuit. Ut potentum exciperet adorationem Filius, Dei thronum ascendit quo majestatem ostenderet : Pastoribus non celsitudinem, sed humilitatem solam obtulit conspiciendam ne territi retrocederent opiliones. Hi non erant puerum Deum adoraturi : ait enim Rupertus : *Pastores itaque Iudæi, qui erant vigilantes, per Angelum, natum sibi esse Salvatorem didicerunt, & tamen non adeo edocti fuerunt, ut procidentes adorarent.* Rup. l. 2. in Matth. c. 3. Idcirco voluit extra brachia Mariæ à pastoribus inveniri: nec enim fieri poterat collocari tam præcelso throno, & ibi magnitudinem celare parvulis ne paverent.

D. Bern. ser. 3. de Epipha.

61. *Si fieri posset, Deus à Mariæ radiis illustraretur.*

Ne putes adeo me pro Mariæ sanctissimæ laudibus ascendere ad inaccessa, ut asseram Deum incarnatum à Maria majorem reddi. Hoc tantum volo quòd si fieri posset Deum à pura creatura splendorem mutuari, lucem à Matre acciperet Redemptor : Nec admiratione summa rem istam prosequeremur, cum soleant gnati parentum claritate splendescere : præsertim dicente Ricardo Victorino : *Ab illo sublimata & electa, ut sic excresceret, & Creatori suo ipsa incrementa daret.* Ricar. Vict. p. 2. c. 39. Ut infrà : *Per eam Sol iste, & ex ea mundo fulsit, & clarior luxit, quia plenius corda illustravit. Ita lux æterna ex temporali nova surrexit, & radios suos amplius dilatavit.*

Ego sum radix & genus David stella splendida & matutina. Apoc. 22. 16. Nisi sacris hæc haberentur in oraculis, non deforet qui nomen stellæ affirmaret dedecere Filium Dei. B. Virgo, quam cogit fides credere Deo minorem, Sol appellatur in Canticis : *electa ut Sol.* Et stella Cant. 6. 9. dicitur

dicitur ille qui puritatis radios dilectæ Matri largitus eſt ? Puto Chriſtum Dominum ideo ſtellæ nomen non dedignari, quia Maria Sol dicta eſt. Stellas philoſophi docent à Sole illuminari, quantumvis ipſæ luce propria minimè deſtituantur. Non equidem lumen Verbo præbet Maria ; ſed ſi poſſet creatura Deo lucem præſtare, Mater illuminaret Redemptorem, uti Sol ſtellas colluſtrat.

Præterea ſciſcitari vellem quare potius legamus matutinam ſtellam, quàm veſpertinam præfato loco. Uterque titulus ipſi Domino congruit : & non ineptè dici poteſt quatenus filius Patris æterni ſtella matutina, cum natus fuerit multò antea quàm Sol, nempe Maria oriretur. Prout verò ſanctiſſimæ Genitricis gnatus ſtella veſpertina eſt, eo quod longo poſt Solem, id eſt Mariam, tempore fuerit exortus. Ad literam commentatur hîc Liranus dicens : *Stella ſplendida & matutina quantùm ad divinitatem.* Si reperiremus in Apocalypſi ſtellam veſpertinam, conjiceremus eum quà hominem à Maria velut à Sole nitorem ſumere mutuò datum : priùs enim Sol iſte creatus eſt quàm Verbum fieret homo. Proindeque jubar irradians nobiliſſimæ Genitricis anſam præbet ut genitum ſecundum portionem humanam eo nobilitari credamus. Non nimis audax judicium hoc eſt. At omnem exaggerationem ſuperat quòd Unigenitus ipſe quatenus Deus eſt (ut ſtella matutina, inquam, exoriens multò ante Mariæ Solem) videatur in terris lumine matris coruſcans illuceſcere. Et ut fidelium devotioni, citra Filij minimam injuriam, concedatur ut hoc, licet non credat, attamen excogitet, legis in Apocalypſi Chriſtum Dominum ſtellam matutinam ; quamvis in Salomonis epithalamio Maria Sol nominetur. Non potuit non ſumma lætitia perfundi mater dum vidit natum Deum ex ipſius utero majeſtatis apparatum auxiſſe.

Lira. in 6. Apoc.

62. *Ferè impoſſibile eſt ipſi Mariæ ſua in Chriſti Nativitate gaudia palam facere.*

Sileat calamus hîc & ſiſtat : ſunt enim Mariæ ſacroſanctæ gaudia in Chriſti Nativitate ineffabilia. Ferè ipſi Virginimet impoſſibile ſuam in ortu infantuli dulciſſimi exultationem propalare verbis. Cum expectatiſſima Dei natalis dies adveniſſet, mirum eſt quàm lætæ penè omnes enarraverint creaturæ, vel inſenſibiles gloriam Altiſſimi. Cœlum ex Divo Thoma; triplicem exhibuit Solem : nubes noctem vertit in diem ex Tudenſi : in Bethlehemitico porticu fons, ut Beda refert, prorupit : Sol ſpicis coronatus apparuit, ut varij teſtantur apud Baronium. Angelici ſpiritus Deum glorificant, paſtores pro ſuo poſſe collaudant : ſola Maria Virgo tacet ! nec verbum quo ſe nunc exultare noſcamus profert ! *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Quæ verba ſic exponit S. Antoninus : *Audiens autem*, inquit, *Beata Maria Angelos canentes in cœlo : gloria in altiſſimis Deo, confert in corde ſuo*, &c. & paulò ante ibidem ait : *Parit beata Virgo Chriſtum, & conferens in corde ſuo dicit*, &c. Quare ſolo cordis loquitur hic ſilentio Maria ? Hilares eximiæ geſtiant creaturæ, valent enim utcumque manifeſtum ſuum reddere gaudium ; at gaudia matris habens cum Virginitatis honore taceat: indicibilia namque penè ſunt ea quibus exuberat in filij jucundiſſimo partu. Reticet Maria ! nos quo auſu loquemur ultra ? *O Virgo ſacra, quis explicare ſufficiat tuorum gaudiorum exuberantiam in hac hora ? Quis vel mente recolere fluctus illos inundantes cœleſtium deliciarum, & ſuavitatum, quibus cor tuum fluctuat in hoc partu :* declamabat olim ſanctus Thomas à Villan.

D. Thom.

Tudenſis, in hiſt. Hiſp. Beda.

Baronius, anno 1. Chriſt.

Luc. 2. 19.

S. Antoninus P. 4. tit. 15. c. 36. §. 2.

S. Thom. à Villan. ſer. de partu Virg.

DELIBATIO X.

Lætari facit Vnigenitus Mariam, cùm ad ejus preces flagella ſuſpendit.

63. *Poſtquam Maria Verbum carne induit vix apparet ſeveritas Dei.*

QUa putabis lætitia repleretur Heva ſi pro Adamo exoraret veniam, vel Caïni fratricidæ ſupplicium averteret? Quàm exultaſſe Moyſem exiſtimandum reris ; cùm ad ejus orationem placatus eſt Dominus de reatu vituli antea indignatus ? Qualiter jubilavit egregia virago Juditha Bethulienſibus gladium Holofernis à Deo æquiſſimo punitore permiſſum divertens ? Hinc liceat conjectare qualiter gaviſa ſæpiſſimè ſit cælitum Imperatrix, quoties è divinæ juſtitiæ pharetra ſagittas, è manu arcum abſtulit : quippe quam filios Adæ pluſquam Heva ſponſum & Abelem, Moyſes populum Hebræorum, Judithave concives deperire fatemur. Non certè Deus mutatus ab illo, qui ſeverè adeo puniebat olim : ſed ferè tranſformatus in Maria leo dici poteſt in agnũ. Mira quidem eſt in hac re meditatio D. Antonij Olyſſip. *Statuitur* (inquit alludens ad Thabor) *ſitus ſive gradus ſummæ pietatis, & affluentiæ, ſcilicet Virgo Maria per montem figurata : in montem excelſum. Exprimitur guſtus miræ patientiæ quia Deus transformavit ſeipſum in hoc monte, ſcilicet beata Virgine, ut peccatoribus humiliter ſe conformet : & transfiguratus eſt ante eos. Ponamus enim quod Dei Filius in hoc monte fuerit transfiguratus quando formam ſervi accepit, ut dicit Apoſtolus : exinanivit ſe, formam ſervi, &c. tamen Deus transfiguratur continuè in conſpectu peccatorum, quando ſcilicet ille qui in ſe contra peccatores concitatur furore, in hoc monte efficitur manſuetus.* Uſque huc lingua benedicta.

S. Anton. Olyſſ. ſer. 1. Dom. 2. quad.

Ut parentis dilectæ Judex æquiſſimus morigeretur amori, flagra delinquentibus remittit adeo clementer, ut ſicut vix apparebat olim Dei miſericordia mortalibus, & cœlis immorabatur ; nunc verſa vice juſtitia videatur cœlorum adamantinis oſtiis recluſa. Bis in cœlum ſublevavit oculos Pſaltes coronatus. Audi quid viderit : *Domine in cœlo miſericordia tua.* En miſericordiam Dei cœlos inhabitantem ſuſpexit. Aliam Pſalmo legimus : *Juſtitia de cœlo proſpexit.* Ecce divinam æquitatem nunc affirmat cœleſti regiâ morari. Myſterio vacua diſparitas iſta non eſt. Deus utroque tempore miſericors & juſtus erat : Prophetæ oculos hæc duo non latent. Cur ergo prioribus verbis miſericordiam

Pſal. 35. 6.

Pſal. 84. 12.

ricordiam, posterioribus verò justitiam in cœlestibus aulis ille cernit? Quia postremo loco ad tempus Incarnationis alludebat, ut fatetur ad illa verba, *veritas de terra orta est*, Cardinalis Bellarminus dicens: *Hoc est Christus, qui veritas est, de Virgine Maria nascetur.* Consonat interlinealis ex August. & Hiero. *ipse de fœmina natus est, ut justitia de cœlo prospiceret.* Et Liran. ibi: *Hic consequenter describit modum Nativitatis Christi, quia natus est de Virgine, & hoc est quod dicitur, veritas, id est Christus*, &c. Itaque priusquàm Deus homo fieret, vix misericordia divina in terras descendere dignabatur. Non ea carebat Moderator omnium; sed illa tam parcè utebatur ut misericordiam cœlo concludere dici posset. *Domine in cœlo misericordia tua.* Posteaquam puerilibus fasciis brachia ligavit Mater, ita misericordiæ teneritudini assuevit, ut, quasi vibrandi gladium incapax redditus esset, justitiam sit visus remittere cœlo. *Justitia de cœlo prospexit.* Mariæ preces validissimæ, quibus obsecundat rectissimus Arbiter, sic flagellum imminens mortalibus longè fieri curant, & obtinent fortunatè. Claudat periodum Bernardus. *Domine in cœlo misericordia tua: & veritas tua usque ad nubes. Quid enim? Videturne tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos cæligenas spiritus haberetur? At ubi sanè minoratus est Christus paulominus ab Angelis, factusque est Dei & hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum quæ in cœlis sunt, & quæ super terram: ex hoc planè iam suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui:* sic mellifluus Doctor.

Bellar. ibi Interlin. ibidem, & Liranus.

D. Ber. ser. 1. de Purifi.

64. *Timeri ne valet quod Maria Dei adversus homines decreta faciat revocari?*

Vereor ne nostros rapiat affectus Mariæ beneficiis grata dilectio sic ut audeant asserere, per matrem humanissimam Dei punientis decreta, non dicam revocari, sed abroganda fore timeri posse: idque non sine ulla verosimilitatis umbra: *Ipsa enim* (ait Ricardus à D. Laur.) *detinet iram Dei ne statim vindicet nos, unde dicit Cant. 3. tenui eum*, &c. Scis voluntatem divinam immutabilem, nec diffiteor. Attamen hyperbole non terreris: quam ut excuses, adeamus quæso cunabula mundi, & videbis non omnino vanè cogitationem irrepsisse menti.

Ricar. à D. Laur. l. 2. de laud. B. Mar. pagin. 136.

Illusit Hevæ serpens antiquus. Mulieris deinde captus amore primævus parens desipuit. Comederunt ambo prohibiti ligni fructum, mortemque à Deo comminatam incurrentes ejecti sunt à deliciarum horto, & expressit his verbis Deus expulsionis causam: *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Æternitate potietur virtute ligni vitæ Adamus, qui jam divinam per sententiam addictus est sepulchro? *in pulverem reverteris.* Prævaluisset ne gustatum vitæ pomum Dei judicio quod jam transierat in rem judicatam? Et si comedisset millies de ligno vitæ Protogenitor post culpam, non illi profuisset ne morti subjaceret. Ita est: sed sub arboris hujus cortice animadverte quid latitet: Mariæ umbra hæc est: ideo namque S. Ephrem Virginem salutat: *Ave lignum vitæ.* An si ad Mariam saltem adumbratam refugeret Adamus, metui posset ne Dei sententia mortem infligentis retraheretur? *ne forte mittat*, &c. Deus non valet suum transmutare decretum. Sed scio sanctum Bonaventuram appellasse Mariam *tutissimũ, singulareque perditorum refugium.* Cui adde S. Antoninum. *Fortitudo*, inquit, *B. Mariæ rigorem divinæ fortitudinis, & severitatis superavit.*

Gen. 3. 22.

Ibi n. 19.

S. Ephrem.

S. Bonav. memorabil.

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 8. § 4.

65. *Deus ut puniat expectat quod homo negligat implorare Dei opem.*

Ad minus non recusabis concedere supremum judicem velut expectare tempus quo reus omittat sub umbra Mariæ latibulum quærere, ut extra istam civitatem refugij deprehensum plectat. Si maximis fas est comparare parva: non semel vidisti magistratum, qui ne à Dynastæ voluntate recedat, imo ut ejusdem privilegia servet illæsa, delinquentis, qui ejusdem Magnatis oppido latet, scrutatur exitum, & si fiduciâ ductus imprudenti relinquat is asylum, tunc, & non aliter, eum supplicio affligendum tradit ministris. Humilis est similitudo, sed non dedecens. Ragit orbem Sol justitiæ. Reginæ matris ad preces confugiunt sacram velut ad aram peccatores læsæ majestatis divinæ rei. Quandiu sub umbra morantur hujus præpotentis auxilij, suspenditur tota judicij severitas exequenda tunc quando, illo relicto, Mariam deseruerint sibi propitiam.

Regrediamur paradisum: nec enim illum tam citò deserere conveniens est: nec nobis Cherubinorum custodia prohibebit ingressum, qui pro illorum Reginæ laudibus quærendis laboramus. Peccavit Adamus, & vocem Dei rationem suæ villicationis exigere properantis audiens timuit, & abscondit se. Nescio certè an factus sit novissimus error pejor priore. Hoc scio quòd in medio paradisi latere voluit. *Abscondit se Adam & uxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Nosti vitæ arborem in medio paradisiaci horti consitam: *Lignum etiam vitæ in medio paradisi.* Igitur in medio paradisi absconditus erat Protoparens. Et juxta Lipomanum ibi: *Vel absconderunt se in medio ligni paradisi, id est sub ligno scientiæ boni & mali, quod est in medio paradisi.* Adde quod ex D. Bonavent. non solum lignum vitæ, sed etiam lignum scientiæ situm erat in paradisi medio, ait namque: *Harum duntaxat duarum arborum propriè meminit Moyses, propter singulares & admirandos earum effectus, propter quod Deus eas posuerat in medio paradisi inter se propinquas.* Ex his colligo Adamum cum absconderetur sub arbore scientiæ, vicinum fuisse arbori vitæ. Tunc Deus, qui non dedignatus est quamvis immensus, more tamen incedere nostro (*Dei deambulantis in paradiso*, &c.) non ad ipsum locum in quo delitescebat reus accessit eum examinaturus, convictumque damnaturus pro reatu: nam & vox illa quæ fuit Adamo se abdendi motivum, teste Cornelio, fuit à longè facta: *quasi* (inquit ille) *ad vestigia Dei venientis à longè, & per arbores gradientis, arbores convitiebantur, erat enim vox hæc Dei.* Et Abulensis existimat hanc fuisse vocem Dei dicentis, Adam ubi es? Itaque distantem (ut humano modo loquar) avocavit ad se. *Vocavitque Dominus Deus Adam*, &

Gen. 3. 8.

Ibi c. 2. 9.

Lypoman. in cate. ad 3. gen. 8.

D. Bonav. in 2. dist. 17.

Corn. à Lap. in 3. gen. & Abulens. ibi.

Gen. 3. 9.

& dixit ei: ubi es? Niſi antea fugiſſet reus, non mirum foret quod verbo vocaretur. At fugitivus ab ipſo judice nihil aliud præter verba tunc adhibente accerſitur! Accedat potiùs per ſe vel per Angelum Deus, & comprehenſum convictumque damnet criminoſum ibidem ubi latebat. Non decuit apud medium paradiſi, ubi erat vitæ lignum Mariæ ſymbolum, lateſcenti reo jus dicere. Lignum vitæ fuit Virginis emblema, juxta S. Bonav. qui ait: *Maria figurata fuit per lignum vitæ.* Igitur exemptionis localis privilegio fruitur delinquens dum apud Mariæ tutelam occultatur. Inde ſi exierit, juſtitiæ gladius in eum animadvertet. Ne Mariæ patrocinium ſollicitare omittat peccator & à ſupplicio tutus erit: quia ut ait Ricardus à D. Laur. tam prudens & diſerta eſt advocata Maria, *quod non poteſt Filius vindicare in eos pro quibus ipſa allegat.*

S.Bonav. in opuſculis, libell. de Laud.Virg.

Rica-. à S. Laur.l.2.p.1.

66. Taliter benigniſſimæ parentis pietas exardeſcit amore in mortales, verbera quibus feriendi ſunt avertere cupida, ut nec de ſuppliciis verba facere deceat, quandiu inter Mariæ brachia reſidet Filius Dei: quaſi vix patiatur Virgo Deum præ manibus habere, ac de ſeveritate illius quidquam audire, quin eam faciat dicto citiùs miteſcere.

De ſuppliciis nemo loquatur, dum Chriſtus Dominus reſidens in Mariæ brachiis recolitur.

Cernens intaminata Deipara Verbum Dei legi circumciſionis, qua penitus immunis erat, obtemperaſſe: legi purificationis, quæ minimè ipſam ligabat, obediens templum adit. Ibi Simeon & Anna Meſſiæ adventum agnoſcentes, pro beneficij tanti gratitudine devotos exhibuere cordis affectus: hoc tamen diſcrimine, quod Simeon; non verò Anna, puerum in ulnis accepit: & *ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum.* Sanè fœmineæ teneritudinis magis proprium, quam viri, & ætate grandævi, eſt puerulum brachiis fovere. Anna omittit hoc pietatis officium, quod exequitur Simeon? Adverte quid prænuntiat ſenex: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, &c.* Commentetur Ambroſius: *Ecce & Simeon prophetat in ruinam & reſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Ieſum Chriſtum: ut juſtorum, iniquorumque merita diſcernat, & pro noſtrorum qualitate factorum iudex verus & juſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia.* Anna prophetiſſa quidem erat; hoc loco tamen nihil de ſupplicio poſtea inferendo prædixit illa; ſed Simeon: qui ut loqueretur de culparum vindicta, Chriſtum è Mariæ manibus extrahi oportere judicavit, ne inurbanus haberetur ſi quandiu Matris gremio locabatur Deus, ipſe juſtitiæ divinæ præco denuntiaret diſtrictum rigorem adverſus hominum delicta exequendum. Quamvis enim vulgò dicatur ea fuiſſe Mariæ benignitati commiſſa quæ ad miſericordiam attinent, & non ampliùs, tamen animoſiùs loquitur Damianus dicens ad S. Virginem: *Data eſt tibi omnis poteſtas in cœlo & in terra.*

Luc.2.28.

Ibi n.34.

S. Ambr.l.2. in Luc. c.2. poſt initiũ, tom. 3.

S.Petrus Damian.ſer.1. de Nativ. Virg.

67. Hæc eſt auxiliatricis Dominæ miſeratio, qua proſequitur criminibus ægros terrigenas. Meam non me pudet Verborum paupertatem, orationiſque ruſticitatem experiri, Mariæ Sanctiſſimæ in humanum genus humaniſſima viſcera laudibus efferre cupientem. Non minoribus encomiis Dei Genitricem in Baptiſtam originali peccato vulneratum beneficam, Zacharias commendavit obmuteſcens, quam ejus uxor elocuta. Non deſinam tamen unicum adjicere verbulum. Mariæ cor ita miſericordia blandè afficitur ad mortales à Dei vindicis ira tutandos, ut ſi quando inconveniens agnoſcat pia mater cenſoriam virgam ex manibus æquiſſimi judicis auferre: ſic ſe gerat Virgo, ut verberum partem in ſeipſa cupiat excipere.

B.V.ſi quando non avertit flagella Dei, cupit eorum partẽ in ſeipſa excipere.

Convenerunt in pugnam adverſus Iſraëlem Philiſthiim, & illum, acie inſtructa, initoque certamine, terga vertere coëgerunt: Populi Hebræi majores natu, quaſi foret innocens omnis plebs, dicebant: *Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthiim?* Non vulgus, ſed potentiores innocentiam prætendunt, ſupplicij cauſam ignorare ſimulantes: iſtorum enim eſt fœlicitatem, cujus Deus eſt arbiter, ſibi pro meritorum excellentia debitam reputare. Deliberaverunt arcam Dei conducere, ut ſub ejus omine ſacro præliarentur, & hoſtes devincerent imperterriti. Affertur arca, ingemuere Philiſtæi; ſed confortati cæciderunt plura Hebræorum millia: inſuper *& arca Dei capta eſt:* Non abſque magno rationis fulcro dubium exurgit. Capi à Philiſthæis Deus permittit arcam in Iſraëlis opprobrium? Et poſtea per eandem arcam cædit hoſtes? *Et circumduxerunt arcam Dei Iſraël. Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis; & percutiebat viros uniuſcuiuſque urbis, à parvo uſque ad maiorem*, &c. Bone Deus exercituum! Iſraëli victoria contigit, an Philiſthæis? Si Hebræos Deus prævalere gaudebat, cur permiſit arcæ captivitatem? Si hoſtibus tradidit eos, quare mox utens arcâ ipsâ Dominus Allophylorum cædem exequitur? Prætermitte literam: nucleum frange, ut quæras medullam. Repetamus illud ex Ambroſio: *Arcam autem quid niſi Sanctam Mariam dixerimus?* Ut Iſraël dolore ſomnum excutiens oculos in cœlum ſublevaret, oportuit cædi tunc & cedere gladiis inimicæ gentis. Quid ageret in umbra Maria? Semel quòd flagellum avertere non decebat, cupiens in ſeipſa partem ictus experiri, captivam abire ſe patitur: quamvis illa, quæ poſtea tot vitas eripuit, etiam valeret antea ſemet à ſervitute præſervare. Quaſi diceret in umbris pugnax arca Dei viventis: meos nunc ſcuto bonæ voluntatis contegere vellem ne bello cadant; ſed video non ita congruere; imò infortunium, quod ipſis imminet, eorum utilitati opportunum valdè fore. Scio quid faciam: in me verberum partem ſuſcipiendi cupiditatem oſtendam: imaginem meam, hoc eſt arcam, ire patiar in adverſariorum poteſtatem, ut vel ſic pateſcat quantum de hominibus protegendis gaudeam quæ in eorum patrocinium nata ſum, & quam tradita miſerationum clave *Filius Sapiens lætificat.* Vide quam prudenter ſuſpicatus eſt Ambroſius Mariam in Calvario deſideraviſſe pro nobis ſubire mortem ſimul cum Aſſertore noſtro. *Aut fortaſsè* (inquit S. Doctor) *quia cognoverat*

Potentes fœlicitatem debitam ſibi putant.

1.Reg.4.11.

Ibi c.5. n.8. & 9.

S.Amb. ſer. 25. de Conſeſſor. non Ponti.to.5.

Idem l.10. in Luc.c.23. to.3.

per filii mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se & sua morte publico muneri aliquid additurum.

DELIBATIO XI.

Exultat annuente Filio Deipara cùm pusillanimitati mortalium affert medelam.

68. *Ardua timẽs corroborabitur umbrá Mariæ.*

LUcis unum ex muneribus est metuentium timori subvenire. Tristi vultu nox horribilis monstra fingit inania; sed quæ sollicito metu cuncta replent: & ut Livius ait: *Nox omnia ex incerto maiora territis ostentat.* Redit posthac puniceis invecta rotis læta Solis nuncia Memnonis mater aurora, & rebus iterum restituto calore fugat metus, animos addit carpenti viam avium per iter peregrino. Lux est Maria: nocturnas umbras exulare faciens, fiduciamque ingerens pusillis, hilarissimo splendore coruscat. Unde illa dicitur ab Anselmo *mater timoris:* & idem alibi fiduciam nostram nominat ipsam, dicens: *O beata fiducia: ô tutum refugium, mater Dei & nostra.* Antiquo peccati morbo vitiata natura diffidentiæ syntogma patitur, & audaciam vitare desiderans degenerat in ignaviam. Non Dei sponden-

Tit. Liv. deca. 1. l. 9.

S. Anſel. apud S. Bonaven. in opuſc.

tis auxilium potestas, non ejusdem propitia benignitas roborat cor imbelle. Si tamen adesse Mariam intellexerit, fiducia confirmabitur ingenti.

Apparuit Moysi Dominus in flammâ rubi, clamorem filiorum Israël, quos opprimebant Ægyptii, testatus audiisse: legatum designat Moysen ad Pharaonem pro redemptione populi peragenda. Respondet ille: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Diffidentem erigere conatur Deus mirabilia promittens, quæ superbiam Pharaonis prosternant: portenta simul oculis objicit, quorum admirationem populi fides erat subsecutura. Novam tamen opponit Moyses difficultatem, dicens: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Dominus ei curat animos injicere protectionem pollicitus. Non acquiescit Moyses. Quid tunc Deus? Iram ostendens urget, illum Aaroni socium adjungens, virgam miraculorum effectricem tradidit. Nec mora: statim arripit Moyses quod recusabat munus. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Abiit Moyses,* &c. Non expendo quòd Moyses statim atque virga umbra Mariæ illi donata est timorem deposuisse videatur, hoc enim alter major natu præoccupavit fœliciter meditatione peracuta. Hoc tantùm quæro, cur non etiam Aaroni dicitur ut Virgam sumat? An non & ipse per eam facturus erat signa? Ita sanè patet ex illo: *Dic ad Aaron, tolle virgã tuam, & extende manum tuam super aquas.* Et capite 8. *Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam & percute pulverem terræ: & sint sciniphes in universa terra Ægypti.* Quare igitur Aaraoni Deus non tradit virgam, eoque vocato non dicit: sumite virgam? sed non advocans Aaronẽm ait soli Moysi: Sume, &c. Credo sic factum quia Moyses pusillanimitate laborabat, Aaron autem nequaquam, nec enim legimus societatem in legatione hac reformidasse. Mariam virga Moysis adumbravit, & ex Ambrosio habes parilem. *In veteri itaque testamento, virga Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo testamento, virga regis, aula cœlis electa est ad salutem.* Igitur diffidentiam qua Moyses elanguebat Mariæ umbra protinus erexit. Aaron non similiter in hac re trepidavit. Cum dicitur Moysi à Deo: *in qua facturus es signa,* Omnipotens constituit virgam pro quampluribus mirabilibus patrandis instrumentum: & per consequens hæc tunc primùm cœpit adumbrare Mariam. Hac umbrâ protectus Moyses diffidentiam qua hærebat inaniter, citò deposuit. Aaroni verò, de quo similem animi fragilitatem nescimus, foret supervacua traditio virgæ. Si confidentiam ingessit olim umbra: cujus non corroborabit animum lux ipsa?

Exo. 3. 11.

Ibi c. 4. n. 10.

Ibi n. 17. & 18.

Ibi 7. 19.

Et c. 8. 16.

S. Amb. to. 5. l. 1. epi. 7.

69. *Mariæ in benefaciendo generositas talis est, quasi dicat: dũmodo magis prosim, esto minùs luceam.*

Fateor lucis hujus fulgores oculos perstringere: præsertim nostros mundialibus tenebris assuetos: eadem quippe oratione Sponsus Mariam dixit & Soli similem, & terribilem ut castrorum aciem. Benigna tamen charitate suos nostrorum luminum fragilitati quodammodò splendores contemperat, ut confidenter ad eam, pro donis à dilectissimo gnato impetrandis, accedant cuncti: quasi diceret Virgo: dummodo magis prosim, esto minus luceam.

Postquam in Canticis B. Virgo Christum assimilavit arbori, sub ejus umbra sedisse affirmat. *Sicut malus inter ligna silvarum sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi:* Eadem ipsa dicta est ab Sponso similis Phœbeæ faci: *Electa ut Sol.* Astrum solare quod tempora dividit nulla tegitur umbra; disparent opacæ tenebræ cùm radiorum spicula vibrat: quantò velociùs ad Mariæ præsentiam fugabitur caligo, cum superet Virgo radianti pompa totas magni syderis flammas? Igitur quomodo ad umbram sedere valuit Sol, & illam non dissipavit? Repressit radios: ne vereatur accedere quisquam fructum per ejus manus ab arbore illo (Christo filio scilicet) percepturus. Sinit umbrâ tegi splendorem suum, ut nos protegat: fructus & radios colligit simul, hos, inquam, abdit benevola ne terrea־ris; illos verò dispertit propitia ne pereas. Humilis esse non dedignatur ut nobis prosit: non enim tantummodò *facta est Mariæ humilitas scala cælestis per quam descendit Deus ad terras,* ut August. dixit: sed etiam in cœlesti solio posita se dimittit animo, ut nobis proficua sit. Ad B. Brigittam dixit illa quondam: *Sicut ergo humilis fui in mundo, cognita soli Deo: sic etiam nunc sum humilis sedens in sublimissimo throno, parata præsentare Deo omnium orationes rationabiles.*

Cant. 2. 3.

Ibi c. 6. 9.

D. Aug. ſer. 36. de ſanct. to. 10.

Revel. S. Brigit. l. 7. c. 25.

70. *Idem qui hæsitabat prodere Deo protegente Maria constitet securus.*

Nec solùm de suo erga nos amore confidẽtes vult sanctissima Dei Genitrix nos eam deprecari: sed ne ad Filij lucem inaccessibilem prospicientes, diffisi de tenuitate nostra, spe

spe cadamus, erigit labantes, & manuducit ad beneficentiam Dei fiducialiter implorandam. Et non frustrà: nam si Mariæ debitor
S. Metho. de purific. Virg. Deus est: (*Deo enim*, ita S. Methodius ait, *universi debemus; tibi verò etiam ille debet:*) Quid negabit creditrici pro nobis oranti? Quod cum ita sit Maria titubantem firmat spem humaniter adeò, ut idem qui Deo promittente dubitabat, Maria protegente securus consistat, ipsumque Deum se manu tenere posse putet.

In soporis caliginosa quiete irati fratris metus Jacob accipiebat inducias, cùm de illius dormientis incolumitate sollicitus Dominus apparuit ei, & amicè repromisit inter alia dona se custodem ipsius acturum. *Et*
Gen. 28. 15. *ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc:* Excussis tandem somni vinculis expergiscitur pavetque Viator: ac (ut hominibus moris est) timore devotionem suadente, votum vovit Domino, dicens? *Si fuerit Deus mecum, & custodierit*
Ibi n. 20. & 21. *me in via per quam ego ambulo.... erit mihi Dominus in Deum.* Sub conditione loqui dubitantis est. Dixerat ei Dominus, qui fallere nescit: *ero custos tuus quocunque perrexeris*, & Jacob hæsitanti stylo ait: *Si fuerit Deus mecum & custodierit me*, &c. Procedamus ad Jacobi regressum ex Mesopotamia. Post annorum seriem revertebatur ipse: de cujus adventu, cum Esau à nuntiis factus certior esset, voluit occurrere fratri, qui conterritus illum placare muneribus curavit. Vadum Jacob pertransivit, ac tandem solus remanens à Deo vocatur ad singularem dilectionis pugnam. Prævalere se videns elegit victoriæ trophæum: victor, inquam, be-
Ibi c. 32. 26. nedictionem postulat. *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Quam audacibus verbis uti videbitur Jacob, si solam eorum superficiem scruteris. Flagitat, an cogit? Orat: sed ita de benedictione securus, ut asseveranter dicat: *non dimittam*, &c. compone modò Jacobum sibimet contrarium. Dum pergeret Mesopotamiam, de promissione divina, quam audierat (*ero custos tuus*) loquitur postea more dubitantis: *si fuerit Deus mecum & custodierit me*, &c. Redeuntem quid erexit, ut confidenter existimet se, nisi benedictionem acceperit, non dimissurum fore illum à cujus nutu cuncta pendent? Ascendens aurora confirmavit illum; hæc namque Mariæ
S. Bonav. in spec. c. 9. umbra est ex D. Bonav. *Aurora*, inquit, *nostra Maria nobis est ad Angelos pacificatrix, sicut signatum est in Genesi, ubi legitur quod Angelus qui cum Jacob luctabatur benedixit eum in aurora.* Dixerat Jacobo Deus (vel Angelus
Gen. 32. 26. Dei personam gerens:) *dimitte me jam enim ascendit aurora.* Patriarcha fortè subodoratus mysterium sumpsit animos, & quasi Deum cogere posset, sic adumbratæ in aurora Virginis protectione fultus piè audet inquiens: *non dimittam*, &c.

Nec objicias Jacobum in alio etiam loco vidisse Mariæ umbram, nempe scalam, quæ Dei matrem figurabat, ut ex Damasceno supra dedi? jam enim, si benè meministi, scala disparuerat symbolum Virginis, cum Jacob phrasim vacillantis assumpsit, dicens: *Si fuerit Deus mecum & custodierit me*, &c. cum verò fidenter ait; *non dimittam te nisi benedixeris mihi*, apparebat aurora, id est Maria. Non timuit ad roseam fulgidæ Solis matris faciem, quæ aureum referebat Mariæ vultum: cujus mitissimæ pietatis placida serenitas longè fugat metus umbras; cum tamen antea paverit Jacobus: *Quam terribilis* Ibi c. 28. *est, inquit locus iste!* Eo quòd scalam jam n. 17. non viderit expergefactus. Fortassis idcirco dixit: *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli:* ut scalam jam sibi deesse questus pavoris sui occasionem exprimeret. Hæc igitur Virgo refugium singulare Adamiticæ prolis, ejusque confidentiæ firmamentum. Dicamus cum S. Thoma præsule Valentino ad Virginem afflictorum solatium: *Nescimus aliud refugium nisi te: tu sola es unica spes nostra in qua confidimus.* S. Thom. à Villano. ser. 3. de Nati. Virg.

O millies fœlicem spem, quæ hujus do- 71. *Timor & spes societatem ineunt.*
norum omnium fontis irrigata fluento vi- rescit. Quàm altè radices agit spes illa! Non ut cæteræ, quas timor comitatur, & velut fœni flores marcescere facit: *sine metu enim* Petrarcha de remed. prosp. fort. dial. 109. *spes non habitat*, ut scripsit Petrarcha. Societatem inivere metus & expectatio in ipsis gentis humanæ cunis, in corde scilicet Adæ. Nec dividentur usque ad mundi finem. Spe similitudinis divinæ primus orbis incola delusus est, & simul timorem amittendæ vitæ concepit. Transi ad universi horribilem interitum: & adhuc (quod mirum est cùm tempora futura sint horrendè nubila) sodales istos reperies indivisos: *Arescentibus ho-* Luc. 21. 26. *minibus præ timore & expectatione*, &c. hoc verum est de spe quæ sancta dici nequit, & proindè nequaquam favore nititur illius quæ ab Ecclesia vocari solet sanctæ spei Mater. Inanibus decepti sperum præstigiis, ut Eccli. 24. plurimùm vitam prodigunt mortales, & 24. quocunque se vertant occurrit quod timebant: amicus namque simulatus deest amiticiæ legibus; inimicus econtrariò nunquam deerit exlex. Si fortunæ risum experiris, invidiæ fumus, juvante fœlicitatis vento, tuis immissus oculis ciebit lachrymas. Si meritò proprio fidis, diffidentiam concipis de mæstæ sortis experientiâ. Si tuæ sorti confisus exultas, meritorum inopia pressus retrocedis. Si desiderata sollicitare moraris, evolant occasionis crines. Si verò illos vis ocyùs arripere, immatura sæpe amarescit solertia. Omnia denique miseram spem agmine facto impetunt, & solùm tunc timendum tibi non erit cùm sperare desieris, & in æquor sæculi non miseris anchoram; sed in portum, utpote quæ fluctibus commissa reperitur infida: *Vera etenim spes primò securitatem pa-* S. Lau. Justi. in ligno vi. c. 2. de spe. *rit* (ut notavit Antistes Venetus) quæ non datur in mundi gurgite.

Vis ab hoc spei comite molestissimo, ti- 72.
more scilicet expediri? In Mariæ umbra spem *Solummodo timebis si à Maria oculos averteris.* colloca: quod si omiseris, pertimesces. *Deduxit eos in spe, & non timuerunt*, ait David. Psal. 77. 53. Et antè quam textum expendam, supponere licet cum Seraphico purpurato, nube illa, quæ duxit Hebræos in promissionis terram desiderabilem, Mariam præsignari: nec novum est quod in nubibus appareat Solis imago. Sanè præcitatis verbis de populo Hebræorum sermo est cum per vastam solitu-

dinem ad regiones pollicitas iter ageret. Difficultate non caret quòd Psalmographus Israelitas affirmet non timuisse cùm à Deo per solitudinem ducerentur: in Exodo quippe legimus illos dum appropinquarent rubro mari, vidissentque post tergum Ægyptios insequentes, perhorruisse: *Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israël oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valdè:* quo ingenio stabunt hæc verba cum Davidicis? *Deduxit eos in spe & non timuerunt.* Facillimè conciliantur. Pergebant Israëlitæ præcedente nube. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis*, &c. Hebræi Ægyptiorum vestigia sentientes, ut hostilis exercitus vires possent æstimari quin fallerentur, verterunt oculos post se retrospicientes: ecce nunc parumper diverterunt lumina, ideo timuerunt valdè. Nubes erat umbra Mariæ: *Iuxta illud psalmi: deduxit eos in nube, &c. Maria nobis est columna nubis*, ait S. Bonaventura. In Virginem si direxeris expectationis oculos, non times; illam si deseras, pavore turbaris. Audi Bernardum: *Ipsam sequens non devias: ipsam rogans, non desperas: ipsam cogitans, non erras. Ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia, pervenis.*

Exod. 14. 10.

Ibi c. 13. 21.

D. Bonav. in spec. 3. cap.

S. Ber. ho. 2. super Miss.

73. *Sub protectione Mariæ locus non est timori.*

Protectioni alienæ se committentem duo suadent ponere metus: protegentis amor erga se: necnon illius potestas. B. Virginis charitatem si perpendamus, illam verba curte admodum exprimunt. Copiosissimam vocavit Mellifluus dicens: *Copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit.* Potentiæ Reginæ hujus vires, ut à Deo exoret postulata, ex Bernardino Senensi tales sunt, ut dixerit ille: *Plus potest facere Beata Virgo de Deo, quàm Deus potest de seipso*; sic ipse pia confidentia ductus. Ex his præmissis conclude locum non restare timori sub protectione Mariæ.

D. Ber. ser. in sign. mog.

S. Bernardin. Senens. ser. 61.

Pendebat in Cruce nostrum omnium vita. Et dolorosæ Matri, simulque dilecto discipulo prospiciens paulò prius quàm traderet spiritum, illos ad invicem commendat iisdem. *Cum vidisset ergo Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde: dicit discipulo: ecce Mater tua.* Serò exhibuisse officia filij & amantis magistri fortè putabis. Ad vitæ mortalis exitum remisit de matris dilectique solitudine curare? Cur non potiùs antequàm comprehenderetur, Mariam designavit Joanni genitricem? Differendum erat hoc amoris munus: oportebat quippe Prophetiam adimpleri quam Divinus Magister & retulit, & exposuit. *Percute pastorem, & dispergentur oves*; prænuntiaverat Zacharias: quem Summa Veritas interpretatus est dicens: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Fugam capturus erat Joannes ut compleretur vaticinium; non aufugeret nisi metueret. Si ante comprehensionem fuisset data Virgo sanctissima Joanni mater, sub ejusdem validissimo præsidio degens non timeret: proindéque minimè terga verteret apud hortum. Quid terrere posset eum qui per illam filiationem fieret Virginis amor ex doctrina S. Bernardini? *Filius*, inquit ille, *in græco nomen amoris est. Omnis enim Christi amor in amorem Virginis transit, ut meritò filius, id est, amor Virginis nuncupetur.* Hæc S. Doctor ad illud: *Ecce filius tuus.* Ut igitur prophetæ dictum stet Apostolorum dispersionem vaticinantis, non antea quam cœperit passionis procella, Joannes adoptatus est Mariæ filius: timor namque tolleretur, & per consequens impediretur fuga, si ante Magistri vincula constitueretur sub potentissimo patrocinio Reginæ Matris. Timoris noctem propulsat auroræ Mariæ croceus fulgor, hilaritatis exundantior vena.

Joann. 19. 26. 27.

Zach. 13. 7.

Matth. 26. 31.

S. Bernardinus Senens. tom. 1. ser. 65. art. 1. c. 3.

74. *Timet ne sibi Maria, eò quòd homines periclitari cernat?*

Quis non videat hujus auroræ pulcherrimæ lætitiam, qua perfunditur cum nostros pellit illa timores, si animadvertat Mariam eos quasi proprios reputare charitate suadente, quæ mala capiti alieno imminentia timet quasi periclitaretur. Si prophanus ait amorem esse rem solliciti plenam timoris: quid mirum pro dilectis pavere videatur Virgo, cujus viscera non solùm peramantia sed in charitatem conversa dici valent ex Bernardo? *Regina cœlorum est, misericors est: denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi fortè aut non creditur Dei Filius honorare matrem: aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera: in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit.* Hactenus D. Bernardus.

S. Ber. ser. 1. de Assump.

Hæc est misericordissimæ Parentis in suos effusa dilectio, quam licet in umbra videre licebit apertissimè. Regnabat Esther Hebræa, sed Assueri uxor: qui licet Monarcha potentissimus, ferè subditus erat Amani, quem ad amicitiæ sortem evexerat. Hic odio in Hebræos exardens, eorum sanguine quærebat ignes extinguere. Omnium necem impetrat ab Assuero. Quod cum Regina cognovisset, oratione pulsavit cœli fores, quam verbis hujusmodi concluſit: *Et libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.* Suum vocat Regina metum! Vitæ discrimen impendebat Hebræorum genti; non Estheri, quam inter cæteros Israëlitas impio decreto connumerare animus Assueri non fuerat: imò longè aberat illius mors à cunctorum mente: nemo enim ex hostibus plebis Dei noverat illam ab Hebraïco populo natam, cum ipsi sponso noluerit hoc indicare, jussu patrui sui. *Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret:* Ut quid ergo sibi timet? Quem postea metum clarius exprompsit dum ad Regem, sic loquebatur: *Traditi enim sumus ego & populus meus ut conteramur, jugulemur & pereamus.* Figuratæ amor Estheris hîc revelatur. Suorum discrimen suum reputat Maria: hæc enim per Estherem designatur ex Ricardo à S. Lau. *Esther*, inquit, *regina, quæ interpretatur elevata in populis, signat Mariam*: quæ populi sui metum velut proprium depellere satagit: *erue me à timore meo.* Quinimò etiam Estheris amor erga suos

Esth. 14. 19.

Ibi c. 2. 10.

Ibi c. 7. 4.

Ric. à S. Lau.

hunc

hunc) attigit apicem: notavit quippe Hugo Cardin. ibi : *Traditi enim, &c. quod enim ſuis fiebat, ſibi factum reputabat.* Quantò plus id credibile de Maria, cujus incomparabiliter perfectior eſt dilectio? Quidni gaudio perfrui dicamus cum fugatur noſtri metus caligo ad ejus preces. Has libenter exaudiens *Filius ſapiens lætificat* eam : nec enim patitur divinus amor genitrici poſtulata negare, ne quiſquam illi exprobrare audeat dicens : *mæſtitia eſt matris ſuæ.*

DELIBATIO XII.

Gaudium ſanctiſſimæ Dei Genitricis ex noſtrarum tribulationum quibus medicamen affert, victoria.

Luc. 1. 47. CUm primùm audiſſem Deiparam dicentem : *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*; quam potiùs dicturam ſperares exultaſſe in Deo filio ſuo : ſtatim pulſavit mentem vera, quamvis omnibus pervia, cogitatio : ſcili. quod Maria de ſalute noſtra multò plus quàm de ſuamet excellentia gaudeat. Deum namque Salvatorem expendens gratulabatur ſibi noſtrum omnium bonum, & ærumnarum expulſionem, conſolatrix læta, ſedulaque mortalium cruciatibus advocatrix.

75. *Ad Mariæ præſentiam mala evaneſcunt.* S. Bonav. in pſalt. Virg.

Lætatur inquam Mariæ propellens mala noſtra : eo quòd ſic ejus invictæ poteſtatis majeſtas pandatur, cunctis dicentibus cum Bonaventura : *Potentia & virtus in brachio tuo, robur, & fortitudo in dextra tua.* Cum videant illius brachio excelſo malorum nullum obniti, fortunæ ſuæ plaudant homines : eorum quippe calamitatibus Mariæ miſeratio inexpugnabilis obſtat, non cum ipſis pugnam committens, ſed illarum agmina fugans.

Pſal. 22. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, &c.* inquit in electorum perſona regius vates. Umbram appellat mala? Vocantur alibi vulnera : *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt* : Sagittæ : *ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi* : & ignis : *igne me examinaſti.* His locis flamma, ſagitta, vulnus, laborum ænigmata ſunt; anteriùs verò relatis pſalmi verbis umbræ nomine adumbrantur mala! *Si ambulavero, &c.* Ut admirationem deponas lege ulterius Pſaltem : *Virga tua*, inquit, *& baculus ipſa me conſolata ſunt.* Hoc Virgini Mariæ adaptare ſolemus ex Damiano dicente : *In Virgine virga & baculo cruce, miſerorum ſpes & conſolatio continetur.* Itaque ad auxilium Mariæ ſolantis afflictos, mala, quæ alioquin ſagittæ, vulnus, & flamma ſunt, evaneſcunt celeritate qua ſolent umbræ ad lucis præſentiam ſe retrahere. Sicut hoſtium fuga victori jucundiſſimum decus eſt : ſic Maria noſtrorum ſuperans laborum vires, exultat victrici pietate lætabunda.

Pſal. 68. 27. Pſal. 37. 3. Pſal. 16. 3. S. Petr. Dam. ſer. de Aſſumpt.

76. *Infirmorum ſalus ad Mariam peculiariter attinet.*

Et ut ab eo malo ſumam exordium, à quo non eximit poteſtas, fortunæve ridentis protectio: ægritudinum corporalium præſentaneam ex ſanctiſſimæ Virginis manibus medicinam nobis ipſis congratulemur. Imò potiùs ipſa Maria medela nobis eſt : ideóque dicitur à Damaſceno *Pharmacum ex omni pectore dolorem propulſans.* Vel enim de corporis infirmitatibus loquitur; vel ex ſpiritualibus, à majori ad minus, arguemus. Infimorum ſalus Beatiſſimæ Dei Matri peculiariter incumbit. Et probatur ratione quadam non contemnenda. Notum eſt apud Theologos morborum matricem originale ſcelus fuiſſe : Nam in ſtatu innocentiæ propter arborem vitæ morbi non fuiſſent. De hac dixit Auguſtinus : *Illud quoque addo, quamquàm corporalem cibum, talem tamen illam arborem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſtabili ſanitate firmaretur.* Concinit Beda : *lignum vitæ dictum eſt quia divinitus acceperat, ut qui ex eo manducaret, corpus eius ſtabili ſanitate firmaretur.* Suppono etiam ex probabili plurium DD. placito unum ex motivis quibus ductus Deus permiſit Adæ lapſum fuiſſe affectum erga bona quæ comitatura erant myſterium Incarnationis, cujus conſequentia non levis erat dignitas Matris Almæ. Quibus præjactis, argumentemur ſic. Non latebat Virginem quod eam cupiens divina providentia ſublimi qua fruitur dignitate donare, permiſit languorum radicem, ſcilicet originis humanæ crimen. Proinde morbis mederi ſpectat peculiariter ad illam, ob cujus excellentiam Deus noluit eorum cauſam (ſcili. peccatum originis) impedire. Unde ne Mariæ Deus auferat medendi gloriam gratiſſimam, patitur ſuam quodammodò imminui, nolens quod ſine Matris interventu ſalus reſtituatur ægro.

Damaſc. Orat. 2. de Aſſumpt. S. Aug. l. 8. de Gen. ad lit. c. 5. Beda apud caten. Lipom. in Gen. c. 2.

Syrorum præerat militiæ Naaman apud regem ſuum honoratus magnopere : & cum Syriæ ſalus ex illo penderet, ipſe deſtituebatur ſalute, fœdus lepra. Captiva ipſi erat puella Hebræa, ex qua cum domina ejus, deincepſque Naaman audiſſet Prophetam eſſe in terra Iſraël, qui eum ad ſanitatem reducere poſſet, acceptis commendatitiis literis adivit regem Iſraëlis : qui ſciſſis veſtibus indoluit à ſe peti quod ipſe largiri non poterat, ſcilicet, ut curaret Syrum à lepra ſua. Non potui non regalis animi generoſitatem obiter ſuſpicari : ad aliud tamen properamus. Audiit hæc Eliſeus Vates : ad ſe venire curat leproſum ut curaret. Cumque ille foribus adeſſet miſit ad eum dicens : *Vade & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* Scio Eliſeum non vana gloria ſeductum advocaviſſe Naamanum : Vatem quippe gloriæ Dei permovebat cupido, prout inſinuant ejus verba. *Veniat ad me, & ſciat eſſe Prophetam in Iſraël.* Si (ut certiſſimum reor) ita erat: quare non, ad majorem veri Dei laudem, Naamano conſulit ut lavetur in fluviis regionis propriæ? Sic ſtuperet infidelium turba, & obſtrueret os leproſo dicturo ſtatim: *Nunquid non meliores ſunt Abana, & Pharphar fluvii Damaſci omnibus aquis Iſrael ut laver in eis & munder?* Alligata erat ne Jordani ſalus? Materiali fluvio minimè : figurato verò Jordani ſpecialiſſimè congruebat, ſcilicet Mariæ, quæ in Jordane delineata fuit, Hieronymo teſte, *Dominus* (ait ille) *atque Salvator à primo Patriarcha pervenit*

77. *Rex doleat ab ipſo peti quod præbere non valet.* 4. Reg. 5. 10. Ibi n. 8. Ibi n. 12. S. Hiero. epiſ. 127.

ad Virginem quæ pleno gurgite fluens Spiritus sancti gratiis redundabat. Verum equidem est miraculum cessurum in majorem Dei gloriam, si fieret in ipsa Damasco idololatriæ domicilio : sed passus est Omnipotens aliquantum extenuari prodigii plausum, ne salus infirmo restauraretur quin Maria, cujus imago erat in Jordanis crystallo, mediaret : est enim ipsius propriissimum infirmitates nostras patienter levare.

Quod cum ita sit, expendam quadruplicem circunstantiam repertam in hac salutis elargitione, quæ Mariæ sanctissimæ in deliciis est. Incolumitatem ægrotis pia Mater præstare solet cunctis benefica, singulorum voluntati accommoda, de securitate doni tanti sollicita, & de beneficij donatione congaudēs. Quatuor ista breviter comprobemus.

78. Universalis est in subveniendo morbidis Maria, quæ dicitur à Joanne Damasceno *ægrotantibus medicina.* Pretiosa medicamenta quibus ars utitur Apollinea, magnatibus, divitibusque præstò sunt; pauperis vulnus auri olium non expectat defectu argenti. Ad ostium verò Mariæ, pleniſſimæ remediorum apothecæ, non alio pretio quàm precibus emuntur medicamina. In hoc pecuniarum genere (rogatu scili.) omnes æqualis conditionis sunt quotquot egent remedio. Idcirco Mariæ benigniſſimæ stylus est cunctis paratissimam sanitatem, velut publici juris bonum exhibere.

S. Joan. Damasc. Orat. 1. de dormiti. Virg. M.

Non hnic vel illi, sed omnibus offertur medela Mariæ.

Naamani Syri verba ponderare libet ac lente : quippe cum ex gratitudine prodierint, non passim reperientur similia. Mundatus Naaman Deum Israëlis agnoscit : ejus prophetam honorare muneribus contendit, nec obtinuit. Hoc ut vidit rogavit Elisæum,

4.Reg.5.17. dicens : *Concede mihi servo tuo ut tollam onus duorum burdonum de terra : non enim faciet ultra servus tuus holocaustum aut victimam diis alienis, nisi Domino.* Grati de beneficio accepto propositum animi hoc est. Sed an non melius foret signum gratitudinis aquam ex Jordane secum deferre petens à Propheta ut quisque leprosus in Syria corpus aquis à se delatis proluens sanaretur, in veri Dei præconium ? Hoc postulet ut gratiorem se Jordani ostendat : nec enim terræ debuit munditiem, sed aquæ. O bene ! Mysterio ignorans Naaman deseruiit. Jordanis Mariæ symbolum, ut proximè notatum. Hujus aquam si militiæ Princeps deferret in Regiam, non vulgi distribueretur ægrotis ; sed magnatibus reservaretur : nec etenim Principum ostia solent pro pauperum remedio indifferenter patere. Æquum non erat ut potentibus fieret singularis aquæ illius medicina, quæ Mariam referebat cunctis proficuam. Veniant & potentes & pauperrimi ; si fortassis egent, ad Elisæum ut ipsos ad Jordanem remittat, prout cum Naamano se gesserat. Publici juris amnes potissimùm esse dicuntur : *Omnium communia sunt illa : aër, aqua profluens, & mare.* Ait Jurisconsultus. Et alibi : *sed flumina penè omnia & portus publica sunt.* Maria nemini singularis, universorum singulariſſimum salutis pelagus est : *Omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet,* ut ait S. Bonav.

l. quædam, ff. de jure gent. & l. nemo, §. 1. ff. eodem.

S. Bonav. in Spec. Vir. c. 8.

Singulorum voluntati accommoda (secundo loco dicebam) Dei Genitrix medicamenta confert sic ut æger quisque medicatui suo præscribat regulas : & affirmare valeamus languidum sibi quasi mederi. Apollinis præscripto elaborata pharmaca non ad arbitrium ægroti sanare valent : alia namque serò nimis : quædam non sine amarore multo : altera verò cum novo salutis damno, pellunt ægritudinem. Ferè nullus ad proprię voluntatis normam recuperat sanitatem. Non sic medela Mariæ. Propterea fortasse à Damasceno vocatur ipsa *pelagus curationum* ; cùm sit verus fons salutis : eo quod fons non metitur multoties aquas, juxta sitientis desiderium ; pelagus verò tunc totque dispertitur undas, quot voluerit qui haurit illas. Sic Maria : nam desideria infirmantis, qui ejus implorat opem, mensutant ita sanitatem, ut hanc non tam ex ejus manibus, quàm manu propria videatur sumere sibi.

79. *A Maria manibus æger salutem non tam accipit, quàm sumit.*

S. Joan. Damasc. orat. de dormi. B. Virg.

Ne linquamus Jordanem : abundat & aquis & mysteriis. Verosimillimum est prophetam præsciviſſe Naamā offensum iri cùm ad ipsum non exiisse vidit Elisæum : *Putabam quod egrederetur ad me*, &c. Et infrà. *Cum ergo vertisset se, & abiret indignans*, &c. Offensionis ansam præbere illi quem beneficio prosequeris, imprudentiæ verti solet, est enim donum perdere, ac hostem propriis expensis provocare. Jubeat Elisæus ministro suo ut aquam ex Jordanis fluctibus afferat, illaque diluat Naamanum Vates idem, ut ipsi Elisæo attribuat salubritatem Syrus Dynasta : ne fortè putet naturali aquarum virtute, non verò Prophetæ miraculo rem accidisse. Ex ænigmate ad veritatem pronum est ascendere. Maria Jordanis est, cujus aquis æger sanandus ita propriæ voluntatis electione utitur, ut manu sua salutem arripere putetur. In hujus rei signum ad fluvium eat leprosus, & manibus propriis desumat lympham qua sanetur. Cùm enim qui non alienis manibus dona sumit, his utatur frequentiùs (utpote quæ proprio videt arbitrio commissa) Maria quæ vellet quotidiana liberalitate mortalium ægritudines auferre, manibus nostris medicamen remittit. Demirare potentiam, miserationi plaude.

4.Reg.5.11. & 12.

80. *Maria sanitatem reddere solet securam.*

De securitate (inquiebam tertiò) doni tanti sollicita Mater clementissima valetudines impertitur. Liberalis beneficium conferens à periculis non immune, dimidiatum dedisse videtur : quia non modicam ejus portionem timor adimit amittendi. Præcipuam damni partem afflictis relinqueret ægris Maria si morbum fugans metum in eundem reincidendi non auferret : languor etenim corpus excruciat ; at verò timor contorquet animam : & ut Seneca dixit, *quemadmodum pernitiosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat timenti*, &c. Ergo ut integram redonet Maria sanitatem, non medetur quin à discrimine tutos constituat. Obduratus Pharao renuebat à servitutis injustæ vinculis filios Israël dimittere, quantumvis acerbis mulctatus flagellis. Novo adhuc supplicio plectuntur Ægyptij : *Factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus & iumentis.* Et quamvis scriptura

Senec. in epist.

Exo. 9. 10.

taceat

taceat hujus morbi ceſſationem, non eſt cur dubitemus tandem ceſſaviſſe ulcerum plagam. Hoc tantùm inquiro: Cur non uſus virgâ fuit Moyſes ad ulcera tollenda? Signorum inſtrumentum erat illa. Ceſſet per virgam languor. Cur non ita factum? Quia cum Mariæ ſymbolum virga fuerit, de quo ſuprà n.68. non decebat ut ſalutis ſecuritatem Ægyptiis præſtaret, ne ſuperbiret Pharao ſuos videns ab alio ſimili flagro ſecuros. Sanitatem conferre, ſed non ſecuram, non decebat eum qui utebatur Virginis umbrâ: ut indicaretur Mariam ſanctiſſimam fore poſtea ſalutis humanæ authricem adeo potentem ut non ſolos fugaret languores, quin & illorum metus juberet exulare. Igitur dicam cum D. Bernardo: *In rebus dubiis Mariam cogita:* ſic dubium recedet ac ſtabilietur oprata ſecuritas, & aberit ægrotanti mæror: eſt quippe Maria *ægrotantium exultatio*, ut eam vocat S. Ephrem.

S.Ber.hom. 2.ſuper Miſſus.

S.Ephr.orat. de lau. B.M.

82. *Quàm jucundum ſit opus B. Mariæ ſanare languidos.*

Ex his omnibus inferre licet numeratam quarto loco circumſtantiam ſanitatibus, quas B. Virgo miſericordi manu diſtribuit, adjacentem: ſcilicet voluptatem, qua eidem gratiſſimum opus eſt amiſſam incolumitatem reſtituere mortalibus ægris. Inter hominum dona ſunt quæ non ſponte; alia quæ non voluptuosè, nonnulla quæ gaudenter manus donantis præſtat egentibus. Priora cadunt potius, quàm donantur: Secundi generis largitiones manui tribuuntur: poſtrema ſola cordi debentur: ſunt enim amoris fructus. In B. Virgine erga nos dilectionem eximiam ignorare difficile eſt, nam *Maria per dilectionem qua diligit hominem colligat ipſum hominem ſibi ipſi*, ut ait Ricardus à S. Lau. unde Mater humaniſſima non ſola manu largitur, ſed corde: deliciæ namque ipſi eſt ſublevare laborantes.

Ricar. à S. Lau. l.6. de laud. Vir.

Miraculum Eliſei pro Naaman ſanatione patratum, ter verſavimus proximè: liceat adhuc nonnihil ibidem adnotare. Ad ſeptimam lotionem, (cum poſſet ad primam) reparata eſt Principi mundities, quam per lepram ille amiſerat: *Vade & lavare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* Memini Senecam acutè diviſſe: *qui tardè fecit diu noluit.* Si naturali virtute aquæ lepra ſanaretur, eſto unica vice non ſufficiat ſe diluere ut illam excutiat: ſemel tamè quòd prodigio res executioni danda, quid myſterij habet quod ſemel, an quod ſeptiès lavetur? Mariæ delineabatur in medendo voluptas. Quod eximiè tibi gratum eſt munus non curſim exhibes; ſed gaudes in hoc trahere moram. Beatiſſimæ Virgini filios Adæ à morborum moleſtia ſalvos eripere blandimentum amoris ejus eſt. Non coactè beneficia hujuſmodi conferre credas, cum forſan morosè medetur: voluptatem hauriens cunctatur, quaſi neſciens à negotio adeo ſibi charo manum tollere.

2.Reg.5.10.

Sen. de benef.l.1.c.1.

82. *Dei Verbum gaudet conferre ſanitates quatenus filius Mariæ.*

Concludam igitur quod hujus initio tituli prædicebam ſcilicet: hominum Deique Parentis eſſe peculiare ſalutem infirmantibus adducere. Quod ita verum eſt ut ipſe illius Unigenitus hoc agnoſcens, & quaſi reputans ſe hoc deſiderium ſanandi morbos à Maria hæreditaſſe, frequentiùs, cum terris immoraretur, conferebat ſanitatem ægris quatenus Virginis filius, & non tam crebrò illam donabat prout ab æterno Parente genitus. Tempeſtivè Ricardus Victor: *Cum miſericordia Dei ſit ab æterno, amplior eſſe cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium: ejus quoque largitas per te ſumpſit augmentum. In te ergo concrevit lac divinæ miſericordiæ, & ex te nobis profluxit.*

Ricar. Victor.p.2. expoſ. in Cantl c. 23.

Morem gerere matribus filij tenentur. Chriſtus Dominus ut immaculatæ Genitrici morigeraretur, ſe per id, quod accepit ab ipſa, largiri ſalutem opere teſtatus eſt: quaſi cum corpore traxerit benignam è Mariæ viſceribus charitatem. Poſt D. Petri ſocrum ſalute mirabiliter donatam, narrat Evangeliſta Matthæus oblatos Chriſto Domino dæmoniacos verbo liberaviſſe, necnon & languidis incolumitatem reparaſſe? hoc tamen impoſitis manibus præſtitiſſe Lucas exprimit: *Et ejiciebat ſpiritus verbo: & omnes malè habentes curavit*: ſic habetur apud Matthæum. Lucas verò ſcribit ſic. *Cum autem Sol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.* Feſtinabat interire dies: & ſingulis manus imponit cæleſtis medicus? Moras trahit is, cui neque placet in beneficio dando ſegnities, nec erat in omnibus unico ſimul verbo medendis aliqua difficultas! Spiritus malos expellit verbis? ægritudines manibus impoſitis cunctanter ſanat ſingulatim? Non inopportunè factum, ut inſinuaret ſanitates ibi Dominum conferre non quà Deum, ſed quatenus homo eſt. *Quamvis autem ut Deus* (ait S.Cyrillus) *potuiſſet omnes verbo pellere morbos, tamen tangit eos oſtendens propriam carnem efficacem ad præſtanda remedia, nam caro Dei erat.* Bene: ſed reminiſcere illud Auguſtini: *Caro enim Ieſu caro Mariæ eſt.* Ideo Chriſti ſanctiſſimo corpori addicta ſpeciali ratione hominum valetudo erat: manu ſanabat Dominus, ut carnis ex Virgine oriundæ munus propriiſſimum exequeretur: quaſi ab illa derivatam induerit pietatem qui ex ſeipſo infinities miſericors eſt. Vide quàm verum ſit illud Ambroſij de B. Maria dicentis: *Eum concepit & peperit, & coronam capiti ejus æternæ pietatis impoſuit.* Hinc ortæ Redemptoris laudes, totius orbis voce jam ſuppliciter plaudente, Mariam Virginem exultanti jubilo afficiunt, in cujus gratiam benignus mala noſtra propulſat prædilectus Filius: quo gaudio non immemor ille debiti Matrem amantiſſimam verè *ſapiens lætificat.*

Matth.8.16. Luc.4.40. S.Cyri. apud Cæ.D.Tho. S.Aug.ſer.de Aſſump. 1. qui eſt 34. de SS. S.Ambr.l.de inſtit. Virg. c.16.tom.4.

DELIBATIO XIII.

Materiem tituli prioris perſequar.

MAriæ ſanctiſſimæ perpendens amorem quo nos proſequitur miſeriis ingemiſcentes, maternum jure optimo vocari video: ſic namque velut ſi noſtris tangeretur ærumnis, miſereſcit afflictis, imò Ricard. Vict. ita Virginem alloquitur: *A Deo pietate replentur ubera tua, ut alicujus miſeriæ notitia tacta,*

83. *Videtur non poſſe Mariam agnoſcere noſtros angores, quin ſubveniat.* Ricar.Vict.

lac

in Cant. 4. n. 5. p. 2. c. 23. *lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire & non subvenire.* Quod ne quis devotioni tantùm attribuat piè audentis, adeamus textum. Voluit diluvio Deus hominum peccata punire servato Noemo. Jussit huic ut arcam fabricaretur ingentem, & ibi clausum custodivit mediis in undis. Ausus est sexta mundi ætate diabolus Herodis manu Filium Dei persequi : necem innocentium tyrannide ministrâ molitus est, ut sic innocentissimo puerulo vitæ usuram eriperet inter insontes. Monetur per Angelum Josephus ut accipiat puerum & matrem ejus ac Math. 2. 13. in Ægyptum pergat : *Accipe puerum & matrem eius & fuge.* Divinæ providentiæ, quæ Noemum in ipsis custodivit aquis, deessent ne media quibus Mariam inter persecutorum gladios cum infantulo servaret incolumem ? Cur non Virgo filium exorat ne se patiatur exulem abire ? Quia non valeret pietas Matris sanctissimæ illic manere ubi aliarum Genitricum gemitus audiret, quin eis opem ferret postulans ab Unigenito ne cladem permitteret parvulorum : quod si peteret obtinuisset utique, juxta illud S Germani : *Non enim potes non exaudiri ; cum Deus ut veræ ac intemeratæ matri suæ quoad omnia, & per omnia, & in omnibus morem gerat.* Non tamen erat infantibus petitio ista conveniens, ne martyrij palmam deperderent. Noë clausus in arca sciebat aquarum vi cunctos obruendos, nec tamen pietate motus est ut à Deo facultatem poscceret nonnullos misericordiâ minus indignos colligêdi. Maneat ibi Noë quamvis pereuntium clamores audiat. Attamen exeat ab Herodianæ sævitiæ theatro Maria in Ægyptum, ne contingat pro parvulorum ipsis nociva incolumitate preces emittere : nam gemitus matrum audire, nec opem ferre Noemus posset, Virgo ferè non valebat : *Nec possis miserias*, &c. Abeat in longinquam regionem, ut sic oculos avertat à pereuntium lachrymis, & more nescientis quid plorent, se valeat à conferendo remedio continere. Matris officium hoc est : filiorum cruciatus non posse, quin misereatur, aspicere.

S. German. Constantinop. Orat. 2. in Mariæ dormi.

84. *Afflicto solet Maria plus remedii conferre quàm ipse cupiat.*

Solent etiam teneræ adhuc ætatis filij, malorum quæ largissimè deplorant medicaminibus non acquiescere. Unde coguntur dilectione genitrices illorum erga seipsos amorem proprium antecellere, atque plusquam ipsi desiderant, eorum curare bonum. Sic Maria sanctissima non solos vincit filiorum mœrores, sed ipsorum de remedio vota superat : etiam cum petunt ipsi micas, effundit ea largiùs. Hunc fortè gustū percipies in Bernardo. *Plena es gratiarum, plena rore cæleſti : innixa super dilectum deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos Domina : ipsi quoque catelli de micis edant : nec puero Abrahæ tantùm, sed & camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua :* sed ad temporalia revertamur, quæ animosius postulare solemus : etiam in his à Virginis munificentia superamur.

S. Bern. ser. in sign. mag. fine.

Humani desiderij sphæræ infinitatem ideo æmulatur quia finita cupit : nec enim satiabitur creaturis ille cujus centrum Creator est. Maria tamen ut etiam supra desiderij limitem nescientis ambitum protendat miserationem, solet afflicto plus remedij conferre quàm ipse cupiat. Ascendendi cupido præcipitem impulit Absalonem ut juri naturæ claudens oculos aperto marte patrem auderet oppugnare. Cedere tempori oportuit satis dolentem Davidem : cui ut Altissimi auxilium impetrarent Levitæ adduxerunt arcam, quæ regi comes esset ac patrocinium. Rex tamen dixit Sacerdoti : *reporta arcam Dei in urbem : si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me,* &c. Memini multò aliter populum Israel olim se gessisse : nam à Philisthæis devicti dixerunt majores natu : *afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.* Israel pro superandis hostibus arcam adducit ! David ingratum Absalonem fugiens, extremumque veritus infortunium, arcam secum deferri non patitur ! Non erat ambobus idem belli studium. Utriquè fateor, experientia docebat infœliciter quàm sit Martis horrida facies : flebat enim rex effugere compulsus, & antiquitus dolebat Israel hostili gladio cæsus : non tamen utrisque mens fuit una. Vellet populus Philisthæos usque ad omnium internecionem evertere ; David non ita, quia sibi cum dilecto filio res erat. Cupiebat equidem illum vincere, quia congruebat bono communi ; nollet attamen ut Absalom periret, quod satis aperuit cum exercitus ducibus commendaret ingratissimum, dicens : *Servate mihi puerum Absalom.* Reduci jubeat arcam David quæ Mariam retulit. *Arca testamenti verissima, quæ auro vestita mundissimo virtutum gemmis ornata, ex imputribilibus lignis spiritualiter facta, testamenti tabulas condentem virgam & suavissimum in se manna continuit.* Hæc Protopatriarcha Venetus. Et cum Mariæ sanctissimæ typus esset arca, regi ampliorem victoriam donatura foret in lachrymarum levamen, quàm desiderabat ipse : proindeque Absalom periret citius, ac ipsius rebellioni faventes interirent penitus, quod certè regi displiceret nimis. Esto adduxerit populus arcam : quia quò major esset Allophylorum cædes, eò plùs gauderent de victoria. Remedia dum quærit afflictio, ultimam ponat lineam : & plus ultra clementissima Parens donabit, votorum metas post terga relinquens,

2. Reg. 15. 25.

1. Reg. 4. 3.

2. Reg. 18. 5.

D. Laur. Justin. ser. de Nat. B. Mariæ.

85. *Maria liberat à discrimine quos protegit.*

Maternæ dilectionis munus etiam est pericula gnatis avertere ; ac eos ab illis, in quæ inciderint, eripere. Utrumvis præstat Mater vigilantissima sic ut quisque dicere valeat verbis Bonaventuræ : *Formidinem meam erexit in confidentiam bonam, & suo aspectu mellifluo mentem meam serenavit.* Quotquot vivimus plenum scopulis, procellis turbidum, enavigamus æquor. Potentibus anceps fortuna, humilibus malefida spes, tristibus doloris gladius, lætis monitor metus instat : cunctos denique circumobsident mille discrimina rerum. Quidni periculis conflictemur qui mundum perfidissimè fallacem diligimus ? At si Mariæ præsidium quæramus, nullum aliud experiemur discrimen præter illud primum, quod nobis ad eam confugere suasit.

S. Bonav. in psalter. Virg.

Sicut

Cant. 4. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea*, &c. legit Divus Ambroſius *mille oſtia pendent in ea.* Quid clypeo cum oſtio eſt commune ut eâdem literâ ſignificentur? Clypeus protectionem indicat: hæc à Maria præſtatur invocantibus eam: ſed ita ut meliùs explicetur oſtij, quam clypei ſimilitudine. Urges ut rationem, qua nitor, aperiam. Attende. Clypeus qui lanceæ ſemel reſiſtens te protegit, non tollet quin ſecundo jaculo te petat adverſarius. Oſtium verò turris, ſi diſcrimen timens ad eam te reduxeris, immunem reddet à ſecundo telo: nam oſtio clauſo jam hoſtis miſſilia deludis. Non intempeſtivè Philippus Abbas: *Tanta fortitudine collum Virginis roboratur, ut ad ſuſferenda noſtra infirmorum onera non inſufficiens habeatur, & inſtar turris validè nos invalidos tueatur.* Ut ergo ſignificetur Mariæ omnipotens auxilium homines à dubiis etiam malis incolumes conſtituere, *mille oſtia pendent in ea.*

S. Ambr. Philip. Ab. in Cant. l. 4. c. 13.

86. *Per oſtium quo poſſet ingredi malũ, ingreditur fœlicitatis nuntium ſi Maria faveat.* S. Method. Orat. in Hypapan.

Nec ſic expletur inexhauſta Mariæ charitas. Non ſolùm dubios tranquillat ſæculi fluctus: in ejus umbræ tegmine poſitis ulterius donare ſtudet, ut eadem via qua damnum poſſet merui, levamen ingrediatur jucundiſſimum. Meritiſſimè S. Methodius vocavit Mariam forcipem purificantis carbonis alludens forſan ad Seraphim Iſaiæ: nam ex eodem igne quo poſſet formidari divinæ ultionis incendium cælitus ruens, benignam adducere ſolet medelam & perutilem. Omnipotentiæ divinæ magna, ſed non frequens, excellentia eſt mediis (ſi naturam ſpectemus) oppoſitis intentum finem aſſequi, ne mediorum efficaciæ quidquam ipſe debere videatur. Mariæ, quaſi divinæ manus æmulatricis, mos eſt gaudium per ipſammet introducere januam, per quam vereri poſſemus ne ſubreperet infortunium.

Inter cataclifmi gurgites concluſus arcâ Noë vorticibus ambiebatur, donec prohibitis de cœlo pluviis decreverunt aquæ. *Cumque tranſiſſent quadraginta dies aperiens Noë feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit corvum*, &c. & emiſsâ poſtea ſemel iterumque columba, tandem *illa venit ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noë quod ceſſaſſent aquæ ſuper terram.* Quam gaudenti animo Patriarcha nuntiam de fine diluvij columbam exceperit, nemo non videt. Hoc ſolum vellem ne præterires: quòd ſcilicet per feneſtram arcæ nuntium iſtud involaverit. Feneſtram in tecto arcæ poſitam non dubitas: nam in latere oſtium fuit; non feneſtra: tectum verò apertum poſtea fuiſſe à Noemo textus ait: *Aperiens Noë tectum arcæ aſpexit*, &c. Unde colliges feneſtram, de qua in ſuperioribus verbis agitur, fuiſſe in arcæ tecto, clauſam tamen: illamque à Noemo recluſam ut corvum, ac deinde columbam primò & ſecundò mitteret. Quæro: ſciebatne jam Noë ita ceſſaſſe nimbos, ut per apertionem feneſtræ arcam aquis inundare timendum non eſſet? Non video cur certum de hoc Patriarcham aſſeramus. Et non timet ne permeent aquæ feneſtram? Quid timeret qui ſub arcæ, figura Mariæ, protectione tutus erat. *Maria*, inquit S. Bonav. *figurata fuit per arcam Noë.* Hujus tutela munit quos tutatur, lætitiam immittens per oſtium idem quò poſſet aliàs infœlicitas ingredi. Feneſtra quæ patens valeret aquas întromittere ut perirent naufragi, hæc introduxit columbam, quæ vireſcentem premens ore ramum, ſecuritatem teſtata eſt ut exirent incolumes. Sic Maria ſolet ſuperare pericula cuncta, & ipſa diſcrimina in ſortis inſtrumenta commutare.

Gen. 8. 6. Ibi n. 11. Ibi n. 13. S. Bonav. li. bell. de lau. Virginis.

87. *Cupiunt Maria ſibi pericula noſtra.* Noſti quod hæc B. Virgini ſuadet amor exequi: proprium enim eſt ardenter amantis, ut nequaquam dilectione ſufficere putet quod indigentiæ ſatis eſſet. Hoc in Maria ſanctiſſima homines adeo verum expetiuntur, ut ipſorum diſcrimen ſibi appropriare cupiat: ſe veluti pia mater in nos transformet cum patimur. Appoſitè Ricardus: *Maria eſt mulier Chananæa quæ clamat ad Deum pro filia, id eſt peccatrice anima, cujus etiam perſonam miſericorditer in ſe transformat dicens: miſerere mei fili David*: Diligit hæc ipſa Mater perfectiſſimè gnatos, proindeque vivit in tam dilectis. Unde illorum pericula ſibi ſumere vellet, ac reddere propria.

Ricar. à D. Lau. l. 6. de laud. Virg.

Mulier amicta Sole, pedibus Lunam conterens, & ſtellis redimita caput, apparuit Joanni. Hanc ſymbolum B. Virginis adeo notum eſt, ut Auguſtini tempore res eſſet jam cunctis obvia. *Nullus veſtrum ignorat* (inquit ille) *mulierem illam Virginem Mariam ſignificaſſe.* Vidit ſimul Evangeliſta Vates draconem, qui cauda *trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram.* Hæc ſtellarum projectio damnum præſignabat hominum, juxta D. Thom. *miſit in terram, ſcilicet tractos allexit terrenorum amore. Primò enim draco ille homines ſeducit trahendo à fide, vel à ſtatu gratiæ, & ſic eos aliquo tempore per blandas tentationes ſeducit poſtmodum, ut eos magis involvat allicit terrenorum amore*, &c. Stetit ante mulierem draco ſed illa fugam cepit, *Mulier fugit in ſolitudinem.* Poſtea inito prælio victus à Michaële & Angelis ejus, in terramque projectus, inſecutus eſt draco mulierem: *Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ ut volaret in deſertum.* Nihilominùs ex ore projiciens flumen adhuc ſerpens mulierem perſequitur. Quæro cœlum habitabat, & fugit ad ſolitudinem fœmina! Rem certè miram! Projiciendus erat ſtatim draco: igitur mulier cœlum non deſerat, Angelorum advocet agmina: deſertum petit? Vidit draconem homines per ſtellas deſignatos in terram dejeciſſe; Nollet ut in iſtos poſtquam fuiſſet projectus deſæviret. Quid egit ut eorum diſcrimen in proprium caput (ad ſpeciem) transferret? Ad terram effugit ut ſerpens qui ferventiùs odiebat ipſam quam homines, iſtos relinqueret, ac ipſam inſectaretur: quod reipſa non aliter accidit. *Et poſtquam vidit draco quod projectus eſſet in terram perſecutus eſt mulierem.* Et infrà. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Vide quam pio miſereatur affectu mortales! Eò pertingit amoris vis ut & pe-

S. Aug. tom. 9. l. 4. de ſymbo. ad Carhe. c. 1. Apoc. 12. 4. D. Thom. ibi. Ibi n. 6. Ibi n. 14. Ibi n. 13. & 15.

ricula noſtra videatur convertere in ſui diſcrimina captis.

88. *Etiam invidiæ Maria remedium affert.*

Et ne putetur Mariam ſolis afflictorum commoveri malis, addam etiam fœlicium commiſereri, ut ignota ipſis damna facilis avertat. Prolixus eſſem, ſi nunc eorum quos fortunatos appellamus, detrimenta percurrerem impendentia quæ minimè norunt, imò & fortunam concomitantia. Ex his poſterioribus unicum, radicem plurium, ſcilicet invidiam, proponam. Deſperat ſors hujuſmodi hoſtem niſi pereundo vincere; ſed rarum non eſt Mariæ auxiliis mærores deſperatos invenire medelam, juxta illud Damiani dicentis ad Virginem: *Nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem beatitudinis relevare.* Ad invidiæ flammas extinguendas fons ſignatus, Maria ſcilicet, peculiariter evalet.

S. Pet. Dam. ſer. 1. de Nat. Virg.

Core, Dathan, & Abiron, cum pluribus ſynagogæ proceribus adverſus Moyſen & Aaron inſurrexerunt ægrè ferentes eos in populo Dei præeminere. Horrendè punita eſt illorum audacia, & plaga precibus ipſius Aaronis quievit. Tunc Domino jubente Moyſes, ut fratris electio legitima comprobaretur prodigio, tredecim Virgas, quarum una ſpectabat ad Aaronem repoſuit in tabernaculo: & ea ſola mirabiliter germinans effloruit. *Dixitque Dominus ad Moyſen: refer Virgam Aaron in tabernaculum teſtimonii, ut ſervetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël, & quieſcant querelæ eorum à me, ne moriantur.* Imò antea promiſerat Dominus ſe per hoc miraculum obviàm iturum detractionibus hujuſcemodi: *Et cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël quibus contra vos murmurant.* Virga ne frondens cohibebit murmuratrices linguas, quas contra ipſum Deum non ſemel furentes, nec tot portentis omnipotentia frænaverat? Eſt ne in Virga illa peculiaris adverſus hoſce detractores latens virtus? Umbram linque.

Num. 17 10.

Ibi n. 5.

Virga hæc Mariam figurat: *Tu enim es Virga Aaron recta, florida & fructifera:* dixit ad Virginem S. Bonav. Detractio hæc ex invidia promanaverat, cui peſti quid niſi Dei Genitrix obſiſtet? Hæc eſt præcipua fœlicium infœlicitas, cui, ne ullum hominum genus à ſuo protectionis umbraculo excludat, ſubvenit omnium Parens: quam benigniſſimè illius orationi annuens, *Filius ſapiens lætificat.* Igitur utriuſque ſortis experientiis ingemiſcentes ad throni miſerationem ſpirantis confugiamus umbram, & ſupplicitèr pro tutaminis imploratione Pſalmum offeramus quo Mariæ miſericordiam noſtrûm omnium doloribus auxiliatricem advocemus.

S. Bonav. in ſpecul. Virg. c. 8.

Pſalmus miſericordiam expoſcens Beatiſſimæ Deiparæ.

Miſerere mei Dei mater alma, ſecundum piiſſimam miſericordiam tuam: & ſecundum viſcera miſerationum tuarum, precibus tuis dele iniquitatem meam. Amplius lava me fons hortorum tua intercеſſione ab iniquitate mea: & à peccato meo puteus aquarum viventium, munda me.

Quoniam iniquitatem meam, & clementiam tuam ego cognoſco, & niſi me protegas, peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli poſt Redemptorem datum eſt, ne dicere poſſes peccavi; ego autem ſæpiùs malum coram te ac Filio tuo feci, ut juſtificeris in miſerationibus tuis, & vincas indignitatem meam cum miſereris.

Ecce enim ſine iniquitatibus concepta es: & in peccatis me genitum ſuſcepit me tua miſericordia mater mea. Ecce enim Divinam veritatem genuiſti: & ideo certa, & quibuſdam occulta, dona pietatis tuæ manifeſtaſti mihi. Aſperges me rore aurora conſurgens, & mundabor: lavabis me fons ſignatus, & à Deo per tuam nivem dealbabor.

Auditui meo vox tua dulcis dabit gaudium, & facies decora lætitiam: & exultabunt coram tua majeſtate oſſa humiliata.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & ad preces meas converte, & omnes iniquitates meas, verè umbras, rogans pro me miſero, dele pulchra ut Sol.

Cor mundum creet in me Deus, qui per Spiritum ſanctum innovavit me in viſceribus tuis.

Ne projicias me à benevola facie tua: & vultum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam qua exultem in ſalutari tuo, & ſpiritu fiduciali confirma me.

Docebo iniquos excellentias tuas: & impii ad te benignam convertentur.

Libera me, impetratis auxiliis ab Sponſo tuo, de ſceleribus, mater Salutis meæ: & exultabit lingua mea pietatem tuam.

Domina labia mea de ſupernis irrigans aperies: & os meum dulcedine perfuſum annuntiabit cunctis laudem tuam.

Quoniam ſi Filius tuus voluiſſet ſacrificium dediſſem utique; holocauſtis non delectabitur.

Sacrificium Deo Spiritus contribulatus: & cor Matris peccatorem contritum & humiliatum offerentis Deus non deſpiciet.

Benignè fac Domina in bona pietate tua filia Sion, ut reædificentur muri ſpiritualis Jeruſalem.

Tunc acceptabit Deus oblationes & holocauſta, ſi peccatores imponas ſuper ejus altare tanquam vitulos.

Gloria æterni Patris Filiæ, Verbi Divini Matri, & Spiritus ſancti Sponſæ: Sicut erat ab Angelis in ejus principio, & nunc ab hominibus, & ab utriſque erit ſemper eidem in ſæcula ſæculorum.

Si criminum pondere gravati vix ad miſericordiam Dei, quantumvis pronam, oculos levare audemus, hujuſmodi vel ſimilibus oblatis precibus, ad Mariam, *ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat:*

S. Ber. ſer. 4. de Aſſumpt.

DELIBA

DELIBATIO XIV.

Exhilaravit sapientia increata Genitricem bonorum suorum thesauros ipsi dispertiendos committens.

89. *Non nisi per Mariâ Deus exequitur promissum beneficium.*

DEus naturâ quidem beneficus, ingratissimis munera collaturus, ne justitiæ suæ offensam intulisse videretur, si peccatorum demerita conniventibus oculis prætereiens, reos donis redundanter afficeret, sapientissimè viam invenit, ut liberalitatis officia transirent in justitiæ sphæram. Quo ingenio, quæris? Dicam. Mariæ Beatissimæ commisit ut hominum supplices libellos exciperet, ac pro eorum admissione preces funderet: ut sic ejus oratio, cui titulo præmij debetur exaudiri, delinquentibus impetret quidquid indigent, absque ulla justitiæ offensione: imò & amplius. *Quia indignus eras cui donaretur Deus, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes. Quæ per hoc quod mater est genuit tibi Deum, per hoc quod virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua, & totius generis humani.* Et infrà: *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.* Hic est divini fontis aquæductus, per quem bonorum nobis affluentia dimanat. Etsi brachium præpotens Deus extendere promiserit: non tamen nisi per Mariam exequetur quod pollicitus est beneficium.

S.Bern. ser. 3. in vigil. Nata. Domini.

Ex Pharaonica potestate cupiens Dominus Jacobi stirpem educere, id Moysi Aaronique fratribus commisit. Sed hoc ipsum videri poterit alicui supervacuum: scilicet rem tantam hominibus exequendam commendare. Nonne Deus manum suam extendere spoponderat ut Israëlem eriperet? *Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.* Sic Dominus ad Moysen. Nunquid non ipse Conditor libertatem istam sibi, suoque brachio appropriavit, dicens: *ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso, & judiciis magnis?* Ad quid ergo Moysen istius negotij gestorem creat? ut opus humanæ industriæ gentes existiment Hebræorum libertatem? Ut Pharao insolentissimè protervus divinam despiciat majestatem sæpe? Oportuit per Moysen beneficium illud populo conferri, ne sine virga (quæ, ut suprà n.68. dixi, Virginis est ænigma) populus Dei promissa reciperet: extra communem providentiam foret, sine Mariæ umbra, Hebræos divinis muneribus augeri. Tollat Moyses virgam: in ipsa operetur mirabilia, & plebis commoda sic per ordinarium descendant beneficiorum Dei tramitem. Omnia in figura contingebant illis. Nobis, quibus veritas aperto jam toto cœlo patet, inde, facilè contemplari licet Mariam sanctissimam ad hoc electam, ut quod à divina benignitate præstolantur mortales, accipiant fœlices.

Exod. 3. 20.

Ibi c. 6. n. 6.

Lætificata est adeo piissima Virgo sibi facta cõmissione munerum nobis dispertiendorum clementissima, ut ambabus (rudi minerva dicam) manibus hoc susceperit exequendum. *Denique omnibus omnia facta est* (inquit Divus Bernardus) *sapientibus & insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi*, &c. Percurre varias & plurimas hominum miserias, nulla erit extra misericordissimæ Dominæ pallium quo miseros contegit mater leniissima. Si pauperiem pateris, illa tibi gemmarum, aurique loco erit. *Ave gemma singularis*, inquit S. Anselmus, qui etiam ait: *ave lamina aurea.* Si mœrore angeris, ipsa ex Damasceno est *mæstis consolatio*: si fluctibus naufragaris, est Maria *tempestate jactatis portus*, ut idem Damascenus dixit: si fame torqueris, arbor est dulcissimum ferens fructum: *Statura tua assimilata est palmæ*: si delicta meditatus trepidas, illa vocatur à Damasceno *peccantibus venia*: si fortè siti cruciaris, accede, nam dicitur *fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Si frigore constringeris, in ea Solis experieris radios, quibus fovearis: *electa ut Sol.* Si hostium paves insultus, ejus auxilia quære, securus eris, cum sit ipsa *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Mortis ne metu contorqueris? amarescunt sæculi fellea bona? hujus hostis ictus desperationi fere proximum te reddidere? Ad Mariam vade quæ vita, dulcedo & spes nostra. Sic eam Ecclesia compellat in antiphona quam (licet aliter videatur sentire Carthagena) composuere Angeli audiente D. Bernardo: qui postea ut ad totam Ecclesiam extenderetur obtinuit à discipulo suo Pontifice maximo Eugenio tertio, Cistertiensi testante Historiographo.

90. *Maria utrâque manu beneficia cumulat.*

S. Ber. ser. in sig. magn.

D. Ansel. in psalter. Virg. p. 3.

S. Joan. Damasc. Orat. 1. de dormi. Virg.

Cant. 7. 7.

Damasc. suprà.

Cant. 4. 15.

Ibi c. 6. 9.

Ibi.

Britt. in Chronic. Cister.

Cernis quam verè dictum, omnibus omnia facta est? Ne mihi succenseas si dicere audeam divinam liberalitatem, quia nonnulla negat (juxta illud Jacobi: *Petitis, & non accipitis*) unica manu pro munificentia exequenda uti; Beatissimam verò Mariam, non una, sed utrâque manu dona dispergere. D. Bonav. illa verba Davidis expendens, *sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*, B. Virgini adaptat ea, dicens: *Ancilla Dominæ Mariæ est quælibet anima fidelis, imo etiam Ecclesia universalis; oculi hujus ancillæ in manibus dominæ suæ semper debent esse, quia oculi Ecclesiæ, oculi omnium nostrûm ad manus Mariæ semper debent respicere, ut per manus eius aliquid boni accipiamus.* Posita expositione hac, quam licet eximius dictaverit amor, vera tamen est, alia Psaltis regij verba conferre lubet prædictis. Ait alibi: *Salvum fac dextera tua & exaudi me.* Unicam omnipotentis dexteram expetit David? Utramque Virginis manum sollicitat anima? *Oculi ancillæ in manibus dominæ.* Eccur ita? nisi quia Dominus ut justitiæ manum alteram reservet, sola dextra benefacit. Mariæ verò cùm & omnibus omnia facta sit, & punire hominum crimina non incumbat eidem, ambabus manibus nos donis replet. Verè *Domina innumerabiles sunt virtutes*

Jacobi 4. 3.

Psal. 122. 2.

S. Bonav. in spec. B. Vir.

Psal. 59. 7.

D.Bonav. in psalte. Virg.

tuæ, & inæstimabiles misericordiæ tuæ, ait D. Bonav.

91. *Videturne B. Virgo liberalior ipso Deo?*

Potentiam cœlorum Imperatricis extollant alij: potius quàm potestatem, laudandam suscipio beneficentiam, nam de mundi Regina dicere possumus quod Hidelbertus de rege suo: *Novit ille regiam manum melius donativo splendere quam sceptro.* Parum abest ut asserere possimus dona beatissimæ Deiparæ antecellere Dei beneficia. Terminum divina liberalitas non admittit: sed, hominum judicio, munificentiæ primas dilectæ matri cedit libentissimè.

Hidelber. Epis. epist. 3.

Cœlestium visionum contemplator Joannes vidit è throno majestatis immensæ flumen crystallinum, quo denotabatur æternum perennatura fœlicitas. *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni.* Ubi glossa: *Fluvium, id est aquam fluentem, id est æternam beatitudinem.* Ad mundi regrediamur incunabula. Paradisiaco nemore fons ebulliebat, qui ascendens in quatuor dispertiebatur flumina: *Sed fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ.* Et infrà: *& fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Textus capita hæc fluvios extitisse quatuor satis explicat: qui ut Rupertus expressit, ab eodem fonte manabant, quem locus voluptatis (umbra sanctissimæ Virginis peramœna) proferebat. *Sicut enim,* ait ille, *in initio fons ascendebat è terra irrigans universam superficiem terræ, & fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita: sic ex te, ô amica, ô benedicta, fons ille ascendit qui apud Deum erat, & in te puteum fecit. Ascendit ad irrigandam superficiem terræ, ad extruendam, & excolendam Ecclesiam per universum orbem terræ.* Compone modò utrosque latices. Ille bonorum cumulus, quem *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, unico designatur fluvio? è paradiso quadruplex flumen dimanat? Locus voluptatis (ut præcitatus insinuat Rupertus) Maria est. Quidni superefluant exinde gurgites? Quamvis ex throno Dei pro tot beatorum millibus unicum prodire amnem legamus; ex Mariæ largitate multiplices profluunt torrentes. An Dei magnificentiam superat?

Apocal. 22.

Glos. ord. ibi.

Genes. 2. 6.

Ibi n. 10.

Rup. l. 4. in Cant.

Prima Cor. 2, 9.

92. *Qui præ aliis Deo chari sunt, hos cõmittit B. V. protectioni,*

Hinc ergo liceat inferre quàm benigno Deus favore prosecutus fuerit hominum genus in eo quod Mariam ipsi concesserit in parentem. *Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat hominem esse solum.* Sic Bernardus. Hanc nobis Deus mediatricem blandissima miseratione providit. Non dedignatur equidem sub alarum suarum tegmine Dominus protegere quos diligit; sed præ multis charos Mariæ committit.

Idem ser. in sign. mag.

Justi duo ex iis qui vixerunt sub naturæ lege, summopere placuere Deo: Henoch, & Noë. Illum ne malitia mutaret, abstulit providentia. *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit quia tulit eum Deus.* Noë vero cum aquarum inundatione puniret orbem, clementia custodivit præsidio mobilis arcæ. *Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans.* Cur quæso Deus non transtulit Noemum ad locum ubi servabatur Henoch? Sic nec laborasset in arcæ fabrica per tot annorum spatia (centum quippe annis affirmat Augustinus molitionem illius productam: *Nec attendunt centum annos quibus arca illa est fabricata:* inquit S. Doctor:) nec justus inter montes aquarum fluctuaret, nec horrendum audiret circa se undarum impetum, mæstissimosque pereuntium clamores, nec ipsi & brutis contingeret fors omnibus una. Existimo sic divinæ providentiæ decreto factum quia plusquam in pluribus, propter circunstantias sanctitatis illius, Deus in Noemo complacebat. Audisti Gregorium Mag. dicentem: *Immensi est præconii bonum etiam inter malos extitisse:* Henoch fuit justus in mundi pueritia: cum scilicet non tot scelerum exemplis lacessita virtus ejus periculum subiit; Noemus verò recta via tunc incedebat cum prævaluissent delictorũ morbi: *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Unde ipsius justitiam D. Basilius miris laudibus effert, dicens: *Noë justus ille, cum in illa pessimorum hominum colluvie versaretur, non dixit Deo, propterea oportere se exire de mundo, quod reliqui omnes improbi essent, sed eò magis instar generosi ac fortis athletæ ad hæc occallescens se obduravit, & in profundissimo vitiositatis pelago, pietatem à tempestate incolumem conservavit.* Henoch igitur sub divinæ protectione constitutus evadat sæculi discrimina, qui non tam obsessus impietatum fluctibus tutatus est Dei amicitiam: Noemus autem peculiarius tuendus erat qui dum inter legum divinarum perversores degeret, sanctimoniam servavit intaminatam. Credatur arcæ, quæ, ut suprà n. 86. dixi, typus erat futuræ Dei hominumque Matris: ut sic is qui mirabiliori sanctitate præfulgebat, singulariùs defenderetur sub umbra Mariæ: quæ sicut futura erat umbraculum à cælestibus suppliciis humano generi, etiam illud protegebat cum extabat in umbra. *Nullatenus autem credideris maioris esse fœlicitatis & gloriæ habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ.* Guerricum audis.

Gen. 5. 24.

Sapient. 1. 4.

S. Greg. M. l. 1. mor. c. 1.

Gen. 6. 12.

D. Basil. tom. 2. l. constit. monast. c. 22.

Guerr. Abb. ser. 1. de Assumpt.

93. *Ut Virginem adeamus videtur proprio detrahere Deus honori.*

Deus equidem qui majestatem suam clementiâ manifestat, quamvis pij benefactoris amet laudem, tamen Matri suæ concedit, ut hujus amor in stirpem Adamidum eniteſcat adeò quòd dilectioni Dei erga nos palmam præripere videatur. Vellet Unigenitus ut misericordiæ matrem toto veneraretur orbis affectu. Cupiens igitur ut illam quæramus, Deus quodammodo suo detrahere videtur honori. Non obliviſci te puto Damiani dicentis ad Mariam: *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans, sed etiam imperans: domina, non ancilla.* Existimationi suæ quadamtenus Creator omnium cedit, ut matrem suam decoret. Idcirco licet possit ille bona cuncta sine Mariæ interventu conferre, malaque divertere prorsus: attamen ne sic Mariam ab hominibus non quæri contingat, in ipsa thesauros nostræ fœlicitatis libens posuit, ac humanam incolu mi

S. Pet. Dami. ser. de Nat. Virg.

incolumitatem ipsi addixit ut ad eam concurramus; quamvis accidat ex hinc non adeo divinam claresceret potestatem.

Jacob à filio Josepho vocatus pergebat in Ægyptum, cum nocturna visione Deum sibi dicentem audivit: *Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Gen.46.3. Quæro si hac Dei sponsione testante, futura erat Jacobi potens & numerosa propago. Ut quid hujus captivitatem sub sævo Pharaonis imperio permisit? Nonne prænoverat omniscius Dominus dilecti populi gemitus? tyranni rebellem inobedientiam? hæc omnia pati plebem quam delegerat divino congruebat honori? Diceret barbarus idolatra non amplius potuisse Deum Israëlis: utpote qui servitute detineri, oneribus premi passus est gentem sibi tunc peculiarem inter cunctas. Præveniat Deus ergo, priusquàm novus rex insurgat, qui Josephum ignorans, Jacobæam sobolem conterat: ab Ægypto educat eos antequam dura tot experiantur. Non ita disposuit universi Moderator: quia nisi perurgerentur apud Ægyptios Hebræi, nollent ad promissam regionem pergere. Mysterium introspice, literamque sepone. Ex Augustino terra illa quæ lacte manabat, B. Virginis extitit figura: *Sicut*, inquit, *uva illa Christum Deum figuravit, ita & terra repromissionis in qua natus est, sanctæ Mariæ videtur imaginem prætulisse.* S.Aug.ser. 100. de tep. Divinæ potentiæ, necnon & amoris in populum suum, periclitari posset apud homines decus, dum suos à tyranno dire tractari permittebat: sed ut Mariam in terra promissa figuratam homines ultrò quærant, invocent venerabundi, supplicesque colant, nihil recusat divinus erga B. Virginem amor.

94. *Quàm benignius cœlum se gerit post incarnationem?*

Attamen cum cerneret piissimus universorum Dominus Mariæ se morigerari si benignitatis alas extenderet: quantumvis priusquam ex ipsius visceribus humanitatem assumeret non minori dilectione suos prosequeretur olim: multò ampliori pietate postea usurum fore innuit. *Quando Deus ut leo rugiens erat Deus ultionum puniens terribiliter peccatores, ut patet per exempla in Scripturis, & ferventissimo amoris calore intrans in uterum Virginis, totus factus est benignus suavis.* S.Antonin. P.4. tit.15. Hæc S. Antoninus.

Offensus audaci criminum incursione cœlum clauserat antiquitus manus illius qui claudit & nemo aperit. Obseratum æthereum summi Regis palatium negabat miseris aditum firmiter ira, ut foribus carere videretur. Posthàc eadem Regia domus pluribus pervia portis erat: quarum singulæ perpetuò patere visæ sunt. Exclamabat olim vates Evangelicus: *Utinam dirumperes cœlos & descenderes.* Isa.64. 1. Et ad litteram, ut ex multis docet à Lapide incarnationis acceleration. cupiebat. De prophetæ votis nullatenus dubito: nec de catachresi secundum quam loquitur de Deo more humano: *Homo enim* (ait à Lapide) *in cœlo existens, si descenderet, deberet dividere, & disrumpere cœlos sive æthereum:* & à fortiori de cœlo empyreo, quod solidissimum est, idem videtur dicendum. A Lap. ibi. At si stylo nostro loquitur Vates, cur non rogat ut cœli portæ aperiantur? Novum ne loquendi genus est cœlo appropriare fores? Multò ante dixit Jacob: *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli*; imò non unicam, sed quamplures vidit in cœlesti civitate januas Evangelista Joannes. *Et ostendit mihi civitatem Sanctam.... & habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim:* insuper addit hujusmodi portas jugiter apertas patescere. *Et portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* Gen.28.17. Apoc. 21. 10. 12. Ibi n.23. Temporibus Isaiæ non apertum: imò nec aperiendum dicebatur cœlum? sed quasi portis careret civitatis murus, rumpendus à Deo supponitur cum descenderit? *Utinam dirumperes &c.* ætate verò qua descripsit triumphantem Jerusalem Aquila prophetans, tot murus idem pervius portis erat? Benignitatem Empyreum videtur mitiorem induisse ad instar alterius cœli quod terra progerminavit: *Nam cœlum est Maria,* ut S.Bonaventura dixit. S. Bonav. in spec. B. V. t. 5. Priusquam Deus B. Virginis filius esset, clausum adeo persistebat cœlum, ut foribus omnino carere videretur, quasi non posset aperiri, sed rumpi. *Utinam dirumperes cœlos &c.* Postea verò cum jam ex nostro genere matrem habuisse dignabatur, non clausa sed pervia pluribus ostiis erat regalis aula, ne pulsanti negandum putares ingressum. Quid hoc nisi Deum Genitrici humanissimæ placere velle? Quam, dum ipsius oratu nostrûm omnium largus miseratur egestates, illimitatasque thesaurorum gazas ei commissas distribuit, eandem valdè *Filius sapiens lætificat.*

DELIBATIO XV.

Præcedentis materia tituli protelatur.

CUm de sanctissimæ Deiparentis regali munificentia sermo nunc inciderit, operæpretium duxi unam vel alteram hujusce beneficentiæ conditionem adnotare, quibus mirificè ista largitas eluceret? Duplex inter alios nævus liberalitatis terrenorum principum splendorem devenustat. Moras in primis trahunt eorum dona tam prolixas, ut plus torqueant expectantes, quàm exhilarare valeant accepturos. Ab illis proinde malè benefactoribus quærit Seneca: *Quid? tu non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adjicis?* Senec.l.2.de ben. c.5. Postquam verò tandem aliquando bonum concupitum spem explevit, iterum novo tormenti genere potentes cruciant sibi subditos non levi metu futuræ infœlicitatis, quem ipsa temporalium bonorum fugacitas, necnon Magnatum inconstantia suader. *Quem enim non metuit dives? An non latrones? An non potentes? An non invidos?* Chrysost. tom.4. ho. 35. in ep. ad Cor. &c. ita Chrysostomus. Non sic liberalitas qua circa mortales utitur orbis totius Regina potentissima: nec morosa confert munera, nec instabilia: ut sortem, quam benigna manus affert, reddat facilitate gratiorem, deque securitate jucundissimam. Hæc duo per sequentia patebunt. Ad primum. 95.

Maria velocitas in benefaciendo,

Temporis edacitas apud sacros & profanos authores obvia passim, erga beneficia

si consideretur, non est minor, nec minùs vera. Quot spes numerat horas, tot beneficio partes detrahit largitoris tarditas: expensis namque temporis (quod restaurari cum nequeat, pretio caret) emitur donum, & sic tantò minus accipis, quantò diutius expectasti. Fateor nec semper moram liberalitatis officiis notam inurere: prudentiæ quandoque vertendum in hac re cunctari: nam & Deus quædam dona sua quantumvis creaturarum exclamaret indigentia, distulit per annorum seriem. Sic egressum populi sui ex Ægypto, terræ promissæ traditionem, libertatem à Babylonica servitute, quodque his omnibus multò majus est, mundi redemptionem procrastinavit. Aliter hominibus opem fert sanctissima Virgo.

Cant. 6. 9. Lux clementissimæ donorum dispensatricis Soli necnon & Lunæ similis est: *Pulchra ut Luna, electa ut Sol &c.* Addi posset rutilans quasi stellæ. Sed hoc loco de his tacetur, & Lunæ tantum, ac Soli, Maria æquiparatur. Cur ita? Quia Sol & Luna statim ac exoriuntur illuminant, nec patiuntur moras. Stellæ verò licet jam exortæ noctis opacitatem præstolantur (ferè omnes) ut luceant. Sanctissima Virgo suæ benignitatis non remoratur splendorem: Mariæ atque luminaribus magnis idem fuit apparere, ac profuisse mortalibus.

Imò Solem Soli componamus. Virginem matrem inquam, conferamus Unigenito: dicamque vulgari plausu receptis Anselmi

S. Ansel. trac. de excell. V. c. 6. verbis: *Velocior est nonnunquam salus memorato nomine Mariæ quàm invocato nomine Jesu unici filij sui.* Cum nos in sanctissimam Dei Genitricem nequaquam peccemus, de illius benevolentia confisi certum judicamus accepturos ab ea quod expetimus. Et quia certitudo hæc doni æstimationem imminuere solet æquam, accelerat Maria munus ut pluris fiat. In Verbo incarnato cessat hoc quod modò notavi: nam cum peccatis identidem lædamus ipsius clementiam, dubius ferè semper manet petentis animus utrùm reapse postulata sit consecuturus. Unde recta beneficiorum ponderatio non periclitatur etsi divina manus benefaciens immoretur. Inde provenit quòd summum pietatis exemplar Christus Dominus quandoque postulantibus demoratur aditum; ast Beatissima Virgo moras nectere non solet. De seipso

Joan. 14. 6. verba faciens ait Servator, Ego sum via. De Virgine verò Deipara S. Petrus Dam. dixit:

S. Pet. Dami. ser. de Annun. *Hæc Domina mea misericordiæ porta.* Transmutata fortè videbuntur alicui epitheta: nam per Virginem ad Christum Dominum pervenimus; non econtra. Dicatur ergo Deiparens via, qua itur ad ostium, quod est Chri-

S. Bonav. in psalter. Virg. stus: Sic enim dixit S. Bonavent. *Via veniendi ad Christum est appropinquare ad illam.* De B. Mariæ loquitur. Dubiolum solvo. Ostium quidem Christus est; sed viam imitatur: Sicut enim via detinet peregrinum, sic Dominus desideria nostra multoties à possessione concupiti boni retardat. Janua semel aperta nullius ingressum cunctatur. Sic Maria sanctissima quæ porta misericordiæ dicitur, ac proinde miseris non clausa, beneficij tarditatem odit: celerrima subvenit cunctis ipsius præsidium implorantibus assiduè.

Ocyssimè pergere scio illum qui desideriis fertur: nam ut Ambrosius ait, *quò magis lassatur affectus, eò amplius amor crescit, & quò diutius abest qui desideratur, eò expectantis desideria majori quadam vi amoris ignoscunt.* Velociores amor quàm timor pedibus addit alas: nam cùm id quod timetur fit appetitui execrabile, non adeo frequenter in mentem reducitur, & proinde minùs expenduntur motiva fugæ, ut ab eo quod formidat quis recedat. Quod verò diligitur ipso amoris penicillo pulcherrimum depingit animus: hoc frequenter memoriâ versatur: quo fit ut assidua cogitatione perpensæ rationes quærendi bonum dilectum fortiùs moveant, atque celeriùs impellant amantem.

96. *Etsi manicet petens, velocior Maria concedit.* S. Ambr. in psal. 118. octon. 11. tom. 2.

Hæc licet ita sint: quantumvis præpos manicet is qui beneficium per Deiparam consequi avet, jam inveniet expletum sui cordis votum. Ad Abraham dixit Omnipotens:

Gen. 15. 7. *Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam & possideres eam.* Postulavit ille promissionis hujus adimplendæ signum. Jubetur sacrificium Deo parare, per quod in partes divisum transiturus erat ignis (Domini præsentiam peculiarem insinuans) in signum fœderis, conformiter ad priscum illius ætatis morem, de quo Purpuratus ait ibi: *Aiunt fuisse illius temporis morem, ut pactum firmaretur transitu paciscentium inter duas partes animalis. Et consonat ratio hæc inferius subjunctis, ut Deus humano more firmare voluerit pactum cum Abram, & ad hoc mandaverit tolli sibi hæc ad sacrificandum, ut ante sacrificium transeundo inter partes, signum fœderis daret Abræ pro semine ejus.* Alludit ad quæ textus refert infrà:

Caier. apud Cate. Lipom. in Gen. 15. Gen. 15. 17. *Et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.* Ubi Lipomanus commentatur: *Quoniam itaque Dominus in hac visione fœdus pepigit cum Abram, idcirco ignis iste, Dei designans præsentiam, inter divisa illa transivit, ac Deus cum justo humano se modo habuit.* Hæc postquam notaveram animadverti Abrahamum priusquam præfatum signum acciperet somno se tradidisse ad occasum Solis. *Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram.* Scio juxta Lipomanum, & Liram, soporem hunc non fuisse somnum, sed extasim: attamen non est improbabile quòd verus fuerit somnus. Cui expositioni favet Chaldaica lectio, quæ pro sopore somnum transtulit. Consentit ex parte Cornelius à Lapi. asserens illum soporem fuisse partim naturalem ex nimio labore diurno, partim verò à Deo immissum. Hoc satis ut dicam Abrahamum dedisse membra quieti. Procedamus nunc ad tempora Gedeonis. A Madianitis oppressus luebat Israël peccatorum pœnas, cùm apparens Angelus Heroi dixit in Dei nomine: *Liberabis Israël de manu Madian.* Hoc promisso, insuper & nocturno Dei monitu concipiens animos ille destruxit aram Baal, succiditque nemus. En Madianitæ, Amalec, orientalesque populi, congregati posuere castra, quorum ex gladio clades Israëlis imminebat. Convocat exercitũ Gedeon: sed priùs ait ad Dominum:

Gen. 15. 12. Lipom. Lira. & Corn. Alapi. ibi. Chaldaica lect.

Iudic. 6. 16.

Si

7. *Si ſalvum facis per manum meam Iſraël, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël. Factumque eſt ita: & de nocte conſurgens, expreſſo vellere concham rore implevit.* Preme ultima verba: *de nocte conſurgens, &c.* componeque mutuò Heroem utrumque, Abraham & Gedeõ. Ambo expectabant à Domino ſignum. Abrahamus priuſquam illud accepiſſet commiſit ſe ſomno, quaſi non adhuc tempus inſtaret videndi quod cupit. Et Gedeon ut inveniat quod petiit prævenit auroram? Ac jam adveniſſe comperivit quod requiſierat? Myſticè vellus illud intellige. *Maria vellus Gedeonis,* ait S.Ephrem. Qui Mariæ interventu cœleſte beneficium expectabat, oportuit ut ſummo conſurgeret mane: imò de nocte ſurrexit, & priùs miraculum acciderat, quàm perveniret Gedeon, licet concitatus deſiderio. Abraham non erat cur non quieſceret cogitans morari ſe poſſe priuſquàm accipere poſtulatum. Illa eſt Mariæ ſanctiſſimæ celeritas, qua deſideriis humanis opitulatur: &, ut ait Ricardus Vict. *Velociùs occurrit ejus pietas quàm invocetur, & cauſas miſerorum anticipat.*

S.Ephrem.

Ricar. Vict. in Cant. c. 23.

97. *Mariæ beneficia quærunt homines.*

Dictis addo, ſic piiſſimæ auxiliatricis in homines amorem cunctationes execrari: quod ſi quando relictis à peccato compedibus præpediuntur ipſi ne ad amantiſſimam accedant matrem; illius beneficia quærent hominem, nec Virgo ſe continebit ne occurrat abundè. Expulſus eſt ab horto deliciarum Protoplaſtus: & qui rectè ſibi præeſſe noluit, imperium totius orbis amiſit. Damnatus ad ligonis & aratri durum ac flebile miniſterium degebat extra paradiſum: cujus aditum flammeo enſe cuſtodia cherubica interdicebat. Rationem prohibitionis hujus ipſe textus exhibet. *Ejecitque Adam: & collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Cur non etiam dicitur pulſum inde fuiſſe Adamum ut arceretur ab amœnitate illius fluminis qui oriebatur in paradiſo? Ratio litteralis eſt in promptu: quia ſcili. ejus fluminis aquæ à loco voluptatis egrediebantur foras, ut ex textu patet. Et ſic frùſtra diceretur Adam interdictum ab ingreſſu horti ne illius amnis potiretur aquis. At ex hac ipſa veritate dubium emergit. Ut quid foras emittit paradiſus aquas? Certè Rabanus affirmat alios extra hunc fuiſſe creatos fontes per univerſam terram. *Fons autem*, inquit, *aſcendebat, pro numero plurali poſuit ſingularem, ut ſic intelligamus fontes multos per univerſam terram, loca, vel regiones proprias, irrigantes.* Concinit Cornelius à Lapi. ibi. Superfluum igitur videbatur quòd pro terræ ſiti levanda exirent è Paradiſo aquæ: cur prodeant inquiro. Myſticè dubium ſolvam. Fons, ex quo fluvius ille paradiſiacus in quatuor dividendus oriebatur, adumbrabat Mariam: dixit enim S.Bonav. *Maria figurata fuit per fontem qui aſcendebat de terra, ut habetur Gen.2.* Igitur eſto, Cherubico ſatellitio præcludatur aditus, Maria fonte illo expreſſa latices effluet abundanter, ut primi parentes hauriant, & in exilio mitigent deſideria horti voluptatis per exinde manantes undas, nihil obſtante peccato quod illos fugabat ab umbra Mariæ. Sic in benefaciendo præpeti curſu Dei genitrix adeſt miſeris præſentiſſima, velut aqua procliviter decurrens ut irriget plantulas. Benè ſcripſit illius devotione inſignitus, idem S. Doctor ad Mariam dicens: *Miſericordia tua rigat univerſum.* Cui adde S. Antoninum. *Sic Virgo pulcherrima* (inquit ille) *mente & corpore: non ſolum curam habet de electis ratione utentibus, ut ſitientibus procuret aquam gratiarum: ſed etiam de peccatoribus curam habet: ut animalibus irrationalibus, non petentibus, nec deſiderantibus aquam gratiarum procurat.*

Rab. apud Cat. Lipom. ad Gen. n.6.

A Lapi. ibi.

S.Bonav. libel. de Laud. Virg.

Idem in pſalter. B.V. S. Antonin. part. 4. tit. 15. c. 13. §. 3.

98. *B.V. quandoque ſecuritatem addit beneficio Dei.*

Nunc ad aliam ejuſdem beneficæ indolis circunſtantiam tranſeundum. Securitas (inquiebam) Deiparæ beneficiis ineſt, ut poſſeſſionis gaudium de timoris mæſtitudine mutilum non ſit. Plures Deus fœlicitat, non tamen eos tutos reddit: Ne ſecuritatem nacti ſocordia torpeant, ipſiuſque memoriam impudenter abradant. Maria verò benevolentiſſima, ne metus ille cruciet quos diligit, aſſecurat aliquando munus quod Omnipotens contulit.

Egreſſus, imò & projectus, ab Ægyptiorum poteſtate pergebat Iſraël, donec ad rubri maris littus devenit. Pharao propoſiti ſui nequaquam tenax inſequebatur populum cupiens illum ad priſtinum redigere jugum. Dividitur mare levata Moyſis manu; minimè tamen in gurgitis diviſione legimus interveniſſe nubis columnam. *Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in ſiccum: diviſaque eſt aqua.* Cernentes Ægyptij patere per æquoris alveum Hebræis iter, auſi ſunt per iſtud ingredi prementes hoſtili animo eorum veſtigia. Tunc Dominus per nubis & ignis columnam profligavit exercitus partem: quo factum eſt ut reliqui fugam ceperint. *Et ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum: & ſubvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: fugiamus Iſraëlem,* &c. Quæri poteſt cur nunc intercedit columna pro Iſraële decertans? Antea verò non illa diviſit mare ut ingrederetur Jacobæa gens? Putabam ita factum quia maris diviſio beneficium fuit quidem ſingulare. Sed haud tutos ab hoſte reddidit Hebræos, quod ſatis ex ipſa hiſtoria liquet, cum poſt apertionem gurgitum, & ingreſſum filiorum Iſraël Ægyptiæ phalanges illud miraculoſum iter aggredi ſint auſæ, tentantes plebis electæ cædem. At interfectio Ægyptiorum, quos per columnam Dominus occidit, ſecuras fecit jam Iſraelitidum turmas, cum ex inde cœperint inimici quærere fugæ præſidium. Hoc munus erat columnæ valdè peculiare: ſecuritatem ſcili. addere beneficio Dei: fuit illa quippe Magnæ Matris umbra (ut ſuprà dixi n.65.) quæ ſolet munus Dei naturâ ſuâ inconſtans firmiter ſtabilire. Undenam provenire nobis credetur ſecuritas

Exo. 14. 21.

Ibi n. 24. & 25.

niſi

nisi ex ea quam appellare mundi columen
S.Thom. à Villano. ser. 2.d.Assump. juxta fin. possumus ex Antistite Valentiano ? *Mater Dei est*, inquit, *Sponsa Dei est, Filia Dei est, Paradisus Dei est, regina cœli est, columna mundi est.*

99. *Gaudet Maria negotiari nobis perpetua bona.*

Ex his fortassis oritur aliquando nobis denegari quod B. Virginis intercessione fulti deprecamur. Nollet ipsa mediatricis officium obire circa evanida bona, quæ flatu pereunt; sed erga spirituales divitias, quibus invigilantes asservabimus eas in perpetuum. Deo sine onere gravida, quæ futura erat sine dolore puerpera, festinavit ad montana Judææ: ingressaque domum Zachariæ salutavit Elizabeth præcursorem intra viscerum claustra gestantem. Asseverat D. Bernardinus Sen. tunc interventu sanctissimæ Virginis ad ejus verba sanctificatum fuisse
S.Bernardin. Sen.tom.3. ser.6. art.1. c.3. Baptistam. *In tertio*, inquit, *Virginis verbo, quo salutavit Elizabeth, statim talis impressio subsecuta est, quod Joannem in utero matris sanctificavit.* Post pauca, graphicè depinxit Evangelista Lucas Mariæ humanissimum erga cognatam officium, scilicet quòd in ejus domo permanserit: non tacuit qua temporis mora perstiterit ibi; sed eo usus est in hac re stylo, quòd reliquerit incertum an in domo Amici Sponsi B. Virgo demorata fuerit usque ad Joannis ortum inclusivè.
Luc.56. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.* Partui Elizabeth interfuisse Virginem docuere Ambr.Beda,& alij quibus apertè favet Petrus Dam. Oppositum nihilominus probabiliter sequuntur Theophilus, Euthy. & S. Titus Bostrensis, cujus glossa
S.Titus Bostr. apud glossam ibi. refert hæc: *Rediit autem quia circa partum Elizabeth magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat: Virgo autem sanctissima Virgineo quodam pudore tenta hominum conspectum declinabat.* His nunc suscribo præsertim ex eo motus quod historiographus præponit reversionem Virginis in domum suam partui Elizabeth, ait enim:
Luc.1. 56. & 57. *Et reversa est in domum suam, Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.* Quâ sententiâ positâ, hærebam quanam de causa Maria, quæ per quasi tres menses in domo Zachariæ perseveravit, non usque ad nativitatem Joannis immorata est, ut exciperet brachiis Dei vocem Verbi Mater. Sanctificationis auspicia teste Bernardino supra dato, à Deiparente Baptista sumit? & initia temporalis vitæ non protegit præsentia illius, quæ mater viventium, jure meliori quàm Heva dici valet ? Sic oportuit fieri, ut conjiceremus quantò amplius Maria gaudeat hominibus à divina manu exorare bona minimè peritura. Vitam erat amissurus tyrannidis & lasciviæ jussu Præcursor, ejusdem verò sanctitas nullo scelere fuerat finienda. Unde noluit Virgo dicere-mus Joannem sub protectione ipsius accepisse bonum adeo fragile quod patet cæcorum ictui, nempe crudelitatis & luxuriæ. Attamen sanctitatem æternùm permansuram gloriatur illa Joanni precibus attulisse.

O quot illa desponsare curat animas Unigenito suo! Ideo ad formationem Ecclesiæ, quæ sponsa Redemptoris est, non parum contulit Maria. Sponsam Filij Dei ex ipsius latere formatam probat textus in Clement. unica de Sum. Trin.&c. ibi: *Perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquæ & sanguinis formaretur unica, & immaculata, ac Virgo sancta mater Ecclesia conjux Christi*, &c. Quid verò muneris ad id præstiterit Deipara ex Damiano audi: *Magna igitur & fœlix mater est B. Virgo Maria, ex cujus visceribus caro Christi desumpta est, ex qua rursus per aquam & sanguinem profluxit Ecclesia. Hec itaque modo & ex Maria prodisse videtur Ecclesia.* Non poterat non per Mariam haberi sponsa in perpetuum victura. Et hujusmodi sponsalibus nunquam solvendis,animarum Sponsus *Filius sapiens lætificat* eximiè Matrem.
Clem.un.d. sum.Trinit. &c, S. Pet. Dam. ser.64.

DELIBATIO XVI.

Sanctissimæ Virginis Unigenitus lætificavit eam invisens ipsam redivivus è tumulo.

106. *Quò acerbior præcessit anxietas, eò latius erit gaudium subsequens.*

CEu postquam teterrimæ noctis dispa-ruere tenebræ, lætatur exoriente sole peregrinus: veluti sedato æquoris turbine, luminum acie metitur ingentia, serenaque jam fluctuum spatia nauta: ut ægritudine cessante certus evasisse mortis è faucibus, animos concipit ægrotus: haud, inquam, aliter Beatissimæ Dei genitricis ad vitam revocatum cernentis dilectissimum sibi gnatum exultavit spiritus in Deo salutari suo, post illud funestissimum triduum, quo dolor eam cruciavit absentiæ: quæ fluctuanti cordi procella fuit, ingemiscenti lethalis ægritudo extitit, illachrymantique mæstissima noctis imago. Resurgens adfuit Angelorum gaudium, qui Sol erat ut fugaret nubila: Salus est ut exulare faceret dolores: & pro tempestate sedanda, hic illemet de quo dictum: *Qualis est hic quia venti, & mare obediunt ei* ? Omisere tanquam superfluum Evangelistæ hanc incarnati Verbi apparitionem Matri exhibitam. Quod illi tamen tacuere, frustraneum non erit à D. Bernardo audire. *Prima vidit Dominum in forma gloriosa, & non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij: unde & Evangelistæ eam non recensent.* Matth.8.27. S. Bern. ser. de Resurr.

Exuberantem itaque Auroræ post tenebras lætitiam quadruplici ratione comprobare pergo. Prior est illa non ideo minus vera quia cunctis obvia: *Patet omnibus veritas*, ait Ethnicus. Gaudium eò plenius est, quò majori stetit doloris pretio: Unde illud notissimum Cassiodori: *Sequenti gaudio confert dulcedinem temporum permixta tristitia.* Cumque Virginis animam Passionis tempestate gladius pertransiverit, oportuit summa lætitia compensari: quæ scili. anteacto mœrori adæquaretur, & (ut phrasi disertissima Ruperti utar) doloris locum repleret. *Perpendere*, ait ille, *gestit Christiana devotio quantus torrens gaudij repente inundans, locumque vulneris replens, animam ejus ferro doloris confossam inebriavit, cùm redivivus filius illi ante omnes fortasse mortales,* Senec. 33. fine. Cassiod. l.1. ep. Rup.l.7. d. Divin. offic. c.25.

tales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiavit, & dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Supereffluentiam ejus lætitiæ metiaris attendens implere vulneris maximi locum. Ita perpendes fideliùs Virginis gaudium, cui per filij conspectum compensabat perpessos cruciatus fidus ipsius amor. Nam ut, prædixi, quò præcessit acerbior anxietas, eò lætiora post instaurantur gaudia.

Tres vita functos à Christo Domino suscitatos Evangelistæ narrant: viduæ filium
Luc. 7. 12. dum portaretur ad sepulchrum: *Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ:* Prin-
Matth. 9. 18. 19. cipis filiam recens mortuam: *Domine filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Et surgens Jesus sequebatur eum*, &c. Lazarum autem dimisit quatriduanum habitare mortis domi-
Joan. 11. 17. cilium. *Venit itaque Iesus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* Quem amici titulo decoravit, hunc tardiùs affecit beneficio? Cur Magdalenæ lachrymas non exterfit resurrectionis gaudio ci-
Ibi n. 5. tiùs? Quia diligebat eam. *Diligebat autem Iesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.* Vellet sororum incrementare lætitiam. Fratris resurrectionem distulit ut interim flerent, ac tantò plus exhilararentur postea, quò majori mœstitudine priùs angerentur. Gaudebat, ait Chrysologus, *Quia*
D. Petr. Chrysol. ser. 63. *mœror mortis vertendus mox erat resurrectionis in gaudium.* Nec prætereas typum Dominicæ Resurrectionis in Lazaro præ-
Idem 16. fulsisse. Redeat Chrysologus: *In morte*, inquit, *& resurrectione Lazari figura tota mortis & Resurrectionis Dominicæ pingebatur.* Et ibidem: *Audeo & dico totum rapuisse Resurrectionis Dominicæ sacramentum, triduanus ab inferis Lazarus si rediisset: nam Christus rediit triduanus ut Dominus, Lazarus revocatur quatriduanus ut servus.* Quibus positis, manet expendendum pio cordi quantum fuerit Mater dolorosa de Resurrectione gavisa, quam tot exulceraverant dolorum sagittæ.

101. *Gaudium illud majus est quod industriâ mercaris.* S. Thom. à Villano. ser. d. Resurr. Secundò multitudinem ejusdem gaudij judicabis ex eo quòd amantissima Genitrix Salvatoris regressum ad vitam sollicitasse creditur, & quod industriâ quæsitum possidetur, plus arridere docet experientia. S. Thom. à Villano. *Hæc igitur Virgo virtutibus suis Deum cælo deduxit: hæc eum iterum suis clamoribus ab inferis revocavit.* Cor humanum plus in eo complacet, quòd propriæ diligentiæ sumptibus lucratur.

In mortis vitæque confinio positus Dei Filius discipulorum pectora venturæ jam passionis procellæ præmuniebat spondens
Joan. 16. 22. ipsos revisurum. *Nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ecce bis de lætitia loquitur illa, quam Apostoli viso Magistro post resurrectionem conceperunt: *gaudebit cor:* & mox: *gaudium vestrum*; nec verbo tamen huic hilaritati suorum adjicit hyperbolem: cum ta-
Ibi n. 24. men exultatio Apostolorum fuerit magna valdè. Postmodum addidit: *Petite & accipietis ut gaudium vestrum sit plenum.* Gaudium istud erit plenitudine cumulatum? Quod autem de Servatoris resurrectione manavit minimè plenum dicitur? Non casu locutus est Verbum. Apostoli revocationem Sacrosanctæ humanitatis ad vitam, vel ejus ad ipsos accessum de tumulo, non procurarunt: *Nondum enim sciebant Scripturam* Ibi cap. 20. *quia oportebat eum à mortuis resurgere.* Non 9. igitur hæc lætitia plena fuit. Secundò verò loco de bonis Dominus egit quæ recepturi fuerant per orationis industriam: *Petite*, &c. Hoc propria quæsitum diligentia gaudium futurum erat integrum. Cum igitur ad Mariæ preces ocyor prodierit Gnatus ex monumento (sic ut multum negotij faceſſat interpetribus illud: *in corde terræ tribus die-* Matth. 12. *bus & tribus noctibus*) collige quàm longè 40. superaverit lætitia Summæ Parentis Apostolorum gaudia de resurrectione Domini.

Dicam tertiò quare voluptas Deiparæ de 102. resurgente Filio, cæteras quibus exultavit spititus ejus in terris, anteceſſerit. Per hujusmodi lætitiam desideria quibus absens à dilectissimo Genito cruciabatur, finem dederunt. Non potuit non inde tam saucio cordi oblectamentum eximium provenire. Hoc melius interrogando quam describendo poterit explicari. *Quid*, ait S. Thom. à Villano. *Gentis ô Virgo cum ad sacras aures cæ-* S. Thom. à *licolarum pervenit cantus? quæ te tunc lætitia* Villano. ser. *tenet cum vides Filium super astra fulgen-* d. Resurr. *tem*, &c. Tria sunt ad quæ reduci queunt omnia ferè quibus hilarari solemus honos, lucrum, ac vita. Desideria quibus in absentiæ diebus afflictissima Parens torquebatur, honorem amoris ejus lædere videbantur; diceret enim quis: Quomodo non expirat præ dolore, quæ tam vehementer diligit mortuum immaniter? Deinde jacturam affectus ille mentis oculis renovabat, cogebatque Dominum eundem, ut vitam degeret morti similem. Cum redeunte justitiæ Sole cessavere desideria, veluti surrexit: Lucrum restauravit, honoremque resarcivit sanctissima Virgo. Lucro dives, honore fulgens, vita fruens, quantopere gavisa sit cogita, si pendere sufficis. Mihi satis nunc ista claudere dicentem: cordi quod ad finem desideriorum per dilecti præsentiam devenit nullum restat in vita mortali majus gaudium quod cupiat.

Dilecti præsentiam recuperanti nõ restat in vita mortali majus gaudiũ.

Cum defleret Magdalena Domini cadaver non inveniſſe, faciem ipsius aspexit priùs ignotam; sed mox manifestam. Statim ab eo destinatur ut ad Apostolos verba Magistri deferret. *Dicit ei Iesus: Maria. Conversa* Joan. 20. *illa dicit ei Rabboni (quod dicitur Magister.)* 16. 17. *Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem*, &c. Ita munerat amantis lachrymas ille qui nec minimam cogitatiunculam præteribit irremuneratam? non poterit ipsa non dolere perditum statim post inventionem thesaurum: quippe *quod expectatur cum* S. Aug. to. 8. *cupiditate, amittitur cum dolore*, ut ait Aug. in ps. 9. Nunc eam dimittit cum illa cuperet præsentiâ Domini sui memoriam solari præteriti doloris? Quod Apostolis nuntiatura vadit,

non est cur non differri possit per aliquot horarum spatium. Quare non finit eam reperta voluptate frui ? Quia semel quòd per Christi Domini conspectum disparuit desideriorum ejus anxietas, nullum in terris erat majus gaudium quod Magdalena peroptaret. Eam sapienter misit ad Apostolos, quasi dicens : quid expetebat anhelum cor istius ? meipsum ? vidit ne ? Finem tetigere vota ? Pergat igitur : hoc enim gaudio semel possesso, non supereſt in transeunte vita exuberantius aliud quod velit : nam diligentis pectori summum est inter habentia finem delectamentum, absentiæ dilecti posuisse metam per ejus gratissimum intuitum. Virgo Mater per Triumphatoris amantissimi conspectum, desideria, quibus vexabatur, fugavit fœliciter : hæc fuit gaudij prædicti summa.

103. *Desiderium erga Deum nequaquam finitur inveniendo ?*

Difficultatem solvere duplicem nunc operæpretium duco. Prima est, quòd, experientia teste, solet adimpletio desiderij minuere gaudium. Videmus tepido corde possideri bona, quæ gestienti fuere quæsita pectore : quasi amati boni distantia sit voluptati sollicitantis avidum lenocinium. Quomodo igitur maxima fuit beatissimæ Virginis de Filij restitutione lætitia, quæ desiderantis extinxit vota ? Secunda est. Exultatio hæc sanavit equidem materni cordis vulnera ; sed non potuit non cicatrices reliquisse : nam Filij mors ignominiosa fuit, & dedecoris recordatio præterita mæsta est in triumpho, juxta illud Petrarchæ : *Sola ignominiæ memoria mediis licet honoribus tristis est.* Quod cùm ita sit, dedecorosæ reminiscentia passionis nonne præsentem hilaritatem obnubilabat ? Quî ergo dici potest superabundans ? Utrique dubio fiet satis facillimè. Quod ad primum attinet.

Petrar. d. reme. prosp. fortu. dial. 8.

Non diffiteor desiderium gaudio adulari: proindeque tunc majori cor hilaritate perfundi, cùm idipsum quod mente volvitur, votis concupitur. Ex hoc ipso tamen inferre licet magnam Virginalis animi lætitiam, cùm glorioſum vultum ejus, qui totus desiderabilis, aspexit. Hæc enim illa facies est, quam & illi qui cernunt desiderant, nec possessio desiderio quies, nedum finis est. *Lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum & confirmamini : quærite faciem ejus semper,* Bene est quod lætari hortetur illum qui Deum invenire sollicitat : Nam si ut oportet inquisierit ipsum, jam prope est ut invenerit eundem : & consequenter suppetit materia gaudij. Deinde quòd in Deo requirendo permaneant hi quibus non adhuc fœlicitas contigit inveniendi, æquum est & salubre consilium. Quòd tamen ait *quærite faciem ejus semper*, vix percipio. Nunquam ne adipiscentur dilectum ? Invenient utique: sed nullus est quærendi finis, quia terminum ignorabit amor : imò desiderium accendet inventio. Melliflue de more Bernardus. *Quæ enim virtus ascribi possit non quærenti Deum: aut quis terminus quærenti Deum ? Quærite, inquit, faciem eius semper. Existimo quia nec cùm inventus fuerit cessabitur à quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. Et utique non extundit desiderium sanctum fœlix inventio, sed extendit. Numquid consummatio gaudij desiderij consumptio est ? Oleum magis est illi : nam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lætitia, sed desiderij non erit finis, ac per hoc nec quærendi.* Rationem desumere poteris ex Augustini doctrina, qui ait : *Inter temporalia & æterna hoc interest, quòd temporale plus diligitur antequam habeatur : vilescit autem cùm advenerit. Non enim satiat animam cui verax & certa sedes æternitas. Æternum autem ardentiùs diligitur adeptum quàm desideratum.* Sempiternum & perdilectum erat gaudij motivum quo sanctissima Genitrix exultabat : unde magnum in ea locum obtinet Bernardi & Augustini doctrina. Oleo lætitiæ præ consortibus fuit respersum illius incendium: potiebatur concupiscens eâdem quam cernebat facie. Malè igitur ex eo quòd ipsius desideria fuerint adimpleta colligere volebas gaudij minoritatem.

Pſal. 104. 4.

D. Ber. ſer. 84, in Cant.

S. Aug. l. 1. de doct. Christian. c. 38.

Nunc ad secundum quod opposui vis ut respondeam ? Doloris recordatio (dubitabam) nonne lætitiam imminuebat ? Imò potius ejusdem augmento subministrabat opem. *Habet præteriti doloris secura recordatio delectationem*, Tullius ait. Nescio qua velut antiperisthasi tormenti memoria gaudium incrementat. Scio Josephum Jacobi filium posteaquam à fratribus venditus, à Domino suo carcere clausus, tandem ex infortuniorum pelago ad totius Ægypti præfecturam fortunatus emersit, primum ex uxore susceptum filium vocavisse Manassen, quod interpretatur, oblivio : dixisseque : *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Tandem præcipiente fame semel ac iterum fratres ipsum adiere alimenta reportaturi : cùm jam continere non posset amor, quin detegeret fratribus ignotum Josephi vultum, *Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Vel Joseph suimet oblitus loquitur, vel difficile cohærere videbuntur hæc duo, quæ priùs ac postea pronunciavit. Oblitum se primùm profitetur omnium laborum suorum ? Et posthac de venditione agit, quæ unum ex præcipuis ejus laboribus fuerat ? Quid nunc Josephi suscitavit memoriam, ut injuriæ reminiscereturidem ille qui hujus videbatur amisisse reminiscentiam? Credo quòd serviit incremento gaudij recordatio venditionis. Antea cunctorum quæ perpessus fuerat oblitus erat, ut locus daretur gaudio minori, quale illud extitit, quod ex primogeniti nativitate concepit. Postea fratrum suorum, quos absentia pene abstulerat, restaurationi major debebatur exultatio. Hanc ut augeret, vide quid molitus est : Venditionis dolorem refricavit : *quem vendidisti :* ut sic augmenta capesseret hilaritas : solet enim ista de memorato pristino cruciatu adolescere. Tam ergo abest passionis præteritos dolores, quos memori mente retinebat Virgo sanctissima, resurrectionis tempore lætitiam imminuisse maternam : quod potiùs dum vulnerum cicatrices redivivus asservat Matrisque oculis objicit *Filius sapiens, lætificat* Parentem ad anteactæ procellæ solatium.

104. *Præteriti doloris recordatio gaudium adauget.*

Cicer. l. 5. epiſt.

Gen. 41. 51.

Ibi c. 45. 4.

DELI

DELIBATIO XVII.

Exultationem de resurrectione Filij promeruit dolorosa Mater per eximium in ejusdem Passione dolorem ante depositionem Christi Domini de Cruce.

105. SOlemus ex causis effectus metiri : ex merito præmium trutinemus : Dei namque justissimi remuneratoris æqua lance libratum est sanctissimæ Deiparæ de Filio gloriosè resurgente gaudium. Ergo cum de hoc nonnulla prædixerim, opportunum duxi referre nunc quâ viâ pervenerit magna Dei Parens ad hunc jubilorum cumulum. Quà pertingeret illuc nisi per crucis Dominicæ sodalitium ? Per dolores inquam illos, quos tum in Calvariæ monte, cùm postquam sepulchro clausus est autor vitæ, ipsaque velut eandem crucem ascendens, desideriorum clavis transfixa, & cogitationum amantium aculeis redimita caput, exantlavit in triduo. Textus noster, cui ex accommodatione D. Bernardi data suprà n.23. insistimus, lætitiæ meminit, & mœroris : *lætificat patrem : Filius verò stultus mœstitia est matris suæ.* Hic sanè luctus de Filio Deo accipi non potest: cùm ibi sermo sit de stulto vel improbo ; Attamen in sensu Catholico ille dici potest fuisse, quantumlibet sapiens, Matri suæ causa mœstitiæ : quatenus pœnas ignorantiis nostris, id est peccatis, debitas luens morte sua, illæsam servans innocentiam, personam peccatoris qui stultissimus est, induit : adeo ut de illo dixerit Apostolus explicans ad quid amor Deum impulerit : *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, &c. Personam igitur agens peccatoris, seu stulti, posuit animam Redemptor, & mortis carceri addictus est : quod amantissimam Genitricem cruciavit indicibili doloris immanitate. Hanc ut aliquatenus exponam, in tres dividam acies tormẽtorum exercitum.

2. Corin. 5. 21.

Non unicus impugnabat dolor Virginis robur invictum ; sed millia. *Mille clypei pendent ex ea*, de Matre Sponsaque Altissimi dictum est ex Ruperto. *Ita*, inquit, *collum tuum, imò & ultra quàm turris illa, collum tuum, id est humilitas tua, quæ sedet, vel paret in collo tuo non extento, ædificata est cum propugnaculis & mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Non illud miror quod ea quæ scribitur eodem calamo *terribilis ut castrorum ordinata*, non alio hîc armorum genere munita dicatur, sed tantùm clypeis protecta : nam passionis in mediis fluctibus immota manens Davidica turris Maria patientiæ clypeo excipiebat ictus, quin offensivis obarmaretur instrumentis. Aſt non unicus erat illi clypeus : nam licet fuerit in dolorum acerbitate singularis, tot tamen in eam conjecta fuere tela, ut mille clypeis indiguisse visa sit. *Mille clypei pendent ex ea.* In tria proinde agmina dolores anxiæ Matris partiamur, quæ successivè adversus eam infere bellum : Primum antequam expiraret lumen oculorum ejus in cruce fixum : & postquam vitæ Dominus consumavit periodum : secundum post illius è crucis brachiis piissimam depositionem : tertium verò sepulto Dei Filio, cùm, rigorosè loquendo, Virginis incepit solitudo. De priori sub hoc titulo dicam : cætera sequentibus remitto sciens quod nec sic explicari queunt flebilis Mariæ acerrima lamenta : cùm & ipsa fateatur apud Anselmum se non posse dolores verbis comprehendere suos. *Aspiciebam* (scribit S. Anselmus) *Dominum & filium meum in cruce pendentem, & morte turpissima morientem, & tanto dolore vexabar in mente, quòd non possum explicare sermone.*

Doluit B. Virgo instar plurium.

Rup. l. 3. in 4. Cant.

Cant. 6. 9.

S. Ansel. trac. d. compass. Virg.

106. A D. Bernardino Sen. exordium sumam. *Ordinavit summa sapientia Dei, quòd eodem die Virgo Christum concepit quo etiam fuit passus.* Eodem, inquit ! sed heu quàm diversus ! Annunciationis dies gaudiis totus illustrabatur, honoribus cœlitus datis refulsit, & amicorum Dei lætitia quàm citissimè adventante faustus erat. Calvaria verò tenebrosa luce non sic, nam Servatoris ignominiam, hostium lætitiam, & Filij vulnera Mater enixè condolebat. Ab hoc ultimo incipiam, quia forsan minus erat : etsi adeo ingenti cruciaretur vehemẽtia beatissima Virgo, ut integros geniti cruciatus ad vivum exprimeret ferè mortua : ille quippe *exhibebat se* (ut S. Antoninus ait) *afflictissimæ quidem, sed & patientissimæ Matris exemplar.* Ad hujus funestissimi exemplaris imaginem expressit, seu impressit potiùs in præcordiis Mariæ totidem vulnera suaviter sæva blandities amoris : nec enim, ut feriat, sanguinemque fundat, desideratur ferrum, si viget amor. Hoc non latebat Origenem, dum suadens amorem Dei dicebat : *præbe te jaculo electo, jaculo formoso : siquidem Deus sagittarius est, de quo ipse dicit, posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me : quàm beatum est hoc jaculo vulnerari. Hac sagittâ vulnerati fuerant qui dicebant : nonne cor nostrum ardens erat in nobis, &c.* Amorem vulgò puerum vocitant cuncti, fortassis etiam quia se ipsum proprio ense cruentat. Ut vulnus credas perinde est quod mittatur sanguis ab offerente, aut extrahatur aliena manu. Cumque nolit amans quòd involuntariè pati se pro dilecto reputetur, tyrannidis furorem non expectat. Certè nil mirum : Nam quod præstare solet crudelitas, si hæc immoretur, executioni dabit amor.

Ad sanguinẽ non desideratur ferrum si viget amor.

S. Bernardin. Sen. tom. 3. ser. 6. art. 2. c. 1.

D. Antonin. part. 4. tit. 25. c. 41.

Orig. hom. 2. expos. 1. in 2. Cant.

Controvertitur inter sacros interpretes, quî fieri potuerit ut Servator, cujus munus erat vitam pro mortalium salute ponere, imò qui hoc ipsum concupiscere non semel insinuavit, recusaverit mortem, deprecatusque fuerit summum Genitorem ut ab eo calicem passionis averteret, dicens : *Pater si vis transfer Calicem istum à me :* nec me latet communis expositio, nec peculiaria vacat aliorum placita referre. Sto nunc Ambrosij dicto : *tristis erat*, ait, *pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegij pœnas esse daturos : & ideo dixit : transfer hunc calicem à me : non quia Deus Dei Filius mortem timebat, sed quia nec malos pro se perire volebat.* Volebat igitur pati, sed absque crucifigentium peccato. Quâ sententiâ positâ, pronum

Luc. 22. 42.

S. Amb. l. 10. in 22. Luc.

erit ad rem noſtram expendere ſanguinei ſudoris myſterium quo Dominus maduit cum
Luc.22.43. 44. oraret. *Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Ad quid umbratilis hæc pugna inter amorem & amantem? Jam-jam tempus adeſt effundendi ſanguinis uberrimam copiam. Quo motivo tunc iſte profluere permittitur? Ita ſe geſſit Redemptor ac ſi Patri diceret nollem peccatis crucifixorum ad humanam redemptionem uti. Sanguinem quidem profundere non recuſo: abſcedat hoſtis: En ſuperflua crudelitas eſt, nam ejus officium præſtabit amor, ecce me vulnerat hîc ſine ferri auxilio. Tot itaque vulnera Virgini ſanctiſſimæ infligere potuit, ac intulit amor, quot ab atrocitate inimica ſuſtulit Filius. In Servatore per totum corpus diſperſa patebant; eadem verò in Genitricis clauſa corde angebant ipſam diriſſimè. Sed præ cæteris vulneribus cruciabat Mariam blandè crudelis amor, qui ſagitta eſt
S.Bern.ſer. 29. in Cant. electa inter alias. *Eſt etiam*, inquit Bernardus *ſagitta electa amor Chriſti: quæ Mariæ animam non modò confixit, ſed etiam pertranſivit: ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret: ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret:* hæc Bernardus.

107. *Infamia vicès agit mortis.*

Redemptoris ignominiam deinde mœrore preſſa ingenti Virgo Mater condolebat. *De ludibrio verò Unici ſui ſancta Genitrix inconſolabiliter lamentabatur*, ait S. Laurentius Juſtinianus: infamia quippe mors altera vocari poteſt: Nam ſicut in hominum vivitur memoria per decus, ut ipſi putant, immortale; ita dedecoris gladio vita perimitur. Pudica Suſanna laſcivis à ſenibus falsò delata ſubiit adulterij ſententiam idcirco rea quia innocens eſſe voluit. Se morti proximam agnoſcés quæſivit orationis præſidium, quam ita clauſit: *Et ecce morior cum*
Daniel.13. 43. *nihil horum fecerim, quæ iſti malitioſè compoſuerunt adverſum me.* Non dixit: uno gradu ego morſque dividimur: ad necem propero, vel ſimilia verba; ſed locuta eſt de præſenti: *morior.* Et ſi dicas hoc loquendi modo uſam fuiſſe quia parum aberat ut vitam exhalaret, ſic urgeo ex illo quod in Exodo refertur. Occidit ultrix omnipotentia primogenitos Ægyptiorum. Trepidavit populus regis culpam luens, & omnium reputat
Exodi. 12. 33. interitum adventare: dixerunt: *omnes moriemur*, cùm præ metu filios Iſraël urgerent exire velociter inde. Hi de futuro loquebantur, cum tamen pavor cœleſtem gladium capitibus eorum omnium imminentem depingeret; Suſanna verò præſentem jam dicit mortem? *Ecce morior.* Diſparitatem invenies facillimè. Quamvis perirent Ægyptij, non tamen amitterent honorem: Cunctis namque nationibus poſtea notum fieret non ipſorum ſed regis culpâ tantùm hoc accidiſſe, qui noluit mandato Dei parere. At verò Suſanna perperam de crimine infami dijudicata decus amiſerat: duplicique morti ſubeſſe dolebat: altera vitæ inſtabat lapidum ictibus exequenda; aliam honor jam patiebatur linguarum ſaucia telis: *ecce morior.* Mortis vices obtinet pudenda labes denigratæ famæ: aliter non cenſeret S. Bernardus detractores homicidas. *Utinam*, inquit, S.Bern.ſer.d. triplici juſto. *tamen, vel ſolum tempus vitæ amitteretur in verbis: ſed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: nec modò ipſi amittere, ſed adimere quoque, & hoc fratribus ſuis. An non amittunt vitam detractores*, &c.

108. *Acerbiùs dolet infamia morte.*

Quinimo ſi de morte non ut putatur vulgò, ſed prout reipſa eſt, judicemus, quàm longè illam excedat probroſa nota, liquet. Unde ex Auguſtino gloſſa maledicos obloquentes Redemptori exiſtimavit ſæviores quàm occidentes Chriſtum Dominum. *Plus*, Gloſſa ex S. Aug. ad pſ.108.4. ait, *nocent in membris detrahenses Chriſto, quia animas credituroruм interficiunt, quàm qui ejus carnem mox reſurrecturam peremerunt.* Mors vitæ privatio eſt, ac proinde merum nihil: probrum autem perdurat in poſteros. Infamis macula non corpori, ſed animæ inuritur; mortis falx nec animam neque corpus ferit, ſed utriuſque vinculum diſſecat. Acerbior igitur eſt opprobrij dolor, quàm vitæ jactura.

Duplex odium expertus eſt Ioſephus laſcivæ nempe dominæ, ac invidiæ fraternæ: illudque majus iſto fuiſſe non dubito, cùm fratrum ſimultas habuerit pro motivo ſomnia, quæ putabant ipſi vana; necnon Patris peculiarem erga Joſephum dilectionem quâ eos à fratre læſos illi minimè dicerent. At procacis fœminæ rabies orta eſt ex amore contempto, quo nihil magis furibundum. Furentem ſupponit Ægyptiam D. Proſper:
D.Proſp.l.d. promi. & prædic. Dei p.1. c.27. *Notum*, inquit, *quod furens fœmina poſſit: mentita eſt iniquitas ſibi: falſa pro veris affirmat, violentiam ſe dicit perpeſſam fuiſſe, quam fecerat. O impudica mulier, ardet amans, vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. Amat & perſequitur, concupiſcit & ſævit, &c.* Carcere clauditur innocens; nec tamen quæ illum tentati adulterij mulier accuſaverat, maritum urget ut ſervum occidi
Gen.37.18. &c. faciat. De fratribus autem legimus: *Cogitaverunt illum occidere: & mutuò loquebantur: ecce ſomniator venit: venite occidamus eum.* Fratrum odia, quæ minus exardebant, in majus conantur prorumpere malum? Ferventior ſpretæ mulieris ira carceratione Joſephi quieſcit? Amplius inſonti nocuiſſe judico fœminam: ideoque licèt in eum ſæviori ferveret odio præ fratribus, de illius exequenda nece non curaviſſe ſtatim atque criminis peſſimi notam impegit eidem: nam ejus furoris majora incendia hoc modo in terribiliorem effectum prodiere: infamia namque acerbiùs torquet innocuum, quàm damna vitæ. *Ipſa igitur quod celare debuerat,*
S.Ambr.l.d. Joſeph.c.5. tom.1. *prodebat, ut compoſito crimine læderet innocentem:* ait S. Ambro. quaſi hîc ſiſteret tota exardeſcentis odio fœminæ inſania, de qua ibidem poſtea S. Doctor: *Nullum modum*
Idem ibi. *ponens furori.* Non patibulum, gladiumve, ſollicitat innocenti; ſed *compoſito crimine*, ſatis ſuperque vindictam ſumpſiſſe putat atrociorem: nam ut Gregorius Thaumaturgus dixit: *ſummum malum calumnia.*
S. Greg. Thaumat. ad illud Eccle. 7.8. calumnia, &c.

Innocentiſſimi Filij ſub malefactoris titulo dedecus mente volvebat anxia Virgo ſciens illud marmoribus inſculptum (id eſt lapideis hominum cordibus) nulla oblivione

ne delendum : & conferens cum innocentia contumeliam , dolorem exasperabat meditatio. Sciebat in Jordane Patrem voce delapsa , qua filium suum asseruit, iviſſe obviàm suspicioni , quam ex susceptione baptismi possent aliqui temere venari. Imò etiam non ignorabat Moysis honori Dominum consuluisse insigniendo post mortem ipsum nomine servi sui : *Moyses servus meus mortuus est* ; ne putarent hi quibus innotesceret ejus vitæ divinitùs facta præcisio , Moysem Deo aversum finiisse vitam. Et qui sic amici curavit honorem; pro Filio unico nec verbum profert in Golgotha monte? Permittit Æterni Patris providentia ut incarnati Verbi decus linguis hominum commaculetur ! Hæc vel similia plurimùm dolens Virgo cogitatione versabat , qua non leviter ejus anima torquebatur.

Joſ. 1. 2.

109. *Hoſtem de meo damno gaudentem cernere torquet acerbè.*

Nunc ad tertium ex tribus , quæ n. 99. proposui veniamus : quod quidem atrociter Matris piissimę pectus transverberabat. Illud fuit lætitia qua de crucifixi Domini contumelia hostes exultabant dicentes : *Vah qui destruis templum Dei.... Similiter & Principes sacerdotum illudentes cum Scribis , & senioribus dicebant : alios salvos fecit*, &c. Molestius est ei qui perpetitur hostem cernere de suomet malo tripudiantem , quàm aliud quodcumque sustinere. Mala cætera excepit patientia : lætitia verò inimici novum infligit ictum supra vulnus de quo ipse gaudet. Cumque sit indubium quod una super alteram percussio dolorem ingeminat , ideo peculiaris est animi cruciatus quod inimicus de mihi dato damno lætetur.

Matth. 27. 40. 41. 42.

Ps. 21. 19.

Diviserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem. Verba sunt Christi Domini per os Davidis prophetice prolata , ut interpretatur Scriptor cujus authoritas de fide est : D. Matthæus inquam : *Diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes : ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : diviserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem.* Nec te latet Domini tunicam interiorem uni militum sorte obtigisse ; vestimenta verò reliqua fuisse iis quadripartita , proindè singulos accepisse partem : nec de hac injuria querelam præcocem demiror emissam per Bethlehemiticum Psaltem. Tamen scire vellem quare non de vestium expoliatione queritur; sed tantùm de divisione , ac sortis missione querimoniam præmittit: præsertim quia cùm sanctissimum Redemptoris corpus multo fuerit vulnere cruentum, verosimile est non sine gravi dolore vestes à ferocibus extractas manibus; divisio verò indumentorum, sortisque iactus , nequaquam sanguine constitit. Cur ergo non de illa extractione agit ? divisisse milites operimenta Domini , sortemque jecisse de tunica , solùm conqueritur ? quâ de causa ? Quia Christum Dominum exuisse non afficiebat lætitiâ milites ; maximè verò partitio inter eos facta , missioque sortis. Ratio hujus est : quia dum exuebatur ille qui vestivit Adamum , singuli militum nesciebant utrum inconsutilis tunica sibi sortis beneficio possidenda foret, an non : item de cæteris incertus erat quisque privandus

Matth. 27. 35.

esset ne sua parte per alterius fraudem. Unde adhuc eorum nullus exultabat. Cum verò vestes divisæ fuere, singuli portione sua lætiremanserunt. Postea missâ sorte gavisus est is cui contigit interior tunica. Proinde Salvator per os Davidicum non instituit querelam quòd ipsum expoliaverint ; sed quòd vestimenta diviserint , sortemque jecerint de tunica : hæc etenim hilaritas adversariorum tortor patientiæ peculiaris est. Ad verbum illud *inspexerunt* quod legitur in eodem prę-citati psalmi versiculo commentatur Genebrardus : *Spectarunt meum malum cum voluptate.* Hæc Mariæ sanctissimæ cor lætitia persecutorum contristabat acerbissimè. Unde Cyrillus Alex. ait loquens de Joanne dicente stabat juxta crucem &c. *Docere , ut ego arbitror, voluit, tantam passionis Christi fuisse indignitatem ac magnitudinem , ut matrem etiam ejus mors Crucis & Iudæorum illusiones commoverint, & ad hæc milites cum risu atque triumpho coram matre ad derisionem Christi vestimenta partientes.*

Genebr. in Ps. 21. 19.

S. Cyrill. Alex. l. 12 in Joan. c. 33.

Tradidit spiritum author vitæ : sed stabat juxta crucem dolorosa Virgo Solem suum non deserens etiam post occasum. Fidelissimum Heliotropium est verus amor : de illo namque flore ferunt naturalium qualitatum scrutatores quod Phœbum etiam postquam occidit insequitur. At in eo flos iste , Virgoque dissident , quod spinarum innumeris punctionibus transverberabatur adeo ut quęstionem instruere possimus an plus doleret illa se supervivere gnato , an ipsius vitam periisse. Prima facie judicabis plus de vita propria quàm de nece Christi doluisse. Videtur hoc patronum habere Anselmum generaliter asserentem nomine Virginis ejusdem : *Nil amarius certè quam vivere sine te.* Dilectum perdidisse infœlicitas est , non verò amoris opprobrium. Amato verò semel absente per decessum , amantem doloris vi non expirasse , dilectionem aliquatenus , ad speciem saltem, devenustat. Ideo illum, qui sui cordis pignus morte sublatum deplorat, plùs vitæ propriæ tædet , quàm alienæ mortis.

110. *Vitam propriam execratur potiùs quam dilecti mortem amans de ista dolens.*

D. Anscl. d. lamēt. B. M.

Patientiæ notissima columna Jobus dum incipit doloris flebiles threnos , invehitur in diem qua natus est. *Aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies in qua natus sum :* quamvis enim aliter explicent alij ; sic exponit Ambrosius ; *denique diem generationis suæ execrabantur , sicut ille qui ait : pereat dies illa in qua natus sum. Quid enim est quo hac vita delectet* , &c. Et quid peccavit in eum dies nativitatis ut Jobus maledicat ei? Alteri luci putabam ipsum fore maledicturum : ei scilicet , quo de filiorum subita morte nuncium accepit. Nonne ista funestissima dies ? Eccur non maledictionem dirigit in hanc diem ? Quia dies hæc dilectos abstulit ; dies verò nativitatis vitam Jobo donavit : quam dum videbat superstitem post charæ sobolis amissionem, sic execrabatur , ut adversus lucem qua vivere cœpit maledicta jecerit : non autem contra illam qua mortem obiere filij. Sic insinuavit pugnator validus plus eum tædere vitæ propriæ, quam gnatorum jacturæ. Quantò plus

Job. 3. 1. 2. 3.

S. Amb. l. d. bono mortis c. 2. tom. 1.

beatissima Virgo præ Jobo passa est, tantò verius dici potuisse videbitur amplius illam quia Genito supervixerit angi, quàm cruciari de hoc quòd Filium viderit morientem.

III. *Dirum vulnus est cujus in motivo complacere jubet amor.*

Nihilominus quantumlibet amaram appelles vitam quam sanctissima Virgo post charissimi Gnati lucem extinctam ducebat, adhuc ipsius mors erat Matri funestior doloris causa: poterat quippe vitam, quam servabat, nolle ut Unigenito præsentior adesset, eandemque hoc ex fine detestari. Christi Servatoris autem obitum execrari non valebat: imò diligebat illum, ex quo tantum noverat splendorem accedere divinæ gloriæ. Nullum atrocius tormentum quàm quod amatur. Cùm dilectio secum ipsa pugnat, cor experitur duri certamina belli; cum dilecto verò belligerans intendit arcum, & exerrat ab scopo sæpe sagitta. Non sic dum secum decertat: quantumvis cæca nullum perdit ictum. Virginis amor secum iniit duellum in Calvariæ colle: hoc est, ejus dilectio simul in Christi Domini morte complacebat, quatenus honori divino congruere noverat; & interitus idem summè displicuit, utpote qui unicum animæ suæ bonum abstulerat, cum Domini arbitrio suam conformem offerebat voluntatem; insimulque nollet decretum à Patre fuisse Filij utrique communis lamentabilem exitum. Opportunè Valentinus Præsul: *cum Domini voluntate suam voluntatem conformabat, filiique mortem quam Pater volebat, mater non recusabat. Sed mater erat, & ut mater filij mortem secundum sensum vehementer abhorrebat. Pugnabant igitur in Virginis corde, ut in campo plano, duo illi gigantes amores, amor filij, & amor mundi, sensumque Virginis in diversa trahebant.* Hæc S. Thomas à Villan.

S. Thom. à Villano. ser. 2. de Assumpt.

Novum Martis genus? quo Siculi non invenere tyranni dirius tormentum, scilicet quòd amans complacentiam experiatur in eo quod perpetitur? Hoc insensibile pectus contorquet ita ut solatia respuat: quid erit dum sentire datur? Mors, quia licet eam odio habere, minùs cruciat propria: aliena verò, si placet amanti propter dilecti gloriam, sæviùs præcordia transfigit diligentis. Cùm Evangelista Matthæus enarrare voluit innocentium cædem Hærodiani furoris barbara jussione peractam, huic mæstissimo casui debitas lachrymas collocavit in oculis Rachelis vita functæ, dicens: *tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.* Duplex nodus impedit verborum intellectum, necnon & meum. In primis quid Racheli defunctæ cum lachrymis? Oculi simul flendi, videndique officia deponunt, cum somno mortis occluduntur. Matrum lamenta, quæ filiis occisis fuere superstites, referat historicus; de Rachele tantò prius olim sepulta non agat. Secundò quæro: Cur non admittit consolationem Rachelis amor, quæ jam extra vitæ miserias posita filios illas evasisse noscebat? Davidis erga filium Amnonem non mediocris erat dilectio: *& noluit contristare spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Attamen admisisse consolationis medicamen legimus. *Cessavitque rex David persequi Absalon, eo-* Ibi n. 39.
quod consolatus esset super Amnon interitu. Solamen admittit David; Rachel verò minimè? Ut occurram dubio utrique, suppono Rachelem agnovisse quòd innocentum obitus gloriam ipsis allatura erat immortalem. Insinuavit hoc divus Joannes Chrysost. dicens: *pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudium consolationis indicitur.* Econtrariò mors Amnonis lascivi non gloriosa fuit, sed infamis, utpote propter incestum inflicta. Amabant equidem David & Rachel: ille Amnonem, ista puerulos: at Rachel sciens quàm splendidam lauream infantes pretiosa morte consecuturi forent, experta est acrescere dolori suo non leve tormentum: scili. animo conformem exhibere se cladi quæ palmas conciliavit filiis adeo præclaras. In Davide cessabat hoc: imò aliorsum ad præadductum locum dixit Hugo Cardin. *ideo consolatus quia noverat Amnon flagitiosum, & morte dignum.* Quæ licet verba sonent Davidem circa mortem iniqui consolatum, quia tandem non invitus fuit circa illam: tamen ut stet notata disparitas inter hunc utrumque parentem, adverte aliud esse patrem zelo justitiæ non jam curare de nequam filij nece; aliud verò hanc amare, quod non est cur de rege Davide asseramus. Rachelem verò dilexisse credo mortem innocentum adeo ipsis honorificam. Idcirco ex puerorum immatura strage dolor obortus cadaver ipsum Rachelis insensibile videtur afflixisse omni consolatione rejecta ferè: nullus enim exaggeratior cruciatus reperitur, quàm si amor præcipiat in ipso doloris motivo complacere.

Chrysost. ho. 8. ex variis in Matth.

Hug. Cardin. ad 2. Reg. c. 2. 39.

Matth. 2. 17. 18.

Reg. 13. 21.

Næ cùm in isto conflictu sanctissimæ Virginis anima hinc inde percuteretur, non potuit non lachrymas emittere: hæ namque sanguis animæ vocantur à D. Antonio Olysiponensi ex S. Augustino dum ait: *mentis devotio, ex qua decurrit sanguis lachrymarum: quæ sunt (ut dicit Aug.) sanguis animæ.* Plorabat equidem icta corde Virgo: *Stabat ante crucem verecunda, modesta, lachrymis plena*, inquit S. Antoninus. Plures quidem in hac morte inveniebat illa ploratus causas quas (ut Anselmus ait ejus vice fatus) enumerabat Mater quasi ad crucifixum Redemptorem diceret: *tu mihi pater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi thesaurus, tu mihi omne bonum. Nunc orbor Patre, viduor sponso, desolor prole, omnia perdo uno perdito te.* Ex his causis quænam Deiparę lachrymas potissimùm erumpere fecerit, dubitabam. Pro titulo matris est non contemnenda ratio. Verbum Patris tot sponsas habebat, quot animæ justæ terram inhabitabant: deinde Patrem vocare poterant Apostoli, quos ille paulò ante filios appellaverat, dicens: *filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Matris verò nomen erga Christum Dominum nemo (si rigorosè loquamur) vendicabat nisi Virgo sacra. Inde colligo non ut sponsam, non ut filiam; sed ut genitricem deploravisse Christi Salvatoris lethum, ne socios reperiret ejus dolor: maternitas enim erga Christum Dominum

112. *Amans vehementer non desiderat socios imploranda morte dilecti.*

S. Anton. Olyss. ser. Dom. 1. post Epiphan. D. Antoni. p. 4 tit. 5. c. 41. §. 1.

D. Ansel. d. Iamenr. B. Virg.

Joan. 13. 33.

minum in Virgine singularis est. Vehementer amans recusat in fletibus pro dilecto sodales.

Philistinorum armis in acie cecidere Jonathas, ejusque Pater Saul. Evolat ferale nuntium ad aures Davidis qui sincerè diligebat utrumque; testatur ille suum in hæc
2.Reg.1.24. verba mœrorem: *Filiæ Israël super Saül flete*,&c. Animadverte non hortari filias Israël ut Jonatham lugeant. Ego quidem talia dicturum Davidem suspicabar: multò ferventiori quippe charitate Jonatham prosequebatur, quàm Saülem: illi namque multis nominibus obstrictus erat: unde nullum similem alium suo erga Jonatham invenit amorem nisi maternum, qui strictissimus est,
2.Reg.1.24. *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Qui sic amabat, non indicit filiabus Israël ut secum Jonathæ decessum collachrymentur? Saülis verò maximè? Ratio dubitandi solvet dubium. Quia minùs dilexerat Saülem, advocat lamentationis de illius morte socios oculos. Pro Jonatha plùs dilecto ploratum sibi soli reservat. *Doleo* (ait ille) *super te frater mi Jonatha*,&c. Cum sodalitas flentium soleat esse levamen, istud rejicit qui nimis amat. Non ut filia, non ut Sponsa plorat beatissima Virgo, ne comites accersere videatur in auxilium alias Verbo desponsatas, eodemque genitas, justorum animas. Ut mater plangit, contorquetur, premit altum corde tormentum, quæ sola mater & Virgo: proindeque solatio destituta. *Dolentem namque non potest consolari*
S. Gregor. Mag.l.3.moral. c.10. *qui non concordat dolori*, ait Magnus Greg.ac dicere valeret gnato absenti.

Herman. Hugo in piis desider.l.3. poëm.11.

Vis dicam, mea lux quàm te meus ardor anhelet?
Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
Nempe venenifero pastus serpente medullas,
Cervus agit totis hausta venena fibris.

DELIBATIO XVIII.

De sanctissimæ Virginis cruciatu post Filium è Cruce depositum.

113. *B. V. caput Salvatoris mortui rigavit lachrymis.*

EX Crucis brachiis ad Matris ulnas descendit inanimis vita nostra, non sine multa Virginis anxietudine: præsertim cùm eâdem ipsa huic penultimo pietatis officio corporale ministerium viriliter exhibuerit. Sic illa videtur olim aperuisse B.Birgittæ di-
Revelat. B. Birgittæ. cens: *Cum aliis deposui filium meum de Cruce.* Restabat ut sepulturæ præpararetur cadaver sacrosanctum. Præparationis hujus præcipua circumstantia fuit crystallinis oculorum Mariæ undis vulnera dilui. Sic factum
S. Germanus in fragm. theoticæ. asseruit S. Germanus: *Lavit, & rigavit lachrymis universa ejus vulnera, & plorans acerrimè super singulis amplexabatur caput ejus comprimens ad ubera sua.* Nunc fortassis
Cant.5.2. apparebit qua ratione S. Hieronymus ubi vulgata lectio apud Cantica, sic habet: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei*
S.Hier. apud Engelgrave part.2.Dom. *guttis noctium*; ille sic legerit: *Capilli mei pleni lachrymis, & cincinni mei guttis oculorum.* Sancti Doctoris mentem, quæcunque fuerit veneror, notare audens ejus verbis uti potuisse Verbum Dei cùm ipsi unitum cadaver inducias belli sui, seu potius plenissimam pacem inveniebat in sinu Matris dolorosæ. Madebat namque sanctissimum caput illud, cœlestibus tremendum Potestatibus, oculorum Virginis imbre, quem Cæsaries imbibit, dum ad ubera Genitricis blandè comprimeretur: quas eximij pretij margaritas in amoris monumentum delaturus erat Filius ad sepulchrale antrum. 3. post Pascha §. 1.

114. *Stabilitatem probat amor qui ut mitiget dolorem non quærit præsentiam dilecti.*

Aderat jam hora qua pietas amicorum à flebili Matre divelleret sacratissimum Filij corpus emortuum, terræque mandaretur, sepulcro claudendus qui pugno claudit orbem. Tunc maternum cor scindebatur duplici desiderio. Hinc vellet; hinc nollet dimittere Gnatum. Vellet inquam, ut conderetur in tumulo, ne accideret suaderi Pilato à Judæis, ut honorem illum non sineret conferri ei quem tanquam publicæ quietis hostem crucifixerat. Sed nollet afflictissima Parens quod adeo citò raperetur ab ipsius conspectu levamen unicum. Meditatur D.Bonaventura sanctissimam Genitricem angore sævo discruciatam, sic dicentem: *Sustinete paululum*
S. Bonav. opusc. d.cõpass. Mariæ. *quod dolorem meum plangam, & meum dilectissimum deosculer: mihi meum dilectissmum subtrahere nolite. Si sepeliri debeat, mecum sepelite.* Litigabant valenter prædicta duo vota cordis anxij. Lis delata fuit ad amoris tribunal, qui decrevit ut præfatum desiderium honoris Domino per funus præstandi tunc prævaleret; cederetque cupiditas pascendi oculos per illud hyacinthum,rosarum, liliique multiplicis pratum: scilicet per Christi Domini corpus vita functum. Nam visu Matris allevabatur anxietas: atqui dilectio devenustari se putat, si peroptet levamina. Ideo B. Laurentius Justinianus devotè contemplatur dolorosam Deiparam in spiritu fuisse locutam ad Unigenitum suum cum duceretur ad prætorium. *Scis, ô amor mi, dolor mi, & Deus cordis mei, quoniam præsente*
S. Laurent. Just. d. triũph.C.agone. c.11. *te omnia mihi licent. Adeo quippe mœror tuus absorbuit cor meum: tantumque in præcordiis prævaluit tristitia, ut præter te nihil ultra cogitare queam. Nusquam accedere possum, nullinsque concupisco levamen.*

Quin potiùs, ut suam dilectio probet stabilitatem, oportet quòd ostendat se posse ferre dolorem, quin per amati præsentiam iste mitigetur. Adstitit Christo morienti Magdalena; minimè verò Petrus. Cedit ne Principis Apostolorum amor affectui plurimo peccatricis mulieris? Nequaquam: *nemo*
Chrysost.to. 2.hom.51.in Matth. *enim ita ut Petrus Jesum amabat*, inquit Chrysost. Quid ergo est quod ubi perstitit Magdalena constans, aberat Petrus? Credo, quia unicum erat illo die funestissimo cordium Dei amantium solamen aspicere fixum cruci Dominum. Quamvis Magdalena minuerit hoc solatio pectoris ærumnas, minimè dehonestabatur ejus amor, utpote quem Summa Veritas magnum testata fuit:
Luc.7.47. *Dilexit multum.* Petrus egebat dilectioni suæ fortissimas probationes adjungere: maculaverat enim opinionem ejusdem tribus nævis,ter negans Magistrum. Dolebat Apostolus de Christi Domini crucifixione: patibulo

tibulo noluit adeſſe, ne pendentem cernens, aſpectu pio triſtem ſolaretur animum. Curavit ut ſic pateret illius amorem poſt lachrymas ita viribus adverſus mala prævalere, ut conceptam de morte chariſſimi ſibi Præceptoris afflictionem ſuſtinere quiret, licèt iſta minimè per ipſius Domini præſentiam ſublevaretur. Opportunum eſt amantem operari quandoque ſic, ad hoc ut ejus conſtantia nota fiat. Quò major eſt dilectio Virginis amore Petri, tantò plus excellit illa ſui victrix, dum permittit Filium tumulari, cujus aſpectu conſolari poterat utcumque vel, ut melius dicam, quaſi conſolari: ne phraſim egrediar ipſius, quæ ad B. Birgittam aiebat quondam: *Quaſi conſolata ſum, quod corpus ejus jam de cruce depoſitum contingere potui, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & extergere ſanguinem: deinde os ejus digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui.* Hic obſtupeſcat pietas, taceat lingua, corda loquantur.

Revelat. B. Birg.

115. *Innocentum durtores ærumnæ,*

Si mæſtiſſimæ univerſi Dominatricis anguſtias aliqua ſimilitudine voluerimus delineare: vix occurret exæquans illam. Expende, ſi potes, quid paſſuri ſint per totam æternitatem inferno damnati, præferam adhuc Deiparentis conflictatiſſimæ torturam, nixus in eo quòd gehenna ſit peccatorum mulcta, quodque patitur quis in delicti pœnam torquet minus, quia ſibimet imputat hoc. Forſan eo ſenſu Præſul Valentinus appellavit juſtos præcipuos in patiendo: quia ſcilicet non in criminum vindictam vapulant; ſed ad augmentum præmij flagellantur. *Multis enim*, ait, *curis & anxietatibus premuntur divites, & omnes: præcipuè tamen juſti in hac vita vexantur.* Innocentum ærumnæ duriores.

S. Thom. à Villano. ſer. 2. d. SS. Coſma & Dami.

Poſtquam ab Sponſæ foribus repulſus abiit Sponſus, aperuit illa peſſulum fruſtra. Non inveniens dilectum, quæſivit per plateas, & invenit cuſtodes qui percuſſerunt ipſam. Queritur de malo eventu dicens: *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem: percuſſerunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* In parabola hominis qui cecidit in latrones & ſemivivum reliquerunt, mirabar quod ipſe querelas non emiſerit. Querula Sponſa dolorem verbis egerit? Saucius angorem pectore ſepelivit? Minus afflictabatur iſte quàm Sponſa: quia vulneratus ille peccatores, juxta doctrinam Bedæ ſignificat: *Peccata quæ in hominibus invenit, redarguendo cohibuit*, ait Beda ſuper illud: *alligavit vulnera.* Querimonias non edat peccator, cum ſuſtineat ictus in pœnam delictorum. Sponſa queſtus edat, quæ ſuffert innocens percuſſionem. Hæc præſertim in ea verificantur ſi attendamus ipſam tanquam Virginis umbram tempore paſſionis ex Ruperto. *Quomodo quærebant, & quomodo invenerunt me? Querebant me utique omnes pia ſollicitudine, & ille præcipuè, cui à dilecto fueram commiſſa, dicente: Ecce mater tua.... & invenerunt me plenam eſſe gemitibus inenarrabilibus.* Sic Rup. ad præcitata Sponſæ verba. Innocentia, quâ major ſub Deo nequit intelligi, Virgo nitebat: ideoque dolore, quo poſt Filij Dei tormenta non valet acerbior inveniri, cruciabatur.

Cant. 7. 5.

Beda l. 3. in c. 10. Luc. c. 44.

Ruper. l. 5. in c. 5. Cant.

116. *Remedium torquens plus angit ipſo malo.*

Lachrymis putares Virginis mœrorem leniendum. Tantùm hoc abeſt, ut potiùs fletu dolor excreſcat. Lamenta fateor in remedium inſtituta fuiſſe à provida natura; ſed illis rigatæ ſpinæ augentur, & altiùs penetrant.

Prævidens Michæas populi Dei ventura damna, dicebat: *Lachrymis ne ploretis, in domo pulveris, pulvere vos conſpergite.* Cur propheta conſulit reprimere luctum? Ut eſſet hoſtibus ignotum lachrymarum plebis motivum. *In Geth nolite annuntiare, lachrymis ne ploretis.* At obſtare ſequentia videntur: *in domo pulveris, pulvere vos conſpergite.* Ut adverſariis occultę maneant Iſraëlitarũ preſſuræ, quid refert lachrymis parcant, ſi pulverem ſupra caput conjiciant? Idipſum quod occulit ſiccitas luminum, oſque clauſum diſſimulat, hoc prodet pulvis capitibus aſperſus. Quare non utrumque ſignum doloris iſtud vitare monet, ſcilicet fletum & pulverem? Exiſtimo animadvertiſſe Michæam, ſi pulvere, ſimulque lachrymis teſtarentur quã acriter dolerent: non quidem pulverem tanquam tormenti ſui medicamen aſſumpturos eſſe; Lamentis autem uſuros tanquam cordis afflicti remedio. Cumque ipsâ medicinâ feriri ſit ſatis durum, vates idcirco planctum diſſuadere conatur; non pulverem. Ne putes Mariæ ſanctiſsimæ ploratum præcordiorum ejus angores lenire; quinimò reſperſus aquis viſcera tenens ignis exardeſcit altiùs. Parum dixit quidam cum aſſeruit: *Lachrymæ nihil remedij afferunt malis:* Plus eſt quòd iis exacerbetur dolor, veluti ſanguinis miſsione vulnus recrudeſcere ſolet: ſunt enim lachrymæ ſanguis animæ. *Vt ab eorum oculis quaſi quidam ſanguis animæ, lachrymæ decurrant*, ait S. Greg. M.

Mich. 1. 10.

Antonius Nata l. 1. d. immor. animæ. S. Greg. M. ro. 2. hom. 20. in Evan.

117. *Dilecti partem deeſſe ſufficit ad cruciatum; ſed pars poſſeſſa non ſatis ad ſolatium.*

Quid igitur pro medela cordis ageret dolentiſsima Genitrix? Totos animi ſenſus ad Filij cadaver gremio jacens intendit. Sed heu: nec ita ſolatium invenire datur conflictato pectori. Nam etſi Maria dilectiſsimi Gnati partem ulnis complexa teneat, ſat eſt aliam ibi deeſſe (ſcilicet animam) ad hoc ut Matrem gladius doloris pertranſeat; altera vero Domini pars, quæ ibi præſens adeſt (nempe ſacratiſsimum Redemptoris cadaver) minimè ſatis eſt ad levamentum ſauciati pectoris. Luctus amoris non quieſcet niſi totum poſsideat amatum: ſi partem ejus deperdidit, quamvis aliâ potiatur, afficitur atrociter.

Notiſsima eſt Joſephi Patriarchæ hiſtoria ſæpe alibi notationibus illuſtranda. Tantùm occurrit expendere Jacobum cum falsò ei perſuaſiſſent perfidi fratres Joſeph à beſtia ſæva devoratum, dixiſſe qualibet conſolatione rejecta: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Vel fallor, vel mentem Jacobi turbavit anxietudo. Infernus locus, de quo agit, limbus eſt Patrum, in quo eorum animæ pœnarum expertes quievere quoad uſque veniret ad eos deſiderium collium æternorum. Huc iturus erat Jacob poſt mortem, ibique inventurus animam Joſephi, ſi non ficta foret hujus nex. Qua veritate igitur pater affirmat ſe illuc deſcenſurum plorantem? Quid ille cupit? filium? ibi eum

Gen. 3. 7. 35.

æſtimat

æſtimat ſe tunc reperturum fore: quid ergo in limbo aſſeverat ſe ploraturum? Prævidit fieri non poſſe ut ibidem totum Joſephum inveniret. Pars hujus, anima ſcilic. quam eo loci credit eſſe, non ſufficeret ad ſolatium; pars alia, quæ ibi deforet, nempe corpus, ſat eſſet ad planctum.

Paululum inverſis terminis locus hic ſubjectæ materiæ opportunus eſt. Poſſidebat piiſſima Domina Chriſti Servatoris partem; altera verò aberat. Pars poſſeſſa non ſupetebat pro ſolamine; alterius partis abſentia erat pluſquam ſufficiens ad tormentum: Omnis exulabat conſolatio, quandiu dilectus diſtabat: nam quid minus amori beatiſſimæ Deiparæ tribuendum? ſi de qualibet anima diligente Deum dixit Mag. Gregor. *Nihil ejus mœſtitiam conſolatur quouſque adhuc qui deſideratur non aſpicitur.* Hæc ſunt Virginis Matris antequam Salvator ſepulchro conderetur lamenta, ſi fieri potuit ut calamo brevi mare iſtud velut pugillo clauſum graphicè pingerem. Nunc ad ea quæ Virginis ejuſdem cor perpeſſum eſt poſt chariſſimi ſepulturam gradum facio: ut pateat quàm carò conſtitit illi gaudium, quo Redemptor poſtea reſurgens, dum viſit eandem, *lætificavit* illam.

S.Greg.M. ho. 25. in Evan.

DELIBATIO XIX.

Mariæ ſanctiſſimæ ſolitudo, qua reſurgentis Chriſti Domini conſpectum lucrata eſt quàm lætiſſimum.

118. *Atrocius ferit amantem aliena mors quàm ſua.*

DEi Filius, teſte Chryſologo, *ſepultus eſt ut officia tota mortis impleret.* Antequam tumulo reconderetur ille, qui poterat more Solis nobilius monumentum eligere, mare ſcili. lachrymarum ex oculis maternis exundantium: & voluit lapide claudi lapis qui factus eſt in caput anguli: antea, inquam, plurimam ſtragem effecerat mors. Gnati vitam ferociter abſtulit: Matris præcordia liquefecit in fletus: minùs tamen ipſius animam transfixit feralis ille Simeonis gladius, dum ſacroſanctum cadaver coram proſequebatur amoris officio materni. Tandem cum jam lumen oculorum ejus extinctum latebat ſub marmore, mors explevit, imo ſuperexceſſit munera ſua: nam deſideria lachrymabilia veluti ſagittas igneas fixit in Virgineo corde. Superexceſsit inquam, quia mors ita ſe gerens arma vendicavit amoris: at vulneravit Mariam plaga quæ morte dirior. Et cum viderit amor ſuas fuiſſe raptas à morte ſagittas, non potuit, uti ſæpe ſolet, earum cuſpides medicari ut ſuaves redderet illarum ictus. Quin potiùs nullum ſævius in corde mors efficit ulcus præ mortui dilecti abſentiâ. Mortem fratris amantiſsimi Gerardi cum lamentaretur Bernardus, aiebat. *Bene mors quæ unum rapiendo, duos furioſa peremit. An non mors etiam mihi? imo plus mihi: cui utique omni morte infœlicior vita ſervata eſt. Vivo ut vivens moriar: Et hoc dixerim vitam? quàm mitius me privares ô auſtera mors vitæ uſu, quàm fructu.* Ecce quàm verum ampliùs

Chryſol. ſer. 59.

S.Bern. ſer. 26. in Cant.

torqueri diligentem aliena morte quàm ſua.

Deliquit Protoparens noſtri generis, & ſimul cum humana ſtirpe ſubjacuit mortis comminatæ ſententiæ: *in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* Incepit executioni dari decretum rectiſsimi judicis, & obiit Abel prior Adamo. Gravius erat peccatum Adæ, quo perdidit univerſum, quàm Abelis originale à genitore tranſmiſſum: illud enim phyſicè proprium patris primi fuit (ut loquuntur Theologi;) filij verò noxa non ita. Dat citò pœnas primigeniæ labis Abelus? ſuperſtes remanet genitor, qui mortem introduxit in orbem? Supervixit Protoplaſtus ut chari ſibi gnati pateretur abſentiam, quæ cæderet patrem ſæveriùs quàm propria mors. Atrocius diligentem ſauciat interitus dilecti quàm ſuus. Meritò apud Bernardum introducitur Virgo Parens in Calvario Filium, ſic alloquens: *nihil mihi dulcius eſt quàm te amplexato in cruce tecum mori, & nihil certè amarius quàm vivere poſt tuam mortem.*

Gen. 2. 17.

D. Bern. de lamenta. B. Virg.

119. *Amor erga immortalem agit mortis munera.*

Inſinuavi proximè animam ejus, qui amat impensè, illum ferre ictum quo mors vitam præſcindit amati. Qua ratione id fieri poſsit dubitabit philoſophus, cum anima ſit à morte invulnerabilis. Sed cum artes edocuerit experientia, cedunt huic libenter. Redi ad expertum ſatis Bernardum, & novam edocebit philoſophiam in Schola ſancti amoris magiſter dolens de Germani morte. *Cum ergo eſſemus cor unum & anima una: hanc meam pariter atque ipſius animam pertranſivit gladius, & ſcindens mediam partem locavit in cœlo: partem in ſcœno deſeruit.* Anima rationalis interire nequit: ſed quod non valet perficere mors utens falce propria, videtur exequi ſumptis amoris armis. An ignoras nec immortalem à dilectionis vulneribus (& quidem lethalibus) immunem? Autumat gentium Apoſtolus nos hæredes Dei & Chriſti Domini ſocios in hæreditate. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Si nos Chriſti Filij Dei vocaſſet hæredes, percipere rem facillimè: nam verè mortuus eſt. At Pater qui mori nequit, ad quid hæredes inſtituit homines? Dubium tetigit hoc D. Thomas: & æterno Parente quendam decedendi modum invenit. *Poteſt tamen dici* (ait) *quòd Deus decedit nobis in quantum eſt in nobis per fidem, &c.* Cumque Deus in ſuis fidelibus exiſtat ſpecialiter per amorem, illi quatenus Deus eſt, mors tribuitur: nam quod mors non effecerit exequetur amor. Immortalis eſt Genitor ſupremus: quin tamen vitam deponat, amor egit in eo munera mortis. Mori nequibat Virginis anima: ſed quam falce demetere non valebat mors, hanc ſagittavit mutuatis ab amore pennis. *Conſtans, quia Maria tantum doluit, ut totam animam pertranſiret, ac poſſideret vis doloris.* Verba ſunt vel Hieronymi, vel Sophronij: & idem, quicumque ſit, addit: *B. Virgo in ea parte ſui paſſa eſt, quæ immortalis habetur.*

D. Bern. in Cant. proximè ſuprà.

Rom. 8. 17.

Incertus Hier. ſer. d. Aſſump.

120. *Amor occidit ſæpè vitam eandem.*

Unius mortis, quam ſcili. omnibus lex Adamidum ſtatuit ſemel ſubeundam, incapax erat Virginis anima: ſed unius loco necis pluries emori viſa eſt confoſſa deſideriorum jaculis. Non ſatis dilectioni necare ſe-

mel amantem aliter non diceret Bernardus loquens de salubri morte cujus meminit Apostolus ad Colossenses: *Mortui estis &c.* S. Bern. ser. 52. in Cant. *vitam*, inquit S. Doctor, *hac morte ego frequenter cadam.* Amor & crudelitas quamvis non absimilem tyrannidem exerceant, in eo dissident quòd sævitia vitam eripit, sed non restituit; amor verò & aufert vitam, & restaurat eandem: proindeque datur locus ut usum illius eripiat multoties.

Affirmat Evangelistarum Aquila Joannes quòd charitas perfecta facit exulare metus: 1. Joann. c. 4. 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem*: & experientia, & ratione nixus ita loquitur. Nihilominus contra hujusmodi veritatem ut eluceseat unica mihi supereſt objectio. Si Dei amans timere nescit pericula: quomodo Paulus dum habitaret Damasci permisit ut fideles eum per murum demittentes eriperent à morte quæ ab hostium impietate parabatur? timet interire pro Christo is cui *mori lucrum*? Commentatur vel Athanasius, Incertus Athan. ad 2. Corin. 21. fin. vel Theophylactus: *Paulus sportæ præsidio fugæ remedium adinvenit. Et quamvis versari cum Christo concupisceret, & mortem subire: nihilominus humanæ salutis nimio detentus ardore, sese ad prædicandum servabat.* Non igitur Apostolus pavebat mortem; sed unam devitabat ut se reservaret pluribus. Ipsemet ad Corinthios ait se plures mortes 2. Cor. 11. 23. frequenter experiri: *in mortibus frequenter.* Crudelitas Apostolo, si posset, vitam abscinderet semel: amor autem morte multiplici afficiebat ipsum. Haud aliter, sed multò perfectioris charitatis telo transverberata Virgo sanctissima desideriis quin pereat expirat, ut non semel tantùm vitam immolet divini amoris aræ.

221. *Contemptui præfert amans dolorem absentiæ.* Itaque parcissime loquetur de matre afflictissima pietas fidelium, si ejus pectoris ærumnas æquiparet morti. Altiori stylo exaggerandus est Mariæ sanctissimæ Cruciatus: excedit quippe mala quæ morte graviora communiter appellantur. Duo tantum expendamus: contemptum scili. Ac ingratitudinem. Amanti durius esse contemni quàm interire, convincit ratio: Mors enim vitam secat; contemptus amorem vulnerat. Cumque amator præferre soleat amorem vitæ, ideo de morte minus est solicitus, quàm de spreta dilectione. Quæ cum ita sint, conferamus absentis peramantia desideria cum præsentis fastidiosa repulsa: & agnoscemus cor plus desideriis angi quam despectu. Qui despicitur à dilecto, se videt à despiciente injuria impeti; qui verò absentem lamentatur perdidit amatum, quem sibi millies anteponit. Despectus amans, inquam, impetitur: sed hoc, vel simili telo non percutitur: proprium enim est amantis nullatenus S. Thom. à Villan. ser. d. S. Joan. Eva. injuriis offendi: *Nihil est amore patientius, nihil clementius, qui diligit non offenditur*, ait S. Thomas à Villan. Absentia verò dilecti non injuria est, sed jactura boni amati: proindeque patientia non præteritur. Non igitur concludere formido absentiæ dolorem despectui præponendum.

Sponsam domi reclusam quæsivit Canticorum Sponsus per noctis incommoda. Fores illius petens aditum postulat, nec obtinet: Frivolis illa quippe prætensis excusationibus denegavit ingressum: *expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Frustra nonnulli ab inurbanitate Sponsam defendunt*, ait Sanctius: sed libenter, si daretur facultas, à divino Sponso rogarem: nonne præsciebas Domine Sponsam aperturam ni foreò januam? Nihil te latet omniscium: & flagitas ab ea quod negandum esse noveras? Quid aliud est hoc nisi occasionem accipiendæ injuriæ sollicitare, quam à dilecta illatam non vulgariter eum læsisse credendum est? Quo mysterio sic operatur is qui sibi factas offensas execrari debet bonitati suæ? Ad quid instat mittens manum per ostij negati foramen? *Magna*, inquit Hugo Cardin. ibi, Dei clementia hic ostenditur, qui cum ei non aperitur licet pulsanti, manum per foramen intromittit. Aberat à Sponsa dilectus: utque absentiam finiat, quid recusaret amans? injuriam ne delectæ? Contemnendum ab ea se non ignorabat: plus tamen ejus desiderio, quàm despectu se torquendum arbitrabatur. Idcirco seipsum exposuit Sponsę contemptui, ne diutius absentiam protelaret. Non ergo libere prædixi despectioni præponendum cordis absentis dolorem: quantumvis morti præferat amans dilectionis contemptum, si quando hunc in amato experitur. Cant. 5. 3. Sanct. ibi.

Aliud est malum in amantum æstimatione morte pejus: ingratitudo nempe dilecti: mori quippe nihil aliud est quàm debitum solvere mortalitati, juxta illud Chrysostomi: *Mors munus necessarium est naturæ.... offeramus Deo pro munere quod pro debito tenemur reddere.* Aſt ingratitudinem sufferens patitur quod sui creditor amoris debitum vel non fateatur vel non solvat: jure enim ait Cancellarius Parisiensis, *nihil quippe ita debitum, nihil plus naturæ consentaneum, quam redames, si amaris.* Et citra quæstionem est difficilius esse pati rebellionem creditoris, quàm se debito proprio gravissimo exonerare. Adhuc tamen absentiæ, quam ingratitudinis acerbitas amore icto cordi major est: nam qui experitur ingratum quem dilexerat, non perdidit ipsum, sed potius acquirere non valuit, absens verò perdidisse dolet eundem. Hoc sævius animum transfigere crede, ac statim absentis afflictationem præcellere ingratitudinis vulneri cernes. 222. *Ingratitudinis dolori præponitur absentia.* Chrysost. sup. c. 20. Math. Hom. 25. op. imperf. Gerson. p. 2. in epist. apologet. ad quendam Carthusiensem.

Vidit Samson mulierem Tamnathæam, seu potius videns eam cæcutivit, adeo ut deliberaret ipsam in uxorem accipere quamvis filiam inimici populi. Restitere parentes: instat ille, tandemque obtinet ut nuptiæ celebrentur quas elegerat. Instruitur de more convivium: quod ut amplius exhilararet, proposuit ænigma convivis, facta sindonum, & tunicarum sponsione. Nodum solvere non valebant illi, proindeque sponsionis jacturam non leviter doluere imminentem. Ab uxore Samsonis, comminatione facta, extorserunt, ut ænigmatis interpetrationem ab eo blanditiis suffuratam illis renuntiaret, ne spoliarentur. Lachrymis & verbis uxoris paruit Samson. Detexit illa Philistæis arcanum, & dolo victores evaserunt

evaserunt. Iram concepit Samson, qua motus uxorem dereliquit. *Iratusque nimis ascendit in domum patris sui: uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus & pronubis.* Post nonnullum spatium temporis reversus est ad sponsam: Cumque alteri traditam invenisset, efferbuit adeo ejus indignatio, ut in ultionem facti segetes Philistinorum, vineas, & oliveta succenderit. Hìc Samson tam extraordinaria vindicta punit injuriam; alibi verò cum textus exaggerat illius iram (*Iratusque nimis* ubi commentatur Hugo Cardinalis: *contra uxorem suam*) eam terga dando probavit, quin ab uxore sumeret perfidiæ pœnas? Ita, quia tunc minùs doluit de ingratitudine Tamnathæ, quæ secretum prodidit in mariti damnum, ingratissima sanè, quæ fidem arcani sibi ab amore commissam custodire noluit. Posthàc autem dilectam videbat sibi uxorem ereptam: absentiæque impatiens flammas evomit in segetes. Hìc vides absentiam seviùs quàm ingratitudinem icta pervadere corda.

Jud. 14. 19. 20.

123. *Amantis absentia dies computat velut annos.*

Inde manet obviam quàm tyrannicè desideriorum beatissimæ Virginis agmen saucium presserit genitricis cor dissitum à Filio per triduum. Triduana inquam erat sejunctio ista: nec tamen uti poteris hìc verbis Augustini: qui de B. Laurentio, cujus amor erga dilectum sibi S. Pontificem Xistum ejus præsentiâ post diem tertium fruiturus erat, dixit. *Triduum est medium. O consolatio!* De B. Virgine si loqueretur, dicere posset: triduum restat. O triplex æternitas! vere quidem imperfectum fateor triduum inter absessum Christi Servatoris, & regressum ad oculos piæ Matris, si cursum Solis metiaris; & si amorem Virgineum spectes, non dies appellabis illos; ad minus dices potius annos: nam ut ait Nazianzenus, *vel unicus dies totius vitæ humanæ instar est desiderio laborantibus.* Idipsum tempus quod aliis computatur certo dierum numero, annorum spatium vocari quit pro absente quem vulneravit amor. *Plus ævi spatio creditur una dies.* Ut ingratissimi Saulis persecutionem vitaret David se contulit ad regem Achis, in quo benignitatem reperivit, quam debuerat exhibere rex Hebræus militi strenuo adstrictus adeò. Accidit ut rex Achis ad bellum egressus comitem haberet Davidem suis circumseptum. Istos viderunt Philistæi Principes: dixeruntque ad regem, quid sibi vellent in exercitu isti? Tunc rex ait: *num ignoratis David, qui fuit servus Saül regis Israël, & est apud me multis diebus vel annis* &c. Alternativè loquitur? David apud Gethæum regem commoratus fuerat per quatuor menses, de quo textus alibi. Cur igitur numerat annos? Respondet Sanctius ibi: *Quia hic dicendi modus in ea regione proverbialis esse potuit ad significandum aliquid quod etsi brevi tempore factum, aut observatum fuerit, ejus tamen esse naturæ, ut haberi possit pro diuturno.* Emphaticè locutus est: idem namque tempus respectu diversorum, & vocari poterant dies & anni. Verba illa & respiciebant Davidem, de quo prolata sunt, & Philisthæos ad quos dicta fuere. Oportuit regem terminis uti, qui & Principibus Philistinorum, & Davidi propriè convenirent. David profugus exulavit ab uxoribus, & cæteris quos diligebat: huic ergo dies velut anni reputabantur. In Principibus cessabat hæc ratio: Proindeque si eos attendamus, singuli dies non excedebant diei mensuram, quam jubar solare perficit. Itaque ut sermo congrueret utrisque; scili. Davidi Principibusque Philistiim, nec simpliciter annos dixit, nec tantùm dies; sed alternativa oratione usus est: *multis diebus vel annis.* Dies illi quibus abfuit à Virgine mæstissima Gnatus, aliis equidem tres erant, & imperfecti, sed Mariæ sanctissimæ non ita computandi, sed velut annorum longissima spatia. Ex Mariæ verbis quæ nobis dat meditatio Ruperti liquet hoc. Nomine Virginis loquitur ille sic: *tridui quidem tempus breve est; sed dilectæ & columbæ tuæ desideranti & gementi vulnerata mente, non satis dilecte mi festinatum est. Abbrevia hoc ipsum triduum* &c. Minimè igitur levari poterat Deiparæ planctus ex eo quod hujus motiva tempore modico perduratura forent. Disquiramus an aliquod aliud ei suppeteret levamentum.

S. Aug. tract. 27. in Joan. fine tom. 9.

S. Greg. Nazian. orat. 28.

Herman. Hug. l. 3. piorum deside. poema 12.

1. Reg. 29. 3.

Ibi 27. 7.

Sanct. ad 1. Reg. 29. 3.

Rupert. l. 2. in 2. Cant.

DELIBATIO XX.

Remediis exasperabatur in solitudine tridui Sanctissimæ Virginis dolor.

PRæcipuum afflicti cordis asylum spes fortunæ melioris est. Firmam expectationem, validissimam inter procellas jecerat anchoram navis institoris Regina Cœli; sed anchoræ firmitudo non minuit fluctus. Ita spes revisendi charissimi sui non valuit fluctuantis pectoris turbinem tranquillare. Unde Nazianzenus in persona Virginis ait: *nec me latent quæ post brevi futura sunt, sed mœror excedit gravis fiduciam.* Imò forsan expectatione recrudescebant Virginis desideria. Spes & desiderium duplex tormentum: unde malum alteri malo nequit esse medela: quinimò priori vulnere percussa patientia secundùm ab spe veniens fert acerbiùs. Vide si gustushic in Ambrosio. *Hoc*, inquit, *igitur inflammatus desiderio ait David: defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speravi. Recte speravi dixit in verbum. Ante enim spes præcedit, & inde sequitur defectio.* Vide quid, & unde sequatur. Non ex desiderio, sed ex spe defectio procedit?

124. *Desiderium absentis dilecti plus torquet si adsit spes restaurandi præsentiam.*

S. Gregor. Nazianz. in trage. de Christ. patiente.

S. Amb. in ps. 118. Octon. 11. tom. 2.

Sane desiderium absentis dilecti sauciabit crudeliùs amantis præcordia si accedat spes restaurandi gratissimum ejus conspectum, quàm si destituatur istâ. Venditus à fratribus Joseph ducitur in Ægyptum, emitur à Putiphare, moratur ei serviens, postea mittitur in carcerem, ibique diu tenetur. Demirabar olim quòd per tot annorum seriem quibus hæc peracta sunt, Josephus à charo sibi parente absens, quantumvis duris laboribus premeretur, non miserit nuntium ad Jacobum quo de vita sua certiorem faceret illum. Non misisse credo, nec levi-

Theodor. apud Cate. Lipom. in Gen.

ter. Nam Theodoretus ait. *Quærendum est cur aut Ioseph servitutem suam patri non indicarit; aut &c.... Deus prædictiones suas ita impleri voluit. Nam si Iacob servitutem filij sciviſſet, eum utique redemiſſet.* Erat equidem præ cæteris liberis amabilis Jacobo.

Gen. 37. 3. *Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios suos.* Unde verosimile non est, quod si Josephum captivum apud Ægyptios agnoviſſet genitor, de illius redemptione non citò curaret. Ex hoc quòd ipsum non redemerit infertur clarè neſciviſſe quid ei acciderit invidiâ suadente fraternâ. Sed adhuc quæro, cur non parenti suo Joseph annuntiavit se in Ægypto servum, & innocenter in carcerem missum? Noluit spes concipere videndi chariſſimum sibi patrem, ne desideria per spem vires acciperent, ipsumque sæviori tormento lancinarent: quasi diceret: nolo expectationem videndi percharum genitorem admittere, quia recuperandi conspectum ejus ardentiora desideria pati non audeo.

125. *Spes fortiùs tormentum desperatione.*

An spem desperatione truciorem inficiaberis? qui desperat consequi, rem quam deperibat propulsat è mente: si adhuc verò

Senec. expectat, votum suum cogitatu fovet, alitque prædulce corde venenum. *Cùm expectatio lõgior est, consenescit animus & debilitatur mens*, inquit Seneca. Lapidi molari superiori S. Isidorus Hispalensis æquiparat spem.

S. Isid. Hisp. in Deut. c. 10. *Superior autem, ait, & inferior mola est spes & timor. Spes quippe ad alta subvehit*, &c. Fateor, elevat animam spes: attamen simul conterit. Expertis crede: nam plùs dum sperant, quàm desperantes ingemiscunt.

Apparuit Moysi Dominus in flamma rubi sollicitus de populi duriſſima captivitate sublevanda. Post multa denique pergit Moyses ad oppressos labore lateritio Hebræos, & quàm debitores divinæ benignitati sint eos liberare decernenti, enarrat. Adit simul cum fratre Pharaonem. Regi proponitur Dei mandatum de dimiſſione plebis. Restitit barbarè superbus. Imò ut Hebræi onere gravati de libertate consequenda cogitare desisterent, auxit operis pondus: nam juſſit paleas ipsis non dari pro laterum decoctione, sed ab eis colligi; solitum tamen lutei officij pensum exigebatur. Jacobitæ scientes hoc ideo ipsis contigisse malum, quia Pharaoni displicuit legatio, qua de illorum ex Ægypto egressione agebatur, die quadam adversus Aaronem & Moysem insurrexere

Exod. 5. 21. sic: *Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus, & præbuiſtis ei gladium ut occideret nos.*

Corn. à Lap. ibi. Exponit à Lapide: *id est vindictam sumat de vobis.* Et quid mali Moyses & Aaron ipsis intulere? de his conqueruntur! querelas emittant adversus Pharaonem, cujus imperio sævo nimis opprimuntur: fratres quid peccavere qui libertatem eorum sollicitant? Ingratitudinem istius querimoniæ non laudo: sed quadantenus excuso. Spem dedere Moyses, & Aaron populo emergendi à miserando ergastulo. Econtrariò desperationem injecit Pharao. Non de tyranno, sed de fratribus questum emittunt, quasi dicerent: majus nobis inflixere damnum Aaron & Moyses qui spem injecere libertatis, quàm Pharao, qui nos de illa consequenda desperare cogit. Desperatione sæviùs vulnerat spes.

126. *Dejectum amantis animi non sentis non quiescet si spem illum videndi servet.*

Enimverò minùs esset absentis anxia sollicitudo, si spe desiderium desineret, licet expectatione validè cæderetur. Non solius patitur spei torturam, sed augetur speranti cupiditas videndi rem dilectam: nam, ut ait Ambrosius infrà, sed jam suprà datus, *quò diutius abest qui desideratur, eò expectantis desideria quadam vi amoris igneſcunt.* Si spe cernendi careat amator, fortè quiescet; at dum sperat oculis restituere quod amisit, jugi circumrotatur inquietudine.

S. Ambr. infrà.

Sit exemplum Anna Tobiæ mater. Aberat filius ut patris pecuniam, quam dederat ille mutuam, referret. Duxerat juvenis in itinere uxorem, & causâ nuptiarum, quam parentes neſciebant, moram traxerat. Ideoque cum die statuto filius non reverteretur ad eos, contristabantur nimis, ita ut absentiam obortis lachrymis deflerent. At non æqualis videtur fuisse amborum dolor: nam genitrix stare loco neſcia præ cordis anguſtia *quotidie exiliens circumspiciebat & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem.*

Tob. 10. 7.

Unde S. Ambrosius ait: *expectabat Tobiæ uxor filium peregrinantem deficiens à desiderio, & in anguſtiis constituta, & tanquam resoluta viribus.* Ejus verò sponsus non ita, sed manens domi dolebat, & non tam atrociter ut non posset Annam solari dicens: *Tace, & noli turbari, sanus est filius noster:* Nonne utriusque vigebat æqualis amor? Ita crederem. Cur ergo matri nulla quies? Tobias verò minora patitur? Quia hic spe videndi filium carebat, cum cœcus esset; Anna verò non sic: imò potiùs gnatum cernendi spes è domo illam extrahebat. Quid mirum agitaretur irrequieto gressu mater, cujus præcordiis desiderium conspiciendi filium, simul & spes immorabantur? Ascende hinc ad amantiorem ter & amplius Genitricem. Expectabat hæc tertia die conspectum ovantis devicta morte Filij: non poterat desideria expectatione placare, imò per hæc exulcerabantur illa. Heu remedium vertebatur in

S. Amb. in psal. 118. Octon. II. tom. 2.

Ibi n. 6.

suspiria. *Cum corpore nati in spiritu proprium conglutinabat corpus, in anima cum spiritu descendebat ad inferos: & tamen corpore & spiritu in his se exercens, inhianter resuscitatum filium videre cupiebat, minimè ipsum die tertia resurrecturum ambigebat. Tacitè igitur corde loquebatur dicens: est ne hora nunc ut devicto tenebrarum Principe, omnique mortalitate consumpta reviviscat filius meus?* Sic de piissima Virgine pius Antistes Venetus.

S. Laur. Just. de triumph. Ch. agon. c. 23.

127. *Quandoque animus eò plus feritur malo, quò magis voluntariè patitur.*

Aliud solet afflictis prudentia medicamen applicuisse, conformem nempe malo suo semetipsum exhibere, ut afflictio reddatur voluntaria, profundeque minùs molesta. Nec semper veram hujusmodi regulam esse docet experientia: sunt enim mala quædam quibus doctrina ista non prodest. Eis qui corde nonnihil restitit illorum vires infregit; qui verò pectus ultrò referat jaculis totam absorbet adversitatis amaritudinem. *Omne fortuitum incommodum magis instat cedenti & aversos*

Sen. epist. 78.

averso, inquit Seneca. Sæpe qui voluntarius patitur, cruciatur amplius.

Perpendamus gloriæ Principem in suæ passionis vestibulo: conferamus illum Apostolorum Antesignano pridie quàm (secundum Herodis mentem) populo tradendus erat ut occideretur. Somnos capiebat Petrus:
Act. 12. 6. *in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus:* Christus verò Dominus agone sanguineo in mortis vesperiis afflictabatur. *Et factus in agonia, prolixiùs orabat.*
Luc. 22. 43. *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Quàm discors est à duce miles! Agonizatur fortitudo ante comprehensionem præ mortis impendentis horrore! Quiescit Petrus Herodi traditus, & carcere clausus! Ita: quia Petrus etsi paratus esset pro Christi honore vitam fundere: non tamen adeo promptus ad occisionem, atque Magister divinus, erat: nam
Isai. 53. 7. de Filio Dei dixerat Isaias: *oblatus est quia ipse voluit*; de Petro verò non similiter dictum est: imò prædixit Redemptor, contra naturæ fragilis voluntatem ducendum ad
Joan. 21. 18. 19. supplicium: *alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Petrum* (ait
Chrysos. ho. 8. in act. tom. 3. Chrys.) *futuri expectatio conturbare poterat. Dormit corpore Petrus, corde ad Deum vigilat*; hic proinde quietus jacebat; ille sanguinem desudabat. Quò plùs animus amplectitur mala, eò amplius illorum atrocitate quassatur. Dolores amplexata suos tristissima Deiparens gladio cor totum objecit, indeque factum ut profundiùs penetraret.

118. *Lachryma, quas movet desiderium, adaugent illud.*

Lachrymarum denuo quærebat Genitrix amaritudinum innumeris jactata fluctibus inconsolabile nimis auxilium; sed frustrà: quamvis enim siti desiderium dilecti simile-tur, neutiquam his exsatiatur aquis. Quinimò sicut à mari flumina prodeunt, quorum postea undis augetur æquor, sic dolentis Deiparæ cor (cujus contritio erat velut mare) flumina per oculos emittebat, quorum gurgitibus incrementa capiebat mare idem. Desideria lachrymis irrigata crescunt, virescque multiplicant. Sæpe, nec frustra dubius hæsi, quî fieri potuit ut Petrus abiret è monumento; Magdalena verò non recederet
Joan. 20. 10. 11. inde. *Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* An major in ea fides? Non credam: imo de resurrectione adhuc tunc
S. Cyr. Alex. l. 12. in Joan. c. 46. ignaram affirmat D. Cyrillus Alex. *Ambigere*, inquit, *aliquis non injuria poterit quamobrem discipulis* (*Petro dico atque Ioanni*) *Angeli non apparuerunt, mulieri autem, & apparent, & loquuntur? Dicimus igitur mysterium Domini, sic ipso disponente atque volente, multis diversisque modis in animis hominum certius insedisse cum unicuique conveniens manifestationis modus sit accommodatus. Discipulos enim rerum exitus, Scripturæ, Christique prædicationibus conveniens, ad firmissimam fidem induxit. Supervacaneum igitur erat firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium, quæ nec literas sciret, nec alio modo sublime resurrectionis mysterium percipere posset.* Quid ergo dicemus? Plus ne diligebat illa Petro?

Jam sæpe oppositum dixi ex doctrina Chrysostomi. Cur igitur abit Petrus, Magdalena verò ad monumentum stat? Video hic Petrum non ploravisse: suspicor quod ideo illius desideria circa Magistrum cessarunt pro tunc, & abire permiserunt. Non sic mulier, de qua Magnus Gregorius: *actum est ut desideria dilata crescerent.* Et quo medio augesci potuerunt? Respersa lachrymis: nam istæ fuerunt amoris alimentum, quia ipsis pascebatur amans. *Votis ferebatur, pascebatur lachrymis, replebatur gemitibus, carebat metu, audacem illam amor & præceptoris concupita præsentia suimet fecerat contemptricem. Lachrymas quippe fundebat largiter pro mœroris solatio, pro abundantia dilectionis, & pro inquisitionis desiderio.* Hæc de Magdalena S. Laurentius Just. Ex quibus ascendere licet ad alteram Mariam scili. Matrem Dei. Ab ejus luminibus rivi profluebant: minimè tamen delinire poterant mœrorem quem de Unigeniti conceperat absentia: imò & hoc à naturâ datum miseris triste solatium amariores gemitus provocabat.

S. Greg. M. ho. 25. in Evan. to. 2.

S. Laur. Just. de triumph. Christ. agone c. 24.

Cernens itaque Virgo desideria sua his auxiliis haud placari, quæritat unicum voti sui motivum, dilectissimum scili. Jesum, ut ejus aspectu sedetur corde furens procella. Sed ubi vestigabat illum? Ubique: cum tamen sciret non inventuram. Humana solet electio sequi desiderij ductum renitente judicio. Sciebat equidem Virgo abesse Dilectum: quasi tamen præsentem, huc illuc vertens oculos, disquirebat: dixisse namque contemplatur Bernardus illi de cruce Dominum: *noli flere mulier: noli flere mater speciosissima, non te desero, non te relinquo. Tecum sum & tecum ero omni tempore sæculi.* Tum etiam quia cum præsentiam ejus concupisceret, cominus eum quærebat, eò quòd vellet ibidem eum invenire. *Hoc habet impatiens amor, ut quē desiderat, semper invenire se credat.* Ambrosij verba sunt, quibus addere possumus: & ubique. Jam similiter alibi acciderat Virgini Matri: cum scili. remansit puer Jesus in Jerusalem, dolente Deipara brevem dilectissimi subtractionem. Scribit S. Lucas Mariam simul cum D. Josepho requisivisse illum priùs inter cognatos & notos, & postea in Jerusalem. *Existimantes* Luc. 2. 44. *autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei,* 45. *& requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.* Ambo dolebant sed mater incomparabiliter præ nutritio, quasi præludium faciens ei quæ futura erat in passionis triduo solitudini: adeo ut illud Simeonis: *tuam ipsius animam*, &c. possimus accipere de dolore disquirentis puerum Genitricis. *Spectat enim* (ait expendens verba Simeonis Timotheus) *gladius hic ad insignem illum dolorem, anxiamque disquisitionem illam qua eum disquirebat, qui quod perierat quærere venerat.* Certum est in B. Virgine minimè fuisse deceptionem, qua certò crederet puerum Jesum esse in comitatu, quod latius prosequitur ibi perdoctus Commentator Lusitanus. Fuit ergo hæc quædam conjectura probabilis quòd in comitatu esset, ut idem author notat. Sed quæro: nonne simi-

119. *Absens quærit cominus dilectum, sequens ductū desiderij.*

S. Bern. de lamen. B.M.

S. Ambr. ser. de Assumpt.

Timoth. Jerosol. orat. d. Simeo.

Silvei. ibi.

liter probabilis conjectura suadebat quòd remansisset in Jerusalem ? Ita judico : nam suspicari verosimiliter poterat puerum (cùm ad modum aliorum se gereret) impeditum à turba deflexisse à comitatu , & in civitate mansisse. Ignorabatne hujusmodi conjecturam Virgo ? Quis credat ? Cur ergo non potius istâ secundâ probabilitate movetur ut Christum in Jerusalem priùs inquirat , quàm alia ratione simili ut inter notos eundem requireret ? Quia noti non longè aberant , ut videtur insinuare Glossa interlinearis , cum illud verbum *comitatu* sic exponit: *ideſt inter eos qui simul fuerant comitati.* Imò fortassis ejusdem Glossæ mens hæc apertior est ad nomen *cognatos* addens commentarium unico verbo *vicinos*. Jerusalem autem distabat valdè. Quia verò Mater amantissima vellet citò dilectum invenire , quæritabat eum prope ubi non erat , sequens ductum desiderij sui. Haud aliter in illo funestiori triduo quærebat Gnatum ubi non aderat , juxta se inquam , quasi falli posset à voto suo : quamvis optimè novisset illum citiùs quæsiturum esse Matris oculos columbæ : *Verus tamen & perfectus amor semper studet prævenire dilectum.... quò namque vehementior est amor, eò de dilecti verbi præsentia dilationem patiens est impatientior, inquisitionibus sollicitior, affectibus ardentior* , &c. Hæc B. Laurentius Just.

S.Laur. Just. de Casto con. animæ c. 13.

130. *Recusat amor dolorem promanantem ex meditatione dilecti patientis.*

Unigenitum itaque non inveniens revertitur Virgo ad meditandum , quò dilectum adesse faciat,& vel sic dolorem fallere queat. *Amarè corde*, ait Ber. *opprobriosam passionem dilecti filij sui revolvebat.* Sed heu : non facilè decipitur amantis dolor. Ipsa meditatio Geniti absentis , quam titulo medicinæ vulneri applicuerat, amplius aperiebat ulcus. Miserandum est nimis quod amantem cruciet meditari sibi charum. Hunc præ cæteris cruciatum recusat cor dilectione languens : illum, inquam, refugit, qui ex amati consideratione promanat : acerbum est enim ut ibi lachrymarum inveniatur motivum,ubi fuerat consolatio reperienda.

S. Bern. sup. proximè.

E domo Abrahæ cum Ismaële filio projicitur Agar ancilla Sarai. Errabat in solitudine, cum præ sitis angustia gnatus,illa verò ex filij morte, conflictabantur. Putans quòd jamjam animam exhalaturus erat , subter arborem abjecit illum. *Et abiit , seditque è regione procul quantùm potest arcus jacere : Dixit enim:non videbo morientem puerum.* Narrat ipse textus eam , quamvis doloris causam reliquerit , flevisse tamen : *sedens contra levavit vocem suam & flevit.* Angeli verbis eam sanè sic interrogarem , dum filium sub arbore liquit, & ab eo discedebat : Agar ancilla Sarai unde venis , & quò vadis ? derelinquis illum quem summè diligis ? id quo torqueris tecum defers ? Quò petis ? Videor illam sic mihi responsum inter singultus reddere : fateor quòd cùm ab Ismaële dividor, non ideo cruciatus mei reperiam levamen : Attamen nequaquam hujus aspectu contorquebor amplius. Hunc præ cæteris dolorem timeo, meditatione scili. ejusdem filij , quem tantopere diligo , cruciari. Sic, imò longè amplius , dolebat Ancilla Domini Regina mundi , cum Redemptoris meditata faciem in speculo mentis , idcirco longiores eliquabatur in fletus. Nec meditatio ista, nec aliæ, quas jam expendimus doloris medelæ proderant languenti affectui simulque validissimo : vix enim est absentiæ medicabile malum.

Gen.21.16.

Ibidem.

Hæc perpessa est beatissima Virgo : & sic promeruit lætitiam in resurrectionis luce, qua *Filius sapiens* , seu divina Sapientia incarnata lætificavit eandem.

DELIBATIO XXI.

Pro gaudiis Assumptionis B. Mariæ.

VEnimus demum ad coronam Imperatricis universi Mariæ , gaudiorumque ipsius coronidem. Sed quid nos tantilli ad inexhaustum pelagum transmeandum ? Exhorruit Anselmus : quidni verba mihi arrogem ipsius ? *Immensitatem quippe gratiæ, gloriæ , & fœlicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, & lingua fatiscit.* Si cujuslibet infimi ordinis beati torrens bonorum tantus est ut in cor hominis à longè per ænigmata perspicientis non ascendat , quia non capitur : quid erit si Deiparæ sanctissimæ beatitudinem librare velimus ? De hac S. Bernardus. *Nec in mundo locus dignior Virginalis uteri thalamo , in quo Filium Dei Maria suscepit , nec in cœlis regali solio , quo Mariam Mariæ Filius sublimavit.* Operæpretium itaque judico tacere de beatitudinis ejus substantiâ. Quasdam tantummodò circumstantias , gaudia scili. non omnia , sed unum vel alterum triumphantis Angelorum Dominæ deprædicare licebit.

S.Anselm.de excellentia Virg.c.8.

D.Bern. relatus à S. Bonav. in Specu. c.9.

131. *Plus angit desiderium videndi dilectum aliâ tribulatione.*

Primũ est quod Assumptionis fœlicissima die attigit amantissima Dei Sponsa desiderii sui de videndo Gnato complementum : quod tam lætum est impensè diligenti , quàm fuerat mæsta dilatio. Nec majorem exaggerationem ego novi , nec tu postules. Quandiu non explentur amantis de fruitione dilecti desideria, dolet ad mensuram dilectionis quæ pectore viget. Trutina, si vales, (nam pondus amor est) Mariæ amorem : & inde conjice dolorem ortum à desiderio fruendi claro & perpetuo justitiæ Solis conspectu. Amor iste desiderium nequaquam parere poterat mediocre. *Magnum in ista dilectione est desiderium*, inquit de Virgine sanctissima Rupertus. Et quia, ut præmisi, quò ardentius est animi votum , cò lætiori possessione fœliciter expletur : inde colligo profusiori gaudio Virginem abundasse , cùm pius ardor cernendi filij sui pervenit ad metam , quàm si tunc ab alio eriperetur illa cruciatu.

Ruper.l.2.in Cant. c.2.

Nullam evadens anxietatem ita gaudebit amans , atque dum conspectu fruens dilecti, sedavit hujuscemodi boni desiderium. Adstipuletur huic veritati senex nimis expertus Tobias. In oculis Dei acceptus , ut in camino tribulationis probaretur , lumen oculorum amisit , quod postea medicante Angelo Raphaële , per manum filij sui adhibito felle piscis recuperavit. Qua de causa Deum glorificans

Tobi.11.17. glorificans aiebat: *benedico te Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu salvasti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.* Duo inter alia senior Tobias accepit beneficia Deo largiente, visus restitutionem, & gnatum incolumem. De secundò jam rediderat priùs grates cum primùm advenit ille. *Occurrit obviàm filio suo. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio. Cumque adorassent Deum, & gratias egissent consederunt.* Ubi Liranus: *gratias agendo de conservatione filij in viâ.* Igitur cum postea Deum grandævus benedicit, & se jam cernere gaudet, non pro Tobiæ prospero adventu, sed pro luminum restitutione se gratum exhibet. Unde putarem dicturum: & ecce ego video lumen cæli: sic enim proportio servaretur inter gaudium & dolorem quo priùs conflictatus locutus fuerat sic ad ignotum cælitem: *Quale gaudium mihi erit qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non videò?* Torquebatur adeo miserè per cæcitatem, ut hæc omne gaudium ab eo excluserit? Nec tamen postea gaudere significat senex tam de hoc quod ab ejus oculis fuerit nox fugata, quàm de conspecto filio suo? *Ecce ego video filium.* Suspicor non illi sic fuisse molestas eas tenebras, in quibus asseruit se vivere, quàm desiderium de filij præsentiâ. Proinde mihi dubium non est plus genitorem exultasse de restituto vultu filij, quàm de conspiciendi facultate redonata: per hanc enim tribulatio propulsabatur, per illam verò (quod amplius) amoris ambitio est adimpleta. Idcirco non dixit: & ecce jam datum est oculis uti; sed potiùs & ecce videò filium meum.

Ibi v. 11. & 12.

Lira ibid.

Ibi c. 5. 12.

A minori ad majus (quamvis ascendas) proclivè tamen est colligere in exaltatione genitricis Dei, quantùm profusis gaudiis exuberavit Virgo sanctissima complens cernendi regnantem unigenitum in solio peramantia vota: cum Jovis, Lunæ, Solis ac syderum cæterorum fulgores, imò & seraphica lumina pede calcabat:

Herman. Hugo l. 3. piorum desid. poema. 6.

Jamque pavimentum stellarum illustre pyropis
Sub pede despicitur quod modò culmen erat.

Superfluunt verba ubi rei tantæ satis non sunt.

132. *Cupiebat B. Virgo diligere Deum amissa libertate.*

Secundum gaudium Assumptionis illius Dominæ, quæ cæli tenet imperium, est quod ea die cœpit Deum diligere necessariò; cum antea prosecuta fuerit amore libero. Extra scholam Scoti beatorum erga Deum dilectio libera non est, de quo Theologi: quinimò & Scotistarum calculis est necessaria, prout hoc opponitur indifferentiæ. Quare negabimus beatissimam Virginem in via desiderasse ut jam tandem aliquando potestatem amandi Deũ captivarẽt suaves amoris compedes, ita ut non electione, sed pondere in modum naturæ ferretur in dilectum suum? Inficiabimur in Dei Matre ignitum hoc desiderium, quod in corde servi aliquando accendit Spiritus sanctus? Audi hanc in pectore S. Thomæ à Villan. stridentem flammam: *siquidem*, ait, *lapis naturali impetu fertur in centrum, anima autem nostra voluntario & libero impetu fertur in Deum. Hanc ergo tibi præstitam facultatem, O anima mea, renuntia: & libertatem vertito in naturam: ut tota tua potentia, toto conatu tuo properes ut natura quò tendis. Hoc est enim quod tibi intimatur in themate, cum dicitur diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Itaque non libere dictum putes idem flagrasse in pectore Virginis illibatæ votum: quid enim gratiæ sancto cuique datum, quod Matri negaverit Omnipotens? *Deus beatissimæ Virgini tantum dedit, quantum puræ creaturæ dare potuit*, inquit B. Albertus Mag. Expetebat Maria proinde ita Deum dilectione prosequi ut potestate careret ab amore cessandi, ac in eum traheretur potius quam iret. An non ipsa dixit ad Sponsum: *trahe me: post te curremus.* Tractio juxta commentarium Ruperti amor est, *ipsum currere*, inquit, *idest in montana cum in festinatione abire erat dicere trahe me post te. Nam qui veraciter diligit & trahitur, & trahi cupit.* Quæ currere per dilectionem erat paratissima (*curremus*) utquid trahi desiderat? Non currere solent expeditè qui trahuntur. Currebat Virgo quidem per electionem liberam in Deum; sed concupiscebat à Deo trahi, quamvis cursus iste à libero transiens in necessarium aliquantulum præpediretur, quin sisteret, hoc est arbitrij facultate in Deo diligendo, privaretur.

Villan. ser. 2. Domi. 17. post Pentec.

B. Albertus Mag. sup. Missus est c. 39.

Cant. 1. 3.

Rup. l. 1. in Cant.

Ut hujusce voti compos fieret superabundè Virgo Mater, datum est ei singulari privilegio, ut eundemmet actum, quem libere ad vitæ finem perduxit, continuaverit necessariò in beatitudinis ingressu, & ipsum conservet in æternum. (Nescio quomodò potuerit vel per brevè temporis emori, ea cujus in Deum amor dum mortem subiret non desiit esse.) Adi nobilem scholasticæ Theologiæ magistrum, & illum audies dicentem: *conjectare licet in transitu à via ad patriam non interrupisse, aut intermisisse B. Virginem divinæ charitatis & amoris actum, sed vel eundem quem usque ad mortem in terra vivens libere exercuit, in termino viæ majori quadam perfectione & necessitate continuasse (si tamen verum est, ut fortasse est, actum divini amoris in via, & in patriæ esse posse ejusdem rationis) vel certè siquis sentiat esse diversos, sed item sequitur B. Virginem ab actu amoris viæ immediatè transisse ad actum amoris patriæ* &c. Sub disjunctione loquitur, sed priori parte determinate adhærent Ægidius Lusit. tom. 1. l. 4. q. 3. art. 1. n. 11. Compto. t. 2. disp. 35. sect. 4. n. 3. idem placet Sherlogo in Cant. to. 3. c. 5. n. 3. explan. mysti. vestiga. 32. sub conditione proximè notata. Nonnihil favere videtur Vega in aurea Theologia Mariana to. 2. cert. 3. palestra 17. n. 1213. Et puto non negaturos quotquot affirmant actus charitatis viæ & patriæ convenire specie, pro quo stat Suares de charitate disp. 3. sect. 3. n. 2. & consentit Vasques 3. part. disp. 64. c. 3. Gasp. Hurt. disp. 1. diffi. 2. & alij.

133. *Mirabile quòd liber amor idem Virginis trãsierit in beatificum.*

Suares to. 2. in 3. part. q. 37. art. 4. disp. 21. sect. 2. §. unde

Videri possunt Compton. to. 1. disp. 84. sect. 1. n. 3. Joan. à S. Tho. in 1. 2. q. 2. disp. 2. art. 7. & est communis inter Tho. mistas cum Cajet. 1. p. q. 87. art. 1.

S. Thom. à

Miraberis forsan rigidiori Philosophiâ nixus quæ inter liberum & necessarium ponit

De hac vide Petrũ Hurt. disp. 15. de

anima sect. 6. gran. 1. 2. contro. 3. tr. 9. disp. 1. n. 8. & Lusitanum Isidorum à Luce disp. 2. d. act. huma. an. 218.

nit adæquatum essentiale discrimen. Quidni admirationem tibi moveat quod angelicis mentibus fuit mirandum? *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens* &c.? Vox Angelorum hæc est ex Bernardo dicente: *hinc est quod & ipsi cælestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione. Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Et quid mirum erat in Virgine, quæ paradisus est, delicias reperiri? Non eas in Paradiso Dei mirantur inventas; sed easdem, quibus abundabat in via, non mutatas conservare dum cælestem curiam introgreditur: dilectionem, inquam, Dei (omitto alia) quæ deliciis illis, de quibus in textu, subintelligitur, eodem testante Bernardo: *Quidni delicias dixerim*, ait ille, *virginitatis decus cum munere fœcunditatis: humilitatis insigne, distillantem charitatis favum* &c. Obstupescunt hierarchiæ Angelicæ miraculi novitatem: quod scili. Amor Deiparæ deposuerit alas ne mutationem subeundo abire posset, ac simul volaverit altissimè. Dedit qui potuit, quam nihil negans honorat: ut & istud accederet diei Assumptionis decus, quòd scilicet factus sit perpetuus amor ille natus ubi omnia perpetuò inconstantia sunt.

S. Ber. ser. 4. d. Assumpt.

Idem ibi.

134. *Gloriam Filij B. Virgo plusquàm suam expetebat.*

Tertium inter gaudia Virginis postremò expendendum (licet ultimum non sit) hoc fuit quod tunc viderit Gnatum in sede majestatis suæ. Putabam plus de Filij gloria quàm de sua Matrem fuisse gavisam, cum cœli culmina pede victrici premeret. Id conjice à superabundanti dilectione quâ Genitum amabat: de quo amore D. Anselmus: *superat ergo omnes omnium rerum creatarum amores, & dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in filium suum.* Proinde loquens de contemplatione Guerricus Abbas ait: *visio prorsus ineffabilis gaudij summæque delectationis omnibus qui diligunt Jesum: sed præ omnibus illi quæ genuit Jesum. Cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi: sicut & prærogativa gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria Virginis Matris videre Deum regem omnium in diademate carnis, qua coronavit eum, ut & Deum agnoscat, & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. His interim, ut opinor, contemplationibus pascebatur Maria: hanc optimam partem elegerat, quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea.* Parciùs quàm posset eloquitur disertissimus Abbas: non enim tantùm consummata fuit in Assumptionis die gloria quam in vita mortali conceperat de Filij sui super omnia exaltati corona: sed gaudium istud Virginis quodammodo videtur excessisse illud quod ipsa de sua glorificatione consecuta est: nam ardentiùs, ut reor, exoptavit Christi sui exaltationem consummari, quàm propriam adipisci.

S. Anselm. to. 3. tract. d. excell. Virg. c. 4.

Guerr. Abb. ser. 4. de Assumpt.

Sit Virgo sibi testis pro suspicione mea. *Fuge dilecte mi*, dicebat in Canticis illa: quibus verbis, ut affirmat Angelicus Commentator, Sponsa *hortatur Sponsum ut fugiat, hoc est, velocissimè per Ascensionem ad Patrem redeat.* Non minùs miror amantissimam hortari dilectum ut absit: quàm eandem ut illum adiret expectasse quòd ab eo vocaretur dicente: *surge propera amica mea* &c. Utrobique sibimet injuriam videtur inferre Virginis amor. Absentiam suadet Sponso! distans eadem non properat ejus quæsitura conspectum, nisi vocetur! De fuga monens, ut prædixi, Ascensionem Redemptoris cupiebat, utpote quæ Filio glorioſissima fuit super cœlos cœlorum in throno Patris consessuro. Hanc sollicitat Virgo, ipsi namque curæ multò plus erat. Alibi expectat vocari ad coronam quia minùs de propria glorificatione satagebat. Illa verba *surge* &c. quamvis alibi dixerim ad nativitatem prospexisse Mariæ, nunc ex Amedeo Laudunensi ad ejus Assumptionem transferre licet: *surge ergo amica mea, columba mea, formosa mea, immaculata mea & veni; jam enim hyems transiit absentiæ meæ, imber lachrymarum tuarum abiit & recessit, & redeunte Sole flores angelici apparuerunt tibi, vox tua, ô turtur castissima, exaudita est, tempus Assumptionis advenit:* Non tam celeri volatu aspirabat cor Virginis ad fruitionem quâ bearetur, quàm ad cernendam Filij exaltationem, de quâ multò plùs, quàm de propria, lætata est in suæ coronationis faustissima die. Hæc lætitia superaddita est ipsius diademati splendidissima gemma.

Cant. 2. 10

Amedeus Laudu. ho. 7. de lau. B. Virg.

135. *Quale gaudium Filij in Assumptione B. M.*

Quæstio nunc periodum claudat: cujusnam fuerit uberior voluptas, cum cœlorum Regina coronaretur: Redemptoris ne, an intemeratæ Parentis? Pro lætitiâ Filij pugnat ratio triplex. Prior est eam consecutum fuisse Christum Dominum hilaritatis exuberantiam de Genitricis triumpho, ut quamvis ipse cumulatissimo jam perfrueretur gaudio, locus adhuc fuerit isti quem peperit Assumptæ Virginis præsentia: imo corona Matris extiterit glorificationis incarnati Verbi complementum. Sic introducit loquentem Servatorem ad Mariam Guerricus Abb. *Concupivi speciem tuam desiderantiùs quàm tu meam: nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris. Gloria tibi Domine Jesu subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi Domine Jesu ingeminet cœtus fidelium, glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam.* Ex Guerrici verbis aliud pro eâdem parte momentum eruere liceat. Amor sanctissimi Gnati erga B. Virginem citra dubium perfectior erat dilectione Matris ad Filium: *concupivi*, &c. Cumque dilecti possessio sit eò magis læta, quò ferventiùs desideratur, infertur alacriori dulcedine delibutum fuisse Assertorem nostrum cùm excepit in curiâ cœlesti Matrem, quàm istam cùm ibidem corporeis oculis vidit splendorem stellæ matutinæ quæ ab eâdem orta est. Tertium addo fundamentum. Unigeniti affectus erga Mariam, cùm eam in æternum permansura laurea redimivit, illi persolvit integrè quidquid ipse debuerat, quid glorioſius regio cordi? Parens verò beatissima non sic, quæ denuo largiùs cumulatata donis imparem se solvendo, cælestibus etiam ditata jam thesauris, experta est.

Guerric. Abb. ser. 2. de Assumpt.

Cant. 8. 14.

S. Thom. ibi.

Ex his omnibus maneat Dei Filium in triumphi Deiparæ pergrata die talem exultationem

tationem concepisse, ut cæteris ejus gaudiis antecellere putari possit istud. Licet rex David pluribus per totius vitæ decursum conflictatus fuerit cruciamentis: attamen sæpius alternante vices fortuna, depulit è pectore mœrorem. A Samuële rex inauguratus est: nec tamen lætitiam ore vel opere deprompsit. Occiso Golia, populari plausu exceptus ovabat: insuper & postmodum ad Principis Jonathæ amicitiam adscitus est; nec ullum dedit gaudentis animi signum. Postea regis filiam accepit uxorem: demceps Absalonis territus armis, tandem restitutum se vidit quasi noviter factum regem: tandemque Salomonem intuitus est in paterno solio sedentem & publicè conclamatum. Nullibi sic vultus induit lætos sicut dum arca Dei ad civitatem Davidicam introducta est.

2. Reg. 6. 12. 14. *Adduxit arcam Dei de domo Obededom in Civitatem David cum gaudio.... & David saltabat totis viribus ante Dominum.* Quid tunc potius in Davide sepositis agitavit gaudia curis? An non majoris lætitiæ materia fuit regem fieri de post fœtantes eductum? ad Principis amicitiam & regia sponsalia, junctâ populi aurâ pervenisse? victoriam reipublicæ utilissimam ab strenuo milite fuisse consecutum? & post persecutionum atra nubila, sereno jam frui cœlo? tandemque dimidium animæ suæ Salomonem regiâ vectum pompâ cernere ante fata? Solus eum gestire coëgit ille dies quo testamenti arcam intulit in curiam? Mysterium scrutare. Deductio arcæ Mariæ Assumptionem præfigurat. Insinuavit Damascenus. *Hodie sacra & animata arca Dei viventis quæ suum in utero concepit Creatorem, requiescit in templo Domini, quod nullis est extructum manibus: & David exultat ejus parens*, &c. Inanimi umbrâ Virgo exprimitur hîc; ut ejus gaudium quasi non esse computetur, dum conferitur cum eo quem David tunc assequutus est, qui Dominum hoc loco præsignavit. *Stabat*, inquit Rupertus, *David tenens & ipse psalterium, citharamque percutiens, ac totis viribus subsiliens: Ipse namque dixit: sine me nihil potestis facere, & : ecce ego vobiscum sum*, &c. Vix se continebat divinus amor ter maximo delinitus gaudio, cùm ingrederetur beatissima Virgo radiantem Sion: minorem illa videtur acquisiisse lætitiam ex suamet fœlicitate. Sic puto existimandum. Et rationem assigno. Quandiu aberat à Servatoris conspectu Mater sanctissima, Filius quandam veluti solitudinem quodammodo patiebatur: quomodo non eximiè gauderet in solio, ad ejusdem adventum?

S. Joan. Damasc. orat. 2. d. dormit. B. Mariæ.

Rup. l. 2. in 2. Reg. c. 25. fine.

136. *Christus Dominus veluti solitudinem patiebatur quàdiu Maria non est assumpta in cœlum?*

Hyperboli aliqualem mutuabimur lucem ex umbra. Machinationes Amani, qui Hebræorum gentem perdere voluit utens Assueri manibus quas ligaverat, demolita fuit Esther, & gaudium pro mœrore contigit mutata sorte. Rex ut priores & fatales literas quibus internecionem populi decreverat, revocaret, provinciarum Principibus rescripsit humanissimè: ac Amani perfidiam pronuntiavit extitisse causam impij decreti, eo quòd putaverit sævus Administer se Judæis interfectis, melius insidias moliturum adversus Assuerum, quasi destitutum eorum præsidio. Verba non sunt Regis prætereunda: *consortem regni nostri Esther cum omni gente sua nobis quibusdam, atque inauditis machinis expetivit in mortem: hoc cogitans ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini.* Solus ne maneret Assuerus si de medio tolleretur Esther? Animadverte figuram Deiparæ, quæ in cœlum assumpta designatur per Estherem ad regem introductam, juxta D. Bonaventuram. *Ista*, inquit, *Esther regina beata Virgo Maria ducta est in ejus Assumptione in cubiculum regis Assueri, Regis æterni.* Desolatus remansisset Assuerus ablata Esthere. In solitudine positum se reputaret Christus Dominus, nisi ad solium ejus ascenderet Mater. Inde collige qualiter exultaverit Unigeniti dilectio erga Mariam triumpho potitam, cùm beatissimæ Virginis in gloria Filius amantissimus complacuerit adeo ut Matris gloria non altera, sed eadem ipsius geniti videatur. *Una est*, inquit Arnoldus, *Mariæ & Christi caro: unus spiritus, una charitas.... atque adeo Filij gloriam non tam communem judico, quam eandem.*

Esth. 16. 13. 14.

S. Bonav. in Specu. V. c. 6.

Arnold. l. d. laud. V.

137. *In Assumptionis die majus ne gaudiis Virginis quàm Unigeniti.*

Nihilominus delibero superabundantius exultavisse incarnatæ Sapientiæ Parentem cùm illius adesse throno cœpit, quàm supremum orbis Monarcham de Virginis dilectissimæ sibi adventu in Empyrei adamantina palatia. Nam Filij gaudium tunc nullum ab ejus præcordiis mœrorem expulit; matris verò lætitiam præcessit is dolor, quem dum vita mortalis manebat, ejus animam transadegit de Redemptoris absentia. Nervosiùs D. Bernardus. *Opportunè post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus. Placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat.* Hanc licet non dubites philosophiam experientiæ partum, eam tamen ex textu sacro eruamus latentem in resurrectione Dominica.

S. Bern. ser. 68. in Cant.

Surrexit spoliata morte, ruptisque vectibus infernis, vitæ necisque Dominus. Et eadem die cum jam sero esset, ac Apostolorum desideriis multò serius, eorum se obtulit conspectui: necnon illorum fidem promovere, dilectionemque vulneribus adhuc apertis dolentem solari volens, admovit manus recenti cicatrici, latus & manuum foramina ostendens eis. Profuit adeo medici manibus applicata medela, ut ipsorum tristes animi statim obtinuerint sanitatem. *Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino.* Non lego Magistri gaudium de hoc quòd Apostolos reviserit. An minus ardenter amabat? Nequaquam: sed minor erat præceptoris quàm alumnorum exultatio: ille namque mœstitiæ de absentia discipulorum in triduo mortis capax non fuerat: anima quippe sanctissima, statim ac est à corpore soluta, non erat cur non ex beatitudinis privilegio cunctum à se mœrorem propulsaret, consummato jam nostræ Redemptionis opere. Non igitur adeo magna fuit hilaritas Filij Dei, quam non immediatè antea præcessit luctus. Econtrariò discipuli timore consternati, clausis foribus mœrebant, cùm ex eorum cor-

Joan. 20. 20.

dibus tenebras pepulit fons voluptatis & luminis inexhaustus. Ideo sequentis oblectamenti suavitas adaucta sic est, ut ab Evangelista oportuerit non præteriri: *Gavisi sunt*, &c. Chrysologus appositè: *gavisi sunt*, inquit, *discipuli viso Domino. Gavisi sunt quantum post tenebras gratior lux est, serenitas post tempestatis obscura, tantum est acceptius gaudium post mœrorem.* Chrysol. ser. 84.

Cum itaque Mariæ sanctissimæ Assumptionem ovantem præcesserit anxietas illa, quâ dum viveret absens à dilecto suo, torquebatur; nullam verò jam Servator ærumnam tunc temporis pateretur: quamvis etiam Genitrix Virgo ascendens in cœlestia Gnatum lætari fecerit, multò plùs tamen *Filius sapiens* in solium receptam *lætificat* Matrem in æternum & ultrà.

FLOS II.

Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit à morte.

APERITUR.

1. SAPIENTIAM studioso adolescenti Salomon proposuit amplectendam. Jam quibus vera sapientia constet sequentibus edocet monitis. *Nil*, inquit, *proderunt thesauri impietatis.* Huic sententiæ duplex apud Commentatores occurrit expositio, altera minus probabilis, & secunda genuina: tertiam adjicio non minùs fortè literæ consonam. Primò aliqui Hugone Cardin. duce, hæc de quibusvis opibus, & justè acquisitis, & malè partis, accipiunt. Nam licèt mundialia bona virtuti plurimum exhibere queant famulatum, plerumque superbiæ militant, avaritiæ, necnon criminibus utriusque sociis inserviunt. Cumque veritatis Magister hac de causa divitias vocaverit mammonam iniquitatis, illas hoc loco similiter thesauros impietatis putant appellari. His non acquiesco: nam apud Lucam de bonis per nefas acquisitis sermo non incidit: aliter Dominus potius juberet debita reddi, quàm in pauperes erogari. *Aliæ*, inquit Alcuinus, *usurpantur ex scelere, vel impietate: de his certè amici non fiunt, quæ de scelere, vel impietate, veniunt.* Cùm igitur verba Christi Domini, quæ Lucas refert, de rapinæ fructibus nequeant exponi, necessariò de rectè quæsitis accipienda sunt. At in præsenti paræmia, quid cogit ad similem & minus propriam expositionem deflectere?

Hug. Card. hic. Lucæ 16. 9. Alcui. hom. in Evang. de Villico.

Secundò alii Caietanum secuti, verba Salomonis de illicitè comparatis interpretantur: qua ratione licet angustior reddatur veritas, proprius invenitur sensus, cui Pagnini versio lucem prætulit, dum legit: *impietate acquisitæ.* Sequentibus verbis cohæret expositio hæc. Justitiam quippe strictè sumptam iniquis opponit lucris, quæ vitæ non proderunt utrique; justitia verò sæpissime vitam protendet perituram, & insuper eruet à morte secunda.

Cant. Versio Sãct. Pag.

Tertiò diceret aliquis thesauros impietatis ipsa vocari crimina, quæ vel tuendæ vitæ, vel augendis fortunis, amplificandove nomini vano intentus impius thesaurizat. Hæc temporali vitæ nequaquam prodesse putandum: nec divitem faciunt, neque gloriabundum: est enim scelerum cultor congesto pauper in auro, mancipium honoratum de alieno plusquam fatuè vestitum, & sine loculo sepultum. Supradicta bona præstat sola virtus amatori suo: *Longitudo dierum in dextra ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria.* Dum thesauros impietatis accipimus crimina, sacri textus phrasim non deserimus: habetur enim Amos 3. *nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem:* Exponit Glossa ex Hieron. *iniquitatem, id est peccatum in cordibus suis.* Ad hæc. Legitur apud Michæam: *Adhuc ignis in domo impij thezauri iniquitatis.* Explicat Interlinearis: *copiosa iniquitas.* Nihil ergo mirum si propositum Sapientis hemistichium simili ratione interpretemur: maximè cum sequentibus verbis, quæ virtutem æquitatis commendant, sensus iste non ineptè respondeat.

Prover. 3. 16. Amos 3. 10. Glo. ord. ex D. Hierony. Mich. 6. 10. Interli. ibi.

Statim Salomon prodere studet quàm sit proficua virtus. Extremè sibi adversantur corporis & animæ facultates. Terrena substantia tenuis velut aura volat, umbratilique possessione deludit habentem: Spiritualis autem opulentia fœlicem reddit amantem: itaut cùm fragili conditione subit mortis imperia, vincat potius quàm vincatur ille, cujus post exitum perennant facta, æternantur præmia: *justitia verò liberabit à morte.*

Nihil. Omnem utilitatis capiendæ prorsus aufert spem opulento, mancipatisque possessionibus inhianti, ne si vel unica expectatione foveret desiderium, ambitio renueret compesci. Nihil afferent, inquit, emolumenti: hoc enim si quamvis parcè præstarent, frustrà gazarum cupidinem etiam sapientissimus dissiduaret Salomon. Paucis contenta degit effrenis illa cupiditas, cui nunquam satis, cum ludicra sectetur avidè. Non ergo parum, sed nihil profuturos thezauros monet, ut pudeat in nihilum cæca libidine ferri.

Proderunt. Futuri temporis verbum, irrevocabile designare videtur instans futurum mortis, omnibus decretum, & paucis profuturum. Mors enim cedit justitiæ, hoc est virtuti, dum sæpe ob præclara gesta differtur; divitiæ verò quid proderunt ne properet cursu vita citato? Dum rota præceps fugacis vertitur anni, quidvis nummis præsentibus opta, & veniet. Sed cùm venerit extrema sua cuique dies, non parcet nimio censui orcus inexorabilis auro. Tam nimis verum id est, ut latiùs prædictis patere censeam Sapientis hoc monitum. Non proderunt opes ut sitis aurea sedetur, nec ut vera voluptas capiatur: nam *quidquid expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate dimittimus statim ad rapinam alterius erecti,* scribit Seneca. Non etiam egestatem depellent opes: *neminem* (ait idem) *pecunia divitem facit.* Imò ditescendi studium cogit pauperiem pati. *O dives* (exclamat Ambrosius) *nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris*

Sen. epist. 12. Idem epist. 121. S. Ambr. l. d. Naboth. c. 2. tom. 1.

videaris qui te divitem dicis ? Quantò plus habueris, plus requiris : & quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Nec eorum quæ pecuniæ parent suppeditabunt divitiæ copiam si crescant in immensum: dives namque *dum de incremento cogitat, oblitus est usus*, inquit morum philosophus. Quid ergo boni præstant ? *Nil proderunt.*

Sen. epist. 14.

Thesauri. Non solum copiosas opes vox hæc significat, sed clausas, ut notaret illos quorum pectus avaritia percellit, quos habent potius divitiæ quàm habeantur. Eas qui male congregat, facile metuit ne dilabi contingat : idcirco eas carcerat. Seipsum punit sua custodiæ tradens, nam ubi thesaurus vester, ibi & cor vestrum, proinde clauditur in carcere utrumque.

Impietatis. Non divitis ait, sed impietatis thesauri. Quæ dominatur iniquitas animo, recludit injustas opes jure velut suo : dominium illi cedit earum, & divitem constituit ipsarum custodem, imo deterioris conditionis quam custos est : nam divitiæ sæpe dominantur diviti : *servire* (inquit S. Vincentius Ferrar.) *divitiis est contra naturam, scripturam, & contra Deum, & contra bonam rationem : quia Dominus debet quiescere & servus laborare, & servire. Oppositum facit qui servit pecuniis quod ipse laborat de die & de nocte, per terram & mare, cum periculis : & pecuniæ quiescunt in taxia, sive in domo, ut Domini,* Hæc S. Vincentius Ferrar.

S. Vincent. Ferrar. ser. 3. Dom. 15. post Trinit.

Justitia verò. Cornelius à Lapide ex pluribus quas refert, hujus vocis acceptionibus præfert illam qua sumitur pro cunctarum virtutum cœtu : *opponitur enim*, inquit, *impietati, & opibus impie, id est, improbe partis.* Imo contra dicam : ut ex diametro fiat antithesis, non adeo latam acceptionem vox ista requirit. Nam etsi aliud extremum impietas esset, non verò *thesauri* : ex subjectæ materiæ limitibus coarctaretur ad illa scelera, quæ thesaurizando inserviunt. Quantò plus hoc verum erit, cum in secunda parte versiculi hujus extremum, alterum sit *thesauri* ? Literalior ergo Lirani expositio est, justitiam accipere pro ea cujus est reddere cuique suum.

Corne. à Lapid. hic.

Lira hîc

Liberabit. Si de morte loquamur quâ pulveri reddimur, quamtumlibet virtutum auxilio differatur, tandem *calcanda semel via lethi*, ut cecinit alter, & lamentari posset : non ergo justus è funere liber. Attamen justorum fœlices obitus vitales erunt : quasi valuerint evadere jus inevitabile mortis : est namque, D. Bern. teste, consummatio sanctorum vitæ janua : *pretiosa*, inquit, *est mors sanctorum. Pretiosa planè tanquam finis laborum : tanquam victoriæ consummatio : tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.*

Horat. 2. carm. 18.

S. Bern. ser. 2. de transitu S. Malachiæ.

A morte. De triplici morte sermo est hic juxta Liran. temporis nempe, spiritus, & æternitatis. Sed litera de morte solùm temporali videtur accipienda, quæ mors appellatur simpliciter : cætera moralia sunt.

DELIBATIO I.

Divitiarum inanitas, & exinde manans pauperum solatium.

CUm hoc loco sub hoc nomine *thesauri* sermo de opibus habeatur, conjectari licet Salomonem de illis facultatibus hìc agere, quibus ab avaritia negatur in usus honestos facultas: utpote quæ divitem cogit plicato genu ipsas venerari. Sed tunc inanius fulgent illæ cum ita coluntur. Alia sunt quæ suis adorationibus evehit mens humana. Sic potestas : quæ si physicum (ut loquuntur philosophi) quid esse putes : sic fama, quam si credas inesse famigerato, non autem in proclamantium judiciis, chymæram fingis. Nihilominus fama, potestas, & similiter alia permulta, sunt ideo magna quia frequenter adorantur. In divitiis aliter se res habet. Si eis ut idolo cultum persolvis, tunc pulverem esse crede aurum quod amas.

3. *Aurum si adoretur pulvis est.*

Aberat in monte cum Domino Moyses : peccavit præceps absque Domino populus. Ex auro vitulus effingitur, cui solemni ritu divinos obtulit honores. Descendit Moyses, & quamvis mitissimus esset, zelo tamen honoris divini læsi fervens, arreptum vitulum projecit in ignem, & contrivit ad pulverem usque : *arripiensque vitulum quem fecerant combussit, & contrivit usque ad pulverem.* Sane valde mirum quòd ignis contriverit aurum : Cur ita factum sit alibi dabo aliorsum. Nunc ex illo Siracidis *in igne probatur aurum*, dubiolum solvo. Ignis examinare solet sit ne verum an fictum aurum quod in flammas mittitur. Antea verum erat ex auribus collectum aurum : ideo projectum in ignes non est imminutum in pulverem, sed efformatus est vitulus : *projeci illud in ignem egressusque est hic vitulus.* Postmodum jam adoratum fuerat aurum, proinde pulveri simile redditum est : & pro morali nostrûm doctrina, cum soleat ignis auri falsitates detegere, meditari possumus flammam ostendisse pulverem esse quod colebatur. Valentini Præsulis verbis utar : *quid sunt enim divitiæ, nisi vana de luto metalla ?* Si adoratione prosequaris easdem, nil proderunt.

Exo. 32. 20.

Eccli. 2. 5.

Exo. 32. 24.

S. Thom. à Villan. serm. Funeb. 4.

Et hujusmodi mammonam corde toto quæritat homo Dei capax ? Quem sibi scopum præfigit in nihilo ? In eo rationalis appetitus lato discrimine præit sensitivo, quod ille sibi finem constituit assequendum, hic autem motu fertur ; at non motivo. Quis adeo stolidæ mentis erit, ut non commodo allectus, nulla spe duce, quidquam aggredi conetur, nedum perficere ? Frustra vivere putarem frustraneis operam insumentem. Imo supremus rerum omnium artifex, hoc prævidens, humanæ sic prævidit naturæ, ut nil intra universi fines moliretur quod alicui non inserviret fini. Sic libravit elementa, ut solum gravitate sua defixum inferiori spatio lapideis molibus dorsum

stabile præbeat: vitrea Neptuni regna extendit ut iter aperirent quà mobili fretus ligno quærat nauta longè posita nationes breviori via, discrimine licet inæquali: aërem vitæ mortali pabulum præbere fecit utile simul & inane: igni jussit ut nocturnas tenebras depelleret, necnon aliis humanis usibus ministraret: arbores condidit annuis fructibus esui commodis gravidas: bruta ferendis oneribus paria, vel hominum alimento perutilia, vel saltem apta vt venator exerceat belli præludia: lapides procreavit habitationibus construendis, metalla fabricandis martialibus instrumentis, horisque designandis, cœlum pluviæ, pluviam solo, Phæbum diei dividendo, Phœben verò nocti levandæ, æstum frugibus maturandis, ventorum turbines temperando calori, nivem segetum radicibus altiùs infigendis: omnia denique homini famulari fecit: nihil penitus inutile finxit. Quid ergo vanæ affirmantur divitiæ? Nihil inane prærerquàm nihilum. Nil proderunt, quia nihil sunt.

Mardochæus a vitæ nobilitatis non immemor insidias Assuero imminentes aperiens viam proditioni clausit, regiæ salutis cautus amator, ut Estheris velut filiæ sic probaret amorem: non enim totam diligeret Mardochæus si dimidiam in Assuero sponso non amaret? Rex incolumis factus Mardochæo se devinctum agnoscit, & acceptum amicitiæ munus solvit muneribus: *peæcepitque ei rex ut in aula palatij moraretur datis ei pro delatione muneribus.* Esther. 12. 5. Posthàc Assuerus curarum punctionibus molestissimis circumpetitus quandam noctem duxit insomnem: ac ne tempus quieti negatum otio tereret pigro, priorum temporum annales afferri jussit & coram legi: ventum est ad insidiarum delationem, qua Mardochæus ignarus futurorum, sorti suæ jecit fundamentum. Quæsivit Princeps quidnam, præmij pro fidelitate ista Mardochæus accepisset: cui ministri responsum in hæc verba dedere: *Nihil omnino mercedis accepit.* Ibi. 6. 3. Rem miram inter mortales, qui (licet non credat Seneca) beneficia scribunt in Kalendario! Res gesta hominis privati mandatur annalibus; regia verò magnificentia tacetur ab historico cum soleant hi vel minima sic efferre principum facta, ut ea testes oculati, velut picturata de alieno, fateantur ignota sibi? Eunuchorum delictum historiis traditur! Regia liberalitas oblivione deletur! crederem annalium scriptorem regalia dona nequaquam præteriisse: cur minuisse putarem de re gesta Monarchæ historiographum, cum soleant ultra veritatis metas adulatorio stylo transcurrere? Qua ratione igitur annalia evolventes nihil accepisse Mardochæum asseverant, cui munera donata sacro in textu habemus? nihil datum est Mardochæo qui donatus est muneribus regia majestate dignis? Divitias lucratus est, sed nihil accepit, nil enim sunt. Præfata verba commentatus Hugo Card. ait: *verum est respectu futuri præmij*: & insinuat morali sensu significari hoc loco nihil esse quidquid temporalium possidemus. Unde bene de divite Lazari contemptore dixit Beda *dives sibi videbatur ille qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendidè: sed quia Deum non habuit, comperit in fine nihil esse quod habuit.* Opes videntur invidiæ plurimum, apparent desiderio parùm, possessioni certè sunt nihilum. Nam si coacerventur inutiliter, velut non esse putandum est, si autem expendantur, dives illas perire videt vel invitus: igitur vel thesauros custodiat, vel effluere sinat, nihil sunt: quia dum clausi non prosunt; dum erogantur non manent.

Seneca l. 2 d. benef. c. 2. ad medium

Hugo Card. ad Esth. 6. 3.

Beda in c. 13. prover.

Hoc sic verum putà ut capias quàm evanidè glorientur divites auri mendacio superbientes, & quàm sine causa doleant illi quos invida sors cum facultatum sarcinâ levat, infœlici paupertate gravat. Si nihil sunt fortunæ, quid possidet opulentus? Quonam caret inops? Hic nihil desiderat; ille nihilum claudit: utrumque namque pictura. Belle Chrysostomus *quemadmodum conspicientes in pariete pictum divitem ac pauperem, nec illi invidemus, nec pauperem despicimus. eò quòd quæ videmus umbra rerum est, non veritas: sic & divitiarum & paupertatis, aliarumque rerum omnium, sive tristium, sive lætarum, naturam si pernoverimus, liberabimur à tribulatione, quæ ex harum unaquaque in nobis gigni solet.* Colores opulentia & inopia dici queunt? sunt igitur pares dives & inops. Nec pressus egestate invenitur minus habens, nec divitiis oppressus plus dicetur possidere, si statera fideli appendantur.

5. *Inops opulentia divitis par.*

Chrysost. ser. 4. de Lazar. quæ. est 16. in Luc. tom. 2.

Ut hoc innueret altrix Jacobææ sobolis in deserto divina Sapientia dum illis e cœlo suppeditabat annonam, æqua lance providebat universis ad mensuram illud celebre vitæ remedium, palato delicium. *Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum gomor per singula capita* &c. Exo. 16. 16. Sed cum Adamidum genus arbitrio suo Dei munera velit attemperari, non ad mensuram collegerunt aliqui manna; sed ad libitum: alius citra necessarium; alius ultra sufficiens. Quid tunc metatrix universorum providentia? Victum quem ad mensuram donaverat reduxit ad eandem: *nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus*: quod sic trancripsit Paulus: *qui multum non abundavit: & qui modicum non minoravit.* Ibi. n. 18. Ad Corinth. 2. c. 8. 25. En duplex miraculum, sed unum mirabilius altero. Crevisse recte congruit liberalitati divinæ manna collectum diminutè; sed in aliis, qui plus acceperant, decrevisse mirandum valde! Nonne donum istud ab illo datore descendit, qui dat omnibus affluenter? Quare semel acceptum decrevit alimentum? Operæ pretium fuit sic fieri, ne dubitares æqualem divitis & inopis sortem esse. Cùm ille plusquam opus erat abundabat, & hic necessario victu carebat oportuit amborum substantiam certa dimensione quodammodo adæquari, ut egenus diviti suppar factus gauderet, ac dives egeno se parem fateretur: quod thesi nostræ non leve præbet argumentum. *Hoc nunc* (ait Chrysostomus) *quoque in fluxis & caducis rebus ita se habere, ac non in solo manna, cernimus.* S. Joan. Chrysost. tom. 4. hom. 27. in 2. ad Cor. Adde Lipomanum: *Etsi enim alij magnas opes possideant, alij paupertate laborent, tamen* Lipom. in

Catena super Exo. ibi.

men quod ad fructum panis quotidiani attinet, non minus consequitur pauper è suo pane, quàm dives è suo. Accommodatiùs ad rem nostram fatur Ambrosius alludens ad prædictum Pauli, simul,& Exodi locum: *& qui plurimum auri possidet non abundat, quia nihil est quidquid in hoc sæculo est: & qui exiguum habet non minuit, quia nihil est quod amittit. Res sine dispendio est, quæ tota dispendium est.*

S. Ambr. l. 2. de officiis. c. 30. tom. 4.

Jam non inficiaberis quàm leviter divitiarum vento cinis extollatur & pulvis. Cernes passim quamplurimos aureo morbo tumidos, inopum contemptores, elata cervice ardua vix contorquere lumina, inflatoque gutture rotare turgentia verba miseris aversos in umbraque sua placentes. Quid horum sic exagitat mentem? O si probè noscent alienis, utpote fortunæ bonis gloriari. Pauperem ex adverso prospicies angulo contemptibili delitescentem gemitus fundere, causari sortem, quæ cæteris arridens posuit se cunctis irridendum. Posem istum cum Seneca solari dicens: *pauper es qui pauper tibi videris.*

Senec. de reme. fortu.

6. *Egenus habet quæ sibi desunt.*

Ingemiscens respondebit ille quem miseria premit: quid me divitem jactas, quem sic fera vexat paupertas ut necessitati omnia desint? quid possideo nihil habens? Eorum quæ tibi desunt dominum te judico. Dicto favet Basilius Mag. sic avaros objurgans. *Esurientis est panis quem tu retines, nudi est vestis quam in arca custodis, discalceati calceus qui apud te marcescit, egentis argentum quod tu terræ infossum possides.* Vis tu exponam? Mundialium bonorum dominium, si rem altiùs indagare velis, non penes divitem moratur, aliter nunquam citra injuriâ spoliaretur. At videmus quamsæpè opulentos pauperie subita præoccupari nemine lædente, quid si naufragium pertulit? quid si justo bello prædatur ab hoste? Non illi vim sors intulit, quia sua non dederat, commodaverat. Ergo sunt nullius hæc bona quorum custodiæ divites addicti vigilant. Cumque ad ea quæ nullius esse dicuntur, æquale jus competat universis, ea quæ tibi paupertatem dolenti desunt jure optimo tua dicere non dubito.

D. Basi. to. 2. hom. 6. ex. variis.

Contra Gazophilacium templi sedebat incarnata Sapientiâ respiciens mittentes donaria sua. Multa offerebant jactante potius quàm religiosa manu Tunc paupercula vidua latibulum suæ conditionis inter potentum alta superciliâ quærens, humilitatis amatorem Dei Filium non latuit. Pro tenui facultate sua jecit illa duo minuta æra. Quod videns Dominus ait: *verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi omnem victum suum quem habuit misit.* Nequaquam admiratione moveor quod vidua divitibus præferatur, non re donum, sed animo perficitur: à donantis affectu, non à donati valore censendum. Sed hoc pungit expendentem verba Servatoris, quòd ideo viduam potentibus anteferat, quia hæc misit quod habuit depromens ex eo quod illi deerat: utrumque veritatis magister expressit: & viduam erogasse quod habuit, & ex eo quod illi deerat dedisse. Largitur inops ex eo quo caret? Igitur cùm non nisi quæ habentur donari queant, videtur habere pauper id quo se destitutum ingemiscit, & multo majori jure si non gemit, sed strenuè despicit opes, ideo namque Chrysostomus dixit: *servile pecuniarum jugum fuge, qui si illas tenere volueris inops eris, si autem eas aspernatus fueris, duabus ex partibus dives evades; tunc tibi omnia undique affluent ex eo maximè quòd nihilo eorum indigeas quibus plurimi egent.* Pares idcirco dixi substantiâ rerum gemmis & auro incubantem, ac eum qui gemens nocturnam ad auram cubat. Quod nihil est, magis & minus non capit. Si nihil esse fortunarum cumulos credere formidas amore, Salomonem audi: *Nil proderunt thesauri impietatis.* Si verò aliquid illas esse contendas, quid sint aperiam: pretiosa pericula, spineum pulvinar, suavitas fallax, materia laborum, timores perpetui, robur inane, sublimitas præceps, sepulchrum præcelsum, fugiens lætitia, leve murmur, auratum figmentum, caduca fœlicitas, fœlix amentia, evanescens umbra, & ut Augustinus ait, *aurum enervatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor servus.*

Chrysost. hom. 11. in 1. ad Timoth.

S. Aug. de verb. Domi.

7. *Cæcitas fortè placebit ne minimum lucri deperdatur.*

Quæ cum ita esse doceat ratio, demonstret experientia: quid affectum erga divitias ita fervidum accendit? Mortalium cæcitas. *Obcæcatur enim mens eorum divitiis*, ut scribit S. Hieron. At licet mentis miserrima cæcitas inter Dei supplicia numeretur juxta illud Moysis: *percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis*: tamen vulnus non dolet quod auro ditatur. Lepida severitate notavit in mulieribus D. Ambrosius: *delectantur & compedibus mulieres, dummodò auro ligentur. Non putant onera esse si pretiosa sint: non putant vincula esse si in his thesauri coruscent. Delectant & vulnera ut aurum auribus inseratur, & margaritæ depend nt.* Pejus est quod & cæcitas fortè placebit alicui, ne vel minimum lucri damnum obveniat sibi visum restauranti.

S. Hier. to. 5. in c. 3. Jonæ. Deut. 28. 28.

S. Ambr. to. 1. l. d. Nabuth.

Prætereunte Domino cæcus juxta Hiericho sedebat prope viam. Proprium lumine carentium in viâ sedere necnon & in vita, quæ quidem via est. Sed Bartimæus cæcis melior iis qui mente cæcutiunt, simul & surdescunt, ad minus audivit opportunum Christi Jesu transitum: & quamvis, ut moris est, impedimentum aliquale passus fuerit à multis increpantibus voces misericordiam poscentis, ille plus clamabat pro remedio Dominum interpellans. Qui jussit vocari cæcum stans (non enim cursim benefacere solet) illique dixit: *quid tibi vis faciam?* Ac posteaquam cæcus repositi se velle ut visus restitueretur, illuminatus est à justitiæ Sole. Suparvacaneum videtur à cæco scisciteri quid cuperet, dum illius conspectui aderat, quem patrare mirabilia posse noverat. Fortè respondebis interrogasse ut fidem ille testaretur petitione miraculi? & cur non simili de causa priusquam sanaret aurem Malchi quæsivit ab eo quid vellet sibi fieri? Multùm dissidet à cæco Malchus. Hic nihil emolu-

Luc. 21. 3. 4.

Marc. 10. 52.

menti colligebat ex vulnere : plusquam certum erat recusaturum non fore sanitatem. Cæcus autem eleemosynam flagitabat, quam forte non acciperet nisi cæcus esset. Unde quia posset Bartimæus ex illis esse qui ne vel parvulum amittant lucrum, nollent oculos aperiri sibi (ad nostram doctrinam, quin egeret interrogatione Dominus, cui cuncta patent) petivit ab eo Servator quid sibi fieri vellet, ut ipse palam profiteretur cupere oculorum lumen : *ne scili. æstimaret quod aliud volenti accipere, aliud daret*, inquit Chrysostomus. Et Malchus, & cæcus ægritudinem spiritualem figurabat. De cæco ait Beda : *cæcus iste per allegoriam genus humanum significat quod in parente primo à paradisi gaudiis expulsum, charitatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur, sed cum Hierico appropinquare Jesus dicitur, cæcus inluminatur.* De Malcho sic Hieronymus : *populus Iudaïcus dexteram perdidit aurem.* Peculiaris tamen est in Bartimæo circunstantia, scilicet quod ex cæcitate victum lucrabatur mendicans : & insuper (ut ex ethymologia nominis deduxit Liranus) adumbrabat eos qui facultatum abundantia potiti dedunt semetipsos carnalibus deliciis. *Bartimæus qui filius pinguedinis interpretatur, significat hominem in deliciis carnalibus nutritum.* Bellè dictum, quia hujusmodi Epicurei cæcutiunt & mendicant : vilissima quippe accipiunt ut fames voluptatum sedetur : nec ideo ditescunt animo. Ab hisce prudenter interrogatur an oculos sibi patere velint : nam fortassis recusabunt, ne fructu, quem ex mendicitate sua colligunt, priventur. O miserum cui ut visum recipiat *nil proderunt thesauri impietatis.*

Chrysos. apud Cate. D.Tho. ad Marci 10.

Beda in cap. 18. Luc.c.76.

S. Hier. in c.26.Matth. tom.9.

Lira. ad cap. 10.Marci.

DELIBATIO II.

Frustrantur divites ferè cunctis finibus ad quos divitias prodesse putant.

2. *Si divitiis quem inhiare credideris, diligere non judicabis.*

TOta sapientia Salomonis non erit satis ut dives credat inutiles thesauros. Plurimos numerabit fines, quibus assequendis convenientissimas esse opes vix dissuadebimus. Rigandus tamen est ager, quamvis durities viam deneget aquis. Primò ad venanda hominum corda perutiles divitias asseritur esse vulgò. Ignorat amicitiæ leges qui venalem putat. *Mendax est omnis sæcularis amicitia, quæ divini timoris vinculo non est ligata*, dixit Imperfectus. Quantò plus à veræ amicitiæ nobilitate degenerare putandum est affectum qui pretiosum, sed vile, sectatur lucrum ? Laqueus est cupiditas, quem amoris flamma non potest non absumere.

Imperf.ho. 24.in c.10. Matth.

Hinc fit, ut spes fœdi proventus & amor in eodem corde nequeant compati, quia ligamina consumit incendium. Si divitiarum commodis animum inhiare credideris, dilectione vacuum judicabis. Regresso cum familia sua Jacob è Mesopotamia, placuit illius filiæ Dinæ, dum parens in Salem commoraretur, ad videndas regionis hujus mulieres, aliquantùm spatiari. Sed heu nimis accidit infœliciter : nam cùm eam vidisset Sichem Princeps filius Sichimitarum regis, per oculorum januas admisit in corde sagittas. Nec diu pectore vulnus aluit, quin dolor (vel amor quod idem ferè) in furorem præcipitaverit adolescentem, ita ut vi dilectam oppresserit, blanditiisque injuriam compensare conatus sit, non minùs ita vesanæ mentis indicia præbens, quàm si gladij percussionem recentem satageret medicari manu percussor insanus. Deliberat igitur Dinæ genitorem & fratres alloqui Princeps amoris incendio flagrans, ut sororem ei sub matrimonij nexu tradi permitterent. *Sed & Sichem ad patrem & ad fratres ejus ait : inveniam gratiam coram vobis : & quæcumque statueritis dabo : augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis : tantùm date mihi puellam hanc uxorem.* Ad hæc dolosè repostuere Jacobo geniti se matrimonia mutuò celebrare paratos dummodo Princeps, ejusque civitatis incolæ circumcisionem non recusarent. Adstipulatus est acerbæ conditioni Sichem, & explevit opere : quid enim recusaret ut frueretur tanquam suo bono illo, quod adamavit adeo ut furto illud auferre non puduerit ? Attamen populi sui consensum flagitavit, ut circumcisionem in pactum deductam cuncti reciperent : & hoc illis proposuit assentiendi motivum. *Et substantia eorum & pecora, & cuncta quæ possident nostra erunt : tantùm in hoc acquiescamus*, &c. An non qui loquitur hic ille Princeps idem est, qui non multum antea liberaliter promiserat daturum quidquid petiissent? Et nunc de quæstu agit ! cuncta quæ possident nostra erunt : O disertissimum juvenem! Coram Sichimitis oportuit amorem tegere ne tyrannus judicaretur, utpotè qui per sanguinem populi cupiebat amori suo morigerari ; sed potius reputaretur suorum dilector, qui simul cum eis vulnerari non dedignabatur ut Israëlitarum fœdere opulenta Respublica redderetur. Ut ergo dilectionem dissimularet lucri se se ostendit amantem. At verò cùm filios Israël alloqueretur operæpretium erat verum erga Dinam affectum pandere, ut ejus fratres non fictè, sed ex animo illum postulare Dinam in uxorem crederent. Hîc nihil præter sororem ambire protestatur : *tantùm date mihi puellam* : nec melius posset quod nutriebat pectore ulcus detegere : nulla quippe solet amori consociari commodi cupiditas. Et adhuc erit qui veros putet amicos divitias elargiendo parari ?

Gen.34.11. 12.

Ibi n. 23.

9. *Amor ex unione commodum non lucretur.*

Fortassè reponet aliquis cum amicitiâ verâ stare posse lucrum, si non quæratur ab amico : licet ultrò delatum non recusetur. Etiam istiusmodi utilitas accepta veracis amicitiæ decori damnum infert. Quid refert an Phœbus nebulam sursum attraxerit, an eam non vocatam, sponte ascendentem, admiserit ? Utrovis modo quidem obnubilabitur. Ænigma non obscurum amicitiæ Sol est, prædixit Tullius : *Solem è mundo tollere videntur qui amicitiam de vita tollunt* : quam sententiam postea sacravit authoritas Ambrosij : *tolle*, inquit, *ex usu hominum benevolentiam, tanquam Solem è mundo tuleris, ita erit.* Vel igitur avare lucrum quærat, vel satem

Tull. de amici.

S.Ambr.l.1. de offi.c.32.

tem non rejiciat, eâdem caligine ſplendor amicitiæ obſcuratur. Tunc nitet amicitiæ candor, cum neuter amicorum ex illa quærit, vel accipit emolumentum; ſed purè amat ut diligat.

Occiſo Goliath mucrone proprio reverſus eſt adoleſcens Bethlehemites, regioque Saülis conſpectui ſe ſiſtens ipſum allocutus eſt. Aderat Jonathas & arctiſſimo amoris vinculo copulatus eſt ovanti juveni quod ut
1.Reg.18.1. exprimeret ſacer textus ait: *anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David.* Inaudita unione Scriptor uſus eſt, ut allegoricè deſcriberet amoris vinculum inter utrumque bellatorem. Quis audivit animam animæ copulari? Naturaliter hoc fieri poſſe renuit concedere philoſophia: imò per omnipotentiæ brachium accidere potuiſſe dubitat. Impoſſibile aſſumit in amicitiæ hujus ænigma? Æquiparet illam unioni quæ nectit animam corpori: ea namque non parum ſtricta eſt, & ita ut ipſius diſſolutio ſit mors. Dicat igitur: anima Jonathæ conglutinata eſt corpori David. Non decebat ita loqui de affectu Jonathæ candido ſingulariter: nam anima corpori unita plura ex unione commoda reportat: imprimis enim completur in ſuo eſſe (ut philoſophicè loquar:) deinde redditur ultimò capax exercendi operationes illas, quæ ex ſenſuum organis pendent: quæſtuoſa itaque unio eſt animæ ad corpus, ineptumque proinde foret ænigma dilectionis Principis, qui amicitiam erga Davidem pectore locans ab omni commoditatis exinde capiendæ ſpe longè aberat. Si anima copularetur animæ, neutri foret utilis unio, ut philoſopho conſideranti pervium eſt. Hæc eſt amoris Jonathæ ſimilitudo aptiſſima: quo ſcili. nullo nec ſpectato, nec accepto commodo, vinctus eſt. Deſinat quærere dives acervare bonorum cumulos, quibus venetur amicos: qui veneunt, vel quos venatur, amici non ſunt. Si fides cupit invenire, ad hoc *nil proderunt theſauri.*

10. *Divitiæ ſtrenuum reddunt formidoloſum.*

Alios paſſim reperies viros divitiarum, qui ſuperbiùs errant: hunc ſcilicet finem ſollicitudini ſuæ, qua gazas congerunt, ſolummodo præſcribunt: potentiores nempe fieri ut imminentia mala repellant. Falluntur miſerrimè dum putant ſe fortunarum ope fortiores reddendos. Quinimò timidum reddit opulentia quem fortaſsè obduraret egeſtas. Nihil perdere veretur qui nihil poſſidet
D.Greg.M. l.15. Mor.c. 13.tom.1. quod amittat: *at poſtquam acquiſitis rebus pervenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum ſollicito timore cuſtodiat quod cum gravi labore meminit acquiſitum. Hinc inde inſidiatores metuit*, &c. ait M. Greg. Dum ſtertit ſubdio pauperrimus opilio; trepidat eburneo in lecto dives ad venti pulſum quo janua ſonat; ille coram latrone cantat vacuus; hic apud ſemetipſum, & obſeratis ſumma cura oſtiis, contremiſcit. Non tam roboris animi defectus, quàm fortunarum abundantia, divitis præcordia pavore concutit: idem namque ipſe olim cùm egenus erat, non ita formidabat.

Declinabat Jacob viam carpens fratris iras, cùm Dominum, quem innixum ſcalæ viderat in ſomnis, interpellavit plura flagitans. Inter hæc tamen non lego petiiſſe ut eum ab Eſaü ſævientis furore liberaret: nec verbum reperies quo timorem ſignificet. Utrumque autem obvium habebis in ſacro textu cùm jam ex Meſopotamia rediret. *Erue me de* Gen.32.11. *manu fratris mei quia valdè eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Sic aiebat ille protectionem divinam implorans. Ecce pavet ita Jacob ut pectore metum ſepelire non valens in metuentis verba proruperit. Nunc horreſcit antiquatas fratris minas? Et antea cùm recens erat plaga, nec divinum adverſus fraternum odium ſollicitavit auxilium, nec ſe pavidum exhibuit; ſed tantùm prudenter curavit ab occaſione pugnæ divertere, ac iræ locum dare? Quid poſthac imminuit animos? Opum affluentia, quibus prius caruerat: *in baculo meo tranſivi Iordanem iſtum: & nunc cum duabus turmis regredior.* De quibus ne perirent vexabatur curis & quatiebatur terrore: *& perterritus diviſit populum qui ſecum erat, greges quoque & oves, & boves, & camelos in duas turmas dicens: ſi venerit Eſaü ad unam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt, ſalvabitur.* Ecce pavoris radicem, qui poſtmodum compulit in hæc verba prodire contremiſcentem: *Erue me*, &c. vide quantum abſit ut potentiam roborent facultates; potiùs fortem enervant. Quomodo non robur in pallorem commutabit aurum perpetuò pallens? Itaque ad propulſanda pericula *nil proderunt theſauri.* Ibi n.10. Ibi n.7. & 8.

An ſaltem ut famam liberalitatis magnificæ conciliet, proficuæ diviti erunt copiæ? Non diffiteor: ſed cum ſit mendax fama illa, non minùs ad hunc attingendum ſcopum inane illarum auxilium eſt. In eum qui nomen ſibi facere cupiens benefacit, jactare poſſem quod aliorſum ſcribit Seneca: *beneficium non dat. Facit enim ſua cauſa, aut utique non mea.* Ne ſententiam ad iſtos coarctem, dicam: nullus qui ſibi conſulens alteri prodeſt liberalis eſt; ſolus hoc titulo dignus qui ex benevolentia præſtat munus: hæc enim cum liberalitate manus conſerit, ut notat Ambroſius ad verba Pauli 2. Cor. 8. *itaque docet & liberalitatem ſine benevolentia, & benevolentiam ſine liberalitate non eſſe perfectam.* Ille ſolus dat qui dono teſtatur amorem; non qui negotio ſuo proſpexit cùm tribueret. 11. *Solus verè donat qui eò tribueret proſpexit amori; non verò negotium egit ſuum.* Sene.l.6.de benef.c.19. D.Ambr.l.1. de offic. c. 30. tom.4.

In conſpectu Saülis, ad ſuperbas Goliæ Iſraëlem provocantis voces, ſimul cum Hebræo populo contremiſcentis nunciatum eſt adeſſe hominem qui de præmio ſciſcitabatur donando ei qui gigantem percuteret. Adductus igitur David coram rege duellum acceptat, & in Dei virtute ſpem victoriæ firmiter locatam pignus offert. Tunc Saül ad illum: *vade & Dominus tecum ſit.* Lentiùs audi quæ ſequuntur. *Et induit Saül David veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput ejus, & veſtivit eum lorica.* Animadvertis quanta mutet vocabula hiſtoricus Divini ſpiritus calamus (*induit, impoſuit, veſtivit*) nec verbo donandi fuerit uſus? An Davidi rex ad certamen galeam, loricam & veſtimenta commodabat? incredibile hoc eſt de regis magnificentia præſertim erga Davidem, 1.Reg.17. 37. 38.

videm, in quem publici honoris inclinata spes recumbebat. Eccur Scriptor non ait dedisse loricam, &c. sicut de Jonatha postmodo textus dixit: *nam expoliavit se Jonathas tunica qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad baltheum.* De Jonatha dicitur donavisse? de Saüle non sic; sed induisse, imposuisse, vestivisse? Energiam non prætereundam admirare styli sacri. Saül sibi Reipublicæque prospiciens magnificum se præbuit erga Davidem, ut scili. in aciem prodiret, Israëlem à dedecore quod exprobraverat Golias, erepturus: & insuper honor apud Hebræos exinde regi parabatur offerendus ab eis, qui è vicino accedentes agnoscerent in milite novello arma regia: exclamarent enim: O qualem sortiti sumus Principem qui eximia largitate semetipsum exuere dedignatus non est suadente zelo, ut regni sui per militis hujus manum tueretur honorem! Jure optimo igitur de hac negotiatrice liberalitate Saülis dicere David poterat quod Seneca: *ne ipse quidem se mihi beneficium judicat dare: sed aut Reipublicæ, aut vicinia, aut ambitioni suæ præstat:* Jonathas ex dilectione largiebatur: *diligebat enim eum quasi animam suam, nam expoliavit se*, &c. Falsò ergo magnificum appellabimus illic Saülem; Jonatham verò hîc maximè: nam sola quæ ab amore promanat donatio vera est. Fruströ igitur fama diviti plaudit, qui ut mercetur illum qui ab ore vulgi resonat echo, divitias projicit. Etiam ad hoc nihilum comparandum nihil proderunt.

Ibi c.18. 4.

Sen. sup.

1.Reg.18.3.

12. *Adoratio colentis ut manducet, parvipendenda.*

Postremò periodum alius claudat finis, quem permulti fortunis potiti sibi proponunt per earum largitionem consequendum, scili. à multis adorari supplici cultu. Experientia testante noverunt quod mundanos dat census honores, & protritus pauper ubique jacet: idcirco defectus suos deaurant. Idola intus lutea coluntur suadente sic grato auri lenocinio. Sed ô quam inanis perflat illos adulationis aura! Imò hîc idem ventus auri colorem absumens detegit in idolo fœdum luti plasma: quem ob auri pulchritudinem colit vulgus, insinuat ipsemet dotibus animæ carere illum, quarum concinnitas & excellentia venerationem extorqueat. Infamat igitur quem colit fortunarum titulo adulator: dedecorat ejus animam, cum genuflectit manibus ipsius. Tempestivè Nyssenus: *ob divitias*, inquit, *gloriari, aut genus ostentare, aut supra proximum esse videri, quibus rebus complentur honores humani, hæc omnia subversio, atque dedecus animæ honoris existunt.* Sed omittamus doctrinam hujusmodi, licet veram, ut mitiùs dissuadentes nonnihil proficiamus. Esto nolit credere dives dedecorari per genuflectentium gesticulationes; perpendat saltem meritò parvipendendos esse honores, qui ab hominum abjectissima fæce conferuntur, adulatoribus nempe, qui sanè inter servos computandi sunt ex Aristotelis doctrina. *Qui delectat*, ait Philosophus, *emolumenti sui causa, ut inde sibi proveniat in pecuniis, & iis quæ pecuniis comparantur, utilitas, adulator vocatur, servus qui in omnibus ita se accommodare studet ut favorem emercatur quoquo modo, vel voce, vel gestu, id quod sanè servile est, & indignum planè libero ingenio.* Flocci pendenda igitur est adoratio eorum qui venerantur ut manducent, colunt idolum ut fami succurrant.

S.Greg.Nyss.or.2. de beati.fine.

Ariſt.3.ethi.

Apud Cyrum Persarum regem Daniel prædilectus erat. Et verè amici munus exercuit illuminans cœcitatem, qua delusus Monarcha idolum Bel colebat insipiens adeo, ut statuam per singulos dies oves quadraginta, necnon simile plurimùm devorare crederet. *Et ait Daniel arridens: ne errès rex: iste enim intrinsecùs luteus est, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando.* Nonne gravior erat culpa sacerdotum, qui colebant Belem? Non dubito, quia hujus obsequio addicti erant, & insuper idololatriâ sua nutriebant alienam. Qua de causa non istos reprehendit propheta de adoratione quam exhibebant falso numini? Regem solum increpat? Prudenter nihili fecit Vates cultum, quem Beli sacerdotes præstabant, quia ut comederent adorabant idolum; non ita verò rex, cujus expensis idolo pendebatur annona. Historia est in textu notissima. Regi persuaserunt sacerdotes deum illum victualibus indigere ut aleretur: ideo ea suppeditabantur abundè, quæ à sacerdotibus, & eorum familiis absumebantur. Adorabant itaque sacerdotes idolum, de cujus mensa famem satiabant. Propheta despiciendum cultum eorum duxit: idcirco de hoc omnino tacuit: non enim est cur magni fiat adoratio colentis ut comedat. Divites idola sunt, quibus plurimi genua suppliciter flectunt ut eum venentur: ridicula est horum reverentia: nihil est. Si denique plura percurras, quæ fructus divitiarum credi solent; omnia sic inania judicabis ut cum Salomone pronunties hujusmodi sententiam: *nihil proderunt thesauri*, &c.

Dan.14.6.

DELIBATIO III.

Proderunt divitibus thesauri si per manus pauperum in cœlum transferantur.

NIhilominus tanta est arbitrio nostro per Dei gratiam commissa potestas, ut inutilibus divitiis possit lucrari plurima, scili. erogando, ut dispersæ progerminent eas quæ si thesaurizentur *nil proderunt.* Si datum cælitus est homini ut ex malis suis eruat bona, humilitatem nempe, circumspectionem, & pœnitentiam è peccatis: multò faciliùs erit spirituale commodum ab opibus reportare, quæ quidem non malæ sunt; sed ad bonum & malum indifferentes. *Non est malum argentum* (inquit Cyrillus Jerosol.) *tu modò utaris bene, seminans illud pauperibus.* Seminum apta utitur metaphora: nam illa cum pedibus teruntur, germen edunt, indeque fructus pullulat, qui non esset quandiu triticum clauderetur in cellario. Sic facultates tunc incipiunt utiles esse, cum per eleemosynas disseminantur. Appositè Augustinus

13. *Peculiare Dei est quod egenum videre non dedignetur.*

D.Cyrill.Jeroſo.Cathe. 8.poſt med.

D.Aug.apud S. Bonav. in pharetra c. 18. ſtinus relatus à D. Bonav. *Aurum*, inquit Auguſtinus, *præbet miſericordiæ materiam apud bonos animos, & novo genere lucri tunc magis prodeſt quando contemnitur.* Nec dum lucrum audis, putes à Dei filij nobilitate ingenua per iſtud commercium degenerari: quinimò filiationem Dei hac negotiatione confirmas: tunc enim ſimilior Deo redderis, cùm benevolos in pauperem conjicis oculos. *Nihil enim* (ait Chryſoſtomus) *certè nos uſque ad ſimilitudinem Dei ſic effert, quemadmodum libera beneficia, & copioſa collatio.* Diviniratis quippe numeratur peculiaris proprietas in pauperculos figere lumina, quos humani connivent oculi.

Chryſ.to. 2. hom. 36. in Matth.

Jam ferè ſub vitæ veſperam Sol juſtitiæ in templo coram diſcipulis viduæ cujuſdam laudavit oblationem: quæ licet mulier in hominum conſpectu deſpicabilis, tamen ab Ambroſio dicitur *magna planè fœmina, quæ divino judicio meruit omnibus anteferri:* Cùm D.Lucas hiſtoriam graphicè pingit, ſtyli non parùm pungit acumen. *Reſpiciens autem vidit eos, qui mittebant munera ſua in Gazophylacium divites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam* &c. Supervacaneum prima facie videbitur ſemel & iterum de materia eadem ſcripſiſſe. Satis fuerat narrare Dominum eos qui munera mittebant vidiſſe. Promiſcuè accedebant divites & pauperes: igitur indiſtinctè referat hiſtoriographus Chriſtum Dei Filium conſpexiſſe cunctos. Priùs affirmat intuitum fuiſſe locupletes, & poſtea viduam pauperculam? Ingenium divini perſpice calami: quaſi diceret: non tantum Redemptor opulentos aſpicere dignatus eſt: hoc & ſolent homines; ad inſolita divinorum luminum ſe protendit acies: etiam inopem obſervavit. Et nota quod reſpexiſſe dicitur per divites: *reſpiciens* &c. Reſpicere propriè ſignificat ea videre quæ à tergo ſunt. Mulierculam verò non reſpexiſſe ſcripſit Lucas; vidiſſe narrat: *vidit autem* &c. Obiter adverte quàm fœliciorem coram Deo locum obtineant ij quos apud ſæculum paupertas ridiculos facit atque deturbat. Cernit Deus etiam proſperitate mundiali florentes: at hos & humanus viſus agnoſcit. Illud Evangeliſta veluti Deo proprium ſuperaddidit, ſcili. pauperculam inſpexiſſe. Sequamur igitur in re non difficili veſtigia Dei: quid enim eſt minus arduum quàm oculorum jactus?

Amb.tom.4. l.de vidu 8, ante med.

Luc.21.1. 2

24.
Plùs egenum torquet remedij mora quàm eſuries.

Eleemoſynam ſuadere cupiens, ut viſum ad pauperem intendamus hortatus ſum: nec quia deflexi à manu ad oculos ideo ab inceptis deſiſto: vellem etenim ut ita celer foret largitio, ſicut eſt oculus in aſpiciendo velox. Inſtantaneè fit viſio: parvæ ſtipis donatio ne longum tempus inſumat. Reſtitutionis dilationem in ſubjecta materia nihil excuſat. Reſtitutionis, inquam: nam ea quibus pauper eget, ac tu ſuperabundas, tua non ſunt, ſed inopum. Credes Auguſtino? *Cætera*, inquit ille, *quæ ſuperflua jacent, aliorum ſunt neceſſaria, ſuperflua divitum neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ poſſidentur cùm ſuperflua poſſidentur.* Crudelis eſt mora qua pauperem dives eleemoſynam procraſtinando torquet, illi ſua reddere differens. *Eſuriens fame abſumitur, nudus frigore rigeſcit, & tu eleemoſynam in craſtinum differs?* Verba ſunt D.Baſil. Ditum quidem egeſtatis tormentum eſt: *melius eſt enim mori, quàm indigere*, ut Eccleſiaſticus aſſeverat. Exiſtimo tamen durius eſſe pauperi moram remedij pati, quàm famem ſuſtinere: nam eſuries partus infœlicitatis eſt: & ab iſta quid niſi cruciamentum expectaret inops? Ab eo verò qui poſſet opem ferre ſperabat auxilium egenus: cumque magis angere ſoleat malum inde proveniens unde confidere poſſes medelam, hinc eſt quòd plùs de cunctatione doni gemit indigus, quàm de torquente penuria.

S.Aug.to. 8. in Pſ. 147.

D. Baſil. to.

2.hom.6. ex variis.

Eccli.40.29.

Convivium exhibiturus Dominus turbæ ſecus mare Galilææ, poſt infirmorum curationem copioſè mirabilem, convocatis diſcipulis, ait: *miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Exquiſitum certè loquendi modum. Non ait: ecce jam triduò ſuſtinent famem; ſed: *me.* Cur ita? Quia Dei Filius ut populo meriti occaſionem offerret, diſtulit opem. Acerbior illis fuerat remedij mora, quàm penuriæ malum. Idcirco non inquit eſuriem patiuntur, ſed: *ſuſtinent me:* quaſi robur teſtati fuerint in hac dilationis patientia quamvis non nimis diuturnæ. Favet Victor Antiochenus dicens: *ea erat in præſenti loco ratio, invicta plebis quæ cum ſequebatur perſeverantia, nam triduo, ut hìc ſcribitur, illum jam ſuſtinuerat.* Redemptori meritum promovere incumbebat hominum: ideo ſanctiſſimè diſtulit eleemoſynam prædicto loco: tibi ſimiliter operari non congruit: nam licet egenus mereatur ſufferendo, tu meritum perdis lenta pietate hoc vel imminuens, vel diſſipans.

Marc. 8. 2.

Victor. Anti in id Evang

15.
Ad pauperē accede ne poſtulatione ſit opus.

Non cuncta licet nobis imitari quæ Salvator egit. Etiam ille nunquam legitur quæſiviſſe pauperes, ut eis munera largiretur. Indene licebit inferre non quærendos egenos quibus miſericorditer ſubveniamus? Potius multi ſunt qui tenentur ad pauperum inquiſitionem, aliis verò pro exercenda charitate conſultiſſimum hoc eſt. Etſi non id tibi ex officio incumbat, requirendi ſunt aliquando inopes. An non inurbanus eſſet qui à potente ſemel ac ſæpè in domo propria viſitari ſe paſſus, nunquam dignaretur ad illum accedere? Rex regum te quærit frequenter in paupere: ſic illum agnovit Doctor Angelicus dicens: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo in paupere.* Et tu ſuperbiſſimè ruſticus nec ſemel in paupere quæres orbis Dominum? *Alius te quærit* (hortatur Auguſtinus) *indigens, alium tu debes quærere indigentem.* Piiſſimum ſic exercebis liberalitatis genus inopem à petendi moleſtia liberans: *nam cùm homini probo ad rogandum os corruat, ſuffundatur rubore, qui hoc tormentum remittit multiplicat munus ſuum*, inquit Seneca. Ad pauperem igitur auxiliaturus accede præoccupans illius rogatum, ne locum ei des moleſtiſſima proferendi verba hæc: precor ut ſuccuras mihi.

S.Thom. opuſ. 58.

D.Aug.to.8 in Pſ. 146.

Sen. l. 2. de benef. 2.1.

Recole hiſtoriam Sarephtanæ viduæ; clauſerat imbres Elias in peccatorum ſupplicium: æquum enim judicavit ut hominum ferrea durities adamantina cœli ſiccitate pu-

niretur. Et insuper ne forte miserorum lachrymæ prophetam ad pietatem commoverent absconditus est in torrente Carith, qui potum ei ministrabat, cum simul corvi panem & carnes deferebant. Postquam exhaustis aquis torrens in pauperiem summam redactus est, inde jussu Domini vates mit-
3.Reg.17.9. titur in Sarephtam: *Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri vidua ut pascat te.* Perlege historiam, & invenies amplius dedisse viduæ vatem, quàm illa prophetæ: vidua quippe petenti Eliæ unicum subcineritium panem parvulum in primis elargitus est; ipse verò farinæ ac olei abundantiam per diutinum tempus, quoadusque scili. descendit pluvia super terram. Et quamvis in ejus domo per tempus aliquod fuerit alitus Elias, tamen hoc post datam ab eo copiam accepit. Unde non est dubium plus illum donavisse quàm receperit, cùm viduam Dei monitu requisivit. Potiùs ergo videbatur dicendum à Domino Eliæ: vade in Sarephtam, & ibi miseriam viduæ miraculo sublevabis. Non sic locutus Deus: monet vatem expectare ab ea ut alat eundem: & meritò. Sed quare? Ut Elias ad viduam accedat: sic enim pauperrimam quæsivit largiturus, & ita ut illi non daretur locus petendi à vate auxilium panis pro fame sublevanda: quomodo enim illa peteret alimentum ab eo quem audiebat efflagitare panem? Præcaveat Elias ne beneficium quod Sarephtanæ impensurus est, precum summo pretio vendat: generosum magnificentiæ munus est indigentem quærere, viamque sic obstruere ne rogandi molestiam subire pauperi sit opus.

16. *In anima feritur egens qui antea succurrebat egenis.* Chrysost. vel quisquis est author. hom. 1. d. divite & Lazaro quæ habetur tom. 3.

Hæc, quam erga cunctos calamitosos consulimus, miseratio præsertim circa illos exercenda, qui nunc adversâ fortunâ obruti flagitant opem, & quondam cùm sors illis arridebat, miserorum afflictionem sublevabant. *Habet* (inquit incertus Chrysostomus) *& paupertas martyrium suum.* Sed strictiùs hoc verum habet in eo qui priusquam ad inopiam deveniret, egenorum gemitibus clementer inclinari solitus erat: cæteri pauperes non in anima torquentur, sed hic in ventre per famem, in faucibus ille per siccitatem, in pedibus multi per compedes, in toto corpore alij per nuditatem. At qui dives & mendicorum parens fuerat, postea cùm ad mendicitatem cogitur, patitur in memoria rationali (quæ vel est anima ipsa, vel residet in ea) conferente pristinum cum præsenti fortunæ vultum: ictum excipit in anima qui primùm pater inopum, post ad petendam stipem compulsus est.

Meditabar quare dæmon, qui adversus Jobum sic odio invidiaque furiit ut eum è solio in sterquilinium præcipitaverit, non illum detruserit ultra compellens ut fame suadente mendicaret. Minus oderat Saül Davidem, & illum persecutus est adeo ut eleemosynam petierit non semel: scili. ab Achimeleth, & à Nabal. Quare non similiter Jobum diabolus? An non ad hoc eum cogens cruciaret acerbè? Imò tam dirè, ut fines excederet sibi concessæ facultatis. Permiserat diabolo Dominus ut in Job manum extenderet, dummodò spiritum ejus non tangeret: sic enim prout sonant intelligenda insinuant Origenes, Olympiod. Greg. & alij, verba illa Dei: *veruntamen animam illius serva.* Job dum fortunis abundaret, Job. 2. 6. inopibus auxilium ferre curabat, *pater eram pauperum*, memoratur ipse. Unde si postea mendicum ageret, in anima torqueretur: quod permissum diabolo non erat. Aliter in Davide cujus animam pervaserunt mala velut inundantes aquæ: hostilibus enim patuit in cursibus anima ejus, juxta illud, *persecutus est inimicus animam meam.* Non mirum quod ab hoste persequente sit coactus mendicare. Job verò cujus animam protectio divina tuebatur (*animam illius serva*) non potuit satan in ea ferire: animam utique cæderet adversarius immaniter, si eum qui olim necessaria suppeditabat indigentibus redderet mendicum. Ecce qualem misericordiæ materiam ad ostium tuum pulsans offert pauperculus non semel, quippe multoties is ille qui quondam favebat miseris, nunc minimum petens auxilium cruciatur miseratione dignissimus. Tu ne despicias angustias ipsius, neque tibi lucrosam adeo negotiationem omittas.

Ibi c. 29 16. Ps. 142. 3.

17. *Divinum misericordiæ opus est ei subvenire, qui verecundia prohibetur postulare.* S.Leo ser. 4. d. collectis & eleemosynâ.

Nobilius adhuc per facultates negotiandi genus tibi demonstro: his, quibus per pudorem non licet à te poscere quod necessitas desiderat, benefacito, & largitatem pene divinam exercebis. Hanc piè sic hortatur S.Leo ad illud Ps. *Beatus qui intelligit super egenum*: ait enim. *Ad quem intelligendum, dilectissimi, sollicita benignitate vigilandum, est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit invenire possimus. Sunt enim qui patiam poscere ea quibus indigent erubescunt: & malunt miseriâ tacitæ egestatis affligi, quàm publicâ petitione confundi.* Hominum est tangi precibus eorum qui patiuntur ærumnas: hoc appellare solemus humanitatem. Ast ei quem rubor ad petendum cohibet, divinum opus est misericordiæ opitulari.

Interfecto Saüle, post luctum, quo se testatus est David à vindictæ desiderio innoxium, scisitatus est an supereesset è Saülis domo aliquis adhuc, quem beneficiis prosequeretur. Vide quibus verbis usus sit: *supereest aliquid de domo Saül ut faciam cum eo misericordiam Dei?* Si quidam ex monarchis illis, qui nimis cæca superbia se deos putaverunt, ista proferret, non mirarer quidem: nam si poëtæ dicere licuit clemen- Claudian. tiam diis viros æquare, elatio solet audere ultra poëtica figmenta. De Davide mirum est quod ipse de se protulerit hæc: nam sic humiliter sentiebat, ut indicant illa ejus verba, quæ Deum alloquens pronuntiabat olim, *quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?* Ibi.c.7.18. An plusquàm hominem se reputavit cùm promisit exhibiturum misericordiam? Minimè; sed judicavit divinum esse misericordiæ opus ei, quem pudor vetat orare, juvamen offerre. Saüle progenitus omnis quicumque supereesset verecundiâ suffunderetur, ne dona peteret ab eo quem Saül hostiliter fuerat insecutus. Imo neque coram Davide ullus de domo impij Saülis auderet

2.Reg.9.3.

levare

levare vocem. Sic Miphibozeth in conspe-
Ibi.c. 19.28. ctu regis pavore consternatus aiebat : *neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi.... Quid possum ultra vociferari ad regem ?* Longè aberat ut aliquid à Davide postularet, verba comprimente pudore. Illi auxilium præbere misericordia plusquam humana fuit. Hanc per divitias excellentiam consequi possunt fœlices, ut scili. Deo in hoc similes effecti filij Dei nominentur. Ad eos verò, quos mundus amat, fines, *nil proderunt thesauri.*

DELIBATIO IV.

Adhuc pro eleemosyna dabimus nonnulla sub cœlestis emblemate lucis.

EXcellentiæ cupidum animal homo, gloriæ non vanæ desiderio stimulandus est. Sic Dominus inimicorum dilectionem (rem arduam) suadere tentans, nobilitatem inde manantem proposuit in præmium : *ut*
Matth.5.45. *sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Ad fidei publicam defensionem hortari vo-
Ibi.c.10. 32. lens promisit glorificare confitentem. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est*, imò etiam consulens humili-
Ibi c.23.12. tatem, pollicitus est exaltationem : *qui se humiliaverit exaltabitur.*

Eandem itaque teneamus viam. Ad eleemosynæ largitionem per solidissimæ gloriæ amorem voco sæculi potentes. Quid beneficentiâ glorioſius ? Miraculorum operationi æquiparatur à Chrysostomo ad illud Pauli :
2. Cor. 9. 8. *potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis* &c. Commentatur S. Doc-
Chrysost.ser. de eleem. & collar. tor : *eleemosynam vocat gratiam, demonstrans quod sicut mortuos excitare, & dæmones effugare, & leprosos mundare, gratiæ opus est, sic pauperes juvare.* Ex his & similibus miraculis elige quod cætera præcellit, scili. defuncti vivificationem. Etiam huic prodigio præponendus est eleemosynæ splendor : hæc namque in largiente ad animæ resurrectionem non modicè prodest, quæ suscitatione corporum multò mirabilior est.
D.Laur. Just. l.d.spirituali. animæ resurrect. post Princip. *Ex his* (ait D. Laurentius Justin.) *ergo recte colligitur excellentiorem, atque incomparabiliter mirabiliorem esse animarum resurrectionem, quàm corporum.* Et alibi describens quid boni pariat largitas in egenos, dixit : *Fructuosa satis ad promerendam gratiam stipendia pro*
Idem libel. d. compunc. & complac. Christianæ perfectionis. ante finem. *Christo pauperibus erogata fore noscuntur. Ipsa supplent defectus largientium, & Altissimum interpellant.* Ex quibus præmissis concluditur eleemosynam præ suscitatione mortuorum esse majus pietatis opus. Quod nunc ratione confirmabimus, quamvis ab
Chrysost. hom. 35. ad popu. tom. 5. authoritate Chrysostomi stet satis firmum, qui disertis verbis hoc docuit dicens : *multò majus est quàm in nomine Jesu mortuos suscitare, esurientem pascere Christum.*

18. *Derelictio acerbior est morte.* Tunc misericordia fulget clariùs, cùm à majori malo eruit calamitosum. A morte vinctum liberat suscitator emortui : hoc minus est donum quàm quod præstas indigo benefactor : nam patitur ille tormentum nece durius, desertionem scili. qua se à dilectis experitur destitui. Hoc equidem amarius obitu : hic enim malorum temporalium terminus est, illud verò radix eorum. Mors ad libertatem via, quietis negotiatrix, periculorum meta ; e contrariò derelictio discriminum est initium, inquietudinis mater, libertatis noverca : morte dirior igitur extat.

Mirabar, nec frustra, quòd Salvator, qui de morte querelam non emisit, semel ac iterum de sua desertione queratur. Antequam ab Apostolis derelinqueretur, proposuit de illorum fuga querimoniam : *Ecce*
Joan. 16.32. *venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis* : cùm tamen hæc fuga juxta quosdam tacito nomine relatos à Silveira, peccatum
Silveira to.5.l.8. c.3. q.26. n.209 non fuerit, eò quòd Apostoli non tenebantur defendere Christum Dominum, nec se comprehensioni exponere : neque nobis
Videri potest Suar. tom.2. in 3.p.disp. constet aliqua circumstantia ex qua reddita fuerit mala ista fuga, quam peccaminosam per se loquendo non fuisse affirmat Suares:
34. sect. 3. §.Inquiri. & præsertim quia facultatem expressam abeundi susceperant ab ipso Magistri dicentis ore : *Si ergo me quæritis sinite hos abire.* Jam
Joan. 18. 8. si loquamur de illa derelictione, qua Pater Filium deseruit, hæc fuit sanctissima, & ab ipso Verbo Divino simul cum Patre, ac Spiritu sancto indivisibiliter peracta est. Tam longè abest quòd injuriosa fuerit Servatori. Mors autem ignominiosa summè, ac offensa gravissima Redemptoris extitit. Igitur quæro : de nece non emisit querimoniam Dei Filius ? maximè verò de Patris ac Apostolorum desertione, quarum neutra injuriam intulit eidem ? Non liberè hinc deducam amarius esse deseri ab iis quos diligis, quàm ab inimicis occidi. Cumque illud admiratione dignius inter exercitia misericordiæ sit quod à majori malo eripit infœlicem, splendet charitatis flamma clarior dum fovet egentes, quàm si vocaverit ad vitam sepultos.

19. *Liberalitas gratiam perdit extorta precibus.* Ut verò coruſco jubare niteat benevola donantis manus, oportet cœlestem lucem imitetur in aliquibus, quæ singulatim proponam. In primis celeritate opus est, nec importunis precibus egeat extorqueri munus : aliter superno fulgori similis non erit ; sed flammæ, quam velut è durissimo silice repetitis ictibus eruit armata patientiæ Chalybe manus pauperis pulsans pro subsidio. Non ita se gerunt Solis radij, quem nullus oravit ut luceret, quamvis aliqui divinos ei exhibuerint honores : ultro mittit facilem fulgorem, quin rogetur. Sic eleemosynam diffundens veluti lucem ; non alieno gemitu coactus, ac velut necessitate trahente mœstus subveniat miseris : quia *vera est*
Chrysost. d. eleemos. & collat. in §§ *eleemosyna sic dare ut gaudeas te dare, puteſque te accipere magis quam dare, non ex tristitia, aut ex necessitate*, ut Chrysostomus ait. Fallitur qui se beneficum, post anxiam petentis precationem exhibuisse putat. Id insinuat idem S. Doctor, eximius misericordiæ declamator. *Et si quando*
Idem hom. inquit,

Idem hom. 21. in epist. ad Roma. tom. 4.

inquit, *innumeris supplicationibus vix tandem molliti modicum argenti per famulos dare jussimus, universum quod ad beneficium attineat, probè præstitisse nos putamus*, &c. quasi dicat: falsò nobis persuademus liberalitatem coluisse dum importunitate supplici victi sublevamus orantis miserrimam inopiam.

Hoc in amici parabola reperire pronum est. Ad illius ostium intempesta nocte rogabat quidam, ingerente amicitiâ fiduciam, & imponente necessitate præceptum, ut commodaret sibi tres panes, quos apponeret hospiti subito. Repulsam petitio invenit: sed non destitit ille, ideoque perseverantia reportavit quod amor non obtinuit. Et non solùm quod postulabat, sed ampliùs accepisse insinuant verba quibus Dei Filius utitur similitudinem proponens: *dabit illi quotquot habet necessarios.* Nullam tamen ob id gratiam retulisse lego importunum istum oratorem. An saturitas panis ingratitudinem peperit? Crederem, nisi legissem ingratissimam Jacobæam prolem trans mare Tiberiadis post convivium voluisse regem inaugurare illum à quo beneficium acceperant. Gratior ne populus iste quàm ille alter amicus? Non est cur affirmem. Ratio aliunde petenda. Turba ut acciperet alimentum à Domino, non indiguit prece: spontaneè largitas hæc oblata fuit. Amicus verò post januæ pulsationem diuturnam, post non semel exhibitum rogatum, importunitate compellente dedit: quidni grates amitteret, quasi nihil dederit. *Si ergo amicus homo surgit de lecto*, inquit Beda, *& dat non amicitiâ, sed tædio compulsus*, &c. Nemo se fatebitur debitorem tædio alterius: non enim hæc liberalitas fuit, sed veluti defensio propria, seu vexationis redemptio. Sit ergo facilis, & ipsius indigentis desiderij velocior alis beneficentia: ceu fulgor solaris qui tempus non insumit, ut ad nostra commoda libens descendat.

Luc. 11. 8.

Beda hom. in litaniis.

20. *Abscondatur eleemosyna.*

Aliam lucis conditionem erga pauperes misericordi coaptare vellem. Et lux, & pluvia sublunaribus æquè sunt commodæ, sed non æqualiter: nam pluviam præcedit sæpe ventus, vel tonitrua, vel saltem cadens edit sonitum, juxta illud Eliæ: *Sonus multæ pluviæ est.* Lucem autem nec ventorum, tonitruive fragor præcedit, nec in descendendo stridor comitatur. Similiter absit à benefico vani plausus tonitru, laudisque flatus personans. *Nota* (monet S. Bonaventura) *quòd in dando eleemosynam debet esse modus justus, modus gratus, & modus pius: justus sine injuria, gratus sine tristitia, & pius sine superbia.* Hunc tertium modum infrà plus aperit dicens: *tertiò qui dat eleemosinam debet habere modum pium, & sine omni superbia vel præsumptione, ut scili. dando eleemosynam laudem non quærat*, &c.

3. Reg. 18. 41.

S. Bonav. to. 2. tit. 2. d. pœnit. c. 7. in dicta salutis.

Non fructum edet eleemosyna, nisi abscondas illam: *Mane semina semen tuum*, consulit Salomon, & ad literam de beneficiorum dispersione sermo est: *idest omni tempore, & omnibus da*, scholiat ibi Mariana: & ex Hieronymo similiter commentatur Lorinus ibidem: *primo loco*, inquit, *tanquam maximè literali sensu de beneficentia Hieronymus interpretatur, ne quis ab ea cesset, non manè non vespere*, &c. Ineptum sanè videbitur seminantis exemplum pro eleemosynarum distributore, vel quolibet alio liberali: nam semen terræ nequaquam prodest; beneficium verò accipienti debet esse utile. Quo stylo igitur semini confertur donum? Non incongrua videatur allegoria. Semen nisi terrâ tegas non germinabit, eleemosynam si non humilitate recondas, ventus vanæ gloriæ dissipabit. Semen sibi mandatum terra ignorat: munus indigo collatum aliquando nesciat pauper etiam ipse, ne vel gloria, quam largienti gratus offert acceptor, meritum donantis fascinet. Imitatur Phœbeos eleemosyna radios, quibus astrorum princeps plantulis benefacit ejus ignorantibus pulchritudinem: imò & rationales quamvis Solem videant, attamen tanquam rem quotidianam minimè laudant. Fugiat præconia manus ut præmium apprehendat videntis in abscondito Patris.

Eccl. 11. 6.

Mariana & Lorinus ibi.

21. *Pauper amico anteponendus.*

Persequar ultra emblema lampadis Apollineæ. Planeta munificus est ille non solùm terrigenis incolis, sed etiam minoribus astris: quibus licet præsit, tamen cum eis amicitiam videtur quodammodo servare, tanquam ejusdem nobilitatis consortibus. At non ipsis ita largè profluus est ut humilibus plantis: vitam quippe tribuit istis; illis verò nequaquam. Imitentur Solem præpotentes: parciùs amicis distribuant quàm pauperibus. Pro inope fidejussor Deus est, quem nullus causatur decoctorem: pro amicis gratitudo spondet eorum, quæ si verax est, dehonestat se quærentes; si fallax, cruciat jacturam passos. *Quid autem*, inquit Ambrosius, *tibi prodest favere diviti? an quia citiùs amantem remuneret? his enim favemus frequentiùs à quibus referendæ vicem speramus gratiæ? sed eò magis infirmo & inopi nos studere convenit, quia pro eo qui non habet remunerationem speramus à Domino Jesu*, &c. Adde quod ad summum (& quàm raro!) amicus imago tua est: dicere namque solemus: est alter ego: veluti Ephestionem appellavit Alexander dicens ad matrem Darij quæ putans illum regem, venerata est regio cultu: *Non errasti mater, nam & hic Alexander est.* At verò pauper est Christi effigies. Quid præponendum existimas? tuum ne simulacrum? an Christi Domini figuram? Cùm inops Deum repræsentet, amicus verò teipsum, plus egeno defer, quàm dilecto.

S. Ambr. to. 4. l. 2. d. offi. c. 25.

Sic olim inter amicos & pauperes divisit prudenter vir juxta cor Dei. Aberat David è Siceleg quam profugus cum suis incolebat, securior apud hostes læsos, quàm inter ingratos contribules. Invaserunt urbem interim Amalecitæ ferro igneque vastantes, quæ rapientes despexere. Reversus David, & accepto cælitus victoriæ responso, latrunculos insecutus est, prædamque recepit. Ex qua primùm ducentis viris, qui manserant ad sarcinarum custodiam, donavit partem: & postea munera misit notis suis apud Bethel, ac Ramoth, aliisque pluribus in locis commorantibus. *Misit dona de præda senioribus Juda proximis suis.* An non ducenti viri magis

1. Reg. 30. 26.

gis Davidi familiares, utpote qui sequebantur ejus militarem disciplinam? de his agere satis erat postea: quare prius istis quàm senioribus Juda munera dispersit? Quia per Amalecitarum invasionem devenerant ad inopiam. (Sic enim conjicio ex eo quòd illis etiam uxores ablatæ fuerint: unde simul eorum facultates direptas patet manifestè;) seniores verò non indigebant: sed iis amicitiæ fœdere David junctus erat, ut Lira notat: *hic*, ait, *consequenter describitur prædæ divisio quantùm ad amicos David, & benefactores.* Hos posteriori loco reservat sapienter David; aliorum verò sine mora sublevat egestatem, sciens præferendum amico pauperem. Et insuper non leviter suspicor plus ducentis illis viris erogavisse Davidem, quàm singulis distribuerit amicis: non enim de his, sed de illis insinuatur in textu quod eis diviserit portiones æquales iis qui pugnaverunt in acie: *nec audiet* (ait David ad suos) *vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.* De donis verò quæ senioribus Juda missa sunt loquitur textus indefinitè: *misit dona:* & cum socij Davidis huic largitioni se non opposuerint, colligo munuscula fuisse deducta ex parte quæ contigit Davidi. (Aliquid liceat conjecturæ:) quomodo enim paterentur ex communi acervo rem magnam tot amicis dispertiri Davidem ij qui adversus socios se præbuerant avaros? Non solùm itaque tempore, sed pondere, prætulit pauperes dilectis. Quot cernimus aliter dividentes! flumina intrant in mare, quod non ideo redundat; & sitientes deserunt agros, cum tamen isti fructiferi sint; mare autem nequaquam.

Lira ibi.

Ibi n. 24.

22. *Eleemosynarum largitio præsentaneum remedium salutis.*

Verùm si contrariam sæculi moribus dives tenuerit viam: si more Solis foveat plantulas, non plausuum clamores ambiens, nec rogatu nimio perurgente, cœlestium in hoc etiam imitabitur luminum principem quòd nævo careat, id est peccatorum tenebris expers effulgeat: est enim hic præcipuus eleemosynæ fructus, qui legitur dum vita manet. Audi pauperum insignem parentem S. Thomam à Villan. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus: neque solùm hoc, sed Dominus conservabit eum.... quanta bona: quot lucra! in die mala liberabit eum à damnatione, in vita præsenti custodiet à peccato, vivificabit nunc gratia,* &c. Novimus omnes ad cœlum non ascendi nisi terrâ derelictâ. Qui terrena bona pauperibus dispergit, dimittit libens terrea, cœlique gazas colligit quotidiano proventu ex pauperis manuum fertili agro. Audeo dicere medicamentum inter quamplura efficacissimum ut culpam deponat homo, esse largitionem eleemosynæ: quâ si non resipiscat medelâ, desperanda penè salus illius est.

S. Thom. à Villan. ser. d. S. Martin.

Non semel hærebam scire avens quo motivo ductus Redemptor, cum duodecim numeraret Apostolos, Judæ, quem sciebat furem extiturum, commiserit Apostolici collegij substantiam. *Ea quæ mittebantur portabat.* Bone Deus, qui occasionem peccandi vitare jubes, eam peccaturo non amoves! huic quem diabolum postea vocasti (*& ex vobis unus diabolus est?*) curam Sanctorum committis? Volebat benignissimus Dominus cunctas tentare vias, ut abundè quidquid in se fuerat egisset, ne Judas damnaretur. Efficacissimum adhibuit illi medicamentum, scili. curam pauperum: quam (sicut & cæteros usus pecuniæ Collegij sacri) tradidit filio perditionis, ut vel hoc remedio viam salutis inveniret. Eleemosynam dare solitum Judam colligitur ex illo Joannis, ubi refertur discipulos non intelligentes illud Magistri *quod facis, fac citius*, putavisse quod forsitan juberet eleemosynam erogare: *aut egenis ut aliquid daret.* Sit inopum Judas provisor: fortè hac via salvabitur, inquiebat (more nostro loquimur) divinus amor. Sed ô miserum cui nec istud medicamen profuit ne periret: non ideo tamen spirituali profectui eleemosynæ sunt minùs utiles, quia in isto ægro perdidit medicus operam; aliis extitere utilissimæ. Ad sæculi verò intentos fines *nil proderunt thesauri*, ut serò credent mundiales, cùm oculos corporis clauserit mors, & animæ aperuerit lumina. *Transit* (claudat periodum Augustinus) *somnus iste, transit vita ista, & nihil invenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi.*

Ioan. 12. 6.

Ibi c. 13. 27

Ibi n. 29.

S. Aug. to 8. in ps. 75.

DELIBATIO V.

Fines quos delinquendo peccator sibi prætendit, frustrantur.

23. *Peccatum ignominiæ est.*

IN literali commentario dogmatis hujus n. 1. desiderium aperui ut per alium mihi liceret verba textus exponere sic. Iniquitates, quas homo nequam thesaurizat in diem iræ, nihil ei proderunt ad ea quæ peccans assequi cupit. Quàm verum sit hoc, non dubitabis, dummodo per singula discurras. Crimine quærit alius honorem, alter voluptatem, nonnulli amicos, quidam tandem lucra. Deceptos exitus rerum serus probat cunctos: nam ignominiam reportat ille prior è scelere, non decus: tædium experitur pro gaudio secundus: hostes acquirit, non amicos, tertius: nihil elucratur denique turpis fœnerator. Singulatim persequar ista, sumens ab honore initium.

Omne crimen pondus est, ut insinuat regius Psaltes: *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Et Apostolus: *deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* Quinam erit insanus, qui ex plumbeâ massâ conficere conetur alas: Parum est si credas te minimè peccatis levari posse: imò & ipsis detruderis. *Peccatis enim suis unusquisque descendit*, ait Ambrosius. Irrationalem sequitur ductum qui se malefactis ambit condecorare. *Absit autem* (inquit S. Laurent. Just.) *ut de sceleribus, vel de perpetratis criminibus commendari debeat homo qui ratione dirigitur, sicut ij quos propheta redarguens ait: gloriâtur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: non enim peccata honora*

Psal. 37. 5.

Heb. 12. 1.

S. Ambr. to. 2. in ps. 118. octon. 21.

D. Laur. Just. l. d. humil. c. 1.

norabilem, sed prorsus delinquentem reddunt inglorium.

Hoc ipsum ex textu sacro confirmare pergo: & utinam satis ut legem illam, quæ vulgò dicitur honoris cogentem ad iniqua, nullam esse ostendam, utpotè quæ jubet impossibile, reportare nempe decus à peccato. Salomonem duplici loco sibi contrarium extrema facie reperi. Cùm prius dixisset *stultorum exaltatio ignominia*, post multa dixit: *antequam conteratur exaltatur cor hominis.* En ab exaltatione dividit humiliationem: illa præcedit, ista sequitur; cùm tamen priori loco ignominiam & exaltationem in unum coire significet. Quo ingenio cohærent hæc? Facillimo. Scelestus exaltatur exteriùs, quia honor iste, cùm situs in opinione sit aliena, peccatum iniqui non est: nam si foret, non eum extolleret. Alia est exaltatio interior habitans in corde ipsius delinquentis, quæ cùm peccaminosa sit, non illum effert, sed præcipitem deprimit. De illicita, & interna exaltatione textum intelligo, patronum habens Hugonem: quamvis enim ipse legat: *exultatio*, tamen ait verbo, *ignominia: ideſt ignominiosa, vel causa ignominiæ: quia lætantur cùm malè fecerint: & exultant in rebus pessimis.* Meritò dixit ignominiosam exaltationem Salomon illam quæ nefaria est, quia nullum est sine dedecore delictum. In peccato quolibet furtum reperies, qui saltem potentiis tuis uteris Domino invito: læsæ majestatis divinæ reus est quicumque peccator: imò noxa gravis involvit proditionem contra summum Regem: nam juxta receptam Theologorum doctrinam, omnis qui sethaliter labitur, Deum, quantùm in se est, interpretativè destruere conatur, tollens ab eo rationem ultimi finis, de quo Scholastici. Nobis pro nunc satis quòd multis infamiam titulis contrahat peccator, quos norunt rectè sentientes, quantumvis mundus iismetipsis plaudat insanus.

Prov. 3. 35. & c. 18. 12.

Hug. Card. ad 3. prov. fine.

24. *Peccator dolet intus, & in cute gaudet.*

Gaudia quærunt alij, dum viam eligunt quæ tendit ad sinistram floribus hinc inde circumseptam: Hevæ quidem geniti, quæ prima sibi finxit suavitatem in peccato, & laborem in præcepto. Sed heu: quantum fellis mellea sub dulcedine latet! *Omne peccatum amarum est & molestum*, inquit Valentinus Antistes. Verùm hoc miserrimum est, quod legentes rosas dissimulant spinarum punctiones, & earum suavitate se demulceri fingunt: dolent intus; & in cute gaudent.

S. Thom. à Villan. ser. de fœdere inter S. Pont. Imp. & Venetiã.

Proverb. 14. 9.

Redeat Salomon. *Stultus illudet peccatum*, inquit ille. Potius dicendum videbatur stultum à peccato illudi: nam plurima spondet iniquitas ipsi, quæ veluti somnium surgentium rediguntur ad nihilum in momento. Quî potest verè dici quòd peccator irrideat delictum? Verè subsannatur à peccatore sæpius crimen, eo quòd ille fingens gaudium, concipit intus dolore cogente de scelere tædium. Tempestivè Hugo Card. ad eum locum: *stultus illudit peccatum, ideſt, alludit peccato: quia exteriori delectationi congaudet, pœnam interiorem detestans.* O miserandam conditionem peccantium, quos nec dolorem egerere permittit sæculi tyrannis. Coguntur personam induere lætitiæ, dum intima corrodunt ulcera pectus. Quomodo igitur vel honori vel gaudio proficua valebunt esse crimina? *Nil proderunt.*

Hug. Card. ibi.

25. *Amicis improbis potiri supplicium Dei est.*

Quamplures inveniuntur, qui ut amicitias acquirant & servent, iniquè operari non verentur. Norunt similitudine amicos facilè conciliari: & malorum turbæ se adjungunt, ut cùm eis feriant dilectionis fœdera, quibus animæ feriantur. Falluntur pueriliter: nam *hæc vera amicitia non potest esse inter eos qui sine Christo sunt*, ut incertus Augustinus ait. Veritatem hanc utinam rationi debeas; non experientiæ. Qui Deum, sine cujus nutu non esset, minimè diligit, quomodo amabit hominem, à quo ipsius esse non pendet? Non refert quod eadem catena feras vinciat: an ideo adinvicem non rugient? Si verò aliorum delictis communicare nolens, illorum sodalitati jungeris, ut amicitiæ præsidio tectus emolumenta societatis colligas, & innocentiam te sic tueri posse putas, despis: quia ut Sanctus Basilius inquit: *re vera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ hujus lex & vis, ut per similitudinem malitiam conjunctis indat.* Neutiquam mehèrcle amicus appellari potest quia sua tecum dividit mala, simul & animæ tuæ dirigit bona. Supplicij loco habendus est ille quovis tibi pacto societur. Per quæ quis peccat, per hæc torqueri solitum est. Improbis fœderatus delinquit, societatem cum Dei hostibus ineundo: eâdem sodalitate punietur quam diligit.

Incertus Aug. to. 4. l. de amicitia.

S. Basil. to. 1. hom. 9. ex variis.

Subjectis Hebræorum populo cunctis per circuitum nationibus, in terra promissionis pacificè prolixo jam tempore quieverat ille, relictis tantummodo quibusdam finitimis populis, qui residui permissi sunt, ne terra vastissima, quæ plurimis cultoribus indigebat, verteretur in solitudinem ferarum altricem possessiones Israëlis ingruentium. Ab istarum tamen gentium communione præceptum est illis abstinere sub comminatione hac quam Josuë grandævæ jam ætatis alis properans ad sepulchrum proposuit. *Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare: jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram*, &c. Hæc erit perfidiæ ac idololatriæ pœna? Gentes cum quibus sociales conjunctiones iniissent, & quarum Hymæneus corda ligasset Hebræis, non destrui? Quin potius de hoc ipsi gauderent: nullus enim perire vellet illum quem adeo stricto nexu concordem catenaverat amor. Imò si post optatam & mutuam concordiam inter Hebraicum & Gentilem populum, gentes delerentur à Deo, doleret Israël: uxor enim viduaretur marito, filius orbaretur parente, sodalis destitueretur amico. Quid ergo Josuë minatur? dilectorum vitam? Sapienter loquitur: quod enim pœnam comminetur in prædictis notavit Abulensis ibi: *Si peccaveritis facientes hæc, non sitis quasi de pœna incerti; sed ex nunc cognoscite quod Deus faciet permanere gentes istas ante faciem vestram.* Enim verò cum iniquis amicitiam si jungerent,

Josuë 23. 12. 13.

Abulens. in 1. Josuë q. 4.

jungerent, nullo majore ſupplicio poſſent, feriri, quàm eorundem amicorum uſu, ipſiuſque concordiæ permanentiâ : nam vel ambo amici hujuſmodi ſunt Deo mortui; vel ſolus ille vivit adhuc, qui tale fœdus ob temporales utilitates inire non dubitavit. Si primum, habitat in monumentis uterque; ſi ſecundum, vivens cadaveri colligatur, ut olim de tyrannide barbara fertur : utrumque duriſſimum.

16. *Amicus nequam plus nocet hoſte.*

Nullus erit adeo ſævus hoſtis, quo non ſit nocentior amicus nequam. Nam inimicorum ictibus objicis clypeum, amicorum ſontium damna excipis corde. Hos in oculis collocas, quos eruent ſævè. Ad Joſuë

Joſuë 23.13. præfata verba redi : *jam nunc ſcitote quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris*, &c. Hoc ultimum quæſo mente retineas, *& ſudes in oculis*, dum ad Jeremiam diverto. Lachrymabilis Vates in ſermone Domini adverſus perfidum Iſraëlem vaticinabatur ſic : *quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea : & abierunt per pravitatem cordis ſui, & poſt Baalim : quod didicerunt à patribus ſuis. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël : ecce ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Legis divinæ derelictio, idoli cultus, hoc ſolo æquatur ſupplicio, nempe abſynthij ac fellis amaritudine ? Putabam crimen ſulphureis ignibus expiandum. Fortaſsè reponis Prophetam ſtatim enucleatiùs depromere quinam ſit amaror ille, quem incutiens minas prædicit : enſis nempe bellicus abſumpturus ingratiſſimam plebem, addit quippe : *& mittam poſt eos gladium donec conſumantur.* Reſponſio dubium adauget : hoſtilis gladius æquiparatur abſynthio, fellique ? Vulnera non excedunt amaritiem ? & apud Joſuë gentes, ſi copulentur Hebræis contra Domini præceptum, erunt in oculis eorum ſudes ? Conjice iſthinc quàm atrociùs nocivi ſint amici nequam præ hoſtibus. Amici ſuper lumina collocati oculos extrahent velut *ſudes in oculis*; adverſarij verò quia in oculis non locantur, quantumlibet feroces, non adeo ſævi ſunt, licèt amari. Et nos talis veſania capit, ut damnoſam quæramus amicitiam, & nulli parem, quam inire cum Deo poſſemus, deſpiciamus ? *Nihil Deo amicabilius, nihil urbanius*, ait S. Thomas à Villanova.

Jerem. 9.13. &c.

Ibi n. 16.

S. Thom. à Villan. ſer. fer. 4. poſt Dom. 1. qua.

27. *Mortuo vix aliquis amicum ſe exhibet.*

Sed, age, demus quod non damnifica; ſed utiliſſima ſit amicitia quam ſectaris : an perpetuam putas ? Nulla ſtrictior inter creaturas unio, quam ea quæ corpus & animam ligat : & cum dividat iſtam falx mortis nulli parcens, etiam dilectionis vincula diſſolvet. Si quando accidit oppoſitum, res eſt novitate rarâ permirabilis.

Emiſit ſpiritum ut ſuſcitaret nos Author vitæ. Ipſa die Joſeph nobilis decurio Magiſtri dilectionem occultam non abjiciens, Domino voluit obſequium exhibere funerale. Quod ut præſtaret impunè, Pilatum adiit, ſibique donari corpus crucifixum poſtulavit ut piè deponeret. Narrat Marcus miratum fuiſſe Præſidem, imò & dubitaſſe de hoc quod jam emortuus eſſet, inſinuat. *Pilatus autem mirabatur ſi jam obiiſſet. Et accerſito Centurione interrogavit eum ſi jam mortuus eſſet. Et cùm cognoviſſet à Centurione donavit corpus Joſeph.* Hujus admirationis motivum certè non facilè patet : noſſe namque Pilatũ credibile pluſquam eſt quanta Dominus, quæ necem accelerarent, fuiſſet paſſus : nimiam ſcili. ſanguinis effuſionem, cruciſque pondus, cui ne deficeret vita, ſubſtitui Cyrenæum oportuit. Ut quid miratur & hæſitat an fuerit adeo citò mortuus poſt tres immaniſſimæ ſuſpenſionis horas, qui ante illam, ſic morti propinquus extitit ? Fallor niſi Præſes ita ſecum fuit meditatus. Decurio ſe hujus hominis amicum oſtendit, ejus ſepulturæ volens curam ſuſcipere : fortaſſis adhuc vivit ille, quem ſuſpendi juſſi : nam ſi mortuus fuiſſet, oblivioni traderetur : quippe rarum eſt ut quis emortui fidum ſe gerat amicum.

Marc. 15. 44. 45.

Apud barbaros quondam ij qui dilectionis vinculo juncti fuerant vita functo, ſimul cum illo conſepeliebantur. Ætate noſtrâ barbaries hæc non ſublata fuit, ſed mutata : non, inquam, eodem ſepulchro amici conduntur; ſed cum dilecti cadaver terræ mandatur, amicitia pariter contumulatur oblivione. Delibera modò judicium ferens inter hominum, Deique amicitiam : ille te deſerent ſepulchri lapidi terga vertentes; Deus verò, ſi velis, æterna dilectionis pignora libens offert. Illos quæritas ? Dominumque deſeris ? *Maritus* (ait quiſquis eſt author ſer. 44. ad fratres in eremo, inter opera D. Aug.) *dilectus ab uxore dilecta relinquitur, filius à matre projicitur, & pater à filiis, & filius à patre ſub terra reconduntur. Solus ille dimittitur, & quilibet ad propria revertitur, & citò oblivioni traditur tanquam mortuus à corde. Non eſt aliquis qui tantum amicum vel cognatum diligat, quod per noctem unam ſecum morari cupiat. Vide ergo, ô homo, quales amicos habes, pro quibus animam perdis.* Hiccine ſunt amici, quos per animæ diſcrimen morigeratus eorum appetitui parabat peccator ? Certè ad intentum finem peccata *nil proderunt*.

Pſeudo Auguſtinus.

28. *Miſerandum eſt quod in lucrum alterius vivas dæmoni traditus.*

Ultimò redarguemus viliſſimum iniquorum genus, qui ſcili. ideo peccant ut facultates augeant. Iſtorum fami ſaturandæ *nil proderunt* delicta, quibus per opes corda replere cupiunt : *omnis opulentia rerum creatarum afficere cor humanum poteſt; ſatiare non poteſt.* Dum corpori miſera ſervit anima, illi, non autem ſibi, quæſtum lucratur (nam ſpiritum temporalia non ditant) & miſerandum eſt quod ſubſit anima regimini dæmonis, ut alteri pecunias acquirat.

Hug. a S. Victo. apud S. Bonav. in ſuo Illo. c. 1.

Extra ſubjectam licet materiam inoportunum exemplum non erit puellæ, quam à diabolo poſſeſſam liberavit gentium Doctor. Dum in una urbe Macedoniæ Paulus adeſſet, ac in locum orationis pergeret die quadam, vidit obviam ſibi prodire mulierculam obſeſſam à dæmone, quæ licet poſt Apoſtolum clamaverit, non tamen ſibi remedium petiit quo nimis indigebat, quamvis pluribus

diebus has, de quibus textus agit, voces emiserit: & credo potuisse medelam postulare, nam & agnoscebat Pauli virtutem dicens: *isti homines servi Dei excelsi sunt:* & incredibile est quòd semper à diabolo prohiberetur ejus lingua ne auxilium quæreret: quia, ut inquit Hugo Cardinalis, *spiritus malus non vexat semper.* His positis, Pauli commiserationem peculiarem hic eluxisse non præteream: non enim tantùm subvenit, sed insuper de hujus miserlæ torsione doluit. *Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit: præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea.* Alios ab Apostolis energumenos curatos novimus, nullibi tamen de istorum cruciatu eos doluisse lego. Quidnam singulare in ista puella vidit Paulus ut condoleret? Existimo charitatis viscera commota ex hoc fuisse, quòd misera diabolum gressuum & operationum suarum rectorem ita patiebatur, ut oracula dans pecunias dominis suis acquireret: *quæ quæstum magnum* (scribit S. Lucas) *præstabat dominis suis divinando. O paganorum inhumanitatem* (exclamat Chrysostomus) *ut augeant pecuniam, puellam à dæmoniis vexari volunt.* Illa cruciatum sustinebat; alij nummos coacervabant: rem omni miseratione dignissimam. Quantò plus miserabilis oppressio quam à satana per scelera patitur anima lucrans auri copias, non sibi, sed illi quem dominum suum constituit? corpori videlicet cui despoticè obsecundat. Non per caduca bona ditescit anima: si oculos aperiat, dicet verbis utens Anselmi: *Omnis creatura, quæ Deus meus non est, mihi inopia est.* Eidem igitur quamdiu ruit per invia, præceps dici potest: *unde venis, & quò vadis?* Deseris Dominum, qui tibi cuncta; & scelera diligis, quæ *nil proderunt.*

Act. 16. 17.

Hug. Card. ibi.

Ibi. n. 18.

Chrysost. to. 3. hom. 35. in Act.

D. Anselm. apud S. Bonav. proximè supra.

Gen. 16. 8.

DELIBATIO VI.

Homo non nisi præmio allectus obsequitur Altissimo, non ideo tamen reprehendendum quòd illo fine ductus militet Deo.

29. *Homo homini servire gratis non recusat, qui ut famuletur Altissimo præmia poscit.*

NOrunt experti quàm potenter spes gratissima præmij alliciat mortalia corda: *omne enim opus leve fieri solet cùm ejus pretium cogitatur: & spes præmij solatium fit laboris:* sic D. Laur. Iust. Spes timorem fugat, ærumnas levat, animos acuit, mentique præambula fax est: scis etiam quàm terribili domino serviant amatores mundi, quàmque benignæ majestati famulentur sectantes justitiam. Attamen clientibus suis inania proponit præmia sæculum, ex quibus & illud quod palpari valet, nihil prorsus esse comperimus. En absque veraci spe laboratur in vacuum; at verò Deus ut virtutem suadeat se diligentibus perjucundam, opus esse ducit vitam promittere? *Justitia verò liberabit à morte*, inquit per Salomonem. Repromittit quo pertrahere valeat commodo illos qui nequaquam trahuntur voluptate. Quandoque nulla spe ducti homini servire non dedignamur; Deo tamen non diu exhibemus obsequia, nisi sæpe audiamus promissa. Hoc non vitio, sed fragilitate, leges in Abramo.

D. Faur. Iust. in ligno vitæ c. 6. d. fide.

Cecidit prælio victus Rex Sodomorum: dumque fugam capit, ejus cuncta substantia capitur ab insequentibus. Nunciatur clades Abramo, qui ut ablata restauret, armata manu irruit in hostes nocturno certamine: ex quibus alios vigiliam pro somno jugi commutare, alios verò morti somnum fratrem consociare facit, prædamque reducit. Egreditur in occursum Abrami Rex Sodomorum, agnoscitque se beneficio devinctum Patriarchæ, & gratitudinis ergò bonorum partem officiosa largitate libenter offert assertori suo. Sed Abram nec subtegminis filum se accepturum asseverat. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ, quod à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Animadvertis quàm sine spe lucri bellicum subierit pro rege Sodomorum discrimen? Attende modò eundem cum Deo longè aliter se habentem. Semel ac iterum pollicitus fuerat illi Dominus numerosæ prolis gaudia: nec tamen acquiescit animo: adhuc sollicitus quærit: Domine Deus quid dabis mihi? ubi Caietanus: *admiratur tam largam promissionem in genere, conferendo eam cum præsenti suo statu, sine filiis & spe filiorum, & supplex, cupit scire quid in specie dabit sibi Deus, quod erit multum valde.* Heus tu columen credentium: interrogas quod credis? Nonne jam velut pulverem numeris omnibus imparem, sic fore semen tuum audisti? Terram universam tuo sub conspectu distentam donandam tibi promisit ille qui verax non esse nequit? Cur, ac si fidem negares auditis, interrogas Dominum, *quid dabis mihi?* Pro Sodomorum rege martialem sudorem non recusasti, præmia despiciens? divino autem devotus cultui munerum promissa studes ingeminari? Humanum quid pateris: hominis est homini quandoque nullo expectato emolumento morem gerere; Deo tamen ut promptum se exhibeat, iteratis promissionibus colligari, ne retro abeat. D. Gregorius Magnus. *Plerumque enim plus appetunt homines servire hominibus quos corporaliter vident, quàm servire Deo quem non vident.* Et infra: *qui tamen ab eo non ipsum, sed dona exteriora quærunt. Quæ cum ei servientibus deesse conspiciunt, ipsi servire contemnunt.* Mundo militant plurimi sub aperto marte, sibique nihil bello parant nisi discrimina, muneribus nihil profuturis, nominibus absque re, stipendij loco receptis. At militiæ spirituali nomen daturis proponitur quòd eos *justitia liberabit à morte.* Utinam vitæ amor contineat stare nescios, & spei anchora nixi procelloso in æquore, non quâcumque movente undâ recedant ab inceptis, divertant, fluctuent, naufragentur.

Gen. 25. 2.

Caietan. in c. 15. Gen.

S. Greg. M. l. 25. mor. c. 26.

Nihilominus absque generosæ charitatis dedecore mercedem quærentes famulantur Domino justi. *Omnia igitur non modò spiritualia, verùm & temporalia licitè & sanctè ferant Deo*

30. *Sancti putât se nihil habere quod offerant Deo*

ab

præter præmia ſua. S. Thom. à Villan. ſer. d. Magdal,

ab eo, quæ diligimus, Deo noſtro & expectare, & petere ſine offenſionis ſcrupulo poſſimus, &c. Minimè dilectionem ſuam erga Deum juſtus dehoneſtat in eo quòd muneris accipiendi voto allectus obſequatur eidem. Nonnullis rationibus adductis hoc ſtabiliam. Prima ſit: quia dona de manu Dei quærunt ſancti non ſibi ſed ipſius Dei gloriæ, quaſi non aliud habeant quod offerre poſſint Principi ſummo, niſi quod ab ipſo recepere. Dicunt cum eodem Valentino Præſule: *offeramus & nos Principi noſtro donaria, non de theſauris noſtris, ſed de ſuis: quis enim prior dedit & retribuetur ei? Tua ſunt omnia* (inquit David) *& quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Meritis ditiſſimi credunt ſe pauperes: id tantùm poſſidere putant, quod in præmium lucrati ſunt: hoc ipſum denuo conditori offerunt, quaſi nihil aliud habentes quod ei dedicent. Pretioſum amoris pignus oblatio hæc dicenda eſt, utpote qui ſolet pauperiem pati (nihil enim præter dilectum poſſidet:) non cætera conſecrat amato Domino, nihili faciens illa; ſed id ſolummodo vovet ipſi quod ab eo collatum eſt in præmium.

Idem ſer. 1. de Epipha.

Vidit Joannes viginti quatuor ſeniores circumſedentes in conſpectu Agni: quorum veſtimenta niveo ſplendore candida fulgorem aureum diadematum, quibus redimiebantur; in morem ſpeculi duplicabant. Hi procidentes antè Dei thronum, coronas ei ſubmittebant: *mittebant coronas ſuas ante thronum*: exponit Beda: *Deo videlicet aſſignantes quidquid virtutis, quidquid habebant dignitatis.* Expreſſiùs Viegas ibi: *coronaſque ipſas, hoc eſt præmia.* Putabam ſeniores merita oblaturos, ut ſic Domino placendi ſtudium teſtarentur: illa quippe ſunt obſequia ſummi Regis; præmia verò nequaquam inter obſequioſæ voluntatis miniſteria numerantur: coronas offerunt? O quàm peramanter! quaſi dicerent: nos meritorum donariis deſtituti nihil præter eas quibus præmiamur, lauteas poſſidemus: has rurſus offerimus donanti: quid enim ei dicare licebit niſi ſuamet munera? Ut poſſit oblationem iſtam Deo ſacrare juſtus expetit præmia: non ſuæ gloriæ ſervit, divinæ tantùm ſtudet. Ideo ſtipendio militans non ſuam devenuſtat nobilitatem charitas.

Apoca. 4. 10. Beda ibi.

Viegas ibid.

31. *Deus gaudet obſequia præmio compenſare.*

Cujus pronuntiati ſecunda ratio hæc eſt. virtutis cultor opera bona vendens pretio dato cælitus, materiam Deo ſubminiſtrat exercendi munus remuneratoris, quod magni facit quaſi præcipuam ſuæ majeſtatis notam: adeo ut Apoſtolus numerans credenda collocaverit ſecundo loco, non omnipotentiam, ſcientiamve, ſed remuneratoris glorioſam nomenclaturam. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et ſimiliter Iſaias loquens juxta D. Hiero. Haymo. & interlin. de adventu Chriſti Domini ad judicandum dixit: *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo* &c. non ait: ecce majeſtas ejus cum eo; ſed merces: ideſt præmium juſtis retribuendum, juxta planiorem ſenſum ex tribus, quæ adducit Corn. à Lapide ibi: *tertius* inquit, *& planiſſimus q. d. Chriſtus eſt rex non avarus, ſed liberalis, qui in promptu habet amplam mercedem, quàm ſuis famulis, maximè prædicatoribus, oſtentat, dabitque* &c. Hæc ſufficiant ut credas quanti Deus æſtimet ſe remuneratorem æquiſſimum agnoſci. Unde fit quod ſummopere gaudeat eorum obſequiis quos remuneraturus eſt, cùm ei millia millium Angelorum ſoleant miniſtrare, quorum famulatus non adeo placet, quia jam in termino poſiti non ultra præmio affici merentur.

Hebræ. 11. 6

Maiæ 40. 10.

Corn. à Lap. ibi.

Rediit ad mortalium habitationem vita noſtra poſt ſepulchrales injurias, mortis: apparuit flenti Magdalenæ, illamque miſit ut Apoſtolis reſurrectionem annuntiaret: *vade autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem* &c. Nuntium adeo lætum inopportunè deferre videbitur illa madens oculis. Plus huic legationi conguere putares unum ex angelis, qui candida veſte lætitiam præ ſe ferebant. An lætiora nuntiata ſunt paſtoribus nocte nativitatis Dominicæ? tunc per angelum ruſticos advocat? nunc ad Apoſtolos cæleſtis paranymphus legatione minimè fungitur? ſed Magdalena? Suſpicor humilitatis indicium fuiſſe quòd natus angeli miniſterium admiſit; in majeſtatis verò ſignum Filium Dei reſurgentem non elegiſſe ſpiritus angelici, ſed Magdalenæ obſequia pro reſurrectione denuntianda, ut ſcili. gloriæ ſuæ non parum adderet incrementi. Rem expono. Angeli quidquid præſtent non merentur: quia ſunt (ut ſcholaſtici loquuntur) extra viam in termino jam locati: Deus infans pauperrimum ſe probans voluit angelicum famulatum pro nuntio deferendo paſtoribus: inſinuans quod alios pro tunc famulos nollet, quibus eſſet ſtipendia meriti largiturus: potius elegit Angelum inſerviturum eidem quin promereretur mercedem. Poſtea verò, reſurrectionis tempore, jam gloriæ ſuæ nactus externam majeſtatem, concupivit obſequium ejus, quæ merito ſuo voluptatem retribuendi largitati divinæ præſtaret; Magdalenæ ſcili. quæ non parum præmij ex hac legatione fuit conſecuta: ut colligitur ex D. Cyrillo Alex. *Ad honorem igitur & gloriam Magdalenæ* (inquit) *à Salvatore conceſſum eſt ut hæc poſſet ad diſcipulos Evangelium deferre quia Chriſtus ſurrexit, & ad Patrem ac Deum ſuum & Apoſtolorum aſcendat.* Mercede vult conductam legari tunc, quia jam ſtatu potiebatur glorioſo, ne remuneratoris gloriam ibi deperderet quam ſumme diligit. Hanc Domino juſtus offert, dum ob præmia pugnat: idcirco etiam ſic Dei amatorem ſe perhibet.

Joan. 20. 17.

D. Cyril. Alex. l. 12. in Joan. c. 51.

Adde tertiam pro eodem inſtituto rationem quiſquis expetit à Deo munera, in iſtiſmet eidem cupit offerre vota: beneficentiæ quippe divinæ conditio ea eſt ut accipere ſe putet dum largitur: nam ex Clemente Alexandrino, *Si ceſſarit unquam benefacere, Deus quoque eſſe ceſſabit* &c. Quidni putet utile ſibi fore ſi beneficia diſpergat?

32. *Deus donat quaſi propriam curaret commoditatem.*

Clem. Alex. l. 6. ſtrom. c. 8.

Poſt reportatum à morte armis ipſius triumphum ſurgens è tumulo Dominus reviſit Apoſtolos: & in gaudia mœror verſus

est, prælium in pacem commutatum, etsi ad
Ioan. 20. 22 nova bella paraverit eos. *Hæc cùm dixisset, insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:* Aliter Apostolos fidelibus recens conversis Divinum dedisse Flamen legimus inter Apostolorum gesta, scili. per impositionem manuum.
Act. 8. 17. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* A Magistri discordant imitatione discipuli? Christus oris halitu; Apostoli manus extensione tribuit charismata Paracliti? Ita. Manuum impositio signum potestatis est: necnon manus largitionis instrumentum. Itaque liberales & potentes ostendantur esto Apostoli, dum cælestia dona recens credentibus diffundunt. Non sic Dei Filius: *insufflavit:* hoc est respirationem ore sacrosancto
S. Cypri. ep. 73. misit. Sic exponit Cyprianus inquiens: *Hoc cùm dixisset inspiravit, & ait illis: Accipite Spiritum sanctum.* Idem insinuat Episcopus
Haym. in c. 20. Ioan. Haymon. *Ista insufflatio non est aliud* (inquit) *nisi aër commotus, sicut anhelitus tuus non est pars animæ tuæ* &c. Halitus emissione dedit
Chrysol. ser. 84. Spiritum sanctum, ut asserit Chrysologus: *dedit potestatem remittendi peccata qui insufflatione sua infudit ipsum cordibus eorum & largitus est remissorem.* Ita Chrysologus. Viventibus perutilis est emissio halitus, & adeo ut absque illa nequeant vivere diu. Ut ergo suam utilitatem curare putetur Dominus, permittit cùm dona cælestia tribuit: ideoque sufflat anhelitum emittens: non manus extensione utens quam sibi fore inutilem pateret. O largitatis dilectionem! Tua computas emolumenta, quæ nostra sunt commoda? Ergo quæramus accipere: sic & simul offerre putemus.

33. *Oblatio censetur apud Deum potiùs ex fructu nostro, quàm ex re.*

Quarta & extrema superioris effati ratio est, obsequium quod nos Deo sacramus, ideo gratissimum est ipsi, quia nobis lucrosum. Idcirco acutè Chrysostomus, ut solet, expendebat in antiquorum holocaustis cremari victimam quasi non ex ea lucrum sibi, sed hominibus, consumptione ipsa testaretur Deus, quasi dicens, absumatur igne quod offers: Ego etenim quod unicè cupiebam jam teneo, scili. quæstum, quem offerendo fecisti. De sacrificio quod Genesis 8. litavit
Chrysost. in Gene. tom. 1. hom. 27. Noë, S. Doctor ait: *Iniellige hinc quod accepta fuerit Deo oblatio justi; ut & per res ipsas sciatur Dominum nullius indigere, & quòd propter nihil aliud hæc fieri præmisit, quàm ut gratitudinem ad omnes adduceret. Et propterea concessit ut igni consumerentur, ut ex iis, quæ fiunt, discant etiam ij qui offerunt quod omnia propter suam utilitatem fiant.* Adde quòd apud Altissimum oblatio nostra non censetur ex magnitudine rei oblatæ; ex fructu quem colligimus æstimatur.

Recensens Apostolus fidem Patriarcharum, ab innocentis victimâ sumpsit exor-
Hebr. 11. 4. dium. *Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Deo*, quod sic exponit Primasius: *plurimam quippe, idest majorem, hostiam Abel obtulit Deo quàm Cain, non quòd*
Primasius apud gloss. ord. ibi. *illa hostia rebus carnalibus major extitisset, sed quidquid melius habuit Abel, per fidem benevolo animo obtulit, & exinde ei sua multiplicata fuerunt.* Non dubito quod selectum fuerit illud quod Abelus Domino libavit, in eo tantùm hæreo, quod Apostolus istam holocausti majoritatem tribuat fidei offerentis, dicens: *Fide plurimam hostiam.... obtulit.* An fides bilancem à justitiâ mutuam accepit, ut libraret sacrificiorum pondera? Verè, simul & magistraliter, gentium Doctor ex fide metitus est hostiæ magnitudinem: nam ex fide per dilectionem operante habuit justus quod præmia per oblationem acquisierit: *exinde ei sua multiplicata fuerunt.* Insuper & Lira ibi. gratiam Dei adauxit: etenim Lira sic textum commentatur: *idest quia fides per dilectionem operans justificat.* Cum itaque spirituale, simul & materiale, præmium ob fidem per sacrum libamen reportaverit Abel, asseveret Apostolus ideo maximam fuisse illius hostiam quia fides huic juncta est: *fide plurimam &c. idest pleniorem, vel ampliorem*, ut exponit Catharinus Episco- Catharinus ibidem. pus. Ex prædictis, & aliis, quæ pervia cuique sunt, conjice non quicquam honori justorum detrahi per hoc quòd præmio ad sequelam virtutis invitentur: & sic in præsentiarùm sectanti justitiam perpetuò mansura vita repromittitur per illud: *justitiâ verò liberabit à morte.*

DELIBATIO VII.

Nonnulla divitiarum mala: spei mendacium: eleemosynæ apex: mors in vita: & in peccato mors.

CUm ad præsentem paræmiam verbatim ruminandam calamus regreditur, unum erat cui thesauros perutiles dicendos non abnuerem, nisi sacri theorematis ejusdem luce prorsus omnis fugaretur spes. *Nil proderunt*, inquit, & nihil excepit. Putares fortasse pecuniarum congeriem objiciendam parari fluctibus infœlicitatis quibus postea jactabitur qui nunc abundat. Cum pede tacito adventat insperata calamitas, Euro flante insurgit procella, recedunt amici, mediisque relinquitur aquis: tunc implorat dilecti census auxilia, quem servavit ut ab illo servaretur. Ne te seducat spes ista. Haud fortuna cæca dum furit corrompitur auro: Sors ingenium flammæ sapit, cui dum flagrat, si levem injicias materiam, non sepulchrum illius erit, sed pabulum. Et quid auro levius? nonne superbiam germinat aërem leviorem; Hoc tu confidis infortuniorum ignes compescere? Adde quod paupertas una per aliam alleviari nequit: & ideo auro non levatur inopia: nam omnia bona sæculi penuria sunt ex Augustino dicente:
34. *Divitiæ non eripient te infortunio.*
omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. Prudenter ages si cum infœlici- D. August. l. 13. confess. c. 8. tom. 1. tate dimicaturus nihil reserves quod ipsa valeat auferre.

Villicus ille qui malè audiens apud suum dominum cogebatur ad reddendas rationes, sollicitudine anxius pensitabat quid moliretur ut malo imminenti occurreret. Certus de villicatione sibi auferenda, ineptus parando per ligonem victui deliberavit amicos

cos adverſitati (rem certè difficilem quæſitu) parare. Singulis debitoribus domini ſui vocatis, fide chyrographorum violatâ, imminuit credita : eoſque ſibi poſtea gratos fore judicans diripuit alienam ſubſtantiam, quin augeret ſuam. Illius dominum induſtria non latuit : nec datum à villico damnum obfuit ne prudentiam iniqui facti laudaret. *Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Si primo aſpectui judicium committas, riſu dignum villicum dixeris potiùs quàm laude. Quid neceſſitati providet ? amicos ?

Luc. 16. 8.

Ovid. l. 2. d. Pont.

Diligitur nemo niſi cui fortuna ſecunda eſt. Cecinit Vates. Utiliori ſolertiâ bona quibus dominum fraudat, non creditoribus condonaret ; ſed acciperet ſibi, quibus iret obviam egeſtati venturæ : prudentiæ fuit nihil ſervare ? Et maximæ : nam ſi domini ſui debita exigeret ac abſconderet à villicatione depoſitus etiam iſta quæ ſibi reſervaſſet amitteret, inſequente domino rei ſuæ furem. Unde infœlicitas ipſa quæ damnum intulit, remedium tolleret. Aliò vertit induſtriam : debitores beneficio proſequitur : ex quibus ſi vel unum lucretur amicum, qui ad examen amicitiæ vocatus pedem non referat, ſanè theſaurum poſſidet, quo non ſpoliabit fortuna. Prudens ter & iterum audiat qui divitias adverſitati levandæ non eſſe proficuas agnovit. Quid igitur proderunt iniquo theſauri ? Reſpondeo verbis S. Vincentij Ferrarienſis. *Dico tertiò quòd divitiæ ſunt otioſæ inaniter, quia nullum fructum faciunt.*

S. Vincent. Ferrar. ſer. Dom. 15. poſt Trinit. Salaz. to. 1. c. 10. verſ. 2. n. 13.

35. *Bona ſæcularia quàm ſimilia malis.*

Proderunt. Notat hîc eruditus interpres juxta phraſim biblicam, illud non proderunt, idem valere atque nocebunt, & hoc Scripturæ teſtimoniis aptè confirmat : nec diſſentiunt Gloſſa & Liranus. Hoc meditare, quò detecta maneat fraus illa ſic hominibus chara. Minori dolo ſæculum hallucinari faceret ſuos, ſi tantùm bona chymærica venditaret : doloſiùs agit dum verè mala ſub titulo bonorum emptoribus venalia proponit. Audi quid ſint apud Chryſologum divitiæ illius de quo Lucas c. 12. *Miſerum quem ubertas ſterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere mendicum.* Imò & Seneca putavit mala plura quæ vulgò bona vocitantur. *Emerges*, inquit, *ad meliorem vitam propitiis diis. Sed non ſic quomodo iſtis propitij ſunt, quibus bono ac benigno vultu mala magnifica tribuerunt :* Hem ! hæc ſunt percupita ſæculi bona ? O miſeram phrenesim ! Nam qui mendaciis capiuntur, cæcutiunt ; qui verò malis inhiant, inſaniunt : pluſque dolendum eſt mentis uſu carere quâ viſu. Quantumvis bona dicantur hæc, nomen ſubſtantiam tranſmutare non ſufficit : quid illa ſint, ab effectu dignoſcas oportet, non à voce. Damna pariunt, ut narrant experti jam ad portum è pelago revocati : dicuntur ergo falsò bona, quæ ſunt malorum ſemina. Quid refert an lachrymas eliciant, vel deflenda parturiant ? Hoc unum ſcio dolorum cauſas, licet appellentur bona, non abſimiles malis eſſe.

Chryſolo. ſer. 104.

Sene. epiſ. 22.

Exardebat inextinguibili flamma dives & ſibi & Lazaro quondam immiſericors : Lazaro, quia negavit menſarum reliquias, & ſibi quia menſæ lautæ reliquerunt incendia non finienda. Serò levavit oculos ille qui dum viveret anhelans terrena, cœlo terga dabat. Suſpiciens Abrahamum & Lazarum in ſinu ejus quieſcentem, alium vidit, invidit alteri. Pauperem ſibi modò non minùs quam fuerat antea moleſtum, è ſublimi dejicere cupiens, Abrahamum rogat ut intincto digito ſtilla refrigerium linguæ ardori Lazarus allaturus deſcendat. Poſtulanti reſponſum ita reddidit Heros : *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Pende illud *ſimiliter*. Fortaſſis, diſſimiliter, ſcribendum exiſtimares. Lazarus ad januam divitis angitur doloribus miſerè circumſeptus ; dives inter delicias luxuriosè diſſolvitur : hic purpura & byſſo nitet ; ille ulceribus, tabieque ſcatet : hujus quotidiana menſa lautitiâ ſplendidâ ſuperbit ; illius ægræ fami nec micis datur ſaturari. Diſſimiliter igitur Lazarus & avarus vitam duxere. Cur Abrahami calculo Lazari mala ſimilia dicuntur avari bonis ? Sententiosè quidem effatur : *recepiſti in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala : id eſt illa quæ vera bona eſſe putabas.* Sic legimus apud Catenam D. Thomæ. Epulonis bona minimè valent ab afflictionibus Lazari diſcriminari : illum quippe abundantia torqueri fecit ; hunc miſeria torſit ; & ſimillima ſunt malis cauſæ malorum. Cave latens in auro dolum : non proderit ; ſed nocebit.

Luc. 16. 25.

D. Thom. in Catena ibi.

Theſauri. Etſi Midam, Cræſſum, & Pelopem per vetuſta divitum exemplaria vinceres opibus, omnes unico theſauro claudendæ forent, ne cuſtodia redderetur difficilior, vel ne theſauro diviſo cor ſcinderes. Theſauros hîc invenimus ſub numero plurali : fallat niſi morbus divitum ambitio pungitur hoc ſtylo. Sors pluribus donavit nimis ; at nulli ſatis. Opum furioſa libido venatoris artem ediſcens, capta dum tenet, fugientia captat

36. *Sperata poſſidere putamus.*

Semper & inventis ulteriora petit. Ovid. 2. am. 9.

Unde quamvis theſaurum ingenti claudat in arca dives, poſſidere ſomniat ſecundum, ut hac phantaſia cupidini morem gerat expectatione illam deludens. *Vanæ ſpes*, inquit Ambr. *hominum in hoc ſæculo, qui ea, quæ non ſunt, tanquam, quæ ſint, ſequenda arbitrentur. Itaque inanes & vacuæ rerum ſpecies tanquam in ſomno venerunt, abierunt, adſiterunt, evanuerunt. Circumfuſæ, & diſperſæ ſunt, teneri videntur, & non tenentur.* Theſauri ergo duplicis meminit hoc loco Salomon, vel multiplicis : quaſi alium re teneat, & alteros apprehendere fingat opulentus deceptor ſui. Hinc videri licebit quàm cæca vertigine humana ſpes mentem deludat non circa ſolas divitias : etiam in aliis temporaneis bonis, idipſum quod expectat homo vanè, jam habere putat.

S. Ambr. to. 5. l. 3. epiſ. 12.

Adonias regnandi cupiditate furens, poſt holocauſtum, cujus pietate ſeditionem impiam ſtuduit colorare, convocat amicos, illorumque vocibus fauſtè, ut putabat, rex inclamatur. Res Davidi penitus inſcio defertur : & inaugurari jubet Salomonem regio faſtu : regiſque novi permiſſu revocatur Adonias, ac invitus quieſcit. Ipſe tamen poſt Davidis mortem Bethſabee Salomonis

matrem querulus alloquitur : *Tu, inquit, no-*
3.Reg.2.15. *sti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israël sibi in regem : sed translatum est regnum, & factum est fratris mei :* Translatum asseverat diadema, quasi velut suum antea possedisset ? illum præposuerat cunctus
Ibi c.1.10. Israel in regem ? Mendacem vide : *robustos quosque & Salomonẽ fratrem suum non vocavit*, &c. Quo jure proferre audet Israëlis universi regimen à se translatum, regnumque jactat suum ? transferri dicitur illud quod jam pridem apud possessorem manebat. Adonias non adhuc Israël cuncto imperabat : & jam illi plenè dominari comminiscitur ? Sic mentiri solet iniquitas sibi. Suam appellat patris coronam : cujus expectatione, quia fratre natu major erat, jam ceu diademete putabat redimiri : *tu, inquit, nosti, quia meum*
Lira ibi. *erat regnum :* addidit Liranus : *ratione primogenituræ.* Robur exercitus Davidici, Hebræorumque vulgus, ut Adoniæ parerent, vel non, ab ore Davidis pendebant : *robur* (ait Lira) *exercitus David non erat cum eo, nec communitas populi, quæ in hoc expectabat sententiam David.* Attamen Adonias fallaci spe ducebatur cunctos tandem sibi subjugandos : qua seductus quasi possessione gaudebat : idcirco propterea quod expectationem amisit, sceptrum queritur à se transla-
Sanctius ibidem. tum : *Cùm à regno exciderit, quod jam cum frequentis populi conspiratione adiisse videbatur*, ait hoc loco disertissimus interpres Bibliorum Sanctius. Jam solio sedere somniabat ? O fallacem ambitionis pruritum ! Vix concupita desiderio insequimur, jamque ac si desideratis frueremur, exultamus. Sic divites, quorum nullus est qui si divitiis pectus commisit possidendum, non duplicem numeret jam thesaurum : scilicet unum quem terræ tradit, & alterum quem præsumit spes, & interea miserum cor fidens utrique diffinditur.

Versio 70. lect. hebraic. *Impietatis.* Septuaginta sic vertunt : *non proderunt thesauri iniquis.* Ex Hebræo legi
37. *Dives quasi vita functus.* potest ita : *non proderunt thesauri reis mortis.* Mortis reus dicitur dives non solum naturæ conditione (sic enim & pauperi mors imminet) sed opum transeuntium perfidiâ. Au-
S.Ambr. l.d. Tobia c.10. tom.2. di Ambrosium : *nihil interest inter funus, & fœnus, nihil inter mortem distat & sortem.* Nascitur aurum terræ visceribus velut centro clausum : lucem dat illi violenta manus : utque omnia centrum suum naturali pondere quærunt, sepulchri natale solum repetere nititur auri gravitas, divitemque sibi devinctum pene sepelire conatur. Celerem ad mortem sic opulentia trahit, ut divitiis potitum existimare possis vita functum.

Senior Prodigi frater, suggerente invidiâ, profusum patris de adolescentioris pœnitentia gaudium ægrè tulit. Genitor ut illius indignationem placaret, lætitiæ causam pro-
Luc.15.32. fert dicens : *gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit, perierat, & inventus est.* Periisse lego ; mortuus cur credatur non video : si forsan absentiam dicit mortem, cur non etiam Tobias absentem filium defunctum censet ? Quia captivitate cogente Tobias in egestate ducebat vitam :
Tob.4.23. *pauperem* (inquit ille) *quidem vitam gerimus,* at vesanus adolescens blandum paternæ ditionis jugum excutere concupiscens hæreditatem adiit, divesque factus interiit penè. Inde genitor cujus est periculum gnati deflere, quasi damnum imminens jam advenisset, mortuum putavit, quia novit opulentum & prudentiâ vacuum ; resurrexisse verò credit quem revocavit sui compotem paupertas. Vivebat equidem re ; sed mortis reum terrena substantia propellebat in stygium carcerem. Ast quid immoramur ? facultatum avaritiam dedocebimus vel mortis horrore ?

Stygias ultro quærimus undas. Sen. in Hercule.

Aliqui versionem hebraicam altiùs rimati transtulere hîc pro *thesauri impietatis : thesauri inquietudinis.* Refert Cornelius à Lap. certeque sic vocari possunt divitiæ. Spinas appellavit opes Divinus Magister : imò pungunt etsi absint : si careas illis, desiderio distorqueris ; si possideas, curis anxiaberis importunè. Dum non emerseris è sepulchro tuæ cupiditatis, te non inveniet secura quies : vel enim aviditate possidendi, vel acquisita retinendi sollicitudine, quarum quælibet velut unda supervenit undam, tranquillitas animi prorsus obruetur. Libet quæstiunculam proponere.

38. *Amplius conturbat habendi amor, quàm timor amittendi.*

Quidnam corda mortalium fortiùs angit : habendi ne desiderium, an servandi studium ? Sit problema : suus non deerit cuique patronus. Sanè D. Augustinus non propter metum ; sed propter aviditatem coæquavit avarum inferno. *Avarus* (ait) *vir inferno est similis.* S.August. in epist. ad quẽdam comitẽ Joannem. *Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit : satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum.* Unde turbari dices inquietiùs avidum quàm tenacem : hic namque jam habitis inexplebilem sitim fallit quandoque : ille verò pectore totus anhelo impatiens inhiat, nec flagranti cordis incendio refrigerium invenit. Auri custodis anxietas miscetur gaudio ; cupidi autem pauperis æstum nulla minuit aura : primus pauperiem formidat : secundus deplorat : ergo quantumvis plusquam verum sit possessorem redigi per abundantiam in angustias : nihilominus alter amplius conturbatus, cupiens negata possidere, vigilat insomnis, qui, si possessa perdere timeat, dat membra quieti.

Jacobum, paterna licet benedictione fœlicem, odium fratris pepulit in exilium, jure primogenitum, re peregrinum. Mesopotamiam adit, & à Labano susceptus gregum illius pastoritiam subit curam, jam filiarum sponsalibus, jam pecorum mercede, conductus. Tandem ad suos regredi deliberans clandestinum carpit iter. Insequitur fugientem Laban : cui præter alia Jacobus improbum laborem in custodiẽdis gregibus exant-
Gen.31.40. latum exprobrat dicens : *die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Pervigilem vides in pecorum custodia ? Perge nunc pauliſper cum Jacobo. Nuntios præmittit ut invidi quondam Esaü gratiam captaret. Illius occursum paveſcens bona sua divisit in turmas, quarum si frater unam percuteret, altera supereſſet. Deum patrum suorum implorat adjutorem, placidoque sopore
Ibi c.32. curas levat. *Cumque dormisset ibi nocte illa,* 13. &c.

&c. Quàm ſui diſſimilis Jacob ! Paſtoris munus agens denegat ſomno feſſos artus labore diurno ? *fugiebatque ſomnus*, &c. Timore fraterno pavidum capit dulcis & alta quies ? Rachelis dilectio ſollicitum reddidit paſcendis gregibus addictum, ut eam acquireret ? & ejuſdem ſponſæ amittendæ metus non æqualiter illum exagitat, ne perdat quamdilectam ? *ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis*, inquit Jacob, & dormit ! Diteſcendi fortè olim amor ſomnum excuſſit ? Et quomodo pacem redonat animo poſtea ſic ut dormiat cum jacturam formidat ? Favet, ni fallor priori parti noſtræ quæſtiunculæ diſparitas hæc. Jacob dum Labano famulabatur, bona, quibus illum fraudaverat ſors iniqua cupiebat lucrari, tum hæreditario jure, quia filias ejus accipiebat in uxores : tum labore mercenario cum greges pro gregibus paſcit. *Arte igitur neceſſariò pro filia contra patrem uſus eſt, ut ad filiam cui competebant bona patris, aliqua devenirent.* Sic Rupertus. Tunc duro delaſſatus miniſterio, fugiente ſomno, nec ſibi parcit nec labori, ita, quamvis licitus, amor conturbat habendi. At in patriam regredienti, dum Eſaü fratrem timet & hoſtem, non acquirere animus eſt, ſed non amittere. Inquieto pectore fluctuat equidem ejus cor ; ſed non ita ut per noctem oculis lethæo rore conſperſis mœrorem non mulceat, ſollicitudinemque deponat. Igitur pro noſtri problematis primâ parte concludere liceat, quamvis inquietudinis procellas moveat cuſtodia theſauri, tumultuoſiùs furere deſideriorum turbinem, quàm perdendi metum. Hæc pro hac parte. Alteram propono.

Ibi n. 11.

Rupert. l. 7. in Gen. c. 39.

39. *Ardentiùs timor quàm deſiderium ſtimulat.*

Ex adverſo videbitur fortè moleſtiùs torqueri poſſidentem ut vigil tueatur habita, quàm illum qui ſpem irrequieto pectore fovet. Hunc etenim ſperati cenſus torquet amor cujus vulnera ſuavia ſunt ; habentem verò quatit infœlicis jacturæ timor, cujus vultus horridus eſt. Sique ſub judice litem ſententiæ velis exponere, reor quòd innumera pro timore reperies non timida ſuffragia, quibus patronus erit Greg. M. alludens ad illum divitem de quo Lucæ 12. *Benè ergo dicitur : cùm ſatiatus fuerit arctabitur : quia mens avari, quæ prius ex abundantia requiem quæſierat, poſt ad cuſtodiam graviùs laborabat. Unde hic quoque adhuc ſubditur : æſtuabit & omnis dolor irruet in eum. Prius namque dolorem habuit in ipſa ſuæ concupiſcentiæ fatigatione qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret, at poſtquam acquiſitis rebus pervenit ad deſiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cùm ſollicito timore cuſtodiat, quod cum gravi labore meminit acquiſitum.* Metus infortunij animum lacerat, & enervat, ſpes autem etſi deſiderio, amorique ſociata dirè contorqueat, tamen ſpiritus alit, vireſque reficit. Inſuper : expectationi deditum cor diligit bonum, quod non experientiâ, ſed fide prendit, ac proinde cognitum obſcurè minus movet : unde ſpei fruſtratio, quæ timetur, non adeo cruciat ; formidine verò poſſeſſum deperdendi preſſus animus, dum cenſum imminui timet quem guſtavit jam ſuum, palamque vidit, mali duplicat ſenſum.

S. Greg. M. to. 1. l. 15. moral. c. 13.

Hinc videri poſſet bona poſſeſſa inquietiùs timorem ſuadere ne amittas, remiſſiùs verò ſpem adipiſcendi pulſare pectus ut acquiras. Utrumque Tobiam componere liceat : (nam & juſtis hæc accidere ſolent naturæ conditione, citra culpæ labem, vt in Jacob expendebam proximè.) Genitor mortem vicinam ut ſemel obiret eſt præmeditatus, tanquam virtuti præmium, & calamitati quietem. Accerſito filio, poſtquam juvenem ſapientiſſimis erudivit documentis, fortunæ bonis illum ditare cupiens, monuit ut à Gabelo, patris debitore, decem talentorum argenti pondus curet, illum adiens, accipere, ipſi reddita cautione. Denique gnatus parentibus deſiderio ſui mæſtis valedicens, angelo, ignoratoque, comite profectus, ad Raguelem ipſius monitu divertit, ejus filiam utpote ſibi contribulem ducturus in uxorem. Socer Tobiam adjurat amanter, ut duplici hebdomada ibidem nuptiarum gaudia celebrans manere velit, & impetrat. Interea ſenior Tobias chari geniti abſentiâ ſaucius, morâ præter ſpem diuturnâ cruciabatur. Veritus ne ſublato jam è vivis Gabelo pecuniis fraudaretur, dicebat mærore confectus pater : *putas quare moratur filius meus, & quare detentus eſt ibi ? putas ne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniam?* Audis Tobiam de pecuniæ ſolutione formidantem ? Vide modò quàm pacato animo circa ejuſmodi rem ſe geſſerit filius. Vocat Angelum, quem putabat Azariâ, ac ut ad Rages civitatem iter arripiat, obſecratur, talétaque accipiat à Gabelo : nec adoleſcens dubitat quòd Azariæ redonet Gabelus argentum. *Obſecro te ut aſſumas tibi animalia ſive ſervitia, & vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, reddaſque ei chyrographum ſuum, & recipias ab eo pecuniam*, &c. Nonne cernis quantùm genitor, & genitus diſſideant. Ille fluctuat anxius ne fortè Gabelo demortuo, nemineque reddente pecuniam, ſpes recuperandi talenta pereat : filius verò ſecurus Azariæ committit negotium, nec hæſitat an Gabelus renuet ? neque utrum ſocius, quem adhuc minimè novit, fidelis erit ? Vide : ſenior Tobias affligebatur amittendæ pecuniæ timore, quam filio parabat : at verò gnatus ita ſolutionem urgebat ut rem gereret non adhuc ſuam ; quamvis poſſet ſpem concipere quod poſt obitum patris argentum illud ceſſurum foret in ſuum dominium. Junior minus de pecunia ſollicitus erat : *nota indolem boni pueri, omnia promittit quod faciet, & de pecunia non curat.* Sic ſcribit Hug. Card. Fateor quod hic deſideraret fortè ut iſtis pecuniis paternus augeretur cenſus, quibus illo vita functo familiam commodiùs aleret : ſed non æſtuat inquietus cupiens non habita. Pater verò ſubſtantiam jure ſuam deperdere pavens cohibere ſe nequivit, ne animum timore damni conſternatum aperiret. Ecce quomodo plus timor jacturæ movere videatur præcordia, quàm poſſeſſionum deſideria. Hæc pro ſecunda parte dubioli ſupra poſiti. Nunc quæſtionis ſolutionem expectas ? Si mundanas inter procellas daretur optio, quid eligendum foret ut minus formidandum : metum ne dimittendi poſſeſſa ;

Tobiæ 10. 11.

Ibi c. 9. 3.

Hugo Card. in Tobiam.

desideriumve conquirendi terrea bona? Adhuc te monerem ne alterutrum eligeres: tutum & utrumque devitare.

40. *Eleemosynam largitur misericors more debitum solventis.*

Justitia verò. Pro eleemosyna justitiam accipiunt hic interpetres: quorum mentem stylus confirmat sacer variis in locis. Nobis illud superest explorandum, quî venire possit eleemosyna justitiæ nomine, cùm pauperi sæpius erogetur nulla cogente lege, ac nunquam sit justitiæ virtutis opus: imò ipso liberalitatis vocabulo insinuatur liberam esse quàm sæpissimè: quid ergo? in egenos effusa miseratio justitiam æmulatur? Dicam quod hausi ex Ambrosij fonte. *Non de tuo largiris*, inquit, *pauperi, sed de suo reddis.* Liberalis ita diræ misertus inopiæ in largienda munera propendet, ut quod juvandis pauperibus insumit, more solventis debita putet conferendum: tribuit egestate presso libens alimoniam, non stylo donantis, sed debentis.

S. Ambr. l. de Nabuth. c. 12. tom. 1.

Elias idololatriæ puniendæ zelo exardescens fulmina promerentibus pluviam denegat. Clausas jam cœli fores tellus ingemiscit, famem & Propheta patitur, ut sic qui concludebat æthera, numeraretur inter mortales. Dei monitu Sarephtam Sidoniorum petens reperit viduam, à qua vitæ subsidium flagitat. Illa tenuem adeo sibi victum restare profert, ut omnem familiæ substantiam pugillo claudi posse asseveret. Ad hæc Elias: *mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me:* moxque miraculosam repromittit abundantiam. *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Inversus beneficij videbitur ordo in vidua & propheta. Famelica mulier pascit antè vatem; quàm famem depellat propriam; Elias autem priùs miraculi promissione retribuit ei quàm panem acciperet. Hic ut gratiam reddat non beneficium expectat, sed prævenit: illa verò ut Eliæ tribuat, propriæ necessitati subtrahere jubetur quod illi præstat. Miro ingenio Elias beneficium concinnavit utrumque datum & acceptum. Citius promittit hydriæ copiam quàm vidua succurrat egenti, quò dum beneficio devincta Prophetam excipit misericors, debitum retribuere judicet illa potius quàm tribuere munus. Econverso ipse non fami, sed pauperi viduam subvenire prius monet, ut promittentis abundantiam largitas restitutionem sapiat alimenti, quod vidua donat miserata egenum. Proficuus est Chrysostomus. *Quare ergò vir ille qui in verbo ignem de cœlo eduxerat, non similiter ipse sibi panes deposuit? Nunquid non poterat. Utique poterat sed hoc non facit ne præparata ad bonum opus vidua hospitalitatis mercedibus privaretur, & ut illud modicum pugillum farinæ, & stillicidium olei amore prophetæ susceptæ, viduæ domus multiplicata benedictione rependeret.* Vides Eliam benefactorem ad modum rependentis debitum se gessisse? Reddit æquitas cuique suum: liberalis cum dona dividit, aliena restituere putat. Igitur beneficentia vocetur *justitia.*

1. Reg. 17. 13.

3. Regum 17. 14.

Chrysost. hom. 15. ex variis in Matth. to. 2.

41. *Non vitam*

Liberabit. Solus is dicitur à carcere liberari, quem vincula tenebant. Sic à morte liberum fieri, jam lethi sub dominio nos indigitat esse. Sat sibi videbantur Ethnicorum sapientes deploraſſe fluxam nostræ mortalitatis conditionem, cùm ipsum, quem præ oculis diem habere putamus, cum morte dividere autumarunt. Interitum alius vitæ comitem asseruit: alter vitam obitus prænuntiam asseveravit. Parva multis protulere buccis crepantibus præ superbiæ flatu. Largiùs nobiscum ageret natura si tantùm verum esset quòd emoriturí degamus: ultra protenditur misera sors: jam vita functi vivendi fungimur usu. *Prima quæ vitam dedit hora carpsit.* Infantia deinceps curvam imitata senectam humi repens aditum sepulchri quærebat, situ corporis ipso motum convincens mendacem: adolescentia viridi sub cortice pallens intus, mortis laqueos mundiali sub rete imitatur: virilis ætas mole curarum, velut lapideo monumento compressa, in eo distat à tumulo quòd gemit. Cætera quæ restant spatia temporis, timor funeris repetitis monitis per dolores ita conturbat, ut jam nulla non dies vocari queat suprema. Mortem saniores mente properare putant, sed ipsa medio pectore clausa latet. *Non hæc quam vivimus vita est.* (inquit Pontifex re ac nomine Pius) *sed potius mors quæ fugit velut umbra.* Ipsa de qua sub vitæ nomine gaudes, mors est prolixa si diuturna, mitior si brevis. Demiraris hæc? Nonne vitam gero, inquis! Geris, sed non possides. Et hoc profunda mente reponas: illum vivere puta qui vitæ dominus, tu qui nequaquam vitæ dominaris, tunc vives, cùm immortalis resurges.

ducimus dum immortalitatem non attigimus.

Sen. in Her

Pius Pontif. epist. 114.

Ad passionis vicinum theatrum festinabat Assertor humanæ libertatis. Interea discipulorum animis venturi mœroris levamina dulcissimo stillabat eloquio. Hæc inter alia protulit verba tot mysteriis referta, quot expressa literis: *Ego vivo & vos vivetis.* De temporali vita Servatorem agere neutiquam dubitabat Augustinus. Sed indagemus cur Apostolos non vivere sed victuros dicit, se autem non victurum affirmat, sed vivere. Si resurrecturos insinuat discipulos, & Magister mortem detriumphaturus erat: ergo quâ styli ratione præsentem sibi vitam accommodat, discipulis verò futuram? Non ut servi, sic rerum Arbiter. Vivebat Dei Filius, necnon Apostoli: sed hi mutuos, ille suos, dies numerabant: non enim ipsi dicere poterant sicut vitæ mortisque Dominus: *potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Itaque Redemptor non vivere discipulos protulit, sed victuros: nam in vitam immortalem regenerati postea, tunc illam meritò suam computare valerent, non autem vitæ umbram, quàm eripit ætas. *Cur*, inquit Augustinus, *de præsenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia vitam etiam carnis utique resurgentibus, qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis temporis posuit verbum propter significandam celeritatem. Illorum autem quoniam sæculi differtur in finem, non ait, vivi-*

Joan. 14. 19

Ibi c. 10. 18

D. August. tract. 75. in Joan. tom. 9

tis

tis ſed vivetis. Igitur nequaquam vivere te puta, ſed victurum: nam vivendo moreris: tunc vives cùm reſurges: vel Chryſologo fidem præbe: *verè*, inquit, *illa vita eſt quæ ſudorem neſcit, dolores non habet, non habet finem.* Cumque occulata moneat experientia non cæcos infœlicem mortalium ſortem, quos obruunt mille vinculorum ponderа: non te liberum judices, dum non eductus de cuſtodia meliorem ad auram emerſeris.

Chryſolog. ſer. 1. de jejun.

42. *Perit qui delinquit.*

A morte. In confeſſo eſt apud commentatores hoc in loco Sapientem corporeæ mortis etiam meminiſſe. Aliquale tamen dubium fortè ingeret, cur tantùm juſtitiæ ſectatori (hoc eſt viro probo) mortis faucibus eripi Salomon promittit per virtutis induſtriam? Nonne filios hujus ſæculi prudentiores filiis lucis fatemur, ipſa veritate ſumma docente? Utique. Inſidientur iniquo undique hoſtes: iram concipit, ruit in arma præceps: an non ſeipſum à morte liberat? Minimè: nam iræ veneno inficitur, ultioniſque gladio tranſverberatur. Non iræ ac ultionis proprium hoc eſt, ſed crimini cuicumque. Quinimo infœliciùs obit peccator, quia non ſemel in ſingulis delictis moritur. *Nota quòd eſt animæ duplex mors, ſcili. peccati & inferni.* Sic D. Anton. Olyſſipon. Adeò verùm eſt quòd perit quicumque peccat: *quid eſt enim homo* (ait M. Greg.) *niſi folium, qui videlicet in paradiſo ab arbore cecidit?* Eleganti acumine folio peccator ab arbore reſciſſo componitur: illud etenim cum avellitur, vitam qua pollet amittit: hic verò non aliter cadens per delictum protinus emoritur.

S. Anton. Olyſſipo. ſer. Dom. 24. poſt Trinitat.

D. Greg. M. l. 11. mor. c. 22.

Protoplaſtus Hevæ placere cupiens mortis pluſquam certam ſubiit ſententiam, arboris vetitæ pomum deguſtans, venenum hauſit pulchrè contectum. Paradiſo expellitur, ut neceſſitati laboret qui deliciis ſervire non renuit. Deputatur horti cuſtodiæ Cherubicus gladius terrens exulem ne paradiſæa gaudia repetere liceat ſervo nequam, ac poſtiſſimùm *ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Bene: ſed ſatis hoc ne iterum Adam in paradiſum regredi tentaret? quo cuſtode claditur hortus? angelico? Scientiæ lignum Dei præcipientis majeſtas tuebatur, quæ virtute prævalet incõparabili: nec ideo veritus eſt ille pomum ſibi negatum furari: quibuſnam armis obſervatur limen? ignea ne romphea? & quænam formidabilior framea verbo Dei? univerſim docuit de illo Paulus: *vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hoc ipſum de præcepto impoſito Protoparenti dici poteſt: ecce gladium ancipitem in manu Domini: *in quacũque enim die comederis ex eo morte morieris.* Audet arboris fructum guſtare Deo terrente? vitæ autem pomum decerpere non conatur? Certo mortis diſcrimini fœlicem adhuc vitam objicit ſcientiam cupiens? eandemque vitam ærumnis mortique damnatam, ut ad meliorem conditionem reducere ſatagat, non exponit gladio petiturus à ligno vitæ mortis medelam, qui lubens accepit à ligno ſcientiæ venenum Heva donante? Sic docuit noſtri generis primum parentem experientia ſatis funeſta, ſed inſignis magiſtra. Sciebat vitæ lignum, quantumvis foret ſaluberrimum, haud virtute pollere, ut per eſum illius pomi mortui liberarentur à poteſtate lethi. Deinde ſe per peccatum veluti vita functum expertus eſt. Unde prudenter judicavit fruſtraneum ſibi fructum arboris vitæ præripere. Apertè docet angelicus Doctor hominem poſt lapſum non fore per ligni vitalis uſum perpetuò ſervandum à funere. Dum vixit Adamus, poſſet ejus ligni fructus in cibum ſumptus arcere mortem: poſtquam verò delinquendo periit, non redderet eſca ſalutaris æternum quem toxicum delicti reliquerat exanimem. Non imprudenter deliberavit igitur pomis ligni vitæ non uti, quæ ſolum viventibus erant opportuna. Inobedientia commiſſa contra divinum præceptum vir uxorius obiit, qui dum innocens permanſit, vitâ potitus erat: nam juxta D. Auguſtinum, omne genus mortis Deus comminatus eſt Adæ, ſi comederet de vetito paradiſi frutice: *quidquid* (ait ſanctus Auguſtinus) *mortis eſt uſque ad moviſſimam, quæ ſecunda dicitur, & qua nulla eſt poſterior, comminatio illa complexa eſt.*

Gen. 3. 24.

Heb. 4. 12.

Gen. 2. 17.

D. Th. 2. 2. q. 164. ar. 2. ad 6.

S. Aug. to. 5. l. 13. d. Civi. Dei c. 12.

Hanc funebrem veritatem, etſi diſpliceat auribus, credas oportet: vitam ſcilicet deficere cuicumque graviter à divinæ legis præſcripto deficienti: Sæcularis poteſtas, amicorum non ſana copia, divitiarum nimis dilectarum cumulus, mundialis inſipiens prudentia, & cætera quæ putas adminicula vitæ, dum proritant ad culpam, te morti dedere cogitant; ſola *juſtitia liberabit à morte.*

FLOS III.

Non affliget Dominus fame animam juſti, & inſidias impiorum ſubvertet.

APERITUR.

QUM apud corda quæ mundi vanitas imbuit plauſibili, ſed non ſolida nec utili doctrinâ, veritas impugnationes prima facie validas patiatur, iſtis voluit occurrere Sapiens, ne quiſquam putaret facilè poſſe dictum ejus refellere. Igitur arguentem adverſus quòd prædixerat, Salomon tacitus repellit ſapienter.

Credibile ſanè quod nonnemo Nabali ſimilis, eleemoſynam ſuadenti paræmiæ ſtatim objiceret: Quid ergo? propriis uſibus profutura bona ſordidis & otioſis egenorum catervis, aut vermium turmis, alendis conſumam? Alter more divitis illius, cujus ager inter uberrimam ſegetem, tot illius quieti ſpinas, quot ſpicas areæ, germinavit, inſurgeret ita dicens: Nonne fumenta quibus abundo providus in horrea condam? qua ratione ſervabo neceſſitati ſubſidia, ſimulque venturis inimicorum incurſibus

incursibus erigam valida propugnacula, nisi thesaurizem ? num alienos prodigè modo saturabo ; postmodum coram denegaturis mendicus ingemiscam ? tentare Divinam videbor in hoc providentiam, si mihi post indigenti per miracula subventurum sperem. Alij sunt quibus ex officio incumbit istos alere ; mihi certè curandum familiæ meæ patrem agere, non vagorum quibus tædium laboris otia fecit, & sub tegmine pietatis alienæ stertunt vecordes, oscitant non prius cogente fame, quàm docente desidia.

Hujusmodi fallacibus argumentis, quibus avaritia multos dementare solet, satis præsens dogma facit. *Non affliget Dominus fame animam justi :* non te patietur egestate premi remunerator ille, quem inter inopes latentem pavisti, seu potius in ipso paupere cibasti. *Et insidias impiorum subvertet :* nec non galeam & scutum assumet, adjutor exurget ei qui greges pauperum satiare solet.

Secundam partem versiculi hujus exponit Beda sic : *eadem impiorum insidias in ipsos justè judicando retorquet :* ac similiter Hugo Cardinalis hoc loco. Sed non videtur nimis litteralis expositio. Planiùs, ut sonat, *subvertet*, sumendum pro destruere positas insidias, & obviam ire conatibus iniquis malorum adversus insontes.

Beda & Hugo Card. hîc.

2. Lect. heb.

Non affliget. Quidam ex Hebræo vertunt: *non arescere faciet.* Non afflictionibus torquebitur anima si non arescat, si lachrymis inquam, non parcat : nam *pascunt frequenter & lachrymæ*, inquit Ambrosius, *& mentem allevant : fletus refrigerant pectus, & mœstum solantur affectum,* Siccis oculis obruere si cures dolorem, reviviscet ; ploratu convalescet afflicta mens : nam præterquam quod nemo ad Deum aliquando flens accessit, qui non quod postulavit acceperit : insuper ipse *fletus est cibus animarum, corroboratio sensuum*, ut Cassiodorus dixit. Vide an hîc in idem recidat : non affliget, ac : non patietur defectu lachrymarum arescere.

S. Ambros. ser. 5. d. obitu Valent.

Cassiodo. in Ps. 41.

Dominus. Dominij nomen indefinitum designat universi Dominum, qui non oblitus justi, fame torqueri non patietur eum. Illum oportet sub nomine Domini auxiliatorem expectari : ne, si quandoque suos tentari siverit, audeat insurgere querulosus clamor, æquissimæ providentiæ auribus injurius. Quidquid exequatur ille, dominio utitur suo. Si Deo connivente, dira te quamvis justum opprimit egestas, memineris eum tam dum suos probat, quàm dum levat onere, dominatorem esse liberum utriusque fortunæ. Te non lædit adversus, nec respicere cogitur benignus : non tribulationibus perdere vult, sed frænare ne præceps eas. *Deus quandoque peccatores infrænare solet, multoque ægritudinum, persecutionum, laborum onere deprimere, ut benignum sessorem suscipiant, & onus ejus leve, & suave sustineant. Sic in Esaia legimus. Laude mea infrænabo te ne intereas* Hæc S. Thomas à Villano.

S. Thom. à Villano. ser. d. 3. Adelest. mo.

Fame. Cur potiùs famem, quàm cæterum agmen ærumnarum à justis Deus arcet speciali cura ? Quia fames in eo potissimum ab aliis discriminatur calamitatibus, quod hæ patiantur afflictum remediis ex animo valedicere ; illa verò minimè, cùm sit ipsamet desiderium levaminis, hoc est appetitus escæ. Justo non ea contingent damna, quorum expetere cogatur medelam : si quibus tentetur adversitatum ictibus, providentiæ se Divinæ committet, nec impatienter illis cupiet liberari : quinimò dicet : *fornax mundus, aurum justi, ignis tribulatio, artifex Deus. Quod vult ergo artifex facio : ubi ponit me artifex tolero. Iubeor ergo tolerare, novit ille purgare.* Animam quippe rectam, non ut feriat, sed ut splendescere faciat supremus Artifex ad incudem & malleum vocat.

S. Aug. to. 8. 8. sup. Ps. 60.

Animam. De corpore tacet, quia justus molem terrenam deponit ferè : carnem desuescit, subtiliorem naturam æmulatur. S. Anselm. *Homo qui promotione virtutum sublimatus est, anima vocatur à digniore parte.*

S. Anselm. to. 2. in c. 13. ad Rom.

Justi. Quamvis impios plurali numero statim legas, & unum hîc justum : non de hoc dicas : væ soli : cum singulis virtutibus totus insistat, quasi multiplex videtur, ideoque desertionis incapax. Et præsertim ex eo non solus incedit, quia Deo comite pergit. *Sapiens*, ait S. Hiero. *nunquam solus esse potest : habet enim secum omnes qui sunt & qui fuerunt boni, & animum liberum & quodcumque vult profert, & transfert, & quod corpore non potest, cogitatione complectitur : & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo : nunquam bonus solus erit.* Solitariam societatem impiorum deplorare licet : nam etsi stultorum sit infinitus numerus, unus alteri leo ; nullus compari socius.

S. Hiero. l. contra Jovinian.

Et insidias. Hebraicè legimus *pravitatem.* Nec aliud est pravitas, quàm technæ quibus & sibi, & aliis, perniciem machinatur iniquus. Alios vel bonis defraudat, vel criminibus associat ; in se ipsum crudelior, qui sibi non parcit, licet alieno damno erectæ machinæ, priusquàm optata perficiant, infaustè corruant. Cætera nocumenta fortè fors ab eo depellet : non tamen impius effugiat supplicium, criminum laqueis irretitus. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

3.

Prov. 5. 22.

Impiorum. Hoc nomen strictè sumptum illos tantummodo dehonestat, qui religionem lædunt, parentes, patriam, aut amicos : erga hos enim officiosum esse pietas monet ; dissuadet impietas. Sed propriissima translatione quicumque sceleratus nomine impij venire solet : nam quocumque scelere delinquat, religionem, parentes, patriam, amicosque unica incessit offensa. Religionem, inquam, offendit, dum fidem, quam retinet mente, negat operibus : parentum præcepta despicit, Dei scili. quem patrem unicè vocamus, Ecclesiæque Matris leges præteriens : patriam obliviscitur nempe cœlum, ingratus ei, amans exilium : amicis tandem injuriam reddit, Angeli custodis quippe monita negligit, ac Sanctorum contubernio, qui de nostra salute plurimùm gloriantur, se præbens indignum. Pietatem ab omni parte deserit impius totus qui vel uno flagitio reus.

Subvertet. Posset hîc Salomon præterita impiorum flagella in memoriam revocare, quò terreret iniquos experientiâ. Disertè majus operæpretium putavit imminentis mali

timorem

timorem injicere quàm si aliorum objiceret exempla.

Tibull. ——— *Felix quicumque dolore*
Alterius discet posse carere tuo.

Fœlix, sed rarus qui alieno damno doctus caveat suo. Clariùs cum improbis egendum esse judicavit Sapiens: metum impendentis ruinæ incussit illis, ne periculosa securitate dormientes improbitati vacent, quasi divinæ vindictæ gladium evasuri.

DELIBATIO I.

Justus in tribulationibus quantùm & quare gaudeat.

4. *Justus dolore gaudet.* IN hominum promissis nusquam tuta fides: illis enim pro nihilo est inita fœdera rumpere. Articulato aëre voces pungunt, quibus mille spondent facta, sed ficta: opere revocant sæpius irrevocabile verbum. Solus ille fidus qui solus verax Deus, qui sic promissa perficit, ut illius verba dixeris operum exemplaria. In præsenti dogmate fortasse divinæ fidelitatis conscius hæres? Ingerere scrupulum fateor in supremæ veracitatis irrefragabili fide: paulisper immorare, sedabitur facilè mentis vana formido: *Non affliget Dominus fame animam justi.* Bene, inquis, nonne tamen per omnia probatum Abraham coëgit esuries in Ægyptum transmigrare? & Jacobum, Davidem, Eliam, Elisæum ac Prophetarum filios inopiâ victus afflictatos legimus. En justi fame laborantes: quo ingenio illæsam se tuetur veritas illa:

Hugo Card. hîc. *Non affliget*, &c. Hugo Cardin. hîc: *verum dicit quamvis corpus exteriùs affligitur: non enim Lazari animam fame afflixit Dominus, sed probavit.* Verborum Salomonis vim attende, ut mysterium calleas. Non de corporeæ substantiæ pressura sermonem instituit; sed animæ, quæ corpori dominatur, fortitudinem commendat. Justi certè infirma caro rebus in angustis mœrori succumbens affligitur: at spiritus promptus agnoscit quòd favor in dolore lateat, & se veluti filium sentiens flagellari gloriatur edoctus ab Au-

Augustin. in Psal. gustino: *Flagellum*, inquit, *interiùs & exteriùs glorificat. Peccatorem compellit nolentem, erudit ignorantem, custodit currentem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem.* Percussus itaque justus paterna Dei manu gaudet sic ut nequaquam sentiat ictus. Imò luctum quo madet gaudium reputat.

5. Coronatus Psaltes postquam à vulnere quod contraxerat flendo convaluit, dixit ad

Ps. 29. 12. Dominum: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi.* Aliqui putant sic locutum jam detersis lachrymis. Illorum veniâ, nec textus injuriâ, locum aliter enucleabo. Memini regium vatem post adulterium dimissum pœnitentiæ fletibus ora rigasse: nec perfunctoriè, sed perenni profluvio crimen doluisse

Psal. 6. 7. lego. *Lavabo per singulas noctes lectum meum:* ubi ex versione septuaginta interpretum illud singulas idem valet atque omni nocte, Bellarmino teste, apud quem Psalmus hîc per authores hebræos ad pœnitentiam pro luxuriæ scelere, homicidioque Uriæ refertur. Non mox igitur luctus, quibus pœnitendo revixerat, perpetuò deposuit, sed jugi meditatione criminum provocabat. Igitur quo stylo dixisse putabimus planctum in gaudium sibi fuisse conversum? Meditabar pœnitentis Monarchæ lachrymas corpori quidem flebiles; spiritui verò perjucundas. Exuberans gaudium lachrymantibus oculis excipi solet. David justitiæ redditus planctum sensit in hilares lachrymas transmutari: plangebat crimen, sed planctu jucundabatur. Tempestivè Liranus in hunc locum dedit Augustinum; *Convertisti*, ait, *planctum secundum illud Augustini: peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Fœliciter apud justorum oculos dum vita comes lachrymæ hospitantur: non tam lamenta sunt, quàm oblectamenta: non mœrorem dolentis indicia, sed potiùs delentis ejus causam.

Bellar. ibidem in argumento Psal.

Lira ibi Ps. 29. August. apud eundem.

Iniquus ad primos duri temporis impetus molliter corruit; justus graviora passus non tantùm prioribus dolorum pugnis, sed rebus in extremis lætatur velut secundis. Frequens est apud omnes duplex tribulationum ænigma: æstui solis, pluviæque solent assimilari. Primum ex Incarnati Verbi doctrina colligo in parabola seminantis: *Sole autem orto æstuaverunt, & quia non habebant radium aruerunt:* hoc est, ipso aperiente Domino: *facta autem tribulatione, & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.* Secundum tradidit Chrysostomus: *sicut pluvia*, inquit, *in terram decidens elevat semina: sic & tribulatio animam intrans auget desiderium.* Æstuat sub meridiano sole fœnum, imbreque putrefit: lilium ad æstum vernat, sub pluvia viret. Sic probi & improbi distant infortunij tempore: malus tribulatione percussus arescit; bonus viget eadem: corpore famelicus angustatur ad meritorum augmenta, sed *non affliget Dominus fame animam justi.*

Matth. 13. 6.

Ibi n. 21.

Chrysost. hom. Chananæa.

6. *Patiens labèribus consolatur.* Hoc ita verum est, ut ipsis anxietatibus non mediocre solamen in exilio vitalis peregrinationis experiantur justi, quasi supernam quietem in mortalitatis agone prælibantes. Favet Magnus Greg. ad quædam verba Pauli sic meditatus. *Doctor namque egregius dicit: per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Qui certè regni cœlestis introitus sic speratur in fine temporum, ut in quotidiana sanctorum vita sentiatur. Tribulatio igitur nostra superni gaudij introitus est.* Æternam beatitudinem sub consolationis nomine proposuit lugentibus Assertor apud Matthæum: *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur:* exponente sic Augustino: *Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maximè propterea Paracletus nominatur, id est consolator, ut temporalia amittentes æternâ lætitiâ perfruantur.* Vide quàm similis æternæ fœlicitati sit infœlicitas temporalis: nam sub nomine consolationis hanc leges apud Job.

D. Greg. M. in 1. Reg. l. 5. c. 3.

Matth. 5. 5.

D. Aug. l. 1. de serm. Domi. in monte post princi. tom. 4.

Dicebat patientiæ columna: *Hæc mihi sit consolatio ut affligens me dolore non parcat.* Non me movet quòd ille solatium nolit, hoc enim contribulatis accidit pluries. Illud

Job 6. 10.

mirabillimum quod ſuos cruciatus conſolationum loco habeat. Naturam dolores mutavere? conſtantiſſimi ſunt: anxietas converſa eſt in levamen? in laborum ſtadium perſiſtat invictus athleta; ſed eorum nomen non immutet appellans conſolationem id quod torquet. Sic loquitur, & vere, plus experientiâ ductus, quàm ratione doctus. Exempli gratia. Ratio dictabat amicorum confabulatione poſſe leviùs ferre malorum impetus: expertus attamen eſt oppoſitum: ideo namque dixit *conſolatores oneroſi omnes vos eſtis.* Qui ſolatio cruciabatur, quidnì cruciatu conſolaretur? Hæc mihi ſit conſolatio &c. opportune commentatur. Gregorius Mag. *ex afflictione enim conſolor quia corruptionis humanæ putredinem ſciens, ad ſpem ſalutis ex vulnere certus reddor.* Sic naturam vincit gratia, gratiamque honorat patientia, ut cæleſti auxilio protectis putetur numen ſpinas in flores, ignes in flantem roris auram gratâ metamophorſi commutare, *cum doluiſſe plerumque ſolatium ſit dolentis*, ut ait Ambroſius.

Ibi 16. 2.

D. Greg. M. l. 7. moral. c. 7. tom. 1.

D Ambr. ſer. d. obitu Vălentin. Imp. tom. 5.

Quid non valebit amor, cui vulnerari victoria eſt, vincique triumphus? Sæviat crudelitas, diffugiant amici, cadat honos, pereant opes, ignis eſt amor, nulla manu conſtringitur flamma quin ſplendeat. Cuncta quibus obrui videtur, materia ſunt incendij; non extinctio, quòd ea conſumens in cineres redigit leviſſimos. *Sed in his omnibus* (ait Aug.) *qui hæc non amant eadem gravia patiuntur, qui verò amant, eadem quidem, ſed non gravia pati videntur, omnia enim ſæva & immania prorſus facilia facit amor.* Parum fuit Auguſtino dicere quod ideo facillima putat juſtus quæ tolerat, quia pro dilectiſſimo ſibi Deo perpetitur iſta: progreditur ultra docetque ideo ſuavia judicari, quia labores ipſos diligit. Suſtinere patientiæ munus eſt, afflictiones amare præcelſioris virtutis opus, non enim dicetur infortunium quod amat. Tunc ſolummodò ſuſtinens anxietudine premitur amarâ vir ſtrenuè patiens, cum ea cogitur ferre quæ diligere prohibetur.

Patiens tunc tantùm acerbe dolet cum ſuſtinere cogitur quod amare prohibetur?

S. Aug. ſer. 9. d. verb. Domi. ex Matth. to. 10.

Ita verum eſt illud Sapientis, *extrema gaudij luctus occupat*, ut ipſe Dei Filius quadamtenus huic ſe communi legi veluti ſubdiderit: nam ſtatim poſt exuberantem tranſfigurationis lætitiam caſus occurrit Servatori non modicæ anxietatis materia, ita ut mitiſſimum Dominum in hac verba prorumpere coëgerit: *ô generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? Uſquequo patiar vos?* An aliquid auſi ſunt hîc homines contra Salvatorem? quid queritur? miſericordiam filio precatur genitor lunatici, & ſe pati cauſatur Dominus? Siſtat mens gradum, donec vadam, & Lucam obſervem ſic narrantem de Magiſtro diſcipulis dicente: *baptiſmo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor uſque dum perficiatur?* ubi Theophylactus expoſuit: *baptiſmum mortem vocat, hanc autem valde deſiderans ait: & quomodo conſtringor, hoc eſt quam ſollicitus, & anxius ſum, ac premor donec perficiatur: ſitio enim mortem pro hominum ſalute.* Qua expoſitione veroſimillima præmiſſa, dubiolum ſeſe offert, dum utriuſque loci verba Dominica verſamus. Mortem cupit propter homines? eoſdemque dum vivit execratur? Non hominem ſed incredulitatem Redemptor abhorrebat. Remigius apud S. Thom.: *ac ſi dicat: quia longo tempore cœpi pati veſtras improbitates, ideo indigni eſtis mea præſentia.* Dices: an non & alia mundi crimina Dominus in corpore ſuo ſuper lignum ſuſtinere decreverat? *peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, & ſummo ſe tædio affectum ſignificat de infidelitate? Non dedignabatur Dei Filius injuriam ſubire patienter, ſed hoc Dominum torquebat immaniter quòd pœnam hujuſmodi (ſcili. incredulitatem illam) non poſſet amare quia peccatum diligere prohibebat ſanctitas: mortem autem amabat, ideoque mitior illi viſa eſt: & comparatione facta inter necem crucis, & perfidiæ injuriam, dixiſſe videtur: *quouſque ero vobiſcum?* Non inopportunè Chryſoſtomus: *cum dixit Chriſtus quouſque vobiſcum? quam mori ſitiat, quantumque ad Patrem redire deſideret; & quia non ſit ſibi moleſta paſſio, ſed cum hujuſmodi hominibus converſatio oſtendit.* Mortem quia dilectam ſuavem teſtabatur affectus, non quidem cæcus, ſed teſtis ocularis, incredulitatem ut amariſſimam refugiebat, dolens potiſſimùm quod eam tolerare compelleretur quam nequibat amore proſequi. Amabile ſit patienti quod ſuffert, & acerbitatem dolorum detriumphavit.

D. Remig. apud cate. S. Thom. in Matth. ibi.

1. Petri 2. 24.

Chryſoſt. hom. 58. in Matth. to. 2.

Si tribulationes concoquens dilectio pectoris igne dulces reddiderit, inde fiet ut in eis quieſcat quoadúſque noverit placere Deo ſuſtinentem ab ærumnis eripere potenti brachio. Statim atque nobis læva ſors accidit clamamus idenditem ut nos omnipotens auxilium eruat à preſſura, neſcientes an ſit nobis congruus angor ille. Sæpiſſime proficuus eſt: oportet namque nos premi ut oculos in cœlum tollentes relinquamus fragilia bona ruinarum ſpiritualium radices validas, non ut adhæreamus eis, ſed ut ſcindamus illas. Ad verba Pſalmographici, *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, notavit M. Gregorius. *Tribulationem quippe dicturus* (ait) *opportunitatem præmiſit, quia ſæpe & tribulatione conterimur: & tamen opportunum nondum eſt ut deſiderio ereptionis adjuvemur.* Joſeph cùm ſe pincernarum magiſtri memoriæ fruſtra commendavit, exiſtimabat adeſſe tempus quo liberandus foret à carcere. Dominus tamen, cujus providentiâ reguntur univerſa, noverat non niſi poſt duos annos ejus demiſſionem fore congruentem. Meriti plurimùm deperderet ſi liberaretur citiùs. Raguelis filia Deum orabat ut ab improperio quod ex maritorum morte patiebatur eam erueret, ac non ampliùs expectandum putabat, dicebat enim: *peto Domine ut de vinculo improperij hujus abſolvas me aut certe deſuper terram eripias me.* Eádem die ſenex Tobias rogabat ut miſericordiam conſequeretur citò: dixit quippe: *nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis* &c. neutrius tamen advenerat hora ut eriperetur à malo ſuo. Deus cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur

8. *Tribulationi ſuſtinens ne te citius eripies.*

D. Greg. M. l. 26. mor. c. 15. fin.

Tob. 3. 15

Ibi n. 5.

fallitur, qui temporum fœlicium, & infœlicium initia metasque decrevit, novit quà & qualiter quandoque sit à calamitatibus exeundum. Interea dum nescit spiritualis pugil an Dei sit voluntas ut adhuc perstet in acie, quamvis exitum à conflictu patere videat, consultum est gradum continere, ne fortè vel pedem contra divinum placitum movere contingat.

Discat à Paulo, dum in carcere cum sociis teneretur, immobilem patientia constantiam. Act. 16. 26. In vinculis erat Apostolus, cùm subitò *aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt*; non tamen ille prodiit ab ergastulo. Aliter se gessit Apostolorum Princeps: ductus ab angelo crudelitatem Herodis illusit exiens è custodia. Equidem his amor unus erat, pariterque in bella ruebant: & adeo inter se mutuò dissident ut alter occasionem pro Dei honore obeundi relinquat? aliùs verò negligat resumere libertatem? noluit Paulus, quamvis ostium cerneret pervium egredi à carceris antro: nesciebat enim an Deo placeret egressus iste. In Petro ratio dispar erat: nam cum somno cateniisque solutus ferream pertransivit portam, non adhuc verum putabat, sed visum quod exIbi c. 12. 9. & 11. periebatur. *Nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.* Posthac certissimè novit quod jubente Deo libertati sit redditus, dixit enim: *nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me* &c. Ad Paulum angelus missus non est, nec ille fuerat adhuc certior factus quòd ejus egressioni à custodiâ Deus annueret. Unde licet aditum aspiceret patens, hærebat ibidem gaudium concipiens è tribulationibus, quas fœlices putabat sic ut ejus discipulus Chrysostomus Chrysost. hom. 8. in epist. Pauli ad Ephes. to. 4. asserat (fortè doctus ab ipso) *non ita beatum dico Paulum quòd in paradisum raptus, atque quod in carcerem est conjectus.* Hoc insinuavit Apostolus ibidem, cùm ad catenarum sonum, quasi ad suavissimæ citharæ concentum vocem in Dei laudes emittebat Act. 16. 25. Beda ibi. vinctus. *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum*: intelligit Beda ceciniisse. *Devotio*, inquit, *simul Apostolici pectoris, & virtus exprimitur orationis, cum & illi hymnos in imo carcere cecinerint, & eorum laus terram carceris commoverit & fundamenta concusserit, & aperuerit ostia, atque ipsas postremò vinculatorum catenas resolverit.* Ac ne putemus hoc soli Paulo sociisque datum, cunctis ad eorum imitaIdem ibi. tionem patere viam innuit statim venerabilis Pater. *Quicumque fidelium*, inquit, *omne gaudium existimat cùm in tentationes varias inciderit libenterque gloriatur in infirmitatibus suis, ut inhabitet in eo virtus Christi, hic profectò cum Paulo & Sila inter carceris tenebras hymnizat, & cum psalmista Domino decantat: tu es mihi refugium* &c.

9. *Sæculi marcescunt flores, & remanent spinæ.*

Longè aliter hominibus dum tribulantur moris esse audio. Clamant ut salvi fiant nescientes an ex illa conflictatione pendeat eorum salus. Inexpertus peregrinus, dum vehitur navi, tempestate suborta, jactatis mercibus, votis emissis, ac tandem evadendi spe jam deperdita, nauclerum adit, & flexis genibus rogat ut in vicinam insulam appellat navim. Tunc vociferans navarchus ait: quamdiu procella furit quæris littus? certius in hoc periculum postulas. Ænigma cuique patescit. Mare sæculum, homo navis, turbo calamitas, insula refrigerium, peregrinus cor, Deus verò navalis cursus arbiter est. Dum vita manet, perdurant ventorum furiæ, ac sæviunt minaces undæ. Tu ne à navigij rectore quietis portum intempestivè ores: illum sine regat itinera tua: nam sub nubilo serenitas latet, sub laborum spinis flores, ut econtrario delitescunt sub mundi flosculis aculei. Si non timueris illos colligere quamvis punctionibus laceretur manus, experieris quòd vepres evanescent, & flos eis liber ad voluptatis cælestis fruitionem tibi remanebit. Aliàs in pratis mundialibus contingit: exsiccabuntur flores, & remanebunt sentes.

Ait Sponsus in Canticis: *ego flos campi & lilium convallium.* Et posset quidem se Cant. 2. 1. lilium inter spinas dicere, sicut Sponsam describens ait: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sanè in asperrimo passionis dumeto canduit Filij Dei summa innocentia velut pulcherrimi lilij nix. *Ubi jam quando lilium istud* (inquit Rupertus) *lilium convallium inter spinas? Nimirum in Judæa quando toleravit tot & tãtas impiorum blasphemias, sustinuit probra, alapas, flagella, coronatus insuper corona spinea.* Verùm patet in textu quòd Sponsus de se loquens, tacet spinas. Non inter unum & aliud lilium, Sponsam & Sponsum nempe, antilogiam expendo, sed inter lilium convallium, qui Sponsus est, & spinas inter quas enitet Sponsa, quibus mali significantur ex Hugone dicente: *& timor Ecclesiæ ex testimonio Sponsi suam cognoscentis teneritudinem: sic debet timere malorum cohabitationem, sicut lilium spinarum circonvallationem. Quanto enim periculo lilium est inter spinas: tanto discrimine vivitur inter malos. Dicit igitur Sponsus: sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias: ut si Ecclesia gaudet se esse lilium, timeat & de vicinitate spinarum:* & concinit ibidem Titelmanus: *Spinæ enim neque colorem, neque odorem gratum habent, nec omnino usum aliquem proficuum, vel delectabilem, nisi quòd igne comburuntur. Donec autem in suo virore permanent, pungendo nocent: & si admoveatur ignis, mirum in modum crepitant. Hujusmodi sunt infideles, & peccatores in hoc mundo* &c. Spinis æquiparantur mali? Floribus putabam assimilandos: nam sic in sæculi viridariis florent, ut justitiam Dei flecti nesciam circa hoc interpellaverit Jeremias dicens: *quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt.* Quomodo ergò spinæ sunt. Quia nihil aliud residuum est postquam flores emarcuere. Exaggerat Isaias quàm sit illorum pompa caduca qui mundo splendent: sed eorum fœlicitatem floribus æquat: *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos* &c. & apud Cantica mali non flosculis dicuntur similes: sub spinarum vocabulo punguntur? Moralissimè

Rup. l. 1. [in Cant. versus finem.

Hugo Card. in 2. Cant.

Titelman. ibi.

Jerem. 12. 1.

Isai. 40. 6. 7.

sentes appellantur qui fontes, quia in eorum pompa, cum jam cecidit flos, permanent spinæ. Aliter contigit summo pugnatorum Duci, pacisque Principi. Obortæ sunt spinæ, ac suffocaverunt florem; non tamen prævaluerunt ei: nam spinis arefactis erupit flos campi vepribus expers hirsutis, & iterum candicavit *lilium Convallium.* Quam similiter continget militibus ejus vestigia terentibus: nam sub aspero cortice dulcis conditur nucleus, gloriæque splendor sub atra laborum nube latitat. Audi S. Bernardum ad illud Apostoli: *æternum gloriæ pondus*, &c, *Non dixit remunerabitur, sed æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione:* corpus atteritur, sed *non affliget Dominus fame animam justi.*

S. Bern. ser. 10. in Ps. Qui habitat.

DELIBATIO II.

De præmio eleemosynæ.

10. *Ita sollicitus est de præmio eleemosynæ Deus, ut videatur curare ne obliviscatur?*

ETiamsi virtus ipsamet sui pretium sit non exiguum, attamen *universa opera quæ spectantur in hoc mundo, spem ob aliquam fiunt*, ait S. Macarius. Quinimò non solùm id verificatur de retributione post vitæ fines, quia fragilitati mortalium providens æquissimus remunerator præmia non procrastinat. Ideo temporalia decrevit non differre virtutum lucra. Suaserat Spiritus sanctus eleemosynam, admonens per Sapientis calamum divitias dum thesauris condunt nihil prodesse: *nil proderunt*, &c. nunc aperit quantum eædem proficiant si expendantur in egenos. Abundare faciet misericordia beneficum: quia *non affliget Dominus fame animam justi:* quasi diceret: *dedisti esurienti* (verbis utar D. Basilij) *tibi consuluisti, quod dedisti, ad te cum augmento redibit. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit, sic & panis in esurientem projectus, multam in posterum tibi reddet utilitatem.* O summam benignissimi redditoris clementiam! Quantoscumque meritorum cumulos coacervemus, beneficia tua sunt: *cùm enim merita nostra præmias, quid aliud quàm dona tua præmias?* inquit S. Thom. à Villano. Nihilominùs rationem ponere cum servis tuis non dedignaris, ut quidquid negotiantur illi reddas eisdem. Hæc in omnigena virtutum opera infallibilis redditio præsertim eleemosynariis obvenire solet, ita ut Deus qui nescit oblivioni quicquam tradere, sic de beneficentiæ remuneratione sit sollicitus, ut videatur vereri (audemus nostro more loqui pro Domini gloria) ne fortassis excidant è memoria ipsius Dei eleemosynæ quas rependere parat. Scio quòd nec oblivio, nec memoria in Deum propriè cadunt: nam memoramur de præteritis; Deo autem omnia sunt præsentia: deinceps obliviscimur amittentes actualem cognitionem; Deus verò cuncta semper nosci cognitione sempiternâ. Sed memini dixisse S. Isidorum Hispal. *quia in propria natura invisibilis, & incorporeus est, pro efficientiis tamen causarum in ipso rerum species adscribuntur ut more locutionis nostræ facilius seipsum insinuet:* & mox: *sic & in cæteris horum similibus, ab humanis mentibus trahitur similitudo ad Deum, sicut & oblivisceus, & memorans.* An non apud Chrysologum legis eleemosynam in pugillaribus Dei scribi, & coram eo recitari? *In cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis. Beatus cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo.* Quid igitur inauditum dicam, si asseverem petitiones & eleemosynas misericordis in pauperes, adeo peculiari sollicitudine repositum habere stipendium ab æquo judice, ut videatur quasi curare ne obliviscatur illas?

D. Macar. hom. 14.

D. Basil. to. 1. hom. 6. ex variis.

S. Thom. à Villano. ser. 1. Dom. 17. post Pent.

S. Isido. Hispal. l. 7. origi. c. 1. juxta finem.

Chrysolo. ser. 14. in Psal. 40.

Vir morabatur in Cæsarea tempore nascentis Ecclesiæ, de quo D. Lucas ait: *religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper:* cui adstitit Angelus, dixitque illi: *orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* An non & alia bona Cornelius exequebatur? Plura sub iis verbis, *religiosus ac timens Deum*, comprehendi certum est nam ad religionem revocantur omnes actus, qui ad cultum Dei spectant: timens verò Deum dicitur is qui peccata omnia lethalia vitat: unde ait ibi Liranus: *& timens Deum offensas ejus cavendo.* At de solis orationibus & eleemosynis Cornelij dixisse lego Angelum illas in memoriam Dei ascendisse: non inurbanè, nec inconsultò sic allocutus est cœlestis aulicus militem Romanum. Nullum hujus opus oblivisceatur Deus: ast peculiariter ejus eleemosynas, & deprecationes quibus earum vel præmium expetebat, vel pulchritudinem exornabat, videtur quasi memoriæ suæ commendasse Deum, veluti curantem ne solutio illarum elapsa deleretur ex animo. Hac ex hyperbole collige summam Dei providentiam de compensanda eleemosynarum dispersione.

Act. 10. 2.

Ibi n. 4.

Lira ibi.

11. *Qui pauperem alit ciba se.*

Celeritatem necnon in remunerandis pauperum patronis, qua Deus utitur, meminisse juvat. Hæc sic properat, ut non tantum post famem experiatur munificus annonam: sed afflictio præveniatur abundantiis ne premat in egentes liberalem: *non affliget*, &c. Festinat in subjecta materia Deus, adeo ut supra theologiæ regulas, quæ inter meritum & præmium distinctionem requiri docent, altiori sapientiâ decreverit ut ipsa suimet sit eleemosyna fructus, eadem duplex agat munus, itaut oblatio, simul & retributio vocari queat. Sic ad illud Pauli: *donantis vobismetipsis*, adnotabat S. Hieronymus: *donantis vobismetipsis, quia quod bene in aliũ fit, magis ei reponitur qui præstitit quàm cui datum est. Qui miseretur pauperis ipse saturatur.* Et ne reputes ab austera Sanctitate hanc prodiisse paræmiam ultra naturæ captum, hoc ipsum non latuit Senecam. *Eleemosyna*, inquit, *plus prodest danti quàm accipienti.* Cumque Philosopho Ethnico non venerit in mentẽ proventus animæ de temporali utilitate donantis loqui manifestum est. Pane igitur, quo

D. Hiero. l. 3. in c. 5. epist. ad Ephes. in princi. to. 9.

Sen. in Prov.

pauper

pauper alitur, eleemosynæ largitor cibatur.

Audi sapientem alium, sed instructum de supernis. *Da & accipe, & justifica animam tuam. Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Prior sententiæ pars de sublevandis miseriis paupetum accipienda est, & similiter posterior. De prima inquit Cornelius à Lapid. *q.d. labores, id est opes labore tuo partas ita expendas ut earum partem aliis quibus obligaris, præsertim indigentibus impertias,* &c. & Dionysius Carthus. ait: *Da & accipe, idest temporalia da egenis.* Necnon Liranus ibidem: *Ordinavit enim Deus quod aliqui sint pauperes, & aliqui divites, ut divites pauperibus dent temporalia,* &c. Similiter de secunda parte Cornelius idem ibi *q.d. præsta jus quod tum aliis, tum tibi ipsi debes, exhibe id ad quod jure obligaris: tum metaphoricum, qualis est eleemosyna, & beneficentia: hæc enim in Scriptura vocatur justitia.* Quibus præjactis, omitto illud: *da & accipe:* quo videtur insinuari largitorem eleemosynæ idipsum accipere quod indigenti donat. Pergo ad ultima verba: *quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Quæ sic exponit Palacius: *Posteriore præcepto nos admonet ne curam animæ nostræ hæredibus relinquamus; sed si quid debemus, nos ante obitum solvamus; si eleemosynæ dandæ, si sacrificia litanda, id ante obitum curemus: quia apud inferos non est tempus inveniendi, seu merendi præmium æternum.* His ergo significatur inter alia, quòd post obitum non poteris erogare stipem. Attamen videbatur potiùs dicturus: quia non est apud inferos locus inveniendi miserum quem alas. Non utitur verbis hujusmodi Siracides ut insinuet idem valere quòd homo non reperiat egentem qui pane cibetur, atque non invenire alimentum quod edat: eodem namque cibo quem inopibus dispertiris, tu qui dedisti simul aleris: tibi largitus es: hunc non invenies cibum post fata. O supremi Domini celerrimam in præmio conferendo æquitatem! Ne differat solvere, donum pauperi collatum insimul tibi munus est: non equidem præmij dilatione conflictaberis, quia *non affliget Dominus fame animum justi* pauperibus opem ferentis.

Eccli. 14. 16. 17.

Corn. à Lap. hic.

Dioni. Carth. ibidem: & Lira.

Cornel. ibi.

Palacius in hunc locum.

12. *Is qui pauperi largitur ante preces acceptior Deo.*

Præsertim ocyssimus adest plena manu remuneraturus Dominus iis qui remedium indigo præbere non cunctantur: nam si tardes, & interim roget famelicus, degenerat aliquantum pietas. *Perfecta misericordia est, fratres, ut ante occurrat esurienti cibus, quàm roget mendicus.* Sic August. Cùm juxta notissimam ethici philosophi sententiam carò ematur quod precibus emptum est, rogatus liberalis non tam dicatur misericors, quàm justus, reddens nempe cuique suum, quod supplicationum pretio vendiderat. Volandum est misericordiæ, ne descendat: & poterit si vera fuerit, non picta: nam ut Chrysostomus ait, *pennata est misericordia, & valdè levis habens alas aureas:* si has demittat, & moretur, cogit indigentiâ pressum ut verecundiam patiatur dum expectat: quę quidem ipsa morte durior est juxta poëtæ dictum *Nonne mori satius vitæ quàm ferre pudorem?* Plus Deo placuit ille qui ruborem angustâ sorte compressi festinus prævenit, quàm si post precem tulit exoratus opem.

D. August. hom. 39. in Ps. 40. ex l. 50. hom. 10. 10.

Chrysost. hō. 12. in epist. ad Hebræ. to. 4.

Claud. de bello Gall.

In oculis Dei Tobias acceptus perdidit lumen oculorum. Cœlo demittitur alto Raphaël ut ei mederetur. Sic idem ipse testatus est: *misit me Dominus ut curarem te:* Raphaël, inquam unus ex principibus Angelorum: sic enim habet Græcus: *ego enim sum ex principibus qui ministramus ante solium gloriæ:* ubi Vulgata legit: *ego enim sum Raphaël Angelus unus ex septem qui astamus ante Dominum:* de quo eruditè latissimeque Celada ibi. Retrocedamus nunc ad Eliæ tempora. Clauserat ille nubium fluenta, ut hominum clausa lumina sic aperiret. Dei nutu pergens ad Sarephtanam viduam ibi demoratur. Et ecce moritur mulieris genitus, quem Elias vitæ restitutum tradidit flebili genitrici: *& reversa est anima pueri intra eum, & revixit.* Ex illo Christi Domini apud Lucam, *multæ viduæ erant in diebus Eliæ.... ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam,* &c. colligo Vatem non tantùm fuisse missum ut cibaret viduam perenni farinæ oleique incremento: sed etiam ut filium suscitaret: nam ibi Redemptor de miraculis agebat: ex duobus autem illis, quæ patravit Elias in viduæ commodum, præcipuum fuit resurrectio pueri: eo quòd vocatio vita functi ad vitam sit adeo mirabile supra naturæ vires opus, ut sapientissimi Areopagitæ audientes hoc, vel irriserint, vel fidem suspenderint loquente Paulo. *Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum.* Ergone congruum fuit ut oculorum Tobiæ medelæ (quæ utplurimi apud Celadam affirmant miraculosa non extitit; sed virtute naturali fel præstitit eam cæco seni) destinaretur Angelus princeps, & ad resurrectionem exequendam, quæ adeo plura excellit inter mirabilia, legaretur homo? Ita: nam plus Deo placuit Tobias quàm vidua: & quare? Perpende quantò beneficentior Tobias in pauperes, præ vidua in Vatem misericordi, & infer ideo nobiliori nūtio dignum Tobiam, quàm Sarephtanam. Hæc pavit Eliam, sed rogantem: imò sibi priùs quàm vati consulere desideravit mulierem insinuavit Propheta dicens: *Veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea.* Non adeo fuit accepta Moderatori supremo viduæ pietas, quam extorsit precatio, & emit pudor. Longè ampliùs Deus complacuit in Tobia, qui sub manu Sennacherib in captivitatem redactus, non patiebatur eleemosynas apud se demorari quandiu accederent inopes, ac flagitarent; sed eos ipse quærere solebat quotidianâ vigilantiâ: *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat,* &c. imò alios, qui non solùm postulare, sed etiam titulo stipis verecundarentur cibos accipere, vocasse refertur ad prandium per filium cui dixit: *Vade & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.* Commen-

Tob. 12. 14. Lect. Græca. Ibi n. 15. Celad. ad c. 12. Tob. §. 377. 3. Reg. 17. 22. Luc. 4. 25. 26. Act. 17. 32. Celad. in Tob. c. 11. §. 356. n. 2. 3. Reg. 17. 13. Tob. 1. 19. 20. Ibi c. 2. 2.

Lira ibi. tatur Lira : *eos curialiter invitando, ut sic tollatur ab eis verecundia petendi* : imò etiam recipiendi pudorem parcebat illis (si fortè puderet hos accipere à Tobia eleemosynam) quia donum suscipere faciebat eos non egestatis causâ, sed amicitiæ. Ignoret accepisse pauper opem, si nesciviſſe prodest ne pudeat. Sen. l. 2. d. benef. c. 10. *Nesciat, si hoc ipsum beneficij pars est*, dicam cum Seneca consulente ut donum, si oportet, egenus amicus minimè noverit à quo acceperit. Cùm velocitatem hanc ratio suadeat esse misericordiæ circa inopes apicem : quàm celeriter à Domino putas munerandam?

13. *Amor Dei sibi appropriat præmiũ eleemosynario conferre.*

Non tardabit liberaliſſimus redditor, qui se pro miseris debitorem constituit. (*Mihi fecistis* :) Non, inquam, immorabitur, id quod manu pauperis accipere dignatus est. Moras nescit amor : & non tam æquitas, quàm dilectio solet beneficis prompto donantibus animo conferre præmia. Sic insinuat Paulus dicens : *hilarem enim datorem* Matth. 25. 40. 2. ad Corint. 9. 7. *diligit Deus*. Diligere posuit pro retribuere; ut colligo ex D. Ambrosio ibi : *hilarem enim datorem diligit Deus. Docet illos tunc prodesse hoc in futurum si læto animo fiat. Ex his enim qui inferunt hunc eligit Deus cui retribuatur, qui devoto corde operatur*, &c. Non dixit Apostolus : hilari namque datori solvit Deus, quia solvere justitiæ munus est. Potiùs de dilectione meminit, quia videtur amorem præripere justitiæ officia cùm de remunerando agitur eleemosynarum largitore, ut ocyus Deus reddat præmium benevolo paupertatum refugio. S. Ambr. to. 3. in 2. ad Cor. 9. 7.

Cætera itaque opera virtutum divina munerat justitia ; eleemosynam verò præmio afficiet amor. Hypocrisim dissuadens quondam Divinus Magister aiebat : *nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : ut sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi.* Quandone reddet? Cùm tempora restitutionis advenerint : die nempe universalis judicij. Sic Theophylact. ibi : *& pater tuus videns illud in abdito reddat tibi in manifesto : quando ? Tunc cùm nuda & manifesta omnia erunt*, &c. Quæro : nunquid Pater judicabit eos qui thesaurisant in cœlestibus ? Nequaquam : *neque enim Pater judicat quenquam : sed omne judicium dedit Filio.* Igitur Pater, qui reddet eleemosynam collatam in abscondito, Christus Dominus est. Sed cur non se Regem appellat hîc dum agitur de die illa, qua sedebit judicaturus in sede majestatis ? Quia de præmio eleemosynæ sermo erat. Cæterarum virtutum gesta munerabit judiciariæ potestatis celsitudo ; beneficentiam in egenos persolvet paterna benignitas : nam pater operatur amore suadente : ac divinæ dilectionis proprium est pendere quod eleemosynario debetur ex justitia : quasi differri timeret nisi affectus alijs properaret retributio. Matth. 6. 3. 4. Theophylact. ibi. Joan. 5. 22.

14. *Eleemosyna præveniunt hostiles ictus ut avertant.*

Hujusce veritatis accipe signum. Paterna charitas solet gnatorum discrimina prævenire ut avertat : parum namque foret præsenti jam occurrere malo. De incolumitate filij genitor sollicitus damna præoccupat. Sic se patrem Deus erga pauperum dispensatores testatur : imminentia eisdem pericula divertere satagit præscius, ut sic eos remuneret amantis more. Perbelle de misericordiâ humanâ dixit Chrysost. *pennata est, & levis, semper ante solium regale consistit. Quando judicamur repente subvenit, & nos à suppliciis liberat imminentibus, alis suis nos contegens.* Protegit misericordem eleemosyna; sed non utcumque : non, inquam, damnis medetur : non impenetrabilem efficit vulneribus ; sed antevertit à longè impendentem ictum, ut non solummodò mala, sed metum exulare faciat ab illo. Chrysost. hom. 32. in epist. ad Hebræ. tom. 4.

In Siracide leges eleemosynæ vires ita : *super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum, pugnabit.* Neutrum judicavit Ecclesiasticus ænigma sufficiès, nec scutum, neque lanceam, ut explicaret quàm fortiter eleemosynæ collatione muniatur liberalis. Cur ergo non aliud quærit armorum genus cui eam assimilet ? Omnia superat : vel enim defensiva sunt, vel offendunt : priora excipiunt ictus ; non impediunt : & multò minùs posteriora, quæ tantùm ad hostem feriendum prodesse valent. Nullum igitur est quod hostiles demoliatur conatus, & à longinquo venientem gladium liget intra vaginam : hoc præstat eleemosyna sola : proindeque præcedit scutum, hoc est arma defensiva, & lanceam, per quam offendentia bellorum instrumenta intellige : illa quippe dum pauperis famem depellit, *insidias impiorum subvertet.* Eccli. 29. 16.

DELIBATIO III.

Lachrymarum necessitas, utilitas, excellentia & robur.

15. *Lachrymarũ penuria supplicium Dei est.*

INter literales adnotationes huic versiculo additas memini versionis quorundam ex Hebræo, quæ sic legit *non arescere faciet*, pro, *non affliget* : quæ interpretatio lachrymarum expensioni præbet nobis ansam, sic ut insinuet defectum illarum habendum esse afflictionis loco : eæ quippe maculas abluunt criminum (*lavant lachrymæ delictum*, ait Ambrosius) Deum potenter interpellant (*oratio Deum lenit, sed lachryma cogit*, inquit Hieronymus :) esuriem pascunt (*fletus est cibus animarum*, scribit Cassiodorus :) mærorem allevant (*multis consolationi sunt lachrymæ*, dixit Blessensis :) sitim restinguunt cœlestium (*ut uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lachrymas, quantum se à Deo meminit aruisse per culpas*, consulit M. Gregorius) & meritò, *quia in illis odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ, sanitas redeuntis innocentiæ, reconciliationis jucunditas, & seronatæ conscientiæ suavitas*, teste Bernardo. Dicat ergo quisquis arescit lachrymarum penuria, quod apud Galfridum piè legitur : *infœlix ego cui terra datur australis, & arens, & neutrum datur irriguum postulanti. Quis dabit capiti meo aquas & oculis meis fontem lachrymarum ?* Non potest non lachrymabilia pati qui temperat à fletu. Redeat S. Bernardi pietas : *aquæ*, inquit, *inopia non modò aridum, sed & sordidum facit, dum non est quo laveris : & humanum* S. Ambr. l. 9. in Lucam c. 22. tom. 3. S. Hiero. in Isai. Cassiod. in Psal. 41. Petrus Bless. D. Greg. M. in pastor. P. 3. admoni. 30. tom. 1. S. Bern. ser. 30. in Cant. Galfrid. S. Ber. ser. 1. d. divers.

humanum cor lachrymas nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est.

Adversitatum crede partem quòd planctum negent oculi, dum causa deflendi non deest. Adversus impia scelera populi sui Dominus indignatus clementer denunciat infausta per Ezechielem: tandemque perio-
Ezechiel. 24. 23. & c. 27. 31. 32. dum claudit in hæc verba? *non plangetis, neque flebitis* &c. An doloris causæ deforent? Imo testarentur oppositum gemitus mutui: *unusquisque gemet ad fratrem suum* Non sic apud eundem vatem legimus dictum, cùm Tyri punitionem prædicit: *plorabunt te, inquit, in amaritudine animæ ploratu amarissimo. Et assument super te carmen lugubre, & plangent te: quæ est ut Tyrus quæ obmutuit in medio maris?* Miserabiliorne Tyri, quàm Israëlis, clades? Non est cur ita putem: sed quia Tyrus à cognitione veri Dei erat aliena, minus graviter peccaverat quàm Hebræus populus fide illuminatus, ac tot beneficiis affectus. Ut ergo sit Israëliticæ plebis pœna durior, careant lachrymis: harum defectus mulcta est. Prævidebat læsus enormiter Deus pœnitentium lachrymas coram tribunali suo si caderent, vacuas mi-
S. Ambr. l. 9. in Luc. c. 22. tom. 3. nimè redituras: (nam ut Ambrosius ait, *lachrymæ veniam non postulant, & merentur.*) ideo quò revocandæ sententiæ Hebræorum culparum vendicis præcluderet locum, permisit Israëlem lachrymis destitui, supplicij pars hæc erat: *non plangetis.* Ab hoc exors erit malo justus, quia Dominus illius animam per lachrymarum siccitatem *non arescere faciet.*

26. *An Deus nescit à lachrymis amantis abesse?* Quin potius divini amoris paradisum, hoc est animam justi, cælitus missi lachrymarum imbres irrigant ut fœcundent. Fœlix ager is quem pluvia tempestivè madidat ista: cultori suo Deo gratissimus erit, nec ab illo discedere patietur jucunditas Dominum: quia, ut Chrysostomus affirmat, Chrysost. to. 2. hom. 6. in Matth. *nihil tam inglutinat Deo ut illæ lachrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit.* Quid erit si de ploratu loquamur, quem elicit, non peccati vultus, non virtutis dilectio: sed unicum dilecti desiderium? Dicam: parum abest ut credam animarum Sponsum amantissimum nescire ab istis lachrymis abesse: ploret amans: Deus aderit.

Sepultis jam diu Magdalena sceleribus, resurrectionis authorem suæ quæsivit ad sepulchrum. Monumentum vidit vacuum, nunciavit Petro: cucurrit ille, prævolante cum eo Aquila Evangelica. Non invenientes Magistrũ abierunt ambo: perstitit ibidem constans Magdalena ora luctu proluens, & adhuc iterum examinavit oculis tumulum, non certè nescia sui amoris pignus ibi jam non adesse. S. Augustt. tract. 122. in Joan. to. 9. Testis est Augustinus. *Non enim nesciebat non ibi esse jam quem quærebat, quandoquidem inde sublatũ discipulis ipsa nunciaverat, & illi ad monumentum venerant, & non solum intuendo, sed etiam intrando corpus Domini quæsierant, nec invenerant.* Ut quid ergo inquisitionem visus multiplicat, quem experientiâ docuerat? Fortassis alterum potiùs munus suum oculi Magdalenæ hic exercere cupiebant: plus flendi quàm videndi officium exhibituri denuo instant ut lachrymas effundant intra sepulchrum inclinatis palpebris: *dum ergo fleret inclinavit se & prospexit in monumentum:* quasi diceret currite veloces lachrymæ, dilectum meum trahite volentem: non enim à vobis dividi sinet ipsum vestra jucunditas, quem à me nescio quæ separavit infœlicitas. Adsto sepulchro, & abest: amœnum reddite vos tumulum ut revertatur ad illum: ne à vobis ille distet, citò redibit. Propitius cogitatui nostro sit S. Vincentius Ferrari. *Sed Magdalena sola remansit dicens quòd ibi maneret quousque sciret ubi esset: & fleret quousque inveniret Christum.* Nec illam fefellit amor, qui licet ratione utens, puellus erat, ideoque se lachrymis obtinere confidebat negatas delicias. *Fletus enim iste desiderio amoris proveniebat. Natura enim amoris est quod velit dilectum præsentem habere.* Sic ad præfata verba Joannis Commentator angelicus. Novit amor oculorum fontibus lenocinari lilio convallium. O ter beatum, cujus cor in adeo gratas ei liquescit undas.

Joan. 20. 11. D. Vincent. Ferrar. ser. fer. 5. post Pascha. S. Thom. in Joan. 20. lect. 2.

17. *Quanti Deus faciat lachrymas.* Dignatur Dominus dives in omnes qui invocant illum oblationes nostras benignè susscipere: non quia sibi prosint; sed quia nos ex illis proficimus. Et quodnam jucundius poterit sisti Deo munus quàm lachrymæ nobis utiles adeo, quas cœli ros progerminat in humilitatis conchis? Ad illud primo Reg. 12. *hauserunt aquam, & effuderunt in conspectu Domini*, dixit moralis de more suo Beda ibi: *hauseruntque compuncti de imo pectore fontem lachrymarum quem effunderent quasi gratissimum Deo libamen per oculorum vascula proferendo:* Acceptissimam Deo litaverunt gemmarum oblationem. Amanti velut ambitione quadam tangi videtur de hujusmodi margaritis Deus. Semel acceptas, etsi quandoque iterum det mutuas, curabit sibi restitui: Interroga Magdalenam.

Beda in 1. Reg. 12.

Dum sepulchro, quæ multum dilexit, inhæreret, apparuit ei Dominus ad cujus pedes illa ruit fœliciter. Non exprimit hoc Joannes: quia tamen hoc insinuavit Dominus dicens *noli me tangere*; ideo tanquam certum id asseruit incertus author sub Emysseni nomine: *statim autem ut eum cognovit corruit ad pedes ejus. Cui Dominus noli me tangere*, &c. & favet Chrysost. *quod si quis diceret*, inquit, *unde constat angelos obstupuisse, & propterea Mariam respexisse? etiam dicet: unde constat tetigisse eum; & procidisse; Sed quemadmodum hoc constat, quòd dixit noli me tangere, ita illud quod conversa sit &c.* Apud Lucam lego stantem, non procidentem Magdalenam: *stans retro secus pedes ejus, &c.* cum tamen tunc primùm post conversionem, Domini se præsentare conspectibus ausa sit, & pœnitentium situs propriissimus sit in faciem procumbere. Quare non compari stylo mulier utitur utrobique? cogitabam suspicari nos posse hoc in causa fuisse quòd in domo Simonis nulla restitutio lachrymarum Dominicis pedibus exhibenda incumbebat fortunatæ peccatrici: donarium Altissimo dicatum ibi fuere lachrymæ, non restitutio. Profusis

Joan. 20. 17. Incertus sub nomine Eusseb. Emysse. hom. 85. in Joan. Chrysost. hom. 85. in Joan. tom. 3. Luc. 7. 38.

tunc

tunc ubertim oculorum guttis in harum paupertatem Magdalena redacta est: oportuit à Domini pedibus eas, quibus rigaverat istos, accipere veluti commodatas, ut iterum effundens insumeret: unde
Luc. 7. 38. *capillis capitis sui tergebat:* quasi ad caput revocans imbres ut ploraret denuo. Acumen hoc debes Chrysologo: *in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut sua fronte mulier in novum baptisma suorum dilueret illuviem peccatorum* Præsentia verò gloriosa Salvatoris fruenti cessandum erat à fletu. Restabat ut pedibus Domini restitueret quas ab eis commodatò priùs acceperat cùm absterserit eosdem, quod ut præstaret provoluta est ad vestigia Redemptoris, & ibidem tanquam in propria sede collocatæ sunt lachrymæ pœnitentis ut extollerentur longè super astra. Desinat aliquorum philosophia dubitare sintne supra firmamentum
Perer. in Gen. l. 1. c. 3. n. 96. aquæ veræ (de quo videri potest iis favens Pererius in Genesim doctè, prout solet, hac de re disputans): altiorem locum vendicant lymphæ, si ab oculorum fontibus diffluant, nam supra cœlos cœlorum Domini sacrosanctis pedibus inhærent sublimis loci potitæ sorte.

Chrysolo. ser. 93.

28. *Lachrimæ in Filij Dei corde locantur.*

Excelsiùs adhuc lachrymas puto capessere locum. Ipsius Domini corde claudebantur olim: unde liceat inferre, quod cùm Christi Domini cor nesciat inconstantiæ vicissitudines, adhuc in eádem sede locat eas illius amor. Non nimis exaggerat fletuum fœlicitatem D. Bernardus expendens in manu
D. Bern. de clama. in Ev. Ecce nos. Dei justorum planctus. *Fœlices lachrymæ, quas benigna manus conditoris absterget.* Ultra dicam, & ultro; in Redemptoris præcordiis lachrymæ nostræ sitæ sunt.

Post Salvatoris reportatum è morte moriendo triumphum insatiata crudelitas invenit adhuc vulneri locum ubi nulla sanitas,
Joan. 19. 34. etsi tota salus: *unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* Vulgò quærunt identidem Expositores sacri cur non similiter è manuum vulneribus aqua prodierit: si paratur ablutio nostra, manus lavat, non pectus, alienas sordes: quare potius ex percusso latere promanavit unda?
D. Bern. c. 3. de vite. Quia fluebat ab icto corde juxta Bernardum dicentem: *sanctissimi cordis intima furoris lancea perfoderunt, quod jam dudum amoris lancea fuerat vulneratum.* Aqua ista non in manibus erat, sed in corde Christi Domini, quia lachrymas adumbrabat juxta Chrysostomum: *aqua lachrymas*, inquit, *obumbrat, quæ non præcedit sanguinem in latere Christi:* nam cùm sedem in corde posuerit amor, ibidem fletuum sinus, & situs est. Ac ne timeas quòd aperto latere prodeuntes deseruerint penitus cor Dominicum: Scito adhuc ibi lachrymarum pelagum recondi: quia licet indignationem Domini sæpè sæpius provocaverit humus, non tamen siccatus est torrens, at *ex hoc fonte lateris non solùm ablutionis primæ undas haurimus, sed & compunctionis, & lachrymarum perennes effluunt rivi.* Verba sunt D. Cypriani fortè. Conjice quantum deferat lachrymis divinus amor, & quàm liberali clementiâ faveat justo cui sibi charum largitur donum lachrymarum: quarum flumine irriguam ejus animam Deus *non arescere faciet*, sed jucundabit.

Chrysost. apud Cordubam in cate. n. 1. Reg. instit. 2. mor. num. 16.

Incertus S. Cyprian. d. resurrect.

Unicus restat scrupulus breviter excutiendus. Ubi monetur justus iniquorum insidiis (*& insidias impiorum subvertet*) inopportunæ videntur promitti lachrymæ: quomodo enim ploratu faciem blandè molliens, enervansque se totum, adversus insidiantes pugnabit strenuè? Crede quòd lachrymæ arma sunt potius ut evertat hostium incursus. In illis confidens aiebat olim Ambrosius. *Dolere potero, potero flere, potero gemere: adversus arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma sunt.* Non solùm non debilitant flentem, sed vires addunt genæ madentes. Dispungatur error Platonis dicentis: *lachrymæ à claris viris auferendæ sunt, mulieribus autem tribuendæ:* facessat inflata sapientia: *infirma mundi elegit Deus ut fortia confundat.* De lachrymis aliquando vigor augescit.

19. *Lachrymæ quandoque roburaddunt*

S. Ambros. tom. 5. ser. d. Basil. non tradendis hæreti.

Plato de repubi. dial. 3.

1. Corinth. 1. 27.

Obsessæ Bethuliæ præ aquarum inopia siccitas miserorum civium oculis attulit imbres, quibus aucto dolore non imminuebatur sitis. Ceciderant animis: nec nisi ad quinque dierum spatium spes remanebat semivivens. Quòd cum resciviscet fœmina Judith, præsbiteros modesta reprehensione continuit ne traditioni civitatis assentirétur, sed potius in Dei manus negotium Reipublicæ traderent suppliciter, quod optimis rationibus, & majorum exemplis firmare studuit, ut ita confirmarentur. Post hæc *ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino clamabat*, &c. non tamen ibidem lachrymatam fuisse legimus, cùm res ad eas angustias deveniisset publica, quod viri plangebant ubertim. *Et cùm hæc dixissent factus est fletus, & ululatus magnus in Ecclesia ab omnibus* &c. An virilior Juditha? Scio viraginem fortitudine viros Bethulienses, imò & Assyrios præcessisse: *etenim ut legimus* (ait Ambrosius) *cùm Holofernes successu multorum terribilis prælio-rum intra muros innumera virorum millia coegisset: armatis paventibus, extra murum processit: & illo præstantior exercitu quem liberavit; & eo fortior quem fugavit.* Ad ejusdem Judith strenuitatem expendendam utere verbis Augustini quæ gestit animus offerre tibi, ut videas obiter sanctitatem eloquentiæ non valedixisse, quidquid effutiat Zoilus. *Intrepida virorum pectora solent laudis amore flagrare atque bellica sorte, ubi funesto imbre densati præliantes mortifera obumbratione texerint partes consertas, sub stridulo telorum cursu eventu jam errantes lethifero, præcipiti ardore, triumphales propinquant ad palmas, Judith bellator animus alienum pectus obsedit.* Bellè: sed volve ulteriùs nonnullas historiæ paginas, & occuret Juditha plorans: cum scili. jamiam barbari Ducis caput erat obtruncatura. *Stetitque Judith ante lectum orans cum lachrymis* &c. Istud ne ploratui congruum tempus? quando mortalis animus Heroïnæ parabat hostilem post modicum exequi cædem flet illa antea cum in faciem provoluta in cilicio & cinere

Judith. 9.

Ibi c. 7. 18.

S. Ambr. d. viduis. ante med.

D. Aug. ser. 67. inappen.

Judith. 13. 6.

cinere precabatur auxilium à Domino, flentui parcit ? Prudenter divisit horas ea quæ non tantum fortiter, sed sapienter rem peregit arduam: *nec dexteræ tantum hoc opus, sed majora trophæa sapientiæ*, inquit Ambrosius. Itaque Deo soliloquiens abstinuit à ploratu : non enim robore ut oraret indigebat. Cùm præscindendum erat Holofernis caput, hoc virile virtutis opus : Unde masculo vigore opus erat, quem ut confortaret solidiùs ad lachrymarum præsidium recurrit, Appositè S. Petrus Dami. *Lachrymæ nihilominùs contulere Judith, ut & caput abscinderet Holofernis, & intra cubiculum luxuriantis illecebræ florem non amitteret pudicissimæ castitatis.* Sciebat quod lachrymæ roborant inermem, armorumque vicem agunt ad pugnam. Non ergo textus nostri discordat utraque pars, & si priore intelligamus repromitti justo donum lachrymarum : *non affliget Dominus fame animam justi, &c. non arescere faciet*, ut legit Hebraicus ; posteriore verò cladem hostium : *& insidias impiorum subvertet.*

Ambr. sup.

S. Pet. Dami. d. perfec. monachorum.

DELIBATIO IV.

De clementia erga peccatores.

10. *Deus evertit peccatum, justitia humana destruit peccantem.*

INiquorum conatus destruendos prænuntiat quibus adversus insontes insidiosa bella gerunt virtutis hostes. Non satis hominibus nequam odisse justitiam : insuper & probitatis amicos pessundare moliuntur. Non dixit in hoc loco Salomon : tollentur è medio Dei famulis adversi ; sed insidias impiorum subvertendas. O divinæ justitiæ nobilem clementiam blandumque rigorem ! *Medicus*, inquit M. Basilius, *si labores & dolores addit, cum morbo, non cum ægroto dimicat : sic bonus Deus salutem omnibus per castigationem ac pœnam distribuens.* Hominis manus ut culpam tollat reum occidit : divina sæpe cum peccatorem corripit, delicta destruit, delinquentes non evertit.

D. Basili. l. quod Deus non sit author mali.

Ochozias pessimos genitoris Achab mores imitatus, per cancellos regij Cænaculi (ut vel sic è vitiorum cæno surgeret,) cadere permissus ægrotat. Nihilo melior factus Beelzebub Accaronitarum idolum nuntiorum interventu consulit impius, an infirmitas quæ salutem abstulit, spem vitæ reliquerit. Dei jussu nuntiis occurrit Elias, illosque ad Ochoziam remittit verba Domini more Prophetico denuntiaturos graviter impieratem regis objurgantia, mortisque sententiam audire fecit eundem. Superbus Prophetam adduci jubet : id quinquagenario duci militaris cohortis injunxit, ut inventum perderet Vatem. Sedebat hic in vertice montis (inaccesso culmine degit innocentia) Regis mandatum accepit ab armato principe : cui responsum, ita reddidit Sanctus Heros : *si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te & quinquaginta tuos.* Transi modò ad Elizeum, apud quem spiritum Eliæ ; non verò stylum reperies. Consilium Syrorum Principis ipse regi aperit Israëlis, ut prudens eluderet hostiles insidias, clademque sic non semel effugit, monente Propheta. Tunc Syriæ Rex conturbatur, suosque suspectos habens de proditione expostulat. Illi ut se tueantur ei reponunt non proditoriè, sed Propheticè regem Israël accepisse rem : Eliseus enim præscio spiritu regij conclavis arcanum Israëlitarum revelabat monarchæ. Syrus furore concitus imperat ut capiatur Dei minister. Expediuntur equites, & currus, imò robur exercitus civitatem circundat, qua demorabatur Eliseus. (Non latet iniquos plurimum posse virtutis asseclam & inermem.) Giezi perterritus hostes adesse nunciat : interceaque illi descendunt ad Eliseum : qui justorum consueto gladio (oratione scili. victrici) potenter accingitur adversus hostes. *Eliseus oravit ad Dominum, dicens : percute, obsecro, gentem hanc cæcitate.* Orans breviter petita dicto citiùs exoravit : *percussitque eos Dominus, ne viderent.* Trutinare libet quàm diversimodè Vates uterque deliberaverit. Elias non ut ignis descendat imprecatur; sed potenti voce de cœlo flammas evocat: *descendat ignis*, &c. Eliseus aliter : cum posset inimicorum aciei oculorum aciem obcæcare, hoc ipsum à Domino exposcit : *percute, obsecro, gentem hanc cæcitate.* Quid causæ discipulum potestate miraculorum similem, sic opere disjunxit à magistro ? Dicam quod sentio. Nota est austeritas Eliæ : licet in hoc non peccaverit, sententiam tâmen severam affirmare possumus ex M. Gregorio dicente de Petro & Elia. *Quorum utrorumque sententia quanta severitatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit.* Elias rigidior criminum vindex optavit ut hostes audaciam capite luerent : quod ne divina moderaretur clementia, non à Deo postulavit supplicium ; sed ipsemet ignem è cœlo dejiciens executus est. Dominus licet ab Elia rogatus esset, fortè non perderet hostes, sed eos percuteret mitiori flagello, quo nequaquam zelus adversus Dei contemptores placaretur Eliæ : peccatum simul & peccantes delere statuit Vates, non inhumana crudelitate, sed humana conditione. Eliseus contra victoriam citra bellum obtinere cupiens, adversariorum conamina diruit, hostesque servat. Idcirco propriæ mansuetudini nequaquam fidit, sed à Deo expectavit inimico exercitui pœnam aptari sic ut non periret eorum vita, sed culpa. Et quàm prudenter ! Arborem eradicans elapsos in ejus cultura dies amittis : tu qui judicas terram, ut quid sarcurim apponis, cùm putatoria falce sufficeret uti ? harmoniam virtutum dissolutam penes tibi subjectos experiris ? statim dissonantes chordas abscindes ? Sensim ad meliorem concentum reducito, vel nihil prorsus ages. Perditos clamas jure perdendos : forsitan Dei superas æquitatem ? Nugæ : meritò ille perderet semper exleges ; sed quandoque non eos, sed *insidias impiorum subvertet.*

D. Greg. M. l. 4. in Job. c. 6.

4. Reg. 1. 10.

11. *Judices alii qui potiri*

Inter tot humanos judices, quorum quilibet se Dei vices optimè gerere somniat, vix

carnifices sunt quàm causarum arbitri.

ullus est, qui divinæ justitiæ stylum deducat ut plurimum ad praxim. Hominem feriunt; illi scelera non abscindunt. Judicum officium in carnificum ferociam transmutant, nec ideo laudabiliter munus agunt, quamvis punitionem sceleratorum exequantur. Etiam *nihil grave carnifices agunt, legibus enim inserviunt: nec iniquus est gladius quo de improbis supplicium sumimus. Nec tamen laudatur carnifex*, ait Nazianzenus. Imò proprium est judicis iniqui agere tortoris potiùs quàm arbitri partes.

S. Greg. Nazianz. epist. 181.

Innocentissimus Agnus impio sistitur præsidi Pilato: qui cùm insontem sciret, ac invidiam accusatorum non ignoraret, voluit flagellatione sedare calumniæ rabiem, & liberum dimittere quem reatibus immunem acceperat reum. Instabant attamen Judæi: *Clamaverunt: Crucifige eum. Pilatus verò dicebat illis: quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum.* Ecce judex inquirit de causa, ut judicet: *quid enim mali fecit?* Respondent calumniatores non causam proponentes, sed, ut crucifigat, postulantes? Sanè Pilatus publicè nequam erat minister: ipsum narrat Philo *veritum ne si mitteretur legatio, cætera quoque detegeret ejus crimina, venditatas sententias, rapinas, iniurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem sævissimam*, &c. Non latebant ista Judæos proindeque scientes Pilatum judicem iniquum, non clamant condemna; sed: *Crucifige:* quasi dicerent: non te judicem volumus, sed carnificem. Tempestivè Leo Papa: *expetierunt executorem magis sævitiæ, quàm arbitrum causæ. Offerebant enim Jesum duris nexibus vinctum, colaphis & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum: ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere.* Sic improbis judicibus mos est, carnificem agere, cùm potiùs judicantis propriissimum sit gladium abhorrere. Theodoricus apud Cassiodorum agens de quibusdam sacris diebus, in quorum solemniis abstinebat à delinquentibus damnandis, ait: *Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus. Et tunc verè judices sumus.* Doctrinæ istius rari sunt observatores: imò ferè sævum, & severum synonima putant.

Marc. 15. 3. 14.

Philo hebr. d. legatione ad Caium.

S. Leo Pa. ser. 9. d. passio.

Cassio. l. 11. variarum epist. 40.

22. *Aliqui utuntur potestate sibi ut baculo, subditis ut virgâ.*

Solent qui hujusmodi sunt, erga seipsos mites languere; aliis implacabiles incandescere. Oppositum dictat cælestis politicæ regula, quam non sectantur qui per nimium jus ad nimiam declinant injuriam. Expendens illud Christi Domini apud Matthæum: *alligant enim onera gravia*, &c. Chrysostomus inquit: *duplicem hìc nequitiam eorum ostendit, tum quia sine venia exquisitissimè multitudinem vivere volunt, tum quia nimium sibi indulgentes magnam assumunt licentiam. Quorum oppositi a in optimo Principe requiruntur, ut scili. adversus seipsum nulla utatur venia, sed severum in se judicem exhibeat; erga subjectos autem mitior, & ad dandam veniam pronior sit*, &c. Verùm illi censoria potestatis virga (cùm cæcutiant) utuntur sibi pro baculo; & eadem ad cædendos quos judicant obarmantur. Ipsis requiem præbet quod populis ictus infligit.

Matth. 23. 4. Chrysost. to. 2. hom. 37. in c. 23. Matth.

Accipe verba quæ notasti forsan apud Evangelicum Vatem: *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione.* Sic vaticinari jussus est Isaias adversus regem Babylonis. Baculus, cùm sumus extra rem pastoritiam, ineptus est cædendo, præsertim ut eo utantur Principes quorum potestatis insigne gladius est potius, juxta illud Pauli: *non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei qui malum agit.* Et Evangelicus Vates, non gladio, sed baculo supponit cædi populos à Babylonico Principe? Patet energia: vides apud Prophetam idem instrumentum duplici nomine appellari, priùs baculum, deinde virgam. *Baculum* (exponit Lira) *idest virtutem, impiorum, idest Babyloniorum.* Et infrà idem ait: *Virgam dominantium, idest sceptrum Babyloniorum qui dominabantur multis gentibus, cædentem populos, idest superbè.* Potestas eadem & baculus est, & virga potentium superbè gubernantium sibi commissum gregem. Attamen ipsis baculus est ad requiem; subditis ad percussionem virga ferox. Talis forsan erat Babylonici regiminis inordinatio: tamen in hoc quamplurium improbitatem non æquabat, quòd nequaquam exinde (ut isti solent, famam sanctitatis ex percussionibus eorum quos moderantur, aucupari) virtutis cultores eximij vocari cupiebant Babylonij. Hi zelo fervidi, si perfectionem amant, Imperfectum audiant: *Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus; circa alienam autem benignus*, &c.

Isaiæ 14. 5. 6.

Rom. 13. 4.

Lira. in Isai. suprà.

Imperfec. hom. 47. in Matth.

Credat quisquis gubernacula tenet, regere se ratione utentes, non tam vulnere quàm timore coërcendos. Severitatis experientia partem sensitivam afficit; rationalem verò timor ejusdem: non ergo percussionem ratio formidabit, sed reatum. Inde consulebat Eugenio Supremo Pontifici magister melliflua benignitate dicens: *vultus tuus juper facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat.* Moderatoris dextrâ designatur clementia; sinistra verò districtionis austeritas. Qui sola utitur sinistra, dum flectit huc & illuc regiminis habenas, equum putat regere, non hominem. Et mehercle terror à mansuetudine dissociatus ei soli congruit, qui brutis præest.

23. *Regere solo terrore, opportunum pro irrationalibus.*

S. Bern. l. 4. d. consid.

Meditari non pigeat quomodo se Deus gesserit cum Noëmo & filiis ejus aliter quàm cum Moyse. Post cataclysim egressis ab arca genitori natisque Deus ait: *& terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ:* ubi Interlinearis notat: *non hominibus sed irrationalibus præponitur homo.* Et Pererius exponit: *jus imperandi animalibus cum subdidit & terror vester*, &c. Et nihil ampliùs ad hoc imperium amplius edocetur Noëmus? Superfluum foret: nam ad regenda bruta sat est metus. Aliter cum Moyse actum est: nam Dominus millies eum, loquens ore ad os, instruxit: & nullibi dixit ei: constituo te ducem populi ut eum subigas; sed amore ducendus erat potius quàm terrore. Timor à benignitate divisus non hominum sed brutorum directioni congruenter adhibetur:

Gen. 9. 2.

Interlin. ibi. Pererius ibidem.

&

& terror veſter, &c. quæ verba M. Gregorius
D. Greg. M. l. 21. moral. c. 10. verſans inquit : *non enim ait, ſit ſuper homines qui futuri ſunt, ſed ſit ſuper cuncta animalia terræ. Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus naturâ prælatus eſt : & idcirco ei dicitur ut ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam ſuperbire eſt ab æquali velle timeri*, &c. Humani generis utilitates Noëmo committuntur & genitis : *creſcite & multiplicamini ſuper terram, & implete eam.* Cùm verò de terrore mentio fit, de ſolis agitur animantibus. Viderint quid ipſis incumbat qui populis præſunt : non fulminis, ſed lucis vices agunt.
Gen. 9. 7.
D. Bern. ſer. 23. in Canti. *Audiant hoc* (liceat uti Bernardi verbis) *Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, utilitati raro.* Medicos imitentur, qui non ferro & igne utuntur ubi leve pharmacum ſatis eſt, quia morbum propulſare curat, & ſervare infirmũ : *medicus nempe qui ad ſalutem adhibetur* (inquit Auguſtinus)
S. Aug. in Pſ. 34. to. 8. *nonne ferro plerumque armatur ? ſed contra vulnus, non contra hominem.* Sic in animarum ægritudinibus agendum, ad imitationem Dei, qui ſæpe non improbos tollit è medio, ſed eorum malos conatus, *& inſidias impiorum ſubvertet.*

24. *Homines à ſceleribus avelli computant loco ſupplicij.*

Nec ideo tibi perſuadeas Deum ſubvertentem inſidias iniqui, leviter ejus punire gravia ſcelera : nam præſtat hoc avertens à peccando ſubverſores. Et quid iniquitatis amatoribus gravius quàm à malo divelli ? Contemnunt ignotam virtutis dulcedinem ; & ſitiunt experti fellea dulcedini mixta poD. Greg. M. l. 20. mor. c. 16. cula. *Manna igitur* (ait M. Gregorius) *deſerentes, cum peponibus, ac carnibus porros cepaſque quæſierunt : quia videlicet perverſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt : & pro carnalibus voluptatibus laborioſa hujus vitæ itinera etiam lachrymis plena concupiſcunt : contemnunt habere ubi ſpiritualiter gaudeant, deſideranter appetunt ubi & carnaliter gemant.* Flagellari ſe credunt mortales cùm à delictis avelluntur : condemnationem putant à criminum vinculis abſolvi.

Ad turbam voce de cœlo perterritam con-
Joan. 12. 31. cionabatur olim Divinus Magiſter. *Nunc*, aiebat Filius Dei, *judicium eſt mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quo pacto ſtent iſta cum dictis ab ipſo Domino ad Nicodemum conciliare nimis proclive non eſt : *non enim* (loquitur Servator Principi diſcipulo metum ſimul & amorem noctis
Ibi c. 3. 17. umbra contegenti) *miſit Deus Filium ſuum in mundum ut judicet mundum*, &c. Et nunc eſt judicium ? & non adhuc venit judicaturus ? Puto judicij loco habuiſſe mundanos quòd eorum princeps ab illorum animis ejectus ſit, expulsâ de cordibus nequitiâ. Hoc eſt illud judicium. *Nunc judicium eſt mundi : nunc* &c. *per Chriſti fidem quæ morte ejus & reſurrectione firmata eſt* (ait Auguſtinus) *per*
D. Auguſt. tract. 52. in Joan. tom. 9. *ejus ſanguinem qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Chriſti corpori copulantur, & hoc vocabat judicium.* Dilecta ſibi mala tolli ſæpe dolent homines ac ſi damnarentur proſcriptione bonorum. Non itaque judices Deum impunitos relinquere malos, dum eorum ſceleribus obviat. Satis pœnarum in hoc ipſo dabunt quòd *inſidias impiorum ſubvertet.*

DELIBATIO V.

De tormento diutino : de providentia, largitateque divina : & de peccatoris anima.

SEptuaginta, ubi nos legimus : *non affliget, verterunt : non occidet.* Synonima ſunt diutinè affligi & occidi. Quinimò diriùs angitur ille cujus dolor jam venit in morem, quàm cujus vita devenit in mortem. Hoc ita verum eſt ut comparatione prolixi dolorum temporis dicatur mors bona. Accipe Ambroſium : *quid igitur accuſamus mortem, quæ aut vitæ pretium luit, aut abolet ejus dolorem atque cruciatum ? Itaque mors aut ſuæ quietis bono utitur, aut alieno malo laborat. Nunc illud ſpecta : ſi vita oneri, mors abſolutioni : ſi vita ſupplicio, mors remedio.* Moriens eripitur malis brevi ſemita, unico vulnere ; vitam verò agens mixtam gemitibus moritur ſæpius, & quod nonniſi ſemel ſtatutum hominibus eſt, multoties experitur. Immitiùs opprimit diuturnum tormentum amarâ morte. Septenni fame ab Eliſeo prædicta, ſaucia ingemiſcebat Samaria, Benadab rege Syriæ urbem obſidente. Quatuor leproſi, qui ab hominum cœtu lege ſemoti ad introitum portæ diverſabantur, hujuſmodi tunc iniere conſilium : *Quid hîc eſſe volumus donec moriamur ? ſive ingredi valuerimus civitatem, fame morientur : ſive manſerimus hîc, moriendum nobis eſt : venite ergo & transfugiamus ad caſtra Syriæ. Si pepercerint nobis, vivemus : ſi autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.* Duobus è malis minus eligendum natura docet ; hi verò acerbiùs malle videntur : à civium oſtio ad hoſtium manus transfugiunt ! O maleſuadam famem! Pietatem ab adverſariis requirunt ! Necem pertimeſcere fatentur, ac potiùs gladio quàm fame perire ſeriò volunt ? Et cordatè voluere. Ad Samariæ januas poſiti vel civitatem ingreſſi, urgente fame, quæ urbem opprimebat prolixos angores paterentur. Syrorum telis peti magis expetunt, quibus vitæ mortiſque ſenſus brevi finiatur, ſi pios non invenerint hoſtes ut miſeris parcant. *Quòd ſi Syros* (commentatur Sanctius inibi) *minus haberent pacatos, & benevolos, ſatius eſſe ferro iudicabant, quàm fame tabeque conſumi*

25. *Diutinum tormentum acerbius morte.*

S. Amb. l. de bono mort. c. 4. to. 1.

4. Reg. 7. 3. 4.

Sanct. ibi.

& meritò quia licet tragicus dicat

Mortis habet vices
Lentè cùm trahitur vita gementibus :

Sen. in Here. Oet.

Parciùs loquitur quàm par erat, ſed veriùs quàm vitæ ſoleat noſter amor. Cæcos mortales ſic vivendi cupiditas fallax deludit, ut crebris, & acerbiſſimis damnis melioris fortunæ ſpe illectos non pudeat mæſtos amare dies, extremamque oderint lucem, quæ vitæ malis imponet finem, ac ſummæ fœlicitatis aperiet januam ! O dementium puerilia vota : littoris quieti manſionem odiſti, quaſi non vivendo ſæpius cogaris ſuſtinere

hoc ipsum quod semel passurus es in exitu. Synonima quasi vidisti præsenti dogmate occidi & affligi : si dum vivis, repetito laceraris ictu, disce quid sit vivere : diu mori.

26. *Deus pluris facit liberalitate quàm supplicio radiare.*

Dominus. Salomon Altissimum hîc Dominum vocat non fortuitò in priori potius parte sententiæ, quàm in sequenti. Consultò Dominum appellat dum protegit insontes ; non verò cùm flagellat improbos. Etiam quidem in adversis infligendis dominum se probat : ea tamen est Deo ad benefaciendum propensio, ut dominij gloriam potissimùm beneficiis propalare dignetur. Hujus rationem assigno. Deus operatur sic ut suæ dilectioni morem gerat suadenti ne sinat homines dilectos per timorem à se dilabi. *Timor,* ait Chrysologus, *nisi amore fuerit temperatus, quamvis devotam servitutem effecit contumacem videns ergo Deus mundum labefactari timore, continuò agit ut cum amore revocet, invitet gratia, charitate teneat, & constringat affectu.* Beneficiis invitare potissimùm illi est ; non autem virgâ terrere supplicij. *Dominus,* potentiæ nomen est. Hanc tam justorum victui providens, quàm technas malorum evertens manifestat : sed longè pulchriùs clarescit dono quàm damno. Pulcherrimum sui simulacrum in cœlo constituit Solem Creator : ille radiis orbem illustrat, simulque calore dissolvit caliginem, fulgidior quia lucem impertitur, quàm quia nebulas dissipat. Sic universi moderator non ita dominum se gloriatur quia peccantibus infestus est (qui nubibus ingratis simillimi sunt) sicut ex eo quòd operantibus rectè munificum se præbeat. O benignam infinitæ majestatis omnipotentiam, quæ pluris facit liberalitatis jubare quàm justitiæ fulminibus illucescere.

Chrysolo. ser. 147.

Provocata sceleribus Numinis ira, ut perderet orbem aquarum inundatione punivit illum. Non prætereundum quot dierum spatiis desævierit gladius vindex : *factumque est diluvium quadraginta diebus super terram.* Ehem ! Æquissimè citiùs obruerentur ingrati : momento cadant rebelles : & si fortè non adeo brevi placaretur irata justitia, saltem diebus totidem reus plectatur mundus, quot machinæ totius absolvit opus Omnipotens. Esto satis quòd orbis punitio ad sextam lucem protendatur : *sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt.* Quid insipiens effutiet cernens Conditorem insumere quadraginta dies ut offensas mortalium vindicet ? Potentiæ divinæ detrahet infirmam reputans eam, quę læsa moratur injurias ulcisci : quare longas adeo trahit moras ? amat gloriæ suæ dispendium ? Imò sic eidem præstavit ingens incrementum. Mundi opificium beneficentiæ Dei munus erat brevi tempore, sed larga manu peragendum ad omnipotentiæ laudem. Diluvium extitit hominum clades, feréque cunctorum naufragium : ideo Dominus potestatis infinitudinem dissimulabat puniens morosiùs quàm valuisset. *Nos,* inquit Chrysostomus, *multo tempore ædificamus domum, & ipsius structuræ quidem multum temporis, parum verò destructioni impendimus. Econverso autem fit in Deo. Cùm struit, velociter struit : cùm destruit, tardè destruit.* Benefaciendo rerum Dominus aperit potentissimæ suæ dominationis fulgorem : qui cum sua figmenta demolitur, non adeo magnificat ostendere quantùm valeat cuncta potentis ira. O utinam etudiamini qui judicatis terram. More nubium superbi Dynastæ tunc elatiori sonitu inanis gloriolæ crepant cùm fulmina mittunt : reipublicæ morbi sunt : horum namque proprium est magnos dici cùm ad multos cogunt gemitus. Hominum vocari possunt mala, utpote qui dominos tantùm se putant agnosci, cùm nocuerint : imò subditorum pestes, quæ ne timeri desinant grassantur : *nam pestifera vis est valere ad nocendum :* justitiam prætendunt adversus crimina : sed *crudeles vocabo qui puniendi causam habent, modum non habent,* addit Seneca. Hæc solent illi, quorum potentia fortunæ lusus, vires temporum spolia, fors tesseræ jactus est. Divinitatem ij mentiri cupiunt, & sanè mentiuntur, non Deitatis participes, sed humanitatis obliti. Longè aliter qui nutu regit orbem : Dominum se vult prædicari cùm non affligit suos ; taceri verò dum servos nequam rigidè coërcet velut alienos : Cui stylus morigeratur Salomonis dicentis : *non affliget Dominus,* &c.

Gen. 7. 17.

Exod. 20. 11.

Chrysos. ser. 5. de pœnit. tom. 5.

Sen. l. 1, d. clement. c. 3.

Idem ibi.

27. *Deus potissimùm depellit calamitates quibus peccata solent excusari.*

Fame. Inter malorum immensam concatenatamque seriem, quibus armata læva fors obsidiatur inculpatæ vitæ, unica fames à justo arcenda ? Satis dolorum jaculabit in eum reliqua infortuniorum turba : parumque distaret à sæculi potente Dei servus damnis cæteris expositus, & ab inopia tantummodò securus. Sola exulabit à justorum domibus tristis egestas ? Hanc potissimùm Dominus avertet. Qua de causa ? Puto quia sævientes aliarum tribulationum flammæ virtuti vel custodiam agunt, lucemve commodant. Externa sunt hæc tela quæ pellit facilè civitas ex alto munita. Fames autem, intestinum bellum corda frangit : & criminum inventrix legem recusat : nam, ut dixit non nemo, *necessitas ante rationem est :* melius diceret adversus rationem : est enim virtutum hostis apud eos quorum non imbuit mentes Ambrosij doctrina dicentis : *si cor habes, intelli-ge quia omni necessitate major necessitas est salutis :* quinimò culpam de necessitate cupiens invisa pauperras excusari, non tantum virtutis inimicos affectus in arcem probitatis introducit, sed potentissimè tuetur. *Necessitas,* inquit Seneca, *magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem frangit.* Idcirco divinæ providentiæ indefatigabilis, vigilque tutela fugat à justis egestatem : illi namque præcipuum est eam calamitatem, quæ sceleri excusando servit, sublevare, licet permittat aliis interdum homines urgeri.

Curtius l. 6.

S. Ambr. to. 5. ser. 65. Dom. 14. post Pent.

Seneca.

Jacobæa proles tyrannidem jam excusserat Ægyptiam, rubrumque trajecerat æquor arido vestigio : siccis itidem oculis viderat stragem Pharaonis, qui crystallino, licet infami rectus mausolæo sævitiæ pœnas dedit crimine mitiores. Profectus viam carpsit per solitudinis invia populus ac devenit in desertum Sin. Et ecce contra Moysem & Aaron surgit implacabile murmur famelicæ turbæ

turbæ deficiente commeatu ingemiscentis: Exod. 16. 3. *utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideritis omnem multitudinem fame?* Verum est quod esuries ducit multoties ad pietatem, juxta illud S. Basilij: D. Basili. orat. 11. *urantur fame religionis magistra:* sed velut aranea flores medicinales sugens componit ex illis venenum: sic homo ex remediis damna sæpe colligit: unde fame præcipitatur ad innumera mala. Parcè dixit Appianus: Appian. d. bello Punico. *fames consultrix in rebus alienis pessima, præsertim apud egenos omnium: nec æquum est rationem actorum postulare à turba misera.* Melius D. Basilius M. D. Basili. to. 1. hom. 11. ex var. vers. finem. *quid fames non cogit? Naturæ leges sæpe pervertere multis suadet,* &c. Gratitudinem lex naturalis præcipit: hanc præ fame transgressi sunt Hebræi. Dominus tunc ingratitudini quasi precibus inclinat aurem: supplicio dignis munera tribuit: Exod. 16. 8. *dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate: eo quòd audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum,* &c. Cernis quàm festinus dyscolorum querelis injecta ope silentium imponat benigna manus? Perge modo cum eodem populo in montem Hor, exindeque, dum terram Edom circuire incipiunt, audies vilem plebeculam iterum contra Deum & Moysem tædio laboris victam audenter mussitare. Numer. 21. 4. 5. *Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutusque contra Deum & Moysem ait: cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine?* Ad hæc, ignitorum serpentium ore puniti linguæ crimina luunt. Bone Deus? Israëlitarum querimonias nunc remedio præstito sedas; nunc viva plaga cædis? idem libertatis beneficium (grave onus ingratis) utrobique oderunt, & oppressi fame, & labore defatigati. Vel carnium pinguedinem anhelantes dispereant: vel itineris postea laborem non sentiant. Qui famelicos abundè satiasti, fatigatos peregrinatione laboriosâ non levas? Nequaquam: laboris enim tædium scelus ingratitudinis desiderantium Ægyptum excusare minimè valeret, cùm & illic durissima exercitatione laboraverint, & sub opere lateritio gemuerint. Ast fames eidem insano desiderio quodammodò excusationem delicti prætendebat, cùm se meminerint quondam sub jugo saturos, tũcque in deserto esurirent. Famem igitur Deus curavit expellere servientem excusando crimini; laborem verò noluit imminuere: nam repetendæ servitutis cupiditas præ viæ labore prorsus inexcusabilis erat: excusationes enim peccatorum inanes Deus execratur: S. August. l. 14. d. civi. Dei, c. 14. tom. 5. imò Augustinus ait: *peior damnabiliorque superbia est qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur.* In via sumus, qua pergimus ad patriæ repromissæ quietem capiendam: undique ferimur, ita ut itineris tædere soleat: præcum subsidia quærimus: persæpe tamen vacua redit oratio, quia si mundialibus curis dediti vias difficiles ambulasse fatebuntur aliquando tandem: caret excusatione qui arctæ viæ duritiem exosus ab incepto desistit. Unde non est cur sit justus à cæteris tribulationibus immunis. At verò non patietur Dominus ut eum dura premat egestas: forsan quippe malè suadebit exlex esuries, & insuper tueri conabitur nefas, tanquam necessitatis impulsu commissum, dicens cum Vate: Petron. Arbit. *Quisquis inops peccat minor est reus.*

28. *Deus animæ gemitibus velocior occurrit quàm corporis.*

Animam. D. Basilius verbi tenens rigorosius proprietatem, totam priorem sententiæ partem, non de corporis inedia, sed animæ libens accepit: *non interficiet Dominus,* inquit, *animam justam fame: non enim hic loquitur de fame corporis (utique enim dixisset de corporibus justorum) sed de inedia animarum.* Gratissimum præbet spiritualiter esurienti solamen hujus promissi tutissima fides. Anima quippe Dei flatu genita, cœlorum inquilina, luteo carceri tradita, continuò famescit appetens meliora pabula, quàm tellus ferre valet sterilitati damnata. Noxium peccati humorem desiccare, ac divino igne cupit incalescere: (appetitus calidi & sicci fames vocatur:) errans per diversa & insipida terrenæ deliciæ fercula, esitare satagit, & hæsitat cibi ne sint, an venena: saturitatem non adipiscitur, sed esuriem reaccendit. Quid mirum accidat hoc animæ, quæ lautioribus mensis excipienda vocatur, cùm etiam corporei sensus naturali jure mancipati perituris, desideria sua quocumque oblato non extinguunt? *non saturatus oculus visu, nec auris auditu impletur:* nedum immortalis anima, quam etsi mundialia bona fallere valeant, ditare nequeunt. *Ad imaginem Dei facta anima rationalis,* inquit Bernardus, *cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest: capacem Dei quidquid Deo minus est non implebit.* Deo digna, fraudataque, non quiescet in mendicitate sedens, in corpore vincta, donec sibi gratulari liceat, & Sponso grates persolvat, dicens: *confiteantur Domino misericordiæ ejus & mirabilia ejus filiis hominum. Quia satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis:* interim desiderio saucia ingemiscit. Differtur summi boni plena possessio: sed ut fames non torqueat, seipsum fruendum per gratiam præbet Sponsus, & illa tanto dono recreata fœliciter, satietatem animosiùs expectat. Hæc gratiæ fercula non procrastinat is qui temporanea donatutus quandoque moras trahit. Non adeo citato gradu temporalibus pressuris Omnipotens properat subvenire, qui probè novit animam præ cœlestium bonorum inopia sustinere cruciamentum ingentius, quàm si tribulationis temporariæ fluctus in præcordia descendant. Idcirco spiritui Deum sitienti, ne præ angustia desistat, velociori benevolentia Dominus approperat; temporalia verò cupientibus lentiori gradu vocatus aderit. Petron. Arbit. D. Basili. in c. 1. Isai. Eccle. 1. 8. S. Bern. in declam. sup. Evan. Eccè nos. Ps. 106. 8. 9.

29. Compone mutuò Magdalenæ fletum duplicem: alterum postquam Lazarus è vivis ereptus jura mortis ingressus aberat: alium postquam illa peccati laqueos contrivit in vitam revocata meliorem. Secus Domini pedes cor acerbo dolore saucium solverat in lachrymas, quas aureo crinium imbre cupiebat augere. Verbis non fidit illa, quibus veniam criminum deprecaretur: sed rivi de-

fluentes ab oculis, mutuato vocis officio negotium ſic fœliciter peregerunt, ut brevi meruerit audire : *Remittuntur tibi peccata.* Ipſamet Lazari morbo dolens, pro ſalute fratris Dominum abſens interpellaverat: nec votis reſpondit benefica potentia Servatoris dilecti. Quartum in funereo domicilio permiſit numerare diem, tandemque ſororibus reſtituit quem falx mortis abſtulerat. Nunquam ſatis mirabor iſtam Domini cunctationem amantiſſimi : moras nectit amans ! impatiens dilectio eſt. Magnificus dierum ſpatia ſuſtinet ! *Omnis benignitas properat, & proprium eſt libenter facientis citò facere..., tardè velle nolentis eſt*, ſcribit Seneca. Ad Magdalenæ pœnitentes lachrymas benevolentia Redemptoris accurrit ocyùs ; ad ejuſdem auxilium implorantis angorem ſublevandum præmittit quatriduum more nolentis ? Ita diverſitas afflictionum ſuaſit : alia brevioris medicinæ curam expetebat ; alteri temporis intermiſſionem pati non officeret. Apud Phariſæum lachrymabunda ſapienti oculorum eloquio culparum flagitabat indulgentiam : tunc eum in modum vires doloris prævaluerant, ut verba quibus egeritur ſuppreſſerint imo pectore clauſa. Igitur Dei Filius ne tenellus flos ſpinarum aculeis circumſeptus, præ cœleſtis roris tarditate marceſceret, extemporè benevolus gratiâ profluente rigat : abſolutionis mox protulit ſententiam, ne lucem, quàm vix attigerat, iterum odio haberet expectationis tædio delaſſata. Celeritatem notavit emundationis à delictis incertus author : *vide ergo*, inquit, *quid lachrymæ poſſint, vide quid fides & dilectio operetur : parvo temporis ſpatio juſtificata eſt mulier, & ab omni peccato mundata.* Adeo, inquam, celeri benignitate Dominus utitur ibi, quod cùm loquitur de præſenti : *remittuntur ei*, legit Græcus : *remiſſa ſunt ei peccata :* Syrus verò : *dico tibi remiſſa eſſe ei ſcelera ejus multa.* Adde Hugonem : *quid eſt ergo quòd dicit remittuntur ? poteſt legi præſens pro præterito.* Ægritudine verò Lazari Magdalena dolens neutiquam cœleſtia requirebat, ſed caduca : fratrem ſcili. vitæ gaudium, columen domus, gaudere ſalute precabatur incolumem periturum tunc bonum deſiderabat, cui nexa fortiori vinculo fragilitas non deſiſteret interpoſito dierum ſpatio : vel dato quòd à deſiderio ceſſaret leviorem jacturam pateretur. Huic anxietudini procraſtinavit medelam Servator: qui ſpiritus famem celeriter cibat ; temporalium vota nec ſemper feſtinus implere dignatur. Ex D. Baſilij ſententiâ ſermo incidit inpræſentiarùm de animæ ope ; non de corporis victu : inopia quippe corporali fortaſſis aliquandiu juſtum patietur affligi Dominus ; deſideriis verò ſpiritualibus obſecundabit feſtinante gradu.

Luc. 7. 48.

Sen. d. benef. l. 2. c. 5.

Incertus ſub nomine Euſebij Emyſſ. ho. in c. 7. Luc.

Lect. græca. verſ. Syriac.

Hugo Card. ib. c. 7. Luc.

30. *Juſti.* Animam juſti lego ; animas impiorum nequaquam, ſed *inſidias.* Nec fortuitò è calamo cecidiſſe arbitrabor, ſed ex animo: ut innueret animæ dominium probitate ſervari, ſceleribus amitti. Audi Bedam: *dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quòd ſumus, ſic enim conditi mirabiliter ſumus, ut ratio animam, & anima poſſideat corpus.* Quid improbi ſunt niſi vitiorum mancipia, tot heris quot erroribus tradita ? Servorum bona dominis aperto jure cedunt: dumque ſceleratis dominantur peccata, hæc ſibi vendicant peccantium bona, quorum optimum anima eſt, utpote duratura perpetuò. Hoſpitio crimen excipitur: at non hoſpitem agit ſed hoſtem : virtutum copias inſidioſo marte dilacerat, charitatem occidit prælij ducem, fidemque ipſius, dum viva permanet, comitem adeo fidam, ut iiſdem armis utraque configatur : nam & charitas perit culpæ venenata ſagitta : & fides, quia mortua ſine operibus eſt, abſque charitate non vivit. Eodem vulnerantur delicto fortitudo, juſtitia, & prudentia : nam ſtrenuitas non libens iterum aſpiciet arcum eundem quo ſemel percuſſa fuit : ſimiliter æquitas enervatur ſcelere : cujus enim ſervabit jus illæſum qui ſibi Deoque injurius eſſe auſus eſt ? Prudentiæ lumina pariter hebetantur, quia tenebris ita repentè peccati aſſuefiunt, ut ad lucem caligent. Everſo itaque exercitu ſpirituali, ſpes, quæ ſola ſuperſtes evaſit, vertere terga cogitur à puſillanimitate victa : multoties namque ab offenſo Numine auxilium expectare peccator malo timore formidat. Anima tunc direpto prorſus toto ſuo militari apparatu præda fit : peccati victoris manet quaſi ſub dominio miſera. Si tamen reverſa ſpes convocet auxilia, militibuſque ſuis animos injiciat, rurſus in arma ruens peccatum debellet, homo recuperabit animam nobile ſpolium : incipietque iterum ſuam dicere, quam ſibi ploravit bello captam.

Juſtus anima ſua dominus: peccator habet velut alienam.

Beda in c. 21. Luc. l. 6. c. 87.

Dominus ore Jeremiæ ad literam Judaicæ plebi, ad cor cunctis mortalibus, ſi ſpiritum verborum expendas, monita ſalutis ita dabat : *ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio, & fame, & peſte : qui autem egreſſus fuerit, & transfugerit ad Chaldæos, qui obſident vos, vivet, & erit ei anima ſua quaſi ſpolium.* Ad mores appoſitè Liranus : *qui autẽ egreſſus de civitate diaboli per veram pœnitentiam vivet per gratiam, & erit ei anima ſua quaſi ſpolium, ſcili. raptum de manibus inimicorum.* Spolium erit anima ſua pœnitenti bellico jure captum ! Benè. Igitur anima priuſquam ab inimicorum (culparum nempe) dominio eriperetur, peccatoris non erat, ſed criminum. *Spolium alienum eſt, non proprium, hoſti enim abripitur*, ait Cornel. à Lapide literalem hujus loci vim perpendens. Nos ad victricem pœnitentiæ palmam deflectamus. Obſeſſus peccator fragilitate ſuâ, ſibi vincendum, aut perpetuò moriendum intelligens, à manſione delictorum transfuga, velociter ad imbecillitatis propriæ inconſtantia ſigna ſe recipit : & Parthico ſtratagemate recedens hoſtes inverſo ictu ſagittat, donec extra teli jactum poſitus animam ſuam velut ſpolium rapuiſſe gaudeat, ab iniquitatum ſcili. armatâ ſolertiâ. Priuſquàm à diaboli civitate ſecederet peccator, velut alienâ degebat animâ; poſt fugam autem vivit ſuâ : antea miſerè claudebatur hæc ſub delictorum dominatu : jam liberâ reſpirans aurâ vocari meritò valebit anima *juſti.*

Jerem. 21. 8. 9.

Lira ibi.

DELIBA

DELIBATIO VI.

Divitiæ vincula sunt : homo dæmone peior : sed ejus malitiæ superandæ Deus adest.

31. *Divitiæ libertati obsidiantur.*

ITerum audiunt malè divitiæ : illarum quippe vesano amori, velut inveterato morbo semel admovisse medelam non satis erit : utinam replicata millies proficiat. Ubi nos legimus *insidias*, vertit Syrus *facultates* : Lect. Syriac. versio Chald. Chaldæus *possessiones*. In idem recidunt verbis tantummodo diversa. Quid possessiones, quid opes, nisi latentes insidiæ, quas adversùs insontem dextra fortuna tendit ? Quas nisi devitent, dilectio divitiarum tradit miserrimæ servituti divites incautos, & possidebitur ab iis quæ possidet. *Avarus* (ait Abbas Guerricus) Guerri. ser. d. Omn. Sanct. *quò plura possidet, pluribus eget, quamquàm nihil minus habeat quàm quod habere se putat, cum habeatur, non habeat servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultorque crumenæ, idolatra detestandus, cui nummus est Deus.* Argenteo vel aureo colori ne credas : inescatur hamus, nam detecta fraus nec piscem capiet. His fidem præbere ne recusas ? Ita suspicor, & quadamtenus excuso : vix enim dum blandæ sortis præstigia non dissolvuntur, animum induces ut credas dona sæculi, quæ aperto sinu excipis contegere pulchrè captiones quibus illaqueandus periclitaberis. Multi dicent : quem amici mundi beneficentia cautum faciet ne lateat astutia ? hostem suades ut habeam dilectum, & dona ferentem ? Heu donum in dolo delitescit, & execrabile. Iste quem amici nomine decorasti subdolus impostor est : fœliciùs foret cum ipso belligerari, quàm fraudulenta fœdera cùm illo ferire, quibus tuam feriat animam : D. Aug. ad Anast. ep. 144. to. 2. *mundus iste periculosior est blandus, quàm molestus : magis cavendus cùm se illicit diligi, quàm cum admonet, cogitque contemni.* Sic monuit perelegantèr Augustinus. Adversitatis fragor cautelam parit ; infidæ verò fœlicitatis trãquillitas dolosa tendiculas objicit, quibus dum servatur prosperitas, perit libertas. Esto sæculum fallax te diligat, laqueos prætendit argenteos, ne coneris illi valedicere : nulla meliori arte vincietur homo, quàm largo munere : sic in servitutem redigetur facilè.

Jacobo geniti fratres Ægyptum secundo petiere, ut ab ignoto sibi Josepho peterent frumenta sublevandæ fami. Joseph Benjamin fratrem uterinum ardentiori dilectione prosecutus, eum apud se detinere cupiens ne ad patrem suum remearet, adinvenit prudens figmentum, quò nec se detegeret, neque Benjaminum dimitteret. Abire paranti scyphum argenteum in ore sacci clam jubet abscondi. Inscius ille facti vix proficiscitur, cùm gubernatoris jussu minister comprehendit omnes : & scrutata supellectile scyphum in sacco junioris invenit. Ad hæc illi, non opem ferente innocentiâ, conterriti, scissis præ dolore vestibus, coram Josepho sistuntur : ibique delictum quod non amiserant confitentes, inquiunt : *En omnes servi sumus Domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus. Respondit Joseph : absit à me ut sic agam : qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus : vos autem abite liberi* &c. Judas crimen non soli Benjamino, sed omnibus imputabat : *Deus*, inquit, *invenit iniquitatem servorum tuorum* : quòd juxta Cornelium à Lapide accipiendum est de furto : *de hoc peccato non loquitur*, ait, *sed de peccato furti.* Ergo cur Joseph juniore tantummodo fratre contentus, illum servituti subjicit, cæteros minimè ? hic libertatem amittet ? Non mirarer : quid enim ultra reliquos argento ditatus inveniret, nisi compedes ? fratres antecelluit forte : ditiori sæculo potitus viam carpit : servitus ecce latebat in argento. Quod ne prorsus liberè dictum putes, attendas ex Ruperto scyphum prænuntiasse divitias quibus expoliavere Israëlis filij Ægyptum, cùm è servitute dimitterentur. Accipe Rupertum. *Benè igitur in prophetia trium generationum servitutarum in Ægypto, & expoliationis Ægyptiæ, tribus illos diebus in custodia tenuit, & abeuntibus argenteum scyphum suum imposuit.* Expoliationem autem illam ex D. Gregorio M. scito habuisse latentem concupiscentiam, quam Deus non quidem approbavit, sed permisit. *Hinc quippe est*, ait Greg. *quòd in Ægypto positis, pio justóque moderamine, latenti eorum concupiscentiæ condescenditur, & vicinorum suorum vasis aureis, argenteisque sublatis discedere jubentur.* Igitur aliqua divitiarum cupiditatis umbra in scypho illo reperitur : quid mirum foret si Josepho servitutem adduceret ? Vides largitatem astutam diligentis ? insidias libertati paratas argento ? Lusus erat. Tecum, si divitiis exundas, non ludit sæculum, sed miserum illudit. Scio te libertatis venditioni minimè acquievisse : hæc tamen est mundi tyrannis, servos emere quasi seipsos vendant, quin ipsi contractui præbeant consensum : donationes dispertiri se comminiscitur, & emptionem alieno tegit nomine. Divites crede quidem servituti subesse plusquàm tyrannicæ, nulla quippe datur eis quies : diurna spatia sitis insumit acquirendi : nocturnam requiem curæ suffurantur : opes adventuras vigilans expectat : præsentes diligenter custodit : abeuntes desiderio sequi non dubitat opulentus : illæ dum adsunt, ei omnia licent, quasi permittente domino suo ; si verò deserant illum, nil penitus valet, ac si non esset sui juris, vir divitiarum. Tunc opum dominio fruetur, ac suo, cùm egestatem non timuerit : nam

Gen. 44. 16. 17.

Corn. à Lapi. ibi.

Ruper. l. 9. in Gen. c. 10.

D. Greg. M. l. 28. mor. a. c. 8. to. 1.

Pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret.

Horat. 1. ep. 10.

dominum vehit improbum, atque serviet æternum : magnum te facultates reddere pollicentur ; & servilibus notis inurunt : meritò insidiarum nomine à veris divitiis secernuntur : *veræ sunt illæ divitiæ, quas cùm habuerimus perdere non possumus.* Hæc Augustinus.

August. in Matth. ser. 12. de ver. Dom. to. 10.

32. *Deus subvenit potiùs ab hominibus vexato, quã à dæmone.*

Impiorum. Si philosophorum calculo justi computarentur in astris, non omnem lucem assererent contrariis immunem. Illam fateor adversariis liberam quæ diei præest, improbis ministrat ; non eam quæ nescit occasum, à

&

& iniquos excæcat. Nemo virtutum ſplendore diutiùs emicuit, cui non mille cum hoſtium agminibus dimicare contigerit: huic maximè congruit illud Senecæ: *vivere militare eſt.* Heu, inquit Valentinus Antiſtes, *fratres mei vallati ſumus undique inimicis, & die ac nocte non ceſſat conflictus.* Omitto civilia bella quibus interius quatitur juſtus importunè: ad externa provocatur certamina. Hinc mundi princeps: illinc ſæculo ſervientes, prælia movent: ille ſuggeſtionum tartareo exercitu educto bellicis incurſionibus perpetuò fatigat: hi verò ne ſuo duci placere deſinant, armata manu contra eundem impetus faciunt dolis pro telis utentes. Jam illius tenues fortunas ut auferant, incautum circumvenire parant: mox ne laudum plauſu videant eum volitare per ora, nituntur ejus inocentiam impoſturis denigrare: tandemque ſceleratis inviſam illius lucem extinguere cupientes, ipſius necem ſævi ſollicitant: necnon & cæci, quia fragilem vitam cum fœliciſſima ſatagunt commutari. Juſtum huic duplici pugnæ ineundæ paratum obvia excipit auxiliatrix ſumma poteſtas: at Salomon, non dæmonum, ſed hominum conatus evertendos hoc loco prædicit: Dominus enim potiori ſollicitudine opitulatur juſto ab hominibus impetito, quàm à dæmone vexato.

Sen.epiſ.96.

S. Thom. à Villan.ſer.4. d. Aſſump.

Job ore divino laudabilis tentati permittitur ad nobilem patientiæ lauream obtinendam. Diripitur ejus opulenta poſſeſſio, filiis orbatur, cæditur ulcere, ſpiritu ſanus. Nec tam crebris ictibus vulnerato comitem ſe adjunxit Omnipotens, hoſtiſve communis inexplebilem ſævitiam compeſcuit. Cùm autem Eliu Jobum juſtitiæ ſuæ vindicem gravatim ferret innocentiam palam profiteri: illumque delicti reum convincere conaretur plurimo verborum apparatu, Dominus innocentis cauſam libens ipſo tacente ſuſcipit, ut eum à calumniâ vendicaret. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit: quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* ubi Lira: *reſpondens autem Dominus pro ipſo Iob qui tacebat.* Concinit ibi Titelmanus: *Eliu illum nimia præſumptione viro ſancto inſultantem compeſcuit, dicens: quid ſibi vult iſte junior ſine intellectu & fructu verba multiplicans?* Ecce redarguitur Eliu, Deo patrocinante juſti manſuetudinem, cùm nihil aliud in eum jeciſſet niſi verba calumniator: nec ſimiliter Jobum protegere ſtuduit Dominus, cùm non verba paſſus eſt à dæmone, ſed verbera. Furente diabolo in ſervum Altiſſimi, vultum Deus abſcondit afflicto? Calumniantéque homine defenſorem agit oppreſſi? Sic infinita ſuaſit miſeratio, ſcili. fortiori prælio non defuiſſe. Cùm Satana Jobum decertare permiſit, quin derelinqueret: inſtabat gehennalis adverſarius jacula mittens, quæ validiùs retuſa graviùs inimicum tranſverberabāt, qui tela tempuſque fruſtra conſumpſiſſe videns inſaniebat: Non opus erat tunc fortiori gladio, quo triumphi palmam athleta capeſſeret: dæmon quippe debellandus erat pro tunc, non homines. Inſurrexit adverſus eundem patientiæ pugilem Eliu calumniam ejaculans: Job ſilentio difficultatem conflictus fatetur: cui ne ſuccumbat, auxiliatoris munus propalam exequitur Divina Sapientia. Diabolicas technas, velut aranearum retia Jobus diſrupit; humanas autem inſidias non ipſe diruit: ſuperioris conſilij res eſt illas evertere. duriore cum inimico bellatur pugnans hominem malo adverſante, quàm rugiente Satana: *diabolo namque utcumque peiores ſumus cum peccamus:* ait S. Laurentius Juſtin.

Job 38.1.2.

Lira ibi.

Titelm.ib idem.

D.Laur.Juſtin.in ligno vitæ c.4. d. humilitate.

Minus eſt quod vulgò de humana crudelitate omnium admirationi circumfertur, feris nempe ſævitiâ præire, cùm leo nequaquam noceat leoni; homo tamen ſit homini leo: quinimò *nulla tàm deteſtabilis peſtis, quæ non homini ab homine naſcatur*, ait Tullius. Sed potiùs ipſo dæmone crudeliorem teſtatur experientia. Satanas ut plurimum damna ſuadet; homines exequuntur. Ut vincas diabolum quandoque ſufficit ne tibi nocere velis; ut hominem detriumphes, te illius manibus eripias oportet. Adeo callidiùs aliquando ſe gerit homo præ dæmone, quod dices diabolum ſe habuiſſe quaſi hominem, ut ſic dæmonis calliditatem exaggeres. Præbeo Ricardum à S. Victo. *Quaſi homo ergo eſt tentator quando utitur non tam fortitudine quàm calliditate.* Proindéque diabolo invadente quandoque verba ſatis erunt ne pereas; ſi autem homines te adoriri audeant, fugæ præſidium quærendum eſt.

33. *Sæpè miraculum requiritur ut eripiaris ab homine; non à dæmone.*

Cicer.2. d. offi.

Ricard. à S. Victo. p.2. in Pſ.139.

Veritatem iſtam docuit facto Servator. E pinnaculo templi dæmon præcipitium ſuggerebat. Cui Dominus: *Rurſum ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.* Verbo refellit hoſtem. Exinde venit civitatem Nazareth, ibique publico teſtimonio evectus patuit obtrectatoribus: nam admiratio mixta contemptui parturivit iram: cùm cernerent enim Joſepho (prout putabant) natum ſic ſplendeſcere, diſſecabantur cordibus furore perciti: *& repleti ſunt omnes in ſynagoga irâ hæc audientes. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Nonne quantum diſſideat utriuſque certaminis exitus expendiſti. Præcipitare volentes terga dando ſuperavit. *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.* Ab hominibus tacitus dilabitur; diabolum verbo percutit. Cur non impios illos Dominus increpat? Non dicas humilitatem exercere voluiſſe tacendo: nam ibi Divinitatis potentiam oſtendiſſe colligo ex Beda: *per mediū*, inquit, *illorū mutata ſubitò, vel obſtupefacta furētium mente deſcendit*, &c. Quare non verbo; ſed hujuſmodi facto, quòd fugam involvit, poteſtatem inſinuavit ſuam qui diabolum ſermone refutavit, ac devicit? Quia verba Chriſti Domini miracula non ſunt; factum verò illud fuit miraculoſa fuga. Pro dæmone ſuperando non erat opus miraculo, nec fugiendum fuerat; pro devincendis hominibus nequam oportuit ſe proripere mirabiliter aufugientem. Diabolo vincendo nihil penitus Chriſtum agere neceſſarium fuit: ſufficiebat omittere quæ ſuadere cupiit: ad ſummum addidit verba, quibus inimici profligaret

Matth.4.7.

Luc.4. 28. 29.

Ibi n.30.

Beda in Luc. ibi l.2.c.12.

garet superbiam. Ut hominum ex manibus evaderet incolumitati consuluit non verbo, sed miraculo : vel eo modo quo Beda proximè datus insinuat, vel, ut quidam tenent, invisibilem se præstitit læsus Dei Filius ab illis quibus inculpatæ doctrinæ lux fuerat invisa : *aliqui asserunt*, ait Dionys. Carthusianus, *quòd Christus reddidit se invisibilem illis.* Evertendis Satanæ machinationibus adhibet verba ! Nunc miraculo se munit profugiens ut vitet hominum atroces manus ! Non mirum : pejori cum hoste secundo loco res erat ei : quippe dæmonem perperam suadentem elusit verbo & elisit : homines verò præcipitem deturbare paratos ut vinceret, omnipotentiam simul, & fugam, vocavit in auxilium. O pertimescendam cum improbis pugnam diabolicâ diriorem. *Præ omnibus* (verbis utor Imperfecti) *malis homo est pessimum malum. Unaquæque bestia unum habet, & proprium malum, homo autem omnia habet in se. Diabolus enim ad justum accedere non audet ; sed malus homo non timet, sed contemnit.* Sapientissimè igitur Salomon non tam diabolicis fraudibus quàm impiorum insidiis demoliendis auxilium cæleste proponit expectandum : *& insidias impiorum subvertet.*

Dionys. Carth. ibi.

Imperf. hom. 24. in c. 10. Matth.

34. *Dæmonem facilius quã hominem superabis.*

Nimis verè Imperfectus ibidem pronuntiare veritus non est : *Denique homo malus pejor est quàm ipse diabolus.* Et experientia docet dæmonem faciliùs vinci, quàm hominem : ille quippe non superat nisi volentes : iste verò & resistentes conterit, & fugientes. Dæmonem subiges baculo velut canem; hominem verò ut vincas plurimis opus erit. Occulto marte pugnavere cum dæmonibus Moyses & Aaron coram Pharaone qui auxiliares vocavit maleficos : nec prævaluere : *devoravit virga Aaron virgas eorum.* Virga Dei, vel conversa in colubrum (ut asserunt Philo Hebræus, Prosper, Ambrosius, quos citat & sequitur Cornelius à Lapi. ad septimum Gen.) vel jam in naturam ligni reversa (ut placuit aliquibus, quorum sententiam probabilem tacitus insinuat Lira, quatenus oppositam solùm probabiliorem appellat :) virga, inquam, absorbuit serpentes, qui veri fuerunt, non ficti, ut post Augustinum, Theodoretum, & Thomam, tenuit Caietanus, dicens : *non est vertendum in dubium virgas Magorum versas esse in serpentes.* En victus dæmon à virgâ. Perlege postea textum, & numera quot portentis redemptio Hebræorum indigerit, ut superaret Moyses (imò Deus) tyrannidem Pharaonis. Sanguineus decurrebat fluvius, & impietas persistebat immota plusquam sanguinea : perstrepebant ranarum examina, surdescebat sævitia barbari Monarchæ : pulvis in sciniphes versus evolabat ; & superbus è pulvere se natum non memineratmuscarum aculei volitabant, nec punctionibus excutiebat somnum, quo pressis oculis Deum vocantem per flagella temnebat. Vulneribus, tonitruis, grandine, fulgore, locusta & tenebris vapulavit : & non adhuc flexit omnipotentia cor obstinatum ? Cùm homine Moyses decertabat : & licet præstò adesset brachium excelsum, difficiliorem expertus est ab homine pessimo victoriam, quàm à dæmone, quem vel per baculum, vel per serpentem, qui ex baculo trahebat originem, devicit : non enim ibi cùm incantoribus gessit bellum, sed cum diabolis ad litteram : *in quo tempore* (ait suprà citatus Caietanus) *operabantur dæmones disponendo virgas per naturalia agentia, & sic mutando ut postea projectæ statim verterentur in serpentes :* si mysticè verò rem expendere voluerimus aderit Rupertus. *Porro*, inquit, *virgæ Magorum fallaciæ sunt dæmonum qui se pro diis coli fecerunt.* Nos etsi à ligno minimè cælestem duxerimus originem, diabolicas valebimus conterere vafrities, nec est cur animo cadamus, qui toties adversus arma hominum audemus inaniter *impiorum.*

Imperf. pro-ximè sup.

Exod. 7. 12.

Philo Prosper. Ambro. Corn. à Lap. in 7. Gen.

Lira ibi.

Aug. Theodor. Thomas. Caietan. in 7. Exo.

Caiet. suprà.

Rup. l. 1. in Gen. 1. 30.

Subvertet. Hujus verbi nos etymologia docebit. Cùm loquendi rigorem observamus, subverti dicimus illud quod ab imo sursum versus eruitur, & in latebris positum evocatur ad lucem : insidias malorum enim adversus insontes Deus evertit cùm manifestat. Abscondunt ij laqueos, quibus cupiant nihil tale suspicantes : eos verò detegens Dominus conterit aperiendo fraudem. Improbus multoties non aperto marte signa confert ut justum perdat : latibulis astutias tegit, clanculumque potenter insultat. Si machinæ proferantur ex tenebris, cautum cessabit insequi. Accipe M. Gregorium dicentem : *scorpio enim palpando incedit, sed cauda ferit. Nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt omnes blandi & malitiosi, qui bonis quidem in faciem non resistunt, sed mox ut recesserint derogant, alios quos valuerint, inflammant, quæque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occultè non desinunt.* Ut ergo Dominus impiorum funditus machinationes prosternat, dolos aperit : quidam enim sunt qui nisi fraudulenter cum justo præliari non audebunt.

35. *Improbus cũ justo sæpe cõgredi non audet aperto marte.*

D. Greg. M. hom. 9. in Ezechiel. tom. 2.

Notissima est ingrata Saülis adversus Davidem contentio. Proditum à Ziphæis insectatur per desertum. Dormiens inventus est à Davide, qui occasionem, quam vindictæ commodam nox obtulerat, ipse beneficio tribuendo libens arripuit. Abstulit clam Saülis hastam, eamque postmodum expergefacto sic offert : *ecce hasta regis : transeat unus de pueris regis & tollat eam.* Invido, & irato quis prudens obtulit arma ? Fortasse beneficio Saülem devincendum existimans jam se putat quod timebat odium superasse ? Imò regi pœnitentiam testanti post hæc fidendum non existimavit : unde suadenti ut revertatur David non acquievit. Infidelis est invidiæ pœnitudo, malè fidaque promissa : unde non obstantibus Saülis verbis *abiit autem David in viam suam, & Saül reversus est in locum suum.* Ut quid ergo hastam regi tradere cogitat ? nonne meminit Saülem à dæmone Davidis ope liberum jaculo medelam remuneratse ? Etiam nunc similiter aggreditur ille beneficum : non pavet missile telum Saüli restituere ? Non auderet improbus cum justo citra insidias congredi. Antea spiritu nequam solutus ideo medentem cogitavit necare Davidem, quio insidiosè,

1. Reg. 26. 22.

Ibi n. 25.

utpotè nil mali metuentem lancea petiit. Nunc verò non aggrederetur illum sibi caventem. Crede quòd noctuarum avium stylo sæpius mali probum veluti Solem perhorrescunt : ipso candore cæcantur, pallent, æstuant, atque tremunt : semel ac deteguntur illorum præstigiæ, desperatâ victoriâ nolunt bella movere : quandiu verò sit æstui locus, non desinunt malis operibus illorum adversantem impetere :

—— *ubi vincere apertè* Ovid. 2. fast.
Non datur, insidias armaque tecta parant.

Diruuntur attamen cœlitus insidiæ : lucem vident simul & interitum : tunc esse desinent cum apparere cœperint : Deus enim *insidias impiorum subvertet.*

APPENDICVLVS EVCHARISTICVS.

Ad eadem verba textus : *Non affliget Dominus fame animam justi.*

MYSTICÆ nunc expositionis vela pandere liceat, & spirituali refectioni navicula nostra non de longè portabit panem suum : ex ipso namque præsenti versiculo mysteriorum altaris eruemus annonam, si nos introduxerit Rex in cellaria sua. Duci vellem à sacris interpretibus, quibus sapientiæ claves commissæ sunt. Præeat Dionysius Carthus. in hunc locum. *Est*, inquit ille, *quoque spiritualis fames, id est defectus internæ refectionis, quâ Dominus justorum animas non affligit.* Non exprimit an de refectione per sacram Eucharistiam intelligat sententiam : sed vides eam de fame spirituali exponi : hæc autem per cœlestem illum panem depellitur : & contra qui eo abstinet certam patitur esuriem : quæ forsan mens est Ambrosio ad illud : *Mittamus lignum in panem ejus :* ait enim : *benè panem dixit pro carne eius. Ille alimentum detulit, isti pro beneficio detulere supplicium. Non mirum ergo si esuriunt qui sibi vitæ æternæ alimoniam denegarunt.* Et infrà : *Ideo Dominus in Christo carnem iunxit & lignum, ut fames antiqua cessaret, vitæ gratia redderetur. Beatum lignum Domini, quod omnium peccata crucifixit : beata caro Domini, quæ victum omnibus ministravit.* Quin D. Basilius ab hujus dogmatis expositione videtur excludere famem corporis, & illud excipere de sola inedia spirituali : habes ejus verba suprà n. 28. Igitur non erit abs re allegoricè, vel saltem accommodatitiè sic verba paræmiæ istius interpretari : non patietur Dominus animam justi præ spirituali fame cruciari : sed eam Eucharistico pabulo reficiet. Si liberè nimis apim volitare putaveris præ desiderio melleæ dulcedinis tractandæ inter altaris, seu alvearis sacrosancti arcana : quære D. Thomam in opusculo de Sacramento altaris : qui accommodat hæc Salomonis verba Eucharistiæ sanctissimæ : ac fortè reperies verba Doctoris Angelici, quæ nec per summam diligentiam invenire valui. Quæ si, ut mihi contigit, non occurrant, move litem Cornelio à Lapide, ac Salazari hoc loco, apud quos citatur, sed non refertur Divus Thomas : fides penes authores gravissimos, quos nec vocabis mendaces, quamvis hoc non detur invenire quod offerunt. Litem, si placet, omitte, nam vocaris ad convivium : *dapes quoque præparantur, ut verum illud quod in parabolis dicitur esse cognoscas: non occidet Dominus fame animam iustam. Seipsum enim ut panem de cœlo apponet*, &c.

Dion. Carthus. hîc in 10. Prover.

S. Ambr. to. 2. in titu. Ps. 35. in medio.

D. Thom. in opusculis.

S. Cyril. Alex. l. 3. in Joan. c. 13.

SPLENDIDA SOLIS MENSA

UNO FERCULO SUAVITER OPIPARA, LAUTEQUE BREVIS:

Cui assident sex convivæ : intellectus, memoria, voluptas, desiderium, spes, ac dilectio convivantes ut vivant.

Convivio ministrant amantis Dei liberalitas, & ejusdem Domini magnificè profusus amor absconditi, ut amplius clarescant.

DELIBATIO VII.

Quemnam fructum reportet ex epulo sacro intellectus conviva primus.

36. *Intellectus humanus post accessum ad S. Eucharistiã imitatur Angelicos.*

OMPELLITUR ad mensam Æterni, ac novi Regis, intellectus noster per auditum internuntium. Non recumbet in novissimo loco : nam honoratior illo invitatus non est : ipse quippe fidei desponsatus princeps in aula Dei constituitur. Plurimas ex paradisi pomo ægritudines Adæ posteri contraxere. Sed *ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia :* nam unius cibi vivifica sumptio cuncta redintegravit apprimè. *Fit quoque* (ait S. Laurentius Just. loquens de communione sacra) *ex ipsa sumptione in illis fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio, peccatorum remissio. Contra diabolum armatio, spei elevatio, amoris excitatio, fidei commendatio, angelica convivatio, regni cœlestis largitio, intellectus*

Roman. 5. 10.

S. Laur. Just. d. disciplina & perf. monasti. conversationis, c. 19.

lectus illuminatio. Quanta in uno pharmaco remedia conglobavit Dominus! Hic ille qui quantumvis lateat, principatum recuſare non valet, non enim dicet ſicut alter de quo apud Iſaïam: *non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis.* Hæc verba non Domino congruunt, ſed Moyſi ſervo. *Ille itaque*, ait Rupertus, *reſpondens, non eſt ita, inquit, non ſum medicus, in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum. Abite adulatores importuni, nolite adulari mihi dicendo nos diſcipuli ſumus Moyſi.* Et infrà. *Veſtimentum in domo illius eſt cujus digito lex contexta eſt. Panis in domo illius eſt, cujus Angelorum viſio cibus eſt.* Nuditati deinde noſtræ Sacramentalis eſca ſubvenit & fami, quæ ſpirituales oculos caligare fecerat ſqualidè. Medicaminis unici virtute ſanitas reſtituitur, & mundities, ſqualor deponitur, ac tepor: imò non ſolùm illuminatur mens; ſed tranſit in lucem igne ſplendidiorem. De ſanguinis dominici calice loquens Chryſoſtomus ait: *hic noſtrarum animarum ſalus eſt, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur, hic igne clariorem noſtram mentem reddit, & auro ſplendidiorem: hujus ſanguinis effuſio cœlum pervium fecit. Admiranda ſanè Eccleſiæ myſteria, admirabile ſacrarium.*

Iſai. 3. 7.

Rup. l. 1. in Iſai. c. 12.

Chryſoſ. hom. 45. in Joan. to. 3.

Vulgò dicitur gaudium ultra quinque ſenſus alium ſuperaddere. Id certè, quod ex convivio capitur Euchariſtico, non ſenſus auget: iſtorum quippe hîc ratio non habetur; ſed aciem intellectus mirè acuit: & qui antea humi repebat, poſtea ſublime volat. Inter amorem & intellectum quodammodo permutationis pactum celebratur. Amor ut facilius maneat in eo qui dixit: *in me manet & ego in illo*, exeratur alas: & ut mutabilitatis pericula vitet cupit oculos. Intellectus econtrario, ut fidei cedat, lumina deponere avet: at ut ſuprà naturæ vires agnoſcat eget alis. Quid tunc: Fœdus inierunt uterque. Intellectus eruens oculos, tradidit amori, qui utens eis acutè cernit: ab amore verò recepit alas quibus fertur in æthera. Licet antea rudis minervæ fuerit: poſtquam ad ſacram menſam acceſſit, angelos imitatur vel ruſticus. Evangelizato nativitatis gaudio diſceſſit à paſtoribus angelus: illi verò ad Agnum feſtinant, ut videant fœlices. Voti compotes facti regreſſi ſunt exultantes. Trutina verba Lucæ: *reverſi ſunt paſtores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus quæ audierant, & viderant ſicut dictum eſt ad illos.* Commentatur Beda: *ſicut dictum eſt ad illos ab angelis gloriam Deo laudeſque referunt. Et hoc enim illis facere dictum eſt ab angelis, non quidem verbo imperantibus, ſed formam devotionis ſuæ offerentibus cùm Deo in excelſis gloriam unanimi exultatione reſonarent.* Agreſtes opiliones ad ſummum docti ſimphoniæ ſilveſtris murmur, vel arundinis raucedinem perſonare, angelicæ militiæ laudes imitari valuere? Sanè ii de quibus refertur in Apocalypſi Canticum ante ſedem Dei cantaſſe, non angeli erant, ſed homines: *centum quadraginta quatuor millia, ideſt virgines perfecti pudicitiâ, deſudantes in pœnitentia*, &c. inquit S. Thomas: nihilominùs nemo poterat dicere quod illi pro Dei laude concinebant: *& nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia:* quod idem S. Doctor ſic exponit: *nemo, id eſt nullus homo in utroque ſexu.* An quia cœlites & virgines erant? Igitur difficiliùs erit hominibus angelorum canticum imitari, cùm angeli virginitatis prototypi ſint, & cælicolæ, necnon & in naturalibus nos longè præeant. Quomodo igitur formam laudandi Deum ab angelis exemplo datam potuere ſequi mappalibus aſſueti ruricolæ, poſt eorum diſceſſum, nullaque ab illis accepta doctrina? Euchariſtiæ ſacræ virtus hoc eorum præſtitit mentibus ut angelis exequarentur ferè. In Bethlehem domo panis ante lucanam cunctis menſam poſuerat amor: *Natus*, inquit M. Gregorius, *in præſepio reclinatur, ut fideles omnes: videlicet ſancta animalia carnis ſuæ frumento reficeret.* Hanc dapem fœlices armentarij guſtaverant ſpiritu: quidni è vitæ paſcuis ad gramina redeuntes, angelicæ doctrinæ diſcipuli facti videantur, ac eos imitentur in perſolvendis laudibus Altiſſimo? Pudet quòd aſſeruerim dignè communicantes angelorum diſcipulos.

Joan. 6. 57.

Luc. 2. 20.

Beda l. 1. in Luc. c. 7.

D. Thom. in Apocal. 14.

Apocal. 14. 3.

S. Greg. M. hom. 8. in Evang. to. 2.

37. *An æmulatur angelos communicãs?*

Melius dicam cœleſtium ordinum intelligentias vereri magiſterium Euchariſtiâ ſacrâ paſtis exhibere, quaſi dicant eis: condiſcipuli veſtri ſumus, non vobis nos præcellere putetis: ex ejuſdem Domini pane alimur. *Homines, & angelos paſcit in ſacramento altaris*, ait Ricardus à S. Laur. ei cujus in pectore manet Sapientia Patris, licet velo tecta, ſolus Deus dignus præceptor erit, non angelus.

Ricar. à S. Laur. l. 12. de laud. Mar.

Zelatus pro Domino exercituum Elias exemit gladium, & occidit Pſeudoprophetas. Rei conſcia facta illorum protectrix impia Jezabel minatur Prophetæ necem, quam declinavit ille ſe reſervans populo Dei. Et ne qui Principibus reſtiterat putaretur Deus, humanum quid paſſus eſt: nam vel mœrore confectus, vel fatigatione fractus, dedit membra ſopori: *& ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis*, &c. Obdormivit ſecundò, & aparuit ei rurſum angelus, *dixitque illi: ſurge comede: grandis enim tibi reſtat via*, quò tendendum erat illi non edocuit ſuperni Regis paranimphus: cùm tamen Danielem docere moneatur Gabriel: *& clamavit, & ait: Gabriel fac intelligere iſtum viſionem:* Et iterum angelus dixerit vati cuidam: *veni autem ut docerem te.* An Daniel ſapientia poſtponendus Eliæ? *Spirituum ponderator eſt Dominus.* Hoc unum ſcio, quod ſæculi ſui ſapientiſſimus Daniel erat ita quod exteris etiam notus: prout colligitur ex eo quòd ironicè Deus per Ezechielem Principi Tyri ſuperbo exprobraverit quòd ſapientior Daniele non eſſet: quaſi proverbialiter dici poſſet ſapientia Danielis. *Ecce ſapientior es tu Daniele:* hic ne docetur ab angelis? Elias minimè? Inopportunum tempus erat ut angelus inſtrueret Eliam, cùm cibo, qui ſacroſanctum de cœlo vivum panem referebat, paſtus eſt: *panis ſubcineritius Chriſtus eſt ſub Sacramento in memoriam paſſionis oblatus*, inquit D. Bonavent. Qui myſticè communica

3. Reg. 19. 5. 6.

Daniel 8. 16.

Ibi c. 10. 14.

Prov. 16. 2.

D. Bonav. ſer. 2. ciner.

municaverat sacræ Synaxi, non ab angelo instruendus erat; sed ab ipso Deo dicente: 3.Reg.19. 11. 15. *Egredere & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit*, &c. & iterum postea: *vade, & revertere in viam tuam per desertum in Damascum*, &c. Indecens erat ut de his ab angelo dirigeretur Elias pane vitæ ac intellectus altus in umbrâ: quæ tamen illius menti splendorem contulit eum, quòd angelicas mentes quasi posset æmulari. Ipso in altari sacro humanam cernere præcellentiam est: ubi namque demissis oculis adstant spiritus angelici, penetrat Solis Divini radios Aquilino intuitu animosa fides. S.Thom. à Vilsan. ser. 2. d. Sacram. *Inquisitus angelus an sub illis speciebus Christus lateat, nisi gratia ipsum doceat, respondebit: ignoro; interrogatus rusticus fidelis, respondebit: firmiter credo. Sicque penetrat fides rustici quod non penetrat naturalis visus angeli.* Hæc S. Thomas à Villano.

38. *Quem illuminavit Eucharistia non decipiet mundus.*

Ut penitiùs appareat quales claritudinis radios mutuetur noster intellectus, tria percurramus ipsi difficilia: & cernemus illa per illuminationem Eucharisticam reddi pervia. Nobis arduæ cognitu sunt mundiales laquei, proprij defectus, Creatoris celsitudo: horum namque primum velat astutia præstigiis utens: secundum celat amor nimiâ præsentiâ: tertium obnubilat cuncta replentis immensa distantia. Hæc tria, si luce in Eucharistia potiaris inaccessibili, jam tuæ menti non erunt inaccessa. A minus difficili sumamus initium: à fallacibus inquam bonis, quæ sub mundi nomine coacervantur: fallacibus, inquam: *ostendunt enim se esse quod non sunt, & falsis suis pollicitationibus insipientium deludunt animos.* D.Laur.Just. in lig.vi.c.1. d. fide. Sic Patriarcha Venetus. Heu quot sapientes decepisse novimus! & hallucinantes præsumunt mortales à sæculo non fore se deludendos. Idem ibi. *An legem novam servabit in vobis, & verax esse poterit qui semper comprobatus est fallax? Resipiscite insipientes*, hortatur idem S.Doctor. Ecce ô Adamides optimum resipiscendi medium: en Sapientia Patris Filius proposuit mensam: accedite ad eum & illuminamini: sic vos mundiales tenebræ non comprehendent: nam qui per comestionem ligni scientiæ in parte rationali, etiam quoad naturalia sumus infirmati, per esum immortalis vitæ ligni sanamur. Non recedas à Justiniano (qui pro dirigendis moribus prudentior progenitore suo Romanorum imperio legibusque celebri, textus nobis devotissimè digestos in codice suo reliquit) ait ille: *Concupiscibili medetur connubium, irascibili pœnitentia, rationali verò Eucharistiæ perceptio.* Idem de triumph. Christi agone c. 9. Per salutarem igitur escam sanitatem restaurant intellectuales oculi, quò perspicaciter declinent illecebras quibus laquei sæculares conteguntur: nam diviniissimi panis edulium accipiens experitur solo Deo satiari animam ad imaginem Dei creatam; cæteris verò, cùm Deo multò minora sint, nequaquam expleri. Nolo adhuc debere tibi verba Justiniani: Idem in ligno vitæ c.5.d.Spe. *Ad imaginem*, ait ille, *Dei facta est anima rationalis: cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest, capacem enim Dei quidquid est Deo minus non implebit.* Experientia igitur edocente quantum distet à sæcularibus deliciis epulum sacrum, fit ut quem Eucharistia sacra refecit, mundus non fallat.

Paternæ domus amore, vel rei propriæ sollicitudine monente, divino in primis nutui obsecundans Jacob è domo Laban proficiscitur cum uxoribus, & facultatum copiis. Socer profectionis inopinatæ conscius factus insecutus est eum, & arguit illum quòd clam arripuerit viam, & furatus idola sit. Ad hæc reposuit Jacobus quæ satis favent ut clancularia profectio excusaretur, & furti suspicionē purgaret apud quemlibet ratione ductum. Inierunt jambo fœdera pacis, in quorū signum illi simul cum cognatis ibidem sumpsere cibum: *vocavit fratres suos ut ederent panem.* Gen.31.54. Hîc Rupertus Eucharistiæ sacræ umbram agnovit. *Nempe, post inimicitias*, inquit, *super acervum testimonij pariter comedere, id est post quaslibet injustitias in basilicis martyrum satisfactione data, vel accepta, deinde ob confirmationem pacis corpus & sanguinem Christi pariter manducare & bibere.* Rup. l.7. in Gen. c.47. Qua expositione præsuppositā, minùs jam admirabar id in quo antea diu hærebam: quomodo scilicet Jacob fidem adhibuit Labano pactum ineunti, cùm illius vafritiem non ignoraverit in re majoris momenti deceptus ab eodem. Qui post experientiam decipi non timet, hic sanè desipit. Uxorem contractu promissam commutans imposuit genero: & nunc ejusdem verbis adhuc fidem præstat Jacob vir simplex? Mysticum prosequar sensum, associans Ruperto Gregorium alibi jam sæpe datum, qui mundum per Laban moraliter accipit. *Potest*, inquit, *etiam per Laban mundus hic exprimi.* Greg. l.1. moral.c.16. Simplicitas Jacobi per Eucharistiæ umbram illustrata, in serpentis prudentiam degeneravit nobiliter, adeo ut mundi per Laban designati calliditatem potuerit non vereri. Quantò clariùs mundi technas agnoscent ij qui non umbrâ sed luce fruuntur Eucharisticâ.

39. *Cognitionem sui lucratur homo per sacram communionem.*

Secundum & verè difficilius est cuique noscere seipsum. Sapiens Milesius cognitionem sui sic extollit, ut dicat: *difficile est se nosse, sed beatum.* Hanc sui cognitionem ut præcipuè commendabat D.Bernardus. *Volo*, inquit, *proinde animam primò omnium scire seipsam; quod id postulet ratio & utilitatis, & ordinis.* Hanc notitiam ad salutem necessariam declamabat idem. *Ergo*, ait, *tenetis memoria quòd teneam assensum vestrum: neminem absque sui cognitione salvari:* Non igitur potest non per splendorem sacratissimæ communionis intellectus noster illuminari ut nos ipsos agnoscamus: non solùm quia, ut S. Vincentius Ferrari. dixit, *Hostia est speculum:* sed quia in hac mensa quidquid ad salutem nostram spectat invenimus: non quippè frustrà dixit Paschasius: *nostræ salutis summa in isto consistit sacramento:* cùm enim notitia suimet ad salutem cujusque necessaria valdè sit, non desinet se nosse qui mysteria frequentaverit. Thales Miles. S.Ber.ser.36. in Cant. Idem ser. 37. in Cant. S.Vinc.Ferrari. ser.1. d.Euchar. Paschas.epist. ad Frudeg.

Annonam de cœlo plebi suæ magnificus orbis Conditor suppeditavit sic eos delectabili recreans alimoniâ, ut salutaribus præceptis

ceptis dirigeret. Dixit ad Moysen *egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum utrùm ambulet in lege mea, an non.* Manifestum est hîc tentationem in bonam partem accipi. Sed adhuc intellectus verbi, *tentem*, non est nimis exploratus. Cùm enim, tentare, dictum de Deo non possit sumi pro experientiam capere, restat ut accipiatur vel pro manifestare aliis, vel pro aliquid notum facere tentato eidem. Utroque ex istis duobus modis utitur hîc Deus verbo, *tentem*: sed tantùm secunda interpretationis hujus pars est ad rem nostram. Locutus est ergo Dominus ad Moysen quasi diceret: accipiat populus, & comedat manna: quod si comedat, faciam ut se ipsos Hebræi probe noverint, qui se mihi putant obsequentissimos amicos, & inculpabiliter fideles, non tamen verè sunt. Favet expositioni Rupertus dicens: *ergo dum tentantibus ostendit Deus quid ipse possit parando mensam illis: æquum fuit ut ipse versa vice tentaret eos, ne nescirent quales erant ipsi.* Concinit ibi Glossa ordin. *Nec ideo, inquit, probantur ut Deus non noverit: sed ipsos ipsis ostendit ut humiliores fiant.* Existimabam Deum usurum simili phrasi, cùm ob ingratum populi murmur eos ignitis punivit serpentibus: nam si tentare populum valet idem ac ei notum facere qualisnam sit, eo loco Hebræi satis improbitatem suam agnoverunt: *venerunt ad Moysen atque dixerunt: peccavimus:* hoc tentavisse non fuit? Id quidem non dubito: sed peculiariter hic modus loquendi congruebat angelici panis elargitioni: quippe cujus effectus est maximè proprius præstare comedentibus ut noverint seipsos. Quæramus denuò Rupertum: non enim à meditatione ista longè abest: loco eodem illum invenies, dicentem: *porrò ut de hoc spirituali cibo & potu tentemur nos, æquum esse manifesta defendit ratio. Tentatus est enim homo à diabolo & victus est.... Proindè tentetur à Dei Filio dicente de pane & vino: Comedite, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, comedite & eritis filij Dei.* Notissimum ex Augustino est manna significavisse corpus Christi Domini tectum velo sacramentali: *Hic est panis qui de cœlo descendit. Hunc panem significavit manna.* Hebræis figura contulit intellectualem aciem ut seipsos agnoscerent: quid erit his qui splendoribus aluntur, si etiam in umbra sedentes illuminabantur?

Exod. 16. 4.

Rup. l. 3. in Exod. c. 12.

Glo. ord. ibidem.

Numer. 21. 7.

Rup. sup.

Aug. tract. 26. in Joan. to. 9.

40. *Excellens cognitio Dei datur communicantibus.*

Tertium, & præ materiæ sublimitate difficillimum est exacta Dei cognitio. Hæc solis data est iis qui perenni fonte voluptatis revelata facie potantur in cœlestibus. At cùm mensæ Domini convivæ beatos in terris æmulentur, etiam ipsis permittitur Divinæ majestatis fulgorem oculis rimari, quantùm gravatis mole corporea fas est. Cognitio propria gradus est ad notionem Dei, quemadmodum ejus timor ad amorem. Sic ex doctrina D. Bernardi colligimus. *Noveris*, ait, *prandè te ut Deum timeas: noveris ipsum ut æquè ipsum diligas.* Cùm itaque propriæ cognitionis lux intellectui nostro in sacra mensa tribuatur: etiam capitur Dei notitia dum veritas & vita suscipitur in esum. Ideò tantum recognoscens munus ille devotionis Thesaurus Venetianus ad Servatorem loquens ita scripsit: *per illud namque venerabile mysterium tradis teipsum fidelibus tuis, quatenus discant ex ipsius suavitate, tenere te, cognoscere te, laudare te.* Hoc adeo verum est, ut nisi hujus duceremur Sacramenti fulgore, fides obtenebresceret, erroribusque mille pateremus. Si tu de hoc dubitas, id fatetur S. Bonaventura: *Tolle, inquit, hoc Sacramentum ab Ecclesia, & quid erit in mundo nisi error & infidelitas*: Operosum nimis esset per cuncta fidei mysteria discurrere ut ostenderem omnium agnitionem ab Eucharistica lampade claritatem quadamtenus mutuari: duo præ cæteris eligo abstrusiora: Trinitatem scili. & Incarnationem. Istas, quin & explicatione sit opus, is percipit facilè cujus labiis applicatur Eucharistia sacra proficua mentis oculis expurgandis.

S. Laur. Just. tract. d. discip. & perf. monasti. conversat. c. 19.

S. Bonav. in præpar. ad Missam.

Vidit Isaias præcelso throno sedentem Dominum exercituum: ac mysteria Trinitatis & Incarnationis oculo fidei penetravit, quin de rebus adeo arcanis vel unico verbo Vates edoceretur. De Trinitate ita sentit purpuratus Toletus: *Si autem de hac visione Isaiæ loquamur, existimo speciem illam, quæ in solio sedebat, non unam solam personam, sed tres repræsentasse*, &c. Sic Toletus. Similiter Cornelius à Lapide dixit: *hanc imaginem non tantùm unitatem essentiæ, sed & tres personas repræsentasse divino quodam & ineffabili modo.* Citatur pro eodem placito Maldon. sed quo jure nescio: videri potest ad c. 12. Joan. n. 41. De mysterio autem Incarnationis addit ipse Cornelius: *Isaias hîc mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Verbi (sedens enim Deus in throno habuit faciem & pedes, quasi futurus homo) cognovit, & nobis adumbravit.* Et quomodo tam citò altissimæ theologiæ magister effectus est? Videbatur congruum ut Verbo lapso de cœlo priùs quàm de his nos doceret, instrueretur. Post sæcula cùm Evangelicæ tubæ jam insonuerant, non adhuc Spiritum sanctum sciebant illi qui dixerunt: *sed neque si Spiritus sanctus est audivimus.* Divini Magistri frequenti doctrinâ Philippus instructus nec Filium nec Patrem agnoscebat: nam dicenti: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*: responsum Dominus adhibuit dicens: *Tanto tempore vobiscum sum: & non cognovistis me?* ac paulò ante dixerat: *si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.* Incarnatio deinde Verbi non adeo cognitu facilis erat etiam postquam peracta est, ut circa eam hallucinati non sint plures quos mundus velut oracula sapientiæ colebat. Isaiæ verò concessum est ut cùm primùm gloriam Dei vidit, & Incarnationem, Trinitatemque adeo excellenter didicerit ut mysteriorum hujusmodi magister factus sit? Gratias Eucharistiæ umbræ debuit Vates, qua protectus, ad tanti jubaris radios non cæcutivit ejus mentalis oculus. (Nam visio illa fuit intellectualis, de quo apud Cornelium à Lapid. ibi: *contrarium verius est, scili. hanc speciem fuisse imaginationi, ut vult S. Aug. l. contra Adimantum. c. 28. aut potius*

Tolet. in Isaiæ c. 12. Joan. annot. 24.

Corn. à Lapi. in Isai. 6. §. verùm & §. Quæres primò.

Act. 19. 2.

Joan. 14. 7. 8. 9.

A Lapide sup.

menti Isaiæ objectam.) Angelicis manibus ex altari delatam ad prophetæ labia fuisse communionem corporis Domini, quantumvis in figura, ne dubites, audi non ipsum angelum, sed Angelicum in opusculo, seu potiùs opere ter maximo de Sacramento altaris. S. Thom. opusc. 58. c. 23. *Calculus est carbunculus sic dictus, quia ignitus ut carbo: & significat corpus Domini de altari sumptum, & charitate inflammatum: quia accendit amore corda fidelium.* Hæc D. Thom. ex quibus inspice Vatem evangelicum per umbram Eucharistiæ sacræ fuisse illustratum circa Trinitatem, & Incarnationem clariùs quàm alij, quorum oculis toties irradiaverat lux evangelica. Ecce quantum emolumenti noster intellectus ex epulis divinis hauriat, satis vides. Justus, fateor, in vita mortali cognitionem Dei solet esurire. Sed accedat avidus: nam illam quæ cibatur pane intellectus, *non affliget Dominus fame animam justi.*

DELIBATIO VIII.

Memoria conviva secundus quantùm Eucharistiæ Sacramento ineffabili debeat, recordatur.

41. *Magni facit Filius Dei nostram sui memoriam.* DE memoria dicturus memini me Doctorem Angelicum patronum habere, ne liberè dictum calumnieris quod præsentissimum nobis Deum in amoris mysterio asseramus etiam pascere memoriam, quæ sola tractat præterita. S. Th. opusc. 58. c. 22. *Contra hæc*, inquit ille, *quatuor mala, ordinantur quatuor secundi fructus corporis Domini, qui nos hîc in gratia perficiunt: intellectum enim ad se cognoscendum illuminat, voluntatem sive affectum in dilectione Dei inflammat: memoriam spirituali dulcedine delectat:* advocatur ergo memoria ut sacro epuletur convivio: & licet consedeat secundo loco; non ideo tamen Summi Regis gratiam assequitur minorem: quin potiùs maximi fit in ejus conspectu, adeo ut inter motiva, quæ Dominum ad Sacramenti hujus institutionem suasere primum annumeret idem S. Doctor de Filio Dei: Idem ibi c. 1. *Ecce prima causa, scili. memoria Salvatoris contra oblivionem.* Memoria thesaurus est, ex quo depromit amans pretium quo debita solvat: nullumque pro solutione ista majus erit, quàm beneficij recordatio: quæ sola sat est non semel, ut gratum se cor exhibeat benefactori: & quam præ oculis habet, ac præcipuis collocat in votis Redemptor: quasi nihil ei, dum se tradit in cibum, plus moveat desideria, quàm ut ejus recordemur jugiter.

Bis commendasse narrat Apostolis Paulus Christum Dominum ut sui meminerint per mysteriorum celebrationem: semel cùm traderet corpus sub accidentium panis tegumento: iterumque dum sanguinis calicem offerret: 1. Cor. 11. 24. 25. *hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Et infrà. *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Nonne supererant altiora motiva, quæ ad celebrationem sacrosancti sacrificij moverent Apostolos? Cur non dixit: hoc facite in gloriam meam? præsertim cùm Paulus Corinthiis consulat: *omnia in gloriam Dei facite:* Ibi c. 10. 31. verùm quænam Dei major gloria, inter eas quas illi dicamus, quàm nostra de ipso memoratio amantissima? Hæc inter primas humani cordis oblationes excellit adeo, ut unicè quæri à Domino significaverit idem dicens: *hoc facite in meam commemorationem. Ecce prima causa, scili. memoria Salvatoris contra oblivionem.*

42. *Pudeat mendicare panem sæculi te nutritum Eucharistico.* Ad Sacramentorum itaque participationem vocata memoria inurbana erit nisi ad mensam jubente Domino sedeat, hoc est permaneat, quin ad mundiales delicias divertat. Et mehercle nullus divino pabulo nutritus declinabit rursus ad voluptatum cœnum, nisi beneficij tanti avolet memoria. Ideò consulit S. Bonaventura dicens: *Cùm autem Sacramentum expletum fuerit, cogitet in corde suo: post tam nobilem cibum nolo stercora degustare.* S. Bonav. d. præpara. ad Missam. Pudeat illum qui salutari cibatur esca dapes emendicare sæculi.

Instruebat suos divinus Magister ut orarent sic: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Luc. 11. 3. & ex Chrysologo de pane sui corporis loquebatur: *Quotidianum*, ait, *& in diem vult nos in Sacramento sui corporis panis viaticum postulare*, &c. Chrysol. ser. 68. Oratio hæc pro cunctis fidelibus instituebatur. Ergo ne conceditur omnibus quotidiana communio? Minimè: Quare panis quotidianus appellatur Eucharistia sacra? Quia, si ut æquum est accipiatur, nec per unicum diem finit ad alium panem digredi. Forsan hoc subodoratus est Tertullianus: *petendo*, inquit, *panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo.* Tertull. Quotidianus est ejus effectus epulæ: ut nullus dies adveniat, quo se putet homo non vocatum ad Eucharistiam saltem spiritualiter manducandam. Et cùm pudori vertendum esset, si quis regiæ magnificentiæ perennis conviva, hodie sederet ad regis mensam, & manè cum servis apud cauponem cænaret, vel ostiatim mendicasset stipem, spretis regalis magnificentiæ ferculis: ita detestabilis verecundiæ reus est ille, quem postquam hac die sacræ mensæ conviva numeratur, crastinâ, cum iis qui servilem trahunt vitiorum catenam, vel cum eis qui de micis mundi (avari divitis) emendicantes victum pellunt vix famem, inveniri non pigeret. Execranda sic est inconstantia, hujusmodi, ut sibi suaserit impossibilem cunctis ritè communicantibus D. Ambrosius. *Nec enim*, ait, *potest sæculi panem cupere, qui pane reficitur Salvatoris. Habet enim Dominus suum panem, imò panis ipse Salvator est, sicut docuit dicens: ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* S. Ambr. to. 5. ser. 37.

43. *Mensa Eucharistica requirit constanter vigiles.* Et non tantùm asserendum summoperè displicere Deo illos qui ex Eucharistico poculo surgunt ad immundas vitiorum escas: insuper dicam Solis mensam recusare semivigiles: eos videlicet, qui nunc vigilant, mox somnum capiunt in spirituali pugnâ. Mente servabam quod multò jam pridem ipse meditatus fueram, scili. quòd in horto refugiens invictus Atlas crucis pondus peccati summo

summo gravem onere, petierit à Genitore ut ab eo calicem passionis tolleret, quin aliam oblationem ejus loco substituerit. Ac ne dicas nihil extitisse quod posset victimam crucis exæquare, attende potuisse ibimet ubi sanguis decucurrit, Eucharistiæ Sacramentum Patri consecrari. Inter horti ligna vitæ arborem plantet agricola sapiens : ibi celebret mysteria, & passionis vice ista dedicet. Æterno Parenti, dicens : transeat à me calix ille horribilis ; & pro eo voveo tibi calicem hunc æquè præclarum, quo, licet mortem non subeam, tamen incruentè pro peccatis immolor. Equidem aptus erat locus inter virentia ut Apostoli sumerent Eucharistiam sacratissimam, de qua pulchrè S. Ambrosius: *ipse enim nos pascit, & reficit. Bona pascua Divina Sacramenta sunt. Carpis lilium in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem.* Lilio, & rosæ (quibus non deerant spinæ) congruere videbatur hortus. Quare non ibi se discipulis tradit ut colligant florem campi ; Quia ipsi hoc loco parum vigiles, imò nimis dormientes erant : nam postquam semel Dominus oravit, eos invenit somno deditos non semel. *Et venit iterum, & invenit eos dormientes :* indignumque putavit somnolentos ad mensam adhibere sacram, & inconstantes : quippe qui nunc somno sese tradidere, nunc expergefacti sunt, & rursus obdormierunt. Excutiat ergo somnum conviva Dei : ad epulandum enim etiam invitatur memoria.

Ambr. to. 2. in Ps. 118. Octon. 14.

Matth. 26. 43.

44. *Eucharistia semper est quasi hodiernum beneficium.*

Non deerit qui dictis opponat repetens: qua veritate asseritur memoriam convivari ubi præsens noster Servator adest factus cibus viatorum, cùm illi potentiæ sola datum sit præterita contrectare ? Reponam. Hoc munus, quod in altari fideles accipiunt sic se facit præ oculis observari, ut præteritum & præsens æquivocationem patiantur : ac proinde locus datur ut donum istud sibi vendicet memoria, quamvis hæc tantum soleat de anteactis agere. Quotidiana mala patientibus opus est perenni dono, quo miseria continuò premens allevietur : gratitudo autem recentissima recordatione servantis acceptum, provocat benefactorem ne à benefaciendo cesset, juxta illud Cassiodori : *jugiter sibi subvenire facit cui collocatum beneficium ante oculos semper assistit.* Utilissimum igitur est pro capiendo remedio nequaquam intermisso, ut ita in hujus debiti reminiscentia perennet memoria nostra, ut non præteritum recolere, sed præsens videatur speculari. Non difficilè nunc erit prosilire quodammodo ab sphæræ suæ terminis potentiam istam : nam ad id potenter elevatur ab ipso latentis omnipotentiæ brachio, ut præsentia reddat quæ transacta sunt. Sic sacrificium cruentum passionis præsens reddi per Eucharistiam sacram notavit D. Angelicus. *Necessarium*, inquit, *erat ut in die cœnæ Sacramentum nobis sui corporis & sanguinis consecraret : ut offerretur jugiter per mysterium quod offerebatur semel in pretium : & perennis victima viveret in memoria : & semper præsens esset in gratia.* Nunc arguamus à majori ad minus. Eucharistia sacro-

Cassiod. in Psal. 25. 3.

S. Thom. opusc. 58. c. 1.

sancta meminisse cogit cruenti sacrificij propter similitudinem inter utrumque holocaustum. Proclivius est quòd idem Sacramentum faciat nos reminisci suimet ipsius, quàm dominicæ passionis, licet valdè similis : nihil enim magis connexum quàm idem sibi. Igitur si ritè comeditur buccella Dominica, præsentissimam se reddit oculis fidei, quasi semper hodiernum sit beneficium.

Semetipsum Redemptor venientem in terras vocavit lucem. *Ego lux in mundum veni :* Videbitur forsan aptior similitudo arboris quàm lucis, ut Christum Dominum de Virginea terra prodeuntem referat : nam planta vivit ; lux nequaquam : Christus autem in vitam egressus est. *Fortassis*, ait S. Bernardus, *& ipse Dominus arbor est : & debemus ab eo quoque ramos accipere, quos nostris pedibus apponamus : imò non fortasse, sed magis verè arbor est ipse & planta cœlestis : sed in terris plantata sicut scriptum est. Veritas de terra orta est, &c.* Cur non ait Magister Divinus : ego lignum vitæ germinatus sum, cùm in mundum ingressus fui ? Quia nativitas arborum non quotidiana est : imò sæpe antiquitate obruitur quando ne fuerint plantatæ. Lux verò quamvis ab exordio mundi perduret, tamen semper hodiernum beneficium est cùm enascatur quotidie. Sic reputandus est Christi adventus : habendus inquam est ac si hodierna die advenerit, & hoc singulis futuris temporibus judicandum similiter quantumvis protendantur sæculo. Sed quare, nisi quia in Bethlehem domo panis ortum vidit, cujus vices agit altare. *Hæc mensa*, inquit Chrysostomus, *vicem explet præsepis ; nam & hic corpus Dominicum ponitur :* & non utcumque, sed etiam ut vera lux descendit in altare : nam ideo loquens nomine populi Gentilis ad Hebraicum, ait S. Ambrosius ad Eucharistiam suadens : *accedite ad eum & illuminamini quia lux est.* Christi Domini adventus in altare non sit reminiscentiæ nostræ munus vetustum ; sed novissimum : hodiernum esto memoriæ ingenio quod pridie ante Christi Domini mortem donatum est. Hæc est recordationis gratæ sollicitudo, præteritum in præsens commutare. Non ergo quia retro aspicit memoria, inepta est ut calicem Eucharisticum bibat novum in militanti regno Dei.

Joan. 12. 46.

S. Bern. ser. d. S. Bened.

Chrysost. o at. d. B. Philog. to. 3

Ambr. in Ps. 118. Octon. 18. tom. 2.

Quæ cum ita sint, notum redditur facillimum esse memoriæ (quantumvis potentia sit ferè impotens ad consistendum) postquam semel ad mensam Dominicam sedit, ibidem permanere, quin ad alia recedat. Nam quis erit adeo mentis inops ut ab hujus mensæ deliciis non ei sit arduum divelli ? Quod ardenter diligitur sibi nectit amantem : quantò plus trahet se diligentem ille qui totus desiderabilis ? is, inquam, ipse qui ne aliud quæreremus bonum se tradidit intimè fruendum cupiens totum nostrum sibi vendicare zelotypus amorem : *præbuit namque se ut te elevaret ad se, te nutriret de se. Nec aliundè cordis tui famem, æstuantemque charitatis ardorem refrigerare quæreres, quàm ex ipso.* Hæc D. Laurent. Justin. Trahit, inquam, ad se illos qui spiritualiter manducant, & agglutinat sibi panis vivus : nam cunctos reddit

45. *Eucharistiæ relinquere ut in cœlum tendat, quasi fert ægrè verus amans.*

S. Laur. Just. ser. d. Euchar.

Guerr. Abb. ser. 2. in Nativ. Domini. reddit amantes. *O venerandum & tremendum mysterium, quis de hoc fonte bibit, & non amavit?* exclamat Guerricus. Amantem ab amato sejungi volentem difficillimum est. Et adeo hujusce mysterij peculiare judico sibi conglutinare creaturam, ut parum absit ne dicam difficilè volituram illam proficisci ad cælestem Jerusalem, si oporteat relinquere Altissimum in Eucharistia? Deum in Sacramento altaris ægrè dimittet verus amans ut inde tendat in cœlum.

Regrediamur ad Bethlehem, & audiamus verbum quod ibi factum est ad pastores. Scis in Bethlehemitico stabulo Sacramenti hujus lucidam præcessisse umbram. Tritum est illud Gregorij M. *Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est qui ait: ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est, quia futurum profectò erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Nato Domino pastoribus angelus apparuit cùm noctù pro custodia gregum sub dio rusticarent. Ex Haymone colligo quod circiter mille passus armentarij distabant à civitate Bethlehem. Ad illud: *custodientes vigilias noctis super gregem suum*, commentatur Episcopus Haymon: *ne aliquam ovem, vel arietem raperet lupus. Et quædam turris distans à Bethlehem mille passus, juxta quam erant pascua uberrima, & vocabatur illa turris Ader. Et pastores pascebant ibi pecora sua tempore hyemis.* Cúmque prout supponit Silveyra, ad hoc ut propriè prophetia de nativitate Messiæ in Bethlehem explicetur, dicendum sit stabulum in quo Filius Dei natus est fuisse in exteriori parte muri, fit ex his omnibus, quòd non parum distantes à puello Domino pastoribus apparuerunt angeli. Narrat Lucas eos ibi Deo persolvisse laudes. *Et subitò facta est cùm angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum & dicentium. Gloria in altissimis Deo*, &c. Hujusmodi hymnum ad præsepe concinendum putabam. Cùr non cælestes milites accedunt ad antrum ubi jacet Princeps pacis amore victus & ingratitudine dejectus humi? in deserto autem angeli ministrant ovanti? Hominum est, non angelorum, anxietatibus consternatos fugere; ad triumphatores advolare. Signum præbet nuntius pastoribus, ut inveniant recens natum. Et non, quæso, foret æquum ut eos duceret ad præsepium? Non appropinquant Domino suo angeli tunc, quia in Bethlehemitici antri umbra latebat velut panis in Sacramento reconditus. Dedi suprà Gregorium: nunc adde Ambrosium: suspicor enim de Eucharistia sacra locutum dum dixit: *in Bethlehem natus est de Maria Christus, eadem autem Bethlehem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideo jam non domus furoris, sed domus panis, quia panem recepit eum qui descendit de cœlo.* Fortè veriti fuere cœlites aulici ne si ad panis divini delicias ore spiritus gustandas in præsæpio illi se conferrent, præ nimia dulcedine, vel ægrè, vel nullatenus, inde possent avelli, ut in Empyreum regrederentur statim.

S. Greg. M. hom. 8. in Evan. tom. 2.

Epiſco. Haymon. in Evã. Luc. 2.

Silv. tom. 1. in Evan. l. 2. c. 1. q. 9. n. 39.

Luc. 2. 13.

S. Ambr. observatione 1. in Michæam ad Horontianum. tom. 2.

Dies illa in Regia cælesti festiva plurimùm erat: ut conjicio ex illis verbis: *Gloria in altissimis Deo*, hæc enim sic ex communi sententia commentatur Silveyra ibi: *& reddit hunc sensum præsens oratio. Nato Christo in cœlo est gloria Deo; seu ob tantum Sacramentum angeli in cœlo glorificant Dei bonitatem*, &c. Oportebat ergo angelos non diu morari, quin ad istam functionem, quæ in cælis agebatur, mox reverterentur, ut cùm cæteris concinerent Deo gloriam. Itaque ne in domo panis ferculi Divinissimi suavitate spiritus angelici allicerentur ita ut exinde quàm difficulter discederent: operæpretium putaverunt ad antrum quò panis angelorum descenderat, non accessisse. Videtur favere Rupertus quatenus angelorum erga sacram Eucharistiam introspiciédam significare voluptatem visus est, ut suspicor, ait enim: *ergo panis cœli, panis angelorum ipse est, qui in evangelio suo dicit: ego sum panis vivus qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic enim victus est, & vita est angelicæ substantiæ, nam in eum desiderant angeli prospicere.* Quid si manducarent sacramentaliter, simul & spiritu nectaream altaris dapem?

Silv. sup. n. 89.

Ruper. l. 3. in Exod. c. 10.

Nos igitur qui angelis negato nutrimur alimento, memoriam sistamus amoris arte ad mensam, ita ut perpetua recordatione tanti muneris grates exhibeamus incessanter magnifico largitori. Quòd ut præstemus, oportet memori mente servemus illa duo quorum memoriam commendat Chrysostomus aiens: *Si memores fuerimus, & duorum istorum operum diligens faciamus examen; quid nos quidem peccaverimus in Deum, & quid boni ille nobis fecerit, ità & grati erimus, & omnia effundemus.* Cor humanum duplex affectus præcipuè regit, nempe timor & amor. Ut grates pro Eucharistiæ dono persolvere noverimus, dirigamur utroque necesse est: timore scili. ex præteritorum scelerum conscientia, & amore quem tanquam benefactori debemus Domino, qui sic nos usque in delicias amat.

46. *Ut Eucharistiæ gratissimus quis opporteat memorari?*

Chrysost. to. 3. hom. 38. in Acta.

Exemplum à Magis cape, simul & vulgare dubium recentiori meditatione donabis. Quare non per angelum, sed per stellam ducti sunt illi (*vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus*, &c.) Cùm per Comitem angelicum duci jussus Tobias fuerit? Reges erant Magi, prout est commune placitum: unicum do Athanasium: *Epiphaniæ, quam trium regum appellamus diem.* Cui adde Cyprianum: *non satis est*, ait, *quid angeli locuti sunt pastoribus, quod apparuit stella regibus*, &c. Itaque pergebant Magi ad præsepe, ubi præmaturâ gratiarum actione veneraturi erant Deum velo Eucharistico tectum (ut ex Chrysostomo infrà colligam.) Cúmque potentium sit infirmitas ægrè ad gratitudinem trahi (quippe quæ humiliationem involvit ipsis utplurimùm satis molestam, & præsertim eò quòd omnia sibi deberi putent:) oportuit Magorum gratitudini remedium præsentissimum adhiberi: stellam scili. quæ revocaret in ipsorum mentes & crimina præterita, & accepta beneficia. Crimina, inquam, nam astrum frequenter

Matth. 2. 2.

S. Athan. q. 2. ad Antioch. S. Cypri. ser. d. bapt. Christi.

quenter ſuſcipientes non poterant non recordari quàm enormiter Deum per idololatriam cæleſtium luminum offendiſſent: nam illi colebant ſtellas antea divinis honoribus,
Chryſolo. ſer. 146. ut Chryſologus docet dicens: *quando Regem cœli niſi revelante Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cœlo diis totidem quot ſyderibus ſerviebat*, &c. Et infrà: *ſtellam jam non deum credit*, &c. Deinde beneficia ſimul occaſione ſtellæ memorarentur Magi: Sapientes enim erant, & noverant quantis donis per cæleſtes influentias divina liberalitas ditaverit mortales. Beneficiorum igitur & peccatorum memores per ſtellam facti, ſupplices in actionem gratiarum ante panem de cœlo provoluti corruunt. Equidem ſic ſe geſſerunt, antequam veniret hora myſtici prandij: quid nos agere congruit, qui continui ſumus Domini commenſales? *Hoc corpus* (ait Chryſoſtomus) *in præſepi reveriti*
Chryſoſto. to 4 hom. 24. in 1. ad Corint. *ſunt Magi, & ba bari longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur igitur ſaltem barbaros nos qui cœlorum cives ſumus.* Et nota quòd pro beneficiorum recordatione ſuadenda ſtellam acceperunt quandiu non ad Euchariſtici panis præſentiam devenere; poſtea verò jam ad
Euthym. in Evang. Epiph. id aſtro non erat opus. *Antequam puerum vidiſſent* (ait Euthymius) *ſtella ducatum eis præſtitit: poſtquam autem viderunt, angelus deinceps quaſi jam ſanctificatos alloquitur.* Euchariſtiæ adumbratæ perceptio ſpiritualis abundabat ut eos donorum Dei non ſineret obliviſci. *Reverenda* (Chryſoſtomum iterum audis) *& ſalutaria illa myſteria, quæ*
Chryſoſ. hom. 16. in c. 8. Matth. tom. 2. *in omni Eccleſiæ congregatione celebramus, Euchariſtia, id eſt gratiarum actio nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipſum divinæ charitatis oſtendunt, noſque faciunt debitas Deo gratias ſemper exſolvere.* Fruere Chryſoſtomo, dum ex memoriâ gradum facio ad voluptatem.

DELIBATIO IX.

Voluptas conviva tertius citra faſtidium ſatiatur Euchariſticis deliciis, ita ut alias non expetat.

47. *Mundanæ voluptates non commovebunt Euchariſtiæ paſtum.*

LÆtitia, quæ juxta ſuam etymologiam latitia eſt, ac dilatationem denotat cordis, nullibi major homini contingit, quàm in ſacroſanctæ Synaxis participatione ſuaviſſima: nam ſi mortalibus olim, priuſquàm ad tantam fœlicitatem eveherentur, ſpirituale mentis os dilatandum erat volenti capere inviſibilem bonorum affluentiam, quibus largè repletur anima, juxta illud: *dilata os tuum, & implebo illud:* quantò plus oportebit cor dilatari, ut in eo Deus totus maneat? *Major eſt Deus corde noſtro.* Summa ergo hæc dilatatio, maxima lætitia eſt: qua ut afficeretur homo convaleſcens, ex morbida mæſtitudine peccati, calicem prædulcem Deus illum voluit libare. *Seipſum enim format Deus in eſcam ſicut ſcriptum eſt in Evangelio, qui manducat hunc panem vivet in æternum. Ut inenarrabili modo tranquillet, & impleat animam lætitia ſpirituali.*
Pſal. 80. 14. 1. Joan. 3. 20. S. Macar. hom. 4. Sic D. Macarius. Tranquillat, inquam, cibus Euchariſticus animam: illa quippe guſtans, licet non videns, quàm ſuavis eſt Dominus, mundi gaudia veluti fella deteſtatur. *Si quis* (ait loquens in perſona Salvatoris D. Bernardinus) *ſitit in anima delectari, atque inebriari, veniat ad me & bibat ſcili. ſanguinem meum, quia talibus omnis mundana delectatio amareſcet.* Sed, age, demus (ne auſteriori ſermone terreamus lectores:) do, inquam, quòd mundi gaudia verè mellea ſint: non illius commovebunt appetitum, quem perfuderit Euchariſtica ſuavitas. Rationem ſtatim ſubjiciam.
S. Bernardin. to. 2. ſer. 56. arti. 2. c. 3.

Ænigma quæramus veritatis ejus inter veteris teſtamenti figuras. Poſtquam ſors iniqua Joſephum premere deſiit, & prorex Ægypti conſtitutus eſt à Pharaone, ut populis præveniret annonam, quâ venturæ fami poſſet occurri: bis compulſi neceſſitate fratres illius ad ipſum venere ſupplices. Primùm à Joſepho durè tractati ſunt. Poſterius verò, quamvis ſeveritatis præceſſerit ſimulatio; tamen nec prout antea, carceri fuere mancipati, nec ullus vinculis alligatus fuit, ut priùs acciderat Simeoni. Demum obortis præ gaudio lachrymis exoſculavit ſingulos, clementiam non exiguam teſtatus eſt, & fraternam dilectionem egeſſit. *Oſculatuſque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & plora-*
Gen. 45. 15. *vit ſuper ſingulos.* Quàm ſibi diſſimilem Joſephum lego! Cùm prima vice fratres advenerunt, non tantùm ſeveram agit perſonam: ſed vincula & carcerem exequitur? Poſtea non ita? ſed favet iiſdem indulgens nimiùm amori ſuo? qua de cauſa? Myſticam eruamus loci medullam. Joſeph Chriſtum Dominum præſignavit: ab eo triticum donatum Euchariſtia eſt: Ægyptus emblema ſæculi fuit. Patronus huic interpretationi toti proſperè favet inſignis. *Miſit Joſeph*
S. Proſper. d. prædict. & promiſſ. Dei p. 1. c. 23. *ſuos per totam Ægyptum, & collegit frumentum multum quaſi arenam maris. Et noſter Joſeph Chriſtus Dominus miſit ſuos per mundum*, &c. addit infrà: *in hac fame poſitis noſter Joſeph Chriſtus Dominus, ex horreis ſuis nobis divinam ſui corporis annonam adminiſtrat, quam guſtantes, videmus quàm ſuavis eſt Dominus.* Ægyptus olim deliciis affluebat, quarum ſignum eſt quòd cùm ſacer textus exaggerare vellet amœnitatem Sodomorum ante conflagrationem, duo elegit quibus eam aſſimilaret, paradiſum ſcili. ac Ægypti partem: quaſi Ægyptus eſſet paradiſus alter. *Vidit omnem circa regionem*
Gen. 13. 10. *Jordanis, quæ univerſa irrigabatur, antequam ſubverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.* Et fortè veritus eſt Joſephus ne ſi fratribus propitium ſe cùm primò venerunt exhiberet, allecti deliciis Ægyptiacis nollent inde ad patrem ſuum cum annona redire. Quapropter ſævitiam induit, duris premit, duriora loquitur, ut ab Ægypto libenter abeant. Cùm in Ægyptum rurſus advenerunt, jam ratio iſta ceſſaverat: cùm etenim ex frumento, quòd Euchariſtiam ſacram adumbrabat, guſtaviſſent; periculum non erat quod Ægyptiacis deliciis

tenerentur : non ineſcatur Ægypti, hoc eſt mundi, voluptatibus ille qui pane cælitum paſtus eſt.

48. *Omnia bona ſua tradit in Euchariſtia Deus.*

Rationem aſſigno dicti hujus, ex doctrina quàm inculcat experientia : ſcili. bona tranſitoria nunquam ita confertim ad ſinum alicujus advolare, ut non ſpatium aliquale vacuum relinquant. Cùm enim Deum capiat cor humanum, ejus capacitatem quidquid inferius eſt Deo non exhaurit : ac proinde potiùs ex negato bono voluptas decreſcit, quàm ex poſſeſſo gignitur. *Quidquid expectantibus fortuna projecit, id ſine ulla voluptate dimittimus, ſtatim ad reginam alterius erecti, & attoniti.* Non ſic evenit animarum guſtui manna ſelectius prælibanti : nam in eo cuncta reperit ille delectamenta. *Hoc frumentum, corpus videlicet Chriſti adipem habet, & non ſolùm adipem, ſed & omnes deliciæ : quia quidquid præguſtare ſpiritualiter potueris, hoc totum ibidem inveniès.* Ita piiſſimè Paſchaſius. Neſcit bonorum diviſionem amor, quia unio eſt. Non ſe continet quin omnia ſua ſecum deferat in amatum : pondus, & menſuram recuſat, quia ignis eſt : *qui omnia in numero, pondere, & menſura fuiſti, in diligendo me modum, pondus, atque menſuram exceſſiſti.* Sic Deo grates referebat S. Thomas à Villanova : quòd in Euchariſtico dono maximè locum habet : nam & ibi munus collatum ignis eſt. *An neſcis quod hæc menſa plena eſt igne ſpirituali*, &c. Verba ſunt Chryſoſtomi relata per Surium. Sicut ergo cum velum templi (ſpecies inquam templum Dominici corporis velantes) dividitur, corpus integrum permanet, ſic nec ejus bona communicantibus Deus ea partitur ; ſed omnia ex integro ad unumquemque deveniunt.

Sen. in epiſ. 71.

Paſch. d. corpor. & ſang. Domini, c. 9.

S. Thom. à Villan. ſer. 2. de advent.

Chryſoſ. apud Surium 20. Septemb.

Calicem ſui ſanguinis tradidit Apoſtolis Dei Filius, dicens : *hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo*, &c. Scio teſtamentum ſæpe in Scripturis poni pro pacto : ſed hoc loco pro ultima voluntate morituri non incongruè ſumi poteſt ex doctrina Damaſceni. *Cibus verò*, inquit, *ipſe panis vitæ Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ex cœlo deſcendit. Nam ſuſcepturus voluntariam pro nobis mortem, in nocte, in qua ſeipſum obtulit, teſtamentum novum diſpoſuit ſanctis diſcipulis, & Apoſtolis, & per ipſos omnibus aliis in ipſum credentibus.* Et quęnam eſt in hoc teſtamento novitas ? Plures obviæ ſunt : unica modò. Solent morte confirmari teſtamenta, ita ut ante illam nihil roboris habeant, juxta textum Pauli fide ſanctum. *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt.* Res inaudita reperitur in Sacramento fidei, quæ quidem ex auditu : teſtamentum ſcili. effectum obtinuit antequam teſtator moreretur : pridie namque homines poſſeſſionem bonorum teſtatoris adiere. Sed quæro : quonam fine ſic ille providit ? inſtituatur Euchariſtia ſacra deſignatione materiæ formæque ſacramenti ; non tamen niſi poſt mortem conſecretur, ut ſicut reliqua teſtamenta, ſic & iſtud poſt mortem ſortiretur effectum : detur inquam Apoſtolis poteſtas ut poſt Magiſtri exitum ſtatim celebrent primò Sacramentum ineffabile : non verò illo fruantur habentes adhuc Dei Filium detecta facie præſentem. Conjicio ideo noluiſſe Dominum quòd in triduo mortis primùm conſecraretur vitale Sacramentum, quia, ut Theologi docent, ſi Sacerdos in triduo mortis Dominicæ ſacra faceret, poneretur corpus abſque anima ſub ſpeciebus panis & ſanguis inanimatus ſub accidentibus vini. Noluit partem diſtribuere ſed totum decrevit effundere. Omitto quod teſtamenti proprium eſt, ne condens illum decedat ex parte inteſtatus. Cùm ergo Euchariſtia teſtamentum ſit Redemptoris, in eo nobis ille pretioſiſſimam hæreditatem, clauſis ut aiunt januis, ideſt omninò integram reliquit. Non ſic ſe mundus gerit, qui cum ſit amens teſtamentum diſponere nequit : donationes quaſdam nullas diſpergit, quas tempus (cui ob ſenectutem commiſſa eſt hujus fatui cura) revocat citò. Interim dum iſtæ manent, voluptatem non replent. Aliter epulantibus in menſa Domini proviſum eſt, quos abundè recreat dulcedo cæleſtis, ita ut in beatitudinis veſtibulo poſiti videantur.

Luc. 22. 20.

S. Joan. Damaſc. l. 4. d. fide, c. 14.

Hebræ. 9. 27.

49. *Beatitudo eſt epuli Euchariſtici gaudiũ innovatum.*

Imò non hærentes in cæleſtis palatij limine, ſed intraſſe jam in gaudiũ Dominiſui videntur ij, quos fecit ille diſcumbere, quibuſque tranſiens miniſtravit ſui corporis eſcam. Licet parcè, tamen verè locutus eſt Antiſtes Venetus. *Tranſcẽdit* (aitille) *quidquid eſt, quidquid virtutis, quidquid ſanctitatis non capit ſenſus, non ſcrutatur ratio, mens non attingit humana, quomodo Deus & homo Chriſtus Jeſus ſub panis & vini ſpeciebus ſacerdotum attrectetur manibus, & corporali hauſtu altaris percipiatur in menſa. Nec immeritò, eſt namque hoc divinum opus notiſſimum futuræ fœlicitatis indicium, ac divinæ miſerationis præſagium certum omni veneratione colendum. Æquè in altaris ſede, quemadmodum in cælo colitur Deus, quamvis aliter.* Parcat S. Doctor ſi verbis ejus nonnihil immutatis utar : parum enim abeſt ut dici poſſit : æquè in ſede altaris, quemadmodum in cœlo guſtatur Deus quamvis aliter. Verba mutavi ſed teneo doctrinam ſancti Præſulis. Prædixerat eodem ſermone : *In Sacramento tenent veritatem quatenus ſe exercendo fideliter, tandem eadem ſicut angeli aperta viſione fruantur. Videſne quàm ſapientiſſima dignatione juxta ſingulorum qualitates & ſtatus angelis, hominibuſque ſe communicet Chriſtus? Uno cibo veſcuntur omnes, quamquam aliter atque aliter.* Euchariſtia igitur Dei fruitio eſt : in convivio quippe nuptiarum Agni parato in aula Regiæ cæleſtis non alius calix eſt libandus : idem ipſe, novus quoad modum, ſumendus à beatis eſt. Poſt conſecrationem ſanguinis Aſſertor id inſinuavit, quod jam latiùs expendam.

S. Laurent. Juſtin. ſer. d. Euchar.

Idem ibi.

Sacrorum interpretum bipartita ſententia eſt quid per Dei regnum intelligendum ſit in illis verbis Domini : *amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum cùm illud bibam novum in regno Dei.* Multi referunt ad reſurrectionis Dominicæ tempus. Alii, à quibus nunc ſto, accipiunt hîc ſub nomine regni beatitudinem : unum pro cæteris do Bernardum.

Marc. 14. 25.

Erit

D.Bern.ser. 72. in Cant. *Erit cum erit virtus collabilis, nec premetur dente, nec fatigabitur à mandente. Vel potius non fatigabit mandentem, quæ bibentem absque opera delectabit, tanquam utique potus, non esca.* Per genimen autem vitis intelligi sacram Eucharistiam suadet quòd, ut ex ipso Evangelistarũ cõtextu Silveyra colligit, verba hæc dicta sunt cum sui sanguinis calicem Dominus Jesus haberet in manibus: unde pronomen *hoc* ad calicem consecratum refertur: & Paschasius ita videtur sentire. *Sic,* ait, *quoque bibit illud novum in regno Patris, ideſt, Ecclesia, quoties eum dignè sui aut comedimus, aut potamus.* Regnum intelligit aliter atque nostro interest cogitatui: sed hoc omitte, advertéque locum de Sacramento altaris exponi. Nunc examinandum est cur illum Dominus potum appellet novum in cælesti regno sumendum, si de hoc quod præ manibus erat loquebatur. Novum, hoc est novo sumptionis modo accipiendum exponit Theoph. quamvis de sacra Eucharistia minimè agat: *novum,* ait, *autem promittit, id est novum quendam modum sumptionis.* Insinuat ergo per hunc modum loquendi Servator, Eucharisticum poculum non alium esse quidem ab illo quo cælicolæ potantur, sed idem innovatum: idem quoad substantiam; novum quoad modum. Igitur non tantùm æternæ fœlicitatis præludium, sed quasi voluptatis æternæ possessio est ad quam gaudium nostrum invitatur.

Silvey.to. 5. in Evang. l. 7. c. 7. n. 268.

Paschas. d. corpo. & sangui. Domini. c. 21.

Theophylac. in c. 26. Matth.

50. *Cælitum voluptas augetur si gaudiis Eucharisticis interſint.*

Adde beatorum spirituum hierarchias, quas paradisiaci fluminis impetus lætificat in civitate Dei, quamvis ad sacræ Synaxis participationem non admittantur, tamen ei assistere, de tantoque nostro bono gaudere: ut sic videas gaudium exuberans esse quod ab eo fonte promanat: quia nisi foret superabundans non moveret illorum voluptatem qui beata & æterna fœlicitate fruuntur: sicut ovantem regem non lætificat flos campi; thesaurus autem inventus maximè. Quòd altari sacro adstent angeli non dubites: audi Justinianum: *altaris locus, in quo angelorum, archangelorumque millia Domino descendente assistunt:* quòd autem Dominum ibi submisse venerentur, & de fœlicitate nostra exultent, ex eodem accipe. *Tantæ siquidem dignitatis, tantæque excellentiæ esse probatur, ut in eo ipsa etiam angelica natura miretur, ve eretur sub accidentibus Christum, divinam in Sacramento majestatem colat, gaudeatque vehementer esse cum hominibus Deum.* Ecce beatorum spirituum credes voluptatem de summo bono possesso augeri per hoc quod sacra convivij gaudiis interſint.

D.Laur.Justi. sup.

Idem ibi.

In Apocalypsi Joannes bis meminit seniorum, qui super sedilia viginti quatuor majestati divinæ assidebant, licet utrobique sit eadem visio, ut apud commentatores videre est. Per senes istos intelligit electos Liranus in sensu morali: *sedilia viginti quatuor, id est societas electorum ad angelorum hierarchias assumptorum.* De illis itaque dum loquitur Pathmæus vates in c. 4. ait: *mittebant coronas suas ante thronum dicentes: dignus es Domine Deus noster accipere gloriam,* &c. Capite verò sequenti de ipsis ita scribit: *ceciderunt coram Agno.... & cantabant canticum novum dicentes: dignus es Domine accipere librum,* &c. Ecce utroque loco dicuntur adorasse; solo tamen posteriori legimus quod illi cecinerint. Quorsum disparitas ista? Conjicere fas est ita scriptum ut intelligamus, quatenus cælites ex adoratione Dei sub nube sacramenti exhilarentur: nam in cap. 5. de sacra Eucharistia non obscura mentio fit: nam stabat Agnus tanquam occisus, *quia quotidie in Ecclesia immolatur* (exponit Lira) *non moriendo secundum carnem, quia resurrexit ad vitam immortalem ut dictum est: sed secundum effectum & repræsentationem quia per oblationem Eucharistiæ communicatur nobis effectus suæ passionis.* Consonat Alcazar dicens ad cap. 5. *adoratio Agni referenda est ad Missæ sacrificium:* itaque ubi Eucharisticus adoratur Agnus cantare perhibentur cælites, ut exuberans lætitia, quam ex fonte totius gaudij clauso simul & effluente capiunt, significetur. Priùs adorabant Christum tanquam judicem: *& ecce sedes, Christi judicantis,* commentatur Lira: ideo nihil de beatorum præfata lætitia tunc protulit Joannes. Inferes inde quòd si solius adorationis festivus plausus quem Eucharistiæ sanctissimæ vovent aulici Empyrei sic ingens est, ut prorumpere faciat illos in cantica, qualis erit voluptas justorum in Ecclesia militante non tantùm colentium, sed manducantium authorem totius gaudij?

Ibi c. 5. 9.

Liranus ibi.

Alcazar in 5. Apoc.

Liran. ad 4. Apoca. n. 2.

Parum est quod ex Eucharistica dape captum oblectamentum beatitudini par æstimetur. Vix dissentiens cum ostendero ferè potiri eâdem glorrâ cum Deo illum qui Sacramenti communione beatur. An tu nescis Eucharistiam sacram appellari Dei gloriam? Apud Ignatium Martyrem legisse meministi ad Ephesios ita scribentem: *Festinate ergo accedere ad Eucharistiam, & gloriam Dei.* Proindè communio sacra est penè cum Deo ejusdem gloriæ communis participatio.

51. *Ejusdem gloriæ cum Deo particeps homo est in Eucharistiâ?*

S. Ignat. mart. ep. ad Ephes.

In Thaboris vertice refulsit Sol justitiæ clementer admittens ad splendoris contubernium ex Apostolis tres quos elegit amor, ut remuneraret æquitas. Non tamen illi resplendebant; sed Magister. Paulò ante visionis finem nubes descendit fulgida, quæ non tantùm Filio Dei, sed etiam tribus discipulis, pulchrum, licet brevi durans tentorium præbuit: *nubes lucida obumbravit eos.* Eadem nubes tegit discipulos, & Præceptorem divinum? Antea fulgebat Servator; Apostoli nequaquam? nunc verò eodem lucido pallio exornantur omnes? Scis quid ex Episcopo Drogone signaverit nubes: *Sacramenti tui nubes erat perlucida,* dixit ille. Cùm Deus Eucharistica nube gloriam induit splendidi velaminis, ad illam admittit hominem, ita ut eâdem potiantur ambo. Non ut Petrus dividamus tabernacula; sed per amotis vinculum in Deo manentes, dicamus præ gaudij magnitudine post mysteriorum sumptionem: *bonum est nos hîc esse:* nec erit qui asserat nescire nos quid proferamus, imò ignara sui voluptas erit si non prorumpat hoc recreata nectare.

Matth. 17. 5.

Drogo d. Sacram. Domi. Passionis.

DELIBATIO X.

Desiderium conviva quartus ad epulas Eucharisticas considet, ut satietur insatiabiliter.

52. *Nihil restat expetendum fruenti Sacramento altaris?*

CUm Sapientia Dei parvulos ad arcem vocaret, dicens: Venite comedite panem meum, nullum ex convivis difficilius quàm desiderium à quæritantibus inventum est, ut adduceretur ad convivium: vagat enim illud per vias: imò per invia incertus viator oberrat. Ad mensam Dominicam invitatur, ut desinat vasta loca peragrare discriminum plena: quia, ut consulit, & pollicetur Cancellarius Parisiensis, *quisquis ad Deum vadit utatur viatico hoc, non deficiet, non oberrabit, non peribit, sed pertinget.* Igitur conviva iste post multos errores, ac semitarum circuitus, quibus vagabundus ferebatur potius quàm ibat, sedet in convivio tandem, ut maneat in Deo qui manet in illo, nec fugientia rursus vestiget dispersus in millia. Credibile vix est credentem quàm superabundante bonorum fonte perfruatur in mysterio miraculorum summo, non tanto satiari cumulo divitiarum. *Si credimus* (ait S. Cæsarius) *verbo Dei propriè & firmè esse divinum corpus, quod super mensam sanctam consecratur, & inexhaustè participatur, abundè super omnia desiderabilia satiat.* Unde qui semel tandem aliquando potitur Deo sub Sacramenti nube, nihil ultra quod appetat in vita mortali, nil inveniet quod amplius quærat.

Gerson p. 4. ser. d. Cœna Dom.

S. Cæsar. frater. Nazian.

Cùm Dominum templi Virgo Genitrix induxit in templum Domini, legi gratis obtemperans, & pretio redemptura mundi pretium, grandævus accepit Simeon puerum in ulnas, & fesso pectore talia deprompsit: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*, & licet non desint qui sic interpretentur hæc ut solùm valeant: nunc scio me moriturum, quia &c. tamen aliorum vestigia sequamur, qui mortem postulantis esse verba credunt. Accipe pro multis Ambrosium dicentem: *ita dimitti petit quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinare, sunt enim velut vincula quædam corporis hujus.* Senem præ gaudio turbari mente putabis cum expetit vitæ finem: nam crederem potius nunc oraturum Simeonem ut sibi protenderentur spatia vitæ, quibus posset redemptionem cernere, de qua ille futura non inscius erat: dixit enim: *ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël:* ubi Theophylactus: *aliter quoque intelligi potest. Positus est Dominus in ruinam; hoc est, ipse passurus est & casurus in mortem, & cùm ceciderit ipse resurgent multi.* Diem sanè quo redemptio peracta est cupiit oculis corporeis Abraham videre. *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum:* exponit S. Augustinus: *Abraham concupivit videre diem meum:* & quibus oculis? corporeis utique. *Quod beatus Abraham*, inquit Haym. *prævidit oculis corporis si fieri potuisset.* Quænam dies est de qua loquitur Dominus? Chrysostomus docebit. *Diem autem meum hoc in loco crucem mihi significare videtur.* Similiter Euthymius: *exultavit, sive concupivit. Diem autem suum dicit diem passionis.* Rem certè miram: quem desideraverat Abraham cernere diem, Simeon conspicere non exoptat? Nil sibi ultra jam optandum putavit cùm Deum vidit absconditum. *Nunc dimittis*, &c. commentatur Chrysostomus. *Quod, inquam, cor ante expectabat, id nunc conspicati sunt oculi mei: nihil ergo mihi deest amplius.* Et quare sedatum fuit illa die desiderium Simeonis? Umbram Eucharistiæ sacræ puto mitigasse ardoris incendium. Patrocinetur Beda. *Benè autem puer Iesus primò circumciditur, ac sic interpositis diebus Ierosolymam cum hostia defertur, quia & ipse jam juvenis prius omnem carnis corruptionem moriendo aut resurgendo calcavit, ac deinde interpositis diebus cùm ipsa carne jam immortali, quàm pro nostra salute hostiam Deo fecerat, ad gaudia supernæ civitatis ascendit. Et unusquisque nostrum prius aqua baptismi à peccatis omnibus quasi vera circumcisione purgatur, ac sic proficiente gratia novæ lucis, ad altare sanctum salutari hostia Dominici corporis & sanguinis consecrandus ingreditur.* Non liberè panem Eucharisticum subodoramus in templo, tum quia ut suprà delibatione 8. dedimus ex Chrysostomo, Eucharistia gratiarum actio est, & ibi sanctissima Virgo gratam exhibuit se Christum Dominum offerens. (Sic D. Thomas virtutum actus quas Dei Mater tunc exercuit annumerans: *quintò*, ait, *gratiarum actio in filij oblatione:*) tum etiam quia Christus erat hostia; Simeon autem ex communi sententia sacerdos. Quid restabat concupiscendum ei qui Sacramenti venerabilis præsentiam viderat, quamvis in umbra?

Haymon Episcop. in illud Evangelium.

Chrysost. hom. 54. in Joan. tom. 3.

Euthym. ibi.

Chrysost. orat. d. occursu Domi, 7. inter declam. 17. PP.

Beda in hom. festi Purific.

D. Thom. ser. de Purific.

53. *An beatitudinem possidet qui fruitur Eucharistia sacra?*

Plus audet quàm credit hyperbole. Vereor ne beatitudinis æternæ vota deponat interim qui cælesti fruitur pane. Quod tenemus non cõcupiscimus. Absumus equidem adhuc à paternis foribus exules: attamen tam largè nobis congiarium providit orbis Moderator ut ex ejus curia vix quidquam restare videatur postulandum: quasi jam paterna hæreditate potiretur is qui novo ditatur testamento.

Præfatus in persona justorum coronatus Psaltes aiebat: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.* De futura gloria loqui Davidem insinuat D. Macarius. *Porrò omni studio, atque humilitate accedendum est ad Christianorum certamen, ut inde consequi possimus divitias illas. Siquidem hæreditas & pars Christianorum est ipse Deus. Dominus enim (ait) pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Illud pungit aviditatem enucleandi mysterij quòd jam obtentam dicit hæreditatem: sic Bellarminus exposuit quod sequitur: *funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, ideò optimam hæreditatem sorte fœlicissima consecutus sum.* Quomodo stabit hæc expositio cùm verbis illis Davidicis inibi: *tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*, videndum est. Si resti

Psal. 15. n. 5.

S. Macar. hom. 34. in fine.

Cardin. Bellar. in Ps. 15.

Luc. 2. 29. 30.

S. Ambr. l. de bono mortis c. 2. to. 1.

Theophylac. in 2. Luc.

Joan. 8. 56.

D. Aug. l. 3. contr. Maxim. c. 26. tom. 6.

restituendum depositum, qua ratione consecuti sumus illud? Per Eucharisticum calicem, qui nostræ summa salutis est, quasi possidetur æternæ fœlicitatis hæreditas. Lorin. in Ps. 15. 6. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*, ubi Lorinus: *nomine calicis*, inquit, *indicari possit cruentum Christi in cruce sacrificium, & in Eucharistia incruentum.* Cùm ergo nemo possessa cupiat, vix locus datur ulterioribus votis, postquam nostrum ita sublime volavit desiderium, ut manserit in eo, qui corpus suum in sempiternam nobis obtulit mansionem.

54. *Cor per communionem sacram ascendit ut maneat in Christo.*

Rationem jam insinuatam persequar aliquantulum. Hæreditas nostra, seu prout loquuntur Scholastici, objectiva beatitudo; Deus est. Hunc ut cupiat voluntas, oportet quod ab eo aliqua ratione absit. Non autem aberit à corde nostro Dei Filius, cum eum intra nosmet sacramentali, simul & spirituali manducatione recipimus. S. Vincent. Ferrar. ser. d. Ascensi. *Quælibet res ardenter amata trahit ad se cor*, ait S. Vincentius Ferrar. Si proinde cor tuum dum gustas Domini delicias, exardet amore, non illud in pectore tibi manebit, sed in Christo.

Audisti non semel ex Beda quòd in Emaus Castello corpus consecraverit suum Redemptor, ac duobus discipulis porrexerit: Luc. 24. 30. 32. *accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, &* Beda ibi l. 6. c. 96. *cognoverunt eum*: commentatur Beda ibi: *à Christo facta est permissio usque ad Sacramentum panis, ut unitate corporis ejus participata removeri intelligatur impedimentum inimici, ne Christus possit agnosci.* Duo illi postquam in fractione panis agnovere Dominum, reversi sunt in civitatem ad condiscipulos. Et ecce narrabant quæ sibi acciderant, cùm apparuit loquentibus rursus Divinus Magister. Ibi n. 35. 36. 38. *Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via: & quomodo cognoverunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur stetit Iesus in medio eorum, &c. Et dixit eis: quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra?* Non omninò videtur improbabile quod verba hæc etiam ad illos duos discipulos facta sunt: nam credere possumus & illos miraculo fuisse turbatos: quamvis enim jam priùs Dominum in Castello viderint, agnitio illa fuit quasi momentanea (*cognoverunt eum: & ipse evanuit*) unde locum reliquit conturbationi, præsertim quia Silveyr. to. 5. lib. 9. c. 4. n. 32. hujus motivum duplex assignatum à Silveyra (scili. Judæorum timor, & formido ne phantasma esset corpus quòd januis clausis ingressum est ad illos) utrumque posset reperiri etiam in duobus discipulis. Nec obstat quòd ad istos jam in via quæ ducebat Emaus locutus erat: nam etiam jam eisdem duobus discipulis Redemptor sese ostenderat, & tamen ipsis Dominum voluisse præ- Beda hom. in fer. 3. Paschæ. sentiam suam revelare insinuat Beda. *Dum autem hæc loquuntur, Iesus stetit in medio eorum, & dixit eis: pax vobis, ego sum, nolite timere. Ubi primò notandum, & diligenter memoriæ commendandum est, quòd de se loquentibus discipulis Dominus astare in medio & præsentiam suæ visionis revelare dignatus est.* Participium illud *loquentibus* cadere videtur supra duos discipulos, & supra eosdem cadunt verba Lucæ: *dum autem hæc loquuntur.* Unde verosimile est quòd non solis Apostolis, sed etiam duobus discipulis dixit: *quid turbati*, &c. Memini divinum præceptorem olim dixisse pravas cogitationes exire de corde: *de corde enim exeunt cogitationes malæ.* Matth. 15. 19. Illæ quidem quas Dominus reprehendit hoc loco, non erant bonæ: *quales utique cogitationes* (ait ad citatum locum Beda) *nisi falsæ, morbidæ, perniciosæ? perdidisset enim Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis.* Beda in c. 24. Luc. c. 24. Luc. sup. c. 97. Exprobret igitur prudens Magister ascendentes de corde cogitationes; non verò in corda: & si rem non secundum mysticam Domini doctrinam, sed in rigore philosophico perpendamus, cogitatio prodit ab intellectu & per consensum recipitur in voluntate quæ cordi appropriatur. Intellectus ex communiori sententia nobilior est voluntate: igitur descendere videntur cogitationes ab intellectu ad cor; non autem ascendere. Ita forsan loqueretur Salvator, si discipulorum corda nuper non altiorem locum vendicassent diversum ab eo quem acceperant à natura. In Christo, inquam, erant post sacratissimam corporis Domini participationem. Antea discipulorum corda intra ipsos condebantur, ut ex illo quod de corde suo loquentes illi duo dixerunt, videre est: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, &c.* Luc. 24. 32. In ipsis erat in via cor eorum: ad mensam autem accidit Eucharisticam ut in Christo Dei Filio locaretur. Haud aliter Apostolis, qui paucis abhinc diebus eodem cibo divinissimo donati sunt, & quorum amantia corda manebant adhuc in Redemptore, contigit fœliciss imè. Nec enim illi quamvis gressibus aufugerint, Christum corde reliquere. Imò Petrus ipse qui negavit, tamen per fidem & spem in Domino mansit. Illius verba explicans piè dixit Ambros. *Cùm illo quem hominem nuncupatis non fui, sed à Dei Filio non recessi.* S. Ambr. in c. 22. Luc. tom. 3. Et insuper amoris nexum redintegraverat cor ejus, nam per lachrymarum pelagum reversum est ad Christum. Omnium igitur corda sublimi loco posita erant (in Verbo scili. incarnato) per Eucharistiæ sacræ munus: hujus enim proprium est cor humanum extra hominem rapere, ac illud in ipso Deo collocare. Non nimis longè abit Augustinus versans prædicta Salvatoris verba, quæ Lucas enarrat, & expendimus hucusque. *Si ascendunt in cor vestrum cogitationes, de terra veniunt cogitationes. Bonum est homini non ut cogitatio ascendat in cor ejus, sed ut sursum ascendat ipsum cor ejus, ubi volebat Apostolus ponere corda credentium, quibus dicebat: si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* D. Aug. l. 18. hom. ser. 4. Non meliùs quàm per sacra mysteria fit hæc elevatio cordis. Proindè qui forte potitur ista, gaudens ait: quòd concupivi jam teneo, quid ultra expectabo à Domino?

55. *Eucharistia*

Nec ideo tamen dicam desiderium nostrum per Eucharistiæ sacræ sumptionem

desiderium auget fruendi præsentia Christi Domini.

quiescere. Hujus convivæ famem dapes istæ reaccendunt : nam licet verum sit quòd *non affliget Dominus fame animam justi :* esuries ista non cruciat, ut notat ibidem Hugo Cardinalis, dicens : *potest intelligi de fame spirituali, qua esuritur justitia quæ non affligit animam, sed vivificat & roborat.* Esuriginem istam fœlicem parit satietas lauta regalis convivij. *Hanc Dei gratiam* (ait S. Cyprianus) *recolens qui de sacro calice bibit, amplius sitit : & ad Deum vivum erigens desiderium, ita singulari fame illo uno appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula,* &c. Indubitatum est quod eò plus ardor voluntatis conatur ad assequendum bonum, quò melius id percipit intellectus. Ex dictis jam delibatione septima videre licet quantum post collyrium Eucharisticum intellectus noster cernat acutè. Illustrata mens, & intimè accedens ad Solem quamvis nube tectum sacra, radiorum ejus pulchritudinem aquilino penetrat intuitu. *Cadaver Domini corpus propter mortem. . . . aquilas autem appellat, ut ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cùm terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem justitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non gracculorum hæc mensa est.* Hucusque Chrysostomus. Illuminata mentis acies introspicit perspicacius quàm sit amabile desiderium collium æternorum : cujus fruitionis ardor, etsi tepidus antea quieverit ; post illud attamen amatorium philtrum gestit ampliùs possidere ipsum qui jam in possidente moratur.

Hug. Cardin. in 10. Prover. n. 3.

S. Cyprian. tom. 3. ser. d. cœna Domi. ad finem.

Chrysost. tom. 4. hom. 24. in 1. ad Corint.

Revertamur ad Castellum Emaus : & adhuc inveniemus ibi Christum Dominum, ab eorum quippe tantùm evanescit oculis, qui tardi corde sunt ad credendum. Paulò ante memini ex Beda (quòd etiam docuere Hiero. & Aug.) Dei Filium duobus discipulis panem vitæ contulisse. Textus autem insinuat quòd post cibi traditionem statim evanuit ubi primùm illum agnovere : *Fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum : & ipse evanuit ex oculis eorum.* Mirum est quòd nunc disparuerit qui antea dignatus est eum nescientibus adjungi viæ mensæque comes. Si per diffidentiæ reatum diuturniori Servatoris contubernio digni non erant : ut quid peculiarem erga eos dilectionem ostendit, efficiens in eorum tantùm gratiam idem mirabilium maximum, quòd pro cunctis patravit in cœna pridie quàm pateretur ? Vel puniat incredulos; vel ne deserat jam credentes. Post pauca D. Lucas enarrat ad Apostolos januis clausis intrasse Dominum : nec tamen ipsos adeo citò dereliquit, ut ex textu constat. Quænam dissimilitudinis ratio ? Occurrit hæc. Discipulis in Emaus Filius Dei corpus ministravit suum sacramentalem in escam ; non ita se gessit januis clausis ingressus ad Apostolos. Dubiolum videtur adaugere solutio : abit quia per Eucharistiæ communionem permanebat in duobus discipulis ? Ita reor : nec vana mens. Cùm non nisi quòd absens est desiderari queat, oportebat abesse

Luc. 24. 30. 31.

Christum Dominum ut ab eis discipulis quæri posset. Sacrosanctæ mensæ quidam effectus est, ut simul anima possideat manentem, & quærat Redemptorem. Igitur ne Sacramentum discipulis collatum effectu isto suo ex parte frustraretur, simul atque cibum vitæ communicarunt evanuit ex eorum conspectu : mansit præsentia sacramentali, abiit verò prout oculis patebat, ne desiderium cessaret non inveniens absentiam quâ exerceretur. Imò nota quòd ex duabus illis præsentiis disparuit illa quæ plus movet, quia sensu percipitur, ut sic amplius cupiditate pia ferverescerent. Exitus dicta, & acta probet. Ante communionem duobus illis aliquale fuisse votum cernendi Magistrum non dubito, diligebant etenim. *Illi enim in corde Dominum amabant, sed de ejus resurrectione dubitabant.* Sic Episcopus Halberstatensis : nullatenus tamen ante sacræ perceptionem Eucharistiæ quæsiere Filium Dei : adeo tepida erant eorum de Christo videndo vota. Quæ ut incalescerent, ignis adhibetur (nam Eucharistia ex Chrysostomo supra dato flammea est) quo sic exarserunt ut eadem hora se itineri non nimis brevi accinxerint, existimantes (nec eos fefellit amor) in Jerusalem se visuros Christum Dominum Apostolis revelaturum præsentiæ suæ conspectum. *Surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem.* Tempestivè Theophylactus. *Et quando permittit tunc aperiuntur oculi eorum, & agnoscunt eum. Insinuatur autem & aliud quiddam, nempe quòd oculi eorum qui benedictũ panem assumunt aperiuntur ut agnoscant illum. Magnam enim, & indicibilem vim habet caro Domini. Evanuit autem ab eis : neque enim adhuc habebat corpus, quod multum corporali modo cùm eis conversaretur, ut ex hoc illorum crescceret desidirium.* En habes desideria per sacram Eucharistiam, velut ignes ignibus, accendi.

Haymon. Episcop. in Evang. ser. 2. Pasch.

Luc. 24. 33.

Theophylact. in Lucam 24.

Et ut ignita Deo fruendi vota nullatenus desinant, providit Author gratiæ quòd nec ad horam facies divina sacramentali velo erueretur : ut quantumlibet deliciarum ex epulo sacro deferret anima, tamen adhuc restaret quòd cuperet. Ampliori beneficio prosequitur Sponsus electorum animas, corporalem sui visionem in Eucharistia denegans, quàm si concederet : nam permissio ista præmij locum gereret ; cupiditas autem cernendi non præmium, sed meritum concupiscentis est, quod promovere cupit velatus alienis accidentibus Dominus, ut ex Paschasio habemus dicente : *Vera est Christi caro & sanguis, sed visu corporeo & gustu propterea non demutantur, quatenus fides exerceatur ad justitiam, & ob meritum fidei merces justitiæ consequatur.* Indubitatum autem est nobis in vita mortali honorabilius esse meriti augmentum, quàm præmij fruitionem.

56. Præmium honorat semel ; meritum verò duplicitèr.

Paschas. l. d. corpore & sang. Domini. c. 1.

In Eucharistica Dominus concione dixit: *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo.* Ecce duplicem assignat honorem ex manducatione corporis Dominici promanantem, scili. manere in Deo, Dominumque in se habere manentem. Alibi de iis qui Deum verè diligunt

Ioan. 6. 57.

gunt asseruit Redemptor se mansurum apud illos ; non tamen repromisit eos in Deo mansionem habituros, cùm tamen vulgo dicatur animam ibi esse ubi amat. *Si quis diligit me sermonem meum servabit , & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus.* Plus videbatur pollicendum diligentibus Deum , quàm manducantibus eundem : nam dilectio ante manducationem Deo valdè placet, comestio verò amore destituta parum grata erit eidem. Cur ergo non dixit : mansionem apud eum faciemus , & ipse manebit in nobis ? sicut agens de sacra Eucharistia loquitur : *in me manet, & ego in illo.* Vim non mediocrem obtineret argumentum istud si utrovis loco sermo esset de conferendo præmio : at cùm non ita sit cessat ratio dubitandi. Patris & Filij mansio in homine præmium diligentis est : ideo non dicitur quòd amans in Patre Filioque manebit , quia remuneratio benemeriti unicus illius honor est. Priori verò loco, duplicis honoris meminit Redemptor, quia ibi de merito agitur dignè communicantis : & significare voluit Divinus Magister quòd eos quos præmium semel honorat , per unicam scili. mansionem , illos meritum bino decore afficit mansione duplici. *In me manet :* ecce primus honos : *& ego in illo :* en alter. Quòd autem his verbis de merito sermo sit colligo ex Augustino dicente : *Hoc est ergo manducare illam escam , & illum bibere potum , in Christo manere , & illum manentem in se habere.* Cùm itaque materialibus oculis aspicere Deum inter sacrarum specierum abdita reconditum numerari posset inter præmia ; ejus verò videndi flagrare desiderio sit amantis meritum , plus debemus Deo beneficium hoc deneganti , quàm ab eodem haberemus , si desiderantibus oculis annueret. Accedat igitur , advolet , nec quiescat nostrum de summo bono desiderium : & sacrâ tactus velut ambitione, quò plùs ebibit latices amore saucius , amplius desideret ad fontes aquarum.

Joan. 14. 23.

S. Aug. to. 9. trac. 27. in Joan.

DELIBATIO XI.

Spes conviva quintus à timoris jam societate divisa sacro epulatur convivio.

57. S. Eucharistia sortis pignus præ miraculis ac promissione Dei ?

S. Vincen. Ferr. ser. 2. d. Epiph.

OTer fœlicem cujus expectatio verè possessio est. Vivificum panem ex Chrysostomo dixi gratiarum actionem. Nunc eundem esse spei nostræ columen ex D. Vincentio Ferra. accipe : *Tota spes Christiana consistit in victu : quia victus sanctæ Eucharistiæ est radix spei nostræ.* Et infrà : *Vult Deus quòd totum bonum nostræ salvationis veniat ex cibo Eucharistiæ.* Solet metus expectationi commisceri , quasi spina flori ; non sic accidet nutritis vitali cibo : nam quid formidabit creatura quæ totum possidet conditorem ? *Omnia quippe serviunt ei qui fruitur hoc alimento*, inquit Gerson. Duplex timor sollicitum reddit hominem : scili. non assequendi quod avet ac amittendi quod tenet. Formido prior exulet ab iis quibus donatus est ille cujus nutui nihil obstat. *Quia Deus Pater cùm Christo omnia nobis donavit , sit tantùm ille nobis cibus quotidianus , & omnia in eo simul nostra erunt.* Hæc S. Paschasius. Ad mensam igitur sedens altaris quiescat spes nostra securior obtinendi quod cuique cordi est , quàm si divina promissione niteretur. Pollicitationes Dei sæpe conditionatæ sunt : proindè non rejiciunt nostram de futuro eventu titubationem. Amor verò divinus diligentibus Deum non sub conditione adest in fidei mysterio. Sacramentum igitur altissimum certiorem ita reddit sortem , ut ipse Deus majus de securitate nostra sibi videatur dedisse nobis pignus , concedens umbram saltem Eucharistiæ sacratissimæ , quàm verbo suo fœlicitatem repromittens.

S. Paschas. in Matth. c. 6.

Jacebat Israël sub oppressione Madian, adeò ut etiam cecidisset animo Gedeon , quem virorum fortissimum nominavit cælestis ales , : *Dominus tecum virorum fortissime.* Tunc ei Angelus Dei nomine loquens ait : *Vade in hac fortitudine tua , & liberabis Israël de manu Madian : scito quòd miserim te.* Dubitanti pollicetur denuo, dicens : *Ego ero tecum : & percuties Madian quasi unum virum.* Insuper duplici concesso velleris miraculo [4], fidem illius firmavit Omnipotens. Tertiam adjicit promissionem Dominus : *In trecentis viris qui lambuerunt aquas liberabo vos , & tradam in manu tua Madian.* At post hæc omnia *eadem nocte dixit Dominus ad eum : surge , & descende in castra.... & cùm audieris quid loquantur , tunc confortabuntur manus tuæ , & securior ad hostium castra descendes.* Securior fiet Gedeon ex auditis apud hostes , quàm ex repetita promissione Dei , miraculisque confirmata ? Consule textum , ac in adversariorum verbis, quæ Gedeon excepturus erat, ænigma cernes Eucharisticum. *Videbatur mihi quasi subcinericius panis* , &c, Panem hunc designasse ferculum altaris , exploratum quid est apud interpretes biblicos. Validas egerat spes illius Herois radices : at ne penitus nutaret, provisum est ut per umbram Eucharisticam solidaretur amplius , audita nempe strage somniati panis interventu facta per insomnium : quasi vivificantis panis ænigma solidiorem præberet homini cautionem de parata sibi sorte consequenda , quàm per verbum Dei prodigio non semel stabilitum. Hæc de metu non assequendi quod exoptas.

Jud. 6. 12. 14. 16.

Ib. v. 7.

Ib. n. 9. & 13.

Ib. n. 13.

Nunc videre licebit eodem sacro cibo confortari , seu potiùs pelli timorem deperdendi quod possides. Piget immorari temporaneis calamum. Itaque superius ascende. Infestamur viatores ab infernis prædonibus: & eò plus periculi patet , quò ditior anima viam carpit. Sed pavent dæmones hoc nutrimento robustorum altos , & in eis operam perdunt , quorum vigorem, ne langueat, corpus Dominicum roborat. *Hic sanguis*, inquit Chrysost. *pulchritudinem atque nobilitatem animæ , quam semper irrigat & nutrit, languescere non sinit.* Et infrà : *dæmones enim cùm Dominicum sanguinem in nobis vident , in fugam vertuntur.* Deinde à civili bello,

58. An impossibile amittere unionem Eucharisticam ?

Gerson. p. 4. ser. in Cæna Do.

Chrysost. to. 3. hom. 45. in Joan.

bello, quòd intra mænia pectoris agitur, sermo est, etiam huic adest alimenti salutaris medela securitatem præbens ne lædat
S.Ber.ser.d. Cœna Do. intestinus hostis. Audi Bern. *Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite quia & in hoc gratia subvenit: & ut securi sitis, sacramenti Dominici corporis & sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum.* Ut quid pavore dejicitur qui de forti egressam dulcedinem participat & fortitudinem? Velut impossibile reputo quod amittat unionem illam affectuosam quæ hujusmodi sacramenti maximè proprius fructus est.

Luc.12.n.4. Animos addebat suis ita Dominus? *Dico autem vobis amicis meis: ne terreamini*, &c. Verum enimverò benignius cùm illis ageret, calcarque addidisset iisdem si filiolos discipulos tunc vocaret: quòd certè non de-
Ioan.13.33. dignatur qui dixit ad Apostolos: *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Nunc filij dicuntur? prius amici? qua styli disparitate? Communionem sacram paulò ante passionem perceperant: filiali proindè necessitudine, quæ dissolvi nequit copulabantur Domino; cùm antea per amicitiam (quæ scindi valet) adhærerent eidem. Parum erit amicum Dei vocare post sumptionem angelici nectaris; filius est appellandus, quasi ligamen spiritualis unionis impotens rumpere. Facessat ergo timor; sedeat imperturbata spes ad mensam Domini.

59. *Revelationẽ habens de salute non quiescet absque Eucharistia.* Quiescit, inquam, expectatio cordis humani cùm per illam vix effabilem unionem in Christo permanet, intra se habens eundem inhabitantem. Imò potius non nisi sic jugis inquietudo nostra serenabitur. Effundat liberalitas Dei bonorum copiam, protectionem suscipiat divinus amor: non adhuc pavidum pectus inter discrimina sæculi plena quiete frui poterit. Aliquid anhelat his omnibus altius. Demus quòd ex peculiari privilegio per cælitus acceptum nuntium certior fiat Deum amans de sua perpetua beatitudine. An ideò pacabitur amoris flamma? Nequaquam: sed adhuc expectet illud pignus gloriæ, quo mens impletur gratia.

Gen.28.20. Jacobi post scalæ visionem scis votum & vota nosti: *vovit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum*, &c. Quem putas panem cupiebat Jacob? Mysterium vestigemus. Pas-
Pasch. l. d. corpor. & sanguin. Domini. c.21. chasium audi: *hunc itaque cibum Iacob Patriarcha esuriebat dicens: Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum. Quotquot ergo in Christo baptizantur, Christum induunt, & panem angelorum comedunt.* Jacobum in somnis Deus tunc terræ promissione ditaverat, stirpis illi numerosæ spoponderat seriem, protectoremque se pollicitus erat: imò de sua salute certum reddiderat: sic enim illud Sapientis, cùm de Patriarcha scribit
Sapiẽ.10.10. Lorin. ibi. Perer. in Gen. c.28. disp.2.n.15. hoc: *Ostendit illi regnum Dei*, accipiunt interpretes relati nomine tacito à Lorino & Pererio, quibus favet Carthusianus dicens: *Unde quòd tunc de cælesti patria & de ingressu in eam, revelationem habuerit, constat ex eo quod tunc ad se reversus protinus dixit, quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli.* Et adhuc panem cælestem avidus optat? an quia pignus est perpetuæ fœlicitatis? Revelatio divina certissimum reddidit Patriarcham: quid ultra quærit? Sollicitat illum in quo maneat de cœlo panem, sine quo non stabit inquietudo cordis, quam experitur homo donec vita manet, seu potius volat. Dyon.Carthu.ic Sapi. 10.

60. *Terrena jam non anhelat qui attigit Eucharistiã.* Nedum certo certius habendum est, adeo magnam tranquillitatem spei nostræ donari per manna verum, ut ea quæ antea cor occupaverant, si terrena sunt, post gustatam suavitatem Domini, despectui habeantur, & illa quæ nos priùs vexaverat sollicitudo tepeat. Vincit quippe sperum audaciam, & amoris fiduciam superexcedit, cumulus bonorum, quo per hujusce mysterij vim admiratione majorem ditescimus. *Dilata fauces spei, viscera charitatis extende, & sume panem vitæ, interioris hominis alimentum*: sic monet Abbas Fulbertus: quasi non sat sit spei sinus, & sitis amoris, ut fontem capiat cujus torrens longè spe nostra major inundat. Quomodo fiet ut adhuc terrena requirat sollicitè? Fulbert. Carnot.ep. 1.

Cùm Assuerus administri sui Aman tyrannidi barbarè annuens Israëlitarum cædem impetrasset, Esther ejusdem sponsa non timens legem, quæ morte puniebat eum qui non vocatus accederet ad majestatem basilisco similem: Esther, inquam, se regio stitit solio. Sed quid existimas postulasse? incolumitatem populi? Falleris: nam solùm rogavit ut ad ejus convivium Rex venire dignaretur, necnon & Aman. *Etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi*, dixerat ei Assuerus. *At illa respondit: si regi placet obsecro ut venias ad me hodie, & Aman tecum ad convivium.* Sequenti die inter fercula rursum Assuerus dixit ad eam: *pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris impetrabis.* Nec ea die de liberatione populi quidquam egit, sed respondit Esther: *petitio mea, & preces sunt istæ: si inveni in conspectu regis gratiam, & si regi placet ut det mihi quòd postulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad convivium quod paravi eis.* Quid cunctaris Heroina? nonne paulò antea dolens populi cladem, cinere ac stercore fœdatos crines laceraveras? impendet jugulo contribulium tuorum gladius: eorum suscepisti negotium: & de illo non adhuc verbum profers? de secundo convivio agis? quomodo tuum rapiunt animum epulæ satis mœstum? Eucharistiam adumbrabant illa convivia: cujus vel umbra sufficit ut cor divertat à temporaneis. *Obsecro ut venias. Per hoc significatur Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesiâ militante:* Sic Liranus in sensu morali de primo agens convivio Estheris: de secundo verò idem addit: *intrabit itaque Deus qui per regem, & peccator qui per Aman significantur intrant ad convivium Eucharistiæ.* Expectabatur tunc temporis magnum, sed temporale bonum, impij scili. decreti revocatio: Esther 5. 3. 4. n.6. 7. Ib.n.7.& 8. Lira ibi.

sed

sed ita spem satiat, vel in umbrâ, Eucharistica mensa, ut ad temporalia digredi nequaquam permittat. Hæc est spei nostræ, voluptatis ac desiderij meta, quàm si tetigeris, cætera despicies.

65. *Eucharistia non alit impeditum luteris temporalibus.*

Sed heu quàm paucos experientia docet quæ dicta sunt, neque negare audes. Accedimus desiderio tepidi, voluptate fastidientes, nec spes à terrenis quiescit, neque cælestia quærit. Quid obstat ne calefiamus ad ignem? Proh dolor. Sæpius in causa est quod injuriosum benignissimo Domino accedit os veneno culpæ illitum: nam, ut ait S. Cyprianus, *si cum calice Christi, de calice daemoniorum communicas, contumelia est non religio, injuria non devotio.* Sed absit etiam à mente nostra temeritas hæc detestanda. Cum illis tantum ago, qui nullius læthalis noxæ conscij ad sacram Synaxim accedunt: nihilominus non omnino terrenas deposuere curas. His insipidum videtur cæleste manna, quia mundialium bonorum sapor gustum occupat, nec meliora percipere sinit. *Mundum* (ait S. Præsul Valentinus) *ab hac farinula deferat animæ palatum qui cæleste cupit gustare edulium. Si enim quavis terrena passione gustus fuerit infectus, palato cordis non sapit Deus.* Hæc ille non minus reprehensione cædens eos qui sceleribus polluuntur, quàm illos qui citra grave scelus temporariis sollicitudinibus anxiantur. Suscepit labiis fidelis Christi Domini sæpe corpus, nec illo nutritur: quia simul temporalia lucra gestat ore, nec prius ejicit impedimenta salutis.

S. Cypria. ser. de Cœna Domi.

S. Thom. à Villan. ser. 1. de Euchar.

Ut solveret omnium Dominus tributum, injunxit Petro ad mare accedere, missoque hamo ex primo qui ascenderet pisce staterem ore aperto extrahere. *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem:* non ex ore piscis descendit in ventriculum oblata per arundinem piscatoriam esca, sed cur ibi hæret? Mysterium inquiro. Piscis hic hominis ex mari baptismi ad mensam Eucharistiæ sacræ accedentis emblema est: stater avaritia, cibus verò quem Petrus obtulit hamo Corpus Dominicum. Hæc omnia Clemens insinuat juxta priscam consuetudinem, qua recenter baptizatis Sacramentum Eucharistiæ conferri solebat. *Per eos autem* (inquit ille) *qui ex aqua ascendunt ad escam justitiæ monet auferri luxuriam & avaritiam tanquam piscis numisma.* Pisces igitur qui mare sæculi navigant, nec aluntur buccellâ Dominicâ, quia os illorum inutiliter occupant avara lucra: nec temporalibus pascuntur quoad hominem interiorem, quia hunc ista nutrire non valent: nisi prius ejiciatur obstaculum esca cælestis effectum non consequetur. Hæc ergo causa malorum: facta multis dominis communis anima: cùm scili. mundo Deoque simul coepulari audet. Nec Roma duos capit Cæsares, nec affectus duplicem sponsum, de quo alibi latiùs. Itaque tot ideo famelici ab ista mensa recedunt; sed non ita justis evenit: *non affliget Dominus fame animam justi.*

Matth. 17. 26.

S. Clemens Alexan. l. 1. Pædago. c. 1.

DELIBATIO XII.

Amor conviva sextus alimento Divinissimo nutritur, crescit, ac roboratur.

62. *Per S. Eucharistiã non conservabitur vita spiritualis nisi crescat.*

DUo sunt præcipua cibi corporis munia, scili. conservare vitam, & viventem augere. Quibusdam præstat utrumque munus, ut pueris; aliis tantùm pro conservatione servit, ut senibus. Aliter contingit eis qui supercælesti pascuntur dape: hæc non proderit conservando cui non dederit augmentum vitæ. Idcirco Doctor angelicus quamvis optione novisset Deum colloquentem Augustino cibum se vocavisse grandium: tamen communicantes assimilavit pueris escam sumentibus. *Sicut enim puer parvulus per cibum corporalem crescit magnitudine, robore, ac decore: sic fidelis per cibum spiritualem proficit meritis bonæ vitæ.* Hæc D. Thomas. In comestione infantis conservatio non dividitur ab augmento, nec nisi crescendo servatur puer. Similiter amor (qui etiam in hoc puellus est) tunc vitam animæ spirituali cibo conservat cùm auget: incrementum à conservatione minimè dividitur. Gratiæ, quæ animæ vita spiritualis est, conservandæ, fuit institutum Eucharistiæ Sacramentum: ut colligitur ex illo Authoris decreto: *nisi manducaveritis carnem Filij hominis*, &c. ubi Lira: *sicut enim in vita corporali cibus est necessarius ad vitam conservandam, ita in vita spirituali hoc Sacramentum est necessarium, quia est vitæ spiritualis conservativum.* Dubitabam quare non potiùs pœnitentiæ Sacramento commissus est effectus iste conservandi gratiam. Dona Dei, ut Theologi proloquuntur, sunt sine pœnitentiâ: eadem igitur manu, ipso inquam instrumento, quo tribuit animæ vitam, tueatur eandem. Virtutem gratiæ conservativam conferendam pœnitentiæ, non Eucharistiæ, videbatur hæc ratio suadere: scili. quia discrimina spiritualia jugiter imminent cunctis: egemusque proinde remedio quo possimus etiam sæpius intra horam uti: non autem omnibus indifferenter quotidiana communio datur, qua possent periculis illis obviare. Cur Eucharistiæ, quæ non adeo frequenter sumi potest, ut ad singulas tentationes repetatur, addicta fuit servatio vitæ spiritualis, quæ frequentissimè periclitari solitat? Huic sacramento congruebat permanentiam in illa vita præbere, quia istius augmenta confert, eo quòd sit refectio: & æquum non erat conservationem dividi ab incremento. In spiritualibus non permanebis nisi conscendas. Proinde cibus vitalis nutrit virtutibus adultos, quasi pueros, conservando simul & augendo: nec nisi adolescas, eâ servaberis escâ. Quod prædixi de gratiæ augmento, amori accommoda: non enim gratiæ sola vita spiritualis est. Amore vivit anima: Sic enim Deum alloquens dixit S. Thomas à Villan. *ut enim nemo à vita excluderetur, vitam in amore posuisti, quoniam cunctis præstò est amare te.*

S. Thom. opusc. 58. c. 23.

Joan. 6. 54.

Lira ibi.

S. Thom. à Villan. ser. 1. Dom. 17. post Pent.

63. *Per S. Eucharistiã fitne homo idẽ cum Deo?*

Amor utique nutritur angelorum pane: sed ita crescit, ut cùm sit unio, assurgere videatur in unitatem. Nec tibi debet videri temerarium, quòd perfectè diligens Deum fiat velut unum cùm ipso per strictum affectus vinculum: nam, quin ad Eucharistiæ sacræ attenderet mirabilia, hoc jam dudum asseruit de amore Dei satis in eo doctus Bernardus. *Fœlix cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud quàm amor sanctus & castus, amor suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ & sinceritatis, amor mutuus, intimus, validusque, qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: qui adhæret Deo unus spiritus est.* Nedum hæc ipsa fœlicitas continget faciliùs per manducationem Sacramenti, quòd unionem ineffabilem inter Deum & animam ponit. Istam sic proposuit Doctor Seraphicus. *Hæc autem est differentia inter comestionem corporalem, & spiritualem: quia ibi cibus comestus transit in substantiam & nutrimentum comedentis; hîc verò comedens incorporatur Christo, & transit in amorem & unitatem spiritus Christi.* Vellet amans ut inseparabiliter conjungeretur Deo: quod cùm in vita mortali non detur, amoris ingenio ferè invenitur. Cernit amor parum esse proximè dicto fini consequendo quòd uniat, nam quæ uniuntur dividua sunt, & solùm à seipso nihil dividi potest. Vide quam sit molitus artem: nexum (qui amor ipse est) per Sacramenti participationem fecit in unitatem transire: ut separari vix queant extrema, quasi forent unum quid & Christus Dei Filius, & is qui dignè pascitur eodem.

S.Bern.ser. 83.in Canti. ad finem.

S.Bonav. in opusc.to.2. tract.de præparat. ad Miss. c.7.

In qua nocte Dominus tradebatur, post altissimi distributionem Sacramenti, Apostolis affectuosum vale dicens plura dilectionis jucunditate suavia locutus est. Absentiæ suæ meminit, quæ per crucis mortem erat perficienda: sed ægrè mens intelligit quod nollet voluntas. Petrus qui jam de passione Dominica non parum audierat, Magistrum interrogat dicens: *Domine quò vadis? Respondit Iesus: quò ego vado non potes me modò sequi: sequêris autem postea.* Amanti objicit impossibilitatem? D.Laurentius Justin. dixit: *Ardenter Christum diligenti nihil difficile videtur. Ignem, ferrum, vincula, carceres, persecutiones, flagella, adversaque omnia, Christi amor tolerare facit.* Quid ergo esset Petro difficile? Petro, inquam, de quo S. Joannes Chrysos. *nemo enim ita ut Petrus Iesum amabat.* Summè diligebat: ideo poterit per crucem Dei Filium sequi postea; nunc autem non valet? an gratia quæ posthac illum roboravit ut crucem ascenderet inverso non tamen errante gradu, non potens erat eidem addere vires ut tempore passionis Domini, dilecto præceptori suo commoreretur? Quinimò regis in acie dimicantis præsentia militis accendit animos, quos absentia minuit. *Nemo enim est*, ait Synesius, *qui non coram rege strenuè velit laborem suscipere.* Princeps bello præsens instar plurium auxiliorum est, juxta illud Antigoni, qui Duci admonenti de multo adversariorum numero pro navali prælio, dixit: *me verò ipsum præsentem quàm multis navibus comparas?* refert Plutarchus. Certamen committat Petrus ad latus Regis regum, ut ex ejus facie benigna mutuetur strenui roboris incentiva. Dices eam pro tunc fuisse Petri fragilitatem, ut quandiu non ex alto virtute fuit indutus, furori Judaico non resisteret. Sed contra. Non tollitur potentia per hoc quòd non sit ad actum reducenda. Non secuturum fore Petrum per mortem crucis Magistrum amantissimum, tempore quo hic passus est, agnosco; solùm inquiro quonam sensu verificetur non potuisse tunc Petrum sequi Dominum? Liceat pro Sacramentalis unionis excellentiâ sic meditari. Nemo sui ipsius potest vestigia sectari: alterum imitamur; nos verò minimè. Hac nocte Petrus per Eucharistiæ sacrosanctæ susceptionem ita fuerat Redemptori conjunctus, ut quasi cum eo reputaretur idem. Impossibilis itaque relicta est sequela, ubi quasi sublata est alteritas personarum, per ferè identitatem utriusque. Cernis quantùm creverit amor per amantium immortalem alimoniam? Iste prius erat unio; nunc ad unitatem redactus est?

Plutar. in Apophtegm.

Joan.13.26.

S.Laurent. Just.in fasciculo amoris c. 6.

Chrysos.to. 2.hom.51. in Matth.

64. *Amissa fiducia erga Deũ restauratur per S.Eucharistiam.*

Secundus, quem cibus corporeus præstat, effectus est manducantem roborare. Hoc ipsum panis vitæ præbet amori Dei. Quamvis anima per Sacramentum pœnitentiæ cinere probet ignem dilectionis, qui peccato fuerat extinctus, jam reaccensum esse, tamen adhuc morbidas qualitates aliquot experitur, inter quas numeranda venit quædam erga Deum diffidentia, qua redditur infirma valdè. Peccavit Rex Bethlehemites deprædatus Uriæ honorem, & vitam: licetque veniam obtinuerit, attamen diffidenter orabat subdubitans an exaudiendus foret: *quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & vivat infans?* Ezechiam pœnituit superbiæ: *elevatum est cor ejus.... humiliatusque est postea eo quòd exaltatum fuisset cor ejus:* nihilominus ausus non fuit petere ut sibi denuntiata supplicia Dominus averteret, hoc solo tristi solatio contentus quòd mala non acciderent in diebus illius. *Dixit Ezechias ad Isaiam: bonus sermo Domini quem locutus es: sit pax & veritas in diebus meis.* Hæc temporibus priscæ legis accidêre, cùm non adhuc ad mensam nos advocare dignatus fuerat Rex qui postea fecit nuptias filio suo. At postquam tantæ dignationis advenere tempora, statim post pœnitentiam invitamur ad convivium: quo fiducia per scelus deperdita redintegretur, & alimento supersubstantiali roborati nos ad majestatis radios confidenter accedere non vereamur. *Ipsa namque mensa animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiducia vinculum.* Hoc sanè tempore scriptæ legis non invenitur; sed nihilominus umbram, qua veritas eluceat, in elapsis ejusdem sæculis reperire pronum erit.

2.Reg.12. 22.

3.Paralip. 32.25.26.

4.Reg.20. 19.

Chrysos.to. 4.hom.24.in 1.ad Corint.

Secundò pergunt in Ægyptum Israële geniti frumentum empturi, quem ignotus frater dispensabat. Non se valuit Josephus ultra cohibere: profluit in lachrymas, ruit in amplexus personam detrahens, fratremque semet illum asseverans, quem vendiderant

in

in Ægyptiacam regionem. Tunc post alia
Gen.45.13. dixit eis : *nunciate patri meo universam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto : festinate, & adducite eum ad me.* Sed quantumvis fratrum reditum, patrisque adventum, citò futurum speraret, ipsis triticum donavit : *& totidem asinas, triticum in*
Ibi n.23. *itinere panesque portantes.* Ut quid tritici copiam largitur statim reversuris in Ægyptum? maneant cùm eo fratres, & mittatur servus nuntius ad patrem, qui, si placet, frumentum ferat : hoc enim ab ipsis fratribus deferri ad parentem jamjam adventurum superfluum videtur: Omitte litteram, frange corticem. Ex D. Prospero suprà dedi Josephum dum frumenta distribueret Christi Domini gessisse figuram nobis divinam sui corporis annonam submini-strantis. Deum, cujus erat ænigma Joseph, fratres ipsius offenderant,
Ibi n. 3. & peccati memores contremiscebant : *non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti:* quo medio fiduciam illis Christus in typo Josephi restitueret nisi frumento Eucharistico iis donato? Hæc mensa *nostræ fiduciæ vinculum.*

65. *Ad quod satis attigisse locum S. Eucharistiæ.*

Quòd adeo verum est, ut etiam citra communionem sacramentorum, tetigisse locum ubi sacra reposita fuit Eucharistia, valeat sufficere ad fiduciam erga Deum per crimen amissam restaurandam. O miram saluberrimi alexipharmaci virtutem, quæ jam consumpti culpæ veneni vestigia sic exterminat, quòd solus tactus loci ubi Sacramentum illud symbolicæ contentum fuit, sit satis ut languens per peccatum confidentia rursum convalescat.

Dubitavit de Christi Domini resurrectione Thomas quamvis erga illum ardenti desiderio afficeretur. Hoc secundum affirmat
D. Gaudent. Episc. Brixianus ser. in dedica. Basil. SS. S. Gaudentius. *Ardentis*, ait, *siquidem desiderij fuit illud, non incredulitatis, quòd condiscipulis suis, qui ipso absente Dominum viderant ait : nisi videro, & contrectavero,* &c. Prima seligo : nam ad posteriora dicam tan-
Maldonat. in c.20. Joan. tùm ex Maldonato ibi : *Dominus eum reprehendit, noli esse incredulus, sed fidelis, & nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* Non ergo excusemus Thomam : sufficiat asserere desiderium videndi Magistrum, sub conditione si ad vitam rediisset Apostoli corde flagrasse : quâ flammâ nisi amoris? Diligebat itaque Thomas. Ut ejus dubiam sanaret mentem apparet ipsi Dei Filius, & monet ut videat manus, digitum inferat in eas, manum propriamque mittat in latus Domini. De pedum vulneribus tacuit : cùm tamen fundamentum non detur quare dubites in pedibus Redemptoris, cùm vitæ se restituit, manssisse clavorum vestigia. Dominus tamen
Joan.20.27. ait : *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Næ quidem nescio quid amplius benignitatis conferret in Thomam Filius Dei, si non incredulus fuisset ille. Cùm eximiam Christi Servatoris erga illum discipulum dilectionem exaggeramus, in hoc sistimus quòd eò pervenit intima familiaritas, ut recubuerit in cœna super pectus ejus. Et dubio Thomæ non sat est dari ut videat qui cæcus titubat? sed conceditur manu tractare latus? tangat, & sufficiet, *pedes perforatos,* Euthym. in Evan. ser. 3. post Pascha. *quia clavorum* (verba sunt Euthymii) *adhuc ferebant foramina.* Non satis hoc Thomæ languori medicando : quia fiduciam, quam expetebat amor, perdiderat erga Magistrum incredulitate præterita (quæ ratio in Joanne dum recumberet in cœnaculo non militabat :) & ut pristinæ confidentiæ restitueretur, oportuit latus attigisse quo Sacramenti symbolum antea fuerat repositum ex doctrina Chrysostomi dicentis : *aqua fluxit &* Chrysost. to. 5. hom. ad Neophit. *sanguis, unum baptismatis symbolum, aliud Sacramenti.* Ex lateris itaque, tanquam Eucharistiæ sacræ pyxidis tactu sanata est diffidentia Thomæ, ita ut in hæc verba prorumperet, quæ ab amantissimis Apostolis nusquam dicta legimus : *Dominus meus & Deus* Joan.20.28. *meus.* Dominum vocavere Christum Petrus & Joannes, sed non ausi sunt peculiariter appellare suum : *Domine ad quem ibimus?* Ibi c.6.69. prædixerat Apostolorum Princeps. Deinde post resurrectionem videns in littore Salvatorem protulit hæc verba Joannes : *Dominus est.* Non dixit : ecce Dominus meus. Thomas autem semel iterumque suum vocat *Dominus meus, & Deus meus,* confidenter ait. Quisquis ergo scelerum terretur memoriâ, Thomam imitetur, & diffidentiæ titubantis infirmitatem deponat : nam etiam nos dum communioni sacræ participamus, latus attingimus Redemptoris. *Reputate,* in- Chrysost. to. 3. ser. de Euchar. quit Chrysostomus, *salutarem sanguinem, quasi è divino & impolluto latere effluere, & ita approximantes labiis puris accipite.*

66. *Eucharistiam S. dignè sumens probat amorem Dei.*

Duo promiseram, quæ jam expendi cibi supercælestis effectus : alium superaddam. Corporalis pulchritudo sicut præ fame squalore fœdatur ac macie, ita cibo conservatur opportuno. Honor similis est pulchritudini (credo quòd non omnino casu decus ac decor vocabulorum affinitate conjunguntur :) cúmque suam & animabus inesse pulchritudinem certum sit : istam nunc meditor in eo consistere quòd suam erga Deum dilectionem exteriùs prodentes condecorentur. Hic Dilecti amor in opere nullo clariùs elucet, quàm in manducando angelorum edulio. Ratio hujus obvia. Amor sagittæ vulnus est, simul & ignis flamma. Qui cervum ad aquas currentem cernit, vulneratum conjicit : nam

Hermanus Hugo l. 3. piorum desideriorum, poëma. 11.

Cervus ut irrigui fontis anhelat aquas.
Ille furit, pectusque citatus anhelitus urget,
Cæcaque per sylvas saucius antra petit.
Antra petit fugiens salientibus humida lymphis,
Ut sua fontano guttura rore lavet.
Hic rivi scatebris fumantia temperat ora,
Pellit & amne sitim, pellet & amne luem.

Haud aliter anima sitiens ad Eucharisticam fontis Salvatoris clamat dicens :

Ah? nisi te, nullo sitis hæc placatur ab haustu, Idem ibi;
Tu potes hanc solus fonte domare sitim.

His, & similibus arentis linguæ clamoribus testatum relinquit affectus ardorem quo laticibus inexhaustis fontis æterni cupit se insatiabiliter proluere potis. Similiter viator lympham quærit anhelus cùm exæstuat nec fatigatis lassitudine viribus prohibetur, quin

festinus aviditatem potus undâ properet explere. In via qua pergimus amore credatur exuri cor illud, cui sitim calix Domini movet: nam & Eucharistia sacra fons est. De illa mysticè S. Athanasius exposuit aquam è silice datam Hebræis: *quemadmodum ipsi Domini sanguinem bibimus: sic illi erumpentem è percusso lapide aquam biberunt. Hæc quidem Paulus spiritali quodam differit sensu. Nam etsi hæc sensibilia erant: haud tamen naturæ voluntate, sed spiritus gratiâ gerebantur.* Ille igitur probabit se amore præcordis æstuare divino, qui has quæsierit aquas: hoc unum inter tot virtutis opera dilectionis aperta probatio est: scili. ad sacram Eucharistiam accedere.

S. Athanas. in c. 10. ep. 1. ad Corint.

Dixit olim Dominus ad Moysen pridiè quàm inciperet cadere manna, quo pavit Hebræos: *egrediatur populus & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non,* Quæ verba cùm aliorsum delibat. 7. suprà versarem dixi ex Rupert. & Aug. qua ratione aptentur ineffabili Sacramento. Nunc priusquàm eadem ad præfixum scopum ultro vergentia flectam, advertere opus, quòd per illud *lege mea*, tota collectio præceptorum Dei non improbabiliter intelligitur: nam totum hoc in Sacra pagina comprehendere solet nomen, lex, absolutè prolatum. Hærebis tamen dicens: quomodo fieri potuit, ut per hoc quòd populus colligeret man ostenderetur utrum servaret legem totam? Unicum opus erat mannæ collectio: & universæ legi probabat obsequentem eum qui cibum quæreret illum quem dederat eis Dominus ad vescendum? Per manna Sacramentum Eucharistiæ scis præsignari: D. Prosperi testimonium adde. *Iubetur populus manè panem in vespere carnes accipere. Sed hæc figuræ nostræ fuerunt. Panem enim illum sanctum, qui de cœlo descendit, suscepit primò populus manducandum, postea carnem Christi in passione confectam. De qua ipse Dominus dicit: nisi manducaveritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis.* Dignè Sacramentum istud suscipere, probatissimum observationis totius legis Dei signum est: indicat enim unio Eucharistica perfectum erga Deum amorem: & qui verè Dominum diligit, omnia ejus præcepta servat. Itaque mandatorum custodia ex dilectione infertur; & amor ex Eucharistiæ sumptione demonstratur.

Exod. 16. 4.

D. Prosper. l. d. promis. & prædict. Dei p. 1. c. 39.

67. *Amans Deũ pluris facit haberi talis, quàm aliqualem fruitionem Dei participare in terris.*

Non mediocris enimverò arboris Eucharisticæ fructus hic est: scili. quòd ex illius esu manducantis amor probetur apertè. Hoc sufficiens dilectioni præmium est. Dicere ausim pluris amantem facere, non quòd ipsi fruitio ejusdem Dei aliqualis permittatur in terris, sed potiùs quòd verus existimetur Dei amator. Testem appello Principem Apostolorum. Conferamus illum & Magdalenam: uterque namque lapsus est, pœnituit, & obnixè amavit. Vitæ Authorem post mortis triumphum agnovit illa tandem: sed cùm ejus tenere pedes voluisset, prohibita est: *noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Ubi D. Gregorius M. *in his namque verbis ostenditur quòd Maria amplecti voluit ejus vestigia quem recognovit.* Repulsa tamen ipsa nec levem coram Domino de hoc emisit querelam, cùm certum sit Deum affectuosis cordium querimoniis non lædi: nec enim dum querebatur Martha: *Domine non est tibi curæ quòd soror mea,* &c. & multò minùs quando mater Virgo dixit: *fili quid feciſti nobis sic?* Christum Dominum in illis quæstibus complacuisse dubitandum est. Vel saltem citra querelam putarem fore ut audiret à Magdalena Dominus verba, quibus ibi significaret se dolere quòd à dilecto sic dividi compelleretur: sicut postea dolentem se Petrus exhibuit dissimulare non valens mœrorem in sui amoris examine: *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me?* An delicatior Petri dilectio? Non tristatur Magdalena cum repellitur? Minùs illa doloris tunc experta est: sed quare? Quia non dilectricis existimationem perdidit; sed fruitione tantùm beatorum pedum privata est. Petrus coram condiscipulis iterum & tertiò de amore suo interrogatus, poterat ab eis non fidus haberi Salvatoris amator, eò quòd ab ipso repetita interrogatione videretur tanquam suspectus tractari. Hoc meritò doluit Apostolus: *videbatur enim* (ait Dyonis. Carthus.) *quasi Christus responsionem suam non approbaret, nec credere verbis ipsius.* Consonat Incertus: *Petrus contristatus & timens se haberi à Domino suspectum.* Ex eo capite doluit summè qui vehementer Jesum diligebat. Mariæ autem amoris opinionem illa repulsa nec in minimo læsit: imò præbet ansam ut ejus vehementiam demiremur, qui servata modestia pudorem nescivit, sed Christi Domini pedes amplexari cupit. Ex dictis conjice quanti faciat amans anima quòd ejus amor enitescat in ipsius Dei gloriam. Cætera minus curat Domini sui verus amator. Et hunc ex convivio Eucharistico decorem non exiguum reportat amor: cùm soli vocentur ad hanc mensam qui divinæ dilectionis conflagrantur incendio.

Luc. 10. 40.

Ibi c. 2. 48.

Joan. 21. 17.

Dyonis. Carthus. in 21. Joan. art. 50.

Incertus sub nomine Eusebij Emiss.

Joan. 20 17. D. Greg. M. hom. 25. in Evang. to. 2.

DELIBATIO XIII.

Ministrant epulantibus in domo Dei liberalitas & amor ejusdem.

68. *Peculiaris beneficii laus nullo comparari labore.*

CONvivas advocavit Omnipotentia: epularum distributionem Sapientiæ commisit: ministerium verò liberalitati, & amori. Accinguntur uterque, ac magnificentiâ, quæ Supremum decuit Monarcham parare cuncta. Largitas totum singulis Deum credentibus credens nullam præfigit spirituali proventui mensuram, nisi cujusque libitum. Eidem fonti admovet mulier hydriam, puellus manum, passerculus verò rostrum: quisque pro ratione sitis suæ bibit: & largiter singulis offeruntur salientis per gramina venæ fluenta: non certè divisa; sed integra cuique propinantur. Haud aliter sacrosanctæ mensæ lautitia, quæ fontanas emittit gratiarum divitias: nam, ut Chrysostomus ait, *à mensa hac prodiit fons qui fluvios spirituales diffudit.* Et post pauca: *si quis æstuat ad hunc fontem se conferat, &*

Chrysost. to. 3. hom. 45. in Joan.

recrea

recreabitur. Non, inquam, ſe gerit in Euchariſtia divina liberalitas more putei, cujus aquas multo cum ſudore trahunt lacerti; ſed inſtar fontis, ex quo gratis prodeuntes diſſiliunt rivuli. Citra dubium verum eſt bona tantò pluris æſtimari, quantò minoris conſtitere: nam ſi multo ſudore parta ſunt, eorum valor, deductis anxietatum expenſis, decreſcit. Attamen abſque laborum pretio potiri Deo non omnibus in vita mortali datum. Sed amicis peculiaribus id aliquando conceſſum, ne donum imminuatur, ſi vel paucis greſſibus illud ſibi comparent.

Joan. 1. 33. Teſtetur hoc Præcurſor Domini. *Ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Verba ſunt Baptiſtæ ſacri, quibus ingenuè fatetur ſe nequaquam niſi poſt annos plures agnoviſſe Chriſtum Dominum ex facie. Unde Chryſoſtomus dixit: *neſciebat igitur antequam Chriſtus ad Ioannem veniret, ſed cùm baptizandus eſſet, tunc eum cognovit.* Et cur tam ſerò ſui præbuit conſpectum Joanni dilecto Dominus qui antelucana ſollicitudine properans quæſierat eundem? *Ieſus verò*, ait, Origenes, *qui in illius utero erat, feſtinabat adhuc in ventre matris poſitum Ioannem ſanctificare.* Filius Dei qui tam præpropere Joannem inviſere dignatus fuerat, eundem poſt nativitatem non advocat? ſed ipſum neſcire permittit quem diligebat Aſſertorem? Augetur difficultas ex eo quòd aſſeruit agens de Simeone Timotheus Presbiter. *Cum Simeon*, inquit, *meditabundus domi ſederet, Deumque apud ſe rogaret ut quòd acceperat oraculum exitum aliquando ſortiretur; Ioſephuſque & Maria ſoli in eo jam eſſent ut puerum Ieſum ad templum deferrent, & ſecundùm legis conſuetudinem ſacrificium pro eo offerrent, Spiritus ſanctus reſponſum exhibiturus ſtatim præſtò fuit, Simeonemque ejuſmodi oratione excitavit; ſurge ſenex, quid dormis? tempus quo oraculum expleri debet, jam adeſt, matura citò; præſtò eſt enim qui te abſolvet.* En admonetur Simeon: indeque factum fuit, ut quadrageſimâ poſt Dominicam Nativitatem luce dudum expleta viderit juſtitiæ Solem? Baptiſta verò non niſi poſt annorum emenſa ſpatia, cùm jamjam baptizandus eſſet Dominus, agnovit eundem? Ex nimiâ erga Præcurſorem dilectione id accidiſſe puto: antonomaſticè quippe Sponſi amicus hic eſt: *amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum gaudio gaudet propter vocem ſponſi: hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Æquum erat ut ſingulariſſimè amicus non communibus legibus ſubjaceret. Dei conſpectum propriæ ſollicitudinis emendum pretio diſpoſuerat ejuſdem providentia. Notus fiat Simeoni Meſſiæ adventus in templum, ut infirmos artus fatigans quærat Filium Dei, cujus faciem ardet inſpicere. Joannes verò neque paucis greſſibus emat quòd cupit, ſcili. videre Deum carne indutum. Ipſe Dominus primùm ſanctificationem detulit ad maternis viſceribus latentem: idem poſthàc honorem non mediocrem (ſuſcipiens nempe baptiſmum ejus) oblaturus ipſi acceſſit ad Jordanem. Tunc ex facie novit eum Baptiſta; non antea: ne daretur locus ut Chriſtum Dominum ille quærere debuiſſet, ac parvulo ſaltem labore fœlicitatem Deum cernendi mercaretur. Hæc divinæ liberalitatis excellentia, quàm in ſingulares exercet amicos, quales ij ſunt quos ad menſam invitat: nullius quippe operæ diſpendio theſaurum reperiunt incomparabilem. Sacramentum pœnitentiæ neceſſariò præcedit dolor: ejus effectum ſalutarem non niſi per cruciatus obtinebis. Ad Euchariſtiam autem diſpoſitio non dolor, ſed amor eſt: plena faciliſque largitio manum oſtendat divinam, quam arcanum oſtentat myſterium.

69. *Alteri tribuit vult beneficus plauſum ex dono ſuo promanantem.*

Aliud eſt quod munificentiam Altiſſimi condecorare ſolet non vulgariter, & in altaris epulo cernitur eluceſcere: quòd ſcilicet nullum ex donatione quærat emolumentum. Unum eſt lucrum quòd ex beneficiis nobis collatis amantiſſimus captat Redemptor, nempe gloria benefactoris, quam vix poterit celare, quantumvis nubes multiplicet ſplendorem contegentes. Beneficentiæ laus à ſilentio benefacientis elogium accipit, juxta illud Ambroſ. *Perfecta autem eſt liberalitas ubi ſilentio quis tegit opus ſuum.* Euchariſticæ largitati non ſatis fuit quòd Verbum ſileat ita ſe condens in alienis accidentibus, ut miraculum aliud mirabilibus adderet, ſi loqueretur ibi Chriſtus Dominus. Non, inquam, hac taciturnitate contentus, alteri Perſonæ divinæ tribui vellet, non ſibi, gloriam ex hujus operatione prodigii dimanantem. O quàm gratis accipitur donum iſtud à Dei Filio, cujus grates ille non ſibi ſed alteri cupit referri.

Ambroſ. l. 1. de offi. c. 30. tom. 4.

Pro concione loquens ad Judæos incarnata Sapientia dixit: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Si quæ præceſſerunt Hebræorum verba meditemur, videbitur minimè congruens reſponſum à Domino Judaicæ nequitiæ præſtitum fuiſſe: ipſos namque paulò ante refertur ibidem ſic locutos: *quod ergo tu facis ſignum ut videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto*, &c. Ad hæc reſpoſuit Servator: *non Moyſes.... Sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Non Patris miracula petunt, Domine; ſed tuum. Panis hic de cœlo, quem à Genitore conferri doces, nonne corpus illud eſt, quod ipſe cunctis offers in eſcam? Sic judicamus ex mente Ruperti dicentis: *eſcam potumque Dominici corporis & ſanguinis (uti cœptum eſt) pertractando manducemus, manducando pertractemus: amen amen (inquit) dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Signum quærentibus objice Domine, quòd tu ſignum iſtud cætera ſuperexcedens, altaris nempe Sacramentum, exhibeas: à Patre donari affirmas? Ita ſic loquendo ſe geſſit pluſquam generosè Dei Filius, ut ex mirabilis myſterii perpetratione fluentem gloriæ fulgorem Parenti ſuo dimittere velle ſignificaret. Ecce gratis benefici cordis laudum ſummam, linquere ſcili. alteri præconia muneris proprij, ne quæſtum ex plauſu ſollicitare viſum ſit. Hoc etiam ornatu

Joan. 6. 32.

Ibi n. 30. 31.

Rup. l. 6. in Joan. c. 6.

Chryſoſt. ho. 16. in Joan. tom. 3.

Origen. ho. 7. in Luc.

Timoth. Presbiter Ieroſoly. Ora. d. Simeone.

Joan. 3. 29.

divina magnificentia splendet suos apud convivas.

70. *Sacramentũ Eucharistia donat Redẽptor, quasi deberet.*

Aliam ejusdem liberalis manus gemmam coruscantem cerno in illo, cujus manus *aurea plena hyacinthis.* Commentatur Hugo Card. *plena hyacinthis in miraculis. Vel specialiter manus dextra Christi largitas:* Radiat, inquam, de vicino, qui pectore ardet, amoris igne, generositas ex altaris thesauro dona dispergens indebita. More debentis operatur amantior, ne tanto dono putetur venari debitores ille qui nostrûm non indiget. Novum non est quod omnium Dominus dixit de Israële: *quid ultra facere debui vineæ meæ, & non feci?* ubi Hieronymus: *quoniam feci vineæ meæ cuncta quæ debui, & pro uvis attulit labruscas, auferam universa quæ dederam.* Ecce de suis agens donis Deus insinuat feciſſe quod debuerat, quasi nihil gratuitò dediſſet. Antiquus hic Deo mos, quo scili. se titulo debiti præstare munus indicat spontaneum, in Eucharistiæ sacræ mysteriis instauratur. Ultro bona sua in Sacramenti thesauris claudens effudit; sed ad modum debitoris tribuit hoc ipsum quod sponte donabat.

Cant. 5. 14. Hugo Card. ibi.

Isa. 5. 4.

D. Hieron. tom. 5. l. 2. in c. 5. Isai.

Redemptor in qua nocte tradebatur, Apostolos benignitate summa vocavit filios: *filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Priusquàm ad trutinam revocemus illa Domini verba, supponenda est series textus, quàm de more suo accuratè Silveira disposuit. Recolendum, inquam, est verba prædicta fuisse à Servatore prolata postquam instituit venerabile Sacramentum: hujus namque institutionem subsecuta est discipulorum contentio, & post hanc filios appellavit Apostolos divinus Magister. Simulque memorandum est ante cœnam Eucharisticam, post lotionem pedum, quæ illam præcessit, Dei Filium, ut profundissimæ humilitatis descensum imitari suaderet discipulis, eos nomine servorum compellasse dicentem: *exemplum enim dedi vobis ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo qui misit illum.* Quos dicet filios post datam Eucharistiam, nominat ante servos! Dicturum te credo non esse cur miremur illius benignitatem: qui enim ut servos redimeret, cùm Filius Dei esset, dignatus est exinanire semetipsum *formam servi accipiens:* quidni sic extulerit servos, ut in filios adoptaret? Belle: sed æqualiter humanissima phrasi loqueretur si fratres illos diceret: olim namque monuerat eosdem unicum ipsis esse genitorem Æternum Parentem: *patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim pater vester, qui in cælis est.* Cùm eodem parente geniti forent Christus & Apostoli, potius Magistri sui fratres dicendi videbantur, quàm gnati. Quo stylo igitur post Eucharistiam filios vocat? Quia testamentum condiderat instituens divitiarum suarum diffusivum Sacramentum, ut ex Damasceno dixi suprà delibat. 9. In testamento frater non est hæres necessarius; filius autem maximè, licet adoptivus, dummodo sit adoptio perfecta. Perfectissimè discipulos adoptaverat Filius Dei: non testamento reliquit hæredes tanquam fratres: non enim fratribus testatores bona sua linquunt ex debito; sed ex dono. Igitur Dominus tanquam filios in Eucharistiæ testamento ditavit homines: quasi legitima sit eis debita portio; non gratuita donatio, hæreditas Eucharistica. Non nimis distat S. Macarius dicens: *quia filij sunt hæredes patris, & cùm eo manducant, utpote patri suo propemodum æquales: ita Christus qui verus est Dominus omnia creavit, nutritque pravos & ingratos: sed filios, quos è semine suo genuit, & participes effecit gratiæ suæ, in quibus formatus est Dominus, peculiari refectione, alimento, cibo & potu, præter cæteros homines, enutrit, largiturque se illis conversantibus cum patre suo: sicut ait Dominus, qui manducat meam carnem, &c.* Pulchra se veste contexit liberalitas ut convivio sacro decentiùs ministraret: donum inquam vestivit debiti colore.

Joan. 13. 33.

Silveir. to. 5. l. 7. c. 7. n. 50. & 67. & c. 8. n. 1. & c. 9. n. 1.

Joan. 13. 15. 16.

Matth. 23. 9.

S. Macarius hom. 14.

Non minori arte picturatum amictum induit divinus amor, ut liberalitati socium se præbens, ejusdem epuli se offerret administrum. Deliciarum floribus operuit sapienter suæ passionis, quæ memorantur ibidem, spinas. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, ait Apostolus. Et pungit amatorem Dei mæsta cruciatuum recordatio. Sed spinis flores amor superinduxit. *Ipse enim nos pascit & reficit. Bona pascua divina Sacramenta sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est Dominici corporis sanguinem.* (Verba repetò S. Ambrosii.) Habes itaque vernanti pulchritudine celatas in Eucharistia horribiles tormentorum facies. An soli utilitati nostræ consultum per hujuscemodi providentiam existimas? Sibi etiam divinus amor exhinc decorem non exiguum comparabat: cupiebat, inquam, fateremur illum sic omnia superare, ut dolores potuerit in gaudia vertere. Tolerantia quidem labores vincit: quandiu tamen de vulneribus non lætatur, sed tantùm ea sustinet, se vulnerari potuisse non inficiatur. Amor ultra Dei perrexit cùm perpeti dignatus est: non solùm triumphum retulit: sed invulnerabilem se probavit, eo quòd ictus habuerit gaudiorum loco, proindeque sic hostilia tela coëgerit in amoris partes transfugere. Scio quòd etiam in Calvario idipsum præstitit amor: insinuat Origenes. *Glorificatus est*, ait, *& cùm ad crucem venit & pertulit mortem. Vis scire quia glorificatus est, ipse dicebat: Pater venit hora clarifica filium tuum.* Attamen sicut materialem ibi Solem obnubilarunt tenebræ, sic divini amoris in patiendo voluptatem abdidere dolores. Clariùs igitur in illius noctis qua tradebatur lautissima cœna derexit se cruciamentis oblectari, quantumvis recondiderit semetipsum.

71. *Amor dolores vertit in gaudia.*

1. Corin. 11. 6.

S. Ambr. in Psal. 118. Oct. 14. tom. 2.

Origenes hom. 6. in Exod.

Exploratum est luce Chrysostomi, Dominum cum Apostolis convivantem, sacra mysteria manducasse. *Christus* (ait Chrysost.) *bibit ex Calice, ne auditis illis verbis dicerent, quid ergo sanguinem bibimus, & carnem*

Chrysost. to. 2. hom. 83. in Joan. tom. 3.

comedi

comedimus ? & perturbarentur. Ne igitur hoc accideret primus ipſe hoc fecit, ut tranquillo animo communicationem myſteriorum induceret. Res mira! ſi hominem purum ſub accidentibus Euchariſticis poneret Omnipotens, & eo paſceretur, non adeo expaveſcerem : audivi enim jam pridem dicentem
S. Bernar. ſer 71. in Cant. Bernardum : *cibus ejus ſalus mea, cibus ejus ego ipſe.* At verò ſeipſum in eſcam ſumere novum extitit dilectionis inventum. Sed quid per hoc intendit amor ? Cruciatus in delicias commutare. Scis (& utinam experiaris) quòd, ut affirmat Angelicus, per
S. Thom. opuſc. 57. hujus Sacramenti ſuſceptionem *ſpiritualis dulcedo in ſua fonte guſtatur:* & nulli dubium eſſe poteſt majori voluptate perfuſum fuiſſe Chriſti Domini animam ſanctiſſimam ex diviniſſimi panis manducatione. Obſtupeſce quid amor divinus fuerit meditatus. Amariſſimum noverat eſſe paſſionis calicem: hunc tamen in Sacramento ſui ſanguinis expreſſum abſcondi, ut eum ibi ſumens ipſe jucundam experiretur mortis acerbitatem. Non quievit immenſa dilectio donec ipſos cruciatus ita reddiderit ſibi quamſuaves. Etiam nobis propinatur intra myſteriorum abdita calix paſſionis non abſimili ſumendus hilaritate. Parum eſſet divino amori quòd *non affliget Dominus fame animam juſti*, niſi delicio recrearet eximio : uſque in delicias amamur ab ipſo.

72. *Deus in Euchariſtia S. donat quaſi reciperet.* Lætatus eſt ad menſam Euchariſticam olim divinus amans: Crede quòd etiam nunc exultat quoties ipſius calice lætificantur hominum corda : nam donum eis ita largitur ſuaviſſimum, ut ipſe, velut ſi acciperet illud, congaudeat. Appoſitè dixit Protopatriarcha
S. Laur. Juſt. ſer. de Euchar. Venetus : *verùm ob præcipuum quem ad homines gerit dilectionis affectum, illis impertiendo proprias eorum ſuas aſſeverat eſſe delicias.* De ſacramentali ſuavitate loquitur verè, paritérque piè. Hoc inter alias benefici præcellentias numeravit Philoſophus morum : quòd ſcili. largitor exiſtimet ſe receSenec. l. 1. de benefic. c. 7. piſſe cùm donavit : *nonnunquam enim*, ait, *magis nos obligat.... qui accipere ſe putavit beneficium cùm daret :* Hac circunſtantia ſupremus benefactor ſummum exornavit munus : donat quaſi recipiens. Verſatur inter communicantem & corpus Domini conſecratum unio illa quam ex Patribus Theologi docent : quæ non in ſolo affectu & gratia conſiſtit : nam ſic non aliter juſtus eſſet unitus Chriſto poſt communionem, quàm ſi nunquam ad eam acceſſiſſet. Illum nexum
Lugo de Euch. diſp. 12. fine. explicat Cardinalis de Lugo exemplo conjugatorum. Sicut ergo inter iſtos matrimonij vincula bonorum communionem ſanxere : ſic inter Chriſtum Dominum, & ſanctè communicantem, ligamen amoris reddidit communia Euchariſtica bona. Chriſtus igitur Filius Dei convivij diſtributor eſt ſimulque ipſius menſæ conviva : & ita ſe gerit quaſi Euchariſtiæ guſtu potiùs ille quàm nos frueretur.

Abrahamus in charitatis dieique fervore ſedens non quieſcebat : ſed ut hoſpitalitatem exerceret, peregrinos ad oſtium tabernaculi ſui expectabat. Occurrerunt ei tres viri, quos ille humaniter ad menſam invitavit : prænuntiam ſic accepit de incarnatione figuram. *In tribus autem viris qui venerunt ad illum, Domini Jeſu Chriſti prænuntiabatur adventus*, ait S. Iſidorus. Unde colligo vel omnes, vel ex tribus unum ſignificaſſe Verbum carne indutum. Vitulum itaque appoſuit hoſpitibus Abraham ; non tamen ſedit cum eis manducaturus : *tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis : ipſe verò ſtabat juxta eos ſub arbore.* Et ne dubitet quis an verba hæc intelligenda ſint ita, ut ſteterit ſub arbore ſenex antequam hoſpites inciperent manducare; non verò iis manducantibus, hoc dubium amovit Chryſoſtomus, dicens : *Neque dignum ſemetipſum cenſuit qui conſideret eis ; ſed illis comedentibus adſtabat ipſe ſub arbore.* Humilitas hæc videtur nonnihil hoſpitalitati detraxiſſe. An non humaniùs cùm invitatis ageret, ſi ad eandem menſam recumberet Abraham & manducaret ſimul ? Augebitur dubium ſi ad allegoriam attendamus. Vitulus ille ſacræ fuit Euchariſtiæ umbra. S. Ambroſium audi : *unde*, inquit, *& hic meridies eſſe deſcribitur, quando Abraham Domino offert hoſpitium. Sed ad cœnam vitulus immolatur, & cum lacte manducatur, hoc eſt non in ſanguine, ſed cum fidei puritate. Bonus vitulus, utpote qui peccata dilueret. Tener, quia non dura cervice, ſed molli jugum legis agnovit, crucis patibulum non recuſavit: & meritò tener de cujus capite & pedibus & inteſtinis nihil relictum eſt, & os non eſt contritum ab eo, ſed totus epulantium cibo ceſſit.* Hucuſque Ambr. Umbrarum me præpedit obſcuritas. Chriſtus in ferculo convivis apponitur: Chriſtus ad menſam introducitur manducaturus figuram corporis Sacramento velati : & hujus dapis expers remanet Abraham ſub arbore ? an non ille juſtorum typum gerebat ? Accipe D. Iſidorum Hiſpalenſem. *Notandum quippe quòd Abraham triplicem habeat figuram in ſemetipſo..... tertiam verò quæ in hoc loco eſt, figuram geſtavit Sanctorum, qui adventum Chriſti cum gaudio ſuſceperunt.* Relinquat ergo ſenex arboris umbram : cur non ad Euchariſtiam accedit repræſentatione proximam ? Chriſtum Dominum ſuimet convivam corporis accepit hoſpitio : qui ut oſtendat quanta dignatione nos ipſius proſequatur amor, potiùs Euchariſtiæ cibo paſci videtur ſibi, quàm nos alere judicet eodem : noſtris jucundatur deliciis, ac ſuavitate nobis conceſſa recreatur.

S. Iſidorus Hiſpal. in Gen. c. 14.

Gen. 18. 8.

Chryſoſt. in Gen. hom. 41. tom. 1.

S. Ambr. to. 1. l. 1. d. Abraham c. 5.

S. Iſidor. Hiſpal. in Gen. c. 14.

Unum eſt quo ſummè potiſſimùm gaudere divinus amor inter hujuſmodi epularum hilaritatem dignoſcitur quòd ſcili. per hoc myſterium Deus peculiariſſimè noſter maneat : hoc Dei Filio ſingulariter in votis erat. Dum ſumus in corpore non niſi amore poſſidemus eum, cujus adhuc perceptio clara denegatur mentis oculo. Unde Valentinus Antiſtes ait Deum fieri noſtrum dilectionis ope. *Deus*, inquit, *enim ſolo amore poſſidetur à viatore homine, & poſſeſſio ejus amor ipſius eſt. Amor igitur facit Deum eſſe tuum.* Hinc apertè colligitur Sacramento Euchariſtiæ Deum titulo amoris reddi noſtrum, eo quòd per illud corda hominum accendantur affectus flammâ. *Cella vinaria* (inquit alter Thomas)

73. *Deus cupit ut pateat ſe velle per S. Euchariſtiæ donationem reddi novo titulo noſtrã.*

S. Thom. à Villan. ſer. d. Magdal.

Doct. Angelicus opusc. 58. c. 30.

Thomas) *est Ecclesia, ubi propinatur calidum vinum sanguinis Christi ad accẽdendum corda dilectione Dei & proximi.* Nisi diligas Deum, velut furto surripis Eucharistiæ thesaurum: alienusque sumis alienum. Ama,& possîde quod facis diligendo tuum. Satagit Redemptoris amor ut Christus Dominus per Sacramenti receptionem fiat noster: non enim quiesceret offerens donorum ter maximum, nisi hoc sic in dominium hominis transiret manifestè, ut omnis de hac re scrupulus amoveretur.

Apud Aquilam evangelicam ita legis post narratum Domini conflictum? *Ut viderunt eum jam mortuum non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit & continuo exivit sanguis & aqua.* Quo mysterio Christi Servatoris pectus, non ante, sed post spiritus emissionem, sæva percussum lancea fuerit, dubitant plures: & cùm quæstionem solvant, nodus adhuc restat. Sanctum Olyssiponensem consului, & his me devotissimè verbis edocuit: *latus suum sibi permisit aperiri ut nobis daret cor suum.* Cor Dominicum ad nos non exivit, sed ex corde sanguis: hunc nobis donavit apertione facta lateris percussi. Quòd è corde sanguis ille prodierit alibi dederam: nunc accipe incertum qui sub nomine Cypriani circumfertur. *Totum effudit spiritum ut nos respiraremus: quidquid erat humoris aquei reliquum, expressit ut nos ablueremur: quidquid resedit in corde sanguinis, emisit ut nos confirmaremur.* Adde quòd idem habetur ex revelatione S. Birgittæ: *in corde punctus erat*, &c. Quòd autem nobis donatus fuerit sanguis ille, Tertulliani mens est. *Ideo continuò exivit sanguis & aqua; quia qui sanguinem crederent, aqua lavarentur, qui aqua se lavassent etiam sanguinem potarent, &c.* Eucharistiæ meminit Afer ne illam (juxta datam alibi n. 65. Chrysostomi doctrinam) ex latere Domini symbolicè profluentem præterires. Restat examinandum quare post mortem Sacramentum hoc propinat ex pectore Salvator, qui jam illud tradiderat recumbens ad mensam. Post veritatem quid præstat imago? Crediderim voluisse Dei Filium omnem scrupuli ansam dimovere, ne quis formidaret an reverâ Sacramenti gazas nostro sub dominio posuerit: nam si aliter se gessisset, fortè quis de hoc hæsitaret, hac ratione utens: nos antequam redemptio per Christi Domini mortem in puncto quo spiritum tradidit Patri consumaretur, eramus captivi. Servus non solet acquirere sibi quod ei dono confertur. Quomodo igitur Deus per Eucharistiæ largitionem noster effectus est? Dat proinde rursus Amantissimus Redemptor ex latere donum idem, ut jam per ejus decessum libertati nostræ restituti dominium consequeremur in munus illud. Non solùm divitiarum suarum commodat usum divinus amor iis quibus Dominici corporis convivium subministrat; sed affectuosum dominium permittit humanissimè: sollicitusque curat ut Omnipotentiæ prædivites opes noster possideat veluti suas affectus, nanciscatur spes, amplectatur desiderium, apprehendat voluptas, teneat memoria, capiat intellectus: quos omnes non solùm *non affliget Dominus fame*: sed perenniter convivantes recreabit abundè.

Joan. 19. 33. 34.

S. Anto. Olyssip. ser. 5. de martyr.

Incertus sub nomine Cypri. to. 3. Orat. d. duplici martyrio.

Revela. S. Brig. l. 2. c. 22.

Tertull. l. d. bapt. c. 16.

FLOS IV.

Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.

APERITUR.

DIVITUM vecordiam increpat hæc sententia, simul & laborantium industriam commendat, hinc ostenso præmio, illinc proposito supplicio. Horum quid utilius, terrere minis, an muneribus allicere non discutiam: neutrum ab alio sejunctum suscitabit inertem. Dives itaque facultatum suarum pressus mole manus ignavè remittit, animæque suæ otio præcipit indulgere: *anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Velocem temporalium bonorum inconstantiam præsumit stabili gradu sistere divinitatis æmulus: sed inania fugiunt insequente nemine. Ipse sui vindex & reus est, remissione sua pœnam inopiæ sibimet irrogans. Aliena manu supplicium cœlo delapsum non eget. *De peccante meipso* (fatebatur Augustinus) *justè retribuebas mihi. Justisti enim, & sic est, ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Ipsa pariter superbi divitis *egestatem operata est manus remissa.* 1.

Luc. 12. 19.

D. Aug. to. 1. l. 1. Conf. c. 12.

Manus autem fortium divitias parat. Operæ non parcens dulcissimos fructus colliges duro sub cortice latentes: ne dulcedine tamen illectus animum despondeas. Abundantias iterum defatigatio sequitur: nam si manum remittas, rursum advolabit pauperies. Ita caducis inest alternas mutare vices, ut opes labor paret, illæque mediante otio rursus pariant laborem. Orbem perlustra mente: nec facilè quidquam hac vicissitudine liberum comperies. Linquamus hominem fortunæ ludibrium, instabilitatis ænigma. Terram aspice: nunc arborum suppellectile viret onusta; nunc horrida sub hyeme depauperatur: & postea rursus

Diffugere nives: redeunt jam gramina campis
Arboribusque comæ. Mutat terra vices——

Horat. 2. Carm. 9.

Flumina deinde jam diteſcentes repetitis imbribus ferè superbiunt; jam negatâ pluviarum copiâ decrescunt. Maria continuis æstibus accedunt, & recedunt. Diem nox occupat, illamque dies fugat. In tranquillitatem desinit furens tempestas; & fluctuum quies transit in turbinem. Planetarum stabilis pulchritudo alternat ortum & occasum. Cuncta denique perenni vertigine circumrotatur:

Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

Boëti. d. consol. l. 2. metr. 3.

Egestatem. Solamne timebit socors pauperiem? 2.

periem ? Homo gnavus omnium bonorum cumulis diteſcit : hunc fama tollit, dignitas coronat, amici tuentur : ei contingit partis gaudere, ſpe fulciri, ſubitiſque doloribus non præoccupari. Igitur econverſo vecors infamis abjectuſque deſeritur : iſtius gaudia velut ſtagnantes aquæ putreſcunt : ejuſdem ſpes deſtitutæ cultrice diligentiâ marcent, nullumque telum ſors in eo deperdit : nam multis malorum ſtipata catervis petit imbellem pugnæ, imò & fugæ non cautum. Attamen de ſola egeſtate ſermo fit hoc loco: malum enim iſtud reputat imbecillitas humana cunctorum inſtar : meliùs dicerem reputare neſcit, ſed plus æquo perhorreſcit, fugit, execratur. Paupertas equidem, ſi grato excipiatur hoſpitio, beneficam hoſpiti ſuo ſe præſtat. Ingratus homo pauperiem ſanè perutilem odio prævenit adventantem. Summum ingratitudinis incrementum eſt beneficium nolle. Jam videas quantum paupertas humano generi fuerit proficua. Hæc, ut notat Apuleius, *priſca apud ſæcula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix*, homines docuit civiliter, & ingeniosè degere. Imò ſi quemquam fortuna ſecunda erudivit (quòd certè dubito) adverſa conſummavit : *paupertas*, ait Anaximenes, *enim homines & in artibus præſtantiores, & in rebus ad vitam pertinentibus reddit prudentiores. Gravis enim eſt ſapiendi magiſtra paupertas.* Imò duris rebus ingenium acuit, ſcientiarumque tenendo culmini, ſarcinis expeditum illud volare præcipit: *quibuſdam*, inquit Plutarchus, *exilium, paupertas, naufragium, occaſio fuit philoſophandi.* Quidquid reclamet Ariſtoteles, credo potiùs Auguſtino dicenti : *omnis philoſophiæ magiſtra nobis eſt inopia* ; quàm Peripatetico ſtatuenti ſic : *Impoſſibile eſt egentem benè principari, & ſtudiis vacare.* His omiſſis addo quòd egeſtas dici poteſt vitæ præſidium : non gulâ pauper ægrotabit, nec latronis gladio cadet : ab invidorum jaculis immunis erit : nil auferet ſors ab eo cui dedit nihilum. Et (quòd potiſſimum eſt) videbis egenum pluribus exortem criminibus, quibus inter divitiarum illecebras animus peſſundari ſolet: *fames nunquam produxit adulterium, neque pecuniarum inopia luxuriam.* Virtutes deinde ſuadet, quia humilitatem illarum fundamentum ponit : *paupertas virum humiliat* : ſic vertunt ſeptuaginta præſentis paræmiæ prius hemyſtichium. Belle Chryſoſtomus : *paupertas eſt manuductrix quædam in via quæ ducit ad cœlum*, &c. Hanc lethali odio habent mortales tot infirmitatum vilem, ſed pretioſam ſanè medelam ! O nimia cupidine cæci. Sed quidquid illi dicant *non tibi diſpliceat paupertas tua : nihil, ea potes ditius invenire.* Hæc D. Auguſtinus.

Apul. apolog. 1.

Anaxim. apud Stobæ. ſer. 95.

Plutach. in moral.

D. Aug. to. 8. in Pſ. 76.

Ariſtotel. l. 2. Politic.

Plutarch. apud Stobæ. ſer. 93.

Septuaginta verſio hic.

Chryſoſt. ho. 18. ſup. ep. ad Hebr. tom. 4.

D. Aug. ſer. 26. d. verb. Apoſto. tom. 10.

Operata eſt. Non de futuro ſententiam deſidioſo pronuntiat : præterita memorat otij damna, quæ perpeſſi fuere pigritantes: *minùs enim ſeipſum homo ex ſemetipſo conſiderat*, inquit S. Iſidorus Hiſpal. ſibi forſan timebit ſi reſpiciat in aliorum exitio quod paveſcat.

S. Iſidor. Hiſpal. 2. d. ſum. bono. c. 11.

Manus. Loquitur ſingulariter : nec enim ſolus ille triſtem videbit inopiam qui manum remiſerit utramvis, ſeu qui utramque dormit in aurem. Opulenti ſolent interdum deſides otiari ; quandoque verò lucrum inſatiabiliter quæritare : quod idem eſt atque alteram demittere manum, & aliam intendere : ſed quidquid orditur hæc, demolitur illa.

Remiſſa. Aliqui avaram ſive clauſam interpretantur : ſed ſi loquamur ad literam, non placet hoc : genuinè accipiendum eſt pro manu pigra. Sed fateor quòd ferè nemo ſibi negligens, qui non avaritiâ ſordeat.

Manus. Iterum ut antitheſim concinnet, ſingulari numero vigilantiam exhibet deditam labori unica manu : attamen longè diverſo fortaſſis ingenio : ac ſi diceret : ſedulus manum admovet operi, Deique faventis auxilium, velut altera manus aderit.

Fortium. Ideſt impigrè deſudantium. In idem quaſi recidunt fortis & laborioſus: nam *generoſos animos labor nutrit.* Sen. epiſ. 31.

Divitias. Divitem quemque reddet labor improbus : ſed potius dives animus, & mundialium bonorum judex incorruptus: quamvis requiſitæ deſint opes, qui parvo contentus fuerit opulentus erit. Cui cùm paupertate benè convenit, divitem frequenter adeò jactant ethnici Philoſophi, necnon & ſacri, ut illorum dicta jam aſſiduitate obſolefiant, ſi poſſunt aurea veteraſcere. Unum pro cunctis do, ſed magnum : *paupertas*, ait Grego. Pa. *quippe in inopia mentis eſt, non in quantitate poſſeſſionis. Nam cui in paupertate bene convenit, non eſt pauper.* Quid refert quantum illi claudat arca, horreuſque ſervet, ſi cuncta deſiderans pluribus indiget, ac paucis potitur ? Quid nocet egeno rerum penuria, ſi parvo quieſcens nec plura cupiens poſſeſſione ſatur eſt quia ſatis dixit deſiderio ? *habebit enim quantum volet qui volet minimùm.* Apulei, Apolog. 1.

D. Greg. M. in Ezech. ho. 18. to. 2.

Parat. Verbum eſt æquivocum ſignificatione duplici : nam & inſtruere futura ſonat, & acquiſita poſſidere. Primò, ut reor, ſenſu videtur hic accipi : nam opere diligens idcirco laborat indefeſſus, quia tenere cupit ea quibus eget. Opes igitur perpetuò parantur? nunquam poſſidentur ? Ut plurimum ſic evenire cernimus, dum inexpectata morte præventos prius vitæ quàm deſideriorum exitum attigiſſe videmus. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te : quæ autem paraſti, cujus erunt ?* Luc. 12. 20.

DELIBATIO I.

Induſtriæ divitis fruſtraneæ ; non autem neceſſitas ut Deus quæratur. Virtus dum non augetur, minuitur : & ipſa quandoque ſibi præmium.

CUm deſidioſo ſæcularis fortunæ ſervo res eſt. Otium à Dei famulis longiùs exulat quàm cerni valeat : quippe qui dum otiari creduntur, plurimum negotij Deo vacantes conficiunt. *Nunquam eſt Dei amor otioſus, operatur etenim magna, ſi eſt : ſi verò operari renuit, amor non eſt.* Hæc D. Greg. Pa. ſolos hujus ſæculi filios ignavia torpentes

1. *Avaro præpoſtere ſuccedunt induſtriæ.* D. Greg. M. hom. 30. in Evang. to. 2.

reperimus. Nunc paululum à literæ rigore deflectamus. Manum remiſſam licet accipere latiori ſenſu pro animo tenaci manus contrahenti, claudere parta ſomnianti. Ex Salazar hîc habes : *manus remiſſa ideſt clauſa manus, avara, & bonorum tenax, egeſtatem & penuriam adducit.* Infœlix eſt avaritiæ ſollicitudo : nihil reſpondet ejus votis. Cupit in primis exaltari ; ſed uſque ad miſeram ſervitutem deprimitur. *Si adverteritis....quàm peſſima & prava res ſit avaritia, videlicet quòd avarum eſſe ſit non ſolùm idolis ſerviens, ſed etiam ipſa idolorum ſervitus. Avari enim Deus nummus eſt.* Hæc D.Anſelmus. Deinde cupit vitam auro prorogare dives, & peſtem ſervat in corde. *Avaritia verò*, ait idem S. D. *illa peſtis eſt animi, quæ nunquam dicit niſi : accipe.* Deſiderat etiam gaudia pecuniis adipiſci, & dolores multiplicat. Redi ad Anſelmum : *multi*, ait, *per cupiditatem errant à fide, quoniam avaritia eſt idolorum ſervitus : & inſerunt ſe doloribus multis, quoniam mens eorum aſſiduè pungitur ſpinis ſollicitudinum*, &c. Tandem quærit avarus appetitum ſatiare, ſed fruſtra, ut idem Anſel. inſinuat. *Avaritia verò*, inquit, *eſt inſatiabilis amor habendi.* Hinc moveor ut expendam ſupplicium avaritiæ. Diteſcere cogitat miſer, & ſua tenacitate depauperatur. Quantumlibet induſtrias exhauriat, fruſtrabitur ſorte : opes diffugient, & fraudabunt inſequentem : præpoſterus illi, quaſcumque tentet vias, reſpondebit eventus.

Salaz. hic n. 44.

S. Anſelm. to.2. ad c.5 Epheſ.

Idem ibi. c.6.ep.1. ad Timoth.

Idem ad c.6. ep.1.ad Timoth.

Idem in ep. 1. ad Rom.

Jacob uxoribus ſuis collocutus de ſoceri erga ſe dolis querebatur dicens : *pater veſter circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus* : ideſt ſæpe, ſecundum aliquos: ſed Hieronymus numerum ad literæ ſonum accepit. *Si videbat varium naſci pecus, poſt fœtum dicebat, volo ut in futurum mihi varia naſcantur. Rurſum cùm vidiſſet unius coloris naſci pecora (Jacob quippe hoc audito virgas in canalibus non ponebat) dicebat ut futuros fœtus unius coloris ſibi pecora procrearent. Et quid plura? Uſque ad vices decem ſemper à Laban pecoris ſui, ſive Jacob mutata conditio eſt.* Impoſturas Laban haud miror ; Jacobi columbinam tolerantiam non poſſum non demirari. Si primo fœderi non ſtetit ſocer, credendum ne quòd ſtabit aliis ? Quare Jacob deceptus ferit rurſus cũ doloſo pactum ? eccur iterum ſpretam contractus legem expertus, patitur inire tot fœdera cum non ſervaturo promiſſa ? Suſpicari poſſumus non imprudenter arbitratum eſſe Jacob ſecurum ſibi manere lucrum. Avaritia percitus Laban cupioſiorem proventum cupiens, fœderis conditionem iteratis vicibus tranſmutavit. Veſana ſoceri cupiditas Jacobum non latuit : ſed probè noverat nequaquam ex ſententia habituram exitum, quin potius inverſo conſilij ordine artes ejus fruſtrandas. Ideoque iterare pacta non metuit cum fraudulento, ſciens Labanum opulentiæ augendæ intentum nil ſibi quo ſatiaret ſitim operari. Cogitationem eventus probet. *Tulitque Deus ſubſtantiam patris veſtri & dedit mihi.* Quidquid moliatur avarus, demolitur ſors : ſeminat gaudia, demetit ſpinas: opibus tenaciter iniat, & reperit inopiam : *illa eſt pœna peccati juſtiſſima ut amittat unuſquiſque illud quo benè uti noluit.* Sic Auguſtinus.

Gen.31.7.

S.Hier. in quæſt.Hebr. in Geneſ. poſt med. tom.2.

Gen.31.9.

D.Aug.l.3. d.libero arbitrio c.18. tom.1.

Attamen quamvis egeſtas hæc mulcta delictorum ſit, quæ radix iniquitatum otioſitas germinat : (nam, ut ait Philo Heb. *criminum reos neceſſariò ſequitur inopia :*) nihilominus non parum clementiæ miſcetur hujuſmodi ſupplicio. *Semper talis eſt Deus noſter*, ait Origenes : *excruciat nocentes, ſed quaſi pius pater, tormentis clementiam ſociat.* Sic facultatum anguſtia flagellum eſt, quo peccatoris miſericorditer excutitur ſomnus, ut oculos in cœlum anxietate docente levet, quos fortè non exigeret in cæleſtia, niſi cogeret afflictio, Dei nomine loquens dixit Auguſtinus : *ad hoc permiſi tribulationem tibi fieri, quia fortè ſi non tribulareris, non invocares me. Cùm tribularis autem invocas me, cùm invocas me eximam te, cùm eximam te glorificabis me, ut jam non diſcedas à me.* En pulchram erexit ſcalam Auguſtinus, qua gradatim ex tribulatione aſcenditur ad affectum. Doctrinam tribulationibus communem ſi paupertati accommodemus, certiſſimam confirmabit experientia docens victus neceſſarij penuriam optimum eſſe monitorem pro invocatione Dei.

4. *Penuria victus monitor eſt ut homo Deum invocet.*

Philo Heb. tom.1. l.d. mundi opificio.

Orig. to.2. ho. 5. in Ezech.

D.Aug.to. 8. in Pſ.49.

Beneficia tribuens pro injuriis clementiſſima Dei manus ingratum Hebraici populi murmur dape cælitus delapſa rependit. Cavit attamen ne ſumerent ex manna præter quàm quod ejus diei ſatis eſſet alimento. Et ratio mandati hujus erat ut ſic eorum animus ad providentiam Dei attenderet quotidianam. *Itaque*, ait eruditus à Lapide in eum locum, *ut continuò & jugiter à Dei providentia pendere diſcerent*, &c. Unde dixit Dominus Moyſi : *egrediatur populus, & colligat quæ ſufficiunt per ſingulos dies* : pro die tamen Sabbati, quia manna inveniendum non erat, pridie parabant quod utrique diei ſufficeret. *Die autem ſexto parent quod inferant : & ſit duplum quàm colligere ſolebant per ſingulos dies*, &c. Si, quæſo, Deus ob inconſtantiam Hebræorum, ut quotidie ſe à Deo pendere meminiſſent, ita providit eis, ut manna uni diei collectum non poſſet alteri ſervari (*dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit :*) cur aſſervari jubetur pro die Sabbati ? Quare non & in die ſeptima, quæ peculiariter dies erat Domini, pluit manna cœlum ? Cùm Deus, ut ſæpe dicere ſolemus, illum reputet ſuum novo titulo diem, quo benefacit homini. Ratio fortaſſis hæc eſt : quia Sabbatum erat ſanctificatum Deo : proinde non opus erat ut ea die collectione mannæ monerentur ne Deum oblivioni traderent : ipſa namque dies Creatorem illis in memoriam reduceret propter ſanctificationem ſuam. In cæteris diebus, quia non eadem ratio militabat, oportuit de remedio ipſis provideri ne Conditoris oblivium incurrerent. Et quis aptior eſſet exhortator quàm inopia ? egeant Iſraëlitiæ quotidie cibo, nec valeant annonam colligere diuturnam, ut dierum ſingulorum indigentia ſuadeat quotidianam recordationem Altiſſimi. Iſta certè perutilis eſt homini : igitur non leve beneficium conciliat egeſtas.

Corne.à Lapide in 16. Exod.n.4. Exod.16.4.

Ibi n.5.

Ibid. 20.

Quin

5. *Virtus non proficiens decreſcit.*

Quin potius non ſolùm utile, ſed neceſſarium crede jugiter mentis oculos in cæleſtia levare, ut indies pergat ulterius virtus quam ſemel corde locaſti. Huic fini proderit valdè paupertas, quæ vinculis expedita ſæculi pergere ſolet fœliciter in via Domini : etenim à minori ad majus arguens novit æſtimare quàm lugenda ſit ſpiritualis pauperies animæ, utpote quæ incomparabilium bonorum jactura eſt. Favet in myſtico ſenſu textus noſter. Cornelius à Lapide hoc loco ſententiam & in virtutum cenſu locum habere putat. Concinit Interlin. quæ verbo, *egeſtatem*, addit, *veri boni* : iuſtitiæ ſcili. nam *vera bona in virtutibus ſita ſunt*, ut nec Tacitus melioris luminis expers tacuit. Favet inquam, textus, ad hoc ut mens noſtra occaſione temporalis inopiæ meditetur quod in ſpiritualibus negotiis parit remiſſio. Duplex occurrit ſanctitatis ænigma Sol & ignis : *omnia opera illorum velut Sol in conſpectu Dei*, ait Siracides. *Tanquam ſcintillæ in arundineto*, dixit Sapiens. Unde juſti ſolis more fulgent, & igni ſimiles exardent. Phœbus ab ortu ad meridiem aſcendit, ac tunc deſcenſum inchoat, cùm aſcendiſſe deſiit : flamma ſurſum evolat ; illam ſi tenere velis extingues. Haud aliter juſtorum fulgor ſtare neſcit : vel proficiens augetur ; aut à recto declinat : tunc non deficiet ſi creſcat indeficienter ſingulis in virtutibus. Exempla ſubjicere foret operoſum, ac plus æquo longum : unum dabimus intra noſtri textus metas, qui de liberalitate in egenos agit morali ſenſu.

A Lapid. hic in 10. Prov. Tacit. in vita Agri. Eccli. 17. 16. Sap. 3. 7.

Job ſolitarius inter amicos, eorum linguis velut armato milite obſeſſus, contumeliarum ictus tolerantiæ ſcuto excipiebat. Exprobravit illi ſic Eliphaz : *aquam laſſo non dediſti, & eſurienti ſubtraxiſti panem.* Ille ut hanc repelleret calumniam reſpondit exeIbi c. 31. 17. 18. cratorium adhibens jusjurandum : *ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea : quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio*, &c. Caput iſtud Jobi dividitur, juxta Liranum in decem partes, quarum tertia finitur citatis verbis : & de hac dixit Lira : *hæc eſt tertia pars, in qua oſtendit ſe immunem à peccato immiſericordiæ*, &c. Expertem ab immiſericordiæ crimine ſe probat ex eo quia miſeratio, illo adoleſcente, crevit ? Exuberare videtur criminis objecti depulſio : nam Jobum Eliphaz arguit quòd inopum gemitibus clauſerit aurem : nonne ſatis inſontem in hac re ſe tuetur dicens eſurienti ſubveniſſe : Ut quid rationem addit illam, ſcili. quia creverat cùm eo miſericordia ? Fatur ita exemplar patientiæ, quia dixerat ſe non ſpreviſſe pauperum auxilium : & ut confirmet hoc, ſic argumentum conficit : non in me (quandiu valui) defecit miſeratio, quia crevit mecum. O quàm diſertè colligit arguens perſeverantiam ex augmento. Illud, *crevit*, non accipio quaſi tantum affirmare voluerit quòd ætate illius adoleſcente comitata fuerit eum pietas ; ſed quòd ipſa miſericordia magis ac magis fuerit in eo cumulata. Patrocinatur Hugo Cardi. ibi : *notandum quòd dicit : ab infantia crevit mecum miſeratio : multi enim quò ad ætatem creſcunt, eò ab innocentia decreſcunt. Electis verò cùm foris creſcit ætas corporis, intus, ſi dici liceat, creſcit ætas virtutis.* Creviſſe ait Job miſericordiam ſuam, ut nunquam immiſericordem ſe fuiſſe convincat : nam ſi augmentum ſiſteret, virtus jam declinaret. Cadit juſtus dum aſcendere piget ultra : imò jam cecidit qui ulterius conſcendere non vult. *Si verò quis dicat, dives ſum ; ſufficit, bona poſſideo, non amplius egeo, ille non eſt Chriſtianus, ſed vas erroris, & diaboli : nam qui fruitur Deo ſatietatem neſcit : quantóque magis eum guſtaverit, ac ederit, tantò plus eſurit.* Hæc D. Macarius. Itaque juſto ſi contingat ſiſtere, ne dubitet ille cecidiſſe. Profectus obſtat virtutis ruinæ : pauperiem fugat negotiatio pigrum negans otium in animæ lucris : in quibus remiſſa manus vocat *egeſtatem*.

Hugo Card. in 32. Job. S. Macar. hom. 15.

6. *Minus Deo placet is què laborum tædet, ac requiem æternam cupit accelerari.*

Adeo verum eſt virtutis permanentiæ conſentaneam non eſſe requiem, ut etiam non nimis Deo placeant illi qui ad ſupernæ patriæ quietem feſtinantes anhelo ſpiritu mortem expetunt, ut metam laborum videant, quam curſu tranſilire non licet. Perfectus amor non ſibi terminum præfigit, quo ab opere ſiſtat : æternùm amaturus non tempora metitur actioni : *non enim ad annum, vel ad tempus, inſtar mercenarij, ſed in æternum divino ſe mancipat famulatui. Audi denique vocem juſti : in æternum non obliviſcar juſtificationes tuas.... Quòd ſi ſtudere perfectioni eſſe perfectum eſt, profectò nolle proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt qui dicere ſolent : Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri ?* Hæc D. Bernardus, ex quibus videre liquet Deum noſtræ utilitatis velut ambitione ſanctiſſima commotum, plus tunc in juſto complacere, cùm ſe divinæ diſpoſitioni committens non de quieſcendo cogitat mortalitate dimiſſa ; ſed ultra pergere non recuſat. Econtra, ſi quantumvis perfectus amet ſiſtere greſſum depoſitis armis in ſepulchro, minorem tunc apud Altiſſimum gratiam invenire.

S. Bern. ep. 253. ad Abb. Guarinum.

Zelatorem divinæ legis Eliam premebat anxietudo multa de prophetarum nece per impiæ Jezabelis crudelitatem pluſquàm fœmineam. Tunc in deſerto Deum familiariùs alloquens dixit : *ſufficit mihi Domine, tolle animam meam : neque enim melior ſum, quàm patres mei.* His nullum à Domino reſponſum obtinuiſſe legimus. Non per ſeipſum Dominus tunc mandata præbuit ; ſed per angelum (qui nec Dei nomine loqui ſe dixit) grandem ipſi reſtare viam docetur vates : quaſi dignus pro tunc non eſſet nuntium Dei manifeſtiùs accipere. Angelico pane confortatus accingitur Elias itineri. Cúmque ventum eſſet ad montem Oreb, tunc ex ore Domini ſermonem audire meruit Elias. *Cúmque veniſſet illuc manſit in ſpelunca : & ecce ſermo Domini ad eum*, &c. In oſtio ſpeluncæ poſitus docetur ab ipſo Domino prophetа quò ſit perrecturus, & quid illum agere oporteat inſtruitur. *Et ait Dominus ad eum : vade, & revertere, &c.* Scio communem & probabiliorem ſententiam (de qua Pererius in Gene.) docentem in veteri teſtamento locutiones & apparitiones Dei

3. Reg. 19. 4. Ibi n. 9. Ibi n. 15. Pererius in c. 32. Gen. v. 23. diſp. 1. n. 12.

nunquam immediatè per ipsum factas ; sed per angelorum ministeria. Non improbabile tamen est oppositum, quod refert citatus author sequutos fuisse Justinum martyrem, Tertull. Hilar. Ambr. & Chrysos. De Elia loquentem accipe Ambrosium : *quadraginta dierum jejunio divinam acquisivit præsentiam.* Qua expositione suppositâ remanet investigandum, cur anxio Eliæ non Dominus loquitur, sed angelus, & parcè ; cùm verò jam recreatus Propheta Deum contubernalem expertus est, viam, & agenda monstrantem. Non crevit benignitas Domini ; sed plus ei nunc placuisse credo, quàm priùs Eliam. Utrobique fateor, amore Dei zelus ipsius exardebat ; sed priori loco mortem appetiit vitæ pertæsus tot laboribus, & discriminibus expositæ. Requiescere cupiebat funeris auxilio. *Elias*, inquit Ambrosius, *ad illam festinans requiem rogabat ut acciperetur anima sua à se :* ulteriorique merito se vires habere diffidebat juxta Sanctij commentarium ibi : *quid enim à me sperari potest quod præstare non potuerint parentes mihi charissimi, quos tamen Iezabelis ferro subjectos video ?* In spelunca verùm sententiam eligendi mortem deseruisse videtur Elias, vel tunc vel antè mutatam. Hoc ex eò colligo quòd licet querulus fuerit locutus, non iterum dixit : *tolle animam meam :* imò tactu expergefactus angeli eum excusserat somnum de quo moraliter Lira : *obdormivit in umbra : repor enim aliquando nominatur in scriptura sopor.* Et viam arripuit qua morali sensu designatur profectus in virtutum semita, juxta eundem Liranum ibi : *per hanc ambulationem Eliæ significatur processus de bono in melius usque ad perfectionem vitæ, quæ est perventio usque ad patriam spe*, &c. Majus igitur in oculis Dei Vates invenit gratiæ pondus : humanissimè tunc, inquam, divinitas ei colloquitur ipsa quando finem operibus vitæ activæ adhibere non properabat ; sed adhuc de bono in melius progrediebatur virtute simul & senio grandævus.

S. Ambr. to. 1. l. d. Elia & jejunio c. 2.

Idem enarratione in c. 52. Isaiæ tom. 2.

Sanctius in 3. Re. c. 19. 10.

Lira ibi ad n. 5.

Idem ad n. 8.

7. *Deus oblationem hominis loco præmii redonat.*

Itaque Deo vacare jugiter egestas monet impedimentorum expultrix, & nescius quietem hortatur ne in aliam (quæ sola metuenda viris) inopiam decidat manus remissa : virtutum scili. pauperiem. Quod iterum suadet in secunda versiculi præsentis parte Salomon spe lucri spiritualis augendi : *manus autem fortium*, &c. Et pudebit certè meditantem quàm diuturna expectatione retributionis delassentur sæculo famulantes incessanter mortales ; & contra sperare præmium illud, quod non tardat redditor fallere nescius, despiciant, vel fatigati deponant ejus desideria. *Pudeant proinde negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem ire : & minori studio salutis acquirere, quàm perditionis augmentum.* Sic D. Bernardus. Quidni spebus cadentes prolabantur sæpissimè.

S. Bern. ep. 341.

Quantùm ad ardua valeat præmij gratissima spes neminem fugit, qui sacram aut profanam eruditionem vel à limine salutaverit. Animos addit conflictui, paci vigilantiam : alleviat mæsta, emollit aspera, mentem illuminat, accendit affectum. *Tolle laboranti mercedis spem, & illico manus illius contabescet in opere. Tolle viatori pervenendi fiduciam, & statim præ lassitudine in via deficiet. Robur igitur actionis in spe remunerationis includitur.* Hæc D. Laurentius Just. Quæ cùm ita sint, gubernatrix cunctorum Sapientia, Salomonis ore, præmia repromittit misericordi. *Manus fortium*, si pro effusis in pauperes accipere velis, favet doctus interpres Salazar nixus Hebraicæ radici. Nempe qui profusa liberalitate motus, inopiæ nequaquam timidus, comite spe, fortis animo, bona sua vertit in miserorum auxilia, fortunarum cumulo donabitur. Divitias reponet Altissimus pro divitiis. Vide quàm ad pondus retribuat. Veluti depositas redonat opes inter egenos distributas, quò talionem reddat exactissimè. Nec solo facultatum suarum pio dissipatori par pari refert : latiùs divina patet in remunerando æquitas. Imò dicam : sic invigilat Dominus tribuendæ mercedi simillimæ factis, ut idem quod obtuleras rursus accipere merearis in præmium. Ne dissideat à merito remuneratio, pretium erit oblatio tua sibi.

S. Laur. Just. in fascicul. amoris c. 17.

Salaz. in 10. Pro. n. 44.

Pergebat jussis obtemperans Abrahamus duplicem uno ictu vitam jugulaturus, & suam dolore, necnon à se genitam gladio. Prospiciens è regione positum holocausti locum ad servos rei totius ignaros ait ut maneant illic, donec ipse comite nato regrediatur : *ego & puer illuc usque properantes postquam adoraverimus revertemur ad vos.* Ut arcanum servet lædit sanctissimus Patriarcha veritatem ? An non ipse puerum rerum Domino sistere parat inter ignes ? reversurum spondet : quem sibimet auferre decreverat ? Nodum gentium Apostolus dirimit aiens : *Arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus :* Abraham Isaacum juxta Dei præceptum immolare proposuerat, nec de cœlo prohibendum suspicari poterat idipsum quod sibi dudum fuerat imperatum. Attamen filium à Deo suscitandum ratus est. Et quænam rationis momenta potissimùm induxere Abrahæ animum ut crederet non viso tot sæculis prodigio se fruiturum, scili. resurrectione filij ? neminem viderat mortis carcere liberum vitæ restitui? quo ductus igitur ille secum statuit fore ut Isaac è cinere postmodum reviviscat ? Sic dicerem Abrahamum de hac re deliberasse. Dilectionem geniti mei siccis oculis præteriens, hanc rationalem victimam Domino dicare non renuo : eandem igitur vitam, quam Numini consecrabo præmij loco iterum accipiam : adeo namque grato ad æqualitatem Principi famulor, ut à servis oblata rursus mercedis vice retribuere soleat, ne vel punctum divina gratitudo videatur discrepare ab obsequio. Expende Augustinum : *Promissionem ergo Dei pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri quem Deus jubebat occidi, non hæsitavit quod sibi reddi poterat immolatus qui dari poterat non speratus.* Et benè, quia Deus æquissimus redditor, ut æquitate celerrima benemeritum remuneret, ipsum quandoque donum oblatum sibi festinus redonat in præmium oblationis ejusdem. Hinc est quod valet de quacumque

Gen. 22, 5.

Hebr. 11. 19.

D. Aug. l. 16. d. civit. Dei c. 32.

cumque virtute dici quod S. Thomas à Villan. de amore affirmat inquiens : *ipse amor sibi grande præmium est.* Et accedit quòd ipsum peccatum suimet supplicium est : non ergo mirum quòd eadem oblatio Deo facta sit remuneratio sui : *quia misericors Deus* ait Chrysostomus , *paratior est ad remunerandum bonos , quàm ad puniendum indignos.*

S.Thom. à Villan.ser.1. Dom. 17. post Pentec.

Chrysost.to. 2.hom.25.in Matth.

DELIBATIO II.

Mala paupertatis.

ITa super terram mutuò permixta latent bona , malaque , ut vix bonum sine portione mali reperiatur, malumve absque boni mixtura queat inveniri. Forsan ideo,ut Messiæ divinam prædiceret sapientiam evangelicus præceptor Isaias non alia exaggeratione usus est : sed velut ingens illius testimonium adducit quòd sciet reprobare malum, & eligere bonum. *Butyrum & mel comedet ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* De sapientia divina loquebatur juxta Hieronymum dicentem ibi : *adhuc pannis involutus , & butyro pastus ac melle , habebit boni , malique judicium..... ut per hæc verba noscamus , infantiam humani corporis non præjudicasse sapientiæ.* Posset Sapientiam divinam in lactante puero latentem commendare de cordium inspectione , deque mundi prudentissimo regimine. Satis magnum quid protulisse judicavit Propheta , cùm asseruit ei talem sapientiam futuram , quòd inter mala bonaque discernere sciat. Hinc vide quàm confusè manus ad invicem conferant mala & bona , nullumque sit ex iis quæ plangimus , cui non insint multa quæ diligas. De paupertate nunc agimus ductu Salomonis : quæ quidem malum hominis est multis attemperatum bonis. Delitescit horrido sub cortice dulcis medulla : hanc sequenti capite gustandam repono ; illum verò nunc frangam quinque pauperiei damna præcipua numerans.

Isaiæ 7.15.

S.Hiero.ibi. lib.3.

1.

Nec suo nomine dignus putatur pauper.

Primum est contemptus : nam apud mundi sectatores paupertas ridiculos homines facit , atque deturbat : non enim magis homo sanæ mentis irridetur ingrediens insanorum morocomium , quàm subsannatur à mundanis opulentis inops. Si honos esset in accipiente,non sic se res haberet. At cùm fit in honorante , defertur pro libito vilissimis rebus ? nam satis vilia sunt quæ à cordatis appellantur vincula. *Abjice abs te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria,&c.* inquit August. Vincula coluntur, inquam à mundi affectis : nam cùm in sæculo cupiditas divinis afficiatur honoribus:compedes quos, ne illam deserant , sui martyres patiuntur, alij eidem idololatriæ servientes osculantur. Ignominia vinctorum est honor iste : quia cæteri non curantes hominem , divitias venerantur quæ ipsum ligant. *Itaque divitiæ,* ait Chrysostomus , *nobis ignominiæ causa sunt , majori præditæ honore quàm qui possident.* Hæc sanè verum habent : at quandiu scena durat , veritas non attenditur , sed fabula. Despicitur pauper , & ita ut vix de nomine cognoscatur. *Certè* , ait Gregorius M. *in populo plus solent nomina divitum, quàm pauperum sciri.* A suis nomine proprio judicatur indignus qui pauperie premitur. Postquam ab opulentia cecidit in egestatis infima, proprio vocabulo miser non putatur dignus.

D.Aug.ser. 227.de tèp.

Chrysost.ho. 7.in ep. ad Colossenses. tom. 4.

D.Greg.M. hom.40. in Evang. to.2.

Prodigus adolescens à vitiorum barathro, in quod præceps ruerat , necessitate magistra meliora sapiens exsurrexit , demumque regrediens domum paternam peramanter exceptus est à genitore : qui veniam simul & omnia , quibus eum spoliaverat insana libido , liberaliter ei largitus est. Insuper , ut eximiam de gnati reditu lætitiam testaretur ampliùs , jussit opimum instrui convivium. Huic addita modulamina festivam reddidere diem , gratoque tumultu cuncta personuere. Soli fratri seniori mæstæ fuerunt epulæ. Veniens ex agro ille, rusticè nimis, nolebat domum ingredi:parentique velut rem iniquam exprobrabat quòd magnifico sumptu celebrem esse voluerit adventum perditissimi juvenis : *sed postquam filius tuus hic , qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Notavit Carthusianus verba despicientis fratrem: *sed postquam filius tuus hic , aspernando hoc dicit.* Contemptui habuisse fratrem juniorem video , quem nec fratrem appellat ; sed quare non saltem proprium illius nomen adhibet ? Iratus erat non mediocriter Esaü adversus Jacob ex multò graviori causa(cùm scili. benedictionem , quam ipse præstolabatur , vidit sibi præoccupatam ;) nomine tamen illum suo vocare non dedignatus est : *justè vocatum est nomen ejus Jacob.* Quare non similiter se gessit cum juniore prodigo frater natu major ? Vide Majoratu prædivitem, benedictioneque cernebat Esaü Jacobum fœlicem : *primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Quomodo non loqueretur de illo , servata urbanitate ? At frater prodigi sciebat hunc, substantiâ quam detulerat consumptâ, miserâ squalidum penuriâ domum redire coactum : proinde pauperrimum nomine suo reputat indignum. Sic vulgò pauperes habentur nullius nominis homunciones. Injustè dividit humana superbia , vilipendens ita quos Dominus magnifacit , & novit ex nomine. Notavit ad illud : *Mendicus nomine Lazarus* , D. Greg. M. *Quid est ergo quòd Dominus de paupere & divite verbum faciens, nomen pauperis dicit , & nomen divitis non dicit : nisi quòd Deus humiles novit atque approbat , & superbos ignorat* ? Aliter accidere solet magnitudinis humanæ umbrâ illusis : quibus oculos fallit adeo vanitas ut contribules, & fratres, dum palliis teguntur attritis , nesciat , ac januis clausis repellat eos , qui , dum fortuna ridebat , cunctorum versabantur in ore. Jure optimo, cùm Deus per Nathan Davidi objiceret quòd eum de post fœtantes ad regnum vocaverit , dixit contulisse nomen ei: *fecique tibi nomen grande*,&c. An Deus illi sicut Abrahamo,vel Jacob,aut Petro mutavit nomen ? Nequaquam: sed cùm ex paupere ditissimum Davidem

Luc.15.30.

Dyon.Carth. ibi.

Gen.27.36.

D.Greg.M. suprà.

2.Reg.7.9.

reddiderit : ideo, juxta illum, qui uſui ſolet eſſe, ſtylus in terris, videtur ipſi quaſi nomine deſtituto dediſſe nomen : *fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum, qui ſunt in terra*, &c. Si ad peram & baculum iterum David reduceretur, nomen amitteret præ infœlici pauperie.

9. *Qui facultates amiſit è medio ſublatus putatur.*

Sed utquid pauperis lamentamur abjectionem, quâ nominis cogitur facere jacturam ? Plus eſt quòd pène deſinere putetur cùm in paupertatem redigitur : quaſi tota vitalis facultas apud ſæculum in facultatibus poſita ſit. Ubi Vulgata legit dogma quòd perpendimus, ita : *egeſtatem operata eſt manus remiſſa*, &c. Hebræa lectio ſic habet : *pauperem facit manus fraudis.* Eece verbo *egeſtatem*, reſpondet in originario idiomate *pauper.* Eadem voce, vel ſynonyma poſſunt exprimi egenus & inopia? Pauperies ad qualitatem ſpectat ; pauper hominem deſignat : qua ratione in idem vocabulum ferè coincidunt ſubſtantia pauperis, & accidens illius, quòd patientem non componit, ſed, ut Philoſophi dicunt, veſtit, ſeu exuit ut fatebitur miſer ? Hominis tenuit ſtylum utraque lectio. Vulgatus expreſſit, *egeſtatem*, quæ non homo eſt, ſed hominis accidens. Hebræus verò legit, *pauperem*, qui penuriæ ſubjectus ingemiſcit. Juxta ſæculi morem, parum diſſident : nam apud mundialem turbam de cenſu quidnam ſis vulgò cenſetur. *Plurimi noſtrûm*, ait Cyrillus Alexan. *humilem in hoc mundo virum, etiamſi virtutibus excellat, in ſolam tamen caducam divitiarum gloriam iniquis oculis reſpicientes, non rectè judicant.* Spectatores tragicomediæ non attendunt quæ ſint perſonæ in theatro ; ſed quas perſonas agant & quomodo. Veſtis ibi figuras diſtinguit : quinimò regem exprimens, nihil aliud regale poſſidet præter purpuram : regnaſſe veſtimento debuit ; non naturæ. Sic in orbis amphitheatro de veſtibus (ſunt enim terrena bona corporis indumenta) judicamur : totum hominis eſſe, habuiſſe eſt : nullus enim quid ſit ille ; ſed quantum illi ſit, aſpiciet. Auſim dicere, ſic ex rerum copia hominem æſtimari, ut facultatibus amiſſis egens è medio ſublatus putetur.

Lect. hebr. 10. Prov. 4.

S. Cyrill. Alex. l. 4. in Joan. c. 4.

Jacob matris conſilio doctus, paternam benedictionem induſtriosè præripuit fratri natu quidem ſeniori, Numinis verò irrefragabili judicio à primogenituræ dignitate repulſo. Fraudatum ſe quæritur Eſaü, de fratre vindictam ſumendam reponit memori mente, ut poſt obitum genitoris odium, Jacobi nece, jure fraternitatis oblito ſatietur. Rebecca præpropero timore, ſtatim atque illi hæc nuntiata fuere, minori gnato, erga quem peculiariter afficiebatur, mortem formidat inferendam. Jacobum vocat, fratris minas aperit incauto : hortaturque ut in Meſopotamiam confugiens ad Laban, malo ſuo curet ire obviàm recedendo, ibique maneat donec fraterno furore deferveſcente, dilectum ipſa redire moneat. Notatu digna verba ſubjicit mater : *Cur utroque orbabor filio in uno die ?* Parentis deluſa videtur phantaſiâ metu. Utroque timet orbari gnato ? Si frater major inſurgens, perimat Jacobum, ſuperſtes erit Eſaü ; ſin verò junior vitæ ſuæ tutelam arripiens, viribus prævalens, occidere cogatur Eſaü, Jacob incolumis evadet : quare metuebat Rebecca ne utroque filio deſtitueretur ? Quia victori fugiendum erat è paterna domo, profugúſque diram pateretur egeſtatem. Exponit locum à Lapide : *vel mutuis concidetis vulneribus, vel uno cæſo, alter profugus erit.* Parum referret an gladio caderet alteruter, an exul amitteret divitem paternæ domus umbram : nam etiam profugientem amiſiſſe crederet genitrix, quem ſciret egenum. Præſcia occurrit malo dicens : *cur utroque*, &c. Diviti abundantia morbus eſt, paupertas mors, oblivio ſepulchrum. Vel dic potius quod inopia vicem armorum ſubit quibus vita perimitur. *Quid ergo ſunt*, ait M. Gregorius, *arma ferrea niſi neceſſitates vitæ præſentis, quæ duræ premunt & vitam inopis inſequuntur* ? Hoc necatur gladio pauper : quia hominum calculo ille cui nihil fuerit, nihil eſt. Sæva ſortis metamorphoſi miſera conditio fit altera natura : pro ſynonimis habentur pauper & egeſtas : hæc enim carentia eſt ; ille vero habetur pro nihilo.

Gen. 27. 45.

D. Greg. M. l. 15. mora. c. 14. tom. 1

Hucuſque dixi quænam per inopiam deperdat pauper ſecundum hominum opinionem erroribus illuſam. Nunc ad vera damna tranſeamus. Tria ſunt in humanis quæ ſolari poſſent indigum : patientia ſcili. conſtans : amicorum ſodalitas, & melioris fortunæ ſpes. Patientiam in primis egenus abjecit : quippe ſi adhuc ſervaſſet illam, pauper interea non eſſet : nam, ut ait Præſul Venetianus, *patientia hominem ditat.* Et infrà ibidem. *Sicque fit ut contumeliis magis gratia, quàm ira debeatur : cùm earum interventu Deo judice, & pœna gravior declinari poſſe confidatur : & ingentes theſauri in conſcientia per patientiam recondantur. Eſt enim patientia velut aurum quòd in igne tribulationis depuratur.* Ne igitur impatiens audias, cùm tibi patientiam divitiis eſſe valdè ſimilem inculcamus, illarumque veluti ſynonimam.

10. *Patientia divitiis quamſimilis eſt.*

S. Laur. Juſt. in ligno vit. c. 2. d. patien.

Egregius Pſaltes Iſraël hujus virtutis provectus alumnus, de ipſa dixit : *patientia pauperum non peribit in finem :* legit S. Hieronymus : *in perpetuum.* Et Bellarminus exponit illud : in finem, *id eſt in æternum, ut ſonat vox hebraica.* Heu : æterna miſerorum erit patientia ? Certum illi terminum, ſi de timentibus Deum loquamur, præfixit Spiritus ſanctus per os Eccleſiaſtici, dicens : *qui timent Dominum cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt uſque ad inſpectionem illius.* En certi deſignantur patientiæ fines ; de ſufferentia verò pauperum dicitur nullis claudendam terminis ? perdurabit in ævum ? Contra multorum experientiam hoc affirmari videtur : Joſephi namque Jobi, Tobiæque tolerantiæ, fœliciter deſierunt, ac in abundantiam commutatæ ſunt : nonne ceſſavit egeſtatis patientia cùm advenere opes ? Rigoroſè ſi loquamur non perit quòd per aliud ſimile continuatur. Sic non finitur fluvius hoc loco, licet iſta quam tangis aqua præterfluat, nam ſimilis alia ſuccedit, cui continuatur : ac ita verè dicitur unda perennis. Abit certè cùm anguſtiâ rerum patientia

Pſal. 9. 19.

S. Hier. apud Lori.

Bellar. ibi.

Eccli. 2. 17.

pauperis

pauperis quando ex inope redditur dives: attamen adeo patientia similis est argenti aurique copiis, ut non periisse per meliorem sortem patientiam putetur à bene sentiente; sed aurum auro commutatum, vel additum, cùm cessante inopia ventum est ad pinguiorem fortunam: quasi divitiarum synonimon sit infractum malis robur. Itaque Tobiæ, Josephi, Jobi, similiumque patientia tunc periret, si ea non in hac vita præmiis afficeretur. Audi M. Gregorium. *Unde & per Psalmistam dicitur: non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem: quasi enim periisse patientia pauperum cernitur, cùm nihil pro illa in hac vita humilibus recompensatur.* Econtrariò igitur dum bonorum temporalium affluentiis muneratur patientia non perit; sed unus alteri thesaurus veluti succedit: nam etiam patientiæ non desunt adamantia quæ malleo tribulationis obsistant integerrimè, reddantque possidentem Cresso ditiorem. Tunc incipiet pauperascere, cùm tolerantiam projecerit imprudens naufragus.

D.Greg.M. hom.35. in Evang.to.2.

II. *Ab amicis deseri gravius est quã ab hostibus impeti.*

Amicorum etiã dispendium patitur inops, vel ut dicam verius, hominum qui prius eum frequenti obsidione premebant. In eo distant ab inimicis hi, quòd hostes fugiunt eum, cui prævalere posse diffidunt; sodales vero fugâ se proripiunt vitantes eum quem viribus fractum jacere vident. Velut aves quæ succisam, & humi prostratam metuunt arborem, ex cujus fructibus antea victitabant, cujusque priùs umbram quærebant: sic ij quos vulgus vocitat amicos, ad eum quem sors projecit accedere verentur, cujus olim protectionem & munera dilexere. *Turba ista*, scribit Seneca, *cùm à te pasci desierit, ipsa se pascet: ac quod tu beneficio tuo non non potes scire, paupertatis scies. Illa veros, certosque amicos retinebit: discedet quisquis non te, sed aliud sequebatur.* Nihil habet infausta paupertas lachrymabilius in se, quàm quòd amica fœdera dissociat, rem summo habendam in pretio. *Quid amicitia pretiosius, quæ angelis communis & hominibus est?* ait S. Ambrosius. Nullam fletibus dignioremjacturam fecit egenus, quàm dum amicos deperdidit: nam Spiritu sancto docente, *amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Minus dirè contereret indigentia miseros, si adversus eos excitaret hostiles animos; nam adversarius impetens exercet ad victoriam: & si fortè bello cadis, nihilominus gloriosum strenui nomen acquiris. Ex fuga verò amici te deserentis, quid utile capies? quid solatij colliges? Ad hæc. Damnum quod ab inimico timetur incertum est: fortè non prævalebit, vel aliò divertet vires. Malum autem quod amisso contubernali deploratur, certum nimis est, cùm sit ejusdem absentia, quam pateris. Durius igitur est ab amico deseri, quàm ab hoste peti.

Sen.ep.20.

D.Ambr.to. 4.l.3.d.offi. c.ultimo post medi.

Eccli.6.14.

Salomon adest in horto suo, cujus floribus nostra pascitur apis. Accedet ista lectura floseulum. *Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo.* Duo recensetindigentis mala: sed ordine dicendi Sapiens insinuat minus esse quòd

Prov.17.9.

suimet fratres ipsum prosequantur odio; miserabilius verò quòd & amici deserant eundem. Adverbium, *insuper*, aliquid majori nota dignum in secunda versiculi parte contineri denotat. Unde Salazar ibi sic habet: *quasi dicat: non fratres solùm, sed quòd gravius est ipsi amici (quorum gratia omnia consanguinitatis, & necessitudinis vincula superare solet, juxta illud: melior est amicus amicabilis quàm frater) amici, inquam, ipsi pauperem ac tenuem hominem devitare solent.* Ita dilucidè nostræ favet sententia menti ut locus dubio non relinquatur. Sed adhuc hærebis: an non arctior est sanguinis conjunctio quàm nexus amicitiæ? Amicos dat casus; fratres natura: & videtur à paupere mæstiùs deplorandum quòd sors naturæ vim faciens, illum etiam spoliet naturalibus auxiliis, quæ non dederat ipsa. Non ita judicavit Salomon: nam frater odio habens prælia movebit, & vulnerare nequibit invulnerabilem patientiam: at amicorum deserentium ingratitudo quamvis patienter feratur, nihilominus cùm eorum non extinguat amorem in pectore derelicti: non potest non hujus præcordia transverberare. Hæc est paupertatis irreparabile detrimentum. Salazar.ibi.

12. *Majus querela motivũ est amisisse spem.*

Tertium inopiæ flebilis exitium est quòd æquore mundi naufragus pauper spes, quibus velut anchoris utcumque tenebatur adversis fluctibus ratis impar, dimittit penitus. Quæcumque mundus numerat in bonis quærunt similia sibi: additur pecunia diviti: cumulatur superbo potestas: adjicitur exultanti lætitia. Ad vacuum, si daretur (juxta Philosophorum placitum) nihil ex loco pleno descenderet: quòd adeo verum est, ut etiamsi facto vacuo in sola prima regione aëris poneretur lapis in secunda, sisteret ibi; quid enim utilitatis in vacuo quæreret? O miserum pauperem cui nec succurrit Philosophia. In egenum licet vacuum nihil præter lapides hinc, & illinc decident, quamvis multa bona perpluant. Sæculum arbor est S. Vincentio Ferrar. testante. *Iste mundus*, inquit, *est sicut arbor faciens fructus malos, scili. vanitatum, pomparum, & deliciarum,* Qui mala, dulcia tamen, poma colligere velit, oportet solutas manus habeat. Unde spem fructus è sæculi ramis decerpendi pauper deponit: utpote quem ligat egestas, juxta illud Eliu: *& si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis.* Summum inter ea, quæ perpetitur indigus, incommodum istud est scili. expectatione spoliari. Non ille querimonias emittat, cui post omnium amissionem reposita manet spes emergendi; questus edat potius is qui projectus in pauperiem sperare vetatur lætum regressum ad forrunas. Videri potest Joannes Joannis, in physica tract.4. disp. 26. §.tertiò. S.Vincent. Ferrar. ser. ser.2. post Dom. 2. Quad. Job.36.8.

Nabuchodonosoris barbaram superbiam pertæsus fortis & patiens Dominus illum è solio dejecit ad ferarum habitacula, irrationaleque pabulum. Nec ideo vel unicum legimus eum protulisse verbum, quo dolorem querulus egereret: nam licet communis teneat sententia illum per totum septennium à mente prorsus alienatum extitisse, non improbabile tamen est hanc abalienationem, vel non fuisse perfectam, vel dedisse

Maldon. in c. 4. Dan. n. 30.

diſſe locum lucidis intervallis. *Neque verò*, ait Maldonatus, *ita credendum eſt motum fuiſſe mente, ut non aliquem rationis, & priſtinæ dignitatis ſenſum retineret, dicitur enim verſ. 31. oculos in cælos ſuſtuliſſe, quod hominis eſt non omnino rationis, & religionis expertis.* Favet huic opinioni Tertullianus dicens: *pœnitentia Babylonium regem in regna reſtituit, diu enim pœnitentiam Domino immolarat, ſeptennij ſqualore exomologeſim operatus*, &c. Et alibi ait idem: *ſic ille rex Babylonis offenſo Deo, cùm ſqualore & pædore ſeptennij ab humana forma exulaſſet, immaculata patientia corporis ſui, & regnum recuperavit, &, quòd optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Hæc verificari non poſſent ſi adeo Rex à mente rationali excidiſſet, ut incapax eſſet oſtendendi unquam ſigno dolentem animum de tam ferali cataſtrophe. Patientiæ columnam dicimus Jobum, & querimoniis plenam legimus ejus hiſtoriam. Quâ de cauſa diſſidet ſic uterque, cùm ſatis multa perpeſſi fuerint ambo? Memorare quid vox de cœlo ruens prænuntiaverit Nabuchodonoſori pro miſeriarum levamine: *verumtamen germen radicum ejus in terra ſinite*, &c. Itaque Rex Babylonicus non fuit arbor evulſa, ſed præſciſſa: cui ſpes iterum germinandi ſupererat. Minus proinde cruciabatur ille: ſpei namque hujus aliquali ſolatio mitigabat angores. Jobus verò fuit arbor evulſa radicitus: cui nempe aruit expectatio. *Deſtruxit*, dicebat ille, *me undique & pereo, & quaſi evulſæ arbori abſtulit ſpem meam.* Plangat jugiter qui ad pauperiem redactus amiſit ſpem remeandi ad priſtinam ſortem. Quòd illa deſtructio, de qua Jobus, accipienda ſit pro paupertate, patronum habemus D. Thomam: *deſtruxit me* (ait Angelicus) *undique, ſcili. devaſtatis omnibus exterioribus bonis.* Lamētabatur amiſiſſe ſpei fulcrum athleta ſtrenuiſſimus: *arbor enim* (ſcribit Aquinas ibidem) *quandiu radicibus terræ inhæret habet ſpem.... Sed ſi evellantur ejus radices de terra, neceſſe eſt ut ſiccetur, & pereat.* Quinimò doctus Mariana, quamvis textus omiſerit arefactionem arboris, nec fundamentum habeamus credendi Jobum evulſioni ariditatem addidiſſe, ille tamen ait in ſcholiis ejus loci: *neque evulſæ tantùm, ſed arefactæ intelligito.* Ut omnem omnino ſpem per egeſtatem illum projeciſſe credas, ita Jobum intellige: nam quamdiu non areſcit arbor, forſan alibi plantata radices mittet rurſus: Job autem non hanc, vel illam ſpem ablatam deplorans, indefinitè loquens, omnem perdidiſſe fatetur. Sic paupertas præſcindit miſerorum ſolatia: O quantam perniciem ſibi molitur ea quæ per iners otium *egeſtatem operata eſt manus remiſſa*?

Tertull. l. d. pœniten. c. 11.

Idem d. patientia c. 13.

Daniel. 4. 12.

Job. 19. 10.

D. Thom. in Comm. ibi.

Idem inibi.

Marian. ibidem in ſcholiis.

ter ad paupertatem promanantem ab ignaviâ, & ad illam, quæ gnavis obtingit ab infœlici ſorte. Interpretis locum ſubeat Arabica verſio, quæ ſic legit: *paupertas deprimit hominem.* Conſonant Septuaginta, qui verterunt: *paupertas virum humiliat*, Eſto igitur in ea pauperie, quæ per ſocordiam obvenit nihil boni fatearis inveniri; non negabis tamen in alia, quæ citra deſidiam contigit, reperiri plurima, de quibus pauper ſibi gratuletur, vel ad minus credat egeſtatem adeo utilem, ut ex ſe nec malum nec bonum ſit, ſed indifferens ad utrumque. Præit ſic judicantibus Hieronymus. *Divitiæ*, inquit, *& ſanitas corporis, & rerum omnium abundantia, & his contraria paupertas, infirmitas, & inopia, etiam apud Philoſophos ſæculi nec inter bona reputantur nec inter mala, ſed appellantur indifferentia.* Uſus diſcernet an tibi proficua ſit paupertas. Ex hac ſi noveris eruere lucra, dices eam aliquando peroptimam ſodalem: *videbis enim tunc* (ait S. Baſilius) *quòd in commodum juſto datur paupertas.* Conſultum eſt egeſtatis proventus librare dum vita manet: fœlices egemi ſi ſua bona norint. Permultis omiſſis, recenſebo nonnulla.

Lect. Arabi. Septuagin.

S. Hiero. to. 4. l. 4. in Iſaj. c. 11.

S. Baſil. to. 1. hom. 13. in Pſ. 48.

Primum inopiæ lucrum eſt humilitas: nec humile reputes iſtud. Audi Chryſoſ. *paupertas magnum bonum eſt. Sed humilem facit, inquis, & infirmum. Hoc quippe nobis opus eſt, multum namque nobis hoc conducit.* Digrediamur pauliſper, ut videas quàm multum excellat humilitas. Id ex eodem Chryſoſ. accipe: *humilibus*, inquit, *verò quid jucundius, quid beatius? qui cùm Deo gratiſſimi ſint, non parvam etiam ab hominibus, quàm non quærunt, gloriam reperire ſolent.* Præcelſa humilitas adeo eſt, ut ipſe Deus, qui nullius commendatione indiget, admirationem plus moverit humiliter demiſſus, quàm culmine ſublimis prælto.

13. *Mirabilis excellentia humilitatis.*

Chryſoſ. to. 4. ho. 18. in c. 10. ad Hebræ.

Idem to. 2. hom. 66. in 20. Matth.

Bis Æterni Parentis publico teſtimonio Chriſti Redemptoris deitas palàm facta cælitus eſt: primùm in Thaboris apice; poſthac Jordanis ad ripam. Valdè tamen diſpares loci utriuſque circumſtantiæ patent. In primis baptizato Domino *aperti ſunt ei cæli*; non ita verò cùm ſolis ad inſtar coruſcaret. In Jordane ſilentium non indicitur Joanni; Apoſtolis verò, qui transfigurationi adſtitere, præcipitur ut viſionem taceant. Silendum potiùs videbatur de baptiſmo, ne fides divinitatis Chriſti Domini redderetur difficilis cùm peccatoris figuram ſcirent illum exhibuiſſe aquis ablutum pœnitentiæ. Cælorum apertio deinde plus transfigurationi videbatur congruere quàm baptiſmo: in fluvio namque Dominus latere cupiebat; in monte vero manifeſtari voluit amicis. Cur ergo dum tingitur undâ, non clauditur myſterium præcepto ſilentii, ſed aperto deſuper cœlo illuſtratur? Quia glorioſior apparuit Filius Dei, cùm ſub manu Præcurſoris omnem implevit abjectionem (*decet nos implere omnem humilitatem*, legit Petrus Bleſſenſis) quàm dum coram tribus electis ſolarem detexit ſplendorem: In Jordane pro tacendi præcepto ſatis erat Joannis admiratio: *tu venis ad me*? (cæteri qui aderant Chriſtum

Matth. 3. 16.

Petrus Bleſſ. ſer. d. 5. Nicol.

Matth. 3. 15.

DELIBATIO III.

Bona paupertatis,

PAræmia, quæ præ manibus eſt, ita valet accipi, ut egeſtas intelligatur indifferen-

Christum ignorabant) solet quippe os claudere. Ac sanè baptizati Domini gloria, quam ex humillima demissione reportabat, ultra quàm effari possit mirabilis erat, & ita ut veluti rem novam spectaturi cælites, non in Thabore, dum fulgore claruit, sed in flumine, ubi humilitate refulsit, aperta cœlorum janua voluerint adesse. Favet Augustinus; dicens: *aperti sunt cœli existimo, ut in cœlestibus esset miraculum de his quæ gerebantur in terris, sicut ait Scriptura, in quem concupiscunt angeli prospicere. Quomodo enim poterant non mirari virtutes cœlorum, & dominationes, Cherubim & Seraphim, cùm viderent Dominum Sabbaoth in fluvio à Joanne baptizari?* Non admiratione percelluntur angelorum oculi per transfigurati Domini splendorem: utpote qui, licet æquaverit Solem, non tamen liquefecit nivem. In Jordane aliter accidit: ibi namque nix innocentiæ prima facie videbatur imminui per humilitatis radios: mirentur angeli: cœlorum pateant valvæ spectatoribus refertæ: nam & ipse Unigenitus Patris admirationem plus movet demissè latens, quàm solio refulgens. Hæc est humilitatis majestas: ad quam licet calles plurimi pervii sint, nullus proclivior quàm paupertas, de qua Joannes Chrysost. *Non talis profectò animus inopis, sed fulget ille quidem ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa.* Pulchritudinem paucis notam audis, & cunctis admirandam: quam adipisci facillimum: nam per bonorum amissionem nihil abjicimus quod verè nostrum sit: & per hoc quod non retineamus aliena, tantum lucrari splendorem negotiatio ingens equidem est. Ecce prima utilitas inopiæ.

S. Aug. to. 10. ser. 27. d. tempore.

Chrysost. to. 2. hom. 48. in Matth.

14. *Cùm paupere certare dæmon pavet.*

Secundum indigentiæ commodum est, quòd ad spirituales victorias hominem præparet. Ideo luctatorum assumptâ similitudine, unctionem ad certamen appellavit Justinianus Patriarcha: *nam*, inquit, *paupertas spiritus est cùm spirituali intentione voluntaria abdicatio temporalium; est etiam quædam manuductrix in via, quæ ducit ad cælum, unctio athletica*, &c. Ultima verba prosunt ut judicetur quàm sit utilis paupertas contra spiritualia nequitiæ decertantibus: quia sicut olim athletis unctio serviebat, ne posset à colluctatore prendi ad supplantationem: ita bonorum defectus reddit frustraneos conatus eorum cùm quibus nobis est colluctatio, ne dejiciant eum, qui ab iis teneri non valebit, eò quòd nihil de terrenis indumentis adhæreat ipsi. Parum foret asserere quòd inopem diabolus non supplantat: plurimi namque divites virtutem coluere: nihil Deo difficile. Mirabilius est, sed verissimum quòd cùm paupere certare dæmon pavet. De serpente fertur non audere attingere hominem nudum. Refert id Rupertus dicens: *meritò evenit ut sicut per serpentem mors hominis, ita & hominis morte serpens nascatur. Fertur autem quod nudum hominem non sit ausus contingere.* Ita serpenti accidit infernali cum eo, quem nudavit tolerata patienter paupertas. Ad eundem, quem prius divitem sanctum aperto marte oppugnabat, post fortunarum amissionem accedere non audet.

D. Laur. Just. in Pign. vitæ c. 1. d. paup.

Rup. l. 3. in Gen. c. 17. fine.

Opinio non levibus conjecturis nixa docet nuntios illos, qui ad Jobum deferebant doloris causas, non alios fuisse nisi dæmonem, qui hominis induens personam, annuntiabat illi mæsta pugnam iniens cum ejus patientia: *ipse mali operator diabolus semetipsum malorum nuntium præbet. Ipse jumenta percutit, atque idem percussionem annuntiat.* An post hæc desiit à prælio? Minimè: sed vide quomodo aggressus est illum, per uxorem petiit eum, quæ dixit: *adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo ac morere.* Sic intellexit S. Thomas in Commentario: *dixit autem illi uxor sua, quam solam diabolus reliquerat ad occidendum, ut per eam viri justi mentem pulsaret, qui per fœminam primum hominem dejecerat.* Diabolicis conatibus videbatur opportunius futurum quòd non per uxorem, sed per seipsum, diabolus accederet ut Herois constantiam verbis quassaret: nam Satan & malitiâ diabolicâ, & intellectu angelico pollens, disertiùs loqueretur ut suaderet, quàm Jobi conjux, quæ insipienter nimis locuta fuit. Quadruplicem admittunt expositionem ejus verba: quolibet modo explicentur stultissima sunt. Primò possunt accipi sic: profer blasphemiam, ut morte punitus evadas miserias quas pateris. Evasionem à temporali cruciatu quærendam consulere per medium, quo iret ad perpetuam gehennam stultitia fuit. Secundò sic: qui rectè vivens accipis mala, Deum læde ut habeas bona: quòd nisi facias te computa quasi mortuum: en alia fatuitas, per peccatum scili. à Deo fœlicitatem obtinendam dicere, vel putare. Tertiò: quasi diceret: vindictam sume à Domino, ne moriaris inultus. Imprudentissimum consilium: nam ultione Deus non feriretur, & illâ majorum incurreret Jobus ærumnarum reatum. Quartò ironicè, ita ut verba valeant: i nunc simplex, & ut solebas Deum lauda post tot mala, quibus ferè morti jam vicinus es. Si fuit hæc mulieris mens, valdè stolidè locuta est: nec enim Jobi laudes, quas obtulerat ille Deo, dici poterant inutiles ei qui tot bonis in virtutum remunerationem fuerat ante potitus, & quem adhuc majora post vitæ finem permansura manebant. Callidissimus hostis negotium suum stultiloquio fœminæ committit? Cur non, ut priùs, accedit humana sub specie? Quia timuit cominus cùm Jobo congredi, postquam bonorum spoliatione fortior ad mala factus est pugil. Divitem antea, licet justum, non metuit: accessit prælaturus confidenter. Adest Chrysostomus. *Cùm dives quidem esset cùm ipso pugnare parabat.... postquam verò pauperem fecit... repulsus est.* Qualiter igitur eum dæmon verbo tentaturus accederet? Novit malus paupertatis robur, & abundantiæ fragilem conditionem non ignorat: nec veretur opulentum; perhorret nudum. Plurimum auxilii præstat in bello quod te metuat hostis: maximus hic est paupertatis fructus pro majoribus assequendis.

Job 2. 9.

S. Thom. ibi lect. 2.

Chrysost. to. 5. hom. 5. ad pop.

15. *Dives intus maret; pauper gaudet præcordiis.*

Tertius miseriæ proventus est lætitia si animus dives fuerit. Opibus onustum angunt perennes tres gemitus, hoc est: acqui-

ram ? spoliabor ? derelinquam ? Cor pauperis curarum turbinibus impervium non ambitio inquietat, fur januam illius non observat, hæres obitum ejus non anticipat votis. Quamvis lætitiam pariat auri splendor ; tamen quia ponitur supra cor amantis, necesse est ut illud anxium reddat, quippe gravius est inter omnia metalla. Non sola desideria constringunt avarum: & postquam cupitis fruitur, mœrore non liberatur. *Noli esse Achab* (consulit Ambrosius) *ut possessionem finitimam concupiscas. Non tibi cohabitet Iezabel illa feralis avaritia, quæ tibi cruenta persuadeat, quæ cupiditates tuas non revocet, sed impellat : quæ te faciat tristiorem etiam cùm desiderata possederis : quæ te faciat nudum cum dives fueris.* Immunis ab ista cordis mæstitudine pauper voluntarius est, cujus domum non denigrat fumus ex avaritiæ ignibus ascendens. Vacua est habitatio: caret mole suppellex, unde fiat umbra : imò paupertas ipsa mœroris expulsio est Climaco testante dum ait : *nuditas rerum omnium, curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio,* &c. Novi de locupletibus dictum esse : *tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi.* At exultatio illa tota forinsecus personat ; illos intus mæstitia rodit. In pauperibus econversò, quamvis extra videas fletus, & singultus audias, cor eorum gaudio perfunditur.

S. Ambr. l. d. Nabuth. c. 11. tom. 1.

S. Joan. Clim. in scala. grad. 16.

Job 21. 12.

Bis lego Psalmographum de suamet lætitia non eodem modo loquentem. Priùs ait : *dedisti lætitiam in corde meo :* postea sic: *circundedisti me lætitia.* Hic gaudium circuisse dixit eum ! Illic verò positum in corde asseruit ! Indagemus latens non profundè mysterium. Priori loco de seipso egente loquitur David : suamque inopiam confert cum panis abundantiâ, quâ fruebantur ejus hostes. Unde Lorinus ait inibi : *Saulem & qui cum illo persequebantur ipsum, videtur intelligere ; à quibus tanquam improbus, insanus, egens, omnium odio dignus habebatur.* Et infrà idem ad præfata Psalmistæ verba : *hoc pacto : dedisti lætitiam in corde meo, à fructu, &c. exponendum esset, majore me lætitia affeciisti, quàm quæ percipi solet ex copia istarum rerum, quâ lætantes inimici mei latiùs propagantur.* Posteriore Psalmo agit rex de se ad meliorem fortunam emerso. *Hic est effectus exauditionis. David ex misero exule rex potens effectus* ; ait hoc loco Bellarminus. Cùm abundaret, lætitiam non in corde, sed circum seipsum experiebatur : *circumdedisti me lætitia* ; cùm autem egeret, non in facie, sed in corde gaudebat : *dedisti lætitiam in corde meo.* Sola vera exultatio est illius cujus cor exhilaratur : hoc enim princeps est latentis intra nos Reipublicæ : proindeque si lugeat cor, tota Respublica tenebrescit ; si verò gaudeat, omnia placidè collætantur. Solidi gaudij mater paupertas est : quæ nec mercium veretur naufragia, neque gregum necem, frumentorum putredinem, aurive direptionem.

Psal. 4. 7.

Psal. 29. 12.

Lorin. in argum. Psal. 4. & ibid. n. 8.

Bellar. in Psal. 29.

16. *Par donum Dei æstimabilius quàm victoria.*

Quartus possessionis angustæ fructus pax est. Ex rerum copia dissidia exorta sunt. Illâ deficiente, fœlici tranquillitate cuncta quiescent. *Ubi enim meum & tuum,* ait Chrysostomus, *illic omne litium genus, & contentionis occasio. Ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax & concordia,* &c. Etsi multò plura pateretur inops, quàm præcedenti capite numerata sunt, omnia pacis acquisitione compensarentur : quid enim belli pericula meliùs munerat, quàm pacis quies? Belligeratur cum forte sua miser, sed in ipso prælio pacem accipit in præmium fortitudinis non vulgare : quia ut Xenophonti placuit, *pax videtur maximum hominibus bonum, bellum maximum malum.* Vincendi assuetus, viribusque præpotens Annibal victoriæ præferebat amica fœdera : proinde ad Scipionem dixit olim apud Livium : *melior, tutiorque est certa pax, quàm sperata victoria:* & ego, cum illius pace plus pacem extollens, dicerem : & fœlicior quàm possessus triumphus : nam belli pericula, cæteraque mala pugnator non sustineret libens propter victoriam, nisi per hanc veniretur ad pacem. Hac obtenta, erit ne quis vincendi cupidus? In galea mellificasse fingit apes Alciatus, ut hoc lemmate suppositio significaret :

Chrysost. to. 1. in Gen. hom. 33.

Xenoph.

Titus Liv. decad. 3. l. 10.

Arma procul jaceant : fas sit tunc sumere bellum
Quando aliter pacis non potes arte frui.

Alciat. embl. 177.

Hinc sic arguo. Martialis animus propter pacem consequendam subit durissima quæque ; non tamen eadem ferre vellet postquam pace fruitur, etsi victoria certissima foret : sentiunt ergo cuncti (vel saltem sentire debet omnis cui ferinus circa præcordia non obduruit alieni sanguinis ardor) pacem præ victoriâ majus Dei beneficium.

Sub Madianitarum victrici manu jacebat Israël tempore Gedeonis. Hic, licet fortis robore, fugam parabat, cùm ei angelus Domini adstitit, & ejus gladio liberandum fore populum repromisit. Gedeon postquam agnovit illum esse Dei legatum, erexit altare Domino, illudque hoc nomine dedicavit : *Domini pax.* An voce tenus titulum apposuerit istum, an verò scripserit, vel insculpserit, incertum est : non mirabor si pro beneficio adhuc futuro stabiliter homo gratus esset ; non verbo tantum. Quidquid tamen sit de hoc, ne asseveremus quod ignotum nobis est : nota quali acumine Gedeon titulum altaris elegerit, quasi dicens : Deus per angelum istum promisit pacem postquam percussis Madianitis deposuerint arma Hebræi. Promissiones hujuscemodi, cùm sæpe conditionatæ sint, multoties effectu carent. Curabo ut ista non reddatur inefficax. Vide quo ingenio usus est, quasi diceret : in publicum afferam pacem à Domino promissam, & simul gratitudinem meam testabor hujus beneficij memor, ut & gratitudine motus, & suæ promissionis palam factæ honorem servare volens Deus, peccatorum populi despiciens obstacula, pacem concedat ipsi devictis hostibus. Quæro. Ad pacem consequendam præcedere debebat de Madianitis reportanda victoria : cur non priùs de vincendo curans Heros altare vocavit : Domini victoria : sed potiùs nominavit illud : *Domini pax ?* Quia licet hæc duo Dei munera consequi averet Gedeon, illud quod

Judic. 6. 24.

æstima

æstimatione majus erat, id in desideriis potiorem locum obtinebat. Pax donum est Altissimi victoriâ æstimabilius. *Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud Domini pax:* ut insinuaret pacem à fortissimis etiam (qualis erat ipse) victoriæ præferendam. Quantò fœlicior putanda præ fortitudine paupertas, quæ nec bella gerit, nec pacem amittit? *in obsessa enim via pauperi pax*, inquit D. Laurentius Just.

Ibidem.

D. Laur. Just. in Ign. vit. c. 2. de paupert.

17. *Fallacius mundi non seducit grande munus Dei.*

Quintus ex pauperie quæstus multos antecellens, nullisque thesauris impar, est non tam facilè decipi ut solent ditissimi, quorum fortem ridentem Seneca deplorat dicens, *divites cùm omnia habeant, unum illis deest, scili. qui verum dicat.* Aliter pauperibus evenit de quibus D. Laurentius Just. *beata paupertas, & fœlix inopia, quæ non adulatur aliquando, neque adulanti credit, quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur.* Veritatem non sola raritas commendat: ejus nulla satis digna commutatio, quæ pascit mentem, dirigit affectum, sensusque corrigit. Inhæreamus Doctoris ejusdem sanctissimi dictis.

Sen. in epis.

D. Laur. sup.

Idem in fasciculo amoris c. 18.

Est autem, inquit, *veritas summum & incommutabile bonum, lux spiritualis, erroris in se caliginem non admittens, penetrans omnia splendore suo: cuncta prospectans, universa æquitatis judicio rectè disponens: sapientiam & scientiam donans filiis hominum, angelicisque spiritibus, omnem in se continens delectabilitatem, omnemque de se communicans sanctitatem. Tanta siquidem, & talis est, ut omnis laus illi inferior sit.* Audis à verace præconia veritatis? Insolita quidem inter mendacij tot artifices illa est: imò vix unquam à Deo postulatur bonum istud quod omnes laudamus. Prolixam homines texunt seriem eorum quæ supplices à divina clementia flagitant: nunquam audivi rogantem ne fallaciis decipiatur mundanis. Hoc tamen adeo magnum quid est ut homo cordatus, etiamsi nihil aliud quàm non falli consequeretur à Deo, circumvenientibus blanditiarum, & pollicitationum imposturis, satis à Domino sibi datum putet.

Davidem super istiusmodi re consulamus. *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, & intendit mihi.* Legit S. Hiero. *exaudivit me.* Quid postulaverit oratione ista David non exprimit: at suspicor non modicum fuisse quod supplicavit, cùm Jansenius dicat: *præsentem psalmum compositum fuisse occasione alicujus calamitatis manifestè verba psalmi testantur.* In tribulatione igitur positus manus tendebat rex ad Dominum, & vacuas non reduxit. *In die tribulationis meæ*, ait ille, *Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus.* Legit Psalterium Illyricum: *& non sum captus ab aucupe:* juxta quam interpretationem se dicit ab alio non deceptum: *quod videtur importare* (notat Lorinus) *respectum potius ad alios qui blanditiis, aut vanis, fallacibusque pollicitationibus niterentur avertere, ac revocare à Deo exquirendo.* Et hoc est quod extensis manibus velut apprehendere nixus est? non decipi? non alterius doni mentionem addit eodem tempore accepti? & exauditum se affirmat? Satis grande quid munus à Deo fatetur accepisse in hoc quod in rebus non mediocris momenti nullius mendacio tunc seductus fuerit: *Deum exquisivi... & non sum deceptus.* Hæc fœlicitas, quæ rarò contingere solet principibus, frequentissimè datur paupertati: *quæ nec decipit alterum, nec ipsa decipitur.* Vidisti paupertatis lucra: omissis pluribus quæ non adhuc videre datum. Ne terrearis utili adeo malo: quamvis enim verum sit quòd *paupertas deprimit hominem*, tamen ex humi depressa radice flores pullulant, ut fructus multiplicentur.

Pfal. 76. 2.

Hiero. apud Lorinum ibi.

Cornel. Jansen. ibi.

Pfal. 76. 3.

Psalter. Illyric.

Lorin. ibidem.

DELIBATIO IV.

Reprehenditur otium.

CUm præsenti Salomonis theoremate desides increpentur, apud quos *pigritia est nutrix egestatis*, ut Seneca dixit, otiosum non erit adversus otium lentius hîc immorari: ut exploratum remaneat nihil præter egestatem ex inertiâ colligi. *Nullus fructus otij, imò magis dispendium*, ait Augustinus. Quod ut liqueat, numeremus fines qui desidiæ præscribi valent, ac inveniemus omnes frustra per socordiam expectari. Poterit vecors operi penitus renuntiare, ut quietem inveniat: ut bonis jam partis perfruatur: ut nobilitatis jura servet illæsa. Ad horum nullum segnitiem utilem esse demonstrabo per singula facillimè. Quietem piger amat? Non otij partus hæc est. Licet quiescat ea, quâ gravamur, terreâ domus, & corporeæ facultates lecto stertant, vigilat animus, & inibi molestiam reperit, ubi requiem se putabat inventurum. *Et euntes sæpe animo quiescunt, & sedentes, jacentesque animo laborant. Et somnus ipse animalium quies dictus suos habet abditos dolores*, ait Petrarcha. O miseram Adamidum conditionem, quibus ita conceditur perfida requies, ut sub ea delitescat improbus labor.

18. *Sub quiete labor miserrimus.*

Sen. d. benef.

D. Amb. epis. 23. ad Vercell. tom. 3. l. 3. versus finem.

Petrarcha de reme. prosp. fortu. dialo. 21.

Miserrimum, inquam, est ibi angorem experiri, ubi quietem requirebas: *Sic & ego*, Job. 7. 3. 4. dixit Jobus, *habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeravi mihi. Si dormiero dicam: quando consurgam?* Hæc ille non suo tantum, sed totius humani generis nomine, testante Lirano ibi: *Sic ego non solùm loquitur pro se, sed pro toto genere humano.* An non interdiù dolebat Job? Quis dubitat? *replebor doloribus usque ad tenebras.* Ecctur non appellat laboriosos dies, sed noctes? Quia minùs ægrè ferebat die, quæ labori dicatur, caruisse quiete; miserrimum autem erat quod noctu, cùm requiescere quærit homo, tunc anxietudinibus laboraret, ac non illi somnus levamen esset, quem tot premerent cruciamenta. Deflectamus ad moralia duce Gregorio M. expendente illa Jobi verba: *si dormiero*, &c. *somno*, inquit S. Doctor, *namque torpor otij, surrectione autem exercitatio actionis exprimitur.* Per otium itaque ignavum nemini licet quiescere: sed ad summum laboriosè jacet: lassitudinem reficere sollicitat; & ibi latentes adinvenit sui tortores. An

Lira ibi.

Ibid. n. 4.

S. Greg. l. 8. moral. c. 6. tom. 1.

existimas (ut omittam alia) animo rationali non violentum à prosecutione sui finis otiando cessare? Consule D. Thomam ad eundem locum & leges: *ideò reputavi ac si essent* D. Thom. in 7. Job. *laboriosæ in quantum in eis retardabar à prosecutione finis.* Et si expenderis hæc dices vel Christianus, vel saltem cum Seneca, Philosophus: *in otio inconcusso jacere non est tranquillitas; malacia est.* Sen. epist. 67.

19. *Non ex otio, sed ex labore fructus: at utrobique sudor.*

Secundò cupit (& fortè priori loco) segnis otiari, ut sic bonorum quæ adeptus est, fruitionem perfectam assequatur tandem aliquando nullis interruptam curarum punctionibus. Desipit infœlix: nihil boni potietur nisi labore quotidiano fœlicitatem alat. Velut ad vitam servandam non satis est semel comedisse: ita laboribus, velut alimentis, non valedicat qui mundana bona concupiscit: *nam*, ait Philo Hebr. *sicut à cibo tota vita pendet unà cum suis actionibus & affectionibus, ita etiam à labore pendet quidquid in rebus bonum est.* Et erit qui se putet in otio solùm imperturbatam bonorum possessionem nacturum fore? Otio deditus, & addictus labori desudant uterque: sed ille frustra deliciis atteritur; hic verò fructum colligit ex spinis. Phil. Hebr. l. d. sacrif. Abel, &c. tom. 1.

Componamus ad invicem duos mortalium sapientissimos: Adamum, inquam, & Salomonem. Ambo fœmineo amore delusi vanitatem amplexi sunt, & postea pœnitentes abjecere. Salomon postquam latè insipientiam suam fassus est, rem totam paucis præstrinxit. *Et omnia quæ desideraverunt* Eccle. 2. 10. *oculi mei non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.* Sed quid ex his omnibus? Audi eundem. *Cúmque me convertissem ad universa opera* Ibi n. 11. *quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem*, &c. Duplicem offendo scrupulum in hisce verbis: prior est: quomodo in istis operibus Rex ait sudavisse? an inter artifices collaboraverat? Quis credat? Parum debemus minutissimo commentatori Lorino qui notavit oppositum dicens: *per artes activas & factivas, inquit Olympiodorus, & licet alienis, tamen suis etiam manibus, quia erant artificum manus ejus.* Lorin. ibi. Jam deponamus priorem scrupulum, meditantes laboriosum, ac sudore madidum otium Salomonis: nam aliis laborantibus, ipse præcipiebat fieri quæ deliciis afficerent eundem. Ad secundum venio collaturus Adamum cum Salomone. Ad Protoplastum dictum est per districti judicis Gen. 3. 19. æquissimam sententiam: *in sudore vultus tui vesceris pane.* Ligoni damnatur, & aratro; attamen conceditur ei ut panem demetat ex ipsa terra, quæ spinas germinatura dicitur: Ibi n. 17. *maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi*, &c. Salomon & Adam sudabant uterque. Sed cur ille frustraneè? *in quibus frustra sudaverat*; hic verò fructuosè? *in sudore tui vesceris pane.* Quia Salomon ex otio laborioso; Adamus ex labore improbo fructum carpere voluerunt. Ille partem suam ex voluptate cupiebat colligere: *hanc ratus sum partem meam*, &c. inaniter lassatus est inter otia: *frustra sudaveram*; primus autem genitor ex vomere, falce, ligoneque messem eruit: *in laboribus comedes*: idcirco non vacuo sudore maduit: *in sudore*, &c. quia nequaquam indulsit otio. Prodest Rupertus. *Bene*, inquit, *ergo* Rup. in Gen. l. 3. c. 24. *Deus bonus, ne malam mortem animæ suæ homo nesciret, & securus usque ad ultimi judicij diluculum in suis voluptatibus dormiret, morte carnis illum percellit, ut saltem ejus instantis metu aliquis evigilet. Et interim quia saturitas panis & otium istam quoque posset abolere sollicitudinem, voluit illum non sine laboribus & sudore vultus sui vesci pane suo*, &c. Ubi otium exulat, spinæ haud obsunt ne terra germen aptum profetat; otiantis verò *egestatem operata est manus remissa.*

Alij sunt qui mundi leges in corde sculptas deferunt, & observant ad unguem: quarum dispositione labor plebi soli commendatur; illis verò qui nobilitate claruerunt Deum otia fecisse decernitur. Iniqua sanè lex nulla nixa ratione dicenda hæc est. *Gloriari otio iners ambitio est*, ait Seneca. Sen. epist. 68. Potius majorum decus esse debuerat industriosa, indefessaque solertia: *quoniam* (ut Chrysostomus inquit) *æquum est laborantem* Chrysost. hom. 35. in Joan. tom. 3. *non laboranti præponere.* Veluti divina lege sanctum est ut laboris incapacia cedant creaturis operantibus. Quamvis terræ, quia communis mater est, altior videretur deberi locus: tamen quia *in æternum stat*, infimum Eccle. 1. 4. tenet. Cœlum verò Solis currus, quia rotatur continuò, præcelsa possidet. Arbores juxta indubitatam Philosophiam auro preciosiores dicendæ: rationem aliam assignabit Philosophus, cui adde istam: scili. quia suppeditant oneribus quasi brachia sustinendis: nempe ligna veluti ferentia laborem, non sic aurum & argentum, quæ terræ visceribus condita nobilitatem splendore jactant infructiferam, cujus nullus esset valor si tandem puerilitas hominum ad usum rationis perfectum veniret. Lignis præeunt loco bruta, hæc enim laboris activè capacia sunt; ligna verò non nisi pati valent opus; agere nequeunt. Itaque nobilioribus creaturis congruit operatio; non otium.

20. *Nobilitas non probatur otio.*

Descripto mundi opificio Moyses addidit: *tulit ergo Dominus Deus hominem, &* 2. Gen. 15. *posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Opus istud ad hoc ut intelligas Augustino erit opus. *Non enim*, S. Aug. to. 3. l. 8. d. Gene. ad litte. c. 8. ait ille, *erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cùm ea quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio latius feraciusque provenirent.* Ecce terræ datus est adjutor homo: idcirco dicitur positus ut operaretur. Et non etiam, quæso terram, ut fructificet adjuvant astra? Extra dubium est. *Etsi cùm* Chrysost. to. 1. hom. 6. in Gene. *labore rustici conspiret Solis & Lunæ operatio*, dixit Chrysostomus. Cur non de sole atque luna dicitur constitutos à providentia Conditoris, ut operentur fructus: sicut Adamus dicitur positus *in paradiso voluptatis ut operaretur*? Quia homo nobilior est planetis. Ei ergo congruebat operationem demandari, ne langueseeret ignavia. Sol & luna jugiter ab angelis moventur: otij capacia

pacia non ſunt. Homo verò quia oportuit inertiam propulſare, cujus capacitate fungebatur, addictus fuit operibus etiam cùm in honore eſſet, ac principatu fungeretur orbis: ne degenerare putaremus nobilitatem, cùm laborans prohibet ſibi torporem deſidioſum. Recole Chryſoſtomum ſuprà,

Idem ibi. *Nam cùm omnibus*, ait, *deliciis potirentur ibi vitam agentes, tam oblectamentis eorum, quæ videbant, quàm lætitia eorum quibus fruebantur, ut ne immodica proſperitate homo inſoleſceret (omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus, ut operaretur illum, & cuſtodiret.* Ecce non otiari; ſed opere muniri opportunum fuit illi homini qui univerſi Princeps, & angelis ferè par creatus eſt.

D. Greg. Nyſſ. orat. 3. de reſurrect. Chriſti. *Creator rerum univerſarum cùm ſtatuiſſet hominem creare, non quòd facilè contemni poſſet, ſed quòd cæteris omnibus dignitate præſtaret, animal in rerum naturam produxit, ejuſque quæ ſub cœlo eſt, creaturæ regem deſignavit.* Hæc S. Gregorius Nyſſenus. Et

Idem l. d. hominis opificio c. 17. idem alibi. *Angelis autem conſentaneam hominis naturam ante lapſum fuiſſe de hoc patet, quòd & in integrum reſtituta conſimilis eiſdem erit.* His auditis hujus poſteri diligunt otia, quorum ille progeniem cœpit jam factus ignobilis? Execrantur opus, quia parum abeſt ut ignorent ſe progenitos ab illo. Dementat eos paſſim vana ſuperbia: quæ

Baptiſta Mantua, l. d. calami. temporum. *Se ſuperum genus eſſe putat, veterumque Deorum*
Semen, & à magno ſe jactat Apolline natam.

21. *Per memoriã pulveris abjicere ſuperbiam prodeſt, ut otium non diligas.* Si primævam ſui plaſmatis originem attenderent ſuperbi, deponerent otia. Remedium deſidiæ cavendæ præſentaneum eſt homini, ut ſe meminerit è pulvere ſatum. Adamus ante quàm vetitum guſtaret, corruit per ſuperbiam. Rupertus Abbas: *prius*

Rup. l. 3. in Gen. c. 1. *in animæ ſpirituali corruptus eſt ſuperbiæ vitio, deinde & corporeo contra Dei mandatum infectus eſt in cibo.* Quid tunc benigniſſimus Plaſmator ejus? Judicis, necnon & medici, munus agens ita damnavit reum, ut medelam adhiberet ægro, quâ ſuperbiæ ſanaret plagam tumentem adhuc. Agricolam ex Imperatore Protoparentem reddidit, ut ſic operaretur, & oculis perluſtraret aſſiduè terram ex quâ plaſmatus fuerat nuper. Ad illa

Chryſoſt. to. 1. hom. 18. in Genc. verba: *ut operaretur terram de qua ſumptus eſt*, dixit Chryſoſt. *hoc dicitur ut perpetuò memoriam faceret homo quanta humilitate operari debeat, ſciveque poſſit quòd inde ſit conſtitutus, & ſubſtantiam habeat ab initio.* Superbiæ filia eſt acedia: conjiciat oculos homo in pulverem de quo ſumptus: & operari deliberans non oſcitabitur.

Proverb. 6. 7. 8. 9. Paræmiaſtes conſilium in hæc verba præbet deſidi: *vade ad formicam ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Uſque quo piger dormies?* Scio juxta editionem Romanam in verſione Septuaginta addi alium verſum, quo ad apim vecors mittitur, ut ejus argumentoſam imitetur aſtutiam: *vade ad apim*, &c. Sed in primis hæc ſententia expuncta

Lect. 70. eſt in Bibliis regiis, & Complutenſi: nec habetur in Hebræo. Et quidquid ſit de his omnibus, vulgatæ inhæremus, juxta quam nihil ibi de api. Sed hujus rationem inveſtigare proficuum erit in præſenti: ſcili. quo myſterio potius ad formicam piger ire conſulitur, quàm ad apim, ut ejus vias conſideret. Puto quia ſi apium negotia meditatus fueris, non ſuper terram, ſed in aëre videbis circumvolantes. Formicam verò cernes ad ſpeluncam euntem, & non ſemel. Hac occaſione piger in pulverem demittet lumina, ſuperbiamque deprimens, deponet ſocordiam, ac non renuet opus. *Niſi*, ait S. Ephrem, *viles & abjecti extiterimus inſtar formicarum, non erimus induſtrij ut apes.* Abjicere congruit ad lutum ſuperba ſupercilia: quòd ſi præſtet elatus, intelliget fruſtra quæri per otij umbram ſplendore nobilitatis: necnon inaniter fruitionem bonorum, placidamve quietem à lenta ſegnitie peti. Nihil iſta germinat præter inopiam: *egeſtatem* operata eſt manus remiſſa.

S. Ephrem ſer. aſcetico ad fratres.

Hinc ad animæ penuriam gradum fac. Si, prout eſt in comperto, quodlibet delictum, imò & ſolùm, reddit hominem pauperem: (*non eſt enim nudus niſi quem culpa nudaverit*, ſic docente Ambroſio) otio pauperrimi fient ſocordes: otioſitas quippe mille radix iniquitatum eſſe dignoſcitur. *Otium eſt mater vitiorum, noverca virtutum, ſentina immunditiæ, fomentum peccatorum, janua inferi.* Hæc S. Thomas à Villan. Verum equidem fateor illud quod legis apud Senecam: *quorundam non otioſa vita eſt dicenda, ſed deſidioſa occupatio.* Imò formicas imitari dixit ille, dum videret quàm leve ſit pondus quo premitur horum quiſque: *formicarum iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantium.* Sed, ut mox apparebit, inæquali ſimilitudine Philoſophus utitur. Laborant, inquam, plures circa temporalia: res verò ſpiritum concernentes prætereunt quaſi non ſolùm ignotas, ſed cognitu difficillimas; cùm potius omnibus apertè pateat veritas. Multos frequenter videbis anxiè flores delibare in mũdi pratis: nullatenuſque de fructu colligendo ſatagere. Parciſſimè bonis mundialibus utentes lucrantur hæredibus ſuis, & omittunt ſpirituale negotium quo ſibi plurimum poſſent acquiſiviſſe. Hos increpat nervosè Auguſtinus dicens: *cui laborant? filiis meis, inquit. Et ipſi cui? filiis ſuis, ſibi nullus.* Niſi mens læva fuiſſet, ſollicitudines ad ſalutis operam convertere, ubi non flores leguntur fallentes manum; ſed fructus quàm ſolidè perutiles reperirent.

22. *Increpantur mundi laboribus dediti virtutibuſque deſides.* S. Ambr. l. de Joſeph. c. 5. tom. 1. S. Thom. à Villano. ſer. Dom. Septuag. Senec. d. brevi. vitæ c. 11. & lib. 1. natur. q. in præfat. D. Aug. to. 8. in Pſ. 125.

Redi ad ænigma Salomonis, quod proximè dedi. Denuo quære, cur non ad apium artificia meditanda pigrum remittit? quia ille forſan apes imitatur imprudenter; quæ ſolis floribus paſcuntur; & potius à formica diſcere congruebat fructus congregante. Arcanum valdè apium eſt opificium, at verò, ut Ariſtoteles ait, *formicarum negotia omnibus in promptu ſunt.* Mundanorum proprium eſt ardua quæque in obſequium ſæculi percipere ingeniosè; ſi verò de virtutum doctrina loquaris, quaſi linguam neſcienti verba facis, manifeſta cunctis ignorat. *Quomodo*

Ariſtot. l. 9. de hiſt. animal. c. 38.

S. Bern. ser. 9. in Cant. post initiū.

modo enim græcè loquentem non intelligit qui græcum non novit, nec latinè loquentem qui latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ita D. Bernardus. Non igitur ad apis absconditas operas, sed ad formicæ patentem solertiam piger mittitur instruendus: ei namque possumus improperare quod olim Deus Hebræis.

Deutero. 30. 11. 12. 14.

Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus?.... Sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Prætereà fertur apim victu modicissimo uti: unde Maro

Virg. l. 4. Georg.

— atque apibus quanta experientia parcis:

aliorum commodis operantes, nullâ morâ datâ, sedulæ incumbunt. Sic mundani operarij vacant labori ab aliis fruendo, volantes interim fugiente vita. Non fructus legunt floribus tantummodo dediti, ad instar apum, de quibus vates.

Idem ibi.

Utroque animam sub fasce dedere:
Tantus amor florum!

O potius ad formicæ currant avidè magisterium, quæ non flores colligit, sed fructus acervat sibi proficuos. Periodum coronet expositio Bedæ in præfatum locum. *Si tantillum*, inquit, *animal principe carens & rationis expers, natura duce sibi prævidet in posterum, multò magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam gloriam ejus vocatus, doctorum magisterio adjutus, ipsum Conditorem habens ducem, debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus æternum vivas in ævum.*

Beda in 6. Proverb. lib. 1.

DELIBATIO V.

De laboriosè delinquente: remedio perfido: supplicio ignoto: & otiosi nihileitate, ac ruina.

23. *Minores det pœnas delinquens laboriosè.*

MEditabar avaro denuntiari supplicium acerbius à Salomone, quàm illi qui languidus torpore dissipat brevis tempora vitæ. Apophtegmate secundo textus nostri Sapiens avaro minitatus protulit nihilum profutura bona thesaurizare sibi; pigro vero comminatur formidabile vulnus paupertatis: *egestatem operata est manus remissa.* Non deerit qui dictis opponat inæqualitatem pœnarum utriusque: quia mitiori pœna dignus videtur ignaviâ torpens, quàm avaritiâ sordidus. Desidiosus sibi tantummodo nocet; at vero tenax & sibi & aliis nocivus est: nam egenos aversatus ope destituit, gaudentes deinde pari sorte circumvenit fraudibus: potentioribusque tandem invidus ruinam dimetitur. Hæc nonne forent duriori flagello coërcenda crimina? Per hoc quòd ipsi profuturi non sint impietatis thesauri, jam satis pœnarum dedit servus avaritiæ? Desidiosum autem evertet inopia, qui sibi soli malum intulit? Crede justissimum quòd graviores pœnas luat ignavus, avarusque minora sustineat. Sed quare? dicam: vir divitiarum suo crimine laborat; vecors autem quietem capit suo. Auri mancipium nullis non agitatur incommodis: per noctem curis urgetur, die cupiditatibus obsequens insudat: mercium naufragia dolet, fœnorum jacturas pertimescit: insidiantium patet incursibus, & quod magis est, ipse sui tortor, Tantalum exprimit non fabulosum. Suos nec mediocres patitur agones: *divitiæ enim* (verba sunt S. Laurentij Just.) *plus cruciant adeptæ amissionis timore, quàm delectet cupiditas adeptionis amore.* At verò piger una & altera projecta manu stertit somno divitiarum sopitus: nec illum curæ pungunt, nec labor opprimit: ergo severiùs mulctetur enervis. Ita postulat æquitas, ut laboriosa scelera hoc unum quandóque luant in vindictam: scili. quòd in cassum laboravisse noscant. At verò deliciis dediti deterantur oportet correctione peracerba.

D. Laur. Just. in lig. vitæ c. 5. d. timore.

Postquam diluvio periit corruptus orbis, Noëmo progeniti, nominis celebritatem attendentes potiùs quàm Numinis iram turrim ædificare cœperunt, cujus culmen penè cœlo inferere decreverant. Quàm superbiebat lutea proles! Tunc Dominus ambitiosos eorum conatus evertere cupiens, ait: *confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, &c. Atque sic linguarum divisione cessavit opus interruptum, nec aliquo amplius legimus punitam fuisse tunc insanam superbiam. Plurima post sæcula Dei populus in solitudine, dum eorum dux Moyses divino frueretur eloquio, versus in seditionem ab Aarone deos postulat, vitulumque accipit aureum, quem pronus adorat rationalium jura dediscens. Ad hæc iratum se præbuit Omnipotens ita quòd Moysi dicens ut è monte descenderet, quasi tacitè persuaserit ipsi ut idololatriæ punitionem exequeretur: *vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti:* Commentatur Liranus: *quia ad Prælatum pertinet peccata subditorum manifesta corrigere.* Necnon quantumvis Moyses pro Israëlitis fuerit deprecatus, nihilominus in delicti pœnam Deo vindice perierunt: *percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron:* ubi Lira criminis hujus pœnas juxta Rabbi Salomonem annumerans, inquit: *tertia fuit mortalitate à Deo immissa, de qua dicitur: percussit*, &c. Fateor pro meritis justissimam cladem accepisse populum. Sed clementia ne digni turrim superbiæ domicilium ædificantes? Vide quantum distet utrumque flagitium, ut judices minus graviter debuisse plecti constructores turris, quàm vituli cultor populus. Idolatræ choreis & epulis crimen celebraverunt: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere:* gaudiis peracta fuit culpa: majori proinde correctione digna extitit: fortassis enim delicti clamor non tam validè pulsaret cœli fores, nisi voluptas idololatriam comitaretur. Preme stylum Ambrosij dicentis: *jejunantibus manna de cœlo descendit; epulantibus culpa prævaricationis ascendit.* Quasi non ita clamorosè consenderet, nisi delictum epulis concelebrarent.

Gen. 11. 7.

Exod. 32. 7.

Lira ibi.

Ibi n. 35.

Ibi n. 6.

S. Ambr. l. d. Elia & jeju. c. 11. tom. 1.

brarent. At verò ædificium turris Babel authores defatigavit suos : quidam onera portabant lateritia, coquebant alij lateres, densabant quidam bitumina : durum alij opus astruebant. Posito igitur criminis ipsius laborioſissimo negotio, satis erat superbiæ delicto eam irrogari pœnam, qua fieret
Gen.11.8. opera peccantium frustranea : *cessaverunt ædificare civitatem.* Operosum scelus clementiori virgâ cædendum est ; voluptuosa verò facinora gladio ferienda, in istis quippe gloriatur peccator. *Si impœnitentia in peccatis gravis est, certè in peccatis gloriari quanam pœna dignum est* ? Verba sunt Chrysostomi. Sit igitur avari supplicium levius, scili. frustra laborasse (*nil proderunt thesauri*, &c.) nam plurimum ille sustinuerat jam tormenti coacervando, custodiendoque onera sua. Pigri voluptuaria desidia fortiori vapulabit percussione : mæstam scili. videbit *egestatem.*

24. *Tentatio dānum suadens sub remedij colore terribilior.*

Aliqui ex Rabbinis ita legerunt : *virus operata est sibi manus remissa.* Liceat ex hinc virulentam socordiam execrari, quam paulatim propinat otiandi consuetudo. Utique dulce venenum; sed horribile malum. In hoc differt à gladio toxicum, quòd non hostiliter, sed amicè vitam adoritur. Cibo latens reficere simul atque interficit. Sic insidiari solet otium animæ saluti : sub nomine quietis, & induciarum, quibus recreantur vires, effractusque reparatur animus, delitescit otij virus. Verè terribile damnum boni mendacio contectum : *facilior cautio est*, ait S. Cyprianus, *ubi manifestior formido est ; & ad certamen animus præstruitur, quando se adversarius profitetur. Plus metuendus est, & cavendus inimicus cùm latenter obrepit* ; Minus graviter oppugnatur homo si palàm suadet lapsum infernus hostis, quàm si commodum prætendat malo quod suggerit.

S.Cypr.to.2. tract.de unitate Eccleſiæ.

A Spiritu ductus in desertum Dominus exercituum iniit prælium cum tenebrarum principe. Primo certamine superbus adversarius hujusmodi telum excussit in ducem
Matth.4.3. nostrum : *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Ictum retudit Dei Verbum fortiter verbo Dei. Rursus ille secundam evibravit hastam: Si *Filius Dei es, mitte te deorsum :* à summitate se templi dare præcipitem hortabatur. Juvat controvertere quænam ex his invaserit fortiùs tentatio ? Dices fortè quòd secunda : quia si delinquere posset ac vellet, succumbens illi simul spiritum culpâ necaret, & præcipitio elisus efflaret animam. An non tentavit validiùs Satan, cùm sic impetiit utramque vitam Redemptoris ? Nihilominus gravius puto dicendum lapidum certamen. Moveor Tauricensis Episcopi ver-
D.Maximus ho.1.de jejun. quad. bis, qui trutinans illud : *Si Filius Dei es mitte te deorsum*, inquit sic : *Quàm turbatus hoc loquitur, qui putat ei se posse præcipitium persuadere, à quo nihil potuit de panibus impetrare.* Turbatus dæmon Servatorem aggreditur secundò ! Perturbati est putare se posse præcipitium suadere illi à quo nihil potuit per tentationem panum obtinere ? Cur nisi quia, cùm tenebrarum rector vidisset oblatione miraculi patrandi se nihilum valuisse proficere, ad ruinam provocabat jaciens telum gracile adversus athletam, qui jaculum fortius aliud retorserat. Nunc ad instituti nostri scopum collimabimus vestigantes quâ de causâ tentatio prima judicetur urgentior secundâ. Suo quisque judicio rem dirimat. Existimarem in eo excessum stetisse, quòd in templo damnum offerebat apertum ; in deserto fami subvenire cupientis mentiebatur charitatem, ut virtuti noceret : *panem malus ingerit consolator, ut virtutem mutet, ut propositum violet jejunantis.* Sic Petrus Chrysologus. Nullum formidabilius inimici communis inventum, quàm homini se beneficium simulare ; quò facilior aditus pateat ensi spiritualem necem illaturo. Incertus author sub nomine Cypriani: *oblata*, inquit, *famis occasione tumultuator de latebris prodiens foras egreditur ; & subdolè, quasi compatiens, pane subvenire periclitanti naturæ tacitus hortatur.* Non utique tunc vitæ nocumentum consuluit ; remedium potiùs tacitè suasit, sed spiritui mortiferum. Hic posuit omnem tentandi artem, offerens amicabili suasione hostilem inauditamque fraudem. Haud aliter hostis alter animæ, cato nempe, laborem inertissimè renuens inducias quietis efflagitat, ut reparetur naturæ vigor fatigatione diuturna hebetatus, & sic animus pergat alacriùs in via Domini. Cave dolosam astutiam. Recreari te monet feriarum pabulo, cui non semel otij venenum immiscet : fuge medicinam affinem ægritudini : perage cœpta, ne pereas : nam sæpissimè : *virus operata est manus remissa.*

Chrysolog. ser.13.

Incertus sub nomine Cyprian. to.3. tract. d. operib. Cardinalib. Christi.

Operata est. Manu vecordis ipsius adventabit egestas ei ? Potiùs dicendum putares : piger spoliabitur ab iis, qui facultatibus ditari student alienis. Non ita dixit Sapiens. Illummetipsum, qui laxatis negligentiâ manibus oscitat, se depauperavisse ait, ut inerti simile restare supplicium inculcet. Si mali deterrentur à culpa formidine pœnæ, videbatur non sic locuturus in præsenti Salomon : quia pauci desidiam vitare proponent, cùm audiant ipsos egestatem sibimet allaturos per voluptatis otia. Dicent : quid paveſcam ? me ne ipsum ? neque cœlum fulminat, nec hostis aggreditur : quare metuam ? mihi nocere insanientis esset : quiescentem nullus exagitat furor. Si pauperiem futuram esse manuum opus mearum præsagus minitaris, iterum dormiens otiabor, ne me contingat operari aliquid agentem illam quam prædicis inopiam: Hæc non pauci turgentes opibus effutiunt. Quibus ut Salomon ora præcludens metum impendentis mali nolentibus ingerat, desidiæ flagellum cur non alienæ manui committendum fore denuntiat hoc loco ? non ita nunc loquitur : nam potens iniquus utplurimum non læditur ab hoste : suamet manu operatur egestatem qua punitur postea. Sed quæro cur sic divina providentia moderatur eventus ? Credo, ne quod in delictorum pœnam patitur improbus, tribuat sortis inconstantiæ. Familiare mortalibus est non tantùm crimen aliis velare suum, sed etiam delicti mulctam. Adversitatum ictus vocant infortunia, ne scelerum esse mala præmia credantur. Incendio domus exarsit ? incuria fuit servi scintillam

25. *Quod pœnâ pateris, ne sortis instabilitati attribuas.*

non

non præcavere. Navis procelloſo æquore merſa eſt? Sors tulit, quæ non potius alteri navigio, quod jam dudum incolume portum appulit merces committere ſuaſit. Etiamſi fulmine tangatur è cœlo vir nequam non agnoſcet manum tonantis: non ſe dicet à juſtitia inflexibili punitum; ſed reputabit infœlicem ex eo quòd non caverit minacem hyemis vultum. Et (quòd frequentius eſt) cuncta, quæ patitur iſte, diabolicæ imputat hoſtilitati. *Quidquid acciderit juſto* (monet Auguſtinus) *voluntati divinæ deputet, non poteſtati inimici. Sævire ille poteſt, ferire, ſi ille noluerit, non poteſt; & ſi ille voluerit ut feriat, agnoſcat quia flagellat omnem filium quem recipit.* Rarus eſt qui propriis delictis attribuat malum quod pro crimine patitur æqui ſententiâ judicis. Itaque ut ſuam cuique caliginem in ſubjecta materia Rector omnium detergat; ſæpe non hoſtium armis cadere ſed interire gladio permittit ſceleris reum: aliter quippe, cùm ſit varius eventus belli, forſan tribuetur clades inſtabili fortunæ; ſi verò propriâ, manu pereat, non fortuitò judicabitur accidiſſe; potiùs Deo judice puniente ſceleratum dediſſe pœnas apparebit.

D. Aug. ſer. 2. in Pſ. 36. to. 8.

Philiſthæi adverſus Iſraëlem impetum fecere Saülis regno jam fatiſcente. Terga dedit Hebræus miles: quod mirum rege pugnante: ſed cum Dei permiſſu ruit imperium, evanida fallunt humanæ politicæ theoremata. Jonathas ab Allophylis percuſſus interiit: *irrueruntque Philiſthiim in Saül & in filios ejus, & percuſſerunt Jonathan*, &c. Saülem ſequuti ſunt ſagittarij (ultio divina procraſtinata, pennas tandem aſſumit velut ſagittæ) quorum ictibus vita concideret regis iniqui, ni terribiliori ſervaretur hoſti. Et cui? Sibi. Dixit Saül armigero ſuo ut evaginatum gladium ipſius pectore conderet, quò ſibi pulchrum (ut putabat) mori ſuccurreret victo. Renuit miles perterritus juſſa complere. Mox ille furore captus, deſperata ſalute, mortem ſibi contulit: *Arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum.* Quàm diſpares morte filius & genitor, qui ſanguine pares! Gnatus à Philiſthinis confoditur: parens proprio ſe gladio committit. Saül exit è vita; Jonathas propulſatur ab ea. Delicto non infamis traditur hoſti: peccatis fœdus relinquitur ſibi: quid cauſæ? Saülis crimina. Jonathas delicta patris non imitatus permiſſus eſt ſic obire, quòd illius mors reputari valeret bellicæ fortunæ caſus; non divinæ juſtitiæ flagellantis vindicta. Saül Deo Davidique turpiter ingratus ultimo ſupplicio feriendus erat, ita ut nequaquam ſortis luſu putaret eveniſſe malum, ſi mentis oculos aperiret cùm jamjam corporis lumina clauderentur; ſed potius intelligeret ſe luere criminum pœnam, animadvertente divina manu. Serò reprobus iſta novit, & fruſtra; tibi, ſi tempeſtivè ſapias proficient. Intendit Salomon, præſenti parabola ob oculos proponere quòd egeſtas peccati ſoboles à peccatore veniens, ut hic agnoſcat iniquitatis pœnam extare; nec ut aliqui, vocet fortunæ variæ delirium. Sortis injuriam fuiſſe vecors putabit, ſi videat bona ſua diripi ab hoſte: quod ne malè ſciolus affirmet, non dixit quòd adverſantis manus armata, ſed quòd propria languens *egeſtatem operata eſt.*

1. Reg. 31. 2.

Ibi n. 4.

Manus. Cujus ne manus hæc eſt? Nemo exprimitur quia pars deſidis eſt, qui totus nihil: *mihi enim qui nihil agit, eſſe omnino non videtur*, ut ſapienter Tullius dixit. Somnum gelidæ mortis imaginem vulgò dicimus: *vitam nobiſcum dividit ſomnus*, ait Seneca. Non alia ratione hoc verum, niſi quia dormientium pars altera otiatur, alia torpet. Etiam piger in utramque dormit aurem ſenſibus quaſi ſopitis: nam claudit oculos futuris improvidus: obſtruit auditum experientiæ monitis: nec pericula præſcius novit ſubodorare, neque fructuoſi laboris dulcedinem guſtat: imò tactus inſuper caret uſu, quia diffluentia propriis ex manibus tenere neſcit bona. Necnon ſomniat æternitate gaudere caduca, monteſque aureos poſſidere depingit phantaſmate, ne per quietem lucrandi ſtudia rumpat. Quidquid ergò de ſomno paſſim reperimus dictum, aptari valebit inertis languedini. Et otium mortis imaginem dixerim. S. Thomas à Villan. *In deſideriis eſt omnis otioſus, vivens mortuus eſt.* De mortuo dicitur non eſſe: tu ſegnem crede non extare. Operari ſequitur eſſe, proloquuntur Philoſophi. Unde operi nequaquam intentus, quodammodò putetur non eſſe.

26. Otioſus quaſi nemo. Cicer. l. 2. d. natura Deorum. Sen. ep. 117. S. Thom. à Villan. ſer. Septuag.

Divinæ ſapientiæ ab orbe condito collata in Adamidum genus beneficia Sapiens recenſet. A Protoplaſto ſeriem texit in hæc verba: *hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cùm ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo.* Preme illud, *cùm ſolus eſſet creatus.* Certè legimus: *maſculum & fœminam creavit eos.* Ex Adami latere producta mulier ante prohibiti pomi crimen viro ſociata fuit: illum tranſgreſſione comitata eſt, & eidem ſubjacuit ſententiæ. Quomodò ſolum fuiſſe creatum exiſtimabimus illum cui virago comes tam innocentiâ quàm delicto reperitur? Myſterium ſcrutare. Adam ſtatim atque argilla fictus è ſapientiſſimi opificis manibus ad vitæ auram prodiit jam rationale figmentum, in paradiſo collocatus eſt à Domino, *ut operaretur & cuſtodiret illum:* natus ad laborem, quamvis non ſervilem, ſed gratum, otium paradiſi culturâ depellebat. Heva non ſic: quæ laborando inepta, mulicbri fragilitate, viro abſimilis evaſit. Exinde quaſi non eſſet præteritur à Sapiente: ſolus à Salomone memoratur Adamus, qui laboribus incumbens vitam & fœlicem priùs, & infauſtam deinceps exercuit: *cùm ſolus creatus eſſet*, inquit, ac ſi non extare dici poſſet operis expertem primigeniam. Neque ſacer textus dictis refragatur, cùm primævam generis humani matrem hominis appellavit adjutorium: *faciamus ei adjutorium ſimile ſibi:* non enim colendo paradiſum incumbere fecit illam, aliove labori: tunc temporis terræ cultura non moleſta, ſed voluptuoſa, nequaquam egebat adjuvante. D. Auguſtinus: *aut ſi ad hoc adjutorium gignendi filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium*

Sapi. 10. 1. Gen. 1. 11. Gen. 2. 15. Ibi n. 18. D. Aug. to. 3. l. 9. d. Gen. ad lite. c. 5.

adjutorium facta est ? Si quia simul operarentur terram, nondum erat labor, ut adjumento indigeret, & si opus esset, melius adjutorium masculus fieret : Hoc Doctorum Aquilæ judicio tacitam cogitationi præfatæ objectionem, quæ fieri posset, refelli oportuit, ut non inficieris Hevam non operis adjutricem fuisse constructam, datamque Protoparenti ad laborum consortium ; sed animadvertas eam extitisse paradiseæ voluptatis, bonorumque viri sine labore sociam. Ideò illius non meminere sacræ Sapientiæ annales : nam ut prædixi, degens otij sub tegmine veluti non fuisse reputandus est. In dogmate nostro solertes mox expressit Sapiens, cùm ait : *manus autem fortium divitias parat ;* vinculis autem segnitiei carceratos, quasi non essent hîc tacuit : & quin ullus ab eo nominaretur, de manu pronuntiavit sententiam : *operata est manus.*

27. Fœlicitas quæ non augetur, absque manu ruet.

Remissa. Quare non potius dixit manus prodiga ? Solent inertes patrias opes quasi bello partas non bellè profundere : parvi faciunt quod eis non magno constitit : patrimonia dilapidant, & quasi statim obituri, qui se non recordantur mortales, sui constituunt hæredes seipsos. Ventri venerique facultates projiciunt, circumvolantibus corvis (quos insani dicunt amicos) alendis pecunias abliguriunt, aleâ residuum conterere festinant, qua fœlicitatem suam è tali jactu pendere vel inviti fatentur. Si pauperie torpedinem vapulaturam esse prænuntiat hoc loco Salomon : videbatur non manus remissioni languentis ; imò potius manuum furori facultates dilacerantium imputandam egestatem esse. Remissa manus tota jacet ; non censum dilapidat. Quid ergo ? accidet otioso ut quin attingatur manu substantia ejus confringatur ? Ita quidem. Ventus ut cesset non indiget destruente : ipse dispergit seipsum. Haud aliter mundana fœlicitas, quam vento simillimam exeperientia ratioque testantur. *Quemadmodum* (ait Maximus monachus) *vehementiores venti plura hominibus incommoda adferunt, quàm leniter flantes, sic splendidissima fortuna magis obest hominibus, quàm mediocris.* Sicut igitur ventus, ita fœlicitas nullo impellente prætereunt. Absque manibus cadit moles prosperitatis, quæ radice carens non augetur, sed terram occupat.

Maximus monachus ser. 18.

Vidit Nabuchodonosor insomnium rebus futuris præsagium, & præsentibus ænigma. Evigilans recordatur solummodo somniasse : nam imago prorsus excidit è mente. Non aliter possidentur, sive (quod in idem redit) apparent mundi chymærica bona : simul phantasiam deludunt, affectus illiciunt, & evanescunt : fallunt quia verè nihil sunt, placent, videntur enim plurimum non videnti, disparent, cùm figura præterit, ac bona cum pace Philosophiæ, desiisse potuit quod non erat. Appositè dixit inibi Theodoretus : *quando itaque præsens vita celerrimas habet mutationes, omnia fluxa sunt & caduca, & imago rerum vim non continet, solas rerum ac subjectorum figuras ostendit. Ad hæc, ipsa quoque figura facillimè dissolvi potest : ideo author omnium Deus superbum illum regem docere voluit, quàm facilem habeant res humanæ mutationem,* &c. Habes interim quòd illud coronatum superbiæ mancipium vidit bonorum quibus potiebatur imaginem. Illa erat statua proceritate stupenda, capite aurea ; pectus & brachia scintillabant argento, venter ac femora constabant ære, subque ferreis tibiis pedes malefirmi semilutei sustinebant ingens & umbratile pondus. Apage monstrum ! Sed quid obstupescis ? Hæc bona transitoria sunt, quibus totus innecteris ; modò perhorrescis visum ab alio quod amas à te somnio pictum ? Attende quod sequitur : *abscissus est lapis de monte sine manibus : & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter testa, æs, argentum ; & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ.* Discedamus paulisper ad aliud ejusdem Regis insomnium. Aspexit arborem, quæ nimiâ sublimitate cœlo proxima patulis diffusa ramis terram complexa, foliorum pulchritudine luxuriosa, fructuumque copia gravitans, ad litteram fuit Nabuchodonosoris ænigma ; sed non incongruè potest appellari divitis emblema fortunæ. *Qui magnificatus es*, ait Dyonisius Carthusianus, *potestate, divitiis, fama, & gloria, omnique prosperitate mundanâ.* Et Maldonatus ad hunc locum inquit : *Magna arbor & fortis, qualis quercus, aut robur quod inde nomen habet : significat Nabuchodonosoris imperium, & gloriâ sublime, & amplitudine longè lateque patens, & viribus robustum esse.* Adde Liranum ad illa verba : *folia ejus*, &c. *per exterioris*, inquit, *apparatus ostentationem in familiis & equitaturis, in vasis aureis, argenteis, & similibus. Et fructus ejus nimius per opulentiam.* Ipsa pompa tacitè denuntiabat ruinam : ne tamen dubio locus esset, angelus clamat : *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus*, &c. Opus erat ictibus arborem cædi ? statuam verò sine manibus lapis comminuit ? Mundanæ prosperitatis utrumque symbolum extitit conditione dissimile, mysterio par. Statua nec radices agit, neque succrescere curat : absque manu dejiciente ruit quod non sumit augmenta. Arbor dum vivit radicibus, velut brachiis alimenta quærens, vegetatur : securis ictibus dejicienda fuerat. Scio nullum non è sæculi bonis tempore carpi ; tamen majori sumptu egebit fortuna ut fœlicem expugnet, qui discriminibus prospicit vigilans ; econtrà, si gravi somno sopitus nimium securus quiescit, sibimetipsi damna sollicitat piger. Unde pro istius ruinâ fors nec alienas manus vocabit in auxilia, nec proprias extendet ut ab eo possessa diripiat : nam ipsius tui oscitantis manus remissa contra teipsum pugnat. Aut tui miserere saltem : aut cum Augustino dicam : *quid miserius misero non miserante seipsum ?*

Theodore. in comment. Dan. c. 2.

Daniel. 2. 34. 35.

Dyonis. Carth. ibi.

Maldonatus ibidem.

Lira ibi.

Daniel. 4. 11.

D. Aug. l. 1. confess. to. 1.

DELIBATIO VI.

Opera metiuntur hominem. Noſſe te majus eſt hoſtium victoriâ : beneficium tuum opinione accipientis minue: terrena non ſatiant.

28. *Quod agis hoc es.*

Manus autem. Non ſola manus gnaviter divitias conquirenti miniſtrat. Intellectus de mediis providet: voluntas quidnam gerendum ſit decernit: manus exequitur juſſa: totus denique diligens homo laborat ne fraudetur poſſeſſis, utque deſiderata contingant. Novi per ſynecdochen manum pro toto, qui fortis, & impiger vigilat aſſumi. Sed nonne potius foret ſumere pro homine toto vel caput, vel cor? caput, inquam, cui tribui ſolet conſilium, ſeu cor ubi tribunal voluntatis reſidere dicitur? Diſertiſſimè Sapiens elegit manum ut poneret vocem hanc, *manus*, pro homine integro. Rationem aſſigno: cuilibet paſſim occurret ſacri textus phraſi manibus opera
Pſ.118.119. deſignari. *Anima mea in manibus meis ſemper :* ubi ſic Interlinearis: *in operibus meis.*
Interlin. ibi. Similiter ſignificant opera manus in Canticis : *manus meæ ſtillaverunt myrrham :* ubi
Cantic.5.5. S. Gregorius Nyſſenus: *nimirum manus ipſas*
D. Greg. Nyſſ.orat. 12. *inquit (& manuum appellatione motus animi, qui actionum effectores ſunt denotat) ex ſe ſtillaſſe myrrham.* Itaque manus definit hominem, ac pro eo valet uſurpari : nam ex operatione cenſebitur quiſnam ille ſit: mendaciumque detegetur quo ſe magnos venditare ſolent, qui actione viliſſimi. Triſti ſub hyeme quamplurimas arbores non dignoſces; quarum ſi per ver fructus aſpicias, veram poteris agnoſcere naturam. Sic
Matth.7.20. cùm de hominibus judicatur, *ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Solos qui operantur putavit S. Antonius Olyſſipo. verè homines : ait quippe de illis quos arca Noë concluſit: *homines ſignificant continentes & activos, qui verè ſunt homines, ideſt ratione utentes.* Itaque delibera : quod agis hoc es: opera naturam tranſmutabunt : ac veriſſimè proferes quiſnam ſis dum rogaris : hoc ſum quod operibus exprimo.

D. Anton. Olyſſip. ſer. Domin. Sexag. prope fin.

Caligans corporeis oculis Iſaac mortem vidit præ foribus adventare, quæ penſionem ſibi mortalitatis jure debitam exactura properabat. Licet corporis oculus hallucinetur ad iſta; mentis aciem, niſi deſipis, non valebis circa fragilitatem conditionis humanæ decipere. Cupiens filium natu majorem fœlicitate per obedientiæ meritum præcipit, ut venatum exeat, ferculumque ſibi paret, benedictionem poſt juſſa peracta reportaturus. Rebecca Jacobum dilectione præferens, paternam benedictionem illi deferri curat hoc ingenio. Dum Eſaü moras faceret minorem filium transformat: manus & collum hœdina pelle diſſimulat, cætera veſtibus fraternis operit, ut patri ſimilitudinem alienam exprimeret. Jacob vix timore depoſito cibum defert genitori ſuo, benedictionemque diligentiæ pretium accipit. Tunc ille rogat: *quis es tu fili mi? Dixitque Jacob ego ſum primogenitus tuus Eſaü.* Cur ſic fatur homo fraudis expers? *Jacob autem vir ſimplex :* Jacob nec primogenitus erat, nec Eſaü dicebatur : ergo quo titulo ſe nominat Eſaü vocabulo? necnon ſe primogenitum affirmat? Augetur difficultas Auguſtini verbis: *iſte dolus*, ait, *Jacob ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magna rei myſterium quæreretur, ſuperiùs prædixit Scriptura : erat autem Iacob homo ſimplex, habitans in tabernaculis... Quis eſt in iſta benedictione percipienda dolus hominis ſine dolo? quis eſt dolus ſimplicis? quæ fictio non mentientis? niſi profundum myſterium veritatis?* Myſterium indagemus, ut veritas eluceſcat Patriarchæ. Nequaquam mentitus eſt fallere neſciens. Primogenitum egit opere; non Jacobum tunc expreſſit, ſed Eſaü : quidni ſe diceret Eſaü, cùm natus eſſet Jacob? Benedictionem poſtulare, ferculumque parenti offerre, munus erat natu majori commiſſum: quòd cùm Jacob exequitur, verè ſe primò natum appellat. Quid ſimus potiùs de operibus, quàm de natura cenſendum eſt. Dum vita comes, in mundi theatro perſonam induit quiſque, non eſſendo, ſed agendo. Si corde impavido Herculea geris, Herculem te dicam, ſi tyrannum imitaris, deteſtabor. Amphitheatrum occupas : non eſſe putes, aliud te, niſi quod agis. Igitur, ſi manus denotant ſtylo ſacri textus hominis opera, manui tribuitur quod ille perpetrat.

Gen.27.18. 19. Ibi c.25.27. S.Auguſt.to. 5.l.16.d.civita.Dei.c. 37.

29. *Seipſum devicisse gloriosius quàm hostes debellasse.*

Fortium. Verbum iſtud Syrus tranſtulit, *juſtorum*, Chaldæus, *rectorum.* Parùm diſſident à lectione Vulgata: nam juſtus & fortis prorſus in idem recidunt: imò *ille ſolus*, inquit Lactantius, *fortis debet judicari, qui temperans eſt, moderatus & juſtus.* Fortem non vocabo, ſed intrepidum (nec enim ſynonima ſunt) eum cui defuerint arma iſta. *Fortitudinem*, ait Plutarchus, *mihi videntur non vacuitatem à metu, ſed metum reprehenſionis, & ignominiæ antiqui judicaſſe :* nec immeritò : quid etenim proderit hoſtem ſubigere, cùm prius iræ manus dederis? ac prodigè vitam exponere pro caduca gloria quid refert in ſtrenuitatis nobile teſtimonium, ſi te levis gloriolæ ſtravit aura? Animo ſæpius imbecilles herinacium imitantur mentita fortitudine muniti, qui, cùm ſit meticuloſum animal, licet ſpinis horridum, contractis ore pedibuſque, in aculeatam pilam convolutum, intus omnibus tremiſcit membris; exteriùs in arma furit. Sic improbus : pericula deſpicit, vitam prodigit: ſtrenuus videtur; at meliùs diceretur inſaniens qui metum abjiciens meditatur metuenda. Juſtus verè fortis jure meliori vocandus, qui pectore firmo, nec lædi poteſt, nedum proſterni : *fugit impius nemine perſequente; juſtus autem quaſi leo confidens abſque terrore erit*, noſter dixit Paræmiaſtes. Nunc diſquirere libet quænam ſit hujus fortitudinis corona pulchrior : ſemetipſum vincere, an hoſtes profligare? Multò clariùs ab inteſtino adverſario partam victoriam effulgere credo. Quò fortius prælium, eò generoſior triumphus. Tecum ipſe dimicando clancularium inimicum ſuperaſti, quo quis terribilior?

Lactan.Firmi. l.1. divin. inſtitut. c.9. Plutar. in Cleome. Proverb.28. 1.

S. Bern. ser. 85. in Cant.

bilior ? Audi Bernardum : *ex quibus satis claret quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo, sine alieno, impulsu cadere potest ; alieno absque suo cadere non potest. Cuinam horum præcipuè resistendum ? Nempe huic : qui eò molestior, quò interior solus dejicere sufficit, cùm sine ipso alij possint facere nihil. Non sine causa Sapiens expugnatori prætulit urbium virum qui animo dominatur. Multum hoc ad te, opus virtute habes, & non quacumque, sed qua induaris ex alto.* Non immerito sic piissimus Doctor effatur : nam quandiu cùm externis oppugnatoribus conserebas manus, tibi eras in auxilium ; at civili pectoris bello nec te fidum invenies comitem. Aliorum hostilis furor non recusat inducias ut reficiat vires ; affectuum verò pugnax ferocitas non quiescet, ne prævaleas. Importunum sanè certamen. Idcirco fœliciorem te crede tui victorem, quàm hostes detriumphantem.

Morabatur David in solitudine Pharan, ut positum extra teli jactum Saülis ingratitudo desineret insectari. Egestas, quæ vel regios infringit animos, opem compulit efflagitare. Nuntios misit ad Nabal hominem inurbanæ minervæ, cujus intonsa rusticitas in Carmelo numerosos ovium greges tondebat superba. Rogavit amicè, ut sibi, virisque suis, quorum auxilio servata sunt ejus in deserto pecora subveniretur. Quid tunc rusticanus ille ? Despecto Davide negat alienis præstiturum, quod tonsoribus suis præparaverat. Nuntiata sunt hæc Davidi, qui concitus irâ militem in arma vocat, hominis pessimi tumentem impudentiam animadversurus gladio. Quod cùm Abigail uxor Nabal pertimesceret, imminens viro suo, malum avertere cogitat prudens, & opere complet : nam festinans, inscio marito, occurrit obviam Davidi jam ad cædem tendenti : procidit in terram, offert munera, veniam exorat fœliciter. Crederes Abigail, quæ Davidis iram ut lenirer plurima dixerat, ejusdem clementiæ persolvendis gratibus nec verbum fore prolaturam ? Historiam perlege, nec in minimo se gratam exhibuisse prorsus invenies. Quinimò versas officiorum vices ibidem reperire pronum erit : nam David, qui beneficium contulerat, allocutus Abigailem ab ea gratiam profitetur accepisse :

1. Reg. 25. 33.

benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea. Et ne putes verba Davidis continere tantummodo laudem prudentis fœminæ ; non verò gratiarum actionem, accipe Sanctium : *gratias*

Sanctius ibi.

agit primùm Deo, qui hanc mentem dedit Abigail, ut se offerret obviam, & æstuantem animum ardore vindictæ, quasi gelidâ irroratâ restingueret. Deinde Abigail, quæ sermone usque adeo prudenti armatas manus, & spiritus ad cædem anhelantes inhibuit. Abigailem impetratâ viro suo veniâ gratias oportebat referre : & illa tacet omnino clementiæ magnitudinem. Transi modo cùm Davide peregrino ut quid apud Achis acciderit immoranti perpendas. Ille profugus Gethæo regi postulat ut ad aliam civitatem sibi divertere liceat, regiæ fortè pertæsus tumultum, vel invidiæ jactus iterum declinans. Apud Siceleg ipse comitesque sui locum sortiti sunt : sed nullibi secura quies. Ecce tunc absente Davide cùm sociis Amalecitæ contra Siceleg impetum fecerant impunè : urbem admotis flammis devastarunt : indeque plurimos in miseram servitutem redactos detulere, quos inter etiam uxores David captivæ ductæ sunt. Ad populi clamorem ille proprij doloris geminato sensu contristatus insequendis prædonibus valida manu accingitur. Non parum viæ confecerant ignorantes viam cùm Ægyptius quidam occurrit eis, quem dominus Amalecita dereliquerat. Illi suggessit David : *potes me ducere ad cuneum istum* ? Duxit ergo Davidem : (evaderent hostem ne qui non caverant domesticum ?) quorum pauci fugati sunt, quia cæteri gladio periere. Reduxit David prædam, nec minimo dempto spolio, victor, & exultans reversus est. Plurimum certè debuit Ægyptio illi, per quem uxorum suarum obtigit libertas, & cui victoriam referre potuit acceptam : nec tamen ductori suo quidquam gratitudinis exhibuisse legimus. Non inducar ut credendum putem Davidem debitorem se testatum fuisse hoc loco ; sacrum tamen historiographum noluisse hujus rei mentionem agere : cùm legam referentem rem adeo minutam ut extitit quidnam famelico viæ duci datum sit in esum priusquam eam demonstraret : *dederunt ei panem ut comederet, & biberet aquam, sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas uvæ passæ.* Compone Davidem utrobique secum. Uxori Nabal quasi plurimùm obstrictus beneficio gratiam permultis exhibet ? ductoris verò Ægyptij, cujus ope debellavit Amalecitas, non meminit ? plus fortasse debuit fœminæ ? Non dubito sic judicasse : nam Abigail dicente, de se David triumphum reportavit ; Ægyptio verò ducente prostravit hostem. Unde fœminæ grates præterire quasi non valuit ; qui fortè sui ducis præmia oblitus est : quia clariori gaudebat victoriâ dum Abigail precibus clementissimè cedit, quàm cùm Amalecitarum milites pugnaci manu cecîdit : hîc namque contrivit superbas inimicorum phalanges ; illic vindictæ libidinem prudentis, fœminæ suasu repressit : & illustriùs ovabat sui victor, quàm hostium debellator. Sæpissimè justus hostili gladio cadit : non ideo dicendus erit imbellis, sed fortis : quem etenim justum, qui non pravos affectus jugi prælio detriumphet invenies ? Hæc est invictissima justi fortitudo : qua si careas, justitiam desideras ; hanc si teneas fortitudine tibimetipsi præstes necesse est. Unde Plato : *Vincere autem seipsum omnium victoriarum prima & optima.*

1. Reg. 30. 15.

1. Reg. 30. 11. 12.

Plato l. 1. de legibus.

Divitias. Caducas fortunæ mundialis opes hîc promitti literaliter accepimus. Nunc spiritualis intelligentiæ carbasa solvamus. Ad animæ divitias flectitur hæc sententia non coacta. Sed attende bonorum spiritus cumulum dupliciter considerari : vel pro æternæ beatitudinis thesauro, vel pro animarum diviti ornatu, quem illi præstant opera recta. Priori sensui adstipulatur in præsenti Jansenius dicens : *ut potius*, inquit, „ *seduli in bonis*

30. *Justus plus de meritis gloriatur in Domino quã de mercede.*

Cemeli. Jansen. ibi. Prov. 10.

actibus divitias æternas comparemus, Salazar ex Beda similiter. Pro secunda expositione stat Cornelius à Lapi. agnoscens ibidem inculpabilis vitæ gazas: *virtutum*, ait, *enim studiosus magnos earum cumulos, & thesauros congregabit.* Utraque interpretatio non minus vera, quàm textui consona. Nostrum erit quæstiunculam ventilare: quidnam justo gloriosius, virtutes ne dum vivit coacervare? bravium ve fœlicitatis æternum duraturæ comprehendere? Utrovis clarus bono micat inter astra: sed suomet ipsius judicio clarior ille virtutis merito quàm beatitudinem fulgore splendescit: & adeo ut S. Prosper volens sanctæ cælestis Jerusalem splendorem extollere, non dixerit illam coronis rutilare; sed meritis, cum ait: *ipsa civitas, quæ est angelorum sanctorum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat.* Idcirco plus meritorum exercitio gaudet amor, quàm de præmij expectata magnitudine lætetur spes. Ratio est in promptu. Justorum præmium non est oblatio exhibita Deo; meritum verò maximè: nam *per bona opera Domino offerimus gloriam*, ut Basilius dixit. Inde fit ut justus meritis glorietur in Domino, plusquàm in desideratissimæ fœlicitatis perpetuæ mercede.

Corne. à Lapi. ibidem.

S. Prosp. l. 1. de vita contemplativa. c. 2.

D. Basil. to. 1. hom. 5. in Psal. 28.

Adi Paulum ad rem nostram de se loquentem: *mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quid jactas Evangelij præco, divinique nominis tuba? nihil aliud tibi gloriæ superest nisi crucis ignominia? Si Christi qui te vocavit in admirabile lumen exardes amore, gloria tibi sit Redemptor ipse. Crux dilecto Domino fuit ferale cruciamentum; & tibi est unica gloria? Sic utique: nam gentium Doctor Christum expetebat velut meriti sui præmium: *ut Christum lucrifaciam*; cruci verò Dominicæ affixus ditescebat meritis: *Christo confixus sum cruci.* Non in Christo igitur, sed in cruce: non, inquam, de præmio, sed meritis humiliter ambit gloriari. Salvatoris divinitate beati munerantur: ejusdem humanitas clarè visa necnon ad eorum præmium à Theologis reducitur. Cruci verò confixus Apostolus virtutum flores meritorumque fructus legebat: nam & amore flagrans dilectum in pectore gestabat (*vivit verò in me Christus*) & immobili patiens constantiâ referebat crucifixum: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Ab hac igitur arbore vitæ divelli nesciens cunctos meritorum proventus ubertim colligere satagebat. Ideo non dixit Paulus: in Christo gloriabundus exulto: plùs etenim de meriti perseverantiâ, quàm de præmij spe sibimet ipsi gratulabatur. Adest S. Anselmus: *mihi absit gloriari in potentia Ch[illegible], vel in majestate, seu potestate, sed in cruce de quâ sapientes mundi erubescebant, & in quâ erat omne opprobrium quod Christiani patiebantur, ac persecutio quam sustinebant.* Hoc est generosum perfecti viri judicium: abundantiores divitias in virtutum copiis positas reputare. Istas ergo potissimùm fortis in prælio sibi parat opes.

Ad Galat. 6. 14.

Ad Philipp. 3. 8.

Ad Galat. 2. 19.

Ibi c. 6. 17.

S. Anselm. in Comment. c. 6. ad Gal. tom. 2.

Nunc insistamus denuo litteræ cortici. Divitiæ temporaneæ promittuntur hîc homini sedulo fortiter agenti, virtutum studioso cultori: nec ampliùs? Opes Dei manus dona sunt, sed sinistræ: *& in sinistra illius divitiæ.* Æterna vellem hoc loco promitti justo; non autem bona peritura. Summæ tamen largitatis ingenium ibi latere non dubito: minora namque pollicetur justo, cui multò plùs elargiri cogitat Omnipotens. Pulchrum stemma beneficentiæ dicendum est sub specie minoris doni conferre majus. Beneficij exaggeratio est ab accipiente nesciri. *Itaque*, ait Seneca, *beneficiorum maxima sunt quæ à parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus.* Parum esset effusæ liberalitati vulgaribus regulis edoctam beneficium celare spectantibus, quod egenti donat, ne jure optimo dicat egenus: vanitati; non verò mihi munus tribuisti. Currit extra metas communes insigniter beneficus: curat ut ipsi recepturo beneficium sit opinione sua minus, re majus.

tribuit magnanimus ita ut accipienti sit opinione minus, re verò majus. Prov. 3. 16.

Sen. de benefi. l. 6. c. 24. fine.

Petrus & Joannes, Apostolorum coryphæus, & Redemptoris dilectus, ascendebant in templum, ut orationi vacarent: (quàm solliciti conscendunt altius qui sanctitatis jam tenuere verticem!) Ad templi januam emendicare solebat claudus ab utero. Quantùm nos miseros occupare festinant mala! Brevis est vitæ periodus, dolores numerum excedunt: ideo ne desit vulneri locus, cursu properant illa citato. Apostolos rogavit indigus ut stipem acciperet, cui Petrus; *Respice in nos*: & statim illum qui plantarum carebat usu manu levavit: *apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.* Utquid si manu medetur huic Apostolus, ejus oculos fecit in ipsos intendi? Ut spem superaret inopis, ac maximum beneficium largiretur quasi tenuem eleemosynam donaturus foret. *Respice*, inquit, *in nos.* Quænam claudi mentem cogitatio tunc subiit? *Ille intendebat in eos sperans se aliquid acceperum ab eis.* Ex Apostoli verbo egenum concepisse spem nummi Lorinus insinuat ex ipso textu: *sperans*, inquit, *se aliquid acceperum ab eis: ergo verbis illis, respice in nos, claudo spes data erat*: non utique salutis, sed pecuniæ spem æger is tunc habuit, ut ex D. Ambrosio habemus dicente: *surrexit claudus, quod non sperabat, pecuniam non accepit quam sperabat.* Audit postea miser Petrum aurum, aut argentum nequaquam possidere; sed adhuc expectaret æra minuta sibi donanda; de artuum consolidatione assequenda non cogitabat. Apostolorum Princeps insigni liberalitate misericors egentem decipi libens permittit, ut beneficium recepturi opinionem suâ largitate prætergrediatur: scili. plantarum incolumitatem donans ei qui se putabat stipem solam tunc accipere minutam. *Manus autem fortium divitias parat.* Audis opulentiam sæculi viro justo promitti: parva sunt hæc; at his illectus ascende superius ad majora tua vocatur manus.

Act. 3. 4. 7.

Ibi n. 5.

Lorin. in c. 3. Act.

S. Ambr. l. 2. de offi. c. 25. n. 5. to. 4.

31. *Beneficium*

Parat. Parare desiderantis est, qui sedulo intentus operi manum admovet improbo labori. Nonne satius esset sic ad virtutes lectorem

32. *Creata bona non desideria satiant, sed movent.*

ctorem allicere : manus autem fortium divitias possidet ? sollicitudo parantis opes molesta quidem est : earundem possessio perjucunda : hac igitur & non illâ, invitare oportuit animos abhorrentes opus. Quâ de causâ non meminit esse tenenda tandem mundi bona ? Quia hæc (si plus rationi quàm sensibus, fidem præstemus) nullus tenuit ; cuncti parant. Mundani proventus, evanidè somniantis imagines, ita deludunt mortalia pectora, ut non plùs habeantur habita quàm cupita. Quidquid in sinum jaciat fortuna, desiderium non sedabitur : nec minus post vota jam adimpleta cupiditas exardescet quàm priùs : imò fortassis amplius irritabitur amor habendi : *anima enim delectationis avida ex quo ab unitate divina & fraternæ dilectionis recessit, cùm nequeat rerum qualitate satiari, iterum varietate impleri desiderat. Nunc ista, nunc illa quærit, non tamen reperit in quo requiescat.* Hæc S. Laurentius Just. Ergo dum possidenda cupis non bona quæris ; imò desideria requiris.

S. Laur. Just. in lign. vit. c. 3. d. continentia.

Abrahamidæ per invia deserti viam fœlicitatis promissæ Deo ductore carpebant. Ingratissimi servi miseram captivitatis abundantiam expetentes recolebant quanta commorantibus in Ægypto superessent victui, quibus in solitudine carere molestum erat, quia libertatis pretium nesciebant ultro. Carnium aviditate flagrarunt. Omnipotens talibus morem gerere minimè dedignatus coturnicum imbrem pluit super eos. Hanc illorum sortem sic expressit Psalmographus: *Saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati à desiderio suo.* Ad literam hebraismum scio affectum pro re capientis ; ad mores tamen liceat exinde velitari. Carnium ferculum desiderabant vesani : jam avium copiam securè possident : ergo sic dicerem : desiderium eorum abstulit eis : nam dum explentur desideria, prorsus auferuntur. Quare non ablatum, sed allatum desiderium pronuntiat Israëlitis per carnium concessionem ? Putarem volatilium bonorum sæculi conditionem sic exprimi : expetita veniunt dona ; possessio tamen non aufert eorum desideria, sed affert. Non nimis longè abhinc digitum intendit glossa Interlin. ad verba : *saturati sunt*, dicens : *ventre, non mente.* Non, inquam, aufertur cupiditas : nam plurima desiderantem inania, nequaquam satiant ; imò accenditur aviditas, ita ut desiderium sit veluti synonimon adeptionis. Unde possessor divitiarum potiùs habenda parare videtur quàm tenere. Claudat discursum Chrysostomus : *argentum quid aliud quàm palea ? sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas avaritiæ flammam incendit.*

Ps. 77. 29. 30.

Interlin. ibi.

Chrysost. to. 2. hom. 40. in Matth.

FLOS V.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos : idem autem ipse sequitur aves volantes.

APERITUR.

DUO quippe sunt (inquit re nomine neque Magnus) *quæ in bonis operibus necesse est ut studiosè formidentur, desidia videlicet, ac fraus.* Inertiam præcedens paræneſis cavere docuit : fallacias nunc ista devitare suadet, quarum sectatores duplici delineat ænigmate. Divitiarum lucro proxima sententia studuit allicere solertes ut fortiter agerent. Modò lubricam noscens opum conditionem, inculcat Salomon amorem veritatis, ne donis ingratus fœlix degeneret in dolos : nam ut S. Hieronymus asseruit, *congregationem divitiarum sequitur mendacium, & manus assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet.* Hæc priusquàm paræmiam enuclearem præmittere oportuit : nam germaniùs exponetur si verbis antecedentibus innodari fateamur, quod apertè vides in vulgatis Bibliis ante Romanam correctionem, ubi sic habetur : *qui autem nititur mendaciis*, &c. Corrector nexum illum, *autem*, delevit, sententiam tamen ab antecedenti non dissuit.

r. D. Greg. M. l. 9. mor. c. 17. tom. 1.

S. Hiero. in Mich. l. 2. c. 6.

Tripliciter invenio prius hemistichium accipi solere. Illius expositio pendet à verbo *pascit* : quod primò sumitur pro, devorare, quasi dicat : more chamæleonis vento pascitur qui mendaciis nititur fortunas augere. Secundò significat, cibare, quo sensu redditur ita parabolæ sensus : qui nititur mendaciis seipsum vento præbet in cibum. Tertiò sic explicari potest : qui nititur mendaciis ventorum pastorem agit : seu quod in idem recidit, frustra laborat. Primam & secundam interpretationem non improbo ; tertiam ut maximè literalem præferre non dubito. Favet isti Græca versio : *pastor ventorum :* quæ non nisi violenter aptari valent primò, secundóve sensui. Pro hac Cornelius Jansenius ait : *magis videtur positum in ea significatione, qua dicimus pastorem pascere oves, quas sequitur, & dirigit.* Ad hæc. Sapiens eo quòd industriam proximè suaserat, nunc plurimos frustra desudare monet : *pascit ventos, ideſt perdit laborem suum*, commentatur Lira : nec adeo genuina similitudine labor supervacuus exprimeretur, si frustraneè laborantem similem Paræmiastes diceret comedenti, vel cibum præstanti. Accedit, secundam hujus dogmatis partem, quâ Salomon dictum cumulavit, huic acceptioni congruere : nam ventos continere more pecudum, & aves insequi eum qui non volat, simillima sunt. Sic igitur Salomonica thesis ad litteram exponenda est : qui fraudulentiis nititur opes acervare similis est conanti ventos pastoritio sub regimine frænare : necnon assimilatur audenti velocem aviuin fu-

Lect. Græca.

Jansenius hîc.

Lira ibid.

gam æquare gressibus. Nec minùs vanè perdit operam sæcularis insania : nam acquisita perperam custodire sollicitam, & insuper novas excogitantem fraudes, quibus plura congreget, sors repente deludit. Esto reliquas evadat calamitates, illum inopinatò mors occupat, & quæ vitæ nunquam sufficerent, funeri superabundant illâ jubente quæ Diogenis & Cræsi fortunas æquavit, neutrum afficiens injuria. Nec valebit hujusmodi fortunatus de morte conqueri, quæ divitem spoliare festinat quin ipsa diteścat: idipsum namque patitur ille quod gesserat, alios depauperans : hoc tamen discrimine, quòd mendax fraude computat in suis inania bona ; ista verò mors amputat falce velut aliena. *Cur* (Chrysostomum audis) *perforato aquam dolio ingeris ? nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aëra cædere. Certè frustra curris.*

Chrysos. hom. 77. in Matth. to. 2.

2. *Qui nititur.* Verbum istud intelligentiæ duplici libenter servit. Sumi potest pro deceptore : necnon pro eo quem fallaciæ sæculares illaqueant : & hic secundus intellectus videtur aptiùs cohærere præcedenti versiculo : nam in eo de vecordibus egerat, quorum non est quenquam astutiis irretire ; sed potiùs deditos dormienti socordiæ falli. Vilia magnificiunt lucra : pereuntia putant æterna : mortem juxta, seu potius intra, illos positam è longinquo prospiciunt : crimina sua nescire fingunt : virtutes nescio quas comminiscuntur umbratiles, jugiterque sibi mentiuntur adeo passim, ut numerus tot deceptionibus absque mendacio præfigi non valeat. Existimabis fortè veritatem tot hostibus invisam pectoris abdita petiisse: quinimò nihil esse corde veracius vulgò dictum increbuit : unde quidam cecinit

Vidus vib. in tetras. 51.

——— quodlibet
Patres, at ipsum non potes te fallere :
Nam se latere nullus unquam visus est.

Attamen plurimos obviam habebis in quibus hæc regula fallit, quos pungit Davidicum illud : *mentita est iniquitas sibi :* nam licet fraus ad alterum tendere videatur, homo se duplicem agnoscet ex Paulo dicente : *licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem.*

Psal. 26. 12.

2. Cor. 4. 16.

Mendaciis. Varia sub hoc nomine multi, quæ litera non respuit. Sæculi dolosæ fraudulentiæ juxta prædicta faciliùs adaptatur : illius namque mendacibus promissis nixus piger manus remittit. Vide quàm rectè queant homines hujusmodi nominari mendacium vivens. Rem ita conficio. Verum neutiquam falso poterit inniti : & ideo, juxta Logicos, falsa voce tenus tantùm concludunt vera. Similiter nunc philosophemur : qui nititur falsis oculorum tenus verus homo dicetur ; mentis verò luminibus apparebit rationalis fictio : quin potius fraudum summa vocandus est, utpote quæ veritatis umbrâ picturatur.

Hic pascit. Gregem pascere dicitur vanis addictus. Opilionis more laborem subit importunum. Æstu cupiditatis, geluque timoris exuritur: oculos fugit somnus : aliorum invidiam, odium, & rapinas tanquam lupos arcet : fiduciæ malesuadentis arundineo baculo possessa bona detinere contendit : per invia præruptaque sequitur fugientia. His & aliis delassatur mundi servus ; in eo tamen distat à pastoritio munere, quòd nullo proventu diteścit : menses laboriosos enumerat, sed vacuos. Verè D. Bernardus pronuntiat : *nihil in hac vita laboriosius quàm desideriis terrenis æstuare.*

D. Bern. ser. 6.

Ventos. Qui mundana sectatur ventos quasi pascit : idest in vanum laborat. Quid ventorum emblema significet, patet ex prædictis. Literalior cæteris est acceptio de bonis caducis : hæc enim vir divitiarum continere satagit, nec valet, & vento similia sunt. Si ventorum substantiam inquiras, *ventus* (inquit B. Albertus M.) *est vapor terreus.* Etiam humanæ possessiones terrenæ sunt, & ad similitudinem vaporum disparent facilè. Deinde ventus ignem accendit, imbres provocat, exsiccatque terram. Non absimiliter fortunæ cupiditates accendunt ; accendendo cor obdurant: lachrymas recedendo pariunt. Venti levia circumrotant, altissima perflant, cientque procellas. Haud aliter opes, & similia hominum figmenta, leves mentes in turbinem agunt, inflatas feriunt, discordes commovent. Tandem vento ruunt sublimia; minima verò feruntur in altum. Ita secundo sortis flatu pumilio vehitur ad summa ; contra si tempestas furit adversitatis, prosternitur Hercules. En quam similia vento bona sæculi.

B. Alber. M. 3. meteor. tract. 1. c. 5.

Idem autem ipse. Exuberare videntur ista; neque tamen sua emphasi carent : nam concinnandæ sententiæ simplex conjunctio sufficeret hoc modo : pascit ventos, & sequitur aves. Non fortuitò moratus est calamus velociter scribentis. *Idem autem ipse*, inquit: ac si moneat quemque dicens : ne multiplicem credas quem cernis multiformem. Amator mendacis fortunæ tot facies mutat, quot ipsa vices : nunc ridet cæteros arridente sorte ; nunc ridicula seriò molitur. Jam casus deflet suos ; iterum lætus jam deflenda parat. Alterum numerabis eundem ; sed idem ipse est : nam Persianum illud unicuique mortali singulariter aptare soleo

3.

Mille hominum species, & rerum discolor usus.

Pers. saty. 1.

Sequitur. Secunda pars thematis nostri, præter quàm quòd sit replicatio primæ, novo confirmat ænigmate dictum. Inanis est labor ejus qui perituris bonis cor tradit, velut aves insequentis, cujus etiam citissimos gressus volucris alarum perpeti auxilio deludit. Vide quàm temerè audeat qui viribus destitutus impossibilia tentat, suique non rectus judex, æqualia sibi putat astra. Quidni longè se majora sollicitet ? Potius dicam: nemo semetipso vota metitur sua : si claudum se novit, adhuc sic agilissimos imitari studet : nec passus movet ; sed risum.

Aves. Avium nomine similiter veniunt transitoria quia fugiunt anhelantes : *transierunt omnia illa tanquam umbra,... aut tanquam avis, quæ transvolat in aëre*, &c. Non fortuitò bona volant ; sed naturâ suâ instabiliter evanescunt. Indeque fit, quòd sicut avicula capta, blandoque carcere custodita, quantumvis

Sapient. 5. 9. 11.

quantumvis in delicias usque diligatur, claustri sui debiles rimas importuna sollicitat, fugæ locum requirens, ut repetat nativas arborum domos: haud aliter, quidquid sæculum suis tradit amatoribus, licet prendi claudique soleat, ardentiusque diligi, odit sepulchrum, dilabitur quacúmque: nam tenuia brevis rimula capit, & violenter clausa quà patet aditus ocyter seipsa proripiunt è manu custodis.

Volantes. Esto mundi lucra volatilia sint, non cuncta perenniter volant; quibusdam aliquantulum stare datur. At stolida hominis aviditas derelinquit possessa; fertur in desiderata. Sic neque suis gaudet, nec alienis: illa dimittit; ista persequitur: dumque labentia venatur, sibi concessa dilabuntur. Sapienter de mammona loquens dixit Chrysostomus: *nec ita irridet aliquem ut eos qui eam nimiùm concupiscunt.*

Chrysost. ho. 9. in Matth. 10. 2.

DELIBATIO I.

Instabilitas mundialium bonorum.

4. *Caduca bona instabilem reddunt amantem.*

IUxta vulgarem sensum textus nostri, quem (omisso literaliori, de quo suprà) duplicem esse prænotavimus, paucula de more libanda sunt. Autumat Salomon illum cujus mens mundi fallaciis obnubilatur, ventos pro cibis, hoc est vanitatem ceu animæ pastum, ore pleno, corde vacuo, devorare. Quid vanitati cum cibo? quid inani cum edente? Plurimum: omitto cæteras; unum prosequar. Alimentum in substantiam aliti conversum qualitates cibo non absimiles transmittit in mandentem. Qui duris vescuntur obdurescunt rustici: delicatis pasti solent emollescere. Sic illi qui vanitudine sæculi cibantur instabiles fient: à cibo quo victitant inconstantiam desument. *Omnis*, ait S. Augustinus, *qui natus est cedat oportet nascituro, & omnis iste ordo rerum labentium fluvius quidam est. In istum fluvium non se mittat cupida anima, non se mittat, stet.* Aliter si se gerat, inconstantiam eorum quæ diligit mutuabitur: nam idem est rebus adhærere labentibus atque non consistere. Mobilia sunt quæcumque tempus, terraque procreant, potiùs dierum quàm telluris imitata naturam. Istis vescitur avidè cupiditas humana: proinde labilis etiam hoc ex capite fit homo, quia scilicet mutabile bonum dilexit.

S. Aug. to. 8. in Psal. 63.

Suar. d. oper. 6. dierum l. 4. c. 2. n. 19. & c. 4. n. 12.

Quamvis primi parentes comestione pomi deliquerint, priùs appetitu similitudinis divinæ peccavere, quàm arboris vetitæ fructum gustarent, Heva namque, teste D. Paulo, seducta dæmonis astu lignum tetigit, ideoque legem prævaricata est, quia superbiit credula serpenti. Sic D. Thomas ait: *mulier igitur repromissam celsitudinem, simul & perfectionem scientiæ concupivit.... & sic metu mortis contempto præceptum Dei transgressa est de vetito ligno edendo.* Adami paulò dissimilem elationem præcessisse commune ligni crimen indicant verba Domini superbiam illius ironicè post culpam exprobrantis: *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.*

D. Thom. opusc. 2. c. 190.

Gen. 3. 22.

Nunc disquirendum cur Deus mortalitatis pœnam esui prohibito, non verò superbiæ primorum parentum addixerit: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Certè Deo similem fieri velle gravius piaculum videtur extitisse, quàm præceptum de non edendo pomo violasse: nam in primis altiori virtuti contrariatur, scili. religioni quæ præcedit temperantiam: deinde patratum fuit illæso adhuc intellectu, necnon ab omni passione libero, fructus verò comestio, quemadmodum Theologi notant; partus extitit appetitus jam rebellis & obnubilatæ considerationis. Igitur mors videbatur decernenda superbiæ de similitudine Dei; non verò intemperantiæ manducationis pomi. Quis consiliarius Altissimi fuit? Sine Domini justitiam supplicia librare. Primigenij culpæ, quam in comedendo admisit pomo, aptissimè pœna datur illius mors: sic enim experiri oportuit hominem quòd instabile bonum (scili. pomi gustum & pulchritudinem) diligens constantiam immortalitatis amisit. Superbiæ non ita erat mors opportunum supplicium: concupivit namque scientiam divinæ parem perpetuò duraturæ: unde non ex hoc delicto caduca instabilisque facta est hominis vita. Adam non tantùm ex nimia dilectione consortis comedit: sed Hevæ morem gerere cupiens, in pomi deliciis complacuit. Hoc innuit Chrysostomus dicens: *oportebat virum majoris facere præceptum Dei quod continuo illi insonabat, quàm illicitam hanc concupiscentiam, & non fieri prævaricationis participem, neque ob minimas voluptates tantis seipsum privare bonis.* Conjugem itaque imitatus est, de qua textus: *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis*, &c. Uterque genitor caducam diligit pomi pulchritudinem; quæ temporis velocitate pertransit. Comedentes immortalitatem amittunt, instabilemque vivendi rationem à fructu sumunt: versus est hic in illorum substantiam, ut videas pomi conditiones transmissas in eos. Illud primo vere turgens Euro flanti dejiciendum exposuit natura; ipsos verò non multùm ante natos mille casibus tradidit culpa. Appositè S. Bernardus: *quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat?... Hevam attende quomodo ejus anima immortalis immortalitatis suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Utquid enim cùm immortalis esset mortalia non contempsit & transitoria, contenta sibi similibus immortalibus & æternis? Vidit, inquit, lignum quòd esset pulchrum*, &c. Dictitari solet amoris esse proprium quòd amantem assimilet amato. Deum si diligas, ejusque cælesti pabulo nutriaris, mortalitate velut oblita, divinitatis particeps fies, immortalitate gaudebis. At si ventosa mundi levitate pascaris, evanesces: quod lamentatur D. Grego. M. dicens: *fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cùm ipso labimur, quem cadentem tenemus.*

Suar. sup. c. 6. n. 5.

Chrysost. to. 1. hom. 16. in Gen.

Gen. 3. 6.

D. Ber. ser. 82. in Cant.

D. Greg. M. hom. 8. in Evang. to. 2.

Idem autem ipse sequitur aves volantes. Ex assidua Scripturæ phrasi monuit Salazar cupientem

5. *Maximè fœ-*

licitas periculum summum. Salaz. hîc.

pientem lucra, voluptatesque sæculi, volucri similem appellari: *sequi*, namque imitantis verbum est. In multis affinia sunt vanus, & avis. Crucem refert ales pennarum figurâ dum volat: *aves*, inquit, S. Hieronymus, *quoque ipsæ quando in sublimiora tolluntur, & pendent per aërem, extensis alis imitantur crucem.* Sic voluptatis verna pennis libenter afflictus crucem jugiter ferre solet non mediocri labore. Pennigerum animal, semel atque se credidit cœlo, vel sursum volat, seu deorsum; non multùm stabit in aëreo spatio. Tu si volatum explices per aërem transeuntis pompæ, nonque detur ulterius ascendere, corrues. Avicula hospes arboris pedibus firmissimè nititur; si velit excelsiori loco frui, volatu erit opus, & alis jam librata non firmo se tradit elemento. Vento mundani mendacij distentus æquatur avi, non stanti frondoso cacumine, sed aëream regionem incolenti. Nihil ei firmum qui summa tenuit: *quantò major est fortuna tantò minùs est secura*, philosophatur Aristoteles. Et similiter Seneca: *maxima quæque bona sollicita sunt: nec ulli fortuna minus bene quàm optimæ creditur.* Rationem addo: quò plus venti crescit adversi, eò periculosior est navigatio. An tu nescis fœlicitatem ventum adversantem dici posse? Crede S. Anselmo. *Sed*, inquit ille, *cùm fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas tuam cupiditatem, invoca Christi divinitatem. Putas enim tunc ventum esse contrarium, quando hujus sæculi surgit adversitas, & non etiam quando blanditur prosperitas.* Quasi diceret S. Doctor: falleris. Igitur cum fœlicitas ventus sit non secundus, quò major est, eò plus discrimen auget. Si fœlix minori sublimitate contentus esset, frueretur bono utcumque stabili quadamtenus; altissimi ruinæ subsunt proximiùs, quæ cæteris tantò magis differtur, quantò minus evehuntur.

S. Hiero. to. 9. ser. 3. de Nati. Domi.

Aristot. 8. Ethicor.

Sen. d. brevita. vitæ c. 17.

S. Ansel. to. 1. enar. in Evang. Matth. 14.

Sæpe movit mentem cur Aman Judaicum populum exosum habens, Estheris utique similiter Hebrææ non tangitur odio, quinimò se gratum putans Reginæ gloriabundus hoc in fortunæ suæ donis numerabat: *Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege præter me: apud quam etiam eras cum Rege pransurus sum. Et cùm hæc omnia habeam*, &c. Nonne superbus iste *voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem*? Mardochæo genu sibi recusanti flectere necem dira nequitia molitur? Et Reginæ Judææ mandatum libens exequitur, ac reveretur majestatem? Dices Aman Estherem idcirco non odisse quia nequaquam ipsam noverat Hebræam. Sed vide coram eodem Amano Reginam Hebraici populi se contribulem aperuisse: *traditi enim sumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus.... inimicus noster pessimus iste est Aman.* Nihilominus adhuc Amanus Reginam demissè rogans corruit humiliter, ut eodem capite colligere licet. Adhuc ergo stat dubioli nostri vigor qualiscumque: Estheris Hebrææ gloriam non ægrè fert? Mardochæi sortem livore tactus deflet? *Aman festinavit ire in domum suam lugens & operto capite*: ejusdemque vitæ circumveniens insultat? Judico barbarum non ratione, sed experientiâ magistrâ, satis edoctum. Esther fortunæ fastigio sedebat; Mardochæus primùm despicabilis, posthàc fœlix equum ascendit, non thronum: denique januam palatij sicut pridem repetiit. *Reversusque est Mardochæus ad januam palatij*: hujus parca fœlicitas minimè casum jamjam instantem pavere debuit; Estheris excelsa majestas plus erat obnoxia ruinæ, cujus exemplum in Vasthi præcesserat. Ideo non odij machinationibus incessit Aman Estherem, sciens nimiùm sublimia suo pondere casura nutare; Mardochæum autem impugnavit qui non adeo sublimi loco gaudens periculorum ampliùs immunis esset privilegio mediocritatis aureæ. Ambis ad culmina ferri? Non ibi pedem figere licebit: aves imitaberis volantes, quibus aër malefirma domus: nam sors non transit; sed avolat, disparet, evanescit.

Esth. 5. 12. 13.

Esth. 7. 4. 6.

Ibi c. 6. 12.

Advertas oportet perituræ sortis gressus inæquales: accedit lenta, receditque præpes. Idcirco Augustinus docet: *lætitia sæculi vanitas est cùm magna expectatione speratur ut veniat, & non potest teneri cùm venerit.* Quasi fortuna fœlicitates violenter advocet, infortunia verò libentissimè, sic in æquore sæculi non iisdem horis accessus fit, & recessus: O difficiliorem Aristoteli philosophiam, quàm vulgares fluminis æstus! Rationem tamen inæqualitatis hujus insinuare ausus sum ex Valerio Max. *Adversas res*, inquit, *fortuna cupido animo infligit; secundas parco tribuit.* O quales trahit moras fœlicitas! nescit alas explicare ut accedat cùm favet, quæ volat ocyor Euro dum hostiliter insectatur quos premit.

6. *Moras trahit fœlicitas, properatque adversitas.* D. August. trac. 7. in Joan. tom. 9. Val. Max. l. 7. c. 1.

Decrevere filij Jacob interimere fratrem Josephum non alia de causa, nisi quia per somnium vidit aliquando fore ut eis dominaretur. De tam vano crudelitatis motivo non miror: passim namque video circa somnia mortales digladiari. Nihilominus ex illis unus innocentiam pueri miseratus adinvenit modum, quo Josephum servaret incolumem & contra lividorum iram non frustra conaretur. *Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam.... hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.* Projicitur in cisternam Joseph: securus abit Ruben putans reversurum se tempestivè, ut fratrem eruat exinde priusquam patiatur mali quicquã. Sed proh dolor, absente Ruben, mutant consilium fratres, & prætereuntibus Ismaëlitis vendunt extractum è cisterna germanum insontem. Et ubinam Ruben detinetur, ne prius quàm hoc accidat, eruere veniat puerum? Hora erat comedendi: *& sedentes ut comederent panem viderunt Ismaëlitas:* primogenitus solus abest? & serus postea repetit frustraneè cisternam ut propositum liberandi fratrem exequatur? *reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum*: nonne ad hoc recesserat à fratribus Ruben ut Josephum levaret è cisterna? Sic Lipomanus asseverat: *fratris ergo ereptionem*, inquit, *perficere*

Gen. 37. 21. 22.

Ibi n. 25.

Ibi n. 29.

Lipoma. ibi. in caten.

ficere volens veniebat Ruben sed tardiùs. Ad hunc enim finem sese subtraxerat illis. Quid moratur cupientem? Sortis humanæ conditio. Comedendi numerabatur hora: non ideo tamen Ismaëlitæ sarcinas deponunt, in viaque siltunt; sed iter peragunt, quia captivitatis onus Josepho deferebant ignari. Non solet infortunium segniter immorari ne accedat velociter. Eadem hora cum ad mensam fratrum adesse putares majorem natu Ruben, aberat, quia ex illo pendebat fœlicitas Josephi. Fratrem extrahere jamjam curabat ille, sed gressum ejus tardavit sors ista pueri: prius venditio peracta est, quàm Ruben adveniret. Demoratur fœlicitas; prævolat infortunium. Non tamen postea fortuna cunctabitur ne citò ruat: nullam prosperitati fidem adhibe.

7. *Temporanea licet à Deo collata ventus aufert.*

Fortè replicabis hæc tantùm vera, si loquamur de bonis, quæ contra Dei beneplacitum per nefas acquirit homo: hæc enim ab ipsa mundi largientis manu mutuantur inconstantiam. At si divina favente largitate vicissitudinum experte sors obtingat, quis contra nos, si Deus pro nobis? quid pavebimus in donis illius? Eorum naturam, quam divina liberalitas non mutat. Si à Domino petis aquam, nonne fluet? Elargitur Deus temporalia justo: sed adhuc mutabilitati subsunt, ita ut vento flante pereant: *quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula?* inquit S. Ambrosius. Divina gaudet providentia finem sibi præfixum per media consequi adversantia. *Hoc mirabile est*, ait Chrysost. *quòd non per ea quæ videntur securitatis esse, sed planè per contraria omnia pro nobis fiunt.* Ideo Deus cupiens homini securitatem à vanæ gloriæ discrimine mediante periculo præbere, munera quæ donat amicissimo cuique non tuto ab ipso possideri concedit; sed adeo inconstanter apprehendi sinit, ut ventorum viribus pateant: ne de sorte superbiant quam ventus interturbat.

S. Ambr. to. 3. l. 4. in Luc.

Chrysost. to. 3. ho. 56. in Act.

Dominum super aquarum vortices præpotenti gressu videt ambulantem Petrus: audetque se credere fluctibus, dante Domino ut pede terat quod natura non solidaverat. Aliquantum perrexerat viator insuetum per iter, cùm ne tumeret superbus, timere permissus est. *Videns vero ventum validum timuit.* Solus formidat Petrus ventorum rabiem? In eisdem undis jactabantur antea condiscipuli adverso flatu: *navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus:* ac proinde vento, qui Petrum impetivit, quatiebantur etiam cæteri non favorabiliter: & ille, ut insinuatur in sacro textu, non desiit, nisi postquam Dominus & Petrus intravere cymbam. *Et cùm ascendissent in naviculam cessavit ventus.* Nec tamen reliquos Apostolos de venti flantis vi metu consternatos fuisse lego. Unicè metuit ventum Petrus? Quidni paveret solummodò qui sorte fœliciissima proterendi miraculosè fluctus inter cæteros fuerat singularis? Alij qui hac fortuna caruere concepere animos ad Magistri vocem: nec procellam veriti sunt furentem: Petri fortunata præcellentia vento erat exposita, qui satis fuit ut ab illa caderet (*cùm cœpisset mergi*) quamvis ab Omnipotente donata. Imò citius quàm plenè possideret donum, ventus abstulit illud. Aureo stylo Chrysologus: *sic B. Petrus cùm per æquora divinos imitatur incessus, & novus viator molle iter duris gressibus calcat, ante de lapsu supplicat, quàm gaudeat de donato.* Mirum in modum temporariis annectitur bonis instabilitas, etiamsi divinæ manus peculiaria munera sint.

Matth. 14. 30.

Ibi n. 24.

Ibi n. 32.

Chrysolog. ser. 90.

Sed non ideo Petri formidinem approbo, quam increpavit Filius Dei. Quin potiùs ex eo videre licet quod minora pavemus, & in majoribus confidimus, more avium, quas moribus videtur sequi homo: *idem autem ipse sequitur aves volantes.* Duplicem promisi volucris in vanitatis dilectore similitudinem: aliam dedi jam; alteram debeo. Volat liberum per æther ales: prospicit umbram, & refugit nihil mali tegentem: arbusculum petit, nec laqueum timuit latentem in eo: sic prenditur ab aucupe. Non aliter mundialium amatores per aëreum ambitionis iter volitant: nullam non umbram paveseunt; sed quæ timenda forent non verentur. Vix ullus inter humanos affectus ad rationis regulas exequatur. Amorem linquo brevem insaniam, prætereo spem cæcutientis baculum, cæteraque passiones mentis inopiam passim testantes. Ad timorem venio, qui judicium ignorat. Ratio docet apprimè quæ sint plus horrenda vel amanda: speique normam præscribit: amorem & spem quidem ductu prudentiæ reges facilius; timorem autem neutiquam. Metuens, velut rationis expers, minora discrimina tremiscit; majora non pavet. Humanum est hoc: propterea videtur accidisse Principi Apostolorum.

8. *Minora pavemus; in majoribus confidimus.*

Revertamur ad Petrum super aquas ambulantem ut veniret ad Jesum. *Ferventissima*, inquit Theophylactus, *Petri erga Christum charitas erat: desiderabat enim statim prope illum esse, & præ aliis.* Vides quàm ad unguem dilectio Petri spesque rationis monita sectatæ fuerint? diligebat ardentissimè super omnia diligendum: sperabat gratissimam Servatoris præsentiam velociùs consequi. Putas ne timorem cohibere valuit ne rationis præcepto rebellis insisteret? Audi: *videns verò ventum validum timuit.* Quid trepidas Ecclesiæ solida basis? ventum? ex memoriâ jam excidit cùm Domini potestas, timentibus cunctis, *imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna?* Idem ipse te dedit fluctus vestigio proculcare, qui tunc gurgites, elatamque ventorum rabiem, depressit. Imò si metuendum foret, non times undam, quam mox experieris passibus instabilem; sed ventum paves? Tempestivè S. Hieronymus: *Petrus autem quod majus est superans, scili. undas maris, à minori turbatur, scili. à venti impulsu.* Hæ sunt mortalium vanæ formidines: trepidant ubi nullus est timor: ventos horrescunt; per fluctus obambulant. *Qui supra funem*, ait Chrysost. *in sublime tensum cum securitate gradientes tantam fortitudinem mentis ostendunt: cùm aliqua necessaria certè causa audaciam & fortitudinem flagitant, nihil prorsus virile*

Theophylact. in c. 14. Matth.

Matth. 14. 30.

Ibi c. 8. 26.

D. Hieron. apud caten. D. Thomæ in c. 14. Matth.

Chrysost. to. 2. hom. 21. in Matth.

non modò facere possunt, verùm etiam cogitare. Imagine larvæ terrentur, ac laqueos non curant. Sic homo vivens: sic volans avis: nam quid est aliud vivens, nisi volatile?

DELIBATIO II.

Quam dispariter se gerant erga sæculum justus & iniquus.

9. *Mundus peccatori vivit, justo moritur.*

AD alterum præcedentis hemistichij sensum deflectamus: *qui nititur mendaciis*, vanitatis cultor, *hic pascit ventos:* ideſt mundo cibum præbet. Itaque cupiditatum illecebris intentus, delictis alit sæculum. Hem! veneno hæc bellua nutritur! Ita: quo tu peris, illa vivit. Scis quòd justo mundus emortuus est. D. Augustinus apud Bedam: *carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nosque ipsi huic mundo moriamur*, &c. Hoc non ita esset si à culparum servitute non eriperemur. Unde idem Augustinus: *quando tibi crucifigeretur mundus, nisi pro te crucifigeretur per quem factus est mundus?* Ac proinde vivit mundus tibi dum criminibus innodaris. Hæsitas quomodo fieri possit ut sæculum simul vivat peccatori, moriaturque justo. Inanis vita hæc patitur affirmari: resipisce ut ille tibi moriatur, tuque vivas: nam culpas deserens omittis cibare mundum, & sic emoritur. Hoc statue: si per voluptates bona, quibus frueris vanè dissipas, mundus tibi vivit, si verò pergis tramite recto, mortuum reputa.

D. August. apud Bedam in c. 6. ad Gala. l. 2. d. Trinit.

Idem apud eundem ibi, ser. 20. d. verbis Apostо.

Siracides posteaquàm avaritiam sugillavit, bene divitiis uti docet illum qui Deum timere didicit: *fili si habes benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi, morte morietur.* Ut novissima verba trutinemus præmisi Siracidem hic alloqui justum: *monet*, inquit Jansenius, *contra quomodo qui timet Deum eis uti debeat.* Quid autem significet hoc loco mundi testamentum, pene omnes accipiunt idem valere ac statutum irrefragabilis providentiæ: unde sententia hæc exponitur sic: statutum est colentibus mundum, ut morte moriantur. Nihilominus illa verba secundum sensum literalem admittunt: quem licet cavere jusserit Jansenius; non contemnendum, nedum fugiendum judicarem cum Lirano: *testamentum enim hujus mundi: id est*, inquit, *hæreditas humana filiis à parentibus legata morte morietur, ideſt citò deficiet.* Consonat Hugo Cardin. *testamentum enim hujus mundi, ideſt hæreditas mundana, quæ testamento legatur, vel fœlicitas terrena quam mundus suis filiis pollicetur:* igitur mundus ab Ecclesiastico præfatis verbis introducitur quasi testator, qui justo mortuus, bona sua reliquit eidem. Et monetur vir timens Deum, quòd testamentum istud mundi morte rumpendum est, cùm ad alios, & sæpe ad alienos, hæreditas transmittatur. Quæro: nonne testamentum emortuo testatore manet irrevocabile? Quis dubitat? An non virtutis assectæ mundus est vita functus? *Mihi mundus crucifixus est*, dixit Paulus. Ergo qua ratione mundi mortui testamentum expirabit? *Testamentum enim hujus mundi morte morietur.* Attende quæ postmodum sequuntur ut sententiæ hujus acumen calleas. *Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in divisione sortis?* ubi vertit Syrus: *alij enim relinquis divitias tuas, & laborem tuum illis qui jaciunt sortes.* Cornelius à Lapide ibi: *quasi dicat qui lusu, & jactu aleæ consument prodigentque opes tuas. Sic enim sæpe fit ut avari opes tanto studio collectas relinquant hæredibus, qui ludendo & sympoſia per sortes celebrando, eas abliguriant.* Itaque justi defuncti possessiones tenere putabunt hæredes ejus. Sed ipsorum vanissimis oblectamentis elabentur: nam sæculum aliis ea donabit rescisso priori testamento. Et quomodo testamentum scindetur, & mutabitur, mundi, quem paulò ante dixi mortuum? Crede quod simul vivit quibusdam, & sepultus est aliis. Sæculum, persona utique ficta, vitam ac mortem simul experitur: rectis non vivit; sed improbis hæredibus. Justo quidem bona sua legaverat mundus, cùm transmittendi successoribus potestate: legatis justus potitus est: ipsi namque testator mortuus testamentum in ejus damnum revocare non valuit. At verò succedentibus hæredibus nequam, ipse mundus, qui stare nescius, testamentum illud suum scidit, & potuit, quia vivebat iniquis adhuc. Hi sæculum delictis pascunt: quid mirum viventem experiantur malo suo? Obiter, quicumque ista legis, & fortè tibi mundus crucifixus, vide ne sis ex illis de quibus S. Isidorus Hispal. ait: *multis mortuus est mundus; ipsi tamen vicissim mundo mortui non sunt.*

Eccli. 14. 11. 12.

Jansen. ibi n. 11.

Idem n. 12.

Lira ibi.

Hugo Cardi. ibidem.

Ad Galat. 6. 14.

Eccli. 14 15.

Lect. Syria.

Cornel. à Lapid. ibi.

S. Isidor. Hispal. l. 3. sent. c. 63.

Satanæ ingenium hoc est rectoris mundi tenebrarum. Vellet ut ei militantes victitarent suismet expensis miseri, quò sic probent se spontaneè illi famulari; non autem mercedis necessitate quasi coactos. Unde suadet ut sæculo cibos quibus libenter vescitur ministrent, peccata nempe libent eidem. Hoc inter pluta mundanorum deliria singulariter execrandum scili. quod non solum gratis obsequuntur spiritus hosti; sed non mediocria patiuntur animæ dispendia. Alludens ad ea quæ Deus olim per Ezechielem dixerat objurgans Hebræos, commentatur vatem S. Hieronymus. *Omnibus meretricibus*, inquit, *dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis & donabas eis ut intrarent ad te undique ad fornicandum tecum, quod quidem ad omnem animam Christianam referri potest, quæ deserto cultu Dei, vitiis se luxuriæque permisit, & sæcularem sequuta vitam, ne in ea quidem egit fœliciter, sed divitias religionis perdidit, & divitias mundi non accepit.* Quid miserabilius quàm infamem vitiorum sectari famulatum, superboque domino servire despicienti servum sic ut non dignetur ei solvere pretium duri operis: gaudet quippe dæmon si videat hominem sibi adeo libenter servitutem exhibere (licet per exiguum temporis) ut mundum pascens delictis, fame

10. *Diabolus tupit ut ostendamus nos illi sponte obsequi.*

D. Hiero. in c. 16. Ezechi. l. 5.

pressus,

gressus, nihil accipere curet à malo dominatore.

Prodigus juvenis malesano consilio ductus portionem hæreditariam exegit à parente : ac istius domum deserens abiit in regionem longè dissitam. Ibi rationis oblivisscens monita, futurumque minimè prospiciens, quæcumque acceperat à patre, dedit libidini. Redactus in egestatem se locavit civi cuidam : indeque missus est ut sordidum ageret subulcum. Cœnosum custodiebat ille

Luc. 15. 16. saginabatque gregem ventre vacuus. *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant : & nemo illi dabat.* Infœlicem adolescentem ! qui delicias paternas amisit, & nec mercenarium panem invenit apud herum. Si medullam parabolæ inspiciamus, difficilius erit invenire cur ita prodigus tractetur avarè ut necessarius ei cibus denegetur. Pro illius explicatione

D. Hiero. epistol. ad Damas. de Prodigo. to. 3. Ambr. to. 3. l. 7. in Luc. c. 15. consulamus D. Hieronymum : *adhæsit uni civium regionis illius, ideſt diabolo*, ait S. Doctor. Similiter D. Ambrosius inquit : *videtur civis iste princeps esse istius mundi.* Nunc insurgit non leve dubium. Ignorat diabolus quanta perdiderit peccator in paterna domo ? Putabam illum à dæmone miris deliciarum inventis abunde replendum, ne facti pœniteat, & ad genitorem revertatur si fames urgeat. Nonne veretur Satan quòd profugo paupertatis infimæ vexatio det intellectum ? Non hoc latet communem adversarium : sed vellet ut saltem per modicum tempus illi gratis inserviat homo, ut sic ultroneum ei testetur offerre famulatum. Hoc ipsi tyranno gratius est, quàm si quis utilitate conductus eidem adhæreat nimis diu. Et nota quòd siliquæ, porcorum alimentum, peccata designabant ex D. Tito Bo-

S. Titus Bostr. in id Evang. strensi : *peccatum autem*, inquit ille, *non injuriâ assimilatur siliquis.* Porci verò figuram mundanos seu, quod idem valet, mundum.

Theophylact. in c. 15. Luc. Theophylactus hic : *qui proficit, & in peccatis fit potens, pascit porcos : hoc est & alios docet malitiam.* Curat igitur diabolus ut homo peccatis mundum pascat (siliquis porcos) esuriens ipse ita ut expensis suis pereat : quo gehennalis inimicus jactare possit quòd non cogente lucro, sed ultroneè mancipemur ejus obsequiis. Revertamur ad

D. Hiero. epist. citata. Hieronymum qui ad verba Ezechielis, excursui toti præbuit ansam. *Id quod in Ezechiele* (scribit D. eximius) *per increpationem dicitur ad Ierusalem : & factum est in te perversum ultra mulieres, quæ ante fornicationem tuam, & post te sunt fornicatæ, in eo quòd dedisti mercedes, & mercedes tibi non sunt datæ, videmus in filio minore completum.* Imò vix est peccator in quo non id expleatur.

S. Bern. ser. ad clericos d. contemp. mundi c. 22. *Facta est valida fames* (concionabatur S. Bernardus) *in terra : & omnes jam non egere cœpimus : sed ad extremam jam venimus egestatem. Denique & comparati sumus jumentis insipientibus, & similes facti sumus illis : etiam porcorũ siliquas insatiabiliter esurimus. Qui pecuniam diligit non satiatur, qui luxuriam diligit non satiatur, qui gloriam quærit non satiatur. Denique qui mundum amat nunquam satiatur.* Hucusque Bernardus. Vide an liberè dixerim quemque nostrum prodigum sui, fameque dira pressum stultissimè, cùm pateat rursus ad genitoris mensam via regia.

Stultissime, inquâ, nam insipiens nimis est qui sæculo pastum subministrat, cùm ipsius obediat nutui : infœlicior est bruto, nam hoc alitur ab eo qui utitur illo. Non solùm ratione, sed insuper sensu destitui videtur qui obtemperans mundo nos escas accipit ab eo; sed potius ipsas tribuit illi. Duplici lego adumbratum ænigmate Nabuchodonosorem. Apud Ezechielem describitur sub emblemate aquilæ pulcherrimo, sic : *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* Ubi Cornelius à Lapid. *ideſt Nabuchodonosor rex, aquila enim avium princeps.* Nobili satis exprimitur titulo Monarcha. Sed apud Danielem, non aquila rex idem ; arbor potius est. *Arborem quam vidisti sublimem.... tu es rex, qui magnificatus es.* Si has introspiciamus Babylonici regis imagines, apparebit ille valdè sui dispar. Nunc arbori sensus experti componitur ? Nunc aquilæ, quæ solem non conniventibus oculis aspicit, assimilatur ? Sacrum adi textum, & leges apud Ezechielem : *tulit medullam cedri :* commentatur Hugo Card. *medullam cedri ideſt omnes opes Ierusalem :* Et similiter Liranus ad illa verba *tulit medullam : ideſt quidquid erat in Ierusalem pretiosum.* Itaque cùm exprimitur Nabuchodonosor mundanorum legibus obsequens, ex mundi tamen proventibus comedens, vocatur aquila, signatus decora similitudine. Apud somnium, quod explicuit Daniel, diversissimè se res habuit : nam viceversa Nabuchodonosor mundum pascebat, non sibi, sed aliis fructificans, ut arboribus mos est, vel potius natura. *Ex ea vescebatur omnis caro :* exponit à Lapide : *cibus omnium erat in ea, quia omnes mercatores, & agricolæ sub eo pacificè & lautè vivebant ; milites verò & aulici splendidè ab eo alebantur :* hic ubi refertur Nabuchodonosor pascens vẽtos, ideſt mundanos, trunco similis depingitur umbris phantasiæ, qui solùm crescere novit insensatè : sensu namque destitutus videtur is qui solius augmenti satagens, propriæ substantiæ sumptibus pascit eos quorum ingratitudine deseretur, ut solent aves ligni ramos ad primum securis ictum derelinquere. Diffugiunt, inquam, ita celeriter ut ventis quamsimiles dici possint. *Hic pascit ventos,* quamvis in mente illius, qui miseræ huic se dedidit servituti, non levis aura sint, sed viventes, ij quibus alimenta ministrat.

11. *Sensu videtur carere obediens mũdo, nec alitus ab eo, sed illum cibans.*

Ezech. 17. 3.

Corn. à Lapi. ibi.

Daniel. 4. 17. 19.

Hugo Card. in c. 17. Ezech.

Liranus ibidem.

Dan. sup. n. 9.

A Lapid. ibi.

Non ita contingit virtutis affectæ, cujus pedibus teritur mundus tanquam sepultus, vel faveat arridens, vel persequatur sæviens. *Quia enim sancti viri ita prosperitatem sæculi despicientes calcant sicut adversitatem ejus calcantes tolerant, per magnam mentis celsitudinem, mundi sibi & adversa & prospera substernentes dicunt : sicut tenebræ ejus, & lumen ejus.* Hæc D. Greg. Pa. Rem certè non parum arduam exequũntur justi cùm sæculum sub plantas mittunt ; non ideo tamen quia mundi gloriam conculcant, istumque hostem sibi mortuum experiuntur : non, inquam,

12. *Profectus putat se ferè nihil in virtute profecisse.*

D. Greg. M. l. 5. moral. c. 2. rom. 1.

inquam, idcirco audent quiescere. Consummatum renovant opus, ne si navigationem peregisse putent, incauti vanæ gloriæ flatibus jactentur, & etiam de ipsis dicat aliquis utens nostri textus verbis: *hic pascit ventos qui nititur mendaciis.* Unde S. Thomas à Villa-

S. Thom. à Villan. ser. 2. de Assump.

nova. dicebat: *nemo se satis profecisse putet, quantumcumque profecerit. Quid enim? Christus, ut Evangelista ait, proficiebat ætate, & sapientia, & gratia coram Deo & hominibus: & tu satis profecisse te jactas?* In virtute plurimùm jam provecti reputant se nihil viæ confecisse. De anima sancta loquens expressit hoc ingeniosæ faciliſque similitudinis ope Rex sapiens.

Audi quid Salomon animam justi graphicè depingens. *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum:* commentatur Beda: *facta est ergo anima sancta quasi navis institoris.* In quonam, quæso, justus & navis æquiparantur? cùm hæc fluctibus impellatur; ipse verò more turris in gurgite sæculi persistat immotus. Quid justo & rati commune? Omitto plura: unum dabimus ad rem. Qui non adhuc æquori se commiserat, cùm primùm carinam conscendens è litore solvit, quamvis multum jam spatij transnaverit, existimat se parum vel nihil viæ trajecisse. Nos equidem navigamus dum vivimus, quisque tamen solummodò semel navigationem istam exercet (nam in resurrectione resumpta vita nostra similis non erit naviganti: vel enim portum, vel profundum tenebimus:) ac pròinde justus dum tendit oculos in æquor sæculi, quamvis præ cælestium amore, flante divini Spiritus validè Favonio, jam ei terra urbesque recedant; attamen parum vel nihil navigasse credit. *Facta est ergo anima sancta quasi navis:* seipsam fallit non mendax, ne decipi contingat mendaciis. Mortuus est ipsi mundus, pedibusque protritus; nihilominus instaurat nova bella, quasi non adhuc devicerit hostem.

Prover. 31. 14.

Beda ibi lib. 3. c. 31.

13. *Virtuti quies morosa damnum.*

Scit profectò justus novam Philosophiam quæ docet omnem in hac vita quietem esse motum deorsum in virtutum exercitio: nam & alæ demissæ gravitant, & ignis, quem non sinit manus petere flammâ centrum, extinguitur. *Qui non proficit remansit in via,* inquit Augustinus. Et ne putes quòd nihil aliud est gradum sistere, quàm non ultra progredi, audi ex Bernardo quantum sequatur mali stationem istam. *Minimè,* ait, *pro certo est bonus qui melior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Infrà Flore 30. n. 39. videri possunt alia de hac re. Modò tantùm dicam: apud philosophos quædam desinunt per primum sui non esse; nonnulla verò per ultimum sui esse finiuntur. Virtuti autem peculiaris alter intereundi modus est: nempe tota perit per primum sui non augeri (phrasim teneamus philosophicam.) Multa reficiunt vires dum quiescunt; econtrariò virtutibus nociva quies.

S. Aug. to. 9. l. d. Cant. novo. c. 4.

S. Bern. epist. ad Abbates in Suess.

Paulo ante datum Salomonis locum recolamus, quem sic exponi retulimus à Beda: *facta est ergo anima sancta quasi navis institoris.* Putabam non esse dicendum justum navem institoriam; sed potius armatam referre puppim: nam si militat simul & navigat homo, quare non comparabitur navi bellicæ vir sanctus? Aptius est ænigma vectoriæ ratis ad significandam justi animam: nam bellatrix carina, licet contra præscriptum sui Principis in medio navigationis appellat portum, & immoretur ibi, nihil deperdit: æque bene sic vel sic dux munerabitur, dummodo navale prælium sibi commissum fœliciter victoriâ coronet. At nauta mercator non ita. Navigium defert ille mercibus onustum, opportunitatem nactus ut eas commodis pretiis divendat, priusquam valor earum decrescat: si moras nectit in mediâ insulâ, lucra segnis amittit: nam occasio volat, & merces vilescunt. Multo major erit jactura si ex illis mercibus eæ sint quæ brevi corrumpuntur. Istas deferens prora findere celeritate summa fluctus necesse habet, ne loco proventûs putredinem acquirat nundinator. Anima in via recta navigans cymba est quæ virtutibus referta mare sæculi tranat. His mercimoniis nihil facilius corruptionem admittit: illationem tu collige. Vide an suspicari possimus, hac mente dixisse Jobum de vita sua: *dies mei velociores fuerunt cursore: fugerunt & non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes,* &c. Per poma S. Gregorius M. accipit bona homini concessa in paradiso, inter quæ numerari virtutes non est dubitandum. *Sed hæc,* inquit, *poma quæ edere in terra renuimus, per maria jam portamus: quia concessa bona tot munerum inconcussi custodire in paradiso noluimus, & servare nunc in tentationibus conamur.* Et cur non potius auro, gemmisve, similis hoc loco dicitur virtus? Quia gemmæ sunt corruptionis expertes, necnon & aurum; poma verò putrescunt facillimè, præsertim si jam perfectè matura sunt. Haud aliter virtus, quamvis usque ad maturitatem consummata, levis auræ putredine vitiatur. Ut ergo navis poma vectans non solet in itinere morari, ne corruptis fructibus via maneat infructuosa: sic navigationi virtutum insistens brevi quietis acediosæ intervallo plurima damna reportat. Et si sperat inani fiducia nixus, quòd hujusmodi jacturam citò facile resarciet, metuo ne cuncti bene judicantes incipiant illudere illi dicentes: iste, *qui nititur mendaciis hic pascit ventos.*

Job 9. 25. 26.

D. Greg. M. ibi.

DELIBATIO III.

Spei, famæque mendacia.

14. *Multitudo mendaciorum.*

MOdo primùm vocem *mendacium* habuimus obviam: & jam plurali numero *mendacia* legimus! Nè demireris: imò si curiosius perscrutari Biblia sacra libuerit, non nisi semel invenies de veritate sermonem fieri sub multitudinis numero: cùm econtra de mendaciis pluries occurrat facta mentio pluraliter. Veritas singularis est; multiplex falsitas. Alij Eliam, alij Joannem; alij verò Jeremiam Christum dominum dicebant.

cebant. Audis quanta circumferrentur commenta ? Unica ſed veritas : *tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Quando*, ait Imperfectus, *aliqua rerum conturbatio fit, tunc abundant mendacia* : hinc ego colligo : ergo ſemper abundant, quia nunquam confuſum quieſcit mundi chaos.

Matth. 16. 14.

Imperfect. hom. 49. in Matth.

David inter ſæculi tenebras reperit veritates quidem : ſed imminutas à filiis hominum queſtus eſt : *diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* Poſt decurſa tot ſæcula nihil mirum quòd vix appareat una tot mendacium linguis erepta : nam *omnis homo mendax.* Unde Hugo Card. inquit : *iſtæ autem veritates ſunt diminutæ, aut penitus defecerunt modò propter abundantiam contrariæ falſitatis.* Imminutis itaque veritatibus increvere mendacia ſic, ut unico verbo triplicem falſitatẽ detexerit paræmia Salomonis quam nunc enucleamus. Tot fallaciis capitur quiſque mortalium, quòd ſub una voce triplicis laquei ſolutio proponatur, quaſi non ſufficerent monentis verba, ſi juxta mendaciorum numerum ſingulatim dividerentur. Cornel. à Lapide evanidas hominum ſpes hoc verbo caſtigari voluit. Auguſtinus opinionis humanæ cupidos ait ibi perſtringi: *porrò ſi maledictus qui ſpem ſuam poſuit in homine, quanto magis, qui ſpem ſuam ponit in falſitate opinionis humanæ ? ut in illud aliud incidat, quod ſcriptum eſt : qui fidit in falſis, hic paſcit ventos.* Expendamus hanc duplicem fictionem : tertiam delib. ſequenti proponam.

Pſal. 11. n. 2.

Pſal. 115. 11.

Hugo Card. in Pſ. 11.

D. Aug. l. 3. contra Creſcon. c. 9. n. 7.

15. *Spei mendacium eſt amore alieni exponere propriæ diſcrimini.*

Spes amplioris fortunæ conſequendæ mendacium vocatur. Et quàm nimis fœlicibus familiare ! Quidquid ſors obtulit minimè ſitim reſtinguit hydropicam : non enim illi quot antecellant ; ſed à quibus præcedantur, annumerant. Hanc præ cæteris eligo tot inter ſpes illudendam, quoniam cæteræ dum explentur deſinunt ; hæc verò poſſidentem ſperata bona comitatur : fallit expectantem ulteriora repromittens, & habita periculis exponit. Cùm per nefas creſcere cupis alienis inhians, tua periclitantur : *qui alieno utitur ſuum negligit* ; ait Ambroſius ; Bona itaque ſua diſcrimini objicit qui aliena cupit.

S. Amb. l. 2. d. offic. c. 16. tom. 4.

Poſtquam Rebeccæ conſilio ductus Jacob paternam benedictionem præripuit, mortem ei comminatam ab Eſaü noſcens genitrix, dum fugæ præſidium dilectiori filio meditatur, aiebat : *cur utroque orbabor filio in uno die ?* Prudens pertimuit mater quòd fortè Jacobo cæſo profugus abiret Eſaü : *vel uno cæſo alter profugus erit*, ait jam datus aliorſum Cornelius à Lapid. Sed inquiramus cur illa judicat fratrem natu majorem, ſi Jacobi cædem poſt Iſaaci obitum exequatur, in fugam agendum, & paternæ domus tegmina relicturum ? Acutè judicium tulit hoc Rebecca. Eſaü fratris minoris primogenituram, ejus occiſione, adipiſci expectabat : unde aliena concupiſcens certò certiùs exponebat jacturæ ſua. Primogenita cupiebat jam aliena : quidni periculum faceret materni tecti, patriæ, ac cæterorum quæ jure ſua vocare poſſet. O ſpem fallaciſſimam : aliena polliceris anhelanti, ut propria perdere cogatur. Ludum vulgò dicimus orbis viciſſitudines aptiſſima ſanè metaphora : luſor enim quæ alter poſſidet lucrari deſiderans, propria jactui exponat neceſſe eſt. Sic ſpe detentus cupiditatibus æſtuat infœlix, & ut aſſequatur quæ ſervat fœlicior alter, more ludentis, aleæ tradit poſſeſſa. Vide Flor. 23. n. 8.

Gen. 27. 45.

Cornà Lap. ibi.

16. *Indignus ambit plauſus, dignus perſæpe non curat.*

Alterum denudemus figmentum, circa quod mens humana frequenter hallucinatur. Fœminam ecce vides alatam, tubâ canentem, verſicolori veſte, duplici facie, coronam ſimulque gladium præ manibus geſtantem. Ne te decipias : fama eſt, non fœmina. Mentitur muta : quomodo vera proferet ſi loquatur ? Miſerè citò ſe credunt illi dum ipſos dilaudat corde leves. Stolidiores hi quàm auro incubantes : nam iſti plura cupiunt habere ; illi verò ſi pluris habeantur exultant : priores rebus gaudent ; poſteriores verba theſaurizant inania. Diviti commodavit ſors larga manu caducos mundi proventus; famam autem captanti nihil prorſus obtulit : nam claudi neceſſe fuit manum illam, cujus digito monſtratur famoſus. Sæculi voce falli cùm de ſemetipſo plurima teſtatur, infirmitati viſus tribuendum eſt ; at verò decipi mendaciis, quæ de me fama profert, mentis veſaniæ tribuendum. Non excuſabitur deceptio hæc per hoc quod inexpertum fefellerit mundus : nam intra te ſunt iſta ; non eges monitis experientiæ quibus te noſcas : hâc experientia cares quando ſomnias quòd in tui laudem fama diſperſit. Reſpondebis, forſan, me properè nimis famam quæ de te percrebuit, falſitatis arguiſſe. Veram cuncti reputant, inquis, idcirco gaudium mihi parit, & in illa placens diffundi per ora ſtudeo. Hæc ipſa (crede) publicæ laudis inſana cupiditas te meritis inopem oſtendit : præconia judicavi fallacia, quia ſic à te dilectam vidi : non enim, utplurimum, vera ſtudiosè credi ſolent. De famigerationis venatoribus majori ex parte dici poteſt : *venantur famam ſæculi, & omni tempore ſunt infames:* verba ſunt Chryſologi. Rationem à Chryſoſtomo poſtula : *non enim eſt*, inquit, *devotæ mentis in Dei rebus aliquid operari ut gloriam humanæ laudis expectet.* Illud certum exiſtima : quòd nulla dignus laude celebritatem nominis ambit illemet qui cùm pro viribus laudanda patravit, plauſum nullatenus concupivit.

Chryſol. in epiſt.

Chryſoſ. hom. 8. ex variis in Matth. to. 2.

Dupllici victoria populus Iſraël adverſus Philiſthæos regni Saülis dedicavit auſpicia. Sic regnorum alternantur fata, quòd unius funera ſunt alterius cunæ. Saül tenellus adhuc rex menſe nondum expleto, ſubditorum lachrymis admonitus, oppreſſos à ſuperbis Ammonitis levaturus in arma furit, convocat militem, proſternit hoſtem. Non ſollicitè quæſivit victoriæ laudes. Accidit poſtea Saülem tria millia pugnatorum ex univerſo Iſraële delegiſſe, quorum pars regem ſequebatur ; cæteri cum Principe Jonatha manebant. Hic interea percuſſit Allophylorum caſtra : *& percuſſit Jonathas ſtationem Philiſthinorum, quæ erat in Gabaa.* Tunc Saül fœlicem hujus prælij ſortem arrogat ſibi publico præconio : nec Jonatham

1. Reg. 13.

in partem triumphi proclamatione fecit admitti. *Saül cecinit buccina in omni terra, dicens: audiant Hebræi. Et universus Israël audivit hujuscemodi famam: percussit Saül stationem Philistinorum.* Sub illo, *audiant Hebræi*, subticetur quid jussum sit proclamari ut audirent; hoc tamen expressit Hugo Card. ibi. go Cardinalis dicens: *audiant hoc, scili. quòd Saül percussit stationem Philisthiim.* Saül pugnante Jonatha non aderat: ipse namque cum reliquo exercitus, qui Bethel Ibi n.2. occupabat & Machmas, demorabatur: *& erant cum Saül duo millia in Machmas, & in monte Bethel*, &c. Stationem Philistinorum percussit Jonathas; victoriæ plausum Saül surripuit? *Illud mendacissimum*, ait Joan. Eusеb. 6.strom.c.5. Joannes Eusebius, *percussisse Saülem Philisthæos... nihilominus gloriam sibi arrogat quam alius meruit: scili. tanta patientia, obedientia, modestia, Jonathæ abusus est*, &c. & Abulens.ibi. quæst 4. priùs dixerat Abulensis: *volebat Saül sibi gloriam.* Sed, quæso, si gloriæ cupidus inanis erat: cur non primùm similiter tuba ce- 1.Reg.11. 11. cinit cùm Ammonitas ipse debellavit? *Constituit Saül populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon*, &c. Suam personari tubâ noluit palmam? illam verò, quæ Jonathæ debebatur, præripuit? Non mirum quòd tunc præconia cupiverit, cùm nihil prorsus egisse comperimus. Ammonitarum bello victor non ambitioso apparatu efferri se curavit; at ex altero prælio, quo nec pedem ipse moverat, famæ desideravit elogia. Familiare meritorum inopiâ laborantibus est quod operæ subtraxere, vocibus redintegrare. Multo plùs admirandum quàm leviter aures pateant auræ mendaci nullis dignum plausibus ad astra vehenti: *audivit universus Israël hujuscemodi famam: percussit Saül, &c.* Jonathæ laudes si fortè prolatæ sunt, nullum audivisse legimus. Benemeritus fulget quacumque pergit: non mireris quòd umbram (nihil aliud est mundialis fama) suis ipse splendoribus dispergat. Qui verò meritorum lucem extinxit, umbratiles plausus indefesso pede sequitur, circumrotatur miser: suam quærit umbram. Hæc sæpe fugit quærentem, pluries tamen effertur indignus inani famositate: quia subtracta luce (deficiente scili. gestorum veritate) facillimum est umbras invenire.

17. *Fama vel auget vel minuit verum.* Esto, inquis, indignorum famigeratio commentitia sit, benemeriti famam quomodo mendacium dicere valebis? Fateor multos pro meritis vulgò celebres; nullum tamen dabis, quem ad pondus hominum judicia extollant. Cæcorum non est Solem à stella, tenebras à luce discernere. Visu destituti remittunt auribus oculorum negotium: ac proinde vel dignorum excellentiam adaugent, vel imminuunt.

Illustrem Baptistæ sanctitatem per deserta Judææ floreścentem conspexerant & audierant Hebræi. Victus & vestitus austeritas, doctrinæ, morumque, puritas, aliquid in Præcursore non commune latere nuntiabant. Putas ne suasit spectatoribus, audientibusque, cunctis fulgor virtutis illius hunc esse lucernam ardentem? amicum Sponsi? Eliamve munere? Nequaquam. Solem, Sponsum, & Messiam opinati sunt plurimi: Luc.3.15. *existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus*: ubi ait Incertus sub nomine Emisseni: *stultissimus populus qui nunc Joannem Christum; nunc Christum Joannem esse putabat.* Liranum adde: *opinabantur ipsum Christum.* Hem! quantum plùs æquo Præcursoris excrevit opinio! Quem esse Verbum dicent, qui sic extulere vocem? quantum laudabunt ducem elevantes militem supra metas? Aliquid ne Deo majus effingent? Imò potiùs plusquàm avara manu laudem Christo debitam depressere: *alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut unum ex prophetis.* Neutrobique recto in verum collimant: *stultissimus populus qui nunc Joannem Christum; nunc Christum Joannem esse putabat.* In Baptista plus quàm naturæ conditio patitur suspicantur; in Dei Filio lucem ignorant quâ præcellit. Vel demit, vel adjicit veritati fama, utrâque viâ mendax. *O mundum* (exclamat Valentinus Præsul) *mendaciis & adulationibus plenissimum. Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo: quidquid hodie vulgus loquitur fraus & adulatio est. Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: id hac schola exercitati sunt: in hac edocti: ut discerent fallere, mentiri, adulari, exaltare parva, &c.*

Incert. sub nomine Eusebij Emyss. hom. d. SS. Petr. & Paulo. Lira in 3. Luc. Matth.16. 14. S. Thom. a Villan. ser. 3. advent.

18. *Fama fallax famigerato nociva.* His reluctans adhuc insurgis dicens: etsi, prout vis rumor popularis à veritate quandoque deficiat, non est cur mendacium istud adeo graviter ferendum execreris. Fallaciam nulli nocivam fateberis illam: non audienti, cùm exinde fortiùs accendatur ut factis gloriosis animum intendat: nec etiam laudato benemerito prudentia prædito, qui non adulationis inflatur aëre, si probè seipsum noscere didicit. Ergo cui nocet? Eidem quem ad sydera tollit: quia ut ait Augustinus: *falsa laus adulatoris, & simulata dilectio mentes à rigore veritatis emollit.* Tum etiam quia plausus acuit invidiæ tela: quamvis non desit invido in ipso alieno encomio totmentum: D. Bernardus: *nec verò aliis livor invidus quàm aliena gloria & fœlicitate torquetur*, &c. Unde nimiùm celebris patet adversario nimiùm pertimescendo, utpotè quem dolor in rabiem agit præcipitem. Crederem potiori jure cavendum ne, quia laudibus eveheris, pereas odio, quàm ne de te memori mente vindicta sumatur ab hoste.

S. Aug. to. 8. in Psal. 59. D. Bern. ser. 5. de verbis Isai.

David gladio Goliæ, quem Achimelec obtulerat accinctus transfugit ad Achis Gethæorum regem. Aulici dicebant Philistino principi: nonne huic cantabant per *choros dicentes percussit Saül mille, & David decem millia?* Attentiùs expende quæ sequuntur: *posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis.* Pavorem concipit strenuus bellator ex vocibus quibus apud Gethæos effertur? Si timendum est, æquius foret ut gladius Goliæ (cujus mira magnitudo se prodebat, simulque Davidem gigantis occisorem) metum injiceret ipsi: non enim libenter viderent

1.Reg.21. 11.12.

rent Philisthæi ensem quo victoria parta est ipsis dedecorosa nimis. Spolium illud confidenter secum defert, quin vereatur se mortis retroactæ monumento comitatum credere Gethæis, fortè vindicaturis cladem sui militis à Davide necati? Econtra mulierum cantiones, elogia fortitudinis, corde servat pavido? Sapientissimè potius timuit de nomine celebrari, quàm de gladio dignosci. Vindictam sanguinis in duello fusi suadebat Allophylis gladius; invidiam verò falsa laus provocabat: nec enim David prostraverat decem millia: invideri formidavit robustissimus: *ne invidia motus aliquid mali machinaretur*, ait Interlinearis. Meritò ad mendacis laudis trepidavit sonum qui securus apud hostem pignore gloriæ ipsorum damno partæ (ense nempe gigantæo) cingebatur. Inficiaberis jam nocivum benemerito mendacium esse mentitum & honorabile vulgi murmur? Hoc avidè quæris, ac tibi cùm pluribus sentiendum deliberans, quæ pluribus placet, levis arridet aura. Monentem Ethnicum audi: *vitate quæcumque vulgo placent*. Tam multos vidimus passim ridiculis necnon pernicioſis mendaciis exultare, ut inter ea famam, cujus obtentu maximè gaudent numerare proclive sit.

Glo. Interli. ibi.

Sen. epist. 8.

DELIBATIO IV.

Adulantis mendacia.

19. *Adulatoribus obsessus in solitudine moratur.*

RElíquum supereſt ut ad Hugonis Cardinalis placitum, istius gnomæ verbum illud, *mendaciis*, versemus iterum. Adulationem ibi subintellexit eruditissimus purpuratus: *qui nititur mendaciis*, ait, *vanæ laudis, vel detractionis aliorum, vel adulationis propriæ, hic pascit ventos ideſt dæmones: qui dicuntur venti propter velocitatem & superbiam vel vanos homines*. Quid mirum si adulatio ab Augustino definitur: *adulatio est fallaci laude seductio*. Nollem adulationis artes hic recensere, quibus utitur palpo, dum linguæ præacuto gladio blandè necat. Unum (& ne putes unicum) adulatoriæ astutiæ detegam figmentum. Suspice Principum aulas peritissimis blanditiarum artificibus refertas. Ut eos falsitatis fabros intelligas, non verba illorum examinare opus est: non citharisantium audire melos expectes: nam his nullam fidibus habendam fidem nemo ignorat. Etiam ipso quem præstant majestati comitatu mentiuntur. Et quî possunt ore clauso fallere? Seipsis: amicos namque jugi præsentia referunt, cùm sit hæc hostium obsidio prolixa. Fortunatum, si tempora fuerint nubila, deferendum audisti sæpius: crede quòd etiam dum fuerat fœlix turba circumseptus utique solus erat. Assentatores quantumvis multiplicentur, non ideo minus in solitudine manet qui prosperovat: neminem quippe comitantur umbræ, quia nihil sunt: & quid est adulator nisi umbra? *Hi* (loquitur Epictetus adversus adulatores) *verò ea quæ potentibus placent spectant, corporumque umbras imitantes, omnibus illorum dictis assentiuntur*. Hoc modo punitur superbus, cui obsequuntur, per id quo peccare solet: solum se cupit, solus manet, in singularitatis pœnam. Ad illud Psalmi: *erraverunt in solitudine*, dixit S. Bernardus: *solitudo hæc superborum est: quia solos se esse reputant: solos appetunt reputari*. Solitudinis amator puniatur desolatione in ipsa clientum frequentia. Animo, non corpore, rationalium societas compaginatur. Istorum, quos potentum vestibulis, lateribusque, cernis assidentes, corda longissimè dissident. Dominari student potentiori, qui miser applaudentes reputat servos eosdem. Aspicis quantùm distent animis? Igitur inficiari nequibis adulatorum turbis obsessum in solitudine morari.

Hugo Card. hic.

D. Aug. in Ps. 59. to. 8.

Epictet. in Enchiri.

S. Ber. ser. 1. d. diversis.

Job non impatientiâ percitus, lamentis acerbum lenire cupiens dolorem, postquam infaustam suæ conceptionis noctem, diemque miserandæ nativitatis maledixit, addidit quòd si vitam absolvisset in utero materno, vel paulo post egressum, requie fueretur. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem cùm regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines*. Duo præmittenda sunt priusquam locum examinemus: primum juxta Pinedam solitudines pro Regum palatiis hic sumi: *primò enim*, ait, *solitudines esse possunt palatia amplissima, & arces magnificentissimæ, quas implere non posset regalis aliqua, eademque numerosissima familia*. Similem interpretationem tenuit Titelman. ibi: *essemque in hac re par regibus & magistratibus, sive imperatoribus mundi hujus, qui sibi dum in mundo viverent ædificabant magnifica palatia miræ amplitudinis, ut quasi solitudines quædam & desertæ esse videantur*. Suppono secundum, scili. Jobum se regem meminisse præcedentibus verbis: *cùm rex, inquit, fuerim*, exponit ibidem Pineda. Quibus præmissis, videbitur excessu cruciatuum Jobo è memoria excidisse quòd non solitudinem, sed turbam comitem habuerit olim: *cùm sederem quasi rex circumstante exercitu* dixit idem: quibus verbis, non obstante particula, *quasi*, quæ scrupulum Caietano movit, verè se regem fuisse Job narravit, ut evincit exactissimus commentator idem: & insuper evolventi dicta Jobi sæpius occurrent multa quibus manifestissimè conficitur, non desertæ, sed terram habitabilem coluisse. Qua de causa nunc de cæteris purpura sceptroque claris affirmat solitudines ædificare, volens graphicè depingere superbas regum domos? Non sibi contrarium judices Jobum. Hoc fœlicitas olim celavit: hoc adversitas docuit magistra severa satis. Circumstante velut exercitu sedebat vallatus: eos quasi socios numerabat qui verè solus erat. Regum aulas appellat solitudines & meritò: nam adulatoria turba deserit animo quem oculis perlustrat, facieque circumstat frequenter. Ergo non modò verbis fallunt: necnon præsentia mentiuntur. Heu quot mendaciis obnubilatur veritas! quantique fiunt commenta quæ natura docuit execrari! Teritur erroribus vita, proh dolor. *O quando ille dies veniet, quo nemo in honorem tuum mentiatur?*

Job 3. 13. 14.

Pined. ibi vers. 14. n. 3.

Titelman. ibi.

Pined. sup. n. 1.

Idem c. 1. vers. 1. n. 16.

Sen. epist. 20.

priæ

20. *Potens comitatus indignis, quibus nomina fecit, solus est.*

Audiant hoc ij quibus incumbit Reipublicæ dignitatibus dignos providere, ne propriæ vanitatis ductu eos eligant, quorum insidiosè mendaces assentationes obvelatas nomine specioso gratitudinis captant sæpe his, quæ vocanda sunt beneficia sæva, scili. quibus inutiles evehunt in commune damnum. Falluntur si per hoc venari putant animos lateri suo adhærentes in posterum. Illi solummodo approximantur electori recto, quos merita condecorant. Hoc pacto dicebat apud Cassiodorum rex Athalaricus: *electio nostra de meritis venit, & tantò quis regali animo proximatur, quantò bonis studiis societate conjungitur:* quasi longè sit ab æquo principe quisquis non meritorũ splendore nobilitatur. Laterum dolori D.Bernardus scribens ad Eugenium Papam assimilat malorum comitatum, serpentique vicino. *Veniamus*, ait, *ad collaterales, & coadjutores tuos. Hi seduli tibi: hi intimi sunt. Quam ob rem si boni sunt, tibi potissimum sunt: si mali æquè plus tibi. Ne te dixeris sanum dolentem latera.... Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis: non magis quàm sanitas vicino serpente.* Omittam attamen principem probum stipatum iniquis: nam in comperto est istos ei non plus exhibere sodalitij, quàm tenebræ luci. Venio ad indignos, sed non iniquos. Et isti dum adstant ei, qui nomine carentibus nomina fecit, & cujus obtemperant nutui, solum relinquunt eum, quin abscedant.

Cassiod. l. 9. epis. 22.

S. Bern. l. 4. d. consideratione.

Quæstio versatur apud sacros interpretes an fuerint bruta intra paradisum. Contra Damascenum, D. Thomam, & Abulensem, affirmat Augustinus, quem sequitur D. Basilius, dicens: *in paradiso omnia erant avicularum genera, quæ pulchritudine colorum, & naturali musica, ac dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem.., Erant illic variorum etiam animalium spectacula; sed erant omnia mansueta, obedientia homini*, &c. Nihilominus Deus antequam produceret Hevam dixit hominem societate destitutum: *non est bonum hominem esse solum.* An non brutis associatus erat Adamus? Princeps erat ille qui brutis nomen donavit: *appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia & universa volatilia*, eique obsequentissimè parebant. At princeps rationalis & innocens, brutis comitatus, equidem solus erat: *non est bonum hominem esse solum.* Hic posset repetere D.Thomas quæ protulit inter scholasticas doctrinas: *dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ & animalia.* Cernimus regium latus quandoque circumdatum iis qui nomine carerent nisi rex dedisset, quique illi cæca obedientia (utinam sic Deo paruissent) obsequuntur. An putas majestatem istam non derelictam quæ tales advocavit comites?

D. Aug. to. 5. l. 14. d. civit. Dei c. 11.

D. Basil. hom. de paradi.

Gen. 2. 18.

Ibi n. 20.

D. Tho. 1. p. q. 31. art. 3. ad 1.

21. *Idem de illo qui dignos eligit humanis rationibus ductus.*

Venio ad eos, qui cùm nec improbi sint, nec indigni; tamen humanis motivis, non verò Dei jussu; electi sunt ad publica munera. Nec isti comitatum exhibent electori: quia non spiritu divino replentur, ac proinde sunt quasi non essent, licet functionibus suis minimè desint. Tota mente hallucinor nisi Moyses verbo testatur hoc verum. Historiam reminiscamur altiùs. Postquam pugnante Josuë vicit Israël Amalecitas in Raphidim accessit Jethro socer Moysis ad illum in desertum ubi post reportatam palmam quiescebat: Moyses enarravit cognato quæ acciderant Israëli: lætatusque Jethro prorupit in Dei laudes. Altera die vidit Moysem à mane usque ad vesperam oppressum populi mole negotiorum: & increpavit eum quòd laborem ultra vires aggrederetur: consuluitque providere viros timore Dei plenos, quibus regimen populi traderet ex parte sibi quædam reservans, ut ita leviùs haberet. Acquievit Moyses. *Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui judicabant plebem omni tempore*, &c. Transeamus nunc ad tempus quo Israël cælestem cibum pertæsus carnium desiderio flagravit usque ad lachrymas. Intolerabile visum est duci mitissimo murmur ingratum populi: Dominoque post multa dixit: *non possum solus sustinere omnem hunc populum.* En se vocat solum. Moysis dictum probavisse videtur Deus: nam dedit ei tunc socios, qui subirent cùm illo Israëlitici regiminis onus: *congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël.... auferam de spiritu tuo tradamque eis ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.* Ecce Dominus Moysen solitarium affirmat: cùm tamen ut ex illo Exodi loco patet, multos haberet populus judices qui Moysis laboris participes erant. Septuaginta illi, de quibus Deus agit, postea solitudinem abstulerunt? priores verò quos Jethro consuluit, minimè? Sic reor: quia priores humano motivo delecti fuere, scili. consilio cognati: & insuper, ut ex Deuteronomio constat, horum electionem commisit populo Moyses quasi obediens voluntati plebis, de qua non temerariè præsumi potest obtulisse multos nixam rationibus propriæ, vel electorum utilitatis. *Date ex vobis viros*, &c. exponit Glossa: *date vos, non ego, quasi: nolo vobis imperare, sed obedire.* Et statim addit: *nota*; *Subditis electionem tribuit, positionem sibi retinuit ne plebs contemnat, aut oderit: si non licuit habere quem voluit.* Vides electio ista qualis fuerit, ubi obedit qui præcipere debuerat, forteque libitum corrupit suffragia populi. Esto quòd nullum nominaverint non dignum; credibile tamen est plures fuisse designatos ex motivis humanis. Ergo sic electi, quamvis onus populi simul cùm Moyse portarent, licet illum non deseruerint, solum tamen reliquerant: *non possum solus sustinere.... & non tu solus graveris.* At verò septuaginta senium electio Deo dirigente facta est à solo Moyse, non commodo eligendorum similive fine ducente, quod satis ostenditur per infusionem spiritus eis factam. *Cúmque requievisset in eis spiritus prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Hi verè Moysi sodales adjuncti sunt, quos monitu Dei præfecit ille populo. Si præpotens magistratuum elector ab hac est alienus veritate, seque putat validè stipatum iis quos per nefas evexit, *nititur mendaciis: hic pascit ventos.*

Exod. 18. 25. 26.

Numer. 11. 14. 16. 17.

Deuteron. 1. 13.

Gloss. ordin. ibi.

Numer. 11. 25.

Sed heu: quàm facilè patent mendaciis munda

22.

Vnuſquiſque indignũ quẽ extollit non renuet adorari.

mundanorum principum aures rationalibus monitis clauſæ firmiter! Patent, inquam, ut magnatum (ſeu cordis magnetum potius) obſequio ſuggerente ambitioſo, hauriant ſupplices libellos pro capiendis præfecturis, quos non æquitas; ſed amor proprius candidatorum dictare ſolet. Gaudent Deum rectiſſimè operantem imitari non rectè: judico parùm abeſſe ne ſe creatores appellent: nam ſæpe judico fœlices, quos ad honores propria ſuſtulit indefeſſaque ſollicitudo, vocari hujus, vel illius Principis creaturas. Iſte de nihilo quaſi vocavit ad eſſe illos, quos infœlicibus præpoſuit ſubditis, ita deluſus mente ut reputet digniſſimos eò ipſo quòd à ſe deſtinati ſunt ad officia Reipublicæ gerenda. *Vnius diei* (queritur Nazianzenus de ſubjecta materia loquens) *ſanctos facimus, ac ſapientes eſſe jubemus eos qui nulla præditi ſunt ſapientia.* O quàm validus eſt amor electionis propriæ! Tunc facile homini non diſplicebit aliena fortuna, cùm ad eam ipſe contulerit opem, ſic ut fœlicitatem alterius reputet opus ſuum. Unuſquiſque non renuet à cunctis adorari quod illemet idolum eſt molitus.

S. Greg. Nazianz. orat. funeb. d. laud. Baſil.

Cùm Hebræi abſente Moyſe divinos idolo cultus exhibere decreviſſent, ſtultum olim putabam quòd rem ad Aaronem detulerint poſtulantes ut deos ipſis effingeret: *fac nobis deos.* Non verentur ſummi ſacerdotis conſpectum adire ſupplicationem adeo impiam interponentes? An ipſe artifex erat? idolum, quod cupiunt, fabrefaciant ipſi, & iniquum deſiderium ne proponant Aaroni. Voluere (crediderim) Aaronis voluntatem flectere ut ſtaret pro ipſis, & ſi Moyſes tandem ſuperveniret, mitiùs ageret cum eis propter fratrem complicem. Et quo medio putas Aaronem ad conſentiendum eis protraxiſſe? Curaverunt ut ipſius juſſu, dilectioneque formaretur idolum, quaſi dicentes: ad hoc ut Aaroni placeat quòd idolum colamus, oportet ipſius opus eſſe; non verò à nobis artefactum: etenim quiſque gaudet adorationibus coli, quam ipſe fabricari juſſit, ſtatuam. Et ex parte non eos mens iniqua fefellit: nam licet Pontifici diſplicuerit impietas populi (Aaron quippe fidem non perdidit hoc loco, ut ibi docet à Lapide) tamen altare protinus extruxit quin rogaretur. *Quòd cum vidiſſet Aaron ædificavit altare coram eo, &c.* Notavit Caietanus: *Aaron primatum nolens perdere ædificavit altare coram vitulo non expectans rogari: ſed ſtatim ut vidit vitulum, primus ædificavit illi altare ad ſacrificandum ei.* Cæca licet inſania populi, fuit in hac re oculatiſſima: ſi plebis opus foret vitulus, non adeo facile conſentiret Aaron ut ſacris celebraretur honoribus; opus verò proprium quis eſt qui non adorari gaudeat? Vitulus quoſdam deſignat iniquos teſte Iſidoro Hiſpalenſi: *occurrat*, inquit, *ergo jam intentis mentibus quia diaboli corpus ſignificabatur in vitulo: ideſt homines in omnibus gentibus, quibus ad hæc ſacrilegia caput, hoc eſt author, eſt ipſe diabolus.* Indigniſſimi ſunt ut à populo colantur multoties Præfecti: ſemel tamen atque Princeps eos in idola conflavit, neſcio

Exod. 32. 1.

Ibi. n. 5.

Caiet. ibi.

S. Iſido. Hiſpal. in Exod. c. 37.

qua voluptate illuditur ut in illorum honoribus complaceat. Hinc eſt quòd à magnatibus oblatas excipit ſupplicationes fraudibus plenas, vel ſaltem deſtituras merito, pro illorum evectione, quos ut ventos inani pabulo cultus indebiti paſcit qui hujuſmodi *nititur mendaciis*, pro negotio quod ſummo veritatis rigore pertractandum fuerat.

Aliqua tamen, licet non bonâ, excuſatione Principum culpam in audiendo honorandoque aſſentatore, *qui nititur mendaciis*, alleviari fateor ex eo quòd iſti ſic ſe regis amicos mentiuntur egregiè, ut veram imitentur amicitiam. Et quid non coget putatus amicus,

23. *Coram Principe videntur adulatores præcedere merito.*

Nomen amicitiæ barbara corda movet. Verùm decepti valdè plures in hac re deſipiunt. *Adulatorem ab amico differre puta. Ambobus enim ſæpius accidit ut eodem modo agant, eodem modo cùm amicis vivant, cùm tamen alter ab altero, vel ex uſu, vel ex fine, vel ex animi propoſito ſit diſcernendus.* Hæc Maximus Tyrius. Imò non ſemel contingit ut amicum præcellat adulator in præſtando ſigna dilectionis. Unde Stoicus ait: *adulatio quamſimilis eſt amicitiæ, non imitatur tantùm illam, ſed vincit, & præcedit.* Veritati præeunt figmenta: ſæpe namque meliores depingit fructus ars, quàm natura. Sic aulici dexteritate ſumma conſuevere; in eo nixi quòd principes celſitudo majeſtatis longè ponit, ne facile diſcernant inter verum & pictum: proindeque audent adulationum præſtigiis conari præcellere coram eis veraceem aliorum dilectionem. Non ita ſe geret amans, quòd non ultra præcurriſſe videatur adulans.

Ovid. 3. d. Pont. 1.

Maxi. Tyrius.

Sen. in epiſt. 45.

Primogenitus Davidis Amnon æger amore, ſed aliam diſſimulans ægritudinem (cùm ſine fictione ulla delicto ſuo ægrotaret verè) ad ſe venire Thamarem ſororem, quem deperibat, curavit inſidioſè, nam incautam fœdavit Stupro. Ejulans illa prodit rem: novit hoc Abſalom frater ejus, & manſit injuria mente repoſta memori, tandemque in vindictam exarſit flamma. Abſalomus arripiens occaſionis crines invitavit fratres ad epulum: inter quos aderat Amnom inſcius quòd ei nex pararetur ad menſam. Hortatu præceptoque Abſalonis occiditur inceſtuoſus: at fama (tam ficti pravique tenax quàm nuntia veri) ſimul cùm vera occiſione Amnonis, cunctos regis filios interfectos fuiſſe nuntiavit Hebræo Monarchæ: ſed ei citò diſſuaſum eſt quod fama commenta fuerat, & ſolùm Amnonem ab ultore Abſalom necatum comprobavit reliquorum adventus. Accedunt & lachrymis teſtantur dolorem tam fratres demortui, quàm ſervi regis. Quinam copioſiùs lamentati ſint ex textu collige. *Cùmque ceſſaſſet loqui apparuerunt & filij regis: & intrantes levaverunt vocem ſuam & fleverunt: ſed & rex & omnes ſervi ejus fleverunt ploratu magno nimis.* Fratrum lachrymas uberiùs plorantes excedunt aulici? an ipſi plus Amnonem diligebant? Stupri ne dolor imminuit luctum in fratribus de inceſtuoſi cæde? Quid hæſitas, cauſaſque perquiris? Fletus in vita functi fratribus ex corde profluere juſſit fraternus

Virg. l. 4. Æne.

2. Reg. 13. 36.

amor ; servorum autem lachrymas extorsit adulatio : nam isti non ad primum & funestius mortis nuntium lachrymam vel unicam emisere ; sed cum regem, principesque videre plorantes (ut moris est assentatoribus exprimere potentum affectus in semetipsis) lachrymati sunt. Antecelluit flens amorem adulatio : ploratu quidem fratres rigaverunt ora ; sed multo plus aulici blandientes mæstis principibus luxerunt. *Servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.* O egregios pictores : sed ô stolidas aves (potentes nempe, quorum quilibet *sequitur aves volantes*) quæ non minus veros, quàm picturatos fructus amant: miseram, inquam, humanam potentiam illius qui his & similibus confisus *nititur mendaciis.*

24. *Corã principe confidenter accedit adulatio, non amor.*

Miseranda potius est quàm admiranda cæcitas, qua principum in hac re mentes hallucinantur ita ut apud eos plus valeat assentatio quàm affectus. *Eliminat*, inquit Chrysologus, *à palatiis adulatio veritatẽ, illi soli in magistratuum gratiam admittuntur qui palpant blanditiis, & aures fame bibulas calice Babylonis inebriant. Bene cùm magistratibus ageretur, si scirent inter adulationem & laudem distinguere.* Promiscuè, nulloque habito delectu libenter excipiunt adulationis figmenta, & amoris preces. Unde fit ut adulator accedat confidenter ad principem, & obtineat ; amans verò meticulosè vix loqui audeat.

Chrysol. in quadã epis.

Nosti vulgò celebrem historiam Assueri, cui tempore quo sponsam habebat Esthe-rem persuasit summus administer Aman congruere regni quieti quòd Hebræorum populus per ejus provincias dispersus periret, ne qui singularibus utebatur legibus pacem Reipublicæ turbaret. Vix fatur iniquus, & mox assequitur quod cupit. Accepto annulo, decretoque regio literas expedire cœpit fatales Aman in excidium Jacobeæ prolis. Pependit in civitate Susan edictum ferale, rege ac impio administro epulantibus, Hebræisque sortem suam deflentibus. Audiit hæc Mardochæus Estheris patruus adhuc ignotus, curavitque nuntiari reginæ, suadens ut pro populo insonti regem interpellet, imminentemque cunctis avertat gladium. Cunctatur illa, difficultatemque accedendi ad regem quin vocaretur objecit Mardochæo : cui urgenti reposuit ea trium dierum jejunium præmittendum. Dierum expectat spatia regina, cùm jam lachrymis oculi madent miserrimè plebis ? *Cunctis Judæis, qui in urbe erant flentibus.* Illuxit lux tertia tandem : & regalibus infulis ornata regem adit Esther, à quo excipitur clementer. Et putabam non ultra dilaturam negotium tantæ molis : lego solummodo postulasse ut rex & Aman veniret ad convivium suum. Existimares illam expectare convivij, blanditiarumque, hilaritatem, ut eadem die rogaret pro liberatione gentis Hebrææ : non ita factum ; sed cùm inter dapes ille siscitaretur sponsam quid à se flagitaret, ipsa respondit : *petitio mea, & preces meæ sunt istæ : si inveni in conspectu regis gratiam, & si regi placet, ut det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem : veniat rex, & Aman ad convivium quod paravi eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.* Lugent Hebræi ; regina verò, quæ ipsorum est unicum auxilium, epulatur, & procrastinat supplicationem offerre sponso ? Aman nullas trahit moras ut iniquum ab Assuero decretum petat ? Esther autem ut revocationem consequatur impietatis, prosequi tardat incepta ? Vide. Aman adulatione confisus accessit ; Esther affectu nixa : ille dixit ad regem : *& optimè nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam.* Commentatur Lira : *hoc dixit adulando regi ut magis inclinaret ad credendum sibi.* Esther amore nitebatur, quo utpote Sponsa diligebat Assuerum. Celeritate confidenti, petitionem suam adulationis colore speciosam offert Aman, quin formidet repulsam ; preces autem Estheris per dies aliquot moratur amor sciens in aulis regum se minus obtinere quàm assentatorum blandimenta. Hæc est palatij, potentumque cæcitas voluntaria, quæ fit ut veritas exulet inde timens principem, *qui nititur mendaciis*, & affectum quem gerit erga falsidicos : nam *hic pascit ventos*, excitat enim furorem exurgentem adversus veraces more procellæ.

Esth. 3. 15.

Ibi c. 5. 7. 8.

Ibi c. 3. 8.

Lira ibi.

DELIBATIO V.

Quàm imbecillis dæmon sit hostis adversus obsistentes.

25. *Infernus propria non habet arma ?*

EX D. Augustino ventorum symbolo dæmones accipe hoc loco : ait enim : *qui fidit in falsis, hic pascit ventos, idest fit esca spiritibus malignis.* En ille qui sedem erigere decrevit Altissimo parem, quia ventum superbiæ hausit, sic vires amisit ut vento similis manserit. Vide quàm debiles oppugnet hostes justus forti validus animo, cælitusque monitus. Ventos nequaquam tremiscere decet eum qui lapidem super angularem posuit fundamenta. Vigilandum non inficior ; diffidendum non reor. Inferni civitas quantumvis igne multo plena, illum nequit adversum nos evomere. Quinimò caret armis ut homines vulnerentur : hoc nisi foret ita, non sumeret à nobismetipsis tela quæ jacit, nec diceret Protopatriarcha Venetus : *arma quidem diaboli mundi sunt reges, & iniqui homines :* nec ibidem antea scripsisset S. Doctor : *sunt quippe opes arma diaboli :* nec apud S. Augustinum legeres : *duo sunt genera armorum diaboli valdè fortia... Voluptas, & timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit.* Bellico apparatu perhibetur carere dux, qui à devictis expectat armorum spolia sumere ut eis utatur in pugna. Cùm itaque gehennalis exercitus arma desumat ut belligeretur, ab hominibus qui dant ei manus : inde conjicio infernum prorsus inermem ut nos feriat.

D. Aug. l. 3. contra Crescen. c. 9. to. 7.

S. Laur. Just. l. d. casto connub. c. 19. & 16.

D. Aug. d. Symbo. ad Cathacu. to. 9. l. 2. cap. 1. fine.

Divinitatem Redemptoris publico testimonio colens Petrus à Domino fuit affectus insigni præmio ; promisit namque illum statuere novæ molitionis fundamentum. Et ne timor augeret onus, protectionem contra zabulum pollicitus est in hæc verba :

super

Matth. 16. 18. Maldonatus ibi. Dyoni. Carthus. in 16. Matth. art. 29. Lira ibi.

super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ubi Maldonatus: *per portas inferi omnem diaboli potentiam significare dubium non est.* Necnon Dyoni. Carthus. ibidem: *hoc est ea quæ ducunt ad pœnas inferni, videlicet tentationes diaboli*, &c. cui adde Liram: *portæ inferi, ideſt persecutiones tyrannorum, & insultus, & tentationes spirituum malignorum.* Cùm Ecclesiam totis viribus impugnaturum fore dæmonem Christus Dominus præsciret, putabam dicturum: & horribilis armorum gehennæ crepitantium fragor, horrendumque vibrantes frameæ non valebunt Ecclesiam expugnare meam. Nihil horum adjicit: de solis portis agit, quasi eis utatur infernus pro armis? Sed ubinam ignita jacula? venenatæque sagittæ? dimicatur ne portis, an gladiis? A nobis accipere infernus expectat arma quibus irruat in nosmetipsos: ille namque nisi demus auxilia, penitus inermis est ut vulneret.

26. *Vires alimus diaboli ut nos oppugnet.* Orig. to. 1. hom. 3. in l. Judi.

Ast (proh dolor) non arma tantùm suggerimus: vires etiam alimus diaboli (*fit esca spiritibus malignis:*) parum enim sine viribus arma prodessent. *Valdè infirmus*, ait Orig. *est adversarius noster, nisi nos eum fortem peccando faceremus.* An non imbellem dicam eum qui vincere nequit nisi volentes? tu noli, & non poterit vulnerare, nedum occidere. Peccator dæmonis confortat robur ut prælietur, nutritque animos ne victus cadat.

Gen. 3. 14. Theodoret. apud Cate. Lipoma. in 3. Gen. S. Greg. M. in 4. Pſ. pœni. tom. 2.

Peccavit Protoplastus, & mulierem causam dixit inobedientiæ: illaque se delusam asseruit à serpente. Porfertur sententia, & sua etiam infligitur diabolo pœna juxta Theodoretum ad illa verba Dei! *terram comedes:* quòd ille sic exponit: *propriè quidem Deus maledictionem diabolo qui & serpens dicitur inflixit.* Et quænam terra manducatur à dæmone? Mali, ex D. Greg. Pap. *unde serpenti à Domino dictum est: terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Antiquus enim hostis terram comedit quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit. Isque hominum perditionem desiderans quodammodo reficitur dum pravis eorum operationibus delectatur obvium cuique dubium.* Si dæmon hoc desiderio exardescit, scili. pecatores devorandi: quodnam pœnæ genus inflictum est illi per hoc quòd terram, ideſt terrenos manducet? Non mediocris ei pœna decreta est in hoc: nam præpotens creatura, scili. angelus malus, damnata est ad imbecillitatem virium adeo miseram, ut sicut animal eget cibis quibus vires alat, sic ille peccatoribus, quos edit, indigeat, quorum manducatione confortetur. Tartareo alimenta præbemus hosti, ne fame cadat in prælio: peccator enim *fit esca spiritibus malignis.* Et qua ratione præstamus ei victum? Non solent aliter cibi tradere se famelico, nisi non resistendo: nos igitur diabolo donamus ipsos in pastum dum non obsistimus eidem, qui per nostras omissiones pugnacior factus arma ignemque canit.

27. *Adversus justum ventus inanior*

Si resisteremus fortiter Satanæ, ventus esset inanis totus illorum furor: aliter quisque nostrûm *pascit ventos, ideſt fit esca spiritibus malignis.* Imò vento minus est diabolica rabies illis qui eorum conatibus reluctantur: Aquilo namque ratem furiosè quatit, sed non illam fugit; diabolus autem solet capessere fugam si reperit constantiam in resistendo. *Dicunt aliqui* (ait Aug.) *diabolus nobis adversatur. Prorsus huic objectioni illa verba respondemus, quæ B. Jacobus dicit: resistite diabolo & fugiet à vobis.* Adjice Grego. Pa. *nam dum per gratiam suam electis mentibus superna desideria infundit, quia etiam terrena omnia facit contemnere, eos etiam qui ea eis appetere suggerunt, nequam spiritus in fugam vertit. Velut enim tonitruo territi fugiunt, dum in electis mentibus quas tentando pulsaverant, ingentem sonitum divinæ virtutis expavescunt.* Totum igitur dæmonis robur vento levius existimari potest ut justis obsistat. Jam non dicam ejus potentiam flatui similem; sed imbecilliorem.

est virtus dæmonis. D. Aug. to. 7. l. d. nat. & gratia c. 58. D. Greg. M. in 1. Reg. 7. l. 3. c. 5. to. 2.

Jussu patris ad Rages Tobias iter faciebat junior, angelo comite: cúmque diluturus pedes accederet ad Tigridis undas apprehendit piscem, cujus cor angeli monitu reservavit, & ab eodem postea didicit cordis illius particulæ positæ super prunas fumum adversus dæmonia prævalere: *cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, &c.* Quæstio vertitur inter commentatores an fumus ille virtutem naturalem haberet pro spiritibus malignis expellendis. Affirmant non ignobiles authores, pro quibus stat Pererius in Gen. cùm aliis quos citant Celada & Moura. Juxta quam sententiam, admirationis occasio non levis est quòd angelos malos, quibus virtute naturali datum est movere corpora gravissima (ut de angelis ex communi duce D. Thom. communiter docent Theologi) fumus pellat è loco. Nonne fumum ventus dispergit? diabolus eundem non dissipabit? Non valet quia vento minores habet ille vires, nisi tradat se homo tam iniquo domino. Ista per fumum expulsio dæmonis in libro Tobiæ relata facillimè flectitur ad spiritualem victoriam ductu Bedæ. *Et Dominus* (ait ille) *accepturus Ecclesiam de gentibus, in primo dispositionis ejus initio jubet eam in singulis credentibus abrenunciare Satanæ, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: ac deinde confiteri fidem sanctæ Trinitatis in remissionem peccatorum, quòd est intima piscis viscera vivis cremare carbonibus. Quibus actis angelus apprehendens dæmonem ligavit. Quia post abrenunciationem diaboli, sequitur remissio peccatorum expulso dæmonio per aquam baptismi.* Igitur diabolum pulsum fumo ne prætereas, ut fragilitas adversarij non te lateat. Nec mihi respondeas non omnibus datum comitem Raphaëlem: de quo textus ait religavisse dæmonium: nam de quocumque justo dixit S. Antonius Olysippo. *Vir justus ligat draconem serpentem antiquum, qui est diabolus.*

Tob. 6. 8. Pererii. in Gen. c. 24. n. 46. Celad. in c. 6. Tob. Moura de incantat. sect. 1. c. 2. D. Thom. 1. P. q. 110. art. 3. Beda in Tob. c. 8. S. Anton. Olysipp. ser. Dom. 21. post Trinit.

28. *Quã sit pavenda tentatio cooperta virtutis involucro.*

Illud attamen fatebor maximè pavendum: quòd, sicut se diabolus in lucis angelum transformat: sic tentatio ejus in splendorem virtutis crebro se transfigurat. Gladium qui non timet dux, & hostium cuneos audet

penetrare ſecurus, cuniculum pulvere tormentario dolosè refertum ſollicitus cavet. Manifeſto marte vincit ſtrenuitas, cùm inſidiis bellatur, ſuperat aſtutia robur. Sic in bello quod adverſus communem gerimus hoſtem aſſerere poſſumus ex Auguſtino: *hoſtis noſter tunc leo fuit cùm apertè ſæviebat, modò draco eſt cùm occultè inſidiatur.* Et infrà: *magis metuendus eſt cùm fallit, quàm cùm ſævit.* Pavendum itaque potiùs ad efficacem virtutis meridianam lucem, quàm ad nocturna vitiorum phantaſmata. D.Aug.to.8. in Pſal.38.

Pſaltes regius per integrum Pſalmum exponit quàm validè tutus, & imperterritus conſiſtat is cui ſub ſpeciali Dei protectione manere datum eſt. Inter alia dixit: *non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die à negotio perambulante in tenebris ab incurſu & dæmonio meridiano.* Adverte quatuor hîc tentationum genera: primum vocatur timor: ſecundum ſagitta: tertium negotium: quartum verò dæmonium appellatur. Pſal.90.56.

Non hoc latuit Bernardum. *Hæc ſunt quatuor tentationes, quibus undique circundati, neceſſe habemus circundari etiam ſcuto Domini.* Has omnes à diabolo immitti affirmare video ibi Titelmanum. *Quomodo autem,* inquit, *omnibus his tentationum mille modis diabolus artifex utatur ad deceptionem humani generis, hominibus ſpiritualibus non eſt incognitum:* ex quatuor illis tentationibus ultima ſola præfert nomen dæmonij ſatis horribile: nam hebraicè dæmon dicitur, *Schedh,* ideſt vaſtator: unde hanc præ cæteris terribilem vates inculcare videtur. Sed quare? Quia ſub ſpecie virtutis, ceu ignitum jaculum in meridie, fugit mentis oculos. Cùm obſidione premitur urbs, ignes arte bellica miſſos per aëra nocturno tempore nemo valde pavet: quia cùm per offuſas tenebras clariſſimè cernantur, nullum apprehendunt incautum, evadendi locus eſt; maximè verò timendum ſi per meridiei fulgorem jaciantur, quia tunc flamma vix percipitur ad ſupremos Phœbi radios. Diaboli ſuggeſtiones ignea tela ſunt, ut colligitur ex illo Pauli ad Epheſios: *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Cùm tenebras offerens culpæ nullo colore veſtitas expugnare conatur Satan, velut nocte præliatur: ejus flammea miſſilia vix aliud ſunt quàm timor noſter: *non timebis à timore nocturno.* Si verò coloratam commodo proprio, vel ſimiliter, tentationem proponat, jam res majoris ponderis agitur: non timor, ſed ſagitta dicatur; adhuc tamen non adeo terribilis eſt. Maximè autem cùm adverſarius ſub ſpecie fulgidiſſima virtutis excellentis nobis peccatum ſuadet, velut ſi projiceret in meridie ardentia jacula: hic dæmon, hoc majus diſcrimen eſt. In ultimo loco repoſuit Pſalmographus tentationem hanc, utpote horribiliorem: eamque dæmonij nomine inſignivit inter cæteras quarum ibi meminit. Patrocinetur cogitationi Bernardus iterum ſermone ſequenti. *Quid autem,* inquit, *adverſus alios faciat quos videt omni modo diligere juſtitiam, & odiſſe iniquitatem? Quid niſi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis ſub ſpecie boni non mediocris, ſed perfecti perſuadere conatur: ut citò conſentiat qui magnopere diligit bonum, & facilè qui currit incurrat. Hoc eſt igitur dæmonium non modo diurnum, ſed meridianum.* Id potiſſimum in tentationibus diabolicis pavendum eſt, ſcilicet non timeri: nam ſi caveas & reſiſtas, ventus eſt Satanæ furor: fugit ille ocyor Auſtro, tibique prodeſt qui nocere decreverat. Titelm. in Pſal. 90. Epheſ.6.16. D.Bern.ſup. ſer.6.

Inſurgit adverſus te furens procella: hinc, & inde tentationum turbo perſonat. Animum deſpondes? Quid pronus ante pugnam jaces? Vincendum, non moriendum tibi eſt: ne pavens arma deponas: ventorum rabies te concutit. Inter alias dæmoniacæ ſuggeſtionis cum vento compoſitæ ſimilitudines, hæc eſt non omittenda, ſcili. quòd *arbores,* inquit Lipſius, *ventis agitatæ altius radices agunt:* ſic juſti qui cœlum versùs egere radices, impulſi tentationum flabris, in cœptis fœliciter ſolidantur fortiter: *etenim inimicus iſte dum perſequitur, dum occidit, propoſito magis illorum proficit ut citiùs ad patriam perveniant peregrini.* Cuique ſuam quaſi vim antiperiſticam, ut contrariis inſiſtat, natura dedit: ſic puteales aquas æſtivo tempore frigidiores experimur, ut adverſus expugnantem calorem ſe tutari valeant. Non minùs quàm natura protegit ſua caſtra virtus: inimicorum ſæpiùs provocata copiis ita creſcit, ut potius exiſtimes profectum ſuum tentationi quàm gratiæ debuiſſe. 29. *Videtur virtutem plus de tentatione quàm ex gratiâ creſcere.* Lipſius cōſt. l.2. c.8. Rup.l.2. in Exod.c.37.

Ne magnitudine donorum cæleſtium Paulo contingeret altum ſapere, ſtimulus remedium fuit æquè proficuum ac moleſtum. Ait ille ſe ter Dominum rogaſſe abſcederet ille tortor, & hujuſmodi reſponſum audiviſſe: *Sufficit tibi gratia mea:* indeque hoc animi propoſitum elicuit: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti.* De tentationis infirmitate potiſſimùm loqui gentium Apoſtolum contextus ipſe probat, virtutiſque nomine fortitudinem appellari cælitùs immiſſam. Cornelius à Lap. ibi: *hæc in infirmitate perficitur: quia quò major infirmitas, ideſt carnis tentatio, eò major à Chriſto fortitudo contra eam ſuggeritur. Unde ſequitur: ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Non illud expendo, quòd Paulus in tentatione, quâ tam diu colaphizatur, complaceat: nam de virtute qualibet verum eſt illud poëtæ 2.Corint. 12.9. A Lap.ibi.

Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtũ. Lucan.9.de bello civi.

Hoc tantùm librare juvat, ſcili. quo ſtylo ex eo Dei docentis oraculo: *ſufficit tibi gratia mea,* deduxit Paulus conſequentiam iſtam: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Dicendum videbatur: gloriabor quia mecum adeſt Chriſti virtus ut victoriam conſequar; non ſic ille, ſed gloriari ſe ſcribit ut inhabitet in eo virtus, hoc eſt fortitudo Chriſti donantis. Quo ingenio? Moraliſſimo. Si gentium Doctor in hæc verba fœlicitari ſuæ plauderet: gloriabor quia inhabitat in me fortitudo, hanc totam in Dei ſuccurrentis auxilio conſtitueret: at cùm ſe gloriari tentationibus protulit ut fortitudine polleret, innuit (ſi dicere licet hyperbolicè)

bolicè) per ipſam tentationem fore corroborandam ejus conſtantiam, ac ſe fortitudinem qua Satanæ retunderet ictus potiùs ab ipſa tentatione ſumpturum, quàm à Dei gratia : nam auxilia muniunt; ſtimuli exercent : & citra dubium plus valet miles exercitio bellico, quàm lacerti robore, vel ſcuti chalybe. *Non dixit ſuſtineo, ſed placeo mihi* (notavit ibi Theodoretus) *hoc eſt gaudeo, delector, lato & tranquillo animo ſuſtineo ea quæ accidunt. Quæ enim videtur imbecillitas, ea mihi veram potentiam conciliat.* Paulus ergo præliis exultabat præſcius reportaturum ex illis fortitudinem. Juſtus equidem arbor eſt : *& erit tanquam lignum quod plantatum eſt.* Unde importunis tentationis flatibus concuſſus, velut annoſa quercus, profundiùs radices figit. O fœlicem cui periculi fœnus eſt ſecuritas.

Theodore. in 2. ad Cor. c. 12. 9.

Pſal. 1. 3.

DELIBATIO VI.

Sollicitudo nimia circa temporalia præpedit hominem ne Deum quærat.

30. *Quandiu tẽporalia quæſieris, in virtute ad januam ſtabis.*

HUgo Cardinalis exponens eam ſententiam, quam perſequimur adhuc, ait : *qui autem nititur mendaciis, ideſt qui confidit in temporalibus.* De hoc igitur inquit Salomon : *idem autem ipſe ſequitur aves volantes.* Dum aucupis emblema lentiori examine volverem dubius hæſi quid potiùs haberet cum ſæculi deſideriis, volucrum, quàm ferarum venator. Hoc in utroque diſcrimen occurrit, quo fit ut accommodatiùs aucupi ſimiletur anhelans vanitatem. Aucupio ſectatus aves equidem ſuſtollit oculos ; non tamen in cœlo, ſed in volatili defigit obtutum. Haud aliter mundanorum amator, quantumvis nonnunquam in cæleſtia ſurgat animo, pendulus hæret oculis itinere medio, corque tranſeuntibus per aëra commodat; non æternis ſuper æthera manſuris. *Anima niſi prius didicerit terrena contemnere, cæleſtia mirari non poterit, & econtra donec terrena miratur, neceſſariò cæleſtia ſpernit ac deſpicit.* Ita Chryſoſtomus, & experientia. Quid prodeſt vicinum quotidie virtuti fieri, ſi domum illius ingredi non curas ? Qui mundi lucris (veriùs dicam luteis) detentus eſt, appropinquabit fortè virtutum domicilio ; ſed quandiu non ſpreverit illa, ſiſtetur ad januam, intrabit nuſquam.

Hugo Card. ibi.

Chryſoſt. to. 5. l. 2. de cõpunct. cordis.

Claudus ille quem ante lucem præpedivit natura citò docens nihil aliud homini eſſe degere quàm vinculis tradi, ad oſtium templi quotidiano labore bajulatus exponebatur : *quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum.* Mirum eſt hunc nec ſemel rogaviſſe bajulantem ut illum introduceret in templum, ubi Deum pro ſalute, vitæque ſubſidiis interpellaret. Scribit Lucas eundem mox atque ſolidatis greſſibus Petro jubente convaluit, introiſſe templum Deo grates perſolventem : *& exiliens ſtetit, & ambulabat : & intravit cum illis in templum ambulans & exiliens & laudans Deum.* O novum pene miraculum ! hominem ſcili. potiùs gratitudine duce, quàm ſpe monente, Deo præſtantem obſequia ! Expectationibus alatos videmus, & gratitudinis tempore claudos ; hic autem econversò ſpei ſalutis dum tempus aderat, januam templi nequaquam prætergreſſus eſt ut Altiſſimum rogaret ; ubi verò ultra ſpem accepit ſanitatis munus, templum ingreditur exiliens, & laudans omnium bonorum fontem ? Hæc diſcriminis cauſa (ſi placet.) Dum plantis uti non licuit argentum pro ſtipe ſollicitus expetebat : idcirco non altari, ſed januæ ſiſti curabat, ne cùm templum adiiſſet, minus oculis pateret, ac ſic aliquibus eleemoſynis fruſtraretur. At jam ſanus factus credidit Evangelicæ veritati miraculo doctus : *oportebat*, inquit Chryſoſtomus, *igitur credere nomen Chriſti remittere peccata.* Apoſtoliſque ſe dedit comitem, quod ipſe textus innuit, dum in concilium cum Apoſtolis ingreſſum retulit : *hominem quoque videntes ſtantem cum eis qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Juſſerunt autem eos foras extra concilium ſecedere.* Non diſſentit Chryſoſtomus proximè. *Cum autem*, ait, *teneret Petrum ac Joannem, acceſſit omnis populus ad veſtibulum quod vocatur Salomonis, & obſtupeſcebat, à benevolentia quæ in illos, & amicitia qua ab illis non ſeparabatur :* cúmque teſtante D. Luca, multitudinis credentium ſinguli communiter viverent (*nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat*) fames illa, qua pecunias ad portã Specioſam claudus flagitabat, extincta ſimul cùm paralyſi manſit. Antea, cùm accipienda peteret ad januam quotidie, templum petere neglexit auxilio bajulantis : poſtea meliora ſapiens, cùm jam non dona quæreret, Deum ſedulus inquiſivit. Beda in iſto claudo virtutis initia & progreſſum agnovit. *Ordo perfectionis egregius*, inquit, *primùm illum ſurgere qui jacuerat, deinde arripere virtutem, & ſic regni januam cum Apoſtolis intrare.* Applica dictum, ne duplici domino morem gerere velis. Si fugientia deſpexeris, tandem reſipiſcens cor cæleſtibus plenè committes ; at verò ſi volaturientia ſecteris, etſi millies oculos mentis intendas ad aſtra, non cœlum animo quæris, nam ſequeris alites volantes : aërem ſollicitas ; non ultra.

Act. 32.

Ibi n. 2.

Chryſoſt. ho. 8. in Act. tom. 3.

Act. 4. 14. & 15.

Chryſoſt. ſuà. Præ.

Act. 4. 32.

Beda in Act. c. 3.

Et ne glorientur illi, qui duram cogũtur pauperiem pati, ſolummodo vitium opulentorum hoc eſſe, incerta ſcili. perennibus præponere, timeant inopes ab egeſtate quandoque non minora pericula circa ſubjectam materiam. Multoties inops etiam *ſequitur aves volantes*, & cæleſtia oculorum tenus facie ſuſpicit ſicut auceps. *Sicut enim divitiæ*, ait S. Ambroſius, *negligentiam pariunt ſalutis, ita egeſtas dum ſaturari quærit, à juſtitia declinat.* Communis ergo cunctis hic morbus eſt : nempe cæleſtia præterire, caduca ſectando. Ducitur hæc ſocordia eo quòd putet homo ſibi datum eligere diem quo reſipiſcat, proindeque minimè periclitari procraſtinantem. Remedij tempora finit prætergredi comminiſcens in ipſo diſcrimine ſecuritatem fiduciam in præſumptionem

31. *Vellemus Deũ tunc recipere, cùm placuèris nobis.*

S. Ambr. in 1. ad Theſſ. 5. tom. 3.

degeneri transitione commutans. De his piè pariterque verè Justinianus. *Hac seductoria cogitatione ô quàm innumeri quotidie decipiuntur differentes de die in diem converti ad Dominum, arbitrantes ad libitum pœnitentiæ posse captare remedia. Qua de causa indulta tempora ad emendationem prorogant, pulsantique ad cordis ostium Domino aperire dissimulant:* quasi dicant: Deum tunc volumus amplecti, cùm placuerit: nostrum erit arbitrari an hoc vel illo tempore. Similes puto Samaritanis homines hujusmodi. D. Lucæ textum adi.

S. Laur. Just. l. de contempt. mundi. c. 15.

Non multò priùs quàm libertatem nostram sanguine Redemptor emeret, iter faciens, & Samariam pertransiturus præmisit nuntios adventus sui. Omnium Domino denegaverunt hospitium Samaritani: *& non receperunt eum.* Transeamus ad locum alium, quin egrediamur Samariam. Post celebrem Samaritidis conversionem, noverunt ab illa contribules ejus quòd cum ipsa locutus fuisset homo de cordis occultis, & fortassis quia dubitaverunt an esset Messias ex dicto mulieris quærentis: *nunquid ipse est Christus?* mansionem in civitate sua oblaturi exierunt ad illum. *Cùm venissent ergo ad illum Samaritani rogaverunt eum ut ibi maneret.* Non bene conveniunt sibimetipsis homines in re virtutis. Ad tot signorum famam non verentur hospitium in urbe negare Domino inurbani? & ad mulierculæ tam levis conditionis, ut gravia ejus crimina ostendebant, deliberant recipere Salvatorem? Obvia profectò disparitas est. Cùm nuntij missi sunt ad illos, Filius Dei quærebat eos; cùm verò Samaritis conversa nuntiavit quem ignorabat, illi quæsiere ipsum; & familiare hominibus est velle spiritualem utilitatem recipere cùm placuerit sibi: nam libitum proprium imminuit illum quem fingunt laborem in præcepto. Ideo protelat miser peccator negotium salutis, quòd quia æternum est ideo moras non patitur: & quamvis interdum tollat in cœlum oculos, non attendit ad cœlestia: nam tantummodo *sequitur aves volantes.*

Luc. 9. 53.

Joan. 4. 29. 40.

32. *Peccator non statim resipiscens pœnitebit in die novissimo serò.*

Sap. 5. 3.

D. Aug. to. 8. in Ps. 94.

Jure timeri potest ne sepultus in crimine tunc surgat è tumulo cùm resurrectio non erit ad animæ vitam; sed ad mortem secundam: cùm frustra geminabunt suspiria *pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* D. Aug. pietate severa dixit: *tempus misericordiæ nunc est, tempus judicij tunc erit. Pœnitebit & tunc, sed frustra pœnitebit.* Qui non statim peccator surgit, vereor quòd resipiscet in die novissimo; non antea.

Suscitaturus Lazarum Christus Dominus advenit diu post funus. Infirma tunc fide; sed eximiè confidens Martha dixit ad illum, fratris obitum ex absentia Domini ortum habuisse. Magister prudentissimus, ut se discipulæ captui accommodaret, ambiguum dedit responsum: *resurget frater tuus:* unde Martha de resurrectione universali verba hæc intellexit. *Hoc ambiguum fuit*, ait Augustinus, *non enim ait, modò resuscito fratrem tuum: sed resurget frater tuus. Dicit ei Martha: scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. De illa resurrectione secura sum, de hac incerta sum.* Scitu difficile video quomodo hæ scientiæ sororis Lazari componendæ sint. Antequam nihil Salvator polliceretur asseruit se nosse Dominum valere fratris à Deo vitam impetrare? *Scio quia quodcumque popoposceris à Deo dabit tibi Deus:* & audiens promissum fraternæ resurrectionis, illud exponit de suscitatione diei novissimæ? Litteram aperi, mysterium reperies. Notissimum est peccatoris umbram in Lazaro designari. *Lazarus namque*, inquit Valentinus Antistes, *quatriduanus fœtidus & sepultus, peccatoris typum gerit, non cujusque, sed obstinati.* Si mysticè verba Marthæ pendamus, disertissimè locutam credendum erit: quasi diceret: peccator qui non continuò resurgit, vereor quòd resipiscet in die judicij: timeo, inquam, quòd non nisi tunc reviviscere curabit cùm desideria frustranea, infructuosamque pœnitentiam ingeminabit ad luctum, non ad medelam.

Joan. 11. 21.

S. Thom. à Villan. ser. fer. 6. post 4. Dom. Quadrag.

S. Aug. tract. 49. in Joan. tom. 9.

Dices: ante diem novissimum omnis fide Christi signatus pœnitebit saltem in mortis vespere: quis enim erit adeo mentis insanæ, ut nec tunc oculos ad Deum convertat? Ne te seducat inanis fiducia: volvet utique oculos tunc miser; sed inveniet parietem qui medius inter ipsum, Deumque, se se opponet, ne transeat oratio, ne resonent gemitus, ne cadant lachrymæ in conspectu Dei: & fortè non unicus erit paries. Audi Bernardum. *Nonne si ita exieris, millies ante à rugientibus præparatis ad escam poteris devorari, quàm pervenire ad Sponsum, non uno siquidem jam, sed tanta à te parietum numerositate intercluſum? Primus concupiscentia. Secundus consensus. Tertius actus. Quartus consuetudo. Quintus contemptus.* Hæc in ultimo vitæ periodo non facile superantur: tunc temporis difficilia cuncta: nec valebis ore cor aperire, nec auribus percipere monita. Unde S. Basilius quærit ab hujusmodi segne: *quid expectas beneficio febris pœnitere, quando nec salutaria verba loqui, nec item audire commodè poteris morbo caput occupante? non manus in cœlum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commodè doceri, non securè ac liberè confiteri, non cum Deo convenire, non cum adversario decertare*, &c. Et cùm ex omni parte moribundus impediatur, non nimis audeo si probare velim parietem inter Deum, & ipsum protendi.

33. *Parietem inter se ac Deū reperiet qui reservaverit ad mortem oculos in Deū levare.*

S. Ber. ser. 56. in Cant.

S. Basil. to. 1. hom. 13. ex variis.

Superbè deliquit rex Ezechias hostium victor ingratum se Deo exhibens: ideoque punitus est ægritudine, *quia*, refert S. Hieronymus, *de victoria dignas Deo grates non retulit, sed in superbia evanuit.* Legatur ad regem fatidicus Isaias, mortemque annuntiat ei. Hæc ille audiens vertit in perietem vultum suum, & oravit Numinis clementiam. *Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum.* Hic erat paries templi, ut notavit D. Antonius Olyssip. *convertit*, inquit, *faciem suam ad parietem, scili. templi: quia ad templum ire non poterat ægritudine gravatus:* & similiter D. Hieronymus proximè: *templi scili. juxta quod Salomon extruxit palatium.* Conversio faciei

D. Hier. l. 11. in Isai. c. 39. tom. 5.

Isai. 38. 2.

D. Ant. Olyssip. fer. Dom. 3. Advent.

fuis

fuit signum quòd oculos in Deum levaret, eò quòd in templo Deus peculiariter adesset ac quæreretur. Qua de causa rex non potius in tectum palatij volvit oculos, ut in cœlum, quo Deus peculiarissimè residet, intelligamus lumina sustulisse? Permissum est faciem tunc in templum vertere, ut inter Deum, ac se, parietem reperiret ille qui ad morbi tempus eam distulit pœnitudinem. Si dum bene valebat respuisset, accederet ad templum, ubi nullo intermedio pariete Dominum alloqueretur: sed quia cunctatus est, licet pœnituerit, attamen impedimenta, quæ secum morbus adducit, expertus est, dum *convertit Ezechias faciem suam ad parietem & oravit.* Quando libero cœlo tendens lumina peccaor *sequitur aves volantes*, hoc est temporanea venatur, de cælestium acquisitione minimè curat, quia sibi reposita præsumit, ut quærat cùm libuerit. Experientia docebit ultima quem priores non satis convincunt.

34. *Indignus est responso qui solum tunc Deo se committit cùm pavet anxius.* D. Laur. Just. l. de humi. c. 3.

Una est via brevior, sed arcta nimis, quà sæpe illi qui possent Deum quærere via regia, tendunt ad illum per iter angustum. Hoc est afflictio. *Dat vexatio sola intellectum, præbet infirmitas sensum, oculos aperit illata adversitas, quos obtectos ignorantiæ caligine terrena prosperitas possidebat.* Hæc S. Laurentius Just. Qui posset affectu filiali Genitorem exorare supremum, eligit potiùs rogare metu coactus more servi. Esto quòd metus valdè sit rationabilis: quænam erit ratio cur non nisi cùm times Deo te committis? Ne querelas igitur emittas cùm responsum ab ipso tibi denegatur: non quippe majori benignitate dignus est is qui Deum tunc solum invocat cùm anxiatur.

Benedictionem quam Esaü præstolabatur, præripuit Jacob: nec tamen antea, nec postea, legimus Deum adjutorem consilij sui quæsivisse. Posthàc Mesopotamiam petens accingitur similiter itineri, quin Deum invocet. Visione perterrefactus Deo tunc se totum sacravit: hoc enim valent illa verba Gen. 28. 19. 20. textus: *vovit etiam votum dicens: si fuerit Deus mecum*, &c. juxta Lipomanum. *Possumus*, ait, *etiam dicere quòd votum hìc largo modo accipiatur: videlicet quòd se totum Deo donavit, commisit, dicavit*; non tamen narrat Moyses Deum quidquam ad hujusmodi verba Jacobi retulisse; cùm tamen paulò antea dormientem dedignatus non sit alloqui Dominus: *& Dominum innixum scalæ dicentem sibi: ego sum*, &c. An Jacob postquam expergefactus est, minùs capax extabat percipiendi voces Dei? aut minus justus erat? cur non aliquid respondet ejus voto remunerator gratissimus? Quia responso dignus non judicandus qui tunc se Deo totum commisit, cùm excusso jam somno, pavore consternabatur. *Cùm in afflictione esset*, inquit Chrysostomus, *dicebat: si dederit mihi Dominus panem ad comedendum & vestem ad amiciendum.* Sola votum suasit anxietudo? Responso careat veluti servus qui solo timore Dominum quærit. Ne causeris infœlicitatem, si vota Deus tua non exaudiat cum anxius ad illum accedis: quia sic accidere solet illi qui dum gaudio perfunditur, cœlum oblivisci tur, & interea *sequitur aves volantes*, fugitiva bona.

Lipom. in Cate. ibi.

Ibi n. 13.

Chrysost. to. 3. hom. 16. in act.

DELIBATIO VII.

Mendax quasi nihil est: detegitur tamen facilè, nisi mentiatur sibi. Voluntatis sanitas, virtutis timor, & avaritia superbi expenduntur.

35. *Mendax quasi nihil.*

QUI. Relativum est: sed latet quem referat cùm non verba, sed materies præcedentibus dogmatibus continuari sinant hujuscemodi sententiam. *Qui*: de quo loquitur? Planiori sensu de mendace. Quin præcederet aliquis, ad quem referretur pronomen, quasi de nemine sermo foret, absolutè cœpit à relativo, *qui*: nam mendax verè nemo. Nonne mendax æquiparatur sepulchro patenti? Ad illud Psalmi: *sepulchrum patens est guttur eorum*, dixit Cassiodorus: *sepulchrum mortui guttur est mentientis. Patens autem benè addidit, quia si clausum esset minus fœteret.* Et quis est intra sepulchrum patens? Nemo. Mendacio infamis veluti nullus est.

Psal. 5. 11.

Cassiod. in Psal. ibi.

Certant Evangelici textus interpretes, fatendum ne sit dæmonem plusquam conjecturaliter Christum Dominum ante passionem Dei Filium agnovisse? Plurimi negant; asserentibus adstipulor ex illo Lucæ: *exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia: quia tu es Filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum.* Illud, *quia*, secundo loco positum non eodem modo ac primum exponendum est: primum enim idem valet atque, *quod*: secundum autem ut sensus maneat simplicior, causaliter prout sonat intelligendum putavit Suarez. Roborari potest hæc sententia ex Augustino dicente: *ipsi dæmones etiam hoc ita sciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint: quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti huc ante tempus perdere nos? Clarum est in his verbis, quod in eis & tanta scientia erat*, &c. Sanè conjectura dici nequit scientia tanta. Accedit S. Athanasius: *Deumque illum esse, & sentiunt & credunt, ideoque fugitivi & adorabundi in has voces erumpunt.* Adde Tertullianum: *hoc exinde*, inquit, *& dæmonia confitentur. Scio qui sis Filius Dei.* Si tantum id suspicarentur, dici propriè non possent confiteri, sentire, ac credere Christum Deum esse. His præjactis: difficultatem præ se fert illud Servatoris assertum: *nemo novit Filium nisi Pater.* Esto nesciant illum homines, utpote majoris beneficij debitores, quàm diaboli, eò quòd Verbum divinum angelos nusquam apprehendit, sed semen Abrahæ: nonne jam Dei Filium dæmones agnoverant? *sciebant ipsum esse Christum*: utique. Sed non meministi Satanam fallaciarum artificem à Domino vocari? *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est.* Filium Dei novit mendax? Benè: jure optimo manet adhuc verum: *nemo novit filium.* Qui veritatem

Luc. 4. 41.

Suar. 2. in 3. p. d. 51. S 3. §. sed contraria.

D. Aug. l. 9. d. civi. Dei c. 21.

S. Athan. l. d. Incar. post med.

Tertull. l. contra Praxed. c. 28.

Matth. 11. 27.

Cui plura confers, te nesciet.

Ioan. 3. 44.

veritatem deserunt multi sunt ; at unusquisque nullus est. Ecce in textu nostro, de falsidico sermo fit suppresso nomine : tantummodò dicitur : *qui*.

36. *Si convaluerit intellectus, sanabitur voluntas.*

Nititur. Una ex fictionibus, quæ præsenti paræmia tanquam vento similes dissipantur, est inanis gloria. Huic medicamen prudenter adhibetur quasi mendacio : nam deceptio ad intellectum pertinet, quamvis etiam inficiat voluntatem. Sapientia Dei medicinam adhibet menti, ut appetitum rationalem sanet : hic enim tunc salutem recuperabit cùm animæ oculi non ægrotaverint. Inani gloriola turgens languescit judicio : nobilissimæ facultatis usu recto caret, quæ citiùs erat curanda : nam semel ac intellectus convaluerit, voluntas accipiet robur amissum.

Cùm Redemptor detriumphata morte redivivus Apostolorum lachrymas gaudio detersit, aberat inde Thomas : qui velut humano more putans desiderij condiscipulorum hoc fuisse præstigium, statuit fidem subtrahere dictis, donec visu comprobaret audita. Prudentis, fateor, est animi sæpiùs oculorum expectare judicium, nec aurium testimonio, quod proprio solet amore corrumpi, rem definire. Sed ô mortalium imprudens prudentia, quæ reperit errorem dum refugit : quid fiet si falsitatem diligat ? Clementissimus nostræ libertatis Assertor misertus errantis oviculæ quærit in cænaculo Thomam, eumque his affatur : *Infer digitum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Duplicem cæleſtis medicus applicuit duplicato malo medelam : intellectui scili. sensuum experientiam ; voluntati verò præceptum adjecit. Nota quòd ante quàm voluntatem sanaret, dicens : *noli*, voluit intellectui per cognitionem sensibilem blandè medicari : *vide manus meas* : commentatur Hugo Cardinalis : *idest etiam considera per visum*. Quæro : nonne congruentius esset prius voluntati piam affectionem credendi (sic Theologi vocant) suggerere, in cujus carentiâ præcipuè peccati virus latebat ? an non affecta voluntas intellectum diriget, fideique subjiciet ? Convenientius duxit primùm intellectui medicamentum præbere : *vide manus meas*, priusquàm voluntati medicamen apponeret, inquiens : *noli esse incredulus*. Bino morbo Thomas languebat : intellectu deficiebat à vero ; voluntate deviabat à recto. Sciebat Omniscius Apostolum plus ægritudine priori periclitari, nam sublata fide corruit spiritualis ædificij structura ; voluntatis ruina minùs est deflenda, quia cùm libera sit potentia, citiùs mutabitur. Ideo Dominus cupiens fortiori damno quantocyus occurrere, primo loco sensuum interventu curationem adhibuit intellectui Thomæ : postmodum ejus voluntati : *noli*, &c. Favere videtur Cardinalis Toletus : *miro utitur artificio : priùs argumentum veritatis adhibet, & postea reprehendit : qui enim veritatem concepit, admonitionis capacior est*. Primam sensuum cognitionem intellectui applicuit ægro, ut videas in peccatoris curatione præcipuum esse mederi morbo quem patitur intellectus. Quod adeo verum est, ut Augustinus desiniens correctionem delinquentis omiserit quòd attinet ad voluntatem, & de solo intellectu quasi graviùs ægrotante curaverit, dicens : *correctio est errorem innatum, vel consuetudine factum, fræno rationis inhibere*. Quantò sub discrimine versantur ij qui sibimet fallaces illudunt, & sic mente graviter ægrotant. Horum curam divina Sapientia gerit pervigilem adhibito nostri dogmatis monito : non enim adeo miser qui falsitatibus utitur astutè, quàm qui commentitiis insipienter *nititur*.

Joan. 20 27.

Hugo Card. ibi.

Tolet. Card. ibidem.

D. Aug.

37. *Mendax facillimè detegitur.*

Mendaciis. Duplex mendacij genus hîc stylo disertissimæ veritatis pungi literam expendens prædixi : potissimùm tamen illos reprehẽdi, qui sibi mentiuntur, oblectamenta sæculi, chymericas glorias, lutum alienis coloribus depictum plurimi facientes, quod insinuatur verbo, *nititur* : ideſt quasi res magni roboris forent hæc, totam spem reclinat in eis. Cur non principaliùs mederi studet Dei sapientia illis qui verborum laqueos tendunt ad fallendum incautos ? Quia deceptus à seipso periculosiùs infirmatur. Mendax facillimè detegitur ; perperam autem sibi credens difficillimè corrigitur.

Deliquit Heva manducans ex vetito ligno, complicemque virum, dans illi de fructu noxio, præcipitem dedit. Judex supremus adest, & primus Adam reus convenitur : deinde mulier examinatur quare transgredi præceptum ausa sit ? *quæ respondit : serpens decepit me, & comedi*. Quam citò cognovit errorem ! adhuc ex effectibus peccati pauciſſimos fuerat experta, jamque deprehendit serpentis fraudem ? Peccavit rex Nabuchodonosor divinitatem sibi arrogans : nec tamen nisi post septem annorum flagella deposuit errorem, verumque Deum recognovit. Sic Theodoretus : *quando somnias*, inquit, *te Deum esse, imò superiorem Deo, adimet tibi Deus etiam humanam cogitationem, efficietque ut similis bestiis feris evadas, ut experientiâ percipias quid homo, quid Deus*. Adjice ibi Sanchez : *Huc spectabat tota hæc rerum vicissitudo, ut regius animus, plus satis inflatus humiliùs de se quàm ante sentiret : & Deum summum unumque imperatorem esse cognosceret, qui & regna dare potest, & adimere. Quod ipse tandem rex post illa septem annorum infortunia confessus*. Tam ne serum dat vexatio intellectum ? Heva mox se deceptam reperit ? Nabuchoconosor erasse didicit adeò tardè ? Inter utramque mentem quid interfuerit adverte : Primigeniam fefellit diabolus ; regem verò seduxit semetipse. Dæmonis mendacium detexit mulier non difficilè ; sibi verò mentitus barbarus princeps non tam perviam habuit veritatem : sicut enim cognitio propria difficillimi negotij disciplina est, sic etiam doli, quibus unusquisque imponit sibi, aperiuntur ægriùs. Ideo vanæ gloriæ vitium arduæ curationis morbus est. *Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè, cavendum esse perfectis : quo primo enim vitio lapsa est anima,*

Gen. 3. 13.

Theodore. in commen. ad 4. Dani. 22.

Sanct. in Daniel.

S. Aug. to. 8. in Psal. 7.

anima, hoc ultimum vincit. Hæc Augustinus. Sed quare nisi quia non emendatur aperiendo alienæ fraudis technas; sed proprium noscendo commentum. Inter alias itaque præstigias, de quibus hoc loco agitur, vana gloria, quæ *pascit ventos*, non secundum obtinet locum.

38. *Virtutem formidamus, vitij arduа non horremus.*

Hic pascit. Qui transitoriis onustus plùs quàm dives errori suo gratulatur, pastoritium inutiliter munus agit, claudere studens vigili manu quæ natura, non sors, labi festinanter præcepit. Hæc dedimus ad litteram: supereſt notandũ aliquid in quo malus boni pastoris peragit officia. Bonus pastor vitam pro grege discrimini libens objicit. Etiam vanitatis improbi servi, ne fraudentur dilecta fraude, mortem horrere nesciunt. Vocas ne strenuum quia vitam in affectuum suorum bellis prodigit? Ne fortem appelles. Hic ipse dum provocaverit hostis, velut frigida cautes obstupescet; qui vitio propellente furibundus in pericula ruit. Ad prælium, quod virtus indixit, metuit iners; ad illicita quamvis difficillima, pulso timore decurrit.

Philisthæus ille, qui Davidici roboris ictu cæsus est, provocabat Israëlem, ut electo milite, per singulare certamen litem dirimeret communem. *Audiens autem Saül, & omnes Israëlitæ sermones Philisthæi hujuscemodi stupebant, & metuebant nimis.* Solummodo Saülem contremuisse demiror: nam populus rege metuente, qui Reipublicæ cor est, quomodo robur non amitteret omne? Rem equidem miram in Saüle reperio. Saül inquam ipse qui contra Davidem egredi postea non est veritus, à Goliæ verbis pavore dissolvitur! Si robur utriusque, scili. pastoris, & gigantis, conferamus, & molem non attendas, videtur Davidem fortitudine præcessisse Philisthæum, adversus quem prævaluit. Saüli non ingerunt formidinem Davidis arma? & idem sermones Goliæ pertimuit? Ita se gessit iniquus de more fortitudinis humanæ. Gigantem prosternere suadebat religio: quippe quem adversus Numen audierat injuriosum: *ausus est maledicere exercitui Dei viventis.* Necnon ad occidendum Goliam commovebat justitiæ lex, qua peculiariter ad tuendum sui populi decus illæsum rex videbatur obstringi. At verò necem Davidis nulla virtus; imò potius livoris, ingratitudinis, & odij virus in ejus corde sollicitabat. Quapropter Saül erga Davidem strenuus egreditur; Goliam verò tremiscit: illum petit impellente furore mentis invidæ; econtra loquente Allophilo prorsus obriguit, nec stipendio virtutis ausus est quod odij sub tessera militans aggreditur postea. Obvia sunt passim exempla temporibus nostris exponentium vitam secundum barbaras mundi leges, quos vel exigui pro virtute laboris tæderet. Isti ventorum gregem diligentissimè pascunt, & infœlicibus curis diu lassati se perdunt & gregem. Nec de vitio, nec de virtute rectè judicant, cùm istam putant horribilem, & vitium existimant suavitate plenum. Audiant Philonem. *Invidum*, ait, *amarulentum, malignum suapte naturæ est vitium: ediversò virtus res mitis, benigna*, &c.

1. Reg. 17. 11.

Ibi c. 17. n. 36.

Philo Heb. l. d. congressu quæren. erudi. gra. to. 1.

Ventos. Nomine nobilis auræ latere cuncta, quibus exornata præterit mundi figura, monui supra cum literalem sensum aperirem: necnon adnotavi venire nuncupatione avium recedentia figmenta mendacis fortunæ. Dictis adde (quod jam pridem censuit perdoctus Proverbiorum interpres) illud nempe, *sequitur aves volantes*, de bonis, quorum acquisitioni homines incumbunt, exponendum esse; hoc verò, *pascit ventos*, de jam partis interpretandum. Colligere liceat hinc vanas temporalium prosperitates avibus conferri quàndiu expetuntur; cùm verò possidentur, ventis æquiparari. O quantùm distat ventus à volucri! Hæc vivit, nutritur, sentit; ille autem vapor est inanimis, vita, sensuque caret. Ventus prope nihil est; avis antefertur stellis, quia vita fungitur. Inde conjice quantùm præcellant desiderata possessis hominum æstimatione, cui se divinæ Sapientiæ stylus accommodat benevolè. Sic mortales alia possidentes, alia verò desiderantes, inter utraque ferunt judicium. Quo fit ut possessa despiciant; & aliena, quæ cupiunt, longè præferant. *Rex Achab in Israël erat*, inquit Ambrosius, *& pauper Nabuth. Ille regni opibus affluebat, iste angusti soli cespitem possidebat. Nihil pauper de possessionibus divitis concupivit, rex sibi agere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus.... dabo, inquit, tibi pro ea aliam vineam. Dives quòd suum est quasi vile fastidit: quòd alienum est quasi pretiosissimum concupiscit.* Ab hoc exemplo patet quòd superbus, vel si parum illi deficiat, plurimi facit, ac si parvi ducat quæ tenet.

39. *Superbus pluris facit minima si desint, quàm magna quibus abundat.*

Salaza. c. 10. Prov. v. 4. n. 75.

S. Ambr. to. 1. l. d. Naboth. c. 2.

Exaltavit Assuerus Aman ad aulicæ gloriæ verticem: supereminebat principes omnes: quin & regem nutu regebat, solo minor solio. Cuncti, vel metus, vel adulationis causâ, regis administro genuflectebant, se demissione vili fatentes inæquales. Astutia fortè plures decipiebant superbum, qui genuflexos videns maximum se cogitabat; cùm verè parvulum eum reddiderit iniquitas. Solus Mardochæus adorationem debitam Numini decrevit adulatorum idolo denegare. Tunc ille, cùm hoc experientia comperisset, vix iram dissimulans, imò potiùs ut evomat, amicorum turbam convocavit: illisque fœlicitatum suarum seriem dinumerans ita concludit: *& cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.* Quid erat Mardochæus Amani judicio? Vilis homuncio. Multi nobilitate primi, sorte magni, venerabantur Amanum: & solius inter omnes ad palatij fores despicabiliter sedentis Mardochæi genuflectio sic fuit pretiosa superbo, quòd huic minimæ gloriolæ comparati divitiarum cumuli, potentiæ magnitudo, regis ac reginæ benevolentia, totum nihili fiat ab eo? *Nihil me habere puto*, inquit ille. Ratio thesim nostram claudit opportunè. Reliqua sortis munera possidebat Aman; hoc unum (scili. denegatum honorem à Mardochæo) avidus inhiabat: illusa febricitantis animi sitis ne-

Esth. 5. 13.

nequaquam hauſtis exhauriebatur vanitatibus: proindeque deſideratam inſaniens appetebat gloriæ guttulam is, cui maria non ſatis, imò nihil erant. *Quàm exigua ſunt quæ homines conturbant alioqui fœlices*, ait inibi doctus Mariana. Duplici Paræmiaſtes adumbrat emblemate fluidam temporaneorum ſubſtantiam: hominumque judicio ſe conformem exhibens, per minimam rem exprimit poſſeſſa, vento ſcili. *hic paſcit ventos*, per majorem verò explicat deſiderata, dicens: *idem autem ipſe ſequitur aves volantes.*

Mariana in ſchol. ad c. 5. Eſth.

DELIBATIO VIII.

Magiſterium experientiæ: deſiderij veſana inquietudo, & errores.

40. *Dementia eſt experientiis non doceri.*

IDem autem ipſe. Iſtam non nominati hominis replicationem dubio procul emphaticam credo. Hæc lege, quaſi dixerit Salomon: non alius paſcit ventos, & alter inſequitur aves; idem ipſe qui labore ſupervacuo vana cuſtodit in caſſum, experientiis nihilo cautior factus volantia perſequitur fruſtra. Quantos & quot declinaret homo ſortis ictus ſi Taciti conſilium amplecteretur dicentis: *quæ caſus offert in ſapientiam vertenda ſunt.* Brutis in hoc ſtolidiores non dubitavit hiſtoricus alter: *in calamitates varias*, inquit, *neſcio quomodo cuncti homines, palam & apertè incidentes ſibi tamen conſulere nequeunt, imo ne ad momentum vel breviſſimum diſſidere norunt: à brutis animantibus hac in parte ſuperari*, &c. Rudis animantia docet inſtinctus de præteritis eventibus utcumque futuros moderari.

Tacit. l. 1. annal.

Polyb. hiſt. l. 16. 15.

Ovid. 2. Pon. 3.

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo
Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.

At homo nec ſuo damno prudens effectus, poſt mille fraudes adhuc falli nec ſcit, neque recuſat. Veritatem non percipit, quamvis experientiæ clamor illam ſenſibus ingerat, quia verum odit, & ut Chryſologus pronuntiat, *ſenſus humanus perverſus audire non poteſt quod ſemel ſtatuit odiſſe.* Diſertè quidem proloquitur, nam rationis hallucinationem parit erroris dilectio: *quantùm judicium cordis nequitia præjudicata confundit: ô quàm durè amputat obſtinatio rationem!* ait S. Doctor ibidem. Vanitatum cuſtos, ceu ventorum paſtor, fruſtraneis defatigatur cæca vertigine: mendacem tamen expertus cupiditatem, novæ locum aperit fraudi. Naufragus iterum pelago ſe committit, bello victus iterat prælia, fortunæ luſu ſpoliatus, ſecundùm aleatorum conſuetudinem, aliena commodatò quærit, ut ludum repetat. O errorem inſaniæ parem, evanida nempe rurſus inquirere, cùm priùs fruſtra ſudaſſe compertum habeas.

Chryſol. ſer. 131.

Audi ſæculi vaniſſima ſubſannantem Salomonem. Ipſe regio nequaquam prohibente ſceptro, non expleto per divinitùs acceptam ſapientiam ſtudio ſciendi, ſollicitus incubuit ulteriora diſcendo; attamen & in his vanitatem latere dixit, eò quòd ſub jucunda facie labor deliteſceret: *Dedique cor meum*, inquit, *ut ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam: & agnovi quòd in his quoque eſſet labor*: & infrà: *animadverti quòd hoc quoque eſſet vanitas. Non enim erit memoria ſapientis*, &c. Poſtquam afflictionum tribulos è ſcientiarum prato decerpſit, ad alia vertit animum, in quibus nullam ſuſpicatus erat anguſtiam delitentem: *Dixi ego in corde meo: vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis*; vanitatem nihilominus detexit otio recondi: *& vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas*: nec tantummodò vana dixit gaudia; ſed adjecit: *Riſum reputavi errorem*: legit D. Hieronymus: *riſum dixi amentiam.* Amorem ſciendi vanitatem appellare contentus fuit Sapiens; gaudium verò errorem vocat mentis inopem? acerbiori cenſura ferienda videretur nimia ſcientiæ cupiditas, quàm deliciarum libido: in his enim labor non ſentitur; illa verò cruciat amantem: Cur ergo riſum tanquam inſanum ſugillat, nec ſimilem notam inurit ardori ſcientiæ inordinato? Dicam. Eccleſiaſtes nominis æternam celebritatem doctrinâ parare cupiens, tandem advertit communem cunctis interitum etiam prudentum ſepelire memoriam: *non enim erit memoria ſapientis ſimiliter ut ſtulti in perpetuum: & futura tempora oblivione cuncta pariter operient*: & hoc ſatis illi fuit ut expertus in acquirendâ pluſquam oporteret doctrinâ laborem, deſiſteret ab ea vanitate. Amens non eſt qui obedit experientiæ. Poſtmodùm hâc non animum penitus frænante, Salomon denuo fugientibus tradidit ſe gaudiis. In hoc non meram dilexit vanitatem, ſed inſanum commiſit errorem: *riſum dixi amentiam*, quia priori experientiæ tunc non obedivit: inſaniam namque patitur qui decipitur expertus. Caſſa diligentia quærit vanitas cuſtodire caduca bona, more paſcentis ventos: at nihilominus eundemmetipſum, qui ſic aëreè laboravit, novis illectum rurſus mendaciis videmus deſiderata perſequi, non ſecus ac aves evolantes: nam cæca voluptas experta millies dolos, & ſub florum venuſtate ſpinas,

Eccleſ. 17. Ibi 2. 15. 16. Ibi n. 1. & 2. D. Hier. in comment.

Non unquam reputas quanti ſua gaudia conſtent.

Juvena, Sat. 6.

Quinimò gaudet voluptuoſus volantia quærens alacriter, ſed ploratu dignus: *nam & phreneticus ridens ploratur à ſanis*, ut ait Auguſtinus.

S. Aug. l. 50. hom. ſer. 25. tom. 10.

41. *Bonorũ amor inquietat.* Petrarch. de reme. proſp. fort. dial. 31.

Sequitur. Omnibus qui tranſitoria captant illud congruit Petrarchæ venatori dictum, *at illæ* (aves intellige) *delectationem tuam deſpicient abeuntes, nec te noſcent, & ingratæ ſe vocanti ſurdas exhibebunt, quid implumis facies? alata voluptas tua eſt.* Aucupes imitantur cuncti, quorum anhelitus fugacibus inſtat mundi bonis: hæc pernici volatu diſparent; ipſi verò manus, oculos, armaque, capiendis animi delectamentis intendunt: quietem neſciunt ut volatilia ſectentur. Attentiùs penſita quantùm diſtet paſtoritius labor ab aucupio, quò ſic videas diſcrimen cupidi à cuſtodiente peritura bona: defatigatur poſſeſſor tanquam gregum cuſtos; laſſatur verò concupiſcens tanquam avium captor.

captor. Opilio non perpetuò currit, ideo possidentem adumbrat : alites capere curans non quiescit, ac proinde qui desideriis fertur, ei similis est. Hoc stylo videtur insinuari venantem possidenda potiri minori quiete, quàm parta claudentem : plùs bona sollicitandi amor, quàm deperdendi timor inquietat mortalia corda. Accipe Bernardum: *sic divitiarum amor insatiabilis longè ampliùs desiderio torquet animam, quàm refrigeret usu suo : utpotè quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris invenitur.* Ecce de timore loquens non eo torqueri dixit possidentem ; sed insinuavit delectationem possessionis imminui per metum ; desiderio autem asseruit torqueri cupientem : sic vide plus bonorum dilectionem, quàm pavorem damni, quietem suffurari. Concupiscens fertur ardore quæritans fugientia ; tenens verò (si tenentur ista) sortis amittendæ timore quatitur : tantóque ampliùs desiderium commovet humana pectora, ut nec vitæ jactura imminens ita somnum excutiat, sicut habendi vota. Plùs bonorum amor, quàm malorum timor rapit amicam requiem.

D. Ber. l. de perfecut. sustin. c. 12. fine.

Petri cymbam Servator ingressus monuit illum ut in altum duceret : nec enim timoris locus erat nauclero, qui Cæsaris Dominum vehebat, non fortunâ, sed imperio, maria compescere potentem. Hortatur Dei Filius ut retia laxent: respondit Apostolorum princeps futurus : *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus :* ecce fatetur solida nocte se capiendis piscibus intentum vigilasse Petrus. Transi modo ad carcerem, ibique cernes Apostolum ita somno demersum, ut nec angelici luminis effulsio dormientem suscitaverit : oportuit enim latere percuti, quò sopitus expergefieret : obiterque memento pridie quàm gladio foret enecandus hæc accidisse : *cùm autem producturus eum esset Herodes*, ubi Lira : *scili. de carcere ut occideretur.* Itaque, *in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus.... angelus Domini astitit & lumen refulsit in habitaculo : percussoque latere Petri, excitavit eum.* Petrum adminus non latebat quantùm crudelitas Herodis in occisione Jacobi properaverit : nec sperare potuit sibi fore diuturnum carcerem ; sed brevi præstolari finem certaminis æquum erat. Ergo jam tortore pene januam ergastuli aperiente, dat membra sopori ? nonne hic ille qui pisces irretire cupiens tota nocte vigil quondam laborabat ? Ita : nam plus otia tollit desiderium boni, quàm timor damni. Mors instat carcerato Petro ; in undis capturæ lucrum proponitur ei : idcirco Herodianæ crudelitatis vesperam dormiens transigebat, morti præludens imagine mortis, & in navicula per tenebras vota sua falli sinebat insomnis. Et ne objicias ad rem non esse pro materia subjecta vigiliam Petri pauperrimi ; à litera transi ad tropologiam ductu S. Antonij Olyssip. ad eadem Apostoli verba : Præceptor, &c. *qui in nocte ideſt obscuritate hujus vitæ laborat ut aliquid transitorium inveniat, nihil capit.* Sæculo deditos quotidie cernis indefesso labore satagentes : quid aliud agunt, nisi per noctem (oderunt lucem) retia mittere, vacuaque reducere ? Spatium vix inveniunt moræ ardua libenter agressi, passim experientiis renitentes. Laboribus illusi quibus adepta custodiebant, alia quæritant studia, quibus inutiliter fugacissima tempora consumant : minùs inquietè antea pascebant ventos : irrequietiùs postea volaturientes insequitur.

Luc. 5. 5.

Act. 12. 6. 7. Lira ibi.

D. Ant. Olyssip. ser. 2. Dom. 5. post Trini.

Aves. In hac similitudine aucupis acumen pungit Salomonis. Posset non incongruè frustraneos æstuantium cupiditate sudores effodienti terram componere, qui vana spe deceptus, quærens thesaurum, dolorem invenit. Iste plurimùm fatigatur & inutiliter : sit ergo cupidi clarius emblema ligone scindens agrum, ut inveniat conditam ab altero pecuniam. Prudenter Sapiens istum liquit, & aucupem objecit lectorum oculis : aptissima namque similitudo hæc est. Auceps ardentissima libidine persequitur passeres qui dipondio veneunt : minima summis invenire nititur studiis. Ut igitur Sapiens nostrum erga creata bona propriùs exprimeret fervorem, non plurima, sed levia, quærenti similavit flagrantem desideriis : solet quippe voluptas humana circa viliora multò plùs affici : *Summam in rebus parvis exhibemus alacritatem, ad majora torpescimus.* Sic D. Hieroni. vel quisquis est author epistolæ ad Demetriadem. Exemplum non accipias ab Israëlis Monarcha ; sed expende.

42. *Minora desideramus ardentiùs.*

Incertus Hiero. epist. ad Demetr. tom. 4.

Memini Davidem ad speluncam Odollam castrametatum, tenente Philistinorum acie Bethlehemiticos agros, aquam de cisterna desideravisse ardentiùs quàm postularet sitis. *O si quis*, inquit, *mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethlehem.* Vides quàm fortiter anhelet frigidæ potum ? Altiùs nunc historiam recole. Idem ipse de Saülis invidi sævo persequendi eum proposito certior factus, venit in Nobe sacerdotem Achimelech rogaturus. Egebat utique victu, necnon & armis. Attende quàm remisse flagitaverit hæc auxilia : *si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inveneris.* Ensem orat similiter vel hastam dicens : *si habes hic ad manum hastam aut gladium ? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum.* Ecce David minori conatu requirit necessaria servandæ saluti : petit ea namque si habentur ad manum : quasi nollet ea sibi magno dispendio parari. Lymphæ Bethlehemiticæ potum expetiit enixè : *ô si quis mihi daret*, cùm posset aliâ potione sitim extinguere : nec enim tuendæ vitæ necessitas aquam de cisternâ Bethlehem quærere compellebat, nec alia quærentibus deesset aqua : aliter non damneret S. Ambrosius velut irrationabilem appetitum illius undæ : *laudo*, inquit S. Doctor, *eum qui erubuit in suo desiderio alienum periculum.... simul quasi repressâ victor cupiditate profudit aquam Domino, ut ostenderet quòd concupiscentiam suam verbi consolatione restingueret.* Ipsa ratio quæ dubium excitavit, litem dirimet. Vilis erat aquæ potus, quo non æquè Davidem eguisse reperimus, ut pane, atque gladio indigebat. Prudentiæ dissonum, attamen humanæ fragilitati consonum fuit

2. Reg. 23. 14.

1. Reg. 21. 3. 8.

S. Ambro. to. 1. l. 1. d. Isaac & vita beat. c. 1.

minimum sitire flagrantissimè ; rem verò majoris ponderis non sic. O vitio facta mendax hominum statera ! *malè ponderas*, inquit D. Basilius, *prava bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporaria æternis præponens, prætereuntem voluptatem pro indeficiente lætitia eligens.* Quæ cùm ita sint, humanæ cupiditatis esto ænigma volucrum captor, qui vilis pretij aviculas, quasi rem multi faciendam, sollicitat ; non vero thesaurum effodiens deceptus, qui magna vestigat.

S. Basil. hom. 15. in Ps. 62.

43. *Inconstantia temporalium cordi lenocinatur humano.*

Volantes. Novissimum tandem apothegmatis verbum ethicè libremus. Volantes aves aërea bona referre sæpiùs diximus. Itaque non volatura tantùm, sed actu volantia sectatur concitus amore mundanorum. Neque dubito desideria hominum plùs intendi fugacitate rei cupitæ. Ipsa bonorum caduca duratio pellicere frequenter solet erga pereuntia voluptatem. Miserrimam deplora conditionem ægri hominis, qui remedia vertit in sui perniciem. Ut facile terrena despiceremus, curavit providentia Dei quòd inconstantia forent cuncta quæ sub sole manent : *in hoc mundus est optimè constitutus. Nam si stabilior foret, & prospera semper daret, hominem nimis traheret ad sui dilectionem.* Sic D. Antoninus ; accidit autem cùm languor fortissimus est, ut remediis exasperetur ægritudo : unde ardentibus desideriorum febri caducitas ipsa rerum quibus inhiant accendit ardorem. Crystalli fragilitas pretium auxit ; æs perennitate vilescit. Fructus utiliores experimur ; floribus tamen, quibus est brevior ætas, nihil gratius. Cœlorum pulchritudo nesciens occasum demissis oculis præteritur ; solaris verò fulgor quia quotidie sepulchrum revisit, nemini non perjucundus. O rerum corruptos judices : ingrati, quò diutiùs vobiscum immorantur ea quæ placent, eò minùs gratiam promeruere vestram ? Econversò quæ vos passim jejunos derelinquunt, animos rapiunt ! Si jure sententiam profertis, animadvertite productiùs durare quæ plus excellunt : spiritus corpore fragili nobilior est, non quippe videbit interitum. Altissimus excedit cuncta, principio namque caret ac fine. Nescio qua ratione permanentia fugacibus postponitis. Eò plùs allicit fallax bonum, quò breviùs disparere noscitur.

S. Antoninus p. 4. tit. 3. c. 7. §. 8.

Tempus erat cùm labori diurno quies reficiebat mortales placida fraude. Tunc Nabuchodonosor, regio de more, motiva reperit inquietudinis, dum aliis quiescere dabatur. Vidit plura clausis oculis ille quem latebant expergefactum plurima. Prospexit arborem trunco sublimem, ramis diffusam, fructu prædivitem, foliis exornatam. Siste gradum. Non adeo regi placuere fructus, atque folia laudat : horum pulchritudinem extulit, & retinuit mente fructuum venustatem : *folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius.* Quare non arborem, non fructum, sed folia nuncupavit pulchra, quinimò pulcherrima ? Mirarer nisi homini folia gratissima forent. Arbor trunco stat immobilis : fructus etiam per dies non paucos producit vitæ suæ moram ; at folia vento rapiuntur, nullo decerpente cadunt : ideò plùs arrisêrunt voluptati, quia consistere nequeunt. Duo placuere somnianti scili. foliorum viror & multitudo, prout verbum illud *Pulcherrima.* Cardinalis Hugo commentatus est dicens *viridia & condensa.* Viriditas sole marcescit, condensitas vento dispergitur. Quidni commendaret pulchritudinem foliorum quæ citissimè desinit ? Arboris hujus ænigmate mundialis pompæ figuram adumbrari dixit Cornelius à Lapide : *hæc ergo arbor symbolum est prosperitatis, & gloriæ humanæ.* Inter hujus fallaces nugas illa pretiosior homini est quæ duratione brevior.

Dani. 4. 9.

Hugo Cardi. ibi.

A Lapide Dan. 4. 8. §. Hæc.

Hinc fit ut sollicitiori quæramus labore quod citiùs præterit, araneis simillimi, quæ totis visceribus in tenuissimis telis texendis occupantur. *Vita hominum,* inquit Hieronymus, *huc, illucque discurrit ; possessiones quærimus, divitias appetimus, procreamus filios, laboramus, in regna sustollimur, & omnia facimus, & non intelligimus quia aranea telam teximus.* Perverso jam diu rectæ rationis judicio fertur amor in odij motiva. Despectui promerendo satis erat fœni florem apparendo interire : sed econtra per hanc ipsam possessionis brevitatem rursus incrementa capit amor. Ideo florem citato gradu lecturus properat ; fructumque despicit.

44. *Quod citiùs præterit majori sollicitudine quæritur.*

D. Hier. to. 7. in Ps. 89.

Divini spiritus calamo cæcitas Adamidum exponitur, qui vitam experti concisâ periodo claudi, majori studio gaudia demetere conabantur. *Non prætereat nos flos temporis.* De floribus quos plantæ ferunt littera loquitur. Hugo Cardi. *vel ad litteram de ipsis floribus colligendis in suo tempore intelligitur.* Certè præcesserant verba fructibus potius quàm floribus apta : *vino pretioso & unguentis nos impleamus :* ista sunt fructus temporis. Ut quid ergo de floribus dicunt avidi : *non prætereat nos flos temporis ?* Quia fructus utique placent ; flores magis arrident, eò quòd minus vivant, quàm fructus permanere solent. Floribus diluculo Sol concelebrat ortum, quos vesperi comitatur ad sepulchrum : eadem tamen pereuntium debilitas accendit pectoris æstum, quo mille modis inquirat homo quòd unicâ vix tenebit horâ. Stagnantes aquæ visum aliquantulum recreant ; sed fluviales gratiùs demulcent animos, non alia de causa, nisi quòd illæ manent ; istæ defluunt. Sic delirant humana judicia : majori conamine, ac jucundiùs investigant quæ prætervolant velut alites *volantes.*

Sap. 2. 7.

Hugo Cardi. ibi.

FLOS VI.

Qui congregat in messe filius sapiens est : qui autem stertit æstate, filius confusionis.

APERITUR.

1. Missis quibusdam sententiis, quæ à vulgato codice sunt expunctæ, præsens thesis occurrit, quàm agglutinare præcedenti laborant aliqui pene frustrà.

Non

Non multi faciendum eſt in hoc genere dicendi quod Salomon hîc obſervat, colligare tria quatuorve dogmata, cùm cætera toto cœlo diſſita fateri cogat ipſa veritas. Iſtud ergo theorema quadrupliciter expoſitum apud commentatores invenitur. Primò Beda, Dionyſ. gloſſ. cùm interlineari, verba Salomonis aptant congreganti ſpiritualem animarum meſſem. Accommodatitium videtur hoc; non litterale. Secundò Caietan. Janſen. & Lira, ſentiunt ſub ſimilitudine meſſis, & æſtatis, opportunam rebus peragendis occaſionem intelligi, quam Sapiens elabi non ſinit; & inſipiens prætervolaſſe dormienti ſibi dolet ſerò. Acceptio iſta, quàm probabilem judico, difficultate non vacat: nam ſi meſſis colligendis frugibus opportuna deſignat in textu congruum tempus operandi, etiam hyems excolendis agris, jaciendiſque ſeminibus occupari ſolet, ac proinde foret aptius ænigma, quo Salomon induſtriam ſub agricolæ perſona delinearet (cùm tempus hybernum ſit ruri laborantibus valdè moleſtum:) necnon ut ſomnum deſidis habentis odio laborem improbum exprimeret: quis etenim adeo negligens erit ut fruges demetere, dormiens omitteret?

Tertiò juxta Hugonem & Cornelium à Lapi. terræ cultura per hujuſmodi parabolam ſuadetur. Diſplicet hoc, tum ex iis quæ proximè notavi: tum quia Salomon parabolicè loquens inculcat altiora: nec vellem nimis grammaticaliter verbis inſiſtens reddere doctrinam illius exſuccam, & moribus ineptam, quorum culturam potiùs quàm ruris operas intendit Sapiens edocere. Quartò Rodolphus veroſimiliorem cunctis expoſitionem attulit, & venuſtam, dicens; *autumnus ad juventutis annos, qui calent & ad dies virilis ætatis, qui maturos fructus producere ſolent referuntur, non ſolùm ad anni tempora.* Æſtatis nomine juventutem, & virilis ætatis dies intellexit, ſed non explicat an litteraliter loquatur. Quintò novum literæ ſenſum obtulit Salazar, acutiſſimè ſanè. Cæteris illum præferrem, ſi vulgata lectio pateretur. Qui ſapiens, ait, ideſt probus, virtutem colit, uberrimos proventus congregat meſſis tempore: qui verò inſipientiæ, ſeu, quod in idem recidit, iniquitati deſpondit animum, ſpe deluſus egeſtate confunditur. Optimè. Sed tranſverſio iſta ſenſum prorſus immutat; quem vulgatus interpres potiſſimùm exſcribere ſtuduit: nam textus infert ex induſtriâ ſapientiam. non econtra ex ſapientia fortunam. Nollem quid ſentiam aperire, ne ſimili facilitate corruat. Si quod jam ſubjicio doceret alius, annuerem. Dicere non nemo poſſet meſſis nomine abundantiam venire, proindeque Salomonem hoc loco ſic interpretandum quandiu fortuna ridet, ſapientis eſt adverſitati præcavere; at verò ſecuritatem ſomniare dormientis eſt, qui parum ab inſipiente differt.

Rodolph. hîc.

Salazar. hîc.

2. *Qui.* Dicendi modus indefinitus æquipollere ſolet univerſali, ac ſi diceret: *omnis qui congregat*, &c. Sed ne cunctos lucra terrena congregantes exiſtimes vocari ſapientes. Illis hoc tantùm congruit effatum, qui proſperitatis tempore minimè flagrant cupiditatis incendio: nam reliqui dum plùs acquirendo tument, infatuantur ampliùs: ſortis inſtabilitatem (quo nihil apud omnes vulgarius) obliviſcuntur: vitæ brevi duraturæ caducitas excidit è mente, cùm non aliter coacervent mundi ſubſtantiam, quàm æternum in exilio victuri: curarum ſtimulis, quibus egeſtatis metus præcordia pungit remedia parantes abundare cupiunt; ſed ipſo remedio morbum augent: *neque enim ſine gravibus curarum moleſtiis poſſunt temporalia quæ appetunt vel non habita quærere, vel quæſita ſervare*, inquit M. Gregorius. D.Greg.M. l.29.moral. c.16.tom.1.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam. Vides quot erroribus obcæcati quærant multis famem ſedare permulti? Stultos ne dubites: unum pro cunctis hac nota ſugillavit cælitus nobis donatus magiſter: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te*: ad quem alludens Baſilius ait: *ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit graviores.* Nec alios quæras teſtes quorum fide credas inſanos ut plurimum divitias congregantes: Horat.l.3. Od.16. Luc.12.20. D.Baſil.ho. in illud Evang. quæ eſt 6.ex var.

Nimirum inſanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem. Horat.l.2. Sat.3.

Congregat. Sapientem vocat non eum qui jam congregata cuſtodit, ſed qui cuſtodienda congregat. Adeo confinis eſt inſipientiæ hydropiſis facultatum, ut vix unum ex millibus reperias, qui ſemel atque ſumma rerum oppletus eſt, non deſipiat. Dum acquirendi totus invigilat artibus, vexatio dat intellectum concupiſcenti; ſi pinguem ſemel videat fortunam, pingueſcit illius minerva ſubitò. *O quantum caliginis mentibus humanis objicit magna fœlicitas!* dixit Seneca, Si (prout vulgariter accipi ſolet) hoc loco ſapientia virtus eſt, clariùs elucet hîc auri virus, utpote quo ducente itur in vitiorum ſtultitias: nam ut cecinit poëta, Sen.l.d.brev. vi.vit.c.14.

Ardua res hæc eſt opibus non tradere moras,
Et cùm tot Creſſos viceris eſſe Numan. Martial 11.

Nimis verè, ſi propterea, ſcripſit Ariſtoteles: *ferre ſecundam fortunam non omnes poſſunt.* Ariſto.l.5.de Repub.c.8.

In meſſe. Meſſem diximus hîc metaphoricè pro mundana proſperitate ſumendam: nec incongruè: nam ſicut meſſis tempore ſub acuto ſole calor æſtivus ad canis uſque rabiem efferveſcit: ſic benevolæ ſortis tempeſtate cupidinis flamma vires reſumit, quas fregerat ſalubris adverſitas, & quid pejus eſt, partem ſortis putat poſſe delinquere: ſed miſerum eſt valere ut pereas: *nihilque infœlicius malè agendi fœlicitate*, ait S. Iſidorus Hiſpal. Velut fruges colligens parat agricola quod ſeminet, ita ſub proſperitate laborans metit fructus ut lucretur ulteriora; non ut vitæ conſulat. *Appoſitio divitiarum majorem accendit flammam*, inquit Chryſoſtomus. Denique ſicut terræ proventus in meſſe vileſcunt præ copiâ, ſic eadem quæ ſpes magni facere ſolitat, ſi tandem fœliciter adipiſcaris, deſpicies. *Bona mundi non habita in amore ſunt, & plerumque habita vileſcunt.* Ita Gregorius Pap. S.Iſido. Hiſpal.l.3. ſent. c.48. Chryſoſt.ho. 9. in Matth. tom.2. D.Greg.M. l.14.moral. c.6. tom.1.

Filius. Inertem, qui labori parcens indul-

get somno,filium confusionis appellat ; non verò dixit filium laudis eum qui solerti diligentia pollet ; sed tantummodo filium. Et qua de causâ ? Nonne sicut stertens conciliat sibi paupertatis opprobria , sic industrius operæpretium accipiet commendationem ? Ita : sed ne laudationis amor nimius virtutem obruat , præconia tacuit , quibus decorabitur sagax prudentia. Antithesim reliquit concisam : nam filio confusionis ex diametro respondet filius gloriæ. Hanc disertè siluit , quippe quâ rarò mortales non abuntur : est enim gloriolæ cupido velut insidiosus latro in via tibi se socium jungens, quem difficilè vitabis. Tempestivè idem Gregorius : *quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ , qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur , ut ex occultis educto gladio, gradientium vita trucidetur.* Multa cernes quibus dum servato moderamine cautus uteris , proficies ; & si medium deseras officient. Aura lenis vela movet ; si nimia sit, adest procella. Sub primo vere parca rigat pluvia segetem , quam si crescat plurimùm, sternet facilè. His & similibus æquiparatur decus virtute partum : stimulat servato moderamine ad heroica ; nimietate verò illius pessundaberis: nam dixit quidam : *ut propter fumum sæpe flamma amittitur : sic virtus dum ab aliis immodicè prædicatur , & nimis extollitur.* Ergo taceat Salomon de laude in præsenti , quamvis putares dicendum solertem filium decoris.

Idem lib.8. moral.c.13.

Thriver. apotheg. 166.

Sapiens. Pro justo communiter accipitur, juxta ea quæ toties inculcavimus. Nihil tamen abest quominus ad literam grammaticaliter sumatur pro sapiente : non ex eo solùm quòd prudenti opponatur is qui ad otij pœnam patitur stoliditatis opprobria ; sed potissimùm quia ille sapit verè qui præcavet futura. Summum peritiæ dicendum est encomium , quod incertos futurorum eventus callidè præveniat,nec incertitudine terreatur ut non judicet,neque vana securitate se fallat ut non prævideat. *Si prudens esse cupis , in futura prospectum intende, & quæ possunt contingere animo tuo cuncta propone : nihil tibi subitum sit , sed totum antè prospicias* , consulit Seneca.Hoc itaque maximum inter maturi consilij munia , præmeditari ventura : sic ut ipse rerum Summus Arbiter , futurorum providentiâ carentes dixerit absque prudentia vivere , quasi hæc non alio præcelleret stultitiam, quàm sequentium cognitione. *Gens absque consilio est & sine prudentia. Utinam saperent , & intelligerent, ac novissima providerent.*

Sen. l.4. d. virtut.

Deut.32.28. 29.

Est. De præsenti loquitur cùm sapientem prædicat eum qui congruo tempore desudat messori similis , ne paupertatis postea fœdum experiatur vultum. At cum de inerte loquens claudit sententiam , indefinitè protulit filium confusionis , quin assignet quo tempore confusioni maneat obnoxius : ut credas nullam esse tempestatem , qua stultus piger non mereatur confundi : hoc est tam de præsenti quàm de futuro , vel præterito dignus est opprobriis. Cùm hæc ita sint,miseriam suam insuper ignorat ; non parum saperet, si diceret cum Vate

Quodque mali caput est , tam sum miser ut miser ipse
Cùm sim,me miserũ non tamen esse sciam. 34

Qui autem. Ac si dixisset : econtra qui somno tempora terit. Igitur diametrum efformat inter dormientem & congregantem: licet forsan existimares meliùs contraponi dormientem vigilanti. Sed rectè concinnavit antithesim coacervantis cùm dormiente:ille namque vigilat qui futura providet , ac non improvidus capitur à calamitate. Doctrinam transfer ad negotia salutis , in quibus minor est hominum providentia : *omnes sumus in minimis cauti ; in maximis negligentes : hoc itaque fit , quia ubi vera vita sit ignoramus.* Sic Incertus sub nomine Hieronymi.

Incertus D.Hiero.l. d.hom.perf. tom.4.

Stertit. Operam linquens, otio suadente, componitur illi qui dat languido membra somno. Figuram significato quamsimillimam animadverte. Dormiens præsentibus per insomnia sæpius illuditur , absentia prorsus eum latent , nec aspicit propria , nec aliena: refert quippe mortui brevi duraturam imaginem. Haud aliter accidit inerti. Fallitur ejus phantasia prosperæ sortis inani larva : prævidere nescius adventantia damna vecors oscitatur , nec vicinis terretur experientiis, neque suimet miserendam conditionem probè novit : demortui vivum simulacrum est.

Æstate. Exprimit æstas aptissimæ fœlicitatis jucundissimam faciem. Hanc subsequitur autumni tristis , & horridæ hyemis furor promittens cuncta demoliri. Sic lætæ sortis fructus fœliciter absumuntur : posthàc timor insequitur , & huic succedit egestas : nam inconstantia sicut animo nostro vitium est , ita cæteris creatis naturæ conditio. Cuncta disquire , nihil invenies certa lege manens. Audi Tertullianum : *Luna*,inquit, *modulationibus menstruis variat : syderum distincta confusio interdum rejicit quid, interdum res vitiat : cæli ambitus nunc sub sudo splendidus , nunc nubilo sordidus.... sic & mari fides infamis , dum & flabris æquè mutantibus de tranquillo probum , de lustris temperatum,& extemplo de decumanis inquietat : sic & terram recenseas temporatim vestiri, amantem propessis eadem negare,memor viridem conspicis , flavam mox visurus & canam.*

Tertull.l.d. pallio.

Filius. Vox ista peculiarius aliquid significare fortè videbitur , præter id pro quo vulgò sumpta solet exponi. Confusio ne mater inertiæ ? inersve confusionis filius ? Video commentatores non aliud hîc accipere, quàm si diceret Salomon : pigrè stertens confundetur. At nihil obstat litteræ,si præterea dicamus aliud hac voce denotari. Filium confusionis vocat Sapiens inertem,seu potius inertiam : quippe quæ sæpius ipsius confusionis extitit proles : idest dedecore accepto multi ad torporem declinaverunt. Quamplurimi occurrent immeritò despecti, qui exinde occasionem sumpserunt ut ignaviam sub nomine quietis diligerent. In his opprobrium peperit segnitiem: hæc(vel ipse desidiosus) filia confusionis est : isti confusi pudorem amittunt , & in præceps eunt: illos namque plus honoris quàm virtutis amor continebat à malo. *Plures pudore peccandi,*

Sen.epiſ.84. *candi, quàm bona voluntate prohibitis abſtinent*, ait Stoicus.

Confuſio. Sequitur hæc inertem, quia comitatur pauperem. O infœlicem, qui deſpicabili premitur egeſtate! Sed ô beatum, ſi animo dives abundat! *Videamus*, inquit Caſſiodorus, *quàm ſit glorioſa iſta paupertas, quàm fœlix probetur inopia, quæ Dominum & tacita laudat, & de patientiæ ſuæ virtute concelebrat:* quid ſunt bona terrena præterquàm corporis indumenta? & quid ſtultius quàm hominem de indumento proſequi vel honore, vel opprobrio? Illum dejecit fortuna: penitus abſtulit quæ commodaverat: quid putas? depreſſit animum? Potius diſrupit veſtem. Forſitan ut hoc oſtenderet ad oculum Job ſurrexit, & veſtimenta ſcidit videns bona ſibi ſublata hoſtibus & igne. *Tunc ſurrexit Job, & ſcidit veſtimenta ſua*, &c. Scio te inopiâ preſſum impetendum opprobriis, confuſionem tamen vitare poteris ſi contemnens amiſſa, nequaquam de vili ſorte confundaris. Confuſionem ne tibimet infligas, & leviùs cuncta feres: quia *non cenſus divitem ſed animus facit*, ait Ambroſius.

Caſſiod. in Pſal. 21.

Job 1.20.

S.Ambr.to. 5.l.3.epiſ.ad Vercell.25. longé ante finem.

DELIBATIO I.

Prudentia nimis eget ille cui fortuna ridet.

4. *Sapientiâ plùs eget fœlix.*

IUxta datum hujus gnomæ commentarium ſapiens dicitur à Salomone is qui ubertatis tempore, rerum viciſſitudinem non oblitus, adventanti ſubſidia parat inopiæ. Mirari non deſinam ſapientiæ laudem operi tribui non arduo, ſed quod nullius negotij res eſt. Dum cenſus abundat congregare quæ fortuna cõjecit in gremium, quid quæſo difficultatis præ ſe fert, ut in meſſe congregans commendetur de ſapientia? Eum laudarem ſanè qui torvo penuriæ conſpectu non animo fractus, induſtriâ ſed fretus emerſit in meliorem ſortis auram: hic enim ſe comite, nullius ope, ad clauſam ſibi fœlicitatis arcem evolavit arte, geniumque terrificum ſuperavit ingenio. Hoc ego ſapientis opus efferrem laudibus; non verò tempore prædivitis meſſis horrea venturæ hyemi replere. Sereno cœlo, flante benigno Favonio, quiſque pro nauclero ſat eſt; ſi tempeſtas furiat, clavo ſuſtinendo nec ſatis vigilans Palinurus erit. Sic igitur in humanæ conditionis inſtabili freto navigans proſperè quare laudibus extollendus? Æquore procelloſo rationalem puppim auſpicato in portum deducens quare tacendus? O quàm diſertè! Novi quòd in utrâque fortunâ ſubeundum ei diſcrimen eſt, cui mortalis contigit aura: Sapientior tamen ſit oportet ille qui fœlicitatem rexit fœliciter, quàm is qui adverſæ fortunæ validè adverſatur. Fallaciis mille patet fortunatus: *inter ſapientiam & fortunam rara eſt pax*, dixit Petrarcha. Unde ſicut fortuna fugit ſapientem, ita ſapientia fœlicem: hic ergo maximè indiget ſapientiâ: nam *facilius eſt adverſa propulſare, quàm retinere res ſecundas*, ut priſcus effatur Sapiens.

Petrarcha de teme. proſp. fort. dial. 47.

Cleobu. apud Thucy. l. 3.

Ad ſacra redeamus. Afflatus divino flamine Joſeph ſomnia Pharaonis ediſſeruit, quibus futura ſeptem annorum ſterilitas poſt abundantiæ totidem annos portendebatur. Adjecit interpretationi conſilium dicens: *Nunc ergo provideat rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti, qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, qui jam nunc futuri ſunt, congreget in horrea: & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſerveturque in urbibus. Et præparetur futuræ ſeptem annorum fami, quæ oppreſſura eſt Ægyptum, & non conſumetur terra inopiâ.* Totum Joſephi conſilium tranſcripſi, ut occurrat potiùs tibi, quàm accipias à me quòd hîc defuiſſe videtur. Duo erant ab eligendo magiſtratu præſtanda munera: primum ſcili. abundantibus arvis colligere, ſervareque frumenta: ſecundum verò ingruente poſtea fame aperire horrea, diſtribuereque provida manu. De priori miniſterio totus loquitur Joſephus per ſingula ſatis; de poſteriori tacet, non enim addidit: & vir ille prudens, cùm fames compreſſerit orbem, vendat populis triticum, & ſi pecuniæ deficiant emptoribus, accipiat pecora, & his exhauſtis agros in pretium frumenti vendicet regi, quò ſic & plebis egeſtati, necnon gazæ regiæ provideat induſtriè. Nihil horum Joſephum dixiſſe lego: rationem audire vellem. Hæc obvia patet. Duo illa ſeptennia ſic diſpoſita fuere cælitus, ut prius proſperum fuerit, poſterius verò adverſum extiterit Ægypto. Infœlici tempore non adeo difficile regimen erat, ut opus foret inſtructione Joſephi: nec operæpretium putavit ille de iis quæ in adverſitate agenda forent alloqui Pharaonem. De his autem quæ tempore proſperitatis oportebat exequi ſolùm Joſephus agit. His fœlicibus & ærumnoſis temporibus provideri ſapientem virum hortatur, ſciens difficiliùs teneri fauſtorum ſucceſſuum prudens moderamen, quàm incommodis reſiſti. Hanc veritatem ad propriam uniuſcujuſque actionum œconomicam gubernationem transferto: nam adhuc iſte principatus, quo movet quiſque ſceptra pectoris proprij, magis arduus publico dominatu fatetur Bernardus: tu negare non audebis. *Ego* (ſcribebat S.Doctor) *de me expertus ſum quod dico: & faciliùs imperare, & ſecuriùs poſſum præeſſe aliis multis quàm ſoli mihi.* Igitur ſi abundas, eveheris, & gaudes, periculoſum tibi mandatum eſt munus, nempe teipſum rationis habenâ continere. Si autem eges contemneris, & ploras, minori diſcrimini tuum patet imperium puſillum & magnum. *Magis* (Gregorium Pa. audis) *proſperitatis ſublimitas, quàm neceſſitatis adverſitas gravat. Per hanc namque nonnunquam cùm homo exteriùs premitur, ad concupiſcenda quæ intus ſunt liberiùs relaxatur. Per illam verò animus dum multis pavere cogitur, à deſiderij curſu retinetur. Unde fit ut ſancti viri magis in hoc mundo proſpera quàm adverſa formident.* Sapientior itaque ſit oportet is qui fortunatè tranſigit vitæ

Gen. 41. 33. &c.

D.Ber. epiſ. 87.

D.Greg.M. l. 5. moral. c. 1. tom. 1.

vitæ cursum, quàm ille quem læva sors quid cavendum est crebris monet ictibus importuna. *Qui congregat in messe*, hoc est dum prosperatur, hic *sapiens est*.

5. *Sapientiæ genus est quædam specie tenus ignorantia.*

Animadvertendum autem, non quamcúmque sed exquisitissimam requiri sapientiam ad rectum fœlicitatum regimen. Multa sunt dediscenda, quæ scientiæ præcepta nobis inculcant, ut moderari scias teipsum, dum sors placida favet. In scholis adolescentia docetur quædam esse entia vera, quædam figmenta: ex veritatibus quasdam certas, alias cùm formidine tenendas: intellectum apprehendere, nunc judicare, nunc discurrere: res omnes in decem Classes dividi, quarum una Substantias continet: ac mille similia dogmata juventuti propinat Philosophia. Opportunum erit ei qui prosperitate potitur, ut omnia illa theoremata invertat, novámque sibi cudat scientiam. Credat imprimis cuncta Creata rationis esse imagines ad instar entium Realium picturatas: statuat nihil sub sole certum; universáque sub opinione versari: existimet intellectum nostrum etiam cùm discurrere, judicaréque putat, meris apprehensionibus illudi: resolvat substantiæ prædicamentum rejiciendum esse, cùm nec Deum claudat, nec extra illum quidquam sit quod ullius momentum substantiæ præ se ferat. Video quàm dissideant hæc à sapientum placitis, proindéque ab ejsdem contemnenda titulo ignorantiæ. Sed per insciticæ speciem ad Sapientiæ culmina tenditur solidioris. *Quod ubi* (ait Anonimus) *ille Deus nos semper cogitans & nostra, vidit per sapientiam mundi .... suam sapientiam fuisse desertam, placuit etiam ei econtrariò adversus astutiam Diaboli, sapientiæ suæ divitiis innumerabilibus uti & scientiæ altitudinem quam nullus poterit investigare sicuti est, & suam sapientiam stultitia velare, & vitam suam mortis quadam obscuritate celare ut ad sapientiam pervenire non posset, qui in hoc sæculo opinionem stultitiæ fugisset* &c. Igitur suade tibi prudentem ignorantiam acutæ præcellere sapientiæ.

Incertus. D. Hier. to. 4. epis. ad amic. ægro. de viro perfec. juxta finem.

Adi Apostolum scribentem ad Corinthios, eundémque sibimetipsi compone: primum quippè dixit: *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et sequenti capite ait. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos:* qui sapientiam se profitetur eloqui, quo Stylo dicat stultam suammet prædicationem, vix capio; nam si humilitatis ergo sic fatur, utrobique similiter abjectè de se scribere debuisse videbatur. Nodum solvit Episcopus Minoriensis. *Videns igitur Deus nihil utilitatis hominem per hanc sapientiam percepisse, mutavit rationem docendi, & stultus propter nos factus novum nobis discendi modum dedit, videlicet ut per stultitiam suam qua conjecit Filium suum in crucem, cognosceremus immensam ejus virtutem, & sapientiam, & bonitatem: & ita proficeremus in via Dei nova.* En quare Paulus prædicationem Evangelicam, quæ doctrinarum summus est apex, appellat stultitiæ titulo, quia scilicet per illam plurima dedocentur, quæ Philosophorum Superbia docuit. His exclusis proposita mortalibus est inaudita disciplina, quam stultam credidere non credentes, quà videmur ignorare ut sciamus. Hâc eruditione non vulgari pollere debet is, cui secunda tempora primùm in sæculi Theatro locum præbuit: ne deceptionibus pateat mille passim, & spinas peccatorum colligat *qui congregat in messe* opulentam segetem: cúmque stultus fuerit habitus, tunc prudentiæ *Filius sapiens est.*

2. Cor. 1. 21. & c. 2. 6.

Ambr. Cath. Episc. Min. in 1. ad Cor. 1.

6. *Fœlicitas & ruina simul sunt.*

Distat equidem à scientia mundiali toto cœlo. Etiam apud cordatos tunc censetur mens ad rationis normam composita, cùm præterita retinet ac futura præmeditatur. *Mens autem sobria est quando & præterita, & futura, cognoscit.* Sic D. Ambrosius. Diversam valdè doctrinam fœlices addiscere congruit. Venturam infœlicitatem præsentem putare opportunum illis est. Notissimum reddidit experientia clamans præsentissimum discrimen eorum esse, quos in astra vexit fortuna ridens. *Excelsa periculosius stant, & citiùs corruunt quæ sublimia sunt.* Ita S. Hieronymus. Hinc est quòd verè sapiens jam cecidisse putat cùm elatus fuit: non ille venturam reputat ruinam post sortem; sed fortunæ suæ simultaneam æstimat adesse.

S. Ambr. to. 1. l. de Noë c. 31.

D. Hier. in Dani. c. 3. post prin. tom. 5.

Pristinæ sortis memor dicebat Jobus Domino: *elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Vbi S. Gregorius Papa: *quia præsentis vitæ Gloria quasi in alto cernitur, sed nulla stabilitate solidatur, velut elevatus super ventum ponitur qui prosperitate transitoria lætatur.* Ventum pro basi vendicare non dubito statuam fortunæ. Sed putabam dicturum esse Job: postquam super ventum me collocasti, validè allisisti. Non sic locutum lego, sed usum participio, *ponens*, quod, cum significet de præsenti, vim habet conjungendi positionem cùm elisione: *ponens elisisti me.* Disertissimè, quidem ille fatur experientiæ discipulus, & contemptus mundi magister. Non post fortunam succedere credidit solùm ruinam; sed eodem tempore putavit sociari simul ascensum & præcipitium. Favere videtur idem Gregorius dicens: *in alienis oculis elevatus fuit, & quasi super ventum positus, elisus est validè: quia rebus exterioribus stultus unde æstimabatur surgere, videbatur inde cecidisse.* Nervosiùs quàm expetebam cogitatui nostro patrocinatur moralissimus Doctor: non enim tantum simultatem inter elevationem & casum agnoscit ibi; sed identitatem. Quidni dicamus quòd apud justos fortuna & infœlicitas non se habent, in eo qui prosperis potitur, tanquam præsens & futurum, cum potiùs idem fere sint. Exotica est, ultraque regulas, doctrina confundere futuris præsentia: sed ut instabilitas temporum non deludat fœlicem, oportet quòd se jam in hyemi degere mæsta computet ille *qui congregat in messe*, dum viret æstas opulenta.

Iob. 30. 22.

D. Greg. M. ibi. tom. 1. l. 20. c. 24.

D. Greg. M. Ibidem.

Solent etiam laudari tanquam prudentissimi qui experientias observant, & illis ut regulis utuntur. Nihilominùs consulo fœlici experientiam cavere: fallit enim illa sæpissimè.

7. *Eodem nitidio duplex fœlicitas non solet advenire.*

sæpissimè fortunatos. Quod primò cecidit, fœliciter, non semper iterari licet eventu

Tull.l.2.d. nat.deorum. læto. *Fortuna amica varietati constantiam rèspuit.* Dixit Tullius. Unde ingeniosè superbéque apud Boëtium dicebat illa : *rotam*

Boët.d.consola.l.2.prosa 2. *volubili orbe versamus. Infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea lege ne uti cum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes. An tu mores ignorabas meos ?* Igitur qui primam expertus est fœlicitatem dubitet de secunda. Non fidat experientiæ : vix enim accidit ut eodem instrumento duplicem sortem liceat adipisci.

David profugus declinans invidi Saülis iras accessit ad Achimalech sacerdotem, duoque postulavit ab eo, scili. gladium & panes : utrumque donavit ille, sed non eodem stylo, nam daturus ensem videtur subdubi-

1.Reg.21.9. tasse an David eum vellet. *Si istum vis tollere, tolle.* Circa panes non insinuavit Sacerdos æquale dubium. Prudenter hæsit Achimelech an accingi voliturus esset David gladio gigantis, nam illo jam semel usus erat fœliciter cum Goliæ caput abstulit eo: vererique posset secundam fœlicitatem eodem gladio sibi nequaquam assequuturum. Ideo dixit velut hærens : *ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem occidisti in Valle terebinthi est involutus pallio post ephod : si istum vis tollere, tolle.* Meritò quidem formidare posset David illum ensem iterum arripere, quo se fœlicem expertus fuerat semel.

Ibi c.17.51. *Et tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina sua & interfecit eum, præciditque caput ejus.* Experientiæ fortunatæ ne fideris : contra istam præsumendum est, ne falli te contingat. O novam sciendi artem, quam non experientia genuit !

8. *Ad fœlicitatem conservàdam opus est plusquàm sufficiat.* Alia prudentiæ regula circumfertur, cui oppositum discere convenit, & exequi eum qui fortunæ facie pulchra perfruitur. Prudens media fini consequendo proportionata eligit, ne si exorbitent arguatur non agnovisse quò tenderet. Aureo ligone terram

Aristo. l.1. Retho. ad Theodact. c. 6. eruens à nullo non fatuus reputabitur : *nam quod majus est quàm oporteat, id malum est,* ut Aristoteles philosophatur. Qui benignam sortitus est rerum vicissitudinem alia tendat viâ. Non sit contentus iis quæ satis forent mediis ad conservationem fugientis lætitiæ:

Sen. d.brevit.vit.c.17. nam, ut Seneca docuit, *alia fœlicitate ad tuendam fœlicitatem opus est:* ideo quantumlibet invigilent naucleri benevolo Zephiro findentes æquora mundi, accidunt naufragia mille, quippe ut Curtius lamentatur,

Curtius l.8. *contra obsequia fortunæ non satis cauta mortalitas est.* Aliis finibus assequendis illud satis erit quòd opus fuerit. Ad fortunam servandam requiritur plus quàm sufficit.

Ad Gabaonitas Israëli fœderatos ab obsidione liberandos, quâ reges quinque potentes opprimebant illos, accedit Josuë divino confortatus oraculo, ac validè contrivit eos ad fugam compellens indecoram. Et quamvis adversus fugientes pugnatum de cœlo sit lapideo imbre : volens dux indefesse strenuus hostes penitus ad ultimam usque internecionem profligare, sic ad So-

Josuë 10.12. lem & Lunam locutus est: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon.* Quid intendit egregius militiæ Princeps ? diem sistere ne lux deficiat insequentibus hostem ? Quis hoc dubitaret quamvis id omitteret Liranus ? *Hoc autem petivit Josuë,* Lira ibi. *ut haberet* (inquit sollicitus ille) *tempus adversarios persequendi.* Et quid proderat augmento diei statio Lunæ ? hæc fraterno sceptro non comes data est sed substituta: quandiu Sol effulget, ejus lux parum, vel nihil, usui nostro proficit. Sole indiget, ac Lunam advocat in auxilium ? Prudentissimè sanè, quia de conservandâ victoriâ curabat : & quamvis ad protelandam diem Sole tantùm egeret, putavit oportere quærere, plusquàm satis : Lunam simul optavit adesse: nam adhibendum est ampliùs quàm requiratur, si vis ut illæsa servetur fœlicitas, quæ tibi contigit. Cùm igitur adeo extraordinariis axiomatibus & pronuntiatis constet ars prosperitatis fruendæ, peculiariter de illo qui messe temporalium abundat rectum tenens iter, verè Salomon asserit: qui congregat in messe filius sapiens est.

DELIBATIO II.

Quæ Deus infligit supplicia nos aliquando munera putamus, beneficia verò non attendimus : qui non eorum possessione sed spe sic ducimur, ut per istam labor minuatur.

Qui autem stertit æstate filius confusionis. Desidi, qui labori parcens auxilia nequaquam parat inopiæ dum tempora juvant, rex sapiens hoc loco minatur fore tandem ut egestate coram hominibus vilescens confundatur. Hoc ut acutiùs exprimeret, filium confusionis vocavit inertem. Quid confusio habet quòd sit matri simile ? Genitrix nato benigna ; confusio tormentum sanè dirum : quo ingenio hæc valet exæquari parenti ? Vide. Fateor pœnalissimam homini confusionem : sed accidit quandoque ut pertinax in malo reputet beneficium id quod supplicij loco datum est à judice recto. Cæcus amat quod plorare posset, ac gaudet malus haberi. O miserrimum. *Illum ego* Curtius l.6. *periisse dico, cui quidem perit pudor.* Ita Curtius. Et quidem pudere desiit illum qui percussiones à Deo inflictas obstinatus non dolet. Hanc obdurationem tanquam circunstantiam peculiarem delicti notavit Jeremias dicens : *percussisti eos & non doluerunt:* quid Jerem.5.3. enim est non dolere de flagellis, nisi obstinari ? *Ait percussisti eos.... ne verecundiam* D.Hiero.ibi *quidem suorum voluerunt habere vitiorum, sed* lib. 1. c.5. *instar petræ indurantes frontis impudentiam,* tom.5. *noluerunt ad meliora converti.* Sic Hieronymus commentatur Jeremiam. Plurimis in calamitatum generibus hanc mortalium dementiam videre licet. Nonne Deus cùm finit bella moveri, flagellat ? Utique. Quot numerabis ita ferreos ut gladio victitare non necessitatis, sed electionis arbitrium faciant ? Millia. Parentum flere docuit obitum naturæ;

Quæ supplicio vertenda forent favori ducimus.

ſed ô quam multi paternis divitiis inhiantes ipſo funeris die hilarem celant animum. Idem ſupplicium, de quo meritò quiſque ſenſatus erubeſceret, nonnemo velut matris indulgentiam computat in munera.

Homo cùm in honore eſſet deſipuit: ſplendentem principatus orbis trabeam (ideſt innocentiæ nuditatem quæ perpulchra veſtis eſt) pelliceâ tunicâ miſerè commutavit: & paradiſæis deliciis natus exulavit infœlix ut in ſudore vultus laborãdo victitaret. Æquum foret ut cunctos Protoplaſti filios ignominioſæ ſententiæ tangeret pudor, jugiterque dolerent ereptum diabolicâ fraude honorem, quo deſtitutus labori damnatus eſt importuno primus parens. At vide quàm longè aliter Salomon loquitur: *nec prohiberi cor, ait, meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his quæ præparaveram: & hanc ratus ſum partem meam, ſi uterer labore meo.* Nonne vides quàm ſibi peculiarem elegerit ille partem! Non dixit partem ſuam exiſtimaviſſe ſi bonis uteretur; ſed *ſi uterer labore meo:* quaſi minus dulcia forent bona mundialia niſi laboris pretio comparata forent. Laborandum eſſe mortalibus ut fruantur bono, pœna peccati eſt. Attamen illi hoc ipſo quo puniuntur magnificiunt. Ne prætereas quæ ſequuntur verba pro eadem morali expenſione ſatis opportuna. *Cúmque me convertiſſem ad univerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi*, ait ille. In labore vidit vanitatem? veritatem putabam dicturum ſe in laboribus inveniſſe: quòd gaudia vana dicat non miror; quòd labores evanidos appellet qua ratione percipiemus? Putarem Salomonem etiam ipſo labore ſe deceptum fateri, quatenus antea dulces, ac æſtimatione dignos depingebat voluptatis amor; poſtea moleſtiſſimos docuerit lux ſuperna. In præſenti necnon videre licet hominem ipſam punitionem quandoque diligere, non quidem humilitate ductum, vel pœnitentia, ſed errore ſeductum quo diligit mala ſua veſanus. Confuſionem dilectæ matris loco poſitam legis: *filius confuſionis:* confuſione punimur: non ideo fugimus illam, uti nec filius genitricem.

Eccl. 2. 10. 11.

10. *Queruli de ſorte ſua quã Deum ladãt.*

Econtrariò in Dei beneficiis evenit. Ut amamus veluti dona quæ flagella ſunt, ſic de beneficiis dolemus ingratiſſimi: ægro palato ſuavia frequenter amareſcunt: malè ſano cordi nonnulla dona Dei pœnalia ſunt. O fœdum ingrati pectoris morbum. *Nihil*, inquit Bernardus, *ita diſplicet Deo quemadmodum ingratitudo.* Si Dei cultum imminuiſſes, offenderes ejus majeſtatem: ſi reluctareris obedire, juriſdictionem læderes: ſi promiſſis non ſtares, opponereris divino juri. At cùm te exhibes ingratum, amorem vulneras qui jus in te peculiare vendicat intimaque juriſdictione gaudet, ac majeſtate, quamvis latente præcellit. Patiens eſt amor: ſed non ideo minus, imò plùs, dolere ſolet offenſus. Ideo fortaſsè cordi appropriatur dilectio, ut videas eum qui lædit amorem, cor ipſum percutere. Cùm igitur ingratiſſima ſit contra benefactorem querela, & à Domino ſit omne datum, non vulgariter eſt injurius erga Deum is qui de ſorte ſua non contentus efformat querimonias. Si dici poſſet divinitatem dolore feriri, dolere putarem ingratam beneficiorum deſpectionem. Faveat Hieronymus. *Heu conſolabor de hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis... Conſolatio Dei ſuper hoſtibus eſt ut qui non ſenſerunt beneficia ſuppliciis corrigantur*, &c. Hinc vide qualiter Deum offendat beneficiorum contemptor: quid erit ſi contemptui addet querelam de ipſo beneficio, quaſi de accepto malo? Iſtam puto graviùs à Deo ferri audaciam, quàm negantis ei debitos cultus impietatem, ſeque læſæ majeſtatis divinæ crimine polluentis.

D. Bern. ſer. 1. de ſept. miſeric.

D. Hier. to. 5. l. 1. in Iſai. c. 1. ad fin.

In ſeditione Core ipſe cum aliis proceribus ſynagogæ ſibi præpoſitos fuiſſe Moyſen & Aaron minimè patiebantur. *Cur elevamini*, inquiunt, *ſuper populum Domini?* & infrà. Dathan, & Abiron dixiſſe refertur contra Moyſem: *Nunquid parum eſt tibi quòd eduxiſti nos de terra quæ lacte, & melle manabat.... niſi & dominatus fueris noſtri?* Seditioſis equidem convenientiſſimum fuit de terra Ægypti exiiſſe, ac à Moyſe Aaronque per ſolitudinem duci: ſed ſuæ ſortis tædio affecti querebantur de beneficio quaſi de injuriâ: &, quod majus eſt, contra ipſam Dei providentiam, qua diſponente operatus eſt Moyſes initium & progreſſus Iſraëliticæ libertatis, idem telum tacitè jaciunt, quo Moyſem manifeſtè petunt: nam ideo fortè Dominus dixit: *cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Et infrà: *quieſcant querelæ eorum à me:* non ait ad Moyſem: quieſcant à te, ſed: à me. Bene. Quæro: quomodo Altiſſimus cohibuit, & quieſcere fecit querulos? Grandi miraculo. Germinavit Virga Aaron, juſſitque Deus ut in tabernaculo foliis & fructibus ditata cuſtodiretur: *refer Virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij ut ſervetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël, & quieſcant querelæ*, &c. Memini deliquiſſe populum in idololatriæ præcipiti lapſu, adorato aureo, ſed fœdo idolo. Cur non & ibi mirabile aliquid paravit omnipotentia Dei, quo in poſterum Iſraëlitæ à ſimili crimine deterreantur? querimoniæ compeſcuntur Aaronicæ virgæ prodigio? idololatria non evitatur miraculo? Forſan alicui placebit exiſtimare Deum ægriùs tuliſſe querulos, quàm idololatras: hîc namque majeſtatem Conditoris impetabant præcipites; illi verò amorem divinum ingratitudine feriebant de ſorte ſua queruloſi putantes eductionem ex Ægypto ſibi fuiſſe nocivam, credenteſque melius illis fore non ſubjici Moyſi, quamvis in Ægypti dura ſervitute remanſiſſent. Ut ergo ſimiles ingratos queſtus in futurum Deus impediret virgæ ſigno uſus eſt. Adeo diſplicet ingratitudo clementiſſimo Domino. Nos tangunt prædicta verba quæ uſque nunc verſabam: vix enim eſt qui non de beneficiis acceptis murmuret querulus. *O ingrata anima* (introducit Auguſtinus Deum ſic loquentem) *per me anima, à me vocata anima, à me in ſpem reducta, à me à peccatis abluta, & Iſraël non intendit mihi: baptizantur*

Num. 16. 8. Num. 16. 13. Ibi c. 17. 5. 10. Ibi 10.

D. Aug. to. 8. in Pſ. 80.

Tantur enim & tranſeunt per mare rubrum, ſed in via murmurant, contradicunt, ingrati ei, qui liberavit à perſequentibus hoſtibus &c. Vix eſt qui non ingratitudine fœdetur dum neutiquam ſua ſorte contentus & beneficia non agnoſcens, accepta execratur, & alia quæ ſibi magis arrident cauſatur ille denegari. Si rectò incedis virtutum tramite, ne munera neſciens donata, præmio te carere dicas. Ut cætera dona Dei omittam, & ipſa virtus retributio ſui eſt. Nonne hoc loco ſapientia, ideſt virtus proponitur ut remuneratio laborum? *Filius ſapiens eſt.* An non velut ſtertens degit qui Dei dona non agnoſcit?

11. *Reprehenſione dignior ignorans voluntariè beneficium, quàm recuſans ſolvere.*

Qui autem ſtertit æſtate. Æſtatis nomine proſperitatem ſignificari ſuprà monui. Clauſis oculis homines excipiunt beneficia Dei, ſtertentibus valdè ſimiles, qui non tantùm corporis, ſed mentis acie, cæcitatem patiuntur ad tempus voluntariam. Plura ingratorum genera confert ad invicem. Plutarchus: cæteris turpiores exiſtimat beneficiorum oblitos. Neſcio tamen an alij dentur adhuc execrabilioris ingratitudinis rei.

Plutach. *Ingratus*, inquit ille, *qui beneficium accepiſſe negat quod accepit, ingratus qui diſſimulat: rurſum ingratus qui non reddit; at omnium ingratiſſimus qui oblitus eſt.* Attamen dabo ingratiorem: illum ſcili. qui beneficium nunquam agnoſcere voluit. Non cum Plutarcho multum contendam, ſed cùm opinione vulgi, qui ratione ductus non vulgari videtur eum inter ingratos præferre qui agnoſcens beneficium non ſolvit. Apud S. Bernardum opportunè ad rem noſtram

D. Bern. ſer. 15. in pſ. Qui habi. legimus: *quod ergo onus Chriſti, quod onus leve? Ut quidem ego ſentio beneficiorum. Dulce onus. Sed ei qui ſentit, ei qui experitur. Alioquin ſi non invenias, ſi non advertas, grave omnino & periculoſum.* Itaque ſpontè non attendens accepta cœlitus dona periculosè nimis peccat: pejor igitur eſt non ſolvente debitum quod agnoſcit. Qui beneficium ſolvere noluit non deficit intellectu, ſed voluntatis ingratitudine tantummodò laborat: cúmque voluntas potentia cæca nuncupetur, & injuriam à cæco factam non adeo magni faciamus, non obtinet hic primas inter ingratos. At verò qui voluntariè ſe debitorem non cernit ingratus eſt intellectu (parcat nunc Theologia ſic loquenti: quamvis enim vitium ſit voluntatis opus, attamen error, ignorantiaque, defectus eſt judicij) ac proinde læſio hæc fertur graviùs, utpotè ab eo facta qui videns, imò animæ viſus appellari poteſt. Non dubites reprehenſione digniorem ſpontanèe beneficium Dei non attendentem, quàm ſi debitis exſolvere ſe recuſet.

Devicta crudelitate, ſuperata morte, ſpoliato Lucifero, Servator occurrit duobus diſcipulis euntibus in caſtellum: miſcet ignotus cùm eiſdem Sermones: ac ſuæ Paſſionis geſta memorantes; hujus tamen ignaros Myſteriorum, ſic reprehendit: Luc. 24. 25. *ô ſtulti & tardi corde ad credendum.* Ipſa die clauſis januis apparuit Apoſtolis: non tamen eos increpavit de timiditate, quâ Matth. 26. 56. ducti, Paſſionis in veſtibulo *diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*: Putares potiùs increpandos veloces ad fugam Apoſtolos, quàm tardos ad fidem diſcipulos: & circunſtantiæ utriuſque facti ſic ſuadere videbantur. Imprimis qui ab horto fugam cepere Apoſtolatus erant apice conſtituti; qui verò ad Emaus iter faciebant locum in Apoſtolico ſenatu non vendicabant: & ignorat nemo culpam de perſonæ dignitate vituperabiliorem reddi. Ad hæc. Apoſtoli Magiſtrum relinquebant manibus traditum ſæviſſimis; duo verò illi non eum reliquerant; ſed redivivum ignorabant. Cur ergo ſeverè diſcipulos in itinere verbo corripit? Fugientium autem Apoſtolorum timorem non arguit? Quia fugientes Apoſtolos non latebat ſe plurimum obſtrictos Domino (idcirco namque promiſerunt vitam potiùs expoſituros, quàm ipſum negarent) ſed more nolentis reddere ſolutionem, quærebant fugæ præſidium. Non ſic illi duo comites in viâ Emaus; nam beneficium redemptionis, quod ſcire debuerant, ignorabant: *nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël*: de temporali redemptione loquuntur: *ideo & dicunt: nos ſperabamus quòd ipſe redempturus eſſet Iſrael videlicet à gentilibus Romanis*, ait Theophylactus; redemptionem ſpiritualem jam à libertatis noſtræ Aſſertore in cruce peractam neſciebant non ſine culpa. Increpantur optimo jure: nã reprehenſione dignior eſt Dei beneficium ultrò non advertens, quàm ſi creditis deobligare ſe renuat. Increpet ergo Salomon eum qui *æſtate*, hoc eſt cùm à Deo fœlicitatibus cumulatur debitum fateri nolens, culpabili ſomno deditus in aurem utramque *ſtertit*.

Luc. 24. 21.

Theophilact ibi.

12. *Spes laborem alleviat; non ſic poſſeſſio.*

Preme iterum verba illa: *ſtertit æſtate*: hoc eſt proſperitatis tempore vivit ignavè. Sed quidnam quæſo æſtati cum otio, ut ei approprietur? Exiſtimarem tempus æſtatis accommodari deſidioſæ quieti, quia tunc ſpes multò antea conceptæ cæteros inter fructus matureſcunt: & cum expectatio mortalium ad optatum finem deducitur, elanguent vires, laſſantur artus, cadit animus, dormientibuſque ſimiles redduntur vel fortiſſimi. Econtra dum viget ſpes evigilare facit oculos, erigit animos, auget robur. *Futurorum*, inquit Origenes, *ſpes laborantibus requiem parit, ſicut in agone poſitis dolorem vulnerum mitigat ſpes coronæ.* Spes, inquam, aſperrima quæque tranſmutat in ſuavia: non quidem dulcedine, ſed amaritudine ſua (ô arcanam certè antiperiſthaſim!) dulces reddit hominum labores. Illius auxilio nautis quieſcunt procellæ, agricolis æſtus miteſcunt & glacies, militibus horriſonus martis furor dulce canit: quaſi nihil formidabile reperiri valeret illi qui ſpei tormentum non refugit. Spes igitur arduitatem laboris emollit; non ſic poſſeſſio.

Origen. hom 9. in exod.

Priuſquam Iſraëliticus populus Iordanis fluenta ſicco veſtigio pertranſiret, præcepit Ioſuë principibus ut juberent cibaria præparari, denuntiantes tranſeundum poſt diem tertium amnem fore, ut intrarent ad poſſidendam deſideratiſſimam repromiſſionis terram. Cumque textus de principibus populi indefinitè loquatur, de omnium tri-

buum principibus intelligendum videtur. Ideo notatu dignum eſt quòd eundem populi maximum ducem feciſſe ſtatim ſubjicitur ibidem. *Rubenitis quoque, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait : mementote ſermonis quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini, dicens : Dominus Deus.... vos autem tranſite armati ante fratres veſtros*, &c. An non ſatis erat quòd illa duplex & dimidia tribus per principes (ut cæteræ) præceptum acciperent pergendi ad exitum peregrinationis à Deo præſcriptum ? Ut quid neceſſe fuit quòd Joſuë iis ore proprio exeundi monitum intimaret ? & verba Moyſis in confirmationem adjiceret ? erat ne difficilius iter poſteris Gad & Ruben dimidiæque Manaſſe tribui ? Sic puto : ſed quare ? Quia ipſis à Moyſe fuerat jam terra in poſſeſſionem donata citra Jordanem : *revertemini in terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Jordanem*, dixit illis Dux idem. Cæteris verò Iſraëlitis non adhuc erat diſtributa poſſeſſio : *donec* (inquit ibidem Joſuë) *det Dominus requiem fratribus veſtris, ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque terram*, &c. Reliquas ergo tribus ducebat ſpes ; Rubenitas autem & Gaditas, Manaſſemque dimidium, non ſic quia poſſeſſione jam gaudebant : idcirco iſtis majori diligentia quàm cæteris itineri faciendo ſtimulos addidit Joſuë : nam aliis tribubus labor viæ minueretur ſpei lenocinio ; non ita verò illi duplici dimidiæque tribui jam ſortem poſſidentibus, nec expectatione allectis. Vide laboris arduitatem ſpe molliri ; non verò poſſeſſione minui. *Stertit æſtate* hoc eſt fructuum tempore ſocors, curarum laſſitudini dat manus poſtquam fœlicitates prendidit qui dum expectaret ventura bona vigilabat forſan. Dicam igitur cùm Seneca: *diſcedent aliquando iſta inſidioſa bona, & ſperantibus meliora quàm aſſequutis.*

Joſuë 1. 12. 13. 14.

Ibi n. 15.

Senec. epiſ. 15.

13. *Quod jam tenes, majus putabis, ſi alia via cupis.* D. Aug.

Rationem hujuſce dabimus erroris : vel, ut melius dicam, radicem illius aperiam ut evellatur. *Sine cauſa aliquis conatur ramos incidere, ſi radicem non contendit evellere.* Sic aliorſum D. Auguſtinus. Ideo ſpes evigilare facit eos qui fortunarum tempore ſomnos capiunt, quia dum cupiuntur bona videntur ampliora, quàm ſi poſſideantur, menti deluſæ neſcio quibus deſideriorum præſtigiis. Inde fieri ſolet ut nemo ſorte contentus aſſecuta ſit, quàm veluti maximam priùs exquirebat. Seneca : *cui aſſequuto ſatis fuit quod optanti nimium videbatur ?* Unde Tertullianus irridet bonorum quæ concupiſcimus æſtimatam magnitudinem, quam illis confert hominum cupido. *Grande* (inquit ille ironicè) *ſcilicet votum quòd nec natura, nec veritas, ſed vitioſa animi paſſio concupiſcentia commendavit.* Non pariter oculis animæ contingit atque corporeis. Corporis luminibus ea quæ longè poſita ſunt minora videntur ; aciei verò mentis econtrariò quæ diſtant apparent majora. Quin potiùs quamvis bonum aliquod jam teneas, ſi adhuc idem aliâ viâ concupiveris, idipſum reputabis majus.

Sen. epiſ. 119.

Tertull. l. d. habit. mulie.

Quærunt interpretes an Adamus fidem adhibuerit Satanæ dicto ſimilitudinem Dei per eſum pomi vetiti promittentis, illamque deſideraverit obtinere. Affirmant Ignatius martyr, Irenæus, Hilarius, Proſper, Cyrillus Alexandrinus, Ambroſius, ac Epiphanius : quorum veſtigiis inſiſtentes, examinemus quid cupiat Adam quod non habeat : an non in ipſa creatione Deo ſimilis factus fuerat ? *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, dixit Conditor. Exponit Rupertus *ad imaginem videlicet ut ſit rationalis.* Imò & divina ſimilitudo conſiſtens in participatione virtutis illi conceſſa eſt. Hanc peccato amiſit, ut notavit Ambroſius. *Secundum*, ait, *hanc imaginem quæ refulget, pictura pretioſa eſt Adam ante peccatum : ſed ubi lapſus eſt, depoſuit imaginem cæleſtis.* Et quare non veritus eſt deponere decus tantum, niſi quia ſuperbus is ad ſimilitudinem Dei promiſſam à ſerpente conatus eſt aſcendere ? Accipe ſanctum Leonem. *Primus namque homo carnis ſubſtantiam accipit è terra, & rationali ſpiritu per inſufflationem creantis animatus eſt ut ad imaginem & ſimilitudinem ſui authoris vivens, formam Dei bonitatis atque juſtitiæ tanquam in ſpeculi nitore ſervaret. Quam naturæ ſuæ ſpecioſiſſimam dignitatem ſi per obſervantiam legis datæ perſeveranter excoleret : ipſam illam terreni corporis qualitatem ad cæleſtem gloriam mens incorrupta perduceret. Sed quia invido & deceptori temerè at infœliciter credidit, & ſuperbiæ conſiliis acquieſcens, repoſitum honoris augmentum occupare maluit quàm mereri.... audivit terra eſt*, &c. Habemus ergo ex prædictis Adamum concupiviſſe Dei ſimilitudinem, quamvis haberet eam. Quænam illum veſania cepit ? quod poſſidet ambit ? deſiderat ſimilem eſſe Altiſſimo ; & ſimilitudinem cùm illo habitam projicit? Superbiæ fumo turbatus majus putavit divinæ ſimilitudinis decus quatenus deſideratum, & æſtimavit minoris prout poſſeſſum. Idcirco ſimilitudinem quam tenet dimittere non veretur, ut cupitam apprehendat. Sic idem bonum poſſeſſum vileſcere ſolet ; ſi verò exoptetur magni penditur. Hic ad nos tranſfuſus eſt hæreditarius error. Spe, deſiderioque dum quatimur, ſeduli ſollicitamus expetita velut maxima ; cùm verò tempus fructuum nos ditat, vili appretiamus quæ tenemus : unde quiſque noſtrum quandiu non recta ratio aperit lumina *ſtertit æſtate.*

Rup. in Gen. l. 2. c. 3.

S. Ambr. l. 6. Hexame. c. 7. tom. 1.

S. Leo ſer. 4. de Nativ. c. 2.

DELIBATIO III.

Concordiæ fructus.

14. *Concordiæ creſcendi ars.*

Qui congregat. Similitudo meſſis exigere videbatur, ut de pluribus congregantibus, non verò de unico fieret ſermo : non enim unus, ſed plures meſſi colligendæ dare ſolent operas. Meditabar ne fortè voluerit Paræmiaſtes hoc ſtylo innuere negotium, cui multi velut unus incumbunt, faciliùs, ac fœliciùs evenire. Concordia ceu rerum penè omnium ſecunda genitrix vires corroborat, addit alitque animos, difficilia temperat, & peroptato

peroptato fini consequendo medium est potentissimum. Econtra discordia infœliciter ad finem præcipitat incepta, & quas difficultates animus devicerat, ipsa restaurat. Pugnant ad invicem elementa: nisi deponant inimicitias, non augebuntur sublunaria: quinimò plura nec pervenient ad ortum. Ignis absumit omnia, quia cùm nullo prorsus fœdera jungit: discors est: ideo infœcundum. Aër etiam sterilis quia subtilitate sua veluti superbiens, cùm cæteris nequaquam init amicitias. Terra verò quia copulatur aquæ, & aëris vicinitatem, cælestes deferentis influentias, non recusat, abundè germinat, & quia radicibus arborum tanquam brachiis quasi se complexu teneri finit, fructibus ditescit. Concordia igitur crescendi ars; discordia non patitur incrementa.

Postquam cælestibus aquis inundatus orbis emersit ex naufragio, ac veluti lotus diuturno imbre, quasi crimina satis dilueret, divini pacti securitatem nactus est. Deinde superbire cœpit in turris Babel ædificatione vanissima. *Venite*, inquiunt, *faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Vide quæso attentè, quamvis obiter istos vanitatis operarios de culminis altitudine deliberare (*cujus culmen pertingat ad cœlum*;) de fundamentorum verò profunditate nec verbum facere. Ædificantne deorsum qui de apice priusquam de machinæ stabilimentis cogitant? Ruinæ similis est ædificij structura, quæ de sursum ad infima procedit. Aëre nititur, non solido, sed solito de more superbia. Nonnihil digressus ad rem nostram regredior. *Celebremus nomen nostrum antequam dividamur*, dicebant illi artifices operis insani. Ab ipsis ego sanè quærerem: nonne majori cùm amplitudine, post divisionem, nomen suum celebre possent reddere, ac posteræ memoriæ commendare? Si turris una, civitasque unica, foret mansurum nominis monimentum, quid plures? Dividantur familiæ, dispersæque multiplicentur, ac tunc plures civitates & plurimas turres ædificent, ut ædificantium nomina glorioßiùs perennent. Qua ratione ducti potius eligunt agere de nominis celebritate priusquam dividantur? Ut concordia faveat desideratæ magnitudinis assecutioni, sic deliberant. Re nomineque magnos cupiebant seipsos efficere; discordiam, quæ dispersionem sequitur, timebant: divisa namque societate, ut loco dissiti remansissent, sic & animo fortè dissiderent. Idcirco dum simul habitant concordes, magnitudini suæ consulunt augendæ: indeque nomen celebre sibi facturos confidunt. Favere cogitatui nostro videtur aliqualiter Lipomanus ad hunc locum: *memoriale unitatis & concordiæ ipsorum ædificare conabantur.* Ex magnitudine operis illorum si perduceretur ad coronidem, veniret posteris in memoriam concordia progenitorum ædificantium, quasi absque illa non potuisset res adeo ingens consurgere. Hoc est unitatis robur. Frangitur arbor si dividantur à trunco rami: flumen peribit si plures in alveos dispergantur aquæ. Domus ruet nisi partes ejus inter se copulentur. Et ne plura percurram, nosmetipsos intueamur: immortalis esset homo, si corpus ab anima non disjungeretur; tunc perit quando separantur. *Nosti ne igitur*, ait Boëtius, *omne quod est tam diu manere, atque subsistere, quàmdiu sit unum; sed interire, atque dissolvi pariter, atque unum esse desierit?* Ex naturali philosophia moralem deducit acute. Unitas à Metaphysicis dicitur proprietas entis non rigorosa quia nimis invisceratur ei: amittit esse quod perdit unitatem: crescit autem ad numerum si multa unum fiant. Audi Chrysostomum. *Si enim concordes sint duo vel decem, non amplius erit unus, sed eorum uuusquisque fit decuplum, & invenies in decem unum, & in uno decem.*

Ergo crasse decipitur elata mortalium ambitio quæ societatem in bonis recusat: illa est completa fœlicitas quæ socios habet aliorum fulgores, & splendet belle, cùm bella deponit. Quòd non nisi solitudine commendatum effulget, videtur ab aliarum lucium offuscatione mendicare majestatem. Abundantia est cognata paupertatis illa quæ aliorum imminutione, quasi de frustis alienis propriam componit excellentiam. Sit igitur magnitudinis ænigma concordia pacis amica.

Querulus, & supplex, ut moris est hominibus, Deum alloquitur Abrahamus dolens quòd hærede careat, & vernaculo procuratoris domus suæ filio deferenda sit ejus hæreditas. Ad hæc Deus repromittit non tantum hæredem, sed numerosæ posteritatis amplissimam seriem: *numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum.* Quæ verba non solam descendentium pluralitatem denotabant, sed teste Philone ad alias cùm stellis cœli similitudines extendebantur. *Egregiè dictum* (inquit ille) *sic erit semen tuum, non par stellarum numero. Non enim solam multitudinem, sed & alia multa ad perfectam fœlicitatem conducentia vult indicare*, &c. Antea dixerat Patriarchæ Dominus: *faciamque te in gentem magnam:* igitur quare non soli, quod luminare magnum est; sed stellis comparantur Abrahæ posteri? Sol diei præest: dies fœlicitatis emblema; stellæ noctem regunt: nox infortunatæ vitæ similis est. Eccur non Phœbo, sed minoribus astris æquiparantur illi, quorum initia & augmenta manus Omnipotentis protegere parabat? Quia solari lampadi non satis fuit esse primam, sed in lucendo singularis est: nam & sororis Phœbes occursum quando admittit, eam parum fulgere patitur: astra verò simul secum claro lumine coruscare non sinit: tenebris non concedit inducias; sed potius illas omnino fugat quotidiano bello. Non sic stellæ: nam etiam illæ, quæ magnitudinis primæ locum obtinent, cùm parvis syderibus societatem ineunt: quinimò inter ipsas noctis caligines, quin eas dissipent, lucere solent. Nulla quidem societas luci cùm tenebris; attamen quia stellæ nec eas destruunt, nec fugiunt, quodammodò videntur inimicitias velut oblivisci. Voluit ergo Sapientia Dei Abrahamo insinuare tunc

Gen. 12. 4.

Lipom. in Cate. ad c. 11. Gen.

Boët. d. Cõsola. l. 3. prosa 11.

Chryso. hom. 77. in Joan. tom. 3.

15. *Concordia pacis amica, magnitudinis ænigma.*

Gen. 15. 5.

Philo Heb. l. quis rer. divin. hæres. tom. 1.

Ibi c. 11. 2.

ejus posteros gentem fore magnam si bella civilia nescirent concordes animo : non ad solis imitationem singularitatis amantes; sed ad instar benigniter micantium syderum unionem diligentes mutuam. Creaturarum celsitudo tunc major, cùm Deo minus dissimilis est. Suspice Trinum, & unitatem reperies indivisam : *quoniam & Trinitas* (ait Nazianzenus) *Deus est unus ac esse creditur, non minus propter concordiam, quàm substantiæ identitatem : atque ideo Deo & divinis sunt proximi qui pacis bonum amplecti videntur.* Deo vicina est animorum unitas ? Quid ei deerit quæ Deum apud quem omne bonum æmulatur ? Concordiæ itaque lucra in memoriam revoca dum legis hoc loco apud Salomonem sub ænigmate messis veritatis hujus indicia : messis quippe, cui multi solent incumbere, accommodatur uni personæ singulari numero : *qui.*

D. Greg. Nazianz. orat. h. de pace.

16. *Concordia valet pro servanda magnitudine.*

Unum est quo fastigia, quæ tenent fœlices, dehonestantur nimis : scili. inconstantia. Solius Dei propria est immutabilitas. Concordiæ tamen auxilis defectibilitas ista creaturarum (dato quod ab iis tolli posset) roboraretur. Instabilis rerum creatarum conditio ex eo nascitur quòd radice careant, quàm in sæculo figere nequeunt, cùm sit æquori simile ex Augustino dicente: *mare erat mundus :* tunc quasi radicantur cùm animis concordibus possidentur : nam radix omnium bonorum concordia dicenda : *per concordiam omnium bonorum radicem,* ait Chrysostomus. Et certè Dei protectio creaturarum instabilitatem solidare valet : ubi autem concordia moratur, ibi Deus obumbrat defensor insuperabilis. D. Hieronymus illud Psalmi quod legimus: *factus est in pace locus ejus,* transcribit sic : *factum est in Salem umbraculum ejus* & commentatur in hæc verba : *videte quid dicat secundum tropologiam, non est umbraculum Domini nisi ubi pax est. Ubi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus.* Igitur concordia & radicem præstat, & protectionem divinam sollicitat. Audeo tamen dicere quod si voluntati Dei quid resistere posset, ac illa renitente conservari (quod nefas est asserere) solius concordiæ beneficio futurum hoc suspicaretur forsan aliquis.

Aug. to. 8. in Psal. 65.

Chrysost. to. 1. hom 16. in c. 20. Gen.

D. Hiero. ad Ps. 75. to. 8.

Objicitur Nabuchodonosori statua variegata metallis. Eminebat (ut solet) aurum in vertice : candebat in pectore brachiisque argentum (mirarer si longè ab amplexibus esset) per ventrem & fœmora protendebatur æs, ferrum sustinebat molem in tibiis : pedes verò ex ferro ac testa malè compaginati ruinam ominabantur. Machinam percutiens lapis illos prostravit, & corruere cuncta. Per hanc somniatam catastrophen vera cælitus denuntiabatur eversio regnorum, quorum prius ipse Nabuchodonosor moderabatur : *tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum,* &c. Audito per Danielem vaticinio rex Summi Dei potentiam recognoscens, ejusque ditioni regnorum subesse vicissitudines, ait : *verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum.* Refert ex aliis Gaspar Sanctius, ex regis confessione, qua verum agnovit Numen, idolorum cultum non parum labefactatum fuisse, nimis id ægrè ferentibus Chaldæis : nam regis ad exemplum facile totum imperium fateretur Deum Hebræorum, & periret Chaldaica religio. Detractoribus igitur & adulatoribus morigeratus Imperator fidem retractavit, & voluit prædictiones Danielis fallaces publicè vocare, sicut placuit Theodoreto. *Nam,* ait, *quia Deus in somnis maximam illi ostenderat imaginem, per quam quatuor regnorum successiones declaravit : proprium fastum quasi castra Deo opponens, ipsique apertè repugnans, ipse quoque statuam construit, tantæ magnitudinis quantam potuit ars humana præbere. Nec ex diversis metallis, sed ex una auri materia conficiendam curat : ratus infœlix iste falsas ostensurum se Dei prædictiones.* Et qua ratione putavit se nugacem dicere Danielis prophetiam ? Aurum erat in imagine quod Babylonicum imperium attinebat. Evertendum audierat imperium suum : tunc ipse, ut assereret perpetuo mansurum excluserit cætera metalla, & ex solo auro confecit integram statuam, quasi diceret : Deum Danielis paveo quidem, ejusque potestatem agnosco : sed ut proceribus & populis morem geram, consilia consiliis opponam. Statuam illam cadere somniavi : sed illa discors erat valdè tot ex generibus compacta. Ut ergo significem Babylonis imperium esse mansurum, discordias eas tollam, & ex unico auro magnitudinis meæ conflabo ænigma : concordiam objiciam veluti murum Omnipotenti. Fuit equidem insanum hoc inventum : sed inde pro eruditione nostra collige quàm valida sit apud artis politicæ sapientes concordia ut celsa stare possint.

Dani. 2. 38. 39.

Ibi n. 47.

Theodor. in commen. Dani. apud Gloss. ibi. c. 3. n. 1.

17. *Vereor ne parum proficiant in virtute qui inimis concordant plusquà oportet.*

Non minùs provectioni virtutum prodest concors unitas animorum funiculis charitatis mutuo sibi cohærentium. *Ubi unitas ibi perfectio,* scribit ad Eugenium Pa. D. Bernardus. Sed concordiam vellem similem harmoniæ musicæ. Sic illam explicari lego apud Augustinum qui ex Scipione refert hujusmodi similitudinem : *& quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in civitate concordiam.* In harmonico artificio, si voces perpetuo servent unisonantiam, ingratissimum auribus edent sonum : oportet quòd ubiformiter difformiter se gerant : ut scili. cùm hæc ascendit, descendat alia, & econtra : quo sic discrepanti melodiâ pugnantes jucundum exhibeant artefactum. Amicorum similiter concordia se habet erga quædam. Unde idem Augustinus : *dissensiones nunquam debent amari : sed aliquando tamen aut à charitate nascuntur, aut charitatem probant.* Nisi discordent in aliquo circa rem virtutis illi qui simul eâdem viâ pergunt, vereor ne se mutuo præpedientes parum proficiant.

S. Ber. l. 2. d. consider. D. Aug. l. 12. d. civi. Dei c. 21.

Idem epis. 87. tom. 2.

Mysticum Ezechiel vidit gloriæ Dei currum quatuor stipatum Cherubinis, qui volatu celerrimo *ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ideſt, ut ex Vatablo exponit Cornelius à Lapi. *Deo jubente evolabant, & revolabant celerrimè.* Similiter fatentur Cherubinorum regressum Maldonatus ibi dicens : *revertebantur, ideſt in contrariam partem ambulabant:* & Sanctius in

Ezech. 1. 14. Corne. à Lapi. ibi.

Maldō. ibid. Sanct. ibi.

in præcitata verba textus : *hoc verò loco*, ait, *verbum quod redire significat, & recta via, sive ambulando progredi, sive retro redire.* Non longissimum perfeciſſe insinuatur iter eos qui tam celeri revocabantur agilitate, sicut fulgur, quod licet spatium aëris vastissimum percurrat, si contrariam in partem revertatur, potiùs ob summam velocitatem stare videtur immobiliter, quàm sine morâ ferri. Si à visionis cortice ad medullam introgrediamur, apparebit per animalia Cherubica sanctos designari. Cùmque hi monitu divini Præceptoris non respiciant retro, mirum est quòd Cherubim, quibus illi significabantur, tam brevi regrederentur. Crescit ex Gregorij Pontificis expositione difficultas. *Bene autem revertentia*, inquit, *animalia coruscanti fulguri comparantur, quia sancti viri cùm ad superna contemplanda evolant, cùm primitias sui spiritus in cælestis patriæ amore ligant, sed gravati humanæ conversationis pondere, ad semetipsos redeunt*, &c. Mirabile dictu quod pondus istud adeo inane gravet alis instructos, quibus virtutes adumbrantur ex eodem Gregorio, dicente : *quærendum est quæ sint quatuor pennæ sanctorum, ex quibus duæ superius extensæ jungntur, duæ verò eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus, quatuor esse virtutes invenimus, quæ à terrenis actibus omne pennatum animal levant.* Cui virtutes non tantum alatæ, sed alæ sunt, illos gravitas conversationis terrenæ redire cogit ? non vincunt pennæ pondus illud ? Vincerent utique ; sed nimia fortassis concordia causa est ut mutuò præpediantur socij : *junctaque erant pennæ eorum alterius ad alterum*; exponit S.Doctor idem. *Penna ergo animalium alterius ad alterum jungitur, quia sanctorum prædicatorum virtus atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordiæ pace sociatur.* Attamen ala dum tangit alam socij, non tam libera manet ut volitet, nam obsistit conjunctio nimia. Sic aliquoties plus æquo ligatæ justorum voluntates adinvicem volatum aliquantulum retardant : indeque fit ut pondere terrenæ conversationis gravitent ij qui super æthera possent libero se credere cœlo.

D.Greg.M. hom.5. in Ezechi.to.2.

Idem ibi hom.4.

Ezechi.1.9.

D.Greg.M. ibi ho.3.

18. *Pessimus partus malæ concordiæ.*

Et insuper interdum accidit quòd imprudens concordia degenerat in vitij fomentum, & culpæ sustentaculum. *Quamvis enim ferè semper, & ut plurimum bona sit concordia, & discordia mala, quòd hæc dissipet omne bonum atque disturbet, illa verò promoveat, corroboret, & foveat : nihilo secius & bona interdum invenitur discordia, & mala concordia : cùm discrepantia animorum, alicujus mali perpetrandi præstat obstaculum, & unanimitas, mutuusque complurium consensus eos constringit & alligat valentioresque reddit ad conceptum scelus perpetrandum.* Hæc Jodocus Clichtovæus additus Cyrillo Alex. Quod per seipsum diabolus non evalet, per animorum in malo colligationem perficiet : nec nisi hoc medio maxima scelera committi solent. Extraordinarium delictum non nisi execrabili unione patrabitur.

Cyrillo. Alex. in Joan.l.6.additus per Clichtovæũ cap.16.

Eâ positâ doctrinâ cujus dedi suprà n.13. patronos asserentes Adamum sibi suasisse per comestionẽ fructus vetiti similitudinem quam Satan promiserat obtenturum : quæro cur non diabolus quin mediaret Heva tentaverit Protoparentem? Certum est in Theologia quòd si non Adamus sed Heva sola comederet ex arbore interdicta, nos originale peccatum non contraheremus, sed illa sibi soli mortem corporis & animæ afferret. Nullum veritatis hujus advoco testem, quia est omnium calculis probata cum D.Thoma, & optimè deducitur ex Apostolo, qui per unum hominem asserit intrasse mortem : diceret autem per duos, si etiam peccatum Hevæ infeciſſet orbem. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum*, &c. Ut generis humani perditio, quam dæmon intendebat, contingeret, satis erat quòd solus Adam præceptum frangeret : ergo ad illum serpens accedat, esumque suadeat : nam Hevæ delicto diabolus non conficit intentum. O serpentis calliditatem. Concordibus animis usus est : nam crimen adeo magnum difficiliter nisi per malam concordiam utriusque progenitoris nostri committeretur. Opportunè Augustinus : *uxorem igitur quæ jam seducta manducaverat, delicias suas noluit Adam contristare, quam credebat à se alienatam tabescere, & sine solatio interire, non quidem carnis concupiscentia, sed amicabili benevolentia, qua sæpe Deus offenditur ne offendatur amicus.* O malevolam benevolentiam, sine qua non periret orbis : non enim absque illius malæ concordiæ præsidio, noxa, quæ fuit ex nocumento illato gravissima, daretur executioni. Perpende peccata omnium maxima : nullum invenies absque iniquorum unione commissum. Superbia Luciferi comites habuit angelos apostatas : peccatum principum Judæorum inito concilio peractum est : proditio Judæ cùm Judæis pepigit fœdus. Vel hæc omnia crimina superavit lapsus Adæ : vel tam gravis extitit ut hoc veniat in quæstionem apud Theologos. Non igitur à solo Adamo sine consortio delictum istud committendum erat. Hæc est malæ concordiæ contra virtutem virtus. Pro illâ tamen si decertetur, anima diteſcit, bonamque diligit societatem : ac fit quilibet justus sicut *qui congregat in messe*, licet illum solitarium cernas.

D.Thom.1. 2.q.8.art.5.

Roman.5. 17.

S.Aug.l.11. d. Gen. ad litteram. tom.3.

DELIBATIO IV.

Carpitur nimius amor famæ.

QVi autem stertit æstate filius confusionis. Eum, qui somno se dat ignavo, confundendum affirmat Sapiens. Quod pronuntiatum, juxta expositionem litteræ supra quinto loco relatam cuicumque peccatori aptari potest. Nihil peccantibus in desideriis est, quàm vanum sæculi plausum conciliare : sed famæ nimius amor infamiam parit. *Quorum si aliquem rogaveris quare ita laboret tam miser, tantosque pecuniarum faciat sumptus, eosque inutiles, nihil aliud audies quàm hæc verba, ut immortalem servet memoriam, & audiat quod illius est hæc domus, hic ager ; sed hoc non est tam laudem, quàm*

19. *Fama nimius amor parit infamiam.*

Chrysost.to. 1.hom.30.in Gen.tom.1.

quàm crimen sibi párere : nam statim ad hæc conjungentur plurimarum contumeliarum verba : domus hæc hujus est, hujus avari, hujus rapacis, &c. Ita Chrysostomus. Caducis bonis hæc inest misera conditio, ut mediis quibus eorum conservationi sedulus incumbis, eorum jacturam negotieris : ut saltem sic videas quàm sibimetipsi noceat amor proprius. Famam periculo exponis, dum ardentissimo desiderio servare cupis eandem.

Incestuosa libidine cæcus Amnon in sororem suam conjecit oculos. Æstuat infelix, saucíusque vesana dilectione decumbit æger. Inimico amici consilio remedium quærit, quo majoris damni occasionem sollicitat. Curat ut Thamar ad ipsum veniat : & eam stupro fœdat, quam deperibat. Aspergit cinerem capiti violata soror : scissaque tunica talari clamans incedebat, doloris magnitudine suadente. Quam cùm vidisset Absalom, quod ei acciderat suspicatus dixit ad illam : *nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum ? Sed nunc soror tace frater tuus est.* Silentium consulit acerbè dolenti ! corda premit incluſus dolor, imminuitur si verbis egeratur angustia. Sinat igitur Thamarem voces edere, præsertim quia sic testatur innocentiam : omnis etenim, qui clamantem audierit, conjiciet non sponte, sed vi decorem virginitatis amisisse : Sapienter consuluit Absalom Thamari ut taceret, ne casus innotesceret pluribus. *Tace* (commentatur Hugo Card. ibi) *quia quantò plus sciretur, tantò major esset confusio.* Ipsa quidem clamore famam servare cupiebat : sic enim vim se passam fuisse testabatur, nec voluptatem inhonestam admisisse. Attamen his ipsis vocibus dedecus suum longius diffundebat, & nescientibus propalabat. *Soror tace*, dixit prudenter Absalom, quasi moneret illam, ne semetipsam dehonestaret eodem clamore, quo famæ consulere putabat. Lucem si claudas ita exactè, ut nullus vel aëri levissimo detur locus, illam superfluâ curâ custodiens, extingues. Haud aliter honoris exquisitus amor inhonorat.

2. Reg. 13. 20.

Hugo Card. ibi.

20. *Deo valedicens causa famæ, deperdit hanc.*

Non equidem est animus dissuadere boni nominis curam, quàm Spiritus sanctus consuluit : *curam habe de bono nomine* ; sed vellem ne propter vanam sæculi laudem divinas transgrediaris leges, quarum observatione fulgebis perpetuò. Quemnam fructum capies ex eo quod post mortem hîc lauderis ubi non es, dum torqueris in gehenna prorsus ignorans tui laudem ? *Dic mihi, ô fatue, quid tibi proderit quòd in hominum memoria post mortem vivas, si peccato mortuus æternis ardoribus cruciaris ? Quid tibi solatij præstitura est fama quam ignoras si ardes ? imò si eam nosses, ex hoc accresceret cruciatus.* Hæc S. Thomas à Villano. Meminisse tamen oportet, quòd *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Si ut famam captes, vel non deperdas, vale dixeris Deo, & amittes Deum, & infamiam patieris.

Eccl. 41. 15.

S. Thom. à Villan. ser. d. S. Ægidio.

Sapi. 11. 17.

Ninivitarum crimina divinam indignationem provocantia clementiam invenere. Mittitur Jonas ut denuntiato exitio terreat iniquos ad pœnitentiam, subvertendæ civitatis incolas. Reluctatur ille veritus ne, Deo ad ignoscendum prono veniam pœnitentibus præbente, ipsius verba velut mendacia despicerentur. *Prædictionem ejus*, ait inibi Theodoretus, *falsam videri sibi turpe existimavit, seque pro Propheta vocari mendacem. In hanc verò opinationem eum impulit ipsa minarum ultionis plenæ declaratio.* Profugus perrexit in Joppen, inventamque navim conscendit ut iret in Tharsis, quasi Dei posset vitare conspectum. Insurgit subitò procella : suscitatur à somno Jonas, & in mare demergitur. Quæro : cur non ubi primùm commisit inobedientiam plectitur cælitus Propheta ? Utquid trahuntur tot moræ ? si puniatur citiùs, resipiscet statim, & nec mare fatigabit, neque cete. Puto Deum voluisse ut qui amore famæ ductus præcepto restitit, infamiæ subjaceret, detecto apud nautas ejus crimine quod si statim puniretur, forsan lateret. *Cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis.* Navigare permittit vatem Dei providentia, ut occasione tempestatis detegatur ejus delictum, ac dedecus incurrat. Ne jacturam famæ pateretur Jonas Deo terga vertere fuerat ausus : æquissimo judicio sic mulctatus est ut honorem amitteret. Deum qui lux est quære, sequetur fama, velut umbra rectè factorum comes. Et esto quòd nullus gesta sciat, famigerationi satis & super æquivalet conscientiæ propriæ testimonium : *nullum theatrum virtuti conscientia majus est*, ait Cicero.

Theodoret. in comment. Jonæ c. 1.

Jonæ 1. 10.

Tull. 2. Tuscull.

21. *Peccatorum turba unus homo.*

Video difficilem alicui doctrinam quam jecimus, cùm famæ nimios amatores dixerim vanè operam insumere : & non semel occurrant ex istis plures qui nomina sibi fecerunt delictis longè latéque sonantia. Nullius boni sæculum profusiorè largitatem crebro mentitur, quàm vani pulchrique nominis. Aëre perficitur sonus : & quod aëreo dispendio incipit & alitur, mundus elargitur facillimè, Sed ne te decipiat echo mendacij artifex. Virtutis opus erat quondam famam extendere factis ; nunc (proh dolor) defectibus illam emi video. Vis æquo judicio perpendere quàm vanum sit nomen peccatis acquisitum ? Attende apud quos benè audiat qui non benè agit : apud scelestos utique. Famosum te putas quia multi sunt illi tibi malè operanti plaudentes ? Falleris : non illos ad numerum æstimes, sed ad pondus. Ad summum, peccatorum turba unus est homo.

Redeamus ad locum jam aliorsum expensum. In seditione Core ultra ducentos viros insurrexisse adversus Moysem narrat sacer textus : *ecce autem Core.... & Dathan atque Abiron filij Eliab, Hon quoque.... surrexerunt contra Moysem, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri.* Tunc Dominus Moysi & Aaraoni velle se totam congregationem repente disperdere dixit. Uterque tamen generosæ clementiæ dictamina secutus pro seditiosis orabat : *fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet ?* Unus peccavit ! nonne longè supra ducenti peccaverunt ? Ne stylum demireris : peccatorum multitudo vix unus homo, & fortasse minus, quia ex eis verè nullus hominis titulo

Num. 16. 1. 2.

Ibi n. 22.

tulo dignus est. *Estote homines homines, scilicet quia non omnes homines homines sunt*, inquit Origenes. Quò numerosior est laudantium congeries, eò majorem esse plausum non dubito : cùm tamen operibus nequam non nisi plaudant iniqui, non volat fama ; veluti clauditur unius ore : sunt enim scelerati numero quidem plurimi, sed entitate quasi unus computantur, ipsâ eos ad nihilum redigente nequitiâ. Audis impium per ora volitare ? *filius confusionis* verè dicendus est.

Orig. hom. 13. in c. 24. Ezechi.

22. *Supplicium quod plus sonat, fertur ægriùs.*

Sed quæres cur non potius appellaverit filium gladij, quàm confusionis, dicam : quia is hominibus inest nimius amor sæcularis gloriæ, ut plus illos terreat pœna quæ sonum edit. Scelestus nimium famæ sollicitus utplurimùm est : & ut D. Ambrosij verbis utar aliorsum loquentis : *erubescens testimonium erroris, qui non erubescit errorem.* Gladij necem terra contegit ; confusionis rumor spargitur, & vires acquirit eundo. Idcirco plùs iniquus horret confusionem : quia supplicium quòd sonat fertur ægriùs.

D. Ambr. Psal. 118. Octona. 1. tom. 2.

Multiplici plagâ manus omnipotens flagellavit Pharaonem, qui duro servitutis jugo populum Israëlis opprimens divinam provocavit iram. Fluminis aqua in sanguinem vertitur : putrescit unda : imò sanguis fuit in tota terra Ægypti. Flexit ne tyrannidem sanguinolentum flagellum ? Minimè.

Exod. 7. 22. *Induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos.* Perge ulterius & capite sequenti videbis eundem populi dimissionem spondere si

Ibi c. 8. 8. à plaga ranarum liberetur : *orate Dominum ut auferat ranas à me & à populo meo : & dimittam populum.* Nonne vides quantum

Liranus ibidem. mutatus ab illo ? *Sed quæritur*, inquit Lira, *quare non vocavit eos ad amotionem primæ plagæ ? Dicendum quòd hoc fuit quia magis fuit afflictus de secunda.* Sed cur ? quas horruit serpentes ? Ranas quæ quò plus vocales eò fuerant minus timendæ. Sanguineus fluvius minatur cædem, & induratur Pharao ! raucæ strepunt ranæ, demittitque superbiam ! Nequaquam admiror. Aquæ vel silentio prætereunt, vel murmure levi franguntur ; at verò ranæ importuno continuoque clamore personabant, & pluribus superbiam Pharaonis in memoriam reducebant frequentissimè. Hanc præ illa execratur plagam, & punitionem clamorosam dolet amplius. Ex Cornelio à Lapid. *tropologicè*

Cornel. à Lapi. ibi n. 6. *ranæ sunt garruli & clamosi.* O quàm nimis hi timentur quia famam loquacitate commaculant. Morte dignus est impius : nihilominus hoc loco ut infamiam perhorrescat, non dicitur filius gladij, sed *confusionis*.

23. *Ignominiosè peccavisse obdurat.*

Hæc, quæ ad suadendum sæcularis famæ contemptum dicta sunt, non ita sequaris ut hominum pudorem abjicias, est enim optimus virtutum custos. Si custodem corrumpas, vel abjicias, actum esse de teipso crede. *Evulgatus pudor non satietatem libidinis, sed incitamentum adfert.* Sic Politicus : & rectè, nam ipsa confusio semel amissa peccatorem in delictis fovet, velut iniqua parens. Ille dicitur hîc *filius confusionis*. Unico sub nomine duplicem confusionem existimo significari : aliam quâ peccator intra seipsum, licet crimen ejus ignorent omnes, rubore confunditur ; alteram quâ in peccati pœnam cæteris hominibus opprobrio est. Primam nunc prætereo ; de secunda verò adjiciam aliquid. Nobilis Theologorum pars malitiam peccati ponit in eo quod peccantem dedeceat quatenus rationalem. Hujusce veritatis, quæ in scholis placuit, in confirmationem adduco nunc pudorem qui, velut à naturâ insitus, punit sceleratum. Verecundiâ si rectè utamur, pœnitebit facti citissimè : si verò illius obliti delinquimus, vel serò, vel nunquam dolebimus. S. Gregorius M. *Nam & illud verum est apertæ desperationis indicium si verecundia non sequitur peccatum. Unde sub Judææ specie contemnenti animæ dicitur : frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Qui enim neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profectò ut meretrix frontem obdurat.*

D. Greg. M. in Ps. 1. pœnit. tom. 2.

Coram Samuële objurgante regem de inobedientia in Amalecitarum non omnimoda strage, semel iterumque dicentem : peccavi, Saülem audio : *peccavi, quia prævaricatus sum* ; & statim : *peccavi : sed nunc*, &c. Scio Saülem non verè pœnituisse cum à vate corriperetur eo quòd noluit integrè Amalec universa demoliri. Tamen aliqualem licet imperfectam pœnitentiam ostendit juxta eundem Gregorium, qui Samuëlem regi dixisse meditatur : *te modo peccatorum pœnitet cum audaciæ tuæ sententiam percipis :* necnon insinuat S. Doctor curavisse Saülem ut Propheta juvaret eum ad delendum crimen. *Quia ergo te objurgante respui, mecum redire te rogo : quia propriis viribus ad tantæ pravitatis magnitudinem delendam nequaquam sufficio.* Transi nunc ad Salomonem, cùm in senectute depravatum est cor ejus per mulieres. Non ab aliquo Prophetarum ; sed ab ipso Deo corripitur : *dixit itaque Dominus Salomoni : quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo.* Nec tamen vel ullum doloris ibi dedisse lego signum. Sapientior erat Salomon Saüle : ac præterea hic per ministrum Samuëlem ; ille verò Dei correptionem audit, vel per ipsum, vel fortè per Angelum. Et non à Salomone, sed à Saüle dolor extorquetur ! Vide : peccavit Saül ; pudorem tamen non amiserat qui petebat à Samuële, ut cùm eo reverteretur honoris tuendi causâ. *Peccavi*, ait : *sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël, & revertere mecum :* ignotum enim erat populo Saülis delictum, & illud cupiebat celare : cúmque pudorem non abjecerit, doluit de scelere. At Salomon adeo publicè peccaverat, ut fana idolis ædificari curaverit : ideo ejus palam peccantis dolorem nec textus refert, nec nos affirmare certò valemus. Supplicium est improbo nævus confusionis ; si tamen confusus pudeat, fortè resipiscet : væ non erubescenti.

1. Reg. 15. 24. 30.

Idem Grego. l. 6. in 1. Reg. c. 2. tom. 2.

3. Reg. 11. 11.

DELIBATIO V.

Vita mortalis quàm fallax bonum.

24. *Adoleſcentia propius accedit funeri.*

QVi congregat in meſſe. Juxta memoratam Rodolphi mentem, nomine meſſis tempus adoleſcentiæ ſignificatur hoc loco. Non equidem incongruè : nam & meſſis tempore ſegetes, & in florida ætate vita, falci approximat. Maturitas illarum expectat ictum agricolæ, annorum autem flos immaturo inexpectatoque vulnere cadit. Vel potius dicam ex Lipſio: *ad mortem omnes maturi ſumus ex quo nati, imo etiam antequam nati.* Fortaſſis ideo non gladio, ſed falce, mortem armatam docta figuravit antiquitas, ut facilè quiſque conjiceret, quòd ſicut falx maturas demetit ſegetes, ita mors etiam dierum primo vere tempeſtivos ictui reperit homines, quia jam invenit mortales. Unde piè hortatur S. Ioannes Climacus : *laboremus juvenes ardenter, curramus ſobrie & vigilanter : mors enim incerta horis omnibus imminet.* Quinimo ibi mortem concitato pede venturam ocyùs exiſtima ubi florida juventus gaudet lætioribus annis.

Luſt. Lipſ. ex cent. 14. ad Belg. ep. 30.

S. Ioan. Climac. in ſcala gradu 1.

Ludentem Iſmaëlem cum filio Iſaaco Sara tulit ægre. Et ne domeſticum aleret doloris incrementum, ſuadere curavit marito ut ancillam, ejuſque filium, domo ejiciat. Certabat in ſponſo amor uterque : nam & charæ conjugis petitioni annuere, ſimul & filij præſentiâ frui cupiebat. Quid mallet formidabat eligere. In ancipiti poſitum Deus monuit ut Saræ morem gereret. Ejicitur itaque cùm Iſmaële Agar utrem aquæ bajulans : quâ conſumptâ mortem filio timuit genitrix : *non videbo*, inquit, *morientem puerum.* An non & mater aquæ penuriam patiebatur ? Defecit utrique aquarum peculium : Solus Iſmaël ſiti urgebitur ad mortem ? Agar ſe morituram ſimili de causâ non timet ? Nec verbum de ſeipsâ dixiſſe lego, quo propriæ mortis metum hic fateretur ; filij verò interitum præſentit in foribus adeſſe : *mater ipſa non ſuam ſed filij mortem deplorabat*, inquit Rupertus. Sitis eſto fuerit æqualis, ætas inæqualis erat. Mater ætate provectior non tam facili necabitur ictu ; puer autem in juventutis primo vitore, quia flos eſt, ideo citiùs aquarum penuriâ marceſcet : nec novum quod flores citò inopiâ moriantur aquæ. Non ſibi formidat exitum Agar ætate major ; pueri tamen vitæ veretur interitum. Adoleſcentia vicina Sepulchro non minus quàm lilia ſolo: *etſi nil tutum homini, illa tamen periculoſior vitæ pars, quam ſecuritas nimia reddit incautam*, ſcribit Petrarcha. Igitur quod ætati primum eſt veris præludium, hoc morti ſæpe tempus eſt quo illa velut *in meſſe* reſecat vitas.

Gen. 21. 16.

Rup. l. 6. in Gen. c. 23.

Petrarch. d. remed. proſp. fort. dial. 1.

25. *Inſtabilitas ætatis floridæ movet complacentiam.*

Non ignorant illi quorum, dum florent anni, ſordent animæ, quam ſit vitreum juventutis robur : ſed ipſa placet fragilitas : eâ quippe laborant mentis veſaniâ, ut vigentis ætatis fugacitas eos pelliciat, & periculo tanquam ſpe ducantur. *Spes & periculum inter homines ſimilia ſunt*, dixit quidam. Confundit utrúmque malè perſpicax intellectus decepti acies, & ipſo adoleſcentiæ volantis diſcrimine tanquam pulchra expectatione alliciuntur. Quod poſſet illos monere ut fallentem nimiùm vitæ partem deſpicerent, hoc trahit eos ut in illa pluſquam placeant : ætatem, inquam, floridam depereunt, quia facilè perire noſcunt.

Theogn.

Salomon introducit juvenes mutuò ſibi colloquentes, & ad inſana gaudia invitantes. Ea hunc tantùm verba lege : *non prætereat nos flos temporis.* Equidem cùm ſe potentiſſimos imaginentur, ut patet ex illo quod poſt pauca ſubjiciunt : *ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ*, rursùs admiratione judico dignum quòd florem, non verò fructum temporis apprehendere nitantur. Agnoſce quiſnam ſit ille flos. Hugo Card. te docebit : *flos temporis ideſt juventus in quâ floret homo* inquit ille. Similiter Dyoniſius Carth. *ideſt adoleſcentiam, ſeu juventutem noſtræ durationis non expendamus abſque abundantia voluptatum.* Enim verò non poterant clarius fateri quàm ſit caducus vigor ætatis floridæ, quàm cùm illius meminere ſub appellatione floſculi. Eis nota eſt illius ætatis inſtabilitas : & eandem carpere avent ceu florem oculos trahentem ? Hæc eſt mentis caligo, quæ non ut lippi ſolent, maxima tantùm cernit ; quinimò cæcutiens ad magna, ſola percipit minima. Floſculi breviſſima venuſtate capitur deluſa voluptas, quæ poſſet eadem ſimilitudine floris edoceri, ne poſt fugientis vitæ primordia totus abiret amor. Remediis ægrotat qui veritatis diſciplinam accipit ad hoc ut falli ſe permittat eodem quo monetur hortamento.

Sapi. 2. 7.

Ibi n. 11.

Hugo Card. & Dyoniſ. Carth. ad 1. Sap. 7.

26. *Adoleſcentiâ ſi bene utaris, an longiſſima ?*

Dum tamen audis juventutem evanidum eſſe bonum, leviſſimumque florem; non ideo putes parum jacturæ te facere cùm diſſipas eandem, quam poſſes, utpotè viribus prævalentem, virtutum labori conſecrare. Iſta, quam brevem cogimur dicere, vita plurima eſt quò lucrifacias eam expendens ut prudens negotiator ; licet breviſſima ſit ut otieris. *Non accepimus brevem vitam, ſed fecimus : nec inopes ejus, ſed prodigi ſumus. Sicut amplæ & regiæ opes ubi ad malum dominum pervenerunt, momento diſſipantur : at quamvis modicæ, ſi bono cuſtodi traditæ ſunt, uſu creſcunt : ita ætas noſtra, bene diſponenti multum patet.* Hæc Seneca : qui tamen vitam noſtram puncto ſimilem non ignorabat. Sed pauperculo maximum eſt oboli unici damnum, quem vix poſſidet miſer. Momentaneâ vitâ fruimur : at ſi diſperdis eam, prodigos imitaris : plurima namque poſſes vel citò decedens elucrari. Curioſe ſupputans invenies quolibet anno prætervolare octo mille ſeptingentas & ſexaginta horas. Demus quòd ad vigeſimum quintum ſolummodò annum vitam protendas, quot horæ tibi datæ ſunt ab uſu rationis uſque ad obitum quære : nam eſt qui quærat & judicet ſingularum poſiturus tecum rationem in noviſſimo. Totum hoc, fateor, ſi ad æternitatis interminatam menſuram conferatur, velut inſtans eſt ; ſed rectè utentes

Sen. d. brevi. vitæ c. 1.

adeo

adeo magnam colligunt brevi tempore segetem, ut quæ in se mora est exigua, quasi sæculum dici possit iisdem.

Accipe Psalmistam. *Posuisti iniquitates*
Ps.8. 9.9. *nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Sic David introducit Moysen loquentem cum Deo pro humano genere, cui nescio quâ ratione sæculum approprietur: *sæculum nostrum.* Sanè paulo antea legimus in eodem psalmo par-
Ibi n.5.& 6. citatem durationis humanæ: *& custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt. Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat* &c. Quod adeo transit ocyus, valet ne sæculum nostrum vocari? Urgetur difficultas ex eo quod notat Bellarminus ibi, scili. in hebraico respondere
Cardin. Bellar. ibi. vocem *alumenu*, quæ *tria significare potest: nempè occulta nostra, adolescentiam nostram, & sæculum nostrum.* Sæculum & adolescentia eadem exprimuntur voce! Licet apud varios non eandem sæculum sortiatur mensuram: nam apud Plautum valet mille annos, apud Festum & Tullium centum, &
S. Isido. Hisp. pal. l. 5. orig. c. 33. apud alios quos refert S. Isidorus Hispalensis, annos quinquaginta: certè juxta phrasim Davidicam hic videtur longissimum spatium significare: vidéo namque apud illum aliquando pro æternitate sæculum usurpari. Sic dixit ipse: *ego autem annuntiabo in sæculum*
Ps. 74. 10. Bellar. ibi. : exponit Cardinalis Bellarminus: *pollicetur se annuntiaturum laudes Dei in æternum.* Et alibi: *nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ confitebimur tibi in*
Ps. 78. 14. Bellar. ibi. *sæculum.* Interpretatur Bellarminus dicens: *ex illa enim certissima prædictione concluditur psalmus promittens Deo sempiternam laudem.* Igitur quâ veritate possunt eadem voce claudi (tanquam si forent synomina) sæculum, quòd in spatia longissima distenditur, & adolescentia quæ velut flos fœni citò marcescit? Enucleare oportet verba quæ immediatè sequuntur: *sæculum nostrum in illuminatione vultus tui*: hoc est cùm jam è tenebris peccati ad lumen gratiæ vocati sumus. Cui expositioni favet Lorinus, dum
Lorin. ad ps. 89.8. ait: *ponere censetur eas Deus in conspectu suo, & quasi è regione, cùm veluti dirigit, ac defigit in eas obtutum ut non effugiant notitiam ipsius, nec dissimulentur ab eo, sed assiduè reprehendat, corrigat, puniat.* Itaque deletis per correctionem iniquitatibus, intelligi verosimiliter potest illuminatio illa, quasi mentis per gratiæ sanctificantis fulgorem illustratio: nam secunda pars versus est repetitio primæ juxta Bellarm. ait enim:
Bellar. in ps. 89.8. *quod autem additur sæculum nostrum in illuminatione vultus tui, est repetitio ejusdem rei.* unde Psalmographi mens non improbabiliter ad rem nostram deduci potest, quasi diceret: semel quod nos ab iniquitatibus per correctionem erutos, & gratia illuminatos coram facie tua posse apparere fecisti, adolescentiam adeo similem longissimo tempori cerno, propter magnum lucrum quod in eo possemus negotiari, ut illam ætatem voce, quæ sæculum significet, nominandam putem. Heu quam prodige dissipat ventus florem istum, qui posset in fructum sapide maturescere: levis est flosculus, at grave damnum. Tempus messis est, & sapit *qui congregat in messe* meritorum pingues manipulos, Hæc iterum tanquam flore 30. Delibati. 1.

Si messem præterire frustra finis, hoc est 27.
adolescentiam vanitatibus tradis: Mors est *Vita nostra destructio suimet est.*
in insidiis: non illi veniendum à longè; propere fortassis aderit insperatò. Non deerit qui ad ista reponat pertimescendam esse mortem subitaneam iis quorum vita petitur ab hostibus. Et non credis vitam nostram sibimet adversari? illam dubitas agere mortis munus? Lege Ambrosium ad illud Davidis: *vivet anima mea* &c. *Futuræ*, inquit S.D. *utique vitæ non præsentis sibi remuneratione blanditur. Hæc enim vita quomodo dici* S. Ambr. in Ps. 118. octon. 22. tom. 2.
potest, de qua scriptum est; & in pulverem mortis deduxisti me? & mox addit: *aut quæ est vita quæ in umbra est? in regione umbræ mortis sumus: abscondita est vita nostra, non libera.* Quæ cùm ita esse non libenter fateamur, inficiari nequimus mortalem vitam destruere seipsam: vel potiùs destructionem suimet dici valere.

In psalmo qui precandi formula est à Davidè composita pro afflicto paupere, sic legitur: *dies mei sicut umbra declinaverunt.* Ps. 101. 12.
Nihilominùs quam umbram dies nostros appellari posse putabam: nam in primâ conditione rerum, luci nomen impositum est dies: *appellavitque lucem diem.* Umbra non Gen. 1. 5.
aliud est quàm lucis destructio formalis (logice nunc loquamur: nam tractamus entia rationis, cùm de vita nostra sermo incidit) proindeque illi contradictoriè opponitur. Et quænam grammatica rei alicui nomen sui contradictorij concedit? visus ne dicetur cæcitas? possessio defectus nominabitur? Si urges, forsan totum concedam. Sed alibi de his. Nunc ad Psalmistæ sensum. Dies vitæ mortalis sunt quàm similes umbræ: nam sicut diem tenebræ tollunt, sic vita destructio sui dicenda: undè non eget contrariis ut finiatur, quæ suum habet intra se contradictorium. *Quæ est vita quæ in umbra est?* mortem prorogamus; non vitam.

Ideo non liberè dicebam olim quòd, si 28.
rigorosè loquamur, nec ut vivat, nec ut *An etiam ut moriatur careat homo vita?*
moriatur homo vitam possidere videtur. Non, inquam, ut vivat, quia mors neminem vivificat, & vita nostra exitus est, quem cœpimus pati dum inciperemus esse: nam ut Seneca cecinit (& satis quàm deplorandum sit lachrymis ferè testatur infans)

Prima quæ vitam Sen. in Herc. fur.
Dedit hora carpsit:

quam doctrinam sacravit S. Ambrosius dicens: *vitæ huius principium mortis exordium* S. Ambr. l. 2. d. vocat. genti. c. 8. tom. 4.
est. Non etiam ut sistat viram nos habere videmur, quia illa mortis nomine digna est; mors autem non expirat. Favet Augustinus: *nunquam igitur in vita homo est ex quo* D. Aug. to. 5. l. 13. d. civit. Dei. c. 10.
est in corpore isto, moriente potius quàm vivente, si & in vita & in morte simul non potest esse: ergo nec ad moriendum suppetit homini vita?

Jobi threnos adi. Hominis miserias per Job. 14. 2.
lamenta describens, ait: *quasi flos egreditur, & conteritur & fugit velut umbra.* Posset

floris allegoriam cœptam proſequi dicens: conteritur & cadit velut flos. Non ita loquitur ut inſinuet hominem vitâ carere qua privetur mortis falce. Flos vivit & vitam deperdit cùm decidit; homo autem vitâ caret quâ ſpolietur, quia temporis ejus decurſus mors dicendus potiùs quàm vita. Nec iſtam vendicat, ut ea fruatur: ſolus enim illi datus eſt egreſſus, hoc eſt nativitas: *quaſi flos egreditur:* & poſt egreſſum quid ſequitur? Conteri; non autem vivere: *egreditur & conteritur:* unde fit quòd cum publicè moriendum erat illi qui occultè moritur à nativitate, non aliud inveniatur quàm umbra inſenſibilis, quæ ducitur, ſeu potius fugit ad ſepulchrum feſtinans, diſparens, evaneſcens: *& fugit velut umbra.* Hæc eſt quam ſummopere diligimus navigatio, cui vitæ nomen inditum eſt: cùm tamen ſimilis adeo morti ſit, ut ejus falcem videat *in meſſe*, ideſt in adoleſcentiâ florida ætas, imò & priùs in cunabulis infantia.

DELIBATIO VI.

Eleemoſynæ fructus: virtutum nexus: docentis lucrum: virtus ſibi præmium: gravitas peccati ſcientis & excuſantis.

29. *Eleemoſynæ fructus.*

Qui congregat. Multiplicem retuli ſuprà hujus proverbij ſenſum: quos licet expoſitione litteræ non probaverim, tamen aliquos ex illis nunc expendam ad mores. Primus eſt quem prætulit Salazar exiſtimans hîc ſignificari bona temporalia, quæ virtutem ſequuntur ut illius fructus uberes. Sic, fateor, multos docuit experientia, ſine quâ difficile fortaſſis videretur de juſto dici quòd congreget divitias cùm ipſius proprium ſit eas in pauperum opem diſpergere. Spargendo tamen congregat, donando recipit miſericors. Vide quàm facilè poſſimus Auguſtini regulam executioni dare, quam prima facie judicares intellectui arduam. Audi aliorſum loquentem: *qui vult ordinatè dare eleemoſynam, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primò dare.* Vel Juriſtas conſulas, vel Philoſophos, non te docebunt quomodo poſſimus aliquid à nobiſmetipſis per donationem accipere. Hujuſmodi contractum juris profeſſores non dicent innominatum, ſed inauditū: Philoſophiæ verò cultores figmentum rationis appellabunt. Qua ratione transferetur dominium quod nullus perdidit? Quo pacto realis erit communicatio, ſi actionis principium, & terminus nullatenus niſi fictione diverſificantur? Altioris Philoſophiæ theorema, juriſprudentiæque melioris hæc praxis eſt. Charitas te ac proximum redegit in unum: ergo recipere te crede cum largiris.

D. Aug. in enchiri. c. 76. to. 3.

Iſai. 58. 10. 11.

Evangelicus vates opportuniſſimè quidem ad rem noſtram, ait: *cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris.... eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum cujus non deficient aquæ.* Sicut hortum irriguum vaticinatur Propheta fore illum qui larga manu favet eſurientibus. Quomodo igitur fons aquarum idem ipſe vocatur ibidem? Fontis cum liberalitate ſimilitudinem non ignoro: quam expendit, & laudat Sanctius ibi dicens: *optima ſimilitudine eleemoſynarum vim, atque naturam oſtendit, quamque Deus miſericordi attentè atque aſſidnè provideat. Proprium fontis eſt ſuam aquam, & quaſi ſua viſcera ultro omnibus qui accedere volent, largiri liberaliter:* nihilominus fontem ſimul & hortum vocari myſterio nequaquam vacat: fons etenim emittit; hortus verò colligit aquas: & ex Cornelio à Lapide prior ſimilitudo illa horti refertur ad eleemoſynam. *Eris* (commentatur ille) *ſicut paradiſus ſemper vernans fructibus & frondibus: eo quòd jugiter aquis, vel pluviis vel fontanis irrigetur. Hoc eſt abundabis fructibus, & bonis tum corporalibus, tum ſpiritualibus: quò enim plura dederis pauperi, eò plura tibi erogabit Deus.* Non quieſco inſinuata per Cornelium dubioli noſtri ſolutione: ſcili. quòd à Deo fonte bonorum irrigabitur miſericors velut hortus: nam vates indicat eundem hominem eſſe fontem irrigantem & hortum irriguum. A Deo totum hoc manare non inficior. Sed quomodo ſe rigabit eleemoſynarius? eaſdem copias quas effundit in pauperes uti fons, theſaurizat ſibi quaſi hortus? Ita profectò: nam charitatis ingenio diſtribuens *congregat.*

Sanct. ibi.

Cornel. à Lapi. ibidem.

30. *Virtute carêt unicâ omnibus deſtitui videtur.*

Nunc ad accommodatitium ſententiæ noſtræ ſenſum, cujus utraque gloſſa meminit, paululum divertamus. Juxta illum ita monet Salomon auditores. Qui dum vita fugax præterit, virtutum copiam ſatagit congregare, hic ſapiens, ideſt juſtus vocetur. Quaſi dicat: non una vel altera ſpiritualis pulchritudinis dote præclarus jam ſe rectum exiſtimet: congreget cunctas animæ divitias, qui dextram carpit viam ſi cupit optatam pertingere metam. Solaribus radiis Philo virtutes compoſuit. *Quemadmodum* (inquit ille) *ſolis radios extendit opifex à cœlo uſque ad terminos terræ, ut vehementia caloris ejus remitteretur, laxareturque per aërem frigidum: ad eundem modum ſapientiam Dei & ſcientiam, item prudentiam, juſtitiam cæteraſque virtutes ſingulas.* In hac ſimilitudine præfatum relucet aſſertum. Non enim unico Phœbi radio, ſed cunctis dies eluceſcit: pariter non ſingulis ſed univerſis virtutibus juſtus coruſcat. Quinimò nulla videbitur virtute conſpicuus is cui vel unam deeſſe contigerit.

Philo. Hebræ. l. quod Deus ſit immutab. to. 1.

Adoleſcens quidam genuflexo rogabat Servatorem, ut quid illi ad vitam æternam conſequendam opus eſſet, aperiret. Tunc illi Dominus: *ſi autem vis*, inquit, *ad vitam ingredi ſerva mandata.* Mirum eſt de vita æterna cogitationem incidiſſe juveni, qui ætatis flore vigens æternam ſe putat agere vitam, quantumvis ipſa labilem ſe toties clamet atque caducam. Sed mirabilius quod mandata cuſtodire monuerit divinus Magiſter ei qui aſſeruit cuſtodiviſſe cuncta. *Dicit illi adoleſcens: omnia hæc cuſtodivi à juventute mea quid adhuc mihi deeſt?* Nec falsò iſtud jactaſſe credendum, cùm

Matth. 19. 17.

Ibi n. 20.

cùm Dominus illum aspectu amoréque suo probaverit vera dixisse : nam post citata illius verba dicitur apud Marcum: *Jesus autem intuitus eum dilexit eum*, ubi Venerabilis Beda : *non est putandus homo iste vel voto tentantis, ut quidam putaverunt, Dominum interrogasse : vel de sua vita esse mentitus... sed simpliciter ut vixerit esse confessus, quod patet ex hoc quod subditur : Jesus autem intuitus eum dilexit eum.* Igitur qui mandata illa verè servabat adolescens, cur, tanquam si omnia prætergredi soleret, à Dei Filio servare mandata monetur ? Ut videas omni penè virtute destitui eum cui vel unicam deesse compereris. Non animadvertis adhuc Redemptorem adolescenti huic dixisse *unum tibi deest* ? Virtutum si vel una in te desideratur, cunctis carere puta : *serva mandata.* Spiritualis vitæ cursus virtutum gradibus velut scala cælestis exurgit. Nemo tenuit culmen cui vel unicus gradus supererit. Bellè S. Ambrosius : *Connexa igitur sibi sunt concatenataque virtutes, ut qui unam habeat, plures habere videatur.*

Marc. 10. 21.

Beda in c. 10. Marc. lib. 3.

D. Ambr. lib. 5. in Luc. c. 6. tom. 3.

31. *Doctrina spiritualis fructus ditant docentem.*

In messe. Alium ex Beda paræmiæ istius notavi sensum, quem accommodatitium dixi : De operario scili. Domini congregante spiritualem animarum segetem exponit ille, quasi diceret Salomon doctorem, qui virtutum semina in proximorum cordibus deposita rigat, sibi fructus congregare sapienter. Non eadem sors corpori & spiritui obtigit. Corporis bona si duo possideant, neuter integrè possessor dicetur. Animæ divitias dum solus claudis, non adhuc ex integro te possidere judica. *Omnis res*, inquit Augustinus, *quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda est*, ac si diceret : tunc plena possessio illius est cum socios admittit. Unde spiritualia bona si aliis communicas, tibi dedisse puta.

D. Aug. l. 1. de doct. Christin. c. 1. tom. 3.

Consulit Paræmiastes in hæc verba spiritualis disciplinæ pio largitori : *deriventur fontes tui foras, & in plateis tuis aquas divide. Habeto eas solus.* Aquas intelligit glossa Interlinearis *prædicationes* : & similiter Liranus illud *in plateis* exponit sic : *idest in locis communibus & manifestis : in talibus enim locis debet doceri sana doctrina.* Si prima facie textum expenderis, non sibi cohærere putabis hujusmodi consilium : nam quomodo habebit solus aquas easdem, quas multiplicatis fontibus derivat foras, ac dividit in plateis ? *aquas divide. Habeto eas solus.* Quod quisque solus habet, claudit, nec largitur ; quod publicè dispergit, non solus habet. Igitur quî fieri potest ut solus possideat quod aliis communicat ? Ingeniosæ dilectionis industriæ nihil difficile. Aliis donat quos neutiquam patitur alienos : (& obiter vide an hic sit sensus dum in textu legis: *nec sint alieni participes tui.*) Indeque fit ut quod ipsis præstat, sibi donet. Redit in authorem beneficium : & quasi nulli dedisset nisi sibi eadem quæ divisit, solus habet : *habeto eas solus.* Quæ de largitate dicta manent, in doctrinam distribuente verificantur peculiariter : nam, ut ait Petrus Blesensis, *scientiarum generosa possessio in plures dispersa non perditur, & distributa per partes minorationis detrimenta non sentit : sed eo diuturnius perpetua senescit, quò publicata fœcundiùs se diffundit.* Spiritualis doctrinæ largitorem vides hîc appellari non distribuentem, sed *qui congregat in messe* : de quo idem Salomon loco jam expenso, quem dum S. Gregorius M. meditatur, non longè it à cogitatu nostro : quippe de prædicatore loquens ait : *bibit quidem sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Vbi benè subjungitur : diriventur fontes tui foras*, &c.

Proverb. 5. 16. 17.

Interlin. & Lira ibi.

Prov. suprà.

Petrus Bles. sen. in ep.

D. Greg M. to. 1. 3. p. Pasto admon. 25.

Filius sapiens est. Si pro sapientiâ virtutem hîc sumamus, opportunum erit meditari quòd ea loco præmij assignatur ei, qui solerter invigilat adimplendo muneri suo, vel hoc sit animarum quærere lucra, vel quidquam aliud. Abundans equidem benè operantis remuneratio est feciſſe. *Vnum hominis bonum ipsa virtus est*, inquit Seneca: & cur unicum bonum virtus inter adeo plura ? Rationem reddat Tullius : *Omnia*, inquit, *præter eam subjecta sunt fortunæ dominationi.* Cumuletur divitiis Cræsus : extollatur honoribus Augustus, subjiciat nutui orbem Alexander, cuncti possident non sua, sed fortunæ bona ; sola virtus nobis aliena non est : *si aliquid agimus, nostrum est ; si quid habemus, alienum est*, ait Cassiodorus. Idcirco licet nullo ex temporaneis bonis rectè operatus muneretur, sibi virtus præmij loco satis est.

32. *Virtus præmium sibi sufficiens.*

Sene. in epist. 76.

Cic. Reth. l. 4.

Cassiod. in epist.

Propheta Samuël postquam ad Israëlitici populi supplicationem parum libenter inclinatus illis constituit regem Saülem, dixit ad plebem : *si timueritis Dominum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini : eritis & vos, & rex qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum.* Licet Hugo Cardin. ibi commentetur hæc verba, quasi vates promiserit Israëli protectionem Dei : aliter exponit Beda ibidem sic : *qui enim præcepta fidei Sacramenta rectè servaverit, ejus Dei & Domini monita sequetur*, &c. qua expositione præmissa revocemus ad trutinam verba videntis. Putabam dicturum : si timueritis Dominum, &c. debellabitis hostes, acquiretis imperia. Vide quam vaticinatur eis futuram benefactorum remunerationem : *eritis*, inquit, *& vos & rex qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum.* Sequitur Deum qui timet ipsum, ejusque vocem audit, nec peccatis exasperat illum : sed hæc ipsa virtus munerat sequentem : Deum sequi præmium est sequelæ. Unde benè Chrysostomus : *& sicut virtutem amplexati, duplicem mercedem à Deo accipiunt, tum quod ipsi virtutem exercuerint, tum quod alios ad virtutis communionem traxerint, ita & in peccatis*, &c.

1. Reg. 12. 14.

Beda ibi l. 2.

Chrysost. to. in Gen. 17. hom. 40.

Qui autem stertit æstate. Non desinam hîc notare stertentis nomine peculiariùs hoc loco intelligi peccatorem qui scienter delinquit, & in vitiorum cœno volvitur supinus. Ars benè vivendi cæteris multùm dissimilis est. In reliquis, si à peritissimo semel & iterum sponte sua opus defectuosum prodeat, non dicimus errasse, tantùm fatebimur noluisse. Non sic in moralibus : undè Senecæ dixit : *in hac arte vivendi turpior volentium*

33. *Gravius peccat qui scienter.*

Sen. epist. 94.

lentium culpa eſt. Inter naturalis philoſophiæ diſceptationes controverti ſolet an corpora inæqualiter gravia cadant æqualiter. Qui affirmant nituntur in eo quòd una pars impellit aliam proindéque facit ut ruat pars altera, quaſi duplici gravitate, ſcili. propria & aliena. E converſò qui negant inficiantur hoc ipſum, docentes in corpore praviori partem unam ſequi aliam; non verò eam trudere. Si tamen de hoc principio convenirent Authores (utrum ſcili. una pars impellat aliam in cadendo, vel non) nulla foret inter illos circa præcipuam quæſtionem controverſia. Philoſophiam iſtam ad morum lapſus inflecte. Si ex ignorantia peccas, pars intellectiva non impulit inferiorem; ſed cum huic uniatur, illam ſequitur, & ſic minùs præceps ruit. Si verò ſcienter delinquis, aliter accidit: tunc enim pars rationalis præcipitem ire facit minus nobilem: indeque fit ut gravior ſit ruina: *Gravat enim ſcire quòd vel exequi, vel vitare non velis*, ait Ambroſius. Cum audis: omnis peccans eſt ignorans, non ideo dubites graviùs Divinam lædere clementiam illum qui ſciens admittit ſcelus.

D. Ambr. to. 1. l. d. paradi. c. 7.

In patibulo brachiis expanſis populum contradicentem expectans ad pœnitentiam rogabat interim Chriſtus Dominus Patrem ut veniam inimicis exhiberet: *pater dimitte illis.* O clementiam omni admiratione majorem! *Plus eorum animas* (ait Servatoris nomine Laurentius Juſtin.) *quam corporis mei magnipendo ſalutem.* Sed cur non etiam pro Juda ſimiliter precatus eſt Æternum Parentem, ut ex iis quos ab eo acceperat Diſcipulos, & ad culmen Apoſtolicum vocaverat, nullus periret? Amicum appellavit, & Genitoris pietatem pro ipſo non interpellat? Neutiquam ſimilem deprecationem pro traditore interpoſuit: Iudas enim ſcienter innoxium tradidit: *peccavi tradens ſanguinem juſtum*; crucifixores autem neſcientes peccavere (quamvis culpabilis fuerit ignorantia): *non enim ſciunt quid faciunt. Notandum ſanè* (ait Beda) *quod non pro eis qui livoris ac ſuperbiæ ſtimulis accenſi, quem Filium Dei intellexere, crucifigere quàm confiteri maluerunt; ſed pro eis utique qui zelum Dei habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam, neſciere quòd fecerunt, Patri preces obtulerit.* Ea eſt peccantis ex ſcientia impudens iniquitas, ut ipſi clementiſſimo Redemptori videatur ligare benevolentiam. Forſitan ſtertentis appellatione venit hujuſmodi peccator hoc loco.

Luc. 23. 34.

D. Laur. Iuſt. d. triumph. C. agone c. 17.

Matth. 27. 4. Beda in 23. Luc. l. 6. c. 94.

34. *Peccatum excuſans auget.*

Filius confuſionis. Attamen aliquis dicet potiùs illos hîc intelligi, qui peccato ſuo quærunt excuſationem: quos ferit interrogatio D. Ambroſij: *cur tu de confeſſione criminis erubeſcas, cùm criminis commentum, non confeſſio, ſit pudori?* Miſerrima eſt delicti pauperies: pallio tegitur non ſuo; ſed veſtes alienæ cùm ad prioris culpæ diſſimulandam fœditatem uſurpatur, non ſolùm iſtam non operit: ſed illam quaſi novo furti crimine augent. Qui labitur, neque tamen baculum excuſationis affectat, amare convincitur bonum apparens, & locus datur ut credamus odiſſe malitiam annexam utilitati prohibitæ. Ille verò qui ſcelus tegere curat honeſto nomine, defendit amens delictum, ipſúmque ſignificat amare nolens. In ægritudinem ſpiritualem prolabi humanum eſt; languorem proprium diligere pluſquam diabolicum. *Hoc enim*, ait Caſſiodorus, *maximum vitium eſt, quò laborat humanitas, ut poſt peccatum ſuum maxime ad excuſationis confugium quaſi pœnitudinis ſe confeſſione proſternat, quod facinus inter ſumma peccata conſtat numeratum eſſe: quia inde naſcitur undè ad pœnitentiam reus tardius venire videatur.* Ergo majori pœna dignus excuſationem prætendens, quàm inexcuſabiliter delinquens.

Caſſiod. in pſ. 140.

Bis Dei flagellum expertus eſt David, ſed inæquali ſententiâ. Ob adulterium cùm Bethſabee, & Uriæ necem, amiſit puerulum flagitioſi pignus amoris recens poſſeſſum. Propter numerationem deinde populi gladio peſtis vulneratus eſt Iſraël, ac ita ſevera manu quòd ad ſeptuaginta mille vitas extenderit illa cladem. *Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël, de mane uſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo, à Dan uſque ad Berſabee, ſeptuaginta millia virorum.* Supremi Iudicis æquitatem agnoſco, ſed cùm iſta duo ſupplicia confero, vix eam intelligere valeo. Clamat ſanguis Uriæ, violatuſque torus: & unius puelluli morte fit ſatis utrique! Numerat populum David, & peſte punitur ſuperbia! Quid in hujuſmodi peccato gravitatis excogitabitur, quod ab homicidio, & adulterio ſaltem conjunctim libratis non ſuperetur pondere? Divinæ juſtitiæ zelus æquiſſima lance trutinat crimina: & videmus annumerationem populi flagellari peſte! homicida verò & adulter unica filioli morte cæditur! Juſtiſſimè ſanè: quia David nec adulterium excuſavit, nec homicidium. Cùm verò juſſit populum ſupputari, cerne ut excuſationem prætendat: *numerate* inquit, *populum ut ſciam numerum ejus*, quaſi diceret: paſtoris munus ago, ſcire debeo gregis numerum, ne vel minima pereat ovis: ideo ut ſciam quot meo regimini ſubſint, populo mihi tradito, jubeo numerari plebem. Peccat, & excuſat crimen: igitur deliquit graviùs, puniatur ſeveriùs. Vereor ne is qui dum perperam operatur, ſtertit, eodem ſomno inſanum ſine modo vivendi modum à culpa eximere audeat, quaſi dicens: dormiebam. Non ideo tamen imminuit reatum; ſed cùm ejus turpitudinem probè noverit, confundetur *Filius confuſionis.*

2. Reg. 24. 15.

Ibi n. 2.

FLOS VII.

Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas.

APERITUR.

1. Caieta.

MULTIPLEX hujus loci expositio circumfertur. Prima est Caietani, qui hunc sensum adinvenit : justi proprium est benedicere omnibus, & benè precari ; impij verò si quando id faciunt, hoc agunt ut iniquitatem abscondant. Non placet : quia si *caput* sumit per synecdochen pro toto justo, textus non exprimit benedictionem ut exeuntem à justo ad cæteros ; sed ut insidentem eidem : quod patebit expendenti & lectionem vulgatam, & hebraicam, scili. *benedictiones Domini in caput justorum*, quod nullo modo significat in capite, seu mente, justorum fabricari verba benè precandi, ut videtur intellexisse Caietanus.

Lect. hebr.

Secunda expositio est Hugonis Card. accipientis primam sententiæ partem de benedictione *in præsenti per gratiam : in futuro per gloriam*. Per caput intelligit mentem, seu animam. Et ad impios expositionem protendens, secundam ejusdem versus partem exponit sic ad illa verba : *operit iniquitas : in inferno*, ait, *idest propter iniquitatem, quam sibi congessit, condemnabitur quasi in pœna sepultum*. Favet Glo. Ordi. *propter iniquitatem quam congessit condemnabitur*. Necnon Interlinearis ibi : *aggere pœnæ*, quasi dicat in gehenna obruetur. Probabilis est hæc expositio : nam benedictionis nomine gratia & gloria in sacra Pagina vocantur. Ad Ephes. 1. *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*. Ad Galatas 3. *qui ex fide sunt benedicentur cum fideli Abraham*. Expositionem hanc præ cæteris eligerem, si secundam hujus dogmatis partem vel sine tempore ut primam, vel de futuro, Salomon protulisset. Cùm tamen de præsenti loquatur, dicens : *operit*, non tam genuinum videtur hoc exponere de futurâ vitâ.

Hugo Card. hic. Gloss. Ordi. Et Interli. Ephes. 1. 3. Gala. 3. 9.

2. Vatablus hic.

Tertiò Vatablus interpretatur ita : solet justus benedici ; impius autem semper cogitat malum. Displicet : nam valdè late benedictiones hominum appellantur benedictio Domini. Quartò Jansenius explicat sic textum : justus bona quæ de manu Domini accepit, super caput, hoc est palam, ostentat, cùm sint benè parta ; impius econtra fructus iniquitatis ore clauso abscondit : vel (quod in idem recidit) iniquitas, seu nequitiæ fructus, faciunt ut pudor operiat faciem impij, quæ per os designatur. Nec etiam hic est valdè germanus intellectus hujusce pronuntiati : non enim adeo magni faciunt bona temporalia justi, ut suprà caput illa ponentes, de ipsis gloriari videantur : & similiter nec hominibus sceleratis adeo frequens est pudere de bonis malè partis. Verosimilior igitur acceptio paræmiæ istius est quam prætulit doctus à Lapide, qui commentatur in hunc modum : *Affluentia bonorum omnium defluet, & quasi è cœlo depluet in caput justi : os autem & caput impiorum operiet iniquitas, ideſt pœna iniquitatis : quæ quia justa ita os eorum obturabit, ut ne mutire quidem, vel hiscere contra Deum vel homines audeant.* Hæc ille. Mirâ Salomon industriâ sollicitat cunctos ad virtutis trahere sequelam : & quia timor supplicij quosdam ; alios verò præmij desiderium fortiùs excitat : ut aptetur omnibus doctrina, meminit utriusque.

A Lapi. hic.

3.

Benedictio, Hebræa habent : benedictiones : quæ lectio expositioni, quam prætulimus, valdè congruit : exprimit namque bonorum copiam. Sed nota quòd una benedictio Domini non unica est ; sed multiplex. Singula Dei munera singularia non sunt, pluralitate gaudent. Solem suum oriri facit : putas unicum beneficium ? Attende quot in uno lucis dono data reluceant. Oriente Phœbo redditur orbi lætitia : oculis velut restituitur visus, cùm cæcutiant in tenebris : hemispherio inferiori conceditur quies : terræ per caloris interventum conciliatur ubertas : noxia tenebrarum exsiccatur humiditas : alitur sensim tenera florum juventus, fructuumve copia maturescit. Vides quanto promanent ab uno solis ortu emolumenta ! Donum Dei est instar plurium & unicum satis ut Dei largitatem admiratione prosequaris ; nam cuncta numerare impossibile. *Divinæ bonitatis beneficia*, inquit S. Laurentius Just. *humano generi collata quisquis ad plenum pandere conatus fuerit, similis esse censendus est illi qui latissima fluenta maris in vase minimo concludere moliretur.* Dixi quodlibet munus Dei claudere multitudinem donorum. Utinam econtrario ex multis quæ donavisse jactant homines, unum exurgeret beneficium. *Domini*. Hoc nomen antonomasticè tribuitur passim Deo, cùm multi sint apud homines domini. At sicut dicitur, nemo bonus nisi solus Deus : ita ipse tantùm Dominus esse videtur : tum quia cæteri velut mutuo possident ea quorum dominia nanciscuntur ; Deus autem nihil accipit non suum : tùm etiam quia inter homines rari sunt qui sibimetipsis dominentur, ideſt qui vitiis non serviant : idcirco pauciſſimi reperiuntur qui nomen Domini mereantur. *Refrenet*, inquit Tullius, *primùm libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, & cæteras animi labes repellat. Tum aliis incipiat imperare, cùm ipse improbissimis dominis dedecori aut turpitudini parere desierit.* Tandem cum omnis dominatio derivetur ab Altissimo, hic unicè Dominus dicendus est. *Porro unus solus est Dominus, qui per Prophetam clamat dicens : ego Dominus & non est alter.... cæteri autem qui præsunt ejus ministri sunt.* Hæc S. Laurentius Just.

D. Laur. Just. l. d. obedi. c. 28.

Cic. in parad. 1.

D. Laur. Just. d. instit. & regim. Prælat. c. 2.

Super caput. Caput & pro toto justo, & pro illius anima sumi potest. In secundo sensu major est vocis energia : totus enim justus dicitur anima, quia nihil præter eam

curat

Cornel. Jansen. hic.

curat inter creata bona. Qui loquax est appelletur lingua; non amplius: fur, manus: Lascivus, oculi: gulosus nomine ventris nuncupetur: justus autem integer anima nominatur: nam ut scribit Hieronymus; *vir perfectus in Christo semper vivit in spiritu, spiritui obedit, numquam vivit in carne; & contra qui se totum carni dederit, & passionibus deputarit, numquam vivit in spiritu.*

D. Hier. l. 3. in c. 5. ad Galat. to. 9.

Justi. Pro justo misericordem accipit Beda, similiterque Rodolphus: sed eadem libertate possent intelligere nomine justi castum, vel sobrium: nam etiam hos Deus munerat sæpe bonis temporalibus non minùs quam pauperum inopiam sublevantes. Nec refert quòd in præcedentibus parabolis nonnihil de bonis temporalibus agatur: quia videtur liberum inde colligere quod in præsenti ars optima diteſcendi, nempè largitio eleemosynarum insinuetur.

Beda & Rodol. hic.

4. *Os autem.* Nomen illud sumi potest pro facie, si ad ruborem impiorum, de quo hic, attendamus: vel etiam pro toto impio, qui fortassis in peccata gulæ, ac loquelæ penitus effusus, quasi nihil est præter os. *Quia ex ore ejus*, inquit Lira, *procedunt verba iniqua detractionis, & murmurationis, & consimilia.*

Lira hic

Impiorum. Iustum dixerat in singulari: sed impios supponit multos. *Lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam!*

Matth. 7. 13. 14.

Cornel. Jans. & Hug. Card. hic.

Operit. Jansenius ibi: *iniquitatis ultione confunditur:* Hugo Cardin. ibidem: *ideſt occludit* ne ad confessionem aperiatur; sed moralis expositio videtur ista, quamvis ille ad litteram loquatur fortè.

Iniquitas. In Hebræo dubium est an vox respondens huic significet iniquitatem: juxta quam lectionem videntur loquuti aliqui: dum supra numeratas expositiones amplectuntur: sed interpetratio quam sequimur accipit vulgatam literam pro ut sonat.

Versio septuag.

Septuaginta legunt hîc, *luctum intempestivum*, seu ut alius eos transcripsit, *luctus intempestivus.* Vel hoc intelligatur ita ut lachrymæ operiant faciem, vel econtra sic ut facies præ pudore luctum dissimulare cupiat: quæres in quo sensu luctus impij dicatur intempestivus. Displicet quod aliqui asserunt, intempestivum vocari hujus vitæ luctum, eò quòd post mortem & judicium, tunc maneat proprium plangendi tempus. Et quod magis est, non deest qui dicat Deum immittendo pœnas improbo in vita mortali, tempus quasi pervertere. Secunda pars hujus interpretationis non nimis congruit æquitati Divinæ, quæ in hac etiam vita valdè tempestive punit: præsertim cùm se Deus pœnitentiæ nostræ desiderio ferri ostendat puniendo: nam huic fini locus non est post finem. Prima etiam pars expositionis præfatæ, quam apponunt versioni Septuaginta interpretum, videtur obliviſci mundum esse fletibus aptissimam regionem. Recolatur. illud: *ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum.* Hyemis nomen accommodatum satis est vitæ præsenti: sicut futura ætas vocari potest, eo quod in ea colligantur optimi fructus: *scitis quoniam propè est æstas. Ita & vos cum videritis hæc fieri scitote quoniam propè est regnum Dei.* Est ne intempestivum quòd vallis luto hyemali tempore cooperta redundet aquis? Omissâ itaque prædictâ doctrinâ: intempestivum dicerem luctum impiorum, quia timent jugiter, nimisque citò lugent velut amissa bona quorum jacturam reformidant: nec non & quæ adipisci non valuere, lachrymas eis movent. Sic est puerilis inanium bonorum dilectio.

Pſ. 83. 6. 7.

Luc. 21. 30. 31.

DELIBATIO I.

Humana Divinaque politica dissident: sæculum prodigum & parcum, de quo nullus queritur; sed de Deo qui sic amanter donat, quasi sibi daret.

5. *Humana politica crimina damnans, virtutes non munerans, frustratur.*

JUstus hîc proponitur benedictione Dominica remunerandus, & simul impius delictorum supplicio puniendus. Ille bonorum affluentiâ replebitur; hic autem iniquitate, hoc est iniquitatis pœnâ, mulctabitur, & oppilabit os suum. His duobus quasi polis, præmio nempe ac punitione, volvit orbem Omnipotens. Rectè notat S. Ambrosius quod *S. Matthæus præmiis ad virtutem & fidem populos provocavit: hic etiam à criminibus atque peccatis futurorum suppliciorum denuntiatione deterruit.* Æquum foret ut similiter se gererent omnes qui Dei vicem gerentes in terris, commissæ villicationis rationem reddituri sunt exactissimam. Sed hi, si quando æquitati studeant ut plurimùm delicta punire curant, & bene operantes præmio afficere omittunt. Unde fit ut subdito medelam non afferat comminatio pœnæ, cum absque præmij pollicitatione se ad virtutem videat incitari. Affectuum humanorum princeps amor est, quo deficiente, cæteri quasi milites duce carentes pereunt facilè: oportet videant quid ament homines: amore, inquam, ducantur præmij: timor enim solus docebit à quo vagus fugias, non ad quem tendas tramite certo. *Haud facilè quisquam gratuitò bonus est*, dixit Sallustius: Vane laborat humana severitas, quæ flagello crimen fugare conatur, nisi simul spe retributionis ad bene operandum alliciat eundem, quem timoris hortatu retrahit à malo. Hæc est econverso Divini moderaminis prudentissima rectitudo; simul & remuneratione suadere virtutem, & vindicta exterrere à crimine. Ita meliora sapiet iniquus: nam solus metus ut resipiscat integre satis non erit.

D. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6. tom. 3.

Sallust. in fragm. hist.

Vivente Davide paterni sceptri cupidus Adonias ab eo genitus fecit sibi currus, & equites: vocatisque tandem principibus exercitus qui partes ejus adjuvabant ut eum totum adulatione possiderent, inter dapes & pocula rex inauguratur. Ad genitorem defertur insana, quæ vexabat Adoniam, regnandi libido, referente Bethsabee, necnon & propheta Nathan, qui superveniens comprobavit

probavit Reginæ sermonem. Tunc jubente David Salomonem, quem coronæ decreverat hæredem, servi regis faustis acclamationibus, post solemnem unctionis ritum, populari multitudine comite ducunt ad solium. Finitum erat Adoniæ convivium, cùm auditis iis quæ acciderant fœliciori fratri, post dulcia gustavit amara. O parcæ prodigalitatis deliciæ! Vestrum prius desinit sæpe gaudium, quàm dolor adsit in foribus. Quid fugitis? amantes? Finito, inquam, Adoniæ convivio, nuntiatur ei Salomonis regnum. Pertimuerunt omnes: ivit unus quisque in viam suam. Adonias autem ad sacrum altaris asylum confugit, & à fratre securitatem ne occidatur supplex poposcit. Respondit
3.Reg.1.52. Salomon in hæc verba: *si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.* Accersitumque Adoniam pacificè remisit in domum suam. Deposuit ne sic Adonias regnandi cupidinem? Nequaquam: audi Hugonem. *Adonias Abisag quærit habere uxorem, ut per eam fiat rex.* O quàm exagitat miserum dominandi ardor! Ita urit ambitiosum pectus, ut ipse latentem cupiditatem subindicaverit nolens, cùm Abisag Sunamitidem expetivit in conjugem: aliter qua ratione Salomon ad hujusmodi postulationem à Bethsabee oblatam reponeret sic?
Ibi c.2. 22. *quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum:* & ex qua culpa juberet illum interfici? Eodem die præcepit eum
Ibid. n.24. & 25. occidi. *Hodie occidetur Adonias.... & mortuus est.* Transi modò ad Nabuchodonosor ita fastu superbiæ tumentem, ut potestatem despexerit Altissimi: quòd satis indicant illa
Dani.4. 22. & 23. Danielis verba: *donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Et infrà: *regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem.* Percussus tamen rex superbissimus flagris, eruditur ac elationem
Ibi n. 31. deponit. *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna,* &c. Utriusque modò compone superbiam, scili. Nabuchodonosoris, & Adoniæ. Hic superbos conatus non cohibuit; ille verò maximè: sed cur ita? Perpende Salomonis decretum, quo minatur mortem fratri si malè se gerat: *sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.* Si verò fuerit vir bonus quid illi præmij Rex pollicitus est? Nihil. Remunerationis vice spopondit non puniendum fore: *si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram.* Defectu retributionis quam expectaret Adonias, metus non correxit eundem. Babylonico regi Deus ore Prophetico denuntiavit resipiscentiæ
Ibi n.22. munus tribuendum, & criminis flagellum imminens: *ejicient te ab hominibus, & cum bestiis, feriseque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedas.* En elati animi supplicium. Additur à Daniele: *regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem.* Ecce remuneranda promittitur humilitas: quod sic judico, nam Lira morali sensu in restitutione Nabuchodonosoris ad regnum, insinuavit cæleste præmium humilibus & gratias Deo debitæ reddentibus figurari. Ad illud Danielis 4.14. *donec cognoscant viventes quoniam dominatur Excelsus in regno hominum,* inquit Liranus: *& sic sub* Dani.4.14. Liran. ibi. *eo veraciter humilientur, & de beneficiis sibi collatis ei debitè regratientur. Quod si fecerint, eis majora in cælestibus donabuntur, propter quod in hujus figura dicitur in fine capituli: & magnificentia mea amplior reddita est mihi.* Vel, si mavis, restitutio ista regni promissa est Regi si eleemosynas largiretur, ait namque Dionysius Carthus. *Nemini tamen desperandum, quia & Nabuchodonosor regi, si bona fecerit, indulgentia promittitur.* Et inferiùs addidit: *Secundum Hieronymum Nabuchodonosor eleemosynis suis regni recuperationem promeruit:* Non enim frustra consuluit vates: *peccata tua eleemosynis redime.* Flagellatus impius & simul spe allectus resipuit. Hic, ut suprà notabam divinæ providentiæ mos est timore scili. ac expectatione flectere corda, quæ tanquam fidissimus remunerator invitat ut amplectantur bonum, & unà severissimus vindex punitionem infligens fugat à malo.

Dionys. Carthus. in 4. Dani. Dan.4.24.

Non sic avara pariter & prodiga mundanæ prudentiæ manus erga benemeritos parca; in dilectos effusa. Mundus tanquam aliena possidet ea bona, quæ debentur in meritorum stadio certantibus, & arcana quadam dulcedine pellicitur ut alienum retineat: ideo ægrè fert præmia dimittere ut largiatur, cùm sit pro ditandis iniquis largissimus: nam ferè semper difficilius est debitum solvere, quàm indebita donare. Ille ipse qui circa benemeritos parcus, in charos profusus invenitur.

6. *Sæculum prodigum, & parcum.*

Quod notavi loquens de sæculo, pronum erit in quodam ejus ministro invenire. Postquam loco Vasthi regium ascendit Esther ad solium, Assuerus Amane suadente necem Israëlitarum decernit qui sub ejus ditione degebant. Regina populi sui dolens excidium adit regem, & ab eo benignè audit:
Esth.5.3.6. *etiamsi dimidiam partem regni petieris dabitur tibi.* Et iterum: *etiam si dimidiam partem regni mei petieris impetrabis:* quæ verba die sequenti Assuerus iterum protulisse refertur cap.7. vides largissimam promissionem. Redi ad Mardochæi fideliratem. Ille duos eunuchos, qui præerant in primo palatij limine, regisque moliebantur interitum, detexit interventu Estheris, Assuerum reddidit securum. Sed quid pro hac fide consecutus est? Fateor in textu sic inveniri: *datis*
Ibi c.12.5. *ei pro delatione muneribus.* Sed putabit aliquis non sine verosimilitudine (cui nunc liceat insistere) non nimis magna fuisse munera, quorum & siletur qualitas, & abierat memoria: ita ut rege quærente postea quid Mardochæo donatum fuisset, responsum ei
Ibi c.6.3. fuerit: *nihil omnino mercedis accepit.* Quidquid tamen illud extiterit, non adeo magnum reor, ut dimidio regno, quod iterum, ac tertiò, Estheri Assuerus obtulit, valeat exæquari. Cernis inæquales regiæ munificentiæ manus? Mardochæo debuisse fatetur incolumitatem: *Mardochæum, cujus fide &*
Ibi c.16.13. *beneficiis vivimus:* & parciori retributione subsidiatorem vitæ suæ remunerat? Donabat

ei tanquam benemerito : nec solet maximè ad istos diffundi liberalitas. Estheri non pro meritis donare pollicebatur ; sed juxta dilectionis mensuram, fidem obstrinxit donaturum quæ rogasset : nam *adamavit eam rex plus quàm omnes mulieres* : & idem qui remunerando benemeritum fuit minùs magnificus, erga dilectam excessit promissione largitatis metas. Hæc est avaritia sæculi, cui non obest ea, qua potentes utuntur, prodigalitas ad illos quibus potius congruebant supplicia, quàm munera. *Ampliant eos beneficiis quos torquere debuerunt, & à præsumptione adulandi suppliciis terrere.* Hæc D. Petrus Chrysolog. & ratio est aperta, quia, ut Seneca dixit, *non est beneficium cui deest pars optima, datum esse judicio.* Sibi similibus, quos amant, mundi proceres largè profundunt bona fallacia : nec ideo fugiunt avaritiæ notam, eò quòd erga dignos tenaciissimi sint, velut ille dives, qui vocatur à cunctis avarus : de quo scimus nec panis micam Lazaro dedisse ; cùm tamen cibaret splendidè convivas : nec enim solus epulabatur, ut indicat Ambrosius dicens de Lazaro : *cujus utique ulcera secundum litteram dives fastidiosus horreret, nec inter pretiosas epulas, unguentatosque convivas fœtorem ulcerum lambentibus canibus sustineret*, &c.

Esth. 2. 17.

Chrysol. in quadã epist.

Sen. l. 4. de benefi. c. 25.

S. Ambr. l. 8. in Luc. c. 16. tom. 3.

7. *De sæculi avaritia non querimur ; sed de divinæ retributionis morâ clamamus.*

Et, quod plus est, quamplurimi hanc in retribuendo parcimoniam hominum experti nec minimam emittunt querelam ; cum autem Deo præstant obsequia, si divina retributio moretur aliquantum, jam queruli clamant. Fortassis ideo sic se gerunt, quia homini tanquam domino servus, Deo verò sicut hero mercenarius, inserviunt. Non reprehendo illorum affectum, qui mercedem expectantes, & non purè dilectione benevolentiæ ducti, famulantur Altissimo : sed vereor ne degenerent, & sint non filij ; sed velut mercede conducti : unde fiet ut à Deo minoris æstimentur, quasi offerant ei opera non sua, sicut mercenarius alienum gregem custodit. Ad illud Joannis 10. *cujus non sunt oves propriæ*, dixit S. Anselmus : *quia virtutes quas in seipso custodire videtur, ab eo sunt alienæ, dum eas ob transitoriam retributionem servat, & non quasi proprias amat.* Sed novum non est ut is qui tanquam filius amatur, velit mercenarius esse, ut ex parabola prodigi patet : *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* At verò si humanam servitutem quis amplectitur, quasi capax non esset juris in illum cui obsequitur, ejus parcitatem expertus mercedem non quærit ; sed tacebit patiens ; Dei obsequio mancipatus differri sibi retributionem non sustinet, sed querelas emittit.

Joan. 10. 12.

S. Anselm. to. 1. enarra. in Evãg. Dom. 2. post Pasch.

In Abrahami domo reperiemus utrumque. Promiserat illi Dominus numerosam stirpem : *faciamque te in gentem magnam* : & promissionis terram ab ejus posteris possidendam : *semini tuo dabo terram hanc.* Sed ipse credentium pater, quasi Deo quidquam foret arduum, jam penè videbatur spem habendæ posteritatis abjicere : adeo ut querimoniam sic proposuerit suam : *Domine Deus, quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis.... mihi autem non dedisti semen.* Interrogatio illa : *quid dabis mihi ?* vim questus præ se fert, ut jam vides. *Quid valet mihi quod promittis* (exponit Hugo Card.) *cùm non habeam hæredem ?* Consonat Rupertus. *Nec verò quod ait ille, Domine Deus quid dabis mihi, ego vadam absque liberis, &c. diffidentis animi est, sed contriti & humiliati cordis, & cum nimia humilitate Dominum consulentis, videlicet ut flebili conquestione pulsatus Deus certius quid respondeat*, &c. Vides lachrymosam Abrahami querimoniam de præfata mercede sua non adhuc à Deo nimis clarè pollicita ? Siste gradum hîc & animadverte servum, qui ab eodem Abrahamo jussus ex Chanaan in Mesopotamiam perrexit accepturus uxorem Isaaco filio domini sui. Fœliciter jussa complevit, ac reversus est ducens Rebeccam ab Isaac ducendam : nec tamen legitur in præmium sedulæ, prudentisque fidelitatis hujus ab hero suo accepisse quidquam. Putas ne questus est de Abrahamo servus ejus, quod pro itineris molestiâ, pro diligenti sollicitudine, nihil ei collatum fuerit ? Minimè. Et queritur Abraham de Deo, qui promissa distulit ; non negavit ! O mortalium expectationem ut creaturæ serviat gratis patientissimam ; ut obsequatur Deo post multa beneficia, querulam ! Parvi facere videmur accepta de quibus vix possumus grates persolvere ; magnique ducimus differri sperata bona : quasi plùs possit bonum absens ut doleas, quàm habitum ut gaudeas. Quis ad solis ortum reddit illi gratias pro splendore, quem ipse spargit plenissimè, ne dicam liberaliter ? Pone quod interposita densa nube, hyberna sub glacie, impediantur ejus radij per unicæ diei horas aliquot, jam nubis tetræ importunum occursum incipis odisse. Sic Deo paululum beneficij desiderati executionem semel intermittente, dolemus acriter : ea tamen quæ plena, & quotidiana manu, quin rogetur, effundit, silentio claudimus.

Hugo Card. ibi.

Ruper. l. 5. in Gen. c. 17.

Gen. 12. 2.

Ibi c. 15. 2. 3.

8. *Deus ne sibi donasse reputat quæ homini præstat?*

Vis divinam largitatem expendere ? Ea est ut velut sibi donavisse reputet quæ homini præstat. *Quod homini proficit Deo servit*, inquit Tertullianus. Diligentis dona sunt hæc quæ præbet hominibus magnificè benevolus : ac dilectionis munus est amantes in unicum redigere : unde alter quasi sibi tribuit quod alteri communicat. Hinc fit ut ille qui nullius est indigens boni, quæ largitur hominibus quasi sibimetipsi dedisse ferè putat. *Dabo in Sion salutem, & in Israël gloriam meam*, inquit evangelici vatis ore cunctorum Dominus. Nonne dixerat apud eundem : *gloriam meam alteri non dabo* ? quomodo ista cohærent ? Facillimè. Statuerat equidem Deus alteri gloriam suam non communicare : sed ea voluptate gloriam Israëli promittebat Omnipotens, ut non alteri, sed tanquam sibimet illam conferre velut existimaret. Scio frequenter interpretes illud, *gloriam meam alteri*, &c. exponere de gloria Dei adeo ejus propria, ut ad creaturas non extendatur. Sed etiam oraculum illud potest accipi de gloria minus rigorosè propria Dei, sicut intellexisse videtur D. Bernardus. *Noverat Apostolus gloriam propriam esse creatoris, non creaturæ, secundum illud : gloriam*

Tertull. ...d. pœnit. c. 2.

Isai. 46. 13.

Ibi 42. 8.

S. Bern. ser. d. ver. Apost. qui gloriatur. Initio.

riam meam alteri non dabo.... ſed conſideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam, ab hoc compeſci deſiderio poſſit. Hanc ergo Deus gloriam dum Iſraëli promiſſam dedit, accepit ſibi: eam nempe, quæ miraculorum Chriſti Domini fructus extitit, juxta quandam expoſitionem approbatam à Carthuſiano docentem ſic explicandum textum: *gloriam meam, ideſt glorioſam Chriſti manifeſtationem, videlicet opera ejus miraculoſa, ac præclariſſima documenta*, &c. Ecce gloriam Deus incarnatus per opera mirabilia ſimul accepit & dedit, ut videas ea donare alacritate ut recepiſſe quaſi credat. O immenſam Conditoris benigniſſimi munificentiam: quæ amoris ingenio meditata eſt quomodo minueret debitum nobis, quorum miſeratur pauperiem: dat quaſi donaret ſibi, ut nobiſcum ſui debitor ipſe remaneat.

Dyon. Carr. in c. 42. Iſai.

9. *Quæ dicantur Deo, noſtro cedunt lucro.*

Satagentes ergo tantæ Dei clementiæ ingrati non inveniri, primum ſaltem devicti animi pignus eidem offeramus in oblivionis anathema, ſcili. agnitionem beneficij, quam præſtabimus ei, ſi credamus ea quæ Deo dicantur à nobis, ad nos reverti, noſtroque cedere lucro. *Hoc ſecum quiſque portat*, ait S. Gaudentius, *ex facultatibus quas accepit, quod in opus religionis expenderit.* Niſi porrò ita foret, Deus qui cuncta poſſidet, noſtras non ſollicitaret oblationes, votaque non adeo multi faceret, cùm verè ſua conſecremus omnium Domino. Sed offerri ſibi donaria curat ſciens ea ſic eſſe dedicanti proficua.

D. Gaud. ſer. 13.

Sibi prima facie videbitur contrarius Deus in lege veteri, niſi ex hujus umbris extrahamus verba Domini paululum ad lucem. Primogenita maſcula ſibi Deus olim vendicavit: ſic enim ſcripſit Moyſes mandatum ex ore Domini. *De primogenitis quæ naſcuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid eſt ſexus maſculini, ſanctificabis Domino Deo tuo.* Vellem ut cum his componeres quæ in eodem legis libro præcedunt, ſcili. *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti & vini, & olei tui, primogenita armentorum, & pecorum, & omnia quæ voveris, & ſponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum: ſed coram Domino Deo tuo comedes ea.* Eſui permittit primogenita quæ ſibi poſtulat peculiari jure? an poſſunt hæc duplici domino ſervire? Imò non poſſent illa Hebræi tanquam veri domini abſumere in cibos, niſi poſtquam ea Dei propria peculiariter fierent per oblationem: *non poteris comedere*, &c. poſtquam autem Deo ſacrarent primogenita, commoda forent offerentibus ut in cibum eis uterentur: *comedes ea.* Quæ Deo conſecrantur, offerentis utilitati miniſtrant. Dominus quippe donat cum accipit. Recole thematis noſtri verba. Bonorum ubertas ſignificatur ibi nomine benedictionis, quæ deſcendit ſuper juſtum: at non hujus vocatur hæc benedictio; ſed potius dicitur *benedictio Domini*, ex quo dubitare licet, an hîc inſinuetur Deum eadem quæ juſto largitur, velut accipere ſibi.

Deut. 15. 19.

Ibi c. 12. 17. 18.

DELIBATIO II.

De ſummâ benevolentiâ Deus gloriatur ſummopere.

10. *Deus ſeveritate latens. Clementia notus.*

DUo continet dogma Salomonis quod præ manibus eſt: beneficia, & flagellum. Munera ſub expreſſo nomine Domini, quaſi peculiariter ab eo manantia proponuntur; *benedictio Domini.* Cùm autem de pœna iniquorum agitur, nomen Domini ſubticetur: *os autem impiorum operit iniquitas*, ideſt, ut in commentario dixi: pœna iniquitatis. Hinc ſcito quo fine Deus adeo ſit in benevolentiam propenſus, ut ſpes noſtra fatetur, & experientia clamat. Operum Dei finis univerſalis eſt ipſius gloria. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*: quid autem Deo glorioſius quam ipſa ejus benignitas? Priuſquam tam facilis eſſet ad illius majeſtatem aditus ut etiam ex invocatione Dei fructum reportaret egenus homo, ferè nec de nomine notus Dominus erat. *Gratias ei qui manifeſtavit hominibus nomen Patris, fructum ſalutis in ejus invocatione conſtituens*, inquit S. Bernardus. Nomen Dei tunc neſciebatur cum acceſſum divina celſitudo negabat ſevera, vel flagello feriebat peccantes acerbo. Cùm autem blandiùs homini ſe dignabatur exhibere, tunc ejus ineffabile nomen agnoſcebatur.

Prov. 16. 4.

S. Ber. ſer. 15. in Pſ. qui habi. fine.

Dixit olim Dominus jamjam vitæ curſum finituro Moyſi: *voca Joſuë, & ſtate in tabernaculo teſtimonij ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyſes & Joſuë, & ſteterunt in tabernaculo teſtimonij*: nec tamen inſtruxit Moyſes miniſtrum ſuum ut ſciret Deum ſibi loqui velle: nec Joſuë ſiſcitatus eſt à Deo: quis es Domine? cùm & Samuëlem docuerit Sacerdos Heli, ut ſi vocem audiret vocantis reſponderet: *loquere Domine quia audit ſervus tuus*: & ſic inſinuaverit illi eam vocem divinam eſſe, quod latebat Samuëlem. Necnon & ipſe Moyſes cum primùm Deum affatus eſt, oſtendit ſe nomen ipſius ignorare poſtquam audierat: *ego ſum Deus patris tui*: nam poſt hæc dixiſſe refertur: *ſi dixerint mihi: quod eſt nomen ejus? quid dicam eis?* An plus de Domino ſciebat Joſuë tunc, quàm Moyſes de quo D. Stephanus dixit: *& eruditus eſt Moyſes omni ſapientiâ Ægyptiorum*: & Samuël enutritus in templo? Inſtruitur Samuël ut ſciat loqui ſibi Deum? Quærit Moyſes nomen Domini? & Joſuë nec ſimiliter petit quale ſit nomen ejus, nec docetur à Moyſe? Suſpicor Dei apparitiones inæqualiter factas & Joſuë menti Deum patefeciſſe, Moyſique ac Samuëli Dominum celaſſe. Recole textum apparuit Moyſi Dominus *in flamma ignis de medio rubi*: quaſi jam præpararet fulmina quæ jaceret in Pharaonem, ut Rupertus meditatus eſt. *Rectè*, inquit, *igitur in igne, quod elementum forte, ac lucidum eſt, Deus hic apparuit: fortitudinem ſuam quodammodo præparans, cùm dicit: ego ſcio quòd non dimittet vos Pharao rex Ægypti ut eatis, niſi per*

Deut. 31. 14.

1. Reg. 3. 9.

Exod. 3. 6.

Ibi n. 13.

Act. 7. 22.

Exod. 3. 2.

Rup. ibi lib. 1. in Exo. 3. c. 12.

manum validam. Iusuper accessum prohibuit Moysi : *ne appropies, inquit, huc :* imo fulgore arcebat ejus conspectum : *abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum.* Ubi Deus adeo inaccessibilis erat, & igneum evaginabat ferè gladium adversus Ægyptum, nec de nomine agnitus erat. Deinde tempore Samuëlis, cùm illi adhuc puero Deus apparuit, advenit ut judex denuntians ea quæ inflicturus erat domui Heli supplicia : *in die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus.* Deum suarum ultorem offensarum ut agnosceret Samuël alloquentem operæ pretium fuit edoceri à seniore. At Iosue Deus in nube apparere dignatus est : *apparuitque Dominus ibi in columna nubis.* Nubes utique mitem præ se fert benevolentiam : sic enim de columna nubis eadem quæ ducebat Israël, dixit allegoricè Rupertus: *ubi autem dies gratiæ, vel tempus miserationis advenit, nubes factus est qui ignis erat, ideſt homo vel caro factus est carnem induendo, qui Deus erat.* Eandem dixi fuisse ducem viæ columnam, & quæ apparuit eorum Iosuë introitu tabernaculi, quia sic asseverat Cornelius à Lapid. Ubi Deus blanda nube residens exhibuit clementiæ suæ paradigma, notissimus erat : non instructione, nec interrogare indigebat Iosuë. Deus è benevolentia nomen suum claresceré facit, ac omnibus patere dilucidè. Cum de beneficiis in textu nostro hîc incidit sermo, nominis Domini personat majestas : *benedictio Domini* &c. cùm de suppliciis prosequitur, tacetur nomen idem : os autem impiorum &c.

Ibi n. 5.
Ibi n. 6.
1. Reg. 3. 12.
Deut. 31. 15.
Rup. l. 2. Exod. c. 28.
A lap. in Num. c. 9. v. 20.

11. *Plus à Deo accipit fiducia pia, quàm reverentialis timor.*

Sub duplici consideratione Deum conTueri possumus, & ut amantem, & ut dominum. Nec dominij nec amoris nomini congruit nobis nimium incussisse terrorem. De affectu res est manifestior quàm suaderi sit opus. *Honoret sanè qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur : vacant hæc omnia penes amantem.* Sic D. Bernardus. Unde fit ut amantissimus nostri Deus quamvis humanum timorem non despiciat, pluris faciat dilectionem de benignitate sua fiducialiter præsumentis, quàm reverentem formidinem illius qui majestatem ejusdem contremiscit. *Propterea divinam quisquis cupit habere munificentiam, ad ipsam accedat credendo, & de ipsa præsumat amando. Nam plenius amore quam timore capitur, & potius devotione, quam mœrore mulcetur: non enim mœstitiâ sed dilectione peccata solvuntur, Paulo attestante, qui ait : Charitas operit multitudinem peccatorum. Vulneribus autem peccatorum præbuit Deus antidotum charitatis. Semper namque Omnipotenti Deo magis placuit amari quam timeri.* Hæc S. Laurentius Iusti. Deus qui sic amorem suum prætulit majestati, quod hanc humiliavit usque ad mortem ut commendaret illam, gaudet se potius amantem recognosci, quàm excelsum. Cúmque de illius affectu bene sentire testetur is qui de ipsius clementiâ præsumit confidenter, hujus potius ei arridet pia fiducia, quàm aliter se habentis humillima diffidentia sui.

D. Ber. ser. 83. in Cant.
S. Laur. Iust. d. discip. & perfect. monast. conver. c. 16.

Oravit pueri salutem à medico supercælesti Centurio, cui Dominus pollicitus est ad eum sanandum accedere. Tunc ille fide, reverentia, & humilitate plenus reposuit : *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Laudavit Redemptor ejus fidem, sed nihil ei contulisse legimus, præter eam quam flagitaverat pueri sanitatem. Non sic Zachęo contigit : qui dicenti Domino : *in domo tua oportet me manere*, non humilem renitentiam opposuit; *sed festinans descendit, & excepit illum gaudens.* Huic nihil petenti Dei Filius, & toti domui benefacere dignatus est. *Hodie salus domui huic facta est* : exponit Carthusianus : *hoc est in hoc die conversionis & meritum veræ Salutis concessa sunt desuper patrifamilias hujus domus, & ejus domesticis, qui illius exemplo pœnituerunt* &c. Totam hujus domum implet affluentia donorum ! Centurioni verò tantùm conceditur quod rogaverat ? Non Principis gloriæ fuit parca manus, sed hominis timida fides non amplius promeruit : dixit enim : *non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Commentatur idem Carthusianus : *hoc est in domum meam tecto opertam : cum tu sis genere Iudæus, ego gentilis. Tu Salvator, ego peccator. Tu Deus, ego homo : quæ enim conventio luci ad tenebras ?* Pavet ? refugit ? Laudatur à Domino; sed non repletur. Zachæi de clementiâ Redemptoris piissime præsumentis affectus multò meruit ampliùs, quin rogaret. Existimationem suam plurimi Divinus amor æstimat : quam testaberis dum confidenter accesseris. Quod ne impediret Spiritus sanctus qui amor est, hoc loco supprimit Dei nomen, cùm de pœna impietatis agit; & tantum scribit calamo Salomonis : *os autem impiorum operit iniquitas*, qui nomen Domini expresserat cùm de beneficentiâ sermo erat : *benedictio Domini super caput justi.*

Matth. 8. 8.
Luc. 19. 6.
Ibi n. 9.
Dyon. Carth ibi. art. 42.
Idem in c. 8. Matth. art. 16.

12. *Deus quandoque timorem pellit pro acceptiori obedientiâ reportandâ.*

Difficilius erit convincere quòd nec Deo quatenus Dominus est congruit nos perterrefacere nimiùm. Sed quæro : quid à nobis Dominus exigit jure dominij? Obedientiam: ideo enim dum in lege veteri præcepta promulgabat, dominatum inculcare solebat : *non adorabis ea neque coles : ego sum Dominus Deus tuus* &c. & alibi : *custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis. Ego Dominus.* Obedientiæ Deo præstandæ valdè conducit amor plusquam pavor : ab illo namque gratior dimanat præceptorum adimpletio. Unde pensitans Petri & Andreæ promptitudinem dicebat S. Bernardus : *agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc : propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur ut discentes veræ obedientiæ formam castigetis corda vestra in obedientiâ charitatis. Hæc nimirum est quæ sola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola est charitas quæ obedientiam gratam facit & acceptabilem Deo. Hilarem quippe datorem diligit Deus.* Ideo Deus clementiâ utens expellit quandoque timorem, ut ab hominibus acceptiorem sibi, hoc est amantem, reportet obedientiam.

Exod. 20. 5. Levit. 18. 5. & 21.
S. Ber. ser. 2. S. Andr.

Aperuit Salvator in solitudine tribus amicis gloriæ suæ partem quandam, & alterius, quam tegebat, ænigma non obscurum. Sed quia nostræ redemptionis executioni

tioni forsitan officeret majestatis fulgorem vulgo notum fieri, silentium discipulis imposuit; non tamen hoc præceptum intimavit cùm luceret; sed postquam splendorem rursus in se collegit, in montis descensu, cùm prius ad illos confortandos accessisset benignè. *Timuerunt valdè. Et accessit Iesus & tetigit eos: dixitque eis: surgite & nolite timere:* & statim: *& descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens: nemini dixeritis visionem* &c. An non cùm luceret in monte jussus est audiri, tanquam legislator? Sic Patris vocem accipio: *ipsum audite*; non de simplici auditione; sed de illa qua dicitur: *observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi*: unde S. Hilarius in prædictum Matthæi locum: *hunc audiendum vox de nube significat: ut idoneus ipse præceptorum talium author esset, qui post sæculi damnum, post crucis voluntatem, post obitum corporeum, regni cælestis gloriam ex mortuorum resurrectione facti confirmasset exemplo.* Præcipiat igitur in monte velut ex cathedra, qui legum conditor ibi solemni testificatione declaratus est. Noluit: quia hoc loco timore vidit Apostolos consternatos: *timuerunt valdè* minusque placeret obedientia formidantium. Prius accessit clementer (nam ut ait D. Paschasius *quòd accedit post tantam gloriam clementia est*:) timorem pepulit: *nolite timere*: postea præceptum imposuit. *Primùm timor expellitur ut postea doctrina tribuatur.* Sic D. Hieronymus, tempestivè satis ut credas quantùm proficiat benignitas dilecta, officiatque formidata severitas ad persolvenda mandata: Non cùm de punitione; sed cùm de muneribus, agitur in præsenti, nomen Domini audis: *benedictio Domini super caput justi* &c. ne dominium Dei putes per clementiam dehonestari: imò conjice inde splendescere.

Matth. 17. 6. 7. 9.

Ibi n. 5.

Deuter. 12. 28.

S. Hilar. Can. 17. in Matth.

D. Paschasi. in Matt. l. 8.

D. Hier. in c. 17. Matth. tom. 9. l. 3.

13. *Divini amoris excellentia est decus exponere discrimini.*

Opponet dolor noster adversus dicta. Objiciet, inquam, is qui se putat concludere semper, quia suum conficere solet argumentum in *Ferio*. Si verum habent ista, scili. Deum largitate clementi fulgere: quare toties orantes repulsam patimur? Hoc est, ô homo, unum ex divinæ dilectionis apicibus quod nempe, cùm amor ex Augustini trita sententia sit pondus, affectum suum permittit Deus in tuæ rationis appendi trutinâ parum fide dignâ: nam unde propensionis affectuosæ Dei erga teipsum debueras exuberantiam cognoscere, defectum causaris: & ille dissimulat ut melius habeas. *Et fortè hoc*, ait S. Bernardus, *etiam clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant: ne contingat nobis ut tanto gravius de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse.* Ignari tamen mortales divini consilij, post multa quæ fæliciter exoraverunt, ad unicam negationem proclamant, ejulant, illachrymantur. *Nam quamlibet sæpe obligati, si unum neges, hoc solùm meminerunt quod negatum est.* Sic notabat Plinius junior vetustius ingratitudinis malum: & ita nobis erga Deum sæpiùs accidit. Hæc est divini amoris excellentia, quòd cùm negando quod cupimus benefaciat nobis, ob commodum nostrum parvipendit apud mentem humanam suum perfecti dilectoris decus periclitari.

D. Bern. ser. 27. d. diversis.

Plin. iun. l. 3. epist. 4.

Amicitiâ Divinâ fruebatur Moyses: quâ fretus expetivit caducam adhuc vitam agens faciem divinam intueri: non quòd loquutus de ipsa essentia Dei sit; sed de aliqua specie externa Deum representante: *ostende mihi gloriam tuam.* Sed quid amico Deus? Ita responsum præbuit & repulsam: *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.* Et in Thaboris theatro nonne datum est Moysi quod videret glorificatam Domini faciem? *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Non est animus quærere cur hîc Moysi conceditur quod alibi denegatur, quamvis diverso modo, & in re ipsa non idem: nam alius tunc erat prophetæ status, & sic patet solutio levissimi dubij. Nonnihil amplius ponderis habet quod non in transfiguratione dixit Christus Dominus ad Moysen: vocavi te in testem hujus gloriæ meæ, quia invenisti gratiam coram me. Alibi verò, cum jamiam petitionem dictam supra Moysis Deus repulsurus esset, tunc legimus: *invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine. Qui ait: ostende mihi gloriam tuam.* Ubi negat Moysi quod petit, amicum se testatur eidem? & in Thabor ubi donat illi quod non rogabat, nequaquam similem erga eum asseverat affectum? Fallor nisi majus exhibuit amicitiæ signum Deus gloriæ conspectum negans inter scriptæ legis umbras, quam tempore gratiæ concedens ut adstet dominicæ majestati: nam transfiguratus Dominus nihil dedecoris admisit ex eo quod Moysen advocaverit; negans autem expetitam ab eo antiquitus visionem, sese quodammodo periculo tradidit ne apud homines judicaretur Deum parum dilexisse Moysen, cùm ejus petitionem non iniquam repulerit. Discrimen hoc Dominus parvi fecit, quia denegatio illa fuit expediens Moysi, qui vitam amitteret si desideratâ gloriâ tunc frueretur, & fortassis pro tanto beneficio non persolveret dignas grates. Utroque periculo immunis erat apud Thabor ejus anima jam terreni ponderis gravedine deposita: nam apparuit assumpto corpore aëreo, ut docent Abulensis, Lira Salmeiron, & alij duce D. Thoma. Affirmet itaque Dominus se Moysis amicum, qui perpetrat egregium adeo dilectionis opus, scili. ut dilecti commodo prospiciat amoris decus exponere discrimini, postulatum denegando. Sæpissimè nobis accidit quod Moysi: nos etiam vacui non eximus à conspectu Dei multoties, cùm nostra repellitur oratio: sed in hoc ipso divinus amor indignitatem nostram obstringit peculiari debito.

Exod. 33. 19.

Matth. 17. 3.

Exod. sup.

D. Thom. 3. P. q. 45. art. 3. ad 2.

14. *Differre petitionum nostrarum exitum Dei clementia sine dedecore solet.*

Urget adhuc dolor, & questibus instat. Benè habet quod benignitatis Dei nævus non sit orationes illas non exaudire, quibus pluries rogamus ea, quæ forent allatura nobis ipsis nocumentum. Quid tamen dicendum pro divinâ clementiâ, cùm experimur differri postulantibus illa de quibus nulli venit in mentem nocitura cuique? Respondeo D. Hieronimi verbis utens. *Deus noster sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras interdùm*

D. Hier. in Habacuc l. 1. cap. 1. tom. 6.

dum non exaudit clamantem, ut eum probet, & magis provocet ad rogandum. Spes noſtræ Deo valdè placent cum in ipſo collocantur: ſunt enim virtutis flores pulcherrimi. Si expectationi conceditur quod avet, ceſſat ſpes, uti flos cùm fructum edit marceſſit. Proindè cupiens Deus, ut ſpei viror perduret, aliquando humana vota differt implere quamvis ejus liberalitas alioquin volans feſtinet in idipſum.

Malach 4.2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Explicet locum lectio Panigni ex Hebræo: *in alis ejus.* Quamvis ad litteram ſint hæc verba de ſecundo adventu Domini ſumenda, cùm ſcili. judicaturus apparebit: attamen etiam de primo adventu, quo deſcendit ut nos redimeret, poſſunt accipi: nam etiam tunc illuxit ſedentibus in tenebris. Favet Theodoretus ibi. *Hæc & in priorem Conſervatoris noſtri adventum conveniunt, & à ſecundo non diſſident: nam in priori adventu velut Sol nobis exortus eſt, in caligine, & tenebris conſtitutis, atque ut peccato nos liberavit, juſtitiam impartitus eſt: & cum ſpiritualibus donis quaſi quibuſdam alis nos velaſſet, curationem noſtris animis adhibuit.* Ecce Dei Filius cùm adventaret opem filiis Adæ laturus, alis ornatum prædixit vates; non tamen ad nos volaturum. Alæ ne tantùm ut velent; non ut volet? Ægri lethaliter ſaucij gementes in ultimo diſcrimine præſtolabantur medelam: & curationem adhibiturus tardavit ſæculis tot adventum ſuum? An non Deus flagrabat aſſumendi carnem deſiderio? lege Bernardum: *nimio* tamen *prævolans deſiderio prævenit ſuum nuntium ad Virginem.* Cur ergo per ſæcula moratur? Pauciſſimi tunc erant juſti: quorum deſideriis de Meſſiæ adventu Deus cupiens annuere nihilominus procraſtinavit myſterium, ut in dies vota creſcerent, & orbis indignitas aliqua minueretur ex parte pro tanto beneficio ſuſcipiendo. Hæc vel ſimilis ratio adhibenda eſt moræ quam ſæpe Deus trahit priuſquam noſtras exaudiat preces. Non humanitatis defectus eſt cunctatio divina: ſcit enim Omnipotens quod ejus dominium per dona claritate donatur. Ideo Salomon inpræſentiarum non reticuit nomen Domini; ſed ait: *benedictio Domini*, &c.

Pagni.

Theodor. ibi in commen.

S. Ber. ſer. 3. ſuper Miſſus.

DELIBATIO III.

Deus benefaciendo loquitur & innoteſcit: ejus poteſtas communicata relucet: dona integra offert: merita noſtra augere cupit, Homo Deo parcus: & loquens operibus caret.

15. *Deus benefaciendo loquitur, & loquendo benefacit.*

BEnedictio. Ex vi nominis benedicere ſæpe non manus officium, ſed vocis in ſacris litteris ſignificat, ut eſt cunctis obvium. At non caſu, ſed conſultiſſimè cum de Deo Scriptura loquitur hîc, beneficiorum donationem expreſſit benedictionis nomine: nam ut dixit Angelicus Magiſter: *nos benedicimus Deum, & Deus benedicit nos: ſed aliter, & aliter. Nam dicere Dei eſt facere. Pſal. 33. Dixit & facta ſunt. Unde benedicere Dei eſt bonum facere, & bonum infundere.* Deus igitur & benefaciendo loquitur, & loquendo benefacit. In æternitate locutus eſt Pater, & ſuum eſſe loquendo contulit Filio: jugiter adhuc ſtat generatio & locutio: *ego hodie genui te*, ne donum à locutione divina omnino ſeparetur. Ad creaturas item cum beneficia partitur verba facit. Quid eſt loqui niſi animi ſenſa depromere? Nonne Dei munera nobis aperiunt eximiam ejus erga nos charitatem? occultiſſima providentiæ abdita? latentemque ſapientiæ lucem? In operibus igitur divinis abſconditur loquela. Econverſò: Dei verbum operatur mira: nam reſecandis imperfectionibus gladius eſt anceps: depellendis tenebris lux inexhauſta: fortitudini columna, ſcutum timori, ſpei anchora. Cur ergo non dicemus Deum & benefaciendo loqui, & loquendo benefacere?

D. Thom. in 2. ad Corint. c. 1.

Pſal. 27.

Ad meſſem Evangelicam duodecim Apoſtolos ovina manſuetudine, columbina ſimplicitate, ſerpentiſque prudentiâ munitos, mittebat Redemptor. Inter alia monuit ut quid ante reges & præſides loquendum ſit eis non curent. Imò expreſsè affirmat non ipſos tunc locuturos fore, ſed Spiritum Patris: *non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Obmutescent ne coram potentibus Apoſtoli? Abſit hoc: *muta fiant labia doloſa*; non autem veritatis infallibilis tubæ. Imò præcedentibus immediatè verbis expreſsè Dei Filius inſinuat locuturos tunc temporis Apoſtolos: *dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Quomodo ergo non ipſos, ſed Spiritum ſanctum verba facturum pronuntiat? Nonne vides ibi donum Dei promitti,? *Dabitur enim vobis:* Deus eſt qui donat: Deus eſt qui voces emittit: nam benefaciendo profatur. *Vos verba loquimini, ego ſum qui eloquentiam vobis miniſtro*, inquit Haymon. Non de cœlo tunc Spiritus redditurus erat vocales ſonos, ſed Apoſtolorum ore promenda fuerat humana loquela. Nihilominus cùm divinus Spiritus fuiſſet benefacturus Evangelicis præconibus ut poſſent eloqui, tribuitur illi ſermo: quia cùm ſit verè Deus beneficia conferens eloquitur, & econtrariò.

Matth. 10. 20.

Pſ. 30. 19.

Matth. 10. 19.

Haymon in Matth. ad eum locum.

Longè diſtant ab hac loquendi ratione mortales: ignotum illis eſt idioma operibus effari. Quinimò cum eorum verba nihil præter aërem & ſonum contineant: ubi ſonuerint illa, plus non expectes. Obſervavit quidam infantes, qui celeriùs loquuntur, ambulare tardiùs. Ita qui ad dicendum proniores, ad gerendum minus apti reperiuntur. Unicam linguam ſed vallo duplici concluſam dedit natura; manum verò binam, & expeditam. Audi Chryſoſtomum: *& ideo Deus eam velut muro duplici voluit circumdari: nam dentium tegmine, & labiorum cuſtodia continetur, ne verba improvidâ garrulitate proferantur.* At monſtra videbis paſſim lingua multiplici, manibus verò truncatis: plura multiloquio jugiter effutientes; & nihil opere comprobantes. Quod ſic in conſuetudinem

16. *Hominis verba probant deeſſe opera.*

Chryſoſt. ho. 4. ad baptizandos 10. 5.

suetudinem transiit, ut cum volueris ostendere te nihil in subjectâ materiâ egisse, satis esse meritò putes verbum emissum à te fateri. Bona est illatio: locutus sum: ergo nihil operis feci.

Exprobraverat Israëlis agminibus Golias publicè invitâs ad singulare certamen. Novit hoc David à patre missus ad fratres milites: ægreque tulit inflatas gigantis voces. Et, ut moris est hominibus à præmij desiderio res gerendas auspicari, à quibusdam scisitabatur quid percutienti Philisthæum illum donandum foret. Reposuerunt divitiis magnis, & affinitate regali victorem condecorandum: ac tributis immunem reddendam patris ejus domum. Inter hæc, videns Eliab Davidis Germanus eum aliis colloquentem, excanduit, superbum appellavit, & corde nequam dereliquisse oves ad videndum prælium arguit. Tunc *dixit David: quid feci? nunquid non verbum est?* Adeo ne seipsam tueri desuevit innocentia, ut in sui defensionem non aliud invenisse putandum sit? Ut nihil feciisse probet, se locutum fatetur: argumentatur acutè, quasi diceret: si verba protuli nihil operis egisse me poteris inde conjicere facilè: quid nihil agentem reprehendis, quasi quicquam fecerim? Si modestia Davidis hoc patitur argumentum: quantò fortiùs id concludet in loquacibus: *quorum lingua prompta ac temeraria est, haud æquè in pugnam vigent manus.* Hæc Titus Livius. Aëre verba dearticulantur nihil à verboso expecta, præter aërea. *In sermonibus abundantior*, inquit Nazianzenus, *nequaquam sapientiore est utilior. Hic enim aliquantulum oblectans, fortassis evanescit, pariterque cum aëre percusso dissolvitur, nihil ultra hoc conferens*, &c.

1.Reg.17. 29.

Tit.Liv.dec.1.l.2.

D.Greg.Nazi.or.13. post princip.

17. *Deus beneficio innotescit.*

Domini. Nomen majestatis est, Deique valdè proprium. Sed ne prætereas acumen quo vocatur Dominus, cùm de ipsius effusa beneficentia sermo est: *benedictio Domini*, seu ut habet originaria lectio, *benedictiones*; ut sic insinuetur Dei majestatem patefieri magnificentiâ suâ. Divinam potentiam significatam nomine manus ferè omnes continent sacri textus paginæ. Sufficiat pro cunctis illud apud Isaiam: *cognoscetur manus Domini servis ejus:* ubi D. Hieronymus: *manus autem vel pro potentiâ ejus accipitur*, &c. Potuerat quidem Omnipotentia Dei capitis nomine designari; sed aptiùs appellatur manus: hæc enim est instrumentum donandi: & potentia Dei tunc elucet cum ejus munificentia patefit. S. Athanasius. *Neque Sol, si radios in sese contrahat cognoscetur esse lumen, nisi eos in orbem hunc proferat, eosque tenebras sua luce discutiat. Ita Servator non servavit semetipsum. Siquidem ipse cum esset Servator non opus habebat salute, sed ex eo quod cæteris benefaceret, voluit ab omnibus agnosci Servator omnium: neque ex descensu de cruce voluit intelligi Filius Dei, sed ex eo quod maneret in cruce.* Statuamus itaque Deum innotescere beneficio suo.

Lect.hebr.

Isai.66.14. D.Hier.to. 5.l.18. in c.66.Isaiæ.

S. Athan. tract. de pass. & cruce, post med.

Per noctem luctabatur Jacob cum angelo, qui Deum sic figurabat, ut se Deum dicere non sit veritus: *si contra Deum fortis fuisti:* ubi Card. Hugo: *si autem mecum, qui Deus sum, vel angelus, quia plerique variè interpretantur, pugna potuisti.* Stemus nunc pro asserentibus non Deum, sed angelum; Deum tamen cum se nominasset angelus, adhuc ab eo Jacobus ejus nomen scisitatus est: *dic mihi quo appellaris nomine*; sed quodnam esset nomen suum tacuit angelus: ac statim benedixit ei. Cur, quæso post benedictionem Jacob non urget illum ut nomen quòd interrogaverat manifestet? Si foret Jacobus ingratus, fortè dicerem voluisse post beneficium ignorare nomen benefactoris, quòd antea scire cupiebat; Nullum tamen video fundamentum ut eum dehonestemus ingratitudinis labe. Potius dicam ipso beneficio Deum (quem angelus referebat: *vir enim ille typum Christi evidentissimè gesserat*, ut ait Isidorus) sic innotuisse, ut supervacaneum de nomine rursus quærere putaverit Jacob. Angelus, licet verbo tacuerit, expressit opere nomen Dei propriissimum. *Historialiter autem iste vir qui luctabatur cum Jacob beneficium Dei exprimit.* Fortè mens est venerabilis Beda his verbis, quod angelus exprimendo beneficium Dei, voluerit Jacobum potius attendere ad nomen divinum, quod patescit dono, quàm ad suum qui munus conferebat non autoritate propria. Cerne divinæ majestatis ineffabile nomen ipsius manu benefica descriptum.

Gen.32.28. 29. Hugo Card. ibi.

S.Isid.Hispa. in Gen.c.27.

Beda in Gen.c.32.

Quin potius ipsa Dei potestas plus effulget communicata, quàm sine socio possessa. *Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant.* Participant creaturæ Deum, prodeuntque velut ex arbore rami: *ego sum vitis, vos palmites.* Quod arbor spargit virium in ramos, eidem inservit ad pompam: de suo dedisse propriis brachiis pensilibus, apparatus arbusti est; si non donasset ostentatione careret. Ita (si fas est dicere) divina potentia, cum ea solus Deus utitur, exequitur sine plausu mirabilia sæpe; si communicetur, admirationibus excipitur.

18. *Potestas divina relucet cõmunicata.* B.Ber. ser. 85.in Cant. Joan.15.5.

Servatori paralyticum obtulerunt quidam in lecto jacentem, ut ligata membra solveret. Votis eorum annuit piissimus Dominus: surgere jubet, lectumque tollere: fortassis beneficium statim obliviscereturæger, nisi nonnihil molestiæ misceretur in lecto ferendo: meminimus facillime laborum satis levium; Deique dona sepelimus oblivionis gravi sopore. Abiit paralyticus. (O quam celeriter medicum relinquit!) Tunc textus ait: *videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverunt Deum.* Transeamus ad probaticam piscinam Bethsaida, ubi multitudinem languentium per quinque porticus dispersam scribit Evangelista Joannes. Descendebat angelus secundum tempus, non semel, sed sæpiùs: *non semper*, inquit Euthymius, *fiebat miraculum; sed certis temporibus hominibus quidem incognitis, verùm frequenter, ut opinor, in anno: propter hoc siquidem in porticibus decumbebat magna languentium multitudo.* Angelus, inquam, turbabat aquam, & post hujus motionem, qui primus descendisset in illam sanus fiebat. Non tamen lego quemquam demiratum fuisse, quamvis hoc acciderit multoties. Compone modò utrumque

Matth.9.8.

Euthy. ibi.

que locum. In Capharnaum, ad unius paralytici greſſus mirantur, glorificantque Deum turbæ? In Jeroſolymis de tot ſanitati reſtitutis, aquæ angelique interventu, demirari neminem legimus? Nec tu diſparitatem iſtam miram habeas quia inter utrumque locum magna diverſitas. In Bethſaida ſanabat Deus ægrotos, quin ad hoc poteſtatem daret aquæ vel angelo: non aquæ, nam inſtrumentum inanime poteſtatis capax non eſt: nec angelo quia non aquam infundebat ægris; ſed movebat eam, virtutemque ſanativam tanquam Dei miniſter in undâ relinquebat; non ille medicabatur infirmos, ſed aquis piſcinæ Dei omnipotentia utebatur: aliter ſine illarum ope ſpiritus reſtitueret ſalutem carentibus eâ. Cùm autem Salvator alij paralytico vires firmavit, ejus humanitas ſanctiſſima ſibi data poteſtate uſa fuit. Æquum erat ut plebis admiratio Divinæ plauderet potentiæ, non tam dum hæc communicata piſcinæ, vel angelo, mirabilia patrabat Jeroſolymis, quàm dum paralyticum miſſum per tectum ſuſtulit ex lecto Chriſti Domini humanitas poteſtate ſibi jam pridem à Verbo donata. Ideo fortè non ait ſimpliciter textus populum glorificaviſſe Dei potentiam ut mirabilem; ſed ita narrat: *glorificaverunt Deum qui dedit poteſtatem talem hominibus*: quaſi poteſtas Altiſſimi plus refulgeat ut donata, quàm ut poſſeſſa. Faveat S. Hilarius. *Non ergo hoc venit in admirationem quod poſſet iſta (quid enim non poſſe Deus crederetur?) alioquin laus de uno homine, non de pluribus extitiſſet: ſed delati Deo honoris hinc cauſa eſt, quòd poteſtas hominibus hac via data ſit per verbum ejus, & peccatorum remiſſionis, & corporum reſurrectionis, & reverſionis in cœlum.*

S. Hilar. Can. 8. in Matth. fine.

19. *Poteſtas divina dum benefacit apparet inſtar plurium.*

Omnipotentia quidem ſemper eadem: tamen fulgidiùs rutilat ejus magnitudo ubi hominum beneficiis incumbit, adeo ut cum Deus mortalem ſe reddidit, & ut uſq; ad crucis ignominiam pro commodo filiorum Adæ non recuſaverit deſcendere, tunc ejus poteſtas maximè claruerit. *Numquam magis, quantâ clementiâ, quantáque potentiâ Redemptor noſter abundaret apparuit, quàm cùm myſterij hujus aggreſſus officium eſt, ut ſuſcipiendo noſtram ſcili. ſubſtantiam, & patibulum, & tumuli jura ſuſciperet.* Unica eſt divina poteſtas ad omnia ſe diffundens: ſed cùm beneficentiam exercet, multiplex apparet. Infinitudo non recipit augmentum: ſed munerum ſplendore, velut radiorum, quos emittit, reflexione, manus Omnipotentis ita coruſcat mortalibus oculis, ut ea poteſtas quæ puniendo eſt unica, benefaciendo multiplicata judicetur. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Nonne ſcriptum eſt ejuſdem Pſalmographi calamo: *duo hæc audivi quia poteſtas Dei eſt* &c? Cur modo ſub plurali numero ſcribit potentias? Quia priori loco nomine poteſtatis fuerat ſignificata virtus validiſſima pro ſuppliciis exequendis: quia *poteſtas Dei eſt & tibi Domine miſericordia* &c. Exponit Card. Hugo: *quia poteſtas Dei eſt ad puniendum.* Alibi cùm potentiæ pluraliter nominantur, ſolius miſericordiæ laudum fit mentio immediatè priùs: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Quis loquetur potentias Domini* &c. Cúmque Dei miſerentis propriiſſimum ſit benefacere: ideo cùm ipſius largitas expenditur quantùm valeat, non ſingulariter, ſed multiplex appellatur miſericordioſiſſimi Domini potentia: *quis loquetur potentias* &c? Commentatur Epiſcopus Chriſtopolitanus: *quis loquetur & explicare poterit, & faciet auditas, & explicatas laudes ejus, quæ ipſi debentur ex miſerationibus, & beneficiis factis & collatis invocantibus eum?* &c. Domini ergo appellatione Deus opportunè à Sapiente nominatur in præſenti cùm de benedictione qua juſto bona diſtribuit agitur: *benedictio Domini* &c.

Pſ. 105. 2.

Pſ. 61. 12.

Valentia in Pſ. 105.

Super caput juſti, nonne ſatis erat dixiſſe Deum benedicere juſto? ut quid meminit capitis? Ut videas Dei benedictionem ſupra totum juſtum deſcendere, quâ plenè ditatur. Mundus etiam ſuas benedictiones impertitur: Hæ verò non ſupra hominem integrum cadunt. Benedicit manibus quas divitiis onuſtat; ſed non oculis divitis, quos potius excæcat. Benedicere ſolet multorum linguæ, ſcili. à quorum imperio pendet multitudo nutui obediens; ſed non eorundem auribus benedictionem tribuit, quas non valet à maledictis detractorum expertes reddere. Non ſic Deus. Super caput juſti benedictionem effundit, ut ſic totus benedicatur. *Plena ſemper & redundantia ſunt divina beneficia*, dixit Ambroſius. Non dimidiat Deus dona ſua: ne deſiderium poſſeſſionem devenuſtet ac dolori miſceatur gaudium: integrum confert munus totique benefacit homini.

20. *Dei dona non dimidiantur.*

S. Ambr. l. 1. in Luc. c. 1. tom. 3.

Redeamus Capharnaum ad paralyticum illum, de quo proximè nonnihil expendebam. Jacebat in lecto; ſed ſtabat in ſpe, comite fide illorum qui Domino ipſum obtulerunt ut ſalutem acciperet. *Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* De fiducia monetur? Non ſic Magdalena; ſed ei nulla facta monitione, dictum eſt ipſi *remittuntur tibi peccata.* Si Dominus utrobique peccata dimiſit, quare non monuit utrumque ut confideret? Quia non Magdalena ſed paralyticus egebat, ultra peccatorum dimiſſionem, ſanitate corporali. Ut hanc ſe recepturum fore confidat hortatur Dei Filius dicens: *confide*, quod ſolet erga futurum uſurpari, & proinde refertur ad ſalutem corporis valdè probabiliter, quia iſtam non donabat cùm protulit verbum, *confide*; ſed poſt moram aliquam largiturus erat. Quare ſic monet ægrotum iſtum de quo legitur apud caten. D. Thomæ ex Chryſoſtomo: *erat magna fides etiam hujus infirmi.* Cur ergo de fide monetur? Sic loquitur Filius Dei quaſi diceret: anima & corpore infirmus es: expectas temporalem ſalutem: ſed cum audis tibi peccata remitti, ne putes me fore te relicturum ſanum ſpiritu, & ægrum corpore. Confidere poteris quòd medelam corporeo morbo ſum etiam collaturus,

Matth. 9. 2.

Ex D. Ioanne Chryſoſt. apud caten. D. Thom.

turus, & non animæ ſoliùs ægritudini: quia non ſoleo dona dimidiare mea. Remitto peccata: ut remiſſam nervorum vim roborandam confidas, ex uno beneficio conjiciens alterum. Qui totus jaces erige animos: integer ſanaberis. *Confide fili*, ait Carthuſianus, *hoc eſt ſpera te adepturum quod optas, imo majora recipies. Nam remittuntur tibi peccata tua.* Ecce divinæ benevolentiæ liberaliſſima conditio: quam ut annotare non obliviſcaris, benedictionem Domini ſuper caput juſti deſcendere dicitur, quia per eam totus copiâ bonorum diteſcit.

Dyoni. Carth. in c. 9. Matth. art. 18.

22. *Hominis erga Deum parcitas.*

Reſpondet ne huic Dei largitati humana gratitudo? Utinam ſaltem non ingratiſſimi læderemus devincentem nos tot muneribus perenniter. Illos etiam qui vitam componunt ut ſpiritu vivant invenies parcos erga Deum. Poſt illud ſingulare Goliæ certamen cujus memini proximè, putabam Saülem & Jonatham donaria regali magnificentiâ oblaturos in templo Domini gratitudinis ergo, propter glorioſam adeo Philiſthæi cædem, quæ victoriam Hebræis attulit illuſtrem. Neuter attamen quidquam obtuliſſe tunc legitur in oblivionis anathema. David arma Goliæ auferens in fortitudinis trophæum, *poſuit in tabernaculo ſuo*, ſolúmque glædium fecit in templo aſſervari, ut eſſet beneficij divini memoriale perenne; non tamen grati animi donarium Deo dicatum hoc erat; ſed vel ut ex Athanaſio refert Sanctius, datus fuerat gladius in cuſtodiam ſacerdoti, vel ut Lira docet, ibi tantum poſitus in rei memoriam; non autem Deo conſecratus. *Dicunt hic aliqui*, ait Liranus, *quod propter victoriam illam, ille gladius quo fuerat amputatum caput Goliæ, fuerat Domino conſecratus. Sed hoc non videtur verum: quia talis conſecratio eſt ad ſemper: propter quod res Domino conſecrata non poterat redire ad communes uſus, ut dictum fuit Levit. ult. & ſic David non potuiſſet eo uti de cætero licitè. Propter quod dicendum quod ibi fuerat poſitus tantum ad memoriam illius victoriæ à Deo datæ.* Et ſi verum eſt quòd ipſe Lira cùm Abulenſi & Caietano, dicere videntur de cæteris armis Goliæ, ſcili. poſita fuiſſe cùm gladio in tabernaculo Domini: tamen de mente Lirani, licet hoc non exprimat, dicendum eſt etiam hæc non fuiſſe conſecrata Domino. Et hæc eſt maxima Davidis gratitudo? Quam parcus erga Dominum exercituum ſe geſſit, in cujus nomine paſtoritiâ fundâ & lapidibus onuſtus, ſed leviter armatus, prævaluit in Gigantem populi totius terrorem, de illoque plauſibilem valdè triumphum reportavit! Saul promiſerat divitias multas percuſſori Allophili: ſic inſinuavit ille quicumque dixit: *virum ergo qui percuſſerit eum ditabit rex divitiis magnis:* ubi Lira: *hoc enim fecerat rex proclamari per exercitum antequam David veniret.* Nec tamen vel minimam oblationem Deo promiſit. Jonathas, liberalitatis exemplum, exuit ſe veſtimentis ſuis, & dedit ea Davidi; neutiquam verò templo quicquam pro victoriâ dicavit. Quid ad iſta dicemus, niſi parciſſimam hominis manum erga Dominum? qui cùm nullius indigeat, plurimi tamen æſtimate tiam minima. *Non quia* (inquit D. Joan. Chryſoſt. loquens de ſacrificio Abel) *Deus his indiget, ſed vult & per hæc oſtendi noſtram gratitudinem. Nam eum qui Deo offert, & offert ex his quæ Dei ſunt, & intelligit quantum differat natura, & cùm homo ſit tantum ſit honorem ſortitus: oportebat quantum ſibi conceditur ſuum teſtari officium, & pretioſiſſima offerre.*

1. Reg. 17. 54.

Sanct. in c. 21. l. 1. Reg. n. 30.

Lira ibi.

ibidem. n. 25. Lira ibi.

Chryſoſt. to. 1. hom. 18. in 4. Gen.

Quàm aliter ſe gerit erga mortales Omnipotens! Parum foret ſi munificentiam in Deo ſola exerceret liberalitas. Imo juſtitia cujus eſt munus ad pondus retribuere, magnifice dona tribuit, quia remunerat ultra condignum. *Pro infinita enim*, ait S. Ambroſius, *magnificentia ſua Deus hoc donavit diligentibus ſe quod ſua dignum eſt majeſtate, non quod homines mereantur*: quod ut citra vel apparentem æquitatis injuriam præſtet, merita noſtra numerat ea ratione, qua plura queant inveniri. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Novum non eſt in Sacra Pagina intellectum capitis nomine vocari. Sic Nabuchodonoſor: *cogitationes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbaverunt me.* Sic etiam in Canticis: *leva ejus ſub capite meo*: ubi D. Thomas: *caput principale mentis accipitur.* Unde ad citatum D. Lucæ locum inquit S. Cyrillus Alex. *caput quidem hominis eſt intellectus, capilli verò cogitationes.* Ut præmia donet, cogitationes bonas annumeravit remunerator certiſſimus? Quare non potiùs D. Magiſter aſſeruit Apoſtolorum opera fuiſſe numerata? de his tacet; cogitationumque rectarum numerum à divinâ juſtitiâ obſervatum affirmat? Utique: nam in quocumque juſto, ſi cogitationes laudabiles conferantur cùm bonis operibus ejuſdem, excedunt numero eò quòd nullum ſit opus quod non præcedat cogitatio; econtra verò ſint plures cogitationes, quæ non dantur executioni; ſed in ortu ſuo marcuerunt. Volens ergo Deus invenire plura merita quæ ſolvat, non tam computat opera, quia hæc minorem cumulum efficiunt, quàm numerat cogitatus rectos, utpotè qui ſolent multo plures operibus eſſe. Fortaſſis in præſenti moraliter hoc ſignificatur verſiculo, quatenus Dei benedictio ſuper caput juſti, ideſt ſuper ejus intellectum deſcendere dicitur: ut intelligas nec minimam ipſius liberam cogitationem bonam ſine præmio remanſuram.

22. *Deus numerat merita eâ ratione, quâ plura inveniat.*

Luc. 12. 7.

Dani. 4. 2.

D. Thom. in Dani. 4. D. Cyrill. Alex. apud cat. D. Tho.

S. Ambr. to. 3. in c. 5. epiſ. ad Roma.

Super caput juſti. Nunc juxta expoſitionem Janſenij quam pro apertione litteræ non valdè germanam dixi num. 2. nonnihil ſubjiciam ad mores. Dei dona ſupra caput juſtus collocare dicitur quæ benedictionis nomine hîc exprimuntur. Et meritò quæ mundus malis, quorum infinitus eſt numerus, offert, ſunt æſtimanda vili pretio; quæ verò Deus probis, qui rariſſimi, confert, plurimi ducenda: nam ut S. Hieronimus ait, *quamvis clarus honor vileſcit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipſa dignitas, quàm multi indigni poſſident.* Hanc rationem alibi latius proſequar. Nunc tantum admoneo ut expendas quòd ſæculum rarò ſolet dignos ad faſtigia promovere: proindeque

23. *Mundialia dona deſpicit, magni facit Divina.*

S. Hier. to. 1. epiſ. 26. ad Pammachi.

dum te coronat, indig. iſſimis æquat. Non ſic æquiſſimus redditor Dominus. Igitur dona mundialia deſpice; magnifac divina.

Duplex diadema, ſatis diverſis temporibus, juxta merita, citra ſpem, lego impoſitum: alterum Saüli, alium Eſtheri. Poſtulavit Hebræus populus regem: & exauditus eſt in petitionis ingratiſſimam pœnam. Ungitur itaque Saül in regem: & licet ab aliquibus deſpectus fuerit, attamen data prælij occaſione convocavit Iſraëlem, ruit in arma furens, cùm Ammonitis ſigna contulit, pugnavit ſtrenuè, vicitque fœliciter. Propheta Samuël, qui regem inauguraverat, occaſionem è crine, ut aiunt, arripiens invitavit plebem ut euntes in Galgala Saülem ibidem acclamatione fauſta regem proclamarent. Adverte Saülis in hujuſmodi gratiſſima die lætitiam. *Fecerunt ibi regem Saül coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus eſt ibi Saül.* Siſte gradum, ſeu potius perge mecum ad Aſſueri tempora, qui conſortem regni habuit Eſtherem. Imminebat Hebræis mors: quam ut averteret Regina Deum orabat, laceris ac cinere fœdatis crinibus lugubri veſte oreque jejuno, ex abundantiâ doloris, qui corde medullitus inhærebat multa loquebatur. Aiebat igitur Domino: *tu ſcis neceſſitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum.... & nunquam lætata ſit ancilla tua ex quo huc tranſlata ſum uſque in præſentem diem, niſi in te Domine Deus.* Lætitiam concepit Saül ex acclamatione populi, quem ad inſtar undæ mutat aura levis? & Eſther gaudere neſcit ab Aſſuero, qui eam plurimum amabat, coronata? O vide quantū inter unius & alterius fortunam interſit. Eſtherem coronâ donavit humanus amor; Saülem Dei manus. Lætetur ergo Saül; mæſta remaneat Eſther. Nec opponas quod in textu dicitur: *fecerunt ibi Regem Saül:* nam hoc idem fuit atque regem à Deo jam conſtitutum adorare ſolemniter. Audi quòd Samuël ad populum dixerat: *innovemus ibi regnum:* non invitavit ad faciendum, ſed ad innovandum. Cardinalis Hugo exponit illud, *innovemus: ideſt confirmemus.* Econtrariò perpende quo tramite aſcenderit Eſther ad regale faſtigium: per Aſſueri oculos: amor ſponſi commodavit alas ut ſumma teneret: *quæcumque inter omnes oculis regis placuerit ipſa regnet pro Vaſthi:* & infrà: *adamavit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius.* Deſpiciat Regina diadema quod humanus impoſuit amor; lætetur Saül ſceptro quod ei divina tradidit electio: *unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem.* Sæculi munera benemeritus parvipendat; divinam autem benedictionem gratitudo extollat *ſuper caput juſti.* Nec ideo minùs poſſidebis terrena dona ſi deſpexeris illa: quinimò *bona in manu habet qui deſpiciendo temporalia ſub dominio mentis premit.* Hæc D. Greg. M.

1. Reg. 11. 15.

Eſth. 14. 16.

1. Reg. 11. 14.

Hugo Card. ibi.

Eſth. 2. 4. 17.

1. Reg. 10. 1.

D. Greg. M. tom. 1. l. 15. mora. c. 28. initio.

DELIBATIO IV.

Facies fallax: lingua maledica: pœniteps excuſator & mutus: dolor clauſus.

Hominis facies aptior ad fallendum quàm lingua.

24. OS autem. Pro facie ſumi necnon poſſe litteraliter notavi n. 4. Synecdochen iſtam in ſacris litteris invenies non ſemel. Et in præſenti non vacat peculiari myſterio ſumi os pro facie: quia ſi Vatabli ſectemur interpretationem n. 2. relatam, impius malum quod cogitat obtegit fraudulenter. Sed quo inſtrumento utitur pro fraude hac? Ipſa facie multoties: quæ quidem ad fallendum aptiſſima eſt. De hypocritis agens notavit Chryſologus: *illa verò juſtitia quæ eſt hypocriſis, juſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit*, &c. Naturæ author inter naturalia dona conceſſit homini poſſe cordis arcana vultu velare; homo verò idipſum Dei munus vertit in auxilium fallaciæ. Adeoque mirâ dexteritate frons humana mentitur, ut in fictionis fide concilianda linguam excedat facies. Mendacio rejiciendo non tam opus eſt aures occludere, ne pateant hominum verbis, quàm oculos aperire ne facierum calliditate decipiaris.

Chryſol. ſer. 9.

Hortabatur Chriſtus Dominus Petrum, Jacobum, Joannem, & Andream, ſeparatim à cæteris Apoſtolis, dicens: *videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum.* Putabam dicturum fore ſicut Paulus ad Epheſios: *nemo vos ſeducat inanibus verbis*; & lego D. Magiſtrum, ut diſcerent à ſeductione cavere, doctrinam ad oculos direxiſſe: *videte*, &c. Qua ſtyli energia? Si dicentes venient ſeductores (*dicentes, quia ego ſum*) claudantur aures mendacio: quid ibi miſcebitur quod ſpectet ad munus oculorum? Fallacia vultus. Cùm ſeductores dicerent: *ego ſum:* nonne veluti naturæ ductu qui dicentes audiret, ſublevaret oculos ad loquentium facies? Voluit ergo Dominus diſcipulos inſtruere ut à mentiente vultu, potiùs quàm à lingua fallente præcaverent. Ideo non ſimpliciter dixit: attendite ne quis vos ſeducat; ſed ait: *videte:* nam ea eſt humanæ faciei ſimulatio mendax, ut ab ea potiùs quàm à lingua dolorum officina, deceptio timenda ſit. Obſerva te ab impij fronte: quia illius *os*, ideſt faciem *operit*, hoc eſt ſimulatione velare docet, *iniquitas.*

Marc. 13. 5. 6.

Eph. 5. 6.

Detractor facilè ſocios inveniet.

25. *Impiorum.* Plurali numero de impiis hîc miſcetur ſermo, quia de vitio detractionis agitur ex Lira citato ſuprà n. 4. Rarò detractor erit ſolitarius. Api comparatur propter aculeum, quamvis non mella, ſed fella potiùs elaboret: ac ſicut operi non unica incumbit apis, ita obtrectationi potiſſimùm non ſine ſodali datur opera. Merito detractio ſimilatur lepræ: contagioſus quippe morbus eſt. *Si* (ait Origenes) *eſt in aliquo gratia Spiritus ſancti, & obtrectat, & detrahit, recedit ab eo poſt obtrectationem, & lepra repletur anima ejus.* Conſonat Euſebius Emyſſenus: *Sicut eſt languor & lepra corporis,*

Ex Triver. in apoſt. 130.

Orig. hom. 7. in Num.

Euſeb. Emiſſ.

in exhorta. ad pleb. *ris, ita prurigo obtrectationum lepra probatur esse animarum.* Nescio quo veneficij genere calumniator alios in idem flagitium trahit volentes. Invitat quis alterum ut se ad vindictam vel furtum comitetur : recusat iste pudore ductus, vel metu prohibitus. Non quærat socium detractor ; audiri ab aliis erit satis, ut eundem similia dicendo sequantur. Ideo fortè detractoris linguam Ecclesiasticus vocavit linguã tertiam. *Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit.* Ubi Cornelius à Lapide inquit *lingua tertia est lingua furonis & detractoris*, & infrà. *Triplex quia uno ictu tres vulnerat & conficit, scili. eum cui detrahit, ei famam adimendo : & eum apud quem detrahit, ejus mentem calumniâ, & odio proximi imbuendo : & seipsum*, &c. En auditori contagium hîc videtur innui. Linguam ergo tertiam Siracides vocat detrahentem, ut insinuet rarò unicum audiri maledicum. Si linguam duplicem diceret, existimares loqui de unica versipelli, & inconstanti : tertiam appellavit numero certo pro incerto utens, ut intelligas frequenter non sine comite venenatam linguam inveniri.

Eccli. 28. 16. 17.

Corn. à Lapi. ibi.

Sagittæ non uni, sed multiplici linguam detractricem David assimilavit : *quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Nonne lingua melius lanceæ similis diceretur, quæ non eget arcus adminiculo ? Expendebam ita locutum quia non plures lanceæ simul, sed unica, militis manum obarmant ; sagittarius verò plures abscondit in pharetra sagittas. Ex Bellarmi. ibi de pluribus sagittis, non de unicâ, David citato loco accipiendus est : *dicit esse verba ejus quasi sagittas.* Non sine acumine cecinit ista vates. Rarissimè solitarium invenies maledicum, sicut nec unicam tantum in coryto sagitta. Vitium est sociabile : audis detractorem ? vereor ne comes ei adjungaris. Coram detrahente muni aures & os : nam impeteris à duplici periculo : scili. placebunt audita, & similia loqueris, nisi caveas utrumque. Audi Ecclesiasticum : *sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.* Utquid silentium monet cùm de non audienda lingua nequam agebat ? Post pauca linguam propriam frænare docuit : *verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos.* Nonne satis hæc, quæ statim dicturus erat ? prioribus verbis de auribus tantùm claudendis agat : nam in posterioribus doctrinam de coërcenda lingua propria tradit sufficienter. Ne putes frustra semel ac iterum labiorum clausuram hortari. Monebat ne audias detrahentem : *linguam nequam noli audire :* exponit Carthusianus ibi : *ideſt verba detractoria, & iniqua.* Operæpretium fuit ut simul diceret ibidem : *& ori tuo facito ostia :* addit ibi Carthusianus : *ideſt discretionem silentij adhibe ne aliquid proferas ad complacendum, aut favendum obloquenti, seu per linguam peccanti :* quasi non audire maledica verba sit opportunum medium ne malè loquaris ; nam difficulter continebis te si detractionem exceperis aure. Coram te venena ructat famæ alienæ hostis : sic proclivis est mortalis ad malum conditio, ut ne similiter ore labaris in crimen, unica sera, unumque ostium ori claudendo non sit satis : plures apponendæ sunt januæ : *ori tuo facito ostia & seras :* adeo facile detractionis vitium serpit ut pestis.

Ps. 139. 3. 4.

Bellar. ibi.

Eccli. 28. 28.

Ibi n. 28. & 29.

Dionys. Carth. ibi art 29.

Si quemquam laudaveris, neminem fortasse reperies qui te juvet dicentem vera. Eundem si quis falsò calumnietur, subscribent fortè multi mendacibus dictis. Cernes longè seorsim positos, tunc mutuò convenire, cùm proximi honor oppugnandus est. *Videas*, inquit S. Bernardus, *ambulare seorsum : convenire sibi & sedere pariter : moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium. Una uni conjungitur, nec spiraculum incedit in eis : tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum : concordes ad discordiam,* Alienam laudem homines juvare non solent quia non juvat. Tribuis verè laudando cuique suum ; econtra suffuraris honore detrahendo : &, ut fertur, mira est furti dulcedo ; non eandem plures in donando alteri quod suum est suavitatem experiuntur. Hinc fit ut sæpe credi possit non unius ab ore famæ damnum exivisse ; laudes autem facile putarem ab unico teste prolatas.

26. *Laudator socio caret ; non maledicus.*

S. Ber. ser. 24. in Cant.

Achimelech sacerdotem accusat coram Saüle Doeg Idumæus, quòd cibaria Davidi gladiumque dederit : necnon & pro eo Dominum consuluerit. Vocantur Achimelech, cunctique sacerdotes, qui morabantur in civitate Nobe : omnesque jubentur occidi. Attamen solus Achimelech antequam crudele daretur mandatum, videns tanquam perfidiæ reum se à rege calumniari, dixit ad Saül cupiens & excusare seipsum, & commendare Davidem : *& quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua* ? Tacent hîc reliqui sacerdotes qui cum Achimelech versabantur in æquali discrimine ? Cur non similiter excusant factum Sacerdotis, ne pereant ? Laudabat Achimelech Davidem, propterea socios non invenit. Si eum lingua feriret Sacerdos, forsitan non ita foret. Hoc ex eo collige, si placet, quòd ipse David Saüli dixit, cùm ipsi speluncam incautè ingredienti pepercit : *quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?* Et unde scit David multos adversus eum locutos ad Saülem ? Suspicari poterat non sine calumniatore aliquo Saülis odium ita obdurari. Sed ex quo infert plures apud regem detraxisse de ipso ? Nonne satis esset unus ut invidiæ flammas extingui non sineret ? quare credit multos ad Saülem de se malè loqui ? Ex detractionis ingenio si perperam loquitur unus, credibile est plurimos eodem sermone locuturos. Ideo non dixit : quare audis hominem ; sed : *verba hominum.* Non ita sanè contigit cum David apud Saülem laudaretur : solus eum extollit Achimelech, similiterque cùm laudibus eum prosequeretur Princeps Jonathas, nullus adfuit collaudator. *Locutus est ergo Jonathas de David bona.* Benedicus vel unus,

1. Reg. 22. 14.

Ibi c. 24. 10.

Ibi 19. 4.

vel nemo ; sed ferè nusquam sine comite maleloquus. Cùm de illo agitur , æquum erat ut de ipso pluraliter sermo texeretur : *os autem impiorum.*

27. *Homo si nequitia lateat, dæmon est; si pateat, homo?*

Operit. Cùm vox hebraica sequens ambigua sit utrùm significet *iniquitatem*, an verò *iniquitas*, prout vulgatus reddidit interpres: juxta priorem lectionem accipi sic potest , ut impiorum simulatio hîc notetur , quâ & ore & vultu iniquitatem contegunt. Malitiæ postremus apex hic est seipsam tegere. *Malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus*, Spinosus iniquitatis frutex dum ad nubes usque perveniens ut lateat, cœlestium viciniam internubila tetigisse representat, nimiùm crevisse probat : non etenim ita cœlo proximus appareret , nisi nimiis incrementis. Cúmque augmenta sequantur radicem, summa est nequitia quæ cælesti colore tegitur. *Simulata æquitas non est æquitas , sed duplex iniquitas : quia iniquitas est, & simulatio*, inquit Augustinus. Concinit S. Joannes Climacus loquens de nequitia simulata. *Nequitia est scientia : imo verò turpitudo dæmoniaca , privata veritate & quæ plurimos latere videatur.* Uno verbo dicam : iniquus postquam sceleſtum cor aperit , homo adhuc appelletur : quandiu verò venenum intra præcordia delitescit , diabolus vocandus erit.

Sen. in prover.

D. Aug. in ps. 23. tom. 8.

S. Ioan. Climac. in scal. grad. 24.

Audi mitissimum Dominum exemplar patientiæ summum citra hujus vel mansuetudinis offensam , loquentem de Juda : *nonne ego vos duodecim elegi : & ex vobis unus diabolus est ? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum.* Non satis foret dæmoniacum dicere ; sed nominat dæmonem ? quare ? *hic enim erat traditurus eum.* Audi quid postea dicat Christus Dominus dum in passionis vestibulo cum duodecim discumberet : *Væ autem homini illi ; per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei , si natus non fuisset homo ille.* Semel ac iterum appellat hominem, quem vocaverat antea dæmonium. Si Iudæ congruebat jam prius diaboli nomen , quia traditurus erat Magistrum, postea cùm venditionis pactum celebraverat (ut ex textu liquet) non dæmon dicitur , sed homo ? Jam apud sacerdotum Principes cordis virus detexerat dicens : *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam ?* Ore postquam deprompsit animi venenum sceleſtus , homo erat : *væ homini.* Sed antea cum se fidum simulabat inter cæteros Apostolos discipulum (utpotè qui discedentes quosdam tunc à schola Domini secutus non est) tunc diaboli nomine fœdatur. Beda ibi : *unus ex duodecim erat non fide sed numero : non veritate, sed simulatione.* O cave diabolicam fraudulentiam , quâ utitur impius dum iniquitates mentiente lingua & decipiente facie callidus *operit.*

Ioan. 6. 71. 72.

Matth. 26. 24.

Ibi n. 15.

Beda in 6. Ioan.

28. *Confitendo peccatum ne addas excusationem.*

Idem verbum *operit* expendens Hugo Card. supra citatus n. 4. intelligi posse voluit de illis quorum os ad peccatorum confessionem clauditur. O silentium clamore valido cœli fores pulsans ad vindictam ! Alteri loco nunc remitto eos reprehendere qui peccatum in pœnitentiæ tribunali prorsus tacent. Veniamus ad alium silendi modum , eorum scili. qui loquentes obmutescunt : peccata videlicet apud confessarium excusantes. Deliberat urgente confessionis præcepto annuo quotidianus peccator, & accedit , vel potiùs trahitur ad medelam, cúmque de alienis factis per annum sæpe nimia dexteritate locutus fuerit ; non sic de propriis fatur cùm oportet. Utinam interrogatus veritatem ægritudinis detegat medico. Sed proh dolor !

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat : non aperit ulcus ; sed operit : excusationes prætendit is cui accusatoris munus incumbit. D. Augustinus : *tu factus es peccati tui defensor : quomodo erit Deus liberator? ut ergo sit ille liberator , esto tu accusator.* Tria præstat in hoc judicio pœnitens : reus est , actorem agit , simulque testem. Si non omnia ritè fuerit executus munia, cuncta nihil erunt. Actoris non est culpam tueri. A teste nuda manifestatio veritatis exigitur. Convicto reo defensioni locus non est. Convicit te rem conscientia : & peccata defendis ? testificaris , & involucris factum coloras ? actor libellum offers, & patrocinaris tibi ? Hac de causa fortè criminum pœnitudo brevi transit , quia potiùs peccatum vestire , quàm reprehendere curas.

Horat. l. 1. epist. 17.

D. Aug. to. 8. in ps. 68.

Protoparentis hæreditaria fragilitas hæc est. Peccavit ille : Sed non prius fassus est delictum , quàm Deus illud ipsi objiceret in faciem. *Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses , nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes , comedisti ?* Adamum ne transgressionem confiteretur prohibebat rubor : oportuit de ipsa cum eo loqui , ne confessionem omitteret peccati. Sed quid ille reposuit ? *Mulier* , ait , *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno , & comedi.* Præcessit excusatio (*mulier* &c.) secuta est confessio : *comedi.* Vides quàm sit antiquus hic peccatum aperiendi stylus ? Hoc unum expendam : cur scili. Deus Adamum & Hevam tunicis pelliceis induerit ? *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos :* cùm jam uterque seipsum texisset perizomate : *consuerunt folia ficus , & fecerunt sibi perizomata.* Litteram relinque , mysterium attende. Adamus foliorum tegumento seipsum vestiens pœnitentem animum ostendit. *Ipso facto* , inquit S. Iræneus, *ostendit suam pœnitentiam , foliis ficulneis semetipsum contegens.* Emendat factum Dominus insinuans pœnitentem non à seipso debere tegi , sed à Deo. Ideo tunicas pelliceas induit illis Deus mortificationis indumentum , quæ mortalitatis pœnam, & hujus infamem causam insinuabant : Liranus ibi : *de pellibus animalium mortuorum in signum suæ mortalitatis.* Metire quantum inter unam & aliam vestem discrimen sit. Cùm Adamus pœnitens contexit se , pœnitentiam foliis declaravit. Pœnitudo se tegentis peccatoris folia sunt, quæ experientiâ testante brevi tempore marcescunt. Postquam peccatum nudè aperuit , jam tunica diu durans , & mortificationis habitus constans , ejusdem pœnitentiam permansuram promittit. Deo relinque te fœdè maculatum

Ibi n. 11.

Ibi n. 21.

Ibi n. 7.

D. Iren. l. 3. c. 39.

Lira ibi.

culatum operire: tu ne fœditatē quam incurristi vestias; nuditatem ut induaris expone.

Alter os operiendi modus in confessione satis frequens est, confessarij expectare interrogationum seriem. Quid metuit reus miser in propitio tribunali clementiæ? Verecundiam. Vult quòd prius confessoris lingua proferatur peccatum quò sic rubor minuatur criminis. Perperam eligit minus rubere: nam quò plus facies pœnitentis purpurascit, eò amplius pulchrescit ejus anima. Lege S. Doctorem Lusitanum. *Esther est anima pœnitens, cujus vultus in confessione debet perfundi roseo colore verecundiæ.* Sicut Esther colore roseo vultum perfusa gratissima extitit oculis Assueri, sic divino conspectui pœnitens placet cùm proferens nuda peccata rubescit. An judicij hujus accusator confessarius est? Nequaquam; sed peccator ipse: igitur munus perage tuum.

S. Anton. Olyssip. ser. Dom. 14. post Trinit.

S. monet Spiritus ore Siracidis: *non te justifices ante Deum.* Si autem Deo, vel (quòd hîc in idem recidit) Dei ministro dixeris ut interroget, non teipsum accusas, sed justificas, & innoxium affirmas. *Interroga me & cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.* Interrogare nescientis est: quomodo igitur omniscium Dominum rogat ut de ipsius Davidis operibus eundem interroget? Quia tunc non pœnitentis officium exercebat; sed justum se gaudebat invenire. *Perpende* (inquit Jansenius exponens posteriorem citati loci partem) *num in me sit cum impiis commune institutum aliquod pravum, quòd si (ut ex bona conscientiæ testimonio firmiter confido) nihil tale in me inveneris, ne quæso me cum impiis derelinquas* &c. David eo tempore justificationem propriam curabat: non superbus quod Ecclesiasticus reprehendit; sed humiliter offerens postulationem suam æquissimo virtutum solutori. Ita se culpas abhorrere dixit, ut etiam peccatores odisse asseruerit. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?* Qui justi coram Deo personam exhibebat, non mirum quòd ipsi diceret: *interroga me.* At cùm tu non justi, sed pœnitentis locum tenes, immeritò petis à Deo, vel ejus ministro, ut interroget: seu teipsum justificas. Respondebit confessarius utens divini Spiritus verbis: *interroga teipsum*: exponit Lira: *per diligentem conscientiæ discussionem.* Et infra: inquit Siracidis ore Deus: *ostende conversationem tuam:* commentatur idem Lira *per nudam & apertam confessionem.* Aliter ipsa iniquitas os tuum ad facienda peccata, *operit.*

Eccli. 7. 5.

Ps. 138. 23. 24.

Corn. Iansen. ibi.

Ibid. n. 21.

Eccl. 18. 20. 29.

Lira ibi.

30. *Detractor omni fœdatur vitio.*

Iniquitas. Et quænam? Indefinita locutio æquipollet universali, quasi de omnibus loqueretur sceleribus. Sed qua ratione hoc dici valet si de maledicis agamus? Facile hoc intelliget qui adverterit detractorem non uno vitiorum genere inquinari. Extollitur superbiâ, nam de seipso tantùm bene sentire solet: avaritiâ contrahitur: nam etiam verba quibus proximo sit utilis condecorans eundem, denegat ipsi: latrocinium committit alieni honoris raptor: *qui autem*, inquit S. Laurentius Just. *detractor exiſtit, mendax, perjurus, ac ſtultiloquus eſt. In una ſiquidem malignitatis catena confœderata ſunt vitia* &c. Tandem, ne plura dicam, da maledicentiæ deditum, & pluribus dabo noxis coinquinatum: Apostolus Jacobus linguam nequam inferni flammis ignitam dixit. *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Et quid gehennæ cum lingua? Dicam. Inter ignes tartareos cuncta ferè delictorum venena reperies: nam ut ibi dicitur: *lingua ignis eſt univerſitas iniquitatis.* Igitur si de maledicis textus noster agit, meritò non exprimit de qua iniquitate loquatur: sed absolutè una pro multis voce utitur, dicens: *iniquitas.*

S. Laurent. Just. l. de vit. solit. c. 4.

Jacob. 3. 6.

Ibi.

Hîc Septuaginta verterunt: *luctum*: juxta quam lectionem significatur hoc loco idem atque si diceretur: Facies impiorum opprimet, seu dissimulabit dolorem: vel conteget iniquus hanc verbis anxietatem. Maximum quidem est iniqui supplicium inclusus pectore dolor: nec miror impios de clauso intra pectus dolore nimiùm conflictari: cùm & sanctis intolerabilis videatur, quamvis in tribulatione soleant gaudere. Audi Bernardum in morte fratris: *Quousque*, ajebat, *enim diſſimulo, & ignis quem intra meipſum abſcondo triſte pectus adurit: interiora depaſcitur? clauſus latiùs ſerpit, ſævit acriùs. Quid mihi & cantico huic, qui in amaritudine ſum?* Non reddidit Iob mutum Satan, quia permissus non est ita crudeliter in justum sævire, quòd locum verbis dolorem egerentibus non relinqueret. Et præcipuè torquebit contribulatum, si oportuerit in anxietudine gaudium simulare. Dirum patitur ille, cum afflictio corde manet, ac læta facies exhibetur. Ideo ad Polybium Cæsaris administrum scribebat Seneca fortunam illius miserrimam esse quidem servitutem, cùm nec flere liceret in morte fratris ne sortem propriam læderet. *Magna ſervitus eſt magna fortuna .... non licet tibi, inquam, flere:* attende quæ subjicit disertissimus Ethnicus: *adverſus fœlicitatem tuam parum gratus es, ſi tibi quicquam, Cæſare ſalvo, flere permittis.* Durè cruciatur corde mœstus dum cogitur præcordiis angorem sepelire, hilaritatemque fingere fronte.

31. *Lætitiam ſimulare doloré ſuppreſſo dirum tormentum.*

S. Bern. ser. 26. in Cant.

Sene. in consol. ad Polyb. c. 26.

Invitaverat Esther Aman ad regale convivium: ipse jactabat se Reginæ jussu vocatum. Si textum perlegeris invenies compulsum postea fuisse ut ad mensam accederet: *ad convivium quod regina paraverat pergere compulerunt.* Coactus ibit Aman ad honorem? O: videas quid illi acciderit postquam fuit invitatus ab Esthere. Iussus est habenas equi ducere quo insidebat Mardochæus. Dolebat intus; & cogebatur accedere ad convivium Reginæ, ubi ne putaretur inurbanus, oportebat dissimulato dolore gaudium regali mensa dignum facie ostendere. Violenter fertur Aman, quia dolore supresso lætitiam simulare torturæ genus est non commune. Luctum facie verbisve dissimulat iniquus? Torquetur satis malitia, dum os impiorum operit iniquitatem.

Esth. 6. 14.

FLOS VIII.

Memoria justi cum laudibus: & nomen impiorum putrescet.

APERITUR.

1. UTRIUSQUE partis planus est sensus: adhuc tamen non unica expositione locus contentus est. Prior sententia dupliciter explicari potest: primò, & probabiliter de justo quatenus est gratus Altissimo: quasi dicatur humano modo: laudabilis est apud cunctorum Dominum justi memoria: Deo gratum est benefacere illi. Consonat is quicumque, teste Cornelio à Lapid. vertit sic: *memoria justi cum benedictione.* Ubi duo notanda nobis occurrunt: primum, quod licet infinitæ Dei sapientiæ adsint omnia, sic tamen sæpe se gerere solet erga justum, ut illius videatur oblitus, ac postea quasi recordatus. Dilectus Deo paterna manu in ejus bonum feritur omni plagâ: quod videntes; sed non invidentes invidi, sceleris alicujus occulti calumniantur, & obmurmurant justo Dei judicio flagellis traditum ut luat criminis pœnam. Sed, ut inquit S. Hieronymus: *quæ putatur pœna medicina est.* Fortassis & ipse justus quæritur se derelictum, & fallitur obliviscentis more. Deus ad modicum finit clamare sibi charum: audit utique; non ut vellet qui patitur; sed ut ejus interest. *Intelligat homo*, inquit Augustinus, *medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Et si ex Euripidis sententia rerum absurdarum oblivio sapientia dici valet, merito Deus insipientes clamantium sub manu medentis voces velut oblivioni tradere videtur, sine comprehendentis omnia scientiæ injuriâ. Sic lamentabatur lachrymarum vates dicens: *quare in perpetuum oblivisceris nostri?* Imo Dominus ipse dixit apud Oseam: *quia non addam ultra misereri domui Israël, sed oblivione oblivisear eorum.* Et iterum per eundem: *oblita es legis Dei tui, oblivisear filiorum tuorum & ego.* Attamen cùm videtur oblitus Deus, tunc aliquando scripsisse dici potest velut suis manuum palmis quem penitus dereliquisse putares. *Et dixit Sion dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui. Ecce in manibus meis descripsi te:*

D. Hiero, sup. Ezech.

D. Aug. to. 8. in Ps. 21.

Euripi. apud Stobæum ser. 18.

Thren. 5. 20.

Osee 1. 6.

Ibi c. 4. 6.

Isai. 44. 14. 15. 16.

Secundum quod sese offert animadvertendum est, quòd recordatio Dei significet beneficentiæ divinæ exercitium. Ita scribit Moyses: *recordatus quoque Dominus Rachelis exaudivit eam.* Simili phrasi mater Samuëlis orabat: *Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris,* &c. Ultrò patitur benignissimus Dominus ut cùm benefacit recordari dicatur, quasi usque tunc oblivio contigerit ei qui non potuit non cuncta simul & jugiter summa perspicacitate comprehendere. Ægrè tamen ferret si quis dum ille beneficia differt, eum interim donare noluisse dicat. Benignitatis existimatio maneat illæsa: ne credas vultum avertisse roganti prout oportet; potiùs dic, si placuerit: oblitus penè videbatur Dominus; sed nunc memor fuit nostri. Humano sic stylo permittet loquentem: dummodo nihil ejus amore proferas minus dignum.

Gen. 30. 22.

1. Reg. 1. 11.

Ejusdem prioris partis hujus versiculi secunda est acceptio, quæ refertur ad commendationes honorificas, quibus extolletur justus ab hominibus. Et sensus est: omnes qui fuerint memores ejus qui rectè operatur, eum laudibus prosequentur. Et poterit aliquis non absque fundamento dubitasse utrùm hic de justo ante mortem sermo sit; an verò dum vita comes? De utroque verba illa Glossa exposuit, dicens: *in hac vita boni bonos: sive vivos, sive defunctos laudibus efferunt.* Sed germanior alicui videbitur expositio, si de justo post mortem solummodo textum interpretemur illâ divini Spiritus regulâ ducti: *ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Cur Deus justos post funera laudibus humanis extollit; non ante sepulchrum, si quæris, dicam primo: quia, ut ait D. Greg. M. *laus quippe sua justos cruciat:* post obitum autem cessat cruciatus iste, quia citra metum jam degunt, & ultra vitæ metam. Secundò ne si qui existimat se stare ceciderit, laus illi vertatur in probrum: *lauda ergo post periculum*, inquit D. Maxi. *prædica securum: lauda navigantis fœlicitatem, sed cùm pervenerit ad portum: lauda ducis virtutem, sed cùm perductus est ad triumphum.* Tertiò quoniam justi præconia, dum vivit, memoriæ tradere, facillimi negotij res erit; sed jam vita functi egregiè factorum meminisse, hoc opus, hic amor est.

Gloss. Ord. hîc.

Eccli. 11. 30.

D. Greg. M. l. 26. mor. c. 23. tom. 1.

D. Max. in nata. S. Eusebii homil. 2. die 1. Aug.

Transi ad posteriora verba nostri textus: *& nomen impiorum putrescet.* Exponit Interlinearis: *inferni suppliciis.* Sed hæc interpretatio non stat cum eo quod in superioribus dixi, de justo scili. apud homines encomiis amplificando. Unde ut hæc verba prioribus cohæreant, exponenda sunt, quasi Salomon dicat impium super terram, sed post mortem, puniendum nominis corruptione. Tripliciter video sumi valere hujusmodi putrefactionem. Primò ita ut, *putrescet*, idem significet ac erit abominabile: secundò sic: *putrescet*, ideò erit infame: sicut enim odore bono famam explicare solemus: ita per fœtorem, qui soboles putredinis est, exprimitur infamia. Tertiò ita: *putrescet*, hoc est sanie invidiæ tabescet, quatenus inanem impij gloriam rodunt ejus fortunæ invidentes. Hanc tertiam expositionem litteralem non judico: tum quia sanies est ipsius rei putrefactæ; at invidia de qua in hac interpretatione agitur, non est ipsius impij sed alienæ: & hujus vitij proprium est seipsum corrodere: tum etiam quia non minùs, imo plùs, invidiæ patet bona justorum opinio: neque tamen dicitur hîc per livorem tabescere.

Secunda

Secunda & prima expoſitio ſunt litterales, ac ſecunda veroſimilior, quia nominis corruptioni magis accommoda eſt infamia quàm abominatio. Putredinem dedecori aptare difficile non erit. Juxta Philoſophum putrefactio quandoque duas habet cauſas, externam unam, internam alteram: *ambæ utique cauſæ erunt, & putrefactio communis paſſio, & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ.* Sic etiam ignominia ſceleratorum non ſolùm à propriâ iniquitate naſcitur, ſed à detrahentium loquacitate, qui eorum occulta vitia detegunt. In animalis corpore, ſi pars putreſcat, ſenſu caret vermeſque gignit. Impius haud aliter, ſi famam ſemel amiſit, redditur adeo inverecundus, ut quaſi jam obloquentium ictus non ſentiat, indies in majora facinora ſe det præcipitem: ſtimulis tamen vindictæ adverſus obtrectatores, veluti vermiculis, corroditur.

Ariſt. l. 4. meteorol.

2. *Memoria.* Recordationi tribuitur juſti laudatio. Et videbitur nonnemini, quòd ſapiens aptiùs eam appropriaret dilectioni, qua digniſſimi ſunt. Sed parum diſtant diligere ac meminiſſe, memoria & amor. Mirum eſt & omnibus notum ingenij acumen in amante: juxtaque Plutarchum, *qui bono ingenio ſunt prædiți facile reminiſcuntur.*

Plutar. in Cato.

Juſti. Non pluraliter loquitur: fortè quia rarus eſt qui poſt mortem non ſubſit hominum oblivioni. Horret memoria vitafunctos. Hoc ideo accidit, quia pictoribus, licet plura ſint conceſſa, mortem depingere non datur; ſed ipſius loco adumbrant mortuum, in quo nihil jam ſit præter oſſium nervorumque compagem ambulantem. Indeque fit quòd ligata ſenſibus mens, oculis fallentibus mortem apprehendens velut mortuum; defunctum paveat tanquam interitum proprium: *mors ipſa quam natura refugit, cùm occupat dilectum, contriſtat in nobis ipſius dilectionis affectum.* Sic Auguſtinus.

S. Aug. to. 10. ſer. 24. de verb. Apoſto.

Cum laudibus. Lectio Tigurina ſic vertit: *memoria juſti laudem habet.* Aliud eſt laudes accipere; aliud erit laudes habere: juſtus inquam habet præconia virtute (ut loquuntur Philoſophi) quia virtutem laudum cauſam poſſidet; iniquus has mutuatas accipere ſolet, quas ad ſummam ſervabit eò uſque tunc reſtituat cum æqua mors claudens vitæ periodum, aperuerit fœdam & monſtroſam animæ faciem. Parum eſt ſplendere commodato; propriis lucere hoc virtutis opus. Salomon laudantium os aſſimilat conflatorio, & fornaci: laudatum verò argento & auro. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis.* In eodem conflatorio appone ferrum & aurum: hoc de ſuo fulget, quamvis & flammis perpurgetur; ferrum non de proprio, ſed ab igne coruſcat: ſtatim ac flamma reſtinguitur, deſinit rutilare. Haud ſecus laudatis quampluribus accidit: nam *quod in mundo eſt honoratum ſuam habet eſſentiam in ſola exiſtimatione eorum qui eſſe exiſtimant.* Ita D. Grego. Nyſſenus.

Verſio Tigur.

Prover. 27. 21.

S. Greg. Nyſſen. ho. 4. in Cant.

Et nomen. Quamvis famam ſignificet, ac ſic melius correſpondeat hæc ſecunda paræmiæ pars verbis prioribus juxta horum magis veroſimilem interpretationem: nihilominus probabiliter ſumi poteſt pro amplitudine, quâ, dum fortuna ridet, potiuntur ſceleſti, itaque reſpondebit ſecunda pars verſus priori ſumptæ ſecundùm aliam ejus acceptionem non improbabilem, cujus memini ſuprà n. 1. initio. Non ſemel in Scripturis, nomen, accipitur pro amplitudine ac excellentia rei: ſic ad Philip. 2. 9. *donavit illi nomen*, ubi Hugo Cardi. ait: *ſecundum Ambroſium exponitur: quod Filio dedit æterna generatione donatum eſt ut eſſet Deus.* Et ad Hebræos: *quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Ubi Interlinearis inquit: *honorificentiam qua ſurrexit & aſcendit.* Hic impiorum floretiſſima ſuperbia monetur quàm tempori ſubjecta ſit: quamvis enim cedros Libani ſomniet æquare; non tamen eorum incorruptibilitate gaudet, quia ſubjacet mutationi ad nutum hominum, veluti nomina tranſmutari ſolent. *Factus eſt enim*, ait S. Antoninus, *mundus iſte ad modum cujuſdam circuli: ſicut dixit quidam Philoſophus. Et hoc quidem verum eſt, non quantum ad motum cœli ad quem ſequitur ſucceſſio temporis: ſed quantum ad continuos motus, & diverſos eventus, qui eveniunt circa hominem: ut verum ſit ſecundum Philoſophum quod continuum motum ſuperiorum ſequitur continua tranſmutatio inferiorum.*

Ad Philip. 2. 9. Hugo Card. ibi ex Ambroſio.

Hebr. 1. 4.

D. Antoninus p. 4. tit. 3. c. 7. §. 8.

Impiorum. Si vocis rigorem attendamus, veroſimile videtur non hîc ſermonem eſſe de quocumque peccatore, ſed de valdè ſceleſtis: nam vox *impius* vim negationis habet: unde plus ſonat quàm peccator. Conſonat hîc Liranus dicens: *quia non recolitur in aliquo honorabili, ſed tantum in facto vili.* Signum eſt ergo de his haberi ſermonem, in quibus nihil honore laudeve dignum invenitur. Et hi ſolent eſſe qui nomine magni ſunt apud ſæculum, quòd non propter unicum flagitium illuſtrem concedit nomenclaturam. Unum ſi committis delictum, non adhuc mundus te ſuum reputat, veretur ne cœptam perditionis viam relinquas: expectat ut multiplicatis ægritudinibus jaceas pertæſus ipſam pene ſalutem, ac tunc prædicat magnum, cùm te in ejus obſequio ſecurum expertus eſt, ſæpiuſque probavit amicum, ſeu potius fidelem ſervum. Sic multos alligat volentes: *cùm enim culpa in uſum venerit, ei jam animus etiamſi appetat, debilius reſiſtit, quia quot vicibus pravæ frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur.* Hæc M. Gregorius.

Lira hic.

D. Greg. M. l. 4. mora. c. 25. tom. 1.

Putreſcet. Explicat Janſenius: *paulatim deficiet:* ſed legunt Septuaginta: *extinguetur.* Lux dum vento premitur, deletur ſubitò: nomen improbi, quamvis velut putreſcendo ſenſim corrumpatur, tamen adeo momentaneo tempore permanet, ut, vel dicatur declinare per partes, vel aboleri repente, perinde ſit utrumque. Tam putredo, quàm extinctio ſatis oſtendunt poſt finem quàm intus diſſimilia ſint quæ pulchrè oculos antea demulcebant. Turgebat pomum venuſto colore gratum: putreſcit, & fimum auget. Splendebat lucerna ſuper oleum non ſuum: flatu deletur, & nihil eſt jam præter graveolentem fumum. Similiter *nec fama ſine*

Janſen. hic. Lect. Sept.

S. Hier. ſup. Matthæi

verba c. 4. Abiit opinio &c. D. Aug. to. 5. l. 3. de civit. Dei : c. 14.

sine opere proficit, ut Hieronymus ait: quinmo *remotis obstaculis scelera nuda pensentur, nuda inspiciantur, fallacia, & tegmina, & vana laudes, & gloriæ auferantur, & apparebunt miseriæ peccatorum.* Sic Augustinus.

DELIBATIO I.

Humanarum laudum inanitas: & quàm horribilem exitum habere soleat.

Gloss. Ordi. & Janse. hic.

AD litteram, ut glossa, & Jansenius adnotarunt, justi laudes non in omnium ore, sed tantum apud virtutis amantes inveniuntur. Attamen præsentis gnomæ priora verba fortassis alicui, prout sonant, universaliter accipienda videbuntur. Sed qua ratione? Dicam. Laudant sæpius etiam iniqui justum; non tamen eum commendant; sed ei laudibus maledicunt. Impuro ab ore maledictio vertitur in encomium; sicut econtrario decus ab iisdem labiis promanans degenerat in vituperium. Belle Seneca: *sit tibi tam triste laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia. Lætior esto quoties displices malis, & malorum de te æstimationes pravas, veram tibi laudationem ascribe.* Si quæ laus humana plurimi facienda (quod nunc non examino) illa est quæ à probatæ vitæ hominibus provenit: *laus verò illa haberi debet quæ à laudato viro proficiscitur*, scribit Franciscus Patricius, quasi dicat: si à scelerato prædicaris, hanc ne laudem existimes esse; calumnia est. Et econverso dicam: si detrahat improbus, tunc extollit quem ferire verbo tentat.

3. *Detrahens impius laudat, & calumniatur commendans.*

Sen. li. de virtutibus.

Franc. Patri. de regn. l. 4. c. 19.

Utrumque (vel fallor) invenies apud Lucam in curatione dæmoniaci facta Capharnæi. Timens dæmon expellendum se violenter ab obsessi corpore, clamavit ad Christum Dominum: *sine, quid nobis & tibi Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Iesus dicens: obmutesce.* Quid mali diabolus fuerat locutus? tacere non solùm jubetur; sed reprehenditur: hoc enim significat illud *increpavit*. Nonne sanctum confessus est? nihilque Domino societatis cùm dæmone? an non præconium Redemptoris erat ipsius palam fieri sanctitatem à spiritu maligno fatente discretionem Servatoris à Principibus tenebrarum? Certè non dissimili phrasi locutus est gentium Apostolus dicens: *quæ societas luci ad tenebras: quæ autem conventio Christi ad Belial?* Hujus amici laudatio grata sanè; sed ab inimico celebrari decorosius esse passim audio. *Præstantius quoddam*, inquit Plutarchus, *& majus est admirationem suæ virtutis in hostium animis, quæ eis sæpè incommodaverit, quàm apud amicos gratiarum actionem excitare.* Quare qui à Paulo citra reprehensionem laudatur, necnon à Petro Filius Dei vivi (ab eodem remunerationem promerente) asseritur; dæmonem objurgat qui sanctum appellat? Quia laus à laudabili est. Laudent Salvatorem Apostolorum Principes electi; fileat nequam adversarius, qui licet honorificè nominet illum, nihilominus potiùs loquentem dicemus quàm laudatorem: *obtumesce*: commentatur ibi Hugo Cardi. *Nolebat etiam à diabolo nominari. Eccle. 15. C, Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Attendis energiam quæ fortè latet in historiographi sacri stylo? *exibant autem*, inquit, *dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui.* Nequaquam dixit: non sivit laudare; sed loqui. Non quidem proferebat communis inimicus encomium; sed sub laude convitium. Parum foret ab iniquissimo commendationem prototypi justorum non prodire, nisi laudatoriæ voces in probra verterentur.

Hug. Card. in 4. Luc.

Luc. 4. 41.

Redeamus ad priorem locum. Sanctum vocavit Redemptorem diabolus: *scio te quis sis Sanctus Dei*: Ecce notum satis apud morales theologos detrahendi modum, scili. remisse laudare. De Sancto sanctorum loquens dæmon ita nominat illum, quasi de aliquo ex discipulis ejus loqueretur: imo sancti nomen olim gentium Doctor cuilibet fideli tribuebat scribens ad Corinthios: *de collectis autem quæ fiunt in sanctos* &c. Dominum titulo donare servis non inepto, videtur injuria per modum obsequij facta: nam sic divinitatem illi negare visus est hostis. Illum igitur meritò Servator increpat, quia laudatoriis verbis ipsi detraxit: sed mirarer nisi à nefario prolata commendatio transiret in contumeliam. Appositè Liranus hîc. *Per hoc autem quòd Christus increpavit dæmonem, qui suam potestatem confitebatur & sanctitatem, ei silentium imponens, docuit nos fugere laudes turpium personarum: quia sicut dicit Seneca l. de virtutibus: tam triste tibi sit laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia.* Morum philosophi verba premens argue sic: atqui si laudaris propter mala, calumniam pateris apud amatores virtutis: igitur etiam cùm à flagitiosis verbo veheris; ne dubites ab illis te speciosè infamari.

1. Corint 16.

Lira in 4. Luc.

Altera restat, & præcipua cogitationis pars, impium scili. maledicendo laudare innoxium. Hæc erit comprobanda eisdem superioribus diabolicis verbis. *venisti perdere nos? ideest*, exponit Dyonisius Cart. *vincere, spoliare, debilitare*: quasi spiritus nequam diceret: ut quid sine causa nos persequeris ut à dominatu nostro deturbes? quid nobis & tibi? Audis malignum detrahentem de sanctitatis exemplari summo, quasi Dominus alienum invadere venisset? Ipsum hoc opprobrium si benè perpendis, invenies esse glorioſum: maximè namque Incarnati verbi potestatem, ac erga nos misericordiam ostentat quod venisset perdere dæmones, qui orbe tyrannice potiebantur: laudat dum convitiatur noxius; & econtrario nihili facienda est eorum laus: *non eorum laudibus delectemur, qui non alios quam sibi similes laudant.* an ita S. Hieronymus? Si quandoque memoriam justi lædit perditus homo dente livido, & hoc inter laudes ejusdem numeretur, ut sine personarum discretione dicatur: *memoria justi cùm laudibus*: nam, ut Augustinus dixit: *si injustè maledicitur, præmium illi redditur.*

Dyoni. Cart. ibid. art. 11.

Incertus D. Hiero. to. 4. ep. ad Oceanum. de ferendis opprobriis.

D. Aug. to. 8. in ps. 102.

Et

4. *Quod arrisit auribus excipitur encomiis ; quod displicuit similatur injuriis.*

Et quam frequenter hoc laudationis genere (convitiis nempe) laudabilia excipiuntur! Etiam in minori mundo experimur quod in majori deploramus. Regnorum exitia ex inverso munerum & personarum ordine frequenter nascuntur. Si Rex sceptrum illi tradit qui vix didicit obedire : si Magnatum loca servi occupant : si jus decernit qui nescit discernere jura , certissimè conjectaris ultimam infausto regno cladem imminere. Intrò parumper ad teipsum converte mentis lumina : rempublicam privatam invenies majori non dissimilem. In ea sanè intra fictilem fragilitatis propriæ murum, tot portis , quot desideriis , pervium , & habitant servi (sensus inquam ad inserviendum nati) necnon proceres : scili. prudentia , magnanimitas , fortitudo , cæteræque morales virtutes. Mechanici etiam residen ibidem : hoc est appetitus sensitivus, phantasia, & similes incolæ partis animalis. His omnibus præest intellectus : qui regimen tædio habens , voluntati, quam sponsam accepit, gubernacula tradidit. Imperatrix illa cùm oculis careat, miscuit cuncta cæce nimis : Magnatum officia sensibus commisit : jusque dicendi facultatem fecit appetitui , qui non alio quàm phantasiæ utens consilio , miserum rationale imperium funditus evertit , diruit , præcipitat. Sic morem gessit voluntati : etenim *hæc est crudelis bestia , fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima*, ut S. Bernardus dixit mala propriæ voluntatis pro concione describens. In tribunali prædicto , advenarum, & peregrinorum causæ (idest aliorum dicta & facta) judicantur ; sed ita inustè, ut quod arrisit reginæ voluntati, plausu jextollatur ; quod verò displicuit eidem , vel sensui , afficiatur injuriâ.

S. Bern. ser. 3. d. Resurr.

Dixerat pro concione divinus Magister altissimam de sui corporis ineffabili mysterio panegyrim sententiis gravem , verbis disertam , undique præcelsam. Quid ad hæc auditores non stupidi ? *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : durus est hic sermo , & quis potest eum audire* ; Vides concionatorum prototypum non placuisse multis ? Ne demireris : forsan aliquid majus in memoriam reducam. Legisti Herodem concionantem , ejusque dicta laudatoriis acclamationibus excepta ? Sic D. Lucas. *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat : Dei voces & non hominis.* O dolosam humani judicij stateram ! Dei verbum à Verbo Dei prolatum damnas de duritie ! Herodianis vocibus appingis divinitatem ? Suasit hanc injustissimam sententiam de inculpabili verbo voluntas aure suadente : *quis potest eum audire?* Forsan enim ex illis erant de quibus ait Philo Hebræ. *multi aures non mentem afferunt in auditorium :* vel si domi non mansit eorum intellectus , *veniunt ut audiant , non ut discant* , ut Seneca scribit. Horum est solo dijudicare auditu , non intelligentiâ, quod voluntati placet , vel displicet : de quibus dici posset illud : *nonne auris verba dijudicat*,&c. ubi S. Gregorius M. *Ac si apertè arrogantibus diceretur : doctrinæ verba quæ vobis usque ad aurem veniunt, mihi etiam per saporem intimum intelligentiæ fauces tangunt.* Et quid mirum quòd neglectis judicij regulis , ab aure ad appetitus cathedram causæ rationis deferantur , ut sic morigeretur sensus reginæ voluntati , quæ sponsum intellectum ingrata regere audet , à quo accepit imprudenter commissa gubernacula ? Dominus ad eos qui remanserunt discipulos , post sermonem Eucharisticum, non dixit : vos ne similiter atque illi de meo sermone judicatis ? sed ait : *nunquid & vos vultis abire* ? quasi pro negotiis quæ ad mentem spectant , intrusa jurisdictione voluntas utatur. Intellectuale munus erat judicare de auditis : *sed quia prodest* , ait S. Thomas à Villano. *habere clarum intellectum , si voluntatem habeas corruptam, protervam , & malè inclinatam* ? .... *unde Psalmista hoc postulabat dicens : voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : ideò da ut voluntati placeat quod ratio probat.* En à voluntatis arbitrio res tota pendet. Sed velit nolit voluntas , blateretque lingua , adhuc ista detractio, quâ vellicantur laudanda, cùm ab iniquis exeat in re virtutis , vacua laude non est : proindeque meritò indiscriminatim quin expressè limitetur ad probos laudatores hæc sententia , sacer textus ait : *memoria justi cum laudibus.*

Ioan. 6. 61.

Act. 12. 21. 22.

Philo Hebr. l. Quis rerum divin. hæres. to. 1.

Sen. in ep. 108.

Iob. 12. 4.

D. Greg. M. l. 11. mor. c. 4. tom. 1.

Joa. 6. 68.

S. Thom. à Villano. ser. Dom. 4. post Pasch.

5. *Terga laudibus danda.*

Non tamen præteream quod unici justi mentio fit hisce verbis : *memoria justi*,&c. & si ad laudationem , quam in vita mortali justus accipit, hæc sententia referatur, peculiare acumen invenies in eo quod ibi de justo vel ut absente sermo sit : non enim propriè dicitur nos præsentium habere memoriam , sed agnitionem. Abesse igitur à suis laudibus tacitè insinuatur justum , non quemlibet è rectè viventium populo ; sed unum inter plurimos : quia rectorum non vulgaris excellentia est declinare vulgi decus inane : sicut æquora findentium vix ullus erit qui ventis non feratur , anchorâ tenaci fixâ rate : *quid est enim aliud hominum laus , quàm ventorum transeuntium sonus* ? Duas complectitur doctrina partes : simul prosequar utramque. *Pessimum inimicorum genus laudantes* , inquit Cornelius Tacit. Itaque si non vis ictui pectus aperire, devita laudes hominum populares : nam *quantò plus honoramur , tantò plus periclitamur* , ut Augustinus ait. Cave ne virtutis lux per vanam gloriam extinguatur : umbra tege splendorem.

Imperf. ho. 13. in Math.

Tacit. in Agrico.

D. Aug. to. 8. in Ps. 106.

Apostolorum Princeps Ananiam & Saphiram , in delicti pœnam occidit, priùs tamen singulos verbis objurgavit. Postea refertur quod utens umbrâ sui corporis ægrotos reddidit pristinæ sanitati : nec tamen pietatis verba lego ad aliquem dixisse illorum, aut aliâ ratione in salute donanda fuisse ibi moratum Apostolorum coryphæum. *Augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum , ita ut in plateas ejicerent infirmos , & ponerent in lectulis, ac grabatis , ut, veniente Petro , saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum , & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Quàm festinus dat terga Petrus cum benefacit ; qui videbatur potius faciem aversurus ab Anania, &

Act. 5. 3. 4. 8. 9. 14. 15.

Saphira, quos ad mortem damnaturus erat? Delinquentibus allocutus est? Ægros autem in lectis positos præteribat? Et prudenter: etenim Ananiæ & Saphiræ punitio, non laudem Petro conciliabat apud vulgum, sed timorem: *factus est timor magnus super omnes qui audierunt.* Et infrà: *& factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.* Quod autem curaret infirmos umbræ facili, fœlicique medicamine, laudibus hoc populus fortassis evecturus erat: dat Petrus terga prudens, festinatque velociter, mirabile factum obumbrans, vanamque gloriolam pavens, leviſſimam quidem; sed penetrantem sagittam. Non aliter eam pertimescendam docuit Bernardus dicens: *time sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi non leve infligit vulnus, cito interficit, nimirum sagitta hæc vana gloria est.*

Ibi n. 5. & 11.

D. Bern. ſar. 6. in Pſ. Qui habi.

6. *Laudes hominum declinare non omnium res est.* Tibull. l. 4. circa fin. Incert. sub nomin. Hieron. ad Celantı.

Hæc sanè cùm ita sint, surdis inculcantur. Pauciſſimi sunt, qui non aërei tituli tangantur amore. Populi favor cunctis ferè dulceſſit, illumque nonnulli fugiendo sectantur, alij properando quærunt. Si quando audis *procul absit gloria vulgi*, poëticè dictum existima: *quia quamvis alicui sit facile laudem non curare dum negatur, est tamen difficile eâ non delectari cum offertur*, ait incertus author. Facilius inveniet comites petens discrimina, quàm refugiens honores.

Joan. 6. 15.

Paverat miraculo turbas insigni Christi Domini liberalitas, & (quod nescio an æque mirabile dictu) gratos invenit animos: ita ut venturos præviderit regem inaugurare volentes benefactorem. *Jesus ergo cùm cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Et quanam ex causa non secum detulit Apostolos; sed illos præcedere trans fretum compulit, ut apud Matthæum legis? In horto Gethsemani periculosè commissurus admisit Apostolorum comitatum? *ubi erat ortus, in quem introivit ipse & discipuli ejus*; & alibi solus in montem fugam capit? Vide quid vitabat: honorem vanum: cæremonia quippe foret omni re vacua Christum Dominum ab hominibus regem fieri, præsertim ab iis, quibus Romanorum jugum nec libertatem reliquerat, nedum jus eligendi regem. Cùm sæculi honores effugiebat divinus Magister: non omnium res hæc est. Facilius ad gladios inveniuntur socij, quàm ad gloriæ mundialis fugam. Nescio an ideo Apostoli compulsi à Domino recessere, quia Præceptorem suum ab illa plebe propter beneficium acceptum fore honorandum subodorabantur: cujus gloriæ pars ipsis discipulis accederet non modica, si adessent publicæ gratitudini. *Compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* Perbellè Hugo Card. ad hæc verba: *hic docet nos fugere honores.* Et infrà: *compulit quasi vi, quia imbecillis est natura ad contemnendum potestatem.* Tanta est honoris evanidi jucunditas, ut vel sanctitatis proceres eam fugere compellantur potiùs quàm invitentur. Justus ergo singulariter hoc loco dicatur à Salomone: *memoria justi cum laudibus:* nam ad summum reperies unum, qui præconia fugiens prætereat, proindeque absens ipse transeat in objectum memoriæ, quæ de præsentibus non agit.

Ibi c. 18. 1.

Matth. 14. 22.

Hugo Card. ibi.

Et nomen impiorum putrescet. Idipsum, inquam sceleſti nomen, quod per consimilium, ideoque dilectorum, labia volitabat, & non sine reverenti modestiâ proferebatur, iisdem postea ludibrio erit veluti res putrida. Justum, sed magnum hoc est mali supplicium, ab iis contemni, quibus erat idem in deliciis: hoc telo petitum describit miserum Jobus adeo in extremis positum, ut nulla nisi divini auxilij spes ei restare videatur. *Qui deridetur ab amico suo sicut ego, invocabit Deum:* ubi Gregorius M. *& eò seipsum intus robustiùs in Deo solidat, quò foris non invenit in quo requiescat. Tota enim spes in authorem figitur, & inter irrisionum convitia solus interior testis imploratur.*

7. *Contemptus ab eo qui te quondam dilexerat, non vulgare tormentum.*

Job 12. 4.

D. Greg. M. l. 10. moral. c. 15. tom. 1.

Novum non est ab hoste feriri: sed cùm præscientiæ clypeo cor non munitur, sauciatur acerbiùs. Illorum quos amicos dicis non verebaris jacula: ac proinde cùm ab eis contemptu percuteris, plùs hoc vulnus dolet quàm hostiles ictus. Vastandam prædicit ore Jeremiæ Dominus Judæam: incolas ejus ait rupium inaccessarum præsidium quærituros, urbesque fore derelictas. Sed post hæc introduxit Judæam more fœminæ cui juvare pulchritudinem suam antè juvat: *tu autem vastata quid facies? cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris stibio oculos tuos, frustra componêris.* Postquam vastatam dixerat, ornandam prænuntiat? si spoliata luget, quomodo permittunt hostes ut splendidè vestiatur, & oculos exornet? Ut extremum dolorem experiatur. Qualenam hoc erit? Contemptus à suis dilectoribus. Textum adi: *frustra componêris; contempserunt te amatores tui:* ecce graviſſimum cruciatum: post ab inimicis acceptam stragem, aliquid restabat majus, amatorum nempe ludibria. Sic improbus ab eis quos fidos reputabat sodales, postquam ex fortunæ arbore, tanquam pomum putrefactum cecidit, proculcatur vituperiis. Exquisita quidem anxietas animi adversa jam sorte vulnerati hæc est.

Jerem. 4. 30.

Amici jacturam credunt omnes maximam optimo jure: quia licet potens multis armatorum copiis muniatur, velut in solitudine positus remanet si amisit sibi charos: D. Auguſtinus: *Solus est qui sine amico est.* Hoc acerbum adeo tormenti genus extat, ut non nisi exemplo suo leviùs ferendum putaverit Christus Dominus: & ideo Judam quem in amicum elegit permisit fieri adversarium. S. Ambrosius: *voluit ab Apostolo suo tradi, ut tu à socio desertus, à socio proditus, moderatè feras tuum erraſſe judicium, periſſe beneficium.* Nihilominus concutitur etiam strenui validum pectus pavore, cùm experitur hujuscemodi malum. Multiplicentur hostes, perpluantque tela, non cadit animo ille qui novit militiam esse vitam hominis super terram, nimisque varium hujus eventum belli. Si autem amicum noverit ad inimicos

8. *Pavebit fortissimus hostem experiri, quem antea numerabat in auxiliis.*

D. Aug. to. 5. l. 6. d. Civit. Dei.

S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6. tom. 3.

transfu

transfugisse, vel fortissimus pavebit adversantem experiri, quem dudum numerabat in auxiliis.

Absalonem sic excæcavit ambitio ut vivente patre coronam percupiverit. Sollicitat sensim popularia corda : tandemque facta conjuratione valida rex publicè proclamatur. Nuntiatum Davidi fuit Achitophelem inter perfidos connumerari : & non mediocrem dolorem insinuavit prorumpens in
2.Reg.15. 31. hæc verba : *infatua quæso Domine consilium Achitophel.* Bone Deus ! erat ne Achitophel exercitus ; an unus homo ? Nonne venerat
Ibi n.13. ante nuntius ad Davidem dicens : *toto corde universus Israël sequitur Absalom* ? & his auditis ad preces non recurrit ? solus Achitophel illi curæ est ? tot hostes non metuit ? hunc solum pertimescit ? qua de causa ? Fuerat ille Davidi ab intimis consiliis ; nunc verò sequebatur partes rebellium : *accersivit*
Ibi n.12. *quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David :* & licet strenuitas Davidis insurgentem adversum se totum Israëlem audiverit impavidè : cùm tamen illum cujus utebatur consilio ad inimicos congregatum nosset, contremiscit, deprecatur, exhorret : hoc illi super cætera doloris motiva cumulavit anxietudinem. Ad illud ; *nuntiatum est autem David quod & Achitophel,* &c. scholiat Cardi.Hugo. *ad cumulum doloris :* quasi fuerit inter cruciatus Davidis tunc temporis hic supremus, scili. quod etiam ille qui olim erat ei à consiliis, nunc transfuga seditiosum adjuvaret hostem. Torquentur cujusque præcordia dum patitur adversos quos pridem numerabat assecias. Nomen impiorum justis equidè semper abominabile fuit. Malis igitur post ruinam putrescit noviter, quibus erat, dum florerent iniqui, satis pulchrum : his inquam execrabile reddetur postea nomen improbi, qui mutuam dilectionem ex similitudine, contraxerat cum eisdem : iis quos amicos habuit, deinceps homo nequam abominabilis erit, ut per hoc det pœnas acerbissimas.

Hugo Cardi. ibi ad n.31.

DELIBATIO II.

Miserrimè laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.

9. *Crimina laudans gravius peccat sæpe quàm exequens.*

NOminis momentaneus fulgor, quo gaudet scelestus non de virtutis alicujus lumine coruscat ; sed ab ipsâ vitiorum flammâ prodit : non quod lucem crimina mittant, nam tenebrosa sunt : sed quia vitiatis hominum judiciis culpa, quæ debuit horrorem injicere, honorem conciliat non vulgarem. De scelerum laude sententiam interpretatur Liranus cujus verba jam dedi suprà n. 2. in expositione litteræ, verbo *nomen.* Sic videmus frequenter abjectissima facinora tanquam strenua facta popularibus encomiis extolli. Quid vindicta vilius ? Vulgò tamen ignominiæ ducitur injuriâ non ulcisci. Quid ambitione turpius ? Et illa transmutato nomine commendatur. Quo titulo putas nuncupari eam ut laudetur ? Dicitur honoris amor. Cæteram percurre vitiorum plebem : plura sub alieni nominis pulchra specie honorari miraberis. Audi S.Prosperum. *Superbus vult se credi constantem, prodigus Liberalē,* S.Prosp.l.3. d.vita contempla.c.1. *avarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, gulosus humanum, ignavus quietum, timidus cautum.* O scelus immane illorum, qui flagitiosis obsecundant : duo eorum collaudant fœditates. Multoties nequiorē judicio delictis adulantem ipso criminis authore : nam hic sibi tantum damna parat ut plurimùm ; palpo sibi aliisque nocet permultis : *delectat enim,* ait Augustinus, *ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator.* Culpæ incendia vento laudationis augens crudelissimus dicendus : nam crimine vulneratum avertit à quærendo remedio : quod equidem sævitia non mediocris est. S. Gregorius Papa. *Cui rei hoc deterius accidit, quod ei mul-* D.Greg.M. l.4. moral. c.25.to.1. *torum similium lingua consentit, cum multi etiā malè gesta laudibus exaggerant. Unde fit ut incessanter crescat culpa favoribus nutrita. Curari autem vulnus negligitur quod dignum præmio laudis videtur.* Dans executioni peccatum nonnunquam fragilitate crimen alleviat ; hujus ægritudinem palpans excusatione caret, execrabilis nequitiæ reus. Meritò divinæ justitiæ flagello quandoque severiùs puniendus perperam facta laudans, quàm committens.

S.Aug.to.8. in Ps.9.

Evangelicus vates prædicturus excidium Jerosolymæ, prius Judæorum noxas enumerat, quibus gladium cælestis exacuêre vindictæ. Pœnam justissimè decretam in duo dividit capita. Primò populi Principum acerbam punitionem Propheta minitatur, inquiens : *sicut devorat stipulam lingua* Isai.5.24. *ignis, & calor flammæ exurit ; sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet.* Deinde populo terrorem incutit ventura prænuntians. *Ideo* Ibi n.25. *iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum :* ubi Liranus : *hic consequenter* Liran. ibi. *Propheta comminatur pœnam populi separatim.* Exinde licet inferre priora verba proceres Israëlis animadvertere. Vide quàm sæveriori coërcendos affirmet istos judicio : quámque mitiùs de plebis flagellatione loquatur : Principes igne devorandos ; populum divina manu percutiendum lego. Et quare benigniùs corripitur populus ; Principes verò puniuntur asperrimè ? numquid non & plebs graviter peccaverat ? Maximè ; sed Magnates ultra peccata sua insuper addebant quòd alienum scelus laudabant impudenter : *væ qui* Ibi n.20. *dicitis malum bonum,* legis ibidem apud Isaiam : commentatur Lira : *cultum idolorum* Liran. ibi. *dicebant esse bonum, quia in illis dabantur aliquando responsa hominibus de agibilibus, & & tanquam esset ibi aliquid numinis habens providentiam de actibus humanis, & hoc est quod dicitur ; væ qui dicitis malum, &c.* Igitur vitium honorantes devastandi velut ignis furore ; cæteri verò manu Conditoris feriendi

riendi perhibentur. Benigniùs aliquando vapulare meretur criminum cultor; & horribiliùs punitur eorum adulator. Labi quidem humanum est, lapsum autem approbare diabolicum: audi quid soleat diabolus: *hostis enim nostri*, scribit Gregorius M. *malitia tanta se arte palliat, ut plerumque ante*
D.Greg.M. l.32. moral. c.17. tom.1. *deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat: ut inde quisque quasi expectet præmia, unde dignus est æterna invenire tormenta.* Opera patris imitantur iniqui laudantes vitia, quos dixerim ipso malo parente pejores: dæmon quippe, si quando flagitium laudat ut suadeat, post factum peccati malitiam exaggerat ut spem veniæ præscindat; assentator verò priusquam delictum committatur, aures peccaturi demulcet sciens in quamnam foveam ille propendeat: & commissum crimen tanquam egregiè gestum proclamat, utroque tempore placere studens.

10. *Eligit adulator in potente laudandum crimen potiùs quàm virtutem.*

Nec existimes ea de causa sic adulatorem insanire, quod non nisi hac via possit ejus, cui adulatur, gratiam venari. Putabas ideo illum honore prosequi solere potentis iniquitates, quia cum adulationis idolum nulla virtute gaudeat, palpo ne tacere cogatur, scelera commendat. Nequaquam sic existimes: nam licet pluribus exornetur virtutibus is cui blanditur assentator, si tamen simul peccatorum labibus inquinetur, adulans non virtutem laudabit, sed vitia. Veluti canes dum ad corpus morbidum accedunt, plagas tantummodò lambunt; non autem quod sanum reliquum est: sic assentationi servientes, qui canibus sunt similes juxta doctrinam Gregorij M. qui de Lazaro lo-
D. Greg. M. hom. 40. in Evang. to. 2. quens ait: *Potest etiam per lingionem canum lata adulantium lingua signari. Adulantibus etenim vulnera nostra lingere est, quod plerumque solent etiam ipsa mala quæ nos in nobis reprehendimus, improbo favore laudare.* Imo etsi utcumque misceantur in eadem causa peccatum & virtus, adulator de virtute filet; ac de crimine laudat.

Assuerus magnificentiæ plausum conciliare cupiens, proceres regni, deindeque populum civitatis Susan convivio excepit, spatio dierum prolixo. Tandem, cum gula nimiam regi propinasset lætitiam, Vasthi reginam vocari jussit diademate redimitam, ut illius pulchritudinem convivis palam face-
Esth.1.12. ret. *Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.* Contemptus erga virum imo regem, gravem innuit Vasthi culpam, ob quam non levi
Lira ibi. sententiæ subjacebat: *ista translatio, inquit Lira, notat reginam de contemptu; quæ est gravis culpa.* Tunc Rex iracundiâ exarsit, suique despectum punire decrevit. Mox iniens cùm sapientibus consilium interrogavit eos quánam pœna digna foret inobedientia Vasthi. Mamuchan ex septem consiliariis unus duplex proposuit reginæ crimen, scili. regis offensam, & exemplum cæteris uxoribus pernicioſum. Ex his vide
Ibi n. 18. quid ille tandem concludat: *unde regis*, ait, *justa est indignatio.* Fateor æquam in Assuero fuisse voluntatem puniendi reginam; indignatio tamen ejusdem quomodo valet dici justa, cùm veritatis amator spiritus Sanctus eam vocaverit nimiam? ait namque textus: *unde iratus rex & nimio furore succensus.* Sapientum nullus extulit Assueri rectitudinem in puniendo crimine haud amore corruptam: non dixit Mamuchan: justa regis est voluntas afficiendi supplicio Vasthi; sed inquit: *regis justa est indignatio.* Furoris nimietas damnabilis extitit; judicij verò censura commendatione digna. Quid faceret Monarchæ blandiens aulicus? commutato, seu potiùs posthabito, rationis dictamine, laudandum reticet, execrandum laudat: *justa est indignatio.* Sæculi magnatibus blanda loquentes Pierius corvis assimilat. Quâ ratione hyeroglificum ille concinnet omitto, ut nostræ valeam aptare thesi. Corvus agrorum incola, quamvis cuncta libero pede pulser, non floris amænam venustatem, segetisve auream pulchritudinem quærit; cuncta præterit; ad morticina volat. Palpo criminum reliqua non curat; illique solus delictorum fœtor placet, & ex repetitis encomiis iniquitatum, famigeratio paritur de scelere nata. Igitur maneat experientiâ teste, impios non nisi delictis parare sibi nomen.

Ibid. n 18. Pieri. l. 52. hyeroglif.

11. *Quod criminis occasio sit, pœna locum obtinet, quâvis dono accipiatur.*

Nihilominus crede sceleſtos ipsa hominum laude puniri. Ne veritatem arctemus, hoc non de solo sæculi plausu dicam; sed universis mundi fœlicitatibus commune perpendam: nempe sub vano sortis vocabulo supplicia tegere. Sceptro sublimis ille superbit: divitiis exornatus exultat iste: O miseros! Delictorum semitam carpentibus flagellum est eadem fortunæ largitas. Nam sicut imbre multo lascivit planta, sic prosperitatis ubertas elationis materiam subministrat fœlici. Non alio meliùs argumento convinces terrenam prosperitatem vera bona minimè continere, quàm ex eo quòd illorum occasione labamur in delicta. Ad priora verba psal. 1. S. Ambrosius. *Vide*
S. Ambr. to. 2. in ps. 1. *ubi beatus appelleris, ô homo: non in divitiis, non in potestatibus & honoribus, non in nobilitate generis, aut decore & pulchritudine, non in corporis salubritate: in quibus nihil naturæ est bonum. Denique non solum facilem commutationem habet in contraria, verum etiam ministerium ad culpam exhibent ei qui uti his nesciat.* Quasi diceret S. Doctor quomodo quæ fert vita mortalis, dicenda sunt bona, si peccati fomitem offerunt? Quod criminis occasio fit, pœnæ locum obtinet, quamvis dono accipi soleat.

Mysteriis gravida recolamus Ezechielis verba Dei nomine loquentis de Nabuchodonosor Chaldæorum rege. Debellaverat ipse Tyrum opulentiâ celebrem, aquarum gurgitibus circumvallatam ac nobilitate inclytam: æquum namque fuerat permissu Dei corruere gladio ejusdem tyranni, qui vastaverat Judæam: hanc quippe Tyrus desertam irriserat. Ait ergo Dominus ad vatem. *Na-* Ezechi. 29. 18. 19.
buchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum .... Propterea hæc dicit Dominus Deus: ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem ejus &c. Nunquid Nabuchodonosor Divinæ offensæ vindicandæ zelo ductus Tyrum

rum devaſtare propoſuit ? Nequaquam : ait
A Lapi. ibi. n. 18. ait enim Cornelius à Lapi. ibi: *verius videtur quòd Nabuchodonoſor inſcius materialiter tantùm ſervierit providentiæ, & juſtæ vindictæ in vaſtandâ Tyro. Formaliter verò & ex intentione obſecutus ſit ſuæ ſuperbiæ, & ambitioni regnandi.* Superbiæ & ambitioni libens obſequitur barbaros cùm Tyrios profligat, nec punitur ? Merces dicitur ; ſed pœna fuit, poſſeſſio Ægypti danda Nabuchodonoſori : nam juxta Scripturæ phraſim ſæpiùs rerum nomina tranſmutantur conformiter ad humanum loquendi morem : ita ut ſic nominentur, quia ſic vocari ſolent ; licet aliter forent appellandæ, ſpectatâ illarum ſubſtantiâ. De ſæculi ſtylo victoria belli vocitatur merces ; ideo Dominus in mercedem aſſignavit Babylonico regi palmam reportatam ex injuſto prælio. Illa tamen in ſupplicium data eſt, quia peccaminoſa fuit, cùm nullo jure ambitioſus diripuerit Ægypti ſpolia. Supplicium dixi victoriam iniquam, & miraris ? Nullum certè durius quàm peccati permiſſio ; licet raris hoc notum ſit : *à paucis*, ait Auguſtinus, *eruditis major ejus ira intelligitur vana & ſeductoria fœlicitas impiorum.* Hæc ſeducens malos præcipitat in ſuperbiam, & quia nocet, vera punitio eſt. Deus Nabuchodonoſori depopulandam tradidit Ægyptum ſciens eum de parta victoria extollendum in ſuperbiam : *debellata*, inquit Cornelius, *Ægypto factus eſt monarcha, indeque anno 2. puta anno regni ſui 37. qui fuit annus 3379. vidit ſtatuam illam quadrifidam, de qua c. 2. ac mox eodem anno ob monarchiam adeptam ſuperb a intumeſcens vidit ſomnium hujus capitis.* Catenatam rerum ſeriem expende. Regno projectus eſt Nabuchodonoſor feriſque addictus propter ſuperbiæ Faſtum, quem ex Ægypti debellatione concepit. Cur non dicemus eum fuiſſe punitum permiſſione triumphi hujus in vindictam ambitionis, quam exercuit in clade Tyria ? Fortuna hæc erat callis ad præcipitium ducens : & non dubitabis quod via ſupplicij quantumvis amœna floreat, tamen reo aſperrima eſt. Si ad carcerem duceretur delinquens per virentia, foret quidem inſanus ille, ſi de via gauderet, quâ pergeret ad vincula. Non aliter accidit ei qui per gehennæ viam iniquitatum catenis onuſtus voluptate cæca trahitur. Hinc & inde prata rident fœni floribus picturata. Reus verò, ſi de his lætitiam capiat, irridendus. Gregorium M. amplius tibi debere nolo. *Qui honoratur in via, in perventione damnabitur. Et quaſi per amœna prata ad carcerem pervenit ; qui per præſentis vitæ proſpera ad interitum tendit.* Quaſi dicat moraliſſimus Doctor : impius diſolvere negligit vincula quibus compeditur : nam flores humanæ gloriæ, quibus perditionis via exornatur, oculos & animum ejus rapiunt : ita ut illorum pulchritudine captus, vepribus implicetur ſponte. Ad carcerem ducitur, & itineris amœnitate ſenſus paſcit : amens complacet in via, cum hac is circumducatur, non favore, ſed in criminis pœnam. Ne in dubium revoces cur improborum catervam

S. Aug. to. 8. in pſ. 89.

A Lapi ad c. 4. Dani. n. 2.

D. Greg. M. l. 6. mora. c. 4. tom. 1.

per floridos honoris calles incedere ſinat Supremi Gubernatoris providentia : eunt ad ſupplicium per prata ; ſuſurrat interim plebis inter folia murmur honorificum: hoc malis gratum equidem ; pœna tamen eſt, quia propter illud numquam reſipientes à tramite malo declinant.

12. *Ficta virtutis laude clarus, ſi fraus detegatur, infamabitur.*

Uſque nunc de laude malorum citra hypocriſim. Modò nonnihil addam in execrationem ſimulatæ virtutis. Ad litteram putredo iſta de qua in dogmate quod expendimus agit Salomon, infamiam ſignificat. Rodolphus exponit ibi verba textus ita : *quaſi dicat fieri poteſt ut improbus dum ſcelus occultat, juſti & probi viri aliquandiu fama nominis fruatur : ſed ut flos emarceſcit paulatim, & ut caro putreſcit quæ ſale non conditur, ſic fama quæ ſine fructu virtutis aut Divinæ ſapientiæ ſale ventilatur.* Aptiſſimè fœtoris nomine exprimitur infamia. Sic legimus apud Iſaiam : *& erit pro ſuavi odore fœtor :* exponit Lira : *& erit pro ſuavi odore ſcili. famæ præcedentis, fœtor, ſcili. infamiæ.* Similiter hîc appellatione putredinis infamia venit. Illud minimè prætereundum eſt, quòd ſicut putrefactum nulla deinceps arte ſanitati reſtituetur : ita malorum nomen, detectâ fraude jugiter permanebit infame. *Simulatores bonorum, quandiu non cognoſcuntur laudabiles ſunt : cùm autem cogniti fuerint, abominabiles ſunt.* Hæc author operis imperfecti. Forſan ſi cunctis antea pateret iniquitas eorum, non æterno ſubjacerent opprobrio : bonis, fateor, execrandi forent ; ſed facilè temporis beneficio, quod oblivione ſepelit majora, tandem illorum infamia ceſſaret. At, cum priùs hominum laudationem ſurripuerint, aperto poſtea dolo, ſic adverſus eos communis exardeſcit ira, ut illorum dedecus nullo deleatur oblivio.

Rodolph. hîc.

Iſai. 3. 24.

Lira ibi.

Imperfect. ho. 45. in Matth.

Jeremias filiorum Iſraël calamitatum vaticinia dabat, & lamenta miſcebat. Pſeudoprophetis populi ſeductoribus minatus eſt in ſermone Domini, dicens Dei nomine : *Et dabo vos in opprobrium ſempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur.* Ad Sedeciam verò, civeſque Jeruſalem Dominus ait ejuſdem vatis ore : *& dabo eos in vexationem, afflictionemque omnibus regnis terræ ; in opprobrium* &c. Cur non addidit, ſempiternum ? Pſeudoprophetas perpetuò duratura manet ignominia? reliqui dabuntur in opprobrium ad tempus? Et meritò : nam illi rerum Divinarum arcana mentientes, præ ſe ferebant ſpecimen ſanctitatis : à populo, nec non à Principibus, honorabantur, utpotè qui Dei nomine reſponſa dabant. Imo de illis dicitur apud Jeremiam : *ſeduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis* : Jeroſolimorum clades ipſorum fictiones detexit : aſtuſque memoria probrum illis peperit nulla temporum edacitate abolendum. Cæteri civitatis incolæ nequam temporanea multati ſunt famæ labe : nam hæc maculam delictorum ſupponebat : Pſeudoprophetarum verò nomen, quod mentitus honeſtabat virtutis fucus, inſanabiliter computruit. Sic univerſæ malorum turbæ Salomon prædi-

Jerem. 23. 40.

Ibi c. 24. 9.

Ibi c. 23. 32.

xerat : *nomen impiorum putreſcet.*

13. *Fama bona mendax fortè bene merito nocebit.* Tacit. in vita Agric.

Hoc adeo nimis verum eſt, ut etiam benè merito nociva ſit exiſtimatio bona ſi falſitate nititur. Neque Tacitus hoc tacuit, ait namque : *nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala.* Fortè politices Magiſter accipiendus eſt de fama, quæ dicatur ideo magna quia ſuperexcedit meriti menſuram. Prodeſt veritas ; nocebit mendacium.

Diſſimilis patri Sauli Jonathas Davidem amabat, quem odio pluſquam novercali proſequebatur genitor. Hic adeo furebat ut flammas pectore conceptas vix continere valens, eas coram aulicis evomeret ore maligno, præcipiens illis ut David afficerent morte, quin cauſam aliquam prætenderet, quia ſatis patebat ea, quæ viſcera lancinabat ipſius invidia. Novit mandatum hoc Jonathas, & eâ ductus amicitiâ, quam profeſſus erat, Davidi periculum indicavit ſuum : illumque hortatus eſt ut lateret dum ipſe parentem alloqueretur, ut ejus cor, ſi fieri poſſet, flectens à malo diverteret : ac promiſit revelaturum ei quemnam res exitum ſortiretur. Accedens itaque Jonathas ad patrem, honorificè, pieque de Davide locutus

19. Reg. 19. 4. 5. eſt, dicens : *ne pecces rex in ſervum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona ſunt tibi valdè. Et poſuit animam ſuam in manu ſua, & percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraëli* &c. Placatus eſt voce Jonathæ rex invidus : revocatur David ad regium conſpectum ; ſed non longo tempore tranſacto, lanceâ percutere nixus eſt lividus inſontem. Declinavit iram David. Et poſtquam à Jonatha monitus ut fugæ præſidium quæreret, ad ſacerdotem Achimelech divertens, gladium & ſacros panes accepit ab eo : tandem ad Philiſthæos commeare decrevit ;

1. Reg. 21. 11. *Et venit ad Achis regem Geth : dixeruntque ſervi Achis ad eum cum vidiſſent David : nunquid non iſte eſt David rex terræ ? nonne huic cantabant per choros, dicentes : Percuſſit Saul mille, & David decem millia ?* Examinentur velim Philiſthinorum verba, ſimul cum Jonathæ dictis ad Saulem. Illi melius de inviſo Davide verba feciſſe videntur quàm Jonathas ei addictiſſimus ? Integra plebis retulerunt præconia : recoluerunt, inquam, verba quibus vulgus in die celebris duelli victorem Davidem conclamavit decem millium. Princeps non ita factus eſt : non millium ſed gigantis interfectorem dixit : *percuſſit Philiſthæum* : quid hoc ? inimici Davidis honorificentiùs, quàm intimus, valdeque fidus amicus, loquuntur de ipſo ? Quin potiùs Jonathas non voces populi adduxit in patris memoriam quia ſic amicitia ſuaſit. Iſta jubet dilecti præcavere damna, de quibus arcendis hoſtes non curabant. Hi falſum memorati ſunt, quòd nempe decem necaverit millia, cùm vere ſolum Goliath in ſingulari certamine percuſſerit Jeſſeus pugnator. Hoc tantùm protulit Jonathas quod verum habebat : ne mendax fama veluti ventus ignem odij ſufflaret in Saule. Proderit Heroi famigerato veritas ; quod à vero diſcrepat nocebit fortaſſis. Unde *memoria juſti cum laudibus* veris concelebretur ; nam falſum *nomen impiorum putreſcet* : ac offendet infamia fœtore ipſos etiam quos injuſte per brevem temporis moram honeſtat.

DELIBATIO III.

Quomodo ſit à nobis memoria celebranda juſti cùm laudibus.

14. *Plus ſanctis placent noſtræ dilectionis ſigna quàm gaudium de honore illis exhibito.*

CÆlites per totum anni decurſum ſacratis eorum triumpho diebus, colimus. Aſt vereor ne vanitas clam ſurripiat quas offerimus horas fruentibus æternitate. Malo cupiens huic mederi, textuſque noſtri lucem iterum ſectatus, inquiro, cur juſtorum laudes non eorum annectuntur meritis hoc loco ; ſed recordationi laudantium ? Memoria juſti cùm laudibus. Eorum vitæ ; non autem cæterorum memoriæ videbantur conjungenda encomia : nam longè plus laudati mores, quam laudantis voces perſonant : etenim ut Philo Hebræus dixit, *laudabilis laudato eſt melior, & vituperabilis vituperato deterior.* Dicendum videbatur : vita juſti cum laudibus. Non ſic effatur in præſenti Salomon : quia juſti pugna quem peregit in terris, militat equidem ejus honori : at vero memoria de ipſis habita non tantum utcumque decus illorum eſt, ſed amori noſtro ſociatur, quem illi præferunt honori ſuo diviſo à dilectione noſtra. *Honorandi ſunt ergo martyres propter imitationem, non adorandi propter religionem : honorandi charitate, non ſervitute.* Sic D. Iſidorus Hiſp. cujus ultima verba tene. Servili more juſtos honorat qui non amat ; ſed colens tantum illis gaudium affert honorificum. Iſtud quidem ſanctis placet ; multò autem magis arrident affectus noſtri ſigna, quem recordatione teſtamur.

Philo Hebræ l. d. migrat. Abrah. to. 1.

S. Iſid. Hiſp. l. 1. de offic. Eccli. c. 34. fine.

Paulus ad Timotheum ſcribebat ita : *nocte ac die deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio implear recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te.* Ex duplici fine deſiderium Apoſtoli ferebatur in conſpectum Timothei. Prior extitit memoria lachrymarum, quas ille fuderat in diſceſſu magiſtri. Sic D. Thomas exponit ibi : *lachrymarum*, ait S. Doctor, *quas ſcili. Timotheus effudit quando diſceſſit Epheſum ab eo paratus ad martyrium.* Poſterius verò motivum fuit gaudium, quod ex viſu diſcipuli Paulus concepturus erat : quem finem à priori disjungo ex commentario Cornelij à Lapid. ad hunc locum dicentis : *fletus tuus mihi triſtitiam attulit, quâ relevabor, & gaudio implebor, ſi te videam, teque fruar.* Sed attende quòd Apoſtolus primum lachrymis diſtribuit locum (*memor lachrymarum tuarum*) : poſtea verò de gaudio locutus eſt : *ut gaudio implear.* Unde videtur inſinuare Magiſter gentium ſe lachrymas pluris facere Timothei, quàm propriam lætitiam. Non dubites, cùm noſcas ſanctis complacere planctum, pluſquam peritura gaudia recta. (quomodo placita illis erit reprehenſibilis

2. Timot. 1. 4.

D. Thom. ibi lect. 2.

Corn. à Lapid. ibid.

hilaritas

hilaritas eorum qui festa dicant eis imprudenter adeo, ut gula, tripudiis, & sæculari cantu celebrent eum, qui coronam promeruit in cœlis per jejunium, modestiam, & luctum?) Potiùs investiga cur Paulus discipuli præferat lachrymas exultationi propriæ, ut illas potiùs eum trahere significet ad votum invisendi Timotheum, & non fortiùs ad hoc ipsum allici lætitia sibi futura de conspectu chariſſimi. Dicam quod offert subjecta materia facie prima. Gaudium illud ex præsentia capiendum honor erat Pauli: tum quia gaudium ex bene moratis discipulis magistrum coronat ex illo
Philipp. 4. 1. ejusdem Apostoli: *fratres mei chariſſimi & desideratiſsimi, gaudium meum, & corona mea:* tum etiam quia Timotheus cùm post hæc Paulum videret, non poterat non eum colere prout magistrũ dicebat. Decus utrumque istud Apostolus postponebat lachrymis, quibus discipulus dilectionem præceptoris testatus est. Favet Angelicus Doctor
D. Thom. supr. suprà: *cùm dicit, memor, ostendit bona quæ erant in Timotheo. Et primò commemorat affectum ejus ad se.* Amorem, quem sanctis impendimus (quia multum per eum elucramur) ipsis potissimum arridet. Cúmque memoria sit affectus filia, huic præcipuè justi laudes appropriavit Paræmiastes, dicens: *memoria justi cum laudibus.*

15. *Præcellit gloria fulgens inter contraria.*

Adhuc tamen hæreo in hac voce, *memoria:* nam si laudes hanc comitantur, vel ad illas memoria nihilum conducit, vel suos egreditur fines, cùm post consummationem justum extollimus: nec enim laudandus est priusquàm exitus acta probet, juxta divini
Eccli. 11. 30. Spiritus monitum: *ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Memoria extenditur ad sola præterita: de præsentibus non curat. Ergo ne in laudatione justi prætermittitur ejus corona quæ de præsenti fulget in eorum temporibus ultra tempora permanens? Potissimùm Sanctorum præconium videtur esse quod super æthera soliis considerant præfulgidis, immortalitatisque veste pulchra decorati Supremo Regi adstent aulici fideliſsimi. Hæc omittemus eorum encomia quia justum efferre incumbit memoriæ, quæ non de præsentibus agit; sed tantum præterita meditatur? Siste gradum: ne circa cælestia decipiaris. Non justorum summa laus est illa gloria quâ nunc potiuntur in cælesti curia, sed ea quæ præteriit, & cujus memoramur: scili. quâ potiti sunt cùm vincerent hostem in orbis acie. Præmij splendor cedit meritorum radiis: horum namque lux renitentibus contrariis coruscabat; diadematis verò fulgor absque ulla oppositione radiat. *Absque*
Chrysost. orat. d. Purific. apud Lipom. tom. 1. de Vitis SS. *contradictione non est integra victoria.* Unde, verbis utar sancti Præsulis Valentini: *quamvis ex hac nostra laude modicum eis accrescat*
S. Thom. à Villano. ser. d. Sanc. Ægid. *ad illam ineffabilem gloriam quam in cœlis possident, volunt tamen in publico esse præclara illa opera quæ viventes gesserunt.* Meritò quidem plurimi faciunt pugnatores illustrissimi decus istud quod inter oppositiones adversarias perstitit illæsum. Etiam ipse Deus cùm sciret sibi nihil resistere valere, texit carne divinitatis lucem, ut resistentias permittens, & inter adversantia fulgens, gauderet se contraria deviciſse: quasi minus esset absque impugnante prævalere.

Annuntiavit Gabriel Mariæ purissimæ, cùm apud eam divina legatione fungeretur quòd solium David obtenturus foret Unigenitus ipsius. *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Quid plus habuit majestatis Davidica sedes, quàm Salomonica? quare non de hâc mentio fit; sed potiùs de illa? Quinimò de Salomone scribitur divina promissio sic: *& hæc, quæ non postulasti dedi tibi, divitias scili. & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus.* Igitur Salomonem constat & parentem Davidem excessisse. Eccur non Salomonis thronò coæquatur regnum Christi qui plusquam Salomon? Dubium solvo Ecclesiastici verba mihi sumens: *Salomon impe-* Eccli. 47. 13. *ravit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes*; David autem crebro passus est adversarios, ut est notissimum. Non Salomonis regnum, sed thronum Davidis Christo Domino dandum Empyreus Paranimphus denuntiet, ut ejus excellentiam prædicet inter inimicas phalanges, venenatáque tela coruscantem. *Et quomodò dicitur sedere* Theophylact. in 1. Luc. *super sedem David audi. David parvus erat inter fratres suos: & Dominus quoque contemptus & taxatus ut edax & vini potor, & fabri filius, & à fratribus suis filiis Joseph despiciebatur.* Verba sunt Theophylacti ad eum locum. Ecce Davidis & Christi Domini similitudinem in regnando, patuit uterque jaculis, & nihilominus ejus regnum emicuit inter hostes. Ad imitationem Filii Dei magnificiunt cælites eum fulgorem quem exhibuerunt ipsorum arma cum ad Solis divini radios lucem præbentes, in vitæ prælio fortiter dimicarent. Hujusce triumphi dum fit recordatio, pulcherrimè rutilat *memoria justi cum laudibus.*

16. *Deum plus movet Sanctorum decus quàm proprium.*

Cum laudibus, inquit Salomon: & extra dubium est quod loquatur de laudibus ipsius justi. Sed potius videatur dicturus: memoria justi cum laudibus Dei: nam ut Ecclesia mater perorat, de illius munere venit ut sibi à fidelibus suis dignè ac laudabiliter serviatur. Igitur Domino tribuantur encomia, cujus dona vere sunt & ipsæ virtutes. Debetur utique, fateor Deo laudatio. Sed ipse patitur aliquando ut sileant interim laudes ipsius, personentque in ore cunctorum præconia justi: Deum namque plus movet Sanctorum honor, quàm decus proprium.

Interrogavit olim discipulos suos divinus Magister quinam apud eos ipse diceretur. Responsum exhibuit Petrus dicens: *tu es* Matth. 16. *Christus Filius Dei vivi:* neque tamen ite- 16. rum Petrum scisitatur de hac re Dominus: nec alium discipulorum neminem rogavit quid de Magistro suo sentiret. Multò aliter se gessit erga Simonem Redemptor, cùm licet omnia sciens, amorem tamen Apostoli vocavit ad examen. Ter super hoc quæstionem proposuit: *dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me?* Magister optime sicut absque Joan. 21. 17. dilectione divina, cætera mortua sunt, ita sine fide impossibile est placere tibi. De charitate Petrum toties inquiris? de fide verò semel totum collegium tuum? insuper &

post

poſt Simonis reſponſum non urges coapoſtolos ut ore proprio divinitatem tuam profiteantur ibidem? Non tam ſollicitus erat de ſuo decore Dei Filius, ut ſingulatim ab Apoſtolis exigeret ſuæ Deitatis confeſſionem: ſufficiet quod ſemel pro toto cœtu Apoſtolorum Petrus illam fateatur. *Petrus unus pro multis dedit reſponſum*, ait Auguſtinus. At verò cum de amore Petri ſermo erat, non unam, ſed triplicem interrogationem adhibuit, quia curæ plus erat Chriſto Domino Petri decus, de quo tunc agebatur: nam ut lapſum negationibus amorem ſuum ille apud condiſcipulos liberaret à nota, quam incurrerat, amorem ſuum teſtari monitus eſt. Non recedam ab Auguſtino. *Ter*, ait ille, *negaverat timor, ter confeſſus eſt amor. Trinitas negationis deſertio veritatis: Trinitas confeſſionis teſtimonium dilectionis.* Vel Apoſtoli jam noverant Petri negationes, vel ſaltem periculum erat ut Petri dolor, aliuſve teſtis, earum notitiam præberet: hîc ergo ubi juſti conſulendum erat exiſtimationi, non ſemel, non iterum, ſed tertiò de illa curat. Plus de juſtorum, quàm de ſuo, ſatagit honore Deus.

D. Aug. ſer. 13. d. verbis Domin. tom. 10.

Idem ſer. 24. de Sanctis, to. 10.

17. *Sanctorum præconia panegyris Dei.*

Vel dicamus, Dominum ſponte pati quòd juſtis laus dicetur, & aliquantum circa Dei laudationem taceatur, quia verè ſanctorum præconia, panegyris Dei ſunt: quaſi qui Sanctos extollit, non aliquid à Deo diverſum laudaret, ſed quos idem cum Deo reddidiſſet amor. Solet affectus humanus quærere ſimilitudinem; dilectio verò Deum inter & hominem, ſimiles invenit & facit: ſic tamen ut in unitatem arctetur unio. Patronum habeo Bernardum. *Talis conformitas*, inquit, *maritat animam verbo, cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominus ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt.* Et infrà: *verè ſpiritualis ſanctique connubij contractus eſt iſte. Parum dixi contractus, complexus eſt. Complexus planè, ubi idem velle, & nolle idem, unum facit ſpiritum de duobus.* Hinc fit ut amicus arctiſſima ſimilitudine Deo junctus ita magnifiat ab ipſo, ut honor huic oblatus reputetur à Deo velut atque ſibimet offerretur.

S. Bern. ſer. 83. in Cant.

Miſerunt ab Jeroſolymis Judæi ad Joannem legatos, & ſub quærendæ veritatis colore Joanni deferebant Meſſiæ dignitatem adulatorio aſtu quærentes an forſan expectatus eſſet ille. Sed adhuc ampliùs ſubdolam contexêre malitiam: nam ſimpliciter interrogari fecerunt ab internuntiis quiſnam eſſet ipſe: *tu quis es?* & illi addiderunt poſt pauca: *quid dicis de te ipſo?* ad quem locum alludens Chryſoſtomus ad priora verba, dixit: *mittunt ad eum legationem, ut per adulationem ipſum alliciant, ad confitendum ſe eſſe Chriſtum.* De legatione iſta locutus eſt Salvator ad Judæos, dicens: *Vos miſiſtis ad Joannem, & teſtimonium perhibuit veritati*; non tamen eos reprehendit quod Baptiſtam voluerint habere loco Meſſiæ. Apud eundem ſacrum hiſtoriographum lego Dominum Judæos anticipatè increpaviſſe de peccato quod ipſorum poſteri exequentur colentes Antichriſtum. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis:* exponit Doctor Angelicus: *ſignum de futuro ſumitur ex adventu Antichriſti.* Quod autem illa fuerint verba increpationis, colligitur ex immediatè ſubſequentibus: *quomodo vos poteſtis credere qui gloriam ab invicem accipitis*, &c. Tam Joanni, quàm alteri offerre divinos honores crimen eſt. Meſſiæ titulus divinitati annectitur: ergo & peccavere qui Præcurſorem velut Meſſiam colere cupierunt, & delinquent illi qui Antichriſtum adorabunt poſtea. Hoc ſecundum ſcelus adhuc commiſſum non eſt, & jam reprehenditur à Chriſto Domino tam præproperè? illud verò quod jam fecerant Judæi legationem prædictam mittentes non increpatur? Diſſimulat Servator cultum Deo tantùm debitum oblatum tacitè Joanni: quia cùm Sponſi amicus eſſet, ſanctitateque conſpicuus, tanquam alter Chriſtus exiſtimari poſſet, vel quaſi non alius. Unde nonnulla excuſatione delictum Iudæorum alleviabatur, ita ut Filij Dei reprehenſionem evaſerint.

D. Thom. bi.

Joan. 5. 44.

Joan. 1. 20. 22.

Chryſoſ. ho. 15. in Joan. tom. 5.

Joan. 5. 33.

Ibi n. 43.

18. *Qui juſtum non imitatur, non amat.*

Hinc intelligi valet quanti ſoleat æſtimare humaniſſimus affectus Dei, quos dicamus cælitibus honores: cùm de Sanctis dixerit Damaſcenus: *verè ſunt dij, non naturâ, ſed quòd illius qui naturâ Deus eſt participes ſunt.* Unde Lector amice aſcende ſuperius: lentiùs animo voluta quantifaciet Supremus remunerator cultum quem Sanctos imitando conſecras iiſdem. Etiam illorum veſtigia ſequens veneraris eos: imò tunc veraciùs. *Nos igitur*, ait S. Laurentius Juſt. *chariſmi illos imitari non pigeat triumphos, quos celebrare delectat. Tunc enim veraciter ſanctos colimus cum eorum vitam converſando imitamur.* Cum vides hominem magna propenſione affectum erga quendam ex beatis, credis vera dilectione proſequi eum cui dedicat honores. Perſæpe falleris: decipitur & ipſe putans verè diligere quem non imitatur: *verum eſt enim vetus illud verbum*, inquit Plato, *rectè atque aptè dictum: ſimilitudinem amoris authorem eſſe.* Vix fieri poteſt ut homo non execretur in ſe malum cujus oppoſitâ virtute movetur ut juſtos diligat. Audi quid confeſſus ſit de ſe Auguſtinus. *Tunc verò quantò ardentiùs amabam illos de quibus audiebam, quod ſe totos tibi ſanandos dederant, tantò execrabiliùs me comparatum eis oderam*, &c. Deeſſe credendus eſt amor, quem juſto debueras (imò illum abominari videris) cum ejus veſtigia non ſequaris.

Dicam. Damaſc. Orat. 3. d. imaginibus.

S. Laur. Juſt. ſer. d. omnibus ſanct.

Plat. l. 6. d. legibus.

D. Aug. l. 6. conf. c. 7. tom. 1.

Paulus de Galatis queritur quod ipſum oderint. Sic intelligi poteſt illud Apoſtoli: *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis?* ait enim ibi D. Thomas: *poteſt intelligi inimicus paſſivè, ſcili. quod ipſe habeatur odio ab eis.* Et vel interrogatio illa vim affirmationis habeat, vel tantùm ſignificet dubium, neſcio quo fundamento motus ita loquatur Apoſtolus. An ſignum aliquod ediderant odij adverſus eum Galatæ quidquam inferentes damni? Paulo ante dixerat ipſe: *nihil me læſiſtis.* Ne diutius hæreas, lege ibidem: *eſtote ſicut ego.* Non igitur imitabantur Paulum, & ideo amore illius carebant adeo ut ejus hoſtes videri poſſent, vel ſaltem hoc in dubium revocari valeret:

Galat. 4. 16.

S. Thom. ibi lect. 4.

Ibi n. 13.

Ibi n. 12.

valeret : *ergo inimicus* &c ? Qui non ſequitur juſtum , inſequitur : qui non moribus eum refert ; non diligit. Si amore afficimur erga cæleſtes incolas , quorum ſolemnia celebramus , & protectionem experimur , eorum veſtigia premere conemur pro viribus , & erit nobis charitate vigens *memoria juſti cum laudibus.*

DELIBATIO IV.

Laudantur emortui ; melius tamen eſt meriti præconium : ſtrepitum evita , donaque mundi furtiva ; & præſertim crimen vel unicum.

19. *Mortuum plures collaudant : vix unus viventem.* Pſ.111. 7. Eccli.38.24.

Memoria. Cum memoriæ nomen defunctis accommodetur : *in memoria æterna erit juſtus* &c. *requieſcere fac memoriam ejus* &c. ideo litteraliter probabilius judicavi de juſto mortuo hîc ſermonem inſtitui. Quo præjacto fundamento animadverti quàm difficile ſit multis laudare viventem. Demortuum encomiis afficere quidem facillimum. Hujus rei cauſam citò invenirem , ſi omnes exureret invidia quæ non ſolet poſt funus fœlicis perdurare : eſt enim livor ignis , & cineres à flamma ſunt immunes. Hinc illud S.Zenonis incerti, qui de invido loquens ait : *in omnibus inimicum ſe præſentium ſervat, amicum verò pereuntium.* At cùm non omnes livore tabeſcant , aliunde cauſa quærenda eſt. Occurrit iſta. Poſſeſſio rerum æſtimationem imminuere ſolet ; abſentia verò rei deperditæ illam mirum in modum commendat. Cúmque vivis potiamur , & mortuos perdidiſſe putemus : idcirco plures mortuum collaudant ſponte ; de illo dum viveret laudem vix unus proferret interrogatus.

S. Zeno vel S. Baſil. ſer. d. livore & invidia.

Noverat optimè Petrus Magiſtri Divinitatem ; valdè parum de illa ſciebat. Centurio qui Redemptoris adſtitit crucifixioni. Hic nequaquam erat ex amicorum ſodalitio ; Apoſtolus vero maximè. Uterque Deitatem Chriſto Domini faſſus eſt : dixit namque Petrus *tu es Chriſtus Filius Dei vivi* ; ſed aliis condiſcipulis tacentibus. Imo non antequam rogetur confeſſionem obtulit. Quæſierat primùm Dominus quid opinarentur de illo mortales ? varias hominum ſententias poſtquàm retulit , poterat ſuam non differre ; diſtulit eam tamen exprimere ad ſecundam quæſtionem : *vos autem quem me eſſe dicitis* ? Ecce laudat ſolus Petrus , & non priuſquam interrogetur. Centurio non ita. Spectaculo aderat crudelitatis : & ut vidit quomodo expiraſſet Redemptor faſſus eſt non rogatus Dei Filium; idemque ſimiliter alij dixere libenter : *Centurio autem , & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè dicentes : verè Filius Dei erat iſte.* Cur extranei præ domeſticis in Chriſti Divinitate aſſerenda præcedunt ſollicitudine ? Mortuus erat jam Dei Filius ; & vivebat prius cùm ab Apoſtolis quæſivit quid alij tunc exiſtimarent. Quam olim excellentiam unus ex amicis teſtimonio ſuo prodit ſiſcitatus : hanc poſt vitæ curſum expletum audivimus plures apud hoſtes commendaram ſpontanc̃. *Petrus fide ardentior, præ cæteris amore confeſſionis promptior ex voce cunctorum reſpondit* , ait Ericus. Oportuit in Petro fidem & amorem præire ferventiſſimum ne taceret Magiſtri viventis adhuc encomium ; & poſt vitæ mortalis exitum, jam credunt fidei expertes , ac idipſum profitentur. Mors eſt veritatis amica , nam utraque pauperrima, ſapienſque valdè , & ambo perigrinantur non invenientes niſi ratò qui domi ſuæ velit eas excipere. Laudes juſti prædicant qui antea muti , cùm eo demortuo manet ejus *memoria.*

Matth. 16. 16.

Matth. 27. 54.

Ericus hoc in c.11. Matth.

Juſti. Nomen eſt à virtute proveniens ; non ab iſtius fructibus : ut videas hominem non de ſortis amplitudine ; ſed de pugnæ ſtrenuitate laudari præcellentiùs. Proderit Bernardus ad illud pſalmi. *Quoniam gloria virtutis eorum tu es. Pulchrè non eorum ; ſed virtutis eorum gloria commendatur.* Laudat Eccleſiaſticus aliquos ſanctitatis proceres ut ab oblivione recordationem inſignium heroum ſervet immunem. Et priuſquam deſcenderet ad ſingulos, hæc de cunctis verba profert : *omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt , & in diebus ſuis habentur in laudibus.* Valde tempore quo ſupervixerunt ſermo eſt , vel de illo quo iſta ſcribebantur. Si primùm , cur non dixit : in diebus ſuis habiti ſunt in laudibus ? Si ſecundum , affirmet potiùs in diebus noſtris laudantur. Neutro ſtylo utitur ? Sed ait : *in diebus ſuis habentur in laudibus ?* Prudenter, & veriſſimè dictum.Cùm verba illa ſcriberentur , jam Abrahamus , Moyſes, & alij, de quibus agitur ibi , finem impoſuerant meritis. Hoc attendens elegit Siracides præfata verba , *in diebus ſuis* quæ commentatur ſic Dyoniſius Cart. *ideſt laudantur propter virtuoſos actus quos tempore vitæ ſuæ ſunt executi, juxta illud Prover. memoria juſti cum laudibus.* Quaſi diceret Eccleſiaſticus : dies noſtri ſunt heroibus iſtis quietis tempus. Ne de requie tantùm videar eos laudare , non dicam in laudibus haberi diebus noſtris. Dum vita manebat , augebanturque merita , hi fuerunt illorum dies : in his quæ tranſegere merendo , laudes eorum expendam , ideoque dicam : *in diebus ſuis habentur in laudibus.* Etſi præmio diteſcat juſtus , tamen illius poſſeſſione non tam ad altiora volat quod non de meritorum excellentiâ multò ampliùs commendetur. Virtutibus igitur potius quàm populi vocibus delectare : ac ſanè *mens hominis dum ſpirituali dulcedine tangitur, quid-quid prius de humana laude concupierat libenter obliviſcitur.* Sic Ricardus victorinus.

20. *Benemeritum eſſe, major laus.* Pſ.88.n.18. S.Ber. ſer.1. de S.Vict. Eccli. 44. 7. Dyoni.Cart. in Eccli. 44. 7. Ricar. vict. p.1. l.Benjamin minor c. 29.

Cum laudibus. Præconia dicere poſſet ; vocem tamen omiſit altiùs perſonantem. Præconem virtus non deſiderat : laudetur abſque vocum turba clamoroſa ; quibus vanitas uti ſolet (de qua dici poteſt cùm Auſonio : *vaſcula inania maximè tinniunt.*) Magna carent ſuperbo ſtrepitu. Erexit Salomon templum Altiſſimo , univerſi miraculum , magnitudinis paradigma. Per anno-

21. *Magna carent ſtrepitu*

rum seriem perfectum est opus : attende quàm exquisitè modesto fabrorum opificio : 3. Reg. 6. 7. *malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Putas ne casu dictum hoc ubi neque apices mysterio vacant ? Non credam. Templum Dei 2. Cor. 6. 16. justus est : *vos enim estis templum Dei vivi.* Imo Salomonicum templum ex D. Prospero justi ænigma est. S. Prosp. de promi. & prædict. Dei p. 2. c. 27. *Sed quoniam illud*, ait S. Doctor, *spiritale hoc ædificium signat, scriptum est Altissimum non habitare in ædificiis manu hominum factis. Propter quod rex noster vera pax Christus Dominus ex lapidibus vivis domum construens spiritalem, fidelium corda suorum non tantum singula templa in singulis, sed unum ex omnibus templum fecit.* Itaque præfatum Regij sapientis opus in hoc (aliis prætermissis) imitatur justus, quòd non perstrepente pompâ resonant ejus excellentiæ ; sed voce demissa gaudet humilitas. Terræmotum excitat aër ; non cælum. Tonitrua putas rem cœlestem, consule philosophos : longè distant à cœlo meteora. Rotantur equidem cœli ; sed insensibiliter : sic justi vita : cui, ut laudes conformentur, non clamoribus insinuantur.

22. *Mundus aliena donat.* Hoc loco versio Tigurina, ut jam supra monui, legit : *laudem habet* : quasi diceret : possidet justus laudem tanquam propriam. Versio Tigurin. Aliter accidit improbo dum laudatur in desideriis animæ suæ : alienis vestitur ad theatralem pompam : S. Gaudent. Brixian. ser. de villico. *quidquid in hoc sæculo est, alienum nobis est*, ait S. Gaudentius Brixi. Dona mundialia neminem reddidere dominum, quamvis multos divites. Sæculum dat non sua : idcirco dominium, quod non habet, transferre non poterit. Mundi manus præbet quæ alterius quidem sunt ; non sibi propriam. Joan. 14. 27. *Non quomodo mundus dat ego do vobis.* Ita Divinus Magister ad Apostolos. Si diceret sæculum nihil donare quia cuncta vendit, perciperem facilè : sed mundi fatetur donationes, & à suis differre autumat ? Versio Arab. Vide quid antea dixerat : *pacem meam do vobis :* vertit Arabicus : *meam propriam pacem do vobis.* Pacis author eam donans dat quod suum est ; mundus non ita : *mundus* Card. Tolet. in Ioan. ibid. *enim*, ait Cardi. Toletus ibi, *nudis verbis, & aliquando fictis, & quam ipse non habet, nec quæ sua est dat, at ego non sic* &c. Servator donum præstitit Apostolis verè suum : *pacem meam* ; non solet ita sæculum : donat equidem, sed est de alieno liberale, de suo fraudes tantùm apponit. Et præcipuè cùm præconiis effert iniquum, alienis spoliis exornat adulationis idolum : nam si veritatem & non fucos quærimus, solius *memoria justi* laudem habet.

23. *Vno vel altero delicto retro acta virtutes obliterantur.* Ad vulgatam redeo lectionem : *cùm laudibus*, ait Salomon fortè ut insinuet non unicam laudem sed plures justum comprobare. Imo laus, nisi sit multiplex, nulla erit. S. Thom. de villano. ser. 1. d. S. Aug. *Est etiam justi lux*, inquit S. Thomas à villano. *plena sicut solis, quoniam undequaque perfectus est ; peccatoris autem lux vacua dimidiataque, non enim ex omni parte lucidus est : sed ex unâ parte lucidus, ex alterâ obscurus.* Harmonia ingrata erit auribus, si vel unica cæteris chorda cytharæ discordet. Nil refert sonent aliæ dulciter : ea quæ ab aliis dissidet sufficit ut offendatur auditus. Applica similitudinem ductus Chrysostomi doctrinâ : S. Ioa. Chrysost. ho. 25. in Matth. to. 2. *dicit in psalterio decem chordarum, quia homo qui est psalterium decem sonos habet, quinque carnales, & quinque spirituales. Cum his omnibus oportet confiteri Christum. Si autem vel unus sensus minus fuerit, non est perfecta confessio.* Vitæ justi, si uno vel altero crimine fœdatur, cæteri virtutum actus nihil proderunt, ut laudabilem concentum reddant.

Peccavit Rex Betlehemiticus adulterij reus, & homicidij. Adit eundem propheta, Deique nomine piacula reprehendens, commovit ad pœnitentiam. Veruntamen ut cautum satisfactio redderet, mulctatus est amissione filij adulterini : 2. Reg. 12. 14. *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quare blasphemabunt infideles ? An quia regnare Dei jussu norunt adulterio pollutum, & homicidio ? Hugo Cardi. ibi ait : Hugo Card. ibi. *dixerunt enim idololatræ, vel dicere potuerunt : non est justus Deus Israël, qui Saul amovit à regno, & David substituit, qui gravius quàm Saul peccavit.* Quæro nonne plures in Davide virtutes recognoscerent inimici Dei ? Certè David is erat de quo Deus dixerat : Act. 13. 22. *inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Plurima igitur bona opera in eo reperire pronum esset : cur ergo blasphemarent ? quia commisit adulterium, & homicidium ? Utique : unum vel alterum scelus foret satis ut præteritæ virtutes darentur oblivioni. Non una laus justum extollit : *memoria justi cùm laudibus* ; unica infamia sufficiet ut illius existimationem deprimat.

DELIBATIO V.

Peccator nihil ; sed punitur ascensu : necnon dilatione pœnæ. De odio ex amore orto : comparaturque odium iniqui cum ejusdem affectu.

Inter malorum supplicia numerandum est quod in præsenti Salomon comminatur : 24. *Peccator non homo, sed hominis nomen est.* scili. abolendum fore nomen quod apud consimiles fuerant adepti : *& nomen impiorum putrescet.* Quanam ductus causa Sapiens non potius iniquis vitam insperatò eripiendam vaticinatur ; aut improbos omninò evertendos prophetat ? Nihil in scelerato peribit præter nomen ? Totus obruetur supplicio. Igitur quo ingenio solius nominis jacturæ meminit. Quia vir moribus perditus nihil ultra vocabulum hominis est prorsus inane, veluti cadaver servat nomen hominis, cum in rigore philosophico non sit homo. Quid aliud est peccator nisi cadaver ? Te doceat Chrysologus : Chrysolo. Ser. 170. *ubi homo in vitiis est sepultus, ubi corrupti corporis scatent scelera, ubi homo hominis est sepulchrum, ubi in homine non homo cernitur, sed cadaver.* Viam veritatis oblitus peccator mendacium fit animatum : lucem Divinæ legis refugiens,

fugiens, redditur umbra capax se movendi: accidentia quærens amisit substantiam: nequaquam res mansit, sed nomen est.

Evangelista Joannes plusquàm aquilino intuitu futura prævidens, cujusdam terræmotus inter alia meminit, quo multos fore subvertendos hoc scribit stylo: *occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.* De reprobis id exponit Interlinearis: *quos Deus præscivit ad mortem*, inquit, *ut terreantur quoquo modo fideles.* Similiter Angelicus Doctor ibi: *unde* per septem millia signatur hîc multitudo malorum quæ finaliter tunc interibit morte finaliter impœnitentiæ. Vel de spirituali sermo sit interitu: vel de corporali morte loquatur (ut exposuit Liranus de iis, quæ Justiniani temporibus passa est Ecclesia, locum intelligens:) seu tandem, ut voluit Alcazar, de illis qui mundo mortui conversi sunt ad fidem, verba hæc accipiantur: nonne convertitur ad fidem homo? idemque ruit in criminum sepulchra? Nunquid non propriùs dicitur: interiit homo, quàm mortuum est nomen humanum? Igitur quare nomina dixit occisa? quia de multitudine malorum (saltem antecedenter ad occisionem, seu mortificationem, si Alcazaris placuerit interpretatio) Joannes agebat. Hi non tam homines, quàm hominum nomina mera sunt. Quidnam, quæso, homo est? vivens, sensitivum, ratione utens. Delinquens toties moritur quoties labitur: en vitâ caret. Idem aculeos conscientiæ, mundialeque jugum nequaquam sentit: ecce jam sensu carere probat. Ipsemet rationis usuram ita dedidicit, ut bruta præcedat inordinatis passionibus. Qui ut homo sit, vita, sensu, rationeque constat: cùm omnibus his valedixerit, etsi vocetur homo, nomen hominis est, nec amplius. *Peccatores non computantur esse*, ait Orige. Quantumvis igitur in comperto habeatur, scelestos extremum supplicium daturos: attamen Salomon hujusce veritatis memor non impios hîc scribit perituros; sed illorum *nomen.*

Apocali. 12. 13.

Gloss. Interlin. ibi.

D. Thom. ib. Lira & Alcazar ibid.

Orig. to. 2. in Ps. 36.

25. *Impius ascendendo punitur.*

Impiorum. Cùm hoc nomine veniant virtutis omnis expertes, mirari non desinam justissimum orbis moderatorem, quòd illorum nomina plausibus proclamari sinat. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Impius & opibus refertus exultat, & nomine clarus viget, nobilitateque fortunatus insignitur, ac simul potestatis fastigium tenet. Illum evexit natura sanguinis illustri splendore, sors divitiarum cumulo, sæculum dignitatis solio, amici clientum pompa, fama echone tubæ: quid illi superest? Ruina. Nonne meliùs foret non ascendisse? Imò sapientiori providentia permissum est ut jugiter ascendat impius: nam sic infeliciùs ruet. *Fit*, inquit Augustinus, *quod scriptum est: dejecisti eos dum extollerentur. Non enim ait cùm elati fuissent, ut priùs extollerentur, & postea dejicerentur, sed cùm extollerentur, tunc dejecti sunt: ipsum quippe extolli, jam dejici est.* Nominis fulgore permittitur superbire moribus infamis. Ille cùm supremum tenuit fortunæ gradum, adhuc meditatur ascensum: dumque scalæ, quam cæcus arripuerat, inibi terminum præfixum non advertat, præcipitem se tunc dat cùm elevari conatur.

S. Aug. to. 5. l. 14. de civit. Dei c. 13.

In persona populi Judaici Psalmographus inimicorum Dei punitionem zelatus, Dominum ut causam tueretur suam, hostesque perderet, orabat, dicens: *ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Ubi Interline. *noli etiam superbiam eorum oblivisci, sed semper ascendat ad te: quod & facit quia vel corrigit, vel punit.* Septuaginta verò legunt, *ascendat semper ad te:* quod quidem imprecatio est postulans vindictam cælestem juxta verba quæ præcesserant *leva manus tuas in superbias eorum in finem.* Infidelium itaque ultionem postulat: sed precatur Deum ut ascendat? Deprimi cupiebat superbos David, non tam infortunio quàm superbiâ. Altissima petentes præcipitabuntur; non quidem retrahentes pedem; imò cupientes ulterius ascendere. Mundanæ gloriæ scala certis definita limitibus, ultimum tenentes gradum fallit, & præcipites ire facit. Non ergo casu malos opinionis aura pulchrè sonante credas elevari; sed ut cadant: pennas explicant, ut pœnam subeant.

Ps. 73. 23. Gloss. Interli. ibi. Lect. Septuag. Ps. 75. n. 5.

26. *Dei punientis cunctatio ira signum.*

Putrescet. Ut plurimùm vetusta putredo consumit unde sæpiùs quod putrefit, diu perduraſſe convincitur. Nomen impiorum putrescet? ergo per diutina spatia vigebit. Interim nulla pœna malus animadvertetur. Sera vindicta vapulabit, ut divina erga illum ira clariùs pateat. *Non ergo (ut quidam existimant) Deus peccatores punit iratus. Sed (si sic expedit loqui) magna ira est à Deo tormenta non perpeti.* Hæc Origenes. Mitiùs cum homine Deus agit si protinus crimina corripit; econtra gravius iratum se peccantibus exhibet correctionem procrastinans.

Orig. ho. 2. in Jerem.

Moyses in monte Sinai ab ore Domini pendebat, legem Israëliticæ plebi promulgandam accipiens. Interea populus ducis moram in idololatriæ occasionem transmutavit. Aaronem tumultuosus interpellat ut sibi Deos fingat, quorum ductu terram petat eis pollicitam. Imprudens obtemperat Aaron vulgi vesaniæ: & conflato aureo vitulo ædificatur altare, offeruntur holocausta. Dum ista fierent, insciis aberat Moyses. Dominus ei quod acciderat aperuit, ac suadere conatur eidem, ne justitiæ suæ gladium continere velit: necnon idololatras delendos pronuntiat: *dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, &c. Placato precibus Domino descendit Moyses: idoloque in cineres redacto Levitas accersit, gladio jubet obarmari, & in Altissimi obsequium, religionis desertores interfici: quod ad viginti tria circiter millia executioni mandatum est. Sanè præsciebat Dominus quid Moyses acturus esset in criminis vindictam: cur non illi præcepit ut idololatras enecari juberet? Et ne respondeas Deum ad amici preces iram deposuisse: nam ita placatum legimus ut non penitus delere jam voluerit Israëlem; nihilominus adhuc eundem populum pro reatu vituli flagellandum minatus est patiens, fortis, & æquus reddi-tor: *ego autem* (inquiebat, non multum po-

Exod. 32. 10.

Ibi n. 34. stea) *in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Ubi Glossa Interline. ad verbum *ultionis*, ait : *Romanæ captivitatis, vel generalis judicij.* Et concinit Rabanus: *hoc est quod ante dixit : in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum. Semel enim dicitur ascendere Dominus in medio perfidorum ut deleat eos, quia certissimè, & sine ulla dubietate venturus est judicare vivos & mortuos*, &c. In diem judicii Dominus protelat vindicare scelus quod ipsius iram promeruit ? Cur non erit divinæ ultionis dies eadem quæ delicto lucem præbuit ? Si Moyses delinquentium necem exequuturus erat, Dei præceptum de illorum occisione accipiat. Nequaquam ita congruebat, ne pœnæ celeritas divini amoris indicium exhiberet. Voluit Omnipotens dilectionem populi celare, ut furorem ostenderet. Non statim atque Judæi commisere crimen eos puniri mandavit : clementiam quippe Dominus exerceret si correctionem peccantium non ultra distulisset. Ad venturam & extremam diem remisit pœnam, ne remissiùs ageret cum idololatris : nullum etenim peccatorum supplicium durius est quàm illud quod temporis intercapedine protelatur. Diu stabit impiorum nomen, paulatimque velut putrescens consumetur : ac vereor ne gehennæ reservet justitia incorrupta, criminum tot sero puniendam proterviam. Favet Glossa Interlinearis : *putrescet inferni supplicijs.* Gravitas pœnam advolare non sinit : hæc si differtur, vel infernus est, vel inferno similis in hoc quòd immedicata delicta relinquit. Ut Salomon in præsentiarum terreat impios, juxta vulgatam non præmonuit extinguendum illorum nomen, extinctio namque lucis festinato fit (nam & soli eâdem quâ nascitur contingit occasus) putrefaciendam indicat ipsorum gloriam postquam diutinè floruit : eò namque horribiliùs, quò tardiùs evertetur : *nomen impiorum putrescet.*

Gloss. Interli. ibi.

Raban. apud Gloss.

Interlin. Prov. 10. 9.

27. *Odium iniqui amoris partus, quâ sævum ?*

Infamiam sequitur odium, ceu putredinis fœtorem execratio. Ille qui quondam ore omnium, & multorum corde vixerat, iisdem postea execrabilis odio erit ; non quidem justis, quorum est similibus misereri ; sed impiis, qui ut antea illum nequissimè diligebant, sic postea sævissimè oderunt. Humanæ dilectionis affectus ita cognatus odij est, ut in illud transmutari proclive sit. Honestus amor, si fortè in odium degeneret, quamvis crudelitatem induat, scit intra præcordia latere, ut occasionem capturus prorumpat. Illa verò, quæ ab amoris improbi cineribus pullulavit odij flamma, sæviùs furit, nec se continet quin prosiliat.

Fraterni pudoris jura proterens Virginem Thamarem violavit Amnon : & subitò versus est in malevolum turpis amator, nec iram abdidit. *Exosam eam habuit Amnon odio magno nimis : ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon : surge, & vade.* Et statim : *ejice hanc à me foras, & claude ostium post eam.* Res innotuit Absaloni, qui adversùs fratrem iracundiam concipiens, tacuit prudens. *Porrò non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum : oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam.* Utrumque fratrem modo componamus. Amnon opere significat exosam sibi jam Thamarem ; Absalom autem quamvis infestus Amnoni dissimulat ? Amplius exardet erga sororem insontem Amnonis odium, quàm erga incestuosum fratrem vindex simultas ? Ita judicare liceat. Amnon fratri non adeo mansit invisus, ut soror turpi amatori. Quid causæ ? Absalom prius (ut est verosimile) Amnonem fraternè diligebat ; Amnon autem Thamarem turpiter deperibat. Amor uterque peperit monstrum, scili. odium in fratribus ; non tamen æquale : dirius namque fuit illud quod ex affectu nequam habuit ortum : crudelius, inquam (si interius attendamus solum incendium) posthàc Amnon sororem, quàm Absalom germanum execrabatur. *Sic videmus* (commentatur ibi Sanctius) *ex amore nimio & familiari consuetudine, immortales nasci inimicitias, præsertim si illas turpitudo aliqua aut indecora ratio malè conciliavit.* Nullius odij furor illi valet exæquari, quod improbus præcessit amor. Unde benè Triverus : *ut ea quæ rupta sunt, eò difficilius coalescunt, quò fuerint priùs sibi invicem conjunctiora : ita quoque amicorum, cognatorum inimicitiæ majores, quò fuerint priùs necessitudine inter se obstrictiores.* Exosus erit iniquus, postquam infamia corruperit illius nomen, apud eosdem, qui morum similitudine infœlici prolecti erga illum afficiebantur. Vide quam cum effero monstro pugnaturus objicitur.

2. Reg. 13. 15.

Ibi n. 17.

Ibi n. 22.

Sanct. ibi.

Triver. apo. phte. 179.

28. *Pejus est ab improbo amari quam odio haberi.*

Dogmatis hujus moralem doctrinam brevi quæstione claudamus. En, ut prædixi, dum floret vir nequam, cœtus impiorum numerat amicos ; cum autem putruere fœni flores, ejus tædet eosdem. Execrabilem relinquamus impium. Nunc à te quæro, quidnam eligeres, ab iniquo diligi ; an odio haberi ? Utrimque non levibus momentis problema libratur. Odium suscitat rixas ; amor sæpe tegit insidias : utrumque vitandum. Odio multoties jungitur invidia ; dilectioni frequenter adulatio : uter affectus execrabilior sit, difficile dictu. De odij sævitia doles : de amoris inconstantiâ times: quid malles ? Ego sanè de inimicitia improbi gratularer tibi libentiùs : ait namque de amore nequam S. Zeno : *pejusque blanditur quàm furit.* Multo pejus est à fonte amari quàm odio haberi.

S. Zeno ser. de fide, spe, & charit.

Experto satis crede Josepho. Ægyptum incolebat ille patriâ exul, & exors libertate. Dedit illi Dominus ut ita Putiphari placeret quod cunctis ei creditis, familiæ totius quasi regimine honoraretur. Heri uxor libidine saucia pectore tacito vulnus alebat : quousque incendium ferre non sustinens erumpere jussit flammam, quam in adolescentis corde cupiebat accendi. Spreto pudore, fidei conjugali valedicens lasciva suadet servum consentiat sibi. Ille objecto pallio, fugæ præsidium quæsivit. Vociferatur impudens fœmina, causatur Josephi violentiam, adventantique conjugi rem aperit fraude malè quidem opertam. Iste pallium cernens, levi conjecturâ ductus innoxium reis adjungi fecit : *tradiditque Joseph in carcerem,*

Gen. 39. 20.

cerem, ubi vincti regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus. O quàm leviter damnantur ſæpe qui pallio carent ! Dei cuncta moderantis providentiam nobis liceat ſciſcitari cur ſinat ita premi ſibi charum. Non adhuc ſatis pœnarum captiva dederat innocentia ? Imò quia jamjam melioris fortunæ tempora properabant, calamitati diræ committitur innocens : & per domini ſui odium emerſit in fœlicitatis portum. Quid putabas ? An Joſephum in libertatem aſſerendum ſi Putipharis erga illum dilectio perſiſteret diuturniùs ? Servitutem pateretur ad extremum uſque vitæ ſpiritum, niſi heri ſui amor in odium verteretur. Iniquo parebat ipſe : ab illo quandiu diligitur, ſervus permanet, cum autem odio habetur, libertatem jam, etſi à longè ſalutat. Amore ſceleſti nihil tibi pejus, cum odium ejus patieris, meliora contingent : etitque proſperitas germen odij, ut meditari videtur in Joſepho Rupertus, dicens : *pro compedibus, in quibus humiliaverunt pedes ejus torquem auream ſuſcepit : pro pallio quo in manu adulteræ relicto nudus effugit, ſtola byſſina Deo judice indutus eſt : pro ſervili nomine regium geſtat annulum : & pro carceris humilitate ſuper altum ſedet imperij currum.*

Rup.l.8. in Gen.c.40.

FLOS IX.

Sapiens corde præcepta ſuſcipit: ſtultus cæditur labiis.

APERITUR.

1. LECTIONUM varietas quâ ſolet excribi ſecunda hujus parabolæ ſententia, primam reddidit aliqualiter intellectu difficilem, ut videre licet apud commentatores : nam prout ſecundam quiſque legit, ſic & primam expoſuit, ut antitheſim aptiùs expenderet utriuſque. Cæteris pro nunc omiſſis, vulgatæ lectioni adhærendo, planiſſimo ſenſu, tota ſententia doctrinam facilem præbet, ac moribus conſonam. Puta Salomonem dixiſſe præfixis verbis : veræ ſapientiæ alumnus juſſa majorum ſuſcipit libens; at ſtultus mandatis reluctans contorquetur animo. Nomen illud, *corde*, conjungendum verbo, *ſapiens*, in comperto eſt ex Hebrææ lectionis proprietate, quam Janſenio duce notant alij. Illud verò, *labiis*, an ſimiliter potius ligandum ſit nomini, *ſtultus*, quàm verbo, *cæditur*, affirmat Salazar : teſtatur enim vocem, *ſtultus*, poſitam in regimine genitivi, legendamque cum Caietano ſic : *ſtultus labiorum.* Favet illi tam Hebraica lectio, quàm Septuaginta : prior namque habet : *ſtultus labiis cæditur* ; poſterior verò tranſtulit ſic ; *qui autem non eſt rectus labiis obliquans ſupplantabitur.* Attamen cum Septuaginta diſſideant à vulgata, quam tantummodo exponimus, & vocis illius tranſmutatio ſenſum non leviter immutare valeat, eam præter interpretis noſtri phraſim exponere non audeo, præſertim cùm illud de regimine genitivi, quod in voce *ſtultus* notatum reperi apud Salazar, omiſerit Janſenius. Unde vocem, *labiis*, delibero adjungendam verbo, *cæditur.*

Janſen. hic.

Salaz. & Caieta. ad hunc locum.

Lect. Hebra. & Septuag. verſio.

Obedientiæ laudes, & inobedientiæ damna poſtmodum adjiciam. Nunc ſolùm animadverte, Salomonem hoc effato ſuo totam prorſus œconomiam ferè comprehendiſſe : nihil etenim reperies in ea quod non obedientia perficiat ; inobedientia perdat. Vel navigationi vitam componas, vel militiæ cum Job aſſimiles, utriuſque ſimilitudine convinces nihil fœlicem exitum ſortiri, niſi ſuo quiſque intentus muneri majorum dictis pareat. *Cogitate*, inquit Xenophon, *& quæ urbs hoſtilis capta ſit ab obedire nolentibus, & quæ amica ab iis qui parere volint, ſervata ſit : quæ etiam obedientiam non præſtantium ſit acies victoriam conſecuta.* Et mox : *vel quo pacto naves, quo opus eſt perveniant ?* Quid, inquam, proderint navicularii vigilia, ducis robur, ſi hujus diſciplinam ſpernat miles, illiuſve monita rideant nautæ ? *Et militia eſt vita hominum ſuper terram :* & mortalium dies *quaſi naves poma portantes* pertranſeunt. Si naucleri, chiliarchive, mandata complere negligas, bello cades, naufragio peribis ; at *vir obediens loquetur victoriam :* hic enim eſt obedientiæ vigor, ut virtutes, illius ductu, conſtent univerſæ ; contemptu verò ejuſdem cunctæ diffluant : *nam propria voluntas*, inquit Bernardus, *Deum impugnat, & adverſus eum extollitur.*

Xenoph. l. 8. Pædiæ Cyri. prope initium.

Job 7, 1.

Ibi c. 9. 26.

Prover. 21. 28.

S. Bern. ſer. 3. de Reſurrect.

Sapiens. Honorabili nomine decoratur obediens, ut à fructu arbor commendetur. Sapientiæ laurea obedientiæ proles. Cum etenim de ſapientiâ practica, quæ honeſtè agẽdis incumbit ac vitiis devitandis, agatur, meritò ſapiens vocatur qui neu parere detrectat, nam legum cuſtodia peccata declinat, virtutibus proficit. Concinit Salomon Siracidi : *fili concupiſcens ſapientiam conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.* Legitur apud Aug. ita : *Concupiſti ſapientiam ? Serva mandata*, &c. Sapientiam utique practicam bonarum actionum regulam Dominus illi tribuet, qui mandatis obtemperare cupit : hæc namque juſtorum obedientia veræ ſapientiæ lumen accendit ut errores propriæ voluntatis fuget. Lucerna, cum de ſuo non luceat, oportet incendatur ab alio : juſtus cum nihil habeat quod non acceperit, alienæ manus regimine illuſtratur, ut ſplendeat ſapientiæ fulgore. Opportunè D. Proſper : *quibus mandata ſervantibus, propter ipſam cuſtodiam mandatorum præbetur uberior doctrina ſapientiæ.*

Eccli. 1. 33.

D. Aug. l. 22. cõtra Fauſt. c. 53. tom. 6.

S. proſp. ad Pſ. 118.

Corde. Ita cordi appropriatur ſapientia, ut juxta Hebraicam lectionem excipiens libenter mandata, dicatur *ſapiens cordis*, hoc eſt : ex corde ſapiens : quaſi perfectæ ſit obedientiæ corde morari dilectionis domicilio. Cumque perfecta charitas timorem foras mittat, manet ſolius amoris eſſe juſtum perfectiſſimè legum præſcripto ſubjicere. Timor dum vitia pellit, vigorem hebetat ; affectus vires addit, alaſque celeri parat obedientiæ. Timor pœnæ ſerviles deprimit animos : & in lapſum proclives non firmat, ſed quaſi tenet invitos ; recti amor imperare di-

dicit, discriminaque superare docet. Unde
D. Greg. M. l. 35. moral. c. 10. tom. 1. rectè monet Gregorius M. *ipsa obedientia non servili metu, sed charitatis affectu servanda est, non terrore pœnæ, sed amore justitiæ.* Inde fit ut hanc politici magistri doctrinam inculcent crebrò legum conditoribus, scili. ut se potiùs amabiles præstent, quàm formidandos: hoc enim pacto faciliùs ac fœlicius ad præceptorum normam subditos
Tacit. l. 3. annali. component: *obsequium in Principem, & æmulandi amor, quàm pœna, & leges, & metus.* Ita legimus apud Tacitum.

Necnon alia de causa cordi hoc loco tribuitur obedientia: illi quippè hunc principatum dedit natura, ut ejus nutui cætera membra famulentur. Proinde sapiens ut promptum obedientis indicet animum, corde significat illum obsequi jussis: quod etenim cor suscipit, exequitur homo totus. Illud tandem hic notare juvat, quòd sicut obedientia cordi tribuitur: ita æquum est, ut è superiorum cordibus præcepta prodeant, si non elationis apparatui, sed utilitati subditorum provideant. Legum contemptori D. Augustinus comminatur sic: *apud*
D. Aug. to. 2. epis. 50. ad Bonifa. *Deum frontem non habebit: quia hoc facere noluit, quod ei per cor Regis ipsa veritas jussit.* Hoc præ oculis habendum in condendis legibus: præcordiis excipientur, si à charitatis visceribus manaverint: rarum est enim ut superior suorum non amans diligatur: & dilectione deficiente succedit contemptus.

3. *Præcepta.* Vox hæc non sumitur in præsenti pro legibus communitati universæ impositis; accipitur strictiùs pro mandatis quæ singularibus personis dantur. Sic aptiùs utrinque respondet sibi sententia: sicut enim dyscolus præcipientis ore torquetur; ita econtrariò ab ejusdem labiis ultrò pendet obediens. Ecclesiastes obedientiam extollere cupiens, non illam proponit quæ legi præbetur: hujus namque faciliorem observantiam, quàm præcepti custodiam experientia suadet, ratio comprobat: quia scili. lex cogit universos; præcepta verò singulos: nec inficiari valemus quòd suaviùs tolluntur onera mandatorum si cunctos gravent, quàm si humeris unius jugum committatur. Insuper: statuta condidere majores, quorum facta vel fama commendat, vel tellus obruit: ac proinde suspicamur, & quandoque novimus illos eâ ratione vixisse, quâ subditorum vitam præscripsere, ne doctrinæ suæ fidem, quam verbis adstringunt, operibus dissolverent. At cùm superior vivens jura dat, elationi fortè, cæterisque potentiæ morbis patet miser. Huic præcipienti non refragari perdifficile. Quid in ita jubentem dixerit Lactantius, nec tacere libet; neque prosequi audeo:
Lactant. firmi. l. 4. divina. institu. c. 23. ipse viderit. *Cùm igitur quis non faciat quæ præcepit, quæ insolentia est, ut homini libero imponere velit leges quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exempla quàm verba: quia loqui facile est, præstare difficile.*

4. *Suscipit.* Consultò non dixit: præcepta sustinet; sed: *suscipit.* Hoc distat utrumque quod primum verbum illis tantùm aptatur quæ pœnalia sunt; secundum autem etiam lætis accommodari valet, juxta illud
Iob. 2. 10. Iobi: *si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Coërcetur sæpè malus timore pœnæ, non tamen præceptum suscipit sibi prorsus ingratum: ad plurimum, ne correctionis flagello subjaceat, sustinet invitus mandatum quod respuere nequit. Rem certè miserandam! onera subire, merito privari, ad instar bruti, quod jugum trahit, quin lucrum reportet. Imo bruto viliùs agit: hoc enim saltem aliis laborat; inobedientis verò dolor nec ipsi, nec reliquis fructificat: pœnam pavet equidem; sed timore non omnino bono. Accipe S. Antoninum: *hic itaque timor* (loquitur S. Doctor de timore servili) *bonus est, quia*
S. Antonin. p. 4. tit. 14. c. 5. *abstinere à malis utique bonum est. Omne autem bonum à Deo: unde à Spiritu Sancto procedit; sed non est cum Spiritu Sancto, idest cum gratiâ, quia non diligit bonum propter se ex amore Dei, & ipsius justitiæ. Vellet enim sibi licere illud facere: quod & faceret nisi pœnam timeret sustinere: & ideo non est verè bonus.*

Stultus. Oppositum, de more solito, posterius hemystichium priori consonat. In primo sapiens appellatur is qui obediens est; hîc autem inobediens de stultitia notatur, non tantum illa ratione delictis omnibus familiari, quâ dicimus: omnis peccans est ignorans; sed peculiarem insciticæ notam inurit ei; & meritò duplici de causa. Imprimis, notum est illud Apostoli: *non est*
Romano. 13. 1. 2. *enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Quis non insipientem arguet, eum qui resistens Deo, bellum sibi quærit infaustum? Nam *quis*
Iob. 9. 4. *restitit ei & pacem habuit?* Cúmque Domino repugnare convincatur eum qui transgreditur jussa gerentium in terris Dei vicem, de stultitia redarguit sententia hæc præceptis acquiescere nescium. Eâdem notâ dignissimum censebis mandatis obmurmurantem, utpote qui verum obedientiæ nummum commutat adulterino: quæ metaphora colligitur ex doctrina S. Bernardi: *Sapiens nu-*
S. Bern. ser. 2. d. S. Andr. *mularius est, imò ipsa sapientia, cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum .... quod si quis obediat quidem, sed simulatoriè, & ad oculum murmuret, aut in abscondito, falsus est nummus ejus.*

Cæditur: non quasi jubenti animus esse debeat subditum præcepto cædere, cæditur ipse dum præcipienti non cedit. Salutari cibo torquetur æger: non edulio, sed febricitanti palato inest amaritudo. Cæsum audies ingemiscere malum ad præcepti disciplinam: sed inobedientiæ morbus hic est. Alibi latiùs enucleabo nihilominus quàm proficua sit mansuetudini mixta severitas, & quàm à recto devient rectores illi quibus quoties uti sceptro necesse est, hujus loco semper occurrit gladius: *si interdum severi-*
Idem ser. 33. in Cant. *tate opus est, paterna sit, non tyrannica*, inquit S. Bernardus.

Labiis. De superioris præceptum imponentis ore sermo est. Alij de præceptorum monitis interpretantur discipulos instruentium: sed expositio est minùs germana, pro-

ut apertè ſuadet ejuſdem ſententiæ prima pars, quæ circa obedientiam verſatur. Cur potius vocali mandato quàm ſcripto crucietur inobediens inveſtigabit aliquis. Facilè ſatisfiet ſi dicas ſuperiorum juſſa voce prolata, ſuperioris præſentiam innuere: cui difficiliùs obediunt ij, qui non attendunt quòd vice Dei præcipiat; ſed nudam jubentis perſonam ſpectant, in quâ vel minimi nævi non latent: quia ut Chryſoſtomus ait, *non vitia Epiſcoporum abſcondi poſſunt oculis, ſed etiam exigua eorum celeriter innoteſcunt.*

Chryſoſ. l. 3. dialogor. de Sacerdor. poſt med. tom. 5.

DELIBATIO I.

Obedientiæ laudes.

6. *Humilitatis apex eſt amoris propoſitum exequi obedientiæ ductu.*

VEræ ſapientiæ profeſſor, hoc eſt virtutum cultor, qui toto cordis niſu rectum diligit tenetque prudens, hîc mandata recipit ſuperioris, qui velut face præit in viâ ſalutis. Sed quid mirum (nonnemo dicet) quod præcepta ſuſcipiet is qui Dei amore totus ardet? Quidni juſſis pareat ille qui divinæ voluntatis regulas inſculpſit cordi utens dilectionis blandâ ſagittâ, ceu calamo velociter ſcribentis? amantem da, legibus obtemperantem dabo: *nemo enim melius alicui obtemperat, quàm qui ex charitate obſequitur.* Quorſum igitur quaſi magnum quid meditamur quod juſtus præcepta libenter ſuſcipiat? Non mediocrem æſtimes hanc juſti laudem. Imò præconiis dignum reputa eum qui obedientiæ ſubjicit amoris impetus. Scio eſſe virtutum omnium radicem & cuſtodem obedientiam. *Sola namque virtus eſt obedientia quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit*, ut M. Gregorius ait. Nihilominus amor iſti cuſtodi ſuo difficilè obedit: eſt enim affectus impatiens habenæ. *Nam modus amoris eſt omnia facere ſine modo, & ejus ratio nullam attendere rationem, ipſe enim ſpiritualis amor omni lege, omni ratione, omni modo, ipſe lex, & ratio, & modus ſuperior eſt.* Verba ſunt S. Thomæ à Villano. Hinc fit ut legi ſubjici regia conditio recuſet amoris; non quidem renuens quod ratio dictat; ſed volens illudmet exequi ſine præcepti vinculo. Culmen tenuit ſubmiſſionis qui mandato ſubdidit hoc ipſum quod ſuadebat affectus. Id quidem eſt humilitatis faſtigium, ſcili. obedientiæ ductu præſtare quod amati dilectio monebat: nam præcepti vigor amantis promptitudinem aliquantulùm ad ſpeciem denigrare videtur.

S. Ambr. to. 3. in c. 1. ad Epheſ.

D. Greg. M. l. 35. moral. c. 10. tom. 1.

S. Thom. à Villano. ſer. d. Magdag.

Philipp. 2. 8.

Expende quid gentium Doctor in humilitate Servatoris exaggeret. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Nunquid non aptiùs incarnati Verbi humilitatem ſic efferret: humiliavit ſemetipſum ad Judæ proditoris pedes abſtergendos? Judas ipſo diabolo minor erat: nam dæmon illo perfectiorem naturam ſortitus eſt: culpâ vero ſimilis remanſit illius juxta illud: *nonne..... unus veſtrum diabolus eſt?* Eò profundior abjicit ſe humilitas, quo minori præſtatur miniſterium. Quid igitur clariùs humillimum probat Filium Dei, quàm viliſſimo transfugæ ſervi munus exhibuiſſe? An Chriſti Domini abjectio voluntaria commendatur meliùs ex præſtita Patri Summo per mortem crucis obedientiâ? Redemptor obedivit ut homo, qua ratione minor eſt Patre: *Pater major me eſt.* Obedire majori, quinimo titulis omnibus maximo, ſicut faciliùs executioni datur; ita pro voluntariæ demiſſionis laudatione minus eſſe videtur. Cur non Paulus ait: uſque ad pedes abjectiſſimi proditoris humiliter ſeipſum depreſſit? Quia majori laude humilitatem Chriſti Domini proſecutus eſt Apoſtolus mentionem faciens illius erga Patrem obedientiæ circa mortem ſubeundam. Et quare? Quia pro mortalibus, ut ipſi viverent, crucem ſuſtinere Dei Filio perſuaſerat amor: & hoc ipſum, quod ejus dilectio geſtiebat perficere, mandato Patris exequi, magnum extitit ſpontaneæ depreſſionis teſtimonium. Nec etenim quiſquam vulgò inveniet paſſim quod Paulo docente credimus: ſcilicet Filium Dei propoſito ſibi gaudio maluiſſe crucem: unde colligere licet potuiſſe diſpenſationem præcepti exorare. Horum quæ dicta ſunt ignorantia forſitan imminueret exiſtimationem amoris Chriſti Domini erga genus Adamidum: nonnemo putaret eum non plurimùm nos dilexiſſe, cùm noſtræ non defuerit ſaluti, mandatum prius accipiens de morte ſubeunda, cui reluctari non poterat ex ſanctitate impeccabili, quâ potitur. Hic fuit igitur in Aſſertore noſtro profundiſſimæ humilitatis apex: ſcili. amoris propoſitum exequi obedientiæ ductu: non enim qualemcumque parendi modum amplexus eſt: non, inquam, ſervilem; ſed amore plenum: *& obediit ut filius; non ut ſervus.* Sic Theodoretus ad ſuprà datum Apoſtoli locum. Amoris eſt volare: necnon obedientiæ inſunt alæ, juxta illud Climaci: *omnem quippe fructum præcedit flos, omnemque obedientiam peregrinatio, aut corporis, aut voluntatis. In his enim duabus virtutibus veluti in aureis pennis ad cœlum impigrè ſe ſancti viri anima ſuſtollit.* Propriis pennis facile quidem volabit amor; ſed alienis alis (ſcilicet obedientiæ) volatum perficere, ardua res eſt. Non ergo mirum Salomonem cùm de juſto; qui cordis, ideſt amoris aperto ſinu, virtutem amplectitur, verba facit, illius obedientiam circa eadem quæ dilectio ejus cupit, laudat tanquam ſapientis opus.

Ibi c. 14. n. 28.

Theodor. ad verba Pauli ſuprà.

S. Joan. Climac. in ſcal. paradi. grad. 4.

7. *Ædificium ſpirituale perfectum creſcit.*

Sed quid ſibi vult juſtus nova mandata corde ſuſcipiens, cum perfectionis culmine jam ſtet immoto greſſu? Altiora petit deſideriorum præpetibus pennis alatus. Tunc amor indefeſſus aſcenſum meditatur cùm ſumma tenuit: quocumque pervenerit non ſedem invenit, ſed gradum: non profectus facit metam; ſed materiam. *Conſummaſſe te putas? at cùm conſummaverit homo, tunc incipit.* Hæc D. Bernardus. Inter hominum, Deique, domos diſcrimen unum ex multis eſt: quod etiam regis habitaculum, ſemel impoſita coronide non ultra procedit: labor ceſſat improbus; at vero rationale Domini palatium,

S. Bern. ſer. 8. in Pſ. Qui habit.

Joan. 6. 71.

palatium, etsi jam perfectè constructum, Ephes.2.21. crescit adhuc. *Omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*, inquit Gentium Doctor. Quæro: si constructum supponitur ædificium, quâ ratione capiet incrementa? Ultimam nunquam imponit manum? Nusquam, dum vita comes. S. Anselmus ibi: *constructa secundùm fidem & Sacramentorum perceptionem, atque secundùm innocentiam, & justitiam crescit in virtutibus proficiens: quia nemo tam perfectus est, qui non possit crescere.... neque enim ad ædificium electorum pertinet, licet Christianitatis vocabulum habeat, qui crescere in bonis, & augmentari non studet.* Si tandem intermittatur spiritualis ædificationis opus, ad perfectionem deductum non erat; si autem nova suscipiat in dies augmenta, illam jam integrè constructam esse, utplurimùm, significatur. Hac de causâ Sapiens corde, hoc est virtutis amans, etsi pro gratiæ sibi collatæ mensura cacumen attigerit spiritualis vitæ, non labori cedit; sed it per ardua, novaque molitur, mandata suscipit, ut virtutes virtutibus addat.

S. Anselm. ad Ephes. c. 2. tom. 2.

8. *Minore difficultate culpa deseritur quàm virtus obedientiâ jubente relinquatur.*

Existimas fortassis culmen obedientiæ conscendisse illum qui delicta præcepto deterrente vitavit: altiora sollicitat obedientiæ cultor. Putas ne cœpta peregisse, cùm ea quibus ad perfectionem vocatur implevit? Non satis hoc ut summum attingat asceta: non ea tantummodo mandata, quibus à delictis arcetur, excipit lubens: non ei satis virtutum addidisse copiam suo jubente duce: etiam illa præcepta, quibus virtutem interrumpere cogitur, alacriter complet. Arduum tamen est hoc virtutis opus. Agnosco non esse vulgarem fortitudinis triumphum valedicere culpæ: quippe cùm sit quisque suimet acerrimus hostis, inimico benefacit homo, dum se ipsum à peccati gladio strenuus eripit: & beneficentia quæ adversario favet, non nimis facilis est. Nihilominus cùm justus ambitione sacra tangatur ut virtutum cumulos congerere satagat: quamlibet earum exercitationem omittere jubeatur, ægriùs id feret, quàm omnem aliam jacturam. Ex quibus manet quòd minori difficultate scelus odio habetur à justo, quàm virtutis opus linquatur obedientiâ jubente.

Postquam ad mare Galileæ Dei Filius Andream & Petrum vocaverat, processit inde ut etiam Jacobum & Joannem ad se Matth.4.21. traheret. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos.* Posset utique per Andream vel Petrum vocare Zebedæi filios: oportuit hanc vocationem exequi per seipsum? Difficilior esse videbatur Magorum ex Oriente vocatio, quam tamen per nuntium insensibilem peregit, scili. per stellam viæ ducem. Et fratres non per alium; sed ore proprio dignatur adducere? Crede plus negotij continuisse fratrum illorum ad Christum Dominum adductionem; quàm illuminari Magos ut accedant in Bethlehem verum adoraturi solem: nam isti sic relinquebant idololatriam; Joannes autem & Jacobus unum virtutis opus pro alia desere-

bant: omiserunt nempe fovere genitorem pauperem, ut Filij Dei se dicarent disciplinæ. Utrumque firmo dictum. Chrysostomus de Magis ait: *Deus ob deceptorum salutem per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi dæmones ante coluerunt, aliquantulum illa in melius flectens, ut eos paulatim & à consuetudine sua reduceret, & ad philosophiam perduceret altiorem.* A superstitione ad veritatem, à peccato ad virtutem, hominem advocare non adeo munus est arduum: sufficit stellæ fulgor irrationalis in magistrum. De Joanne vero ac Jacobo accipe Theophylactum: *In navi, cum Zebedæo patre suo. Summa virtus est pascere patrem senem, idque justè partis sumptibus.* Hanc pietatem ut obsequerentur Christo Domino erant relicturi. *Horum fidem*, ait Euthymius, *intuere, qua patrem etiam despexerunt.* Virtutem derelinquere dilectam, ut aliam (obedientiam scili. Filij Dei jubentis patrem linquere) sectarentur quam usque tunc non elegerant, difficilius erat: pugnabat enim secum ipse virtutis amor: & dilectioni quamvis omnia vincat, nihil est operosius, quàm secummet præliari. Ideo dicebam justo difficillimum esse virtutem obedientiâ prohibente non exequi.

Chrysost. ho. 6. in Matth. tom. 2.

Theophylac. in 4. Matth.

Euthym. ad hunc locū.

9. *Majus est quod intellectum subjicias quàm voluntatem.*

Quod exemplo firmavimus hactenus modò ratione confirmemus. Cur, inquis, rem adeo viribus humanis inaccessam penè dicemus, virtutis actum prætermittere obedientiæ jussu; & econtra non sic vocabimus arduum crimina detestari? Dicam. Pœnitentiâ flectitur voluntas; obedientiâ sæpe captivatur intellectus: nam bonum illud in quod propendes aliquando vetat superior: & si perfectioni studes, illius præceptum ratione fulciri credis, quantumvis oppositum tibi suadere conetur propriæ delectionis amor. At verò cum fletu digna commisisse deploras, non intellectum, sed voluntatem dolore conteris. Judiciū, utpote quod est inflexibile circa multa, non facile vertas quò velis; voluntatis propositum immutare proclive illi est, quia libertate fruitur. Ideo majus quid extat mentem propriam subjicere Deo, quàm velle suum eidem subdere libenter.

Gentium Apostolus Evangelicæ prædicationis munus, cui sedulus incumbebat, ad Corinthios describere volens, his utitur verbis: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Commentatur ibi Theodoretus: *eos, inquit, veluti bello captos ducentes ex acie, ad universorum Regem adducimus, & ut ejus legibus vivant efficimus.* Hæc cum divinis legibus conformitas non ab intellectu præstatur, sed voluntatis opus est: igitur quare Paulus non se voluntates militiæ suæ subigere armis enarrat? Quia potiùs exprimere voluit quod in perficiendo munere suo excellentius est, scili. humana judicia sub Dei juga mittere. Quamvis Dei vices agat is à cujus ore justus pendet; illi tamen submittere proprium consilium, ponderis non modici victoria. Ratio multoties dictabat hîc & nunc animæ fore saluberrimum quod obedientia vetat; sed perfectus obediens contendit ita judicare, ut quæ ipsi præfixit aliena manus, ea

2. Corinth. 10. 5.

Theodoret. in comm. ibi.

ſtatuat meliora quàm certiſſimè. Sublimius hoc eſt reſignationis culmen.

10. *Juſtus, cum virtutem omittere jubetur, non deſcendit.*

Difficultatem vidiſti prætermittentis ex obedientia virtutis exercitium. Nunc operæ pretium duco remedium quo vel aliquantulum hæc arduitas emolliatur, inculcare. Credas oportet obedientiæ pondus non ſubjectos deprimere; ſed reddere veloces ac ſecuros. Hoc ingenio præceptum judicabis rationi conſonum. Securitatis amans, & velociter in ſpirituali viâ pergere cupiens, exactiſſimè perficies, quamvis qui tibi plus arriſerat virtutis actus, is inhibeatur. Navis etſi vela pandat, ſi nullo pondere gravetur, peribit naufragio, vel ſaltem parum proficiet. Poſtea tamen quàm lapidum congerie illam nautæ gravant, jam facilè gubernaculo regitur ſuperbientes inter fluctus: itaque velociùs æquora findit quod vento ſatis eſt ut optatum portum fœliciter appellat. Sic voluntas humana ſubjectionis onere ſublato, libero Favonio ſæculi mare navigat: vel tamen periclitabitur nimis, vel perget modicum: nam cum pondere careat puppis, rationis clavo regi quandoque recuſat. Obedientiam ſi tollas aviculam deplumas, cytharæ fides remittis. Nec avicula plumis exonerata volat, neque cythara remiſſis fidibus concentum edit. Voluntas æquo regimine ſublevatur veluti pennis habentibus abſque onere pondus: & virtutum harmonia reſonat cœlitum auribus dulciſſimè. Orationem, inquis, cogor omittere, ut minoribus incumbam: nonne ſic deſcendere jubeor? Non tu deſcenſum vocitas quod aſcenſui neceſſarium eſt. Vel crede te per deſcenſionem ejuſmodi ſublimari. *Descendunt quippe quia obediunt, nequaquam enim deſcenderent, ſi id quod ab eis fraternus amor expetit impendere ſuperbâ mente refutarent. Tunc quidem verè ſublimes ſunt*, &c. En ex Gregorio Pap. ſublimitas in obedientiæ deſcenſu. Omittis quandoque bonum ut obtemperes præcipienti? Non ſic retroitur; ſed ultra feſtinatur, ſi pergis ultrò.

D. Greg. M.

Compoſuit Regius vates juſtum ſagittæ: *ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum*: hæc namque verba de juſtis generaliter explicat Bellarminus ibi: *declarat his verbis. Propheta potentiam filiorum Chriſti, qui ſunt ejus hæreditas & merces, ac dicit fore potentiſſimos, quales ſunt ſagittæ in manu viri robuſtiſſimi.* In ſimilitudinis hujus gratiam permulti dedere plurima: inter tantos liceat proferre quid ſentiam. Juſtus aſſimilatur ſagittæ: iſta quippe, dum ſagittarius ictum collimans flectit arcum, retrò pauliſper trahitur; hoc tamen non eſt ſagittam retroire; quinimò ſatis opportunum eſt medium tractio hæc, ut emiſſa volet: non illa ſic detinetur; ſed progreſſui paratur. Subditi virtus etſi ad æthera ferri cupiens ocyùs, cum regentis manu retro quandoque abducatur, nihil damni patitur: non enim is dejicit illam; ſed velut arcu flectit, ut cùm gubernanti placuerit, altiùs, & celeriùs cœlo tradat ſeipſam: non ergo pertimeſcendum ne prudenti juſſo vetita virtus minuatur: feſtinans deſcende: nam ſicut aquarum impetus, ita virtutis ardor, eò plùs conſcendet; quo te ſubmiſeris profundiùs. Igitur non ſunt mandata dijudicanda tibi, ut aliqua ſubditus eligas, & cætera deſpicias: imò cuncta promptitudine cæcâ ſuſcipienda crede: quod ut ſilentio diſertiſſimo Sapiens moneat, non dixit juſtum omnia ſuſcipere mandata; ſed ne illud, *omnia*, otiosè adjiceret, inquit nullo addito, *præcepta*.

Pſ. 126. 4.

Bellar. ibi.

DELIBATIO II.

Homo fingit laborem in præcepto, ſed verum patitur in delicto.

11. *Juſto virtus non adeo laborioſa, quâ ſceleſto crimen.*

Stultus cæditur labiis. Ad litteram ut prædixi ſenſus eſt: improbus mandato ſuperioris verbo torquetur. Et quid illi ſic moleſtum eſt, ut aliena loquela crucietur? Operis injuncti difficultas quam credit inſuperabilem. Cum ille noctu faciat iter, arbor quævis ei monſtroſus apparet gigas, cúmque dormiat gravi ſomno demerſus, effícta larvæ mole terreretur, mentiente ſibi phantaſiâ. De his, nec tibi credas oportet: non monſtra cernis; arborem vides, cùm viriutis ardua contemplaris. Crux eſt vitalis arbor, apprehende fructus ejus: aſcenſu, fateor, difficilis objicitur palma; nec tamen inficiaberis experientiâ cogente, quàm longè criminum ſpineta virtutum rubos aſperitate ſuperent. Quid tu ne ſpinula faucies manum roſam colligere non audes? Ad apem vecors homo vade: legentem videbis roſæ delicias, quin ſenticoſo fugetur apparatu:

Armat ſpina roſas,
Mella legunt apes.

Claudi. in nupt. Honor. ij.

ſic tu per amœna virtutum prata volita, flores quibus fulciaris collige: nec ſentibus quorum ſatellitio circumſepiuntur pavidus terrearis. Iſtos formidas qui per ſcelerum prærupta ludis tribulis conſita, horumque punctionibus, quibus dolendum erat exultas? O quam ſapit lætitia hæc inſipientiam! quis enim priuſquam deſipiat dulce vocat amarum, & econverſo? Ut judices quàm ſint viæ ſæculi difficiles, & qualiter juſtus degat laboribus expers, audi M. Gregorium: *gravis labor eſt hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit noverit diu ſtare non poſſe. Sancti autem viri quia tranſeuntia non amant, non ſolum nulla temporalium deſideriorum pondera tolerant, ſed & ſi qua adverſa conſurgunt, in ipſis ſuis preſſuris, & languoribus non laborant.* Malum niſi perſonam induat boni appetitum allicere nequit, juxta philoſophorum regulas; econtrà bonum niſi apparenter malum ſit, non refugit voluntas. Unde manifeſtum eſt quod peccati jugum ſuave putatur; virtutis autem onus importabile: crede tamen hanc non adeo laborioſam, quàm ſcelerato crimen extat.

D. Greg. M. l. 6. moral. c. 7. tom. 1.

Vinculis mancipaverat Herodes eum qui Monarchiæ Supremi dono ligandi ſolvendique poteſtatem acceperat. Hæc ut D. Lucas referret, minutiſſimè rem depinxit: & catenarum, meminit, & cuſtodum, cum pro

rei narrando eventu ſat eſſet ſcribere Petrum dormientem ab angelo excitatum evaſiſſe. Act.12. 6. Ait ſic : *erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus : & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Non otiosè narrat cuſtodiam ; ita nobis anſam divinus præbuit Spiritus ut animadvertamus quàm aliter eandem noctem Petrus, cuſtodeſque traduxerint. Ille catenarum pondere preſſus dormiebat ; iſti verò intenti cuſtodiæ vigilabant. Petrus jam ſomno refectis artubus libertati redditus erupit incolumis ; ij fruſtraneo labore vacuum ſtipantes carcerem, inſomnem duxere noctem. Vigilaſſe cuſtodes textus inſinuat clarè, dum eos actu cuſtodire carcerem aſſèruit : *& cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Ipſos deinde poſt Apoſtoli exitum ſicut antea uſque ad ſequentem lucem manſiſſe cuſtodientes carcerem clauſum, nobis indicat Gloſſa Interlin. ad illud : *facta autem die*, &c. ubi commentatur : *apparet quod clauſum reliquit Petrus carcerem : quo aperto non eſſet ambiguum eum evaſiſſe.* Ipſi de Apoſtolorum principis evaſione ignari vigilabant ſervantes eum fruſtraneè. Expende modò Petrum artus quieti dantem ; cuſtodes verò vigilia ſemetipſos laboriosè fallentes. Non miraberis de hoc ; ſed alienæ documentum experientiæ habebis obvium. Nil etenim eſt mirum quod inſons quieſcat ſecurè, malique fatigentur inaniter. Apoſtolum carceri tradidit virtus ; cuſtodes inibi poſuit ſcelus. Iſtorum vigilia pro innocentis vincti cuſtodiâ crimen erat : proindéque ipſamet culpa illos quiete privavit, in caſſumque laborare coëgit; Petrum autem cui carcer extitit fidæ fortitudinis, & ſtrenui amoris officina, quamvis catenis obrueretur, & mortem expectaret, ſuavi ſomno deditum invenit libertas. Accipe Chryſoſtomum : *erat enim, inquit, vinctus, ac traditus militibus & dormiebat, ita erat hilaris, ac nihil prorſus immutatus, & gravis illum habebat ſomnus. Dormiebat minima cura*, &c. Vides quàm ſit peccatori laborioſum delictum ; juſtoque virtutis onus leve ? Hinc judica pueriles hominum lachrymas, qui fingentes laborem in præcepto, dolent magnopere quoties incepto virtutis itinere difficilem experiuntur viam : quam, licet arcta ſit, nihilominus Regis Regum exempla, commilitonum ſocietas, præmiique magnitudo, pronam reddit amanti.

Gloſſ. Inter. ibi n. 18.

Chryſoſt. hom. 8. in epiſt. ad Epheſ. to. 4.

12.

Hoc unum ſuſpicor, imò & aſſeverare audeo, ipſummet ſummum virtutis apicem, quod fragilitas noſtra judicat inſuperabilem, ſi malo fine ducente quæreretur, non tantùm facilè, ſed voluptuosè tenendum fore. An non quidquid recto fine virtus exequitur, diabolus præcipit ſimiliter ſuis ex mala tamen intentione, perficere ? Ita quidem, *habet enim diabolus & manſuetos & humiles, habet caſtos, & eleemoſynarios, & jejunos, & omnem ſpeciem boni, quam creavit Deus ad ſalutem, ipſam ſpeciem & diabolus introduxit ad ſeductionem.* Sic Author operis imperf. Non tamen peccatores aliquam difficultatem fateri audio in obedientiâ tyranni adeo domini. Ideo dicam : id quod inter virtutis opera difficillimum, ſi malum foret, experireris quam ſuave.

Imperf. ho. 4. in Matth.

Temerè dictum putas ? Non dictum ſed factum Samſonis eſt. Hic Philiſtinorum damno, Iſraëlis præſidio, cunctorum ſtupori natus, inter Nazarenorum ritus, futuræque ſtrenuitatis expectationes adolevit. Illius fortitudo ſolo cupidinis arcui pectus inerme præbuit : nec niſi ſagittarius hoſtis percutere auderet eum cum quo nullus tutò certaret cominus : utpote cujus in conſpectu ſic trepidavere fortiſſimi, ut illius oculos poſthac eruerint, quaſi formidantes vel ab eo videri. Animadverſione dignum reputabam quod non ſemel occurrerit illi mulier alienigena quam adamaret ex Philiſthæorum progenie. Ter Samſonem legimus amore ſaucium, & hoſtium filias deperiſſe. Primùm in Thamnatha deſcendit, unamque de filiabus Philiſthiim concupiſcens in uxorem, ait parentibus : *vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philiſtinorum : quam quæſo ut mihi accipiatis uxorem.* Judic.14.2. Secundò abiit in Gazam Allophylorum urbem, *& vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eã.* Ibi c.16.1. Tertiò petiit vallem Sorec, & in ditione Philiſtinorũ perfidæ tradidit amaſiæ cor imprudens. *Poſt hæc amavit mulierẽ quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* Ibi n.4. Cernis quàm peregrinus fuerit Samſonis amor ? Inter Iſraëlitarum filias nullam elegiſſe placuit ? quamvis audiret genitores dicentes : *numquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philiſthiim, qui incircumciſi ſunt ?* Ibi c.14.3. Inimicas quærit quibus amorem dedicet non ſanum ? Hæres meritò in fragilitate robuſtiſſimi. Sed quæſo : quid eſt inter Dei præcepta ſervatu difficilius ? Inimicum diligere. Ne dubites : audi Theophylactum de inimicorum dilectione loquentem : *diligite inimicos veſtros. Venit ad verticem virtutum, quo quid majus ? Non eſt autem impoſſibile. Moyſes enim & Paulus Judæos contra ſe inſanientes, pluſquam ſe ipſos diligebant, & omnes ſancti ſuos inimicos.* Theophylac. in c.5. Matth. Optimè pro amore hoſtium ſuadendo. Plures tamen audies ad hæc & ſimilia reſpondere ſanctitatis proceres inimicorum dilectionem attigiſſe ; hoc vero non omnibus datum. Idcirco alio argumento utar, & noſtra ſimul theſis comprobabitur. Dic ergo : & Samſon cui Philiſthæas diligere venereo amore ratio vetabat ; lex autem ſcripta prohibebat eas proſequi uxoria dilectione, proclivis erat in amandas inimicorum filias ? Cur ergo dicemus hoc ſolis datum eſſe juſtis excellentibus ? Ad propoſitum nunc theorema revertamur. Illud inter Dei præcepta difficultate maximum, ſcili. inimicorum amorem, ſi virtus eſt, refugit adimplere mortalium debilis conditio. Idemmet ipſe hoſtium affectus, dum ſcelus erat, ita capiebat appetitum Samſonis, ut non niſi fœminarum hoſtilis populi amatorem legamus eundem. Utquid ergo fragilitate cupiunt excuſari qui pro vitiorum ictibus excipiendis nihil pavent ? Ad crimen ſtrenui, pro virtute pavidi, legis difficultatem præſentientes homines hujuſmodi cæduntur ſuperiorum labiis : ſtultitiæ meritò notantur iſti juxta doctrinam

Sapientis:

ſapientis : *ſtultus cæditur labiis.*

13. *Peccator ſollicitat labores ; juſtus quæritur ab eis.*

Hoc diſcriminis eſt (aliis omiſſis) inter utroſque labores, nempe virtutis & vitij, ſcili. quòd ſi culpabilis eſt afflictio, iſtam quærimus ; ſi verò laudabilis, eam refugimus. Quidni amemus peccati laſſitudinem tamquam delicias ; virtutis verò mortificationem deteſtemur ut onera ſumma ? De mundanis ait ſententioſè Auguſtinus : *miſeri amici hujus mundi, tam timent ab ejus amplexibus ſeparari, ut nihil eis ſit laborioſius, quàm non laborare.* Unde qui vitia diligunt, gratos quærunt ſibi cruciatus. Aliter ſe habet rectè operans : hunc adverſitas quærit ut premat.

D. Aug. l. de vera religi. c. 35. fine. tom. 1.

Apud Pſalmographum, nomine viri ſpiritualiter degentis dicitur : *tribulationem & dolorem inveni.* Alibi non ſic ; ſed inverſo ſtylo ſcribitur : *tribulatio & anguſtia invenerunt me.* Hujus diſparitatis rationem perquiram. Conſului Auguſtinum pro loco priori, & reſpondit in hæc verba : *dicebat tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi. Invenit tribulationem tanquam aliquid utile* &c. Hic igitur contribulatus (quiſquis ille ſit) in peccatis erat: nam Auguſtinus loco citato addit: *putruerat tabe peccatorum ſuorum* &c. Non mirum quòd dolorem invenerit iſte, quia peccatoris proprium eſt non laborem expectare ; ſed eidem occurrere obviam. At in alio pſalmo non ita lego ; ſed ad patientem veniſſe anguſtias, quaſi hæ requirant illum : nam juſtus eſt qui loquitur ibi. Accipe Ambroſium ad hunc locum : *quærunt*, ait ille, *tribulationes, & neceſſitates juſtum, & interdum inveniunt ; interdum non inveniunt eum.* Iuſtus preſſuras, quibus probatur, non ſolet quærere : idcirco ipſis anxiatur fragilis patientia ſæpe. Difficillimæ ſunt quamvis latæ criminum ſemitæ : nullus tamen, dum in eis verſatur, laborem deflet, quia illum diligit adeo ut eundem ſummâ diligentiâ quæritet. An non laborioſa perſcrutatur, qui præruptos ambitionis clivos aſcendere nititur ? Qui per vindictæ flammas apprehendit honoris vani fumum ? qui ut inutilia ſibi coacervet, fluctibus ſe committit incertis ; imo certiſſima diſcrimina provocat ? Iſtiuſmodi ſervitute dura gravatis, nec dolentibus, non ego dicam, ſed Auguſtinus repetat : *flores ejus quomodo colligeres qui à ſpinis non revocas manum ?*

Pſ. 114. 4.

Pſ. 118. 7.

D. Aug. to. 8. in pſ. 49.

S. Ambr. to. 2. in pſ. 118. octon. 18. to. 2.

D. Aug. in pſ.

14. *Si peccator cerneret vitiorum ſpinas, mutaret viam.*

Spinas inquam iſti legunt : & vel eas poſt terga mittunt, vel imponunt capiti, ceu roſeam coronam : incredibile namque videtur, quòd, ſi præ oculis eſſet improbus labor, ad quem nos cogunt ſponte vitia, non illa mox execraremur. Opportuniſſimè Gregorius M. adeſt. *Unde & rectè nunc dicitur : & eſſe ſub ſentibus delicias computabant : quia peccatorum delectationibus preſſi, ex affectu vitæ præſentis quàm ſint aſpera quæ patiuntur ignorant. Lætantur itaque ſub ſentibus : quia rebus quidem temporalibus gaudent : ſed tamen dum diſpenſare ſine tribulatione eadem temporalia non valent, eâ curâ punguntur miſeri quâ premuntur, manent ſub ſentibus, & hoc ipſum delicias æſtimant* &c. Si ſpinetum quod placet objiceretur oculis peccantium, deteſtarentur viam ſpinis implicatam.

D. Greg. M. l. 20. moral. c. 16. tom. 1.

Introducitur apud Oſeam Iſraël ſibimet-ipſi blandiens, ſic : *vadam poſt amatores meos, qui dant pauperes mihi* &c. Sed per eundem vatem Dominus comminatur ei. *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis* &c. Quid appoſiturum ſe minitatur Deus iniquorum viæ ? ſpinas ? an ibi deerant illæ ? Minimè quia voluptates ibi florent, ſollicitudines pungunt : quæ quidem ſpinæ ſunt omnia ſementem patrisfamilias ſuffocantes juxta expoſitionem parabolæ ab ipſo Divino Magiſtro datam apud Lucam. *Quod autem in ſpinas cecidit : hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur.* Quid ergo novi facturus eſt ut malos avertat à via ſua ? Spinas in ſepe coacervabit, & in via coram oculis poſiturum decrevit Iſraëli. Quod ubi primùm faceret, non laterent ſpinæ : ac ſemel quòd eas iniqui vidiſſent, viam, quam uſque tunc ipſi tenuerant, averſarentur : *& dicet : vadam, & revertar ad virum meum priorem* &c. Non parum clementer agit cum peccatore Deus ei ſpinas delictorum ſocias detegens, ac eorum punctiones dolere quaſi cogens. *Igitur*, inquit Rupertus ibi, *quod nunc ait : ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam macerie, magnæ eſt miſerationis, nam ſi non id faceret, tunc potiùs iratus, & miſerationum ſuarum oblitus eſſet Deus, quemadmodum Pſalmiſta cum dixiſſet : exacerbavit Dominum peccator, continuò ſubiunxit : ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. Spinæ namque adverſitatis utiliter compungunt, atque lacerant pedem ad mala currentis, & inhiantis deliciis perniciosis, ut ſaltem ſpinarum talium punctione, taliſque maceriæ offenſione commonita rationalis anima dicat : vadam & revertar* &c. Hæc ſunt vulnera ſalutaria ; non illa quæ imaginatur ſuperba phantaſia ſubditi cum præcipientis ore quaſi flagro ſe feriri putat: *ſtultus cæditur labiis.*

Oſc. 2. 5. &

Luc. 8. 14.

Oſee 2. 7.

Rup. l. in Oſeam c. 2.

15. *Deus vult à ſe vocatos non tantùm venire ſed ſponte.*

Ad finem dubius hæſitabam, quonam Deus fine per hujuſmodi quo cæditur dolorem ſoleat improbum ad ſe trahere. Divinæ gratiæ difficile non foret ejus mentis oculos illuſtrare ut veritatem perciperet, ac ratione ductus viam dexteram peteret ; non autem quaſi compulſus. Potius vult Deus eum ſic ad meliorem frugem vocare : quia ſi peccator veritatis vi cogente reſipiſcit, velut rationis imperio coactus obedit. At vero cæſus dolore, quamvis priùs reluctetur, nihilominus tandem aliquando, ut angoris remedium veniat, Deum quærit : ac aliquatenus accedit ſponte. Author gratiæ vult à ſe vocatos non tantùm venire ; ſed ſponte: ait enim Dominus, ut S. Thomas à Villano. dixit ejus nomine : *non accepto coacta ſervitia, neminem facio mihi ſervire invitum :* non adacta Deus, obſequia vult ; ſed ultronea.

S. Thom. à Villano. Ser. 3. d. uno martij.

Aſcendit clamor delictorum Ninive ad aures æquiſſimi judicis : pietatemque de more ſuo copulans vindictæ, ptophetam dimittit, ut ventura mala nuntiet Ninivitis. ille veritus revocandam ſententiam comminatoriam,

natoriam, quod sibi putabat indecorum, inobediens Domino fugam arripuit,& conscendit navim, ut appelleret Tharsis. Divinâ providentiâ jubente, oborta procella ratem quatit miseram: & cùm esset è nautis unicus transfuga,cunctos pœna poscebat mortis. Dormiebat Jonas,& suscitatur,atque monetur ut oret. Furit adhuc pontus: & sortibus missis deprehensus rebellionem deponit Jonas, traditque semetipsum ut committatur fluctibus unus pro cæteris, ne tota gens pereat. Devoratur à pisce: vectusque viventi navigio, scili. ventre ceti appulit portum: ex quo civitatem petiit prædicaturus, obsequens jam Dominicæ jussioni: & *surrexit Jonas, & abjit in Niniven juxta verbum Domini.* Ad quid quæso hæc cuncta? Facillimum Deo foret per angelum deferre vatem ex domo sua in civitatem Niniven de crine suspensum: sicut alter detulit Habacuc in lacum ubi Daniel leonibus traditus: quare non ita Jonæ accidit; sed naufragium expertus est, à cete voratur, & indigestus evomitur? Habacuc non cogitur quamvis crinibus apprehensus fuerit: unde non mirum hoc modo pergat, seu potius feratur. Jonam verò si Deus mitteret similiter, compelleret obedire mandato: Deus nollet obedientiam compulsam: voluntatem nostram quærit: cùm etenim sola inter humanas facultates libera sit, ejus est obsequium præstare Deo: quod nisi sit liberum à coactione, obsequium propriè non vocetur. Idcirco Dominus voluit non tantùm ut propheta Jonas transferretur quò jusserat ille; sed quòd ultrò iret. Naufragio punivit illum, cetoque tradidit, ut intra hujus viscera mutaret arbitrium, Deique voluntati sese contemperaret, ac sic sponte demum vaderet quò iturus erat. Ecce ad quid proficua sunt flagella, omissis aliis eorum emolumentis, de quibus alibi. Hæc scit expendere sapiens; *stultus cæditur labiis*, adversùs medicum secantem, & cauteriis medentem obmurmurans.

Jonæ 3.3.

DELIBATIO III.

Dei exacta remuneratio. Amoris cognitio peracuta.

16. *Quidquid velles, & non vales, factum Deus computat.*

Sapiens corde præcepta suscipit. Dupliciter exponere licet sapientis, hoc est justi, nomen: primo sic ut ei tribuatur solummodò, qui jam consummatæ justitiæ præconia meretur: secundò si de illo, qui viam salutis arripit dives desideriis, & virtute pauper, accipiatur. Perfectos modo linquamus,quia hos non opprimit egestas; cæteris nonnihil moralis doctrinæ suggeram. Ut qui sapientiam anhelus investigat,docentis ab ore pendet: ita qui justitiam acquirere cupit, præcipientium avidus excipit mandata.Hoc est inter utrumque discipulum satis latum discrimen: scili. quòd nequaquam dicitur sapiens qui nil præter desideria sapientiæ collegit adhuc. At verò justus vocari potest is qui rectos figere gressus in via salutis optat, si desiderium exornet ut oportet. Dei sapit stylum hic loquendi modus: nam Supremi Domini propriissimum est suorum desideria pro factis (nullo fallente) supputare. Ne liberalitatem solventis debita Remuneratoris summi diffiteri possimus, ultra condignum bene meritos munerat. Ipsis quod peragere cupierunt, velut executioni datum compensat. *Ego enim voluntatem coronare soleo, & propter mentem præmia præsto,* inquit loquens Dei nomine Chrysostomus. Hanc divinæ retributionis largitatem ut clariùs agnoscas, illam sub hoc dilemmate partiamur. Vel affectum quo præcordiis exardescit homo valet opere complere; vel executioni vires non suppetunt. Quodcumque dederis accipies certissimi solutoris Domini præmia, quasi desideria rebus consummasses: etsi vel non potueris, vel omiseris vota re perficere non debita prorsus. Faciliùs occurret pro desideriis ejus, cui non ultra datum quàm exoptare circa subjectam materiam virtutis, aliquid quo dictum roboremus.

Chrysost. to 1 hom. 47. in Gen. 22.

Postquam sub parabola Virginum, aliaque rationis de talentis reddendæ similitudine, Dominus incorrupti, finalisque judicij, timorem incutere curavit audientibus: jam sepositis umbris, doctrinam inculcat eandam. Judicis majestatem angelorum famulatu condecoratam, judicandorum copiam ex orbe toto collectam, supremæque tandem sententiæ decretum, proponit. Hoc tantùm juvat expendere: *tunc dicet rex his, qui à dextris ejus erunt: venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare* &c. Scio hæc juxta ipsiusmet Redemptoris interpretationem, de misericordia pauperibus exhibita, luce clariùs, intelligi: *quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Attamen difficilè capiebam quare de justis omnibus eleemosynas erogasse Dominus asseret: cùm ex illis plurimos reperiamus, vel paupertatis violentia depressos, vel præ occasionum inopiâ, nullum vestisse nudum, famelicumve saturasse: qui tamen adepti fuerunt amicitiam Dei saltem sub vitæ finem: proindeque sententiam prædictam audituri sint ex ore Domini. Sane præfata verba cunctos, qui à dextris erunt, universim tangere probat indefinitus locutionis modus: *dicet rex his, qui à dextris erunt* &c. Illi ne, quibus nunquam permisit sors egenis quicquam erogare, paverunt famelicos? potarunt sitientes? operuere nudos? Memini certè Maldonatum hîc sensisse, nõ de solis operibus misericordiæ Dominum die judicij mentionem facturum. Sed sto potius cum D. Petro Chrysologo, qui oppositum docere uidetur. *Quod*, inquit, *Abel passus sit, quod servavit mundum Noë, quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum quod comedit pauper.* Sed quæro quomodo eleemosynam donaverunt illi qui nihil possidebant,

Matth. 24. 34.35.

Ibi n. 40.

Chrysolog. serm. 14.

bant justi. Satis erit, Supremi judicis æstimatione, circa miserorum auxilium hos desiderio flagravisse, quò veluti factum computetur à Domino quidquid ex animo cupientes exequi non valuerunt illi. D. Augustinus, licet aliorsum; opportunè tamen: *quidquid vis & non potes, factum Deus computat.* Eâ de causâ, quamvis permulti dextra Domini digni, nullum cibaverint egenum: nihilominus etiam istis inquiet: *dedistis*: ut enim debita largus retributor multiplicet, animi studia tanquam facta solvit.

D.Aug.to.8. in Ps. 57.

17. *Deus antequam bene opereris, te quandoque remunerat.*

Hoc adeo verum est, ut præscia Dei magnanimitas, muneret aliquando futura vota priusquam sint. Præventio in bello pars victoriæ. Anticipat Deus cogitationibus nostris præmia nonnunquam sua: nam quasi nobiscum in donis pugnat, superatque volentes: *donis certare cupit, & beneficiis semper vincit mentem nostram*, ait S. Joannes Chrysost. Unde quandoque, non postquam saltem mente bene operaris; sed ante bonam cogitationem, remunerat futurum obsequium.

Chrysost. to. 1. homili. 47. in Gen.

In cruce medius inter duos latrones Christus Dominus, quamvis rei personam egerit; judicis figuram exhibuit. Unde Ambrosius: *unus à dextris, & alter à sinistris, quia sic erit in die judicij.* Accinit Rupertus dicens: *Salvatoris nostri, qui duorum medius latronum, in cruce utrique juxta fidem, vel meritum suum dignam dedit sententiam.* Igitur dexteram (quæ locus electorum est) Dei Filius concessit Dimæ. Quandone? Post conversionem? Minimè: jam enim antea ibidem erat, cùm adhuc blasphemaret, juxta illud: *qui cum eo crucifixi erant, improperabant ei*: & apud Marcum: *qui cum eo crucifixi erant convitiabantur ei.* Unde dixit S. Titus Bostrensis: *intio uterque latro æquè ac Judæi Christo insultabat.* Paradisum non nisi post fidem ac orationem pollicetur latroni? dexteram verò priusquam in mentem Dimæ veniat Christi Domini partes agere, non promittit; sed largitur eidem? Sic Judex se gessit æquissimus: quia paradisus præmium non erat, si sequamur sententiam illorum Patrum quos refert subscribens illi Maldonatus, dicentium per paradisum hoc loco intelligi sinum Abrahæ, quem scimus non fuisse beatitudinis locum; sed veluti depositum usque ad Ascensionem Christi Domini, ante quam nullus coronam præripuit, ut notum est præsertim cùm esset locus ille aliquo modo pœnalis, non quidem per modum supplicij (quia verè quies erat & solatium inveniebatur ibi;) sed tanquam impedimentum ad fœlicitatem perpetuam; etsi verè fœlix esset mansio. Videri potest Suar. de mysteriis vitæ Christi. Cùm igitur locus ille, qui dicitur hîc paradisus, non esset remunerationis titulo donandus latroni: non erat cur ei conferretur anticipata liberalitate, priusquam fide, ac dilectione promeruisset præmiari. At vero dextera Filij Dei locus præmij dicendus est, quia sic erit in die judicij, cùm Dominus *statuet oves quidem à dextris suis*: commentatur ibi Dionysius Carthus. *ad latus suum dextrum tanquam in loco digniori.* Dexteræ honorem, qui præmij pars erat, ante quàm Dimas cogitaret de obsequio aliquo præstando Redemptori, contulit ei benignissimus Dominus prævenies illius meritum celerrima largitate. Hæc est divinæ magnanimitatis indoles: vincit ocyssimè præcurrens etiam cogitationis humanæ velocitatem, ut nulli cedas.

Matth. 27. 44. Marc. 15. 32. S. Tit. Bostr. in expos. Evang. fer. 4. hebd. majo. Maldon. ad c. 16. Matth. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 42. sect. 2. §. Secundò dicendum. Diony. Carthu. ibi art. 40.

Nunc ad aliam Superioris dilemmatis partem accedamus. Sic est divina liberalitas in præmiis magnifica dividendis, ut plures qui desiderata perficere noluerunt, præmio donentur ob desiderium, tanquam si complerent opere votum. O inexhaustæ munificentiæ pelagum! Desideria justorum ab affectu promanant: *desideria*, inquit Venetianus Præsul, *autem ab amore tanquam calor ab igne prodeunt.* Unde non possunt non esse dilecto gratissima. Sed ultra metas excurrit in solvendis illis Dei manus. Multoties conatus, quibus voluntariè denegata est executio, numerat inter facta quibus obstrictum se fatetur Deus.

18. *Quod cupis & omittis, Deus aliquando vellut factum remunerat.*

S. Laur. Just. d. disciplin. & perfec. monast. conver. c. 6.

Post Eucharistiæ Sacrosanctæ convivium expletum, Christus Dominus adventare sciens passionis turbinem, suos doctrinæ salutaris ferculo muniebat. Inter alia propinavit hæc: *vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo: & sedeatis super thronos*, &c. ubi Liranus: *in tentationibus meis: quia imminebat agonia suæ passionis.* Videamus quî fieri possit, ut vel nunc affirmari queat discipulos passionis tempore, quinimò & in agoniâ Salvatoris, permansisse. Dum sanguineis lachrymis toto corpore dispersis ingratitudinem deplorabat humanam Dei Filius, tres discipulos, quos elegerat socios, demerserat somnus; cæteris loco distabant: unde vix capio quòd Apostoli permanserint agoniæ tempore. Si de conflictu, qui Christi Domini comprehensione cœpit, accipienda veniat Liræ sententia, difficilius adhuc inveniemus quo sensu verificari valeat: nam quomodo permansisse dicentur, qui *relicto eo fugerunt*? Quâ lege regnum discipulis in perseverantiæ præmium statuitur? Divinæ magnificentiæ stylus hic est. Permansisse dicuntur quia constanter Magistrum comitari cupiebant. Tres Apostoli levandis cruciatibus Gethsemani præ cæteris delecti dormierunt equidem; sed *præ tristitia*, ut S. Lucas dixit. *Erat somnus non torporis sed mœroris*, inquit ex Chrysost. Divus Thomas in catena. Et cùm non peccaverint in fuga mortaliter, servaverunt Christi amorem, & consequenter desiderium permanendi cum eo: *illorum autem*, inquit Theophylactus ibi, *qui permanserunt in amore erga illum, tantum prædixit fore honorem ut*, &c. Unde verò neutiquam simile videtur, desideria vigilandi Apostolis defuisse: præsertim cùm vitam pro Domino dixerint oblaturos: *etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter omnes discipuli dixerunt.* Fateor illos terga dedisse: cùm tamen infirmitas non abstulerit desiderium constantiæ, hoc votum Filius Dei, ac si perseveraturi forent,

Luc. 22. 28. 29. 30. Lira ibi. Matth. 26. 56. Luc. 22. 45. D. Tho. in cate. ex Chrysostomo. Theophylac. in 22. Luc. Matth. 26. 35.

persolvere disponebat : eosque de permansione laudavit, quasi vicem operis apud illum subeat nuda voluntas : *permansistis*, inquit, *mecum in tentationibus meis*, &c. Salomonis manu divini Spiritus calamus hîc Sapientem, ideſt perfectum, vocat etiam illum qui bravium æternitatis adipisci studens accingitur itineri perfectionis, præceptorum cingulo, quem de superioris manu suscipit libens, verè jam *sapiens*.

19. *Quod non amatur, nescitur.*

Regredere iterum ad paræmiæ nostræ verbum illud, *corde*, non enim pondere vacat. Etsi propositum dogma, quod emedullare contendimus, de sapientia practica duximus intelligendum, circa rectè agenda, malaque vitanda : Et hoc potiùs ad voluntatis arbitrium, quàm ad intellectus aciem spectet, ideoque Salomon scripserit : *sapiens corde* : licet, inquam, hæc ita sint ; attamen juxta quosdam, hæc sententia de præceptorum doctrinâ maturius hauriendâ valet exponi : quasi dixerit Salomon : qui sapientiam corde locavit, sit velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum : ne stultitiæ notetur, & priusquam satis ebiberit doctrinæ, suamet fatuitate cædatur. Juxta horum expositionem versemus illud nomen, *corde*, sapientis conjunctum adeo titulo, ut quemquam prius corde quam intellectu sapere videatur insinuari. Quid cordi cum sapientia ? Scientia intellectus proles ; cor verò amori sedes. Voluntatis arbitria libera relinquit ratio ; cognitio libertate vacat. Ergo quo stylo pronuntiari potest quisquam ex corde sapiens ? Divino, mysteriisque gravido. Conditor omnium, humanæ reipublicæ, quæ intra nos est, politicam gubernationem sic instituit, ut voluntas executioni daret præcepta intellectus : ideo præire fecit cognitionem arbitrio : voluntatem cæcam produxit, ut intellectu manu ducente, pedem illa figeret à discrimine tutum. At postquam vitiata fuit natura, rebellem adeo se præstitit rationi, ut ejus principatum præripuerit. Indeque fit ut jam corde sapiant mortales, quasi scientiam ducat amor ; & econtrariò, si desit affectus, cæcitas adsit.

D. Ambr. l. d. bono mort. c. 9. tom. 1. *Errat igitur oculus ubi errat affectus*, ait S. Ambrosius. Quod non amatur, nescitur.

Post fratrum odia, captivitatem Ægypti, Dominæ perfidiam, carceris ærumnas, Josephus emersit, velut cessante procella naufragus littoris aureâ securitate potitus. Sors illi pridem avara, quin & noverca, non minùs ac si facti pœniteret illam, cuncta restituit insonti. Josephum à dilecto patre diviserat : alienis regionibus exulem fecerat, libertate spoliaverat, carceribus addixerat. Denique Jacobi parentis loco reddidit ei Pharaonem : pro exilio regiam Ægypti : pro captivitate dominium : pro carcere gubernationis fastigium donavit. Angitur interea dira fame terrarum orbis : & Jacob gnatos Ægyptum petere jubet ut alimentum pretio comparent. Illi curiam ingressi Josephum

Gen. 42. 8. adorant : *& tamen fratres ipse cognoscens non est cognitus ab eis*, inquit historiographus. Et quænam huic discrimini causa ? Si temporum decursus ignotum reddidit Josephum : cur non & fratres ? Vitium superbiæ maximè proprium est, sæculique magnatibus familiare, sic despicere pusillos, ut eos agnoscere dedignentur. Hic video inverso more Dynastam abjectos dignoscere ; quantumvis ei fratrum præsentia refricaverit initia conditionis propriæ. Quid causæ ? Dicerem Josephum dilectionis flammâ præeunte suos agnovisse ; qui amoris erga fratrem igne destituti, hallucinabantur, ita, ut germanum minimè noverint. Sanè Joseph, quamvis tum temporis erga fratres exhibuerit severitatem ; simul eos amore prosequebatur : imò, ut Lipomanus ait, *austeritatem fingit ut charitatem exprimat ampliorem*. Lipom. ibi. De fratribus verò aliter sentit Augustinus : *ille pro odio reddit charitatem*, ait S. Doctor, *& cum videret fratres suos, imò inimicos ex fratribus, cumque ab eis agnosci vellet dilectionis affectum pio dolore testatus est ad eos*. S. Aug. ser. 83. d. temp. Et licet Ruben impediverit Josephi necem, hoc non probat amorem erga illum : quia non ausus est palam eripere fratrem, quod notavit Chrysostomus, dicens : *non audet manifestè eripere fratrem* ; non autem Germanos minores natu ille timeret, si diligeret verè Josephum. Chrysost. to. 1. hom. 61. in Gen. Tum etiam quia hoc fecit Ruben, *quia se magis suspectum fore, tantumque pondus criminis in se versandum existimabat*, inquit Rupert. Ruper. l. 8. in Gen. c. 24. Non ergo amor Josephi convincitur in eo. Similiter dicendum videtur de Juda qui venditionem ejus persuasit. *Judas quidem*, ait Rupertus, *cogitavit de fratre suo malum*. Ruper. ibi. Si eum amaret, hoc non pateretur dilectio. Suspicor proinde quod novit Joseph fratres, quia diligebat eos ; illi verò cùm non amaverint ipsum, ignorabant eundem. *Fratres ipse cognoscens non est cognitus ab eis*. Amor intellectui face præit. Quinimò in rebus altioris indaginis, in iis nempe, quæ spiritum concernunt, *tenebras hebetudinis illustrat oculus amoris : nam hoc tardioribus sitis aperit quod velocioribus fastidium claudit : qui idcirco ad intelligentiæ alta perveniunt, quia agere quæ intellexerunt vel minima nulla contemnunt, & dum sensum manibus adjuvant, sese ultra altitudinem ingeniosorum levant*. Sic M. Gregorius. D. Greg. M. l. 6. moral. c. 5. to. 1.

20. *Amans vel sapientissimo anteitur.*

Attamen hoc fateri non piget : scili. quandoque non vitio rebellis naturæ, sed amoris lincæa perspicacitate, diligentem præcellere sapientissimum quemque. Intellectus acumen multoties falsa deluditur specie ; cordis obtutus (nunc seponamus ea quæ bonum animæ attinent) vix deceptioni patet : nam intellectus utitur objecti similitudine pro cognoscendo : sæpeque fit ut falsæ rerum imagines objiciantur illi pro veris. Amor non ita : quippe qui non extera utitur specie cùm ipse dilecti sit imago. Utque nemo se decipit ipsum : sic affectus penè falli nescit. *Neque Demosthenes, neque Cicero, ita loquitur sicut amor*, inquit S. Thomas à Villaoo. S. Thom. à Villano. ser. Dom. 17. post Pent. Imò jam accidisse memini sapientiæ laude celeberrimum amantem consuluisse pro veritatis attingendo scopo, fœliciterque ductu illius, erroris periculo propulsato judicasse.

Salomonis factum refero. Sapientiam exoraverat ipse illum à quo fluit omne datum,

tum. Inauditâ matrum lite Regis prudentia cœlitus data primum subiit examen. Genitrix duplex, unici filij dominium ambiebat. Neutra valebat proferre documenta, quibus veritas eluceſceret, præter verborum ſatis dubiam fidem. Tunc Salomon litem ſimul & filium gladio ſecari juſſit, ut vel ſic appareret quænam filij mortem exhorrens, veram ſe pueri matrem demonſtraret. Commotis hoc decreto maternis viſceribus, poſtulat vera parens ut adverſariæ ſuæ filius adjudicetur, minimè ferens corporis quod genuerat dimidium accipere, cùm animæ ſuæ medietas periret filij nece. Sapiens iſtam verè genitricem prudenter conjectans, illi
3.Reg.3.27. filium tradi juſſit incolumem: *date huic infantem vivum.... hæc eſt enim mater ejus.* Et quid illuminavit Salomonem, ut adeo facilè nodum ſecaret vix diſſolubilem? Genitricem audire, quæ maternam dilectionem erga puerulum oſtendebat? Et nonne poſſet mulier iſta deſiderio ſibi mentiente falli? Pone hunc, quem certè genuerat, ab illa minimè genitum fuiſſe; ſed putatum ſuum. Similiter equidem illius mortem conaretur avertere. Cur, quæſo, Salomon ita fidit hujus mulieris judicio, ut ex illa natum non dubitet quem ſuum exiſtimat ipſa? Putarem ſapientiam veluti cedere amoris ingenio non recuſaſſe. Amabat mulier; ſapiebat Salomon: quid mirum quod judicio fœminæ prudentiſſimus rex dignaretur ſubS.Ambr.l.3. de Spiritu S. c.7.tom.4. ſcribere? *Vir ille ſpiritalis*, ait Ambroſius, *qui dijudicaret omnia (ſpiritalis enim dijudicat omnia) naturam in affectibus quæſivit, quæ latebat in vocibus: & pietatem interrogavit ut proderet veritatem.* Ecce docuit amor ſapientem. Sapientiâ maximum antecellit acie cor dilectione ſaucium. Jure optimo tribuit cordi Salomon ſapientiam, dum ait: *Sapiens corde.*

DELIBATIO IV.

In legiſlatore damnatur multitudo legum, & defectus exempli. In doctore laudatur converſio peccatoris.

21. Subditus adverſus legum pluralitatem audet perofus eam.

VErbatim proſequar, ut ſoleo, reliquum apophtegmatis, quod uſque nunc expoſui. Duo verba reſtant ex illius priori parte. *Præcepta.* Pluralis vox eſt; ſed non ideo credas in multiplicitate præceptorum perfectionem regiminis optimi ſitam eſſe: ſicut nec ex pluralitate medicamentorum judicatur prudenter excellentia medici. Nocent potius, quàm proſunt imprudenter agglomerata pro ſubditorum delictis medicamina. Semel atque bona periit exiſtimatio ſubditorum præcipites ipſi ruunt in vitia: *contemptu famæ contemnuntur virtutes*, Tacitus dixit. Et nihil eſt quod tam facilè famam Reipublicæ perdat, quàm ſi multas ipſi leges imponi paſſim videant exteri: *eſt enim clariſſimum malè inſtitutæ civitatis indicium, ſi leges ſæpe repetantur: quod certè non fieret, ſi à ſapientibus latæ eſſent priores. ac ſemel latæ juberentur, ut convenit, ſervari,*

Tacit. l.4. annali.

Nata.Com. l.27.hiſto.

Hæc Natalis Comes. Dolet unuſquiſque ſuũ periiſſe decus per legum acervationem: & quaſi ſumere vindictam ardens, in earum tranſgreſſionem impatiens ruit: & æger, quod miſerrimum eſt, remediis graviùs ægrotat. *Ut in morbis*, ait Auguſtinus, *non* D.Aug. in epiſto. *ſunt tentanda nova remedia, ſi veteribus ſuccurri malo poſſit: ſic non ſunt condendæ novæ leges, ſi veteres miniſtrent aliquid quo malis Reipublicæ medearis.* Neſcio quo pruritu cietur ad fractionem legum ſubditus, cùm videt ſibi grave jugum imponi.

Pater mendacij diabolus primùm initio mundi mentitus eſt ſupponens, tacitéque aſſeverans Deum Adamo & Hevæ omnium paradiſi arborum eſus interdixiſſe: dixit enim ad mulierem: *cur præcepit vobis Deus* Gen.3.1. *ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* Impudenter falſum commentus eſt adverſarius: unici namque ligni fructum Dominus inhibuerat. Sed quid per hujuſmodi falſitatem putas intendiſſe? Audi Rupertum. *Non* Rup. l.3. in *dixit: cur præcepit vobis Deus ne de illo uno* Gen. c.4. *comederetis, ſed omni, inquit, ligno paradiſi. Cur ergo niſi ut (ſicut jam dictum eſt) paulatim ſerpendo venenum odij, quo ardebat ipſe contra Creatorem, magis ac magis injiceret homini, & cum aggeratione quaſi indigni præcepti conflaret indignationem, excitaretque audaciam rebellandi?* O ſerpentis captioſam aſtutiam! Noverat facile odio haberi legem multiplicem, & execratione illius inobedientiam provocari. Studuit malus ut Primigenia præceptum ſingulare apprehenderet mente, quaſi plures claudens prohibitiones, ut ſic ad rebellionem proniùs inſtigatet. De vafritie hoſtis erudimini qui judicatis terram, credentes per legum agmina ſpirituales inimicos nequaquam ſuperari fœliciùs; imò velut per medelarum congeriem inopportunam, vires debilitari morbido, novas inſuper ægritudines commoveri. Ne hujus doctrinæ contrarium ex eo colligatis quod hîc Salomon pluraliter de mandatis loquitur, dicens: *præcepta.*

22. *Lex potius timetur quia ligatur ea legiſlator.*

Potius adimadvertite an ideo Sapiens dixerit plurali numero, *præcepta*, quia unumquodque licet verbo, ſeu ſcripto, ſit unicum, virtute nihilominus obligandi duplex eſt. De legibus obligantibus, ut aiunt morales Theologi, ex æquo, loquimur. Unaquæque ligat & legiſlatorem, & ſubditum ſi quamvis enim ferentem non cogat ſuperiorem; hunc tamen dirigit. Politices dictamen ſuadet; ut qui dignitate præfertur, legum obſervantiâ præcedat ſimiliter: nam ſi diverſâ viâ ipſe incedit, quomodo ſibi commiſſos ducit calle recto? *Pulcherrimus ordo eſt & ſaluberrimus: ut onus, quod portandum imponis, tu portes prior: & ex te diſcas qualiter oporteat aliis moderari.* Sic reſcripſit S. Bernardus ad prælatum quemdam: ſic ratio dictat: ſic experientia monet. Utinam experientia, ratio, & authoritas perſuadere ſufficiant iis quibus incumbit aliorum directio, legem tunc timeri, & ad unguem obſervari, cum primo loco tenet legis ejuſdem latorem. Non tam lex metuitur quia reprimit ſubditos, quàm pavetur quia ſuperiorem religat.

Videri poſſunt Doctores apud Dian. p.1. tr.10. reſo. 10.

D. Bern. epiſt.201.

Poſtquam

Poſtquam Saül prævaricatus eſt, & abjectus à Deo: tamen adhuc à Domino deſtitutus omnimodè non fuit: expectabatur enim ad pœnitentiam. Conceditur ei victoria non mediocris prælij: quam ut nullâ morâ poſitâ perſequeretur, præceptum impoſuit exercitui, dicens: *maledictus vir qui comederit panem uſque ad veſperam, donec ulciſcar me de inimicis meis.* Hanc tamen legem textus appellat juramentum: *nulluſque applicuit manum ad os ſuum, timebat enim populus juramentum.* Difficile mihi ſanè, quod idem ſit lex & juramentum: nam lex fertur ad alterum; juramenti autem obligatio non egreditur jurantem, eſt enim perſonalis, ut tradit receptiſſima doctrina. Certè dixit ad hunc locum Abulenſis: *hîc nullum juramentum fuit, ſcili. quia ipſe nihil juravit.... iſta autem non erat juratio; ſed imprecatio: potuit tamen per modum legis & mandati, cùm verè mandatum eſſet.* Conſonat S. Antoninus dicens: *Saül autem perſequens eos edictum fecit ſub pœna mortis, quod nullus de exercitu comederet uſque ſero.* Ergo quo ſtylo vocatur juramentum id quod mandatum erat? Quia lex erat ſimillima juramento: nam Rex non ſe ab illo jejunio exemit: fuit ergo verè illud mandatum, quia impoſitum eſt ſubditis: nihilominus ad inſtar erat jurisjurãdi, quia ſuum tenuit authorem. Sed adverte quod cùm de timore plebis, quo præceptum illud reveriti ſunt, & obſervarunt, ſermo incidit, non dicitur: timebat enim populus legem, ſed: *timebat enim populus juramentum:* nam lex potius pavetur quia ligatur ipsâ qui ſtatuit illam, quàm timori eſt, quia premit ſubditos. Conjice quàm proficuum ſit majorum juſſis ab imperantibus obſervari.

1. Reg. 14. 24.

Sanch. to. 1. decal. l. 3. c. 13. n. 1. Fagund. tom. 1. decal. l. 2. c. 22. n. 5.

Abulen. q. 19. in l. 1. Reg.

D. Antoninus 1. p. tit. 2. c. 6.

23. *Vel apparens tranſgreſſio legiſlatoris circa legem ſuam, indicat hanc pervire.*

Hoc ita verum eſt, ut etiam apparens fractio legis, quâ legum conditor præterit ipſam, optimum ſit indicium, quòd jamjam lex vergit in occaſum, *Quicumque dat præcepta hominibus, ad vitam moreſque fingit aliorum... ſi quidem bona ſunt quæ præcipit... & ipſi eodem modo vivendum eſt, quo docet eſſe vivendum, ne ſi aliter ille vixerit, præceptis ſuis fidem detrahat, levioremque doctrinam ſuam faciat, ſi re ipſa reſolvat, quod verbis nitatur adſtruere.* Sic Lactantius: ſed ulterius mente progredi liceat. Eſto quod revera legis author actione ſua non illam effringat: ſatis eſt quod ſic operetur quaſi prima facie tranſgreſſor ejus, ut intelligamus eum velle derogare legem.

Lactan. Firmian. l. 4. inſtit. divin. c. 23.

Aſcendamus ad Summum legum latorem, à quo poteſtas univerſa. *Abiit Jeſus per ſata Sabbato: diſcipuli autem ejus eſurientes cœperunt vellere ſpicas & manducare. Phariſæi autem videntes dixerunt ei: ecce diſcipuli tui faciunt quod non licet facere ſabbatis.* Scio Chriſtum Dominum in hoc eventu legem non fregiſſe. Quæro tamen cur ita ſe geſſerit ut eam tranſgredi viſus fuerit ille, qui ſic ſcandalum vitare curabat, ut ideo tributum, à quo erat immunis, perſolverit Cæſari (nam Imperatori tributum illud ſolvit, de quo apud Matthæum dicitur: *acceſſerunt qui didrachma accipiebant*, juxta veriorem ſententiam, quam ex Hieronymo, & Beda, ſequitur Maldonatus ibi.) Quare nunc circa Sabbati religionem ſcandalum permittit? Quia æquum erat ut citra legis offenſionem, Dominus indicaret ſe decreviſſe vetus Hebræorum inſtitutum prorſus delere: hoc nullo fortiori ſignificare poterat indicio, quàm ſic ſe gerens ut apparenter priſcam legem (cujus author erat ipſe quatenus Deus) tranſgrederetur. Ideo duxit per ſata diſcipulos in die ſabbathi, ſciens putandum à Phariſæis quod non cuſtodiret obſervationem diei per ſcriptam legem ſacratæ. Non multum abeſt Chryſoſtomus. *Quare autem per ſata ſabbato eos ducebat qui omnia præſcivit: niſi quia volebat ſolvere ſabbatum? Volebat quidem, ſed non ſimpliciter: ideoque non ſine cauſa id ſolvit, ſed dans occaſionem rationabilem: ut & legem ceſſare faciat, & legem non offendat,* &c. Sic legitur ex Chryſoſt. apud catenam D. Thomæ. Peribit citò lex ſi videat populus ejus latorem ſic operari, ut eam præterire (ſaltem ad primam oculorum ſpeciem) videatur. Quodcumque mandatum ex iis quæ ligant ex æquo, authorem etiam ſuum dirigit ne ab itinere ſano deviet: unde quaſi duplex ſit, poteſt pluraliter nominari. Non imprudenter effaretur Salomon, ſi forſan hoc ſenſu diceret hoc loco *præcepta.*

D. Thom. in cate. ad 11. Matth. ex Chryſoſtomo hom. 40. in Matth.

Suſcipit. Iterum ad litteralem paræmiæ ſenſum regrediamur, ut alterna fallente varietate minus tenuitatem noſtram faſtidias. Sapiens corde (juſtus inquam) præcepta quibus ad vitam dirigitur ſuſcipit: hoc eſt amplectitur facilè. Non ſimpliciter dixit ſapientem corde præceptorum jugo colla ſubdere, ſed ſuſcipere illa, ſeu pronis auribus excipere. Ignitæ materiæ ſi novum admoveas ignem, ſtatim ſuccreſcit flamma; ut verò ignem primùm accendas, majori contentione laboras. Ut è luto figulus ad rotam vas efformet, ſe totum fatigat; ut verò idem jam efformatum perficiat apprimè, non tantâ ſolertiâ opus eſt. Haud aliter hominem à delictis avertere difficillimum eſt; poſtea verò eundem virtutibus exornare, opus negotij minoris extat.

24. *Difficilius peccator à perditione retrahitur, quàm reversus promovetur ad virtutes.*

Saülus nequaquam Stephani ſanguine ſatur, effræni ſævitiâ cædem ſpirans Damaſcum iter faciebat. Subita circumfulſit illum de cœlo claritas, ut erranti viam, quam oportebat ingredi, monſtraret amicè. Sol ei refulſit juſtitiæ Chriſtus Dominus, beneficio non vulgari crudelitatem, quam erga Protomartyrem ſuum exercuerat, compenſans. Cur eum perſequatur in ſuis quæſivit ab illo Dei Filius, ut nullum ex inceptis lucrum reportandum animadverteret: *Saüle quid me perſequeris?* Cui Servator ait, *ingredère civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Ananiamque miſit Dominus ut Saülem inſtrueret. Jampridem ſæpe aliorſum expendebam quod Redemptor qui perſecutorem quæſivit, & ne furorem quo rapiebatur exequeretur, equo dejecit, nunc jam mandata recipere paratum, ditentemque, *Domine quid me vis facere?* alteri pro doctrina capienda remittit. Quid ſibi vitandum, vocis oraculo ſponte doces, dum ais: cur me perſequeris? Quid agendum ille

Matth. 12. 1. 2.

Ibi c. 17. 24.

Actor. 9. 4.

Ibi n. 7.

Ibi n. 6.

te rogat: Ananiamque substituis, cum posses disciplinâ faciliùs imbuere salutari? Non sine maximo divinæ Sapientiæ consilio sic factum credas. Duplicem conversio Sauli poscebat lapidem nobilis ædificij basim: scili. à malo retrahi, necnon ad virtutem dirigi. Sciscitabatur ipse quid sibi faciendum. Dominus attamen, quasi non tanti momenti rem, Ananiæ fidit eum à delictis jam reversum edocere. Nuper verò cum ejus crudelitati Salvator occurrere voluit, non usus est legato; sed ipse propriam interposuit majestatem (*magnificè siquidem in hac una conversione, & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur*, ait S. Bernardus:) itaque docuit ore tacito, difficiliùs peccatorem à crimine retrahi, quàm ad bonum incitari. Inter omnipotentiæ mirabilia, quibus exaltatur Deus, non vulgarem obtinet locum peccatoris conversio, quamvis miraculum non sit, quod adeo frequenter divinus operatur amor. Accipe Augustini verba: *cùm justificatur impius, ex impio fit justus, & ex possessione diaboli migrat in templum Dei. Et quoniam pœna est ut cuique auferatur possessio in quâ dominari desiderat, hanc pœnam dicit iram Dei adversus diabolum, ut desinat possidere quos possidet. Exurge Domine in ira tua, exurge rdejt appare. Exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Igitur ut in perditionis viâ retrocedat iniquus, Omnipotentis validæ manus hoc opus est; ut autem aliò deinceps capessat iter, minùs arduum docet experientia.

S. Ber. ser. 1. d. convers. D. Pauli.

D. Aug. to. 8. in Ps. 7.

25. *Majoris meriti res est unum nequâ reducere conari, quàm plures justos corroborare.* S. Laur. Just. in fascic. amor. c. 8.

Exinde colligere licebit ampliori præmio munerandos animarum magistros, si vel unicum perditum reducere conentur, quàm si rectos plurimos faciant in proposito sibi prælio roborari. Rationem assigno. Peccator nihil est juxta illud S. Laurentij Justiniani: *rectè sine verbo fideles facere non possunt nisi nihil, cùm sine ipso non sint.* Igitur ex peccatore justum efficere quid aliud est nisi vocare de nihilo ad esse? Hoc validiorem postulat manum, quàm plurimę augmentationes justorum, qui sanè verè sunt.

Audi rectissimi Judicis geminam sententiam: fortassis attendisse non pigebit. Petrus condiscipulorum nomine Magistrum interpellat rogans quid accepturi forent ij, qui ad ejus nutum omnia reliquerant. O fragiles humanæ dilectionis vires! Ante discrimen ad præmij spem refugiunt ne deficiant: dum nubila surgunt diffugiunt cuncti formidinis velocibus alis. Petro Dominus reddidit hæc: *cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Hinc ad Calvariæ montem gradum faciamus. Pendebat è cruce qui regit orbem, redemptionis nostræ pretium pendens inexhausta largitate ferè jam exanimis. Tunc temporis latro cælitus immisso lucis radio, inter sanguinis nubes discernere potuit justitiæ Solem. Nullum excludi credens ab illo quem brachia videbat expandentem, ut sui meminerit precatur cùm ad regnum perventum fuerit: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum.* Quid illi promiserit clementissimum benignitatis exemplar, nosti: *hodie mecum eris in paradiso*: & jam dubius hæsitas cur Petro, qui tempus petitioni suæ non præscripsit, in judicij diem præmium differatur: *cùm sederit filius hominis in sede majestatis*; Latronique sui memoriam in futurum postulanti, paradisum absque mora decernat Judex universi. Vide quid egerit in cruce Dimas: audi quid post crucem Petro committatur. Latro socij blasphemiam tentavit corrigere: *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es?* Petrus autem postquam à lapsu resurrexisset, condiscipulos erat roboraturus: *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Inde factum suspicor ut Petro sedes in postremam orbis lucem protrahatur; latroni verò plùs quàm petierat extemplò donetur. *Respondens autem*, ait Origenes, *Jesus dixit ad eum qui increpaverat blasphemantem: amen dico tibi hodie mecum eris in paradiso.* Apostolorum Coryphæus fratres in salutis via consolidavit; latro Gestam ab infidelitate reducere conatus est: & quamvis id non obtinuerit, attamen largiùs retribuendum judicavit incorruptus rerum Arbiter illi, qui vel unicum nequam ad frugem vocat frustrà meliorem, quàm eum cujus operâ justorum turma stat velut castrorum acies ictibus tartarei hostis impervia. Liceat à signo arguere: hinc vide quàm ardua tentet qui peccato mortuum ad vitam regredi, cæcum lumen cœli facit aspicere. Proclivius negotium est justum in dies novis augere virtutum incrementis: ille namque præceptis lapideus obsistit; hic verò prompto corde *præcepta suscipit.*

Matth. 19. 28.

Luc. 23. 42.

Luc. 23. 40.

Ibi c. 22. 32.

Orig. ho. 35. in Matth.

DELIBATIO V.

Remediis obsistens, & uti non valens, eisque cruciatus patiens, miser est, Se præpedit impius filo quo ducitur. Vitij corrector immunis esse debet. Detractor se punit ipsum.

26. *Plus sibi nocet remediis obsistens, quàm peccans.*

RElqua est secunda versiculi Salomonici pars. *Stultus.* Notâ stultitiæ ferit Salomon eum qui superioris monita recusat: nec immeritò: nam sic improbus ipsemet utilitati suæ præcludit vias. Miseranda quidem inter cuncta Creatoris opera hominis conditio est. Bruta licet animantia se tuentur instinctu suo: nociva fugiunt; utilia vestigant. Cervus dictamum, hirundo chelydoniam, quærunt ut sibi medeantur. Solus homo sibi parat morbum; remedia detrectat. Quid magis nocivum hæreo: ægritudini causam præbere medelamve respuere. Sed hoc secundum intolerabilius dixerim: nam qui delictis illaqueat animum, bono vel utili, vel jucundo illectus decipitur; ast qui medicinæ reluctatur, insinuat illi placere languorem. Hoc equidem maximè doleret is qui medicamini resistit nisi sensu velut privatus insaniret: ait enim S. Antonius Olyssip. *hanc medicinam Christi, scilicet humilitatem, & carnis afflictionem prudens non abhorrebit: sed superbus mendax & insensatus abjiciet eam.* Unde plùs hominem

D. Anton. Olyssip. ser. Dom. 11. post Trini.

ſibi nocere judico ſi remediis obſiſtat, quàm ſi crimine fœdetur.

Noſti Sanctorum exemplis licet omnis expertia fuerint labis, ad eruditionem noſtram uti licitum: non etenim ullam eorum factis notam inurimus; ſed tantùm hiſtoriæ corticem ad mores trahimus informandos. Hoc ſtylo referre juvat quid acciderit Apoſtolorum Anteſignano. Poſt illam divinitatis Chriſti Domini confeſſionem, qua Petrus non modo falſas hominum de Magiſtro ſententias correxit; ſed carnem & ſanguinem ſupergreſſus regni cœlorum claves promeruit: cœpit Redemptor paſſionis opprobria diſcipulis prænuntiare, ut præviſa jacula minus ferirent. His auditis Petrus ferventiſſimæ dilectionis impatiens
Matth.16. 22. 23. *cœpit increpare illum dicens: abſit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus dixit Petro vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Vides quàm ſeveræ animadverſionis flagello Dominus charum ſibi corripuerit diſcipulum? Ad atrium Pontificis progrediamur. Ancillæ voce perterritus abnegavit Petrus idem ſe Chriſti diſcipulum quem priùs libera voce Dei Filium profeſſus erat. Quid illi Dominus? An duriùs increpavit imbecillem vocans? Nec verbum protuliſſe lego tunc quo diſcipuli crimen puniverit. Satanam dixit Apoſtolum cum amoris impellente vi proſiliit incautus volens Redemptorem à propoſita ſibi cruce diſſuadere; cùmque negans eundem ipſe deliquit, nec ſaltem pavidus appellatur ab illo? Scio Petrum à mortis via Chriſtum retrahere conantem non peccaſſe: nec enim poſſet amor ſuadere delictum, & illa fuere diligentis
Hugo Card. ibi. verba. *Dixit autem hæc verba Petrus ex nimio fervore, quia non poterat de paſſione ejus audire. Vel fortè hoc dixit ex perturbatione mentis*, &c. Doctrinæ tamen noſtræ Dei Filius opportunum adhibuit reſponſum. Tunc Simon (quamvis rei tantæ inſcius adhuc) Salvatoris mortem impedire tentans, unico peccatorum remedio voce tenus obſiſtebat. Poſthàc in atrio Pontificis crimen admiſit. Ob delictum nulla reprehenſione cæditur; dum autem paſſioni Dominicæ reſtitit, Satan vocatur. Cerne quantò plùs ſibi noceat homo remediis, vel ore tenus, obvians, quàm ſceleribus præcipiti lapſu ruens. Unde Dio-
Diony. Carr. in 16. Matth. art. 29. nyſius Cart. exponens illud, *Satana*, dixit: *ideſt adverſator meus, imò omnium inimice quantum ad hoc quod paſſionem meam, ex qua mundi ſalus dependet niteris impedire*, &c. Quod in Apoſtolo verbis tantum factum vidimus, in peccatore reſpectu ſui paſſim completum cernimus. Si delinquentibus medicamentum gratis offeras quo poſſint à noxarum infirmitate convaleſcere, utplurimùm remediis obſtant: alter frugalitatem odit quo poſſet gulæ hydropiſim ſedare: alius cognitionem propriam execratur, per quam nullo ſumptu ſuperbiæ mederetur: nonnemo pavet mortificationem, cujus ope laſciviam ſanaret. Non ſatis illis deliquiſſe: inſuper & eripi recuſant à peccati morbo, & fit noviſſimus error pejor priore.

27. *Miſerabilior* Libet nunc retorquere commune ſatis effatum, quo medentibus obviam eunt impij. Vellem, inquiunt, à crimine reſurgere, nec me latet quàm crudeli domino ſerviam factus delicti mancipium: ſed quis me liberabit à corpore mortis hujus, ne carnis obediam imperio? quomodo ſæculi, ſtatuſve, pompæ valedicere fas erit, honore incolumi? vix oblato medicamine uti valeo. Falſum prorſus affirmat. Sed eſto ita foret, jam ſe fatetur miſer dæmone deteriorem: ille namque remediis, quibus peccator abundat, omninò caret; hic verò eiſdem, quæ ob oculos habet, uti nequire fatetur. *Væ miſeris, qui ſuorum vulnerum medicinam habentes ad manus, neglexerunt curare ſe & damnantur.* Miſeratione dignior exiſtimo illum qui medicina parata nequit uti, præpediente morbo, quàm ſi deſtitutus remedio contabeſceret.

qui medela non valet uti, quàm illâ carens.

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. 1. Quadra.

Duplici paralytico cæleſtis medicus omnipotenti pietate ſalutem reddidit ſolvens, quos ægritudo ligaverat, artus. At non eodem ſtylo ſanavit utrumque. Alter in piſcinæ porticu jacebat triginta & octo annorum ſpatia numerans infirmitatis ſuæ: & ſola ſpe longam adeo morbi contentionem levare quibat, nam defectu hominis cujus ope mergeretur aquis, prolixum languorem depellere non poterat. Ad hunc ſe contulit Servator, & interrogavit eum: *vis ſanus* Joan. 5. 6. *fieri?* Illum ſanitati reſtituit & bajulare monuit lectum prodigij teſtem elinguem. Alterum apud Capharnaum ſimili morbo compeditum diverſimodè ſalute donavit: non eum requiſivit miſericordiæ Prototypus; imò expectavit quæri non modico labore. Ad domum quandam diverterat Filius Dei, ut verbo ſalutis imbueret aſtantes plurimos, quorum obſtruebatur multitudine janua: (nec inſolitum eſt aditum præcludi tibi à turba cùm Deum quæris: ſi nempe potiùs vulgi rumorem quàm divinam ſecteris legem.) Interim paralyticus à quatuor portabatur: qui appropinquantes illum per oſtium intromittere non valuerunt. Vexatio artis magiſtra conſuluit ut aſcenderent ſupra tectum: quo nudato via patuit grabato ſubmittendo. *Et cum non poſſent offerre eum* Marc. 2. 4. *illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Miror beneficentiæ ſupremum exemplar quandiu iſta gerebantur, quaſi rei totius ignarum, tacuiſſe, donec æger illius pedibus delapſo lecto ſiſteretur. Illi morbido, qui piſcinæ atriis morabatur, ſic exuberantis miſericordiæ ſigna præbuit, ut ad eum ſe conferret, cum eodemque colloquia miſcens obtulerit ſanitatem! huic verò domi velut clauſus nec it obviam beneficium donans ante preces? Neque januam liberam præcipit patere; quinimò tectum finit aperiri, quaſi nulla ægri miſeratione tangeretur? Miſertus equidem erat illius; non tamen in eum propitius adeo ſe geſſit, ac erga illum, qui porticus incola motum præſtolabatur undæ. Et cur iſtum præ altero benignitate proſequitur? hic fortè compaſſione dignior? Citra dubium: nam qui ſanatus eſt Capharnai remediis carebat prorſus; qui verò triginta & octo paralyſis numerabat annos, propinquus

lymphæ

lymphæ ſalutari, nequibat eâ uti pro ſanitate conſequenda. *Ægrotus autem ille qui per triginta octo annos jacebat in lecto deſignat peccatorem induratum & obſtinatum in aliquo peccato, qui languidus eſt corde ad cogitandum, ore ad laudandum, manibus ad operandum: & cum ſit juxta piſcinam, nunquam ſanatur, quia non deſcendit in eam.* Hæc S. Thoma à Villano. proximè. Iſtum ergo non patiuntur ultra languere viſcera miſericordiæ; alterum verò domi ſanaturus expectat: majori namque ratione miſerum dices eum cui per morbum non datur uti remedio, quàm ſi deſperata ſalute malum pæne tranſiſſet in naturam. Animæ febri cùm reparandæ ſanitatis vias oſtendis improbro, ſuamet lues impedire videtur medicinæ uſum. Ille ſe velle ſanum fieri profitetur; ſed non valere teſtatur adhibere ſibi quæ conſuluntur pharmaca. Mentitur iniquitas ſibi: ſic namque Omnipotens homini propoſuit ignem & aquam, ut quocumque voluerit porrigere manum liceat. Eſto tamen crederemus iſta dicenti, hoc ipſo miſerandam iniquorum ſortem deplorarem, qui non, ut Satan, Creatoris gratiam recuperare nequit; ſed ipſis languoribus torpidiſſimi, apud Eccleſiæ piſcinam incolentes, & juxta Sacramentorum fontes poſiti, ſe poſſe negant aquis ablui pro ſalute conſequenda. Sic miſericordiæ Divinæ detrahere videntur, ægritudinum amantes, & ita ut præceptis obluctentur, proindeque meritò vocatur eorum quiſque ſtultus.

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. 1. Quadrà.

28. Durius eſt remediis torqueri quam malis.

Cæditur. Homo nequam ſaucius crimine ſæpe medicinâ torquetur: præcepta quibus reſtitui valeret priſtino robori, tanquam flagella prorſus execratur: *Indomitum enim animal eſſe cupiebat, domatur fræno & flagello, atque utinam perdometur.* Hoc quaſi dirum tormentum, verbo, *cæditur*, Salomon expreſſit. Peccatori nil erit acerbius, quàm oblata febri ſuæ medela: & ſimiliter accidit in objurgatione benevola. Nihil reis exoſius: deſipiunt attamen: *medicinæ enim, non inimicitiæ res eſt*, inquit Chryſoſtomus: medicinam nihilominus æger ſpiritu deteſtatur plus malo ſuo, dirius exiſtimans remedio torqueri, quàm afflictione.

D. Aug. to. 8. in pſ. 32.

Chryſoſt. to. 4. hom. 44. in 2. ad Cor.

Saulem peragitabat ſpiritus nequam. Vocatus adfuit pſaltes egregius David, & cytharæ pulſu dæmonem fugabat. *Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Accidit autem Saulis exagitati dolorem à fideliſſimo Davide, percuſſis cytharæ fidibus deliniri, benefactorique ſuo ingratum regem pretium curationis lanceam jeciſſe. *David autem pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies. Tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans quod configere poſſet David cum pariete.* Ingratitudinem labilis memoriæ notari jugiter audivi; mentis inopem hîc reperio ingratum; ſed non oblitum. Mentis, inquam, exors apparet Saul, nam telo petens Davidem, ſibi nocere non timet, cum occidere ſuum velit medicum. Rex torquetur diabolica tyrannide: nullum dolori tanto remedium præſtò eſt niſi Davidis cythara: hunc ſi è vivis tollat, ſpiritus maligni furore diſcerpetur omni levamine carens. Quid audet miſer? unicum interficere medicum illius quem patitur languoris? O dementiam! Furori fateor ceſſit rex; at quadamtenus non ſine acumine meditatus eſt, rebus ſic ſtantibus, ſe dirius per Davidis præſentiam (quæ medicinæ locum tenebat) quàm per dæmonis exagitationem cædi. Elegit minus ex duobus malum exiſtimatione ſua, quaſi diceret: cùm Davidem odio habeam, remedio crucior dum ab eo mea ſublevatur anxietas. Iſte ſi perierit exoſus medicus, dolorem patiar carens levamine: nonne ſuavius eſt quemquam ſuo torqueri malo, quam medicinâ flagellari? Apage medelam acerbam adeo. Telum ergo jecit doloris impatiens, quem de viſi, necnon inviſi, Davidis præſentiâ experiebatur: ac velut ſtatuit ſibi durius eſſe curationis angi tædio, quàm tolerare à ſpiritu maligno anguſtias. Ad moralem ſenſum deflectamus. Audi Rupertum. *Saul quippe jam illam regni diaboli partem ſignificat, quæ nullâ dulciſſimæ prædicationis unquam potuit mitigari cantilenâ.* Itaque peccator obſtinatus in crimine, cruciatur ipſo medicamento miſerandum in modum: proinde ſuæ ſalutis inſtrumentum odit, repellit, percutit.

1. Reg. 16. 23.

Ibi. c. 18. 10. 11.

Rup. l. 1. in 1. Reg. c. 7.

29. Impius irretitur eodem filo quo manuduci poſſet.

Chaldæus hîc pro, *cæditur*, legit, *capietur*, quaſi diceret: ſicut juſtus præceptorum documentis ducitur, ita homo nequam eiſdem, præ cordis tenebris, irretitur. Labyrintho moramur inextricabili ferme, in quo nihil non via eſt, cum nullibi terminum inveniat rationalis natura, niſi cum patriam attigerit. Hoc incolentes pluſquam Dædali chaos, unico regimur omnes doctrinæ ſalutaris filo (permittas me filum dicere quod ſic facile rumpimus;) eodem tamen ductore quamvis utantur iniquus & probus, attamen juſtus, cum lucem deferat, manuducitur monitis; impius autem, qui tenebris obcæcatur, illiſmet documinibus implicari ſolet veluti laqueo. Non tamen doctrinæ vitio, ſed audientis malitiâ contingunt iſta. Belle Auguſtinus: *non enim prophetæ tantum, ſed omnes verbo Dei animas irrigantes, nubes dici poſſunt, qui cum male intelliguntur, pluit Deus ſuper peccatores laqueos. Cum autem bene intelliguntur fœcundat pectora piorum atque fidelium.* En filum Theſſali vertitur in laqueum! Nonne Phœbi radiis obtenebratur lippus? Sic doctrinâ peccator ipſâ, quâ illuminari poterat, confunditur, præ lippitudine mentis.

D. Aug. to. 8 in pſ. 10.

Detriumphato mundi Principe, ſæculo redempto, noxis Adamidum innocenti morte purgatis, è mortuis regreſſus Dei Filius, poſtquam diſcipulorum mæſtitiam per dies quadraginta ſolaverat, dicto vale dilectis ſuper ſydera ſcandit, Empyreique thronos longe ſupergreſſus, ad paterna majeſtatis dexteram conſedit. Completis deinceps diebus æternâ providentiâ præfinitis, Apoſtolos congregaverat mutuus amor, abſentiæque Magiſtri recens dolor. (ſocietatem dili

diligunt dolor & amor, ille quo minuatur; iste ut crescat.) Salvator promissi non immemor, sub ignita pluviâ Spiritum sanctum misit, certè sibi constans: nam cùm primò delapsus ignem venerit in terram mittere, modò quoque flammas, quibus discipulorum corda prædulciter exureret, cælitus perpluebat: & igneas linguas distribuit in singulos, ne beneficium de singularitate sugillaretur. Qui capitibus insederat ignis, non tam exardebat, quòd non plus incendio flagrarent illorum pectora: indeque factum, ut qui prius foribus clausis formidinem non depellebant, nunc aperto marte pugnaturi cæperint magnalia Dei resonare. Vide quid acciderit auditoribus. *Facta autem hac voce* (scribit D. Lucas) *convênit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.* Expendebam quid homines istos confuderit. Ex variis nationum populis coagmentata multitudo loquentium Apostolorum vocem patrio capiebat idiomate: hoc eos confundit? *confusa est quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes?* Si quosdam sermo lateret, istos confundi mirum non esset, cùm verborum significationem ignorarent; ipsi tamen quidquid Apostoli docebant perfectissimè tenuere, non minus ac si cuncti forent Galilæâ geniti: cur ergo confunduntur? Textum non audis? *quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Alienum sermonem velut maternum capere prodigium erat, quo facile duci possent ut fidei lucem acciperent; sed hâc ipsâ, quæ præibat, luce, præ cordium cæcitate, impediebantur. Non doctrinæ fulgor erat in causâ; tenebræ latebant intus eos, quæ totum obnubilabant splendorem. *Conscientia perturbabat illorum animos*, inquit ad præfata verba Chrysostomus. Mens cælestibus non adhuc imbuta radiis, ad lucem doctrinæ, quâ dirigitur, suâmet oculorum infirmitate hallucinatur. Non sapientia degenerat ut illaqueet; sed ægra spiritus acies luce meridiana læditur. Hoc sensu præcipientis voce *stultus*, ideſt improbus *capietur.*

Act. 2. 6.

Chrysost. ho. 4. in Act. tom. 3.

30. *Vitium non corripit qui subjacet eidem.*

Hebraica hoc loco sic habent: *Stultus labiis claudicabit:* hoc est vir nequam (ideoque verbis tantum sapiens) doctrinam, quam ore profert, moribus non complet, cumque doctrina, vitaque duo sint veluti sapientis pedes, unius defectu claudicat malus. Juxta prædictam expositionem, de labiis ipsius stulti sententia pronuntiatur: quod licet ad litteram amplexi non fuerimus; nunc pro morali didascalia usurpabimus. Claudicat, inquam doctrinæ spiritualis magister ille, qui vitâ destruit quod verbis ædificat. Idcirco parum, nihilve, proficiet, ubi non opera dictis congruerint. *Qui non ardet non incendit*, ait Lusitanorum Paduana gloria. O nimis verum! Ignis accendit ignem: quomodo pectora calefaciet divini amoris incendio is qui frigidum eructat à peccati cœno quidquid effutire audet? Quantum animarum rectores urgent virtutis amandæ leges *Qua libertate peccantem corripere potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat, eadem se admisisse quæ corripit?* verba sunt D. Hieronymi. Pigebit prudentem in alio corripere delictum quod ipse amplexus est.

D. Anton. Olyssip. ser. ultimo de Evangelist.

D. Hier. in epist. ad Tit.

Amplissimo regiæ magnificentiæ apparatu David in civitatem suam, populo comitatus, arcam fœderis Domini conducebat in jubilo, clangoreque festivo. Rex ephod accinctus lineo in obsequium Domini ante arcam subsiliebat, Quem cùm regina Michol prospexisset, despexit: ac postea verbo subsannavit sponsum, quasi regalem dehonestaverit majestatem saltibus coram populo suam exhibens lætitiam subditorum conspectui. Ille sic loquentem corripuit acriter satis, dicens: *ante Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israël, & ludam, & vilior fiam plus quàm factus sum* &c. verba sanè Davidis felle non carent, cùm Reginæ conjecerit in faciem repulsam patris. Ex quibus Davidem suspicor hîc excanduisse. Modò repetamus quâ ratione se gesserit idem cum Absalom fratris homicidâ. Quantumvis aversum ejus animum flecti fecit Joab, & introductus est in conspectu regis Absalom: non illum increpavit pater de occisione Amnonis? imo nec amoris privavit signo: *osculatusque est rex Absalom.* Utrobique Davidem componas. Erga Michol reprehensione severus; adversus Absalom remissus extitit! Hunc diligebat equidem; sed plus fortè sponsam: istam quippe conjugium æquabat ei; filius autem generatione minor: & solet amor pares arctiùs conjungere. Cur igitur qui dilectam durè corripuit, Absalonem homicidij reum non coarguit? Quia dum sponsam reprehendit, verba facto proprio cohærebant. Domino dictis insinuavit libenter obsequendum spretâ regali pompâ: hoc ipse, quod gesserat, inculcare tacitus non veruit sponsæ monitione. Aliter accidit res circa sævitiam gnati: nam qua fronte corriperet Absalonem de occiso fratre qui Uriam fecerat occidi? Crudelitatem illius mandati, quo necatus est Amnon, David exageraret? Sui memorem puderet ista loqui. Tacuit igitur ne claudicaret oratio: nam qui verba factis dissimilia profert, velut *stultus labiis claudicabit.* Chrysostomus opportunè: *criminandi sunt omnes qui legem transgrediuntur, sed maximè omnium qui pastoris fungitur authoritate condemnatur, quia transgreditur. Deinde cùm in corrigendis aliis ipse claudicat, propter dignitatem quam gerit, majore dignus supplicio est.*

relatus c. Primum. dist. 25.

2. Reg. 6. 21. 22.

Ibid. c. 14. 33.

Chrysost. tom. 2. hom. 37. in c. 23. Matth.

31. *Crimine suo punitur qui remedium vertit in venenum.*

Labiis. Nomen istud acceptione duplici gaudet: nam vel de præcipientis ore, vel de subditi nequam labiis intelligi patitur. Primam interpretationem persequimur adhuc. Itaque legibus inobediens imbrobus jussa majorum convertit in delicti materiam: præceptisque reluctans præcipientem odit. E jubentium labiis remedia posset libens accipere; sed malitia conflat exinde venena: moris enim est improbis verbum salutare vertere in sui perniciem: *verbum Dei, ait Origenes, quod incipientibus datur, lac dicitur.*

Orig. ho. 5. in 4. Iudic.

tur. Sed iſte cibus iis quidem, qui ad bonum proficiendi propoſitum gerunt, vitam tribuit & ſalutem : iis verò quibus contraria placent, quibus luxuria, avaritia, & omnis impietas cordi eſt, hujuſmodi doctrina necem & interitum præſtat. Sic ergo fit ut ex iis atque iiſdem cibis, quibus aluntur boni, ſuffocentur mali, & in quo piis vita eſt, ibi ſit impiis mors. Peccator ſic invertens remedia, ex illiſque damna ſibimet eruens, hoc ipſo delicti ſui ſine morâ patitur pœnas, dum ex medicamento morbum colligit veſanus. Pœnas, inquam dat acerbiſſimas : miſerabillimum eſt enim ægro ſpiritui remedium in ipſius nocumentum commutari.

Prioribus ignoratam ſæculis, omnibus execrandam poſteris Judas commiſit perfidiam. Non fratrem vendidit ut Jacobo nati : non occidit germanum ut Cain ; ſed Magiſtrum, Dominum, ac Filium Dei tradidit impius : non ſuper aſtra conſcendere cupiit ; ſed conditorem ſyderum hoſtium furore ſupplantavit. Quam ſubiit ſententiam ingratitudinis exemplar inviſum ? Recole quid Matthæus referat : *pœnitentiâ ductus,* Matth.26. 3.5. *retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum..... & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Nonne foret æquum fulmine feriri proditorem ? vel terræ hiatu abſorberi ? Laqueus vulgare ſupplicium levioribus iſto delictis decernitur : hoc ſtupendum ſcelus novum Silv.t.5.l.8. c.9.n.10. evocabat pœnæ genus. Aliter accidiſſe fertur Pilato, quem ſemetipſum vita privaſſe narrat in multis Silveira ; nemo tamen illum pœnituiſſe affirmat, cùm Dominum ſciamus agnoviſſe innocentem. Et Judas permittitur ut infructuosè pœniteat ! Utquid infamat pœnitentiam ſceleſtus ? Memorare majus fuiſſe crimen Judæ quàm Pi- Ioan.19.11. lati ? *qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Oportuit ergo ut acerbiùs traditor puniretur, quàm Pilatus. Hic intereat ſola mortis manu. Judas à ſua pœnitentia pereat. Si proditor tangeretur igne de cœlo, diſperiret mortis inſtrumento : ſi terræ hauſtu deglutiretur, eum illa ſepeliret quæ cadavera ſolet obruere, ſatiſque mortuus erat Judas, qui Deo non vivebat. Severiùs puniendus erat nequiſſimus. Pœnitentiam concipere permiſſus eſt imperfectam : quâ ductus in deſperationem præceps ruit, & ſic quod ex natura ſua remedium peccati Euthym. in Matth. loco ſup. cit. eſt, fecit ille viam gehennæ. *Oportebat autem*, inquit Euthymius, *ante proditionem pœnitentiâ duci. Sed talis eſt diabolus : ante peccatum non permittit videre malum, ne ſequatur reſipiſcentia : poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum, videre permittit ut mœrore afficiat, & in deſperationem præcipitet.* Cognitio ſceleris ac mœror de peccato commiſſo, necnon & dolor, criminum eſt medicina ; ſed Judæ pœnitudo verſa eſt in gladium, quo penitus perderetur. Nil eſt in tormentis durius, quàm auxilio in damnum verſo mulctari. Sic inobediens, ſuperiorum verbis in medelam paratis abutitur, & pro delicti pœna *cæditur* iiſdem : vel, ut legit Aquila, *vapulabit.*

32. Nunc poſteriori ejuſdem verbi, *labiis,* acceptione paululum fruamur. Juxta illam de labiis ipſius improbi præcepto reluctantis ac detractione contra ſuperiores obſtrepentis, hîc ſermo eſt. *Stultus*, inquit Janſenius, *cæditur labiis ſuis : hoc eſt propter labia punietur ſua, quibus ſcili. obmurmurat docenti & contradicenti.* Cui conſonat verſio Pagnini : *propter labia punietur.* Ex his deſumo reprehendi hoc loco detractoris linguam. Tunc lectioni vulgatæ inſiſtens, non expendo ſupplicium quo ferietur maledicus. Utinam corrupto moribus ævo, detrahens, pœnæ loco non acciperet pennas, quibus illum evehat apud potentes (qui ſcili. alterius odio habiti detractione gaudent) adulationis amor. Potiùs demirabor obmurmurantem ſuiſmet cæſum labiis. Is cujus lingua velut bellico tormento, non tantum viventes dilacerantur, ſed etiam defunctorum cadavera ſimul è ſepulchris effoſſa, obruuntur infamiâ : is, inquam, dum flammas horribiles ore jacit, percutit ſeipſum. Audi Gregorium M. *Si ergo nobis eſt* D.Greg.M. *teſtis in cœlo, teſtis in corde, dimittamus* l.8.epiſt. *ſtultos foras loqui quod volunt. Quid aliud* c.45.tom.2. *detrahentes faciunt, niſi quod in pulverem ſufflant, atque in oculos ſuos terram excitant : ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant ?* Habes obtrectatorem oculos ſuos veluti pulvere ferire, cùm maledicentiam exercet. Verba S. Doctoris verſare pronum eſt. Nunc Spiritus ſancti teſtimonio præjactam veritatem roboremus. *Benignus enim eſt ſpiritus ſapien-* Sapi.1.6. *tiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis*, inquit Sapiens. Quo ingenio dici poſſit maledicum labia ſua non effugere, vix percipiebam. Sed nunc judico nihil in præcitatâ ſententiâ clarius : & non liberabit maledicum à labiis ſuis : commentatur Lorinus : *à maledicto, & blaſphemia quam* Lorin. ibi. *labiis protulit, à pœna vel à correctione, quam pro talibus peccatis meruit.* Ecce dupliciter mulctari docet detrahentem : primo ipsâ culpâ : ſecundo hujus pœnâ, vel correctione. Igitur ſtultum jure vocat Salomon detractorem, qui licet ſagittare peritus, attamen eâdem quam emiſit ſagitta figitur : iiſdem, quibus alios dilaniat, cæditur labiis.

Detrahens flagellatur ore ſuo.

Janſen.hic.

Verſio Sanct. Pagnini.

FLOS X.

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit.

APERITUR.

NIMIS credulus erat ſenſuum judicio ille quicumque dixit : *parum tuto loco ſtat innocentia.* Si mens illius eſſet aſſerere innocentiam in vaſe fictili, naturâ jubente, collocatam, jacturis mille perviam, lubens annuerem. Hoſpitij ſui pericula deſpicit animus : quia nec terrere va-

t. Amm.Marcell.l.15.

lent illum qui propriæ conſcientiæ tenet arcem imperterritus. Quid nocet grando tectis illiſa? Non amplius innocentiæ damnum inferre poterit adverſantium aſtutia. Hoc non innocentiæ diſcrimen eſt; ſed tecti quod habitat illa. Hujus fragilitas eam ut prædixi, diverſis ictibus exponit: ſcili. peccatorum vulneribus, quæ ſi vitet, deridere valebit reliqua. Quinimò, ut ſcitè dixit Lipſius: *nihil in vita ſecurum, ſolidumque præter innocentiam.* Altiſſimi providentia meritò ſic munivit illam, quia vitiorum erat petenda telis. Hanc detractor fugillare contendit: ſed

Juſtus Lipſ. Cent. 1. 2. c. 14.

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Ovid. Faſt. 4.

In eandem ſtridet ſuperbia hinnitu potiùs quàm voce fremens. At quidquid effutiat illa,

Si rectè facies hic munus aheneus eſto.

Omitto reliquam hujuſmodi monſtrorum turbam, ne multus in re facillima videar.

Innocentiam igitur & nequitiam notat Salomon in hoc adverſari, quod illa palam incedit impavidoque vultu; hæc verò fugiens ultrò, tandem capitur ignominiosè. Inter noxij metum, & inſontis fiduciam efformat ſapiens antitheſim: ſed hujus audaciam expreſſit; illius autem pavorem ex effectu propoſuit, dum ait: *manifeſtus erit:* hoc timebat impius; quod innocuus minimè reformidat. Illud vulgare Biantis dictum nobis hîc lucem præbet nullâ oblivionis umbrâ delendam. Cùm ſceleratis navigabat is, cum fortè piratis obvius, evadendi ſpe omninò præclusâ, cuncti prædonum impietati penè ſubjacebant. Tunc illi dixerunt: actum eſt de nobis ſi agnoſcamur: quod Sapiens ita retorſit: *& de me niſi agnoſcamur.*

2. *Qui ambulat.* Hoc eſt: qui vivit, ut exponunt hic Janſenius, & à Lapide. Concinit illud Pauli: *dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino.* Quid aliud eſt vita quàm via longitudine brevis, tormento diutina? Opportunè D. Gregorius Nyſſ. *monet enim per hæc ænigmata, ut conſiderare ac intelligere velimus tranſitum quemdam eſſe hanc vitam noſtram. Nam poſteaquam ingreſſi ad eam ſumus, neceſſitate quadam ad exitum ſemper compellimur.* Vita viaque diſtant unica littera, quæ figuram crucis exhibet: vel in hoc videre licet, vitam ſi quodammodo à via differt, in eo tantum ab eo diſſidere, quòd cruci teneat affixos viventes. Obviæ ſunt apud ſacros, & profanos plurima vitæ ſymbola, quibus miſeram ejus conditionem quiſque lachrymatur. Vocari ſolet illa talorum ludus, mortis æquor, mortalium pugna, viventium ſomnus, ſæculi theatrum, animæ carcer, temporis rota, aquarum torrens, prati flos, aranearum tela, arboris folium, vanitatis umbra, infœlicitatis vitrum, ignis lucerna, vas luteum, turbinis ventus. Vides quot appelletur titulis! Ne quid magnum ſuſpiceris: nil eſt præter nomina, cætera figmentum. Si perennem illius inconſtantiam trutines, ludus eſt: ſi pericula numeres quibus patet, mare dicenda: ſi tot malorum te phalangibus animadvertas obſideri, dum vivis militas: ſi fraudes expertus caveas, ſomniare credes: ſi quàm nudum te mundus exceperit, ſpoliatumque dabit ſepulchro, memineris, theatrum occupas: ſpiritum cœlo natum corporeo carcere clauſum cuſtodit homo, vinctus eſt, dum vivus erit. Te vertigine tempora circumrotant: quidni rotam vocemus quam appellas, vitam: ipſa luti ſordibus fœdatur aquarum turbidæ torrenti ſimillima: matutina ſurgens nativitate vix attingit veſperam, more floſculi. Pro nihilo iſto laboras indefeſſus (*ſudatur enim quandiu iſthic vivitur & laboratur*, ut inquit S. Cyprianus) & cum ſint omnia tenui pendentia filo, ſimilis eſt hæc induſtria ridiculo aranearum operi. Denique folium vita eſt, nam licet nullus adſit hoſtis, denique cadet: umbra dicitur quia mentis oculos obnubilat: vitrum: quippe quò ſplendidior eo fragilior: lucerna quia materiam qua viget depaſcitur, & flatu extinguitur. Vas figuli (nam quamvis apprimè fabricatum, nihil eſt niſi lutum) nominetur: necnon furens turbo, quia procellis undique jactamur. Demum ex mente Salomonis vivere noſtrum eſt ambulare: *non habemus enim hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus.*

S. Cypri. l. de bono pati.

Hebr. 13. 14.

Simpliciter. Si hujus adverbij ſequamur verſiones aliquas, poteſt ſumi ſub adeo generali acceptione, ut vitam ſignificet ab omni reatu liberam; ſed litteræ genuinus erit ſenſus, ſi fateamur illud, *ſimpliciter*, exprimere, prout ſonat, animi ſimplicitatem. *Simpliciter*, idem eſt ac ſine dolo: ſic namque vitam componens nequaquam timet manifeſtus fieri, quod multo frontis rubore contingit malis, ideoque paveſcunt. *Aſtutia ut ſit cauta*, inquit S. Hieronymus, *timet omnia nec ſuis conſiliis credit, verſat ipſa ſuas ſententias; ſimplicitas autem timere nihil novit.* Hâc viâ facilior eſt inter utramque ſententiæ partem antinomia.

S. Hiero. in Oſeam.

Ambulat. Iterum idem verbum eadem ſignificatione uſurpatur, ut ſecundò (& utinam ſatis) moneamur nihil aliud eſſe vitam degere, quam viam conficere. Veritas hæc excidit memoriâ facillimè: quia ingrata oculis mittitur poſt tergum. Et in præſtantiſſimis ingeniis hic reminiſcentiæ defectus invenitur quàm ſæpe: nam & lynces, ut fertur, ea obliviſcuntur citiſſimè quæ non vident: cùm tamen perſpicaci nimium viſu polleant, ita ut eorum luminum acumen abierit in proverbium. Ars memoriæ duobus claditur: ſcili. ama, & odi. Neque rei dilectæ recordaberis difficulter: nec ejus quam oderis obliviſceris facilè. Senes, & pueruli ſolent eſſe memoriâ tardi: neque tamen ſeni cadit è memoria theſaurus, nec infanti ferula. Diligitur vita fugax, odio habetur illius fugacitas. Idcirco vitam præ oculis habentes perpetuò, brevitatis ejus immemores tempus agunt mortales. Oportuit Salomonem ambulandi verbo uti non curſim, ſed iteratò, quo ſic inconſtantia vitæ revocetur in mentem, & huic mors objiciatur ſæpius: quod intendere videtur is qui lectores à vitiis retrahere conatur: quia, ut ait Auguſtinus: *nihil ſic revocat à peccato, quemadmodum mortis meditatio imminentis.*

D. Aug. l. 1. d. 1. contra Manich. tom. 1.

Conſi

Confidenter. Qui simplici & recto corde vitam, actionesque suas modulatur, non timet quod machinationem callidam in ipsis adinveniat curiositas aliena suam, qua simulatione detecta confundatur ipse. Confidit se (quamvis incautum pectus alij conentur scrutari) non fraudis arguendum: ideo non timet pudefieri, cùm id ipsum gestet in corde, quòd ore profert. Pudorem tecta metuat iniquitas; justi verò simplicitas nequaquam. Si confusionem cupis evitare, dilige virtutem, non ut vestem, quæ cedens fœditatem discooperit ad ludibrium; sed ut salutem qua viget animus ad vitam immortalem. Exempla memorare illorum, qui detracta sanctitatis larva sunt infamiam passi:

Horat. 1. ser. 7. *Sic teneros animos aliena opprobria sæpe*
Absterrent vitiis ——

Forsan ideo pudoris alieni signa, providente authore naturæ vides in faciei superficie rubere: ut nempe tanquam in rubeo speculo actiones proprias ibi componas, metuens ne similiter confusus erubescas, si mendax in opere deprehendaris. Times coram aliis confundi? *Disce teipsum multò magis quàm alios revereri.* Democri. apud Stob. ser. 29.

3. *Qui autem depravat.* Simulatorem suas depravare vias duplici sensu dici potest: & uterque litteralis est. Primò ita ut valeat idem atque fallaces operatur actiones, facitque ut dolosæ sint, decipiantque videntes. Hæc est expositio germanior: quia sic inter utramque versus partem elucet melius contrarietas. Secundus tamen sensus non improbabilis est hujusmodi: depravat vias, idest non recto incedit calle: vel in tramite bono vestigia perperam figit, veluti claudus ac pedibus distortis. Favet lectio Septuaginta interpretum: *qui autem distorquet vias suas.* Hoc etiam calliditati ceu morbo tribui potest: nam *calliditas est morbus animæ voluntarius*, ut inquit Philo. Pedes, quibus in Deum tenditur sunt mores. *Ad Deum*, ait Augustinus, *qui ubique præsens est, qui ubique totus est, non pedibus licet ire, sed moribus.* Malis moribus, velut infirmis pedibus incedens animus æstu morbidus, inversos ponit in via gressus: & hoc est vias distorquere, seu depravare.

Lect. Septuag. Philo. Hebr. de sacrifi. Abal, & Caini. tom. 2. D. Aug. epist. 52. ad Macedo. tom. 2.

Vias suas. Per vias opera significari jam insinuatum non semel. Illud solùm hîc difficultatem præ se ferre videtur, quòd opera sua pedibus indicetur proculcare illum qui ambulat per ea quasi per viam. Hoc impiis ægrè convenire dices, quibus propria nimis placent: suprà caput quidquid agunt collocant: ipsaque vitia sub alienis nominibus ostentant. Quomodo igitur viarum nomine hoc loco signantur opera nequam, si viâ pede teritur incedentis? Non de quocumque malo, sed hypocritâ, sermo est: & adeo callida reperitur hujus fraudulenta simulatio, ut humilitatem præsertim repræsentet exteriùs, opera sua quasi despiciens, & conculcans: interim tamen cogitatione sua fertur infœliciter ad astra. *Simulatio humilitatis major superbia est.* Sic August. Idem to. 6. l. d. S. Virg.

Hugo Card. hic.

Manifestus erit. Exponit Hugo Cardin. *in die judicij*: quod quidem supplicium erit non mediocre: imò de mente D. Anselmi maximum: describit enim peccatorem inter dolorum tot causas positum in die iræ, & ex istis prætulit publicitatem. Verba S. Doctoris, quamvis notissima transcribam: quippe vellem ut in tabulis cordis nostri digito Dei medullitus inscriberentur. *A dextris erunt peccata accusantia, à sinistris justitia terrens, subtus horrendum chaos inferni, desuper judex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix justus salvabitur. Heu miser peccator! sic reprehensus quò fugiet? Latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.* Plura retulerat mala, quæ diem ultionis formidabilem reddunt; sed nullum appellavit piissimus Pater intolerabile, nisi apparere. Prædicta Hugonis expositio vera est: sed non ideo putes ad tempus vitæ mortalis non etiam referri textum: quia dum vita manet aperiri dolos timet fraudulentus; ac dici finalis rarò meminit. Ante hunc detegetur fallacia fingentis virtutem: & sic non vulgariter punietur multiplici plaga. Cessabit imprimis adoratio, cùm viderint illi qui genuflectebant idolo isti, quòd externè auro & gemmis pulchrum sit, luteum intrinsecùs. Dignitates atque divitias, quas fictionibus ambiebat, desperabit acquirere: tandémque mendacij convictus fide carebit apud universos. Non parva continentur in una illa comminatione: *manifestus erit.* S. Anselm. 3. tom. 1. de miseria homi. post med.

DELIBATIO I.

De fiducia in Deum, & ejus mediocritate: simulque perpenduntur metus damna, & imprudens timor.

4. *Fiducia in Deo, si ab ipso est, magnum Dei donum.*

INter veram & fictam virtutem versatur hæc sententia, ut illius & hujus quàm dispar sit conditio quisquis agnoscat. Non difficiles hoc erit attendenti unius & alterius arboris fructus longè dissimiles. Ficulnea parabolæ, de qua dixit vineæ Dominus: *ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio*, truncо ramis, & foliis, ab aliis ejusdem generis non differebat, sed carebat fructibus. Ita virtutum simulans objiciet quamplurima venustissimis coloribus picturata; solos bonorum operum fructus nunquam ita mentietur, ut non valeas eum à justo discernere; si judicas de coloribus. De justo igitur affirmat Salomon confidenter degere: quia sine dolo vivit: hoc est, quia vitam juxta perfectionis normam componit: *ambulans perfectè*, vertit Pagninus priora verba textus. Econtrà deceptori sanctitatem prætendenti minatur manifestationis pœnam. Benè. Sed inter punitionem & præmium videbatur efformanda contradictio, quod Sapiens hîc non observat. Video supplicij meminisse dum ait: *manifestus erit*; quodnam igitur assignat in remunerationem ejus, qui recta pergit via? Ipsa confidentia merces erit non modica: *ambulat confidenter*: ubi Jansenius: *confidentem etiam facit de divinâ* Luc. 13. 7. Vers. Pagn. Jans. hîc.

vinâ protectione contra improborum injurias. Fiducia in Deo collocata donum est quod virtuti retribuitur, pretiosius multis: nam fides ista, quâ nos & nostra credimus Deo (seu, quod in idem recidit, quâ Deo confidimus) plurima bona continet. Audi Philonem. *Solum igitur certum firmumque bonum est fides, qua Deo creditur, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsivum calamitatum, fœlicitatum conciliativum, superstitionis ablegatio, pietatis assertio, prosperitatis hæreditas, profectus in bonis omnibus fultus universorum authore, qui potest omnia, vult tantùm optima.* Vides ne quot in unâ fiduciâ utilitates? Magnum equidem est Dei beneficium: præsertim eo quod alia Deus tribuens non palam facit utrum donet velut amico, an tanquam servo. Si confidentiam (quæ amoris Dei signum est erga justum) concedit, plus honorat eum, ac plenè gaudendi materiam submINistrat.

Philo. Hebr. l. d. Abraham. tom. 1.

Ad Apostolos in vitæ confiniis Dei Filius dixit olim: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Bone Deus! hoc munere consolaris in discessu tuo illos qui reliquerunt omnia, & secuti sunt te? Illi non propter Patrem; sed propter te odio erunt hominibus: *eritis odio omnibus propter nomen meum.* Deinde non Patris discipuli, sed tui sunt: non Æterno Parenti comitatum exhibent, sed tibi. Cur ergo illos ad Genitorem remittis petitiones oblaturos? Putabam audire te ad eos dicentem: ne à Patre meo quidquam postuletis; ego namque munus pro vobis orandi suscipio. Nonne oraturus eras in cœlo? Utique: *qui etiam interpellat pro nobis*, ait Paulus. Ergo pollicere discipulis te in cunctis eorum necessitatibus postulaturum pro eis. Hujus promissi loco, verbis uteris in quibus (licet aliud significent) Apostoli minus adhuc perfectè docti putarent te nolle quicquam pro eis à Patre deprecari? *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Sic tuorum Domine sodalium remuneratur amor? Et abunde: nam si diceret: ne rogetis Patrem; sed hoc meum erit, diffidentiam injiceret illis ex quâ vererentur accedere ad Æternum Parentem, existimantes hoc tantùm datum Unigenito ejus. At verò suadens ut à Patre peterent, confidentiam tribuit. Theophylactus ibi: *expedit vobis ut ego moriar, siquidem apud Patrem majorem quàm nunc fiduciam inventuri estis. Non enim quòd separor à vobis, existimate vos à me relictos, sed nomen meum majorem vobis fiduciam dabit.* Ecce perspicis fiduciam in Domino locatam Dei munus esse: quod adeo magnum donum reputandum, ut in illa crescentes per experientiam discipuli, forent perfecto gaudio potituri: *ut gaudium vestrum sit plenum.* Post quæ verba Liranus putat causam sui dicti Magistrum Divinum exhibere dicentem: *hæc in proverbiis* &c. ubi citatus commentator ait: *post resurrectionem autem & Spiritus sancti receptionem Apostoli fuerunt perfecti in notitia & amore Dei. Et hæc est causa quare fuerunt magis familiares ei quàm ante. Et hoc est quod dicitur: hæc in proverbiis* &c.

Joan. 16. 23. 24.

Matth. 10. 12.

Roman. 8. 34.

Joan. 16. 26.

Theophyl. in c. 16. Ioan.

Lira ibid.

Et expressiùs infra ad illa verba: *non dico vobis* &c. scholiat ipse Lira: *ac si dixisset Christus Apostolis: tantâ familiaritatem habebitis ad Deum, quòd per vos ipsos poteritis accedere ad eum & impetrare. Non tamen per hoc excludit suum adjutorium, sed exprimit cum quanta securitate poterunt orare Deum.* Iam non dubitabis quòd securitas fiducialis erga Dominum justis collata præmij locum obineat.

Idem ibi.

Sed oportet animadvertas quænam sit ista securitas, ne illam cum præsumptione confundas. Confidentia igitur cælitus data illa est, quam timor ita sociat; ut neque in Divinæ justitiæ superbam oblivionem; nec in humanæ fragilitatis tremorem pusillanimem degeneret:

Spes & formido simul excitentur. 5.

Horat. l. 2. carm. 10.

Aurea quisquis mediocritatem
Diligit tutus, &c.

Nollem in spirituali negotio, imo nec in temporaneis te similem aviculis illis quæ modo jacent, modo volant, quia pedibus carent. Nec homo nascitur ad volatum; sed avibus obtigit ista facultas: neque de solis aquis verum est dicere vitium capere ni moveantur. Utrumque damnabile, vel tumore conscendas in aëra, vel timore consternatus languescas. *Sic namque sancta Ecclesia fidelibus suis de pietate & justitia Redemptoris* (ait D. Gregor. Papa) *in prædicationis serie spem miscet & metum, quatenus nec incautè de misericordia confidant, nec desperatè justitiam timeant.* Decet igitur ut spes, & formido simul excitentur in corde tuo, ne vel timidus incedas, vel temerarius.

D. Greg. M. l. 20. mora. c. 7. tom. 1.

Insequebantur Ægyptij populum Dei jam prope mare rubrum: &, ut moris est hominibus inconstantia, qui antehac urgebant plebem ab Ægypto velociter exire, nunc eos ad eandem reducere servitutem cupiebant. Moyses, qui à puero notus erat aquis, quia Dei Pharaonis titulo potiebatur, divisit undas ab undis: duos inquam in muros proscidit æquor, & inter crystallinas rupes iter facile simul & inaccessum, aperuit. A cœptis non desistens Pharao divisum ingreditur fretum; sed *respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum.* Ægyptij tunc, serò licet, fugam capiunt: at jubente Deo fluctibus obruuntur. Quæro: nonne ut everteretur inimicorum acies, gurgites aquarum satis erant? Cur dimidium cladis Ægyptiacæ perficitur columnâ? tota inimicorum eversio marinis vorticibus executioni detur; columna verò ducat Israëlem quin sit instrumentum puniendo Ægyptum. Admirare Dei providentiam. Sciebant Hebræi clementissimum Dominum per columnam ignis & nubis eos protegere, *quæ non solum ostendebat viam, sed etiam protegebat eos ab ardore solis*, ut inquit Lira. Sit ergo ipsa columna gladius Ægypto, scutum Israëli, ut postea cùm elevaverit oculos ad illam Hebræus timeat, simul & confidat: memor inquam, columnâ monente, hostium Dei cataströphen, paveat

Exod. 14. 24.

Lira in Exod.

veat juſtitiam: & expertus ejuſdem benignitatis mitiſſimam nubem ſecurus, abſque tamen elationis umbra, pergat ſub dato divinitùs umbraculo. Mari terga daturus erat: unde facillima oblivione ſepeliret fortè ſepulchra Ægyptiorum, quæ monere valebant mentem de Supremi Judicis æqua ſeveritate. Columna ob oculos futura erat diu, quæ ignea terrebat, utque nubes præ ſe tulit blanditiem: *quia terribilis impiis, quia blanda juſtis*, ait Interlinearis. Unde mitiſſimum noſtrum mediatorem, & ſeveriſſimum judicem Chriſtum Dominum deſignat. *Nubes iſta* (ſcribit S. Iſidorus Hiſpal.) *præcedens Chriſtus eſt: idem etiam columna: quia rectus & firmus, & fulciens infirmitatem noſtram.... poteſt & ſic non incongruè accipi quod Chriſti ſacramentum tanquam in die manifeſtatum eſt in carne tanquam in nube: in judicio verò tanquam in terrore nocturno.* Ecce vel ad litteram vel myſticè habes in columna præfata fiduciæ timoriſque ſociata motiva, ne deſperatione confundaris puſillanimi, ſeu inſana præſumptione turgeſcas.

Gloſſ. Interlin.

S. Iſidor. Hiſpal. in c. 18. Exod.

6. *Miraculoſa via non omnibus patet.*

O quam multos nimia fiducia de miſericordia Dei perdet, gehennalibuſque flammis tradet cruciandos! Ferè judicant mortales Deum, quia infinitè liberalis, teneri conferre cunctis beneficia, quæ donare libuit alicui ſingulariter. Non omnium ſunt univerſa dona Dei. Quibuſdam ejus patientia profecit ad ſalutem; erga te forſan ita non erit; ſed potiùs ex ea ſumes damnationis anſam. *Simul pluit Dominus ſuper ſegetes & ſuper ſpinas, ſed ſegeti pluit ad horreum, ſpinis ad ignem: & tamen una eſt pluvia:* hæc aliorſum Auguſtinus: applicabis facillimè ad rem noſtram. Magnificentia Dei cunctis patet; ſed prudenter diſtribuit bona ſua ne vileſcant. Si nullus eſſet peccator cui non appareret ut Saülo, quid mirabile accidiſſet illi? Si à cunctis peteret ut ipſius extinguerent ſitim, minus illi deberet Samaritana. Si ſpontaneum donatorem urges, fortè reſpondebit ille: *non licet mihi quod volo facere?* Peſſimè vivis: pœnitentiam procraſtinas, & ſalvari ſperas? Poſſibile quidem, ſed nimis difficilè: *lubrica ſpes eſt quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat.* Ad fœlicem exitum Dimæ recurris hîc, qui benè mortuus, & malè vixit. Quàm acutè dictum à Juglari: *latroni plus æquo ne fide; plures hic moriendo, quam impiè vivendo peremit.* Latronem ſub vitæ nequam ultimam periodum converti & paradiſum intrare, miraculi quoddam genus fuit. Audi Chryſoſtomum: *non minus fuit in cruce latronem converti & paradiſum intrare, quàm petras collidi.* Quid ergo pro ſalute tua expectas? An ſimile miraculum? Noveris mirabilia quædam eſſe quæ non pro ſingulis hominibus Deus operari vult; ſed pro iis quibus ei libet. Redi ad mare rubrum: & quære à Pharaone, quænam illum dementia cepit ut poſt Hebræos per diviſos maris vortices fuerit ingreſſus. Reſpondebit hoc fuiſſe aggreſſum, quia vidit apertum iter. Sed excæcavit furor mentis ejus oculos. Nonne cernit hoc eſſe prodigium in Iſraëlitarum ſubſidium? putavit miraculum etiam ipſius utilitati fore opportunum? Fefellit eum ſuperbia: non enim Ægyptiis aperuit Deus iter, ſed Jacobæo populo per æquoris undas. *Cùm incolumes illos terram tenere viderent, eundem ſibi quoque pollicebantur eventum. Verum eos talis fefellit opinio, neſcientes non quorumlibet talem eſſe viam, ſed Hebræorum tantùm; & fugientibus eam ſolum patere ad ſalutem, non hoſtibus qui eos perdendi animo inſectabantur.* Hæc Joſephus. Via hæc filiorum Jacob noſtrum ad cæleſtia ſignat iter: *omnes educti ſumus de terra Ægypti, omnes per mare rubrum tranſivimus*, ait Auguſtinus. Aliqui perperam degentes clauſere vitæ curſum fortunato interitu; ſed quaſi miraculoſum fuit hoc. Cave à ſingularium beneficiorum deſiderio: tene communem viam, & amplectere virtutem ſine vitiorum mixturâ ſimplicem: ita non animo cades: confides & citra ſuperbiam: nam *qui ambulat ſimpliciter ambulat confidenter.*

Joſeph. l. 2. antiquit. ad finem.

D. Aug. to. 8. in Pſ. 80.

Qui autem depravat vias ſuas manifeſtus erit. Hac deterret comminatione Spiritus ſanctus homines à fraudulentiæ ſcelere. Et cur non deſignavit tempus certum quo ſit callida ſimulatio impij detegenda? quare non aperiendam ſignificavit in die judicij, vel ſtatim poſt mortem, vel antea multò? *manifeſtus erit*, inquit; ſed quando? Neſciat hoc iniquus ut ſemper timeat, & metu puniatur interim. Nec exiſtimes iſtiuſmodi timorem inter mala mediocre: *qui verò formidoloſi ſunt lugent & deſperant, ſtuporem mentis plerumque patiuntur, & merito ſanè*, ait S. Joannes Climacus. Servitutem vocavit metum quo mortalem pavemus, ille qui dixit: *quiſquis alios metuit ſervus eſt, licèt neſciat.* Cætera mala ſingula deviduntur à ſingulis; timor unus cunctis quæ formidat æquivalet. Verius dicam: reliquis præit cruciatibus formido torquendi acerbitate.

7. *Timor exaggeratio malorum.*

S. Joan. Climac. in ſcal. paradi. grad. 20.

Ariſthen.

Job patientiæ ſpeculum non vitreum, ſed adamantinum, dicebat olim: *antequam comedam ſuſpiro: & tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus meus.* Et quare cruciatur adeo? Eundem audi, & ibidem: *quia*, inquit, *timor quem timebam evenit mihi, & quod verebar accidit.* Si quod timebat evenit, ſolet ceſſare timor: hoc enim habet (præter alia) metus commune cum ſpe, ſcili. quòd affectus uterque futurum reſpicit: ac ideo ſi objectum ex futuro præſens fiat, ſicut ſperari deſinit, ſic & metui non dicitur, ſed tolerari. Quomodo igitur veniſſe affirmat ſibi timorem Jobus? Memorare majorem congeriem ſuper illum irruiſſe: quem ut exaggeraret expreſſit nomine illius mali qui cunctorum ſumma, ſimulque ſummum eſt: utitur inquam idcireo vocabulo timoris. Quam altiorem poſſet hyperbolen quærere, ut dolores quos patiebatur exemplo carere inſinuaret, niſi exæquans eos timori? Ut quàm ſingulariter anxietur inculcet, appellavit nomine timoris ea quæ timenda nominare valebat. Ad illa verba *timor quem*, &c. commentatur D. Thomas: *id eſt ea quæ timebam evenerunt mihi.* Vide ſl. 15. 27. & ſl. 16. 54.

Job 3. 24. 25.

D. Thom. in Job c. 3. lect. 3.

8. *Timor ipſam*

Jam, ſi perpendamus quantum addat ven-

mortem reddit acerbiorem.

turis malis ipse pavor, perterrebitur omnis admiratio. Cæteris doloribus per diversas hominis partes distributis, metus cordis intima petit : imò non extrinsecùs accedit ; sed intus nascitur, ne facilè valeas resistere. Reliquæ anxietudines ostia impetunt hujus rationalis reipublicæ : si januas accuratè custoditas, non expugnaberis. Horror non sic, quia suum habet ortum intra præcordia : proindeque superatur difficulter. Hoc unum adjicio : nempe quòd si malum paveas, auxisti ; si non metuas mitius erit.

Matth. 10. 28. Catena D. Thomæ ut Damasc.

Divinus Magister ab Apostolis exulare tremorem curabat mortis imbellem : unde sic ad illos dicebat : *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Et nonne Dominus ipse mortem exhorruit spontè ? *volens enim esurivit, timuit, & contristatus est.* Sic ex Damasceno legis apud catenam D. Thomæ. Etiam horti plantæ sanguineo sudore rigatæ hoc non ignorant. Ergo ne præceptor optimè suades quod non exequeris ? Paves exitum, & necem consulis discipulis ne formident ? Sic oportuit. Vellet ut ipsis foret suavis mors. Proinde ut cædis tyrânicæ formidabilis ictus minus feriat, timor abscedat procul exanguis. Dolores autem proprios econtrariò Dominus augere cupiebat ob inexplebilem pro nobis patiendi sitim. Et qua ratione voluit immaniorem reddere mortis frameam ? Pertimescendo : nam ut Chrysologus ait, *pavore mors ipsa levior.* Quinimò nisi filius Dei timeret, minueretur ad speciem crudelitas occisorum. Accipe Theophylactum. *Si Dominus mortem non timuisset, dedisset Judæis excusationem quod non peccassent, quod ita citra metum ad mortem prosiliisset.* Morti (si dicere fas est) ipse timor addidit arma : quinimò pavor gladius est mortis adeo proprius, ut in hujus nomine facili anagrammate delitescet. Profer ore nomen hoc timor. Inverte syllabas, & invenies : morti : deest mortis instrumentum aptissimum. Igitur improbus in textu quem versamus, non leviter percutitur formidine.

Chrysol. ser. 1. 47. Theophylac. in Math.

9. *Trepidamus ubi non est timor ; ad vera discrimina non pavemus.*

At quæris quo tremore feritur adeo graviter ille ? Metuit ab hominibus fraudes ejus deprehendi. Existimabas eum puniri per hoc quod trepidaret infernum ? Hunc ille non pavet ; sed ad res minimas totus contremiscit. Hominum reprehensio si comparetur cum duplici gehennæ instanti, prorsus nihil apparebit. Puerile cor nostrum est : infantium ad instar, magna præterit, ac ridicula spectra formidat. Piè pariter & disertè hoc lamentatur canorâ dulcedine plectri vates catholicus.

Herman. Hugo l. 2. desider. carmin. 4.

Heu ! premit humanas furor hic caligine mentes
Fulgetras metuunt, fulmina nulla pavent.

Idem ibi.

Vides avem quanta pernicitate fugiat inanem larvam, quam super arboris ramos posuit horti custos, ut à fructibus eam arceret ! Et quo illa confugit ? Ad virgam visco illitam in arbore vicina dolosè ligatam, ubi mortem inscia quærit. Similitudinem debes eidem Lyræ.

Nempe fugit picta sic passer imagine larva
Illita cui visco virga timenda fuit.

Ferè non aliter homo, quàm alites : licet ejus mens volet ocyoribus alis. Unde Augustinus ait : *nunquid enim timor est si quis perdat divitias ? Non est ibi timor, & ibi timetur. Si quis autem perdat sapientiam, ibi verè timor est, & ibi non timetur.* Quid aliud sunt ea quæ vulgo pavescimus nisi papiraceæ larvæ, malorumque umbræ ? Trepidamus tamen ubi non est timor. Majora occurrunt discrimina sæpe, quæ non cavemus delusi fiduciâ cæcâ. S. Aug. to. 2. in Ps. 52.

Samson zelotypiâ furens Philistinorum segetes incendit. (Quidni ab igne scintillaret ignis ?) Armata manu illi descenderunt in terram Juda quærentes incendij authorem, ut vinctum ducerent & damnum vindicarent. Viri de tribu Juda, cùm hujus rei conscij fierent Samsonem adeunt, factumque apud ipsum causantur : & vexationem propriam redimere cupientes, *ligare, inquiunt, te venimus & tradere in manus Philistinorum. Quibus Samson, jurate, ait, & spondete mihi quod non occidatis me.* Vides quàm cautus inter eos quibus Samsonis mors nec in mentem ascenderat. Recole modò ex notissimâ historiâ quàm incautè se gesserit illemet in domo Dalilæ, quæ amore non sua ; genere verò prorsus aliena, utpote hostium filia. Postquam interrogatione molestissimâ victus, quâ postulabat ipsa in quo maxima ejus fortitudo sita esset, cor aperuit : ac se objecit periculo quod non ignorare insinuaverat silendo : indeque mors illius, quamvis propriis manibus oppetita, fuit orta. *Aperiens veritatem dixit ad eam.... Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Cur non (esto quòd mulieri committebat secretum, ceu vento pulverem) saltem promissionem ab ea non postulat, se non traditurum arcanum hoc Philisthæis ? A viris Juda, qui ejus vitam auferre nequaquam parabant, sponsionem expetit cum juramento ? Et à perfida meretrice, nec jurejurando, neque promisso fidelitatis pignore accepto pectus detegit aperiens rem à qua propria vita pendebat ? Non expavit Samson periculum ubi erat. *Namque parum fida expertus alienigenæ uxoris prima connubia, qui debuisset cavere vel postea, rursus Dalilæ mulieris fornicariæ copulam non declinavit : & cùm eam diligeret impensè, tentandi se causam dolis hostilibus præstitit..... saucius animi secretum aperit*, inquit Ambrosius. Alibi discrimen timuit, quo se liberum tunc putare valuisset. Tremiscit homo phantasiâ territus inani ; vera præsentissimaque damna contemnit. Simulatione tectus improbus non timet gehennam ; ei tamen in pœnam permittitur pavor humanæ reprehensionis (mali certè non maximi) quam patietur cum manifestus erit. Judic. 15. 12. Ibi n. 17. S. Ambr. to. 5. l. 3. epist. 24.

DELI

DELIBATIO II.

Cordis error : humilitatis securitas : temporalium fugacitas : mundi odium velut amor : spes capiendo inepta somno, cum sit operum stimulus,

10. *Cor audet intellectus munus obire.*

QUI *ambulat.* De claudis non adeo rigorosè dicitur ambulare, sed claudicare : ut videre est in eo quòd Servator, ut restitutos affirmaret sanitati claudos, non dixit eos melius ambulare quàm prius ; sed : Luc. 7. 22. *claudi ambulant.* Igitur ut non claudices in via spirituali, sed ambules, duplici tibi pede opus est. Et quinam sunt ? Hugonem Cardin. interroga : Hugo Card. hic. respondit : *confidenter ambulat qui duobus pedibus innititur : idest pede intellectus, quo curritur ad viam veritatis : & pede affectus quo curritur per viam pietatis seu misericordiæ.* Aliò tendit doctissimus Purpuratus. Mihi nunc satis quòd alter ex pedibus sit cordis affectus, alter mentis lumen. O quot claudos habebis obvios quotidie ! Alij solo intellectu agiles, corde tardi ; econtra quidam pectore validi ; judicio infirmi. Plus est quod malitia multorum duos illos pedes ita junxit ut in eis unus videri possit, & sic ambulationi rectæ non sufficiant. Sunt aliqui de quibus audebit affirmare nonnemo, quod intellectualem austeritatem perosi, cordi suo munus intelligendi commisere. Ad multa inflexibilis est intellectus, ut pote veritati natus. Quantumvis existimare velis noctem in meridie ; mens renuet. Non placet subditis (idest inferioribus potentiis) Princeps adeo, ut ipsi putant, severus, quòd toties ipsorum conatibus dissentiat. Rebelli audacia sceptrum commisere cordi, ut regem habeant arbitrio suo contemperatum. Cor accepto regimine audet judicare, Matth. 15. 14. muneraque intellectus obire. *De corde exeunt cogitationes malæ*, inquit Sapientia incarnata. Existimabam dicturum exire cogitatus pessimos ab intellectu maligno : à corde prodeunt ? Exponit glossa ordin. Glos. ordi. ibi. *ex propria voluntate nascuntur.* O miserrimum principem à sui dominatus exercitio depositum ! Cor tyrannice illius occupat solium, & usurpat judicia, quæ ad ejus tribunal spectabant : placet enim mortalibus intelligere quæ placent ; ignorare quæ displicent. Appositè recolatur datus Chrysologus : Chrysolo. ser. 131. *quantùm judicium cordis nequitia præjudicata confundit ! O quam durè amputat obstinatio rationem : sensus humanus perversus audire non potest quod semel statuit odisse.... quod vult, non quod est audit semper qui decrevit errare.* Hinc fit ut affectus proferat sententias. Mens tacet, seu jacet potius : claudicant mores, egebat enim ambulatio recta duplici pede scili. cordis, ac intellectus.

11. *Error intellectus à corde pluries accipit initia.*

Claudis baculus convenit : & qualinam putas utuntur isti ? Ignorantiâ, quâ male putant excusari. Utinam per illam non ulterius feriretur anima. Baculus est arundineus nescientia voluntaria : parum foret non firmare gressus, nisi manum perfora- S. Bern. epist. ret. *Multa profectò scienda nesciuntur, aut* 77. *sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecundia inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem*, ait D. Bernardus.

Quid refert ignoranter peccavisse illis quorum error à corde habuit ortum ? *Ut* Ps. 94. 11. *juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.* Sic Deum fuisse comminatum antiquioribus Hebræis asseruit coronatus Vates : illi namque per tot annorum seriem tentantes Altissimi clementiam, justissimè iram promeruere Dei, ac terræ promissionis ingressu prohibiti sunt morte præventi. Sed quæro : nonne ipsos vias Domini neutiquam agnovisse legitur psalmi citato loco ? *& isti non cognoverunt vias meas* : cur Dominus illos non excusat ; sed adversus eos irascitur ? Quia istorum ignorantia corde radices egerat : *hi errant corde* : explicat Hugo Card. Hugo Card. hic. *non cognoverunt, idest cognoscere noluerunt.* Baculus ignorantiæ nihil juvat eum qui cordis paralysim passus voluntariam, gressus figere non valet ideo quia non vellet : stipitem claudus linquat si restitui voluerit sanitati, & utroque pede (affectus nempe ac mentis) niti, ut solet *qui ambulat.*

12. *Securitas humilitatis.*

Simpliciter. Irerum audiamus Hugonem : *simpliciter ambulat qui humiliter ambulat.* Idem hic Cùm de securitate prudenti sacer textus agat, humilitas prætereunda non erat. *Humilitas*, ait S. Basilius, *cùm honesta fama* D. Basilius. *habet & securitatem.* Qua ratione simplicitatis, & submissionis genia similia sint ; pronum est intelligere : superbus enim se, alioque duplicat : seipsum, inquam, quia tumet ; alios verò dum eos contra se provocat, & armantur sic in superbiæ ruinam, ut singuli pro multis computentur. Sed, ut hoc omittam, de securitate humilis nonnihil dicemus. Mundus æquori simillimus, in hoc etiam ei non dissimilis apparet : quòd scili. eorum discriminum, quæ in illo contingere solent ; potissima causa ventus est. In eo tamen dissident, quòd si ventorum vis omnino sileat ; vel stat navis immota, vel retro pellentibus aquis trahitur. Non sic sponte demissi animi Cymba : non vento superbiæ quatitur, ac tamen fœliciter ad optatum finem enavigat. Humilis esto : & clausis oculis, nullo, nisi Dei monitu, ducente perges, quin labandi periculum pertimescas.

Lumen dabit veritati huic ille sine oculorum lumine natus : quem linito super oculos ejus luto Medicus & Salus cunctorum remisit ad natatoriam Siloë ut visum recuperans lotus rediret ac lætus. Ita se res habuit : *abiit ergo & lavit, & venit videns.* Joan. 9. 7. Dum iret, cæcus adhuc erat. Quare non viæ ducem requirit ? vel Dominus unum ex discipulis non mittit, ut eum ad aquas perducat ? Securus ibat : quia non, ut Naaman, aquæ lotionem despexit ; sed consilio Servatoris humiliter obtemperans, nec verbum addere ausus est. *Intuere*, inquit Chry- Chrysost. ho. sostomus *cæci animum in omnibus parentem :* 55. in Joan. *illud duntaxat curavit ut pareret in omnibus* tom. 3. *imperanti. & in nullo perturbatus est.* Quin

potiùs plasmationis humanæ vilitatem (lutum scili. ex quo Protoparens effictus est) in oculis deferebat. *Expuit enim in terram, & lutum fecit, inunxitque oculos cæci: ostendens per lutum quòd ipse sit qui & Adam de luto formaverit.* Sic Theophylactus. Humilitas igitur eum velut securum reddebat in via, ne offenderet pedibus, qui adhuc erat orbus luminibus: quid enim accideret mali, vel quomodo permitteretur aberrare illum qui Dominico nutui se submittens iter cepit? Tu qui mente cæcus toties periclitaris, & lapsus experiris, terram oculis applica: teipsum agnosce in genitrice gleba: & statim atque non per superbiæ juga, sed depressionis per vallem, iter feceris, ambulabis *confidenter.*

Theophylac. in 9. Ioan.

13. *Ille discrimini patet qui major habetur.*

Imo citra superbiam feriunt summos fulmina montes; evadit lilium infima tenens. Non ecclypsim patiuntur stellæ, sed tantum cœli duo luminaria magna. Rupes elatas fluctibus quatit furens mare, non saxa, quæ profundo recondit unda sinu. Nido residens avicula deludit accipitrem, quæ postea dum volat fit hosti præda. Satis nonne sunt ab aëre, mari, terrâque, necnon à cœlis petitæ similitudines? Utinam sufficiant, ut cor nostrum dissuadeant ne quæramus aliis ante fieri: *sunt enim*, ut Chrysost. ait, *summopere lubrici, & periculosi hi principatus:* nolite confidere &c. Exemplum non desumpsi ab igne, quia cùm sit ambitionis ænigma, nullum in eo invenire potui humilitatis emblema. Sed his omissis, apertissimam certò noveris veritatem: Ille discrimini patet qui major habetur.

Chrysost. in illud psal. 145.

Discipuli Joannis detulerunt ad ipsum, quòd ecce baptizabat, & ab omnibus quærebatur ille, cui testimonium præstiterat ipse. Præcursor arrepta occasione docuit eos, inter alia dicens. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Mox occurrit quæstio: quomodo Verbum incarnatum augeri potuit? Responderi solet crevisse in authoritate apud homines. Addi potest incrementa, non tantum opinione, sed vera quatenus hominem suscepisse Christum. Rupertus exponit sic: *Alias autem & verè, quia paulo minor est ab angelis, crescere habet, primò signis & prodigiis* &c. Adhuc hæsito. Joannes asseruit hoc augmentum oportere: patetque significare voluisse quòd ita congruebat humano generi. Sed qua ratione verum habet nobis proficuum fuisse quòd Redemptor creverit humana existimatione pluris factus, & claritate signorum splendens? nonne potiùs erat nobis opportunum, quòd humiliaretur usque ad mortem crucis? Ita: sed ad hoc ipsum fuerunt augmenta præfata convenientissima: quia tunc magis pateret crucifixionis periculo, cùm haberetur major, & prodigium jubare clarescceret. Celsiora quærunt ictus.

Ioan. 3. 30.

Rupert. l. 4. in Ioan. c. 3.

14. *Ictus quærunt altiora.*

Quò altiori sede te constitutum experiris, eò plus percussionibus patere non dubites. An non apud Psalmistam legis: *ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos?* Exposuit D. Thom. utens consuetudine Romana. *Consuetudo fuit Romanis uti scutis rotundis, & in illis habebant spem victoriæ, & quando triumphabant utebantur scuto illo ut corona.* Et quid scuto cùm diademate? Dicam. Clypeus hostilem sustinet impetum: etiam coronæ labor hic est: ferre percutientes. Quod supra caput extollitur crebriùs feritur. Utinam te mundus non collocet super excelsum verticem: per abjectionis voluntariæ prona securiùs incedes: duplicia ne sollicites: & satis, & satiùs est vivere *simpliciter.* Illis verò qui simplicem vitæ gradum contemnentes ambiunt præfecturas objiciam illud S. Vincentij Ferrar. *promitto vobis quòd si scirent onera quando eliguntur, fugerent de villa, vel civitate.*

Psal. 5. 13.

D. Thom. in psal. 5. ibi.

S. Vincent. Ferrar. ser. 2. fer. 3. Post Dom. 2. Quad.

Ambulabat. Adhuc de justo sermo fit: ejusque vita vocatur ambulatio. Non sic in secunda parte sententiæ legimus, ubi mentio habetur iniqui. Sedet hic super flumina Babylonis; ille verò non sedem constituit ubi peregrinamur à Domino; sed ut viator, nec ab hospite tutus, pertransit nusquam hærens. De justis ait S. Gregor. Pa. *In transitoriis prosperari refugiunt, ne delectatione itineris à patriæ perventione sequestrentur, ne gressum cordis in viâ peregrinationis figant.* Prudenter equidem probi temporalia prætereunt: est enim istorum adeo conditio fugax, ut quandoque priùs contingat ea deperdi, quàm possideri. De quibusque temporaneis dici valet quod asseveravit de honore S. Ambrosius: *sæpe honor sæculi abiit antequam venerit.* Adhuc possessioni locus non erat, & tamen jam non eris liber à jacturâ.

15. *Aliquando bona mundialia prius perduntur quàm habeantur.*

D. Greg. M. to. 1. l. 5. mora. c. 5.

S. Ambros. to. 3. l. 4. in Luc. c. 4.

Rapuit Jacobi filiam Sichem ductus lascivia sic vesana, quòd principi suaserit injuriam ei, quam deperibat inferre: nam turpiter fœdavit eam. Saucius amore, credens remedium quod morbi causa fuit, postulavit illud, scili. Dinam. Reposuere fratres nefas apud illos esse quòd incircumciso nubat Hebræa. Desiderio tamen illius obtemperaturos promittunt, si princeps, regisque patris cuncti subditi circumcidantur. Acceptat sponsionem Sichem, & repromittit. Circumciduntur illi; sed injuriæ dolor suasit Jacobi genitis, ut in ultionem stupri, non solum principem occiderent, sed etiam depopularentur civitatem, sublatâ prius in domum paternam à Levi & Simeon sorore suâ: *tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam .... & depopulati sunt urbem in ultionem stupri.* Et quid pecavit urbs? Quamvis Lipomanus asserat civitatem in delictum interpretativè consensisse; tamen oppositum videtur sentire Chrysosto. quatenus ait: *vidisti dilecte quantum malum operata sit unius juvenis temeritas? Vidisti quantam attulit perniciem omnibus civitatem habitantibus?* Peccatum principis luit civitas, quam non adhuc ipse regebat, sed genitor? Audi. Sors Dinæ coronam obtulerat, quam, si principi desponsaretur, per obitum regis Hemor obtineret sceptri consors cum Sichem ejus filio, civitatique fœliciter dominarentur ambo. Ut videamus quàm sit instabilis, fugaciissimaque fœlicitas humana, priùs Dina reversa domum privatam Jacob parentis, coronam perdidit, quàm eam imponeret capiti: necnon civitatem,

Gen. 34. 26. 27.

Chrysosto. to. 1. hom. in Gen. 59.

tatem, ante quodammodò quàm acquireret, amisit. Jacturæ dies plùs festinat quàm possessio. Meritò justus in caducis adeo bonis, quod pereunt priusquàm nascantur, gradum non sistit, sed *ambulat*.

16. *Mundus nec odisse, nec diligere scit.*

Fortassis quæres cur non Salomon potius dixit fugere justum, quàm assereret illum ambulare. Nonne sæculum inter spirituales annumeratur hostes? Non ambulet justus; fugiat. Vide. Non fugam capiunt ex justis plurimi: nec ideo dicere vales incautos, quia mundus frequenter hostem agere nescit: nec amici exequitur officia pro illis, quos diligere mentitur; neque veros effectus odij depromit adversùs eos quos odisse fatetur. Paradoxum rides? Attende. Quid est diligere? Bonum alicui velle. Quid est odisse? Invisо mala desiderare. Et quid intendit mundus cùm te diligit? ut præcipitia quæras, teipsum perdas, omnisque boni fontem derelinquas? Hæc tibi vult mala? Fallor nisi quoddam simultatis genus amor iste sit. *Inter peccatores nequeunt legitimi amoris jura servari*, ait S. Laurentius Justin. Econtrà: quid agit sæculum si te prosequitur odio? Lubricas peccatorum occasiones aufert, bona scili. sua: merendi materiam subministrat invitus: ad regiam crucis viam ducit inscius, & à perditionis tramite, licet ignarus nolentem, avertit: *dum injusti injurias inferunt, justi purgantur, & utilitati innocentium militat vita pravorum*, inquit Præsul Venetianus idem. An non dilectionis indicia sunt hæc?

S. Laurent. Justin. in fasci. amor. c. 6.

Idē in lign. vit. c. 3. d. patientia.

Favent hujuscemodi suspicioni verba Filij Dei, quæ juxta nonnullos, ad quosdam ex Apostolis dicta sunt: *non potest mundus odisse vos*. Do Chrysostomum ad illud Joann. ibidem n. 3. *Dixerunt autem ad eum fratres ejus*: commentatur S. Doctor: *ex his qui hæc dixerant Jacobus primus Jerosolymorum Episcopus ordinatus est, de quo Paulus ait: alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum fratrem Domini*. Cúmque istis qui hæc dixerunt Christus Dominus responderit inter alia verba illud quod nunc examino, scili. *non potest mundus odisse vos*, inde colliges hoc ad quosdam ex Apostolis dictum esse. Nunc scire vellem quâ ratione, si Judam seponamus posset de ullo Apostolorum asseverari quod mundus eum non valeret odisse? Utinam hostis non esset justorum: inimicum prælia testantur. Et ubi sunt illa ejusdem divini Magistri verba? *propterea odit vos mundus*: & apud Matthæum: *eritis odio omnibus gentibus*, &c. Quo ingenio cohæret utrumque dictum prioribus verbis? *non potest mundus odisse vos*. Facillimè. Mundus odisse vellet justum; sed nequit, quia nescit: nam si mediis persecutionibus illum ad exoptatam fœlicitatem summam ignorans evehit, amantis hoc est; non odientis. Odit certè, sed odij leges minimè scit. Restat ex loco eodem comprobanda pars altera suprapositæ sententiæ: scili. mundus amici officia non exequitur pro iis quos affectu prosequi confingit. Non potest mundus odisse vos: cur non potiùs dixit nolle; sed non posse? Quia non posse odio habere conjungitur utplurimùm cum impotentia ad adamandum. Lapis, & cætera insensibilia odiendi sunt incapacia: igitur etiam diligere nequeunt. In his & similibus tenet consequentia ista: ut ergo probè noscas mundum ad suos ferè non affici, Dominus pronuntiat non posse Apostolos, qui alieni erant, odio prosequi. Exinde conjice quòd etiam neque diligere suos queat: nam incapacitas amandi solet necti cum impotentia odiendi. Itaque virtutis assecla ratione ac experientiis monitus agnoscit sæculum ut hostem: sed cùm nescientem videat gerere munus hostile, sæpe non fugit illum; sed *ambulat*.

Joan. 7. 7.

Chrysost. to. 3. hom. 17. in Joan.

Ibi c. 15. 19.

Matth. 24. 9.

17. *Spe nixus ne dormias in re salutis.*

Confidenter. Pro confidentia expectationem transtulit Chaldaica: *qui ambulat in perfectione, ambulat in spe*. Fertur in vulgari proverbio: ex optimo, si nimium fit pessimum. Spes inter virtutes primi ordinis locum obtinet; sed illius nimietas facit ut in præsumptionem degeneret, ac non jam vires præbeat (quod spei valdè proprium est) sed vitam spiritualem adimat. *Metuendum*, inquit Augustinus, *est ne te occidat spes, & cum multum speras de misericordia, incidas in judicium*. Non dixit juxta lectionem prædictam Sapiens hoc loco: dormit in spe: quod quidem non incongruè dicere quibat, ut securitatem spei quæ in Deo collocatur exaggeraret; sed ait: *ambulat in spe*. Optima est in spirituali negotio adjutrix spes; neutiquam tamen apta ut illa nixus dormias. Fidem & charitatem similem loricæ, spem verò galeæ supponit Apostolus, dum ad Thessalonicæ incolas ait: *induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis*: at in quo stat ænigmatis proportio? Galea est inter arma defensiva quid optimum: protegit præcipuam hominis partem: ad præliandum est aptissima; sed ut super illam reclinatus te somno tradas, pessima cervicula. Sic spes: ut pugnes utilis est protectio; non tamen spe tanquam pulvino ad stertendum abutaris. Favet cogitatui quod ibi præmiserat Apostolus paulò ante dicens: *non dormiamus*. Huc vide si possit trahi sponte Ambrosius in commentario ad præfata verba: *loricam fidei*, &c. *Commonet enim ne securi de nomine Salvatoris*, ait Ambr. *negligenter agamus: ideoque tribus propugnaculis nos muniri debere, ideſt fidei, & spei, & charitatis. Dum enim fides manet spem excitat: spes autem necessariò sollicita est de promissione, nec dormit*, &c. De spe justorum agens D. Petrus eam vivam appellat: *regeneravit nos in spem vivam*: quibus verbis insinuat aliam dari spem, quæ mortua dici potest. Emortuum affectum in spirituali certamine minimè voces in auxilium: fac ut spes resurgat, & comitem se tibi junget fidelissimum: non etenim ille perfectus est qui in spe jacet; sed qui *ambulat in spe*.

D. Aug. to. 9. tract. 33. in Joan.

1. Thess. 5. 8. 6.

Ibi n. 6.

S. Ambro. to. 3. ibid.

1. Pet. 1. 3.

18. *Spes temporalium stimulus meritorum.*

Aliud insinuat lectio adducta proximè, nempe mortales nonnisi spe ductos ambulare. Mutet jam perantiquum spes humana symbolum, scilicet anchoram: hæc enim religandis in portu navibus convenit; expectatio autem, anchora cùm sit, Aquilonis munus obit, quo cessante navis è portu non solvet. *Studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt*; Deo servire solent homines

S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 6. tom. 3.

lucri temporalis amore ducti. Si expectare desierint, vereor ne priscam sollicitudinem augendi merita deponant.

Supplex à Deo postulavit Moyses ut faciem sibi ostenderet. Supplicatio repulsam passa est, eo quod adhuc esset Moysi vita comes: *non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet.* Exod. 33. 20. Commentatur ibi Lira: *talis enim visio non conceditur in præsenti vita, ubi est locus pugnæ & meriti.* Sed quæro: nonne visio quam ille flagitabat, animos adderet pugnæ? An non militi exhibita benevolentia peculiaris à principe calear adjicit ut majori strenuitate belletur? Visio non beata (quàm tantùm hîc postulabat Moyses) locum dat merito: videat Moyses Dei faciem ut Jacobus, cum Dominum suspexit innixum scalæ, quin à meritoriis operibus desisteret. Jacob meritis non imposuit finem quamvis illa fœlicitate potitus. Et de Moyse timeri posset desidia, si Domini conspectu quem petierat frueretur? Ita quidem. Hæc ad rem præsentem inter utrumque Dei amicum disparitas. Jacob cum vidit in somnis Altissimum, adhuc multa expectabat ab eo temporalia: protectionem scili. (*si fuerit Deus mecum, & custodierit me:*) quotidianum victum (*& dederit mihi panem ad vescendum:*) necnon & indumenta (*& vestimentum ad induendum:*) cúmque tot adhuc bona intra mortalis vitæ decursum adhuc expectaret à magnifico largitore, quamvis eum viderit, spes illum continuit ne Deum relinqueret. At verò Moyses protectione divinâ jam gaudebat: *Dominus autem præcedebat eos*, &c. panis ei defuturus non erat per temporum seriem, quin terram colendo laboraret fructum expectans: *paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore:* etiam vestem habebat, quæ diu perduraret: nam sicut de populo Israël dixit ille in via: *non sunt attrita vestimenta vestra:* sic proprio Moysis indumento accidisse verosimile quidem est. Igitur si Deum, prout postulavit, in vita mortali cerneret, quid ei decesset? nihil dum superstes erat. Non ergo Deum aspiciat Moyses; Jacob verò maximè: quia non hic, sed ille, maneret expositus discrimini sistendi gradum in stadio virtutum Deoque valedicendi: cùm adhuc Jacobus expectaverit ab illo temporalia; Moyses autem quidquid Jacob desiderare significavit, utcumque posset. Ac præcipuè negatus est faciei visus intimo dilecto, ne à desideriis erga Deum cessaret. Audi S. Gregorium Nyssenum. *Annuit enim facturum se quod petebatur: finem autem atque cessionem hujus desiderij futurum non promisit, nec enim ita quispiam Deum videre potest, ut videndi desinat desiderium. Nam in hoc profectò Deus videtur ut nunquam desinas ad eum respicere. Quare, inquit non poteris videre faciem meam*, &c. Imò desineret Moyses Deum sequi si concederetur ei visio illa: nam à tergo Dei migraret ad faciem ut eam conspiceret. Acumen hoc debeo, non mihi sed eidem Nysseno, loco citato: *facies mea non videbitur tibi: hoc est noli ad faciem ducentis Dei occurrere, ne in oppositum cursus fiat: nam si bonum bono contrarium non est, & qui ducentis faciem videt, ducenti oppositus est, cum ducens bonus sit, ipse malus est.* Ecce quid accideret amico Dei, si nulla non adimpleretur spes illius ex iis quæ supra memoravimus. Cadit justus aliquando si plus quam ei congruit sortem in possidendo experitur; spe ambulat homo, & *confidenter.*

Exod. 33. 20.
Gen. 18. 20.
Exod. 13. 21.
Sap. 16. 20.
Deut. 29. 5.
D. Greg. Nyss. in vita Moysis.
Idem proximò.

DELIBATIO III.

Peccatum quandoque virtuti simile: culpa delirium est, malitia stulta. De semivirtuosis, & famâ caducâ.

QVi autem depravat. Calliditas (quæ licet honesta possit reperiri, tamen frequenter sumitur in malam partem) dissuadetur hîc verecundiæ metu. Vitium est hoc eò periculosius, quò prudentiæ consimilius. In mediis adhibendis ambæ sæpissimè conveniunt; in fine quem intendunt longè distant: prudentia enim laudabilem sibi præfigit scopum; calliditas verò pravum. Cúmque lateat intentio, & similiter operentur exteriùs, vix fallaciam, astutiamve malam, quorundam à prudentiâ dignosces. Quod adeo verum est ut prudentis nomine divinus Magister sæculi filios hoc est malos, appellaverit præferens in hoc eos operantibus rectè: *laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt,* Difficultas quæ spe visitur in discernendis vitiis à virtutibus, faciliorem præbet aditum peccatis. *Venena non dantur nisi melle circumlita; & vitia non decipiunt nisi sub specie umbraque virtutum.* Maximè timenda est tentatio sub colore virtutis latens: accipiens pulchram texti faciem pellicit facillimè culpa: res equidem periculosissima peccatum est boni speciem præ se ferens.

19. *Periculosissima tentatio est si culpa sit virtuti similis.*

Luc. 16. 8.

S. Hiero. to. 1. epist. 7. ad Lætam.

Dubitabam sæpe quare Christus Dominus Petro non præceperit ne ad atrium Principis Sacerdotum sequeretur eundem, ut vel sic negandi Præceptorem amputaretur occasio. Heroicè diligentis est pericula dilecti præcavere; hunc erigere post lapsum parum erit, si casum impedire potens noluit. Providebat Dei Filius ruinam: eum cavere faciat imposito mandato ne post ipsum eat in Pontificis domum: sic Petri damnum vitabit, propriumque de illius malo dolorem. Congruum non erat Apostolum præcepto ligari ne sequeretur Dominum: hæc namque sequela post mandatum, foret culpabilis, ac appareret virtus (erat quippe Magistrum non deserere vinctum) præsertim quia ex D. Ambrosio *ita novum fuit Petrum potuisse peccare, ut peccatum ejus nec ab Evangelistis potuerit comprehendi.* Unde facilè postea tanquam actus virtutis à pluribus existimaretur. Cúmque adeo difficilè sit peccatum omittere à nigredine propria decoloratum, & virtutis colore speciosum, noluit Redemptor præcepto imposito reddere Petro peccaminosam sequelam sui. Facilius erat à negationibus abstinere, quæ non

S. Ambr. l. 10. in Luc. c. 22. tom. 3.

actus

actus virtuoſi prætendebant excellentiam; ſed propriam fœditatem ſatis detegebant: & qui ter cecidit in plano, citius peccaret ſi per ardua duceretur. Timendum nimis crimen cognatum virtuti. Sic prudentiæ imitatrix calliditas (quia virtus eſt affinis vitio) pœnæ denuntiatione proponitur in textu noſtro metuenda.

20. *peccata ſunt delira.*

Alio ex capite lubricum adeo calliditatis vitium in multorum præcordia ſe inſinuat illapſu facillimo. Diſertorum peccatum hoc eſt: ac ferè nullus non ingenio præditus videri geſtit. Inde fit ut aſtutiam ſub nomine ſapientiæ perſonatam libenter amplectantur, & à nemine decipi cupientes, craſsè deſipiant: peccatum quippe quodvis inſania eſt. Pſal. 39. 5. *Beatus vir*, ait Propheta Regius, *cujus eſt nomen Domini ſpes ejus: & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Commentatur Hugo Card. Cardin. Hugo: *peccati:* & infrà: *peccata autem dicuntur inſaniæ, ſecundùm quod dicit Greg. quid inſanius quàm pro momentaneâ delectatione æternis ſe mancipare ſuppliciis?* Conſonat D. Hieronymus, qui eas inſanias explicat ſic: *ſunt iræ, rixæ, direptiones, & reliqua, in quibus homines inſaniunt ut peccent.* De hoc non dubito. Sed putabam appellanda peccata veras inſanias; cur dicuntur inſaniæ falſæ? Optimè dictum. Falſum vocamus illud quod aliud repræſentat quàm ſit. Benevolentiam fictam convitiandi animo, dixit Eccleſiaſticus gratiam falſam: *non omni homini cor tuum manifeſtes: ne fortè inferat tibi gratiam falſam, & convitietur tibi.* Et Jeremias de idolis dixit: *confuſus eſt artifex omnis in ſculptili quoniam falſum eſt quod conflavit, & non eſt ſpiritus in eis.* Ad hunc modum ſcelera dicuntur inſaniæ falſæ, quia ſæpe judicantur exaggerationes ingenij, cùm ſint ridiculæ judicij paupertates. Expende Ambroſium ita de libidine loquentem: *Sic febre libido flagrantior eſt, graviúſque præcipitat, & inflammat. Sed ubi quis reſipuerit à furore, tunc conſcientiæ interioris aperitur viſus, factique pœnitentia ſuccedit, & pudenda ſui quiſque facinoris erubeſcit.* Exemplum applica.

Hugo Card.

S. Hieco. tom. 7. in Pſal. 39. 5.

Eccleſiaſtici. 8. 22.

Jerem. 10. 14.

S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4. to. 3.

21. *Malitia eſt duplicata ſtultitia.*

Quinimò ſimulatam prudentiam ad fines pravos tendentem, non unicam ſtultitiam appellare ſatis eſt. Multiplex reperitur ignorantia in verſuto, quem vulgus proclamat Catonem. Prima: nullus eſt quem ſui comparatione cæcum non reputet. Secunda: blandientibus integram fidem præbet ingenij torrentem vaniſſimè laudantibus. Tertia: æterna ſibi damna parat, & vivit quàm lætiſſimè ſuo contentus mendacio. Quarta: brevem auræ popularis durationem non advertit, vel prorſus non credit. Si plures inſcitias in eodem numerare cupis, invenies non difficulter. Cùmque tot viis malitioſus audire mereatur ignorans, non ſufficit quòd ſemel ſtultum appellemus. Ore prophetico dicebat olim Deus: *quia ſtultus populus meus me non cognovit: filij inſipientes ſunt & vecordes.* Stultus, inſipienſque ſynonyma ſunt. Vocaverat populum ſtultum: ad quod addit inſipientes? Quia malitiam ſapientiæ nomine tectam ſectabantur. Vide quod immediatè ſequitur: *ſapientes ſunt ut faciant mala: bene autem facere neſcierunt:* ubi Gloſſa illud, *ſapientes*, exponit *malitioſi.* Et Dionyſius Carthuſ. ad illa verba, *filij inſipientes ſunt*, ait ſic: *ideſt dono ſapientiæ, ac ſalutari ſcientia, de qua ſcriptum eſt dedit illi ſcientiam ſanctorum privati.* Et ad vocem *vecordes*, addit: *ideſt amentes, quia verbis Dei increduli falſorum prophetarum ſermonibus intenderunt.* Inſuper ad illud, *ſapientes ſunt*, &c. inquit: *& hoc non eſt vera ſapientia, ſed iniqua aſtutia. De quibus per prophetam dicitur: væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris*, &c. Aſtus binæ ad minus inſipientiæ vili titulo merito notatur. Et hoc pejus, quòd cùm ſit ad illicita prudens; ad bonum ſtupidus torpeſcit. *Homo carnalis*, inquit Author operis imperfecti, *qui oculum ideſt mentem terrenis deſideriis ſordidam habet, & turbulentam, ſi ponas eum in rebus mundanis, ſapit & aſtutus eſt: ſi autem trahas eum ad res ſpirituales tenebreſcit, & nihil ſapit.* Sic utplurimùm ſe habet ille qui machinatione fallaci, ut acumine mentis pollens decantetur, opera ſua frequenter *depravat.*

Dionyſ. Carth. ibi.

Imperfect. ho. 13. in Matth.

22. *Mundus ne totus unquàm Deo ſervias, te dividi patiatur.* Hugo Card. hic. D. Greg. M. l. 1. moral. c. 11. tom. 1.

Vias ſuas. Hîc plures vias lego; non ſic in priori parte dogmatis ejuſdem, ubi de juſto mentio fit. Iſte namque unicam tenere ſolet viam. Favet Hugo Cardin. *vel ſimpliciter ambulat, qui unâ tantùm viâ ambulat, quæ eſt Chriſtus.* Peccator etiam in hoc opponitur juſto: *duabus quippe viis terram ingreditur peccator, quando & Dei eſt quod opere exhibet, & mundi quod per cognitionem quærit*, inquit M. Greg. Deum videris tu velle mendacem oſtendere, cùm duobus dominis inſervire cupis, quod ipſe dixit impoſſibile. Et quamvis id ille tacuiſſet, eandem veritatem ratio libens demonſtrat. Si Deum diligis offenſas quibus eum injuriis affeciſti, deploras; ſi verò ſæculum dilexeris, ad ſpiritualia monita ridebis. Dei ſervus de virtute in virtutem conſcendit; mundi amator de ſcelere ruit in ſcelus. Si Deum quæris, vigilas cautè; ſi mundum ſectaris ſtertis reſupinus. Si Deo militas iter facis diu; ſi obtemperas ſæculo, noctu carpis viam. Si Dei legibus obedire curas, ad portum navigas; ſi tyrannidi ſæculari morem gerere ſoles, à portu ad turbidum æquor deflectis. Et ſicut nemini licet eadem hora portum quærere ac eundem refugere, noctu diuque ſimul peregrinari, dormire vigilantem, conſcendere ruentem, ſeu fletum riſui copulare: ſic nullus valebit Deo ſimul ac mundo ſervire. Dominos non capit grandis urbs Roma duos: imò, ſemel quod uterque majoratum amat, illis erit anguſta domus unica; ibit alter in Meſopotamiam. Quid tu præſumis in corde qui palmi capacitatem non æquat, hoſpitium permanens præparare, non fratribus, nec ſociis, ſed inimicis? Deo ſcili. ac ſæculo. Accipe incertum, ſed probabilem D. Cyprianum: *mundi amor, & Dei pariter in uno corde habitare non poſſunt, quemadmodum oculi pariter cœlum & terram nequaquam conſpiciunt.* Mundus hoc eſſe poſſibile tibi ſuadere curat. Noſſe vis quid intendat? Satagit ut nunquam totus Deo ſervias. Si ſæculo integer obſequereris, tandem aliquando tui adeo abjectæ ſervituti dediti miſertus

Incertus D. Cypri. l. d. 12. abuſionibus.

Jerem. 4. 22.

sertus resipiscere. Quia nec Deo perfectè, nec mundo plenè traderis, nunquam Dei totus eris. Industria mundialis tyrannidis hæc est, pari quod inter ipsum & Deum dividaris : quasi dicentem audio mundum : si hominem dimidium semel possedero, saltem nunquam integer à potestate mea exibit. Similitudine quadam à tertio libro Regum desumpta dictum explico.

Non semel audisti litem à Salomone celebri plausu decisam. Contendebat fœmina duplex ut unici puelli mater judicaretur. Monarcha Sapiens jussit ut parti cuique pars traderetur pueri. Vera mater sententiæ non acquievit ; alia tamen acceptabat decretum
3.Reg.3.26. dicens : *nec mihi nec tibi fit ; sed dividatur.* Utquid vult cadaveris partem mulier hæc? urgeat, interpellet regem ut vivum sibi tradi puerum præcipiat. Non hoc elegit quæ genitrix non erat, sed infantis parte
D.Prosp.l.de prom. & prædic.p.2. c.27. contenta quiesceret (*vera mater*, inquit S. Prosper, *ut tantum vivat adversariæ totum cedit : falsa ne vera possideat dimidium petit*) quasi diceret illa : si totus mihi adjudicatur filius, ipse postquam ad annos discretionis pervenerit, vel ab ipso ductus naturæ lumine, vel ab aliquo de rei veritate doctus, me derelinquet, veramque genitricem adibit. Hoc nollem. Quid ergo ? Scindatur : dimidium possidebo : sic enim fiet ut nunquam ad illam, cum quâ mihi lis est, potestatem devenire contingat. Exemplum applica qui vales. Ut secum permanenter habites mundus optat, quin te diligat. Ait igitur : sinam cor istud inter me Deumque dividi : semel enim atque fuerit ex parte meum, nunquam Deo consecrabitur totum. O quam displicet Creatori tui zelotypo societas ista ! Posset ille redemptorem filiorum Adæ constituere angelum, redemptione minùs perfecta contentus ; at noluit : nam ut
S. Athan. Orat.3.contra Arrianos. S. Athanasius ait, *conveniebat redemptionem fieri per eum qui naturâ Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus:* ne scilicet Deo, & angelo tanquam Dominis obediremus : nempe Deo, naturali jure ; angelo vero titulo redemptionis.

23. *Deum & diabolum pectus idem non capit.* Aug.tr.7.in Joan.to.9. Et pateris dæmonem simul cum Deo cordi tuo dominari ? Hoc fieri posse ne putes. Time ne tibi accidat quod ait Augustinus. *Væ duplici corde qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus quia fit ibi pars diabolo discedit, & totum diabolus possidebit.* Imò nec ipse dæmon quandoque patitur hominem ita dividi ut Satan Deusque in eo tanquam in communi loco reperiantur.

Judam in cœnaculo Sacrosanctam Eucharistiam non accepisse probabile affirmat Angelicus doctor : *fortè in mensa dimisso pane*
D.Thom. in Joan.c.13. lect.5. *nullam traxit moram.* Quid eum à sacrilega communione retraxit ? cur non impulit diabolus proditorem etiam in facinus istud ? Imò ne communicaret corpus & sanguinem Dominicum, Iscariotem citius malignus hostis expulit à mensa. *Diabolus*, ait D. Thomas, *qui jam intraverat in cor Judæ, timens*
Idem ibi. *ne si panem comederet eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Iesu esse, non permisit Iudam panem comedere.* Dæmoni scelus indignæ communionis non equidem displiceret : sed cum jam possideret Judæ cor, exire cogeretur si Deus intraret ad proditorem specierum sacrarum velamine tectus : non enim Deus & Satan in eodem pectore consociantur. Suasit eidem ut abiret, ne Sacramentum acciperet ille qui adversario communi plenus erat.

Animam rationalem indivisibilem sciunt etiam vulgares philosophi, vel tota virtuti colendæ traditur ; vel nihil. *Noverat justus utraque mundi scili. oblectamenta & spiritus gaudia simul stare non posse*, inquit D. Laurentius Just. In peccatis jacentem multa bona opera exercere sæpe, non dubito. Attamen parum Deo placent isti semivigiles.

24. *Animæ semidormientes Deo displicent.* S.Laur.Just. l.d.vit.Solit. tar.c.10.

Quid acciderit Sponsæ Canticorum recordare. Curis inducias dederat lecto quiescens illa, cum Sponsus ad januam ingressum postulat : *Aperi mihi soror mea.* Frivolas ex- Cant.5.2.
cusationes prætendens renuit aditum præbere. Quibus auditis abiit Sponsus. Nonne Deus erat qui pulsabat ostium ? Quare non ingreditur januis clausis ? Permittit ut se dicatur passum fuisse repulsam ? oportebat, ut non nisi Sponsa pessulum aperiente Sponsus intraret. Ad quid ? Ut somnum excuteret illa penitus. Tunc temporis eam semidormientem fuisse judicabis, cum illius verba perpenderis. *Ego dormio & cor meum vigi-* Ibid.
lat : vox dilecti mei pulsantis : aperi mihi soror mea, &c. ubi S. Ambrosius. *Aperi ergo* S.Ambr.to. 2.in Ps.118. Octon.12.
illi : vult introire, vult Sponsam invenire vigilantem. Noli ergo bono amatori facere moras, citò recedit, & ut somno torporis tui videris excluisse pulsantem. Excludis enim cum desidiosus es, cum piger, cum somnolentus. De his agere videtur S. Doctor, qui corde vigilantes dormiunt oculis : nam de aliis qui etiam corde soporantur, prædixerat ibi : *si* Idem ibi.
enim dormias, & cor tuum non vigilet, discedit antequam pulset. Ex parte vigilabat inquam Sponsa, nam corde vigil capiebat somnos. Deus animam nollet semisomnem. Surgat è lecto ad januam recludendam : sic expergefiet. Non vult ? Sponsus transibit. Sopore mersus de salute non deliberas criminibus deditus : attamen inter hæc experiris nonnunquam nescio quæ melioris vitæ desideria. Cor tuum vigilat ; dormiunt oculi. Deum corde quærere incipis anhelo, ac simul de præteritis non dolens jaces velut sensus expers. Imò nova flagitia prioribus adjicis. Non unâ viâ incedis quæ Christus est ; plures quæritas errans velut ille qui *depravat vias suas.* Vide flor.16.delibat.6.

25. *Fama sæculi acquiritur carò & flatu perit ?* *Manifestus erit.* Aliquo fortassis miraculo est opus ut fraudulosa pateat astutia, ruatque idolum ? Nequaquam. Articulatus aër & brevis (vox scili. hominis unici) satis erit ut latentes fraudes aperiens cunctis, moneat eos quòd illum despiciant, quem antea colebant alienis ornamentis decorum. Heu quam facilè perit sæculi vanus honos ! *Quid,* Chrysost.to. 1.hom. de nomine Abram.
inquit D. Joannes Chrysost. *& gloriâ est minus fidele: Sæpenumero qui clarus erat & nobilis, repente contemptibilis & ignobilis*, ait Chrysostomus. Illi qui os populi meruisse gaudent, non modicis impensis famam acquirunt ; ac levi flante vento illam perdunt,

dunt, quin ſpes reſtitutionis jacturam conſoletur.

Aiebat Job ad moleſtiſſimos illos, qui ſub amicitiæ prætextu, afflicto dolorem addidere, conſolatores oneroſi : *memoria veſtra comparabitur cineri.* Hiſce verbis Jobus eorum nomen brevi tranſiturum commonet eoſdem : ſed cur non potius arborum foliis æquiparat memoriam illorum, quos non infimæ ſortis fuiſſe credibile eſt: Cinis nunquam non abjectiſſima res ; folium verò priùs virens ptæaltum arboris locum obtinet ; poſtea cadit & vento rapitur : ſic nomen illorum quos mundus magni facit. Aſſimilet ergo Jobus non vulgarium hominum memoriam citò perituram, non cineri, quod ſi aſſervaveris, perdurabit ; ſed foliis quæ anni circulum utplurimum non perficiunt, ac inter arboris pompam extolluntur ut ruant. Melius Job ex cinere ſumpſit ænigma, quàm ex folio poſſet accipere. Utrumque ſanè flatu diſparet ; ſed folium poſtquam ſiccatur ; non quamdiu vireſcit, perit. Inſuper : quotannis deperditam pompam renovat arbor, nulliſque ſumptibus acquirit quod tam facilè ruit. At verò cinis cum lignorum ſumptibus excreſcit in aggerem, tunc vento ſpargitur non ultra colligendus. Haud aliter fama cum virens luxuriat, cadit abjecta : & nimiis dierum, ſollicitudinum, & laborum expenſis comparata, motu aëris impulſa leviſſimi, fugit neutiquam revocanda. Quid eſt, quæſo, vox callidam ſimulationem iniqui detegens, ejuſque fraudes palam faciens, niſi commotus aër cinerem diſpergens ? Latebat ſub igne vitiorum cinis & ad modum inflammatæ Dei amore virtutis lucebat : putatum ſplendorem flatus extinxit, atque cinerem diſperſit. Ita continget diligenti fraudes : veniet enim dies, cum *manifeſtus erit.*

Job.13.12.

FLOS XI.

Qui annuit oculo dabit dolorem : & ſtultus labiis verberabitur.

APERITUR.

1. Difficilis eſt littera : cum enim pronuntiata Salomonis in hoc libro nec ſemper connexionem ſervent ad invicem, & incertum ſit, an verſus hic annectatur ſuperiori, non poſſumus ex præcedenti conjicere certò hujus intellectum. Si prioris partis ſcili. *qui annuit oculo*, &c. phraſim attendamus, inveniemus eam poſſe multipliciter uſurpari. Qualiter hîc ſumatur arduum eſt dijudicare : quia ſecunda pars reſiſtit aliquibus expoſitionibus hemiſtychij primi, cùm tamen ex eadem nulla, per quam quieſcat mens, eruatur.

Quatuor quæſtiones litterales occurrunt: prima quid ſignificet annuere oculis ? Secunda utrum verbum, *dabit*, intelligendum ſit reſpectu ejuſdem oculo annuentis, an aliorum ? tertia utrum in ſecunda parte, ſcili. *& ſtultus*, &c. comparetur vitium vitio per ſimilitudinem, an per antitheſim ? quarta, nectatur vox ne, *labiis*, voci, *ſtultus*, an verbo, *verberabitur.*

Quo ad primum dubiolum. Annuere oculis, poteſt ſignificare primò laſcivos nutus : ſecundò irriſionem ſimulatam : tertiò amicitiam falſam : quartò calliditatis cujuſcumque ailûs inſtrumentum ; nutu loquentis id quod ore doloſè tacet : quintò quamlibet invitationem, ſeu locutionem nutu factam tendentem ad malum : ſextò adulationem approbantis nictu oculorum : ſeptimò ſuperbum contemptum alterorum factum per geſtus luminum : octavò motum oculorum ſtulti ab ejus infœlici fatuitate ortam ; qui dat dolorem, ideſt commovet aſpicientes ad miſerationem. Ex iſtis interpretationibus quænam ſit opportunior, audire vellem potius quàm eligere. Prima de laſciviâ, videtur libera : ut videre eſt in eo quod Lira, qui pro ea ſtat, interpretatur verba, *dabit dolorem*, ſic, *ſcili. marito.* Et unde colligit fore textum limitandum ad nutus libidinoſos erga uxoratas ſolummodo ? Rejicio deinde quintam & octavam : quintam, inquam, nam videtur in præſentiarum ſermo eſſe de nutu, qui eſt ingratus ei cui fit, iſtumque torquet ſaltem poſtquam fallacia diſcooperitur. Si verò malus ad ſocium innuit occaſionem peccandi, non verificatur de illo hæc ſententia. Octavo loco poſitum ſenſum etiam non probo, quia ille fatuus motus oculorum non eſt adeo magni momenti miſeria, ut de hac dicatur propriè quòd miſerantibus det dolorem. Lira hic.

Ex cæteris autem acceptionibus quædam ægrè conjunguntur cum ſenſu poſterioris partis ejuſdem proverbij. Reliquæ valent quidem ei accommodari : non tamen aſſignabitur fundamentum ſufficiens, cur eligamus unam præ alia, vel approbabimus omnes. Hoc ultimum delibero ne cogar aſſignare diſparitatem. Sumpſit igitur Salomon annuitionem oculorum pro ſigno doloſo communi ad multa ſimulationis genera, ſicut ſtatim ſtultitiam intelligi puto de quovis actu nocivo ignorantiæ culpabilis, quæ non, ſicut fraudulenti dolus, taciturnitate dolentis præteritur ; ſed verborum aſperitate caſtigatur.

Ad ſecundam quæſtiunculam Janſenius ait : *magis intelligendum videtur de dolore, quem ſibi adfert ſimulator ſi tandem ſuæ ſimulationis detectæ dederit pœnas.* Sed neſcio faveat ne huic expoſitioni verbum, *dabit*, non enim eadem phraſi dicimus dare dolorem, atque dare pœnas. Ad tertiam interrogationem, contra Janſenium, cohærenter dico vitium vitio ibi contraponi : quaſi Salomon diceret : quando quis à ſimulatore dolo feritur, dolet, ſed tacet ; aſt quando ſtultè ab alio impetitur, judicat indignum quòd ſilens eum velut revereatur ; quinimò verbis illi rependit quod meretur. Ad quartum dubium : quamvis jam inſinuaverim nomen, *labiis*, annectendum voci, *verberabitur*, tamen probabiliter jungi poteſt verbo, *ſtultus* : & ſic eſt contrapo- Janſen. hic.

sitio inter eum qui dolum astutè peragit oculorum nictatione, & illum qui stultè dolum prodit verbis : hic punitur ; ille verò frequenter manet impunis.

2. *Qui annuit.* Si de assentatione accipiatur, significat oculorum nictu laudare. Ita solent illi de quibus lepidè satyricus

Juvenal. saty. 3.
Concutitur : flet si lachrymas conspexit amici,
Nec dolet : igniculum brumæ si tempore poscas,
Accipit endromidem : si dixeris æstuo, sudat.

Si de cæteris præter adulatorem exponatur, est verbum commune cuilibet nutui oculorum quo prædicti utuntur ut suprà.

Oculo, dixit ; & non oculis. Propriissimè locutus est : unico enim oculo multi ex illis de quibus hîc agitur, uti solent ad innuendum imperceptibilius id quod intendunt uni significare, ac operire alteri.

Hugo Card. hîc. *Dabit dolorem :* exponit Hugo quasi dicat : dabit dolorem sibi, idest punietur pro hoc. Sed, ut antea dixi, non placet : quia prudentia solet conniventibus oculis utplurimùm injuriam præterire, quandiu res agitur cum utentibus malitiosè nutu luminum : tum ex prædictis ad secundam quæstionem suprà. Tum denique nam adulatorem rarò videmus punitum in vita mortali : ferè nunquam ei desunt præpotentes patroni. Deinde superbus, fictus amicus, & alij non solent dare pœnas propter nutum oculorum ; sed propter diversa.

Et stultus : idest qui non eâ ignorantiâ laborat, quæ illum à culpa excusat, dum operatur, sed alterâ (de quâ S. Bernardus ait:

D. Bern. de undecim gradi. humilit. *frustra sibi de infirmitate, vel ignorantia blandiuntur, qui, ut liberius peccent libenter ignorant, vel infirmantur,*) vel aliâ culpabili.

Labiis. Si secundam expositionem, de qua memini supra ad quartum dubium, sequamur, mirarer si stultus se non proderet sermone simillimo sibi : nam ex Ecclesiastico :

Eccli. 33. 5. *præcordia fatui quasi rota carri.* Plaustrum vel non movebitur, vel sonum edet satis auribus molestum. Stultus vel jacet otiosus, vel si quidquam intendit, jam auditur à cunctis nesciens tacere : nam si hoc saltem sciret insipiens non appareret:

Cum tacet haud quidquam differt sapientibus amens
Stultitiæ est index linguaque voxque suæ.

Quamvis tamen sibi placet ille, verbis flagellatur propriis, juxta dictum Ambrosij :

S. Ambr. l. 1. de offi. c. 2. tom. 4. *verberamur vocis nostræ verbere cum loquimur ea quorum sono cæditur animus noster, & mens consauciatur.*

Verberabitur. Vapulat qui ex ignorantia damnabili offendit alterum ; dolosus verò magister astuum fortè supplicio caret consimili : cum tamen hic præ illo, si cætera paria sint, peccaverit gravius : nam ut habemus ex D. Augustino :

D. Aug. relatus in c. Quæro. 6. q. 1. *peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur.* Atramen cùm verosimilior sit in stulto spes resipiscentiæ, quàm in doloso, ideo potiùs hic quam ille verbo percutietur, ut meliora sapiat.

DELIBATIO I.

Amici fictio, electio, & offensa. Vulnus intellectu receptum. Dolosæ benevolentiæ dolor.

3. COnstantinopolitanus Antistes postquam dixerat : *& in amicis anima una & cor unum*, addidit nonnulla de amicitia : & insuper de illa inquit : *novi multos ista non intelligere : in causa verò est quod de re disputo quæ cœlum nunc inhabitat. Sicut si de plantula quadam in India crescente, cujus nemo habet experientiam, dicerem : etiam si innumera referrem, nullo sermone illam exprimere possem : ita & nunc quidquid dixero frustra dico, nemo intelligere valebit, in cœlo plantata est hæc planta*, &c. Nollem ut mihi si de amicitia vera loquar, idem accidat, quia sub stylo humili tractarem de re satis peregrina. Dicam igitur de benevolentia ficta : de qua sanè, cùm ferè omnes querulos videam, notam & ignotam esse non dubito. De hac textus loquitur, judicavit doctissimus à Lapide, dum dixit : *qui simulant se amicos, & data occasione inimicitiam quam corde fovent exerunt, amicumque incautum supplantant.* Cùm sit orbis totus mendax veritatis figura ferè nihil est, in quo non mille fraudibus pateat sincerus animus : & quamvis ejusdem comædiæ diversas personas agamus in eodem theatro, misere decipimur adinvicem theatralibus indumentis, quibus tegimur : quod non accidit comædis, sciunt namque singuli alios fictè loqui sibi. Nullibi periculosior deceptio, quàm in amicitiæ usu : sicut inter fraudes valdè magnum locum tenet fabricatio adulterinæ monetæ. Similitudinem amplectere non liberè dictam ; amicum etenim nummo similem dicimus ex Plutarcho : *ut nummum*, ait, *exploras, num sit adulterinus, priusquàm eo sit opus : sic amicus probandus antequam eo sit opus.* Igitur velut monetam possides amicum : & si verum, in magno habendus pretio ; si vero fictus, falsam servas pecuniam. *In hoc mundo*, inquit Chrysostomus, *omnes vendendo, & emendo vivunt, & invicem sibi fraudem facientes vitam sustentant.* Plurimam fateor in mercibus istis deceptionem reperiri. Offertur ementi pro dilectione spes, pro laude adulatio, pro humilitate ambitio, pro societate livor, pro liberalitate usura. Tunc emens (quasi fraudem sciret) nummo utitur non quidem vero, sed picturato (amicitiâ scili.) ut omnia ista mercetur. Et, quod pejus est, pluribus animi dotibus excellere solent ij qui amici nomine tecti sunt impostores ; utplurimùm rudi minerva depressos fraus ista non corrumpit. Sic monetam cupream nunquam vidi adulteratam ; argenteas & aureas persæpe. Hoc fortè provenit ex eo quòd ingenio tribuitur astutia, ut supra deplorabam. Et quam bellè fabrefactos hujusmodi falsos nummos reperies !

Chrysost. to. 4. hom. 2. in Ep. ad Thes. sal.

Corn. à Lapi. hic.

Plut. in monum. ral.

Chrysost. in c. 20. Matth.

Ac

4. *Amici ficti deteriores hostibus manifestis.*

Ac non solum amicitiam à cordibus hominum exulare docebit experientia, sed (quod miserabilius) hostibus deteriores invenies amicos. *Cavendus est inimicus qui manifestus est; magis autem qui videri non potest.* Huic simulato dilectori si benefeceris, charitatis ad apicem ascendes altiùs, quàm si beneficia contulisses apertis adversariis. *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hæc Filius Dei. Sed nonne Domine charitas tua laudatur ex eo quòd pro nobis, qui ratione peccati hostes tui eramus, obiisti? Me docet Magister gentium dicens: *commendat autem charitatem suam Deus in nobis quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Quomodò stat Pauli dictum cùm Redemptoris verbo? cohæret optimè veritatis Prædicatori Veritas, nempe Christus Dominus præcitata verba locutus. Peccatores equidem hostes Dei sunt, & adeo ut non desint Theologi asserentes aversionem illam à Deo quæ in qualibet culpa gravi reperitur ad odium Dei reduci posse, cùm videatur, quantum in se est, quasi tollere ab eo rationem ultimi finis, quam si Deus amitteret, non esset. Attamen à singulis peccantibus quære num Deum odio habeat. Respondebit statim: absit, nisi fere dæmon sit. Quid est hoc nisi amicum Dei se profiteri, hostilemque celare animum? Igitur pro amicis fictis occubuit Salvator. Cúmque isti pejores manifestis adversariis æstimari queant, & quò inimiciori benefacis, eò amplius charitas eluceścat: ideo dixit: *majorem* &c. *Christus* (ait Doctor Angelicus) *non posuit animam suam pro nobis inimicis, ut scili. inimici remaneremus, sed ut amicos efficeret.* Eramus igitur per peccatum inimici Dei; sed nos Redemptor loco præfato vocat amicos, quia sub pulchro nomine amicitiam fictam erga Deum operiebamus; per gratiam verò amici vere facti sumus. Quid non homo adversus hominem audebit effingere, cùm ipsi Deo simulare dilectionem non vereatur? Et quæreris te amici dolo circumscriptum? *Erras ut in multis*, ait Petrarcha, *nullus in amicitia dolus est. Sed in hoc etiam vulgò erratis, amicos creditis qui non sunt. Amicitiamque rem inæstimabilem atque sanctissimam facili probatis experimento, usque adeo rerum utilium curiosi, levi comessatione, aut brevi confabulatione quæritis amicum, nec citiùs quæritis, quàm perditis, si tamen quod non habetur perdi potest.*

Roman. 5. 8. 9.

D. Thom. in Ioan. lect. 2. in c. 15.

Petrarch. de remed. adversus fortu. dial. 62.

5. *Amicum non eligat solus amor.*

Amicitiæ tribuimus vitium, quod proprius electionis nostræ defectus est. Amicum sola voluntate designamus: quidni cæca dilectrix pro fideli perfidum seligat? Non hoc solius amoris munus est: adhibeatur suffragium intellectus, ut fidum eligas amicum. Imo & Divinus amor, licet errare nesciat, tamen ad eruditionem nostram, in amico deligendo consortium sapientiæ summæ non renuit.

Luc. 3. 2.

De Filio Dei sermo est apud Lucam, dum scribit hæc: *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Hæc mens Petri Chrysologi dicentis: *quia Ioannes vox est, Deus Verbum, factum est verbum Domini super Joannem, Deus super Joannem, super servum Dominus, super vocem verbum.* Textus ad litteram significat Deum locutum fuisse ad Ioannem per inspirationem factam in ordine ad prædicationis ministerium. *Dominus allocutus est Joannem*, habet Hebraica lectio. Spiritui sancto potiùs quam Filio videbatur congruere munus hoc mittendi Baptistam: nam *Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et si ad Filium hæc missio potius ideo spectabat quia Ioannes non Spiritus Divini præcursor erat, sed Verbi: cur Divinum Flamen in utero existentem donis replevit puellum? *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.* Contendit ne Dei amor in Baptistæ gratiam, prævenire Verbum? & vicissim Filius cupit erga Ioannem favore prosequendum, nec Spiritui Divino cedere? Utique decertarent, si fieri posset: sed nunquam rectus amor cùm sapientiâ pugnabit. Hoc omisso, venio ad rem nostram. Insigne Ioannis est amicum vocari Dei: *amicus autem sponsi qui stat & audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Verbum Divinum appellatur sapientia; Spiritus autem sanctus dicitur Amor. Nec solius Divini spiritus erat, neque solius Verbi amicum seligere Ioannem, ut officia exhiberet amicitiæ: talia namque sunt de Christi excellentiâ testimonium perhibere, hominesque ad ipsum adducere. Hanc electionem amor & sapientia Dei perfecerunt: amor exornavit clausum in utero: sapientia in solitudine commorantem advocavit. Vide non solius amoris esse delectum amici. Sed proh dolor: intellectum, voluntatem, & memoriam, aliquando applicas ut in amici designatione non aberres: & intellectus desipitur in luce meridiana: voluntas vafra simulatione trahitur: memoria non juvat; quia in subjecta materia nimis labilis est. Fateor aliquantulùm similes amico esse adulatores. Heliotropium (fides apud Plinium sit) necnon & lupinum ambo cùm sole circumaguntur. Sic adulator simius est: amici veri actiones imitatur quasdam. Sed valde hallucinabitur qui vel simium cùm homine confuderit, vel cùm heliotropio lupinum.

Chrysol. ser. 137.

Lect. Hebr.

2. Petri 1. 21.

Luc. 1. 15.

Ioan. 3. 29.

6. *Ab eo quem amicum putabas ledi valdè torquet.*

Res hæc examine summo trutinanda foret, ad minus ne postea serò doleas, cùm ab eo quem tibi putabas propitium læderis. Magis dire cædit insperatus ictus. *Duplicatur dolor*, ait Seneca, *cùm ab eo à quo non mereruis venit. Tantò magis injuria est affectior, quantò proximus est qui facit.* Ideo plùs angitur pectus, quantumvis dura sustinere doctum, cùm ab eo quem velut fratrem putabat operaturum, offenditur, quàm si ab alio acciperet injuriam, à quo benevolentiam non expectabat.

Sen. in prover.

Fugiens David impiam gnati ambitionem venit usque Bahurim: *& ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra David:* virum sanguinum appellavit,

2. Reg. 16. 5. 6.

pellavit, & virum Belial, invaſoremque regni. Tunc dixit rex à vindicta longe
Ibi n. 11. alienus? *dimittite eum ut maledicat*. O heroïcam fugientis victoriam! ſeipſum ſupergreſſus eſt qui ſe devicit. Sed an minus humilis erat David cùm Nabalem punire voluit ob injurioſa dicta contra ipſum ruſticè prolata? Accidit quod penuria preſſus mitteret ad Nabal, ut ſibi poſtulanti, ſociiſque ſubveniret. Repoſuit ille dura ſane verba:
1. Reg. 25. 10. *quis eſt David? & quis eſt filius Iſai? Hodie increverunt ſervi qui fugiunt dominos ſuos.* Nuntiata ſunt hæc Davidi: jubet accingi milites gladio, ut admoneatur illa Nabal
Ibi n. 13. ruſticitas audax. *Tunc ait David pueris ſuis: accingatur unuſquiſque gladio ſuo. Et accincti ſunt* &c. Et quid amplius auſus eſt Nabal quàm Semei, cujus probra ſuſtinuit adeo patienter? Uterque audacter & contumelioſe locutus eſt: ac Semei lapides addidit. Cur iſtum pro tunc reliquit impunitum? & ad vindictam contra Nabal accingitur enſe? *accinctuſque eſt & David enſe ſuo:* Recole de cujus domo Semei dicatur: *de cognatione domus Saul*. Quid aliud ſperaret David ab eo? nam inimicus judicari valebat Davidis ille qui de domo Saulis erat. Ab adverſarij manu quid niſi lapides? Nabal non exiſtimabatur hoſtis à Davide, qui ſe illius, jam non dicam amicum, ſed fratrem appellavit cum juvenes monuit, ut nomine ſuo ſic
Ibidem n. 6. eum ſalutarent. *Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax:* commentatur Hu-
Hugo Card. ibi. go Cardi. *ideſt tibi & domui tuæ qui eſtis fratres mei ſit pax.* In Davidem non cadit adulatio: fraterno compellavit nomine ruſticum? quia putabat eum beneficio tuendi quæ ipſius erant devinctum, fore ſibi fratris loco, ſi deprecaretur illum neceſſitate compulſus; & experientia docuit ſe deceptum, cùm petitio ſua paſſa fuerit re-
Ibi n. 21. pulſam injurioſam. *Vere fruſtra ſervavi omnia, quæ hujus erant in deſerto, & non periit quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.* Nullum prætextum objicere poterat Nabal: utpote qui non erat inimicus Davidi. *Cogi-*
Theodore. apud gloſſ. in 1. Reg. 25. 13. *tabat enim* (inquit Theodoretus de heroë Ieſſæo loquens) *quod Saul occaſionem haberet, potentiam, & regni invidiam: iſte autem nullum prætextum habens arrogantiæ, adverſus eum extremis uſus ſit maledictis.* Igitur à Semei projectas contumelias, & lapides, clypeo patientiæ retudit, quamvis in faciem auſus ille ſit. Injuriam Nabal in abſentia factam fuit animus ulciſci: duriſſimum namque ab illo, quem propitiaturum tibi fore putabas, offendi. Sed hoc multoties accidit ex eo quod amici dele-
Theophraſt. apud Plutarc. l. de fraterno amore. ctus ſit abſque judicio. Ideo Theophraſtus apud Plutarcum dixit: *non amantem judicare, ſed cùm judicaveris amare oportere.*

7. *Ictum in intellectu excitare torquet immaniter.* Duplicem adhuc in iſto dolore circumſtantiam expendo, quibus non parum ſumit incrementi: ſunt quippe in amici dolo tela duo. Horum primum vulnerat intellectum, quatenus convincitur de vitioſa electione: & eò plùs torquetur, quò delicatiore nobilitate gaudet facultas intellectiva. *Vivificat ergo intellectus ut ſpiritus*, ait S. Am-
S. Ambr. to. 2. in pſ. 118. octon. 18. broſius: ac proinde cædit animam qui percutit eum. Secundo jaculo feritur voluntas prudens: quia cogitur erga proditorem ſimulatitiè tectum non aliter ſe habere, quàm ſi benevolentiam ei debuiſſes. Ad primum pergo.

Mentis acies intellectus eſt: & ſicut vulnus oculis inflictum acerbiſſime cruciat: ſic in intellectu vix prudentiſſimus ictum ſuſtinebit. Cæſareæ vinctus Paulus ante regem Agrippam, & Feſtum præſidem ſiſtitur, & cauſam ſuam permittitur verbo tutari; De reſurrectione mortuorum nonnihil dixit, & ſuæ converſionis metamophorſim enarravit mirabilem. Quibus auditis, ait illi Præſes:
Act. 26. 24. *inſanis Paule: multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Et Apoſtolus nullâ morâ factâ
25. repoſuit ſe nequaquam uſu rationis læſum: *non inſanio (inquit) optime Feſte, ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Nonne hic ille idem qui ſcribens ad Corinthios teſtatur ſe in opprobriis pro Redemptoris causâ complacere? *Propter quod placeo mihi in*
2. Corint. 12. 10. *infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto:* & nunc inſaniæ notam à Præſide illatam repellit, cùm pro Filio Dei pugnat? Fortiſſimus Heros doluit ſe inſanum dici: nam intellectum feriebat ictus ille: quis erit qui dum vulneratur oculis dolorem diſſimulet? Hoc videtur ſolius incarnati Dei patientiæ proprium: qui cùm dicerent de ipſo quidam ex Iudæis: *dæmonium habet & inſanit*, omnino tacuit. Mentitâ ſi falleris amicitiâ ſauciat intellectum deceptio, doloreque afficit vehementi. Multo convenientior tibi foret ſolitudo, quàm perfidæ ſocietatis mendacium. *O te fœlicem*
Ioan. 10. 20. Sen. epiſt. 46. *hominem, ſi nihil habes propter quod quiſquam tibi mentiatur.* Sic morum Philoſophus.

8. *Qui te ladit benevolentiam ſimulans plus offendit patientiam.* Ad ſecundum tranſi ex duobus quæ paulo ante propoſui, ut acerbitatem doloris ex amicitiâ falsâ concepti oſtenderem. Expendamus inquam vulnus quod infligit voluntati. Oculis etiam ſuſtinetur ictus quo te blandiens adulator impetit. Audi Chryſoſtomum: *adulator omnis virtutis inimicus*
Chryſoſt. l. 3. in Policra. de veſtig. Philoſoph. *eſt, & quaſi clavum figit in oculo illius cùm quo ſermonem conſerit: eóque magis cavendus eſt, quo ſub amantis ſpecie nocere non deſinit, donec rationis obtundat acumen* &c. Graviter ſanè læditur animus ficta pace: nam proditoriam agnoſcens manum à prudentiâ cogitur ut accipiat obſequij titulo quod ab animo promanans infeſto, veraciter eſt offenſa veſtita perperam hypocryſi venuſtâ.

Phariſæorum diſcipuli inſtructionem eorum ſecuti capere voluerunt in ſermone Chriſtum Servatorem. Quærunt an Iudæis liceat ſolvere tributum Cæſari. Reſponſum à Dei Filio datum norunt omnes. Illud tantum nunc expendo, quod ſic ſe Dominus in quæſtionis diſſolutione habuit, ut occaſionem præſcinderet iterum ſimiliter illum tentandi: confuſi namque diſceſſere. *Et audientes mirati ſunt, & relicto eo abierunt.*
Matth. 22. 22. Ubi Origenes relatus à D. Thomæ: *hoc etiam diſcamus ex loco præſenti, quòd contra*
Origen. relatus in cate. D. Tho. ibi. *tentantes*

tentantes nec omninò tacere debemus, nec ſimpliciter reſpondere; ſed circumſpectè, ut præſcindamus occaſionem quærentium in nobis occaſionem. Alibi tentatum lego Dominum à diabolo ut ex lapidibus panes crearet: nec tamen ita reſpondit ut hoſtem à ſecundâ & tertiâ tentatione deterreret. Hominum illorum tentationibus claudit oſtium? diabolicas permittit? Maximè: quia ii tentarunt fictione benevolâ: *Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum.* Diabolus autem intulit manifeſtam in deſerto Redemptori noſtro injuriam, & non unicam: nam primò de ipſius divinitate dubius loquitur: *ſi Filius Dei es:* ſecundò: *tantum ſibi* (ait S. Leo) *de naturæ noſtræ mutabilitate promiſit, ut quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem.* Redarguit Chriſtus Dominus verbo Satanam; ſed non fugavit: ſecundò, iterúmque tentare ſinitur dæmon, quia prima tentatio ſatis aperta facie Salvatorem impetebat. Phariſaicæ verò diſciplinæ alumni non ſic adversùs eundem pugnaverunt; ſed ita blandientis verbis contecti ut meruerint audire: *quid me tentatis hypocritæ?* Gravius erat vulnus hoc: majori cautelâ utendum hîc judicavit pro eruditione noſtra. Fugantur iſti à Domino, ut nos cavere norimus illos, qui ſub pulchrâ benevolentiæ amicæ facie venenatas emittunt ſagittas, quæ in ictu oculi cor pervadunt. *Qui fingit ſe amicum, & non eſt, pejor eſt eo qui facit falſam monetam.* Sicut monetæ adulterum omnes execrantur: ita ſimulatum amicum vix patitur quilibet. *Qui annuit oculo dabit dolorem.* Minus eſſet malum ſi fingere neſciens virus ore depromeret: pœnas daret quia *ſtultus labiis verberabitur*; at verò pſeudoamicus fuit, ac evadit impunis.

Ibid. n. 16.

Matth. 4. 3.

S. Leo ſer. 3. de Quad. c. 2.

Matth. 22. 18.

Ariſto. 9. Ethi.

DELIBATIO II.

Adulatio ſervilis & crudelis: oculi errantes: viſus dimidiatus: luctus poſt gaudium: amicus fidelis.

Qui annuit. Adulatoris mos eſt cunctis annuere: *adulatio blanda omnibus aplaudit*, inquit Caſſiodorus. Proindeque hoc loco de aſſentatore dicitur annuendo percutere, quamvis more aſpidum ſuaviſſimè pungens enecet. Dolor non ſtatim; ſed poſtea cruciabit cùm jam remedio difficillimè locus eſt. Iſti (D. Hiero. forſan teſte) *interficiunt animas adulando:* ſæviores hoſtibus, qui ſi corpora necant, non habent ultra quid faciant. O quàm utile foret mundi proceribus tunc ſtatim ſentire cruciatum, cùm linguam applicat aſpis: lingere putatur, & mordet. Paucorum eſt hoc citò dignoſcere; ſed non impoſſibile. Scis lepidum Sigiſmundi Monarchæ dictum. Eum ſimilem diis appellavit quidam in faciem; & ipſe in faciem reſpondit etiam, ſed alapis. Cur me cædis Imperator? exclamat miſer. Repoſuit Sigiſmundus: cur me mordes adulator? Nec improprium nomen morſus pro adulatoribus eſt; quos ab hominum numero diſpungendos, & brutis annumerandos, docuit Peluſiota: *Sano enim judicio, inquit, nihil eſt quod poſſit comparari: quò quicumque carent, & ſuis obſecuti cupiditatibus eos quidem quos reprehendere oportebat, palpant eos autem, qui laudari merebantur reprehendunt. Iſti ſanè ſervili admodum ingenio præditi ſunt, ac potius in brutarum pecudum claſſem meritò referendi.*

9. Caſſiod. in epiſ.

Incertus D. Hiero. ſuper c. 3. ad Roman.

S. Iſido. Peluſi. l. 4. Epiſ. 173.

Ingenium aſſentatoris dicitur optimo jure ſervile. Miſerrima eſt eorum conditio; ſed rarò accidit, ut libero judicio, & ore manifeſto concedatur uti. *Rara temporum fœlicitas, ubi ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet.* Servum dixi adulatoris judicium: is enim illi cujus benevolentiam captat, obedit intellectu deſpoticè. Nihil eſt quod blandienti diſpliceat, ſi congruit omnibus complacere.

10. *Adulationis ingenium ſervile alieno ligatur placito.*

Corn. Tacit.

Abſalom ſæculi hujus prudentiâ doctus quòd niſi corda rex poſſideat, non regno, ſed regiâ ceremoniâ potietur: cupiens aſcendere feſtinus regale ſolium, *ſollicitabat corda virorum Iſraël.* Ad civitatis portam cunctos venientes ad judicium alloquebatur placidè: audiebatque benignè quid negotij deferrent: & nullus erat cui non diceret: *videntur mihi ſermones tui boni & juſti.* Accedebat deinde alter, & ſimiliter Abſalonem audiebat ſibi dicentem: *videntur mihi* &c. nam textus inſinuat illum ita ſe habuiſſe in porta erga omnes negotium habentes: *omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Abſalom ad ſe*, &c. Mirum eſt quod ex tot litigantibus nemo fuerit contra quem ſententiam tulerit Abſalom: præſertim cùm ejuſdem litis occurrebat reus & actor. Utriuſque ſermones erant recti? Bellum formaliter juſtum ex utraque parte non agnoſcunt lumina Theologiæ. Sed cùm Abſalom adulatoris blanditie corda venaretur, nihil erat quod ipſi diſpliceret in verbis, quæ ab iis quos amplexabatur, audiebat. Serviliter eorum placito proprium ligabat judicium. Aſſentatorum conditio hæc eſt: nec enim ſolis majoribus adulamur. Abſalom adulatorium egiſſe hoc loco munus patet ex illo: *cùm accederet ad eum homo ut ſalutaret eum, extendebat manum ſuam, & apprehendens, oſculabatur eum. Faciebatque hoc omni Iſraël venienti ad judicium*, &c. Hugo Card. ibi: *oſculabatur eum oſculo adulationis.* Infœlix princeps dum regni dominatum ambiret, intellectus proprij dominium amiſit, tot adeoque diſſitis alienis mentibus judicium ſuum accommodans. Benè de illo Chryſoſtomus: *perdidit Abſalom ſceleſtiſſimus mentem, perdidit ſenſum, amiſit conſilium, infectatus patrem.* Perfidi blandiloquentis eſt alienæ umbræ gerere vicem. Vide quam falsò adulatorem putes amicum, cùm ille umbra ſit; amicitia verò ſolis nomine à Tull. Cicerone decoretur: Umbram loco ſolis quærere pluſquàm cæcitas eſt; Non umbræ docilitatem deſideres in amico; ſed ſolis radios. D. Antonius Olyſſiponenſis ait: *amicitia vera eſt idem velle & nolle.*

2. Reg. 15. 6.

Ibi n. 3.

Ibi n. 2.

Ibi n. 5. & 6.

Hugo Card. ibi.

Chryſoſ. hom. de Abſalom in princi. to. 1.

T. Cicero de amicit. ſup. fl. 2. n. 9.

D. Anton. Olyſſ. ſer. 4. de Apoſt.

Non dixit : est idem sentire : quia si malè vis operari, te diligit is cui tuum velle displicet ; non autem *qui annuit*.

11. *Adulationis duellum dirius quàm odij.* S. Aug. to. 8. in Ps. 59.

Priusquàm textus ipsius ordine, prout soleo, verba perpendens ultra gradum faciam : illud quod insinuavi proximè, nunc lubet confirmare, scili. plùs adulationem quàm simultatem insævire. *Plùs persequitur lingua adulatoris quàm manus persequentis.* Sic Augustinus. Blandientem diligis odientem caves : & quis dubitat majus esse discrimen dilectum, quàm odio habitum ? Hostilibus telis objicis clypeum ; illecebrarum sagittis pectus aperis : & defendere teipsum negligens crudelis iceris. De blanditiis insidiosis utente vix ullus quæritur ; de atrocitate inimicâ querelas proferimus : & vel sic dolorem egerentes imminuimus. Ergo stat præblandam assentationem atrocius duellum offerre, quàm ab odio soleamus experiri.

Prædicationis Evangelicæ messi Paulus & Barnabas operam dare cœperunt, & non mediocrem fructum solliciti collegerant operarij. Tartareus hostis hoc videns, gentilium & Judæorum impetum in eos concitavit, ut contumeliis & lapidibus afficerent. At ipsi præscij confugerunt ad Lycaoniæ civitates. Lystris erant cùm Paulus claudum supra pedes rectò stare jussit. Quo mirabili concitata plebs deos hominibus similes eos putaverunt, ac Jovis, Mercuriique nomine vocabant. Imò Sacerdos advenit volens ipsis offerre victimas. *Dii similes hominibus descenderunt ad nos, & vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipse dux erat verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros, & coronas ante januas offerens, cum populis volebat sacrificare.* Rem nulli dubiam puto, quòd cùm sit immane scelus homines colere adoratione illa quæ soli Deo congruit, hoc, quod retuli, suggestione diaboli factum sit. Sed nonne Apostolos illos odio prosequebatur Satan ? Paulò ante refertur persecutio, quam non inficiaberis dæmonis opus. Et modo iisdem cultum divinum adhiberi curat ? cur non hoc loco millies commovet seditionem adversùs eos ? Vidit non potuisse illos persequendo vincere : noluit pro tunc advocare auxilium hostile persequentium : cupiit experiri utrum adoratione superaret ipsos. Scindunt ij vestimenta pavore ducti. Opportunè Beda in hunc locum : *paventes scindunt vestimenta, quòd deorum cultu honorarentur.* Et quid pavent ? Adulationis arma cuique fortissimo pertimescenda. Fallacis & blandæ linguæ audacia summa hæc est : divinos honores homini dicare. Ad hoc prælium Barnabam & Paulum provocavit gehennalis adversarius, quod equidem inimicitiarum aperto certamine dirius est. Sæpe multi detriumphant obsistentes, & ab illo feriuntur blandiloquo deceptore, *qui annuit.*

Act. 14. 10. 12.

Beda ibi. ad n. 13.

12. *Oculis crassi tribuantur errores.*

Oculo. Fraudes quarum in commentario litterali memini, sæpiùs exercentur oculorum nictatione, visuque percipiuntur. Mirarer nisi tribuerentur mendacia non vulgaria nutibus. Sed quare hoc loco non accommodantur linguæ deceptionis instrumento ? Quia facilius est lumina fallere, quàm aures. *Sæpe fallimur*, inquit Ambrosius, *visu, & aliter quàm sunt pleraque videmus. Fallimur etiam auditu : & ideo contemplemur non illa quæ videntur, si nolimus falli.* Non addit Ambrosius consilium aliud simile pro auribus : quia periculosiùs oculis erratur : tum quia errata principum damna majora pariunt : oculi autem sunt veluti principes inter potentias cognoscitivas externas : (*inter cæteros sensus imperium penes oculos esse voluit*, ait Philo Hebræus) tum etiam quia oculi sunt magis animæ vicini ex S. Antonio Olyssipo. *Ij inter omnes sensus viciniores sunt animæ. In oculis enim omne judicium mentis est :* unde suos errores veluti per contagium communicant animæ celerrimè. Nutus ad oculorum sphæram pertinent ; verba recipit auditus. Igitur cùm de simulatione valdè nocivâ sermo texitur, non verborum, quæ seducunt aures, mentio fiat ; sed nutuum, qui fallunt oculos. Hinc vide quòd potius luminibus nostris quàm auribus attribuendi sunt errores crassi.

S. Amb. l. de bono mortis c. 3. tom. 1.

Philo. Hebr. tom. 2. l. de special. leg.

D. Anton. Olyssip. ser. Dom. 4. post Trinit.

Ovanti Davidi post Goliæ necem præcinebant mulieres, choroque ducebant ipsum Saüli præferentes. Hoc Rex tulit ægerrimè. *Iratus est autem Saül nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste.* Scio frequenter oculos non pro visu, sed latiori significatione usurpari. Liceat nihilominus à litteræ rigore parumper ad mores deflectere : in nullo quippe lædimus eam dum quæro : nonne foret æquè facilè scriptori sacro dicere : displicuit in auribus ejus hic sermo ? oculis commisit natura sermonem, an auribus ? Stylum vacare mysterio non credam. Crassè nimis deceptus est Saül cùm strenuo militi collatum à populo plausum execratus est : de quo certè gaudere debuerat, utpote de stimulo ad majora facinora in sui & Reipublicæ obsequium perpetranda. Ignorantiam suam ipse maximam tandem fassus est aliquando : *apparet enim*, ait, *quòd stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.* Ubi suprà textus non quomodolibet, sed turpissimè Saülem proponit errantem in eo quòd honor Davidis ei displiceret : non auribus, quarum errores non adeo cæci ; sed oculis displicentiam appropriat : *displicuit in oculis ejus sermo iste :* errat acies turpiùs persæpe. Nutibus oculorum decipit videntem simulator nullo sumptu : & quem verba fortè non supplantarent, seducit annuens *oculo.*

1. Reg. 18. 8.

1. Reg. 16. 21.

13. *Facilius aliquando respiscunt obcæcati, quàm ex parte videntes.*

Sed reor te non effugere nostri Sapientis aliud acumen, scili. quod oculum singulariter dicat ; non oculos. De homine perverso loquebatur. Huic ad summum unus est oculus. Ex D. Grego. M. *dexter oculus noster est intuitus æternæ claritatis, sinister verò oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur quando mens ea cæcitate percutitur, ut ultra ad videnda cælestia non aperiatur.* Impiis ille dexter oculus obcæcatur (quamvis ipsi potius non ortum eis solem existiment, quàm seipsos ex parte cæcos fateantur) dicent enim die judicij : *ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus*

D. Greg. M. l. 5. c. 1. in c. 11. lib. 1. Reg. tom. 4.

Sapient. 5. 6.

ortus nobis. Stultiſſimè deſipiunt hi ſemicæci, partimque videntes. *Quam ſtultum eſt velle uno & eodem itinere oppoſitas civitates adire: ſicut multi ſæcularium faciunt, qui ſic vias cæleſtis Jeruſalem ambulare cupiunt, ut terrenæ Babylonis itinera non relinquant.* Sic D. Thomas à Villano. Convenientiùs foret iſtis utroque orbari oculo, quàm cæcos eſſe pariter ac videntes: fortaſſis namque cæcitas integra collyrio ſpirituali faciliùs tollitur, quàm dimidiata.

S. Thom. à Villano. ſer. d. S. Adeleſmo.

Ex Iſaia ſic verba quædam refert, & Chriſti Domini perfidis auditoribus accommodat Evangeliſta dilectus. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Duplicem admittit ſenſum iſtud oraculum ex Evangelico vate adductum: prius, ita ut ſignificet irati Dei permiſſionem de cæca obduratione Judæorum; poſterius ſic, ut exponas: excæcari permiſit intendens ut hoc modo confuſi tandem converterentur. Favet ſecundæ interpretationi D. Thomas dicens: *& ſic non videntes, & non intelligentes, ideſt non credentes in Chriſtum eum occiderent, & poſtmodum compuncti converterentur & ſanarentur. Permittit enim aliquos quandoque cadere in peccatum, ut humiliati ad juſtitiam firmiùs reſurgant.* Conſonat D. Auguſtinus apud eundem Angelicum Doctorem in catena: *an fortè & hoc de ſuperna medicinæ miſericordiâ factum intelligendum, ut quoniam ſuperbè ſuam juſtitiam conſtituere volebant, ad hoc deſererentur, & excæcarentur, ut offenderent in lapidem offenſionis, & implerentur facies eorum ignominiâ, atque humiliati quærerent non ſuam, quâ inflatur ſuperbus, ſed juſtitiam Dei, quâ juſtificatur impius,* Et quî fieri poteſt ut cæcitas occaſio ſit illuminationi? morbus viam aperiet medicamini? Recole Judaicum populum apud Iſaiam appellari cæcum ſimul & videntem. *Educ foras populum cæcum & oculos habentem.* Ubi myſticè Hugo. *Cæcus eſt homo omnis qui eſt in peccato quia mala inferni non videt quæ acquirit: nec bona paradiſi quæ perdit: tamen oculi ei ſunt, ideſt intellectus rectus, ſi vellet eo benè uti.* Ecce peccatores illi cæci erant ſimul & oculos intellectuales habebant. Permittantur ergo totaliter cæcari: *excæcavit oculos eorum:* nam ut reſipiſcerent foret utilius integram cæcitatem pati: pertæſi tenebras lucem tandem deſiderarent & converterentur: *& convertantur & ſanem eos.* Simulatores callidi perſtringuntur à ſapiente in paræmia quam nunc trutinamus: & licet ibi de oculo corporali ſit intelligenda littera; tamen pro moribus licuit advertere malos altero carere mentis oculo.

Joan. 12. 39. 40.

D. Thom. in Joan. ſupr. lect. 7.

D. Aug. tract. 53. in Joan. relatus à D. Thom. in cate.

Iſai. 43. 8.

Hugo Card. ibi.

14. Lætus animus plus torquetur ſi extrema gaudii luctus occupet.

Dabit. Iterum adulationis vitium inſequamur. Blanditiis demulcentur aures: unde ut plurimum non ſtatim dolet qui decipitur eis. Poſtea cùm & fallaciam dicentis, & effectus, quos ejus verba pariunt experitur, gemit. Non caſu dixit Salomon: *dabit dolorem*; cùm poſſet loqui de præſenti. Mitiùs ageret melleus hoſtis, dato quod non præcederet ſuavitas verborum ejus ante doloris cruciamentum. Unum poſt aliud vulnus quandoque minorem eſſe cruciatum docebit experientia: nam obduratur animus identidem percuſſus; econtrà miteſcunt hilaritate corda. Proinde ſolent plus ad commiſerationem flectere nos illi qui ex fortunæ culmine dejecti ſunt, juxta illud S. Baſilij: *miſeret enim nos ejus qui ex magnis divitiis ad extremam devenit paupertatem, & qui ex firma, & optima corporis conſtitutione in morbum graviſſimum repente incidit.* Quare, niſi quia iis accidit mæſtior procella, qui vela dabant læti? Heu: etiam contra nos militat lætitia noſtra, ut ex eâ creſcat ſubſequens dolor! Ita quidem. Experti ſciunt quod exultans animus ampliùs angitur, cùm extrema gaudij luctus occupat.

D. Baſil. to. 2. orat. 6.

Finito prælio, in quo Abſalom occubuit, miſit Joab ad regem victoriæ nuntium: De iſta jam certior factus David quæſivit: *Eſt ne pax puero Abſalom? Cui reſpondens Chuſi, fiant, inquit, ſicut puer inimici domini mei regis, &c.* Contriſtatus amantiſſimus parens dolore vehementi mortem ſibi cupiebat, ut Abſalom viveret. Inter defluentes lachrymarum rivulos aiebat ſic: *quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?* Charus erat parenti gnatus hic; aſt etiam de Amnon, quem ille necari fecerat, legimus quàm patri fuerit dilectus: *noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Attamen cùm hujus nex ipſi nuntiaretur, mortem propriam à genitore fuiſſe concupitam non legimus. Erat ne dignior Abſalom erga patris amorem? Nequaquam: vide tamen utriuſque nuntij diſparitatem. Nuntiata Davidi fuit mors Abſalomi poſt victoriæ notitiam: hilarem invenit eum anxietas: idcirco torſit illum crudeliùs. Cùm Amnonis occaſum parens reſcivit, mæſtus erat nimis: fama namque falsò pertulerat ipſius ad aures, quòd omnes regis filios Abſalom percuſſiſſet. *Ne ponat Dominus meus ſuper cor ſuum verbum iſtud, dicens: omnes filij regis occiſi ſunt: quoniam Amnon ſolus mortuus eſt.* Tunc igitur unus poſt alium ictus læſiſſe minus videtur cor Davidis; diriùs verò cum lætantem reperit cruciatus quem de Abſalonis morte ſuſtinuit. Gaudentem ſi dolor invenit, premit atrociter. Sic evenit dum palpo doloſus inungit ſuaviter lætificans incauti præcordia, qui poſtea dolum agnoſcens tormenta patiens vapulabit.

2. Reg. 18. 32.

Ibi n. 33.

Ibi c. 13. 21.

Ibi n. 31.

15. Amici jactura lugenda non curanti de proventibus amicitiæ.

Dolorem, textus inquit: & nec uno verbo explicat illum, ut noverimus quàm ingens dolor iſte ſit. Parcè loquitur, quia ſi ad amici ficti fraudes iterum expendendas paululum revertamur, anxietas quæ detectâ fraude concipitur exinde, vix poteſt congruenter verbis exæquari: ejus hyperbole ſilentium ſit. Verum fateor illud quod prima facie diceres paradoxum: amicum nemo deperdit: nam ſi vitam finiit ille non amiſſus eſt; ſed potiùs cum præmiſiſti, juxta illud Chryſoſtomi, vel, ſi placet potiùs, D. Baſilij: *& peregrè proficiſcentes lachrymis proſequimur, non tamen ut mortuos: ita & tu lugeas tanquam præmiſeris peregrinum.* Si verò ſuperſtes adhuc eſt, & amicitia diſſolvitur, erroris tui finem

Incertus Chryſoſt. ho. 61. in Joan.

finem lætus aſpice : ſublatam cerne fictionem : nam ut inquit D. Hieronimus, *amicitia quæ deſinere poteſt vera nunquam fuit.* Attamen de more vulgi loquamur. Amicum qui perdidit, optimæ rei jacturam plangat : quia ut Caſſiodorus ait, *ſine amicis omnis cogitatio eſſet tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, ſine quorum ſolatio vivere eſt mori.* Linquamus hæc motiva, ne de amicitiis utilitate nixis loqui videamur. Is tantùm lugeat qui nullum ex chari, quem deplorat amiſſum, conſuetudine reportabat emolumentum : ut ſic pateat illum ſolius amici deflere abſentiam ; non autem fructus amicitiæ perditos.

D.Hier. epi. 41.ad Rufin. fine to. 1.

Caſſiod. in epiſ.

Lachrymatus eſt apud Lazari ſepulchrum Filius Dei naturæ concedens quod ei propriiſſimum, ſcili. condolere de obitu dilecti. *Lachrymatus quidem eſt ſinens naturam quæ ſua ſunt oſtendere*, ait Euthymius : nec enim dedecuit eum, cùm divinitatis opera tractabat, verùm ſe hominem ſimul fateri:

Euthym. in Ioan. ſup. Evan. ſer. 6. poſt Do. 4. Quadr.

——— *Lachrymis implevit amicum*
Majeſtate Deum ———

Sedul. apud Ericum in Ioan.

canit Sedulius. Bene. Sed cur prohibuit fletus filiarum Jeruſalem in viâ quæ ducit ad calvariæ locum ? Nitor Auguſtini verbis in præfatas Chriſti Domini lachrymas, *quære*, inquit S.Doctor, *enim flevit Chriſtus niſi quia flere hominem docuit* ? De alio fletu hominis loquitur Auguſtinus : ideo non obſtat ne dubium facile ſolvam. Filiæ Jeruſalem fructus benevolentiæ Servatoris deperditos lamentari prima facie videri poſſent:nam de amicitiâ ejus erant incertæ. Has inhibuit lachrymas.Ex ſibi certâ Lazari amicitiâ nihil utilitatis Filius Dei referebat. Solus is amicum deperditum fleat qui certò novit ejus affectum,& quem ſcimus non pro amiſſis lucris ploratus edere. Nota quàm ſit incomparabile bonum amicus fidus, etiam illi qui nullius eget. Quidni miſeriarum valle tot vitæ adminiculis indigentes illum rem putent pretioſiſſimam ? Perdidiſti, vel ſaltem amiſiſſe reris, eum quem inter amicos deceptus numerabas : doles meritò : & ut caveas in eligendo, hunc tibi prænuntiat Salomon, *dolorem.*

S.Aug.tom. 9.tract. 49. in Ioan.

DELIBATIO III.

Stultus abjectiſſimus : colitur ſed non transformatur. Claude ſecretum,cave fiduciam nimiam.

16. *Stultus eſt abjectiſſima res.*

ET *ſtultus.* Ab Hebræis ſtultus nominatur, *Nabat*, ideſt vilis. Æquum erat ut nomine coinciderent res nimiùm ſimiles. *Humilis eſt ſtultitia, res abjecta, ſordida* ; *ſervilis*, ait Seneca. Prius Tullius dixerat : *quid abjectius ſtultitiâ dici poteſt ?* Ex iis quibus dehoneſtantur homines, quædam ſunt quæ aliqui non negant convicti : ſolam ſtultitiam nemo fatebitur. Stultus nec memoratur præterita, neque novit præſentia, minimeque præcavet à futuris : à ſuis odio habetur ; ab alienis deſpicitur : evaneſcit fœlicitate, ſuperatur infortunio : timendis gaudet ; deſideranda timet : venenis utitur pro medelis, & impedimentis quaſi mediis quærit finem : ac ne melius unquam habeat, ſibi ſoli perpetuò placet. In hoc miſerrimè deſipit miſer : nam viliſſima res ille putari valet, qui ſtultus.

Sen.epiſ. 37.

Cicer.de legib.

Redeamus ad Nabalis caſum de quo nonnihil aliorſùm antea dixi. Davidi ad ultionem ab eo ſumendam accincto Abigail uxor Nabal occurrit, & iram diſſuadere curat. *Ne ponat, oro, dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal : quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo :* & infra *: fiant ſicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.* Quid quæſo mali contingeret hoſtibus David, ſi fierent ſicut Nabal ? De hoc textus ait : *homo ille magnus nimis.* An cupit Abigail ut reddantur magni, potentiſſimique, Davidis adverſarij, cui benè precabatur ? Minimè : nam cùm præmiſiſſet Nabal ſtultum eſſe, abjectionem inimicis Davidis illa deſiderabat, cùm dixit : *fiant ſicut Nabal:* exponit Lira : *ſcili. fatui & improvidi in factis ſuis :* idem namque foret ſtultos eſſe; ac pedibus cunctorum proculcari : nam idipſum eſt ſtultus, atque vilis : *nihil ſtultitia pejus*, ait S.Iſidorus Hiſpal.

1.Reg. 25. 25.26.

Ibi n.2.

Lira ibi. n.26.

S.Iſi Hiſpal. l.2. ſynon. c.13.

Utinam hoc idiomate ſæcularis uteretur poteſtas : apud mundi principes nequaquam ſtultus deſpicabilis eſt ; ſed charus : forſan, & quia facilè ſuo illum configurant arbitrio : & quia præ oculis habere nollent illos qui eos ingenij, prudentiæve, fœlicitate ſuperant. Mundus quamvis pauperes odio habeat, evehere tamen ſolet animi dotibus pauperrimos. Et quidem juxta D. Auguſtinum, *major & miſerabilior egeſtas nulla eſt quàm egere ſapientiâ.* Nihilominus idola cæca, ſimulacra muta colit ſæculum, greſſum, & auditum exercere neſcientia, imo & manibus inutilia. Cæca, inquam, ne vitent laqueos, muta ne vera loquantur, immobilia ne deflectant ab eo, ſurda ne doceantur experientiis, manibus tandem inſenſata ut etiam dolos palpabiles non percipiant.Mundus amator iſtorum eſt : ideo eos exaltat, ſimilitudine promovente dilectionem : nam & mundus cæcus & claudus eſt. *Cæcus omnis populus proprium non videbat authorem.Claudus erat mundus, & titubante veſtigio fidei fluctuabat.*Sic Ambroſius de mundo loquens ante adventum Divini medici : nunc exiſtimo illum non minus quàm priùs claudum & cæcum : cùm enim repulerit medicum, hujus adventus parum profuit cæco & claudo. Ideo infirmus hic ad claudos & cæcos afficitur amore : hos extollit ſibi ſimiles, affectu vel obſequio corruptus : *cernimus*, inquit Hieronymus, *plurimos hanc rem beneficium facere : ut non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe : ſed quos vel ipſi amant : vel quorum ſunt obſequiis deliniti.* Scito igitur quòd niſi cæcus, mutus, ac ſurdus extiteris, non es adorandus.

Colit mundus cæca mutaque idola.

D.Aug. l.de vit. beata ad fin. tom.1.

D.Ambr. to. 2.in pſ. 118. octon.16.

D.Hiero. ad Tit.c. 1. re- latus c. Moyſes.8.9. 1.

David execratus idola invehitur in eorum artifices & cultores dicens : *ſimiles illis fiant qui faciunt ea : & omnes qui confidunt*

Pſ.113. 14.

in

in eis. Idolorum ſimilitudinem imprecatur idololatriæ reis? eſt ne alicui loco ſupplicij adorari? quænam eſt hæc maledictio, quam in idololatras jacit propheta? honore dignos judicat ſimulacrorum cultores? Minime. Quinimò præcitatis verbis Deum interpellat ut illi fiant oculis & auribus inutiles, muti, claudique, nec non tactu deſtituti reddantur. Dixerat ibidem, *os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt. Aures* &c. Non erat cur timeret vates ne hujuſmodi loquendi ſtylo cultū idololatriæ exhibendum ſe deſiderare putaſſet aliquis: nam idololatræ videbant, & quandiu viderit homo, neque loquelam, nec auditum amiſerit, idolum non erit. Qui ſimulachrorum loca tenent, ſtatuarum moles imitantur: niſi muti ſint, omnique rationis uſu, ac ſenſu, carentes, nequaquam adoratio ipſis decernetur à ſectatoribus vanitatis. Vilis juxta nomen Hebraicum ſtultus eſt; at ex hoc ligno pulchras imagines effingit ſuperbia potentum: & quaſi non ſolius Dei eſſet formaviſſe hominem de limo terræ, audet hujuſmodi lutea plaſmata (ſeu phantaſmata potiùs) adoranda proponere: *ſtultus enim dicitur quaſi ſtatu alius*, ait Liranus: & quamvis ipſe hoc intelligat de altitudine imaginationis propriæ; utinam ſolum in ſuæ phantaſiæ illuſione ſtultus conſcenderet prælta culmina.

pſal. 113. 13. 14.

Lira in c. 25. l. 1. Reg. initio.

18. *Lapis Deum repræſentans non ideo eſt plusquam petra.*

Divinitatem arrogare ſibi præſumunt ſæculi principes: & electione ſua dignos facere putant quos diligunt. *Deus non eligit dignos, ſed dignos eligendo facit*, dixit Auguſtinus. Ex lapidibus homines poſſe Deum ſuſcitare aſſeruit Præcurſor Domini. Ut ergo ſimiles Altiſſimo videantur, lapides efferunt, ipſiſque regimen tradunt; & forte non deerit qui putet ſe in eorum delectu falli nequire, ut ſibi perſuaſiſſe viſus eſt Monarcha ille qui dixiſſe fertur de iis quos in adminiſtros deſignabat: *de illo nefas eſt ambigi, qui meruit eligi judicio principali.* Ex iſtis, qui citra merita ſunt evecti vaniſſimè reputant ſuper aſtra Dei ſolium collocaſſe, ac prorſus lapideam conditionem exuiſſe. Deſipiunt egregiè: nam lapis, quantumvis Deum repreſentet, adhuc lapis eſt.

S. Aug. l. 5. contra Iulian. tom. 7.

Apud Caſſiodor. l. 9. epiſt. 22.

1. Cotin. 1. 1. Apoſtolus loquens de ſaxo quod percuſſum Iſraëlitis propinavit undas, ait *petra autem erat Chriſtus*, hoc eſt Chriſtum Dominum ſignificabat. Ergo taceatur petræ nomen. Si Dei ænigma eſt, antiquo lapidis vocabulo non vileſcat. Moyſen ſcio Dei titulo appellatum, quia Domini quandam ſimilitudinem in miraculorum operatione gerebat apud Ægypti regem: *conſtitui te Deum Pharaonis.* Cur petræ non ita contingit? Lapis erat; licet umbra Dei, igitur adhuc petra dicatur. S. Anſelmus ibi: *dictum eſt: petra erat Chriſtus, quòd utique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem.* Significat prælatus Deum, ut imago prototypum: ſi tamen antequam promoveatur erat petra, poſt electionem adhuc petra eſt; non mutavit ſignificatio ſubſtantiam. At verò Moyſi qui minimè lapis erat, ſed rationalis, eſto detur quodamtenus Dei vocabulum. Putant illi quos evexit ſors ad maxima, ſe totos in cæleſtem naturam tranſmutatos: neſcientes quod vicem Dei egit aliquando ſignificatione lapis; nec tamen nobilius eſſe acquiſivit: *petra autem erat Chriſtus.* Sic electus perperam vilis adhuc eſt, ſi ſtultus. Imo vilior apparet poſitus in ſublimi. *Numquid poteſt abſcondi civitatis ſupra montem poſitæ deſolatio? aut latere fumus lucernæ extinctæ ſuper candelabrum? Simia in tecto rex fatuus in ſolio ſedens.* Hæc D. Bernardus.

Exod. 7. 1.

D. Anſelm. to. 2. in ep. 1. ad Corint. ſupra.

D. Bern. l. 2. d. conſiderat. poſt. med.

Labiis. Conjecturam non improbabilem hîc addidit Salvator: *ſtultus*, inquit, *labiis appellatur hoc loco ille qui conſilia ſua paſſim revelat.* Et infra ad verbum illud *verberabitur*, ait: *ſcili. à præfato ſimulatore. Qui enim præ nimia ſtultitia aſtuto homini committit conſilia ſua, & animi ſui ſenſa eidem aperit, is fraudulentas plagas illius ſuſtinet.* Taciturnitatis artem perutilem noverunt omnes, nemo docuit, addiſcunt nonnulli, exercent pauciſſimi. Quæreuti cuidam ab Ariſtotele quid homini eſſet in vita difficillimum, reſpondit: ſilere tacenda. Sed ardua quæque ſubeunt homines propriâ utilitate ſuadente. Prudenti ſilentio nihil utilius nobis quibus vivere militia eſt. *O validum ſcutum circunſpectæ munitionis ſilentium! O fidiſſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi quis poſuerit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit!* exclamat Ambroſius. Inſenſibilia ſaltem imitemur ſi nimium apis non placet arcanum. Germinat arbor, emittit flores, fructibus onuſtatur: quin videas quâ ratione fiant omnia hæc. Terra marinas mutuatur aquas, veniſque ſervatas dulces reddit, ut poſtea deriventur in fontes: neſcis tamen laticum vias. Metallorum officinas ignoras etiam ejuſdem viſceribus conſepultas, quaſi timere poſſent hominum avaritiam. Æquor, ne putreſcant undæ, continuis receſſibus, & acceſſibus commovetur: hos vides; modum tamen philoſophus ignorat: nam licet ad hanc rem lunam advocet philoſophia, nihilominus ejus radij non diſſipant hujus naturæ ſecreti denſas tenebras. Cùm adversùs terram, vel mare, vel arborem, nullus inſurgat hoſtis; tamen celant abdita ſua. Tu, cui dici valet illud quod olim Deus ad Ezechielem: *cùm ſcorpionibus habitas*, pectus aperis tot inter inimicos degens? Ex amicis uni ad ſummum permitte manu tangere quæ pectore tegis: nam etiam de iſto poſt hæc timendum ne fidem lædat.

19. *Inter hoſtes claude pectus. Ex amicis uni permitte ut intromittat manum, qui non ideo tutiſſimus.* Salar. hîc.

S. Ambr. to. 2. in titul. pſal. 38.

Ezech. 2. 6.

Redivivus Chriſtus Dominus deferebat apertum latus: *affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Tria dubito in hæc verba: vel ſolve, ſi placet; vel permittas aperire quid ſentiam. Primum: eo tempore quo ſacratiſſimæ corporis Chriſti partes, dum vita comes, veluti certabant inter ſe de primatu patientiæ, ſuſtinere tormenta pro dilectis hominibus avidæ: tunc, inquam, non aperitur lanceæ mucrone pectus amore ſaucium! nunc verò cùm impaſſibilitatis dote munitum erat, cicatricem vulneris, quod non dolet, oſtentat? Secundum: cùm Thomas aberat, aparet Filius Dei cæteris Apoſtolis in ipſa reſurre-

Ioan. 20. 27.

ctionis die : dubitarique poteſt utrum eis permiſerit manum in latus introducere. Doctiorum judicio me ſubmitto : hoc unum ſcio, quòd in textu non id exprimitur. Apud Lucam invenies dixiſſe : *videte manus meas* Luc.24.39. *& pedes, quia ego ipſe ſum : palpate & videte ;* de latere verò nec verbum. Apud Joan.20.20. Joannem quidem leges : *oſtendit eis manus, & latus :* & fuiſſe palpatos omiſit ; cum tamen circa Thomam narraverit minutiſſimè Domini memorata verba. Luſitanus Silveira nodum ſecavit, qui ſolvere poſſet : vellem à tanto magiſtro doceri quo fundamento nixus ex textu potuit eruere Servatorem præbuiſſe decem Apoſtolis tractandum latus. Sed quidquid ſit de hoc : nam ut ait S. Baſilius, D. Baſil. in Hexam. ho. 8. ad med. *apis nihil unquam devaſtans, nec alienos ullos fructus demoliens, favos extruit ſuos, atque componit.* Non legimus Apoſtolis permiſiſſe Redemptorem ut manum in latus mitterent : ad ſummum (ſi ita eſt) conceſſit ut palparent illud : quod non exprimit pluſquàm externam applicationem propriæ manus ; non autem hujus introductionem. Ergo Thomæ quare dictum : *affer manum tuam, & mitte in latus meum ?* Plus ne reliquis benemeritus erat ? Tertium dubium : ne ſit infidelis monetur poſtquam dubitavit ? Cur non antea ? Singulis dubiolis occurram breviſſimè. Ad primum. In Calvariæ monte inter hoſtes erat Salvator ; poſt reſurrectionem cum amicis verſabatur ſæpiùs, adverſariis ignotus. Coram dilectis eſto pateat pectus ; non ſic apud inimicos. Ad ſecundum. Si per alium liceret mihi aſſerere quod propoſui dubitativè, facilis eſt ſolutio. Non ſingulis amicis concedendum ut manum in latus inducant ; hoc ad ſummum datur uni graviſſimâ de causâ ; cæteri vel ſolùm extrinſecùs palpent, vel manu minimè accedant. Ad tertium. Ea eſt hominum ingratitudo, ut antequàm pectus amico tradas, non adeo ejus perſeverantia nutet ; poſt intimam ſecretorum apertionem, jure optimo de illius fidelitate dubitari poſſit. Quod ut pro noſtrâ doctrinâ divinus Magiſter inſinuaret, monuit non dubius Thomæ poſtquàm in latus miſit manum, ut fidelis eſſet.

20. *Is qui dat ſtultæ fiduciæ pœnas, defert ſecum laqueum.* Lect. Chald.

Verberabitur. Chaldaica vertit : *capietur.* Et ſi ſenſus ille ſit, quem verbo præcedenti notavi, animadverte non alienis egere laqueis illum qui nimiâ confidentiâ perit. Miſerum eſt ab alio illaqueari ; ſed ſibi vincula injicere miſerrimum. Hæc propriiſſima ſuperborum infœlicitas eſt : in ſeipſis reperire laqueum quo vinciantur ? ipſa quippe cogitatio ſuperbiæ vincula ſunt. *Nulla prorſus*, ait S. Laurent. Juſtin. *habilior decipula invenitur ad caſum, quàm elationis cogitatio.... hi venantium ſpirituales ſunt laquei, & verbum Deo odibile in cordibus ſuperborum : hujuſmodi namque laqueos evadunt humilium mentes.* Si corde ſuo defert ſuperbus laqueum ſibi, quiſnam ſuperbior eo qui, cum plena ſint fallaciis cuncta, ſe credit facilè deceptori, quaſi nimis ingenio fidat proprio ? Unde is ut det ſtultæ fiduciæ pœnas, affert in ſeipſo laqueum, quo vinctus percutiatur ab hoſte, quem putat amicum.

S. Laurent. Juſtin. ſer. d. S. Jacobo.

Juditha Deum orans pro cæde perficienda Holofernis, aiebat ſic : *capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Videbatur potiùs dictura : capiatur laqueo pulchritudinis meæ. Non illa ſic fatur ; ſed : *laqueo*, inquit, *oculorum ſuorum.* Certè pulchritudinem vincula dicere non improprium : illam etenim vocavit Socrates modici temporis tyrannidem. Theophraſtus, fraudem ſilentem : & (ne à ſacris oraculis recedamus) eam ſuppoſuit deceptricem Daniel dicens ad ſenem ſalacem ; *ſpecies decepit te :* necnon Salomon eandem expertus eſt doloſam, & malo ſuo : *fallax gratia & vana eſt pulchritudo.* Dicat igitur Heroina cum adverſus Holofernem precibus accingitur duello : capiatur vinculis venuſtatis meæ. Ipſius Judithæ verbis percutiendum ſperat ? laquei autem Duci erunt oculi proprij ? Utique : nam cum ad eum verba faciens ipſa hoſtilem celaret animum, barbaruſque deceptus compto verborum apparatu, hebes mente præ fumo quem laſciviæ ignis emiſit, nimiùm confiderit Hebrææ mulieri, non alienis vinculis opus erat, ut necteretur ad percuſſionem ; oculorum ſuorum ligaminibus erat alligandus. O quàm nexus iſti validi ſunt, ut revinciant hominem (præſertim fragilitate ſua ? Non facilè dicam ſi roges quo pacto facilius *capietur* homo ſtultitiâ peccaminosâ morbidus : oculis ? an *labiis* ? Illud tantùm novi : nempe quod juſtiſſimè *verberabitur.*

Judith 9. 13.

Danie. 13. 56.

Proverb. 31. 30.

FLOS XII.

Vena vitæ os juſti : & os impiorum operit iniquitatem.

APERITUR.

DOGMATIS hujus multæ ſunt expoſitiones ultra communem, quam noviſſimo loco adjiciam : nulla tamen ex illis mihi litteralis viſa eſt. Prima interpretatio ſic habet. Os juſti dicitur os Chriſti Domini : ex cujus ore tam corporea, quàm ſpiritualis vita ſæpiſſimè promanavit. Patronus eſt huic Hugo Cardi. Sed à Lapide vocat id myſticum ; ac melius dixit accommodatitium Salazar. Nullum video fundamentum cur dicamus hîc allegoriam de Chriſto Domino contineri. De juſto loquitur ibi generatim Salomon : & figuræ Servatoris, quæ in veteri teſtamento reperiuntur ſolent eſſe vel res, vel perſonæ determinatæ. Quod autem hoc loco de Verbo incarnato ad litteram ſermo ſit, hoc puto commentitium, ut clarius patet ex ipſo contextu, quàm probationem deſideret.

Hugo Card. & Cornel. à Lapid. hic. Salaz. ibidem n. 172.

Secunda expoſitio eſt ejuſdem Hugonis : os juſti, ideſt Chriſti Domini eſt ſacra Scriptura. Fateor quod per os aliquando intelligitur oraculum præſcindendo ab ſcripto : *ſuſceperunt igitur de cibariis eorum : & os Domini non interrogaverunt :* Sic legimus in libro Joſuë, necnon apud Iſaiam habes : *qui ambulatis*

Joſuë 9. 14.

Iſai. 30. 2.

ambulatis ut descendatis in Ægyptum , & os meum non interrogastis. Per os hîc significari doctrinam scriptam admitterem si textus haberet verbum oris : doctrina oris, vel quid simile : aut si ex verbis antecedentibus, vel subsequentibus nomen, *os*, ad Scripturam determinaretur, quod hîc non video.

Tertiæ expositioni ansam præbuere Septuaginta, quia verterunt : *fons vitæ in manu justi.* Similiter legit Arabicus. Juxta quas lectiones hic sensus est : ex justi manu fluit fons vivus , hoc est perennis eleemosynæ largitio. Vel dicitur , *vitæ* , quia vitam pauperum alit fons ille , seu aquarum vena. Econtra fontem impij claudit , *perditio* (si enim legunt Septuaginta, ubi nos, *iniquitatem*) vel ut habet Arabica : *obturat pernicies :* ideſt avaritia , quæ avari pernicies & perditio est. Hanc interpretationem ut moralem admitto ; non tanquam litteralem : quia si manus oris nomine significaretur ibi , sumendo manum quatenus largientem, discordaret valdè lectio Septuaginta interpretum ab aliis lectionibus , quod non est dicendum nisi quando manifestè verba translationis illius nos cogunt.

Lect. Sept. vers. Arabica.

Quartâ exponendi viâ procedit Liranus (quam ad mores declinare , non autem litteram sectari, judico) deferens verba hæc ad nudam confessionis integritatem. Sic ille de justo dixit: *quia de tali ore verba vitæ exeunt in quantum propria delicta verè confitetur.* Et ad verbum , *iniquitatem* , adjicit loquens de impiis : *scili. propriam ipsam palliando.* Favet ibi Gloss. in secunda parte versiculi : *qui sua vel aliorum peccata defendunt :* & similiter Interlinearis , quæ verbum , *operit*, commentatur, *excusat* ; licet in neutra Glossa quicquam de confessione declaretur. Non alia ratione hunc dicendi modum litteralem esse dissentio , nisi quia liber est si asseratur pro rigore litteræ. Omitto argumenta, quibus hoc rejicit à Lapide , quia non urgent. Nititur primò in eo quòd Sacramentum pœnitentiæ tempore Salomonis non erat institutum : quasi novum sit in veteri testamento litteraliter sermonem habere de iis quæ in lege gratiæ futura erant. Nititur secundò in eo quòd os confitens peccata sit os peccatoris , non verò justi : quasi non valeret justus venialia confiteri fructuosissimè in ordine ad vitam æternam , vel mortalia jam ritè confessa. Adde quod posset loqui Sapiens considerans præteritam confessionem illius , cujus os nunc justi est ; in confessione verò fuerat os peccatoris.

Lira hic.

Gloss. Ord. & Interlin.

Quintam expositionem præfert Salazar, secundùm quam textus valet idem atque dicere : sicut fons non cohibet , sed effundit aquam : sic os justi animi sensa promit. At impij suam callidè celant iniquitatem more stagni , vel cisternæ putidæ. Contra est , quòd non de quocumque verbo justi agitur hîc ; sed tantùm de illo quod conducit ad vitam : ideo namque dicitur : *vena vitæ.* Est igitur commentarium magis amplum quàm textus. Aliud prætereo quem subdit author idem , quia valdè affine communi sententiæ, quam teneo, & jam subjicio.

Salaz. hic n. 188.

2.

Communis , inquam , explicatio textus hæc est , paucis additis , nempe : justi os est quædam vena, seu fons, unde fluunt doctrina , consilia ; reprehensio , cæteraque verba spiritualem vitam proximorum concernentia. De his S. Cyrillus Alexandrinus ad verba Christi Domini : *aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons* , ait sic : *aquam autem rursus spiritus gratiam appellavit : quam qui adeptus est , divinæ scientiæ scaturientem fontem sic adeptus est , ut præceptis hominum non indigeat : sed facilè possit ad potum verbi cælestis etiam cæteros hortari , quales olim erant prophetæ atque Apostoli , & modò qui ministerij illorum sunt successores , de quibus scribitur : hauretis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* Non sic impiorum os quod abscondit iniquitatem propriam & alienam : nimirum hanc adulans ; illam primùm simulatione tegens , ac data occasione tanquam pestilens virus effundens. Conformiter ad hunc sensum verba textus nostri sigillatim lustremus.

D. Cyrill. Alex. l. 2. in Joan. c. 85.

Vena. Venam sanguinis aliqui putant ; sed suppresso nomine ab aliquibus expositoribus reprehenduntur , & meritò : nam vena sanguinis impropriè diceretur vena vitæ : quamvis & humorem continet necessarium ad nutritionem viventis , & ipsius venæ apertio sæpissimè ad vitam conservandam necessaria sit. Pro vena legunt, *fons*, Septuaginta , Hebræus , Aquila , & Symmachus. Unde non de sanguinis vena , sed aquarum, similitudo sumpta est.

Septuag. Hebr. Lect. Aquila. Symmach.

Vitæ Hebraicè legitur : *vitarum* , quod sensui communi quem approbavimus valdè congruit : non enim unius proximi vita, sed multorum à justi labiis pendent. Cunctis hic debitor est juxta phrasim Pauli , cui consonat D. Bernardus dicens : *charitas quæ sua sunt , ideſt propriæ saluti necessaria nunquam non habet. Nec modo habet , sed etiam abundat. Vult abundare sibi, ut profit & omnibus. Servat sibi quantum sufficiat, ut nulli deficiat.* Accedit quòd principaliter ad concionatores hæc sententia pertinet ex Rodolpho hîc dicente : *cùm de lingua cujusvis justi ; tum potissimùm de sermone justi & fidelis concionatoris , & impij intelligitur proverbium.* Itaque justus verba depromit in plurium spiritualem profectum : sicut fons non uni præbet latices ; omnibus offert copiosè ut vitam alere possint. Nomine , *vitæ*, intelligi possunt in præsenti , primò gratia sanctificans : quam occasionaliter augeri , quinimò renasci , sana justi doctrina faciet in auditorum animis, & apud cæteros in quorum notitiam devenerit , vel justus inter eos numeretur qui verbo Dei navant operam , vel solùm privatos de spiritualibus misceat sermones. Secundò accipi valet ibidem vita morum, seu virtutum. Tertiò vita æterna, ad quam dirigimur justorum dictis.

D. Bern. ser. 18. in Cant.

Rodolph. hic.

Quidam interpretes existimant coincidere verba illa : *vena vitæ*, cum stis, fons vivus , perennisve. Attamen quo fundamento id affirment non percipio. Et mirum est quòd, si vox originalis hoc patitur, nulla ex prædictis quatuor lectionibus habeat : fons vivus. Sunt etiam qui putent verba justi comparari hoc loco aquis , in quarum sinu

viventia nascuntur, & conservantur : oppositione facta cum eis undis, quæ mortuæ dicuntur, eo quòd propter nimiam salsedinem, & ob amaritudinem, nihil vivum alunt. Prioris conditionis sunt sermones probi, quibus renascitur pœnitens, alitur justus. Oppositus invenitur stylus iniquorum : ea loquuntur quibus intereunt quidam spiritualiter, alij vulnerantur, & quamplures consuetudine sepeliuntur. Litteram nunc investigo : propterea displicent ista : & ut ipsorum argumento sic exponentes impugnem : mare mortuum, quia nihil vivum alit, non vocatur mare mortis. Ergo si sensus hic esset quem oppugno, nequaquam diceretur : *vena vitæ os justi*; sed : vena viva. Præterquam quòd fontis ad fontem fit comparatio ; non autem æquoris ad æquor : nec enim fontibus pisces utplurimùm ali solent.

Os. Naturalis significatio hujus vocis primo loco attendenda est : os nempe quo verba facimus. Non improbabiliter dici potest etiam ad litteram, sed per synecdochen, os pro facie sumi : non enim minùs justi vultus, quàm labia, doctrinam spirat vitalem : ejus namque modestiæ satis eloquens est exemplum ut alios ad vitam edoceat. Nec disconvenit aquarum venæ, seu fontis nomen, à justi facie : sicut enim fons velut crystallinum speculum inservire potest volenti seipsum inspicere, nævosque tollere : sic viri timorati facies aliis est speculi vice, in quo semetipsos introspiciant, defectus auferant, seque totos ad illorum imitationem componant. *Qui sanctum virum imitatur, quasi exemplar aliquod intuetur, seque in illo quasi in speculo prospicit, ut adjiciat quod deesse virtutis agnoscit.* Hæc D. Isidorus Hispal.

S. Isidor. Hispal. l.2. sentenc.c.11.

Justi. Sumendum est simpliciter prout sonat : nam limitare justi nomen inpræsentiarum ad misericordem & liberalem (prout fieri videbatur in tertiâ expositione n.1.) congruum non est, ut ex ibi dictis liquet.

3. *Os autem.* Duplicem habet significationem : primam de ore naturali (sicut proximè dictum est de ore justi) quod simulatione clausum contegit venena propriæ malitiæ, ac pro adulatione apertum cooperit aliena vitia ut postea calumnietur. Et quò plus abditur, eò impetuosiùs profluet : nam etiam os iniquum similitudinem admittit emissæ aquæ, juxta illud Gregorij M. *aqua quippe dimittitur cum linguæ fluxus effrænatur.* Secunda oris acceptio est pro facie qua homo nequam dissimulat iniquitatem, prætendens benevolentiam, vel similia.

Greg.M.l.5. moral.c.11.

Impiorum. Unicus justus memoratur præsenti versiculo ; sed impij quamplures : ille namque fons est, ideo multorum utilitati sufficit unus ; impius rarò solus est : quia pavet nemine persequente, proindeque sociis adhibitis, & communicato versutiæ consilio, claudit nequitiam in perniciem aliorum : *multos sollicitat societas nefanda*, ait Chrysostomus.

Chrysos. in Matth.

Operit. Videbatur aptiùs alternari sententiam, si diceret : aperit iniquitatem : nam contrapositio fieret cum justo, qui aperit salubria fluenta verbi. Sed rectiùs ita dixit : *operit iniquitatem*, ut moneamur tacitè, vitare cautiùs opertam pectore nequitiam, quam apertam verborum nequam alluvionem, de quo superiori dogmate. *Nulla res sic exterminat bonum sicut simulatio : nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur non cavetur.* Hæc idem Chrysostomus.

Idem ibi.

Iniquitatem. Singulari nomine cuncta vitiorum turba significatur. Satis amica hostilique familiaritate sociantur utplurimùm : nam ut ait Hieronymus, *omnes virtutes sic sibi cohærent, ut qui una caruerit, omnibus careat.* Unde sicut virtus virtutem suadet : sic (& faciliùs) vitium adulatur vitio. Faciliùs, inquam, quia per virtutum gradus ascenditur ; per delictorum scalam ex uno in alterum ruere proclivius est. Iniquitatem igitur impij vel tacentes, vel benè loquentes operiunt. Aliqua fateor crimina sunt quæ difficillimè velantur : sed has, & majores, astutia superat difficultates, ad scelesti nequissimos fines, licet ad honesta perficienda penitus iners ille sit : solent enim homines ad ardua mala robur exerere validum ; ad bonum autem, quamvis pervium, segnitie mollescere, de quo alibi. Accipe nunc Augustinum : *piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare.* Ultimò notanda venit Lectio Syriaca : *& os impiorum tegit iniquitas.* Consonat Arabicus : *& os impij obturat pernicies :* necnon Septuaginta : *operiet perditio.* Juxta quas versiones innuitur sceleratum ad aliena peccata corrigenda, vel ut more justi doctrinam vitalem aliis effundat, mutum esse : quia scelus proprium ita confundit eum, ut mutire non audeat : nunquam enim erit efficax instituentis authoritas, nisi eam effectu operis sui affigerit audientis cordi : de quo jam suprà nonnihil flore 9.n.24.& flore 14.n.22. aliquid addam.

D. Hiero. apud D. Thom. in c.2. epist. Jacobi.

D. Aug.to. 8.in Ps.118. Lect.Syriac. Arabi. & Septuag.

DELIBATIO I.

Dei largitas quam effusa, & ab ipso magni habita ! At si favori divino meritum addas, integrè fœlix eris.

NOnnullos hujus gnomæ sensus quos mysticos esse notavi suprà, nunc more more nostro prosequamur. Priorem locum teneat illa Hugonis Cardi. expositio, qui de Christo Domino textum interpretatur. Et cùm ab ipsius ore plures corporalem & spiritualem vitam adepti sint dum versaretur in terris : necnon eodem annuente, postea per servorum manus ejus verbo nixas, quamsimilia Filius Dei sit operatus, qui justus antonomasticè dicitur : Servatoris os vena, seu fons vitæ, dici non incongruè valet. *Fons*, inquit D. Bernardus, *nobis Christus est unde lavemur ; unde aqua significat Christum quoniam sicut aqua lavat, ita de ipso scriptum est, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris.* Imò ne putaretur finitâ per mortem passionis hyeme fontem exsiccari : puncto

D.Bern.ser. 1.in Natal. Domini.

S. Cyprian. tract. de Pass. ad finé to. 3.

puncto latere manavit aqua : *de latere tuo Domine fons egreditur in vitam eternam profiliens*, ait S. Cyprianus.

4. *Videtur ne delusa apprehensioni Dei Filium donare plusquàm valet ?*

Triplicem, præteritis aliis, expendam in Deo incarnato cum fonte similitudinem. Primò largitatem Dominicam perenniter effusam demiremur. Dum cernis fontem crescere in fluvium, tot aquarum copiam ex fontis peculio prodiisse vix credes. Vel enim sit artificiosè compositus ex lapidum structurâ, vel in ipsa terræ superficie humiliter ebulliens, multò plùs dediisse flumini videtur, quàm donare potuerit. Haud aliter si terrenis oculis incarnatam Sapientiam contempleris, cum beneficiorum non flumina sed maria videas ab humillimo fonte prodiisse, putabis hunc delusus plusquàm possit elargiri. Errorem statim corriges; attamen errandi periculum quis negabit rationi crassissimis nebulis peccati lippienti ? Quænam admitteret philosophia illum, qui essentialiter vita est, posse mori ! luto genitos reddit filios Dei ! eosdemque manducantes Deum ipso nutriri ! Notissimum, sed non vulgare, amorem ac omnipotentiam Divinam, ad speciem certare quodammodò. Amor Summæ bonitatis ad peccatorem, quatenus peccator est, non extenditur; Omnipotentia maxime. Huic omnia etiam ea quæ ad pœnam dilecti pertinent attribuuntur, amori minimè, qui ad puniendum fere videtur impotens. Ut igitur amor Dei nec ejus potentiæ cedat : cum potestatis vires ad sola possibilia protendantur, videri cupit nequaquam impossibilibus terreri. Sed quid mirum cum nec ratione mensurari visa sit Conditoris dilectio, dum quæ pro nobis operatus est perpenduntur ? Audi Præsulem valentinum : *modum enim non habent quæ ipse feciſti pro me, non apposuisti mensuram beneficio tuo.* Quin potius prima facie judicabis forsan Deum nobis elargiri præter possibilitatis immensurabiles terminos.

S. Tho. à V. No. ser. de Magda.

Ut in postulando perseverantiam discipulorum Dominus firmaret exemplo similitudinem attulit cujusdam, qui nocte intempesta panibus egens ad fores amici rogans ut ejus occurrenti necessitati opitularetur, pulsaret. Ille nec ad fenestram accedens, sed tantùm de intùs respondit : *non possum surgere & dare tibi.* Nihilominus pauperem adhuc flagitantem vacuum non dimisit importunitate suadente: *surget & dabit illi quot-quot habet necessarios.* Et quisnam tibi videtur esse qui panes donavit ? D. Titus edocebit : *Amicus, cujus ostium pulsatur est ... Christus.* Putas amantissimi, ac magnificentissimi Domini esse injuriam huic amico assimilari, qui se non posse asseruit ? Fortassis dices : vel amicus iste cum affirmat se nequire surgere dareque panes, vera locutus est, vel falsa : si verum, quomodo figurat Omnipotentem ? si falsum, qua ratione repræsentat Veridicum ? Ad amoris erga homines in Christo Domino hyperbolen : nam sicut panes amicus largitus est, cum tamen eos donare non posse valeret accipiens existimare : ita sunt ea Filij Dei ad humanum genus dilectionis testimonia, ut citra potentiæ illimitatæ injuriam, dedisse visum sit amplius quam posset. At falleris cum sic apprehendis : nihil enim erit impossibile apud illum, qui summè diligens vivere valet absens. Etiam, si visui fidem præstiterimus hæsitabimus quo pacto potens est fons parturire fluvium : experientia tamen corrigit oculos.

Luc. 11. 7.

Ibi n. 8.

D. Titus in hom. super Evang. Luc. 11.

Alteram Servatoris cum fonte similitudinem invenies memor nunquam te fontem laudare quòd sit è jaspide candido, vel pulcherrime rubricato marmore; sed quòd salubres, & copiosos latices diffundat. Sic Deum non tam summet esse, quàm liberalitas egregie nobis commendat. Dixerat Psaltes : *clamabo ad Deum altissimum :* & quasi supra nomen Altissimi posset invenire quid altius, addidit : *Deum qui benefecit mihi.* Verbum incarnatum laudat Petrus de beneficentia, dicens : *qui pertransiit benefaciendo :* Barnabas, & Paulus, cum sedare vellent eos qui divinos eis honores deberi putarunt : prædicantes illis unicum Deum, ex donis quærebant Divinitati solidum testimonium. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.* Imo Deus ipse per Ezechielem sic locutus est : *& scietis quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomem meum* &c. Insuper contigit ut Redemptor cum terras incoleret, ac quasi coactum se videret honorem suum tueri, potius voluerit se benefactorem ostendere quàm Divinæ majestatis excellentiam aperire.

5. *Potius amabat Servator beneficus haberi, quàm ejus Deitatem agnosci.*

Psal. 56. 3.

Act. 10. 38.

Ibi. c. 14. 16.

Ezech. 20. 44.

Offertur Domino Paralyticus : cui Servator, ut majori malo citius occurreret, peccata dimisit. Audiunt de Scribis quidam, & blasphemasse calumniantur intra se blasphemi. Cogitationis iniquæ non inscius obviam it injuriæ Divinum exemplar patientiæ, ut audaces redarguat mentes : *ut-quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* & statim : *ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : surge tolle lectum tuum & vade in domum tuam,* Bone Deus isti non tibi potestatem denegare miraculorum videntur, deitatem potiùs inficiantur corde (sic expressit D. Marcus : *cogitantes in cordibus suis : quid hic sic loquitur ? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus !*) Ut incredulos doceas ne te filium hominis appelles ; Deum expressis verbis affirma. Potestatem ignoscendi peccanti, non à voluntate aliena receptam, sed authoritate propriâ habere tibi congruit quatenus Deo : si hanc tibi dicis inesse, hoc per curationem paralytici probas ? Doctor angelicus ad illa verba : *ut autem sciatis*, &c. dixit : *per hoc manifestat se Deum.* Sed quodnam Divinitatis protulit quæso signum ? salutem hujus ægri ? hæc non sufficeret ut malevoli crederent : nam plures patraverunt miracula, qui plusquam homines non fuerunt. Quomodo se igitur illo miraculo tantùm protegit ? Amabat sciri beneficus, minusque satagebat ut crederetur Deus. Beneficentiæ fidem præcipue curat prodigio : non utitur argumento majestatis, quam in dimittendis au-

Marci 2. 6. 7.

Matth. 9. 4. & 6.

S. Thom. in Matth. 9. post princ.

thoritate suâ peccatis exercuit; sed ex miseratione aperit quisnam sit. Minime tamen veretur ne ab auditoribus ratio hæc explodatur, & ejus Divinitas ignoretur: quia sic de munificentia gaudet ut maluerit pro benefactore haberi, quàm Deus agnosci. Illi Deum non fatebantur Christum Dominum: ipse tamen ibi de sua Deitate nihil expressit: quasi consultum satis honori suo foret si beneficus haberetur (*ut autem sciatis .... surge tolle lectum*) sicut fons non extollitur ex montis prælti celsitudine quò nascitur sed ex eo quòd sit laticibus inexhaustus: hic enim ille idem est Dominus qui dum nostram negotiaretur salutem, suam videtur fuisse oblitus præcellentiam, adeo ut illum sic interrogaverit S. Thomas à Villano: *ubi est gloria tua? ubi est Divinitas, majestas, & æternitas tua? Noli quærere, extasim passus est Deus: alienatus est à seipso, ut tu redeas ad te ipsum.*

S. Thom. à Villano. serm. de transfigur. Domini.

6. *Deusne citius donat, quàm extenderit manum ut largiatur?*

Tertiam fontis & Servatoris analogiam disquiramus. Stat immotus fons; attamen ejus profluа, & argentea dona cursitant, ut terra diteſcat. Seipsum velocitate superare videtur, quia currit, & sistitur. Deo non satis creaturarum liberalitatem inopem largissime superare; semetipsum quandoque vincere putabis in benefaciendi velocitate. Adhuc non extenderat manum, jamque Deus contulit beneficium.

Act. 4. 29. 30. Apud Apostolorum acta favent prædictis ipsi hunc in modum orantes. *Et nunc Domine respice in minas eorum, & da servis tuis cum omni fiduciâ loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen Sancti Filij tui Jesu.* Quæram. Apostoli cùm sanabant ægrotos, nonne utebantur Iesu nomine? Ac-

Ibi c. 9. n. 34. cipe ab eodem D. Luca exempla. *Et illi Petrus: Æneа sanat te Dominus Jesus Chri-stus*: & similiter ipse claudo præ templi foribus eleemosinam expectanti dixerat: *in*

Ibi c. 3. 6. *nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.* Nec non Paulus oppressam à dæmone liberans, dixit: *præcipio tibi in nomine Jesu*

Ibi c. 16. 18. *Christi exire ab ea.* Igitur cùm nomen Jesu proferebant Deus largiebatur salutem. Hoc ipsum Apostoli rogare videntur præcitatis verbis: *prodigia fieri per nomen sancti filij tui Jesu.* Invocationem itaque sub nomine Jesu factam sequebatur signum exauditionis, extensio nempe manus Divinæ: *manum tuam extendas ad sanitates*: & eamdem nominis advocationem comitabatur simultaneè miraculum. Extensio illa manus designat inceptionem operis ex Lorino ibi: *ex-*

Lorin. in Act. 24. 30. *tendere manum, vel mittere ad aliquid est incipere opus aliquod.* Itaque ante initium operis mirabilis, jam per nomen Jesu consummatum erat prodigium, quod extensione manus incipiebat? O beneficentiæ amantis pernicitatem ineffabilem. Igitur cùm postulatio miraculi simul cum sacratissimi nominis prolatione præiret annuentis Dei nutum, factum prodigiosum præcedebat suummet exordium, præcurrens ante divinæ manus protensionem? Ita ne meditari licebit, ut ocyssimam Dei beneficentiam laudemus? Sic velociter Divina liberalitas hominibus adest, ut quodammodo videri possit munus prius contulisse, quàm ad illud præbendum porrexerit manum: quasi superaverit celeritate semetipsum Dominus. Ita fontis ingenium benignissimè gerit, qui largifluus currit ut subveniat plantulis; & simul persistit immobilis, veluti se desiderans antecellere.

7. *Completa fœlicitas est si favori meritum copuletur.*

Claudamus hujusce minimè clausi fontis ænigma, nodulum dissolventes, qui occurret facilè si memineris oraculi prophetici: *descendet sicut pluvia in vellus*: quod meditabatur S. Epiphanius, cùm dixit: *sic arbitror Dei Verbum in Maria caro factum est, & in semine Abrahæ homo inventus est; de quo scriptum: descendet sicut pluvia in vellus:* Si pluviæ similis ille, qui de cœlo descendit in uterum virgineum: quomodo idem verbum incarnatum postea cum fonte componitur? vide quid sentiam. Priusquàm Dominus intraret in virginale claustrum, non adhuc homo erat: proinde hominum bona curabat, non tam sollicitè sicut postea, cùm homo factus, & hominum caput, eorum curam agebat impensiori studio. Antea irroravit ut pluvia descendens: nam sicut hæc nullâ præcedente diligentiâ rigat plantas: ita Verbum, quin opus incarnationis quoad substantiam impetrarent humana merita, naturam est amplexus nostram factus homo. Postea se gessit veluti fons quæ sitienti potum non ministrat, nisi quærat, accedat, & sumat ille. Potuerat equidem, nostras non requirens virtutes, mortalibus pauperrimis cuncta largiri; sed ut homini fœlicius accideret, voluit beneficio sic multoties nos accipere quod meriti præmium, simul & liberale donum contineret. *Parum habet laudis virtutum corona, & spei magnitudo quæ ex labore non descendit. Potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Hæc est magnarum ratio virtutum, ut quantò plus homo laborat, tantò plus mercedis acquirat, & spei.* Hæc S. Laurentius Iustin. Completa fœlicitas est, quæ nec tota laboris meritorij pretio comparatur, nec etiam econversò integrè donum purè faventis est: nam si primum, onerat nimis; secundum verò minus honorat. Beneficio igitur, ut pulchriùs eluceſcat, nec meritum desit, nec favor.

S. Laurent. Iustin. in l. vitæ c. 3. de spe.

Ingressus naviculam Simonis Redemptor jubet laxari retia in capturam piscium. Respondit ille: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.* Collegerunt tam copiosam natantium congeriem, ut socios ex alia navi adjutores habere fuerit opus, ne vel prædæ multum rete, quod scindebatur, dimitteret, vel dilatio locum fugæ præberet squammigeræ catervæ parti non modicæ. Duplicis dubij circa hunc locum perquirenda solutio. Primum sit. Ut hoc miraculum operaretur Dominus, nonne sufficiebat, & abundabat è littore jubere ut retia mitterentur? Ad quid, in Petri cymbam introgressus fuit? ibique portentum istud patravit? Secundum. Pro captatione maris incolarum præternaturali, superfluum videtur esse retia mitti. Uno verbo, quin Petrus laboret, adimpleat Filius

Luc. 5. 5.

Dei

Dei navim utramque muto agmine : cur non ita ? Ut merito Petri copularetur favor. Benignitate utens non eſt dedignatus cum ſervo Dominus mittere pedem in eandem naviculam. E longinquo præcipere, nec propius accedere, forſan majeſtatis, non amoris putaretur ſignum. Deinde ſi rectè non jaceret Petrus, careret utique fidei & humilitatis merito, quas hîc exercuit. Aſcendit itaque Simonis navim Dei Filius, ut in hoc illi faveat humaniſſimè ; retiumque ſuadet uſum, ne beneficium ſine meritis ei conferat. Scire cupis quantum lucratus fuerit jactu retis fortunatiſſimus piſcator ? Accipe Dionyſium Carthuſian. ibi : *in quo promptitudo obedientiæ S. Petri probatur, præſertim quia ſecundùm naturam videbatur infructuoſum retia laxare..... in quo docemur quam fructuoſum ſit obedire, quemadmodùm etiam Petrus laxavit rete ad piſcandum, Chriſto jubente.* O tu qui fœlicitatem ſectaris, & laborem odiſti : unde venis ? & quò tendis ? Gradum ſiſte meriti carpe viam præibit favens divina gratia, & erit plena fœlicitas cum favori meritum adjunxeris. Magnificus eſt Dei Filius, ſed ad inſtar fontis, qui liberaliter ſupereffluit non oſcitantibus domi ; ſed quærentibus haurire. Igitur diligentiam adhibe ut ſitim extinguas, crimina laves, virtutes irrigentur : cordis vaſculum evacua noxiis aquis diſſipatæ ciſternæ, ſcilicet mundialium affectum depone, accede feſtinus, hauri aquas de fontibus Salvatoris. Vide fl. 19. n. 42.

Dionyſ. Carthuſ. in 5. Luc. art. 12.

DELIBATIO II.

Beneficium reſpuens, ac ſi divinum ſit non agnoſcens, malumque ſuum eligens reprehenduntur : & laudatur immerenti beneficus.

8. Plus dolet liberalis quòd beneficium noluerit, quàm quòd injuriam addideris.

VIdimus cæleſtis vitæ fontis in mortales affluentiam. Nunc deploremus hominum ingratiſſimum genus, qui aquarum divitem fluvium, ſeu potiùs mare deſpiciunt, & undarum copiâ uti negligunt. Culparum nævos quos poſſent aquis detergere fontis illius, operiunt miſeri : *os autem impiorum operit iniquitatem.* Non unicus eſt ingratitudinis morbus : illâ ſinguli diverſimodè languent. Quidam beneficium non vult : alter obliviſcitur acceptum : quidam memor non ſolvit : alius malum pro bono reddit. Quiſnam ex his turpius non facilè dixerim. Unum ſcio, quòd licet Divinitas à dolore ſit immunis, conſolatione tamen egere videtur cum ejus dona contemnuntur, & certè contemptor eſt eorum qui recuſat illa. *Conſolatio Dei* (recolo Hieronymum) *ſuper hoſtibus eſt, ut qui contempſerunt beneficia ſuppliciis corrigantur*, &c. Imò de hujuſmodi præſumi poteſt Deum in eorum cordibus ferè odium ex beneficiorum pluralitate reportare : ſic, inquam de aliquibus ſuſpicari poſſumus : nam ut Tacitus dixit, *beneficia eo uſque læta ſunt, dum videntur exſolvi poſſe ; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.* Igitur inter ingratos non ultimo loco reponendus ille qui munera reſpuit : quia cæteri benefactorem lædunt ; ſed ille videtur injurius ipſi liberalitati prorſus reddens eam inutilem. Fateor largitatem potiùs ab animo quàm ab executione metiendam : hoc tamen non tollit quod hominibus ; qui de internis perperam judicare ſolent ; appareat minùs benefica manus quæ retinuit datum, eò quòd volentem accipere non invenerit. Cúmque manibus ictum accipere ſit res moleſtiſſima pugnanti : idcirco decertans in quaſi duello Deus cum ingrato, plus dolet quòd donum is noluerit, quàm quod reponat prò gratibus injuriam.

D. Hieron. to. 5. l. 1. in Iſai. c. 1.

Tacit. l. 4. annal.

Poſtquam vitia Phariſæorum ſermone quodam objurgans D. Magiſter, væ ſæpius ingeminato percuſſerat eoſdem, ait : *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti ? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Poſterioribus verbis æquiſſimus arbiter ; non tamen judicem agens (qui non venerat judicare) ſed monitorem, *comminatur pœnam* (inquit catena D. Thomæ ex Chryſoſtomo) *quam ſemper formidaverunt, ſcilicet civitatis & templi everſionem.* Quam ob culpam ? Non unicum præmiſerat ſcelus : quorumdam necem, aliorum lapidationem, &. ſub alarum benignitatis divinæ umbrâ recipi noluiſſe. Sed quaſi præteriens alia delicta, ſolùm ingratitudinem, quâ noluerunt beneficium, prædicit mulctandam ſeveriſſimâ deſertione. Unde ibi D. Hilarius : *congregare eos intra ſe voluit, ut qui conditione naſcendi editi jam fuiſſent, nunc alterius generationis ortus & calore confoventis renati, in cæleſte regnum tanquam pennatis corporibus evolarent. Quod quia noluerunt, domus eorum deſerta & vacua relinquetur, ideſt indigni habitatione ſancti Spiritus erunt.* Et ne citò pertranſeas, quàm diverſo ſtylo de iſta ingratitudine ſermonem faciat. Cùm levia delinquentis narrantur crimina numerus eorum non quæritur ; graviorum autem multitudinem annumeras ; vel ut exaggeres, vel ut ſcias. (More humano loquimur.) Dei Filius omniſcius quaſi mirabatur Jeruſalem nolentis beneficum ingratitudines, ad numerum illas reprehendens : *quoties volui. . . . & noluiſti ?* Cur non etiam dixit : quam multos occidiſti ? quot lapidaſti ? levia ſunt hæc ? numero non egent ? Graviſſima erant ; ſed comparativè ad ingratam vicem, quam retulit Jeruſalem in eo quòd renuerit acceptare humanitatem invitantis Dei, hoc præ cæteris cor amantiſſimi Domini ſauciabat, quaſi diceret : quòd malum pro bono ſolveris, mirum non eſt : nec mihi ſolutio tua lucrum ; aſt quod, ô civitas ingrata, manum quâ tibi paratus eram benefacere, detinere ſis auſa, vulnerat intima patientiæ : *quoties volui. . . . & noluiſti ?* Plus angitur munificentiâ præditus cùm munus ejus reſpuitur ab ingrato, quàm ſi rependat hic offenſam pro accepto dono. Culparum ſordes divinus

Matth. 23. 37. 38.

Chryſoſt. apud cate. D. Thom.

D. Hilar. Cano. 24. in Matth.

fons

fons diluere cupit : & *os impiorum*, ne laventur, *operit iniquitatem* !

9. *A malo quod elegit homo exuere illum, excellens omnipotentiæ opus.*

Ea tamen est prædictorum laticum ubertas, ut etiam viam claudenti cordi sæpe vallum dissipet, & ingressus divinæ gratiæ torrens, meliora sapere doceat eum qui spurcitias peccatorum amabat nuper. Desidem in spirituali negotio ad virtutem allicere, hoc mihi non aliud videtur quàm excitare dormientem. Imò quamvis hoc non somnum, sed lethargum dicas, minus est hæc excitatio, quàm renitentem & contra stimulum calcitrantem domare. Quid est stertentem vocare ad salutis viam, nisi foribus clausis adintraviſſe ? Mala nostra nec semper volumus; quandoque tantummodò non devitamus. Fatendum nihilominus quod aliquando ipsa spiritualia damna cupimus, imò diligimus, & nobis dici potest illud Antistitis Venetiani : *serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur, flagellantur ab iis, non oblectantur, & mala sua* (*quod malorum est ultimum*) *amant*. Si non resistens patiaris aliquam jacturam, non istam diligens, facilius est remedium adhiberi ; si verò malum eligas, ô quàm ægrè nocumentum impedietur, quod non vereris !

S.Laur. Justin. in lign. vitæ c.4. d. continentia.

Post celebre quinque panum convivium Apostoli naviculam occupantes jactabantur fluctibus. Non deseruit piissimus Dominus dilectos : venit ad eos terens pedibus maris vortices, nihil obstante undarum superbiâ ventorum vi elata, (& in aquis non est superbia plusquam venti flatus ?) Videntes discipuli Magistrum pavent. (Amanda timemus ; mirabor nisi pavenda diligamus.) Ut fiduciam suscitet alloquitur eos Dominus. At Petrus ferventissima dilectione ductus postulat ut sibi super aquas ad Jesum venire liceat. Cùm tamen ferè semper homines ignorent quid petere oporteat, contigit ut videns ventum validum extimuerit, cœperitque mergi. Infortunij monitu citissimè Deum quærimus : cùm cœpisset mergi clamavit ut salvus fieret. *Et continuo Jesus extendens manum apprehendit eum*, &c. Transeamus hinc ad passionis Dominicæ vestibulum. De Satanæ instantibus insidiis Princeps gloriæ milites instruebat suos, cùm Petro dixit : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Hîc rogasse affirmat Omnipotens ? alibi manu tenet ? Molle aquarum iter pedibus conculcare miraculosum erat, non ita verò Petro ne fidem perderet auxilia præbere : quamvis enim gratia naturam excedat, tamen miraculum non appellamus nisi sit res inusitata : nam aliter quoties auxilium à Deo recipimus ad peccatum vitandum, toties miraculosam rem accidisse diceremus, & rideret quisque theologus. Hoc posito : nonne te pungit, quòd munus nequaquam prodigiosum (auxilium scili. ut Petrus à fide non excideret) Christus Dominus postulaverit à Patre ; mirabile verò, scilicet ne penitus undis Apostolus mergeretur, manu propria sit operatus ? Manum admovisse hîc videtur indicare quod hoc egerit ut homo per miraculorum potestatem. Satis id ut

Matth.14. 31.

Luc.22. 31. 32.

Apostolorum Principem ab eo discrimine liberaret : quia nequaquam ipse Petrus damnum istud amavit ; & à periculo, quod homo non vult, facilius est eundem illæsum servare. Si postea deficeret ejus fides, hoc malum ipsemet eligeret credere nolens : & à jactura ipsi patienti adeo voluntariâ illum eripere, tam res est excellens, ut licet cuncta Servator possit, tamen ad eruditionem nostram se habuerit per modum non potentis, Patremque pro isto beneficio Principi Apostolorum conferendo rogaverit : *rogavi pro te ut non deficiat fides tua :* hæc enim verba protulit Christus Dominus ut homo. Notavit Ambrosius. *Denique ut scias quod secundum hominem rogat divinitate imperat, habes in Evangelio quod Petro dixit : rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Magnum divinæ gratiæ opus est eruere hominem à malo quod eligit. *Os impiorum operit iniquitatem*, sordes amat : & gratiæ torrens dissoluto muro ingreditur cor, & offertur nolenti ! O inexhaustam venæ cælestis copiam!

S.Ambr.l.4. de fide c.3. ante med. tom.4.

10. *Immerenti benefacere gloriosius.*

Hujus ultimi pronuntiati rationem assignare juvat. Illi bona tribuere qui horum defectum amat, est indigno benefacere : accipientis indignitas mirabilius reddit munus collatum. Si digno largiris afficis dono prædivitem proprio merito ; si verò tribuis immerenti, donas pauperi. Cùm inopi datum plus eluceat quàm si donares opulento (quia paupertas donationem commendat, & opulentia recipientis eam deprimit) ideo non digno beneficum se præbere majus est liberalitatis opus, quàm si faveres promerenti.

Legis iniquo zelo ductus, cædes minasque spirans iterfaciebat Saulus quasi turbo tenerrimos Ecclesiæ flores demetere cupiens. Non est potentia, non consilium contra Dominum. Apparet eidem : ex equo deturbat, & cur eum persequatur interrogat. Cujus in mentem veniret hanc esse viam qua Christus inveniretur ? Sed cùm ipse via sit, ubicumque apparuerit via reperietur ad salutem. Resignat arbitrium suum Saülus, & quærit sic : *Domine quid me vis facere ?* Ingredi civitatem jubetur : cúmque oculis apertis nihil videret, curarique à cæcitate oportuisset, discipulum quendam Ananiam nomine Dominus ad ipsum mittit, qui hoc peregit officium. *Imponens ei manus dixit : Saüle frater Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squammæ, & visum recepit :* sed ut in textu refertur, priusquam videndi usum restauraret, cæcutiit per triduum. *Et erat ibi tribus diebus non videns.* Hæc est illa benignitas, quæ Malchum non post diem, sed statim, sanavit ? Imminuta est clementia per solij majestatem ? Neutiquam. Offendit Malchus comprehensoribus liberatoris nostri complex adjunctus : læsit Saülus Dominum persequens, non tamen in persona propria : & Saüli cæcitas prorogatur in triduum ? Alienaque manu sanatur cum ad amicitiam esset jam receptus. Malchi vulnus dignatur ipse Dominus manu tangere,

Act.9. 6.

Ibi n.17 18.

Ibi n.9.

gere, ac ei mederi brevi mora interposita! Luc.22.50. 51. *Amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Iesus ait: sinite usque huc, & cum tetigisset auriculam ejus sanavit eum.* Qui non abhorruit à contactu auris vilissimæ, quare non accedit ad Saüli oculos curationis donum allaturus? quis acie Saülum orbavit? Dominus ipse splendore suo. Idipsum quod textus vocat sicut squamas, Lira in c.9. Act. n.18. Lira sic interpretatur: *idest maculæ albæ, & duræ, sicut sunt squamæ piscium, quæ causatæ fuerant in eo à lumine excessivo ipsum excæcante.* Illuminet igitur eundem Sol justitiæ qui luce lumen abstulit. Ananiam ad hoc mittit? & ut sanet Malchum neminem substituit? Utique: nam cùm Saülus jam illo beneficio dignus esset (utpote qui se totum obsequiis Domini mancipaverat dicens: *Domine quid me vis facere?*) minus gloriosum erat ei benefacere: committitur hoc Ananiæ. Malchus, qui sanitate indignus, manu propria Redemptoris medelam vulneris accipiat: nam immerenti se præbere beneficum, excellentius est munificentiæ præconium. Dictis favet Ambrosius. D.Ambr. l. 10. in Luc. c.22.tom.3. *Comprehende si potes quomodo ad dexteræ salutaris attactum fugiat dolor, & vulnera non medicamento compressa, sed tactu obducta sanentur.... jubere potuit, sed operari maluit, ut cognoscamus ipsum esse qui è limo terræ corporis membra nostri variis apta formavit officiis.... nec intellexerunt infœlices mysterium, nec venerati sunt tam clementem pietatis affectum, quòd etiam hostes suos non passus est vulnerari.* Decentissimum divinitatis opus fuit malemerito Malcho sese benevolum exhibere: ideo non alienâ manu redintegravit aurem, ne hujusmodi gloriam alij cedere videretur. Indigni sunt impij divini fontis undis irrigari; plus attamen harum largitas innotescit exinde, quia lapides induratos emollit facilè. *Os impiorum operit iniquitatem:* sed beneficentia infinita pulsat continuò, tandemque aperit clausam sibi januam.

II. *Beneficium divinum quandoque negat qui se fatetur hominum debitorem.* Lectiones illæ, Syriaca nempe, Septuaginta interpretum, & Arabica, de quibus in litterali comment. fine, pro, *iniquitatem*, legunt nominativū: scili. prior vertit, *iniquitas*, tertia transcripsit, *pernicies*, secunda legit *perditio*: quod ansam præbet ingratitudinem sugillādi, quasi dicant: quamvis venę cælestis aquis abundent improbi, tamen iniquitas eorum claudit ora, ne recepta beneficia fateantur. Ita dona sibi concessa deperdunt, quia per gratiarum actionem non servant: nam ut Chrysostomus dixit, Chrysost. in Matth. ho. 26. to.2. *optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Creditorem habemus Deum, qui non rigidus exactor, sed pietatis exemplar, nostræ miseratus egestatis, quandoque non ampliùs exigit, quàm acceptorum agnitionem ad ingratitudinis anathema. Nescio quid in hoc fingit homo laboris. Mortalibus grati sunt aliqui, sed rari; Deo verò rarissimi: forsan quia, cum tandem homo abeat in pulverem, debitum vitâ creditoris putant extingui, & leviùs ferunt obligationis, ut ipsi credunt, onus finiendum, quod iisdem aliter appareret intolerabile. Cùm verò Deus mori nequeat, durum ipsis videtur inextinguibile debitum non gratis debitoribus. Indeque fit ut homini fateantur debere quod se à Deo negant accepisse.

Moram faciente Moyse, populus impatiens insurgit adversùs Aaron, suadetque seditiosè ut illis Deos effingat qui præcedant itinerantes: *Moysi enim*, aiunt, *huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Exod.32.1. Attendis quòd redemptionem ab Ægyptiaca servitute Moysi se debuisse fatentur. Perge ulteriùs. Citò factum est ut adorarent idolum ex aureis inauribus, dixerintque cæci nimis: *hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ibi n.4. Ecce verum Deum illos ex captivitate negant eduxisse: *& veritatem*, ait Rupertus, *quam cecinerant dicentes: cantemus Domino, gloriosè magnificatus est, equum & ascensorem projecit in mare, in mendacium commutaverunt cantando: hi sunt dij tui*, &c. non enim credam Hebræos existimasse Deum quem adoravere progenitores ipsorum, iniisse cum idolo societatem, ut simul cum vero Deo eriperet eos ab ergastulo Pharaonis: si namque juxta doctrinam Pauli, templo Dei conventio nequit esse cum simulachris (*qui autem consensus templo Dei cum idolis?*) multò minùs inter Deum & idola societas. Itaque dicentes ab idolo se libertatem accepisse, tacitè à Deo patrum suorum illam habere inficiantur. Et Moysis debitores non diffitentur esse! Hic in tam arduo negotio, sine Deo ne rem peregit? Ministrum agebat; Deus verò redemptor fuit: Exod.32. 11. (*cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti de terra Ægypti*, &c.) tam grati erant, ut beneficio devincti Moysem creditorem velint illi, qui adeo ingrati Deo suo libertatem debere negant? Utrumque vel negent, vel fateantur. Non sic locuti sunt: nesciebant enim quid accidisset Moysi: potuerat obiisse. Homini, utpote qui potest emori, & secum jus ad gratitudinem (ut putat ingratus) consepelire, faciliùs humana conditio se fatetur obstrictam. Non ita Deo, cujus interminabilem durationem, jusquè manifestè perpetuum ad beneficij recognitionem, cernit etiam ingratitudo cæca. Idcirco ex ingratis *alij per beneficiorum oblivionem gratiarum actione se privant, qua nihil pretiosius: alij verò per nimiam arrogantiam seipsos authores bonorum suorum existimant*, ait Philo Hebræus. Clauduntur igitur labia impij ad beneficia divina confitenda: & quânam serâ? *os impiorum tegit iniquitas*, habet hîc Syriaca lectio. Philo Hebr. l. d. sacrif. Abel. to.1.

DELIBATIO III.

Fons beneficentiæ hyeroglyficum triplici analogiâ.

12. *Amicis da largius adversitate pressis, quam sorte ridēte.* IUxta tertiam expositionem, cujus memini dum litteram aperirem, fons de quo in textu agitur, est justus ille qui liberalitatis ope vitam plurium nutrit *fons vitarum*, ut legit Hebræus, & perenni scaturigine fluit

sic largiter, ut aquarum venam cuncti quærant in eo. Hoc videtur insinuare lectio Septuaginta qui transtulerunt : *in manu justi*. Hanc moralem interpretationem parumper versemus. Liberalem fonti similem reperio tripliciter : Primò : fons hyemis tempore plures effundit aquas. Secundò : tam hyberno quàm veris tempore latices arvis egentibus ministrat ; non ut fluvij, qui dant æquori gurgites quibus non indiget. Tertiò : cunctis sitientibus undam elargitur indifferenter, absque personarum delectu. In his fontem largitas imitatur: hæc enim hyemali degentibus adversitatis obscuro tempore profusior est, quàm efflorescentibus læto prosperitatis vere : pauperibus benefacit ; non superfluè tribuit epulentis : ac tandem, ubi nulla ratio suadet oppositum, eleemosynas distribuit absque personarum examine. Sed nobis incumbit examinare singula.

S. Isidor. Hispal. l. de natu. rerum c. 7.

Hybernum tempus emblema vulgare sortis adversæ nosti. *Juxta allegoriam*, inquit S. Isidorus Hispal. *hyems temporalis intelligitur tribulatio, quando tempestates, & turbines sæculi incumbunt.* Quatit undique tempestas arborem, ornatu suo spoliat : & quamvis, ut fertur, altiores tunc radices agat, infructuosa tamen, imò necnon floribus pauper, despicitur, & ex parte securi scinditur : nullus jam ejus quærit umbram, quia fulmina cuncti pavent. Haud aliter furit infœlicitatis tempestas, & nihil non movet ut hominem commodatis fortunæ bonis velut foliis exuat. Nullus tunc appareret spei flos : nemini licet ex arbore illa fructus legere : spoliata non ullum protegere valet : diffugiunt universi ne si accedant, & fulmine tangatur arbos, involvantur in ejus ruinâ. Solus fortassis accedet ingratus, qui cædere non veretur lignum ad cujus umbraculum quievit nuper. Brumali tempore solent fontes majori copiâ pauperrimas arbores irrigare, quàm dum pomis diteſcebant onustæ. Imitare fontem. Amico dum primo sortis vere florebat proficuus eras ? Eidem cum mæsta premitur infortuniorum brumâ, plus effunde: dixit enim Gregorius M. *amissio fœlicitatis interrogat vim dilectionis.*

D. Greg. M. l. 7. moral. c. 10. to. 1.

Joan. 20. 22.

Triumphator morte devictâ Dei Filius adstitit Apostolis, dixitque : *Accipite Spiritum sanctum.* Post Ascensionem super eos idem Spiritus descendit in die Pentecostes. Existimo te non dubitare quod multò largiùs tunc divini Flaminis munificentiam experti fuerint, quàm priùs : nec enim repleti dicuntur priori loco, neque fortitudine, loquela, vel signis aliis ibidem æquali pacto se habuere sicut in postremo. Dubitabam quâ de causâ. Dubium solvit aureo Chrysostomus ore. *Non statim*, ait, *post resurrectionem advenit Spiritus sanctus, ut expectationis desiderio, majori gratiâ eum acciperent. Quousque enim cum eis Christus versatus est, non afflictabantur, eò abeunte, tanquam deserti, formidantes, majorem in modum eum accipere desiderabant.* Ex Chrysostomo vides quare non statim post resurrectionem, sed postquam discessu Magistri conflictabantur, advenerit divinus Spiritus scili. ut uberiùs tunc ejus dona reciperent. Inde colligo munera ista propterea magnificentiùs eis fuisse distributa, quia deserti, afflictique degebant. Antea cùm Servatoris præsentiâ potiebantur, Apostolis erat lætum fœlicitatis ver ; sed postquam cælos petiit, tristem patiebantur adversitatis hyemem. Tunc ergo divinus amor dona sua contulit ipsis liberaliùs, quàm dum Christi consortio gaudebant. Sic & inter homines cum amicis erat agendum, si noster divino conformaretur affectus.

Chrysost. ho. 74. in Joan. tom. 3.

13. *Non sic meris est apud homines.*

Attamen sicut hortulanus arbusta non rigat hyeme, sed vere : ita sub infortuniorum imbribus oppresso nihil donabit ille, qui ut muneribus afficeret ovantem cùm fortuna ridebat, seipsum exuere non recusabat. Profugus David ob Saülis iras, clandestinè loquitur ad Jonatham : & quia tempore senescunt odia quandoque, petiit à Principe ut investigaret an parens illius adhuc in cogitatu maligno adversùs ipsum permaneret. Promisit Jonathas ita facturum : & renuntiare sagittarum signo spopondit quod inveniſſet. Nescicbat ne Princeps egere Davidem auxilio ut vitam aleret, qui velut exul oberrabat ? dedit ne tunc amico illi quicquam ? Non lego; quamvis in agro ad quem exiit ut fugæ signum daret, cum Davide fuerit locutus obortis lachrymis : *Fleverunt pariter, David autem amplius. Dixit ergo Jonathas ad David : vade in pace.* Ecce nihil refertur Davidi Principem hoc loco dedisse : cùm tamen ille sic esset egestate constrictus, ut eâ compulsus exinde adierit Sacerdotem Achimelech, dicens : *si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quidquid inveneris.* Hic ille Jonathas qui antea ? Idem certè : nec illius cor aliena mutaverant infortunia. Inter amicorum vetustissima paria, quæ dum aurea vigebat ætas vidit antiquitas fortunata, Davidi, Jonathæque pares non invenies amicæ fidelitatis observantiâ. Attamen cùm te non lateat quid Princeps egerit in illâ tam hilari die, cum Goliath occiso Regiam David reversus est : non frustra miraberis Jonathæ manus quàm sibimetipsis nunc dissimiles appareant. Tunc *expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua, usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum.* Cum autem ipse monetur ut fugæ præsidium quærat, nec panes accipit ab amico præpotente ? Compellitur eos à Sacerdote mendicare ! an non dolebat Jonathas Davidis mæstissimam sortem, qui profugus cogebatur exulare ? Dolebat sanè, adeo ut verba fortè dolor intercluserit. Meditare quæ protulit : *quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum usque in sempiternum.* En imperfectam orationem reliquit. Unde ait Hugo Card. ibi : *supple firma sint : quia nimius dolor fecit eos deficere loquendo.* Quomodo igitur se continuit nunc, & nihil dilecto præbuit ? Patet levis dubii solutio. Cùm liberalissimè tractatur à Jonatha vestium donatione David triumphi diem agebat : dum amicus ovat, exuit semetipsum alter amicitiâ ductus. Postea cum fugitivus

1. Reg. 20. 41, 42.

Ibi c. 21. 3.

Ibi c. 18. 4.

Ibi c. 20. 43.

Hugo Card. ibi.

abit

abit ſub triſtiſſimo perſecution's diræ nubilo, non parum eſt quod ipſi dictum fuerit: *vade in pace.* Non conſtantiæ leges in hoc tranſgreſſus eſt fidus amans: hominum obtemperavit conſuetudini: quæ in ſubjectâ materiâ, non optima, ſed peſſima legum interpres, amicitiæ jus intelligere ſolet ſic ut fœlicitatis die præſcribat largiſſima liberalitatis munia præſtanda: infortunij verò tempore claudi ſuadeat pauperi januas. Non ita fons munifici non obſcurum ænigma: noctu diuque ſupereffluit, & hyberno tempore pluſquam aliis profluit. Ad inſtar ejus te gere prudentiâ duce: *volo enim,* ait Plinius, *eum qui ſit verè liberalis, tribuere patriæ, propinquis, affinibus, amicis; ſed amicis dico pauperibus: non ut iſti, qui iis potiſſimum donant, qui donare maximè poſſunt, quos ego viſcatis, hamatiſque muneribus, non ſua promere puto, ſed aliena corripere.* Fontanis undis exhibeat ſimilem ſe miſericors, & erit *vena vitæ.*

Plin. iun. l. 9. epiſ. 30.

Tria promiſi hujus dilucidationis initio. Ad ſecundum tranſeo. Melius alicui videbitur ſymbolum beneficentiæ nubes pluviarum fœcunda, quàm fons, licet uberrimus: quippe nubes pluit ad multorum utilitatem, non unicum madefacit agrum; fontis aqua non tam univerſaliter benefica: nam vel clauditur viridario, & eadem terra quæ genuit, abſorbet lympham: aut ſaltem non ita longè lateque diffluit, ſicut pluvia ſolet. Deinde fontales undæ ſæpe nonnihil terreæ concretionis à canalibus deſumunt, quâ puritas earum turbida redditur. Aliter contingit nimbis, utpote qui ſcaturiunt à regione diſſita valde. Multoties fontanus torrens priuſquàm è marmore defluat, aſcendit violenter. Imbres in quos reſolvitur nubes nullam patiuntur vim; dilabantur ultrò. Sic generoſa manus non uni ſed cunctis occurrit ſubventura libens, nequaquam expectata precum vi; deſcendentis more promptiſſima: nec terream conditionem imitata perturbatur ſpe lucri, laudumve cupidine: ſed nihil accipiens tota ſimul & omnibus eſt. Sit ergo nubes potiùs quàm fons liberalitatis hyeroglificum. Sapienter Salomon elegit fontem: quia nubes levitate pluries ducta defertur, ita ut ſiccam relinquens aridam indigenter hiantem, pluat ſupra maris fluctus. Haud aliter humana largitas pauperem præterit, ac vanæ gloriæ levitate fertur in divites, & quaſi aquam projicit in æquor. Iſta prodigalitas quandoque tranſit in avaritiam unde fit quòd egeno ſtipem deneget qui non egentibus multa diſperſit. *Hi etenim propria indiſcretè tribuentes non ſolùm, ut ſupra jam diximus ad impatientiæ murmurationem proruunt, ſed cogẽte ſe inopiâ uſque ad avaritiam devolvuntur.* Sic D. Gregorius M. Opus eſt regimine multo virtuti quæ vicina timet ſibi vitia: plurima cautione indigemus ne cum virtutibus quibuſdam hauriamus peccatum illis contiguum. *Si enim,* ait S. Ioannes Climacus, *cum aquam ex fontibus haurimus, nonnunquam etiam eam (quæ dicitur) ranam unà hauſimus: ita & cum virtutes exercemus, fit ſæpe ut vitia clam illis implicita & connexa ſimul arripiamus.* Ne hoc in liberalitate contingat; quanta ſint attendenda liberalibus accipe: dat Gregorius. *Unde & neceſſe eſt ut ſollicitè perpendant ne commiſſa indigne diſtribuant, ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam, ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant quibus impendere multa debuerunt,* Quis eſt hic qui tam circumſpectâ prudentiâ utatur in elargiendo? Utplurimùm homines nihil tribuunt indigenti; ſi poſtea pinguiori fortuna pauper ille potiatur, offerent multi ſponte munera.

14. *Habenti largitur homo; egenti negat.*

D. Greg. M. 3. P. paſtoralis admo. 22. tom. 1.

S. Ioan. Climac. in ſcal. grad. 26.

Sæviit adversùs Jobum Satan, eumque miſerorum reddidit exemplar. Tres ejus amici mutuò convenerunt ut afflicto ſimul exhiberent: quid? inopiæ remedium? Nequaquam, ſed conſolationem: *condixerant enim ut pariter venientes viſitarent eum, & conſolarentur*: imo & ipſe Iob innuere videtur ipſos nihil ei prorſus attuliſſe, cum ait. *Numquid dixi afferte mihi & de ſubſtantia veſtra donate mihi?* Ad hiſtoriæ finem reperies quòd poſtquam ipſius Iobi patientiam benigne reſpiciens *addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job duplicia*: tunc textus ait ad eum veniſſe fratres, notos, & ſorores, obtuliſſeque dona Iobo: *& dederunt ei unuſquiſque ovem unam, & inaurem auream unam.* Nunc! tempore quo jam non eget, aurum & oves offeruntur illi! cum ſedebat in ſterquilinio bonis deſtitutus, malis obſeſſus, nullus fuit qui ejus pauperiem ſublevaret! *Iſti*, ait Hugo Cardi. *videntur fuiſſe amici fortunæ, qui cum fortuna recedente recedunt, & cum redeunte redeunt*: non ergo valde novum quod Iobo diviti dederint; & indigo quidquam attulerit nemo. Si magnificos advertas animos quos evexit fama, nubes invenies multas; fontes pauciſſimos. Cum legis Cleopatram in convivio quod Marco Antonio exhibuit, unico ferculo ducenta & quinquaginta millia conſumpſiſſe aureorum: Caligulam intra unius anni tempus, vicies ſepties millies ſeſtertium prodegiſſe (cum ſeſtertius quilibet duo mille ac quingentis aureis æquivaleat:) nonne tibi videntur veluti nubes nimborum copiis turgidas perpluere ſuper marinos vortices? Qui Divinam æmulantur beneficentiam, audiant qualiter ſitibundos recreet. *Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam*: ſic dicebat per Iſaiam. Non abſimiliter in Apocalypſi legitur. *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis*: quaſi non gratis dare ſoleant illi qui non ſitientibus aquas offerunt. Mare accipit à nubibus aquas quibus non eget: nonne ſolvit eas vaporibus quos emittit ut nubes incrementa ſuſcipiant? Ne ſis igitur prodiga nubes; ſed alendis plantulis eſto laticum provida *vena.*

Iob. 2. 11.

Ibi c. 6. 22.

Ibi c. 42. 10.

Ibi n. 11.

Hugo Card. ibi.

Iſai. 44. 3.

Apocalyp. 21. 6.

15. *Diſcute à quo accipias; non (utplurimùm) cui largiaris.*

Tandem ad tertium ex tribus quæ pollicitus ſum. Fontes non examinare valent accedentium conditiones: potius qui aquam deſiderat is attendit à quo fonte hauriat. *Non ab omnibus accipiendum*, inquit Seneca, ſed cunctis donandum. Tuas accedit mendicus ad fores: poſtulat alimentum, ut vivat; & audit conſilium ut laboret. Laudo

Senec. l. 2. de benef. c. 18.

consulentis charitatem; sed hoc mendici famem non extinguet. Vereris decipi? *Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire: juvare pauperem, non examinare justitiam.* Sic D. Ambrosius. Imo similiter doceberis ab Aristotele. Fertur hunc eleemosynam dedisse cuidam pauperi, sed improbo. Monitus post factum Philosophus respondit: *non homini dedi, sed humanæ sorti.* Si fide non caruisset fortassis diceret: non homini dedi, sed obtuli Deo, qui dicet in extremo judicio: esurivi enim & dedisti mihi. Suppono iniquum egenum per eleemosynam non in malo foveri: deinde hanc non esse de largitionibus illis quæ sunt justitiæ opus, in quibus magnus personarum delectus habendus. His omissis. Indigus à te Dei amore flagitat: sic tu largire, nec falleris. Vellem ut examen tunc districtum præmitteres, cùm eligis aliquem à quo petas. *Non ergo quid petas, sed à quo postules intuendum est*, ait S. Ambrosius. Tandem alta mente repone breve, sed utile consilium: circumspice à quo accipias, ne fortè postea serò te pœniteat recepisse; cùm tamen dederis, ne quæso disquiras cuinam largiaris.

S. Ambr. to. 5. epist.

Idem to. 3. l. 7. in Luc. c. 12.

Angeli cum quo luctatus est nomen scire cupiit Jacob: & inquisivit ab eo, dicens: *quo appellaris nomine?* Quid utilitatis Jacobus invenit in eo quòd nomen angeli non ignoraret? Abraham olim tres angelos accepit hospites, eorum tamen nomina non requisivit. In promptu disparitas est. Abraham beneficium conferebat æstimatione sua; Jacobus autem benedictionem expectabat. Huic accidere poterat ut putaret angelum, & non esset, cùm possit dæmon in lucis angelum transfigurari. Quinimò non defuere qui putarent Jacob luctatum fuisse cum angelo malo, inter quos est Origenes dicens: *etsi Iacob luctatus est, sine dubio adversus aliquam harum virtutum luctatus est, quas humano generi, & sanctis præcipuè adversari, & movere certamina Paulus affirmat.* Mala benedictione donaretur si nequam foret angelus. Voluit ergo Jacob nomen sui benefactoris priùs agnoscere, quàm benedictionem acciperet. Abrahamus qui benefacere satagebat hospitibus, nullius momenti pateretur damnum si contingeret ut essent dæmones humana specie: nomina non quærit. Opportunè Chrysostomus: *hæc faciebat senex, homines obscuros & viatores suscipere se existimans..... esto sit deses & negligentioris vitæ qui tua fruitur benignitate, non sit ejus rei cura, plena enim tibi, & perfecta merces dabitur in Domini honorem hoc facienti, & imitanti Patriarchæ virtutem.* Operatus est igitur Abrahamus, quasi diceret: beneficium confero: quicumque sint hi quibus dono, ratum habeo. Fontis non est optionem facere haurientium; sed econtrario. Igitur beneficentiam non pauperum examinationibus præpedias: ne claudatur virtus, quam oportet esse velut solet aquarum *vena*.

Gen. 32. 29.

Origen. l. 3. Periarch.

Chrysost. in Gen. ho. 41. tom. 1.

DELIBATIO IV.

De bonorum spiritualium communicatione ac peccati suavi, severáque medicinâ.

TEmporalem pauperum vitam nutrientes usque nunc sub emblemate fontis instruximus. Nunc illud, *vitæ*, pro spirituali, juxta communem litteræ interpretationem accipiam, ut ad lentiorem trutinam revocetur sententia: *Vena vitæ os justi.* Quænam est hæc vita? Gratiam sanctificantem, quâ redimur filij Dei, nunc existima: hâc enim spiritualiter vivimus, & illâ pereunte morimur. Sed quænam intelligenda hîc est è duabus gratiis: illa ne qua vivit is cujus os vena spiritualis extat in animarum lucra? vel potiùs ea quæ in audientium animis, occasione doctrinæ à justi ore fluentis, renascitur? Utrumque fortassis innuit sacer textus. Sed, ut nonnihil de bonorum spiritualium largitrice charitate meditemur, à vitâ gratiæ quæ manet in justo hûc dici venam vitæ non dubito, quamvis alium sensum non rejiciam. Gratia in justo fontem imitatur: nam latex non nisi violenter pateretur nasci, & non diffundi. Sic vita spiritualis desiderat socium: *justi enim*, ait Chrysostomus, *pro aliorum salute quæque ferre eligerent. Amoris hæc fluenta sunt.* Hujus undæ vena se claudere nescit, cæteris proficua gestit inveniri: non nisi vi detinebitur ne diffluat in aliena commoda.

16. *Bona spiritualia non nisi velut coacta detinebis ne diffluant in cõmodum alienum.*

Chrysost. in Gen. ho. 24. tom. 1.

Fatigatus ex itinere sedebat sic suprà fontem Dominus Jesus ut animarum sitim conversione Samaritanæ simul accenderet atque mitigaret. Ignis est amor, cui non nunquam incentivum est aqua. Lympham postulat fons vitæ; nec dedit avara manus: Offert ille meliorem: non accipit adhuc Samaritis, quia nesciens acceptavit, imò petivit eam: (sic puellus aurum quod gestat non possidet, quia non agnovit ejus pretium.) Tunc Dei Filius ut aperiret de qua loqueretur undâ, dixit ad illam: *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Recole jam aliorsum datum suprà Cyrillum Alex. qui per aquam istam intelligit Spiritus divini gratiam. *Aquam autem rursus gratiam Spiritus appellavit.* Benè sed cur non potius vocavit mare gratiam adeo copiosam? immensæ largitati videbatur aptiùs congruere, ut gratiæ magnum donum æquoris exprimeret similitudine. Nonne in corde iniqui mare propheta reperit Evangelicus? *Impii autem quasi mare fervens.* Cur non & mare in corde justi dicitur sancti Spiritus gratia, sed fons? Quia maris fluctus nullus haurire solet: jacent inutiles, ab illo clausi qui concluſit ostiis æquora. Fons vix nascitur, cùm jam serpit flores irrigaturus: nec nisi violenter eum tenebis ne solum fœcundet. Ita solent justi divini Spiritus latice pleni. Improborum

Joan. 4. 13. 14

S. Cyrill. Alex. l. 1. in Joan. c. 85.

Isai. 57. 20.

proborum aquæ velut marinæ ſunt, vix ullo uſui aptæ: forſan huc reſpexit vates, dum ait: *quaſi mare fervens quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum.* Conculcantur impij fluenta, non humectant aliena prata ut progerminent, prout ſolet unda promanans ab ore juſti. Igitur gratia non maris nomine, ſed fontis inſigniatur, utpote quæ ſiſtere neſcia non ſoli poſſeſſori vitam tribuit, ſed aliorum reviviſcentiæ ſternit viam, nec ideo minuitur *vena vitæ.*

Iſai. ſupr.

17. *Ea bona pluris facit qui ſodalem ſortitur.*

Quinimò ſpirituale bonum, ſi multis commune fiat, ſpecialiter cordi tunc videtur inſidere. Animæ dona lucis imitantur genium. Splendori eſt idem communicari ac lucere. Claude flammæ radios ut omnino lateant, vel extinguetur, vel minùs illuminat: quod enim aliis non partiris hoc tibi denegas. In bonis temporalibus, fateor, quòd ſi præſentia tantum attendamus, qui ſolus potitur eis, ampliori poſſeſſione diteſcit. In ſpiritualibus valde ſe res aliter habet. *Hæc enim ſpiritualium fluminum natura eſt ut hoc magis ſcaturiant, & accreſcat ſpiritualis gratia, quò quis magis inde haurire ſtudet. Propter hoc & Chriſtus dicebat: ſi quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ viventis.* Ita Chryſoſtomus. Itaque ſpiritualia bona abſque ſocio poſſidens non adeo magnifacies; ſi non ſolus habeas, pluris à te pendetur.

Chryſ. hom. 3. in Gen. tom. 1.

Sanctificatus eſt in utero materno Jeremias, juxta illud: *antequam exires de vulva ſanctificavi te:* quod ſic exponit Dyoniſius Carthuſian. ibi: *in illa ſanctificatione infuſa eſt animæ ejus gratia gratum faciens, virtutes Theologicæ & dona cum virtutibus, eis inſeparabiliter junctis.* Inter quæ dona, quædam numerantur non benè cohærentia cum excuſatione quam Deo vates adhibuit, ne officium injungeretur ei prophetandi: nam dixit: *ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Commentatur A Lapide: *præ pueritia neſcio loqui res tantas, & præ timore puerili non audeo apud viros & principes.* Apud Iſaiam invenies dona Spiritus ſancti, ex quibus iſta ſunt; *Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ.* Nonne fortitudo hæc, intellectus, conſilium, ſapientia ſcientiaque timorem loquendi coram aliis diſſuadebat? Fortè dices humilitate ductum Jeremiam citata verba protuliſſe: patronumque fortè Carthuſianum vocabis. *Gratiosè ergo*, ait, *& molliter reſpondet Dominus humili verecundoque juveni propriam inſufficientiam ſagaciter intuenti.* Facilè inducar ut credam vatem præ humilitate putaviſſe carere ſe dotibus neceſſariis ad prædicationis munus, quaſi nihil receperit adhuc ſpectans ad iſtud. Sed pergamus ad Zachariæ domum: ibi prophetam puerulum aliter abſque ſuperbiâ ſe gerentem, atque præconem utrumque Dei conferemus ad invicem. Sanctitatem accipit etiam Præcurſor intra genetricis viſcera, nec diſſimulavit fortunam Baptiſta, ſed *exultavit infans in utero:* audi Origenem. *Sancta erat anima beati Joannis, & adhuc in matris utero clauſa, ventúraque in mundum, quaſi per experientiæ ſenſum ſciebat quæ Iſraël ignorabat. Unde exilivit: & non ſimpliciter exilivit, ſed in gaudio: ſenſerat enim veniſſe Dominum ſuum, ut ſanctificaret ſervum ſuum antequam dè matris utero procederet.* Ecce Ioannes dum gaudet inſinuat ſe jam noſſe rectè lance librare quantum receperit jam donum, vel accepturus eſſet non multò poſtea. Jeremias adeo parum ſibi datum putat, ut ſe loqui neſcire dicat! Baptiſta magnitudinem divini muneris exaggerat lætitiâ! Diſparitatem cerne. Jeremiæ ſanctificatio, donaque illam conſequentia clauſit in ſeipſo (nullo enim fundamento diceremus communicata matri ſuæ) & quod ſpirituale bonum ſolus quis poſſidet, non adeo multi facit. Præcurſor gratiæ receptæ ſociam habuit Elizabeth, quatenus Spiritu ſancto afflante prophetica verba deprompſit: & cum juxta doctrinam Theologorum in tractatu de Trinitate loquentium de miſſione inviſibili Spiritus ſancti, per collationem donorum ſupernaturalium (quidquid ſit de iſtorum augmento) miſſio fiat divini Spiritus ad creaturam, Ioannis mater Spiritum ſanctum accepit. Non poterat non magnifacere Baptiſta quòd non ſine ſocio largitatem cœleſtem anima ejus experta eſt. *Repletus autem exultavit*, inquit S. Titus, *gratiæque quam acceperat matrem participem fecit. Elizabeth autem propter infantem, quem intra viſcera geſtabat, Spiritu afflata, ejuſmodi prophetica verba detonuit: benedicta tu*, &c. Sors animæ geſtit habere ſodalem, & ſi hunc ſortiatur, jucundiſſimam reddit. Imitetur artem virtus. Novit illa ſic efformare fontem, ut in breve ſtagnum diſtributi latices cadant, & latenti foramine deſcendant aſcenſuri rurſus, ut fontem de ſuiſmet copiis iterum ditent, ac ejus affluentiam ingeniosè perennent. Fonti ſimilis virtus affluat in aliorum ſpiritualem utilitatem: quò fiet ut reſumat aquas, non avara; ſed lucro dives æquiſſimo. Sic erit in juſto gratia jugis *vena vitæ.*

Ieſai. 11. 2.

Dyoniſ. Carthuſ. in Ier. l. 7. ſup.

Orig. hom. 7. in Luc.

S. Tit. Boſtrenſ. in id Evang.

18. *Aliquando fœliciùs meneris blande, quod aſperitate non ſanaretur.*

Os. Cùm ore juſtus non ſolum verba virtutes promoventia depromat, ut ſitim bonorum de perfectione conſequenda quadamtenus alleviet: ſed etiam ſpiritualibus agris undam præbeat qua febrim nequitiæ reſtinguat: aquæ nomine (præter alia) venire reprehenſiones vitiorum hîc non inficiaberis. Aqua hæc turpes maculas criminum abſtergit, ſcelerum radices eruit, lapidea corda cavat. Nonnullus dicet, aquis marinis potius quàm fontanis aſſimilandam correptionem videri: hæ namque dulces; illæ amaræ: ac non ſine amaritudine animi ut plurimùm audit ſe peccator à juſto corripi. Nihilominus prudentiſſimè Salomon inſinuat reprehenſionem haud amareſcenti lymphæ, ſed potius dulci, parem eſſe debere. Fateor, ex ſe humanæ fragilitati amarulentas eſſe vitiorum objurgationes: at ſicuti maris aquæ per terræ venas tranſeuntes amarorem relinquunt, ita ut quando fons erumpit, jam verſæ in dulcedinem ſint: ſic increpatio quamvis naturâ ſuâ ſatis amareſcat; in ore tamen juſti ad normam chari-

tatis compositа, verborum suavitate dulcescit ; est quippe *vena vitæ os justi*. Et non ideo vitia palpat : imo sæpè medicamentum quò suaviùs , eò fructuosiùs porrigit. Hoc adeo verum, ut ad illos qui fidei nostræ sunt adversarij extendatur,ex Gregorio Papa dicente : *qui sincera intentione extraneos à Christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere , blandimentis debent , non asperitatibus studere , ne quorum mentem reddita ratio ad planum poterat revocare , pellat procul adversitas.* Novi morbos animæ quibus ferrum & ignis convenit , ne putrescant amplius ulcera : secanda , vel excæcabitur peccator : urenda ne cunctos inflamment : Nihilominus aliquando blandum malagma fœliciùs medebitur vulneri , quod minimè sanaretur cauterio.

D. Greg. M. l. 11. epist. 15. relatus in c. Sincera. 45.

Multiplicatâ per sæcula progenie Adamitica , excrevit iniquitas , & aurea degeneravit ætas in ferream , ita ut Altissimi promeruerit iram. Extinguere cupiens aquarum illuvie delictorum flammas , apertis cælestibus cataractis , quadraginta dierum , totidemque noctium diuturno imbre vastavit orbem. Homines luêre diluvio pœnas criminum , quia lachrymis ea diluere non curarunt. Et bruta periere : quia cùm bruteseceret homo , perinde fuit vel eum punire , vel illa. Cælum Adamidum patria tectum atratâ nubium veste lugere videbatur ipsorum cladem , quos exules perire cernebat. Sed radios negaverat , quasi cæcis lucem auferens pœnæ superfluam. Stellæ fulgorem nequaquam emittebant : cùm etenim (præculparum densissimis tenebris) diem à nocte dividere vix possent , Phœbi principis sui jus offendere nolentes dimittebant proprium. Luna symbolum inconstantiæ, fratri substituere non curabat , ut mulctaret inconstantes. Denique ferè nihil erat quòd aliquem saltim lapidem non moveret ad horrendam universi catastrophen. Et quid isto ex supplicio lucri manavit pro correctione mundialis nequitiæ? Cessavit ista ne? Surrexit denuo : ut videre fuit in turris Babel ædificio superbissimo. Quid tunc Deus, ut iret obviàm temeritati ? Secundum immisit diluvium ? Promiserat non iterare. An stravit fulminibus operarios ? inceptumque protrivit opus ? Neutiquam. Saltem horribili tonitruorum sonitu perterruit illos ? Multò mitiùs obtinuit ut cessarent. Qua ratione ? *Confundamus ibi linguam eorum , ut non audiat unus quisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras , & cessaverunt ædificare civitatem.* Vides quàm suavi medela occurrit clementia Dei hominum crimini ! Putabas facturum ut amitterent usum loquendi? Non abstulit , sed in varia dispersit idiomata : loquebatur iste : percipiebat voces alter non sensum : hîc respondebat loquenti : similiter ignorabat prior quid ille proferret. Desistunt ab opere , solo prodigio blandissimo coacti. Misericordiam in hac punitione Chrysostomus notavit. *Considera Domini misericordiam* , inquit , *in quantam animi hæsitationem eos impulit : amentibus enim postea similes fuerunt. Et ille quidem imperabat hoc , & alius suppeditabat aliud, inutilisque fuit omnis illorum conatus , ideo cessaverunt etiam ædificare turrim , & civitatem.* Præteriti diluvij memoria non satis fuit ne superbum aggrederentur opus, quod feriret summo sydera vertice ; linguarum verò confusio (mite supplicium) suasit eis ut ab inani superbiâ desisterent.

Gen. 11. 7. 8.

Chrys. hom. 30. in Gen. tom. 1.

Non omni ferrum congruit ulceri. Memorare dictum sapientis relatum in Concilio Bracharensi : *leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti : asperitatis autem nimiæ increpatio nec increpationem recipit,nec salutem.* Sæpiùs clementia salutem affert , & justitiæ rigor puniret ; non corrigeret peccantes. Utinam aliqui ex Ecclesiasticis pastoribus Dei mansuetudinem imitari satagerent,ac non se tunc existimassent Divinos cùm regimen exequuntur humanitate deposita, meminissentque justitiam degenerare nimiam. Sic amaritudinem objurgatio deponeret in eorum labiis , & ad vitam spiritualem redderetur utilissima, quæ sine benevolentiâ prolata frustranea visitur. Doceantur à M. Gregorio dicente : *pastores enim facti sumus , non percussores.*

Quidam apud Conc. Bracha. relatum in c. Cum beatas 45. distinct.

D. Greg. M. epist. ad Ioan. Episco. Constantinop. l. 2. indic. 11. c. 91.

Hoc idem attendant oportet verbi Dei præcones , quos hoc loco intellexit Hugo sub nomine justi : *os justi* , inquit , *est os prædicatoris.* Benè S. Antonius Olyssip. *prædicator enim debet cùm aviditate lingua prædicationis ulcera peccatorum curare , & cum lenitate lingere , ut mel , & lac sit sub lingua ejus , ideſt dulcis & lenis doctrina.* Tubæ sunt concionatores ; non gladij. Scio verbum Dei gladio comparari, imo ancipiti penetrat intimiùs ense ; sed peccatum feriat ; non hominem. Non diffiteor id quod apud Cassiodorum legis. *Ægris non una causa salutis est* , inquit ille , *alter his reficitur , alter per abstinentiæ beneficia tenuatur , hic lavacra mollia , ille ferrum quærit ad vulnera , & varium quærit remedium diversa qualitas passionum.* Tamen ex his video quædam esse mala pro quorum medicina felle utendum ; attamen adhibendum non est ægritudini cuique si hoc usus fueris , applica ubi necessarium videris , ita ut non amarescat , simulque prosit.

Hug. Card. in Prover. 10. 11.

D. Anton. Olyssip. ser. 1 post Trini.

Cassiod. l. 9. epist.

Medicorum prototypus angelus Raphaël Tobiam juniorem instruxit ut piscis cujusdam felle cæci genitoris liniret oculos quo visum recuperaret. Exequitur ille quod cælestis edocuerat socius , & visum restaurat senex. Ubi , quæso, applicuit fel ? Ubi opus erat. *Tunc sumens Tobias de felle piscis , linivit oculos patris sui.* Demus quòd felle perungeret patris labia , quæ non indigebant hoc remedio : curaret ne sic paternam cæcitatem ? Amarescceret parenti fel,& cæcitas remaneret. Oculis fel admovit , visum sine amaritudine restituit. Aliud ex eodem pisce detulerat remedium instructus ab angelo Tobias nempe cor ejus : attamen non usus est hoc pro curando genitore : hic namque dæmonium non habebat ; cor autem piscis hujus diabolis effugandis erat opportunum: *cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.* Pone quòd Tobias medicamenta commutaret,

Tobiæ. 11. 3.

Ibi c. 6. 8.

taret, ac fumo, quod blandiùs eſt, cæcum illuminare vellet, dæmonium verò repellere felle, cui major acrimonia: prorſus in vacuum tempus inſumeret: fellem Satan irrideret, qui fumo ejectus eſt ne Saram adoleſcentis conjugem perſequeretur ampliùs: & fumus oculos non aperiret paternos, qui per fellem ſunt luce donati. Medicamina tranſmutare morbis corporalibus nocivum nimis eſt: nedum in ſpiritualibus. Et nota non angelum dixiſſe dæmones flamma extricari; ſed fumo. Et quid putas per fumum accipi? *fumus*, commentatur Hugo Cardi. *Chriſti humilitatis.* Hanc imitetur concionator, & ſpiritus nequam ſubjicientur ei. Et felle utatur nonnunquam; ſed cautè, ita ut non homini ſed peccato applicetur. Idem Cardinalis per oculorum ſenis albuginem intellexit peccatum: *albugo*: exponit ille? *peccati macula.* Idem ipſum fellis miraculum ad ſpiritualem illuminationem S. Proſper adaptat, dicens. *Qui tributum pro ſe & pro Petro, & cæcato lumen reddidit, paulo ſatians ex ſe ipſo in littore diſcipulos .... namque latinè piſcem ſacris litteris, majores noſtri hoc interpretati ſunt ex Sibyllinis verſibus colligentes, quòd eſt Ieſus Chriſtus Filius Dei ſalvator, piſcis in ſua paſſione decoctus, cujus ex interioribus remediis, quotidie illuminamur, & paſcimur.* Si fellem Chriſti miniſter prout monuimus admoveat, illuminabit cæcos; aliter infirmus reſpuet medelam: ac ſi noluerit æger ſpiritu, non eum ſanitati reſtituet. Inſanus eſt, ſed ligare non poteris illum ut obediat medicinæ: oportet velit: cura ergo ne oderit medicamentum, & curabis eundem.

Hugo Card. in Tobiam ibi proximè.

Idem ibi n. 9.

S. Proſp. d. promiſſ. & prædict. Dei p. 2. c. 39 fine.

20. *Remedium retrect peccatorum & percutiat dæmonem.*

Imo dicam: deaura decenter cataporia, ſicuti ſolent medici: fac, inquam, ut medicamen ſimul & recreatione afficiat infirmum, & dæmonem cædat. Iudicas hoc impoſſibile? Attende. Saulem dæmon exagitabat: accerſitur David ut citharæ pulſu regi levamen præbeat. *Igitur quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Liranus ibi: *ſpiritualiter autem prædicatores hoc faciunt illis qui ad eorum prædicationem ſpiritum verè pœnitendi cum propoſito confitendi concipiunt.* Affirmat Chryſoſtomus quòd velut ictus diabolus recedebat. *Sumpſit David citharam, & pulſavit, & à Saule receſſit malus ſpiritus, & recedens dæmon cecidit ut cervus ſagittâ percuſſus.* Ecce remedium quod ægrum recreabat; Satanam percutiebat: credis hoc fieri valere? Ne tibi accidat quòd inverſo rationis ordine potius hominem vulneres, communemque adverſarium afficias gaudio. Id pertimuiſſe videtur Hieronymus in ſuperbis increpatoribus delinquentium. *Recedite, inquiunt, polluti, recedite, abite: nolite nos tangere: nobiſcum nolite communicare. Talis loquela non illuminat cæcum, non ſanat ægrotum, non curat infirmum: ſed magis occidit, atque in deſperationem periclitantem mittit.* Amaritudinem ponant, dulciaque reddantur in ore tuo reprehenſionis verba: fontanis aquis doctrinæ tuus abundet ſermo, & erit in te *vena vitæ os juſti*: nam *os juſti eſt os prædicatoris.*

1.Reg. 16. 23.

Liran. ibi.

Chryſoſt. in pſal. 14. apud Liram ibi. comomoral.

D. Hiero. in Jerem. relatus in c. Recedite. 45. diſt.

DELIBATIO V.

Lachrymarum vis ac difficultas. Detractoris celeritas nocentium concordia: ſimulationis virus.

21. *Crimina lachrymis diluta videntur non eſſe plorantis propria.*

IVſti nomen prout ſonat ſimpliciter ad literam accepi: ſed cùm in quarta expoſitione, inter eas quas in commentario numeravi, pro pœnitente ſumatur, quæſtionem libet excitare de nomine, cujus utilitas non erit abs re: nam in pœnitentiæ laudem propinata doctrina proficua ferè ſemper eſt, ut menti medullitus hæreat quam efficax ſit illud cæleſte pharmacum. *O pœnitentia*, inquit S. Cyprianus, *quid de te novi referam? Omnia ligata tu ſolvis, omnia clauſa tu reſeras, omnia adverſa tu mitigas, omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas.* Plus in illo noſtri textus unico verbo: *juſti*, pœnitentiam extulit Spiritus ſanctus: inſinuat enim, quòd ſi juſtus vocari ſolet pro cunctorum temporum circumſtantiâ qui nunquam gratiam perdidit: pœnitens parum abeſt ut in hoc tam rigoroſo ſenſu nomine juſti valeat inſigniri: quia ſi peccata deploret ut congruit, ſic dealbatur, quaſi numquam commaculatus extiterit. Imò quaſi non potuiſſe peccare videbitur (ſi dicere fas) eum qui rite fatetur crimina pœnitens. *Non multum ab impeccabili diſcedit qui peccatum ut decet fatetur*, ait Philoſophus qui licet converſionibus logicis præcepta dederit; eam tamen quam lex gratiæ docet ignoravit. Audeo dicere: crimina lachrymis diluta jam noſtra dicenda non eſſe videntur.

S. Cyprian. d. laude pœnitentiæ.

Ariſtot. citatus à Fr. Ludovi. Gran. ver. Pœnitentia.

Stylus eſt divini Magiſtri: non illum poteris calumniari. Accedit Magdalena pœnitens: & ut ille qui à ſomno excitatur lucem veretur fixis oculis intueri, haud aliter quæ non multum ante culparum lethargo ſoluta reſipuerat, neutiquam Divini ſolis faciem ſuſtinebat: *ſtans retro ſecus pedes ejus lachrymis cœpit rigare pedes* &c. Tandem ait illi Dominus: *remittuntur tibi peccata.* Aliter invenio Redemptorem, dum eſſet Capharnai, dixiſſe Paralytico: *confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Ad Magdalenam non ſic; ſed *peccata* inquit: nec addidit: tua. Si nomen iſtud ideo tunc omiſit quia manifeſtum erat non dimitti Magdalenæ aliena peccata, ſed propria: eâdem ratione dicat etiam ægroto: remittuntur tibi peccata: vel utrobique dicendum apparebat peccata tua. Myſterium, non caſus eſt, verborum diſparitas. Plorabat crimina Magdalena; de fletibus illius ægri non legimus quidquam. Crimina quæ non luxerat homo, propria ejus erant: *peccata tua*; ſcelera quæ plangebat mulier quaſi non ea commiſiſſet unquam, ac aliena forent, non ejus culpæ dicuntur à Domino; ſed ſimpliciter ait: *remittuntur tibi peccata.* Faveat

Luc. 7. 38.

Ibi n. 48.

Matth. 9. 2.

Chryſo

Chryſoſt.to. 2.hom.6. in Matth. Chryſoſtomus: *ſic etiam illa in Evangelio meretrix virgines quoque ipſas honeſtate ſuperavit:* de Magdalena loquitur. Putares me nimiùm audere ſi ploratùs induſtriâ Magdalenam illis quæ nunquã caſtitatem amiſere ſimilem factam eſſe dixiſſem. Chryſoſtomus non illas æquaſſe præfatis verbis affirmat, ſed ſuperaviſſe. O fœlices oculorum planctus undæ: quæ non ſolum corda præ fragilitate vitrea maculis eluunt, ſed eorum fractiones ita conſolidant, ut priſtinam integritatem reſumere videantur, nullo relicto diſruptionis veſtigio. Os pœnitentis eſt quod peccata lachrymabili confeſſione accuſat: nihilominus in præſenti verſiculo dicitur *os juſti.*

22. *Statim atque detractio aſcendit in cor maledici jam eſt in ore.*

Os autem. Opponit Salomon juſto impios, in eo quòd ille verba ſalubria pro aliorum vitâ profert; iniqui verò nocua; inter quæ numerari poſſunt detractiones. Chaldaica verſio pro *iniquitatem*, legit hoc loco *injuriam.* Verba maledica tacet improbus, ut commodiore ſibi tempore jaciat illa. Videbatur potius dicendum: cor autem impiorum operit iniquitatem: nam corde ſervari dicimus id quod non depromitur labiis. Aptiſſimè loquitur Sapiens. Nota detractoris malignam velocitatem: vix continere ſeipſum valet. Forſitan hac mente D. Hieronymus detractorem aſſimilat ſagittæ: hæc enim ſemel emiſſa volat, quin ſe queat ſiſtere. *Sicut ſagitta*, inquit, *ſi mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat vulnerantem... ita detractor*, &c. Unde parum refert quòd iniquitas maledici, vel cordi tribuatur, vel ori: nam ita celer eſt in proferendo quæ alienum honorem denigrant, & ſtatim atque detractio cor ſubiit, jam ſit in ore.

Lect. Chald.

D. Hiero. epiſ. ad Ruſticum. 4. de vivendi forma. tom. 1.

Siracides opponit inſipientem diſerto, dicens: *in ore fatuorum cor illorum: & in corde ſapientium os illorum.* Adnotaſti venuſtiſſimæ antitheſis energiam? Quid interſit inter os in corde poſitum, & cor in ore locatum, vellem hîc aperiri: quod utcumque præſtabimus facilè, ſi per fatuos intelligamus malos. Huic expoſitioni favet initio illius capitis Hugo Cardin. dicens: *in hoc capitulo docet author fugere circunſtantias peccatorum.* Deinde probabile videtur etiam venire nomine fatuorum obtrectatorem, quia ſequenti numero ſtatim agitur de illo: *ſuſurro coinquinabit animam ſuam.* Hac veroſimili poſitâ interpretatione, ſciſcitaberis cur detractoris cor dicatur eſſe in ejus ore, cùm potius in eo cor & os frequenter non conveniant, ut inſinuatur paræmiâ Salomonis, quam præ manibus habemus: dicitur enim os mali tacendo, vel fictis verbis, cooperire iniquum detrahendi propoſitum (& ſic de aliis) corde conceptum: ac proinde nimiùm diſtant cor & os illius. Quâ ratione cenſetur ergo maledicus apud Eccleſiaſticum in ore cor habere? Hugo Cardin. *quàm cito cogitatio eſt in corde, tam cito loquuntur.* Conſonat ibid. Carthuſianus: *ideſt quidquid incurrerit menti mox proferunt non penſantes an expediat exprimi.* Hoc reprehendit Hugo in ſtultis, & ſimiliter Carthuſianus: utinam idipſum non inveniretur in iis qui malo ſuo & alieno ingenioſiſſimi ſunt. Tacet quandoque detractor, & ſervat crudelem honoris proximi lædendi voluntatem, quia non invenit in quo juſtum calumnietur veroſimilitate apparenti. Statim autem ut fabricavit inſontis famæ venenum, vix in cor ejus aſcendit, cum jam eſt in ore: nam *in ore fatuorum cor illorum.* Cor habet helluo in ventre, laſcivus in oculis, cupidus in manibus, detractor in linguâ. Lubricam ſedem amat cor malignum, quia mobile adeo eſt, ut imitetur ignis effectum pariter & inquietudinem. Cúmque maleloqui poſitum ſit in ore cor: illud quod ipſe corde claudit, hoc tegit illius *os.*

Eccl. 21. 29.

Hugo Card. ad cap. 21. Eccli. init.

Ibi n. 30.

Hugo Card. ibi. ſuprà.

Dionyſ. Carthuſ. ibidem.

23. *Imò quamprimum verba nociva cogitatione verſantur, jam linguam occupant.*

Dicto velociùs avolat maledicentiæ ſagitta, dum animi nequam doloſa conſilia revelat. Modò penſitabam tam primùm labiis exprimi alienam infamiam, quàm citò ad cor, ſeu voluntatem acceſſit. Alij ſunt adhuc ocyores in hac ſagittandi arte. Mox atque attigit mentem nequitia, jam linguam occupat: *mentem hominis lingua pandit*, ait Ambroſius, & ſtrictius dici poſſet de illis, qui videntur intellectum in labiis conſtitutum oſtendere. Si benè loquendum foret, à mente ad linguam plurima eſt intercapedo, ut experientia docet. Veritas proponitur judicio: poſthàc remittitur ad cor, ut ſuffragium de illa ferat: à corde iterum aſcendit ad intellectum, qui tandem aſſentitur. Deinde ſiſtitur voluntati ut approbet haberi ſermonem de re illa: ſi placet decernit voluntas ut ea veritas ore proferatur. At ſi malè fuerit loquendum, nulla interpoſita morâ, vix ad intellectuale tribunal pervenit nequitiâ, cum jam ad linguam exire præcipitur. Eâ celeritate deliberant aliqui nociva pronuntiare, ut mentem in lingua ſitam videantur habere.

D. Ambr. to. 5. epiſ. 29. lib. 4.

Regius ait Pſaltes: *tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua.* Ad litteram propheta loquitur contra Doeg Idumæum, qui nuntiavit apud Saülem quòd Achimelech Dominum conſuluerit pro Davide, cibariaque, necnon & gladium dederit ei. Patet ex titulo pſalmi: *Cùm venit Doeg Idumæus, & nuntiavit Saüli: venit David in domum Achimelech.* Nocuit verbis ille Sacerdoti, multæque cædi præbuit anſam. Nonnemo dicet adversùs phraſim Davidicam: nos ore loquimur; non verò lingua cogitamus. Cogitatio mentis opus eſt. Quo ingenio dici valet: cogitavit lingua? Adeo pernix homo eſt ut loquelâ noceat, quòd, quaſi apud linguam intellectus moraretur, ſtatim atque mens cogitat, jam lingua loquatur, ac ſi cogitatio verba faciat, vel potius lingua meditetur: *injuſtitiam cogitavit lingua tua: cogitatio namque ſapientum corde concipitur & ore profertur; peſſimorum verò conſuetudo eſt, ut non ante cogitent quàm loquantur, de quibus Salomon ait: in ore ſtultorum cor eorum, ideo hic dicit injuſtitiam cogitavit lingua tua, ac ſi diceret: non tractavit corde quod evomuit ex ore: ideo hæc ad cogitationem detulit linguæ, vel hîc lingua pro corde ponitur.* Sic opportunè ibi cogitavit, ac tempeſtivè

Pſal. 51. 4.

Ibi n. 2.

Caſſiod. in Pſal. apud Caten. Patri. ad cum locum.

tempestivè locutus est Cassiodorus. Igitur nullo jure mirari poteris quòd superius dixerim cor inveniri apud os ejus qui verbo nocet. Insinuat hoc sacer textus, cùm iniquitatis clausuram, quæ cordi tribuenda videbatur, ori tribuit, quasi perinde foret os & cor multorum: *os autem.*

Impiorum. Plures dixit impios, & os unicum. An multi loquuntur ore unico scelesti? Cum in alicujus laudem eloquuntur varij, non convenit inter illos: it studia in contraria vulgus; dum verò de nocumento agitur: inferendo, velut os est omnibus unum. Nam *quia*, ut ait Augustinus incertus, *proclivius ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum animus excitatur*; ideo cùm de iniquitate perficienda tractatur, cuncti conveniunt in unum; si verò de justi laude sermo sit, ibit unaquaque mens in viam suam.

24. *Homines difficiliores in laudando, sed ut nocent ut omnibus unum.*

Incertus D. Aug. tom. 7. l. contra Fulgent.

Quod Pilatus ut innocentissimum Jesum à morte liberaret, ad consuetudinem dimittendi unum ex vinctis festo Paschali refugerit frustra, nemo nisi gratis mirabitur: insuetum est namque ubi prævalet iniquitas insontem eripi. Magis dubium putabam jampridem, quâ ratione ducti sacerdotum Principes populis ausi sint persuadere ut Barabbam eligerent præ Iesu Christo.

Matt. 27. 20. *Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis ut peterunt Barabbam, Iesum verò perderent.* Ignorabant ne quàm difficile sit in unam trahere sententiam tot capita? Si dissentiat inter se vulgus, vel Pilatus judicium suspendat (quod illorum non patitur odium;) vel consuetudinem sic interpretatus ut partem plebis quæ vellet (si accideret ita) Redemptoris absolutionem, diceret Præses istam petiisse, ac ideo decerneret innocentem absolvi ut contentio dirimeretur. Periculo exponunt se Iudæi quod ita res eveniat, & pars turbæ petat solvi Christum? dubitabant ne quod populi suffragio Dominus à quibusdam sit putatus Elias, ab aliis Ioannes, & Ieremias à nonnullis? an non possent inter se turbæ dissidere ut pars Barabbam eligeret; pars verò Iesum absolveret? Dissidium in hoc non timent: ad nocendum, est impiis os omnibus unum: *turbis persuaserunt ut Barabbam unâ omnes peterent voce.* Ita Chrysostomus, Audi quàm uniformiter damnant innocentiam. *Dicunt omnes: crucifigatur.* Et statim: *Universus populus dixit: Sanguis ejus super nos* &c. Dum Servatoris præconium divulgabatur, dispergitur vulgus: non eâdem viâ tendit: *alij Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Ieremiam, aut unum ex prophetis.* Cùm autem damnum pararetur uniformiter *dicunt omnes: Crucifigatur.* Plurimi sunt impij; unum videtur *os autem impiorum* plurium, ut verborum virus iniquum nunc opertum evomat postea.

Chrysost. ho. 87. in Matth. tom. 2.

Matt. 27. 23. & 25. Ibi c. 16. 14.

25. *Grandius est malum quod pectore latet improbo.*

Operit. De justo prout aliis benefico meminerat Salomon in anterioribus dogmatis hujus verbis. Unde videretur opponi aptiùs justo aliis proficuo, non quidem tacens iniquus; sed proximis nocens, & nequitiam cordis aperiens. Prudenti stylo Sapiens usus est de tacentibus agens malis; vel quod in idem recidit, de ficte loquentibus. Cupiebat simpliciter ambulantes ut caverent à versutis: & horum quisque plus timendus est cùm silet, quàm dum exit in opus. *Gravior est inimicus qui latet in pectore, grandius malum est omne quod sub aspectu latet.* Hæc Seneca. Taciturnitas hypocrita modestiam simulans valdè cavenda ex doctrina Chrysologi. *Hypocrisis*, ait, *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam: unde & caventur tam facilè quàm videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum.* Hæc D. Petrus Chrysologus. Inclusa truci nube sulphurea exhalatio plùs pertimescenda: quia obdurescit interim & ignitur: nam si statim exeat sæpe nihil est præter inane fulgetrum: Ita dum improbi tacito pectore volvitur intentio siniſtra, majoris ponderis res est, quàm si conceptam improbitatem parturiret.

Senec. in prover. Chrysolo. ser. 7.

De Saulis hostili & ingrato animo animo cecinit vates Monarcha: *concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Iuxta paraphrasim Jansenij totius versus hic sensus est. *Ecce hostis meus anxiâ mentis sollicitudine, & cruciatu annisus est iniquitatem exercere in me. Concepit in animo suo afflictionem quam mihi inferre cogitat malumque quod in corde suo primum conceptum, deinde parturiebat, etiam tandem peperit, opere hoc ipsum, quantum in se erat perficiens.* Et cujusnam est ille dolor conceptus? Davidis, an Saulis? Ipsius Davidis, ut ex præcitato commentario liquet. Hoc ipsum ex verbis, quæ post pauca sequuntur, satis colligitur: *convertetur dolor ejus in caput ejus:* idest afflictio, quam inferre conatus est mihi, redibit in authorem. Unde Lorinus ibi ait: *dolor hoc loco peccatum id maximè significat, & per se, quod alteri affert dolorem.* Aliquid sane mysterij latet in eo quòd non ait concepit iniquitatem, & peperit dolorem; sed econtra: concepit dolorem & peperit iniquitatem. Sed quare? Quia nocumentum illud à Saule intentum, quandiu intra præcordia latebat, veluti fœtus conceptus in utero, dolore Davidem diriori sauciabat. Cùm pectore clausa malevolentia erupit in opus, tunc malum illud non appellatur dolor, ut antea quando reconditum fuerat; sed vocatur iniquitas. Hîc interpretatur Lipomanus parturitionem esse diligentem considerationem, & discussionem de injustitia committenda: conceptionem, anxiam dispositionem mediorum: partum verò executionem rei per productionem in actum. Igitur doloris nomine designatur malum quandiu apud adversarium cor delitescit: illoque titulo minus dignum est, cùm opere detegitur. Nequitiam quàm adversùs te hostis aperit ne paveas; cave potius eam quam impius *operit.*

Psal. 7. 15. Iansen. ibi. Ibi n. 17. Lorin. ibid.

Iniquitatem. Aliqui legunt: *iniquitas.* Et si dogma totum ad pœnitentiam deferamus, hic sensus ad mores non incongruus eligi

26. *Facilius fiat innocens, quàm reus.*

poteſt. Os, hoc eſt facies juſti, venam lachrymarum ad vitam effundit; non ſic impij, quorum duritiem lapideam reddit iniquitas ne crimina plangant. Igni comparari ſolet peccatum; fonti verò gratia Dei: hæc in juſto fluenta mittit; at in ſceleſto non dabit ignis aquas. Scio divinam gratiam illuminantem ignis vocabulo ſignificari. Neutri denegatur iſta: peccatori tribuitur ut reſipiſcat; juſto confertur ut creſcat: ſed velut alambicum ſilice multa plenum, quamvis ſubtus poſita flamma nimis accendatur, nihil diſtillabit; & ſi lapides tollas, eorumque loco ſubſtituas flores odoriferos, pretioſam guttatim irrorabit aquam: ita lapideum peccatoris cor applicato auxiliorum igne. Lachrymas non ſtillat; ſtylus potius eſt hic innocentis. Animæ alimentum ex Auguſtino ſunt lachrymæ: *iſte enim fletus ſit panis noſter:* & prius aſſeveraverat David ſibi lachrymas fuiſſe panes: *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes.* Dormit in ſcelere jacens: & non ſolent dormientes capere cibum nec lachrymari; ſed expergefacti. Non mireris quod ſicci maneant peccatoris oculi. Facilius flet innocens, quàm reus.

D.Aug.ſer. 11.ad fratres in eremo tom.10. Pſal.41.4.

Semel, iterumque fame compulſi fratres Joſeph petunt Ægyptum exportaturi triticum quod ibi pretio diſtribuebatur. Fraterna tandem cogente dilectione nequaquam ſe potuit ultra ille continere: fratrem fatetur eſſe quem vendiderant: & poſtea defluentibus lachrymis amplexatur Benjaminum, & lachrimans oſculatur ſingulos; non tamen omnes fleviſſe lego; ſed ſolum Benjamin. *Cúmque amplexatus recidiſſet in collum Benjamin fratris ſui, flevit: illo quoque ſimiliter flente ſuper collum ejus. Oſculatuſque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos: poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum.* Benjaminus venditionis Joſephi complex non fuit: *non fuerat cum aliis fratribus quando vendiderant Joſeph*, ait Liranus ad illud: commota fuerant, &c. Ex aliis penè omnes immani ſcelere ſeipſos polluerunt: *per ſingulos flebat*, inquit Auguſtinus, *& irreguis fletibus paventium colla perfudit. Odium fratrum charitatis lachrymis abluebat.* Flet innocens in materiâ ſubjectâ; Non plorant venditionis rei: illi vocem eripuit vis lachrymarum, nec verbum fratri reſpondiſſe legitur; iſti verò ploratum negantes loqui audent: *auſi ſunt loqui ad eum:* obmuteſcere debuerunt præ pudore; ſed oculis tacent, non labiis. Familiaris mos hic eſt enormiter peccantibus. Lachrymæ dilectoribus Dei ſuaves, juxta eundem Auguſtinum. *Diligamus*, ait, *igitur lachrymas, quia ſuaves ſunt diligentibus Deum. Delectemur igitur in hac infirma vita in fletu & lamento*, &c. Cumque dilectio Dei ſit ferventior in eo qui, ſi dici poteſt, innocens eſt: is faciliùs ad planctum commovetur, quia delectabilem experitur illum. Econtra ſcelerato lamenta gravia ſunt: quid mirum obdureſcat iſte renuens id quo gravatur? Hinc fit ut madente juſti facie, malorum lumina ne defleant ſcelera claudat iniquitas: *os autem impiorum operit iniquitatem*, quod vertit Syriacus: *& os impiorum tegit iniquitas.*

Gen.45.14. 15.

Lira ad c. 43. Gen.

D.Aug.ſer. 83. de tempore.

D.Aug.to. 10.ſer.11.ad fratr.in eremo.

FLOS XIII.

Odium ſuſcitat rixas: & univerſa delicta operit charitas.

APERITUR.

ODIUM quod ſolet deſcribi: vetus ira, minimè ſenectutis leges patitur apud aliquos: multos namque reperies quorum ſimultates annis jam caducæ juveneſcunt, & præcipuè ſi faveat fœlicitatis ætas. Labilis memoria, greſſus tardi, vox tremula, propria ſyntopmata ſunt illius morbi, quem appellamus vulgò ſenectutem. At contra ſolet odium perantiquum non obliviſci contentionum longè præteritas radices, nec pigro, ſed præcipiti pede novas quærere rixarum cauſas, ac illas adeo expeditè proclamare, quod nulla temporum edacitate vires amiſiſſe videri poſſit. In eo tamen ſemper odium ſenes imitatur & ſuperat, quòd viſu non tantum debilis eſt, ſed penitus caret. *Odium autem nihil omnino cernit*, dixit Peluſiota. Hoc adeo verum eſt ut ſpinas quas adhuc ſervat ſiccus iracundiæ rubus, putet flores amœniſſimos, & eorum ſomniata dulcedine faciat mentem illectam immorari. *Ira enim*, ait Auguſtinus, *inveteraſcens ita fit odium, dum quaſi juſti doloris admixta dulcedo diutiùs eam in vaſe retinet, donec totum aceſcat, vaſque corrumpatur.* Nimis obcæcantur mentis oculi, cum doloris meditatio dulceſcit: piſcis tamen ſi turbatur aqua, non videt retia. Fortaſſis ideo apud Pierium fuit olim piſcis odij hierogliphycum. Quieſcit procella: non ideo piſcis emoritur: tempeſtas urgeat; non lædit maris immenſi prolem. Sic odium, vel rixæ furor ſæviat, vel inducias agat, vivit adhuc ſæpe. Ne cæcitatis ænigma linquamus, quin adnotem rem notiſſimam. Docet experientia cæcos interno ſenſu magis pollere multoties, ac ſi natura quod negavit oculis contulerit phantaſiæ. Viſu caret odium, ſed memoriâ præcellit, ingenioque viget: illâ quâ reſurgere faciat ſopitas jam diſcordias; hoc autem ut novas adinveniat.

1.

D. Iſidor. Peluſiota l. 1.epiſ.310.

D.Aug. ad Dioſcorum.

Pier. Valer. l.31. c.7.

Odium. Inquit Salomon, *ſuſcitat rixas*: & poteſt dupliciter accipi, ſcilicet primò pro jurgiis inter odientem & odio habitum: ſecundo pro diſſidiis inter alios duos, quæ ſurgere facit quidam tertius ambos, vel eorum unum, odio proſequens. Primus operandi modus humanæ fragilitatis morbus eſt: ſecundus verò munus diabolicum. *Væ*, inquit S. Bernardus, *homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur, judicium profectò portabit quicumque eſt ille, ante mihi contingat mori, quàm audire in vobis aliquem juſtè clamantem: filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Sic lucem diſperſit

D.Bern.ſer. 29.in Cant.

perſit illa charitate ardens lampas ignis atque flammarum. Utinam è cordibus hominum ignis ignem expellat, odium charitas extinguat.

2. Tacit. l. 1. annal. Idem in vit. Agricolæ. Sicut igitur, ut Politicus dixit, *odium omnia trahit in deterius*, & cauſis antiquatæ paſcitur iræ, quia ut inquit idem, *odiſſe quem læſeris proprium humani ingenii eſt:* ſic econverſo charitas non ſolùm univerſa delicta, quæ rixis occaſionem præbere poſſint, operit, vel in bonam partem accipiens, vel patienter portans: ſed etiam anteactam diſcordiæ materiem delet injurias condonando: nam quandoque tegi dicuntur peccata quorum venia datur, ut eſt vulgare ex illo Pſalmi: Pſal. 31. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Tum etiam alio modo abolet inimicitias, quia reddit amicum ex adverſario. Chryſoſt. to. 1. ho. 2. de David, & Saül. to. 1. *Et tu ergo ſi quando hoſtis inciderit in manus tuas, ne illud ſpectes quomodo ulciſcaris, ſed quomodo eum ſanes tua manſuetudine, ſanans illius truculentiam. Nihil enim ipsâ humanitate potentius, ut ſapiens declaravit dicens: ſermo mollis confringit oſſa.* Ita Chryſoſtomus.

Janſen. in Prover. 10. 12. Janſenius hîc alium ſenſum addidit. *Odium fratris*, inquit ille, *facit ut Deus contendat cum odiente: at charitas coram Deo operit omnia delicta diligentis.* Pro ſecunda parte ſenſu morali ſtare non dubito; primæ nec litteraliter nec moraliter acquieſco: nam ſine fundamento *rixas* interpretatur ſic. Averſio quâ Deus odit peccatorem quà talem, nec in modo loquendi communi, neque juxta phraſim Scripturæ venit nomine rixarum: hæ ſunt æqualis ad æqualem: & ſi velis quod inter inæquales rixæ nomen propriè dicatur, ad minus inter Deum & creaturas impropriiſſimè vocabulo rixarum utemur.

3. *Odium.* Scio vocem hanc præcipuâ, planiorique ſignificatione pro malevolentiæ actu ſumi: ſed non improbabiliter intelligi poteſt ita ut accipiatur pro effectibus externis odij: nam iſti ſuſcitare ſolent ſopitas jam contentiones. Hujuſmodi actiones exteriores veteratam iram provocantes dici poſſunt odia: vel effectivè, quia utplurimùm naſcuntur ab odio, vel cauſaliter quia excitant illud in eo qui læditur eis. Unde ſicut in verbo *charitas* exterior beneficentia intelligi poteſt (de quo ſtatim,) ita hîc odioſas actiones appellatione odij venire, probabile.

Hebr. lect. verſ. Sept. *Suſcitat.* Habent Hebræa: *ſuſcitavit.* Septuaginta legunt: *ſuſcitabit.* Æternitatis æmulum eſt odium? tria tempora complectitur, præſens, præteritum, futurum? Incendium eſt cui ſi nunquam pabulum deficiat, non extinguetur. Voluntate paſcuntur odia, necnon intellectu quorum ſingula ſunt immortalia. Imò ſufficiat ne cauſam furoris emori, ut compeſcatur ille, neſcio: videmus enim inimicorum ſepulchris adhærere pertinacem rabiem viventium, nec reſtingui, ad inſtar igniculi in monumento reperti quondam Tulliolæ. Et econtrario plures ad tumulum odia ipſis oſſibus inviſcerata detuliſſe videntur. Ferinum eſt hoc, prout narratur de oſſibus leonis, ignem poſt feræ obitum emittere. *Oſſa leonis*, ait S. Antonius Olyſſipo. *præcipuè ſunt dura magis quàm oſſa aliorum animalium: & propter hoc quando colliditur unum cum alio, emicat ignis.* Et idem ex Ariſtotele reperies apud Conimbricenſes. D. Anton. Olyſſipo. ſer. Dom. 22. poſt Trinit. Conimbr. l. 2. de cælo c. 7. q. 6. art. 1. ex Ariſt. l. 3. d. hiſt. animal. c. 7.

Rixas: & fortè validiores exurgunt. Ardet lignum, & ſuffocatur: poſtea verò carbo factus ardentiorem priori concipit ignem. Pro *rixas*, legit Syrus, *judicium:* Arabicus, *dominium:* S. Athanaſius, *victoria.* De primâ expoſitione dubitabis an accipienda ſit ſumendo judicium in nominativo an verò in accuſativo? Judicet alter. Si primum eligas modum, ſenſus erit, vel quòd intellectus meditando cauſas odij veteres, iterum pugnam excitat quæ ceſſaverat: vel quòd judex ſententiam ferens contra iniquos movet occaſionaliter contra ſeipſum: vel quòd temerariè judicare de aliis, nimiúmve ſuſpiciosè gerere ſe, præparat viam diſcordiarum. Circa ſecundam & tertiam expoſitionem prælibabo quod alibi fortè proſequar, ſcilicet ſuperioritatem odio haberi ab inferioribus: hi quippe livore ſæpe langueſcunt: nam invidia nihil magnum exſurgere ſinit, & ſi non valeat impedire, ſaltem execratur: *& hic eſt odij ſcopus, infœlicem ex fœlici, miſerabilem ex beato aliquem conſpicere.* Sic Divus Baſilius: quid ergo D. Baſil. orat. 39. de invid. & odio, inter varias, 10. Horat. l. 2. ſat. 3.

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnêre miſer:

Suſtine potius audacter livorem: ſui namque met ille vindex, te non relinquet inultum. *Invidiæ impetus nulla noxa allata illi, cui invidetur, ipſi invido plagas incutit. Multa quidem invidiæ ſunt mala, unicum tamen etiam ineſt bonum: nempe quod nocumento ſit illi ipſi qui eâ æſtuat.* Hæc ibidem Baſilius. D. Baſil. proximè ſuprà.

4. *Et univerſa.* Quamvis præcedentia verba ſuadeant ſermonem hîc eſſe præcipuè de illis delictis quæ pugnarum occaſionem præbent; tamen vox iſta eſt adeo ampla ut probabiliter exponi valeat de omnibus criminibus. Nec inconveniens aliquod invenitur in eo quod una ſententiæ pars univerſalior ſit quàm alia. Sic textum quoad ſecundam partem intellexit Rodolphus hoc loco, dicens: *ubi eſt amor, etiam magnæ offenſæ tegantur, vel potius non cognoſcuntur. Candor enim amici omnia candidè interpretatur, imò celat amici commiſſa, & crimen pro crimine non habet,* &c. Rodolph. in Prover. 10. 12.

Delicta. Septuaginta verterunt ſic: *ſuper omnes autem non contendentes operiet amicitia.* Hæc lectio ſi juxta vulgatam interpretanda fuerit, exponenda eſt in hunc modum: ſuper illos inter quos nulla eſt contentio, expandit amicitia quaſi velum quo rixarum occaſiones veras, vel apparentes contegit. Et quamvis non deſit qui ſumat verbum *operit*, pro tuetur, non aſſignat rationem quare illud ita exponat in lectione Septuaginta interpretum; & non ſic in vulgata. Sed iſtis omiſſis, fruere S. Iſidoro Hiſpal. *omnem ergo amaritudinem fellis evome, & quoquo pacto volueris, charitatis dulcedinem ſume: nihil enim ſuavius, nihil illa beatius eſt: Deus (inquit Ioann.) charitas eſt. Et* Verſ. Septuag. S. Iſido. Hiſpal. l. d. conflict. viti. & virtu. ante med. ſub tit. Dilectio reſponder.

egregius prædicator : charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Unde neque immeritò delictorum facinora tegere dicitur : ſicut ſcriptum eſt : univerſa delicta operit charitas. Hæc Iſidorus.

Operit. coram Deo & hominibus. Coram Deo, inquam, nam intuitu charitatis perfectæ dimittit præteritas culpas : & coram hominibus, qui (pauciſſimis exceptis) cùm vident ſe jam ab eis diligi, quos olim putabant ſibi adverſarios, vel qui verè tales erant, obliviſci videntur cauſarum rixandi cum eiſdem. Sed quidam adeo mordicus in obſtinatione perdurant, ut proſtratum hoſtem urgeant, vulnerant, conficiant, pugnaci rabie ferarum propriâ. Nonnulli quidem tolerant ; ſed oderunt inimicum : & non ex charitate ſuſtinent. His objice Gregorium Pap. dicentem: *tolerare, ſed odiſſe, non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.* D.Greg.M. hom.17. in Ezech.to.2.

Charitas. Arabicus vertit *eleemoſyna.* Duas hîc video ſpirituales eleemoſynas ad quas adhortamur : prima eſt remiſſio injuriarum: ſic præteritas offenſas operimus oblivionis involucro. Secunda eſt tolerantia proximi oneroſi : & per hanc novæ altercationis anſam nobis abſcondimus ipſis. De priori charitate Auguſtinus ait : *eâ eleemoſynâ nihil eſt majus, quàm quod ex corde dimittimus quod in nos quiſque peccavit.* De ſuſtinentia verò dyſcoli, ſufficiat doceri à M.Gregorio, dicente : *bonus enim non fuit qui malos tolerare recuſavit.* D.Aug. in Enchyri.to. 3.cap.73. in princ. D.Greg.M. hom.35. in Evang.to.2.

DELIBATIO I.

Beneficij oblivio, injuriæ memoria, vindictaque ſuggillantur.

5. *Beneficij facilè ; injuria nuſquam obliviſcimur.*

MIrum erit cuique plaſmationem hominis animo revolventi, quomodo potuerit ille naturæ ſuæ conditionem ſic immutare, ut ex caute, non ex luto, fabrefactus appareat. Et adhuc mirabilius quòd cæteræ hominis partes vigorem ſenſim amiſere; ſolummodò cor in dies obduruit. Quinimò dignum admiratione longè majori puto, quòd idem cor cereum quibuſdam ſit impreſſionibus ; aliis adamantinum in eodem homine ſoleamus experiri. Doctor mellifluus. *Quid eſt*, inquit, *cor durum ? Ipſum eſt quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, non movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum eſt ad beneficia, infidum ad conſilia, ſævum ad judicia, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviſcens, præſentium negligens, futura non providens, ipſum eſt cui præteritorum, præter ſolas injurias, nihil omnino non præterit, futurorum nulla, niſi fortè ad ulciſcendum, proſpectio eſt.* Solito longius tranſcripſi, rapuit namque volentem ſtyli dulcedo. Expendere ſententias cunctas non vacat. Illud tantùm facit ad præſens : *præteritorum, præter ſolas injurias nihil omnino non præterit.* Lapidea ſunt hominum corda. Si ferro percutiantur, veſtigium remanebit non delendum ; ſi vero beneficium ibi ſeminet liberalitas, vento diſpergetur. In memoriæ auxilium aliquo fragilitati ſuccurrendum eſt præſidio, cùm de gratitudine agitur : at offenſam non obliturabit annorum ſeries univerſa diruens. D.Bern.l.5. de conſid.

Amanum adulationis idolum, fortunæ artefactum, ſuperbiæ monſtrum adorabant cuncti ſervi regis, ut ei qui ſic juſſerat morem gererent. Mardochæus renuit execrandam humilitatem, ſeu potiùs vilem abjectionem exequi. Excanduit ille tumens faſtu, ac totius Hebraici populi, ad quem attinebat. Mardochæus, obtinuit ab Aſſuero necem, adhibitis nonnullis machinis, quaſi opus eſſet iſtis ad flectendum regem, qui ſe ipſius nutui ſervili dilectione tradiderat. Accedit Eſther, mortis periculo ſe committens ut populum eripiat ſuum : dolorem tandem aperit, ſupplicationem offert, Amanique machinationes ita diſſolvit, ut non ſolùm ipſum patibulo fecerit adjudicari ; ſed eâdem decimatertia die, quæ cædi Judæorum electa fuerat, econtrario de hoſtibus Hebræi ſe vindicaverint occiſione plurimâ, quæ in civitate Suſan ad ſequentem diem prolata eſt. Poſtquam hæc geſta ſunt, ſcripto nuntiavit Mardochæus, & miſit ad Judæos, *ut quartam decimam & quintam decimam diem menſis Adar profeſtis ſuſciperent, & revertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore : quia in ipſis diebus ſe ulti ſunt Judæi de inimicis ſuis.* Et cur non etiam tertia decima dies feſtiva ſolemnitate celebranda? ad quid inſtituuntur ſequentes duo feſtivi dies ? Liranus ait : *conſtitutæ ſunt ſolemnes apud Judæos univerſos, ut eſſent memores beneficij divini his diebus eis dati.* Benè. Sed nonne decimatertia die maximum recepere Dei munus in eo quod ea luce internecio parata caruerit effectu ? Innuit ſacer textus circumſtantiam diei hujus eſſe meditatione dignam. *Igitur duodecimi menſis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, & hoſtes eorum inhiabant ſanguini, verſa vice Judæi ſuperiores eſſe cœperunt.* Memorabilis ergo eſt decimatertia dies Iſraëlitis utique : ſed hunc nulla deletura fuerat oblivio, quia dicatus erat ipſorum injuſtæ interfectioni, & occaſione injuriæ in hanc diem decretæ, lux iſta nunquam excideret memoriâ. Duobus ſecuturis diebus hæc ratio ceſſabat. Igitur ne hi ſepelirentur obliviis, oportuit quòd in poſterum ſingulis annis feſto ſolemni recolerentur. Perpluat munera cælum : diffluunt velut aqua pluvialis ſupra lapidem. Lædatur ab homine homo : ferrum impreſſit molli ceræ : Primum ictum nunquam obliviſcetur. Eſth.9.21. 22. Lira ibi. Ibi n.1.

6. *Vindictam parare delerem auget.*

Dolet vulnus, inquis, & vis ut oblivione ſanetur ? Nulla eſt ars humana, quæ memoriâ non indigeat ; quomodo ergo medicinæ hujus præceptum primum eſt ut obliviſcar ? Dicam : Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem. Recordatio eorum quæ tibi congruunt ut cureris, à me non diſſuadetur ; ſed alia quâ malum auges, quod pateris. Meminiſſe debueras ut dolorem lenires clariſſimorum

rissimorum heroum, qui similia fortiter perpessi sunt: necnon passibilem tibi conditionem dedisse opificem supremum; non invulnerabilem: & si frangitur, quid excandescis? Luteum erat vasculum. In animam vulnus à manu hominis inflictum non descendet, nisi tu velis. Hæc necnon similia, quæ probe nosti, oportebat in memoriam revocare. Istorum loco tu dolorum causas reminiscentiâ versas assiduâ? recrudescit ulcus, quia huic applicas læsionis memoriam, quæ tam longè abest à medendo, quantùm ex verbis Climaci perspicies.

S. Ioan. Climach. in scal. grad. 9. *Memoria injuriarum est furoris complementum, peccatorum custos, justitiæ odium, virtutum perditio venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, charitatis alienatio, clavus infixus animæ, injucundus sensus qui in amaritudinis suavitate diligitur, juge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia.* Quinimo esto quòd abesset omnis umbra peccati, vindictam etsi justissimam parare, dolorem auget.

Audi quid ipsum Deum omnis imperfectionis expertem pro eruditione nostra dixisse referatur. Corruperat omnis caro viam suam Noëmi temporibus. Cernens hoc

Gen. 6. 6. 7. æquissimus rerum Arbiter, *tactus dolore cordis intrinsecùs, delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ.* Hujusmodi sceleribus aliud multò majus ausi sunt homines, cùm ipsum Dei Filium cruci affixerunt; & tamen non tunc lego æternum Parentem dolore cordis intrinsecùs de crimine tam execrabili tactum. Cur non ita refertur? Passionis tempore Deus injurias non vendicabat; sed patientissimè sustinebat, & offensa quandiu non vindicatur minùs angit. At verò culpas, quæ diluvium promeruere, Deus (licet justissimè) parabat ulcisci: ideo dolore cordis tactus intrinsecùs asseritur; non quasi Divinitas cruciatus capax sit; sed quia cùm humano more de Domino fiat ibi sermo, conveniens fuit hominibus proposuisse Deum magno dolore affectum dum de ultione agebat, ut exinde colligere liceret offensam tibi fore duriorem si velis ab offensore sumere pœnas. *Intellectui nostro planum*, ait Rupertus, *facere intendit quod satis explicare nullus sermo sufficit, videlicet quomodò Deus sine motu sæviat, & sine crudelitate occidat, quomodo salva pietate ultionem, & cum tranquillitate agat, vel habeat furorem: nam quemadmodum parturiens illud quod concepit non sine sensu doloris emittit: & tamen dolere mavult, quàm non emittere quod concepit: sic Deus non sine sensu pietatis profert sententiam judicij.* Ex his vide quàm tibi congruit offenso non reddere pro malo quod meretur injurius. Si vindicare vis, *sile, & funestam adversario desti plagam.* Hæc ex Chrysostomo.

Rup. l. 4. in Gen. c. 15.

Chrysost. super Ioan. ho. 47. fine. to. 3.

7. *Spem vindictæ pati, difficilius est quàm injuriam sustinere.*

Quasi foret ultio conveniens vulneri medicamen, spe vindictæ mitigare dolorem cupiunt mortales, & stultè nimis. Christiana sapientia dedocet mundi leges. Secundum illam ultor injuriæ propriæ feritur; non autem qui ab iniquo læditur. *Cogita quòd qui cæderis vincis, ille autem qui cædit vincitur, & totum per hoc curabo.* Ne rejicias medicamentum oblatum à Chrysostomo. Sed heu renuunt insani manum periti medici: possent veniâ hostilem flectere animum, & malunt odium alienum stimulare ne proprio amori defuisse videantur. Spes vindicandi quod pateris anchora est: ad quam alligatus in iracundiæ fervens mare demergeris, quamtumvis dolenda tibi nimiùm videatur offensio, difficilius est spem vindictæ pati.

Chrys. hom. 31. in act. tom. 3.

Inter Iacobum & Esau præcedentiæ ordinem natura dedit, sors annuente Deo commutavit. Benedictionem quæ jamjam à patre parabatur prius nato, Iacob mysticè fratrem simulans præripuit. Indoluit vehementer Esau, sed ultionem distulit: *dixitque in*

Gen. 27. 41. 42. 43. *corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. Nunc ergo fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge.* Vel citiùs videbatur fugiendum vel tardiùs. Provida genitrix, sicut consuluit ut benedictionem quæreret, moneat ut statim ac eam accepit à parente, declinet iram Esau, de qua nullus dubitaret. Si periculum non est in mora quandiu Isaac vivit, superfluum est peregrinationem Iacobo suadere genitore superstite. Esau mortem comminatur non statim exequendam, sed post obitum Isaaci: dilectum filium ante discrimen Rebecca dimittit! Sapienti consilio mater usa fuit, quasi diceret: non tibi consului gnate, ut statim atque paternam benedictionem susciperes, fratris iracundiam devitares, quia licet non ignorarem ipsum ægerrimè laturum se postponi, tamen non adeo intenso dolore tunc percussus est cùm iræ occasio accidit. Nunc video ipsum differre spem vindictæ usque ad patris tui mortem: & vereor quòd spes ista sic illum torquebit, ut impatiens Esau, festinans hoc evadere tormentum, citiùs te necet, quàm pater emoriatur. Fuge igitur: non enim de fratre tuo confido quòd spem ultionis diu patiatur. Ita dirè cruciat expectatio seipsum ulciscendi. Favere videtur Lipomanus, dicens: *gravi odio ad tempus persequebatur fratrem, recente scili. adhuc vulnere. Severiore consilio usus comminatur mortem unico fratri.* En habes dilatæ vindictæ minam à diriori malevolentiâ prodivisse. Quare, nisi quia interim spes ultionis eum faceret amplius excandescere? Et hæc est medicina quam vulneribus tuis applicas? Spem vindictæ? Augmentum ægritudinis vices remedij non agit.

Lipoman. in 27. Gen.

8. *Non sine dolore solabetis injuriam ultione.*

Aliquid iterum audere liceat, ut vel sic amorem vindictæ tanquam intima cordis transverberantem sagittam pertimescamus. Ipse Deus si fas est dicere) cum stylo humano de vindicta loquitur capessenda, ingemiscere dicitur: non quia patiatur impassibilis; sed ut videas fieri non posse quòd sine gemitu consoleris ultione sensum iniuriarum. Audiamus loquentem Deum apud Isaiam. *Ait Dominus Deus exercituum fortis Israël: Heu consolabor super hostibus*

Isai. 1. 24.

meis, & vindicabor de inimicis meis. Heu, gementis interjectio eſt: nam licet nonnemo putet inſultationem potius deſignare; Sanct. in 1. Iſa. n. 59. tamen *omnes omnino* (teſtatur Sanctius) *interjectionem dolentis eſſe exiſtimant.* Inſuper non qualiſcumque ſed magnus dolor ibi deſcribitur ex Ruperto. *Non leve eſt quod* Rup. l. 1. in Iſai. c. 7. *Dominus exercituum dicit: heu, non parvi ponderis eſt quod fortis Iſraël dicit: heu. Grandis cauſa eſt, magnus dolor eſt, quâ afflictus iſte fortis, iſte Dominus exercituum dicit: heu* &c. Imò etiam lachrymabilem hunc dolorem inſinuant adeo flebiles voces: Pinto in 1. Iſai. *heu conſolabor:* ubi Pinto Luſitan. inquit: *volens pœnas ſumere prius ingemit & plorat. Eſt enim particula, heu, interjectio dolentis & plorantis. Plangit clementiſſimus Pater Judæos infideles & ſceleratos.* Hoc fortè ſumpſit commentator ex D. Hieronymo di- D. Hiero. to 5. l. 1. in Iſai. c. 1. cente: *ſubdit: heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Plangitque clementiſſimus Pater principes delinquentes.* Cùm hæc ita ſint, diceret aliquis: vel ne appelletur hoc loco Deus fortis, vel ingemiſcere ne dicatur: non convenit fortitudini cum gemitibus. Reſpondeo. Nec ſemper anxietudo ſequela infirmitatis eſt: cruciatur ſæpe robur. Fateor in Divinitate non cadere tormenta: ſed nobis erudiendis hæc ſcripta ſunt. Cum Deus introducitur conſolationem ſibimet accepturũ ſtatuens per juſtiſſimam vindictam ab inimicis fortitudinis ejus fit mentio. Sic monemur ne quiſpiam vana ſpe deluſus fingat ſe per ultionem adepturum ſine dolore ſolamen injuriæ, præ fortitudine ſua: cùm Deo hic tribuatur interjectio dolentis, & fortis nominetur. Novi præcipuum citati loci ſenſum eſſe quantum divinæ juſtitiæ miſericordia ſocietur: ibi namque videre eſt Dominum de ipſa, quam decreverat, hoſtium ſuorum percuſſione miſerentem proferre mæſtum heu, quaſi percutiendus foret ipſe flagello ſuo. Verùm hoc non vetat quòd aliter, ut prædixi, poſſimus non improbabiliter ad mores velitari, cùm præbeat nobis anſam qui ſeverus eſſe frequenter ſolet ſacri textus interpres Cornelius à Lapi. qui non contentus cum eo quod pietas dolore (noſtro intelligendi modo) crucians Deum ſe concomitanter habuerit ad vindictam (ſcholaſticè loquar) A Lapid. in Iſai. 1. 24. quaſi formaliter ſe habere judicat. *Deus*, inquit, *nolens, & quaſi dolens peccatorem punit, & affligit: quinimò idem in Deo eſt affectus quo vindicat punitque, & quo punito condolet, & compatitur.* Vindicando ſolari dolorem tuum exiſtimas. Non inficior: ſed heu triſte medicaminis acerbitas extorquebit. Ergo ne vetuſtas inimicitias ut penè immortales foveas, vel jam ferè ſepultas ex- Ariſtot. l. 2. Reth. c. 21. cites. *Iram immortalem cùm ſis mortalis non ſerva*, dixit Ariſtoteles. Honoris pulchro vocabulo ne celes malevolentiæ peſtem: non honor ſed *odium ſuſcitat rixas.* Inter animalcula vindictam plus amant ea quæ viliora ſunt: & credis animalium perfectiſſimum ultione decorari? Utinam te introſpiceres cùm furibundâ vexaris offenſam ulciſcendi cupiditate: nonnihil fœditatis exit in faciem, quæ turbidum illum comitatur affectum. Quid erit intra domum, ſi parietes igneſcunt? *Ira*, inquit Seneca, *dirum quiddam atque horridum ſtridens, omnibus per quæ furit tetrior. Ut de cæteris dubium ſit, nulli certè affectui pejor eſt vultus, quem prioribus libris deſcripſimus, aſperum & acrem, & nunc ſubitò retrorſum, ſanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore ac ſpiritu verſo ſubrubicundum, & ſimilem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exilientibus, nunc in uno obtutu defixis & hærentibus.* Nihil ex his verbis detraxi ne diſſiparem picturam eruditionis penicillo coloratam: hæc eſt enim vera & fœda effigies irati. Conjice quàm trucior ſit prototypus: maculantur exteriora fuligine, quia intus exardet flamma. *Neceſſarium enim*, ait Chry- Chryſoſt. ho. 41. in Act. tom. 3. ſoſtomus, *apud te ſemper flagrare ignem, & incendium in tantum incendens non ſinis decreſcere, cogitans inferre alteri malum, ipſe autem teipſum mordes, ſemper flammam vigeſcentem ferens, & animam interquieſcere non ſinens, ſed ſemper in exaſperatione, & in turbatione, & in tempeſtate mentem habens.* Senec. l. 3. de ira c. 3. & 4.

DELIBATIO II.

Amor offenſam operit, & transformat, ingratos quandoque præferens, & ulciſci pudens injuriam.

9. *Offenſam operit amor.*

AD poſteriorem hujuſce verſus partem deſcendo ſubjectam perſequens materiam, ut injurias vindicare neſcientes vendicem ab injuriis. Inertes appellat mundi barbarum idioma quos ab aliis læſos malum pro malo non reddere videt: quaſi non potiùs odium ſtultiſſimè cæcum eſſe præcipitia quæ libens quærit, oſtendant. Econtrà ſi charitatem perſpicacem dixero, rem tibi notiſſimam inculco. Plus audeo: charitas lumen eſt ſine qua cæcutiunt mentis oculi. *Sicut qui*, ait S. Laurentius Juſtin. *videre* D. Laur. Juſt. in l. vit. c. 2. d. chati. *vult neceſſarium eſt ei, ut illuſtretur lumine: ita qui ſalvari deſiderat, eum oportet habere charitatem.* Hoc lumine ſic illuſtratur intellectualis acies, ut ingenium, dilectione præfulgente adinveniat quod ratio naturalis judicat impoſſibile. Quid clarius, quàm neminem poſſe facere quod non fuerit quod jam præceſſit? Etiam tyronibus Philoſophis hoc eſt apertum. Philoſophiam interpretari ſolemus amorem ſcientiæ: tamen aliud eſt quod amor ſcientiæ docet; aliud verò quod amoris ſcientia ſuadet. Iſta monet præteritas injurias velut non acceptas æſtimare, quaſi ſupponeret vel inſinuaret dari potentiam ad præteritum. *Vniverſa delicta operit charitas,* Vatablus. inquit hoc loco Salomon vertit Vatablus: *charitas condonat aliis omnia delicta.* Scis Chryſolo. ſer. 3. illud notiſſimum Chryſologi de prodigi patre dicentis: *peccanti filio dat oſcula, non flagella. Delicta non videt vis amoris.* Amor non qualitercumque remittit, ſed operiendo crimen, ita ut ipſimet offenſori ſuadere conetur injuriam non intuliſſe conniventi, generoſoque animo.

Vide,

Vide, quæso, quomodo cum fratribus in Ægypto se gesserit Joseph. Postquam extraneam personam exuit, dixit ad illos: *non vestro consilio: sed Dei voluntate huc missus sum.* In textu sacro reperitur perspicuè narrata Josephi venditio fratrum arbitrio peracta. *Melius est* (inquiebat Iudas) *ut venundetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur? frater enim & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius.* Quo igitur pacto non fratrum consilio se in Ægyptum venisse asseverat? & hoc ipsis venditoribus inculcat? Charitatis ingenium hoc fuit. Gravissimè læserant germani Josephum, vendentes ejus libertatem quæ toto non benè venderetur auro. Sed quia dilectioni ferventissimæ non satis est dimittere, sed cupit amare injuriam: apprehendebat hujusmodi suam in Ægyptum remissionem, quasi non injurioſe à fratribus executa fuerit; sed opus Dei esset, ac proinde amari dignissimum. Venditoribus affirmat suis id non eorum electione, sed voluntate Dei factum: vellet namque sic acceptam injuriam operire; ut etiam è mente illorum qui læserant deleretur. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum:* ubi Rupertus: *cùm, inquam, hæc dicit, non culpam eorum nullam facit, sed pro conscientia animi timore perterritis, nec audentibus loqui, sceleris sui magnitudinem ad horam subtegere, ut sapiens medicus satagit.* Appositè Rupertus medici hoc meminit, fortè quia solet ægroto extenuare morbi sui opinionem, ne animo cadat.

Gen. 45. 8.

Ibi c. 36. 27.

Ruper. l. 9. in gen. c. 12.

10. *In ipsa injuria invenit amans quo se devinctum obligatione fateatur.*

Celari desiderat adeo charitas acceptam à delictis læsionem; ut ipsam obsequij coloribus obnubilet, ac beneficio similem reddat. Scala patientiæ quinque gradibus assurgit. Primus est, offensionem sustinere: secundus non ulcisci: tertius condonare: quartus diligere: quintus gratificari. Primi quatuor humanitatis nomine veniant; quintus autem divinum quid videbitur. At *Deus charitas est.* Non parum extollis animi celsitudinem, si læsus oblivionem adhibeas ulceri medicando. Sed quod magnificentiæ cordis foret satis; amoris magnitudini sat non est. Nosti summam ingratitudinum quænam sit: Nempe motiva lædendi benefactorem ex donis acceptis eruere. Amor igitur econtrariò supremum suum facinus exinde metitur, dum scili. in ipsa injuria rationem invenit cur se munere obstrictum fateatur.

1. Ioan. 4. 16.

1. Corint. 13. 4.

Sed quia, ut Apostolus ait *charitas patiens est*, quæ de amore præmisi, de patientia ex Cassiodoro in psalmos audiamus: *patientia*, inquit ille, *est quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo non murmurando, sed gratias agendo.* Vide an fortassis mens Cassiodori fuerit asserere quod patientiæ adeo est invulnerabile scutum, ut quod esse potuerat querelæ occasio, quasi obsequium acceptum computet. Cùm de sui sacratissimi corporis monumento Dominus loqueretur, seipsum cum Jona conferebat, inquiens: *sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Similitudinem istam si maturâ ver-

Cassiod. in psal.

Matth. 12. 40.

semus expensione, videbitur nimis à typo figuram discordare. Propheta vivus, & inobediens descendit in ventrem cæti, postquam tempestati fugam capiens occasioni præbuerat. Non ita Servator, qui factus obediens usque ad mortem, vita functus introducitur in Sepulchrum, quin suæ passionis procellæ causam submiſtraverit, ut vel Pilatus falsus est affirmans nullam in eo causam invenire. Valde igitur dissimilis videtur hæc allegoria. Nonne aptiorem aliam sumere posset ex Lazaro? In dierum numero quidem Christus & ille discordant; sed consonant in pluribus: nam & Lazarus verè defunctus redditus terræ fuit, reipsâ jacuit in tumulo. Magdalenæ lachrymas excitavit ejus mors, & vitæ denique restitutus est. Redemptor mortem obiit: non tantùm clausus extitit, sed sepultus, ac miraculo resurrexit: & ne vel ista deficeret circunstantia, etiam Christi Domini mortem deploravit Magdalena. *Maria Magdalena plorat ad crucem, verè turris Libani quæ respicit faciem Damasci, sanguinem videlicet Salvatoris*, inquit S. Hieronimus. Componat ergo se Lazaro Dei Filius; non Jonæ. Congruentiorem reputavit prophetæ casum: quia Lazarus nihil monumento suo debuit, quod nec ejus ligamina consumpsit ut expeditus exiret; maximè verò suo viventi quasi sepulchro debitor vates dici potest quodammodo: eò quòd in aridam securum projecerit: *piscis tertia die Jonam in portu evomuit, & mors in tertia die Christum firmitati vitæ restituit.* Sic D. Anselmus. Itaque Divinus Magister utitur similitudine Jonæ ceto morantis, ita volens insinuare se velut obsequij loco reputare tumuli hospitium, sicut natans machina bruti quasi devinxit obligatione vatem ex pelago deferens in portum. Læsit verè Dominum ingratitudo, quando sicut Damascenus ait, *qui hominem ut in terram converteretur, damnaverat, in terra sepultis oblivionique traditis nunc annumeratur*: sed qui obruebatur oblivione, sibi visus est gratulari, & injuriam vertere in obsequium, ac si benevolè mitteretur in terræ cor: *erit Filius hominis in corde terræ.* Altius ut ascenderet amoris flamma, gratitudinis motivum adinvenit in ipsâ querimoniæ causâ.

D. Hieron.

S. Anselm. to. 1. enarr. in cap. 12. Matth.

S. Ioan. Damasc. hom. in Sabb. sancto.

11. *Amanti quandoque præfert ingratos dilectio.*

Necnon ut seipsum Divinus amor detriumphet, amanti præfert dilectos hostes, videns amatori suo deberi dilectionem; adversarios verò merè gratis amari. Signum hujus est liberalitas, quâ per gratiæ donum ex inimicis reddit sæpe amicióres eis qui nunquam Divinam deseruerunt amicitiam: quod nihil aliud est quàm ad latus illos collocare suum, & insontes relinquere tantùm in conspectu. *Et aliquando*, ait S. Antoninus, *tales conversi quantò fuerunt majores peccatores, tantò fiunt in Dei amore ardentiores: & secundum illud dicit Salvator Lucæ* 15. *quod gaudium est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia: quia scili. talis, etsi priùs magnus peccator, conversus ardentior efficitur in Dei amore, quàm multi innocentes.* Hinc fit ut si quem

S. Antoninus P. 4. tit. 5. c. 14. §. 3.

deſerturus eſſet Deus, vel ingratum, vel amantem: hunc derelinqueret, ne deſertionem pateretur alter.

In cruce pendens æterni Patris Filius quæſivit ab eo cur ipſum dereliquiſſet. *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Reſponſum non accepit, quia ſciens interrogabat. Quæramus nos idem: forſan edocebimur, quia ſciſcitamur ut ſciamus. Dixerat Apoſtolis benigniſſimus Magiſter paſſioni proximus: *& non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* Comitatur eum Pater in belli præludio; deſerit in Calvariæ conflictu? Sic oportuit. Ante pugnam Genitor poterat nec homines deſerere, nec Redemptorem. Cùm inſtabat redemptionis per mortẽ conſummandæ tempus, niſi cruciatuum ſævitiæ relinqueret Unigenitum, humanum genus abſque remedio captivum dereliquiſſet. Utrumque diligebat Summus Parens: Filium ſuadente ſic hujus amore perfectiſſimo in Patrem; homines autem eorum nimia ingratitudine non obſtante. Quid eligeret amor? Tradidit amantem neci, ut hoſtes eriperet ingratiſſimos. Ad prædicta Domini verba non ſine pondere dixit Origenes: *pro ſalute gentium dereliquiſti me.... quid tale facturi ſunt homines pro quibus patior iſta, ut pro eis ego patiar hæc?... forſitan autem & videns peccata hominum, pro quibus patiebatur, dicebat, quare me dereliquiſti?* Mira quadam velut antiperiſtaſi, oppoſitum ſibi vitium ingratitudinis majori conatu ferit amoris pennigera ſagitta: quæ à ſaxeo ingrati pectore dum reſilit, in ipſum refigitur amorem: & ita propriis armis hic manet ſaucius qui non timet aliena jacula.

Matth. 27. 46.

Joan. 16. 32.

Orig. hom. 35. in Matth.

12. *Fortè Deus habet ſe quaſi puderet offenſas ulciſci?*

Utinam frigida corda tanto, tamque vicino corriperentur incendio: cùm *non longè ſit ab unoquoque noſtrum* ille de quo dicitur: *ignis conſumens eſt.* Heu: cinis eſt homo: non ſolent cineres igneſcere applicatâ flammâ. Sed tu qui Dei amorem in hoſtibus clementiâ proſequendis imitari recuſas: quod non agis dilectione proximi, ſaltem exequere proprij honoris affectu. *Quam pulchrius eſt* (inquit ſemichriſtiano ſtylo Seneca) *velut nulli penetrabilem telo, omnes injurias, contumeliaſque reſpuere? Ultio doloris confeſſio eſt. Non eſt magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit: ſi imbecillior, parce illi: ſi potentior, tibi.* Iſta dixit Ethnicus, qui non audierat: *ſi quis te perCuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:* nec illud: *ſi autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Et inſtructi fide, premio largiter allecti, exemplis illuſtrati vindictam quærunt? Fortè reſpondebis Deum etſi clementiſſimum, injurias ſibi factas vindicare non ſolùm obſtinatorum, ſed pœnitentium. Attende quantùm diſtent una & altera ultio, ne leviſſima ſimilitudine decipiaris. Deus ulciſcitur ut medeatur punito, vel aliis, vel utriſque; tu verò ut delecteris. Adde quòd non tibi punitio incumbit; Deo maximè. Fateor & humanam, & divinam eodem vindictæ nomine nuncupari: cùm tamen illa in homine privato peccaminoſa ſit; in Deo ſanctiſſima. Tamen quomodo, quantum eſt ex ſe, Deus in ſua ultione complacebit, qui noſtram diſſuadet? *Ulciſci autem non deſideraverit qui pro iis qui nobis faciunt injuriam, orare docuit.* Sic ait Clemens Alexan. Quin potiùs inde naſcitur quòd cùm Deus videat ſuum æquiſſimum ſupplicium tuæ iniquæ vindictæ (prout judicas) ad ſpeciem aſſimilari, eum veluti pudere videatur quòd ipſum propriam vindicare offenſam notum ſit.

Matth. 5. 39.

Ibi 6. 15.

Clem. Alex. l. 1. Pedag. c. 8.

Hiſtoriam Jonæ ſupra tetigi: nunc iterum ibi nonnihil expendam. Juſſerat Ninivitis denuntiare Dominus exitium. Recuſat vates: cùm enim agnoſceret divinam benignitatem ad eorum pœnitentiam facillimè flectendam iri: vel noluit mendax haberi, vel incaſſum laboraturum eſſe credidit. Conſcendit navim euntem in Tharſis: oboritur tempeſtas: periclitantur nautæ: mittuntur ſortes, quibus aperitur Jonam procellæ dediſſe crimine cauſam. Ipſo monente projicitur in mare, ceſſavitque ſtridens æquoris furor. *Tulerunt Ionam, & miſerunt in mare: & ſtetit mare à fervore ſuo.* Tunc à ceto deglutitur, & intra ipſum tutus navigat. Æquum putares ut Propheta concluſus piſce fortiùs quateretur fluctibus, quàm dum navi ferebatur antea fugitivus. Nam cæteri nautæ pro fugâ Jonæ quid meruere pœnæ? Propter unicum illum periclitantur cuncti! poſteaque dum ſolus clauditur in immani bellua ponti, fruitur undarum tranquillitate? Non tantùm pacatè, ſed benignè, velutique gaudenter exceptus eſt à gurgite Jonas; quamvis prius iraſceretur ſalum ſatis minax, ut indignationem divinam executioni daret. *Stetit mare*, ait S. Hieronymus, *quia invenerat quod quærebat: velut ſi quis perſequatur fugitivum, & concito pergat gradu, poſtquam fuerit conſequutus, deſiſtit currere, & ſtat, ac tenet quem apprehenderit: ita & mare quod abſente Iona iraſcebatur, in viſceribus ſuis deſideratum tenens gaudet, & confovet, & ex gaudio tranquillitas redit.* Cur ita? Contigit ſic, quia cùm ſorte apparuerit illam tempeſtatem à Deo miſſam in vindictam injuriæ, quam acceperat à Jona: Dominus voluit ab ultione ceſſare tam publica, utpote qui, cùm de clementia potius velit honorari, quaſi pudore ſuffunditur quodammodò cum vindicat injuriam. Quandiu turbinem à naturalibus cauſis ortum videri poſſet, iſta ratio non urgebat: ideo tunc vates pœnam ſubiit per ventorum furiam immitem. Igitur ne putes ferocitate decus te comparare: ne te vilipendant homines ulciſceris? *Quod Deo parem facit non ulciſci, hoc riſum eximas? non propterea digni ſumus qui ridemur, & à nobiſmetipſis, & à Gentilibus, cùm ita Deo contradicimus:* ait Chryſoſtomus. Deum ſequere, qui peccata diſſimulat ut pœniteas. Ipſe charitas eſt: *& univerſa delicta operit charitas.*

Jonæ 1. 15.

S. Hier. in Jonam, c. 1. fine.

Chryſoſt. to. 5. hom. 30. ad popul.

DELI

DELIBATIO III.

Amoris & odij similitudo, quin hoc vertatur in illum; econtrà verò maximè. Odij causa dormit, non extinguitur. Superiorum solùm timeri cupientium reprehensio.

13. *Amor in odium vertitur facilè; non econverso.* Incertus D. Aug. to. 4. l. de substant. amoris c. 1.

ODium contentionum causa pronuntiatur hoc loco. Sed proprium odij tantum est id ? Rixas etiam suscitat amor humanus : nam (ut fortè Augustinus) *ex amore est totum quod bonum est, & totum quod malum est.* Hîc tamen video de amore taceri quod asseritur de odio : fortassis ergo quia non oportebat amoris tam imperfecti apertè meminisse : nam & iste significari valet odij nomine. Quàm similia sunt odium & malus amor : cæcus uterque neuter obtemperat rationi : pariunt ambo vesaniam. Idcirco improbus amor tam facilè vertitur in odium, quia valdè similium facillima conversio. Si putas ex eâdem similitudinis ratione deduci, pari facilitate odium in amorem commutari, falleris : & rationem assigno. Amor humanus flamma est, ut non dubitas : ideo namque tam citò extinguitur, quàm velociter ejus materia fugit. *Nam nec flamma consumptâ materiâ remanet, sed unà cum eâ extinguitur, nec cupiditas marcescente fomite subsistit.* Sic Nazianzenus loquens de corporum dilectione. Effectus odij comparantur fumo. Apud Isaiam hostilis exercitus proponitur ænigmate fumi. *Ab Aquilone enim fumus veniet & non est qui effugiet agmen ejus.* Et Siracides maledicta contumelias & minas fumo componit. *Ante ignem caminii vapor & fumus ignis inaltatur : sic & ante sanguinem maledicta & contumeliæ & minæ.* Sicut ergo ignis non difficilè abit in fumum, fumus autem nequaquam mutatur in ignem : sic amor in odium transit ; non autem passim videbis odium in amorem converti.

Nazian. orat. 20. d. laud. Basil.

Isai. 14. 31.

Eccli. 22. 30.

Violavit Amnon filius David Thamar sororem, quod patrem non latuit, nec leviter affecit mœstitudine. *Cùm autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valdè.* Dubitare obvium est quare non applicuit paternâ prudentiâ remedium conjugij filiæ suæ damno ? Poterat, ut quibusdam apud Hugonem placet, Amnon ducere Thamar uxorem, eò quòd non esset hoc in lege veteri prohibitum fratribus illis, qui non ex utroque parente tales erant & sic se habebant Thamar, & Amnon. Propterea fortè dum pudicitiam defendebat illa dixit ad fratrem : *quin potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi.* Non videtur mihi verosimile quòd in hoc mentita fuisset : nam quomodò putaret illa se decepturam esse Amnon in re de quâ meliùs hic quàm ea sciret quid juxta legem fieri posset, vel prohiberetur. Adde Liranum ibi ad n. 16. *poterat eam accipere in uxorem.* Igitur prudentissimus genitor malo isti occurrat, honorem filiæ tueatur, curans ut Amnon Thamati nubat. Eccur non ita se gerit Rex ? Infœlicem forsan timuit matrimonij exitum qualem deplorare solent illi conjuges, qui se mutuò non diligunt. Innotuit Davidi, vel saltem suspicatus est, amorem Amnonis versum fuisse in odium, de quo textus ait : *& exosam eam habuit Amnon odio magno nimis.* Non credidit odium iterum fore transmutandum in amorem : & quia violatorem suum accipere conjugem torqueret flebilem puellam, semel quòd non dilectione mediante conjungerentur, David minimè providit hoc matrimonium, quasi diceret : insanus Amnonis amor abiit in sævam simultatem ; non tamen simultas in dilectionem revertetur. Nihilominus ut stet amoris odiique similitudo, satis est quòd ille in istud infœlici, facilique, transeat metamorphosi : quam videtur insinuare Philo Carpath. loquens de amore impuro ; *omnisque talis, & amor, & amicitia in sempiternas ipsis vertetur inimicitias, odiumque pestiferum.* Et ad supra datum locum expendens motivum odij Amnonis, ait Sanctius : *illa verior ratio, amorem malè conciliatum non esse diuturnum, & ex brevi voluptate, & amore, quæ non peperit virtus aut honesta ratio, implacabiles oriri inimicitias, & dolores æternos.* Hæc ut faciliùs verificentur, oportet amorem humanum & odium esse mutuò simillimos : aliter non esset adeo frequens amoris in odium conversio.

Ibi n. 13.

Philo Carpath. in Cant.

Sanctius in c. 13. l. 1. Reg.

Præterquamquod cæcus amor quandoque lædit amatum (*amicitia semper prodest : amor aliquando nocet*, ait Seneca :) & sic amans odienti sæpe non ex toto dissimilis est. Sol interposito vitro imitatur ignem. Amor cùm judicij fragilitas mediat, odij munus perficit : intendens re dilecta frui cæcutit adeo, ut cor sibi gratissimum percutiat, imò sibimetipsi pariat injuriam.

14. *Amor humanus quandoque lædit amatum, sibique parat injuriam ab eodem.* Sen.

Ne à domo Davidis abeamus. Ille surgens post meridiem, & statim cadens, in solario noctem criminis invenit. Vidit Bethsabee : Numinique ac majestatis decori clausit oculos. Concepit mulier & regi denuntiavit. Vocavit Urias, ac jubente Davide occiditur hostium gladio, & ab uxore lugetur. *Audivit autem uxor Uriæ, quòd mortuus esset Urias vir suus & planxit eum.* Et quamvis Lira doceat fictum fuisse hujusmodi ploratum : oppositum probabile censeo. Lentiùs procedit Sanchez dicens minus doluisse, quàm oporteret ! *non est incredibile minus illi conjugis eædem dolori fuisse, quàm pudicam deceret, & amantem viri.* Igitur fatetur quòd aliquantùm doluit. Nec obstat quòd mors Uriæ fuit utilis Bethsabetæ ad conjugium acquirendum cum Davide, necnon ut expectaret adulterium celare, ac ignorato crimine lapidationem effugeret, cui damnabat illam divina lex. Nam ad hæc dici potest, eam non habuisse fundamentum ut crederet mortis viri sui fore consequentiam infallibilem desponsari Davidi : imò nec probabilem, quia non solent reges cum eis quas inhonesto amore prosequuntur matrimonium inire. Ad secundum dicerem quòd vel putavit Bethsabee scelus à maje-

2. Reg. 11. 26. Lira ibi.

Sanct. ibi.

Aliqui apud Hugo Card. ibi n. 13.

Ibi n. 13.

Lira ibi ad n. 16.

ſtate commiſſum facillimè celandum abſque cæde Uriæ, parvipendiſſe notam criminis, in quo regem complicem habuit. Lapidationem effugere non mirum ſi ſperaret nixa poteſtate regis. Ex quibus patet non improbabile quòd verè doluerit de mariti obitu : nec enim eſt cur non ut ſonat accipiamus textum. Unde quæro : ad quid adjecit adulterio David homicidium? Ut dilectam Bethſabee dolore afficiat ? Illa dolens conjugis interitum offendit amorem Davidis : nam ſic videbatur præferre vitam Uriæ affectui quo proſequebatur eam præceps Monarcha. Si rex cupiebat gratâ Bethſabethæ pulchritudine frui, conſortem ejus quoad vixerit abire jubeat in remotiſſimam regionem ſub negotiorum prætextu : ſic neque lachrymas dilectæ ciebit ~~quo~~dammodò injurioſas amori ſuo, nec divinam ſeveritatem irritabit adeo. O : tu vis Davidem turpiter amaſium circumſpexiſſe cuncta ? Pulcherrimæ Bethſabee ſpecies ejus mentis perſtrinxit oculos ita vehementibus radiis, ut cupiens exequi dilectionis facinus, duas conciliaverit offenſas : aliam ſcili. amicæ, alteram ſibi : amatæ, inquam, quatenus occaſionem præbuit cur plangens afflictaretur ; ſibi verò, quatenus plorantis affectus erga Uriam Davidi nonnullam irrogabat injuriam. Odio ſimillimus eſt affectus, ex quo prodit offenſio, quæ per offenſum utcumque repercutitur. Ex fructibus dignoſcimus arbores. Demus quòd malus & rubus vel uterque proferret ſpinas, vel ambo ſimillima poma : quid proficeret ipſa re diſtare, ſi fructu convenirent ? Odium exurit habentem, percutit infenſum, contentiones provocat. Necnon amans exardeſcit, læditur aliquando manu ejus amatus, rixæque ſuboriuntur ab affectu. Utrobique ſpinæ : de odij ſpineto non dubitabis. In Canticis dicitur de ſponſa Eccleſia : *Sicut lilium inter ſpinas :* ubi Venerabilis Beda : *Laudata autem à Domino Eccleſia quòd inter ſpicula perfidorum fidei ſuæ caſtitatem incorruptam ſervaverit*, &c. Amorem circumſepiri ſpinis non credis ? Audi Gregorium M. *de audientium cordibus ſancta verbi manu, morum ſæcularium ſpinas eradicat dicens : nolite diligere mundum.* Imò ex his ejuſdem Pontificis verbis, amores ipſos terrenos videtur ab eo ſpinarum nomine donari. Unde ſenticoſas illas duas arbores diſtinguemus ? à fructibus ne ? Vix diſcernuntur utrique : an ex radicibus ? Latent quas odium jacit : & omitto quod eis firmari non ſolet humanus amor, ideo namque marceſcit breviter. De amore igitur non dubites quod etiam ſuſcitet rixas : in hoc etiam ſibire ſpondent quamſimiles imperfectus amor, & *odium.*

Cant. 2. 2.

Beda l. 2. in Cant. c. 2.

D. Greg. M. l. 18. moral. c. 8. to. 1.

15. *Rixarum cauſa non ſolet exhauriri.*

Suſcitat. Huic voci (ut obſervavit diligenter iſthic Salazar) ea quæ hebraicè correſpondet, ſignificat propriè à ſomno excitare. Non reſurgunt contentiones utplurimùm, quia mortuæ non erant ; ſuſcitantur, dormiebant. Ita ſe gerentes increpari poſſent verbis quæ D. Baſilius habet aliorſum inquiens : *odium in profundo detinentes, dilectionis oſtendunt fucatam, atque adumbratam ſpeciem.* Oportebat iram occidi, prout meditatur in Davide Chryſoſtomus : *irrationabili*, ait, *animi motu mactato, occisáque iracundiâ, videlicet mortificatis membris quæ ſunt ſuper terram*, &c. nam quamdiu non interficitur ſimul cum injuriâ, non deſinet memoria parere turpes fœtus. *Qui iracundiam ſedavit* (ſcribit Climacus) *is ejuſmodi memoriam peremit. Dum enim vivit pater, filios generare non ceſſat.* Obſtinatio in aliquorum animis hæc timori tribuenda eſt : ut enim dixit Tullius, *hoc natura eſt inſitum, ut quem timueris, quî cum de vitâ fortuniſque contenderis, cujus ex inſidiis evaſeris, hunc ſemper oderis.* In his, cùm ex metu naſcatur odium, non mirum eſt quòd ab eodem conſervetur. Alij ſunt, quibus ipſa cordis malignitas ineſt adeo ferina, ut paſcatur odio. Quoſdam invenies, quorum ſimultates invidia, vel ambitio nutrit ; &, ut plura omittam, odium vivax eſt valdè : ſub oblivionis cineribus vivit ignis opertus ; non conſepultus. Rixarum cauſa non ſolet exhauriri. Vis ut probem ? Geneſim adi.

Chryſoſt. to. 1. hom. 2. de David & Saule.

S. Joã. Clim. in ſcal. grad. 9.

Cicer. in orat. pro Sylla.

Fame ſuadente abiit Geraram Iſaac : ibique tandem excrevit ultra modum diteſcens : ideo non citra Palæſtinæ gentis livorem, quo ducti *puteos quos foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt*, &c. Poſt pauca refertur de duplici puteo, quorum ſinguli occaſionem jurgij dedere. *Jurgium fuit paſtorum Geraræ adverſus paſtores Iſaac dicentium : noſtra eſt aqua ; quamobrem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam. Foderunt autem & alium : & pro illo quoque rixati ſunt, appellavitque eum Inimicitias.* Hærebam diſquirere cupiens quare non iſtos duos puteos pariter obſtruxerunt Palæſtini ? Alios, de quibus in præcedentibus verbis agitur, humo replevit invidia : cur non & hunc duplicem puteum exſiccavit odium ? A littera nonnihil deflectamus. Hi putei, non illi primi, contentionis cauſæ fuerunt ut ex ipſorum nomine liquet : difficiliter exhauriri poſſent iſti : nam ſolitum non eſt inimicitiarum, ſive calumniæ cauſas evacuari. Mortuæ putantur apud aliquos præteritæ ſimultates, & fallimur : non enim earum occaſio erat ſepulta niſi ſomno, & ideo tam leviter ad pugnam revocamur. Alter ad alterius minimum verbum, geſtumve minus urbanum, ſomniat ſe deſpici. Dormientis eſt ſomniis vexari. *Qui verò inimicitias tenet, & ſe pœnitere exiſtimat, ſimilis eſt ei qui ſe in ſomnis currere putat.* Non iterum facilè ſurgerent ſi mortuæ fuiſſent offenſionis reminiſcentiæ : levem carpunt quietem, ideo rixas leviter *odium ſuſcitat.*

Gen. 26. 15.

Ibi n. 20. & 21.

S. Joã. Clim. ſuprà.

Rixas. Arabicus vertit : *odium elevat dominium :* quæ lectio viam parat, ut illos, qui vices Dei agunt in terris, moneamus quàm odioſum ſit non paterno affectu, ſed imperio deſpotico regere ſubditos : quaſi deſpicerent monitum Archiepiſcopi Valentini dicentis : *& quid eſt eſſe prælatum ? Eſſe paſtorem, non dominum :* cui conſonat Bernardus : *erudimini qui judicatis terram. Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere : non dominos. Studete magis amari, quàm metui.* Vox, *dominium*, videtur in caſu nominativo conſtruenda,

16. *Ne nimis timeri velis qui præeſt.* Lect. Arabi.

S. Thom. à Villan. ſer. Dō. 3. Adv.

S. Bern. ſer. 23. in Cant.

D. Baſil. orat. 39. de invidia. to. 1. inter varias.

construenda, cum illam doctissimus à Lapide hîc per ista, quasi per synonima sic proponat: *dominium, vel superioritas, vel victoria.* Proinde lectionis hujusmodi sensus est dominio utens imprudenter, suscitat contra se odium subditorum, istos veluti servos premens. *Illo execrabili versu,* inquit Seneca, *qui multos dedit præcipites, utitur: oderint dum metuant: ignarus quanta rabies oriatur ubi supra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos: assiduus verò & acer, & extrema admovens, in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri suadet.* Homo anima & corpore constat. Corpus utpotè vile, meliùs obtemperat dum pavet; anima quia sapiens & nobilis, diligentius obedit cùm diligit. Non diffiteor quòd præcipientem oportet amari & metui: sed ne cupiat nimiùm timeri: nam obedire subditi factum est; non autem jubentis opus. Nolens inferior parere punietur à superiore: non ideo tamen legis fractio resolidabitur. Cùm nimis horret subditus præcepta sæpissimè proculcat, quia detestatur authorem. Prudentia suadet ne subdito excessivus metus incutiatur; aliter mandata præscribentem refugiet perterritus, illiusque monita longè positus non audiet.

A lapide in prover. 10. 12.

Sen. l. 1. d. clementia c. 12.

Iubebat Deus Moysi ut Pharaonis regiam peteret Israëliticum populum redempturus. Renuebat ille: vicit denique formidinem suasio Divina: perrexit ad filios Israëlis Aarone comite. Projecit coram iis virgam Aaron, & versa est in colubrum: *fecit signa coram populo.* Apprehensus coluber reversus est in propriam naturam: & illum jam virgam factum gestavit Moyses. Cur non potius coluber permanet, eumque secum defert populi gubernator Hebraici? Prudentissimæ gubernationis insigne serpens esto: an non ille prudentiæ symbolum? *Virga projecta fit draco vel serpens, & devorat Ægyptiorum magorum serpentes: serpens verò pro sapientiâ vel prudentiâ poni solet.* Sic Origenes. Minimè conveniens fuerat in manu Moysis anguem portari: nam si postea Hebræi pertimuerunt splendorem quem facie Moyses emittebat quantò plus pavescerent, si jugiter in ejus manu serpentem audirent sibilare? Sique nimiùm timeri Moysen contingeret, fugerent Israëlitæ, illiusque jussa nec audirent, nec opere complerent. Non ad nocendum Israëli virga data est. *Virga,* ait Beda, *versa est in colubrum: plagam à Deo significat, quæ Ægyptiis noceret, & Israël non noceret.*

Exod. 4. 30.

Orig. ho. 4. in Exod.

Beda in c. 4. Exod. n. 3.

17. *Subditus projectus in humum coluber evadet, quem si manu sustines flectis ut virgam.*

Eundem locum denuo versemus: video namque Dei sapientiam hîc insinuasse Moysi quo ingenio tractari oporteret ab ipso populum quem recturus erat fœliciter: nempè non opprimendo, sed manu sustinens: quia sic se gerens, populum quasi virgam flectere valeret; aliter non ita. Quærit sacrarum litterarum doctus illustrator A lapide quid per Moysis virgam adumbretur. Reponit illas transmutationes litteraliter exprimere populi Dei vicissitudines, quibus nunc Josephi tempore magni habitus, nunc post ejus obitum oppressus, & iterum intervenientè Moyse respirare visus est. *Virga hæc,* inquit ille; *in terram projecta est, & versa in colubrum; quia Hebræi priùs chari post mortem Iosephi exosi fuere Ægyptiis, ac si essent colubri.* Deinde recolendus est Ambrosius, qui dicendis favet inquiens: *Moyses virgam in manu tenebat; quia Apostoli populum Iudæorum per amorem in corde tenebant .... projecit Moyses virgam de manu; quia Apostoli videntes Iudæos in Christum nullo modo velle credere, amorem eorum à cordibus suis projecerunt.* Hoc præmisso. Quàm proficuam politicæ regulam ex hoc mirabili potuit observare Moyses. Virga dum in manu Moysis immorabatur virga fuit; sed ab eo projecta in terram in monte Horeb transmutata est in serpentem. Subditus (præsertim benemeritus) si videat superiorem in manuum palmis, ut aiunt, eum gestare, flecti facilis erit veluti virga; at si doleat se in solum prosterni (ne dicam pedibus proculcari) qui virga ferè insensibilis erat, dolore suadente, coluber fiet, nec furorem deponet, nisi eum è terra levet qui projecerat. Ideo S. Hieronimus ait: *Episcopi sacerdotes sciant se esse, non dominos. Honorent clericos quasi clericos: ut ipsis Episcopis à clericis quasi Episcopis honor deferatur. Scitum est illud oratoris Domitij: cur ego, inquit te habeam ut principem, cùm tu me non habeas ut Senatorem?* En quid accidit, si eos quibus præfertur superior ita despiciat irâ correptus, ut non tanquam Dei minister; sed ac si nullum agnosceret majorem principetur: serpentes pseudo miraculo excitabit. *Si is qui,* ait Greg. Pap. *corrigere nititur, irâ superatur, opprimit antequam corrigat. Nam dum plusquam debet accenditur, sub justæ ultionis obtentu in immanitatem crudelitatis effrænatur.* Adversus crudelem quis erit mitis? & laudabimus eum.

A lapid. in Exod. 4. 2. & Lira, Peter. & Abulen.

Ambr. in 6. Apocalyp.

S. Hiero. ad Nepotia. relatus in c. Esto. 95. dist.

D. Greg. M. l. 26. moral. c. 28. tom. 1.

Putant qui tyrannico dominandi arbitrio utuntur, se nisi sic procedant, minimè regnare. Falluntur egregiè. Potiùs hac viâ non animis dominantur, qui rebellione perpetua diffident; sed tantum corporibus. Vellem ut virtute se cunctis præberent venerabiles: & sic benevolentiam conciliarent humillimam in subditis eorum actiones amanti suspicientibus animo. *Nihil est quod magis alliciat regnum, & subjiciat populos, quàm virtus regis. Hæc facit illum amabilem & gratum omnibus: plus virtus potest quàm omnis terror mundi, unde potius amari appetat quàm timeri.* Verba sunt S. Thomæ à Villano. quæ dixit pro concione coram Carolo 5. nec tamen putavit se læsam imperatoria majestas: fortè quia prudentiâ, quam demiratus est orbis, docente noverat, amore possideri corda clientum. Subditorum affectus præstat Potenti ut hominibus perfectè principetur. Quinimo si rem arbitremur æstimatione maturâ, dicemus: qui non diligitur, non regnat.

18. *Regnare, non videtur qui non diligitur.*

S. Thom. à Villano. ser. Dom. 19. post Pentecost.

Ad Samuëlem Dei verba notatu digna memento: *non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Hæc sunt eo tempore prolata, quo vates ægerrimè tulit Hebraicum populum petiisse regem, sicuti cæteris nationibus mos erat. Dominus Prophetæ suasit

1. Reg. 8. 7.

ut illis annueret, affirmans ipſos non Samuëlem abjeciſſe poſtulatione ſua; ſed ipſum Deum, nolentes ut iis imperaret Orbis Moderator æquiſſimus. Nunquid ab hominum voluntate pendet quod regnet Deus eorum conditor ſuper illos? poſſunt ne Deum ſceptro privare? Si valerent, jam pridem, ut reor, feciſſent. Quomodo igitur ait Iſraëlitas nolle Deum regnare ſuper eos? Quia id quod homo deſpicit, non amat: undè ſignificarunt Hebræi illos nequam dilectione proſequi Deum quem petitione ſua contemnebant. Ideo Deus quaſi quærebatur quod ipſi regnandi poteſtatem ſuper Hebraicum populum velut auferre conati ſint: ideò non ordinario modo locutus eſt; ſed exclamans iratus, quaſi audacter inſurgerent in eum ut coronâ ſpoliarent. Cyprianus faveat: *exclamavit iratus Dominus & dixit: non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt.* Ferè idem eſt à ſubditis non diligi, atque non regnare ſuper eos. Impoſſibile quidem fatemur quod ſuæ poteſtatis, dominiique vel partem Deus amittat: clementia tamen ſumma ſic eum loqui perſuaſit. Hæc eſt divini regiminis politica ſuavis; mundi tyrannis aliter dominatur: nam *ſapientia carnis inimica eſt Deo:* in vitiorum feras non audet, ſed has timet ſuperior ut agnus; in ſubditos verò furit pluſquam leo. Sic nihil proficit, quia ſuperbo dominatu nimis eroſum ſe præbet: nam ut legit Arabicus hîc: *odium elevat dominium.*

S. Cyprian. epiſ. 65. ad Rogatianum

Roman. 8. 7.

DELIBATIO IV.

Amor excuſat quod reprehendit: quomodo ſe gerat erga delicta: & de correctione criminis occulti.

19. *Amor ſimul reprehendit & excuſat.*

ODij malum quoddam poſtquam notavit Salomon, benignitatem dilectionis expreſſit, aſſerens illam crimina contegere: *& univerſa delicta operit charitas.* Quo pacto velat ſcelera cuncta? ſanè charitas plurima reprehendit. Iſta ne delicta quæ corripit, operit? Maximè. Quî fieri poſſit hoc, Bernardus edoceat. *Etiam ſi perperam actum quid deprehendas: nec ſic judices proximum, magis autem excuſa. Excuſa intentionem ſi opus non potes: puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum.* Etiam in faciem exprobrans amor, culpam illam excuſando diſſimulat; aliter operaretur prudens niſi correptio ab amore manaret. O quàm ſapienter proviſum eſt ut non Spiritus Divinus carnem ſumeret humanam, ſed Verbum Æterni Parentis Filius. Iudiciariam poteſtatem collaturus erat Pater homini Deo. Cúmque judicem non deceat excuſare delicta, ſed punire, ac Spiritus ſanctus amor ſit: non congruebat ut in poſtremo judicij finalis die, quando excuſationibus locus non erit, amor deſcenderet judicaturus, utpotè qui noxas in ſe commiſſas etiam dum arguit alleviat. Increpatio ex ſola juſtitia prodiens non minuit excuſatione crimen, maximè verò ſi contingat à dilectione dimanare.

S. Bern. ſer. 40. in Cant. prope finem.

Duplicem ab incarnata Sapientia factm objurgationem conferamus: alteram dum tertiò tentatus à diabolo *dicit ei Jeſus: vade Satana:* (Syriaca lectio vertit: *abi tibi inimice:*) alteram cum diſcipulis Emaus carpentibus viam hæc protulit: *ô ſtulti & tardi corde ad credendum*: Syrus legit: *ô expertes rationis, & graves corde ad credendum.* Diabolum, quamvis angelico polleat intellectu, ſtultum hîc vocare poſſet Dei Filius (*eſt namque diabolus*, ait Rupertus, *humeroſus vel fortis ut leo, & ſtultus ut aſinus*;) nec tamen ſic appellat; maximè verò diſcipulos illos incredulos. Mentis duritiem in Satana tentatio prima ſatis expreſſit. *Benè*, ait Beda, *de lapidibus panem facere ſuaſit, ut qui durus eſt mente, duritiam oſtenderet ſermone.* Dubitabat quippe poſt tot motiva credendi an eſſet Chriſtus Dei Filius. *Non putabat Deum quem fragilem videbat, viderat ſtellas, viderat Magos, viderat Ioannem clamantem, Hic eſt Agnus Dei; audierat de cœlo forſitan vocem Patris, ſed putavit eum vocari filium adoptivum*, ait S. Anſelmus. Diſcipulorum reprehenditur ſtultitia, quibus minor erat mentis acies; & non ſic ſugillatur dæmon? Ita: quia ductus amore, dum increparet alumnos, excuſavit eoſdem ſtultos dicens: nam defectus cognitionis tarditatem cordis alleviabat. Ut ita ſentiam ducor ex eo quod in iſta reprehenſione S. Bernardus dilectionem Chriſti Domini meditetur non mediocrem. *Scaturire videntur hæc verba teneritudinem amoris*, ait Mellifluus: & infra ibidem. *Cogitanti mihi dulcedinem hujus increpationis, flere magis libet, quàm aliquid dicere.* Non igitur gratis exiſtimo voluiſſe Dominum eorum culpam quadamtenus excuſare de ignorantia, quæ ſolet minuere peccata ut in loco Theologi communiter docent cum D. Thoma 1.2.q.6. art.8. in corp. Duos itaque diſcipulos excuſat Filius Dei cùm reprehendit; diabolum verò excuſatione ſecluſa objurgat: cùm etenim hunc tanquam inimicum increparet (*abi tibi inimice*) non amor corripiebat hoſtem; ſed æquitas: econtrario cùm diſcipulos diligeret eorum increpatio à dilectione prodibat. Iſtos arguit amor & excuſat intellectus ruditate, duritiem cordis; ſatanam verò excuſari non dignum ſatis oſtendit cùm ejus tacet ſtultitiam. Quamvis igitur amans multoties corripiat dilecti crimina, cùm ſimul eadem levia reddere curet, dici rectè poteſt quòd peccata operiet charitas *univerſa.*

Matth. 4. 16. Lect. Syriac.

Eadem verſio.

Ruper. in c. 34. Gen. l. 8. c. 11.

Beda.

D. Anſel. to. 1. enarr. in 4. Matth.

S. Bern. hom. de duobus Diſcipulis.

D. Thom.

Delicta: legit Scholiaſtes: *omnes autem injuriam facientes operit amor.* Satis hæc lectio diſtat à vulgata nihilominus iſta per illam explicari valet. Senſus erit quaſi diceremus: amor non cæcus crimina quidem cernit ut dimittat, delinquentes veluti non videt ut puniat. Poëtis aliquid & nimis audere licuit cùm amorem oculis orbatum depinxerunt. Ad multa lynceo pollet viſu: ſed interdum lumina claudit. Dilectum in abſcondito poſitum, quin ullo impediatur obſtaculo præſentiſſimum intuetur: *en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum:* (quid plus de lyncis

20. *Dei amor videtur neſcire delinquentes.* Scholias.

Cant. 2. 9.

lyncis oculorum fertur acumine ?) Lumine
Ibi c.3.11. tamen ut illum quærat non eget : *per noctes quæsivi quem diligit anima mea..... per vicos & plateas quæram.* Propriam excellentiam velut ignorans, occultissimas personæ
Ibi c.4. 1. dilectæ dotes introspicit : *absque eo quòd intrinsecus latet.* Pericula sua quasi non animadvertens ut effugiat; à dilectionis objecto vel minimam discriminis umbram à longè suspicatus avertit. Et ne multus in re perspicuâ sim, hoc postremò periodum claudo: etiam divinus amor,quamvis omniscius cum agitur de injuriarum ultione, videtur oculos claudere ac nescire peccantes.

Moysis ore Deus Israëlitici populi delictis provocatus, ignem, sagittas, gladium, &
Deuter.32. famem eis comminabatur. *Foris vastabit eos*
15.26. *gladius & intus pavor, juvenem simul ac virginem lactentem cum homine sene.* Expende quæ jam adjicit. *Dixi : ubinam sunt ? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.* Interrogat ubi sint Hebræi ? interrogare solent nescientes ; Deus omnia novit : quomodo ergo quærit ? Scienter, & ut ejus clementiam sciamus. Lira commentatur sic
Lira ibi. relata verba : *præmittitur dilatio, cùm dicitur : & dixi : idest proposui eos delere totaliter.* Quasi quærens eos differebat pœnam, ad modum desiderantis ignorare criminum reos. Habet se Deus more nolentis punire judicis, qui ut reo fugæ locum præbeat, scisciatur ubi sit malefactor, ut audiens qui reus est aufugiat. Absit omnis injustitiæ,vel alterius imperfectionis umbra. Deus, quin æquitatem offenderet, ita se habuit,ut significaret se desiderio non ferri vindicandi crimina : interrogavit ubi delinquentes essent: *ubi nam sunt ?* quasi nesciret illos ut percu-
S.Hilar.l.9. d.Trini. teret,quos agnoscebat ut diligeret. *Habemus ergo nescientem Deum, quod tamen non nesciat. Nam cum peccata magna valdè sciat esse, & rursum descendit ut videat an consummati sint, & si nondum consummati sunt ut sciat intelligimus eum non ea tunc scire quia prius nesciat, sed tunc scire quia tempus ad agendum sit.* Hæc D. Hilarius. Crimina videt amor ut patienter dimittat ; sed ut vindicet, nec cernere videtur delinquentes, nec *delicta.*

21. *Amor dilecti defectum sciit velut nesciens.*

Operit. Et quorum oculis amor obtegit dilecti culpam ? propriis ne ? an alienis ? Utrisque. Attendant ij quibus incumbit aliorum vitia corrigere. Res est à ratione recta dissentiens valdè quod fratris peccatum scias ut calumnieris ; non ut emendes. Ad hoc tantùm id nosce ut corrigas ? ad alios vero fines illud ignora.

Gentium Apostolum imitare charitatis magistrum. Ad Corinthios ille scribens, Deo gratias agebat exultans quòd in spiri-
1.Cor.1.7. tualibus adeo essent provecti : *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* O nimiùm fœlices ! nihil gratiarum deerat Corinthiis ? tam citò pervenitur ad plenitudinem ? Ipsis in hæc verba mente gratulabar cùm post pauca
Ibi n.11. cessavit admiratio mea, dum legerem ibidem : *significatum est enim mihi de vobis fratres mei ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Igitur, aliquid, & magnum, deerat Corinthiis, nempe charitatis unio, quam schismata rumpunt. Et ne putetur nodum facillimè dissolvi per hoc quòd asseras Paulum quosdam ibi laudare ; quosdam autem reprehendere : nota quòd Ambrosio teste Paulus cùm proximè citatis verbis increpavit eos, locutus est de universa Corinthiorum Ecclesia : per consequens comprehendit illos quos paulo antè adeo laudaverat. *Ad omnem enim Ecclesiam* S.Ambr.to. 3.ad 1.Cor. *modo loquitur*, inquit Ambrosius. Hiccine 1.10. sunt illi de quibus dixerat Paulus : *ita ut nihil vobis desit in ulla gratia ?* Quî dixisse potuit nihil deficere illis quibus deerat concordia ? Scripsit hæc Apostoli dilectio. Corinthios ille ferventissimâ dilectione prosequebatur, ut sequentis epistolæ verba palam faciunt. *Os nostrum patet ad vos, ô Corin-* 2.Corint.6. *thij,cor nostrum dilatatum est.* Pacis defectum 11. sciebat equidem ; sed tantùm ut corriperet emendare cupiens nosse non dissimulat : *significatum est mihi*, &c. antequam ad correctionem accederet quasi hoc ignoraret, asserit in nullo Corinthios deficere : *ita ut nihil*, &c. Scit nesciens ; nescitque prudens amati fœdas maculas ingeniosus amor. Prudentissimè munus exequitur suum : *neque* D.Basil.to. *enim*, inquit magnus Basilius, *is qui peccat* 1.hom.3. *probris venit infectandus, ut scriptum est ; ne* Psal.14. *exprobres homini avertenti se à peccato.* Et infrà. *Sanè reprehensio sive coargutatio videtur sibi finem præstituere emendationem peccantis, contra opprobrium ejus magis qui peccavit spectat confusionem.* Cumque Apostolus in eadem epistola ex qua priora verba descripsimus, Corinthiis dixerit : *non ut con-* 2.Corint.4. *fundam vos hæc scribo :* ad modum ignoran- 14. tis asseruit nihil ipsis gratiæ deficere ; sed ne paternæ sollicitudinis injuriâ taceret, post modum scire se ut emendaret ostendit. In hoc, aliis omissis, perfecta charitas imperfectum amorem proprium præcedit : hic namque defectus proprios ignorat etiam ut corrigat ; illa verò multùm aliter : nam proximi nævos ut eum non confundat nescit ; at optimè novit ut detergere curet. O generosam virtutum coronam ! *Nihil sic probat* D.Aug.to.4. *spiritualem virum,quàm peccati alieni tracta-* in exp.Ep. *tio, cùm liberationem ejus potiùs quàm insul-* ad Galat. *tationem, potiusque auxilia, quàm convitia* c.6. *meditatur.* Hæc Aug.

Operit. Insuper charitas abscondit aliis 22. delicta quæ corrigit : *quia*, inquit Liranus *Ita secretò* hìc, *sicut odium per rixam manifestat defe-* *corrige reum* *ctus aliorum, sic charitas celat : nisi quantum* *occultum, ut* *correctio fraterna requirit.* Qui ulceribus me- *ferè nec de-* detur hoc inter alia providet ut vulnus li- *linquenti* gando tegat, ita ut nulli præter medentem *permittas* liceat ligamina dissolvere, vulnus aperire. *aperire cri-* *men suum* *publicè.* Nocebit plagam reliquisse discoopertam, Lira in Pro- quia exasperante aëre percussa, tardiùs illa ver.10.11. sanabitur. Sic spiritûs plagas debes apposita medela contegere : nam si aëri perflanda relinquas (hoc est si vocibus, quæ sunt articulatus aër, humanis tradideris vulneratum) augebis potiùs quàm imminues livorem. *Ubi* Chrysost.to. *peccare fratrem vides*, inquit Chrysostomus, 4.hom.4.in *ut Christus jussit, peccatum ne vulgato, sed* 1. ad Co- *inter te & ipsum solum, non conviciando, nec* rint. *pedibus jacentem conculcando, sed dolendo, sed lachrymando castiga.* Verum est quòd,

D.Greg.M. in Regiſtro. l.12. indict. 7. c.31. ut ait Gregorius Pap. *manifeſta peccata non ſunt occultâ correctione purganda : ſed palam ſunt arguendi, qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione ſanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur.* Sed occultus defectus non eſt cur à puniente prodatur. S.Aug.ſer. 6. d.verbis Domini relatus in c. Si peccaverit 2.q.1. *Nos non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus : ut ubi contigerit malum, ibi moriatur.* Sic Auguſtinus. Imò dixerim adeo cautè peccatum, quod ſolus delinquens novit, eſt coërcendum, ut nec ipſi qui peccavit liberum ſit crimen ſuum aperire manifeſtò.

A dextris altaris apparuit angelus Zachariæ nunciaturus nativitatem illius quem ſibi dilectum præcurſorem divina dextra paraverat. Hunc ipſi gnatum futurum aſſeverat: & cum ſoleant homines de proprtia fœlicitate futura credere vel ſomniis (res mira!) Zacharias verbis angeli fidem negavit ſignum poſtulans. Luc.1.18. *Et dixit Zacharias ad angelum : unde hoc ſciam?* Punitus fuit & meritò Ibi n.20. privatione temporaneâ loquelæ. *Et eccè eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem, quo hæc fiant, pro eo, quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur tempore ſuo.* Componamus cum Zacharia Thomam dum incredulus erat de Magiſtri reſurgentis gloria. Joan.20.25. *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus non credam.* Fides utrique defuit, ſcili. Zâchariæ ac Thomæ: ſed Thomas plus peccaſſe videtur : nam in ſchola Chriſti jam eruditus erat; Zacharias autem vixerat inter ſcripræ legis umbras. Iſte ſignum petiit non aſſignans, ſed quærens qualenam futurum erat: *unde hoc ſciam?* Diſcipulus non ita; ſed miraculum aſſignare, quod cupit, auſus eſt: nam vulnerum cicatrices in corpore glorioſo prodigium Omnipotentis erat : *præter illud* (inquit Cyrill.Alexan.) *quod rerum conditio requirit propter utilitatem noſtram paſſionis notas retinuit.* D. Cyrill. Alex. l.12. in Joan. c. 58. Baptiſtæ genitor protulit verba deſiderantis : *unde hoc ſciam?* Thomas aſſertivè ait: *non credam.* Quare non diſcipulo impeditur lingua; ſed Joannis parenti? Fortaſſis quia peccaverat Zacharias occultè adeo quod ſolus angelus, & ipſe delinquens agnoverat. Corrigatur ergo : ſed ita ut crimen ejus nec idem ſacerdos, qui commiſit, valeat palam facere. Obmutuit. Nutibus quidem innuebat; ſed videntes nihil de culpa, ſed tantum de viſione intellexere. Luc.1.22. *Cognoverunt quòd viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innnuens illis, & permanſit mutus.* In Apoſtolo Thoma ceſſabat hujus cautelæ motivum, peccaverat enim Joan.20.25. coram collegio Apoſtolico. *Dixerunt ergo ei alij diſcipuli : vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : niſi videro,* &c. O benigniſſimam divinæ juſtitiæ manum! Et illi (proh dolor) quibus Dominus vices commiſit ſuas, cum ſint homines mortales lutea vaſa portantes, tunc miracula putant efficere quando tonitruis & fulminibus cuncta perturbant! Hominem regere artium ars eſt: quid erit hominem regendo imitari hominem Deum? Sed hic eſt charitas, idcirco delicta ſuaviter *operit.*

23. *Charitas.* Exponit Hugo Cardin. *dicitur etiam amictus quem Dominus expandit ſuper peccata noſtra ne videat ad puniendum.* Divinus amor cupit hominum ſcelera neſcire. Dei miſerentis mitiſſimam hyperbolen purpuratus interpres adinvenit piè : oculi quippe divini peccatorem ejuſque ſcelera, quamvis à ſumma ejus bonitate infinitè diſtantia videt apprimè, nec vel feſtucam leviſſimam non proſpiciunt. Attamen ea Dei miſericordiæ benignitas eſt, ut videatur quodammodo velle, ſi fieri poſſet, hominum peccata neſcire. Hugo Car. hîc. Ad illud Dei apud Iſaiam : *ego tacens, & quaſi non videns*, ait opportunè S. Hieronymus Dei nomine loquens : *ego ſum qui ſemper tacui peccata tua, & ſcelera quæcumque faciebas, quaſi non viderem, diſſimulatione neglexi.* Iſai.57.11. S.Hiero.to. 5. l.10. in Iſai. ibi. Non utcumque negligit ſæpe Deus offenſas illatas: ulteriùs ad inſtar ignorantis ea ſe gerit.

Priuſquam expirans redderet vitæ genus humanum, quod necaverat culpa, Servator quæſivit à Patre cur ita ſecum egiſſet: *ut quid dereliquiſti me? Non exiſtimes*, inquit Origenes, *humano more Salvatorem iſta dixiſſe propter calamitatem quæ comprehenderat eum in cruce. Si enim ita acceperis, non eris audiens magnam vocem in quâ iſta locutus eſt, nec digna voce divinâ requires.* Matth.27.46. Orig.hom. 35. in Matth. Oportet igitur altiùs indagare Domini verba. Optimè noverat innocentiſſimus Agnus occiſioni victimam ſe fuiſſe decretum, ut ſic hominum crimina, quæ tantâ egebant hoſtiâ, expiarentur. Cauſam inquirit Sapientia cur Pater eum ab inimicis permittat hac ratione tractari? Vulnera noſtra ſunt in cauſa: hoc ille non ignorat: quomodò ergo quærit? Interrogat, ut ſe ad modum neſcientis flagitia videatur habere. Aliâ interpretatione donemus verba Redemptoris ad rem noſtram. *Quidam autem hoc ſic intellexerunt quòd Salvator in ſe perſonam gerat Judæorum, & dicat : ut quid dereliquiſti Judaicum populum ò Pater, ut tantum admittat peccatum & perditioni tradatur?* Aliqui apud Theophylact. in 27. Matth. Sic refert ibi Theophylactus. Concinit Euthymius. *Poteſt autem*, inquit, *& aliter dici, quod jam pro hominibus moriens, in perſona generis humani dicta clamavit voce. Ait enim Greg. Theologus, quod in ſe ipſo figurat quod noſtrum eſt, nos ſiquidem primùm derelicti eramus.* Euthym.ibi. His expoſitionibus præmiſſis meditabar Chriſtum Dominum præfatis verbis egiſſe munus advocati. Solent cauſidici pro reo declamantes, & ejus perſonam agentes, quamvis noverint quo fundamento nitatur judex ad condemnandum, urgere ut abſolvatur, dicentes: quid fecit dignum tanto ſupplicio miſer? quare tam graviter punietur? ſic ſe gerunt, quaſi neſciant motiva judicis ut damnet. Haud aliter Filij Dei pietas in cruce. Adeſt Anſelmus : *clamavit Ieſus voce magna, dicens : Eli &c. humana natura propter peccatum à Deo fuerat derelicta, ſed quia Filius Dei factus eſt noſter advocatus & cauſidicus, ideo quorum ſuſcepit naturam, eorum deplorat & miſeriam.* S.Anſel.to. 1.enarra. in c.27.Matth. 46. Cumque incarnatæ Sapientiæ nequeant abſcondi piacula noſtra, ad minus voluit interrogatione utens oſtendere ſe ita clementem, ut cuperet quòd mortalium errata ſuam laterent agnitionem, ne cum tempus acceperit ea puniat qui & juſtitias judicabit.

Juvat

Juvat roborare dictum ex eo quod acciderit oranti Unigenito Summi Parentis in horto Gethsemani. Et præmitto, quod probabilior interpretum sententia docet, Christo Domino quamvis ter oraverit, non nisi semel angelum apparuisse. Sic eo loco existimant Barradas Burgensis, Cornelius à lapid; Silveira, & alij. Verosimile necnon est (ut idem Silveira conjecturatur) angelum ad Assertorem nostrum detulisse Patris Æterni responsum. Gravit Filius primò dicens: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Petitioni datam isti non lego responsionem. Interrupit orationem Divinus Magister, *& venit ad discipulos suos .... iterum secundò abiit & oravit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum & invenit eos* &c. Hucusque non advenit cœlestis ales. Cur non Dominus à Patre quærit quid circa mortem ipsius decernat? Dices hoc fore superfluum, sciebat namque Redemptor se à Patre morti pro nobis traditum. Benè: sed etiam ille noverat optimè ad quid Judas adventaret: ac tamen ab eo sciscitatus est, *ad quid venisti?* Exponit Theophylactus: *hoc est qua intentione hîc ades?* Et ab Æterno Parente quare non perscrutatur an preces ipsius exaudiat? Vide. Tradiderat Filium Dei Genitor sanctissimè; tradidit illum etiam, sed pessimè Proditor. Traditionem à Patre factam, & inculpabilem, scire se insinuat Verbum non perquirens an orationem exaudire dignetur; at verò discipuli perfidiam quasi nescire cupiens quâ ipsum tradidit, à Iuda percontatur ad quid venerit. sic se Dominus habuit, ut meditari possimus affici desiderio ignorandi noxas hominum quibus dirè læditur.

Silv. tom. 5. l. 8. c. 2. exposit. 6. n. 140. & ibique 17. c. 147.

Matth. 26. 39.

Ibi n. 40. & 42.

Ibi n. 50. Theophyla. ibi.

24. *Quandoque Deus præterit amicorum querelam, ut inimicis differat supplicium.*

Insuper nonnihil addam. Clementissimus est Deus & ut amplexetur amicos, & ut admittat hostes. At ea Divinæ clementiæ splendet in dissimulandis culparum pœnis gloria quòd amicorum quandoque non exaudit querelam, volens inimicis differre supplicium: *lento enim gradu ad vindictam sui divina procedit ira*, inquit Valerius Maximus.

Valeri. Maxi. l. 1. d. memorabi. dict.

Apoca. 6. 9. 10. 11.

Arcanorum cœlestium contemplator Joannes ait: *vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: usquequo Domine (sanctus & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra? ... dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum.* Martyres de supremo Principe sic benemeriti de vindictæ dilectione quæruntur amanter; & non statim aperitur terra ut eorum interfectores deglutiat? Hoc suadebat justitiæ zelus; sed charitatis fervore ducta clementia Divina ut hostium protelet flagellum, amicorum connivere videtur querimoniam. *Sensus ergo est* (inquit ad citatum Apocalypsis locum Alcazar) *Deum immensa sua patientia supplicium differre acerbissimum de Iudaico populo sumendum. Quia ita fieri oportebat quoad expleretur numerus martyrum præclarissimorum* &c. Patientiam suam opponit Deus clamori animarum: & prius curat pietati propriæ circa procrastinationem vindicis pœnæ satisfacere, quàm justorum clamoribus questus ex justitiæ zelo veluti proponentibus. Provocant humana vitia Moderatorem rectissimum ut non mulctam eorum cunctetur; nihilominus *universa delicta operit charitas.*

Alcaz. in 6. Apoca. n. 11. in comment.

FLOS XIV.

In labiis sapientis invenitur sapientia: & virga in dorso ejus qui indiget corde.

APERITUR.

1. PLURES annumerari video sententiæ hujus expositiones: quæ, si primam ejus partem attendamus, ad unam reduci possunt. Et ferè tota diversitas est in secundæ partis interpretatione. Quoad priorem planus est litteræ sensus: nempè, in sapientis ore invenitur sapientiæ signum, erudita scili. verba; omnigenæque prudentiæ veuustate loquela mirum in modum concinnata. Sed licet illis qui pictum à vero discernere valent, sit optimum eruditionis testimonium sermo facundus; aliis tamen periculosum est aurichalcum & aurum confundere: nonnunquam enim bellum edunt sonum vasa vacua: imo linguæ ornamenta, dulces laqueos, aspergens composita falsitas incautos allicit. *Nihil tam facilè quàm vilem plebem & indoctam, concionem volubilitate linguæ decipere, quæ quidquid non intelligit plus miratur.* Sic D. Hieronymus. Fucatam à verâ scientiâ in ipso distinguere sermone sic licebit: si non tam facilis, quàm celebris eloquentia fuerit, histrionem audis: si de rebus minimis effusa totâ grandiloquentia tibi occurrat, puerilem ineptiam meritò deridebis: si nihil unquam de suo proferentem patienter auscultas, indicem, non authorem habes: si depressam nimis, incompositamque orationem quis affectet, hypocritam detege: si tectum exquisitis vocabulis promat sensum dulcisonum, luscinia est, suavissimè canit, sed quid quæso dixit? Si tandem omnem dicendi ornatum odit, serò natus est quando tam frequenter ingenia florent, frondent, fructificant. Rem claudo Cassiodori dictis: *eloquens est ille qui scit parva submissè, media temperatè, magna granditer dicere; qui scit invenire præclarè, & nuntiare magnificè, disponere apertè, & figurare variè.*

S. Hiero. ep. ad Nepotia. post med. de vita cler. to. 1.

Cassiod. in psal. 73.

2. Secundæ partis subjiciam acceptiones, ut eas quæ vulgatæ litteræ accommodatiores sunt, eligam. Prima est quam expressit versio Septuaginta: *qui ex labiis profert sapientiam virga percutit virum vecordem:* quasi diceretur: Sapientia quâ prudens conatur stultitiis corrigere deditum, est veluti virga quâ percutit eum: nam ægerrimè fert ille correptionem. *Sicut*, ait Chrysologus, *febrientibus amarus est semper salutaris cibus, ita & sæpe Dominicus sermo contrarius imperitis,*

Vers. Septua.

Chrysol. ser. 164.

ritis, utriſque tamen aliter, aut ex corporis, aut ex mentis infirmitate contingit. Secunda explicatio eſt hujuſmodi: ſtultus, ſi quando aliquid ſapienter profert, non agit hoc ultrò, ſicuti ſolent ſapientes; ſed virgâ compulſus. Hæc eſt Caietani: ſed parum probabilis & ſatis libera, nam utplurimùm ex ore ſtulti nemo flagris extorquet ſapientiam. Inſania curatur flagellis; ſed non ideo ex amente reddis Tullium, nec ad horam: non parum eſt ſi cohibeas verba rationis expertia. Tertius commentarius eſt ex duobus, qui recidunt in eundem, compoſitus hoc modo: fatuus quia ſapientiam ex ore docti noluit, cæditur flagellis, & quia ſtulta operatur, ac loquitur. Quartus & probabilior ſenſus eſt: virga qua feritur ſtultus illius teſtificatur ſtultitiam.

3. *In labiis ſapientis.* Non dixit in ore, ne videretur ſapientiam appellare illam quæ buccâ tumeſcit plenâ. Superbia potentium execrabilis: elatio ſapientum deteſtabilior, quippe quæ proculcat intellectum cæterorum, quo nihil apud homines charius: & inſuper faſtidium ex eo movet quòd non ſemel proprias laudes effutit. Aliter verè ſapiens. *Tantum abeſt*, ait Demoſthenes, *ullum illorum, qui ſolidè docti ſunt, quidquam de ſeſe glorioſius dicere, ut alio etiam dicente erubeſcant. Qui verò longius à vera, quam ſibi vendicant, doctrina abſunt, propter inſcitiam verba moleſtiſſima audienda de ſeipſis proferunt.* Demoſth.

Invenitur. Si rigorem verbi expendamus, ſignificat non ſine inquiſitione adipiſci; ſicut reperire dicimus quod nobis non quærentibus occurrit: *quod invenitur quæritur*, ait Ambroſius. Notatu dignum quòd non ſe ingerit ſapiens ut doctrinam inculcet: præſtolatur ut ab eo quæras: & largietur. Cùm venditionis contractus indigeat mente: mirum eſt quot ſoleant ſapientiam venditare quin ullus emat: ſibi vendunt ſeipſos, & pretium ſolvunt ſimul & accipiunt. Facillimè perficitur negotium cujus eſt proxeneta phantaſia. *Inanes utres ventus inflat: ſic ſtultos homines opinio*, inquit Socrates. D. Ambr. l. d. fuga ſæculi c. 8. tom. 1. Socrat. apud Max. ſer. d. inani gloria.

Sapientia. Si juxta priſcos vocem iſtam excipiamus rigoroſè, non quælibet ſcientia benè ſapientia dicitur; ſed ea quæ habetur per cauſas rerum. Non ex effectibus cauſas concludere; ſed ex cauſis effectus prænoſcere, ſapientia ſtrictiſſimè ſumpta vocatur. O quot invenies tardos prophetas ex effectibus cauſam divinantes! & quàm fruſtra prophetantur! poſt eventum cernunt; antea cæci. Arbor illa quæ nobis omnibus fructificavit mortem, dicta fuit ſcientiæ lignum, quia experientia per id quod actum eſt edocuit filios Adæ quid bonum eſſet ac malum. Perſæpe non aliter Adamides niſi experientiis docentur: ab eo quod evenit originem rei dignoſcunt tardè ſcientes, ſerò ariolantes. Bis miſerum dixit quidam illum qui mala quæ vitari non poſſunt, amat præſcire; ſed ego potiùs eum qui non niſi poſt dolorem noſcit vulnus, ter miſerum dixerim: quia ſi prævideret, quamvis non fugeret ictum, imminueret faciens ut jaculum prævisum feriret mitiùs: *præcogitati mali mollis ictus venit*, ait Seneca. Sen. in epiſ. 4.

Et virga. Hac cæditur duplex hominum genus: & inſani ut reſipiſcant, & rei ut pœnas luant. Medicina ſimul & punitio eſt ejuſdem ſtulti virga. Non miror quòd odio habeatur ab ipſo medela, quamvis gratis exhibita. Necnon rationis compotes ægri habent odio pharmaca, refugiunt ſanguinem: nedum ita erit in iis qui æquo neſciunt examine librare quid proſit; quæ noceant. Oportet ut corde toto dictum haurias Hieronymi: *omnis medicina habet ad tempus amaritudinem: ſed poſtea fructus doloris ſanitate monſtratur.* D. Hiero. l. 2. in Jerem.

In dorſo. Beda, gloſſa, & Hugo Card. per dorſum intelligunt futuram vitam: hoc tamen myſticum eſt. Pro quo non fruſtraneum erit adnotare quòd aliquoties cùm Deus in vita mortali delicta punit, dicitur uti manu ſua. Sic poſt Joſuë mortem idola populus Iſraëliticus coluit, punitus eſt. Refertur ita: *quocumque pergere voluiſſent manus Domini ſuper eos erat.* Necnon captâ Dei arcâ, vindictamque Domino capiente, de Philiſthæis dicitur: *illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per ſingulas civitates interfectionis magnæ nimis.* Similiter apud Evangelicum Prophetam: *ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum:* attamen præſenti Salomonis dicto, non manu, ſed virgâ percutere inſinuatur juſtitia Dei, quia myſticè de venturi ſæculi pœna ſermo fit. Expende quantùm intereſt an patris manu vapules, an virgâ: inde conjice te miſericorditer à Deo flagellari dum pœnitentiæ locus eſt, ne cruciatibus æternis manciperis. *Magnæ miſericordiæ eſt*, dixit Auguſtinus, *nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur caſtigare.* Et infrà. *Intelligite fratres miſericordiam Dei, quando caſtigat mundum non vult damnare mundum. Præ magnitudine iræ ſuæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multùm iraſcitur.* Alludit S. Doctor ad illud Pſalmi: *exacerbavit Dominum peccator, ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Multò nobis igitur melius eſt ut caſtigando parcat, qui parcendo plùs iraſcitur. Judic. 2. 15. 1. Reg. 5. 9. Iſai. 5. 25. D. Aug. ſer. 37. de verb. Dom. in Evang. Lucæ, to. 10. Pſal 9. 25.

Ejus qui indiget corde. Sæpe dubitabam quare de ſtulto dicatur carere corde, cùm potius illi cor magnum videatur ineſſe, qui neſciens pericula cavere ſe dat præcipitem, audetque maxima. Vitæ fons eſt cor humanum eo quòd ſit ſpirituum vitalium officina, quorum auxilio vivificantur operationes, quibus deficientibus adhuc vivus quaſi moritur homo. Fatuus vivit equidem; ſed mortuo modo ſolet operari, quaſi corde careret, ex quo ſpiritus vitales promanant. Sic fit in delictorum pœnam, ut qui corde ſuo malè uſus eſt, illud amittat, & ſtatua reddatur ſenſu carens is qui rationalis eſſe neglexit. *Peccandi ergo aſſiduitas auferet cor, & ſtupidam ad omne bonum animam reddit ſterilemque & imagini mortuæ quàmſimillimam quæ habens oculos non videt; & aures, non audit, & ſuis naribus non odoratur. Eſt namque hæc juſta à Domino retributio peccatorum* S. Thom. à Villano. ſer. 2. d. S. Aug.

torum ut qui affectibus animæ malè utitur, invitus amittat eos, & qui rationalis homo eſſe noluit, inſenſibilis ſtatua merito ſuo fiat. Hucuſque S. Thomas à Villano.

DELIBATIO I.

Sapientiæ vetuſtas novitati miſcetur utiliter. Veritas utplurimùm ingrata; quandoque non ſic: ſed non ſolet recipi in domo propria.

5. Sapientia vetuſtas novitati ſocietur. Hugo Cardi. hic.

HUgo Card. ad hunc locum duplici deſcribit ſimilitudine quomodò ſapientia in ſapientis labiis inveniatur. Primò: *ſicut theſaurus in agro.* Secundò: *ſicut pabulum in horreo:* utramque præſenti delibatione curabimus emedullare. Juxta vulgatam definitionem Juriſtarum non quælibet opes abſconditæ veniunt nomine theſauri; ſed oportet ſit antiqua earum depoſitio: dicitur enim theſaurus: *Vetus quædam depoſitio pecuniæ cujus non extat memoria ita ut dominium non habeat.* Tunc eſt utilis theſaurus cùm vetuſtati novitas adjungitur: Vetus, inquam, eſt depoſitio; ſed nova inventio. Sic ex ore ſapientis vetera noviter inventa libens inquire, non ſecus atque theſaurum, & inſuper à furibus immunem. Theſaurus in agro conditus, quamdiu nulli novus fuerit, nemini proficuus erit: ſic ſapientia recenter concinnata perutilis eſt, quia grata cunctis. *Novitas gratiſſima rerum.* Quorumdam hypocriſis eſt ſic antiquitatem venerari, ut peritiſſimorum neotericos labores deſpiciant, quaſi puerilia forent quæcumque non ſenuere per ævum. Non quidem plauſum captare ſuadeo miniſtris evangelicis; moneo tamen ut obedientiam verbo Dei quærant in auditoribus: ad quem finem illis hamum novitate pulchrè tectum injicere, operæpretium eſt. *Doctor eloquens id agere debet ut non ſolum intelligenter, verum & libenter & obedienter audiatur.* Non diu vivet quod poſt ſæcula ſuæ durationis incepit. Multum fateor ſenectuti deferendum; attamen ſapientiæ antiquitati novitas accedat.

L. Nunquâ, ff. d. acquir. rerum domini.

Ovid. 3. d. Pont. 4.

S. Aug. l. 4. de doct. Chriſt. c. 15. in princ.

Sapientiſſimus Dei munere Salomon dixit: *Vidi quòd tantùm præcederet ſapientia ſtultitiam, quantùm differt lux à tenebris.* Ubi Cardi. Hugo: *quia ſapientia lux eſt.* Et juxta eundem commentatorem ſermo eſt de humana: quia verbo, *ſapientia*, ſic interpretatur: *hominis quamvis non pura.* Et ſimiliter Interlinearis habet: *noſtra quamvis non pura.* Videbitur fortaſſis aptiùs comparandam fore cælo ſapientiam, quàm luci. D. Auguſtinus illud Pſalmi *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine*, ſic exponit: *De cælis nulla eſt dubitatio quod intelligantur prædicatores verbi veritatis.* Et quidem cælis potius quàm luci videbantur conferendi ſapientes: nam lux tenebras diſſipat; ſapientia verò ſtultitiam nec ſemper. Si cupit Eccleſiaſtes exprimere quàm longè diſtent ſapientia, & ſtultitia, ſatis hoc inculcaret aiens diſſidere quantùm à ſolo diſſitus eſt cæli ambitus. Cur ſapientem luce adumbrat, vel potius ſapientiam? Quia lux cum ſit adeo antiqua, ut prima die mundi cœperit fulgere, quotidie naſcitur; at verò cælum nativitatem non innovat: priſcam abſque novitate pulchritudinem ſervat. Componat igitur ſapientiam luci: utriuſque namque jucunditatem renovationi debet antiquitas; & econtra divitias à vetuſtate ſumit novitas. Alterius ſic altera poſcit opem res.

Eccle. 2. 13.

Hugo Card. & Gloſſ. interlin. ibi.

Pſal. 88. 6.

Aug. in Pſ. 88. tom. 8.

6. Antiqua ſapientia noviter illuſtrata, vel nolentium trahit animos.

Nec minus vitandum eſt aliud extremum, in quod aliqui deviant, oppoſitum (de quo uſque modò loquebar) fugere cupientes. Ab hypocriſi declinant ad ſuperbiam. Non vetuſta, ſed heſterna faſtidiunt, quaſi daretur quidquam ſub ſole novum, aut valeret quis dicere hoc recens eſt. *Quod benè dicitur repetere non nocet*, ait Plato. Adverſus concionatores ineptè garriunt plures, quòd in ſuis concionibus intertexant ab aliis elaborata. Hæc ſimiliaque deſpicere congruit, nec audientibus obedire ſerviliter. *Hic ergo generoſo*, ait Chryſoſtomus, *opus eſt animo, eoque qui longè exiguitatem hanc ſuperet, ut multitudinis voluptatem illam immoderatam, infructuoſamque compeſcat, poſſitque illorum auditionem ad id quod utilius ſit transferre, hac ratione ut populum ſe ſequentem, ac ſibi obſecundantem habeat, non etiam ut ipſe à populi deſideriis agatur.* Aurea verba concionanti præ oculis habenda: quæ multi non attendentes laborant vaniſſimè, ac exultant inveniſſe altè defoſſas gazas nemini unquam notas: & certè quod nullus adhuc poſſedit, minimè theſaurus dici valet: oportet enim quòd ſit pretioſum vetuſque depoſitum, ut ſuprà dicebam, nec poſſet deponi, ſi contingeret ſemper ignorari. Recens arbuſtum frondeſcit; non tamen fructificat nimis. Uberiorem fructum ex veteri trunco recenter veſtito colliges. Antiqua ſapientia noviter luce donata, dulciter & fortiter animos pellicit.

Plato d. regn.

Chryſoſt. to. 5. l. 5. d. ſacerdot.

Illuminaverat lux mundi cæcum à nativitate. Occaſione hujus prodigij plura de Phariſæorum cæcitate, de bono paſtore, ac ovibus, pro quibus vitam erat expoſiturus, dixit brevi ſermone divinus Magiſter. Sed quid ad hæc auditores. *Diſſenſio iterum facta eſt inter Judæos propter ſermones hos.* Imò non defuere qui dæmoniacum ore blaſphemo convitiati fuerint. *Dicebant autem multi ex ipſis: dæmonium habet.* Alium ſermonem Domini legimus apud Lucam plauſibus exceptum, auditorũ fidem inveniſſe in ſynagoga Nazareth. *Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius:* exponit Beda: *teſtimonium illi dabant adteſtando illum verè, ut dixerat, eum eſſe, de quo cecinere Prophetæ.* Audis quam diſpar unius & alterius concionis fructus! Apud Joannem fateor aliquos dixiſſe, verba, quæ Dominus proferebat non eſſe dæmonium habentis; *alij dicebant: hæc verba non ſunt dæmonium habentis: nunquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?* Sed hoc non amplius videtur ſignificare niſi aliquos Chriſtum Dominum à calumniatoribus defendiſſe: in Nazareth autem fidem habuere dictis, credentes illum eſſe Meſſiam,

Joan. 10. 19.

Ibi n. 20.

Luc. 4. 22.

Bed. in Luc. l. 2. c. 4.

Joan. 10. 21.

de quo vates Evangelicus prophetaverat. Quidnam fuit in causâ ? Putabam quòd multum profuerit apud Nazarenos uſum fuiſſe Iſaiæ libro, quem aperuit diviniſſimus Præceptor, & ejus verba quædam expoſuit.

Luc.4.17. *Et traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ ; Et ut revolvit librum, invenit locum ubi ſcriptum erat : Spiritus Domini ſuper me*, &c. Prophetiam illam commentatus eſt Dei Filius.

Beda ſup. *Surrexit igitur legere Ieſus, ut quos nova ſignorum operatione non converterat, vel prophetica lectionis adteſtatione corrigeret.* Sic Beda ibi. Ecce pervetuſta Libri prophetici verba ore Dominico noviſſimè claritate perluſtrata pervaſerunt auditorum corda : *omnes teſtimonium illi dabant.* Alibi non ita contigit, quia non ſimiliter locutus erat. Dixi verba vatis ore Domini perluſtrata ne putes florem campi odiſſe flores fructibus mixtos : (nam ſic & non aliter expetit flores Eccleſia ſponſa, cujus vota Dilecto ſummopere placent : *fulcite me floribus, ſtipate me malis.*) Nitor in eo quòd Divus Lucas ſcribit de ſermone Salvatoris ibi : *Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius :* exponit Dionyſius Carth. *ordinatè & eloquenter :* & paulo ante dixerat ibidem : *ſuavitate eloquentiæ ſuæ corda eorum attraxit.* Vides novum ornatum antiquitati appoſitum corda ſalubriter emollire. Nunc quæſo ne prætereas quod nequaquam fortuitò, ſed miraculosè, Deo ſic providente, locus ille Iſaiæ obvius fuit. *Non autem fortuitu revolvit librum, & caput de ſe vaticinans reperit lectionis ; ſed hoc providentiæ Dei fuit.* Hæc Origenes.

Cant.2.5.

Dionyſ. Carth. in 4. Luc.art.11.

Orig.apud Cate. D. Thom. in 4. Luc.

7. *Nec ipſa divini Spiritus ſapientia niſi nova doceret, gratos adeo inveniret animos.*

Si quæris cur venerabilis antiquitas non niſi recenti luce donetur corda mulceat, dicam. Inſitus eſt hominibus amor ſciendi. Quod novêre, jam poſſident ; quod ipſis novum, hoc expectatione anhelant. Minus amatur quod poſſidetur : idcirco ſi jam nota proponis, faſtidiunt : ignota ſibi vellent, quibus tantùm augetur ſapientia. *Sicut gratus eſt qui cognoſcenda enubilat, ſic & onerosus qui cognita inculcat*, inquit Auguſtinus. Nec ipſius divini Spiritus ſapientia, niſi nova doceret, adeo gratos animos inveniret. Oportuit ut Incarnata Sapientia taceret quædam, & divino Flamini reſervaret noviter edicenda.

D. Aug. l. 4. d. doct. Chriſt. c. 10. prope fin.

Ad Apoſtolorum collegium paulo ante ſuæ paſſionis initia, vitæque finem dixit

Ioan.16.13. Redemptor : *cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Superflua videbitur alicui promiſſio hæc : nam eâdem concione prædixerat Dominus prorſus idem aliis verbis.

Ibi c.14. 26. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Supervacaneum duceret quiſquam poſt hæc verba rurſus addere loco eodem ac tempore : *cùm autẽ venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Vide tamen haud abſque myſterio reperitam fuiſſe prædictionem. Priori loco poterant exiſtimare divinum Spiritum non edocturum niſi ea ipſa quæ jam Servator inculcaſſet : dixerat enim Dei Filius : *docebit... & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis :* & ſi jam ab ipſis agnita ſolummodò Spiritus ſanctus proponeret, fortè non tam gratè ab Apoſtolis exciperetur. Verbis poſteriori loco relatis Chriſtus Dominus inſinuat divinum Spiritum eos nova docturum : *adhuc multa habeo vobis dicere : ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem :* non addidit : quam dixero vobis : ut ſic præſtolarentur novis eruditi, præter ea quæ Verbum incarnatum propoſuerat ipſis. Adi Cyrillum Alexand. *Qui enim*, ait, *nondum novâ vivendi normâ, novâque doctrinâ per ſpiritum reformati ſunt, iis prædicatio Evangelij recens, & myſterium Trinitatis ſublime tradendum non eſt. Iure igitur renovationi per ſpiritum futuræ altiorum interpretatio reſervatur.* Ex his infer novitate gratiſſimam doctrinam addidiſſe Spiritum ſanctum. Sic illa cordibus magis medullitus inſideret : quaſi dicere poſſemus nec ipſius Dei ſapientiam hominum animis ita plauſibilem futuram, niſi eandem quæ ab æterno & ex antiquis eſt, exornaret ipſe recenter. Vos igitur qui pectora fidelium doctrinâ excolitis, antiquitatem veneramini ; at, prout Seneca dixit, priſci non Domini noſtri ſunt, ſed duces : novitatem adjicite invenieturque in ore veſtro ſapientia *ſicut theſaurus in agro :* recens inventio ſit, quamvis opes annoſæ.

D. Cyrill. Alex. l. 10. in Ioan. c. 41.

Sicut pabulum in horreo, interpretatur ſecundo loco præfatus Cardinalis priorem noſtræ paræmiæ partem. Sapientia pabulum eſt ; os verò ſapientis, horreum ; non utique apertum : præſertim cùm apud Eccleſiaſticum *ori tuo facito oſtia & ſeras.* Non ſolet horreum recludi, niſi cùm vel neceſſitas poſtulat, vel ſuadet utilitas. Similiter prudens non niſi neceſſaria, vel utilia loquitur ; cætera tacitus præterit, & obſervat, doctior equidem cùm ſilet, quàm ſi Catonem ageret elocutus. *Magna eſt ſapientia tempeſtivum ſilentium, & omni certè ſermone præſtantius.* Verba faciens ad id tantum ſolet attendere quod loquitur ; tacens autem expendit præterita, cavet à futuris : & illud rationale, regiumque dominatum exercet, quo ſolus homo inter animantia cætera inſignitur, potens animi ſui ſenſa non niſi cum & quibus voluerit aperire. Regale dominium iſtud appellavi : quia de taciturnitate me docuit Caſſiodorus dicens : *hæc regalis proculdubio virtus, celeriùs neceſſaria ſentire, & tardiùs in verba prorumpere : neſcit enim pœnitenda loqui qui proferenda ſuo priùs tradit examini.* Claves juriſdictionis inſigne ſatis notum eſt : cordis tui poteſtatem ne abjicias : oſtium claude ne cuivis pateat. Duæ ſint oris claves, utilitas, & neceſſitas. Ambæ ſi abſint, ne tacuiſſe pigeat.

8. *Taceat lingua, ſi nec utilitas aliud poſcit, neque ne-ceſſitas.* Eccli.28. 28.

Plutarch. in opuſc.

Caſſiod. l. 1. epiſt.

Et Patris Æterni Sapientia nos inſtruere volens conſultò ſiluit. Coram Pilato ſiſtitur Innocentiſſimus rei perſonam agens : *& cùm accuſaretur à Principibus ſacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit.* Meminiſti quomodo priùs diſcipulos exhortabatur coram tyrannis locuturos ? *Cùm autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus & poteſtates, nolite ſolliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim ſanctus docebit*

Matth.27. 12.

Luc.12.11. 12.

docebit vos in ipſa hora, quid oporteat vos dicere. Verba facient coram magiſtratibus diſcipuli ? & in conſpectu Præſidis obmuteſcit Magiſter Verbum non factum ? Ad quid loqueretur ? ut innoxium ſe probaret ? Inutile foret hoc, neque neceſſarium : inutile, inquam, non enim dimitteretur, neque dimiſſio foret profutura redemptioni : non etiam neceſſarium hoc eſſet, quia in credentium cordibus inſons Dominus excuſatione non indigebat. Euthymius ibi : *cùm enim vehementer ad ejus cædem inſanirent, nec omnino revocari poſſent, ſciebat fruſtra dandam iri deinceps omnem reſponſionem.* Diſcipulis autem coram ſæculi Potentatibus loqui fuit utile, quia ſic Magiſtri ſui cauſam tuentes veritati perhibuere teſtimonium, quo lauream perpetuò manſuram promeruerunt. Et inſuper hæc teſtificatio profuit iis qui eâ poſtea ducti converſi ſunt ad fidem. Necnon & neceſſarium Apoſtolis erat ibidem non tacuiſſe, quia cùm nequaquam dij forent, ſed homines, ne accuſati putarentur veri criminis conſcij, modeſta defenſione indigebant pro repellenda calumnia. Silentium imponat ſibi Verbum ubi neque neceſſitas, nec utilitas oppoſitum poſtulat ; proferantur à diſcipulis verba, cum eloqui neceſſarium erat & utile. *Diſcretè quippe*, ſcribit M. Gregorius, *viciſſitudinum penſanda ſunt tempora, ne aut cum reſtringi lingua debet, per verba ſe inutiliter ſolvat, aut cum loqui utiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat.*

Euthym in Matth. ibi.

D.Greg.M. l.7. moral. c. 17.

9. *Veritatem ferè nullus vult.*

Inſuper in eadem ſimilitudine horrei pabulum ſervantis, cum ſapientis ore, meditabar triticum in granario claudi ſolere cum nemo eſt qui emat. O quam verè dici poteſt ſic accidere veritati. Frumentum animarum eſt : ſed ore ſapientis velut condita meſſis concluditur, quia nullus eſt ferè qui velit eam dilectionis auro comparare. De improbis loquor : hi namque illam execrantur. *Iniquis moleſta eſt veritas & amara diſciplina juſtitiæ*, ait S.Iſidorus Hiſpal. Cùm cernerem cunctos veritatem laudantes, raros verò ejuſdem amatores, putabam illam non amari, quia penitus ad omnia ſæculi hujus inutilis eſt. Vix enim quidquam reperies, in quo tibi veritas faveat ſi mundanis legibus obtemperas. Dum tibi læſo ſuadet ira vindictam, opponit veritas viliſſimum quid eſſe proprias injurias ulciſci : ſi credis illi non propulſas offenſam. Cupiditas promittit avaro lucra nequam ; ſed veritas ait : divitiæ malè partæ redigunt animam in pauperiem : ſi hanc doctrinam recipit, amittit fortunarum copiam. Voluptas allicit ad pulchritudinis idola ; clamat veritas : heu fuge, latet aſpis inter lilia : times, & gaudio renuntias. Si fucatum honorem ſæculi deſideras ; veritas diſſuadet affirmans illum pravis artibus acquiri, & in die judicij perpetuâ infamiâ luendum. Horres ad hæc, deſiſtis ab incepto. Poſtulat amicus ut ei malè operaturo ſuppetias feras ; veritas inquit : hoc non eſt amici munus, ad barathrum euntem impellere, quem diligis. Acceptas monitum, dicens : magis amica veritas : & amicum deperdis. Severam ideo veritatem nullus vellet.

S.Iſid.Hiſpal.l.3.ſent. c. 32.

Audi Salomonem : *veritatem*, inquit, *eme, & noli vendere ſapientiam & doctrinam & intelligentiam.* De veritate agit, quæ ſtudio comparatur : ait namque Lira : *veritatem eme ſtudij labore.* Cornelius à Lapide loco eodem commentatur : *idem ſunt veritas ſapientia, doctrina & intelligentia.* Conſulit Salomon itaque ne quis vendat veritatem ; ſed monet ut quivis emat illam. Et in qua juriſprudentia Rex Sapiens invenit emptionem ſine venditione ? quomodo quis emet, ſi nullus vendat ? Nodum poſtea diſſolvam. Priùs dicam quid Salomon de veritatis æſtimatione ſenſerit. Sic loquitur quaſi dicat : ſi vis rem pretioſam acquirere quaſi gratis, eme veritatem : quia cum ab hominibus nihili pendatur, nullo vel parvo pretio eam accipies. Neutiquam tamen vendas illam, quia ex eâdem ratione vix ullum invenies emptorem : & ſi fortè repereris aliquem, is non magni faciet mercem vulgò non charam. Adjicio ut nodus, quem propoſui, penitiùs diſſolvatur. In ſubjecta materia emptionem ſine venditione puto reperiri. Paradoxum dicis hoc ? Attende. Qui gemmam vitrum eſſe putans vendit eam ; non gemmam vendidit : nam quod ignoratur nec linquitur, nec retinetur. Ita qui veritatem exiſtimat inutilem, illius venditor eſſe nequit, quia neſciens operatur. Emptor attamen (ſi fortè inventus fuerit unus) ideo veritatem emere vult, quia ipſius pretium agnoſcit. Is ergo emit illam, quia novit eam ; alter verò quia ignorat, minimè vendit. Quamvis diſſuadeat Salomon omnibus venditionem veritatis, adhuc datur emptioni locus. *Veritatem eme, & noli vendere.*

Prover.23. 23.

Lira & Cornel. à Lapi. ibi.

Verum adverſus dicta poſſet objici quod multi de veritate ſe optimè ſentire teſtantur : eam quærunt ſollicitè, libenter audiunt. Non de illis tantum loquor, in quibus rationalium dictaminum obſervantia viget. De improbis etiam verum eſt quod aliquando placet iis veritas. Fortaſſis hoc intellexit Philo cum dixit & veritati ſuam ineſſe fortunam : nec enim ſemper infœliciter invenit clauſa mentis oſtia. *Eſt equidem veritas opinione melior : utramque tamen ſua bona fortuna ſequitur.* Hæc Philo. Veritatis emblema ſol eſt, lippis autem ſimiles illi ſunt qui eam oderunt. *Ut Solare lumen imbecillus & impotens viſus aſpicere nequit ; ita veritatem, idque multò magis infirma mens, & invalida conſpectare non poteſt.* Ita quidam apud Stobæum. Sicut igitur lippus laudat lucem, quam non ferunt ejus oculi : haud aliter iniquus aliquando ſignificat à ſe veritatem plurimi fieri ; quamvis ipſam ægrè ſufferat. Etiam qui effrænatâ vivendi licentiâ ruunt in præceps, quanti valeat veritas quandoque noverunt.

10. *Etiam impij quandoque norunt quâti facienda veritas.*

Philo Hebræ.l.d.migra. Abra. tom.1.

Rheginus apud Stobæ. ſer.2.d.imprudentia.

Voluptatis mancipium extitit Baltaſſar rex & ſuperbiæ monſtrum. In profundum ſcelerum, ſimul & in vitæ finem, devenerat, cùm juſtitiæ divinæ decretum in pariete aulæ regiæ ſcripſit miraculoſa manus. Ad hujuſmodi portentum contremuit Rex, turbati ſunt magnates, confuſioque tenuit eos, eò quòd triplicis verbi nemo ſenſum callebat quæ præſagi depinxerant graphicè digiti

giti. Vocatur Daniel ediſſerit ænigma, prædicitque citò regnum illius finiendum: quòd ſtatim rei probavit eventus : nam eâdem nocte interfectus eſt Baltaſſar, & ſceptrum ad Darium Medum tranſlatum eſt. Illud tantummodò nunc movet animum, quòd audito mæſto nimis nuntio Baltaſſar præmio affecerit vatem. *Tunc jubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo ejus, & prædicatum eſt de eo quòd poteſtatem haberet tertius in regno ſuo.* Num & inter prophetas quidam aliis fœliciores inveniuntur ? Video Danielem bis muneribus affectum cùm triſtia prænuntiaſſet. Hìc à Baltaſſare poſtquam aperuit exitialem ſententiam muneratur. Antea regis pater Nabuchodonoſor vidit in ſomnis varietate compactam ſtatuam, cujus ruina finem regni ejus, præter alia, portendebat. Hoc illi denuntiavit idem propheta, & ab eo recepit multa, quaſi fauſta deferret. *Tunc rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa & magna dedit ei : & conſtituit eum principem ſuper omnes provincias Babylonis.* Memini Samuëlem unxiſſe reges Davidem & Saülem, à neutro tamen eum quidquam accepiſſe legimus, cùm tamen uterque à Samuële rex inauguratus fuerit inopinatè. Triſtem prædicens exitum regni Daniel cumulatur donis ! ſolij nuntians poſſeſſionem Samuël nihil accipit ? Putabam ideo ita contigiſſe, ut videas pluris faciendam veritatis doctrinam quàm regni diadema. Quantumvis triſtia verba, quia tamen vera, credidit, & velut obſequium ſibi factum computavit, muneribuſque rependit. *Dona*, inquit Joſephus, *quæ pollicitus eſt exhibuit, ſic cogitans quòd non bona audierat ſui fati culpam eſſe non prophetæ : imò illum boni viri functum officio, ſic interpretatus ſit, ut erat eventurum*, &c. Quanti valeat veritas aliquando tandem ſcelerati norunt. Hanc expoſuit Baltaſſari Daniel proinde licet pro coronæ regalis hilari nuntio nihil à Saüle, vel Davide, Samuël acceperit; plura tamen Danieli Baltaſſar pro veritatis expoſitione contulit. Vereor ex his impugnari quæ prædixi, dum aſſererem à nemine veritatem plauſibiliter excipi, ac ideo fieri ut clauſa maneat in ore ſapientis, *ſicut pabulum in horreo.*

Daniel. 5. 29.

Daniel. 2. 48.

Joſeph. l. 10. antiquitatum.

11. *Veritatem ferè nemo vult intra domum propriam.*

Verumenimverò quamvis fatear malos nonnunquam vel experientiâ coactos, vel peculiari lumine doctos, veritati januas cordis aperire ; cùm hoc ſtat utplurimùm eos, qui veritatem ſe velle proclamant, illam intra domum propriam nequaquam concupiſcere. Hoc de juſtitiâ vulgus ait ; ſed idem accidit veritati quod juſtitiæ : ſunt enim valdè affines, juxta illud Anſelmi : *invicem ſeſe diffiniunt veritas, & rectitudo, & juſtitia : ut qui unam earum noverit, & alias neſcierit, per notam ad ignotarum ſcientiam pertingere poſſit, imò qui noverit unam, alias neſcire non poſſit.* Igitur non ſola juſtitia, ſed etiam veritas manet in platea, quia unuſquiſque illis januam propriæ domus occludit.

D. Anſel. tom. 3. dial. d. verit. c. 13.

Audi quid Iſaias contra Judæorum populum fatus eſt. *Et converſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia longè ſtetit : quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Expende ſimul Jeremiam de iiſdem ſic dicentem Dei nomine. *Sicut decipula plena avibus, ſic domus eorum plena dolo.* Dolus in domo ! veritas in platea ! Ibi veritas proteritur ubi mendacium effingitur : ergo ſi dolus replet domos, cur veritas in plateâ dejicitur, & non potiùs in domo proculcatur ? Quia domum ingredi non permittitur : expectat ut oſtium aperiatur ; ſed quia doli præoccupant habitacula, nulla ei aperitur janua, uſque dum expectatione diuturna veluti defeſſa ruit in platea. Veritatis clariſſimum ænigma, ut prænotavi Sol eſt, qui, ſi limen obſtruas tuum, non ingredietur te nolente. Sic veritas. Amat illam ſapiens, ac effundere vellet pro communi utilitate ; tamen ab aliis exoſam frequenter experitur : *libenter enim*, ait Hieronymus, *quòd delectat audimus, & offendit omne quod nolumus.* Ideo verum ſæpe recondit prudens, ſicut pabulum in horreo abditur in tempore non apto ut committatur triticum telluri.

Jerem. 5. 27.

D. Hier. in c. 4. ad Galat. tom. 3.

Ifai. 59. 14.

DELIBATIO II.

Peccator neque crimen, nec ſupplicium, neque punitionis utilitatem cernit.

ITerum veſtigio ejuſdem Hugonis inſiſtens, poſterioris hemiſtichium præſentis dogmatis verſabimus. *Et virga in dorſo ejus qui indiget corde.* Quare non facie, ſed in dorſo percuti dicitur ſtultus ? Reſpondet citatus author : *in dorſo autem non in facie dicitur ſtultus flagellari, quia peccata ſua non videt : vel quia velatam habet faciem mentis, ut etiam non videat ad quid flagelletur.* Junge utramque cæcitatem, & adjice tertiam : quia nec ipſum intuetur flagellum: ſic enim contingit eis qui feriuntur in tergo. Ex his tribus cæcitatibus capitis hujus conſurgat ſcopus. Peccator neque crimen, nec ſupplicium, neque punitionis utilitatem novit, ad hæc omnia cæcutiens.

12. *Peccator delictum ſuum non agnoſcit.*

Hugo Card. hic.

Peccatori nox incubat, & offuſâ voluntariâ caligine, idipſum quod carpit ignorat iter. *Et quemadmodum*, ait Chryſoſtomus, *noctu amoto lumine, lignum, plumbum ferrum, argentum, lapides pretioſos, & alia omnia eodem modo, & videmus, & dijudicamus, ita qui ſordidè & vitioſè vitam vivit, neque modeſtiæ vim, neque diſcernit pulchritudinem.* Eâdem de cauſa nec vitiorum videt fœditatem : hæc enim nox eſt : & nox, cùm luce atque colore careat, videri non ſolet :

Chryſoſt. hom. 4. in Joan. to. 3.

Et neque (quod cæcis unum ſolet eſſe levamẽ)
Sola ſuam noctem mens miſeranda videt.

Herma. Hug. l. 1. pior. deſider. poëma. 1. partis 1.

cecinit piè Hugo Hermanus. Et auſim dicere, minus in hac re cæcutire illum qui cæli viam tenuit nunquam. Cymmeriis tenebris immergitur is qui ſemitam veritatis deſeruit. Ille qui poſtquam Domini tenuit amicitiam terga Deo vertit, peccatum ſuum non cernit.

Gentium Doctor ſcribens ad Hebræos ait ſic : *impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt*

Hebræo. 6. 4.

ſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam. Verba ſunt difficilia, ſi prout ſonant accipiantur. Impoſſibilis eſt alicui pœnitentia dum vita manet! Scio quàm facilè aperiatur & janua divinæ miſericordiæ, ac ſacri textus littera; ſed ad mores declinare liceat. Et præmitto quòd licet plures locum intelligant de baptiſmo, utpotè qui non eſt iterabilis; tamen ut eum de pœnitentia intelligamus, D. Anſelmus patronus erit exponens locum præcitatum: *ideo impoſſibile eſſe dicimus ut tales renoventur, quia nolunt renovari. Nam ſi vellent, eſſet utique poſſibile.... Sic enim tepuit mens eorum erga dilectionem virtutum, & exarſit in amorem vitiorum, ut nulla ratione conſentiant peccata relinquere, quibus pertinaciter adhæſere.* Sed quare ſic eis contingere credis? S. Thomas ibidem, quamvis pro ſententia priori ſtet, attamen ſuperbiæ tribuit hanc difficultatem reſurgendi à crimine, licet ſub conditione quadam loquatur, quam explicat in hæc verba: *quòd ſi diceret Apoſtolus illos qui prolapſi ſunt impoſſibile eſſe reſurgere, tunc poſſet dici quòd in hoc notat maximam difficultatem reſurgendi, ſcilic. & propter peccatum, & propter ſuperbiam.* Noſti ex Ambroſio ſuperborum eſſe delicta ſua neſcire. *A quibuſlibet enim*, inquit Ambroſius, *lapſibus delictorum facilè ſurgitur, quando opem à reparatore ſuo poſcit eliſus. Huic autem ruinæ nihil ſubvenit, quia aut difficilè peccatum ſuum ſuperbus agnoſcit, aut etiam ſi intellexerit, non currit ad medicum.* His præjactis, verba ſic Apoſtoli perpendo. Impoſſibile quidem eſt ut quis de peccato, quod nullatenus agnovit, pœniteat: nam ſi putat ſe innocentem, quomodo culpam ut à ſe commiſſam deteſtabitur? Impoſſibilis ei, qui cæleſtia ſemel guſtavit & relapſus eſt, dicitur pœnitentia: nam iſte valedicens Deo, ſuum non cernit crimen: unde neſciens delictum, pœnitentiæ in ſtricta ſignificatione ſumptæ capax non eſt, dum hæc ignorantia durat. Unde cupiens reincidentiam diſſuadere, meritò audet Origenes dicere: *multò nobis utilius fuerat divino non credidiſſe ſermoni, quàm poſt credulitatem adhuc rurſum ad peccata converti quæ ante commiſimus. Conſidera enim quomodo Scriptura ſuper terram ſigillatim ſupplicia dicat inferri, quando vero ad Jeruſalem veniat, ſi autem & quatuor vindictas peſſimas, romphæam, & famem, & beſtias peſſimas, & mortem immiſero in Jeruſalem*, &c. Reincidentia igitur periculoſiſſima: præcipuè quia peccator ille noxam non agnoſcit qui prius virtutem ſectabatur.

S. Anſel. ibi. tom. 2.

S. Thom. ibid. lect. 1.

Amb. tom. 5. l. 4. epiſt. 34.

Orig. ho. 5. in c. 14. Ezechi.

13. *Homo ut quærat præcipitium cernit in tenebris; ut ſe ipſum eripiat indiget luce ac ductore.*

Dicet aliquis contra prædicta ſic inſurgens: quî fieri poteſt ut homo ſuum non videat erratum quod quærit? Illud intuetur ut pereat; non idem aſpicit ut reſurgat. Velle nolleque diriguntur cognitione. Nihilominus (parcat philoſophia) videtur dici poſſe quod ut peccatum ametur videt intellectus; ut autem habeatur odio, cæcus eſt. Tunc adeſt ſcelerato criminis agnitio, cùm vidiſſe nocet; deeſt cùm aperuiſſe oculos mentis prodeſſet ipſi. Nimis verè dixit Chryſoſtomus: *præ omnibus malis homo eſt peſſimum malum.* Nocuum eſt venenum, non ſibi, ſed ſumenti; homo veneno pejor, quia & aliis noxius & ſibi. Optimum inter naturæ dona ſcilicet cognoſcendi facultatem, vertit in damnum proprium. De ſe fatebatur Auguſtinus, dicens: *ſcis tu Domine Deus meus, quia & celeritas intelligendi, & diſcendi acumen, donum tuum eſt: ſed non inde ſacrificabam tibi. Itaque mihi non ad uſum, ſed ad perniciem magis valebat.* Hoc eſt quod homo propriam dexteritate ſumma quæritat ruinam, quin luce indigeat aliena; ut autem proprium bonum inveſtiget ducis adminiculo, & lucis eget auxilio. Ut ſe mittat in mare videt in tenebris; ut faciat greſſum ad littus, oportet illuminetur.

Chryſoſt. in Matth. ho. 24. in c. 16. tom. 2.

S. Aug. l. 2. confeſſ. c. 16. tom. 1.

In egreſſu filiorum Iſraël de ſævo Ægyptiorum ergaſtulo, ſi contextum attendis inſpicies quod cùm Ægyptij Dei populum inſequentes ingreſſi ſunt mare rubrum, adhuc nox erat. Ideo Cornelius à Lapide ad hunc locum dixit: *Ægyptij verò circa finem tertiæ vigiliæ Hebræos inſequentes ingreſſi ſunt mare.* Hoc præjacto fundamento, meditabar Dei omnipotentiâ jubente, nubem fuiſſe tenebroſam ſimul & ſplendidam, ita ut hac ex parte fulgens illuminaret Hebræos; ex adverſâ verò multum opaca, hoſtibus offunderet umbras: *& erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita ut ad ſe invicem toto noctis tempore accedere non valerent*: vertit Chaldæus: *erat nubes & obſcuritas Ægyptij: Iſraëli erat autem lux tota nocte.* Quid, quæſo Dominus intendebat? Ægyptios punire; Iſraëlitas eripere? Utique. Illuminet ergo Ægyptios etiam, ſic fiet ut majori conceptâ fiduciâ, tenebris expediti, viam arripiant inſuetam, & fluctibus obruantur. Supervacua foret lux ut Ægyptij ad ruinam properarent. Hebræis neceſſaria erat ut fœlicitatem invenirent: ducente indigebant ac lumine. Dominus dux eorum erat, ſplendoremque diffudit ne cæcutientes exerrarent; hoſtes ut infortunio ſuo ſe traderent, illuminari non egebant: extabant in caligine, viamque tenuere mortis, quin ullus ex eis remaneret ſuperſtes. Moraliter in his duobus populis juſtorum & impiorum ſymbolum habes. *Qui Ægyptius eſt* (ait apud Gloſſam Origenes) *& ſequitur Pharaonem, vitiorum fluctibus mergitur. Qui verò ſequitur Chriſtum, & ſicut ille ambulavit, ambulat: aqua ei fit murus dextra lævaque. Ipſe autem media via incedit, per ſiccum non declinat ad dexteram neque ad ſiniſtram, uſque quo exeat ad libertatem, & hymnum victoriæ Domino canat dicens: Cantemus Domino*, &c. Turbidas criminum aquas poſt dorſum relinquere difficillimum eſt, niſi magnus deſuper irradiet fulgor. At verò inter eaſdem lutoſas torrentis viam ſeu vitam quæ ducit ad perditionem tenere nocte, nemini apparet arduum niſi ſerò. *Virtus rectorem, ducemque deſiderat; ſed ſine magiſtro vitia diſcuntur.* Ita Seneca. Vitium inſpicit homo lynceis oculis ut illud amplectatur; non idipſum contuetur ut vitet: *in dorſo autem non in facie dicitur ſtultus flagellari, quia peccata ſua non videt.*

Cornel. à Lapid. in c. 14. Exod.

Exod. 14. 20.

Lect. Chalda.

Orig. apud Gloſſ. ibi.

Sene. in epiſt.

14. *Videre supplicium pars flagelli est.*

Hallucinatio secunda peccatoris ob quam dicitur in dorso flagellari, est quia non cernit flagellum. Et non frustra curat non videre supplicium : hoc enim utcumque minuitur, cum nescitur. Sicut non plenè possidet beneficium qui acceptum ignorat, sic econversò mitiùs punitur is quem pœna latet. S. Isidorus Hispalensis dixit : *nulla pœna gravior conscientia.* Unde cum peccator, si recognoscit se flagellari, semetipsum in corde accusat, ita cruciatur, ut punitionis validus ictus illa cognitio sit, quâ supplicium & crimen agnovit simul. Ideo de fratribus Joseph in Ægypto Rupertus ait : *justitiæ namque & idoneæ severitas fuit quòd peccatores tandiu flagellat & corripit verborum suorum stimulis, claviisque acutis tandem configit donec peccatum suum agnoscant & dicant : merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum*, &c. quasi diceret Abbas : adeo severè punivit ut agnoscerent culpam videntes pœnam. Præcipuum tribulationis pondus non est pati, sed videri tormentum à patiente.

S. Isido. Hisp. l. 2. solilo. c. 11.

Rupert. l. 9. in Gen. c. 3.

Psal. 80. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas :* aliqui apud Genebrardum legunt : *qui videre fecisti mihi multas calamitates.* Similiter ex Hebræo legit Mariana: *qui videre fecisti me (ideſt experiri) angustias multas.* Commentatur verba vulgata Interlinearis : *justè immisisti.* Verissima est interpretatio : sed æquè facilè foret scriptori Canonico dicere : quantas immisisti mihi tribulationes. Non sine spirituali energiâ dictum reor : ostendisti : quasi diceret : maximum quod sic tribulationum istarum non est durissimè infligi ; sed clarissimè ostendi. Si paterer quod lateret, minus severè ferirer ; sed cum ostendebas mihi flagellum, oculis ictus excepi. Dolor primus est vidisse: pati secundus. Consultissimè Regius vates, cùm dicere posset : quantas inflixisti mihi afflictiones, potius dixit : *quantas ostendisti*, &c. De hoc infrà nonnihil superaddam.

Genebrar. ibi.

Mariana ibi. in schol.

15. *Bis miser est qui videt quod patitur.*

Nunc solùm adjicio sic horrescere homines ad propriæ infœlicitatis conspectum, ut aliquando mors ipsis pœna suavior sit, quàm intueri miseriam quâ eos fortuna percussit. Quot malorum limes obitus est bonis tot ditat emorientem : ibi franguntur vincula mortalis carceris, desinitque mortalitas. At verò infortunij præteriti cognitio malum, quod transiit, perennare facit, & prætereuntem naturâ suâ dolorem, imagine relicta stabilem reddit. Bis miser est qui se miserum videt ; semel tantum infœlix erit si non oculis percipiat quod patitur : nam flagelli unus est ictus : alius autem est ipsa dormientis excitatio. *Sic enim sopitos* (inquit S. Thomas à Villano.) *gravissimo somno quando non audiunt voces, manu pulsantes excitare solemus. Sic facit Deus, si forte vexatio dabit intellectum.* Cùm ipsa suscitatio somnolenti facta manu percussio sit, auget expergefactio dolorem flagelli. Concludam. Sustinere simul & aspicere malum proprium, durius est, quàm cæcutientem cruciari.

S. Thomas à Villano. ser. Domi. 4. Adv.

Philistinorum pavor, Dei flagellum, Judæorum præsidio, insidiis Dalilæ tandem vinctus est ab hostibus fortissimus Israëlita Samson. Orbatur oculis, ligatur catenis, clauditur in carcere. Parum novi fecisse crudelitatem invenio : fecerat hoc totum, quamvis aliter, puer & sævus amor : cujus voluntaria tyrannis eundem excæcaverat mente, vinxerat voluptate, clausérat in fœminæ arbitrio. Solemnes hostias Dagon Deo suo immolabant adversarij, de Samsone devicto exultantes, & post epulas adducitur infaustus, ut ludat, & illudatur ante eos. *At ille invocato Domino ait : Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam.* Perdiderat ipse oculos & vires : cur non visum flagitat à Deo ? Restauret visum, & alio ultionis genere divinum zelet honorem : nec se interficiat ; sed inimicos. Oppetiit mortem ; visum petere noluit : esset illi namque peracerbum videre se ligatum, & illusum miserrimè. Facilius putavit vitam finire sine luminibus : *moriatur anima mea cum Philisthiim.* Cùm igitur multò plus torqueat illa tribulatio quæ non latet sustinentem : peccator voluntariè cæcutire solet ne flagellum videat, ut sic dolor mitigetur. Ideo fortè dicitur in dorso percuti.

Judic. 16. 28.

Ibi 30.

16. *Peccator ignorat utilitatem supplicij temporalis.*

Excæcatio tertia ex iis, quas nuper expendendas proponebam, est illa, quàm expressit Hugo Cardi. præcitatis verbis : *velatam habet faciem mentis, ut etiam non videat ad quid flagelletur.* Clementissimus Arbiter mundi perutiles fines punitione delinquentium intendit assequi : primus est ulterioris nequitiæ fuga : secundus anteacti flagitij detestatio: tertius virtutis amissæ desiderium: quartus divini auxilij recordatio : pluresque alij vel omnibus notissimi, vel cunctis ignoti. Insuavia sunt media ; sed fines utilissimi, *cùm alij hominum flagellentur à Demino ut emendentur, alij ut probentur*, prout ait Beda. Medicamenti acerbitatem causatur peccator, & salutis, quam Deus præparat eidem, delectabilitatem, non videt : *multis enim immittit Dominus tribulationes, quibus non ostendit eas, ideſt virtutem & utilitatem earum.* Contristatur ac luget flagellatus ? Ignorantiæ genus hoc est.

Beda l. 1. in Job c. 4.

Hugo Cardi. in Psal. 70. 20.

Cõgregata sunt super me flagella & ignoravi. Psal. 34. 15. Quid nescibas coronate psaltes? Hostili manu, Dei permissione inflicta flagra ? Video te ferè ad numerum illa expendere: *adversum me lætati sunt* (en sagitta feritur satis acuta lætitia scili. inimica.) *Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione.* Ecce aliud jaculum cor penetrare solens : ab hoste nempe rideri. Si numeras ictus, quidne ignorabas ? Utilitatem flagellationis : nam cum ita persecutionibus impeteretur, mæstus erat : *quasi lugens & contristatus sic humiliabar*, inquit ille : quasi diceret : debebam gaudere in tribulationibus, quia mihi erant utilissimæ ; sed ignoravi : nam quasi lugens & contristatus humiliabar tunc, non perfectè noscens quales proventus ex laboribus forem collecturus. Arbores infructiferas à quibus nihil expectabis præter umbram, quantumvis luxurient, non putat agricola ; hortulanus maximè illas quæ fructibus ditandæ intra horti septa nutriuntur. Desperatis ægris vix aliquid negat medicus ; aliorum, in quibus adhuc spes evadendi manet, exhaurit

Ibidem, & n. 16.

Ibi n. 14.

sanguinem,

nem, non explet sitim, desideria despicit. Itaque putet se delinquens ægrotum sanabilem, arborem non sterilem, ut supremum ægritudinis omnis medicum, summumque vineæ spiritualis agricolam sibi propitium agnoscat etiam dum habita secat, & postulata negat. *Vides*, ait Chrysostomus, *quomodo & pœnæ & supplicia beneficia sunt, & Dei erga hominem providentiam declarant*? Videat reus ad quid percutiatur, ne dicamus in dorso flagellari.

Chrysost. in Gen. ho. 26. tom. 1.

DELIBATIO III.

Mens in corde posita judicat contra id quod cernit; sapiens verò est qui mendacia intelligit, vera novit, recta operatur, & operando loquitur.

17. *Impij mens residet in corde; justi verò intellectus in sede sua.*

IN *labiis* sapientis inveniri sapientiam dixit Salomon. Hoc dicerem si de stulto loquerer, qui grandiloquentiæ totam in ore, nullam in mente venditat scientiam. Prudens ex corde quæ profert eructat: unde ad hæc verba Liranus addidit: *quia ex abundantia cordis os loquitur.* Dicat igitur: in eruditi corde invenitur sapientia. Consultò non sic in præsenti dictum est, ne putarent homines intellectum propriam in corde habitationem obtinere, quandiu non miscetur confusa motibus vitiorum respublica rationalis intra pectus cujusque nostrum sita. Si turbatur hæc bello civili, princeps intellectus regiam deserit arcem, & cordi se committit, ubi simul cum voluntate moratur, non sine magno dominij regalis dispendio: nam contingit quod ne voluntati videatur inurbanum exhibere contubernium, ad illius nutum contemperatur. Heu rem principi abjectissimam: sed quid non invertunt bellicæ inquietudines? Exinde fit ut voluntatis officio transverso, per novam philosophiam appetitus videat in corde. Res non latuit moralissimum Doctorem Gregorium M. qui sic habet: *Psalmista ait: iniquitatem si conspexi in corde meo non exaudiat Deus. Quæ nimirum iniquitas in ore exprimi non posset, si non conspiceretur in corde. Sed aliud est videre per judicium, aliud per appetitum.* Ecce spirituales oculos in corde positos notavit S. Pontifex. Itaque non frustrâ dicemus. Intellectus justi residere videtur in illius facie, ut ibi præcipuos regni ministros foveat; intellectus autem impij habitat in corde, quod voluntatis erat peculiare domicilium.

Lira in prover. 10. 13.

D. Greg. M. l. 22. mor. c. 1. tom. 1.

Deus per vatem Evangelicum ajebat: *loquimini ad cor Ierusalem.* Ad cor loquendum? Cur non inquit ad aures? vel ad faciem? Deus olim dixerat se ad os Moysi loqui: *ore enim ad os loquor ei.* Disparitatem assigno: Moyses Dei amicus erat. *Moyses qui in omni domo mea fidelissimus est*; Jerusalem sceleribus inquinabatur: *loquimini ad cor Ierusalem, & advocate eam: quoniam completa est malitia ejus:* nam, quidquid alij dicant, malitia potest sumi pro peccatis. *Quoniam* (ait Dyonisius Carthus. ibi) *completa, ideſt terminata est malitia ejus per Christi adventum ac passionem, de quo scriptum est: ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Et post pauca ibidem addit: *dicitur autem peccatum populi Dei completum, non quòd postmodum non peccavit, sed quia pro omnibus peccatis eius Christus plenissimè satisfecit:* igitur sermo est de Jerusalem iniqua. Ad intellectum dirigebatur utraque Locutio: scilicet apud Isaiam ad civitatem Jerusalem, & apud Numeros ad Moysen Domini amicum: huic sermo fit ad faciem, urbi ad cor: nam in capite justi inveniendus fuerat intellectus, tanquam in proprio loco privatam rempublicam æquo moderamine regens, atverò civitatis improbæ mens non in facie vel capite, sed in loco non suo quærenda erat, scili. in corde: *loquimini ad cor Ierusalem.* Caput rationi appropriari tanquam peculiare facultatis intellectivæ habitaculum non dubitabis: & fortè hoc voluit Galenus cum distinguens in homine tres animas, rationem in capite collocavit (nec enim credo sapientissimum philosophum omnes homines putavisse fabuloso Gerioni similes.) Quoad præcipuam functionem quæ est intellectio, animam in facie peculiari modo commoraturam videtur colligi quodammodò ex eo quòd non in cor inspiravit Deus in hominis opificio; sed *inspiravit in faciem eius inspiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Ubi autem completa erat nequitia (*quoniam completa est malitia ejus*) intellectus in corde sedem possidebat: non enim bonas, sed malas cogitationes, exire de corde asseruit Divinus Magister: *de corde enim exeunt cogitationes malæ* &c. Ideo dirigenda erant ad cor loquentium verba: *loquimini ad cor Jerusalem.* Cum Dei amico Moyse aliter ipse loquebatur, quia in ore seu facie, tanquam in sede propriâ servabat intellectum: *ore enim ad os loquor ei.*

Isai. 40. 2.

Num. 12. 8.

Dyonis. Carthu. in c. 40. Isai. art. 18.

Gen. 2. 7.

Matth. 15. 19.

18. *Homo judicat contra id quod videt.*

Ne putaveris exigua ex hujusmodi mutatione sedis nocumenta consequi. Divertit intellectus ad cor, & ibi voluntatem reperiens ei sic associatur, ut non nisi ad ejus arbitrium videatur intelligere. Intellectum formaliter liberum negant philosophi: novum non est quod homo audeat plus quam Deus fecerit. Liberam sibi fingunt illi mentem, utpotè quæ ponit lucem tenebras, & tenebras lucem: amarum vocat dulce; dulceque appellat insuave. Dices hoc ideo intellectui contingere, quia per oculos fallaci rerum specie decipitur: Nec semper occurrentium imaginum colores mentiuntur visui. *Oculi*, ait Ambrosius, *autem quædam in carne sydera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari.* Respondeo verum esse Mediolanensis Antistitis dictum: sed quid refert fulgor exterioris visus, si oculus interior cæcus sit? *interior est etiam oculus, qui affert toti corpori cæcitatem*, inquit idem Ambrosius. Hinc fit ut quidam videant quasi non videntes, quin oculis apertis illuminentur. Redeat Ambrosius: *non*

S. Ambr. to. 1. l. 6. Hexame. c. 9. & in ps. 43. 20. & l. d. paradi. c. 13.

non omnibus aperire oculos utile, quia ſcriptum eſt: videbant, & non videbunt.

18. *Homo judicat contra id quod videt.*

Ex his quæ dixi ortum habet quod aliquando contra ipſum oculorum ductum judicet intellectus, ita ut cum ei objicitur fundamentum ut neget, affirmet; ſi motivum ad affirmandum proponeretur viſui, negaret mens. Percipit vera; ſed viceverſa judicat falſa; ſi perceperit quæ non ſunt, judicabit vera. Reſurgit Authore vitæ jubente Lazarus: exiitque ita citato greſſu ex ſepulchro ut ligatus funeralibus faſciis, ac facie tecta re-

Joan. 11. 44. divivus apparuerit. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Quâ de causâ ſpectrum iſtud exuitur ex fovea? terrebit priuſquàm lætificet ſorores frater ad vitam reſtitutus? erat ne difficilius ligaminibus intra monumentum ſolvi, quàm ad vitæ uſuram è mortis carcere voce revocari? Qui Babylonica in fornace compeditorum vincula rupit, nonne poterat antequam lapis tolleretur, expedire à vinculis cadaver? Quis inficiabitur? Quid igitur impulit Servatorem, ut amicum educeret à mortis clauſtro colligatum funeris inſignibus? Accipe

D. Baſil. S. Baſilium: *exivit ergo Lazarus, ſed compeditus, ne res phantaſma eſſe putaretur.* Et quæro: timeri poterat ne putaretur illuſio phantaſtica miraculum iſtud, ſi Lazarus more viventium prodiret omnino expeditus? Ut eſt hominum ingenium, ita quidem. Divinus Magiſter humani judicij miſeratus indolem, huic ſe libens accommodat, rectitudine ſervatâ. Ne ſumant homines errandi occaſionem, veritatem aliquatenus obnubilat, ut non ſicut ſolet oberrent. Si more viventis vinculis abſolutus exiret Lazarus, forſan exiſtimarent mortuum; ſtylo defuncti ligatus prodivit: creditus eſt vivus. Inverſo diſcurrendi genere, novâ dialecticâ, ſolent ex vero falſum, ex falſo verum, inferre mentes hominum ad voluntatis arbitrium configuratæ, ideoque in corde hoſpitari ſolitæ. Non ſic ſapiens: idcirco ſapientiam non in ejus corde aſſeruit Salomon hîc inveniri; ſed *in labiis.*

19. *Mendacium fugere quàm difficilè.*

Sapientis. Et quis eſt verè ſapiens? A ſapientibus hoc dubium diſſolvatur. Lactantius dixit: *primus ſapientiæ gradus eſt falſa intelligere: ſecundus vera cognoſcere.* Tertium addidit Gregorius Naz. dicens: *ille mihi videtur eſſe ſapiens, qui pauca quidem de virtute animi commonet, & proloquitur, plura autem in ſuis actibus atque operibus oſtendit, & fidem verbis operum ſuorum ſtipulatione confirmat.* Tres igitur conſcendat gradus oportet ille qui ſapientiæ throno ſedere cupit: nempe falſa intelligere, vera cognoſcere, recta operari. Primus ex iſtis difficiliter ſuperatur, quamvis maximè ſit amica veritas. Audi Philonem Hebræum. *Ergo donec conſummentur Amorrhæorum peccata, hoc eſt ſermones ſophiſtici, qui non facilè convincuntur, ſed valent nos rationibus perſuaſibilibus ductare, non poſſumus eos averſari talibus inescati illecebris, & manere apud eos cogimur.* Et poſt pauca: *Satis demonſtratum puta eſſe impoſſibile averſari, odiſſe, deſerere mendacia probabilia rationibus veroſimilibus, niſi detegatur ad plenum eorum iniquitas.* Neſcio quo philtro mendacium nos allicit ut illaqueet. Oportet quòd favente Deo falſitatis colores ab oculis longè ponantur, ne apparentiæ veneficio illecta mens in luce caliget.

Lactant. Firmi. d. divi. inſtituti. c. 23. D. Greg. Nazia. orat. 13. poſt princi. Philo Hebr. to. 1. l. Quis rerum divi. hæreſ.

Sapientiſſimus erat ſanè rex Salomon, & tamen Deum orabat dicens: *Verba mendacia longe fac à me.* Statim dicebat volens divitiarum vitare diſcrimina: *mendicitatem, & divitias ne dederis mihi:* ſtylum vides immutatum? non poſtulat ut ab ipſo Deus longè ponat divitias; ſed mendacium. Commentatur Hugo Card. *longè fac à me: ideſt quod non habeam in me, nec habentes patiar juxta me.* Et quare non ita de opibus loquitur? Quia facilius putavit valedicere facultatum copiis, quamvis prope ſe videret eaſdem, quàm verba mendacia declinare, ſi cominus illa exciperet auribus. Non flagitat ut ab eo ſejungantur gazæ; orat ut ab ipſo mendax ſermo diſtet: *verba mendacia longè fac à me.* Proclive ad falſa verebatur humanum judicium: ita ut etiam excellentibus adeo divinæ ſapientiæ documentis edoctus non ſibi confideret in fraudis vicinio liberum à deceptione manere. Quid erit in eis, qui ſolum cæcos ideo non imitantur integrè quia de ſolis coloribus judicant?

Prover. 30. 8. Hugo Card. ibi.

20. *Hominis oculi ſimul patent mendacio, & clauduntur veritati.*

Mirabilius eſt, quod etiam acie mentis pollentibus objecta fraus, eos tam facilè trahat. Oculorum ductum erroneum ſequimur, eo quòd à naturâ dati ſint oculi magiſtri, & præceptorum erroribus adhærere pronum ſit. *Oculi*, ait Gregorius Nyſſenus; *nobis omnium operum magiſtri ſunt, & doctores nobiſcumque nati, ac inſeparabiles expertis omnium errorum itineris duces.* Igitur noſtra lumina, cùm veritas & falſitas veſtitu ſimillimo tegi ſoleant, decipiuntur facilè colore deluſi. Dolus gnatorum ſuaſit Jacobo Joſephum à ferâ devoratum. Quo ingenio? Tinxerunt fratris tunicam bruti ſanguine: quam ut vidit genitor, putavit ſic ſe rem habuiſſe. Non erat verus ille filij ſanguis: attamen cùm ejuſdem coloris eſſet, fratres impoſuere parentis oculis, præſtigio utentes non difficili. Modò dicebam periculoſam eſſe commenti vicinitatem. Nunc addo. Quantumvis mendacium & veritas uno tempore ſint æquè diſtantes, oculos habet homo clauſos ut agnoſcat verum; & apertos falſum ut percipiat. Quid viſus noſter niſi porta quædam? *qui aperit oculos* (verba ſunt Haymonis Epiſcopi) *ad ſcrutanda mirabilia de lege Dei, dicens cum Pſal. revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua, portam laudationis oculorum portam Dei efficit.* Mendacij notum emblema eſt echo; veritatis verò Sol ænigma conſpicuum: & novum non eſt quòd porta ſit clauſa Soli, & eodem tempore per eam ingrediatur Echo. Sic non ſemel oculorum januam introit mendacium, quam veritas non intrat.

Greg. Nyſſe. in Cantica orat. 7. ante med. Haym. epiſcopus in Evan. Lucæ 7. fer. 5. poſt Dom. 4. Quadrag.

Morbus eſt hic hæreditarius ad nos à Protogenitrice tranſmiſſus: nam cum divitias amiſerit illa, nobis accidit quod ſolet pauperum filiis contingere: ſcili. ab eis hæreditari, non bona quibus carent; ſed mala

quibus

quibus inficiuntur. Postquam de vetito fructu primi parentes gustavere, testante sacro
Gen. 3. 7. textu, *aperti sunt oculi amborum.* Tunc patuere lumina? Fuerant igitur antea clausa? Si est ita, quomodo dicitur Hevam conspexisse arborem, eique istam placuisse? *vidit*
Ibi n. 6. *igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Quæ ante comestionem prohibitam lignum vidit, utebatur oculis: quomodo ergo aperti sunt post esum? Erant ne prius Hevæ palpebræ clausæ simul & parentes? Affirmare vellem: vide an valeam incerti
Incertus S. Aug. tom. 4. in dial. inter Otos. & Aug. Augustini verbis: *apertos oculos habebant, & tamen nisi ad aliquid clausi essent, nullatenus Scriptura diceret: aperti sunt oculi amborum.* Arboris illius infaustæ ramis veritas & mendacium pendebant in eodem pomo. Videbatur optimum & suave; pessimum tamen erat, quia comedentes occidit: & ejus dulcedinem amaram satis edocuit experientia. Ecce verum & falsum simul & in eadem erant distantiâ. Ast Primigeniæ oculi claudebantur ut verum periculum conspicerent, nam posthac fuere patefacti ut acceptum damnum cerneret: *aperti sunt oculi amborum.* Nihilominus ejusdem primævæ matris acies patebat ante prævaricationem ut illac ingrederetur falsitas: nam pulchritudinem percepit arboris, & sibi mentita est esse bonam ad vescendum, cùm satis malus esset fructus qui mortem attulit: *vidit igitur mulier*, &c. Ecce quantùm prævalet mendacium ut fallat, etiam dum veritas præ oculis est. Arduum crede vitare fallacias. *Primus sapientiæ gradus est falsa intelligere:* O quàm difficilia sunt initia sapiendi!

11. *Rudis amàs veritatem penetrat eâ, quam perspicax, si odit, nescit.*

Secundus sapientiæ gradus est vera cognoscere. Jam hic minor aliquantulum visitur difficultas. Imò dicam: si veritatem desideras adipisci, res facillimi negotij hoc erit. Quomodo putas in ejus agnitionem veniri? claudendo corporeos oculos, & aperiendo animæ lumina. Neutiquam arduum fatebor quod perficitur dum oculos aperis & claudis. Obstacula tolle quæ veritati offundunt nubila, & statim ejus radiis illustraberis. Nemo verè dicet eam, quæ congruebat spiritui, veritatem noluisse quia non attigit; melius loquetur si confiteatur illam non attigisse quia noluit. Sæpius veri cognitio non tam pendet ab eo quod meliori gaudeas ingenio; sed ab eo quod pessimam non habeas voluntatem. Subtilior intellectus, si veritatem odit, non eam videt, quia vix ipsam videre suffert; ruditate verò pressus in eandem perspicaciter aciem collimat, si desiderat id quod prior execratur.

Ab angelo moniti pastores transierunt usque in Bethlehem, & quem pannis infantilibus tectum invenere, Deum credere non
Luc. 2. 17. recusarunt. *Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.*
Beda ibi. apud Hugo Cardi. ibid. Exponit Beda: *per cognitionem nativitatis, id est humanitatis, venerunt ad cognitionem verbi, id est Deitatis.* Certè mysterium Incarnationis illis temporibus res erat adeo creditu difficilis, ut etiam Apostoli tempore inobedientiam incredulam ipse causaretur dicens: *sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro?* Et vides quàm pronis auribus fidem de tanto divinæ Sapientiæ miraculo inculti pastores adepti sunt. Transi modò ad illud celeberrimum duellum inter optimum & pessimum, scili. Christum Dominum ac dæmonem in solitudine. Communis & verissima sacrorum interpretum est sententia diabolum tentavisse Redemptorem, ut investigaret an esset Filius Dei. Sufficiat unus pro multis Hieronymus; *in omnibus tentationibus hoc egit diabolus ut intelligat si Filius Dei sit. Sed Dominus sic responsionem temperat ut eum relinquat ambignum.* Dæmonis circa divinitatem Servatoris dubium exprimunt apertè verba illa, quibus in prima & secunda tentatione usus est: *si Filius Dei es.* Adhuc inimicus de Redemptoris Deitate dubius erat? tot motivis credibilitatis, quæ ipse penetrabat acutè, non convincitur? *Viderat stellas* (inquit jam alior- D. Anselm. ibi tom. 1. sum expensus D. Anselmus) *viderat Magos, viderat Joannem clamantem, hic est Agnus Dei; audierat de cælo forsitan vocem Patris; sed putavit eum vocari filium adoptivum sicut & alios sanctos, audierat Prophetas, sciebat Christum venturum. Sed cùm omnia ista vidisset signa; non tamen credidit esse Deum, & hoc faciebat ejus superbia.* Opiliones Bethlehemitici Verbum absconditum noscunt? dæmon qui perspicaci judicio prævalet, ignorat rem pastoribus notam? Quid mirum si cum angelicum habeat intellectum, diabolica est in eo voluntas? Quomodò Incarnationis, quam execrabatur, veritatem perciperet facilè? Sciebat illo mysterio sibi parari ruinam, regno spoliandum, & summè torquendum invidiâ. Quod summopere detestabatur ignorabat, quia ingrata veritas difficilè cernitur. At pastores Hebræi Messiæ desiderabant adventum: ideo enim hujus executionem prodigij vocavit angelus etiam illis gaudium magnum: *evangelizo vobis* Luc. 1. 10. *gaudium magnum quod erit omni populo, quia* 11. *natus est vobis hodie Salvator qui est* &c. Quod igitur avebant corde, intellectu excipere difficile non erat. In spiritus doctrina citò fit sapiens qui scire non renuit. Et in primis abjicienda est superbia: nam ut S. Augustinus ait: *ille piè attendit legem Dei,* D. Aug. in *cujus aurem inclinat humilitas; non cujus erigit cervicem superbia.* Ps. 76. to. 8.

Tertius sapientiæ gradus est rectè operari. Hoc opus, hic apex laboris est. Qui doctrinam sine operum eloquentiâ offert, munus agit potius libri quàm præceptoris. Docet quidem liber; sed non auditur. Haud aliter verbis actionem non adjungens, mortuo modo exercet magisterium. *Quid* Sen. epist. *faciendum sit, à faciente discendum est,* 98. ait Seneca: aliter discipulus reluctabitur doctrinæ, verbaque usurpabit Ambrosij: *supra me debet esse cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo qui mihi det consilium quod non dat sibi, cujus animum voluptates occupent, libido devinciat, avaritia subjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus?* Plus eget operatione sermo, quàm econversò indigeat verbis actio. D. Grego-

22. *Operum auxilio doctrina proponitur consi- dentius.*

S. Ambr. to. 4. l. 2. de offic. c. 12.

rius Pap. censuit per Aaronis vestimenta designari opera recta, per tintinnabula pendentia doctrinam. *Vestimenta etenim sacerdotis*, inquit ille, *quid aliud quàm recta opera debemus accipere? Propheta attestante, qui ait: Sacerdotes tui induant justitiam. Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque bona opera clament sacerdotis.* Aptè composuit ænigma S. Doctor. A vestimentis tintinnabula pendebant, & nisi vestis moveretur non personarent; viceversa quin ista sonum ederent, perspiciebatur indumentorum pulchritudo. Sic, quamvis opus absque sermone sua non destituatur laude; tamen elocutio nisi operum auxilio fulta, sonitum non producit. Pudore velut afficitur sapientia nisi comprobetur factis. *Doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam*, dixit Greg. idem. Ille audacter edocet qui testes dictorum exhibet gesta. Instruebat gloriæ Princeps de hac veritate discipulos olim tacitè; sed nihilominus ejusdem verba revocemus ad trutinam.

D. Greg. M. tom. 1. p. 2. Pastor. c. 4.

Idem l. 23. mora. c. 7. tom. 1.

Priusquam Redemptor ascenderet in cælestia, suis legatis, quorum interventu mundo quem vicerat obtulit pacem, fatus est in hæc verba: *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Advertis quasi consequentiam? De potestate posuerat præmissas: *data est mihi* &c: & velut inferens, ait: *euntes ergo docete.* Et quid potentiæ Christi cum doctrinâ est Apostolorum, ad hoc ut ex illa deducatur hæc? si diceret: data est mihi omnis sapientia: euntes ergo docete, non demirarer: hoc namque dicendi modo significaret se illis conferre scientiam, quâ utentes illuminarent orbem. Sed meminit omnipotentiæ, ut juberet magisterium? Opportunè quidem, quasi diceret: ite docete confidenter, quia vobis adsum potestate mea, ut possitis operibus roborare quod ore protuleritis meo nomine per universi theatrum. Consequentia illa: *ergo docete*, deducta fuit, ut Logici ajunt, de primo ad ultimum sic. Datum est mihi posse cuncta: vobis igitur adero præpotentibus auxiliis. Undè me adjuvante, beneficentiam, quam docturi estis, exercebitis miseris opem ferentes: diabolum ac tyrannos, adversus quos suscipiendum esse bellum populis prædicandum vobis est, illos, inquam, expugnabitis, & similia doctrinæ vestræ monita peragetis operantes. Atqui non est cur diffidentia reprimat sermonem quem opera confirmant: ergo sumite animos, euntes orbem erudite. Optimus & efficax discursus, utpotè à Sapientiâ Divina compositus. Non timeat verba facere qui loquelam simul exercet ac opus. Viva bis vox est quæ operationem comitem habet.

Matth. 28. 18. 19.

23. *Stylus Dei est operando loqui.*

Divinus hic effandi mos est: operando loqui. Prima æternáque Patris operatio est locutio. Loquitur Pater, & loquendo gignit. Perlege mundi creationem, & invenies Deum loquendo fecisse: *dixitque Deus fiat lux .... dixit quoque Deus fiat firmamentum* &c. Dicamus ergo cum Gregorio Pap. *Magna sunt quæ per vocem suam Dominus facit.* Dei loquela operatio est.

Gen. 1. 3. 6.

D. Greg. M. l. 27. moral. c. 13. tom. 1.

Miseratus Israëlem clementissimus rerum Arbitrer mittebat Moysen ad Pharaonem, ut populum è servitute liberum educeeet. Reluctabatur ille pavens onus gravissimum subire, diffidens de fœlici legationis exitu. Meticuloso sic injiciebat animos Omnipotens. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo.* Et infra: *& ego ero in ore tuo:* dixerat quippe Moyses: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Mirabar quod non legitur Moysen postea expeditiori linguâ usum fuisse. Quare non linguæ dissolvit obstaculum qui dixerat se futurum in ore ejus? An non rationabilis fuit hæc excusatio? Fuisse putavit Rupertus dicens: *proinde & hanc objectionem ejus tanquam rationabilem amplectens Dominus, dixit ad eum: quis fecit os hominis?* Perquiramus cur non ejus labia Deus expedivit? Quia congruentius erat ut loqueretur exequens mirabilia Moyses, quem Deum Pharaonis constituit Altissimus. Stylo Dei locuturus fuerat: unde potiùs egebat in operando roborari, ut clamarent illius opera Dei potentiam; quàm linguâ expediri, ut personaret pulchriùs ejusdem locutio. Ideo fortè purpuratus vates, cum liberationis Hebraici populi meminit, dixit: *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron*; de voce Moysis vel Aaronis tacuit: voces metaphoricè nubibus, tonitruoque accommodans ibidem: *vocem dederunt nubes. Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.* De verbis eorum qui Dei nomine redemptionis Hebræorum negotium peregerunt, hîc non curat: nam operando elegantiùs dixerant, si Dei, cujus agebant vices, rethoricam animadvertis. Unde bellè pro moribus ab verba Psalmistæ Cardinalis Hugo: *in manu, ideſt exemplo operationis, non verbo. Meliùs enim ducuntur homines exemplo, quàm verbo.* Maneat igitur ad veræ sapientiæ culmen tribus ascendi gradibus: notitia falsi, cognitione veri, & rectis operibus. Hæc tria qui nactus fuerit, gaudebit meritò nomine *sapientis.*

Exod. 4. 12. 15.

Ibi n. 10.

Rup. l. 1. in Exod. c. 18.

Psal. 76. 21.

Ibi. c. 18. & 19.

Hugo Card. ibi n. 21.

24. *Doctrina spiritualis quæri non solet: sed casu reperiri.*

Invenitur. Quamvis litteram expendens notaverim vocem istam supponere inquisitionem inventæ rei: quia tamen hæc energia propria latinæ vocis est, ac in lingua originali similes adnotationes locum sæpissimè non habent: datur adhuc locus ut verbum illud, *invenitur*, sumamus pro reperire casualiter, non præmissâ diligentiâ quærentis. Doctrinæ spirituali (de qua vel sola, vel præsertim hoc loco sermo est) accidere solet ut rarò quæratur; casu invenitur ut plurimùm. Ideo non inquirit homo cælestem sapientiam, quia terrenis præpeditus vinculis animus præterit superna. Unde S. Laurentius Iustin. ait: *Cum ad Divinam verbi contemplandam celsitudinem humanus se disponit intellectus, & mens rationalis anhelat: prius necesse est ut compedibus quibus irretita tenetur absolvatur:* quod quia non omnes assequuntur ferè immobiles

S. Laur. Iust. de casto connub. c. 16.

mobiles obdurescunt ne sollicitent doctrinam salutarem : & illam veluti decidentem recipiunt casualiter. Non frustra pluviæ comparantur verba quæ ad salutem dirigunt animos. *Pluvia est doctrina, quia sicut pluvia irrigat terram ut proferat fructum, sic doctrina hominem irrigat ut justitiam operetur.* Imperfec. hom. 20. in Matth. Hæc Imperfectus. Terra non quærit pluviales aquas ; excipit si fortè cadant : ita plures documenta spiritualia non satagunt invenire ; licet illa fortuito reperta diligant.

Non semel Ecclesiasticus confert sapientiam thesauris : *in thesauris sapientiæ intellectus :* & infrà : *in thesauris sapientiæ significatio disciplinæ.* Eccli. 1. 26. 31. Cur non simpliciter auro vel gemmis assimilavit sapientiam ; sed thesauro ? Quia gemmas & aurum summo laborum pretio requirunt mortales, quin eos terreant maris discrimina, peregrinationumque tædia ; sapientiam spiritus profectui congruentem fermè nullus est qui rimetur : à non inquirentibus deprehenditur casu, sicur accidit in thesauris. Non de qualibet sapientia textus ibi loquitur præcitatis verbis : quia priori loco dicitur : *in thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas : execratio autem peccatoribus sapientia,* Et in secundo legitur : *in thesauris sapientiæ significatio disciplinæ : execratio autem peccatori, cultura Dei.* Satis insinuat Siracides de illa sapientia se agere, quam scelesti detestantur; non verò de vana scientia, quæ superbiâ turgens non illis est infensa. Velut thesaurum ergo, si contingenter audiatur, amplectuntur aliqui ; non quæritant illam. Alij sunt qui divitias non agnoscentes refugiunt. Eas, tandem, penè vestigat nemo : & à paucis bonum istud *invenitur.*

25. Sapientia communicata clarescit. *Sapientia.* In ore quid ad sapientiam pertinens inveniri potest nisi verba ? Species, cognitiones, & habitus in intellectu reconduntur. Igitur Salomon videbatur dicturus in labiis sapientis invenitur sermo prudens. Puto quòd idipsum intendit asserere : per nomen, *sapientia,* verba diserta significavit. Optimè nomen sapientiæ verbis congruit eruditis : quia istis in aliorum utilitatem effunditur scientia : quasi hæc in solis reperiretur labiis, eò quòd tunc præcipuè sapit verè peritus, cùm alios reddit ejusdem disciplinæ participes. Insipida est absque socio dives eruditionis possessio. Sen. epist. 27. *Si cum hac exceptime,* inquit Seneca, *detur sapientia ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam.* Sciebat Ethnicus tunc solem elucescere cùm radios diffundit, ideo sic locutus ansam præbet ut asseramus cum Cassiodoro : *scientia abscondione minuitur, & communicatione multiplicatur.* Cassiod. in epist. Sublimior sapientia communicatione clarescit ; umbris involuta minor est.

Apostolos cum Ezechiele componamus. Aberat à discipulis Filius Dei. Nec tamen eorum oblitus in regno suo, promissum Spiritum sanctum effudit in ipsos : qui dispertitis linguis igneis erudivit singulos, ut velut organum divinæ sapientiæ miro concentu resonarent omnes magnalia Dei. Act. 2. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis,* &c. nam ut ait ex D. Gregorio M. Glossa in hunc locum : *per hoc quod exterius exhibuit, quod interius gerebat expressit, qui enim discipulos zelo succensos & verbo eruditos intus reddit, foras linguas igneas ostendit.* Glossa Ordi. ibi. Instruxit idem Spiritus olim Ezechielem : etiamque visibiliter objecit illius menti sapientiam sub ænigmate libri. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber :* exponit Interlinearis ; *obscurus :* & Glossa Ordin. ibidem : *hic involutus est quem nemo potest legere, nemo aperire : nisi leo de tribu Juda.* Ezechi. 2. 9. Interlin. & Gloss. Ordi. ibi. Divinarum rerum sapientiam Spiritus idem largâ manu contulit utrobique : Apostolis nempe vatique. Cur illis in fulgore ignis exprimitur collata notitia ; Ezechieli verò involuto, seu obscuro libro ? Quia Prophetæ minus excelsa, quàm Apostolis data est sapientia. Illi donatur involucris tecta, quia minor ; Incarnati Verbi discipulis emblemate fulgentis flammæ significatur scientiæ donum, quia multò profusiùs eis fuit elargitum : ideoque insinuatum multiplici linguâ, quæ diffundendi sapientiam instrumentum est : quasi divinus ita Spiritus hortaretur Apostolos ut acceptam à Diviniſſimo Flamine doctrinam sibi neutiquam thesaurizarent ; sed statim labiis committerent : nec paterentur involvi, claudive fulgentes adeo radios. *In linguis igneis,* ait S. Gregorius Pap. *apparuit Spiritus, quia omnes quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent: quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant.* D. Greg. M. hom. 30. in Evang. Ezechielis tempus adhuc patiebatur involvi scientiam rerum divinarum : quia sicut minori largitate distribui tunc à Deo solebat : ita non tam latè longéque radiabat. Cùm temporis plenitudo venit super omnem carnem, sapientiæ symbolum lingua fuit. Unde quod linguæ negatur ad Ecclesiæ utilitatem, hoc ipsum videtur nesciri. Idcirco inpræsentiarum, cùm expectares dicturum Salomonem verba prudentissima in labiis inveniri sapientis, ut colligas tunc potissimùm peritum sapere, cùm aliis communicat quæ novit : in ore, quod via distributionis hujus est, scientiam posuit, dicens : *in labiis sapientis invenitur sapientia.*

DELIBATIO IV.

Veritas ingrata malis ; justo dulcis. Oblivio supplicij : peccati pauperies : cordis fugacitas.

26. *Plus veritatis quam supplicij torquet amaritudo.* IUxta versionem Septuaginta relatam n. 2. (cui littera vulgata non dissonat) eadem sapientia, quæ ab ore prudentis ad stulti seu vecordis emendationem prodit, appellatur virga qua cæditur iste dum corripitur. Nec minus odiosa quàm flagellum veritas est ei, cujus carpuntur opera. In pectore sapientis putrescit veritas, occasionem quâ proferatur observans : ideo cum tandem egreditur, amaritudine lædit audientis palatum. Hoc ita verum est ut leviùs ferat pec-

cator supplicio affici quàm veritatem audire.

Sacrilego ausu rex Ozias adolevit incensum; cum sacerdotum, non verò regis hoc munus esset. Monuerunt ipsi dicentes: *non est tui officij Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum.* At ille contumax in crimine irâ correptus comminabatur ipsis. *Iratusque Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est Lepra in fronte ejus.* Leprosum juxta legis præscriptum curant ejicere sacerdotes, & ipse non restitit: *expulerunt eum. Sed & ipse perterritus accelleravit egredi, eò quòd sensisset illico plagam Domini.* Nunc Divinæ voluntati dat manus impius? Et antea contra Dei legem sacerdotij munus usurpabat? Quid, quæso facilius, relinquere thuribulum, quod sibi conveniens non erat; an regem ejici de templo? cùm à sacerdotibus monetur ne alienum sibi vendicet officium, obstinatus minas conjicit in eosdem? & modò cum ab eis verecundè satis expellitur, nec verbum audet? Supplicium acceptavit libentiùs quàm veritatem. *Tam longè fuit*, ait inibi Sanctius ad c. 15. Reg; *ut illorum sive monitis, sive precibus acquiesceret, ut minaretur potius sacerdotibus, qui immanè illud scelus exprobrabant, infortunium & mortem, si odiosi esse pergerent ulterius.* Ecce quàm illi fuit odiosa veritas à sacerdotum ore prolata. Postea vindictam Domini subire non recusavit; sed priùs cum veritas in faciem à sacris ministris objecta est: displicuit semo ille, minacibusque verbis repulsus est. Plus veri, quàm pœnæ torquetur amarore sceleratus: at fallitur ejus animæ gustus morbo peccati vitiatus. Benè Chrysostomus ad illud psalmi *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua*, notavit: *cùm suavia dixisset, addidit: faucibus meis. Quam suavia, inquit faucibus meis eloquia tua & super mel ori meo, cùm in bona esset valetudine. Non igitur morbo aliquo affecti, sed animæ prius cura adhibita hoc pabulum accipiamus.*

2. Paral. 26. 18. 19. 20.

Sanct. in c. 15. l. 4. Reg. n. 5.

Chrysost. to. 3. in prolog. sup. Ioann.

27. *Veritatis assertorem putat peccator hostem, quamvis fratris loco habeat aliquando inimicum.*

Adhuc majori hyperbole dignum est odium quò veritas corripientis haberi solet. Ut videas quantùm appareat delinquenti res ardua veracem audire correptorem, quæro: quodnam est inter omnia summum tormentum? Gehenna. Et quid peccatori gehennalibus pœnis durius? Virtus: potius enim se tartaro, quàm virtuti delinquens tradere vult. Et inter virtutes quisnam est difficultatum apex! Inimicum diligere. Nihil est quod sibi molestius vocitent illi qui fingunt laborem in præcepto. Excipere corde qui tela pectori vulnerando nuper mittebat! delere injuriarum memoriam insculptam silicet! Vides quantæ molis rem sibi pingat humana fragilitas inimicitiarum oblivionem? Adhuc difficilius est audire verum, quia cùm audientem beneficio violenter prosequatur qui loquitur: & supposito quod vulgò quisque dicit: miserum est quod amare debeas quem non juvat: correptus ægerrimè fert quod invitus devinciatur hoc munere. Proinde tanquam hostem reputat monitorem suum idem qui benignè adversarium fratris loco habere non recusavit.

Exemplum habes regem Achab. Debellaverat is aperto marte Benadab regem Syriæ: qui fugâ sibi consuluit, fortunæ cedens bellicæ. Tunc ejus servi consilium inivere salubre. Vestiti saccis, & funiculos in capitibus gestantes accesserunt ad regem Israël ut Benadab vitam impetrarent. Dixit eis humanissimè rex Achab: *si adhuc vivit, frater meus est.* Non post multa spatia temporis accidit casus Naboth satis notus. Vineam possidebat infœlix (quia regi vicinus) quam percupivit Achab: nec eam valuit ab eo permutatione, pretiove obtinere. Doluit rex impius frustratum desiderium, & iniquæ Reginæ doloris causam exposuit. Illa mortem Naboth machinata fuit: & Achab denique descendit ut emortui vineam sibi possideret. Tunc missus à Domino Elias iniquitatem liberrimè increpaturus. *Et ait Achab ad Eliam: num invenisti me inimicum tibi?* Sensus est appellare hostem suum Eliam. Sic ex textu Hebraico manifestè colligitur, ubi legimus: *num invenisti me inimice mi?* Et commentatur Hugo Cardinalis: *cur inimicaris mihi?* Quid habet querelæ contra vatem Achab? quòd veritatem dixerat jubente Deo? Sic puto: nam vera crimina objecerat in faciem præco veritatis Elias: & adversantem sibi reputavit Achab, ex eo quod veritatem exosam regi agnoverit. *Invenisti me, inquit, inimicus meus, deprehendisti in me quæ latere putabam. Nulla mentis meæ occulta te fallunt. Invenisti me, patent tibi vulnera mea &c.* Ita commentatur S. Ambrosius. Et si veritatis odio habitæ agnitio satis erat ut inimicum Achabus reputaret Eliam: quantò plus hostilia judicasset improbus verba, quibus vates ei scelera exprobravit, manifestum est. Benadab hostem devictum rex idem reconciliat sibi, fratremque nominat? Dei prophetam putat inimicum? sic verum est illud: *obsequium amicos; veritas odium parit*, ut levi motus obsequio deposuerit Achab inimicitias, hostem fraterna dilectione prosequutus; veritatis autem assertorem, velut odientem execretur. Difficilius existimat homo deglutire verum, quàm bellicum animum deponere, ac odium in affectum commutare. Unde Origenes ait: *argui vel corripi est doloris pœna, cruciatus, & ita gravis est, ut etiam qui fideles & religiosi videntur, si fortè ut homines aliquando in delicto aliquo incurrerint, & arguantur, indignentur adversus eos qui arguunt, & oderint eos.*

3. Reg. 20. 32.

Ibi c. 21. 20.

Lect. Hebr.

Hugo Card. ibi.

S. Ambr. to. 1. l. de Naburhe. c. 12.

Terent.

Origen. to. 2. hom. 1. in psal. 37.

Sed vereor ne amaritudo veritatis non ei, sed palato audientis tribuenda sit. Ægro cibus apprimè conditus offertur, in quo affirmat amarorem experiri. Non cibi, sed oris, vitium hoc est. Statim atque sanitatem restaurat, jam cibum eundem prædulcem judicat, qui gutturi non sano insuavis erat. Sic aliòrsum notabam & peccatori quandiu jacet in delictis, veritas non benè sapit; sed amarissima videtur; si meliora sapiat ille, gustabit quàm suavem. *In ore*, ait Augustinus, *intelliguntur boni & spirituales*

28. *Iusto mellea veritas maestissima.*

D. Aug. to. 9 hom. 8. in Apocap.

Chri

stiani, in ventre carnales & luxuriosi. Indè est quod cum verbum Dei prædicatur, tunc spiritualibus dulce est, carnalibus vero quorum Deus venter est, amarum videtur & asperum. Cúmque veritas éadem pro bonis & malis indivisibiliter proponatur: inferri potest, quòd si felleus ille sapor tandiu durat, quandiu delictum non aboletur, in nobis est amaritudo; neutiquam in veritate. Justus vera quamvis mæsta nimis, invenit mellea.

Ad librum Ezechielis, de quo proximè suprà nonnihil dixeram, regrediar. Tristissima nuntia continebat ille; *& scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Dictum est ad prophetam ut librum illum comederet: statim ait: *& comedi illud: & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Propheticum erat os, & consequenter veritatis amicum. Non amaras expertus est Ezechiel, sed suavissimas veritates illas quantumlibet satis mæstas. Et forassis ideo non dixit sacer textus: volumen illud erat dulce; sed: *factum est in ore meo sicut mel dulce.* Ubi Liranus: *in quo designatur suavitas divini eloquii.* Veritatis, inquam, dulcedo, vel amaror fit in ore deglutientis. Si placet mellea est; si displicet, fellea. Animus compositus ad rationis normam plures in veritate disquirit placendi causas, ex quibus ea mirè pulchrescit eidem. Alias ut omittam: inprimis gaudere solemus cum absconditum aliquid scire nobis contigit post studiosum laborem. Et quid inter sæculi confusiones magis absconsum, imò sepultum quàm veritas? Deinde: rerum temporalium fugacitatem quisque dolet, ac vellet perdurarent in æternum. Ecce veritatem si possideas thesaurum apprehendisti nullâ temporum injuriâ minuendum. Cæteras opes custodis pavidus, vel deperdis prodigus; veritatem si conservas, nullus furabitur; si distribuis, non imminuitur. Cùm tot amabilitatis motiva in veritate reluceant, à paucis diligitur; sed *satis*, inquit Lipsius, *triumphat veritas, si apud paucos bonosque accepta: nec indoles ejus est placere multis.* Turba stultorum, cùm eam ab ore sapientis audiens corripitur, vapulat virgâ. *Utinam omnes qui nos audiunt compuncti & stimulati ex his quæ dicuntur, atque ad pœnitentiam conversi dicant ad doctorem, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & dum castigas nos verbo Dei, dum verberas, dum in interioribus nos conscientiæ percutis, confirmasti super me manum tuam.* Verba Origenis usurpavi: quibus adjice: ne præconi veritatis excidat è mente quod tunc ejus dicta populis erunt suavia cùm vita prædicatoris non fuerit verbis adversa. M. Gregorium ne obliviscamur dicentem: *& fit plerumque ut tales quique ex dono cælestis gratiæ etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo quod ipsi intrinsecus dulciter ruminant, proximos suaviter pascant. De quorum profectò ore prædicatio audientibus dulcis est quando eorum actio contraria suis prædicationibus non est: quia de propria vita sumunt quod per linguam proximis conferunt. Unde rectè hîc quoque Propheta subjungit: & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.*

Ezechi. 2. 9.

Ibi c. 3. 3.

Lira ibi.

Just. Lips. manud. dissert. 15.

Origc. ho. 1. in Psal. 37.

D. Greg. M. hom. 10. in Ezechi. to. 2.

In dorso. Jam non veritatem loco flagelli habitam expendo; sed pœnam ejus qui reluctatur vero meditor. Non in facie feritur ille; sed in dorso? Ideo ne sic loquitur quia solitum est hominibus in posteriora mittere acceptæ plagæ memoriam? Non dubito. Scit optimè Satan quàm sit homini proficuus metus punitionis: *nihil enim tantùm peccata quidem consumit, virtutem vero crescere facit,* ait Chrysostomus, *& germinare, quantùm continui timoris natura. Propterea qui non vivit in timore, rectè illum agere, non est facile, sicut vicissim cùm timore viventem, est difficile peccare.* Inimici ergo communis astutia est fiduciam vanissimam ingerere, quâ flagra quæ Deus inflixit, abeunt in oblivium. Quid igitur Dominus ut errorem istum corrigat, & humanæ memoriæ defectui succurrat? Eos quos ut filios corrigit, non finit mulctam delictorum post dorsum projicere; hoc solis permittit hostibus. 29. *Deus solis hostibus permittit ut mittant post terga supplicium.* Chrysost. ho. 25. ad populum Antioch. tom. 5.

Populo suo Deus olim severus legislator comminabatur in hæc verba: *si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis: visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros.* In oculis punietur Israël, quem filium Conditor vocavit non semel? *dicesque ad eum: hæc dicit Dominus: filius meus primogenitus Israël. Dixi tibi: dimitte filium meum.* De inimicis dixerat David à Deo percussos in posterioribus: *percussit inimicos suos in posteriora.* Filios in oculis? hostes in tergo cædit? Non erat hæc pro inimicis indulgentia, nec pro gnatis crudelitas: quinimò ne Israëlitæ paternè diligi nocentes confiderent nimis, tergáque darent pœnam spernentes, vel oblivioni commendantes, unam elegit, quam post dorsa projicere nequeant, qualis est oculorum ardor (*ardore qui conficiat oculos vestros*) ut velint nolint, haberent in oculis ultionem Dei: quo fieret ut iterum peccare metuerent. Hostes non tam providè punivit; sed in posteriora percussit, quasi permittens ut supplicio terga darent superbi. Opportunum adeo puto flagella propria conspicere, ut inde non levis promanet consolatio. Forsan hac mente dixit S. Hieronymus ad illud Jeremiæ: *quare factus est dolor meus perpetuus & plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Ad hæc, inquam S. Doctor ait: *facta est plaga mea fortis. Sed in hoc habui consolationem, quòd fuerit quasi aqua mendax atque præteriens. Sicut enim aquæ prætereuntes dum fluunt, videntur & dilabuntur, sic & impetus inimicorum te adjuvante præteriit.* O fœlices quibus à Deo inflictæ plagæ veluti mendaces inveniuntur in eo quòd licet præterierint, adhuc quasi præsentes videntur. Non sic accidit improbis, quibus ita dilabuntur è memoria res adversæ, ut nunquam eorum intellectualibus oculis adsint. Ideo stultus virga feriri dicitur, velut *in dorso.*

Levit. 26. 15. 16.

Exod. 4. 22. 23.

Psal. 77. 66.

Jerem. 15. 18.

S. Hiero. l. 3. in Jere. c. 15.

Ejus qui indiget. Paupertas ista dupliciter intelligi potest: primò ut significet corde pati egestatem: secundò ut corde amisso ju- 30. *Peccati pauperies.*

stus egeat alio. Nunc in priori sensu pauperiem istam expendam. De inopia spirituali sermonem esse moraliter ne dubites: in hac enim cor est quod penuriam patitur; in temporali verò miseriâ, sæpe cum sensus mendicant, præcordia divitiis abundant, & veris: nam, ut inquit Augustinus: *veræ sunt illæ divitiæ, quas cùm habuerimus perdere non possumus.* D.Aug. in Matth. ser. 18. de ver. Dom. to. 10. Consonat D. Bernardus dicens: *veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.* D.Bern. ser. 4. d. Advent. Econtrariò virtutibus carens patitur extremam cordis indigentiam. Imò solus peccans pauper est: *non est enim nudus, nisi quem culpa nudaverit.* D.Ambr. to. 1. l. d. Joseph. c. 5. Sic alibi datus pronuntiat Ambrosius. Nec tamen ideo potitur malus extremæ necessitatis privilegio. In hac dici frequenter solet omnia esse communia. Peccator extremâ premitur opum tenuitate spiritualium: nec tamen aliorum sibi vendicare valet virtutes ab altero possessas. Suas habet anima facultates: necnon suam peculiarem dolet rerum angustiam.

Proverb. 11. 24. Salomonem consulamus. *Alij*, dixit ille, *dividunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* De prioris partis intelligentia non dubito: uberes namque proventus eleemosynæ satis noti sunt. In secunda pungit illud, *semper*: quòd enim raptores ea, quæ nullis laboribus acquisivere, prodiga manu dissipent, & inde ad tenuem fortunam redigantur: hoc non videtur satis ut semper in egestate degere dicantur. Ad minus quamdiu sumunt aliena, divites non sunt? Minimè, quia peccant accipientes ea. Dionys. Carthus. ibi: *& semper in egestate sunt. Nam veris divitiis mentis privantur; & temporalia malè consumunt.* Dionys. Carth. ibi. Peccati premuntur mendicitate misera corda, quorum divitiæ sunt virtutes, quibus vacua reddita sunt spoliante nequitiâ *ejus qui indiget.*

31. *Cor quod semel effugit difficilè revocatur.* *Corde.* Claudamus præsens dogma secundum sensum pauperiei prædictæ persequentes proximè supra datum. Corde carere dicitur stultus, idest peccator. Et quomodò privatur corde? Avolavit: est enim cor quasi avis, quæ per minimum foramen evolat è cavea. Hoc distat inter cor & passerculum, quamvis utrumque cælo nascatur: quòd scilicet passer fugiens, liber se committit cælo; cor autem volitans cœno se tradit & vinculis. Unde vel D. Bernardus, vel quisquis est author meditationum quæ cum ejus operibus circumferuntur, inquit: *cor meum dum futurum non curat gaudium, nec divinum quærit auxilium, ab amore cælestium elongatur, & in amore terrestrium occupatur. Cùmque elabitur ab illis, & involvitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia: sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum, qui ei sufficere poterat, dimisit.* Incertus sub nomine D. Bern. medita. c. 9. Frequenter contingit ut suum pensilem carcerem facilè revisat volucris fugitiva. Cor si fugerit semel, difficulter iterum revocabitur: facilius erit cor aliud invenire.

Ezechi. 18. 31. *Projicite à vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum.* Non dixit facite vobis novum intellectum; sed cor novum quamvis in prævaricatoribus utrumque soleat esse corruptum. Et quare? Quia intellectus, etsi velocissimus, non tamen est ita fugax ut cor humanum. Divagatur mens per sæculi vias, & revertitur; cor vagans vix aliquando reducetur. Quid ergo remedij? *Facite vobis cor novum.* Ad finem juvat notare cor nostrum quoties otiatur extra Deum, toties amitti: reperiemus illud si Dominum inquiramus. *Cor quippe nostrum invenimus, quando per intentionem cordis spiritualia quærimus.* D.Greg.M. l. 4. c. 4. ad c. 9. l. 1. Reg. tom. 2. Sic D. Gregorius Pap. Tunc invenit homo cor suum quod perdiderat, cùm Deum quærit affectuosus. *Invenit servus tuus cor suum ut oraret te oratione hac.* 2. Reg. 7. 27. Nihil invenitur nisi quod priùs non possidebatur, & si aliquando possessum fuerat, oportet priùs deperdi; aliter non poterit inveniri. Quo stylo igitur David affirmat invenisse cor suum? Quia perdiderat quandiu Dominum non orabat, licet non multò temporis spatio vir justus hanc jacturam fuerit expertus. D. Augustinus: *unde aiebat David: quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te.* D.Aug. in Ps. 85. to. 8. *Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum.* Meritò sic appellatur cor hominis: quia ut sensit Hugo Cardin. *nihil corde fugacius, quòd invenitur cùm per discretionem restringitur.* Hugo Card. in 2. Reg. 7. Cùm à multitudine bonorum transeuntium retrahitur cor ad quærendum summum & perenne bonum, sanè restringi videtur. Antea vagum, & profugum erat super terram. Sic se res habet in illo qui vix unquam meminit Creatoris, per vitiorum semitas oberrans. Hîc apud cordatos *indiget corde. Quotiescumque ergo graviter delinquimus, cor nostrum non habemus,* teste Gregorio M. D.Greg.M. l. 2. in c. 2. l. 1. Reg. to. 2.

FLOS XV.

Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.

APERITUR.

1. PRo dilucidatione litteræ quærendum est, an in ejus priori parte sermo sit de scientiâ, hoc est doctrinâ; an verò de cognitione quarumlibet rerum, quas tacere operæpretium sit. Jansenius pro secundo sensu stat. Et probari posset primò ejus dicendi modus: Quia scientia est diffusiva sui: idcirco enim æquiparatur in sacris oraculis undæ: ista namque naturâ suâ diffluit, & si nimis claudatur, capit vitium. Huc faciunt quæ paulò ante dixi n. 25. Unde videtur hoc loco non esse intelligendum quod à sapientibus abscondantur intellectuales opes; sed cordis arcana, quæ vel ipsos vel alios tangunt, nec decet evulgari: necnon & similia. Et hoc sapientis munus est. Secundò Jansen. hîc.

probatur

probatur idem Janſenij placitum ex poſterioribus ejuſdem verſiculi verbis: nam ſtultus non confunditur quia ſcientiam venditat; imò tunc plauſus alienos ille ſuffuratur: ac proindè cum loquitur de ſtulti Salomon ore, non videtur ſermonem eſſe de doctrina; nam vel hanc fatuus non habet, vel de hujus mentita jactatione minimè confunditur; ſed potiùs agere de ſecretorum imprudenti vulgatione. Inde colligitur priorem ſententiæ iſtius partem non eſſe accipiendam de doctrina, ut ita ſibi aptè reſpondeat utrumque membrum paræmiæ. Sique dicas antitheſim hîc efformari ſic ut verſetur inter ſcientiam prudentis quæ abſconditur, & inſipientiam ſtulti quæ depromitur: contra eſt quod inſipiens rarò confunditur, quantumvis ejus fatuitas exprobretur illi: nam ita ſibi fidit ut inſultantes deſpiciat, margaritas liliaque fari putans. Imò juxta D. Gregorium M. *tantò quiſque amplius intus ſtultus ſit, quantò conatur exterius ſapiens videri.* Cúmque ſtultitia ſumat incrementum dum vecors ambit ſciens haberi, conjice hinc non illum pudere, licet cuncti rideant ejus veſaniam. Ex his probabilem judico ſententiam Janſenij. Attamen veroſimilius exiſtimo ſcientiam in præfixo theoremate ſumendam eſſe prout ſonat. Igitur ſenſus eſt ſapientem abſcondere doctrinam quantum ſatis ne loco ſeu tempore non opportuno illam aperiat; ſtultum aliter ſe habere: ideo confuſioni expoſitum degere, quia ſcientiam, quam ſe habere putat, cuivis explicat, pavonis more, fatua plura miſcens, quæ riſui cunctorum non timet offerre: ſique nonnulla diſertè proferat,

D. Greg. M. l. 18. moral. c. 25. tom. 1.

Marti. l. 5. Epigra. 2.

Authoris pereunt garrulitate ſui.

Sapientes. Pro ſapientia practica pollentibus accipitur: ideſt prudentiâ fruentibus. Fœlix qui ad iſtam aſcendit. Speculatio ſola, quamvis ab incunabulis exercita, ſcientem reddit; ſed ad ſingularia dexteritatem miniſtrat. Econtrariò, experientia, ſimileſve notitiæ in intellectu qui ſpeculari nuſquam novit, negotiatorem potiùs quàm prudentem pariunt. Utroque pede ſtat circumſpectus, contemplatione ſcili. ſpeculativa, quæ præit, & agnitione practica, in qua peritia ſagax verſari ſolita eſt. Magni faciendum hoc Dei donum: ut enim dixit Cicero, *nihil eſt hominis prudentiâ dulcius, aut ſagaci ac bona mente melius.* Attamen cavere oportet ne degeneres in verſutiam: ſolers quippe ſi terminos excedat, verſipellis inveſtigator latentium evadit, & antonomaſticè malus homo Luſitana phraſi.

Cicer. 5. Tuſcul.

Abſcondunt. Citra mendacium poteſt multifariam eruditio abſcondi: ſcili. vultu modeſto, parco ſermone, ac muto ſilentio. Permittet ſic doctus ut fallantur alij; ſed illos non decipit ipſe. Vulgus exiſtimat modeſtiam eſſe pallium vetuſtum ignorantiæ: intempeſtivè loquentes admiratur: ſeu potiùs humanæ ſocietatis Aquilones tempeſtuoſos metu reverentiali proſequitur. Imò quandoque non unicus perflat ventus cùm hæc procella furit. *Iſti ſunt quatuor venti, qui totum orbem perflant, arrogantia ſibi adſcribens quod non habet, inſolentia ſibi approprians quod alteri debetur: ſuperbia multa de ſe credens ultra quàm verum ſit: contumacia ſe erigens in præaltum.* Sic vel Auguſtinus, vel quiſquis eſt author ſermonis 12. ad Eremit.

Incert. Aug. tom. 10. ſer. 12. ad Eremit.

Scientiam. Intellige veram. Multi prudentiam taciturnitate mentientes abſcondunt imperitiam, quam ſapientiæ nomine colorant. Olim theſaurorum foveæ carbonibus deſuper jactis deſignari ſolebant, eo quod imputribiles ſint adverſus temporum longævitatem: ut ſic faciliùs vetus depoſitum fœlices reperirent poſteri. Sed prout accidit viciſſitudinibus temporum res penè cunctas inverti, jam non carbonibus ſuprapoſitis oſtenduntur opes. Quin potiùs econverſò tenuibus auri fibris in ſuperficie lucentibus teguntur carbonum theſauri: quid enim aliud eſt in ore paucatum vocum pulcherrima concinnitas, & in mente omnigena ignorantia? Vis ergo ſcire quænam ſit vera ſcientia? Longa deſcriptione opus erat; ſed nunc iſta curſim libamus. Ejus audi quædam ſigna ex M. Gregorio: *vera autem ſcientia afficit, non extollit: nec ſuperbientes quos repleverit, ſed lamentantes facit. Quia quiſque cùm repletus fuerit, primo loco ſe ſcire appetit, & jam ſui conſcius tantò per illam robuſtiùs ſapit, quantò ſe infirmum in illa veriùs recognoſcit.*

D. Greg. M. l. 23. moral. c. 10. tom. 1.

Os autem. Video ſignificatione ſimplici apud commentatores acceptam vocem *os*: non improbabile tamen eſt ſumi poſſe pro facie: nam & apud ſcriptores prophanos hæc oris acceptio non infrequens eſt. Tullius ait: *tam multis teſtibus evictus, ita judicum aſpicere, aut os ſuum populo Romano oſtendere, auderet.* Virgilius canit

Cicer. in Verr. orat. 3.

Virg. 1. Æneid.

os humeroſque deo ſimilis.

& Naſo concinit:

Pronaque cùm ſpectent animantia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri.

Ovid. l. 1. Metamorph.

In textu noſtro eſt peculiari ratione veroſimile quòd os accipiatur pro facie: quia hic agitur de confuſione, quæ ſigna mittit facie tota: demittuntur oculi, rubeſcunt genæ, muteſcit os. Et mirum, quòd cum reliquas, utplurimùm animi paſſiones imo in pectore celaverit provida natura; confuſionem in ipſa fronte, velut in janua patere faciat. Conditorem etiam in minimis admirare. Vitiorum frænum pudor eſt (unde Tullius: *cuſtos virtutum omnium dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens verecundia eſt:*) & ſi rubor lateret, minus prodeſſet; fronte manifeſtus culpam inſinuat cunctis, ut vel ſic reincidere metuat reus confuſione coram aliis mulctatus.

Cicer. de orat.

Stulti. Septuaginta legêre: *temerarij:* utique in dicendo. Etſi pluribus animi dotibus exornetur homo, ſit nihilominus in loquendo præceps: hoc ſatis erit ut ſtulti notam ſubeat: *Nihil eſt*, ait Cicero, *temeritate turpius, nec cuiquam tam indignum ſapientis gravitate & conſtantiâ, quàm aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere.* Dubitari poſſet quænam ſtultior temeritas, oris an operis? Dicerem frequentiùs

Idem l. 1. de Nat. deorum.

tiùs in ſermone damnabiliorem, cæteris paribus: quia multa ſunt opera inconſultò facta, quorum ſi pœniteat, valebis errorem corrigere: at ex ore volat irrevocabile verbum, & pluries immedicabile damnum. *Pecuniarum damnum reſarcire licet; ſemel autem emiſſum verbum revocare non licet*, ait Chryſoſtomus. Chryſoſ.

Confuſioni. Lectio Hebraica ſic habet: *os autem ſtulti confuſioni proximum eſt.* Quod fortaſſis occaſionem præbuit ut aliquis hîc affirmaret ſenſum eſſe hunc: os ſtulti propter ſuam effrænem loquendi licentiam ſemper in promptu eſt, ut verbis ſuis alios feriat, eiſque confuſionem paret. Sed reor tam juxta vulgatam, quàm ſecundùm Hebræam lectionem exponendum eſſe textum de confuſione, quam imprudentia fatui verba in eodem párere ſolent: nam ex Plutarcho loquacitas morbo ſimilis eſt: ægritudinis autem damna præcipua patitur æger ipſe; non alij. Nolo debuiſſe verba Plutarchi. Plutarch. l. d. garrulit. *Morbum*, inquit, *curatu admodum difficilem atque moleſtum in curam recipit philoſophia, garrulitatem.*

Proximum eſt. Videmus perſæpe laudari velut Catonis axiomata, Magnatum, vel ſimilium delira. Sed quandiu? Dum coram ipſis timet adulatio. Si terga vertit, irridetur: & alio nuntium irriſionis (ut gratiam ejus captet) deferente, citò confunditur. Longiſſimè videbatur diſtare quæ adeo in proximo erat mente capti confuſio. Quinimò nonnunquam ille non egebit nuntiante ſubſannationem, quia viſu deprehendit fallacem blandientis laudem, juxta illud S. Hieronymi: *ne credas laudatoribus tuis, imò irriſoribus aurem ne libenter accommodes, qui cùm te adulationibus foverint, & cùm te impotentem mentis effecerint, ſi ſubitò reſpexeris, aut deprehendes poſt te colla incurvari*, &c. S. Hiero. epiſ. ad Ruſticum. 4. to. 1.

DELIBATIO I.

Sapiens ex ſeptem cauſis tacet prudenter.

4. SEcum ipſe parum cohærere Salomon tibi primo videbitur aſpectu, ſi quæ dicturus es infra contuleris huic apophtegmati. Poſt nonnulla capita ſic dicentem leges: Prover. 16. 22. & c. 18. 4. *fons vitæ eruditio poſſidentis:* & poſteà. *Aqua profunda ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ.* Nunc autem inquit: *ſapientes abſcondunt ſcientiam.* Fontem vivum aquis redundantem quis poterit celare? Aditum paradiſi ſervabat ignis; at fons aſcendens è terra nequaquam Cherubicâ claudebatur cuſtodiâ, Gen. 2. 6. *irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Ebulliunt more aquarum in ſapientis pectore latices: abſcondet ne fons copias? Et vivus adhuc appellabitur? Sapientem aſſimilavit Philo Hebræus Soli: Philo Hebr. l. d. ſomniis, tom. 1. *Sicut Sol*, inquit, *omnium oculis præditorum lux eſt, ſic etiam ſapiens omnium qui rationali naturâ participant.* Soli tu, ſi placuerit, oppones oſtium ne tibi luceat; ipſum verò radios abſcondiſſe nunquam affirmabis verè, dummodo rigoroſè, non figuratè loquaris. *Sapientiæ beneficam largitatem odoramentorum ænigmate idem Philo declarat: ſicut odoramenta replent ſuaveolentia proximos: eodem modo vicini ſapientis & contermini ex afflatu ejus latiſſimè ſe diffundente meliores evadunt.* Odoriferis aromatibus plena manus claudet quidem aromata; ſed velit nolit, ſpirabit odoramina. Sapientia odoramentis quamſimillima non ſpargitur; ſed abſconditur? Prudentiæ circumſpectione opus eſt, quæ ſæpe reticere docet quos ad loquendum erudivit. Idem ibi. *Sapiens eſt ergo qui novit tacere*, ait Ambroſius. Septem numerat vetus effatum ſilendi cauſas à ſapienti cautè obſervandas, & nunc ſigillatim illas enucleabimus. S. Ambr. l. 1. d. offic. c. 2. initio. to. 4.

Os juſti locus & tempus, perſona, reatus,
Infirmus, rudis, indignus claudere poſſunt.

Inprimis quod attinet ad locum, occurrit regia humanæ majeſtatis aula, ubi prudenter ſapientiam tegit qui principum animos novit offendi non difficulter alieni præſtantiâ ingenij. Qui cæteris præſunt ægrè ferunt dotibus à privato ſuperari, quas occultum quoddam prædominium comitari ſolet, ingratum ſatis ei qui reliquis dominatur. Quæ non regalia pectora coget invidia, ſi magnanimum Alexandrum (cui totus orbis ſphæra brevis extitit) odiſſe fertur Lyſimachum eò ſolummodo quòd inſigniter militandi peritus erat? Accipe aliud omni admiratione majus exemplum cujuſdam Francorum regis in filij unici morte. *Deploravit quidem ille caſum, ſed leviter. Erat puer ille annorum trium, admodum formoſus, & in loquendo audax, neque timebat ea quæ reliqui ſolent. Rex igitur qui corpore erat exiguo, & ingenio parum exercitato, ſi alioqui placidiſſimis moribus, eò leviùs mortem ejus ferebat, quòd metueret ne grandior ille factus, gratiam & authoritatem ſibi inter ſuos minueret.* O impiam ſuperbiam, quæ paternæ dilectioni prævaluit! Sed quid non ſuadebit paventi metus? Ad timorem reducitur elatio iſta juxta illud Hieronis Syracuſanorum regis ad poëtam Simonidem dicentis de regibus: *non minus norunt quàm privati homines quinam egregij viri ſint, & ſapientes & juſti: verùm hos cum admirari deberent metuunt: fortes quidem ne quid libertatis cauſa audeant: ſapientes ne quid moliantur: juſtos ne plebs eos ſibi præeſſe cupiat.* Et hoc pluſquàm verum habet ſi princeps omnibus his excellentiis deſtituatur. Æqualitatem execratur (nedum oderit minoritatem) qui maximus natus eſt. Hæc plus habere locum non dubites in iis quæ ad ſapientiam ſpectant. Vel rex eſt inſipiens, vel prudens: ſi rudis, teque doctum exhibes, ipſius ignorantiam detegis, & erubeſcit; ſi verò ſapiens fuerit, æmulum habebis imparibus armis pugnantem. Non immunis erit à diſcrimine, qui ſapientis munus obierit coram ſolij ſceptrique majeſtate. Oportet ut ſapiens prius nihil habeat cujus poſſit pertimeſcere jacturam, ad hoc ut ſapientiam palam facere coram rege non vereatur.

5. *Qui nihil habet debendum ſolus oſtendat ſe coram rege ſapientem.*

Ph. comin. l. 5. d. bello Neapo.

Ex Xenoph. in Simonidis, & Hieronis colloquio.

Terretur ſomnio Nabuchodonoſor: & oblitus illius exigit à Chaldæis ut ſibi narrent inſomnium, interpretationemque adjiciant:

jiciant : quaſi ſubditis incumbat, ſi ſapiunt, regis cogitationes mente præſaga divinare. Impoſſibile fatentur illi referre quod ignorabant. Iraſcitur ad hujuſmodi reſponſum Nabuchodonoſor : & furore percitus decrevit ut perirent cuncti ſapientes Babylonis. Erat unus ex eis Daniel, qui ad non auditum ſupplicium quærebatur inauditus : imo & cauſam ſententiæ crudelis adeo penitus ignorans. Illam ſtatim atque à militiæ Principe reſcivit, ingreditur ad regem, ſupplexque ſpatium ad ſomnium enarrandum ac ediſſerendum exorat. Utrumque tandem cæleſti afflatus lumine præſtitit apprimè : ſomnium nempe regi propoſuit, ſenſumque umbrâ velatum aperuit. Expendebam veluti ſeram prima facie providentiam illius qui ſolet afflictis præſentiſſimus adeſſe. Divino docente Spiritu Daniel ſomnij regalis interpres veritatem fuerat Dei nomine depromptus ? Eccur non ſtatim ante cæteros magos Danielem Dominus interrogari ſuaſit ? Quare Prophetæ diſcrimen permiſit priùs quàm ipſe regem inſtrueret ? *quærebanturque Daniel & ſocij ejus ut perirent.* Sic à Deo proviſum eſt, ne Daniel vera dicere monarchæ formidarer. Jamjam periturus erat etiamſi taceret. Nihil ergo ex prophetica locutione perdere metueret : aptiſſimo tempore deſtinatur à Deo, ſapientiam ſuam in palatij culmine propalaturus, quando nullius eum inde proventuri damni timor præpediret. Oportet metus omnis expertem eſſe illum qui ſe doctum coram potentioribus manifeſtat.

Daniel. 2. 13.

Roboratur ampliùs hoc ipſum ex Danielis verbis, quæ paulò poſt leguntur antequàm ſomnium proponeret. *Mihi quoque* (ait vates ad regem) *non in ſapientiâ, quæ eſt in me plus quàm in cunctis viventibus, Sacramentum hoc revelatum eſt : ſed ut increpatio regi manifeſta fieret, & cogitationes mentis tuæ ſcires.* Vide quàm prudens caveat doctior apparere. Superni fulgoris illuſtratus radio præcellere ſapientiâ negat : *non in ſapientia quæ*, &c. ſic enim hunc locum interpretatur Maldonatus. *Itaque negat ſibi hoc myſterium aut humana ſapientia, aut alia ratione quam afflatu divino, patefieri potuiſſe.* Nabuchodonoſorem cælitus edoctum illa revelatione affirmat : quaſi propheta mortuo modo inſtrumentum ſciendi fuerit neſciens : *ſed ut increpatio regi manifeſta fieret.* S. Hieronymus apud Hugonem Cardin. *per hoc*, ait Hieronymus, *ſapientes excuſat & invidiam evitat.* Utque noveris non ſolam ſapientum, ſed etiam Regis invidiam declinare curaviſſe Danielem, addit ibidem Hugo Cardi. de Daniele agens : *Regem etiam honorat quando dicit, propter illius ſcientiam ſibi à Deo myſteria revelata.* Non igitur liberè dicam, ſæpe locum oſtendendæ ſapientiæ obviam ire.

Ibi n. 30.

Maldon. ibi.

D. Hiero. in Dani. apud Hug. Card. ibi.

Hugo Card. in 2. Daniel. 30.

6. *Infœlix reputatur ut fœnus.*

Tempus etiam frequenter ſilere docet eruditos : & præſertim dum adverſitatum nubilo premitur mentis acies : non tantùm quia multi cum vate verè dicunt,

Ovid. trift. l. ultim. eleg. 23.

Contudit ingenium patientia longa malorum:

ſed quia mundi avaritia donare ſimulat ingenia quibuſdam ; aliis præſumit auferre. Neutrum poteſt ſæculum ; nihilominus cum imaginatione ſcena peragatur : quid non poſſe refert, ne qui proſperitatis aurâ fruuntur ſapientes reputentur ; infœlici tempeſtate jactati fatui habeantur ?

Horat. l. 2. ſat. 3.

——— divina humanaque pulchris
Divitiis parent : quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam & rex,
Et quidquid volet. ———

Econtrà ſic infortunata pauperies miſeros proturbat, ridiculoſque reddit, ut etiam intelligendi facultate ſpoliare audeat illum quem facultatum exuit ornamento : quaſi foret idem fortunæ bonis hominem denudare, ac mentis judicium prorſus auferre.

Jobus afflictionum gurgite jactatus aiebat : *vivit Deus qui abſtulit judicium meum.* Commentatoribus non mediocris difficultas eſt quid ſignificet hoc loco judicium auferre. Id tamen planiſſimè commentatur Hugo Cardi. ibi : *ideſt cognitionem, quia non intelligo quare hæc patior.* Ab hac expoſitione paululum deflectens, & eidem ex parte inſiſtens, dicam : non video quid prohibeat accipere judicium pro intellectu. Qui ſi ut ſenſus probabilis admittatur, ſciſcitabor à te, ô fortitudinis exemplar, quandonam intellectiva facultas ab Omnipotente ablata fuerit animæ tuæ. Nonne judicas, ratiocinariſque prudentiſſimè ? Utique. Idemmet ipſe dixit athleta patientiæ : *omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi ſingula. Secundùm ſcientiam veſtram & ego novi : nec inferior veſtri ſum.* Deus attamen qui fœlicitatem Jobi diſſipavit, ejuſdem judicium abſtuliſſe viſus eſt : non quòd rationis uſum perdiderit ; ſed quia infortuniis oppreſſus, velut ſtultus habebatur : non enim ſine cauſa ille ad moleſtiſſimos amicos inquit : *ergo vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia ? Et mihi eſt cor ſicut & vobis, nec inferior veſtri ſum : quis enim hæc, quæ noſtis, ignorat ?* Tres amici Job & potentiâ prædíti, & opibus, arrogabant ſibi ſapientiam, Jobumque veluti judicio carentem cenſebant de ſæculi more, cujus eſt ingenium potentibus diſtribuere, ſapientiamque mentita liberalitate largiri ; & econtrà ærumnoſi labia obſerare, ut excordes habiti nec mutire audeant. Quot numerabis fortuna favente Senecas ad morum regimen, Tacitos ad politica (utinam tacitos invenirem) pro jure utroque Baldos, in ſacris Aquinates : in rerum naturalium notitia Plinios : de bellicis Elianos, in hiſtoria Suetonios : & ſi velis, ad poëſim Virgilios. Quomodo tam citò invenire potuerint adeo univerſalem comprehenſionum cumulum, percontaberis ab uno iſtorum. Reponet ille neſcio quid muſſitans, quòd veluti Socraticum apophtegma plauſibus excipiatur. Viceverſa condecorus omnigenâ ſcientiarum ſupellectile, tempora ſi contingant nubila, cunctis irridentibus exſibilatur. Et, quod pejus eſt hinc illud naſcitur quod reprehendit Ambroſius, ſcilicet : *amantes Chriſtum ſtulti ſunt mundo.* Deſpiciuntur hi velut mente deſtituti, quia frequenter evenit quod ſubſint mundialibus infortuniis juxta illud

Job 27. 2.

Hugo Card. ibi.

Job 13. 1. 2.

Ibi c. 12. 2. 3.

D. Ambroſ. to. 3. in 1. ad Corint. c. 4. n. 10.

D.Grego.M. l.14.moral. c.3.to.1. M. Gregorij : *plerumque & impiis inesse lumen prosperitatis cernitur, & pios tenebræ ignobilitatis, ac paupertatis abscondunt.* Ideo prudens tacet dum sors adversa, quia silendi tempus adest.

7. *Seniores post erratum suũ, loqui sinunt adolescentẽ.* Persona : hoc est personæ sapientis conditio tertio loco ponitur inter silentij causas. Hanc partiamur in duas. Prima sit ætas immatura : secunda, nomen parum celebre. Uterque defectus ori manum jubet imponere. Temporis discipulos, & provectos, putant se, canitieique decore laureatos, illi de quibus dici posset : non diu vixerunt, sed fuere diutiùs. Dierum fateor disciplinam eruditissimam. Sed quid prodest magistri latus non deserere, si monentem non audis? Longævus in scholis lycæa frequentans, & frustra, non ideo doctior quia rudis minervæ moles antiqua dicendus est. Si vocales habens hic præceptores parum proficit : an peritior erit alter ex hoc tantùm quod mutum habuit magistrum, sed sapientissimum, scilicet tempus? *Non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitæ longævitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia vel sectanda, seu traditiones ac monita suscipienda*; inquit Abbas Moyses apud coll. PP. Ægrè suadebis hæc senioribus : *senectuti familiaris loquacitas*, ait Seneca. Unde totam sibi coram ætate minoribus arrogant loquendi provinciam. *Senex*, ait Innocentius, *velox ad loquendum, & tardus ad audiendum : laudat antiquos, & spernit modernos :* proindeque vix facultatem dicendi grandævi faciunt adolescenti, nisi post erratum proprium.

Abb. Moys. apud Cass. colla.2.c.13.

Sen.l.d.mor.

Innocen.l.d. vilitate conditr.humanæ.

Vicit & provectos ætate, Danielis tempore, luxuria : quæ, ut ait Cicero, *cùm omni ætati turpis, tùm senectuti fœdissima est.* Pudicissimam Susannam judices duo deperibant : ægritudinemque suam sibi mutuo aperientes, pacisscuntur opportunitatem quærere, ut castitatis exemplum concupiscentiæ cogerent obedire. Absque arbitris illam tandem inventam suadere conantur ut eorum petulantiæ obsequatur. Modestissima renititur matrona vitæ pretio castimoniam redemptura libenter. Ad eorumdem senum judicium trahitur, & à turpitudinis reis damnatur ad mortem. Exclamat Susanna fœliciter, exoratque illius opem qui destitutos hominum auxilio protegere solet benignissimus. Interveniente Daniele fraus detegitur, falsidici puniuntur, innocens eripitur, castitas extollitur. Dei monitu adfuit angustiis propheta veritatis assertor, calumniæque depulsor : sed vide quanam excitatur hora, ut injustè damnatæ ferat subsidium : *cúmque duceretur ad mortem, suscitavit Dominus Spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, &c. Post insontis miserandum clamorem, post ejusdem, & cognatorum fletus, cum jam tenderet ad supplicij locum, tunc exurgit innocentiæ defensor Daniel, dicens : *sic fatui filij Israël non judicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël?* Cur non iniquam sententiam præcox anteoccupat? Priusquàm judicetur Susanna Danielem habeat conjugalis integritatis advocatum : festinus accedat cùm primùm illa compellitur ad judicium, calumniam detegat, innocentiam tueatur. Oportuit ne quod priùs errarent seniores ad hoc ut loquendi veniam darent Danieli? Sic judico : tunc erat enim prophetia duodennis juxta D. Ignatium martyrem, & Theodoretum. Ad summum 24. numerabat annos, quod placuit Cornelio à Lapide. Juniorem dixit Augustinus : *judicem meretur castitas Danielem puerum juniorem necdum pubescentis ætatis.* Favet Hebraica Lectio : *excitavit Dominus Spiritum sanctum adolescentis admodum natu parvi, cui nomen erat Daniel.* Si ante prolatam à judicibus sententiam vellet sermonem de re adeo magna miscere Daniel, cùm illi antiquiores essent, quasi audax exploderetur : sibi namque soli datum esse quidquam scire putat senectus. Attende senum verba, cùm jam errorem suum vel credunt, vel suspicantur : *dixerunt ei senes : veni & sede in medio nostrum, & indica nobis : quia tibi Deus dedit honorem senectutis.* Verba hæc licet graves interpretes per ironiam, vel adulationem, dicta esse affirment, attamen id tantùm putarem si mihi persuadere possem hoc eosdem dixisse qui pudicitiam Susannæ accusarunt. Non hos, sed alios protulisse verba præfata credo ex Lirano dicente : *senes : non illi duo qui accusabant Susannam, sed alij senes populi Israël.* Similiter commentatur Hugo Cardi. verbo, senes : *alij scili.* Idem insinuat apud Glossam D. Basilius : *senior secundùm animam est qui providentia perfectus est, qualis erat Daniel, quamquam corpore juvenis, sapientiam ac gravitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcirco ei dicunt : huc accede, sede in medio*, &c. En postquam errarunt, permittunt Danieli ut eos illuminet, antea fortè non permissuri. Sed quisnam ille honos erat quem senectutis esse affirmant? Liranus ait : *idest sapientiam quæ solet esse in antiquis.* Solitam, sed indebitam agnosco in senibus sapientiam : illam tamen sibi adeò præsumunt arroganter ut solius honorem senectutis esse putent? Hic in aliquibus, ætatis privilegio, mos invaluit. Postquàm hallucinantur in meridie : tunc viæ ducem patiuntur vel puerum, qui priùs non audebat coram errantibus antiquioribus unicum sapientiæ verbum proferre.

Cicer.l.1.d. offic.

Daniel 13. 45.

Ibi n.48.

D.Aug. to. 10. ser 118. de tempo.

Hebr. Lect. Dani. 13.

Daniel.13. n.50.

Lira ibi.

Hugo Cardi. ibi.

D.Basil.apud Gloss. hom. in princip. Prov.

Lira ad 13. Daniel 50.

8. *Nomine celebris auditur, laudatur; ignotus despicitur.* Secunda personæ conditio tacere docens prudentissimos est nominis obscuritas : ut econtrà solet expedire loquelam famæ celebritas. Vulgare vitium est de vulgi opinione homines metiri. Non quisnam sis, sed quis dicaris attenditur. *Sic est vulgus*, Tullius inquit, *ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.* Magnos efficit coram iis fama, quibus falsitas prævalet : *plures enim*, ait Boëtius, *magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt. Quo quid turpius excogitari potest?* præsertim cùm nemo sit, qui non mendacitatem famæ noverit, de qua scitè Augustinus : *nonnunquam & historia, & multò magis fama mentitur.* Quandoque falsitatis nascitur suspicio, dum fama personat, ex eo quòd tantùm circumstantiâ personæ dicentis; non autem in ipsa dicti qualitate stabilitur,

Cicer. pro Rosc. Com.

Boër.l.3.d. Consol.prosa 6.

D.Aug.to.9. tract.90. in Joann.

ſtabilitur ; juxta illud Quintiliani : *affirmationem ſumit ex homine quidquid non habet ex veritate.* Tempeſtive M. Gregorius : *dum enim ſancta prædicant, ipſa prædicatio eorum fortaſſe deſpicitur, quorum vita neſcitur. Compelluntur ergo vitam ſuam dicere ut auditorum ſuorum valeant vitam mutare.* Tam verum eſt quod verbi exiſtimatio pendet à perſonæ loquentis famigeratione. Mirum eſt quòd, cum ſit utplurimùm quiſque judicij proprij dilector, ita fidat alienis mentibus, ut quem fama non extollit parvipendat ; eundem, ſi ab alio laudetur magni faciat.

Quintili. D. Greg. M. l. 19. moral. c. 14. tom. 1.

Joſepho ſic accidiſſe memini. Calumniam paſſus ab impudica Ægyptia, ob crimen quod fugerat conjicitur in vincula. Tenebantur in eodem carcere duo Pharaonis aulici, quos Principis ira cuſtodiæ mancipaverat. Somnium præſagum cernit uterque, narratque Joſepho ut ediſſerat. Retulit viſum prior pincernarum præpoſitus, & fauſtum libertatis nuntium accepit ab interprete ſuo. *Videns piſtorum magiſter quod prudenter ſomnium diſſolviſſet, ait : & ego vidi ſomnium* &c. Hoc etiam expoſuit Joſeph : infœlicem tamen exitum portendere denuntiavit : *auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te.* Non legimus, audito adeo infœlici prænuntio, eum qui piſtoribus præerat, animi commotionem oſtendiſſe nec verbo. Unde ſuſpicari licet illum parvipendiſſe Joſephi præſagium : qui fortaſſis idcirco antequam ſomnij ſenſum explanaret, nihil præfatus eſt, quo piſtoris cor præliniret, ac ut audiret acerbiſſimum exitium imminere ſibi, præpararet : quia ſcili. putavit à piſtore nihili faciendam prænuntiationem ſuam. Et accedit quod ſi integram ille fidem adhiberet expoſitioni funeſtæ, quæreret oratores apud regem, quorum interventu placare conaretur hujus iram. Aliter ſe Pharaonem geſſiſſe leges ibidem. Vidit & ipſe ſomnis duplicatam venturæ famis imaginem, quas dexteritate prudenti Joſeph vocatus detexit. Interpretationem amplectitur libens Monarcha, & conſilij, circa virum qui frumenta collecturus erat ut inopiæ provideret, executioni accingitur. *Placuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris ejus : locutuſque eſt ad eos : num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit ?* Et adeo pronas invenire ſolet veritas regias aures, ut ab ore ſervi ſtatim haurire non fuerit dedignatus Pharao reſponſum ? Imo laudavit interpretem : *numquid ſapientiorem & conſimilem tui invenire potero ?* & approbavit dictum : *placuit* &c. Vinctus piſtor quem docilem potuit facere ſaltem adverſitas ut vocem Dei per Joſephi linguam tonantis agnoſceret (quippe, ut ait M. Gregorius, *aurem itaque cordis tribulatio aperit, quam ſæpe hujus mundi proſperitas claudit.*) Nec laude affecit Joſephum ? neque verbum protulit quo dictis fidem præſtitiſſe noſcamus ? Fortè nihili duxit ſervi oraculum : Sed quare ? Quia tunc ignotus erat : non adhuc ſapientis honorifico titulo juſtus decorabatur. Cum is regem allocutus eſt, jam fama pertulerat uſque ad regium conſpectum quam ſapienter ille ſomnia conjiceret : *vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat : quæ audivi te ſapientiſſimè conjicere.* Audiviſſe fuit ſatis eum eruditum eſſe, ut libenter audiret conſulentem, clementiſſiméque laude rex illum extolleret. O quam ſæpè defectus opinionis alienæ ſapientiſſimorum conatus præpedivit. Doctiſſimi fortunam experiri metuentes, ignorati ſilent ignorantibus ſimillimi. *Proprius metus exercitam etiam eloquentiam debilitat*, ait Cornelius Tacit.

Gen. 40. 16.

Ibi n. 19.

Gen. 41. 37. 38.

Ibi n. 39.

Greg. M. n. 16. mora. c. 23. fine to. 1.

Tacit. l. 3. annal.

Itaque ſæculi vitium eſt doctrinam ex qualitate perſonæ dijudicare. *Hæc nonne ſunt indicia vanitatis quædam veſtigia ſingularitate intrinſecus & palliata extrinſecus : umbra veritatis afficit, & non aut nuda, aut ſola veritas adamatur.* Sic Gerſon ſubjectæ materiæ notans inanem contentionem. Potiùs ex merito dicti, quàm ex proferente ſumi oportuiſſet æquum dictorum pretium. Hoc ut inſinuaret D. Magiſter voluit quod auditoribus inculcabat, non ex authoritate dicentis appretiari ; ſed ſolùm ex veritate. Fatemur verba Domini digniſſima ut cordibus inſcriberentur ex docentis eminentiâ. At pro eruditione noſtra, non tam de magnitudine docentis, quàm de ipſius doctrinæ meritis illam conſiderari voluit.

9. *Æſtima doctrinam de veritate ; non de perſona.*

Gerſon. p. 4. lect. 2. ſuper illud : Pœnitemini &c. conſidera. 3.

Dicebat olim Redemptor : *mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Ad quæ verba ſic interrogans aſſerit Rupertus. *Quid hac reſponſione verius ? Quid ad defendendam ſanæ doctrinæ dignitatem fortius ?* Et undenam per hæc putas commendari Chriſti Servatoris doctrinam ? Sane difficilis eſt hujus loci expoſitio germana. Repemptor ipſe dixit alibi : *omnia quæcumque habet Pater mea ſunt.* Igitur doctrina Patris, Chriſti doctrina eſt. Quâ de cauſâ non ſuam affirmat ? Sic loquitur cupiens eam non tam à dicentis authoritate quàm ab ejuſdem doctrinæ pondere judicari. Patrem Iudæi ad quos loquebatur non agnoſcebant : *eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis.* Unde nequaquam doctrinam ideo, ut par erat, maximi penderent, quia Patris erat. Deinde Filius ſuam negabat eſſe. Reliquum ergo manebat, ut eam idcirco plurimi facerent quia ſeipſâ commendabatur. Et ne putes libere dictum, rumina quod ſequitur : *ſi quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* Commentatur Hugo Cardi. *id eſt ſciet virtutem eorum quæ dicuntur. Et ſi quis attenderit prophetiis, ſciet utrum ego loquar ſecundum eas, vel non. Et hoc eſt quod ſequitur : an ego à meipſo loquar.* Ecce Dominus conciliavit authoritatem doctrinæ ſuæ non ex circunſtantia perſonæ proponentis ; ſed ex ipſa ſubſtantia veritatis, quam inſinuabat indagandam ex cohærentia cum propheticis oraculis : ut ſic nos doceret potiùs à verbi merito, quàm ab exiſtimatione propinantis, deſumendum eſſe doctrinarum judicium : ne aliquando contingat mendacium ſubrepere tectum gravitate loquentis. Apud humana judicia multò aliter evenit coram eis qui perſonarum ſunt acceptores : idcirco prudens multoties tacet, ſuaden-

Ioan. 7. 16.

Ruper. ibi. lib. 7. in Ioã

Ioan. 16. 15.

Ibi c. 7. 28.

Ibi n. 17.

Hugo Card. ibi.

te propriæ qualitate perſonæ parum fœlici, nec de nomine cognitæ.

DELIBATIO II.

Materiam tituli præcedentis proſequamur.

10. *Torquetur charitas impedita fructuosè docere.*

INfirmus : ideſt infirmitas auditorum qui ſublimia non capiunt, connumeratur in er motiva diſertè ſilendi. Illum qui ſapientiæ theſauris adjecit charitatis aurum, exiſtimo torqueri quandoque ſuorum audientium ægritudine: imò quia ex Auguſtino : *ſapientia eſt charitas Dei :* ſicut amor cruciatur niſi valeat in actum exire quem cupit, ſic & ſapientia. Unde verus ſapiens aliquoties videt oportere ut de rebus executionis arduæ ſermonem faciat : & veretur ne fruſtra laboret, inſuper & morbum augeat. Ediversò tacere nollet, ne remedio vacuos derelinquat ægros. Cruciatur poſitus in ancipiti : vel enim ſileat, vel doceat, medelam neutiquam præſtabit alieno malo, quam exigit charitas. *Plerique ſancti Doctores pro mali pertinacia, quia iniquos emendare nequeunt, his tacere diſponunt : ſed calorem ſpiritus fervoris quo aguntur ferre non ſuſtinentes, iterum in increpationem proſiliunt iniquorum.* Mirum non erit ſi dilectionis flammam vix ferre valens qui charitatis incendio igneſcit, fugæ quærat præſidium, ut vitet illa duo extrema, quorum ſingula veretur amor.

S.Aug.apud S.Antonin. p.4.tit.10. c.3.§.5.

S.Iſido.Hiſpal.l.3,ſent. c.44.

Ita ſuſpicor egiſſe aliquando Servatorem. *Hæc locutus eſt Jeſus : & abiit, & abſcondit ſe ab eis.* Propoſuerat turbæ crucis myſterium. Opponit illa Meſſiam juxta Scripturam in æternum fore manſurum : quod qua ratione cum ejus morte cohæreret, capere non valebant adhuc modicum lumen habentes. Ad hæc paucis verbis repoſuit Dei Filius : & ſtatim clauſit ſermonem, ac abſconditus eſt. Nonne fidei modicitatem in turbis reprehenderat? *adhuc modicum lumen in vobis eſt :* cur non eos ad integritatem fidei pleniùs edocet, ut quomodò Redemptoris mors cum ejus æternitate conveniat probè ſciant? Juxta Gloſſam non omnes qui aderant ad fidei pervenerant initia ; ſed invidiæ fumo lucis divinæ radiis præſtruebatur intellectus januæ ; quod ſumpſit ex Clichtovæo, cujus hæc ſunt verba ad illud: *abſcondit ſe ab eis : non quidem ab eis qui credere & diligere cœperunt ; ſed ab his qui videbant, & invidebant. Cùm autem ſe abſcondit noſtræ infirmitati conſuluit, non ſuæ poteſtati derogavit.* Invidos credituros fore Chriſti Domini æternitatem nulla ſuadebat ſpes. Deinde ſi à jam credentibus eam, dubitantibuſque de morte, Filius Dei rogaretur ut hæc expreſſiùs manifeſtaret : vel reſponſum exhibuturus erat ; vel ſilentio premeret veritatem. Hoc ſecundum non ferebat amor Domini erga credentes ; primum autem veluti prohibebat invidorum incredulitas : imò etiam fidelium infirmitas, qui rei adeo præcelſæ fidem fortaſsè negaturi forent, percipere non valentes quî fieri poſſet ut Chriſtus Dominus ſimul cum æternitate mortalem conditionem habuerit. Cùm ergo ſi Magiſter amantiſſimus præſens taceret, non morigeraretur charitati ; ſi verò tam ſublimia magis propalaret, diſcrimini paterent auditores: fugâ conſuluit amoris inquietudini ſe contorquenti : *abiit & abſcondit ſe ab eis.* Quod ex dilectione Servator diſceſſerit, colligo inde quòd per abſentiam ſpatium cogitandi melius, quæ oportebat ut crederent, videtur dediſſe, ſic aſſerente ibi Theophylacto : *abſcondit igitur ſe Jeſus invidiam illorum mitigans. Interimque eis tempus dat, & otium, ut per quietem de ſermonibus & operibus ejus conſiderare queant.* Amore ducebatur ergo Dominus cum fugit invidos & infirmos auditores. O ter fœlicem cui datum eſt fugam iſtam imitari : Babylone relictâ Deo vivat : *nec recedens & latens deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus non eſt cui Chriſtus in fuga comes eſt.* Sic D. Cyprianus.

Ibi n.35.

Clichtovæus in ſupplemento Cyrilli Alex. in Joan. l.8. c.19.

Theophylac. in c.12. Joann.

D.Cypri.to. 1. ep.56. ad Thibari.

Reatus : hoc eſt proprij delicti conſcientia prohibet quandoque docere peccantem ut reſipiſcat. Non ita contingit in ſpiritualibus ac in corporis infirmitate. In hac, etiam cùm non valemus, conſilia ſana damus ægrotis. At in ægrotationibus animæ fruſtraneus erit labor, ſi medicus æger applicet alteri medicamentum. Unde S. Hieronymus dixit: *Quomodo poteſt præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in delictum ſimile corruerit, aut qua libertate corripere peccantem poteſt, cum tacitus ipſe ſibi reſpondeat eadem ſe admiſiſſe, quæ corripit.* Abelum innocentiæ primitias, exilij paterni ſolatium Cain ardens invidiâ necavit : non tamen legimus Adamum reprehendiſſe occiſorem. Poſt diluvium Cham in patrem Noëmum peccavit, eum honore debito fraudans, & ab eo maledictione percuſſus eſt : *cum didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait : maledictus Chanaan,* &c. Multò gravior erat homicidij noxa, quàm ſubſannatio patris. De homicidio non corripit Adamus primum mortis miniſtrum ? & Noë ſibi factam non atrocem injuriam minimè connivet ? Siluit Protoplaſtus : quia cùm ipſe capitali crimine cunctos filios occiderit (*per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors*) contra occiſionis reum quicquam proferre non auſus eſt. Increpavit maledictione audaciam Chami Noë, quia hic in patrem ſuum Lamech nunquam injurioſus fuerat. Arcano quodam fræno linguam ad correptionem reprimit pudor ejus qui eodem genere deliquit : nec enim vereor vocare Protoparentem noſtrum homicidam generis humani, cùm videam remotiùs in mortem noſtram influxiſſe diabolum ſeducendo Hevam : & tamen ex hoc appellavit eum Beda noſtrum omnium interfectorem : *ille enim homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. Homicida videlicet, primò ſui, ſuperbiendo : deinde & hominis, ſeducendo.* Et quamvis qui peccavit jam ſurrexerit à delicto, juſtuſque ſit : tamen adhuc præteriti reatus memoria jubet ut claudatur os juſti, ne fruſtranee verba faciat.

11. *Non reprehendit crimen qui ipſus eſt ſimiliter.*

D. Hiero. in ep. ad Tit. c.1. n.6.10. 9.

Gen.9.24. 25.

Roman.5. 12.

Beda l.3. in c.17. l.1. Reg. c.2.

Rudis.

12. *Rudibus operire scientiam expedit erudito.*

Rudis. En sapienter dicturo formidabile monstrum objicitur, quo perterritus nonnumquam tacere cogitur. Inter insanos tutus non est sensatus, & ex Tullio, *omnes stulti insaniunt.* Quid erit cum ad fatuorum tribunal trahuntur sapientis verba? Ibi velut ocularis testis habetur ignorantia cæca: reo defensionis locus negatur, & judex arroganti præsumptione corruptus profert sententiam. *Stulti cum prudentium facta conspiciunt, hæc eis omnia reprehensibilia esse videntur, suæque imperitiæ atque infirmitatis obliti, tantò intentius de alienis judicant, quantò sua profundiùs ignorant.* Hæc M. Gregorius: & quæ de factis ait ille, circa dicta similiter contingere docet experientia. Quapropter, ut monet S. Isidorus Hispal. *non omnibus ea quæ clausa sunt aperienda sunt. Multi sunt enim qui capere non possunt, quibus si indiscretè manifestentur, statim aut detrahunt, aut negligunt.* Nullus esset amens dato quod malum suum agnosceret omnis homo. Ita stultitiæ comes ignorantia est ægritudinis hujus pessimæ. Difficillimè satiatur mortalium genus bonis externis; dotibus verò suis facilè nimis. Ingenio pauperrimis ita benè cum paupertate convenit, ut se ditissimos reputent. Certè nescio quare dixerit Seneca: *Omnis stultitia laborat fastidio sui.* Potius dicerem laborare nimia sui æstimatione. Nisi fortè voluit Cordubensis stultiam fastidire se in aliis: proindeque pati nauseam sui, hoc est ejusdem mali quod in se habet, ac non agnosci ibi. Quidquid Philosophus voluerit, hoc unum scio, & incarnatæ Sapientiæ facto comprobare pergo, scili. expediens esse quod rudibus contegatur scientia, ne quæcumque ignorant blasphement.

D. Greg. M. l. 11. moral. c. 13. tom. 1.

S. Isidor. Hispal. l. 3. Sent. c. 43.

Senec. epist. 10.

Postquam seminantis, zizaniorum, grani sinapis, & fermenti similitudines Christum Dominum proposuisse retulit Evangelista Matthæus, adjecit: *hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis:* & cur ita? Dixit Apostolis Dominus idem: *vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Discipulis jam luce doctrinæ sufficienter illustratis apertiùs loquitur? turbis proponit obductam parabolarum nube veritatem? Sic oportuit, eò quòd turbæ rudes erant, prudenterque sapientia clauditur imperitis, ne porcis offerantur conculcandæ gemmæ. *Ad suam prædicationem, illorum excæcatio est sequuta, & justo judicio negata est illis, tanquam indignis intelligentia spirituali, quia ei si eam audissent, forsitan despexissent.* Ita Carthusianus ad citatum Lucæ locum. Illemetipse qui se crucifigendum obtulit hostibus, videtur noluisse permittere seipsum judicandum insipientibus.

Matth. 13. 34.

Luc. 8. 10.

Dyoni. Carth. in c. 8. Luc. arti. 20.

13. *Sapiens difficilè colloquitur indocto.*

Quantò plus illis quorum scientia certis finibus circumscribitur, metuendum est coram nesciorum vulgo verba depromere? Quisque dicere valet: *quæ ego scio non probat populus: quæ probat populus ego nescio.* Ut idiomate proprio quod nosti proferas, erit satis agnovisse quod exponas, ac impedimenta linguæ nescire. Ut peregrino sermone loquaris, amplioribus notitiis opus est. Frequenter magis differt à docto rudis, quam ab Hispano Scytha: igitur ægrè sapiens ei colloquetur cujus linguam non callet. Audi Chrysostomum: *nemo quippe captus luminibus, lucis jucunditatem cognoscere potest. Salomonem dicentem audias tanto sapientem insipienti præstare, quantum inter lucem & tenebras interest. Qua igitur ratione poterimus eum docere qui degit in tenebris?* Memini Psalmistæ verba quæ ad rem nostram jam expendo.

Senec. epist. 39.

Chrysost. to. 2. hom. 84. in Matth.

Regius, inquam vates, ait: *dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Prædicatorem doctrinam salutis distribuentem intellexit hoc loco Card. Hugo: *dies idest prædicator sanctus & perfectus*: & infrà: *& notatur hìc cautela quam debet habere prædicator ut pro modo & capacitate auditorum temperet modum suæ prædicationis. Dies erat Apostolus cum sapientiam loquebatur inter perfectos 1. Corin. 2. B. nox erat cum dicebat 1. Cor. 3. A. non potui vobis loqui quasi spiritualibus; sed quasi carnalibus* &c. Commentatoris dedi verba licèt ab ejus mente recedam, quia esto locum intelligas ut ipse interpretatur: fateberis tamen adeò esse arduum sapienti accommodum se rudibus præbere, sicut diei splendidæ in opacam noctem transmutari. *Imperita rusticitas plura promittit, & credit se scire quæ nescit*: ait Vegetius: & præcipuè nesciunt illi seipsos. Unde superba sæpe resistit multitudo ne illuminetur: quin àlia sit elationis radix præter illam de qua D. Bernardus agebat cum ait: *superbiam parit tibi ignorantia tui*: nam per superbiam oculos mentis præpediri manifestum est ex Gregorio M. *sic quippe*, inquit ille, *in mente superbia, sicut in oculis caligo generatur.* Econtra experimur in prudenti: nam ut notavit Cicero, *optimus ac gravissimus quisque confitetur se multa ignorare, & multa sibi etiam atque etiam esse discenda.* Pudet probare plus requiri ut illuminetur rusticus de sibi notis, quàm ut instruantur sapientes de hoc quod ipsis nec venit in mentem.

Psal. 18. 2. Hugo Card. ibi.

Veget. l. 3. de re militari.

D. Bern. serm. 37. in Cant.

D. Greg. M. l. 24. moral. c. 13. tom. 1.

Cicer. l. 3. Tusculan.

Christo nato narraverunt cæli Dei gloriam: advocantur per stellam Magi, quæ prædicatoris officium peregit. *Nobis*, inquit Augustinus, *hoc lingua nuntiavit Apostolorum, stella illis tanquam lingua cœlorum.* Denuntiatur pastoribus ejusdem Domini nativitas, non per mutum signum; sed per loquentem angelum. *Et dixit illis angelus: nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Gentiles veri Dei fide carentes à creatura rationali videbantur potiùs ducendi. Pastoribus nonnè sat erit sydus, qui jam scriptæ legis præambulâ notitiâ imbuti, procliviores ad fidem videbantur? An non dixit Paulus: *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus; ut confundat sapientes?* cur ergo non sufficeret rudibus loqui per instrumentum ratione carens, ac sensu? Quia rudes erant arvorum incolæ; Magi sapientiâ præditi. Doctis absque verbo signum satis erat; rusticis tam luce, quam sermone fuit opus ut illustrarentur.

D. Aug. serm. 30. de tempore. to. 10.

Luc. 2. 10. 11.

1. Cor. 1. 27.

Imò non hoc nimium fuiſſe reor: nam dubitari poterat utrum illis inſtruendis unicus angelus abundè foret. Non caſu *ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis*; ſed ut Bedæ placuit, *ne parva unius angeli videretur authoritas, poſtquam unus ſacramentum novæ nativitatis edocuit, ſtatim multitudo cœleſtium agminum quæ gloriam Deo caneret, pacemque ſimul hominibus prædicaret, affuit*: quaſi par non eſſet unicus prædicator, licet angelicus, ut paucis ruricolis annuntiaret quod optabant. Quid erit ſi menti denunties agreſti quod ipſam tædet? Detractionis pœnas? Uſuræ turpitudinem? reſtitutionis debitum?

Luc. 2. 13.

Beda hom. in 2. Miſſam Natal. Domi.

14. *Sperni, crucifigique ſimillima ſunt.* Lira in Prover. 10. 14.

Indignus. Ultimo loco refertur inter motiva quibus ducitur ſapiens ut obmuteſcat, indignitas, ideſt malitia ejus, qui doctrinam vertet in ſui perniciem, illam & authorem deſpiciens. *Sapientes abſcondunt ſcientiam deriſoribus*, ait Liranus ad verba textus noſtri. Non de ſapientibus ago, qui ex munere vitia reprehendunt, ne videamur illos metu contemptus deterrere ne dicto crimina carpant. De cæteris minimè dignum erit admiratione, ſi deſpici timentes ab auditoribus conticeant, ipſis ut indignis pulchritudinem ſapientiæ celantes. Eſt ne parum horribile malum ſuperbè reſpui? præcipuè in iis quæ ad intellectum pertinent? Sic percutitur pars rationalis, quæ nobilior eſt. *Nunquam*, ait Chryſoſtomus, *parvum exiſtimes fratrem ſtultum vocare, auferens ei prudentiam, & intellectum, quo homines ſumus, & ab irrationalibus diſtamus.* Si huic deſpectui accommodes appellationem crucis qua ſuſpenditur patientia, nomine illum non alieno donas. Crucifigi, & ſperni docentem ſimillima ſunt.

Chryſoſ. to. 2. hom. 16. in Matth.

Apoſtolus ad Galatas explicat heroicè quomodo ſæculum vicerit hoſtem: *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Crucifixum gentium Doctorem percipio facilè: nam illum Dominicæ cruci confixerat amor: qui Saülum non tantùm in Paulum tranſtuliſſe contentus, quaſi alterum eundem reddidit ex perſecutore Chriſtum ſolitâ dilectionis metamorphoſi. *Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* At mundus quâ ratione crucifixus dicitur qui triumphans jubilat cæco deluſus gaudio? Cui ne cruci affixus eſt? Non illi quam Servator aſcendit, quia mundus ab ea longè poſitus crucem iſtam refugit: nec propriæ cruci, quia hæc non ſæculum vexat, ſed ſuos excruciat amatores: illud tortoris perſonam agit; non autem in iſta cruce fixi. Quo ingenio crucifixus erat Apoſtolo mundus? Contemptu. Sæculum aſſeclas docere præſumit; alioſque vocat ut ejus doctrinam ſectentur. Hanc & præceptorem peſſimum Paulus aſpernabatur adeò, ut ſapientiam ſæcularem reputaret ſtultam, dixit quippe: *ſapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Sic mundialem ſcientiam faſtidiens mundum quem temnebat, crucifixit. Faveat Angelicus interpres: *illud enim in quo quis gloriatur non eſt mortuum in corde ejus: ſed magis illud quod contemnit.* Magiſter gentium conculcans mundum, eum ſuſtulit in crucem: nam ſperni crucifigique ſimillima ſunt.

Ad Galat. 6. 14.

Ibi c. 2. 19. 20.

1. Corin. 3. 19.

D. Thom. in epiſ. ad Galat. c. 6. 14. lect. 4.

Quinimò dicam deſpectionem ipſo funeſto ligno plus acerbam. Scio quod licet perpetuus, & nimius fuerit Seneca in ſuadendâ tolerantiâ dolorum inſenſibili, tamen cùm ad contumeliam devênit, indulgere videtur generoſo ſi putet impoſſibile ſibi eſſe contumelioſum æquo animo ferre, dixit enim: *non poteſt generoſus animus contumeliam pati.* Crux parat necem, abjectio denigrat honorem. Cúmque apud ingenuos decus vitæ præferri ſoleat, plus elucet patientia in confuſione ſuſtinenda, quàm in cruce toleranda.

15. *Cruce horribilior confuſio.*

Sene. de ſenten. orator.

De Filio Patris Æterni dixit Paulus: *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Dicendum videbatur ut charitatem, quæ omnia ſuffert extolleret in amantiſſimo Domino, ſuſtinuiſſe crucem, ipſius doloribus neglectis. Non ita loquitur, quia crucis exaggeratio cõfuſio erat orta de contemptorum hoſtium petulantiâ: quaſi diceret Agni manſuetiſſimi tolerantiam clariùs enituiſſe quia tacuit ſpretus, quàm ex eo quòd ſtipite diſtentus doluerit. Ideo non dixit: ſuſtinuit mortem contempta cruce; potiùs ait: *ſuſtinuit crucem confuſione contempta.* Quinimò ſi ſcholium ſequamur perdocti Marianæ: loquitur Paulus de ignominiâ, quæ ipſi cruci annexa fuit: *ideſt* ait Scholiaſtes, *cùm poſſet paternis gaudiis frui, maluit crucem ſuſtinere, ejus ignominia contempta.* Non commendat Apoſtolus hic innocentiſſimi Redemptoris patientiam tam ex crucis acerbitate, quàm ex illius dedecore. Accedit quod Salvator patibulo ſuffixus doctoris munus exercuit, quaſi concionantis è ſuggeſto per exempli rhetoricam: proindéque duriſſimum fuit inſtruentem rectiſſimè nihili fieri à faſtidientibus. *Lignum illud*, inquit Auguſtinus, *ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis.* Illinc Prototypus concionatorum docuit multa paucis, & ſummatim propoſuit ſumma. Ibidem à ſuis auditoribus blaſphemè abjectus fuit. Cruciabatur equidem immaniter clavorum confixione vulneratus; attamen cùm verbo & exemplo docebat, haberi contemptui, cruciatuum hyperbolica, ſed non ficta exaggeratio eſt: *ſuſtinuit* &c.

Ad Hebr. 12. 2.

Mariana in ſchol. ibi.

D. Aug. tract. 119. in Joan. to. 9.

DELIBATIO III.

De humilitate vera, & ficta: de neſcientia docta: & vanæ gloriæ damno.

16. *Summa continens omnẽ ſapientiam humilitas eſt.*

Sapientes, ait Paræmiaſtes: & perſpicuum eſt hîc ſapientes vocari, non omnes qui diſciplinarum opibus fruuntur; ſed humiles tantùm: quomodo enim abdet ſcientiam elatus, cujus tumor eum latere non patitur? Non explicuit Salomon ſe de humilibus loqui ſolummodo: quia ſatis eſt dicere, *ſapientes*, ut intelligantur humiles. Honorificum illud

illud nomen unicè congruit iis qui voluntariam demissionem sectantur : *qui enim necdum se despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit.* Sic Gregorius Pap. Verumenimverò abjectio spontanea ita sapientiæ servit ut compendio doctum efficiat, quasi dicenda sit humilitas doctrinæ totius breviarium.

D.Greg.M. l.34.mora. c.17.to.1.

Divinus Magister aiebat olim : *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Fruere D.Bernardi expositione pulchra. *Nonne tamen & ipse de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ, suarúmque virtutum, gloriatus est ? Discite, ait, à me, non quia sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid hujusmodi, sed quia mitis sum & humilis corde.* Compone utrumque Salomonem. Filius Bethsabethæ quàm copiosè doceat non unicus liber ostendit. Verbum Dei, cùm sit plusquàm Salomon, unicam hoc loco dictat humilitatem addiscendam ! Sapientiæ thesauris dives, cur non abscondita divinitatis mysteria, sublimia cœlorum arcana, cæteraque satis abstrusa scientiarum penetralia nunc eructat ? Solam humilitatem, quæ vix assurgit è solo monet inibi ? tam nobili magistro non ampliùs ascendent ingenia, quàm ad descendendi doctrinam ? Profundam humilitatis disciplinam ne dubites : parvula est ; sed eruditionis claudit summarium. Non alia docere Præceptor disertissimus offert memoratis verbis, quia submissio, quam suadebat, omnium scientiarum instar est. Salomon, ut suprà notavi agit inpræsentiarum de humilibus : hi namque scientiæ splendorem recondere solent. Istos insignit sapientum nomine, quod cæteris minùs proprium est.

Matth.11, 29.

D. Bern. epis.42. ad Henri.

17. *Humilitatem fingens renuit edoceri.* Anonymus inter opera D.Hieron. epis. ad Demetriad. to. 4.

Verùm fateor quod cùm superbiam plurimi sub humilitatis hypocrisi tegant : non est cuique obvium sapientes veros à fictis, humiles, inquam à superbis discernere. *Multi,* dixit Anonymus, *humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur.* Ne pictura decipiaris : aliud est virtus, aliud ejus imago coloribus expressa. Vis humilitatem solidam à fucata dignoscere ? utrum scili. qui se demittit sit ex illis de quibus dictum est : *est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo* ? Experire an doceri permittat : nam hoc est submissionis veræ signum, seu potiùs insigne. *Aliorum quiescere consilio præcipuum est humilitatis signum.* Ita Patriarcha Venetus. Aliter se gerunt elatione turgidi. Unde illud est ejusdem S.Doctoris effatum : *humilitas sapientiam, & superbia ignorantiam generat.* Proindè penitus renuet instrui qui verè superbus absconditur sub humilitatis larva.

Eccli.19.23.

D.Laur.Just. in lign. vitæ c.5. de humilit.

Idem l. de casto connubi. verbi & animæ. c.11.

A nativitate cæcum illuminavit lux illa quæ omnem illustrat hominem : luto reformavit luteum plasma. Exardent invidia Pharisæi miraculo commoti ; sed alij pro Christo Domino sentiebant. Advocant cæcum, & eorum dissensionis illum velut arbitrum constituunt dicentes : *tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos* ? Quibus verbis, ut censuit Cardi. Toletus, *ambiguitatis judicem cæcum ipsum constituunt :* imò Augustinus ibidem ait : *ipsi illum magistrum fecerunt, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, & ingrati docentem projecerunt.* Animadvertis quàm primâ facie se monstrent humiles ? De Pharisaico supercilio insolenti fastu nimiùm tumidi committunt hominis ignoti judicio decernere quid sibi de Christo sentiendum foret ? Parumper expecta, videbis quòd superficie tenus isti submisè loquantur. Pugnat pro suo benefactore cæcus, dicens : *nisi esset hic à Deo non poterat facere quidquam. Respondérunt, & dixerunt ei : in peccatis natus es totus, & tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras.* Quæstio litteralis est an ipsi qui sic responderunt sint iidemmet qui cæcum priùs interrogarunt quidnam de Christo censeret. Sequamur nunc Maldonatum qui eosdem fuisse insinuat, dum ad illa verba : *tu doces nos ?* commentatur sic : *hinc apparet mansuetudinem illam, qua ante Pharisæi in interrogando cæco usi fuerant, fictam fuisse.* Favet Theophylactus : *quandiu sperabant ab homine quod ad eos loqueretur, advocabant eum, & interrogabant, idque sæpe : ubi autem agnoverunt eum ex responsis non sapere quæ illorum, sed favere veritati, contemnunt quidem illum, utpote in peccatis natum.* Ecce quomodo detegatur personata sub aliena facie superbia. Nullius ducatum fert in illis quæ ad scientiæ pompam spectant : erroremque suum diligens erumpit è latibulis, cùm renuit instrui. Si vis nosse quid non sit homo : vide quid affectatis verbis, & actionibus ostentet. Demissionem protestationibus crebris inculcat ? Cave luciferinam superbiam : dum caput contorquet, extollit animum.

Joan.9.17.

Tolet. ibi.

D. Aug. tract.44. in Joan.tom.9.

Joan.9.33. 34.

Maldonat. ibi.

Theophylac. ibid.

Humilitas vera non affectatione commendatur, sed affectu : aliter degenerabit in fastum. Audi Chrysostomum : *extollit humilitas nisi vera & germana fuerit. Est ea ars profectò diabolica, ut sicut plures eo quod inanem gloriam vicerunt, gloriantur inaniùs, ita & qui se humiliaverunt, extolluntur.* Solidæ submissionis amator consultò sanè seipsum abjicit : eo tamen ingenio ut non datâ operâ, sed casu videatur id accidisse.

18. *Humilis de primis se quasi casu contigerit.* Chrysost.ho. 2.in epis. ad Philemon. tom. 4.

Nascituro Domino describitur ex edicto Cæsaris universus orbis : & illemet qui quondam ob numeratum populum mulctavit peste Davidem, nunc patienter fert ut Augustus universum describi faciat superbè. Accingitur itineri S. Joseph cum Beatissima conjuge partui vicina. Peregrinatur uterque ut Filium Dei, qui jam comes aderat peregrinationis intra viscera Genitricis, imitarentur. Advenit illa tandem optata sæculis Dominicæ nativitatis hora : natus è Virgine qui nescit initium collocatur in præsepio *quia non erat eis locus in diversorio.* Expende rationem, quàm assignat Evangelista cur in loco tam vili Redemptor habuerit ortum : scili. eò quòd propter copiam hospitum, pauperes Joseph, ac Deipara non invenére hospitium in diversorio. Præfata verba textus illustrat Ambrosius : adverte antiquius fuisse patientissimo Domino injurias mundi, quàm vitæ mortalis usum experiri. *Ille locum in diversorio non habebat ut tu plures haberes in cælestibus mansiones. Qui cùm dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopiâ vos ditaremini.* Quare non potiùs di-

Luc.2.7.

D.Ambrò. l.2. in Luc. c.2. to.3.

xit

xit S. Lucas Altiſſimi Genitum in præſepio fuiſſe locatum ut abjectiſſimam humilitatem adimpleret, quam ſtupens vaticinatus fuerat olim Propheta juxta verſionem Septuaginta quam ſequitur Eccleſia in officio Circumciſionis : *Domine audivi auditum tuum & timui : conſideravi opera tua, & expavi: in medio duorum animalium: fuit enim,* commentatur Lira, *prophetæ admirationis pavor quòd in loco tam humili reclinaretur Salvator.* Aſſeret igitur hiſtoricus hujus reclinationis cauſam fuiſſe humilitatem Redemptoris ; non autem quia honoratior ejuſdem nativitati locus inventus non eſt in diverſorio.

Habac. 3. juxta Septuag. verſionem.

Lira 2. Luc. 7.

19. Quam appoſitè loquitur aptans rei geſtæ dicendi ſtylum. Ita Dominus locum elegit deſpicatiſſimum, ut non de induſtria ibi voluiſſe naſci videretur, ſed quia ſic fortè accidit ex populi nimiâ frequentiâ. Ita referatur ergo hiſtoria ut eventus caſualis videri poſſit quod humilitatis fuerat votum : *reclinavit eum in præſepio : quia non erat eis locus in diverſorio.* Poterat certè Dominus ib naſci, quin occaſio foret gravidæ Virginis iter : ſed tunc pateret humilitas. Expectet Imperatoris decretum Legiſlator Æternus : proficiſcatur Mater puriſſima : præoccupetur diverſorium, ut in præſepio reponatur ille qui ſtellato reſidet ſolio : fortuita, non præmeditata demiſſio hæc appareat, ut excellat. Quod cætera dealbet albedo non miraris ; at ſi cum Philoſophorum veniâ dealbaretur albedo ; ſtuperes. Excellentias reliquas ab humilitate recondi non tam demirandum ; quòd autem humilitas humilitatem contegat, magnum virtutis opus ! Multi non viles exiſtimari volunt, ſed humiles ; genuina ſubmiſſio non ſic, ideo ſeipſam obtegit. *Verus enim humilis*, ait S. Laurentius Juſt. *vilis vult prædicari, non humilis reputari.* Signum expetebas quo veros humiles à fictitiis dijudicares : unum dedi : aliud adjicio dictis.

D. Laur. Juſt. l. d. humil. c. 5.

20. *Perfectæ humilitatis apex lucem accipere ab eo qui eget illuminari.*

Humilioris animi nota non vulgaris eſt libenter doceri ab eodem qui doctrina indiget. *Caput quidem hominis eſt intellectus*, inquit alibi datus Cyrillus. Non plenè ſe adhuc ipſum abjecit qui caput inferioribus non ſubmittit. Imò ſicut vix poteſt cæterum poſternere corpus qui caput ſervaverit erectum, ita qui mentem non humiliat, ſemiplenè adhuc humilis eſt : ſeu, ut veriùs dicam, per ſuperbiam fit membrum diaboli. Vide quid aſſerat S. Clemens Pap. primus. *Nullus epiſcopus propter opprobrium ſenectutis, vel nobilitatem generis, à parvulis, vel minimis eruditis, ſi quid fortè eſt humilitatis, aut ſalutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter vivit, & diſcere atque agere bona recuſat : magis diaboli, quam Chriſti membrum eſſe oſtenditur.* Conſilium iſtud fortaſſis amplexus Auguſtinus ait. *Sed ſi tibi quod juſtè id fiat Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris Eccleſiaſtici rudimenta contemno. Senex enim à juvene, & epiſcopus tot annorum à collega necdum anniculo paratus ſum doceri*, &c. O profunditate ſublimem animi demiſſionem ! Perfectæ humilitatis apex eſt lucem accipere ab eo qui eget illuminari. Admunus Apoſtolicum diſcipulos quondam Filius Dei clementer informabat, dicens : *neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum*, &c. ad quem locum Gregorius M. ait : *in lucerna autem lux prædicationis accipitur.* Unde per lucernæ Apoſtolicæ ſplendorem intelligo ſapientiam. Quæro: lucernæ, quæ unicam domum illuminat (*ut luceat omnibus qui in domo ſunt*) aſſimilat diſcipulos Filius Dei qui paulò ante vocaverat eoſdem mundi luces ? *Vos eſtis lux mundi.* Ut univerſi depellerent illi tenebras, Soles oportebat eſſe. Quâ igitur de cauſa non Solis utitur ænigmate, ſed lucernæ ? Quia Soli præbet fulgorem ille qui luce non indiget cum ſit lux ; at verò lucernam accendit illemet qui lumine caret ſcili. homo. Humillimos eſſe volens diſcipulos divinus Magiſter cupiebat ut eò profundè ſe demitterent ut ab eis qui alienis radiis indigent, ſuos incendi non dedignarentur : more lucernæ, quæ fulgorem mutuatur ab eo qui ſplendore illius eget ; non ſicut Sol, qui à Deo ſolummodò jubar accepit. Hæc profundiſſima, ſimulque ſuperexcellens humilitas pretioſis lapidibus in fundamentis Eccleſiæ ſubſternendis congruebat : hæc in Doctoribus Apoſtolicis emituit cæterarum virtutum baſis : quâ ſcili. igneum nitorem ſuum *ſapientes abſcondunt.*

Matth. 5. 15.

D. Greg. M. 10. l. 31. moral. c. 17.

Matth. 5. 14.

Scientiam. Hoc nomine venire ſolet ſæpiſſimè virtus : ideoque hoc loco poteſt in eo ſenſu accipi. O quam utiliter virtus abſconditur. Flammea lux eſt : non ſine diſcrimine gloriolæ vento exponetur. Quidni flatum perhorreſcant lumina, ſi exinde procella, & ex tempeſtate naufragia promanant ? Nullo adulatore laudante, ipſemet ſeipſum pavet juſtus, ne gloriari contingat vanè de proprij facti præcellentia. Prudenter D. Baſilius : *fugiamus inanem gloriam, dulcem ſpiritualium operum expoliatricem, jucundum animarum noſtrarum hoſtem, tineam virtutum, blandiſſimam bonorum noſtrorum deprædatricem*, &c. Occaſionem elationis fugiet ille qui Deum cernens iratum, nec movit pedem.

21. *Occaſionem vanæ gloriæ fugiet qui Deum non vitavit iratum.*

D. Baſil. to. 2. l. conſtit. monaſt. c. 12.

Tenebatur ſub Ægyptiorum dira ſervitute Dei populus : operique addictus lateritio, premebatur onere miſerando. Alloquitur Omnipotens Moyſem, jubetque de plebis redemptione agere pergat. Cunctatur ille, prætendit excuſationes ita contentioſo timore ductus, ut meruerit juſtiſſimam Domini præcipientis iram. *Iratus Dominus in Moyſen :* nec tamen irati conſpectum declinare curavit, cùm tamen antequam viderit indignationis Dei ſigna fugerit Jonas inobediens. Paulò antea ibidem fugam ceperat Moyſes. *Projecit & verſa eſt in colubrum ita ut fugeret Moyſes.* Serpentem refugit qui ſibi Deum ſuccenſere noſcens non ſe dedit in fugam ? Utique : nam prodigij gloriolâ pungi veritus eſt qui rubi non timuit ſpinas nec à divina ſe proripere tentavit iracundia. In vanæ gloriæ periculo ſeipſum niſi metuat juſtus, timeat ſibi : cúmque ſe relinquere non valeat, à ſuperbiæ occaſione diffugiat : etenim hujus vitij concuſſio pertimeſcenda

Exod. 4. 14.

Ibi n. 3.

meſcenda pluſquam culpæ ſupplicium. Non dubito quod in illius projectione virgæ ſuaſerit Moyſi Dominus humilitatem : nam juxta Cornelium à Lapid. *ſymbolicè hâc virgâ ſignificabatur ducatus & ſumma poteſtas.* Unde ſuſpicor abjicere virgam, ſeu poteſtatem ſymbolum eſſe demittentis antecellentiam ſuam in ſubmiſſionis exercitium. Addidit autem Dei amicus fugam : quia vanitas hoſtis eſt adeo ſævus, ut niſi pugnator aufugiat, ſuperetur.

Cornel. à Lapi. in 4. Exod. 2.

Hujus rationem addo. Pœna delicti vel te meliorem reddet : vel ſaltem rarò accidet ut deterior occaſione ſupplicij efficiaris : unde non tam cavenda punitio criminis, uti ſuadet metus. At inaniſſimus faſtus non ſic: nam ſicut idem Sol plantulis donat lucem, & eaſdem fervore ſuo arefacit, haud aliter ventoſus tumor quamvis elucere faciat coram hominibus germina Sanctitatis ; illa marceſcere faciet immatura. *Semina ſunt bona opera : quæ Sole vanæ gloriæ æſtuante areſcunt. Quidquid enim propter vanam gloriam facis, totum amittis.* Hæc Olyſſiponenſium gloria non vana. Rarò invenitur qui temporalia bona faſcinet ; crebrò tamen reperies oculos virtutum pulchritudinem faſcinantes. Plus audeo. Idem virtuti videtur eſſe palam fieri atque non extare.

D. Antonius Olyſſip. ſer. Dom. 3. poſt Paſcha.

Poſtquam orandi formulam inculcavit cæleſtis Præceptor hypocriſim ſugillavit eorum, qui macie jejunium ſuum prædicant, hominibus placere cupientes : ac ediversò ſuadere ſtuduit ut faciei munditie diſſimularent abſtinentiam : *ne*, inquit, *videaris hominibus jejunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito : & pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.* Omniſcius Pater Summus eſt, non ſolùm in abſcondito loco præſens reconditum cernit ; ſed ubique ſcrutatur intimus omnia. Ignorabit ne quæ fuerint cunctis nota ? *videt in abſcondito*, Dominus dixit quaſi bona opera non intueretur in foro geſta ? Aſpiceret utique Deus virtutes in platea expoſitas coram populi frequentiâ, ſi darentur in angulis, theatriſque ſpirituales fructus. In manifeſto non ſunt : amant receſſum : ideo videntur in abſcondito, quia cùm in propatulo non exiſtant, ibi conſpici non valent. Meritò clamat Petrus Chryſol. *fugiamus hypocriſim, fugiamus fratres : ſit noſtrum de ſimplicitate jejunium, de innocentiâ ſit ſanctum, de puritate purum, de ſinceritate ſincerum : ſit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum. Theſaurum qui non abſcondit, prodit : virtutes proditæ non manebunt.* Providentiſſimâ ſollicitudine *ſapientes abſcondunt ſcientiam :* hoc eſt juſti ſolerter abdunt ſanctitatis opes, ne pateant hoſtilibus adulatorum incurſibus, docti monitô S. Bernar. qui ait : *peſſima vulpes occultus detractor, ſed non minus adulator blandus. Cavebit ſapiens ab his.*

Math. 6. 18.

Chryſolo. ſer. 7.

S. Bern. ſer. 63. in Cant.

DELIBATIO IV.

Cæcitas peccatoris : Cæci videntes : utilitas feram transfigurat in Angelum. Contra pudorem hominum. Timor ingens malum.

OS autem. Stultum nunc juſto contraponit Salomon. De ſapiente prædixerat abſcondere ſcientiam. Nunc adnotat fatuum neſcientem operire quod neſciat, confuſionem pati cum illius detegitur imperitia : *os autem ſtulti confuſioni proximum eſt.* Quare non ait oculos ejus confundi ? cùm pudor genas gravat, demittuntur lumina : his ergo tribuat pudefactionis effectum potius quàm ori. Attende : agebat de ſtulto, ideſt peccatore : ideo de viſu tacuit, quia iſte cæcitate laborat palpebris orbatus, adeò ut quod delinquentis intereſt ipſe non agnoſcat, cum tamen animal irrationale cernat hoc idem. 23. *Cernere obvium eſt ſolum quod videntis non intereſt.*

Balac Moabitarum rex perterritus exemplo duorum regum Amorrhæorum Sehon, & Og, quos Iſraël devicerat : & inſuper ſuorum terrore commotus, ab auguriis quæſivit auxilia. Tunc erat in Meſopotamia celebris vates Balaam. Hunc rex advocari jubet ut Hebraico populo maledicat, quò Moab poſſet Jacobæam gentem percutere, ac è finibus exterminare ſuis. Renuit ille priùs ; poſtea tamen *maledicendi animo proficiſcebatur, cùm mutaſſet propoſitum, captuſque cupiditate promiſſorum diſponeret qua ratione populo malediceret, licèt prohibuiſſet Dominus*, inquit, Lorinus. Cœpto pergebat ariolus itinere, cum ei occurrit angelus evaginato gladio. Non vidit militem cæleſtem propheta : ideo namque progredi conatus fuit verbera multiplicans, quibus percutiebat aſinam ſe portantem : quæ tamen viderat quod Balaam ignorabat. *Cernens aſina angelum ſtantem in via evaginato gladio, avertit ſe de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere* &c. Certè vel angelus in ſpecie ſenſibili apparuerat ; vel non : ſi primum, aſpicit aſina quem Balaam non advertit ? Si ſecundum, aſinæ oculi non potuere ſpiritum percipere : imo nec miraculo id fieri valere paſſim docet philoſophia. Quid ad iſta dicemus ? Loquatur Philo : *tunc enim brutum perſpicacius erat, quàm is qui ſe jactabat videre non mundum ſolum, ſed etiam ipſum mundi Conditorem.* Iter illud an impediretur ab angelo, vel non, ad Prophetam attinebat ; non ad brutum. Quod tua intereſt non cernis, cùm videat hoc ipſum ſtolida bellua. Hæc peccatis obrutum populum adumbrabat: *quæ eſt enim hæc aſina niſi bruta gentilitas ? quam quondam Balaam, ideſt ſeductor idololatriæ, quaſi brutum animal & nulla ratione renitens, quo voluit errore ſubſtravit.* Sic D. Iſidorus Hiſpal. Habemus hoc loco peccatorem, & verum, & figuratum. Aſina erat umbra populi nequam : ariolus fuit verè peccator ibi,

Lorin. in c. 22. Numer. n. 22.

Numer. 22. 23.

Philo Hebr. l. d. vita Moyſis. to. 2.

S. Iſidor. Hiſpal. c. 23. in Numeros.

Numer. 22. 32. teſte angelo dicente : *ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua :* cui conſonat 2. Petr. 2. 15. D. Petrus dum ait : *derelinquentes rectam viam erraverunt ſequuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit.* Itaque vates ad id quod illius intererat hallucinabatur ; cernebat verò brutum animal quod non incumbebat illi : *quia homo,* ait S. D. Proſper. l. d. promiſ. & prædict. p. 2. c. 12. Proſper, *cum in honore eſſet non intellexit : comparatus eſt jumentis inſenſatis, & non ſimilis, ſed pejor factus eſt illis ſubjugale enim, ut Petrus Apoſtolus dixit in epiſtola ſua, humana voce reſpondens vetuit prophetæ dementiam.* Ita frequentiſſimè videbis ad aliena ſatis acutos, cæcutire circa propria. Verè S. Aug. to. 1. l. 10. confe. c. 3. initio. dixit Auguſtinus *curioſum genus hominum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendum ſuam.*

24. *Cernere quæ non extant cæcitas eſt.* Cæcum appellavi peccatorem. Oppones tamen : proh dolor : quàm nimis videt ! Ut judicet adverſus proximi decus temerariè, divinare præſumit, & venditat ſe rimari præcordia cunctorum. Ut propria crimina tegat, excuſationes adinvenit, quibus nixus virtutum nuncupatione decorat ſcelera. Stultiſſimis deluſus figmentis exiſtimat prudentiæ apices attigiſſe. Cæcus eſt qui ſic multa videt ? Quid plura refert intueri ? Et cernere quæ non extant cæcitas eſt. Qui ſe conſpicere dicit ea quæ non ſunt, adhuc non videt.

Cùm Bethſaidam veniſſet Redemptor cæcus adducitur ad lucis Authorem : qui rogatus, eum illuminare volens eduxit extra vicum, vel ut plauſum declinaret, vel ut invidiam. Impoſuit ei manus, oculoſque linivit ſaliva, & interrogavit eum ſi quid videret. Marci 8. 24. 25. *Et aſpiciens : ait video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cæpit videre.* Nunc incipit cernere ? Ergo antea non viderat ? Qua veritate igitur dixit : *video homines ?* Viderat ille quidem, ſed ea quæ non erant, nempe homines arboribus pares. Unde textus de ipſo loquitur quaſi de non adhuc vidente, quippe quem poſtea videre cæpiſſe refert : nam qui contueri affirmat quæ non exiſtunt ? minimè cernit adhuc. Ne prætereas quòd cæcus habens coram ſe Dei Filium, & adeo juxta ut poſitis manibus ſuper eum Dominus interrogaverit ſi quid aſpiceret, non reſpondit video te cæcitatis meæ remedium ; ſed prætereuntes inſpicere tentavit. Æquum foret ut in ſuæ medicum ægritudinis intenderet ſolummodo, nec de hominibus videndis, qui velut arbores non erant, curaret. Beda in Marcum l. 2. c. 34. Fruere commentario Bedæ : *ſed quiſquis ita deſipit, ac longi temporis obſcuritate depreſſus eſt, ut inter bonum & malum, fidem, & perfidiam, ſincera pietatis opera, & ſimulationem juſtitiæ, adhuc diſcere neſciat, quaſi ambulantes homines inſtar arborum cernit, quia facta multitudinis abſque luce diſcretionis videt.* Ad minus cæcitatis reliquiæ ſunt videre quod non extat. Velim expendas illos qui ea quæ non ſunt intuſpicere ardent, ea quæ verè dantur ignorare. Tempeſtivè Auguſtinus : D. Aug. l. 1. contra Manichæos. De Gene. c. 2. fine. to. 1. *compeſcat ſe humana temeritas, & id quod non eſt non quærat, ne illud quod eſt non inveniat.*

Stulti. Ecce confuſioni damnatur imprudens, & paſſim offendes inſipientiſſimos honoribus elatos. Monſtra plurimi faciunt principes : & quod in ipſis erravit natura, eorum fœlicitas eſt, velut ægrotis, ita placent hominibus pejora. Si pulchrum naſcatur pomum, præteritur ; ſi vero diſtortum neſcio quam exhibeat figuram, admiratione, ac lætitia ſuadente, carpitur. O quoties aliquos brutorum ineptiam imitantes plurimi æſtimant mortales ! Falleris cùm putas hoc à dilectione prodire : *privata namque commoda,* inquit Antiſtes Venetianus, *jura dilectionis ignorant.* Crede igitur quod corrumpit eorum judicium utilitas propria, præſertim coram potentibus : nam timoris umbra lumen intellectus obnubilat. *Ibi ſunt vera judicia, ubi neminem comprimit ulla timiditas.* Ita Caſſiodorus : & alibi de blandientibus idem ait : *nihil prius meditantur quàm illud quod putant gratiſſimum auditoribus fore : nam nec aliter impetrabunt quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint.* Etſi præ barbara ferocia belluæ comparari poſſit is cujus indiges ; tibi velut angelus erit. Quis beſtiam tranſmutavit in ſpiritum ? Decepta commoditate phantaſiæ.

25. *Videbitur angelus is quo eges, licet ferinus.* D. Laur. Iuſt. in faſcic. amoris c. 1. Caſſiod. l. 10. epiſt. 19.

Amanus ambitionis exemplar, ſuperbiæ culmen, Aſſuero regi quem aulicis artibus alligaverat voluntati ſuæ, ſuaſit ut Iſraëliticum perderet populum : hoc ductus motivo quòd Mardochæi genuflexionem perdidiſſe dolebat. Hebræa regni conſors Eſther ſuæ gentis miſerata cladem, divinis humaniſque mediis quæſivit plebem inſontem eripere ab imminente gladio. Dei primùm ſollicitavit opem : ac poſtea ſponſum adiit, pulchritudinis eloquentiâ muta ſalutem Hebræorum exoratura. Dum cœlum oratione pulſaret, ajebat illa : *da mihi fiduciam Domine Rex deorum, & univerſæ poteſtatis : tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu leonis.* Audis leonem ab Eſthere vocari Aſſuerum ? Progredi non pigeat, & audies ab eadem, & eundem nominari angelum. Quæ reſpondit : *vidi te Domine quaſi angelum Dei.* En dicit angelum, quem præ ferina crudelitate leonem compellaverat. Indigebat Aſſueri benevolentiâ Eſther : leo quidem erat ille ſævitiâ, quia populi Hebraici ſtragem immeritò decreverat : necnon imprudenter ſe Amano ſubdiderat ita iners ut poſtea ſciſcitatus fuerit, quiſnam auſus eſſet Hebræorum verſionem moliri, cum ipſe antea conceſſerit eandem. *Reſponderſque rex Aſſuerus ait : quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere ?* Attamen quia regis potentiâ indigebat Eſther ut populum erueret, angelus Dei viſus ei eſt Aſſuerus, qui leo dictus fuerat ab illa : *vidi te domine quaſi angelum Dei.* Stultus confuſione dignus, eâ non ſemper dehoneſtatur ; imò perſæpe multorum acclamationibus extollitur indigentium ejus auxilio.

Esth. 14. 12. 13. Ibi c. 15. 16. Ibi c. 7. 5.

26. *Peccati fugam ex hominum fugore captam Deus parvipendit.* *Confuſionem.* Si nomine ſtulti peccatorem acceperimus : hoc loco denuntiari manifeſtum eſt illum confuſione puniendum in pœnam peccati quod ore commiſit. Pudore mulctatur,

Gloſſ. Interlin. in Prov. 10.14. *quia*, inquit Interlinearis, *vel inordinatè bona, vel apertè loquitur mala.* Corporalibus morbis res viliſſimæ ſæpe ſunt pretilia medicamenta: non attendis quid ſint, ſed quid ſanent. Sic vanus pudor ille, qui non criminis turpitudinem, ſed aſtantium oculos veretur, abjectiſſima paſſio eſt; at medetur efficaciter, & quamplurimis: nam, ut alibi datus, ait Seneca, *plures pudore peccandi, quàm bona voluntate prohibitis abſtinent.* Deo quidem placet fuga peccati; ſed via diſplicet qua fugiunt iſti. Domini conſpectus introſpicientis cuncta ruborem illis non injicit: & hominum verecundia eſt potentior apud eos. Iſtiuſmodi verecundos D. Ambroſius caſtigat, dicens; *hominem vereris præſentem; Dei Patris, & Filij non vereris præſentiam? ſed non vis credere ne poſſis cavere: non vis audire cùm legitur quia Deus novit occulta hominum, ne inſipias ſcire quod timeas, & timere ne pecces.* Hinc oritur ut Deus parvipendat abſtinentiam à peccato, ſi humanus pudor; non divinus timor eam ſuadet.

Sene. epiſ. 84.

D. Amb. in Pſal. 118. oct. 1. to. 2.

Comprehenditur noſtræ libertatis Aſſertor ita libens ut hoſtibus proceſſerit obviam ſeipſum annuntians. Memini apud Joannem referri ſic quod prius acciderat: *quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum: ſed nemo miſit ſuper eum manus.* Et quare? Reſpondet Alcuinus: *quia ſcili. ipſe non permiſit qui conatus illorum in ſua poteſtate habebat.* Conſonat Dionyſius Carthuſianus in eum locum n. 30. *Divina verò voluntas, atque potentia, erat cauſa efficiens quod captus non fuit, quia refrænavit malitiam Iudæorum, non permittens eam in actum procedere.* Quid amplius erat nunc, quàm poſtea comprehendi? Priùs eorum trahit affectus, quantùm ſatis ne audeant manus in eum injicere? apud hortum verò ſe vinculis tradit libentiſſimè? Hîc multa dicunt plures: promere liceat quid ſuſpicer. Cùm vinciri tacitus recuſavit manſuetiſſimus Agnus holocauſto dicatus à diebus æternitatis: tunc, inquam, dies erat, ait enim textus: *in noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat Ieſus* &c. cùm autem in horto comprehenſus eſt, nox fuit. In Salvatoris comprehenſione, fugæ præſidium quæſituri erant Apoſtoli. Si res accideret interdiu, fortaſſis Diſcipuli ſpectantium pudore cogente non deſererent Magiſtrum. Vellet Dominus eorum perſeverantiam; ſed non humanæ verecundiæ interventu. Noctu comprehenſus deſtituitur: & cum poſſet alieno pudore (diſcipulorum ſcili.) ad ipſorum fugam impediendam uti, ligari ſe permittens durante diei luce: recuſavit adeo vili medio (quale verecundia humana eſt) ſui ſi quæ fuit offenſam vitare. Non vult metui dedecoris hominum debere obſequium quod affectus cordium non præſtat. Utilem velut per errorem fateor medicinam eſſe ruborem hunc quo mûdi veremur oculos: pudendus tamen eſt hic timor.

Idan. 7. 44.

Alcuin. apud Cate. D. Thomæ ibi Dionyſ. Carth. ibidem. n. 30. art. 19. prope finem.

Ioan. 7. 37.

Herman. Hugo in piis deſide. l. 2. poëm. 4.

Ah pudet. En timeo, quæ contempſiſſe decebat
Non timeo juſtos quæ meruere metus.
Flagitium minimo timeo committere teſte;
Non timeo facinus teſte patrare Deo.

Sic piè deplorat dulce canens philomela Sacra.

Proximum eſt. Non dixit: confunditur; ſed confuſioni proximum eſt: quaſi majori ſupplicio puniatur ille qui parum abeſt ut pudorem ſuſtineat; quam is qui jam erubeſcit. Sic evenit in ferè omnibus quibus torquemur. Prævenitur metu futurus ictus, & anticipatò dolet qui timet: nec leviter ita cruciatur: nam, ut Ricardus Victor. dixit, *timor majorem præ cæteris, ſive ad bonum ſive ad malum, efficaciam habere videtur. Siquidem ab illo frequenter à ſuo mens rectitudinis ſtatu dejicitur:* Et notandum valdè quod adeò ſe tortor iſte medullitus inſinuat ut corda premat. Hoc tam in bonis quàm in malis vendicat locum: bona quippe veremur amittere, ac damna pati. Redeat Ricardus. *Certè ſunt quæ amamus; alia ſunt quæ odio habemus: ſed pro utriſque timere ſolemus, dum ſæpe iſta amittere, illa formidamus incurrere.* Non tam paſſionis hujus importunitatem deteſtor, quæ proſperâ ſorte fruentes, dum pavere nimis adverſam commonet jugiter, non ſinit eſſe fœlices: quàm ejuſdem execror acerbitatem, quâ dolorem feſtino pede properare faciens, incrementat eundem. Malo plus angit metus ipſe mali. Timor corda quatit ac anxietate interna fatigat; inſuper & proditoriè ferit, nam dum tui defenſionem ſuſcipere velle comminiſcitur, te penitus exarmat. Hinc fit quod formido ſit malorum ſumma, omnique dirior cruciatu. Vide ſl. 10. 7. & ſl. 16. 54.

Ric. Vict. 1. p. l. Benjamin. minor. c. 64.

Idem ibi c. 65.

Jobus in ſtadio patientiæ currens immotâ conſtantiâ, Dominum precabatur ita: *Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat.* Dei manum rogat amoveri; non tamen illa terretur? ſed formidine? Quodnam tu putas flagellum ſeverius? Formido eſt. Non ille dixit: pavor meus; ſed: formido tua: quia ſcutica minax, qua tergo quis feritur non dicitur eſſe illius qui excipit verbera; ſed potius eſt flagellantis. Divinæ manus metu flagellari recuſabat qui tolerantiæ inauditum exemplar, fortitudinis columna ſtabilis erat. Itaque Domini manum orat ab eo longè fieri, non tam ferientem, quàm minitantem. Non alio malo hîc ſe terrere fatetur quàm horrore imbelli: *formido tua non me terreat.* Beda ibi: *totum illud eſt quod à Deo ſanctus Job poſtulat, ut auferat ab illo prius plagam quam patiebatur, deinde potentiam divinitatis, quàm imminentem ſibi vas fragile, infirmumque non ſuſtinet.* Nota quod ex Bedæ mente dupliciter ibi manus Dei conſideratur ab invicto athleta: primò ut percutiens, ſecundò ut terrens. Percuſſionis duritiem non dixit Commentator Jobum ſuſtinere nequiviſſe; maximè verò id inſinuat dum loquitur de manu Domini quatenus incutiente Jobo terrorem. Hic igitur eſt præcipua calamitatis pars. Confuſio peccatoris eſt verberatio non levis; ſed non adeo vexat cum dehoneſtatur ille; terribiliorem cruciatum experitur homo gloriolæ mancipium cum dedecus reformidat quando ſcili. *confuſioni proximum eſt.*

Job 13. 21.

Beda in Job ibi. l. 1. c. 13.

FLOS XVI.

Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum egestas eorum.

APERITUR.

1. INCERTUM judico quisnam sit ad litteram hujusce paræmiæ scopus: divitiarum ne licitam suadere acquisitionem; an illicitæ obviàm ire. Non omni verosimilitudine prior sensus destituitur: juxta quem, egestatis incusso terrore, Paræmiastes opulentiæ munitæ magnitudine propositâ, multos allicit, ut otium vitare, labores amplecti, pro inculpata fortunarum abundantia consequenda prudenter deliberent, quasi dicat: si, quam tremiscitis, inopiam vultis effugere, urbisque circumvallatæ similes discrimina deludere: oscitantem ponite desidiam, laboribus honestis accingimini, velut civitatis molem erecturi. Attamen in secundum sensum magis inclinor, ex eo ductus, quòd sæpius doctrina Salomonis contra divitias, quàm pro eis inveniri soleat. Favet Rodolphus hoc loco. *Potest prior versiculus in malam partem intelligi, quasi reprehendat Sapiens vanam fiduciam, quam divites in suis collocant divitiis.* Fateor dari justos divites juxta illud Ambrosij: *non ergo divitiæ accusantur, sed divitiæ peccatorum.* Nihilominus hoc quod est in opibus confidere, non invenitur in locuplete probo.

Rodolph. hic.

S. Ambr. to. 2. in Ps. 36.

Sugillatur ergo per hanc sententiam superbia quorundam opulentorum, qui volatilia bona tanquam sub muro, & antemurali, tuta custodiunt, erectisque propugnaculis defensant, ac si forent æternitatis æmula. Opponit Scriptor sacer pavido pauperi facultatibus affluentem: hunc sanè pertimescit ille non aliter atque civitatê armorũ strepitu circumtonantem trepidat miles timidus. Quamvis enim vanissima sint hæc omnia: etiam nos ad tonitrui fragorem tremimus, licet iste (si causas tantùm naturales attendamus) nihil aliud sit quàm sonitus inanis ab exhalatione per fractionem nubis editus: imò à vapore, qui fumo similis est juxta Senecam: *terrenus vapor siccus est & fumo similis, qui ventos, tonitrua, & fulmina facit.* Ænigma tonitrui pro subjecta materia ne contemnas: illi namque assimilavit Ecclesiasticus iniquorum gazas, dicens: *substantia injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.*

Sen l. 2. natural. q. c. 12.

Eccli. 40. 13.

2. *Substantia* vocantur divitiæ, cùm sint accidentia: Scriptura quippe solitat humano more loqui. O quàm facilè absunt! Et sine subjecti corruptione pereunt. Ad prædicamentum habitus istud accidens pertinere dicet moralis philosophia. Quid enim sunt ea quæ ditissimum denominant, nisi quædam corporis indumenta? Ad quendam cui suadebat eleemosynas D. Hieronymus hæc scripsit verba: *& hoc hortor si vis perfectus esse... si in sublimi tecto positus pristina vestimenta contemnis, & ut evadas Ægyptiam dominam, sæculi pallium derelinquis.*

D. Hiero. epist. 34. ad Julianum.

Divitis. Nomen est quod juxta Varronem dirivatur à divo: vel quia cæcâ idolatriâ veluti divini divites adorantur: vel quia quadam remotissimâ divinitatis analogiâ, nullo videtur indigere qui dives est. *Dives dicitur à Divo*, inquit Hugo Victorin. *qui quasi Deus, nihil creditur indigere.* Sed ô quantum est nominibus, & in rebus, inane! Multò pluribus indiget qui fortunæ muneribus abundat: præcipuè si non sibi; sed fœliciori coacervat hæredi, *& congesto pauper in auro est.* Divitis appellatio cui potius conveniat audi ex Tullio: *quem intelgimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponemus? Opinor in eo cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facilè contentus sit.*

Hugo Victor.

Sen. in Herc. fur.

Cicer. in Paradox.

Urbs. Transtulit Syrus: *civitates.* Unicus est dives ut uno spolietur mortis ictu; sed curarum huc, illucque trahentium pluralitate divisus, non unus videtur, sed multiplex. Aptissimè multarum civitatum emblemate depingitur: etenim est à seipso dissitus, ac sibi dissimillimus. Cùm vulgatus interpres dixit in singulari: *Urbs*: non intelligas rectè dispositam; sed perturbatam, ac seditione divisam. Jam non latuit hoc gentilem oratorum Principem. *Ut civitas*, ait, *in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum domus: sic animus à seipso dissidens, secumque discordans, nullam gustare partem liquidæ voluptatis ac liberæ potest.*

Idem 1. d. fin.

Fortitudinis ejus. Non de fortitudine hîc agitur quæ virtus est, & animum supra metum periculi sic elevat, ut nihil nisi turpia formidet. Neque divitias appello malas: nec etiam æquum est ut illas virtutum nomenclaturâ nobilitemus. Non mihi suadere possum Aristotelem ex propria mente locutum, dum opulentium titulo virtutis insignivit aiens: *opulentum & locupletem esse in parte aliquâ virtutis ponitur.*

Arist. l. 1. Rhetor. c. 6.

3. In secunda ejusdem apophtegmatis parte dubitant interpretes an timor causa dicatur inopiæ, aut potius econtrariò egestas radix pavoris asseratur. In utrumque sensum ambigua satis verba sunt: & secundus videtur probabilior: præsertim cũ inopes à divitibus oppugnari sit frequens, ita ut bellicos eorum insultus pauperies faciat perpetuò trepidare. Patrocinatur Dionysius Carthus. hic: *egestas eorum: ideò ideo timent opprimi atque deficere, quia sciunt se inopes esse.*

Dyonis. Carth. in Prover. 10.

15. Adde hujus ultimi dicti non improbabilem expositionem. Dixerat Ecclesiastes divitem, propter opulentiam (qua si benè moratus est, egenos proteget, velut civitas incolas) urbi similem esse munitæ. Nunc ait, quod si contingat istiusmet ad inopiam devenire, pauperes carebunt eorum auxilio, quo egent. Idcirco dum expendunt indigi suis auxiliatoribus fortasis eventurum sic fore, pavent. Unde affirmare videtur quod *egestas eorum*, hoc est, divitum quæ superventura timetur, est *pavor pauperum.*

DELI

DELIBATIO I.

Divitem obsidione premunt agmina quinque; pauperem verò deprimit egestas quandoque mortis instar, & malorum compendium.

4. CUm duplex sit homo quilibet (juxta illud Apostoli: *Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus* 1. Corint. 4. 16. *est renovatur de die in diem*) de duplici opulentia dicam, alterâ spiritualis affluentiæ, qua homo ditatur interior: (hanc sequentibus capitibus remitto:) aliâ sitâ in temporalibus copiis, quibus homo exterior abundat: de qua in præsenti. Liranus hîc ad litteram exponens quare pecuniarum, similiumque ponderum acervi dicantur urbs, ait: *quia confidit in magnitudine divitiarum suarum, sicut obsessus in fortitudine murorum.* In obsidione positus igitur est splendidus thesauris. *Dives quidem*, ait Chrysostomus, *nihil aliud mihi esse videtur* Chrysost. to. 3. hom. 13. in Acta. *quàm civitas absque muris in agro sita, & undique insidiantibus exposita.*

Quia vero civitati hostilibus armis cingendæ non unicum sufficit agmen quinque legionibus armatus miles ambit ditiorem. Hunc simul oppugnant statione primâ invidi: secundâ quæruli: tertiâ debitores: quartâ, sed incertâ, cupidi: quintâ formidolosi. Invidorum dux est amor proprius: eorum insigne bellicum canis Herculis clavam ore jam cruentato mordens iterum: Istorum arma corroduntur, ac fœdantur ærugine multa. Deinde querulos ducit odium, sub militari signo, in quo puer lachrymas abstergens vivis coloribus exprimitur. Hi clamoribus, potiùs quàm armis (ut apud quasdam nationes moris est) clausam impetunt munitionem. Debitorum cohortibus imperat oblivium. Præit in militari vexillo depictum ingratitudinis ænigma nubes opposita Soli; cujus munere in altum evecta illius audet splendorem imminuere. Ii quia semper eminus pugnant, lapidibus pro gladiis utuntur. Cupidorum aciem gubernat desiderium. Præcedit eos labarum coloris marini (cor illorum namque, velut mare nunquam aquis undequaque in ipsum confluentibus dixit sat est) ubi pictam fornacem, valdeque succensam, avara manus modicâ respergebat aquâ. Telis ignitis dimicant, & stare loco nescij nullam certam sibi vendicant stationem. Timidorum denique phalanx à metu ducitur: equites velocissimi sunt, & sagittarij: nulla sub tessera præliantur, quia dignosci recusant. Hæc sunt armatorum turbæ divitem circumstantes, velut miseram civitatem includentes militari coronâ. Expendo singula.

5. *Invidia quàm timenda!* In primis invidi, quin petere dignentur à divite, petunt eundem, quem elatione majorem suspiciunt, *Divitiæ inflant animos,* Sen. in epist. *superbiam pariunt, invidiam parant*, inquit Seneca. Et mirum est quod invidia bella gerat, cum adeo sit viribus destituta. Illam dixere Tullius ægritudinem, Seneca dolorem, Lyricus tormentum, quo Siculi majus non invenere tyranni. Torquendo provocat livor ægros ad pugnam? Caye furentem cruciatibus affectum. Præcordia quibus alitur discerpit: quomodo non fœlicem, cujus rebus marcescit opimis, feriet sævissimè? *Quicumque*, ait S. Cyprianus, *es invidus & malignus; videris quàm sis eis quos odisti insidiosus, pernicioſus, infestus:* & paulo ante dixerat ibidem: *non est autem quod aliquis existimet malum istud una specie contineri, aut brevibus terminis & angusto fine concludi. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies.* Illum qui sortem obtinuit invidiæ discrimina quærunt: oportet arma plura multiplicet ad superandos inimicos incursus. Cicer. 4. Tusc. Sen. in prov. Horat. 1. epist. ad Lol. 2. S. Cyprian. to. 2. ser. de zelo & livore.

Bethulienſium angustiæ subvenire cupiens pergit viriliter Iuditha. Holofernem interimit, urbem liberat, victoriamque tradit concivibus perillustrem. Postmodum Numini grata *Iudith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis.* Vasorum nomine arma venire ne dubites: adi Lacerdam ibi, rem aperiet eruditissimè. En Iudith in gratia nimi monumentum, arma devicti hostis consecrat Domino exercituum. Non sic Iudas Machabæus expugnato Samariæ duce Apollonio: *& gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.* Quare non Deo gladium inimici dicavit, ut Judith Holofernis arma? Livorem fortasse timens Heros gladium appropriavit sibi; ut arma pro defensione propria multiplicaret. Iste quidem clarus martialibus triumphis (*nominatus est usque ad novissimum terræ*) quidni paveret invidentium tela? Iudith his jaculis nequaquam patebat: nam pulchritudine, quæ fœminea est, cepit Assyriorum Ducem: ac proinde viros (adversùm quos tantùm poterant prudenter arma servari) hujus victoriæ non tangeret invidentia: quamvis Heroïna virorum antecelluisset robur: nam, ut S. Fulgentius notavit, *quod omnis Israëlitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit.* Cui datum fuit immunem esse ab invidorum hostilitate sæva, subjacebat minoribus periculis. Religionis ergo causâ deponat arma Iudith; sed Iudas Apollonij cingatur ense: non quòd antea careret gladio; sed quia contra lividos non sufficere videbatur unicus ensis. Iudith. 16. 23. Lacerd. to. 2. ad hunc locum n. 122. 1. Machab. 3. 12. Ibi n. 9. S. Fulgent. epist. 2. ad Gallam. d. statu viduarum.

Time invidiam tu qui fœlicem experiris mundi vicissitudinem. De humano livore loquor: hic enim plus quàm diabolicus metuendus est. Ratio colligitur ex Chrysologo dicente: *invidet quidem dæmon, sed hominibus; nulli vero dæmoni: tu verò cum sis homo, hominibus invides.* Accedit alia ratio, scili. quod Satan, quia juratus nostri generis hostis, utplurimum neutiquam tegit amico vultu invidum & atrox odium; sed aperto marte congreditur. Aſt invidentiâ exardescens ignem sinu claudit homo: risum proponit ore gratissimo: & non ignoras nequitiam intra pectora dissimulatam plus 6. *Invidus homo plus dæmone timendus.* Chrysolo. in serm.

longè metuendam, quàm si discooperta facie rueret in arma furor. *Pejora sunt tecta odia, quàm aperta*, dixit Seneca. Hinc est quod idem qui diabolum citra metum devicit, ab homine meritò cavet invido.

Sen. in Prover.

Meministi Davidis in aula Saülis post victoriam à Golia reportatam? Aberat ille ut ingrati regis ferociam declinaret. Jonathæ verbis tunc placatur Saül? tantique advocati patrocinio David in regiam domum regreditur ab amico Principe advocatus. Motum est rursum bellum, in quo David pugnavit strenuè: sed hoc ipsum invidebat rex iniquus: quod Lira notavit dicens: *de quo Saül torquebatur invidia.* Percutiebat citharam David, cùm dæmon Saülem torqueret: ac ut antea contigerat, recedebat percussus ab egregio psalte diabolus. Sed ecce Saül à Satana dimissus lanceam tenens projicit illam in Davidem, nisus eum configere. *Nisusque est Saül configere David lancea in pariete, & declinavit David à facie Saül.* Ecce duplicem conflictum habes hoc loco: primum inter psaltem & diabolum; alterum inter eundem & Saülem. David in priori victor dæmonem fugat? & in secundo fugæ quærit auxilium! Invidus erat Saül: & hoc veneno infectus plus ipso infernali serpente pertimescendus est. Appositè apud Glossam Theodoretus: *David autem psallens furorem leniebat dæmonis: sed Saülis minimè sedavit invidiam.* Conjice quàm sit humana invidentia quandoque sevior diabolicâ nequitiâ. Confidit in fortitudine sua dives invidentium turmâ circumseptus? Contremiscat potiùs & caveat.

Lira in 1. Reg. c. 19.

1. Reg. 19. 10.

Theodore. apud Gloss. ibi.

7. Plus ab offenso quàm à crudeli pave.

Nunc transeamus ad querulorum castra. Frequenter superbus fortunis vexat eos quos penuria conterit, juxta illud S. Jacobi. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos.* Et, si ut asseruit quidam, necesse est multos timeat quem multi timent: plus eum qui alios læsit, pavidum degere semper æquum est. *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Verba sunt Eliphaz amici Job. Simultatem, quæ odij synonimum nomen est, forsan à simulando grammatica deducit, ut energiam animadvertas, quasi notetur antonomasticè odium vocari debere illud quod metu vel alia simili passione cogente dissimulatur. Abdit miser oppressus quod pectore fovet anxio vindictæ desiderium, sanè trunculentum. Sævitiam potentium formidat is quem debilem reddidit infima sors? Et alter qui minorem læsit vel æqualem, non pavet ipsum? Certè fallitur: nam vindictæ amor plus in offensorem sævit, quàm immittis atrocitas: hæc enim ratione minimè privati ferocem; ille autem insanire jubet offensum. Audi D. Basilium: *quid, amabo, ira potest esse amentius? Si permanseris sine ira, pudore afficies eum qui tibi injuriam dedit*, &c. igitur plus ab afflicto, quem persequutus es, quàm à crudeli tyranno pavendum.

Iacobi 2. 6.

Job. 15. 20. 21.

D. Basil. to. 2. orat. 3.

Persequamur Saülis invidiam: altiùs repetamus historiam. Paulò post Philisthæum trucidatum David coram rege psallebat ut ipse leviùs ageret. Hic non illum rectis oculis aspiciens, eò quòd plausu populari sibi præpositum audierit, lanceam vibravit in adolescentem, quem benefactorem, imò de Republica benemeritum fuerat expertus. Fateor aufugisse Davidem; sed textus hîc de ipsius formidine tacet: cùm tamen dicat Saülem extimuisse: *& declinavit David à facie ejus secundò. Et timuit Saül David*, &c. Saül impetit jaculo Davidem, illumque reformidat! David se fugâ proripit ab eo, nec regis furorem ibi contremuisse legimus! Pavisse Davidem non inficior Saülis iram. Præfixo themati comprobando satis est scriptorem sacrum expressisse formidinem Saülis, utpotè multò majorem; & adeo ut inibi doctus commentator Sanctius dicat: *neque minus sibi à Davide, quàm ab infenso Palæstinorum agmine cavendum existimavit.* Davidis autem metum vel quia minus erat sollicitus conticuit sacer textus: vel dicemus probabiliter hoc loco Davidem non fuisse veritum Saülem: sic enim ad præfata verba Hugo Cardi. insinuat, cum ait. *Econtrario boni non timent malos: quia Dominus non est cum eis.* Confirmatur ista conjectura ex non improbabili opinione Ruperti putantis hîc Davidem bis fuisse petitum lanceâ: *nunc autem psallente David idem insanus prophetans, & divinans alieno spiritu lanceam semel & iterum mittit, putans quod configere posset cum pariete David.* Sic Rupertus. Quo principio posito, non deerit qui citra textus injuriam credat non tunc vitavisse Davidem conspectum Saülis; sed amovendo corpus, ictum semel & iterum declinasse, quin à præsentia regis exiret. Nec urget illud: *à facie ejus*: quia sicut in Scriptura dicitur: à facie frigoris: sic ibi sensus esse potest: à facie lanceæ. Videri poterit Sanctius ibi quamvis oppositum teneat. Et quare vel plus timet Saül Davide? Vel cur metuente Saüle David non formidat. Quia hic vel horruit, vel saltem vereri potuit sævitiam tyranni; Rex verò iniquus perhorrescebat quem læserat. Feritas equidem ore torvo terret; offensæ tamen dolor ampliùs terrore percellit authorem noxæ.

1. Reg. 18. 11. 12.

Sanct. ibi, n. 23. 28.

Hugo Card. in 1. Reg. 18.

Ruper. l. 2. in l. 1. Reg. c. 7.

8. Timor crescit in offendente ad numerum offensarum.

Lucem accipiat eadem veritas ex iis quæ postmodum eodem capite narrantur. Ibidem reperies pavorem Saülis erga Davidem eò crevisse, quò magis læsit sævus eundem. *Dedit itaque Saül ei Michol filiam suam uxorem . . . . & Saül magis cœpit timere David.* Nunc incipit magis anxie metuere Davidem, cum gener ejus effectus est ac proinde tollere diffidentiam videbatur affinitas! Putabam Saülis formidinem jam minimè perdurare (nedum augeri) quando propinquitas omnem videbatur suspicionem delere funditus. Nunc plus eum pavescit Rex ingratissimus, cùm socer ejus est? Et meritò: quia bis eum iniquus ultra læserat: nam & illum decepit (*factum est autem tempus cum deberet dari Merob, filia Saül David, data est Hadrieli Molathita uxor:*) necnon eundem periculo exposuit ejus vitæ insidians, cum loco sponsalium exegit ab eo centum Philisthinorum cædem, ut ipse periret: *non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum*

1. Reg. 18. 27. 29.

Ibi n. 19.

Ibi n. 25.

tum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saül cogitabat tradere David in manus Philisthinorum. Sicut adversus Davidem Saül multiplicavit offensas, ita proprium auxit metum. *Saül magis cæpit timere David.* Eorum quos lædit, rabiem prudentem formidat potens: *semper enim grandis potestas majori timori subjecta est*, ait Chrysostomus. Insuavis est hujusmodi veritas magnatum auribus, etiamsi dulci plectro nuntiet illam Claudianus, dum inquit:

Chrysost. to. 2. hom. 2. in Matth. ex variis.

Claudi. 4. Honor.

Qui terret plus iste timet ——

In agmine tertio posuimus adversum locupletem debitores ingratos: hostes equidem impiissimos. *Nullum habet majus malum occupatus homo & bonis suis obsessus quàm quòd amicos sibi putat quibus ipse non est: quòd beneficia sua efficacia judicat ad conciliandos amicos: cùm quidam quò plus debent, magis oderint. Leve æs alienum debitorem facit; grave inimicum.* Tam adulteratas merces mundus venditat cæcis emptoribus, ut pro amico sæpè beneficiis inimicum emant quamplures. Errore suo plectitur mercator qui rem ferè sacram, amicitiam inquam, pretio præsumpsit acquirere. Dono vinctus catenas odit ingratus, qui se ponere debiti putat comprimi. Solitum est ingratis annecti superbiam. Notat id Philo Hebr. *ingratus affinis est superbiæ.* Debitorem verò fieri quodammodò sonat abjectionem: ait enim S. Ambrosius: *debere verecundum est*: cúmque superbis odio sit propriæ vilitatis author: benefactorem detestatur ingratitudine fœdus, qui (prout existimat) illum onere beneficij dejecit. Potiùs ergo debitorem quàm adversarium declinandum esse non dubites? infensum namque provocat amor vindictæ, qui utpote cæcus jacula mittens exerrat sæpissimè; ingratum verò docet oppugnare creditorem suum dolor quem de muneris gravitate concepit, & qui visu acutissimo pollet quia dilectioni conjunctus non est. Ingratum itaque vitare congruit magis quàm odio habentem.

Debitor fugiendus potius quàm hostis. Sen. epist. 19.

Philo Hebr. l. d. Charitate to. 1.

S. Ambr. to. 2. l. d. Tobia c. 11.

Paterna benedictione Jacobus antefertur fratri: hujusque movet iras. Quas cum Rebecca nosset, minoris fratris incolumitati propiciens monet illum ut in Mesopotamiam se conferat indignationem fraternam declinans. Placebat Iacob Altissimo: nec tamen ab angelo, sed à matre monitum istud accipit? Postea cùm Labani fraudes jam fuerat expertus, cùm posset ab uxoribus admoneri ut socerum relinqueret malè fidum: non ab eis accepit hortatum ad iter; sed ab angelo Dei personam gerente. *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.* Hæc Jacobus ad uxores deferebat: quibus ipsæ patris dolum calumniantes dixerunt: *nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?* Cur ergo non priùs curaverant suadere marito deserere subdoli domum soceri? ut Jacob fratris vindictam devitet, non angelus adhortatur, sed genitrix? ut autem Labanum dimittat, non à consortibus instigatur; sed ab angelo Dei nomine docetur? Æquum erat ut majoris ponderis consilium ei præstaretur ab angelico spiritu: imo curavit incola cœlestis ita loqui, ut Jacob non dubitet de monitione sibi facta pro fuga capessenda ex Mesopotamia. *Commemorat gesta in Bethel duo, tum quòd lapidem erectum in memoriam unxerit, tunc quòd voverit ibidem, ut ex istis certior redderetur, quod ipsemet nunc Deus esset apparens in angelo suo, & præcipiens ut reverteretur in terram nativitatis suæ.* Ita Cajetanus. Rebecca sufficiebat autem ut admoneret minoris momenti rem, scili. ab Esau furore se in tuto collocare. Eccur linquere Labanum Jacobo sollicitiùs curandum fuerat, quàm ab irato Esau cavendum? Quia frater Jacobum prosequebatur simultate: *oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater:* socer autem erga generum non afficiebatur odio, sed ei non parùm debuerat ingratus: *experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te:* Ergo, ne Jacob fœmineum in re tanta dictum spernat, non à conjugibus illi suggeritur discessus à debitore socero; sed ab angelo Dei vices agente: consultissima namque res est, & non parvifacienda, dimittere quem beneficus onerasti, ne te cædat. Esau Jacobo infesti præcavere sævitiem, non adeo exquisitam postulabat curam, ut non satis foret pro discrimine isto monitio matris. Alit ingratissimos opulentus facultatibus utens ad sui perniciem: quorum enim ligat debito manus, experietur ad venenata missilia jacienda solutas: oportet seipsum; velut urbem obsessam, ab eorum custodiat impetu perfidè bellico.

Cajet. in Genes. ibi.

Gen. 27. 41.

Ibi c. 30. 27

10. *Dives nec sub regia protectione securus.*

Cupidorum caterva ditiorem circumsidet. Monstra sunt ferocitatis emblemata hominibus quamsimilia: nam

Sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.

Boët. l. 2. metr. 5.

Quid non malorum cupiditas molitur? Scelerum radix est iniquæ audaciæ origo, magistraque nocendi, servis docuit suis atrocia novercis ignota. Hæc imperatorem commodum impulit ut alienæ mortis facultatem cupientibus impunem facilè pecuniâ permiserit emptam. Eadem phrenesis egit milites Romanorum adversus Iudæos tempore Jerosolymitanæ cladis, itaque suasit humanitatem exuere, ut miseros, qui ex urbe obsessa, compellente fame profugiebant, & aurum volentes ab inhiante hoste servare deglutiverant, medios ferro secarent, illud apud intestina requirentes. Ipsamet febris avaritia Tiberio suasit ut Lentulum Patricium, qui Cæsarem scripserat hæredem, sed ab infirmitate ferè convaluerat, occidi jusserit, ne testamentum revocare contingeret. Quid plura? Nihil non avara pectora coget execranda fames. O fœlicem egeni sortem, cujus tugurium paupertas custodit ab hoste cupido. Divitis fortuna satis anceps: *aurum est materia laborum, periculum possidentium*, inquit Augustinus. Quinimo ditis fœlicitas neque dum regiæ potestatis umbra protegitur degit ab aliena cupiditate secura.

S. Aug. d. Verb. Domi.

Eliseum cum Daniele componamus. Uterque regalem promeruit benevolentiam: ille

ab

ab Iſraëlitico Monarcha loco patris habitus eſt. *Dixitque rex Iſraël ad Eliſeum cum vidiſſet eos : nunquid percutiam eos , pater mi ?* 4.Reg.6.27. Daniel tempore Nabuchodonoſoris omnium provinciarum Babylonis princeps , placuit ſucceſſori (quod rarum eſt) imò & poſt eos à Dario tertius in regno conſtitutus floruit. Non legimus adverſùs Eliſeum quemquam ex potentibus de populo Iſraël inſurrexiſſe ; cùm tamen ſatrapæ Babylonici Danielis necem fuerint moliti. Et quæ diſcriminis cauſa ? Pauper degebat Eliſeus , & ante lucem Evangelij pauperiem amplectabatur evangelicam : nam dum ab Elia vocaretur ad propheticas functiones , cuncta reliquit. *Qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam :* 3. Reg.19. 20. quod expendens Ambroſius ait : *cæterum Deus non vult ſimul effundi opes , ſed diſpenſari : niſi fortè ut Eliſeus , qui boves ſuos occidit , & pavit pauperes ex eo quod habuit ut nulla cura teneretur domeſtica , ſed relictis omnibus , in diſciplinam ſe propheticam daret.* D.Ambr.l.1. d.offic.c.30. tom.4. In eadem voluntaria paupertate perſeverare velle ſatis oſtendit vates , cùm Naamam Syro , qui poſtquam lepram exuerat munera gratus obſtulit , ſic repoſuit : *vivit Dominus , ante quem ſto , quia non accipiam. Cumque vim faceret penitus non acquievit.* 4.Reg.5.16. Ubi , ut notavit apud gloſſam Theodoretus , *propheta valdè expetendam paupertatem prætulit omnibus divitiis* : Theodore.q. 10. apud gloſſam ibi. Daniel aliâ viâ ſectabatur minus auſterâ virtutem:legimus enim quod Nabuchodonoſor *rex Danielem in ſublime extulit , & munera multa & magna dedit ei:* Daniel.2.48. item Baltaſſaris tempore , *circumdata eſt torques aurea collo ejus* &c. Ibi c.5.29. Auro fulgebat ? Experietur hoſtes cupiditati ſervientes,nempe ſatrapas : in quem ita ferociter irruent,ut leonibus projici faciant ab invito rege;quin ejus protectio conferre valuerit illi , quam vellet , immunitatem : nam *rex ſatis contriſtatus eſt , & pro Daniele poſuit cor ut liberaret eum , & uſque ad occaſum ſolis laborabat ut erueret illum.* Ibi c.6.14. Satraparum cupiditatem fortaſſis Lira ſubodoratus eſt , nam hujus nominis hanc affert ethymologiam : *ſatrapæ dicuntur quaſi rapientes ſatis* : Liran. ibi. & in ſenſu morali dixit ibidem : *iſtis autem ſimiles ſunt cupidi principum , & prælatorum conſiliarij* &c. Non à cupiditate liberare videtur quos affirmat ſimiles cupidis. Ab his Danielem divitem quis eripere valeret niſi Omnipotens ?

11. *Time timeri.* Ultimo de illis qui potentiam ditis metuunt nonnihil dicamus. Et in hoc miſerrima potentum ſors eſt : quòd metuere debeant ſe metuentes. *Qui à multis timetur , multos timet* , ait Seneca : rationem ex Chryſoſtomo collige. *Oportet enim omnino infirmus ſit qui arrogans eſt : altitudo ſiquidem valida non eſt ; ſed quemadmodum aquaticæ ampullæ facilè rumpuntur : ita & illi facilè pereunt , quod ſi dubitas da mihi temerarium quendam & arrogantem , & videbis illum quovis elanguido timidiorem factum.* Sen.in proverb. Chryſoſ. ho. 20.in epiſ.ad Rom. to.4. In opulentis debilitas iſta , quæ vento proſternitur , ex onere divitiarum naſcitur. Movetur flatu ramus fructibus onuſtus , altiora tenens expoſitus ruinæ , quia gravatur uberi pondere ; ſtat immotus idem poſtea cum hyberno tempore fructibus deſtitutus , imo foliis nudatus pauperiem experitur,dierum viciſſitudine cedens. Ænigma ſuperbiæ mons humilſimas deſpicere videtur valles:at nihil non contra ipſius magnitudinem præcipitem inſurgit.E convallibus aſcendit ſulphurea exhalatio : de cœlo ignitur hæc , à nubibus obduratur in fulmen , & collis excipit ictum. Non alia de cauſa niſi quia prominet reliquis , arma ſubminiſtrant adverſus eum terra , cœlum, ignis , & nubes. Potens haud aliter undique ferè invaditur : &, quod pejus eſt , fumo vanæ gloriæ cæcutit neſciens quà fugiat percutientes. Adulator obſidet , cupidus odit , ingratus ferit , querulus minatur , invidus fremit. Sed quid potentiori periculoſius omnibus his?Timeri: nulla eſt enim ex humanæ fragilitatis paſſionibus audacior metu. Aliquando timidus prorumpit atroces in iras , & ſilex frigidus mittit ſcintillas ad incendium : ne diu timore torqueatur eligit vel perire vel cito formidine liberari. Si ſapis & vales pave timeri.

Vix in Ægypto ſe Joſephus ipſum fratibus aperuerat , cùm eorum pavori erga ſe obviam ivit. *Nolite pavere , neque vobis durum eſſe videatur quod vendidiſtis me in his regionibus* : Gen.45.5. & ne putes de alio metu loqui, Rupertum audi : *nolite pavere cùm dicit , ſubaudiendum eſt me : Dei namque pavor & terror illis præſertim in tali ſcelere non debuerat abeſſe.* Rup.l.9. in Gen.c.12. Eundem Ioſeph in ciſternam projecerant olim ij : nec tamen Ruben qui fratrem cupiens incolumem ſervare , hujuſcemodi conſilium præbuerat eis , dixit Joſepho : ne metuas , nam ut vitam eripias , oportet ciſternæ tædium patiaris. Non curat Ruben timorem ab eo depellere ! ſollicituſque poſtea fuit ille gubernator in Ægypto , ne germani formidarent eundem ! Prudentiſſimè quidem. Fraterna turma (utpotè filij familias) nec divitiarum ſuperbiâ, nec aliundè , potentes erant : proindeque parum , nihilumve referebat , quod à Joſepho manibus ipſorum comprehenſo , polymitaque nudato meruerentur. Is poſtea ſupra cunctam Ægyptum à Pharaone conſtitutus erat , ſuoque nutui ſubdebat omnia, torque aurea decoratus , & anulo ſplendens , majeſtatis opumque jubare fulgebat. Sapienter, pertimuit à fratribus paveri , ne timor pareret odium : adeo enim ſunt affinia metus & ira , ut Hebræa lectio proximè citato loco habeat : *neque iraſcamini quòd vendidiſtis me* , Lect.hebr. ubi Vulgata legit : *nolite pavere* &c. Unde qui ab invidia olim exortum eorum odium forti animo pertulit cum ipſis coæqualis erat ; nunc à pauperibus & ipſum adorantibus cavet metui , ne timor exequatur in eum id quod vel non potuit , vel noluit quondam ſimultas. Cùm igitur dives formidini pauperibus eſt , paveat anceps : nec obſeſſa urbs in fortitudine murorum confidat : nam ut Tacitus ſcripſit, *nunquam ſatis fida eſt potentia ubi nimia eſt.* Tacit.l.2. hiſt.

12. *Inopia ſanguine clari mortis eſt robur ſyneciua.* De pauperie modò quam in ſecunda hujus verſiculi parte Salomon tangit , dicendum eſt : *pavor pauperum egeſtas eorum.* Quia

robur divitiarum sub emblemate munitæ urbis expressérat, & inops à locupletibus frequenter vexatur: pavoris nunc meminit Sapiens. Nisi fortè mavis ipsam paupertatem ab inope formidari: & sensus erit: pavet homo in egestatem devenire. Excusabilis est horror iste quem fragilitas humana concipit de penuriæ tortore: præcipuè si nobilis est ille qui veretur angustam sortem. Ipsa nobilitas velut gladio scinditur per egestatem: nam si Aristoteli credimus, & experientiæ, facultatum copia pars nobilitatis est. *Nobiles*, ait Stagirita, *ij demum videntur esse in quibus majorum virtus inest, ac copia.* Unde potissimum in eo qui generosis parentibus progenitus, verum habet illud Vegetij: *ferro sævior est fames, quippe quæ intrinsecus pugnat & vincit sæpius sine ferro.* Ingenuo non tam instrumentum inopia mortis est, sed huic simillima: nam & lethum carentia quædam est eorum quæ requiruntur ad vitam. Et quis erit qui non perhorrescat interitum? Rerum angustia natalibus inclyto superveniens synonimon obitus est.

Aristot. l. 5. d. Republ. c. 1.

Veget. l. 2. c. 3.

Apostolus ad Corinthios hæc verba describit: *scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.* Verum est equidem Servatorem, & summæ tenuitatis exemplar seipsum exhibuisse: necnon hujus indigentiæ merito spirituales nobis emisse gazas. Attamen non nisi per mortem suam nos in istius modi bonorum possessionem admisit. Ratio cur ita disposuerit est in promptu. Redemptoris ante vivificam necem captivi tenebamur omnes: cumque servus incapax extet acquirendi, tunc dites facti sumus, cum redemptio consummata fuit. Dicat igitur Apostolus nos per Filij Dei funus ditatos esse; non hoc pauperiei tribuat ejusdem. Disertissimè Paulus hoc loco non mortis meminit, sed inopiæ: quia valdè sunt affinia mors & paupertas in Assertore nostro, cujus illustrissima sunt natalia: cum sit quatenus Deus Regis regum filius, & quatenus homo monarcharum stirpe genitus. Non multum abest S. Anselmus dicens ad præcitata gentium Doctoris verba: *quia ejus paupertate sumus ditati, quia in sanguine ejus peccatorum nostrorum conspersus est saccus. Per illum sanguinem abjecimus pannos iniquitatis, ut indueremur stolam immortalitatis.* Ecce quod incarnati Verbi morti competit, inopiæ Paulus attribuit: hæc enim duo velut una res dici possunt duplici nomine significata, si loquamur de illo qui nativitatis excellentiis egregius indiget. Morientis anxietudo præcipua certamen est illud inter corpus & spiritum. Hic sursum tendere cupit; vas autem luteum deorsum pondere fertur: & proinde rumpitur vinculum, quo dum vita manet colligantur. Haud aliter nobilissimi spiritus, quos alit insignis genealogia, suprema petunt; vilis paupertas ad ima vergit: certant sic mutuo infœlicitas & honos, discerpuntque miserum, qui patitur ambo.

2. Corint. 8. 9.

S. Anselm. to. 2. ibi.

13. Paupertas malorum summum.

Quinimo dicam: omnium malorum summum egestas est. *Ultimum & maximum telum necessitas.* Sic Livius. Et quamvis philosophi, & quod plus est, viri sancti clament illam amplexu reddi suavem: id non tollit quòd sit genus martyrij. *Verumtamen*, inquit S. Bernardus, *quid sibi vult quod eadem promissio facta est pro pauperibus & martyribus: nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est?* Collige quid erit si non sit spontanea: nam si de iis, quæ naturâ suâ suavissima sunt, dixit Procopius laboriosa reddi si coactè fiant (*laboriosa potius videbuntur dum cogit necessitas*) quantò fortiori jure laboriosissima dicenda est miseria pauperis, qui non sponte deliberat eam pati?

Tit. Livi. dec. cad. 1. l. 4.

S. Bern. ser. 3. d. omni. Sanct.

Procop. de bell. gothic. l. 3.

Experto credite Josepho. Ægyptum appellavit ille terram suæ paupertatis, cùm filio natu minori nomen imposuit. *Nomen quoque secundi appellavit Ephraim dicens: crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Scio Joseph in carcere indigum fuisse: quæro tamen: an non simul infamiam falsi criminis, injustissimam servitutem, custodiæ molestiam, charique patris absentiam passus est? Solius egestatis hîc meminit? Omittit cætera? Tacuit ista quia minora; & illud expressit verbo quod præcellit reliqua mala: nam penuria dici potest afflictionum antonomasia. Ibi lectio Hebraïca sic habet: *afflictionis in terra crescere me fecit Deus.* Quasi nulla foret in orbe tribulatio præter fortunarum defectum: quod scripsit in origine Moyses: *afflictionis*, hoc transcripsit Latinus interpres: *paupertatis.* Est illa itaque malorum summum. Favet Chrysostomus. *Et nomen secundi vocavit Ephraim, quia crescere me fecit Deus in terra humilitatis meæ. Vide & hujus nomen gratiarum actione plenum. Non solum enim, inquit, adversitatis oblitus sum, sed & magnificatus sum in terra, in qua tantam sustinui humilitatem; utpotè in extremis periculis etiam de vita anxius.* Humilitatem inibi non sumit Chrysostomus pro illa quæ superbiæ contrariatur; sed pro eo quod ab oppressore patimur: cumque in hoc sensu voci, *humilitas*, respondeat in littera vulgatâ paupertas, & humiliationem tanquam adversitatem hyperbolen S. Doctor nomine Josephi proponat (*tantam sustinui humilitatem*) etiam de pauperie crede quod exaggeratio calamitatum est. Non levis igitur corde tremit homo venturum istud malum, quod infortuniorum extremum æstimari valet. Videre poteris quæ dixi floris 4. delibat. 2.

Gen. 41. 52.

Lect. Hebr. ibi.

Chrysost. to. 1. hom. 64. in Gen.

DELIBATIO II.

Proponitur anima justi sub ænigmate civitatis: quid vallum? Quid murus?

POst Bedam Hugo Card. verba nostri textus expositit de eo qui secundùm Deum dives affluit virtutum copiis: hîc etenim urbs inexpugnabilis est: quam eruditissimè Purpuratus composuit in hæc verba. *Hæc affluentia est urbs electorum, cujus vallum est contemptus terrenorum murus spes, antemurale patientia, turris humilitas, fons turrim*

14. Beda in Prover. 10. 15. & Hugo Card. ibi.

muniens luctus, rivulus hujus fontis aqua lachrymarum, speculator prudentia, janitor obedientia, rex charitas &c. Nullus est adeo festinans viator, ut vel temporis vel alia dispendia timens, insignem civitatem in medio itinere sitam oculis non perlustret. Devenimus ad cæli coloniam satis pulchram: operæpretium erit per illam aliquantùm divagari. Siste parumper lector, amabò, non pigebit.

Terrena statim ac incipis amare diabolo præbes audaciam.

Vallum hujus urbis contemptus bonorum commutabilium est præ cordis magnitudine firmissimum, cœlestium contemplatione præaltum. Quandiu stat hoc munimen, ad civitatis mœnia non appropinquat hostis. S. Hieronimum accipe. *Ait ergo Nolite locum dare diabolo qui tanquam leo rugiens quærit aditum per quem possit irrumpere .... adversarius semper in nos est paratus irrumpere, & cum locum dederimus ingreditur. Solet autem antequam veniat quædam jacula præmittere, & præcursorem adventus sui facere cognitionem: hanc si nos in corde nostro susceptam nutrierimus intrinsecus, & crescere fecerimus: cum in nobis prolem suam auctam viderit, & ipse audebit intrare.* Dæmon serpens est non nisi per terram graditur & ingreditur. Si terreas cogitationes projicias, ille circuit; sed non accedit. Statim atque temporalium amor incidit in mentem, sumit animos ut prælietur audacter.

S.Hiero. l.2. in ep. ad Ephes. c.4. to.9.

Luc.22.31.

Meditare qualiter se gesserit adversus Apostolos referente Dei Filio. *Simon Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum.* Nunc eos diabolus ad certamen deposcit? Cum jam veterani milites erant doctrina Sapientiæ Patris jampridem communiti? Cur non principiis adversarius obstat, & vocationis discipulorum tempore curat illos tentationibus impetere ne ad scholam tanti Magistri accedant: ut non illi contingat quod animas quas dira sub captivitate possidebat, ipsorum prædicatione incipiat amittere? Quia cum vocante Domino reliquerunt Apostoli cuncta, contemptu terrenorum sic erant circumvallati (*reliquimus omnia & sequuti sumus te.*) ut tunc adversus eos, dæmon insurgere non fuerit ausus. Posthac (ut eodem capite D. Lucas paulo ante narraverat) quidam temporalis boni tenuit amor eorum corda. *Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* D. Joannes Chrysost. *in ipsa cœna quisnam inter eos major esset disceptabant, adeo inanis gloriæ passio animos eorum turbabat.* Iam vallum erat ex parte disruptum contemptus, inquam temporalium, aliquantùm ab antiquo robore declinaverat. Hâc diabolus impetum facere cupiens facultatem postulavit, quia patere vidit ingressum. *Quemadmodum enim*, ait S. Macarius, *triticum in cribro eius qui tractat illud, alliditur, & agitatum in ipso assiduè vertitur, ita princeps nequitiæ cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet; & ejusmodi occupationibus eos agitat, turbat, & commovet.* Caveat justus ne proscindatur agger circumvallans ipsum: hoc est despectum sæculi firmum servet integrè.

Matth. 19. 27.

Luc.22.24.

Chrysost.to. 2.hom.83. in Matth.

S.Macar.ho. 5.

15. *Spes in solo Deo.*

Murus spes. Hæc allegoria tria nobis offert primum quod munimentum ambiens urbem unicum est: secundum, quòd firmitate præcellit omnibus quæ intra civitatem extruxit ars: tertium, quòd in eo solent excubiæ vigilare. Sic spes justi una est & constans: nec socors ea, sed pervigil. Non, inquam, est multiplex: quia juxta phrasim Pauli spes galea dicitur, quæ si plusquam una sit, gravat potius quàm protegit. Tunc securus pugnat Christi miles, cum verè dixerit: *requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* Imitetur ducem spiritualis militiæ Bernardum, qui dixit: *quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa hæc tota ratio meæ expectationis.* Et prudenter sub ductore tanto deliges: nam infirmum est omne quod humano stabilitur auxilio, quamvis Divinæ simul protectioni committatur: velut si tectum duplici columnâ fulciatur, alterâ fictili, aliâ marmoreâ, stabile non erit; foret verò si ab unica lapidea sustentaretur: ita si fœlicem eventum à creatura, simul & à Deo, expectes, nutabit inæqualibus fulcris nixa expectatio. Igitur Domino totum crede: huic spei aliam non adjungas.

Psal.4. 9.10. D.Bern. ser. 9. in psal. Qui habi.

Suadet Amanus Assuero ut Hebræum populum male perdat, quasi peregrinis legibus impij Monarchæ regimen uniforme conturbaret. Regni consors tunc temporis erat Esther: quæ hortatu patrui sui Mardochæi, vitam exposuit, dum regem adiit non vocata, cupiens pro iniqui decreti revocatione sponsum deprecari. Barbara namque lex cavebat sub pœna capitali ne quivis non adscitus ingrederetur ad regium conspectum. (O rationalem basiliscum!) Quæro ad quid se læthali periculo tradit Regina, cum posset interventu Mardochæi, ab Assuero quid vellet exorare facillimè? Potuisse credidi: nam Estherem non latebat quod Assuerus Mardochæo debuerat ne proditoriè necaretur: *voluerunt que insurgere in regem, & occidere eum. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther; & illa regi, ex nomine Mardochæi.* Non oret Assuerum Regina: quia si repulsam illa passa fuisset, jam nemini concederetur quod ei negasset sponsus: proindeque desperata maneret calamitas. Atverò, licet Mardochæus non flecteret verbis tyrannum: adhuc locus Estheri dabatur ut accederet ad illum, prout reipsa egit. Igitur ipsa patruo suo mandet, ut per magnates ad regis præsentiam curet admitti negotium hoc tractaturus. Nonne plurimùm ille de rege benemeritus obtineret incolumitatem plebis? Non dubito: nec enim difficilè revocaret Assuerus decretum adeo cæco imperio scriptum. Sed noluit Heroina in Mardochæi merito & industriâ collocare spem, quam in solo Deo constituisse professa est. *Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent.* Igitur à Domino in spe singulariter constituta nullam in Mardochæo locare voluit: unicâ namque debet expectatione fulciri cor Deo placere amans. *Nemo potest sperare in principibus & in Deo. Nemo potest sperare in viribus equi & in Deo. Nemo potest sperare in sæculo, & in Deo. Nisi enim in solo Deo speraveris, & videat Deus spem tuam*

Esther.2.11. 22.

Ibi c.15.19.

Orig.tom.1. hom.4. in pf. 34.

tuam ad ſæculum æternum eſſe converſam, & quia aliam nullam omnino ſpem geris niſi in ipſo, non poteris eripi à peccatoribus. Hæc Origenes.

16. *Circulariter malus rotatur à calo in cœnum.* S. Joan. Climac. in compend.

Si aliter homo vitam inſtituerit, partim nempè Deo fidens, & ex parte mundi auxilio fretus, non ſæcularia deſpiciet unquam; ſed nunc retrocedens, nunc progrediens, in via parum nihilve conficiet. *Sicut ij qui dicuntur cancri capi facillimè poſſunt, eo quod aliquando ante, aliquando retro gradiuntur: ita & anima nunc quidem ridens, nunc lugens, nunc verò deliciis affluens, proficere unquam poterit.* Igitur qui ſic vivit inconſtans rotabitur in gyrum, nunc infixus hærebit luto; nunc cœlum ſuſpiciens ingemiſcet; poſtmodumque flectetur iterum ad mundi pulverem immundum, volutatus inter cælum, & cœnum. Quomodo non circumvolvetur cor alligatum fluxis bonis, quæ circuitu moventur continuo?

Eccli. 33. 5. Dixit Eccleſiaſticus: *præcordia fatui quaſi rota carri: & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Pro ſtulto intellige iniquum: *rota velox cor iniqui*, vertit Syrus. Et quid eſt in quo peccatorum corda rotis aſſimilentur? Commentatur Hugo Cardin. *præcordia fatui, ideſt interiores cogitationes, & affectiones quaſi rota carri, quæ ſemper murmurat, & nunquam in eodem ſtatu permanet, & lutum calcat: & quando poſterius elevatur, anterius cadit.* Proſequamur ſimilitudinem. Rota plauſtri pondere preſſa videtur ingemiſcere. Falleris; non verus gemitus eſt ille, ſed apparens. Ipſa nunc figitur luto; nunc deſerit illud (non tamen omnino detergit) & cælum verſus erigitur: jamque mox iterum vertitur deorſum ad fæcem quam reliquiſſe videbatur. Ita ferè ſceleſtus ſub graviſſima ſæculi cruce gemit quaſi pœniteat: decipit audientes, & ſibi mentitur. *Non enim invenit pœnitentiæ locum* (ait loquens de Eſau Gregorius M.) *quamquam cùm lachrymis inquiſiſſet eam: quia videlicet fructum non habent lamenta, quæ ſtudent cum gemitu deſiderare peritura.* Gemitum audis? Non admiſſi criminis dolet, ſicut nec volubilis murmur axis, dolor eſt. Inſuper fictus iſte delictorum pigens, Eccleſiâ impellente ad confeſſionem, tandem aliquando emergit coactus: linquere videtur ſordes quibus erat immerſus, & ad ſuperna mutari; nec tamen limum penitus deponit, imo ſtatim ſus ad volutabrum regreditur: cùm etenim ſpem ſuam in lutea conjecerit, quantumvis Dei ſimul opem expectet, modicum, ſeu nihilum proficiet: non exurgit ſtabiliter perennaturo vigore; ſed totus circumagitur. Unicam ſi ſpem in Deo figeret non ſimilis inſtabili rotæ pateretur inconſtantiæ damna; veluti muro protegeretur validiſſimo.

Gemitus fictos edit peccator.

D. Greg. M. l. 11. mora. c. 5. fine. to. 1.

17. *Spem juſtus vellet immutabilem.* S. Laur. Juſt. in lign. vit. c. 2. d. Spe.

Muri firmitas conſtantiam ſpei ſatis exprimit ſecuram. *Vera etenim ſpes primò ſecuritatem parit. Merito namque ſperans in Domino ſecurus eſt: quia protector eſt omnium ſperantium in ſe: eiſque eſt idem Dominus pro muro undique* &c. ſic Venetiarum Præſul Emblemate duplicem ſpem ſolemus delineare, floris, & anchoræ: flos namque fructum præſtolari docet; anchora verò fundat naves cuſpide tenaci. Nihilominus Apoſtolus non flori; ſed anchoræ ſpem aſſimilat: *confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*: ad quæ verba idem S. Doctor loco citato. *Igitur ſi te videris fluctuare in mari iſto, noli divelli ab hac anchora, antequam intres hunc portum. Fluctuat navis in anchoris, conquaſſatur veterum ſuorum recordatione delictorum mens: ſed non diffidat, nec præmia divina poſſe obtinere deſperet. Novit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum. Hæc quoque virtus hominem facit fortem. Qui enim in Domino confidunt, mutabunt fortitudinem: propriam ſiquidem fortitudinem mutant in divinam.* Piam hyperbolen illico perſequar. Modò tantùm adnotabo Paulum ſpem, quia firmam dicturus erat, non ſimilem aſſeruiſſe flori, de cujus ætate pius, diſertuſque poëta ſic modulatur:

Hebr. 6. 18. 19.

S. Laur. Juſt. proximè ſuprà.

Floſcule mane puer, media vir, floſcule luce,
Floſcule ſub noctem, ſole cadente, ſenex.

Herman. Hugo l. 1. deſider. poëma. 13.

Anchoræ tenuit Apoſtolus metaphoram, utpote cujus immota firmitudo fluctuum ridet inconſtantiam. Plus audebo: quoniam perfectus vir non ſola ſpei ſtatione contentus erit: ſed illam vellet immutabilem.

Clamavi ad te Domine, dixi: tu es ſpes mea. Pſ. 141. 6. Novi ad litteram ibi Deum appellari ſpem, quia eſt hujus objectum, largitor, author, conſervator, & finis. At pro moribus liceat nonnihil addere. Deus homini donat fœlicitatem ſæculi, & eandem tuetur: non tamen idcirco Deus appellatur fortuna mundialis. Item eſt objectum offenſum delictis: nihilominus abſit quod ideo Deum vocemus peccatum. Ergo cur Dominus dicitur ſpes creaturæ? Novum apud ſacra non eſt creaturas divino gaudere nomine, propterea quod aliqualiter Dei perfectionem imitentur. Omitto loca paſſim obvia cuique. Immutabilitas propria Creatoris eſt: attamen quia cupit ille qui fixit in eo vota ſpem ſuam reddere immobilem, divino eam titulo decorat: *dixi: tu es ſpes mea.* Favet loquens aliorſum D. Auguſtinus. *Spes noſtra incommutabilis ſit, & figatur in Deo, & non nutet, & fluctuet, non agitetur, ſicut ipſe Deus, in quo figitur, non poteſt agitari.* O quàm ſunt audaces piè conatus cordis quod amoris flamma conſcendere facit ultra naturæ metas!

D. Aug. to. 8. in Pſ. 141. 6.

Ubi divinæ dilectionis non alitur incendium, levitatem patitur ſpes, quia gravis illi menti virtus apparet. Nunc Deum quærit, & ab ipſo expectat optata poſſidere; nunc ſæculum addit, & vaniſſimâ ſpe deluſus, ipſi libens inſervit. Deo per breve tempus famulatur; mundi verò ſervituti ſe devovet diuturnæ. O inſaniam vitiati arbitrij!

18. *Cum Deo fœderamur per unum diem; cum ſæculo per annos.*

Cur charitas idipſum efficere non poterit, quod tam leviter poteſt cupiditas? id quod mundus, cur Deus non poterit? Ita quærit Pariſienſis Cancellarius: cui facilè reſpondeo: quia illa verè charitas non erat: *ſi ad horam diligis, & poſt horam deſiſtis, non eſt amor.* Sic Gilbertus. Illud præſertim deflendum quod ſi Deo ſervire proponimus, cùm eo ad ſum-

Gerſon p. 2. ſer. Domi. in Septuag.

Gilb. Abb. in Cant. ſer. 46.

mum per diei spatium fœdera jungimus ; ut sæculo famulemur, non dies, non menses, numeramus in pacto ; sed annos.

Benedictionis paternæ cupidus, & fraternæ sortis invidus, necem Esaü minatur Jacobo. Hunc genitrix hortatur ut det locum iræ : & quamvis materna dilectio vix patiatur absentiæ moras ; hæc tamen suasit gnato ut per dies aliquot abesset, & apud Laban commoraretur. *Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran : habitabisque cum eo dies paucos.* Cùm perveniſſet ille Mesopotamiam, ac ibi mensem impleviſſet, dixit ad Labanum : *serviam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.* Postea se videns illusum, adhuc instaurat fœdus ad aliud septennium : *serviturus es mihi septem annis aliis. Acquievit placito* &c. Ecce coram Labano Jacobus per septennium bis famulatui seipsum addixit : cùm per solos dies aliquot Rebecca moram ibi trahere consuluerit. Transi mecum ad operariorum parabolam. Exiit paterfamilias, & non semel, eorum qui laborarent in vinea sua conducturus operas. Tandem solutum eis est diurnum stipendium. Non legimus ipsum curaviſſe ut die sequenti regrederentur ad ejusdem vineæ culturam ; imò insinuatur oppositum : nam, *respondens uni eorum dixit : amice non facio tibi injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ? tolle quod tuum est, & vade :* non addidit ac manè iterum veni ; sed solummodo dixit : vade &c. Unde colligo quod pactum inierant per solum illius diei tempus isti cultores, & aliqui non integrè. Jacob per annos cum socero contraxit ! Operarij pro vinea colenda non ultra diem unicum paciscuntur ! Attende quinam sit paterfemilias ; & quid moraliter per Labanum significetur. Patremfamilias Deum esse non inficiaberis ; Labanum figuram hujus mundi facilè credes D.Gregorio M.docenti. *Potest etiam per Laban mundus hic exprimi, qui cum furore Iacob persequitur, quia electos quosque, qui Redemptoris nostri membra sunt, persequendo opprimere conatur.* Deinde secundum Hispalensis Antistitis mentem, Jacob famulitij tempus designat integram temporalem vitam. *Servitus itaque ipsius Iacob septem annorum pro duabus uxoribus, hujus vitæ præsentis tempus significat, quæ per septem dies volvitur*, &c. Sæculo deliberans obsequi passionem ferit cum perfido satis domino per longam temporum seriem, imò per totum vitæ decursum. Qui autem opera sua Deo sacrare vult, cùm ipso convenit, ad summum, per diem. Mobilis est ad hoc voluntas humana ; cùm sit ad multa plusquam lapidea. Deum quærit festina pariter & sera. Ut incipiat è servitute mundi ad veræ libertatis authorem accedere, procrastinat iter ; apud ipsum verò cursim hospitatur : nec sedet qui antea in mundiali sorde jacebat libenter. Omnia in centro quiescunt. Animæ centrum Deus est ? illum semel atque invenit, cur non manet in eo ? Inauditam philosophiam ! in centro est & movetur ! Ignis sublunaris, dato quòd sic ascenderet ut conjungeretur cælesti, nequaquam foret extinguendus, quia centrum attigerat. Unitur (prout mortalis conditio patitur) cor amoris ope illi qui *ignis consumens est :* jam centrum tetigit : movebitur adhuc irrequieta flamma ? Proh dolor : & quàm frequenter ! Non ut materialis ignis quæritat cælum trepidando ; sed inquietudine leviſſima refugit à Deo quem invenerat ; quin metuat ipsum. Deploramus omnes humanæ amicitiæ perfidam varietatem : docet enim experientia, utilitate propria sic unice ali, quod illâ cessante amicitia expirat. Quantò plus admiratione lachrymabili digna est perfidia qua delinquimus erga Deum. Proventus ab ipsius manibus obtinendi spes adhuc vivit, & amicitia jam periit.

Gen. 27. 43. 44.

Ibi c. 29. 18.

Ibi n. 27. & & 28.

Matth. 20. 13. 14.

D. Greg. M. l. 30. mora. c. 16. to. 1.

S. Isido. Hispal. in Gen. c. 25.

Deuter. 4. 24.

19. *Malorũ spes nixa sæculo aëre crescit & perit.*

Aliorum inconstantia ex mala firmitate promanat. Jam de illis non curo, qui à Deo in sæculum, ac viceversa perpetuò deambulant ; ad eos pergo, qui mundo corda mancipant, & sicut mancipia vanitatis in rebus aëreis collocant spem. *Vanæ spes hominum in hoc sæculo, qui ea quæ non sunt tanquam sint sequenda arbitrentur.* Verba sunt Ambrosij. Quî fieri potest ut hæc spes immota maneat, si à jugiter se moventibus ducit originem ? In aërem cujus nascitur ope, dispergitur.

S. Ambro. to. 5. l. 3. epiſ. 19.

Apud sapientem spes impij comparatur spumæ : *quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur : & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur.* Cur non potius vento simillimam dixit spem istam qui hujus levitatem ænigmaticè depingere optat ? Quid flatu levius ; Propter auram spuma ; non econtrà propter spumam aura movetur : igitur mobilius est flamen. Quare potius ab spumeo tumore sumpsit hyeroglificum ? Quia flabrum nonnunquam è terra ; spumosus autem liquor à fluctibus oritur. Undæ sunt mundi symbolum ob irrequietos recursus ; *terra autem in æternum stat.* Spes iniqui nulla firma jacit fundamenta : ex mari velut spumans humor nascitur, quia unicè radices frustra mittere conatur in ipsa mobilitate sæculari, quam æquor satis nostris exhibet oculis. Ad illud Jobi : *in fortitudine illius repente maria congregata sunt*, commentatur D. Gregorius M. *quid aliud maris nomine, quàm præsens sæculum designatur, in quo corda hominum terrena quærentium, diversis cogitationum fluctibus intumescunt : qui elatione superbiæ concitati, dum alterna intentione se impetunt, quasi adversante se unda collidunt* ? Itaque cùm non in stabilibus bonis, sed in sæculi vorticibus nitatur spes eorum, qui peritura deligunt : aptissimè comparatur spumæ : ac potissimum ex eo quod illam aër excitat, facitque tumere : & agitata vento progenies aëris dissipatur in aëra. Non aliter expectatio prædicta oritur ex evanidis, & citò disparens evanescit.

Sapi. 5. 15.

Eccle. 1. 4.

D. Greg. M. l. 17. moral. c. 18. tom. 1.

20. *Iustus sollicitiùs Deum quærit, cum apud illum fœlicior.*

Ultimò perpendebam quòd pro civitatis custodia murus non sufficit ; sed vigiliarum excubiis arcentur hostiles insultus. Si dormiat miles, ænei muri fictiles redduntur. Spirituale munimentum spes dicitur : cujus muniminis fortitudo parum proderit nisi perpetuò vigiles. Et quasi oppidum quò plùs

divitiarum

divitiarum claudit eò magis pervigili curâ prævenit hostis accessum: ita justus quantò largiùs Divinum experitur amorem, tantò solertiori vigilantia excubet æquum est. Mellifluè Bernardus: *magnum bonum quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est.* Proinde tunc verus amator in Domino quærendo diligentior cum fœliciùs ascendit in Divinæ benevolentiæ conspectu.

S. Bern. ser. 84. in Cant.

Abeunt in diversum expositores sacri cum non uniformi stylo relatam ab Evangelistis reperiunt iterfactionem ad sepulchrum. *Maria Magdalene venit mane, cùm adhuc tenebræ essent ad monumentum.* Existimat S. Hieronimus quòd priùs obvij Salvatoris pedes Magdalena tenuit in via; postea verò quærens eundem ivit ad monumentum. *Magdalena*, inquit, *quæ priùs viderat Dominum resurgentem cum altera Maria, & ejus pedibus fuerat advoluta; postea reversa per noctem, domi enim per desiderium ejus manere non poterat, venit ad sepulchrum.* Quæro: & cum Lazarus infirmaretur, cur non iter arripuit ut inquireret Salvatorem pro fratris incolumitate? mittit ad illum, manetque domi? Postquam vivum aspicit, requirit viventem apud mortis domicilium? Temporum diversitatem conferas oportet. Cùm Lazarus æger decumbebat, soror ejus Maria Christi Domini favorem non fuit experta nimis; quinimo ad speciem Dei Filius omnia noscens, oblito similem exhibuit seipsum, opem amico non ferens, & sororum nuntium expectans de fratris ægritudine. *Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur:* & venit Servator denique ad quatriduani suscitationem. Ex causâ se valdè continuit ejus amor in præstanda benevolentia. Non sic in resurrectionis die: tunc enim Dominus cruciatui quo desideria Magdalenam torquebant compatiens dilectionis ostendit signa benignissimus, & confestim. *Et ecce Jesus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere.* Modò à Domino dum peramanter Magdalena favoribus ditatur, ejus vigilantia quiescere nescit. Antea cùm in afflictione quam passa est, ab eodem videbatur deserta, visa est in quærendo parum sollicita dilectum. In sepulchro fœlicem adeo contemplatur Drogo Magdalenam, ut Verbum incarnatum intra se possideret: ac idem sic introducit Redemptorem inibi loquentem ad illam: *habes me intra te & nescis, ideo quæris foris* &c. Ubi fœlicior, ibi diligentior.

Joan. 20. 1.

D. Hiero. epist. 150. ad Hedib. q. 5. to. 3.

Joan. 11. 3.

Matth. 28. 9. 10.

Drogo de Sacram. Dominic. Pass.

21. *Quiescit non possidens affectivè Deū; aliter vigilaret.*

Hæc est intra bona corporis & animæ vulgaris antinomia. Illorum possessio fastidium parit; horum acquisitio desiderium ciet. Deum si non invenisti, non inquiris; si jam reperire contigit, investigas illum indesinenter. O quàm verè dixit expertus: *quomodo amantes te sic reficis ut magis esuriant? nisi quia tu cibus es simul & esuries?* Nosse vis cur in perquirendo Sponsum anima tua somno dedita quiescit? Quia Deum non tenet; si potiretur illo, pervigilaret.

S. Bernardin. en. to. 2. ser. 86. art. 2. c. 5.

Canticorum Sponsa, tempore quo Dilectum nequaquam cernebat, dixit: *ego dormio & cor meum vigilat:* non inquam intuebatur eum, quia illum ad fores pulsantem insinuavit statim dicens: *vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea* &c. Si permittit absentia placidam luminibus quietem; cur non & cordi? Econtra si ne dormiat cor vetat amor; quare non etiam oculos reddit vigiles? Sponso non fruebantur isti: quia tunc possident cùm vident, illumque pro tunc non aspiciebant. Simul verum erat quòd Charissimi possessione gaudebat cor Sponsæ: hoc enim habet quod amore prosequitur: illaque sanè diligebat, quamvis non contueretur. De corde possidente Deum, dicitur excubare: *cor meum vigilat;* visus, possessione amissa ejusdem, quiescere perhibetur: ego dormio. Soporem carpis quia longissimè ab affectivè Dominum possidendi fœlicitate distas; quam si fueris adeptus, excubias ages: animadvertes quippe quòd non sola mœnia (non, inquam, unica spes) custodit spiritualem civitatem; insomni excubitore opus est.

Cant. 5. 2.

DELIBATIO III.

Ejusdem civitatis antemurale, turrisque: patientia, scili. ac humilitas.

22. *Patientiâ Deus armatur præcipuè?*

CÆptam prosequitur allegoriam purpurei Senatus veneranda pars Hugo. Civitatis ad instar delineans animam justi, dixit ejus antemurale patientiam. Adamantinum equidem, & hostilibus incursionibus impenetrabile penè munimentum! *Non mediocris animi est patientia, quæ insuperabilem reddit hominem.* Sic Venetianæ sedis immortale decus. Nil mirum, cùm paulo ante dixerit: *Assimilatur etiam Christo patiens, quod est glorioſissimum.* Divina ferè virtus patientia est, quâ Deus ipse vincit hostes: & ita inter arma quibus (ut more nostro luquimur) utitur Dominus exercituum, nullum sit ad victoriam opportunius quàm tolerantia: hæc est præcipua Fortissimi armatura.

S. Laur. Justin. in ligno vit. c. 2. d. patien.

Apprehende arma & scutum & exurge in adjutorium mihi. Effunde frameam, & conclude adversus eos qui persequuntur me. Bellarmino teste legitur in Hebræo: *apprehende clypeum, & scutum.* Græcus & Vulgatus legunt: *arma: sed per arma*, inquit Commentator idem, *intellexerunt arma defendentia, & protegentia.* Utramvis ergo sequamur lectionem, verba ista bis à Deo postulant ut scutum pro afflicti protectione sumat. De framea non sic; semel tantum dicitur: *effunde frameam.* Quid peculiarius est in clypeo, ut de illo repetatur oratio? Scutum patientia Dei est: Vis probem? Repete Bellarminum, & reperies dicentem: *Porro clypeus & scutum Dei est bona ejus voluntas, juxta illud psal. 5. Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Non adhuc quiesco: ulterius requiro: quid est scutum

Ps. 34. 2. 3. Lect. Hebr. ibi. Bel. ar. in psal. ibid.

bonæ voluntatis divinæ ? Rem explicat S. Hieronymus : qui pro eo quod habet vulgata Lectio : *ut ſcuto bonæ voluntatis*, legit ſic : *ut ſcutò placabilitatis*. Quid eſt placabilitas Dei niſi ejus patientia, qua reverſos peccatores propitius amplectitur ? Hoc obarmatur clypeo Dominus exercituum : & ita potiſſimùm ut Pſalmi proximè datis verbis hujuſcemodi ſcutum ſemel ac iterum advocetur in auxilium : *apprehende arma & ſcutum : apprehende clypeum & ſcutum :* cùm tamen frameæ hoc loco ſemel tantum fiat mentio, cùm dicitur : *effunde frameam.*

Hiero. apud Lorin. Pſ. 5. 13.

23. *Victoria de ſeipſo glorioſior.*

Si Deum quem jacula non lædunt, patientiæ clypeus (ut humano ſtylo divina tractemus) munire videtur adverſus inimicos : ſi ſcutum hoc ita magnifacit inſuperabilis fortitudo, prout vidimus : quantò veriùs nos, qui miſerrimè tot percuſſionibus expoſiti militamus, tranquillitate animi promptâ pati, velut parmâ protegemur inexpugnabili ? Et cur putas adeo fortem reddit virtus illa juſtum ? Quia dum æquanimiter ſuſtinet injurias, vincit ſeipſum : *multóque ſeipſum, quàm hoſtem ſuperare operoſius eſt*, ait Valerius Max. & quid non ſuperabit qui ſuimet victor extitit ? A majori ad minus duellum faciliùs itur. *Minor eſt ergo victoria urbes expugnare, quia extra ſunt quæ vincuntur. Majus autem eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe à ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ſibimet ſubjicit, quando eum patientia in humilitate tolerantia ſternit.* Hæc D. Greg. M. Patiens igitur expugnabit offenſores non difficulter, quia domeſticam intra cordis muros victoriam reportare ſolitus eſt : illuſtriùs detriumphatur inteſtinus adverſarius, quàm externus.

Valer. Max. l. 4.

D. Greg. M. to. 2. ho. 35. in Evan.

Multam accipit interpretum lucem locus ille apud Joannem : *qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet :* quod ideo Chriſtum Dominum dixiſſe putamus, quia credentes in eum aliqui plures quàm ipſe ſuſcitavere mortuos, alij pluribus linguis locuti ſunt, alij mirabiliora quoad modum perpetravere quàm ſunt Filij Dei miracula, ut eſt ſanitas à Petro collata per umbram : necnon Redemptor uni tantùm nationi prædicavit ; Apoſtoli, & Apoſtolici viri diverſitatem gentium in Evangelicam ſagenam congregaverunt ex æquore ſæculi. An licebit illius loci tot expoſitionibus unam addere non liberam ? Dicam verbis Authoris incerti : *non damnamus aliorum opinionem ; noſtram ſequamur doctrinam.* Cogitabam, etiam ad victorias, quas Chriſti fideles benè operando à ſpiritualibus inimicis obtinuerunt referri poſſe præfata verba : *& majora horum faciet.* Nitor Auguſtino. Vide quid ad hunc locum ſcribat ille. *Et majora horum faciet, quorum obſecro ? Nunquidnam omnium operum Chriſti majora facit, qui cùm timore & tremore ſuam ipſius ſalutem operatur ? Quod utique in illo, ſed non ſine illo Chriſtus operatur. Prorſus majus hoc eſſe dixerim quàm eſt cælum & terra*, &c. Expreſſius loquitur ad rem noſtram Cardi. Toletus ibidem ex Origenis doctrina. *Opera igitur hæc majora interpretatur ſpiritualia opera, quæ juſti faciunt reportantes victoriam contra mundum, dæmones, & carnem propriam.* Et quid eſt in quo præcellat hæc juſti palma ſui Ducis opera ? an non ipſe palam triumphavit mundum ? nonne principes tenebrarum ſpoliavit, detruſit, ejecit ? Non dubito ; ſed unum eſt trophæum, quod non potuit obtinere, nempe ſubigere ſeipſum : cùm enim victoris gloria ſupponat prælium, & in Chriſti Domini humanitate (ut eſt apud Theologos notiſſima res) nullum fuerit interius bellum : eſſe non potuit ſuimet ipſe triumphator ; cùm tamen hanc lauream quilibet juſtus ex continuis pugnis referat. Ideo licet non ſit diſcipulus ultra magiſtrum, qui titulis tot nomen acquiſivit potens in præliis ; juſtus nihilominus majora horum faciet, ideſt ſeipſum debellans, pulchrius obtinebit bravium. Hinc patientiæ victrix laurus, utpote quâ ſe quiſque domat, ſatis clareſcit.

Joan. 14. 12.

Incertus ſub nomine Chryſoſt. ho. 2. in Luc.

S. Aug. trac. 72. in Joan. tom. 9.

Toler. in 14. Joan. 12.

24. *Deus patientiâ fulget illuſtriùs quàm fortitudine.*

Ut altiùs cordibus infigatur hujus virtutis amor, ad tolerantiam qua Deus erga hominem ſe gerit revertamur, ut pateat quanti Deus æſtimet vocari *fortis & patiens.* Scuto ſolebant olim Romani priuſquam cœpiſſet uſus coronarum triumphatoris exornare caput loco diadematis, ut notavit Lorinus. Patientiæ clypeo Deum coronari non dubito : eſt enim Clementiſſimi longanimitas glorioſum inſigne majeſtatis interminabilis. *Tunc enim firmi & ſtabiles* (verba ſunt D. Ambroſij) *ſunt, ſi advertant quæ pro fide promiſſa ſunt, & quanta ſit potentia gloriæ majeſtatis Dei in patientia, ut longa expectatione ſuſtineat humanum genus, quod irreverentiâ ſuâ non ſolùm negligit Creatorem, verùm perſequitur amantes eum : ut & ipſi ſimiliter patientes ſint*, &c. Quinimò ſplendet illuſtrior Dei gloria dum ſuſtinendo patientiam prodit ; quàm dum vincendo potentiam oſtentat.

Pſalm. 7. 12.

Lorin. ad Pſal. 5. n. ult. tim.

S. Ambr. to. 4. in ep. ad Coloſſ. c. 1.

De perſecutione Abſalonis à Davide patienter tolerata dicebat ille : *Deus meus eripe me de manu peccatoris.... quoniam tu es patientia mea Domine :* & ſcio patientiam hic ſumi pro illa quæ verſatur in expectando auxilium divinum ; ſed Lira de animo duris infracto, & ad ferendum compoſito, commentatur, dicens : *quoniam tu es patientia, ideſt præſtans mihi patientiam in hac tribulatione ; fuit enim tunc valdè patiens, ut habetur 2. Reg. 16. quia injurias Semei ſibi maledicentis, & lapides contra eum mittentis, valdè patienter portavit.* Quæro nunc : vocatur Deus patientia Davidis, eò quòd ipſi dederit in tolerando conſtantiam ? & quare non appellatur eodem loco Dominus potentia Herois Jeſſæi, cùm donaverit illi poſſe victoriam conſequi, ſternereque rebelles ? Forſan ideo quia poteſtatis nomenclatura non adeo nobilis eſt ut patientiæ titulus : hôc amat inſigniri : eô condecoratur nomine : *tu es*, &c.

Pſalm. 70. 4. 5

Liran. ibi.

25. *Pluris videtur Deus facere patientia decus, quàm divinitatis fidem.*

Singularius aliquid pro patientiæ decore meditabor, ſi patienter attenderis pauliſper. Suſpicor, & vehementer, Deum pluris facere patientem haberi, quàm ejus deitatem agnoſci : Duplex aſſigno ſuſpicionis hujus motivum. Primum deſumo ex eremi conflictu inito à gloriæ Rege Summo cum principe

cipe tenebrarum ubi non Divinitatem ſuam aperiens recuſavit duellum cum hoſte viliſſimo ; ſed lenitate utens paſſus eſt ab eo tentari : imo & mitis devicit eum : *etenim,* ait Chryſoſtomus, *cum in monte eum irruentem confregit atque proſtravit , non innoteſcens quod eſſet Chriſtus , ſed in his eum verbis illaqueavit , manſuetudine cepit , benignitate fugavit. Hoc quoque tu facias , ſi videris hominem diabolum factum , & ad te venientem , ita & tu vince.* Secundum hujus conjecturæ momentum ratio indigitat iſta : ſcili. quia cum Divinitas majeſtatem; offenſi verò manſuetudo commendet erga mortales amorem : Dominus , qui ut ſuæ dilectioni faceret ſatis exinanivit ſeipſum , non tam ægrè fert celſitudinem ipſius non credi , quàm erga lædentem minus humanum exiſtimari.

Chryſoſ. to. 5. hom. 52. ad pop.

Cecîdit ſacrilega manus faciem , in quam Seraphim ardent aſpicere: qui tamen Agnus & ſi vindictæ pepercerit , querelam non tacuit : *quid me cædis ?* Majus crimen commiſerat diſcipulus proditor : nam ſi Pilato dixit Veritas de Iuda loquens : *qui me tradidit tibi majus peccatum habet :* cum Præſes iniquus plus peccaverit quàm percutiens alapâ Dominum : legitimè colligitur Iudam venditione graviùs peccaſſe miniſtro percuſſore Dominici vultus. Et non ad traditorem ait : cur me venalem feciſti ? qui dicturus erat impio : *quid me cædis ?* Plus doluiſſe reor de miniſtri delicto, quàm de Iudæ ſcelere. Perfidus hic vendens Magiſtrum tacitè teſtatus eſt ſe illius Divinitatem non agnoſcere : *factum,* ait Auguſtinus , *jam fuerat in corde Iudæ per immiſſionem diabolicam, ut traderet diſcipulus Magiſtrum , ſed quem non didicerat Deum* : & credibilis valdè videtur eſſe quidem hic fidei defectus in traditore : qui certè proditoriè lædere non auſus fuiſſet Redemptorem , ſi Deum , & conſequenter omniſcium credidiſſet. Iudas Divinitatis honorem læſit ; faciem audaci manu verberans , manſueti animi gloriam auferre voluit: putavit etenim verba Chriſti Domini, quibus Pontifici reſponſum obtulit , ex impatienti pectore prodiviſſe. Inſinuavit Liranus : *ille enim* , inquit, *miniſter ſceleris accepit reſponſionem Ieſu , quaſi notaſſet Pontificem de ſtulta interrogatione.* Unde videtur ad ſuſtinendum indocilis ab illo fuiſſe judicatus Dominus : nam ſuæ manſuetudini detraheret non parum Filius Dei, ſi cum reum agebat , ſugillaret de ſtultitiâ judicem. Hoc judicio , ex quo proceſſit colaphi ſæva injuria , vulneravit patientiæ nomen , feriens os Domini ? Ergo vulnus iſtud fuit peculiaris cauſa doloris : multo plus nunc læſus eſt cum reprehenditur velut immitis , quàm dum venditio negatam Divinitatis fidem teſtabatur in Iuda. Si medios inter injuſte lædentium tumultus corde tranquillo nulli cedere vulneranti , ſuſtinendoque vincere decrevit Innocentiſſimus exercitio tolerantiæ ſibi non indigens : quid agendum iis quibus opus erigere pro tuenda ſpiritus arce patientiæ validum antemurale ?

Joann. 18. 23.

Ibi c. 19. 11.

S. Aug. to. 9. tract. 55. in Joann.

Liran. ad c. 18. Joan. 23.

26. Ab antemurali ad turrim aſcendamus : à patientiâ ſcili. ad humilitatem : *turris humilitas* dixit Hugo citatus. Totus in deſcendendo verſatur humilis ; & adhuc turris humilitas eſt ! Aquæ ſimilem noſti hominem. *Omnes morimur , & quaſi aquæ dilabimur in terram , quæ non revertuntur :* aquarum ingenium eſt aſcenſus altitudinem ex deſcenſu metiri. Sic & homo prout deprimitur ſic effertur : profunde latens in umbra , virtutis culmina tenet. *Humilitas eſt turris fortitudinis à facie inimici.* Ita Climacus. Et non in imo ſita eſt ; ſed in faſtigio locat ſectatores. *Humilitas* (addit idem) *prorſus ex dæmonibus angelos efficere poteſt. Quo circa qui ciderunt bono animo ſint , & reſurgere ſtudeant. Feſtinemus , totiſque viribus nitamur ad hujus ſupremum verticem conſcendere* &c. Præcelſum propugnaculum humilitas eſt. Iſtam qui colit adeò collocatur in ſublimi , quod ipſius Divini Spiritus tangere manu ſedem videri valet : non tantum cælorum prætervolat orbes : non ſolùm ſuper Seraphim apparebit extolli: adhuc altiora tangit excelſe. Locum Diviniſſimi Flaminis occupare videbuntur manus eædem , quæ ſeipſas abjecerunt ad ima , humilitate pronæ.

Humilis videbitur occupare locum Spiritus ſancti.

2. Reg. 14. 14.

S. Joan. Climac. in ſcala gra. 25.

Idem ibi.

Ad Iordanis undas ille , qui olim dicebatur ignis , accedit nec extinguitur ; ſed fulget cælitus delapſa voce illuſtratus à Patre luminum : pedeque tuto innocentia ſumma terit ſpumas inanes obmurmurantis aquæ : nihili ducens peccatorem haberi, ut peccatores habeat. Baptizatur, inquam , à Præcurſore , ac eis laticibus aſcendenti reſerantur cæleſtes valvæ. Deſcendit ſpiritus Sanctus (humilium doctor , nam deſcendendo volabat) in columbæ ſpecie : ſummumque tenet Salvatoris verticem. Teſtatur Ioannes ipſe , *dicens : quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.* Iam ſcrupulum non movebit illud tritum apud omnes dubium , ſcili. cur ad Apoſtolos ignis figuram detulit , ad Jordanem in columba devolavit : facilè namque animadvertes flammam deorſum vi ſeu prodigio ferri ; aves autem ſuaptè naturâ volare , quamvis in terram. Ad multorum utilitatem operabitur mirabilia Divinus amor (quod nomen appropriatur Spiritui Sancto ;) ad Baptiſtam impetu naturæ tendere videtur , ſicut avis inclinatione naturali aëra ſcindit alis. His omiſſis. Inquiro cur Divinus Spiritus , qui dilectio notionaliter denominatur , non in pectore , quod ſedes amoris eſt ; ſed in capite Servatoris acceperit ſibi locum. Hunc eâ de causâ elegiſſe judico, quia ſanctiſſima Humanitas cupiebat digniori loco tertiam Trinitatis perſonam recipere. Honoratior corporis à Verbo Divino ſumpti pars non pectus eſt, ſed caput. Modo vide ubinam Amicus Sponſi manum impoſuerit cum baptizavit authorem baptiſmi Filium Dei : adi Bernardum : *jam triginta annorum ad baptiſmum ipſe perrexit. Inclinatur ſub Baptiſtæ manibus caput tremendum poteſtatibus , principatibus adorandum. Quid mirum ſi Baptiſta contremuit ? Quis vel ipſa cogitatione non contremiſcat* ? Præcurſoris

Ioan. 1. 32.

Baptiſtam Divinus amor quærit ex inclinatione naturæ ?

D. Bern. ſer. 4. de Circumciſ. in Oct. Epipha.

manus

Locum Spiritus ſancti ne manu tangit Præcurſor?

manus aſcenderunt ſupra caput Incarnati Verbi! Spirituſque ſanctus deſcendens quievit ibidem! Ne mireris: humillimus erat Joannes: manus infrà calceamenta Salvatoris demiſerat inquiens: *cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus*: quidni manus illæ fœlices ad locum divino Spiritui ſervatum elevarentur? Imò Spiritus ſanctus ibi præcellentiſſimum humilitati paraſſe thronum viſus eſt: cùm per ſpeciem apparuerit, quæ humilitatem figuravit ibidem. Proderit Auguſtinus dicens: *unde debuit ergo, chariſſimi, demonſtrari Spiritus ſanctus unitatem quandam deſignans, niſi per columbam, ut pacatæ Eccleſiæ diceretur: una eſt columba mea? unde debuit humilitas, niſi per avem ſimplicem & gementem?* Ad propriæ demiſſionis igitur peculiarem locum, ſcili. Chriſti Domini verticem, evehuntur humillimi Baptiſtæ manus, quaſi elevatiſſimi ſolij poſſeſſionem capientes. Proinde quid mirandum, quòd voluntaria ſubmiſſio, cujus eſt abjicere ſe libens ad infima, per ſpiritualis urbis turrim deſignetur?

Luc. 3. 16.

S Aug. tract. 6. in Joan. tom. 9.

27. *Humilitatē immolare ſumma humilitas.*

Adhuc dubiolum pungit. Arx nunquam latêre valuit; humilis perpetuò deliteſcit. Quomodo virtutis hujus emblema turritum eſt? Gratiſſimum Deo in paucis holocauſtum inde collige dicari, ſi propriam humilitatem abſcondit: ſic enim velut immolat illam: ac apparere, ſi oportuerit, non recuſans, vim eidem audet inferre. S. Gregorius M. *Servis ſuis*, ait ille, *ſe ſequentibus exemplum dedit, ut ipſi quidem virtutes ſuas occultare deſiderent, & tamen ut alij eorum exemplo proficiant, prodantur inviti, & facta quidem ſua occultando ſeipſos cuſtodiant, ſed dum produntur inviti, bona ad proximos ſuos exempla tranſmittant.* Ecce habes juſti ſacrificium non vulgare: quia extra dilectas abjectionis latebras prodiens invitus, demiſſionem ſibi pretioſiſſimam vovet in holocautoma Deo. Minus eſt, quòd ſe ipſe victimam conſecret, nam quid eſt hoc niſi quòd ille deſpicit, nempe totum ſe mactare? Difficilis mehercle, ſed non maximi ponderis, res hæc eſt apud eos, qui perfectè philautiam ſubjugarunt. Humilitatem chariſſimam juſtis Altiſſimo litare, hoc egregium demiſſi animi facinus.

D. Greg. M. l. 19. mora. c. 14. tom. 1.

Ab Ægyptiorum ergaſtulo volens eripere Dominus ingemiſcentem populum, committit Moyſi petat Pharaonis aulam, redemptoris munere functurus. Veretur ille timidus, ac non ſemel declinat onus. Balbutiem objicit, qua præpeditur os. Ait illi Deus ut animos injiciat formidanti. *Perge igitur, & ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. At ille: Obſecro, inquit, Domine mitte quem miſſurus eſt. Iratus Dominus in Moyſen, ait* &c. Sic Domine ſuccenſes amico? quid iraſceris timenti, qui poteras metus cauſam omnino tollere? Quid opponit ille juſſo tuo? Linguæ tarditatem? Solvatur hoc ligamen per miraculum: & ceſſabit Moyſis pertinax contentio. Non ita factum; ſed ore blæſus ire jubetur ad Curiam, addito Aarone legationis eloquenti ſocio, & comite virgâ mirabilium inſtrumento. Quare non expediuntur labia; ſed impedimentum patiens huic functioni deſtinatur? Quia humilis indignum ſe profitebatur, eò quòd difficiles daret ore ſonos. Reſtabat ipſi tamen ad humilium apicem pervenire: ſcili. acceptata legatione, quantumvis reniteretur humilitas, iſtam obedientiæ aris devovere. Si linguæ Deus vinculum abrumperet, ac pergeret Moyſes quò juſſus erat: non ſecum ferret ſeipſum abjiciendi jugem ſtimulum, nempe defectum expeditæ loquelæ. Hunc non amittat, ut abjectio ſpontanea in eo nixa perſeveret obſequij gladio mactanda. O gratam Deo victimam! Ubi cordis humilitas abſcondi neſcit, quando ſic opportunum judicat, ut id quod magis Moderatori Summo complacet, exequatur. Hoc ne nimis arduum videatur humili, conſideratione volvere operæpretium eſt, virtutem illam degeneraturam in vitium, ſi cùm fuerit congruum ſibi violentiam inferre ad hoc ut è ſolitis umbraculis exeat, id contentioſè recuſet. Expende Rupertum loquentem de recuſatione Moyſis. *Bonum quidem & imitatione dignum humilitatis exemplum eſt Deo vocanti ad tantum, tamque glorioſum miniſterium dicere: quis ego ſum* &c. ſed addit infrà. *Cùm igitur quis ad hoc vocatur à Spiritu ſancto, ut mittatur contra Pharaonem, ideſt contra diabolum, ſcili. ut aliquo fungatur miniſterio ſalutis animarum: ſic inter hos viam teneat regiam, ut non declinet ad dextram, ſive ad ſiniſtram, videlicet ut nec nimius ſit dicendo: quis ego ſum ut eam? nec importunus vociferando: ecce ego me mitte.*

Exod 4. 12. 13. 14.

Rup. l. 1. in Exod. c. 13.

DELIBATIO IV.

De fonte, rivo, & ſpeculatore civitatis myſticæ, luctu ſcili. ac vigilantia prudenti.

28. *Plus dolet ſub eâdem afflictione innocens, quā peccator.*

FOns turrim muniens luctus, inquit Hugo Cardi. Materialium civitatum fontes, apud quoſdam, ne tempore belli obturentur ab hoſtibus, propugnaculum cuſtodit munitiſſimum. Viceverſa contingit in urbe myſtica non turris fontem; ſed fons turrim (luctus nempe humilitatem) ſervare ſolet. Vanitati juſtus emoritur, & exteriorem hominem defunctum luget homo interior: luctus enim rigoroſè dictus non quilibet fletus eſt, ſed planctus ille qui mortuis impenditur ſecundùm Angelicum Doctorem. Non quòd externum hominem internus expiraſſe doleat; ſed quia fragilis naturæ conditio, mortuique perantiqua ſocietas veluti cogit ad lachrymas. Omitto iſtud flendi motivum: Venio ad illam quam adverſitas miniſtrat plorandi materiam. Tribulationes exilij comites individuæ ſunt: exulem perenniter lachrymari non miror. Præſertim cruciatur dolore juſtus eo ipſo quod inſons patitur. Peccator minoribus cruciamentis atteritur, quamvis eidem atque rectus malo ſubjaceat: ſolvit enim criminum debita: fert quod voluit. Unde M. Gregorius: *dolor quippe flagelli, ut diximus, temperatur cum culpa cognoſcitur: quia tantò quiſque patientiùs ferramentum*

D. Thom. in Pſ. 34. c. 10.

D. Greg. M. l. 10. moral. c. 5. tom. 1.

ramentum medici tolerat, quantò putridum conspicit esse quod secat.... per hoc quòd culpæ pondus agnoscitur, afflictionis pœna lævigatur. At innocens altiùs dolore transfigitur, utpote qui radices non obtulit infœlicitati.

Threnorum vates ad Jerusalem desolatam sic loquebatur: *effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum qui defecerunt in fame.* Commentatur Hugo Card. *quasi in intimo cordis tui lachrymas effunde.* Solosne parvulos fames afflixerat? Plusquàm adulti sunt ij qui ore Jeremiæ lamentantur inediæ tormentum. *Ægypto dedimus manum, & Assyriis, ut saturaremur pane.* Suadere curat propheta civitati afflictæ ut obnixè deprecetur Deum quò cessèt mucro Domini ferire: qui eò vindictæ processerat, ut parvulos occiderit, & hæc est angustiarum exaggeratio? infantes perire dum puniretur civitas? Ipsi malum suum plenè non agnoscebant: & quia rationalis dolor cognitionem sequitur intellectivam, inde fit ut minùs acerbo dolore torquerentur pueri. Nonne plus ferirent adultos clades, quorum anxietates matura mens fovebat expendendo? Neutiquam: hi namque delinquentes erant; parvuli minimè. Hugo Cardi. ibidem: *& hoc dicitur, quia pro culpa parentum parvuli sæpe temporaliter puniuntur.* Istorum qui Jerusalem vastatione involvebantur parvulorum afflictionem hîc vates memorat: est enim acrior innocentis calamitas, quàm rei sub eodem verbere jacentis.

Duplici ratione firmo prædictum. Juxta veram philosophiam passum resistens agenti frangit illius vires (quod reactionem dicimus) si verò restitivum non sit, non minuitur agens. Hosti si non claudat januas circumcincta civitas, nisi propugnacula parent, furori bellico resistere cupiens, diriorem experietur aciem gladij. Si autem pugnanti repugnet inimico, non tam validum reperiet militem. Dubitabam utrum ex hac philosophia dici possit cor tunc minus dolere, cùm suis obsistit malis: & si benè memini, alibi negavi. Nunc tamen liceat oppositum non improbabile dicere. Patrocinatur Stoicus: *vincêris à dolore si cesseris: vinces si te contra dolorem intenderis.* Patitur justus, impetitur undique: nec tamen malis adversatur; sed cordis affectum conformem exhibet permittenti Deo: sublatâ resistentiâ vulneratur acutiùs. Hinc oritur ut ampliùs crucietur quando se conformat libentiùs malo suo.

Recole, quæso, quàm dissimiliter se gesserint simili tempore discipulus & Magister: Petrus inquam vinctus in carcere, Christus Dominus orans in horto. Dei Filius qui die sequenti mortem subiturus erat, sudore sanguineo suffundebatur ubertim, agonizans. *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Apostolorum Antesignanus, cùm jamjam fuisset ad populum exponendus, & morti, dormiebat. *Cùm autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Ineratne Petro major quàm Domino exercituum strenuitas? Absit? Quomodo igitur Petro mortis permittit horror dare membra sopori; & nostrum omnium fortitudo sic angitur & sudat morti vicinus? Proclivis est solutio præfixæ cogitationi favens. De Redemptore dictum fuisse novimus ab Evangelico vate: *oblatus est quia ipse voluit:* quàm voluntatem ponendi vitam non mutavit inter Gethsemani mœrores: nam ad illa verba: *fiat voluntas tua*, inquit Origenes, *manifestum est itaque quòd bibere eum volebat.* Et adeo parato erat animo ad ferendam necem, ut non ibi propter mortem eum timuisse dixerit S. Hilarius. *Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est:* & consonat S. Hieronymus. *Quæ contristatur anima est, & non propter mortem, sed usque ad mortem contristatur.* De Petro verò Sapientia Patris æterni prædixerat: *Alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Hoc duplici nixus oraculo certissimus asservero, multò plùs, ac perfectiùs, conformem passioni suæ fuisse Christi voluntatem, quàm Petrus perpessioni martyrij. Ille solus anxius erat, qui malo suo conformiorem gerebat affectum: *& factus in agonia* &c. Justus igitur, qui à divina voluntate, cujus permissu patitur, non dissidet, multò dolet anxior: idcirco fontem lachrymarum dolor scaturire facit.

Secunda ratio cur probus inter pressuras magis cruciatur quàm reus, hæc est. Impius afflictiones à Deo mitti non cogitat: quia sic non ei locus vindictæ capessendæ manebit: nec odiendi ferientem, neque jaculandi querelas. Ut hæc omnia doloris levamina quærat, non à Deo puniente flagella provenire meditatur. Justus ne subrepat vulnerantis odium, vel ultionis amor, ac susurrantes querimoniæ meritum obfuscent, præ oculis habet, eorum quæ patitur quædam authorem vendicare Deum; alia verò ab eodem justissimè permitti. Et ideo torquetur acerbius? Maximè: quia cædentem diligit. Minùs amarum est ab hoste lædi; gravius erit à dilecto vulnerari.

Noverat Job duplicem sui doloris causam: aliam summè bonam, scili. Deum id sinentem; alteram pessimam, nempe diabolum executioni dantem. De spiritibus malignis dixit eos ipsum obsidentes circumvallasse; Dei memor affirmat se confixum à Domino sagittis. *Simul*, inquit, *venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum:* commentatur Lyra: Latrones ejus, idest dæmones. En quid à dæmonibus accepisse mali Jobus conqueratur: transisse per illum, & obsedisse circum. Alibi dixerat velut ex præcordiis gemitus edens: *sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ébibit spiritum meum.* An iidem dolores & sagittæ sunt & obsidio? Utique: imò non qualescumque sagittæ, sed venenatæ, ut pater Mariana colligit ex Hebraico, ait namque: *Heb. venenum Domini in me est, solent spicula veneno infici.* Cruciatus isti prout à diabolo, qui adversarius erat, inflicti fuere, minùs angebant: proinde comparantur obsessioni; sed qua-

Thren. 2. 19.

Hugo Card. in Thren. ibi.

Ibi c. 5. 6.

Hugo Card. ibidem n. 19.

29. *Plus patitur qui malo suo conformiorem exhibet affectum.*

Sen. in epist.

Luc. 22. 43.

Act. 12. 6.

Orig. hom. 35. in Matth.

S. Hilar. in Matth. Can. 31.

S. Hiero. ibi. lib. 4. c. 26.

Joann. 21. 18.

30. *Minùs acerbum ab hoste lædi, quàm à dilecto vulnerari.*

Job 19. 12.

Lira ibi.

Ibi c. 6. 4.

Marian. & Lect. heb. ibi.

tenus à dilectissimo Domino mittebantur, volantibus missilibus valdè similes percutiebant Jobi patientiam: *sagittæ Domini in me sunt:* exponit Titelmanus: *non enim ab homine flagellor, aut patior, cujus verbera & plagas facilè satis possem sustinere: sed Deus ipse est qui manum suam extendit adversum me, & quasi sagittas jaculatur in me dolores,* &c. Delinquens, & insons exules ambo dum terras incolunt, afflictantur; sed justus quia Deum, quem diligit, sic velle, seu connivere, non obliviscitur, tantò graviùs indolet, ut ploratûs fontem non exhauriat: nam alibi adductus ait Seneca: *duplicatur dolor, cùm ab eo à quo non meueris venit.* Unde bellè S. Bernardus ad illud Psal. *tu verò homo unanimis,* &c. interpretatur sic: *hoc est, quod à te patior conviva, & contuberuali meo, id molestius sentio, fero agrius.*

Titelman. ibid.

Sen. in Proverb.

Psal. 54. 14.

S. Bern. ser. 29. in Cantic.

31. *E lachrymis pro diademate margaritæ.*

Rivulus hujus fontis aqua lachrymarum, inquit Hugo Cardi. quasi non fuerit satis appellasse luctum fontem, nisi ex eo insinuetur promanare rivum: ut videas quænam sit in justo lachrymarum copia: quæ non ut avara fluenta quædam (quæ propter pauperiem latent) in ipsis incunabulis absconditur; sed latices deducit affluenter. Non erit sterile solum, quod ita perennibus irrigatur aquis. Ast memento quòd licet aquæ nunc istæ terram lambant more torrentis; tempus exit cum ex illis gutta quælibet margarita fiat, ut electorum diademata, quot lachrymis modò gemunt, tot postea gemmis illustrentur, divite cælaturâ.

Accipe Aquilam Evangelistarum dicentem: *& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit,* &c. Hæc dubitabit nemo complenda post mortalem vitam. *Quis enim tam absurdus, & obstinatissima contentione vesanus, qui audeat affirmare in hujus mortalitatis ærumnis, non dico populum sanctum, sed unumquemque sanctorum, qui hanc vel ducat, vel ducturus sit, vel duxerit vitam, nullas habentem lachrymas & dolores,* ait Augustinus. Non minùs existimo certum præfata verba sic exponenda ut sanctorum fletus, statim cum in possessionem beatitudinis justi missi fuerint à Deo, tunc abstergendos intelligamus: quomodo enim stabit nec per instantia pauca cum summa fœlicitate planctus? Restat ut sit dicti sensus, ploratus justorum è palpebris tergendos prope gloriæ suæ initium. Et quo putas instrumento madida lumina Deus exsiccabit? Propriis manibus. *Fœlices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget,* dixit Bernardus. Et quare non ipsimet justi manibus suis oculorum imbres tergent? Vel cur non ab angelis mundabuntur luctus per ora voluti? Divina manus hoc præstare non dedignatur: nam eâdem coronas triumphatorum capitibus jamjam impositurus, laureas madidis (more loquamur nostro) ab illius pretiosi roris absterstione digitis accipiens Deus, lachrymarum guttis diademata resperget, velut margaritis auro inclusis, gemmisve splendentibus ad majestatis pompam. Unde quæ priùs in hac miseriarum regione fuerunt amantium lachrymæ, tandem fient adamantia lachrymarum: modò sicut rivuli humiles in terra pedibus teruntur, eò quòd mortalibus desit unio charitatis; posthàc summo coronatorum vertice unionum fulgore nitido radiabunt. Quinimò si spiritualibus oculis lachrymarum pretium perpenderis, illas adhuc in vita mortali margaritas dices, ut Chrysostomus: *quidnam, dic oro, illis oculis Davidis formosius, perpetuo lachrymarum imbre quasi margaritarum decore ornatis?*

Apocal. 21. 4.

S. Aug. to. 5. l. 20. de civit. Dei c. 17.

D. Bern. in declamation. super Evang. Ecce nos &c.

Chrysost. hom. 36. in Gen. tom. 1.

Ex eodem Cardinali Hugone, vigilias agit in specula prælta civitatis mysticæ, *speculator prudentia.* Sanguineo ploratu dignum judicamus, cùm accidit urbem validis muris, & propugnaculis munitam, apparatu bellico roboratam, victualibus cunctis refertam, militaribus copiis plenam, ex solo defectu vigiliæ, martio furore cecidisse: nam expendit quisque fiduciam inertem prostravisse de securitate præsumentes: *adversaria enim, præsumptuosaque confidentia est, quæ periculis pro certo vitam suam commendat,* ut ait Patriarcha Venetiarum. Justus Dei civitas est: cui murus angelorum custodia, propugnacula Sanctorum protectio, bellicus apparatus auxilia gratiæ, victualia spiritualium consolationum alimenta, militares copiæ virtutum actus. Solâ opus erat vigilantiâ: dormivit speculator: ingressus est inimicus. O millies infœlicem! Plus nocuit putata securitas, quàm possent hostiles gladij. Cave tibi securo, plusquàm in periculis mediis constituto. *Libera me Domine, & pone me juxta te.* Quamvis è malis temporalibus eripi Job, ex mente plurium interpretum, per hæc verba flagitet: non tamen improbabile judicabo, si à peccatorum ictibus præservari eundem simul oravisse dicas. Hugo Cardin. ibi: *libera me à culpa, & à pœna: & pone me juxta te, ut sis in latere quasi adjutor, qui enim sic est nihil timet. ... & cujusvis manus pugnet contra me, mundi scili. vel carnis vel dæmonis.* Huic expositioni textus ipse favet: prædixerat namque sanctus pugil tolerantiæ, se à peccato immunem: *non peccavi:* proindè ne superbè locutum fuisse putaret quis, Deum orat ut à peccatis eripiatur in posterum: *libera me Domine*: & juxta Dominum per gratiam firmiter conservetur: *& pone me juxta te:* illi quippe juxta Deum positi manent, qui ab illius (qui totus amor est) dilectione non discedunt. *Quia enim Deus est ipsa essentia bonitatis, necesse est ut qui juxta Deum ponitur, à malo liberetur. Ponitur autem homo juxta Deum, inquantum ei mente appropinquat per cognitionem, vel amorem* &c.

22. *Putata securitatis discrimen.*

S. Laur. Just. in lign. vitæ c. 3. de spe.

Job 17. 3.

Hugo Cardi. ibi.

Ibi n. 4.

D. Thom. in Job 17. 3. lect. 1.

33. Hac præcitati loci non parum verosimili explicatione posita, duplex ibidem insurgit solvendum ad rem nostram dubiolum. Primum sit. Videbatur dicturus Job: pone me juxta te ut me liberes; & non econtrariò: *libera me Domine, & pone me iuxta te:* nam illa cum Deo quasi societas valdè conducit ut justus à peccandi periculis eruatur. Priùs igitur causam postulet, nempe Dei protectionem, & contubernium: *pone me iuxta te:* postea roget pro effectu, scili. flagitet ab spirituali discrimine liberari: *libera me Domine.* Postquam liberatus fuerit à Deo, tunc

tunc expetit ab illo protegi ? Secundum dubium : cur non ait : & ponam me juxta te si à discriminibus animam obsidentibus liberum me videre contigerit ? Utrique dubio eadem fermè solutio adhibenda. Ad primum. Deo jungi luctator intrepidus postulat, ita ut hoc illi detur postea quàm à culparum discrimine tutus fuerit : quia semel atque liber evaderet, fortè confideret nimis, ipsâque putatâ securitate ingentiùs periclitaretur. Ad secundum. Non dixit Job libera me Domine & me ponam juxta te : nec enim sibi adeò fidebat, ut post inventam securitatem à Deo liberante provenientem, ipse quæreret ultrò Deum, ac nequaquam sineret ab illo separari. Idcirco dixit : cùm Domine me liberum feceris à peccatorum periculis, ne meæ libertati dimittas ut jungar tibi : dubito namque ne fortassis tranquillitas existimata procellæ subeat vicem ac temerarium demergat. Potiùs conjunge me tibi ne quiescens aberrem. Vis tandem apertiùs nosse quàm certum sit sui periculi signum dolosa quies ? Et hæc inter signa postremarum sæculi calamitatum numeratur : ita ut non multum distatura sit ab impiis utraque mors, cùm se periculorum expertes putaverint. *Cùm enim dixerint pax & securitas ; tunc repentinus eis superveniet interitus.*

1. Thessal. 5. 3.

34. *Ibi timent homines ubi timor non est.*

Quis non existimaret supervacaneum suadere hominibus vigilantiam, ut casuum incertorum superent aleam ? Non hoc ipsos monet proprius amor ? umbras iste metuit : quomodo sinit inter aspides capere somnum ? Imprudens est. *Infantes sumus & parvuli in hac vita : omnia perturbant nos, omnia nos consternant, & deterrent, & sæpius puerorum more formidamus timore ubi non est timor*, ait Præsul Valentinus. Illic trepidat homo ubi non fuerat metuendum.

S. Thom. à Villano. ser. in rogar. cõtra Turcas.

Quanam de causa judicas Apostolorum Principẽ interventu dilecti discipuli agnoscere curavisse quis futurus esset Magistri proditor ? *Amen, amen dico vobis : Quia unus ex vobis tradet me... Innuit ergo huic Simon Petrus : & dixit ei : quis est de quo dicit ?* Opinio Chrysostomi fuit ideo per Joannem quæsivisse Petrum de traditore quia de seipso dubitabat, & timebat. *Joanni Petrus innuit ut Magistrum percontaretur quis esset proditor. Quænam causa est ? Nondum audierat Petrus : vade retro Satana, ideo non timuit : postquam autem increpatus est, & inde audisset : unus ex vobis me tradet, meritò formidavit.* Hæc S. Joannes Chrysost. ad eum locum Joannis ubi Judas à Christo Domino vocatus est diabolus. Paulò post Simoni prædicitur à Filio Dei triplex negatio, & infallibili Veritati sine ulla formidine respondit nequaquam ita fore : *Amen dico tibi quia in hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo*, Cernis quàm sui dispar ! Conscientiæ propriæ testimonio certus erat se à tradendo Præceptore longissimè abesse. Timet attamen, dubitatque num sit forsan ipse qui traditurus Dominum propheratur ab ipso : hic pavet ubi non erat cur timeret. Cùm verò prædicente Servatore negationum ruinam pavendum sibi justissimè foret, confidenter ait : non te negabo. *Quando* (ait ad Petrum Chrysostomus :) *unus ex vobis me tradet, Christus dicebat, tunc ne esses ille timebas, & nullius rei conscius cogebas unum de discipulis interrogare ipsum : nunc verò liquidissimè ipso clamante, quia omnes vos in scandalum incidetis, contradicere audes ?* ac si diceret : cùm à traditionis peccato longè positus eras, conturbaris veritus ne forsan isto crimine maculeris : & prænuntiante Deo negationum iteratos lapsus, jactas fidam strenuitatem, nec pertimescis ut accidat, quod futurum dubitare fas jam non erat ? Hoc in Petro cum cernam, suspicor (si mihi fas est) illi sic accidisse, quia commisit Apostolus cordis excubias amori cùm deberet locum excubitoris obtinere prudentia : quâ positâ, *nihil omnino est quod metuat justus : omnis eis creatura famulatur.* Sic Origenes.

Joan. 13. 21. 24.

Chrysost. ho. 46. in Joan. tom. 3.

Matth. 26. 34. 35.

Chrysost. to. 2. hom. 83. in Matth.

Orig. tom. 5. hom. 4. in 13. Josuë.

DELIBATIO V.

De urbis ejusdem janitore, obedientia.

JAnitor *obedientia*, prosequitur purpurâ venerandus, cujus vestigia sector. Duplex obedientiæ virtus est : altera cujus ductu Deo ; alia quâ superioribus creatis obtemperamus. De priori nonnihil dicam ex eo motus quod madentes lachrymis oculos justi paulò ante viderim, dum fontem spiritualis civitatis, ejusdemque rivum expenderem : non enim facile nimis est lugentem animum obedientiam præstare Altissimo. Existimant cuncti difficillimum voluptates projicere ac Deo vocanti subjici : non deerit qui putet adhuc difficilius afflicto Deum sequi. Paradoxum dicis ? Acquiesce verbis Gregorij M. *sunt plerique qui dum adversitatibus affliguntur, superna præmia cogitare negligunt, & ad perfectionem victoriæ pervenire non possunt.* Non parum ergo virtus obtinet, si tempore adverso pergit imperturbata. Dictum non contemnenda ratione fulcio. Nihil est mundialibus gaudiis fugacius : vel quia, ut pluribus (si fieri potest) faciant satis, coguntur citò deserere quosdam ut apud alios diversentur : vel ex eo quòd cum sit militia vita nostra super terram, etiam hujus belli varius est eventus : nunc ovat ; nunc plorat miles. Econtrariò Deus nos quærit dona ferens, & offerens majora tandem. Ergo qui voluptates linquit, valedicit fugientibus : quod quidem non maximi laboris opus est. Qui Deum sequitur vocantem, quærit se quærentem : & quid suavius ? Magis arduum est illi qui Deum perfecta dilectione prosequitur, ei conjungi quando afflictionibus atteritur : videbitur enim sic operantem, non amantis voto ; sed proprij tantum auxilij desiderio moveri : proindeque dedecori libens exponit amoris sui strenuitatem : quod amanti durissimum est. Hinc pluris fit in conspectu Domini, si cùm dolore cruciaris, ejus vestigia premas ; quàm si dum accidunt læta sæquaris eundem.

35. *Plus aliquàndo est mœroris tempore Deum sequi.*

D. Greg. M. l. 14. mora. c. 16. tom. 1.

Doctrinæ suæ radios dispergere cupiens Dei Filius auditores colligebat. Cuidam ait: Luc 9. 59. 60. *sequere me. Ille autem dixit : Domine permitte mihi primum ire , & sepelire patrem meum. Dixitque ei Iesus : sine ut mortui sepeliant mortuos suos :* & licet quidam ; inter quos est Liranus , intelligant filium petiisse facultatem ut cum genitore adhuc vivente moraretur usque ad ejus mortem ; Dionys. Carth. in Matth. 8. 21. art. 17. *verumtamen Ambrosius, Isidorus & Glossa super Lucam , dicunt quod pater discipuli hujus mortuus fuit , & ipse ad patris sepulturam ire optavit , quod magis consonat litteræ.* Verba sunt Dionysij Carthusiani. Enimverò Christi Domini responsum mysteriis est abundè gravidum. Hoc tantummodò quærerem à te Domine : qui filium viduæ Naim donavisti mœstæ genitrici (cùm tamen illum ad tui discipulatus honorem vocaturus non esses) quare istius quem vocas non suscitas patrem? Et sic locum non habebit excusatio , quam prætendit inquiens : *Domine permitte* , &c. Nonne velociùs obediret gratitudinis ergo, si ante vocationem acciperet à te genitoris vitam ? Suspicor ita fore. Magnum tamen aliquid non exequeretur , si resurgentis patris lætissimum conspectum deferens, Christo benefactori suo jungeretur: eum quippe traheret potius donum quàm dilectio. Sanè relinqueret gnatus gaudium ; sed quid mirum , si totius lætitiæ quæreret fontem ? Tempore luctus, insepulto parente, mærens cor ad Christi Domini sequelam flectere, hic labor erat , adeò ut velut ad crucem jam vocari credere possis ex Chrysologo , qui ad Chrysolo. ser. 19. illud Servatoris ? *sequere me*, &c. inquit : *hoc est dicere : me sequere ad contumeliam passionis,* &c. Amantium hæc fortium virtus est: anxium pectus ad virtutem trahere : putaretur enim , cùm honoris non parvo dispendio , tepidus amor ejus , quasi Salvatorem loco parentis emortui substitueret ad temporale subsidium ; non ad sanctitatis magisterium. Cúmque arduum sit diligenti veraciter opinioni aliorum suæ dilectionis decus exponere , afflictum post se venire juber, sciens plus aliquando esse quod obediens Deo , sæculo valedicas dolore vexatus, quàm si fortunam ridentem , ad ingrediendam viam salutis, dans illi tergum irrideres. Dum hyberno tempore (infœlicitate nempe grassante) fluit largiter fletuum rivulus, mirabilius est quod civitatis *janitor obedientia*, quæ Deo præstatur, stet immotus.

36. *Tutius est animam à creatura Dei vicem gerente claudi, quam à seipsâ.* S. Joann. Clim. in scal. grad. 4. Nunc ad aliam (quæ scili. creatis exhibetur superioribus) obedientiam divertamus. Huic janitori securè mysticæ urbis ostia committi possunt : per hunc pericula videntur secura fieri : *obedientia* , inquit S. Joannes Climacus , *est securum periculum , immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio , confectum dormiendo iter.* Aliquando invenietur qui sit ostiarius optimus cordis proprij ; sed tutius est aliena manu creaturæ Dei vicemgerentis claudi januas animæ, quàm huic munus istud relinqui.

Specialiter dilectos Deus ita custodire solet , ut in arca Noë quondam pensitabam. Exacerbata criminibus Adamidum olim Numinis æquitas adhuc benignitati locum reliquit : ut non sic usque ad ultimam internecionem divinus mucro desæviret , quòd non reliquias emorientis orbis juberet asservari. Arcam Dei parens præcepto parat Noëmus , & pauciſſimo sociatus comite ingreditur eam : ac tandem *inclusit eum Dominus de foris.* Nosti Deum non immediatè per seipsum januam clausisse : nam hæc, similiaque per angelos exequi solebat rerum Dominus. Videri potest Pererius ibi. *Ac licet* , inquit , *ostium clausum sit ministerio, & opera angelorum : dicitur tamen clausum à Deo , quia singulari quodam mandato Dei clausum est ab angelis.* Et adeo magna res erat arcæ ostium claudere , quòd non valuerit Patriarcha ipse domum aquatilem occludere ? Quid hoc ut ad famulatum ita minimum peragendum, à se (licet non diu) cælestes amoveat Deus aulicos , præcipiens ut eant, & arcæ januam claudentes de foris obfirment ? Maximi negotij pondus adverte, imminente peccati diluvio , arcam ideſt animam obserare sic ut posset super undarum gurgites navigare tutissimè. Diluvium peccata sunt. *Quod etiam* , inquit S. Prosper, *quadraginta diebus , & quadraginta noctibus diluvium factum est super terram, non tantum præteriti in hoc numero , quantum etiam præsentis temporis animarum diluvium ostendit. Quæ in scopulis sæculi atque in gurgite flagitiorum , diversarumque voluntatum naufragiis fluctibus submerguntur.* Arca moraliter est intra cor justi. Origenes : *si quis est qui crescentibus malis , & inundantibus vitiis, convertere se potest à rebus fluxis ; & pereuntibus , & caducis, & audire verbum Dei , ac præcepta cælestia , hic intra cor suum arcam salutis ædificat.* Valet utique justus arcam in proprio corde sitam firmare serâ ; tutius tamen est ut à creatura Dei vicemgerente, prælato scili. velut Noëmus ab angelis præcludatur.

Perer. in Gen. ibi. S. Prosp. p. r. de promiss. & prædict. c. 7. Orige. ho. 2. super Gen.

Cur ita ? quæris : reponam facilè. Voluntas humana , quia cæca , ducatum præbere nescit , quin labendi periculo quem ducit objiciat. Si loco Dei , qui totus oculus est, alterius creaturæ nutui satagat obedire, damna vitantur electionis propriæ. Nemo aliena voluntate à recto deviat ; sed suâ. *Quantùm verò obedientiæ adversetur propria voluntas , & quàm ingentia committat mala, quis sufficienter explicare potest ?* Sic D. Laurentius Just. & antea dixerat : *sicut prostratus est homo proprio arbitrio : ita restaurandus est alieno.* Non inquam voluntate alterius exerrabimus : alius enim nunquam tuum committet peccatum ; tu verò qui modò justitiæ sectaris tramitem ; statim, si placuerit, declinabis : & si nullus gressuum tuorum teneat moderamina , præceps ibis. Securius ergo jussis alienis te credes, quàm voluntati propriæ.

37. *Securius jussis alienis te committes, quam voluntati propriæ.* S. Laur. Just. in ligno vitæ c. 4. de obedi. Idem ibi.

Et audivi vocem Domini : quem mittam ? & quis ibit nobis ? Audisti ne fideliter Evangelicè præcentor ? Vide quid respondeas. *Et dixi,* ait vates ? *ecce ego, mitte me.* Priusquam hæc expendam , præmittenda quædam ex D. Gregorio M. scili. cùm à Deo dicuntur verba externa audiri, hæc ab angelis formari existimat S. Doctor. *Sciendum*, inquit, *præ-* Isai. 6. 8. D. Greg. M.

terea

10. t. l. 28. mer. c. 2. *terea est quia duobus modis locutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur.* His de mente Gregorij præjactis, expendamus Isaiam. Diminutus videtur in respondendo propheta. Duplex interrogatio binam responsionem desiderat. Duo siscitatus fuerat Dominus: primum, quis iturus foret: secundum, quem missurus esset. Ut ambobus quæsitis responsum ille redderet, videbatur dicturus: ecce ego ibo, mitte me. Missionem postulat? animi propositum sui tacet? O quàm sapienter Sanctus! Si dixisset: ecce ego ibo, voluntatis propriæ depromeret arbitrium, ac illud sequi velle denotaret, quod vel sanctissimis viris aleæ plena res est. At cùm dirigi mandato non sit opus ipsius qui jubetur, præstolatur imperium, & illud flagitat ut significaret se cupere ductui creaturæ Dei authoritate sibi loquentis morigerari. Non parum favet Procopius. *Cùm duo distincta, quem mittam, &, quis ibit, essent postulata: unica ambobus responsione satisfecit, cùm ecce ego Domine mitte me; non autem amplius iturum se adjecit. Est enim in nostra situm potestate Apostolatum admittere: vires ad obeundum sufficere, Dei unius qui istam gratiam largitur. Humanæ itaque imbecillitatis conscius, nihil ad id respondens, soli Deo reliquit,* &c. Optimus; fiduscque animæ janitor est obedientia tenenti Dei locum præstita.

Procop. apud Glos. ad c. 6. Isai.

38. Obedientia cæca promptior.

Sed replicabis. Audio cæcam esse hujusmodi obedientiam. Quomodo virtutem oculis orbatam constituis urbis janitricem? Quò minùs oculata, eò vigilantior custodia quam agit. Nihil videat oportet, qui promptè mandatis obtemperat. Nec ideo putes imprudentem; sed existima disertum. *Securè*, ait Climacus, *eis credamus in Domino, qui curam nostri susceperunt, etiam si quædam imperent, quæ contraria, & saluti nostræ videantur adversantia.... ex obedientia, ut diximus, humilitas nascitur, ex humilitate discretio,* &c. Consonat Abbas Moyses apud Cassianum: *vera discretio non nisi vera humilitate acquiritur. Cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa, non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini.* En obediens lucraberis mentis acumen. Igitur quin verearis insciticæ notam, cæcâ promptitudine obsequi ne pigeat. Hic est præcepta capessentis maximus apex: cæcutientis more mãdata perficere.

S. Joan. Climac. in scal. grad. 4.

Abb. Mog. apud Cassiã. coll. 2. c. 10.

Ab hostium incursione liber David, gratiarum actionis canticum dixit Conditori, cujus fortitudine protegente consecutus est quod virium & majestatis robore non obtineret. Cúmque inter alia meditaretur sibi libenter jam obsequuturos illos, qui priùs partes Absalonis, & Isbosceth sequebantur ab eo alieni, dixit: *filij alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi:* quibus verbis designatur paratum fore illorum studium in parendo Regi: *significant enim* (ait eruditissimus interpres) *summissum animum & prompto atque hilari studio mandata præstantem.* Nonne alacritas probat cor in obediendo libens? Quis dubitat? Equidem oculis in

2. Reg. 22. 45.

Sanct. ibi.

functione sua multò major quàm auditui velocitas est. Hoc & experientia cuique ad oculum demonstrat: & Paulus confirmare videtur, cùm ad exponendam festinationem summam qua perficietur universalis resurrectio, futuram asseruit *in ictu oculi*: cur non & vates per luminum summam in videndo pernicitatem explicuit si à subditis alacriter morigerandum? Quia palpebræ vident; aures minimè: perfectus autem in exequendis regentum præscriptis, ab imperfecto discernitur in eo quòd onus impositum sibi non cernat, & sine visus disquisitione sinat à majoribus duci.

1. Corint. 15. 52.

Sic passim leges feciste hujus virtutis antiqua exemplaria. Quibus (ne trita nimis inculcemus) omissis exemplis, expende istorũ loco Samuëlem: qui dum puer adhuc in templo ministraret Heli Sacerdoti, cùm dormiret, putavit ab eo se vocatum. In vate perfectæ obedientiæ formam Gregorius M. expendit. Et mehercle verum obedientis exemplar esse valet qui dormiens, & consequenter oculis clausis, sui majoris putatam vocem excepit libens, quin examinaret eam. *Puer ergo humiliter homini subjectus, atque obedientiæ arduâ arce sublimatus, dum vocatus accessit jussus rediit, quid aliud nobis exemplo præbet nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit.* Hæc M. Gregorius.

D. Greg. M. tom. 2. l. 2. in c. 1. Re. c. 2.

39. *Virtus per obedientiam impedita promovetur.*

Instat scrupulus. Obtemperans excæcatus, aliquando jussus omittet virtutis actum: nec enim discutit præcepta, neque disputat eorum causas. Etsi contingat ut illi prohibeatur opus virtuosum, quid lucratur monitis annuens? meriti jacturam? Nihil deperdit: nam qui propter exequendum aliquod pietatis munus, dereliquit aliud, neutrius dimisit lucrum. Vetat superior exercitium sanctissimum, quod nunc erat in votis obedienti subdito: fallor si verè putas coactum fuisse ut descenderet; potiùs hoc ascendendi fuit ingenium: non retrotrahitur hac jussione; sed stimulatur sic ad progressum.

Ovantis Assertoris præsentiam adepta fuit ad sepulchrum plorans Magdalena. Domini pedes amplexari voluisse colligitur ex illo: *Noli me tangere.* S. Cyrillus Alex. *Accurrebat mulier Domino, & pedes ejus tangere festinabat.* Ergo quare Dei Filius volentem prostratione submissa humilitatis opus exercere detinuit; qui se tangi permisit à muliere, quæ sanguinis fluxum patiebatur? Diversitas est quod Hæmorrhoissa non ex humilitate, sed amore proprio tetigit, utpote quæ salutem ita piè furari studuit. Magdalenæ tactus virtus erat: quam, ut crescceret, jussione retrogredi prudentissimè Dominus coëgit. Ut crescceret, inquam, nam abstinens à tangendo, novit jam tempus adesse ut majori reverentiâ loqueretur ad Redemptorem: quæ quidem profundior extitit animi demissio. Chrysostomus: *Mihi videtur velle eam adhuc cum eo versari, ut solebat, & ex lætitia nihil de eo magnum cogitasse. Siquidem longè melior factus erat secundùm carnem, quare hac eam sententiâ abducens, & ut reverenter se alloquatur admo-*

Joan. 20. 17. S. Cyrillus Alex. l. 12. in Joan. c. 50.

Chrysost. to. 3. ho. 85. in Joan.

nens .... Et ejus mentem erigit ut reverentius adeat. Virtutis conatus per obedientiam compreſſus promovetur ad melius. Quapropter obediens, dato quòd piiſſimum factum, cujus executioni paratus erat, inhibeat is à cujus ore pendet, non in virtutis via retrocedit,ſed ultra progreditur. Hoc adeò verum eſt ut putaverit S. Bern. nullam eſſe monachi virtutem quæ non ſit vitioſa

S.Bern. ſer. 71. in Cant. Deo, ſi propriâ voluntate regatur. *Si in die,* inquit, *jejunij mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Sponſus, nec ſapit illi jejunium meum, quod non lilium obedientiæ; ſed vitium propriæ voluntatis ſapit. Ego autem non ſolum de jejunio, ſed de ſilentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, poſtremò de omni obſervatione monachi, ubi invenitur voluntas ſua in ea, & non obedientia magiſtri ſui, idipſum ſentio.*

40. *Quod uni virtuti lucramur, alteri non detrahitur.*

Eſt inter virtutes arcana quædam ſocietas. Hinc, quod uni virtuti acquiritur, alij non imminuitur: & præſertim ſi obedientiam præ altera virtute libens eligas, nullo ſanctitatis diſpendio id præſtabis.

Cœlorum Imperatrix in medio doctorum ſedentem gloriæ Principem invenit in templo gaudens poſt deſiderij triduani cruciatum. Pie conqueſtus eſt ejus amor dicens:

Luc.2.48. & 49. *Fili quid feciſti nobis ſic?* &c. Reſpondit ille: *quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* En hinc difficultas emergit. Si à ſanctiſſima Genitrice, ac fœlici Dei nutritio, protunc operæpretium fuit abeſſe Redemptorem, ut negotia Patris Æterni perageret: cur mox rem ſibi commendatam à Patre dereliquit, & Mariam ac Ioſephum euntes Nazareth

Ib. n. 51. comitatus eſt? *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis.* Vellet ætate puer; ſed Patris æterna Sapientia Chriſtus Dominus abſque prodigio, neutrum virtutis actum deperdere, ſcili. neque doctoris exercitium, nec filialem pietatem. Ad obediendum ſe contulit: venit Nazareth: *Et erat ſubditus illis.* Non, inquam, omiſit magiſtrale munus, quia nos ita ſe gerens edocuit multa; nec derogavit pietati erga Matrem, cum illius deſiderio morem geſſerit. Conjunxit ambas obedientias neutram

Haymon. Epiſco. in 2. Lucæ. recuſans. *Exemplum humilitatis fuit Dominus Ieſus Chriſtus, deferebat honorem Deo vero Patri, à quo genitus eſt ante omnia ſæcula, deferebat homini Matri Mariæ* &c. ſic Epiſcopus Haymon, qui videtur in ſenſu diviſo loqui, ſcili. pro diverſis temporibus. At poſſet pro eodem aſſerere hoc ipſum: nam Deiparam honore afficiens Redemptor Deum Patrem honorabat in filia, necnon ei obſecundabat in ea. Hinc lucem accipit in-

S. Anſel. l. de ſimil. c. 159. ſignis D. Anſelmi locus. *Non ſemper velle debemus quod Deus vult: ſed hoc velle debemus quod Deus vult nos velle debere.* Novum obedientiæ inventum! Ad voluntatem Dei recedendo acceditur! Totum hoc prævalet obediens. Numquam igitur virtutis patitur diſpendium, etſi aliquam, ut obſequatur Dei vice prohibenti, ſilens intermittat. In animæ urbe munita janitoris locum tenet obedientia. Quandoque quia ſuperior obſtat ingredi non ſinit hoc vel illud ſpiritualis mercis genus; nullus tamen exinde ceſſat cordi quæſtus.

DELIBATIO VI.

Rex ſpiritualis urbis eſt charitas.

VLtimò de civitatis quam hucuſque perluſtravimus, rege, qui charitas eſt, plura notare poſſemus: ex quibus aliò remittimus quædam; nonnulla verò, in quibus regis & charitatis analogia potiſſimum ſita videtur, percurram. Seligo duo. Rex in regno quolibet eſt unicus, vel in ſeipſum diviſum deſolabitur. Sic amor Dei, conſortem regni affectum ſæculi non patitur. Deinde monarcha non, ut judices, ad nutum frequenter amovibilis eſt, ſed ſtabilem obtinet locum. Haud aliter amor, vel conſtans, vel nullus erit. De ſtabilitate dicam poſtea. Nunc integritatem, quamvis integrè non valeam illuſtremus.

41. *Amoris integritas erga Deum.*

A verbis D.Thomæ à Villano. ſumam initium, dicentis: *Qui cum aliis diligit, & quaſi unum ex aliis, hic cor dividit, & præceptum non implet .... qui verò ſolum, & ſine aliis diligit, hic jam culmen perfectionis obtinuit* &c. Viventibus idem eſt partiri, ac emori. Sic dilectio, ſi dividatur, perit, & in alium degenerat affectum. Redi ad Præſulem Valentinum. *Ipſa namque*, ait, *cordis diviſio interitus quidam animæ eſt: ſicut enim corpus à ſe ipſo diviſum non vivit, ita neque animus.* Unde poëta.

S.Thom. à Villan. ſer. 3. Dom. 17. poſt Ponte.

Idem ib.

Ambiguum faciunt amor hic, amor ille duellum,
Impediuntque ſua ſiſtere vota loco.

Herman. Hugo. p. 2. poëm. 1.

Mundus hoc qualicumque amore inter Deum & ipſum partito ſæpe contentus quieſcit, nec amplius exigit ab homine: cum namque nulla cordis humani pars ei debeatur, ſi totum non valeat ſurripere, partem ſibi oblatam non recuſat. Deus aliter: non enim pectoris fragmentum acceptabit libens cui ſe totum debet homo. Tunc in ipſius conſpectu pulchreſcit anima, cùm ejuſdem indiviſa ſollicitudo teſtatur amoris integritatem quo Deum proſequitur individua.

Animæ dilectæ pulchritudinem Divinus laudat Sponſus ex oculorum venuſtate. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum abſque eo quod intrinſecùs latet.* Deinde multis proſequitur per partes ejuſdem formæ laudes; ſed manus tacet. Quare luminum decorem extulit; de manuum excellentia nihil addidit? Quia oculorum; non verò manuum conditio eſt ſic in munere ſuo ſervare ſocietatem, ut quò vertitur unus, feratur ſimul alter. Mamus dividuntur facillimè: dexteram ſiniſtra ſolam pluries relinquit aliorſum occupata: quandoque neſcire videtur quid agat operis dextra. Deum rapuit oculorum pulchritudo ſpiritualium: quorum eſt ſic in Sponſum conjici, quod in aliud ei contrarium non retroſpiciat unus, & ſolus tendat alius in dilectum. Fulcitur meditatio, Nyſſeni

Canti. 4. 1.

verbis

verbis ad hunc locum : *cum is qui munus hoc videndi conſequutus eſt in Eccleſia , nullam ad rem craſſam & corpoream reſpicit, perficitur in eo vita ſpiritualis &c.*

D. Greg. Nyſſen. in Cant. orat. 7.

42. *Deus anima zelotes.*

Verus Dei amor ignis imitatur naturam, quæ non admittit alterius elementi conſortia. Aquam ſi adjungas extinguitur : ſi flammæ projicias terram, ſuffocabis : etiam aërem quo videbatur egere tanquam viâ qua centrum petat, conſumit. Solitudinem amat ſumma petens incendium. Socium necnon reſpuat affectus : nam Deum legimus de ſeipſo dixiſſe. *Dominus zelotes nomen ejus.* Rationem aſſigno ex Olyſſiponenſi Doctore : *ſe enim toto emit totum te, ut ſolus te totum poſſideret.* Sique Deus non qualitercumque Sion peccatricem aſſeruit zelo proſequi , ſed valde zelari : *zelatus ſum Sion Zelo magno , & indignatione magna Zelatus ſum eam* : quàm vigilantiùs æmulabitur zelotypus animæ puriſſimæ fidelitatem ? Etiam providet ſollicitus ne ipſius oculis objiciantur creaturæ, quibus illa quidquam curarum debere putet , gratitudine devincta : nolens ut ſibi ſuadeat ſe ab eis obnixè diligi , rependatque pluſquàm par eſt amorem.

Exod. 34. 14.

D. Anton. Olyſſi. ſer. D. 13. poſt Trinit.

Zachariæ 8.

Semel , iterum , tertióque monet Divinus amans filias Jeruſalem , ne ſponſam dormientem expergefaciant , adjurationem adhibens quaſi de re magna loquens. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas , cervoſque camporum , ne ſuſcitetis , neque evigilare faciatis dilectam , quoadusque ipſa velit.* Et rurſus ferè ſimiliter c. 3. 5. & c. 8. 4. Hoc poſteriori loco paulo poſt reperies animam dilectam, ab ipſo Sponſo excitatam è ſomno. *Sub arbore malo ſuſcitavi te.* Expergefieri prohibet ab aliis; ipſe verò ſomnos excutit eidem. Vel ſponſæ videre cupit luminum ſplendorem ; vel amat quietem dilectiſſimæ : ſi detegi cupit oculorum ſtellas, nubem ſoporis diſſipet clamor aliarum ; ſi ſanctum ei permittit otium , ne moleſtus dormienti faciat illam evigilare : quietem eripit Sponſus illi , quam ab aliis inquietari nonvult ? Quâ de causâ ? Quia ex placida requie ſolutos oculos in filias Jeruſalem jáceret ſponſa vel nolens , dato quod eam expergefacerent : ac forſan exiſtimaret ſe ab ipſis impenſiſſimè diligi , utpote quæ illius conſpectu nec tempore quietis fraudari patientes , eam diutiùs dormire nolebant. Nequaquam Sponſus concedere voluit ſibi gratiſſimis oculis ut alia cernerent præter ipſum : ne putata dilectione creaturarum erga Sponſam iſta falleretur. Atverò expergiſcens Deo vocante , ſtatim atque palpebras recluderet ſuſcitantem conſpiceret dilectum quem intueri beatitudo eſt. Nuntij cordis oculi ſunt : ipſis interdicat commercium cum ſæculo , qui Sponſo non commutabili deſponſavit amorem : nec æſtimet fieri valere quod charitatis fax ſimul centrum, nempe Deum, petat ; & mundi mergatur aquis. Tempeſtivè ad eum Canticorum locum Rupertus. *Hoc ſciens ipſe frater meus , qui ſolos meditor vel meditari cupio amplexus dexteræ ejus : ne , inquit , ſuſcitetis , neque evigilare faciatis dilectam , donec ipſa velit.* Quaſi diceret : ne contingat , ut cum viderim ſuſcitantes , in eas defigam oculos mentis , quos Deo ſoli ſervo : *ſolos meditor .... amplexus dexteræ ejus.* Unicus eſt in civitate rex : in quolibet pectore regnet ſingulariter amor Dei ; exulet inde tyranna dilectio ſæculi.

Cant. 2. 7.

Ibi c. 8. 5.

Ruper. in c. 8. Canti. l. 7. poſt initium.

Quam aliter accidit vulgò ! Cælum non refugiunt mortales, attamen cælum terramque ſimul amplecti cupiunt. Impoſſibile audent : nam , ut ait Auguſtinus , *aſcendit volando qui aſcendit amando.* Fieri ne poſſet avem alâ dextrâ ſurſum ; ſiniſtrâ verò deorſum eodem tempore convolare ? Deſipis dùm credis plùs tibi poſſibile hoc ipſum , quàm aliti. Amoris imperfecti eſt hæc diviſio dilectionis , juxta illud ſcitum , ſed non vulgare S. Doctoris ejuſdem : *minus enim te amat, qui aliquid tecum amat , quod non propter te amat.* Vide quæ dicta ſunt flor. 10. delibat. 3. Cum Deo ſimul & creaturis morem gerere fingis tibimetipſi , Deum jam reliquiſti; ſi eum non deſeruiſſes, minimè ipſi ac hominibus unà placere cuperes.

43. *Solus qui Deum reliquit , Deo ſimul & hominibus placere cupit.*

D. Aug. to. 8. in pſ. 121.

Idem l. 10. confeſſ. c. 29.

Perfecta charitas fœmineum timorem ex Magdalenæ corde pepulerat : nec tamen de illa dicitur Servatoris vincti veſtigiis inſtitiſſe ; prout de Petro legimus : *Petrus autem ſequebatur eum à longè uſque in atrium Principis ſacerdotum : & ingreſſus intrò ſedebat cum miniſtris , ut videret finem.* Amabat Magdelana multùm : diligebat & Petrus valdè : hic ſequitur Magiſtrum , domumque Pontificis ingreditur amore fortiter impellente ; illa nec Petri ſequitur exemplum , nec dilecti Servatoris greſſus ? Minutim examina quid egerit Petrus : & invenies hoc non decuiſſe Magdalenæ dilectionem , quæ Dominum haud reliquerat ; quamvis idipſum fuerit operatus Apoſtolus, qui jam à Domini latere diffugerat : *diſcipuli omnes relicto eo fugerunt.* Vel ambulantem , vel ſedentem Apoſtolorum Principem expendas , diviſum reperies inter Deum , homineſque. Deo , inquam placere cupiens, illum ſequebatur; hominibus ut Chriſti diſcipulus diſplicere metuens, non cominus accebat , ſed *à longe : ne ſi propiùs eſſet ſequutus ut diſcipulus agnoſceretur* , ait indefeſſus Evangelicæ hiſtoriæ Luſitanus illuſtrator. Metus attamen amori locum dabat. *Quod enim ab amore , & non à temeritate proficiſceretur hæc ſequela , res ipſa teſtatur* , inquit Theodoretus. Ecce Petra non adhuc à Divino Spiritu conſolidata , quin ſcintillas amoris emitteret , dividebatur in partes : aliâ Deo morigerabatur , alterâ hominibus. Appoſitè Interlinearis : *vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis , timor retrahit , charitas trahit.* Ingreſſus denique Pontificis atrium denuo Simon velut in duos diſſecatur : ſcili. in diſcipulum diligentem , & hominem ſimulantem. Sedebat, quia ſtare non auſus eſt conſtanter ejus effectus, Paſſionis jactatus fluctibus, & portum (ſcili. Chriſtum Dominum) quærebat corde , ſimulque refugere videbatur exterius ab eodem. Opportunè D. Cyrillus Alexandrinus. *Cum introiſſet Petrus, ne mæſto vultu condolere capto videretur , ac ita expulſus videre*

Matth. 26. 58.

Ibi n. 58.

Silveir. to. 5. in Evang. c. 5. expoſ. 1.

Theodore. orat. de charitate.

Gloſſ. interlin. ad Matth. 26. 58.

D. Cyrill. Alex. l. 11. in Ioan. c. 42.

dere non poſſet quæ vellet, cùm miniſtris ſe miſcuit, & quæ illi faciebant, alto corde premens dolorem, facere ſimulat. Dimidiatur Petrus, qui à Deo per fugam jam receſſerat. Hoc modo neutiquam ſe geſſit Magdalena: quæ integra fortitudine pollens, nunquam ſe fugæ dedit ut Dei Filio valediceret. Solus qui Deo terga vertit, illi ſimul & hominibus placere cupit.

44. *Quandoque gravius peccat Deo ſimul ac homini placere volens; quàm ſi totus Deŭ laderet.*

Verumenimverò, pejùs agit aliquando qui dimidiatim bonus eſt, quàm ſi nequam foret ex integro: nam Deum penè fallere præſumit qui huic gratus eſſe vult dextrâ; cùm ipſum lædit ſiniſtrâ. Similis eſt illi qui duabus menſis hinc & inde poſitis ad latera, neutram guſtat. *Neque enim*, ait M.Gregorius, *perfectè homo ſufficit ad utraque diviſus: ſed dum ſic interius erudiri appetit, ut tamen exterius implicetur: unde exterius auditum aperit, inde interius obſurdeſcit.* Tentat homo pariter habere Deum offenſum peccato, devinctumque merito? Proh dolor. Et quàm ſæpius in ſalutis via procedimus unico pede; alteram verò plantam receſſui damus! Alteri manui committitur eleemoſyna; præcipitur alteri vindicta: in templo ſacris altaribus unum genu flectitur; ſecundo verò colitur ibidem idolum amoris laſcivi: jaculatur voluntas affectus, licet imperfectos, in Deum; & memoria tot beneficiorum obliviſcitur: intellectus nunc veritatem inveſtigat; nunc mendacia quærit; lingua proponit emendationis decretum; inſimul corde nullus angit præteritorum dolor: quare ſic tu claudicas in duas partes? Ne mundo vaniſſimè decepto, ſimul ac deceptori, cujus impiè ſimulacra veneraris, diſpliceas, cùm te Deo totum dicari videris? *Neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus:* ſcitò quandoque fœdiùs delinqui per iſtam dimidiatam idololatriam, quàm ſi Deum penitus non agnoſceres.

D.Greg.M.l. 23.moral. c. 12. tom.1.

Apocal.3. 15.

Naaman Syrorum bellicæ poteſtati præpoſitus, divitiis ac robore præſtans, ita ut Syriæ ſalus ab eo promanaverit, ſalute leproſus indigebat. Ancillulâ per uxorem ejus monente, perrexit ad Monarcham Iſraël acceptis à Rege Syriæ commendatitiis litteris in quibus ejuſdem ſanationis opus imperari potius quàm peti videbatur: hæc eſt potentium impudentiſſima ſuperbia: *Cùm acceperis epiſtolam hanc, ſcito quod miſerim ad te Naaman ſervum meum, ut cures eum à lepra ſua.* Scidit veſtimenta Rex Hebræus (qui mos, auditâ blaſphemiâ, gentis illius erat) putans, ut ex textu patet, ſibi per litteras illas parari malum: quaſi foret idem verbis adversùs illum quidquam agere, ac Deum blaſphemare. Divinitatemne ſibi arrogabat Hebræorum ſceptra tenens? Ad aliud pergo: de hoc enim, ſi forſan ita fuit, non multum demirabor: inflant altiſſima venti. Indumentorum regalium ſciſſio non latuit Eliſeum: ad ſe venire fecit leproſum, & per internuntium conſuluit ut lavaretur ſepties in Jordane: abiit, & lavit, ac regreſſus eſt mundus, & gratus. Audi verba quibus affatus eſt Prophetam. *Hoc ſolum eſt de quo deprecaris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon ut adoret, ... ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re.* Hoc ſolo ſcrupulo pungitur conſcientia Naamani? Et quid poterit præteritas idololatrias excuſare, quas commiſerat quamdiu Deum non agnoſcebat? de iſtis non orat Prophetam, ut pro ipſo veniam deprecetur? Urgeo dubium, nixus expoſitione Liræ ad ea verba: *ſi adoravero* &c. commentatur ille: *nen idolum ſed Deum verum.* Quam expoſitionem teneri poſſe credit Hugo Cardi. dicens: *vel, ſi adoravero Deum, ſcili. exiſtens in templo Remmon, ſcili. illius idoli.* Adorationis veri Dei, quem jam fide colit, veniam deſiderat? peccata quæ prius idolo cultum exhibens egerat, ſibi remitti non poſtulat? Si coram ſæculari judice offerendum libellum ſupplicem traderet miniſtro, mirandum non eſſet quod opus bonum dimitti ſibi, quaſi crimen, rogaret: nam ubi delicta præmio afficiuntur, virtutes puniri quis non timeat? Verumtamen Syrus non coram terrena poteſtate ſupplicationem interponebat, mediatore propheta: quia Eliſeum ex officio veracem non quæreret patronum, ſi rogaſſet apud ſæculum. Deum Iſraëlis per vatem interpellabat: & ipſius Domini cultum ſibi poſtulat ignoſci? Vide. Quamdiu Naaman veram divinitatem neſciebat, ille totus colebat Remmon, flectebat genu, vovebatque cor eidem. Poſtea cùm regem in fano manu teneret, adoraturus erat interius Deum, ut fidei ſuæ ſatisfaceret, exteriùs autem culturus fuerat ſimulacrum, ut à voluntate regia non diſcederet. Ac tam execrabile perfidumque videbatur ſibi dividi ſic inter idolum & veritatem, Deum & regem, ut Eliſeum ſibi propitium deſideraverit advocatum, cujus precibus iſta nova hypocriſis à Deo condonaretur. Et credis Domino placere dum virtutes vitiis aſſocias, amore divino, ſæcularique raptus in diverſa? Si cupis Domino habitaculum præparare: in civitate pectoris tui, ſolis inſtar, ſola regnet charitas. Vide ſup.fl.10.à n.22.

4 Reg.5.6.

Reges divinitatem ſibi arrogant.

Ibi n.18.

Liran. ibi.

Hugo Card. ibidem.

Secunda regis conditio poſt unitatem ſtabilitas eſt: ſi facilè poteſt è ſolio dimoveri, gubernator potiùs quàm princeps dici valet. Regem in hoc imitatur amor: niſi firmam ſedem obtinuerit in corde, verè nullus eſt. Cæteras veritates, vel iſtis oppoſita philoſophus ex eo quod res eſt, vel non eſt, dici affirmat. Non ſic verus amor; ſed nunc ex eo dicitur quod poſtea futurus eſt; & ex eo quod non erit, falſus de præſenti detegitur. *Nemo enim ſtat niſi qui fide ſtat, niſi qui fixus ſtat ſui cordis ſententia.* Hæc D.Ambroſius: quaſi jam ceciderit, ſeu non ſtet: vel (quod in idem recidit) quaſi præſens amoris exiſtentia, ex ipſius futura permanſione colligatur. Ideo inſcrutabile cor hominis eſt, quia niſi de futuris poſſis ferre certò judicium, de illo judicare nequibis de præſenti. Præſentiæ amoris optimum ſignum futuritio eſt: quaſi non vivat dilectio nunc, ſi poſtea fuerit extinguenda.

45. *In dilectione Dei, futurŭ indicat de præſenti.*

S.Ambr.to. 5.l.3.epiſt. 25.

Phariſaico ſupercilio deſpiciebat peccatricem fœminam Simon, ac Domini benignitatem, qui mulieris pia non recuſavit obſequia, calumniabatur intra ſe, dicens: *Hic*

Luc.7.34.

ſi

si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier quæ tangit eum: quia peccatrix est. Et quomodo prophetiæ defectum colligit ex eo quod Magdalenæ delicta Redemptor ei visus est nescire? Enimverò satis notoria erant mulieris crimina: ad quid ergo hic prophetia poterat inservire? Ut ex amore futuro judicium ferret de præsenti. Munus propheticum, rigorosiùs loquendo, versatur circa futura. (*Omnis prophetia imago est futurorum*, ait Augustinus: & concinnit D. Thomas: *prophetia est divina inspiratio vel revelatio futurorum contingentium, eventus certa & immobili veritate prævidens, & prænuntians.*) Pharisæus pessimo corde; sed intellectu perspicax erat: (*rectè judicasti.*) Amoris erga Deum inconstantiam agnoscebat: ideo sic ratiocinari videbatur acutè, sed falsò. Dei amantem judicat hanc mulierem homo iste, qui se ab ea tangi finit: sed fallitur. Verumtamen idcirco perperam existimat veram in corde fœminæ hujus dilectionem divinam exardescere modò, quia cùm non sit propheta, nescit in posterum fortassis fore quòd illa Deum non diligat: & in re dilectionis, qui non attingit futura, non vult examinare præsentia. Ingeniosè, licet malignè, agitabat hæc animo Pharisæus: quia nisi firma dilectio stet duratura perenniter, vera charitas non est.

D.Aug.to.8. in Psal.131. D. Thom. 2.2.q.171. art.3.

Luc.7.43.

46. *Amoris constantia.*

Firment hoc ipsum Ecclesiæ solidissimi fundamenti verba. Ter de suo erga Magistrum amore Petrus interrogatus à Filio Dei, bis respondit semper in hæc verba: *etiam Domine tu scis quia amo te.* Additur præcedentibus interrogationibus altera cui jam aliquantum dissimiliter ille reposuit: *Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te.* Duo hic occurrunt adnotanda: primum cur Salvator ab Apostolo sisitatur in hac re, cùm sciat eum de hoc fore contristandum? *Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò Amas me?* Secundum: si postremo loco Dominus idem percontatur atque secundo: quare mutat responsum Apex Apostolorum? Et secundæ interrogationi refert hæc verba: *etiam Domine*; tertiæ verò non ita? Quia semel ac iterum asseveraverat Protoapostolus diligere Dei Filium, quod tacuisse debuerat: ideoque tertia quæstione tacitè monetur ut responsionem corrigat. Quod animadvertens ille jam non affirmat amare; sed totum se Christi Domini scientiæ remittit (*omnia nosti: tu scis:*) & ad summum tacitus insinuat sibi videri quod amorem pectore foveat; non tamen audet, ut nuper, dilectionem suam erga Magistrum absolutis, & fiduciæ plenis verbis testari. Cùm enim experientiâ satis amarâ didicerit inconstanter operatum fuisse dum negavit: nunc veritus ne contingeret iterum labi, non asserit amorem, quem nescit stabilem. Perbellè Doctor Angelicus. *Tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Quasi dicat. Ego diligo te quantum mihi videtur. Sed tu omnia nosti: & fortè scis an aliquid aliud debeat contingere.* Adeo peculiare dilectionis insigne firmitas est, ut qui de constantiâ dubitat ejus, de veritate illius testimonium proferre timeat, quasi proprij pectoris nesciret arcana. Illa tantum erit perfecta charitas, quæ jugiter in civitate rationali regnaverit deludens temporis omnia vastantis mobilitatem.

Joann.21. 15. 16.

Ibi n.17.

Ibidem.

D.Thom. in c.21. Joan. lect.3.

DELIBATIO VII.

Diliguntur opes odij fomites, captivantes corda: quæ non egenis favent; sed robur præstant habenti. De timore, ac de peccatoris paupertate, solitudineque: necnon de justi divitiis, ejusque laborum asperitate suavi.

47. *Opes quam charæ mortalibus.*

SIgillatim ad mores pensanda nunc parabolæ verba, *Substantia divitis urbs fortitudinis ejus: pavor pauperum egestas eorum.* Substantiam dixit Salomon divitias. Philosophicè loquar: independentia substantiam constituit, ideoque inhærere non valet. Opes divitem reddunt independentem apud homines: non inhærent; sed volant: & imperfectio earum est in hoc ipso quod substantiam perficit scili. repugnantia inhærendi. Sed hoc alibi. Nunc expendamus duplex Aristotelis effatum, ex quibus ea quæ de substantiâ dixit ille, gazis aptabimus: ut videas quæ verè, substantiæ nomine facultates hîc expresserit Paræmiastes. *Hoc substantiis insitum est ut ipsis nihil sit contrarium*, ait Philosophus: & iterum ibidem: *hoc substantiæ propriũ est maximè una eademque cùm sit numero, vim habere accipiendi contraria.* Divitiæ cum substantiis conveniunt in hac duplici proprietate: scili. carere contrariis, & illa recipere. Ad primum. Contrario vacant opes: eas vel unus vel nemo non diligit. Etiam illi qui tanquam volatilia pennata, spiritualia montium cacumina videntur habitare, dilectione bonorum temporalium illiciuntur: nam, ut Augustinus ait, *amor rerum terrenarum, viscum est spiritualium pennarum.* Deum quem adoramus omnes, amant pauciſſimi; fortunæ, quas à divinitate longè distare non ignoramus, quamplurimos habent amatores. Et quare putas? Quia Deus majestatem habet; istæ verò illam donant se possidentibus. Idcirco vix erit qui non revereatur auri splendorem.

Aristot. l. Categ. c.5. de subst.

D.Aug.to. 10. ser.33.d. verb.Do.

Amicè loquebatur Deus cum Hebraicæ gentis duce: simulque populus videns quod hic moram descendendi faceret, Aaroni suadet ut ipsis efformet numen quod sequantur. Sic homines Deum arbitrio suo configuratum cupiunt, qui gradiatur, & ster ad ipsorum placitum. Et cùm posset minori sumptu idolum effingi, Aaron illud molitus est diviti materia: *tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.... fecit ex eis vitulum*, &c. Idolum Bel adorabat rex potentissimus: istud attamen erat ex vilibus materiis, scili. luto & ære. *Iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus æreus.* Vulgus aureum; rex luteum colit insanus deum? Utique: nam rex destructionem simulacri sui non verebatur (nec enim suspicatus fuerat quid eventurum esset fraude sacerdotum detectâ.)

Exod.32. 2. 4.

Dani.14.6.

Aaron jure timebat idolum à Moyſe deſtruendum. Quod ut impediret, conſtruxit illud ex re cunctis ferè mortalibus chariſſimâ, quaſi diceret : non ſubjacebit fratris mei furori quòd omnibus eſſe frequenter ſolet in deliciis : aurum ſcili. ab univerſis adamatum penè mortalibus. Aurum illud Judaicum ſimile nimis eſt auro quod fidem tenentes adorant aliqui, velut idololatræ. Audi Tertullianum. *Ne dilexeritis aurum, in quo prima delicta populi Iſraëlis denotantur. Odiſſe debetis quod Iudæos perdidit, quod derelinquentes Deum adoraverunt. Iam tunc aurum ignis eſt eſca.* Fortaſſis Aaron ut morem gereret populo, exoptans quòd impij artefacti demolitionem nullus aggrederetur, ex eo fabrefecit illud quod humana præcordia trahit, contrariumque non experitur, uti de ſubſtantia proloquuntur philoſophi.

Tertull. l.d. Cultu fœmin. apud Gloſſ. in 32. Exod.

48. *Divitiæ pacis adverſariæ.*

Nunc ad ſecundum. Sicut ſubſtantia dicitur ſubjectum in quod contraria cadunt : ita copiæ ſolitant utplurimùm eſſe rixarum ſubjecta materia : *nullum in humana vita ſceleus reperietur, quod non ob divitias perpetretur. Ob eas odia, pugnæ, bella, cædes,* ait S. Iſidorus Peluſiota : & idem alibi, *Quæris quo pacto deſinere poſſimus invicem belligerare ? R. id inde accidere, quòd divitias, gloriam, & alias hujus vitæ res, quæ inſtar herbæ tabeſcunt, magno in pretio habeamus. Nam ſi illas nihili & viles, quales etiam ſunt, reputare nos ipſos doceremus, non itaque ſuper illis implacabiles inimicitias, & non denuntiata bella nobis invicem indiceremus.* En cauſa bellorum, odij fomes, diſcordiæ matrix, argentum & aurum.

S. Iſido. Peluſ. l. 2. epiſ. 146. & l. 4. epiſ. 70.

Cùm jamjam Hebræos ex Ægyptiaca ſervitute manus Omnipotentis educere vellet, fatur ad Moyſen. *Dices ergo omni plebi, ut poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua, vaſa argentea, & aurea.* Et infrà : *& petierunt ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea, veſtemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis, & ſpoliaverunt Ægyptios.* Populo ſuo Deus hîc aliena donat, qui dum poſtea degeret in carne mortali, & Apoſtolos informaret ad munus Evangelicum, ne poſſiderent argentum, vel aurum, conſuluit. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris :* Hîc monet dimittere propria ? alibi ſuadet commodata ſumere ? Quanam ratione diſparitas hæc innititur ? Dicam. Apoſtoli juſſu Regis regum erant pacem oblaturi mundo. *In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite : pax huic domui :* oportebat igitur ne deferrent divitias pugnarum ſemina qui pacifici per orbem fuerant peregrinaturi. Verùm Hebræis opportuniſſimum erat cum Ægyptiis diſſidium : tum ne peſſimam illorum ſocietatem libertati præferrent, ac exire nollent ab ergaſtulo : tum ut Ægyptij hoſtiliter inſequentes Iſraëlem luerent in aquis conſepulti pœnas tyrannidis Pharaonicæ. Et ſic accidit : nam auri & argenti memoria pungente, plebem armata manu perſecuti ſunt. Ad illa verba textus : *immutatumque eſt cor Pharaonis, & ſervorum ejus ſuper populo,* Cornelius à Lapid. *præſertim iram accendente exſpoliatione Ægyptiorum ; videbant enim jam ſe ſpoliatos iis quæ commodato tantùm dederant Hebræis.* Supplicium Pharaoni, cæteriſque parabat Altiſſimus : quod niſi ſumerent arma contra populum, non paterentur. Et fortè bellicum non inducrent furorem, niſi Jacobæa proles educeretur cum argento & auro martialis incendij materiæ. Subſtantia contrariorum ſubjectum eſt utrinque rixantium : ſic & opes, contentionum radices, merito veniunt ſub hoc nomine, *ſubſtantia.*

Exod. 11. 2.

Ibi c. 12. 35. 36.

Matth. 10. 9.

Luc. 10. 5.

Exod. 14. 5.

A Lapid. ibi.

Divitis. Pátere quod nunc grammaticè loquamur. Genitivum ne poſſeſſionis eſt ? Non fruſtra ſic loquitur cùm ditis mentio fit : nec enim ſemper theſauri poſſidentur ab eo qui temporalibus abundat. Alij ſunt non Domini ; ſed arcæ facultatum, quibus ipſi non potiuntur ; ſed magis habentur à metalli congerie. *Vide*, inquit Petrarcha, *ne potius habeare, hoc eſt, ne non divitiæ tuæ ſint, ſed tu illarum, neque illæ tibi ſerviant, ſed tu ipſis. Nam ſi neſcis, plures multò ſunt qui habentur, quàm qui habent, multò crebriores quos propheticus ſermo notat viros divitiarum, quàm divitias virorum : ſic vos veſtra cupiditas, vilitaſque animi de dominis ſervos facit.* Apud hoſtes detinetur captivitatis vinculis ille qui pecuniis in redemptionis pretium offerendis caret ; in animæ catenis aliter accidit : captivatur ab auro dives, & ſolummodo redimitur ſi eo, ut par eſt, utatur.

49. *Divitiæ poſſident habentem : qui ſe redimit expendens redet.*

Petrarch. de remed. proſp. fortu. dial. 53.

Redemptio animæ viri divitiæ ſuæ, ait Salomon. Quomodo ſtat hoc effatum cùm illo pluſquàm Salomonis dicto : *quam dabit homo commutationem pro anima ſua ?* Anima nobilis imago Dei, terra rubra, & alba redimitur ? & quam homo accepit mutuam ? Vide quid ſit aurum ex doctrina Bernardi. *Quid vobis cùm terrenis divitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt ? Aurum & argentum nomine terra eſt rubra & alba : quam ſolus hominum error facit, aut magis reputat pretioſam.* Re pro tam vili redimetur anima ? Duplex eſt redemptionis genus : altera pretio fit ; alia ſine illo, juxta id quod legitur apud Iſaiam : *ſine argento redimemini.* Injuſto bello captus relinquit dominum, & gratis redimitur. Sic dives, qui non juſto prælio ſæculi ſub juga miſſus, à facultatibus iiſdem, quas ipſe claudebat, vinciebatur clauſus : ſi pro bonis operibus exercendis ad nummos ipſos mittat manum, tunc manumittitur. Audi Chryſoſtomũ. *Dives in periculum animæ ſuæ recipit opes : quapropter cùm illas recondit, animæ ſuæ jacturam facit : cùm autem largitur egenis, animam ſuam liberat, quia redemptio animæ propriæ divitiæ.* Non redimitur niſi ſervus : eſt igitur opulentus, niſi benè poſſeſſis utatur, aureis compedibus onuſtum mancipium. Servitutis hujus indicium eſt ſi mores ex opum affluentia ſerviles, hoc eſt turpes, contraxit, juxta Chryſoſtomum. *Si autem divitiæ tuæ ſuperbum te faciunt, aut violentum, & conſtrictus avaritia, nemini aliquid præſtas, tunc ſervus es divitiarum tuarum ; non dominus : quia divitiæ tuæ te tenent ; non tu divitias tuas.*

Prov. 13. 8.

Matth. 16. 26.

D. Bern. ſer. 4. de Advẽt. poſt initiũ.

Iſai. 52. 3.

Chryſoſ. apud à Lapi. & Salazar. in Prover. 13. 8.

Idem ho. 16. in Matth. tom. 2.

Et

50. *Servitus injusta, si amatur dominus, durissima est.*

Et quam duris dirisque vinculis premitur verna mammonæ! *Si mammonæ & divitiis serviamus, gravissimæ subjiciemur tyrannidi, omni enim tyranno gravior est divitiarum cupiditas*, ait idem S. Doctor: & infra: Idem hom. 58. in Ioan. tom. 3. *O amarum servitium, O diabolicam potestatem: hic omnium affectuum molestissimus est, cùm tantis malis devincti gaudemus, & catenas libenter amplectimur:* inhumano dominatori colla subdit avarus: illi nempe qui nec somnum capere finit: & eundem herum, qui nec obsequentis famem depellit, quamvis laborem continuò perurgeat, ita diligit miserrimus, ut ab eo divelli non patiatur. Hæc est omnium gravissima captivitas: injusto scili. possidenti subesse quem diligas. Si hunc odisses, libertatem quæreres, & cor tuum non alligaretur. Si dilectione prosequeris eum, qui te famulatu subjugavit iniquo: non tantum evadere non curas, sed cor tuum muneribus arctis constringitur ingemiscens. Ac sicut vulnus est lethale quod excipitur corde: sic injusta servitus, durissima dicenda, si dominus amatur.

Imminens Hebraici populi cupiens excidium avertere, jejuniis macerata, lachrymis ora rigans, laceris fœdata crinibus, aspersoque cinere supra caput, ad unicum desperatis rebus asylum precum refugit Esther. Implorat auxilium Dei fidenter: & sciens à divina largitate collatum antea beneficium, ad alia denuo provocare manum inexhaustam: proponit accepta quondam ab ejusdem gentis patribus, cùm ab Ægyptia potestate in manu forti & brachio excelso educti sunt. Esth. 14. 5. *Audivi à patre meo quod tu Domine tulisses Israël de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam* &c. Ecce meminit servitutis Ægyptiacæ, quin eam aliquo significet exaggerationis verbo: cùm tamen ipsa minimè benigna fuerit. Exod. 1. 10. *Venite sapienter opprimamus eum, ne* Ibi n. 13. & 14. *fortè multiplicetur:* & infra, *oderantque filios Israël Ægyptij, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu quo in terræ operibus premebantur.* Redeamus ad Estherem. Alloquens Dominum adhuc, post pauca transit ad ea quæ populus perpetiebatur sub Assuero: non qualitercumque, sed crudelissimè Esth. 14. 8. pressum affirmat: *& nunc non eis sufficit quòd durissima nos opprimunt servitute* &c. Durissimum nunc est Israëlis jugum? & cur non similiter verbis extollit illud quod sub Pharaone sustulit populus? Assuerum Hebræa diligebat Esther uti sponsum (aliter de morte, quæ parabatur ei, non monuisset illum;) Israëlitæ Pharaonem detestabantur ut hostem. Uterque tyrannico dominio populum subjugabat: sed minus est quòd tibi non justè dominetur quem oderis: ideo captivitatis Ægyptiacæ non exaggerat onus Esther. Assuerum, quem amabat ipsa, dominum experiri barbarum, hoc erat ei pessima servitus: *durissima nos opprimunt servitute.* Dives insanus deperit injustum dominum scili. mammonam: O miserabile, quamvis palliatum nomine sortis infortunium! Diceretur fortunatus equidem, si non vir divitiarum; sed econverso facultates forent *substantia divitis.*

51. *Divites potentibus adulantur: non favent egenis.*

Urbs. Existimabam fortunarum elatam superbè majestatem, potius turris, quàm civitatis emblemate designandam. Civitas propinqua viatori latet sæpissimè, nisi sit in alto locata: aliter cùm Divinus Magister dixit: *non potest civitas abscondi:* non adjiceret: *supra montem posita.* Turris licet in valle sita consurgat, abscondi non valet supereminens. Ita census ingentes latere nesciunt, quovis humillimo loco projiciat eos fortuna. Deinceps: urbis magnificæ celsitudo pendet ab eo quod in colle, vel in imo jacta sint ejus fundamenta: si cacumine sedet, oculis pompam objicit speciosissimam; si profundum tenet, non excellit. Econtra sublimè castrum ubique sublime caput exerit. Sic divitiæ, vel nobili, vel plebeo insideant, nescio quam præ se ferant augustam gravitatem: & fortassis eò majorem, quò depressiori solo vanitatis arcem construxit fors. Ergo cur non hîc castelli nomine, sed urbis exprimi voluit Sapiens divitiarum dominum? Quia vellet ut paventes pauperes dis misericors more civitatis excipiat. Propugnacula tempore belli clausa non omnibus patent: cùm vastata fuerit urbs, ad eas munitiones colliguntur proceres, vel opulentiâ venerandi; pauperes autem excluduntur, ne multitudo ingens citò minuens alimenta famem advocet. Non turrim igitur in hoc imitetur dives, sed urbem latissimamque sinu suo recipiat afflictos egestate pressos. *Vult te Deus omnipotens consolationem adhibere egentibus: non autem rationem habere personarum.* Sic D. Basilius. Non ita moris est apud sæculum: divites mutuò sibi prodigunt munera; pauperi denegant famis levamen. *Magnum scelus est rem pauperum præstare divitibus, & de sumptibus inopum acquirere favores potentum, arenti terræ aquam tollere, & flumina quæ non indigent rigare.* Tempestivè satis hæc S. Isidorus Hispal. Et in ipso flumine reperies aliud ænigma: nam flumina copias aquarum æquori donant; plantaque debilis perit imbris inopiâ. Sic muneribus adulatur potentibus ditior; egeno minimè favet.

D. Basil. orat. de misericord.

S. Isidor. Hispal. l. 3. l. 3. sent. c. 64.

Proponit Salomon verissimam doctrinam apud inferos auditam, uni multos experientia magistra serò docuit. *Quid nobis profuit superbia?* (inquiebant illi) *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra* &c. Plures alias addunt similitudines ad explicandum quâ velocitate facultates evanescant; non tamen aëri eas æquiparant ibi: cùm tamen hic ocyssimus dispareat. Quare potiùs similes umbræ gazas esse proferunt? Quia communis est omnibus aër, juxta eundem Sapientem. *Et ego natus accepi communem aërem*, ac non solent bona sua ditissimi cunctis offerre. Mendicis claudunt januam quæ magnatibus pervia patet. Umbra sæpe non cummunis est: in area triturat sub æstivo sole bos, dum arborum frondoso tegmine canentes proteguntur aves, & illudunt

Sap. 5. 8. 9.

Ibi c. 7. 3.

æſtum. Arbores caducæ pondere ſuo prædivites, potentes, qui ad eas convolant, umbraculo ſuo libentes recipiunt; inops autem ſub jugo protritus egeſtatis deſudat, omni levamine carens. Optima quidem eſt umbræ ſimilitudo pro bonorum temporalium inanitate: *tranſierunt omnia illa tanquam umbra* &c.

52. *Liberalis abſque ſpe colligendi ſpargit.*

Scis profectò quâ de cauſa dites, quibus Deus miſerorum remedium commiſit, non indigo, ſed abundanti vectigales ultrò ſemetipſos exhibeant. Spes alit hujuſmodi commentitiam largitatem. Non donant proceribus munera, vendunt expectationis pretio. *Quid autem tibi prodeſt favere diviti: An quia citiùs amantem remuneret? His enim favemus frequentiùs à quibus referendæ vicem ſperamus gratiæ.* Ita D. Ambroſius. Hæc ſanè largitas non eſt, ſed mercimonium. Munifica manus quin ſperet colligere ſpargit ultroneè.

S. Ambr. l. 2. d. Offic. c. 2. init. to. 4.

Conſule Salomonem. Hortatur ille dicens: *mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas.* Hic ad litteram ſuadetur eleemoſyna, cujus retributio promittitur in futuro ſæculo capienda: ibi: *quia poſt tempora multa invenies illum.* Exponit interlin. *in judicio retributionem.* Memini apud Siracidem eleemoſynam aquis conferri. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis:* Cur non & Salomon dixit: mitte aquam in terram ſitientem. Noluit hac allegoria uti exhortans ad eleemoſynæ largitionem: quia hortulanus terram irrigans fructum expectat; largus autem nequaquam ſpe ducitur. Spargens triticum in aquam tranſeuntem nihil penitus inde ſe collecturum ſperat: ita verè magnificus donat bona ſua quaſi ſeminaret in undis. Hoc ille conſulit: *mitte* &c. Patrocinetur Hugo Cardin. *Vel ſuper tranſeuntes aquas de loco ad locum: de villa ad villam, ideſt ſuper peregrinos, q. d. da eleemoſynam tuam peregrinis tranſeuntibus, à quibus nullam expectas remunerationem.* Ne ſis itaque turri ſimilis quæ tempore adverſitatis bellicæ magnates colligit, rejicit pauperimos: eſto in his refovendis tanquam *urbs.*

Ecclc. 11. 1.

Interl. ibi.

Eccli. 3. 33.

Hugo Card. in Eccle. 11. 1.

53. *Paupertas debilitat; opes roborant.*

Fortitudinis ejus. Fallitur Lyricus dum ait: *divitiæ molles*; nam *rerum vires nervuſque pecunia eſt*, inquit Æmilius. Imo Seneca dixit omnium rerum facultatem homini facere facultates: *ſapiens divitiis nihil permittit, nobis divitiæ omnia.* Solus pauper infirmus greſſum firmare vix audet: cordis virtutem enervat inopia. *Non fames ipſa ſat novit cum virtute cohabitare, cùm eſurire, & ſtrenuè facere humana natura nihil ferat.* Idemmet qui prius erat ſanus, factus inops eget baculo; ſi meliorem viderit fortunam, jam fortis robore ſtipite non indiget quamvis claudicet. *In baculo meo tranſivi Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Regreſſum abundanter impeditum gregibus, & ſupellectili, contrapoſuit interfactioni fuſte nixa. *Inter alias gratias commemorat ſe ex tanta inopia quòd nihil præter virgam habens tranſierit Iordanem eundo in Meſopotamiam, in tantam evectum opulentiam, quòd nunc duas poſſidet turmas.* Ita Cajetanus. Benè: ſed potiùs dicat Iſraël pauper tranſivi Iordanem; nunc dives regredior. Non hæſites in re minima: idem ferè valet pauper, atque bacillo ſuſtentans artus. Liranus ad prædicta verba: *in baculo meo* &c. ſic ait: *ideſt ſolus & pauper innitens baculo meo; non aliis temporalibus.* Ecce Iacob poſtea femore læſus ab angelo claudicabat; nec tamen palum reſumpſit. Dives erat jam tunc, & videntur opes addere vires, ut econtrariò debilitat inopia.

Hugo Card. in Eccle. 11. 1.

Horat. l. 10. ep. 2.

Paulus Æmil. l. 8.

Sen. in ep.

Quidam apud Procop. l. 4. d. bello Gothi.

Gen. 32. 10.

Cajet. in Gen. ibi.

Liran. ibid.

Pavor. Indigentia mala plurima conciliat pauperibus, & de ſolo pavore, tanquam de præcipuo inter ejus effectus, ſermo eſt? Et prudenter quidem: nam timor eſt malorum ſummum. *Multos in ſumma pericula miſit venturi timor ipſe mali*, ait Seneca. De his loquor quæ irruunt extrinſecus. Cuncta metus excedit. Vindicta, ſævities, odium & ſimilia ſtrenuè obarmantur adversùs te: minimè tamen efficient ut pectus ab ipſis tueri nequeas. Horror autem cor tuum prorſus excæcat proindeque defenſionis locus non eſt: *nemo enim*, ait Seneca, *reſiſtit ſibi, cum caperit impelli, nec timorem ſuum redigit ad verum.* Imo gelidus tremor teipſum in tui damnum advocat auxiliarem: quia dum trepidas, futura mala juvas. Hæc adhuc non extantia nihilum poſſent (cum nihil ſint priuſquam accedant) niſi reformidares. Calamitates cùm advenerint, impetum facient aperto marte, tremor amicum ſe tibi ſimulat cùm tortor ſit. Unde malis plus verendus pavor ipſe mali, ſicut cætera, formidine demptâ, veluti nihil eſſe videantur.

54. *Malis antefertur mali timor.*

Sen. de ſenten. orat.

Ne diſcedamus à Iacobo. Deum præcabatur ille cùm ex Meſopotamia revertens, fratrem obvium jamiam habere pertimeſcebat antiqui ſcintillas odij (prout ipſe putabat) aſſervantem. *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.* Vides ne quare petat è fratris manibus erui? quia timet. Non dixit quia ultionis amans eſt, vel quia viribus prævalens; ſed: *quia valdè eum timeo.* Sæpiùs ferè tota ratio contremiſcendi metus eſt: quaſi damna quæ perhorreſcis nulla forent niſi meticuloſus refugeres. Idcirco licet ab infælici miſeriâ, quàm patitur, indigo promanent incommoda plura: de ſolo pavore hîc mentio fit, quaſi detrimentorum maximo. Vide ſup. fl. 10. 7. & fl. 15. 27.

Gen. 32. 11.

55. *Peccator pauper; juſtus dives.*

Pauperum. Myſticè de ſpirituali agit pauperie: quæ quidem antonomaſticè paupertas eſt. Præmitto Nyſſeni doctrinam. *Duo divitiarum eſſe genera à Scriptura didicimus: unum quod probetur & expetatur: alterum quod damnetur, & improbetur. Expetendæ quidem atque probandæ virtutum divitiæ ſunt .... duplicem planè paupertatem quoque animadvertere licet; unam quidem rejiciendam, alteram verò quæ beata judicetur. Quicumque igitur à temperantia, ſobrietate atque modeſtia, nudus & inops, aut pretioſarum juſtitiæ opum, aut ſapientiæ, aut prudentiæ, aut alius cujuſquam pretioſarum atque reconditarum rerum egenus, pauper, & mendicus invenitur, paupertatis nomine ærumnoſus, ac miſerabilis eſt* &c. Temporales theſauros

D. Greg. Nyſſ. l. d. beatitud. poſt initium.

corpori,

corpori, non animæ, proprios esse crede. Illud spiritus nostri domus est: & quid proderit auro gemmisque mutuo sumptis exornatum habitaculum: si commoratus hospes ibi fame tabescens hæc omnia non possit habitatione relictâ secum deferre, nec in sibi congruens alimentum comparandum insumere? Tectum sumptuosè ornatum est homo exterior opulenti peccatoris. Anima hujus bonorum spiritualium laborat esurie: quin valeat bonis corporalibus emere cibos quibus ipsa vescitur: & sciens defecturam se ad mortis imperium ædem illam, quam spoliare gazis nequit ut in patriam remittat. Hanc non miserebimur pauperrimam? Eò miserabilior, quò pauciorum compassionem solet movere. Deum rimentis, & apud vanitatis amatores abjectissimi ditatur anima cælestium donorum affluentiis; spoliato quamvis degat hospitio, corpore scili. frigore, inediaque consumpto, hic inops non est.

Psal. 33.10. *Non est inopia timentibus eum.* Quid ais purpuratè venturi præsciis? Nonne tu Deum Psal. 118. 120. & 161. times? *à judiciis enim tuis timui*: & postàc: *à verbis tuis formidavit cor meum.* Jam tibi quid acciderit excidit è memoria, cùm panem tanquam ostiarius pauper à sacerdote 1.Reg.21.3. petiisti? *si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.* Tantum aberat oblivio, ut verba ejusdem psalmi 33. Psal. 33.5. *ex omnibus tribulationibus meis eripuit me*, referat illuc Bellarminus: Bellarm. in Psal. ibi. *& continuò adfuit misericordia Domini, quæ mihi per Achimelech Sacerdotem panes & arma providit*: quomodo igitur non est inopia Deum timenti? Deinde Tobiam legimus veritum Tobiæ 2.13. fuisse Deum ab infantia. *Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata ejus custodierit* &c. Necnon Jobi timorem Iob 1.1. erga Dominum legimus: *& erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum*, &c. Attamen scimus utrumque in paupertatem devenisse. Tobias dixit: Tobia 4.23. *pauperem quidem vitam gerimus*, & Jobus: Iob 1.21. *nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Ecce metuentes Deum, ac inopes; & Psaltes affirmat inopiâ non premi eos qui Deum timent? Non respondeas ibi de solo spiritualium defectu loqui Davidem: nam verbum, *inopia*, exponit Interlinearis: *temporalium.* Concinnit Episcopus Christopolitanus interpretatus ita: Valent. in Psal. 33.10. *quoniam non est inopia bonorum temporalium & spiritualium timentibus eum*: stat ergo propositum dubium: quod firmatur ex D. Jacobo. Iacob. 2. 5. *Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes*, &c. Hæc, necnon adducta exempla, cum priori Davidis oraculo componere cupienti quid restat: nisi quòd sola vera paupertas est ea quæ miseram reddit animam? Quo pacto, si rigorosè loquamur, egestas est illa, quam, si velis poteris tanquam divitias computare? Chrysost. ho. 18. in ep. ad Hebr. to. 4. Imò, *nihil opulentius eo qui paupertatem sponte diligit, & eam alacriter suscipit.* Hæc D. Joan. Chrysost. & præsertim ob id amanda erat, quòd fortunæ vices non subit; sed S. Leo Pap. ser. 4. Quadrag. *semper dives est Christiana paupertas*, ut inquit S. Leo Pa. Claudat periodum Cassiodorus ad memorata verba psalmi quæ nuper hîc versavimus. *O brevis sententia. O promissio immensa. Possunt enim egere quibus divitiæ, quibus salus corporis, quibus regna tribuuntur; solus ille non eget qui Deum timet.* Cassiodo. in Psal. 33.10.

56. *Peccator solitarius in societate.*

Pauperis igitur, idest spiritualium possessionum carentia laboranti valdè proprius est timor: ideo dicitur, *pavor pauperum.* Quidni pavescat is qui solitarius degit vel in urbium frequentia. *Solus namque est qui à Deo relinquitur*, hæc scripsit Magnus secundùm nomen suum. Timotheum Paulus dum instrueret, inquiebat: *peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant.* Nunquid aliud clamat præco; judex præcipit aliud? Dixerat unus omnium Magister: *si autem peccaverit in te frater tuus; vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Et coram omnibus arguendos esse qui peccaverunt discipulum Apostolus docet? Scio quàm facilè reducantur hæc in concordiam. Sed pro moribus dubitabam possent ne verba Christi Domini tam de secreto, quàm de publicè peccantibus accipi, sic ut correctio fraterna sit ante accusationem de præcepto pro non publicis; de consilio verò pro non latentibus peccatis. Hoc fortè placuit Maldonato ad illum Matthæi locum. *Loquitur*, inquit, *ergo Christus non de eo qui secreto, sed de eo qui contra nos peccat.* Si ut probabilem prædictam expositionem admittas, adhuc stat difficultas: cui ut satisfacias, poterunt Christi Domini, Doctorisque Gentium verba hunc in modum conciliari. Peccator publicus corrigendus est incomitatus: nam quamvis coram omnibus arguatur, semper desertus invenietur. Meritò pavet: illius proprius est hic, qui dicitur in præsenti *pavor pauperum.* D. Greg. M. l. 4. c. 4. in 1. Reg. c. 10. to. 2. 1. ad Timo. 5. 20. Matth. 19. 15. Maldona. ibi.

57. *Virtutis via suavis amanti.*

Egestas eorum. Dum litteram expenderem dubium solvi quod hic solet occurrere: scili. an esse dicatur inopia causa pavoris, an econtrà timor causa paupertatis? Priorem sensum prætuli; nunc juxta posteriorem loquar, dum agimus de cælestium pauperie, cujus causa timor est ille, quo vulgò dicunt homines virtutem horribilem: unde fit quod istius convictum refugientes, in extremam decidunt animæ pecuniam. O quàm stolidè fallitur qui virtutem horrore prosequitur. Justorum labor somno similis est juxta phrasim D. Anselmi. *Somno*, inquit, *gravantur sancti, dum ab actione terrena, & ab amore temporalium rerum quiescunt, & ab appetitu visibilium mentis oculos claudunt. Qui idcirco non simpliciter dormire, sed somno gravari dicuntur, quia non sine pondere laboris agitur hujusmodi dormitio.* Debilitas visus est; non solis torvitas, quòd in eum non possis aciem conjicere. Sic pulcherrima virtutis facies pluribus ex oculorum defectu apparet in amœna. Diligenti non sic: isti suave, licet arctum, aggredi tramitem. S. Anselmo. 1. enarra. in Evang. Dom. 2. Quadrag.

Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.... en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Interpretatur Liranus: *ad serviendum mihi soli.* Ut sponsam advocet, è collibus descendit Sponsus? Ut propero gressu veniat monet illam? Cantic. 2. 8. 9. 10. Liran. ibi.

Clamet etiam potius è montium cacumine vocans eandem: sic dilecta citius ibit, nec moram, quam in descendendo fecit Sponsus, amor patiatur. Anima sociata dilecto conficit iter, ut Bernardus censuit premens, ut
S. Bern. ser. 58. in Cant. melle fluat, illud, *veni*. *Nec parum*, ait ille, *confortat quod audit, veni, & non vade, per hoc se intelligens non tam mitti, quàm duci, & secum pariter Sponsum esse venturum: quid enim difficile illo comite reputet?* Ut anima simul cum Sponso faceret iter, oportebat gradi per montium vertices, idest per difficultatum apices: hâc enim ille giganteos posuit gradus. Quæro igitur: ad quid Sponsus descendit, & post charissimæ parietem compellat eam? cur non accersit ex montium apicibus ipsam? Ne cogat sponsam properantem ascendere colles: facilior est descensus: & si venire virtus erat, videat esse diligenti proclivem recti semitam. Depone metum: sic itur ad astra. Ne te illis adjungas, quibus perpetuò virtutem formidantibus in supplicium datur spiritualis *egestas eorum*.

FLOS XVII.

Opus justi ad vitam: fructus autem impii ad peccatum.

APERITUR.

1. QUot expositiones plures annumerare amant, hîc non paucas adducunt, quas dum ad invicem conferas, invenies vix afferri ab eis unam vel alteram, quæ dissimiles ex integro sint. Quærendum primum quid per opus? secundò quid per vitam? tertiò quid per fructum intelligatur.

Quoad primum: occurrit priori loco expositio quam Salazar hoc loco tribuit Caietano, quasi opus idem sit, ac negotiatio, quam licet peccatorum periculis obnoxiam, justus innocenter exercet: ac proindè fit ut ad vitam æternam consequendam illo utatur opere per fugam vitiorum, & similia media. Jure optimo pupugit scrupulus hæc impingentem Caietano (ut colligo ex verbis illis: *ni fallor*, quæ Salazar adjecit:) fortassis enim Cardinali non venit hoc in mentem: nec textus patitur, ut nomen, *opus*, ita limitetur. Alij plurimi per opus intelligunt opera meritoria. Sed hæc mystica est interpretatio (quidquid sit de illorum mente) ut optimè Jansenius hîc: & patebit ex dicendis ad secundam quæstionem. Restat ut, *opus*, accipiatur generatim prout sonat, scili. pro quibuscumque justi operibus in ordine ad vitam. Omitto commentarium Rodolphi, qui per, *opus*, intellexit bona temporalia, quæ justus laboribus acquirit. Attamen superfluum est recurrere ad interpretationem figuratam quando propria non habet inconveniens.

Salaz. in Prover. 10. 16. Caieta. ibi. Jansen. ibid. Rodolph. in Prover. 10. 16.

2. Nomine vitæ an veniat sola temporalis; an potius vita æterna tantum; an vero tres vitæ simul, nempe corporis, gratiæ, gloriæ, quæstio est. Pro gratia & gloria stat simul Carthusianus; disjunctivè pro iisdem invenies Hugonem Card. Ut omnes istas vitas unico sensu littera complectamur suadet inprimis textus hebraicus: juxta quem, pro, *vitam*, legitur, *vitas*, quod nomen uni temporali vitæ convenienter aptari non posse videtur: quomodo namque multas vitas nominaret Salomon illam, quæ à brevitate sua, milleque morti simillimis ærumnis præcisa, vix integra vita est? Accedit quod sic videntur indicare sequentia verba, quibus agitur de peccato: nam in hujusmodi Salomonicis parabolis frequenter secunda pars est expositio primæ, viceversaque. Igitur cum in posteriori sermo sit de morte spirituali scili. crimine: in priori de vita spiritus videtur agere Salomon, ad minus cum temporali simul.

Dionys. Carth. in hunc locum. Hugo Cardi. ibi.

His non obstantibus placet cum Jansenio asserere textum ad litteram intelligendum de vita corporali; cæteras remittendas ad mysticum sensum. Moveor quia pro littera illa est acceptio verosimilior quæ planior, & simplicior: nam, ut ait Augustinus loquens de Scriptura sacra: *invitat homines humili sermone*: & communiter Lectores, dum audiunt vitam, percipiunt temporalem, nisi ex antecedentibus, vel subsequentibus, aut aliunde, convincatur oppositum. Ad prius argumentum deductum ex hebraico textu respondetur notissimum esse Linguæ illius idiotismum plurali numero uti pro singulari ut rei magnitudo notetur. Magnum quid est vita justi: licet despiciatur apud sæcularem superbiam; coram divinis oculis instar plurium est. Adde quòd hîc justus in singulari ponitur pro justis omnibus: quid mirum quòd hebræa vitarum pluraliter mentionem faciant? Ad secundum argumentum dic non oportere quòd inter singula hemistichij verba formetur antithesis: sufficit quòd hæc inveniatur inter justum & impium, necnon inter iniqui fructum, & recti opus; quamvis contradictio non servetur inter peccatum & vitam, de qua hîc sermo.

Jansen. ibid. D. Aug. ep. 3 ad Volus. to. 2.

3. Per nomen, *fructus*, accipit Jansenius lucra provenientia impio ex opibus, tam suis, quàm alienis. Non est improbabilis hic dicendi modus. Dionysius Carth. intellexit ibi delectationem, seu actum interiorem mali: Hugo Cardin. opera mala generatim: alij, solos proventus quos terra domino suo reddit in ea non laboranti, quos redditus vulgò dicimus. Et hanc ultimam significationem deducunt ex origine hebraica, ad quam semel quod refugiant, fides manet penes ejus idiomatis peritos. Præscindamus ab hoc, & sumamus latius nomen fructus (licet deducatur à redditibus, vel æquipolleat illis) pro quibusque lucris, vel proventibus impij. Opera non dicuntur fructus nisi figuratè: littera non cogit ad figuram recurrere. Itaque manet integrum sententiæ suprapositæ sensum esse hujusmodi: justus operas suas, & earum emolumenta refert ad mediocritatem auream, sub qua fœliciter vitam servat: nec premit nimiùm littus; nec altum incautus urget. Impius autem quæcumque possidet, ad luxum dirigit. O non mediocriter

Jansen. hîc. Dionys. Carth. & Hugo Card. ibi.

criter fœlicem ! Ne quid nimis : nam *quod modicum eſt , id bonum. Nam quod majus eſt quàm oporteat , id malum eſt.* Sic Ariſtoteles , vel dicito cum poëta , parcitate prudenti nihil ditius :

Ariſtot. l. 1. rethor. c. 6.

Lucan. l. 5.

Divitiæ grandes homini ſunt vivere parce
Æquo animo. ——

Ad peccatum. Complutenſis vertit : *peccato :* quæ lectio ſatis inſinuat malos perperàm agendo coacervare proventus , quos non augerent ſi rationis fræno cohibuiſſent auri cupidinem. Si verum eſt quod nonnemo adnotavit hoc loco : ſcili. Sapientem priora verba hujus paræmiæ dirigere ad otij fugam : impium ipſe modò reprehendit , qui ad effæminatam quietem aſſequendam , congerit in annos plurimos terræ germina. Non tamen dixit Salomon hominem improbum acquirere ad otium ; ſed ad peccatum. Fortaſſe recidit in idem peccatum, & otium ? Simillima ſunt , utpote radix & arbor. Vnde quod Caſſianus pronuntiavit de Paulo , dicam de Salomone. *Cauſas tantorum ulcerum, quæ de radice otioſitatis emergunt uno operationis ſalutari præcepto curavit , ut peritiſſimus medicorum : cæteras quoque valetudines malas eodem ceſpite pullulantes ſciens protinus extinguendas* &c.

Verſ. Complutenſis.

Caſſian. l. 10. inſtit. c. 14.

DELIBATIO I.

Proprius, ac terrenorum contemptus perſuadetur : & ſpiritualium bonorum neglectus reprehenditur.

5. *Homo nihil præter animam.*

AD vitam : hoc eſt ad illam , quæ ſepulchri lege penitus immunis eſt , dirigit ſua juſtus. Hujus opera diſcernuntur ab impiorum actionibus conſiderato fine. Aliorſum dixit (ſed hoc ſenſu non minus verè dicere poſſet) Ariſtoteles : *eſt idem finis & actio* , ut ab eo dijudices quanam appretiatione digna ſint media. Vivens ad rationis regulas, ſecundùm iſtas ordinat quidquid operatur , ad illam, quæ limite vacat , metam : hæc perexcellens cùm ſit , ejus operum ſatis probat celſitudinem. Intentio quò prudentior , tunc excelſior : igitur omnium prudentiſſima cæteris longiùs eminet. Prudentiæ munus quodnam ſit explicuit Seneca paucis , dum ait : *ſi prudens fuerit animus tuus , tribus temporibus diſpenſetur : præterita cogita , præſentia ordina, futura provide.* Tres itaque ſunt temporum vices , quas percurrit lynceus prudentis oculus (de quibus alibi :) cúmque omnes illas claudat nullis concluſa terminis æternitas : hic eſt intentus prudentiſſimè ſcopus , quem juſtus quiſquam ſibi præfigit : utpote qui præterita , præſentia , futuraque circumſcribit. His permotus quilibet ex illis , quibus non mentitur ſtatera doloſa mentis, unicam æternitatem intendens operibus conſequi ſimul & opibus , unius tantum animæ ſuæ curat lucra. Quam ſapienter ! Homo enim quid præter animam ? Ambroſium accipe. *Anima igitur noſtra ad imaginem Dei eſt. In hac totus es homo , quia ſine hac nihil es , ſed es terra.* Ridebit humana philoſophia ſi dicas : homo eſt anima : attamen ſi velut nihil reputaveris illud quod tam citò diſſolvitur in cineres , certo certius invenies hominem eſſe animam, & non amplius.

Ariſtot. l. 2. Mag. moral. c. 12.

Sen. de benef.

S. Ambr. to. 1. l. 6. Hexamer. c. 7. fi-ne.

De primo generis noſtri plaſmate ſcripſit Moyſes : *factus eſt homo in animam viventem.* Scripturæ phraſi videtur idem eſſe ac ſi diceret : factus eſt homo anima vivens. Sic illud : *factum eſt quaſi in legem* , valet : factum eſt quaſi lex. Similiter : *factus eſt mihi in ſalutem* , exponitur ita : factus eſt mihi ſalus. Non aliter illa verba : *factus eſt homo in animam viventem* , libenter expoſitionem iſtam accipiunt : factus eſt homo anima vivens. Lipomanus ibi. *Anima autem vivens aliud non intelligatur , quàm perſona compoſita ex anima & corpore , juxta idiotiſmum Scripturæ , in qua ſæpe anima dicitur pro perſona humana.* Et Pererius ibidem : *ut ſenſus ſit : per illam Dei inſpirationem , qua anima eſt infuſa corpori , factus eſt Adam in hominem viventem , ideſt homo vivens.* Synonima ſunt anima & homo ? Exclamat philoſophia rurſus : homo totum eſt corpore conſtans & animâ. Pars malè affirmatur in quæſtione quid eſt de toto : quis enim dicet homo eſt manus. Hiſtoricus idem corporis fabricam retulerat antea , dicens : *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ :* poſtea concludere cupiens quid operis emerſerit ex artificis Divini manibus, animam vocavit iſtud : *factus eſt homo in animam ?* Et nihil verius quia cætera nihilum in homine præter animam.

Gen. 2. 7.

Ibic. 47. 26.

Pſal. 117. 14.

Lipom. in Gen. 2. 7.

Perer. ibi-dem.

Gen. 2. 7.

6. *Temporalia leviſſima, ſed gravia videntur quia diliguntur.*

Quid erunt bona corporis , cùm hoc adhuc manens dici poſſit nil vitam habens ? Quam vili facienda ſunt veſtimenta , quorum dominus , quamtumvis illis exornatus, apparet ; ſed non eſt ? Quid aliud temporalia jam dixi niſi carnis indumenta ? Veſtes nobiliores veſtito non vidi. Si corpus cui dominium temporaneorum adſcribitur , flocci reputandum ſuadet ratio : quid exiſtimas ea quæ ſuperinduit caro nuditatem ſuam tegere cupiens ? Reſponſum præbeat qui probè noverit æterna : ex Chryſoſtomi quippe ſententia fieri nequit illudi terrenis eum qui cæleſtia diligit. *Non eſt poſſibile* , ait , *qui ſolida & immobilia illa bona ament, momentanea illa, & quæ antequam appareant, marceſcunt , concupiſcant ; nam ſaucius amore Divino , & futurorum deſiderio tenetur , aliis oculis videt præſentium ſtatum , & videt quod omnis præſens vita figura eſt & deceptio , & à ſomniis nihil differt.* Sic judicant illi quorum oculus de ſupernis illuſtratus , eò magis deſpicit umbras , quò plus cæleſtium ſuſpicit radios. Non ſic impij , non ſic : ſed tanquam pulvis vento excitatus mundialium inanitas eorum cæcutire facit oculos , ut non videntes intueantur velut magna quæ ſunt minima. Iis mentitur ſæculi nugarum dilectio : quid enim ſummè diliges , quod à te non æſtimetur ut maximum ? *Amor nimius ſæpe non ſinit cernere rectum* , ait S. Thomas à Villano. Leve pondus cùm ſuprà cor imponimus, ita

Chryſ. hom. 35. in Gen. to. 1.

S. Thom. à Villano. ſer. 1. de Bapt.

ita gravitat quaſi foret maximum. Sic temporalia bona : leviſſimæ ſanè molis omnia ſunt ; ſed quia in corde ſedem vendicant, ideo grave momentum præ ſe ferunt.

Pſal. 4. 3. *Filij hominum uſquequò gravi corde ? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Iſta cordis gravedo non equidem ineſt à naturâ : hæc enim ei talem indidit levitatem , qualem teſtatur motu continuo. Extrinſecùs advenit cordi quod illud reddat oneroſum. Et quid illi commodat gravitatem ? Bona temporalia : nam æterna minimè penetrant ad cor mendacia quæritans : neque malis gravidatur iſtud , quia multa refugit ; alia verò tanquam centrum ſuo excipit ſinu : & nihil, quamvis ponderoſum valdè ſit , onus eſt in centro. Sunt ergo mundana gravamen quo graveſcit cor de quo dicitur : *uſque quo gravi corde.* Sed urget ſtatim ſcrupulus. Illa omnia vanitas & fictio ſunt : *ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* ? fictionibus & vanitate ſarcinam accedere cordi putandum eſt ? Et maximam; non quaſi molem habeant evanida ; ſed quia levia impoſita cordi premunt onerosè nimis: & ſic mendacio puerili detinetur onuſtus amor ; nec rationem aſſignabit is qui ratione vix utitur , quantumvis cum Auguſtino

S. Aug. to. 8. in Pſal. 4. quæras : *utquid vultis beati eſſe de infimis ? ſola veritas facit beatos , ex qua vera ſunt omnia : nam vanitas eſt vanitatum & omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore ſuo , quo ipſe laborat ſub ſole ? Utquid ergo temporalium rerum amore detinemini ?* Dilectio vanitatis illam præcordiis locat : & ut prædixi , quidquid incubat cordi , licet flos fœni ſit faſcem in ponderando refert.

7. *Vt in Deum lumina conjicias , è terra leva.* Oneratum , prout nuper dixi , cor humanum , oculos in cælum non levat : & ſi fortè conetur , accidet ei quod illis evenire ſoler, quorum lumina injecto pulvere cæcutientia, ſi contendit abſtergere manus penitus obcæcat. Aptiſſimè Bernardus utrumque oculum internum ſcili. ac externum componens.

S. Bern. ſer. 5. de Aſſumpt. *Sunt ergo* , inquit, *tria quæ hunc oculum impediunt : tenebræ : humor concretus : pulvis injectus. Hæc ipſa ſunt etiam , quibus interior oculus impeditur , ſed alia nomina ſortiuntur.* Et poſt pauca. *Quod autem hic pulvis dicitur: hoc ibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria ſunt quæ oculum intelligentiæ confundunt , atque à contemplatione veri luminis excludunt , tenebræ ſcili. peccatorum, recordatio eorumdem peccatorum , cura terrenorum.* Valdè præpeditur viſus hujuſmodi pulvere. Cujus lippitudinis morbus adhuc eſt duplex. Alij terram in oculos jaciunt ; illique ſunt qui ſummoperè diligunt (&, ut aiunt, in oculis habent) quæque terrea. Alij non humum oculis ; ſed oculos injiciunt in tellurem : quod ſatis eſt ut lumen cæli, Deum nempe videre neſciant interiori mentis oculo. Ut in Deum conjicias lumina , de ſolo prudens eleva.

Apocal. 22. 16. De Verbo incarnato ſermo eſt in Apocalypſi , cùm dicitur : *ego ſum radix & genus David , ſtella ſplendida, & matutina.* Quare ſtella nomen habet qui olim appellabatur

Deuteron. 4. 24. ignis ? *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt.* An per incarnationem aſcendit Filius æterni Patris : ut ſic idem qui antea ignis aſſerebatur , nunc ſit lux ſuper æthera ? Imò cum noſtris medicamen allaturus ægritudinibus , humanitatis dignatus eſt particeps fieri , *ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens :* quâ ratione, quæſo, ſtellæ titulus Filio Dei congruit ? Non ſine luce pro moribus opportuna. Cernimus ignem ſuper terram , ita ut neceſſe non ſit oculos è ſolo ad flammam videndam levare ; non intueberis aſtra , niſi lumina tua terram linquant. Sydus Redemptor eſt. Ut ejus ductum ſequaris , aciem in eundem non figes , niſi viſum eleves à terrenis. Pungit ſcrupulus. Eccur non ex eadem ratione legimus Chriſtum Dominum ſub titulo ſolis in Apocalypſi ? an non qui Phœbum cupit cernere ſuſtollit palpebras ? Ita: ſed ſtatim repercuſſus à claritate vibrante demittit. Non ſic vult Servator ut vultum extollamus in cæleſtia ; ſed lentâ conſideratione defigi vult mentem in ſupernis : ideò ſe gerit ut ſtellam, quò ſic radios ipſius luces noſtræ patiantur : ſolem ſe nobis exhibebit in patria , cùm velut aquila fuerimus renovati. Adeſt ibi Rupertus Chriſti nomine loquens : *ſtella vobis ſum ſplendida & matutina , ex quo reſurrexi à mortuis. Tunc autem me ſolem habebitis cùm in civitatem talem quam audiſtis , intraveritis , quam claritas Dei illuminavit* &c.

Philip. 2. 7.

Ruper. l. 11. in c. 22. Apocal.

8. *Deus temporalia tribuit, ut diſtantia videntes à ſpiritualibus hæc præferamus.* Opponet quiſpiam de multis , qui ferè putant ſerviri poſſe Deo ſimul , & mammonæ : Ut quid ergo dat Omnipotens hominibus temporalia munera ? Ut eos ab æternis divertere faciat ? nociva ſæcularia bona ſunt: & nocitura præbet ? Non donantis , nec doni vitium eſt; ſed accipientis: *nec enim occidũt divitiæ, ſed eſſe divitiarum ſervum , & avaritiæ amatorem.* Ita D. Joannes Chryſoſ. Curat benefica largitoris infiniti manus in conſpectu noſtri cordis evaneſcentes mundi fructus apponere , ut ſpirituales delicias fallacibus componamus , & quàm longè præcellant cæleſtia judicare pronum ſit. Contrariorum lex hæc extat : ſcili. ut unum alteri juxta poſitum dignoſcatur meliùs. Animæ dapes contrariantur inimicè corporei guſtus obſoniis : utque facilius diſcernas quantò diſtent intervallo hæ ab illis, qui ſpiritui congruentia tribuit , etiam temporanea non denegat.

Chryſoſ. to. 5. hom. 58. ad popu.

Ingrata Jacobi proles , poſtquam in brachio excelſo ſervitutem Ægyptiacam fœliciter evaſit , venit ad Sin deſertum : ubi ruſticitatem loci condiſcens obmurmuravit adverſus libertatis eorum ſollicitos aſſertores, Moyſen , & Aaron. Memores viliſſimæ ſaturitatis, qua potiebantur in Ægypto, beneficiorum obliti, de fame querelas emittebant. Tunc Dominus , qui ſuppliciorum cauſas vertit in ſuæ largitatis motiva : reſpondit ingratitudini promittens duo , quorum alterum videbatur ſufficere, cùm eſſet inſtar omnium. *Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen , dicens : audivi murmurationes filiorum Iſraël , loquere ad eos : veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus : ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter.* Et infrà: *aſcendens coturnix cooperuit caſtra.* Nonne coturnicum poterat manna ſubire vices ? Sapiens teſtatus eſt : *deſerviens uniuſcujuſque voluntati*

Exod. 16. 11. 12.

Ibi n. 13.

Sapié. 16. 21.

voluntati ad quod quiſque volebat convertebatur. Pluat è cælo manna tantùm Dominus; aves minimè: videtur enim per eas illorum improbo deſiderio cooperari. Oportebat quod ſimul cum animæ cibo acciperent corporeum, ut conferrent ad invicem utrumque, ac viderent quantum præiret unum alteri alimentum. *Quid enim ſignatur in manna niſi eſca gratiæ ſuave ſapiens ad refectionem interioris vitæ, benè vacantibus deſuper data?* Sic D. Gregorius M. Gratiæ datur eſca Hebraicæ genti, ſed alites inſimul demittuntur: ut qui carnium cupiditate flagrabant, guſtarent utramque dapem, aliam ſcili. appetitus illecebram; alteram figuratè animi nectareum convivium: ut ſic ambarum diſſimiles epularum qualitates exactiùs perpenderent, & ſpirituale temporaneo diſcerent præponere. Congruum eſt fideliter metiri quantum inter utraque bona interſit: parum rectus hoc æſtimas, niſi cum Chryſoſtomo putes diſtare non minus quàm veritas diſſidet ab umbra. *Et ubique veritatem,* ait aureus Doctor, *non umbras ſectemur, & in divitiis, & in voluptatibus, & in deliciis, & in gloria, & in potentia, & ceſſabit morbus hic, multaque alia, umbram enim ſequi inſanientis eſt. Dic, obſecro, ſi quis ventum ſectaretur, vel cohibere attentaret, nonne diceremus illum inſanire? Quid autem eſt tenere umbram neglecta veritate?* Quandoque niſi manu luminibus obducta palpebris umbram admoveas, malè proſpicies longè poſita. Quidquid mundus amat caligo quidem eſt. Iſtis ergo tenebris utere, ut earum auxilio cernas acutiùs non peritura: quæ cum perſpiciens guſtaveris aliquatenus, non tam arduum erit caduca deſpicere. Econtrariò *difficile tranſitoria relinquuntur bona, ſi non prælibantur æterna*, inquit Protopatriarcha Venetus. Intendit omnium largitor Deus, cùm tranſeuntia tibi concedit, ut fideli ſtaterâ ponderes quid vana veris compoſita valeant, manſura perenniter contemplatione prælibans, ut vanida penitus amareſcant.

D. Greg. M. l. 10. moral. c. 16. tom. 1.

Chryſoſ. to. 4. hom. 29. in 2. ad Cor.

S. Laurent. Iuſtin. l. d. caſto conubi. c. 21.

9.

Statera noſtra mens eſt, D. Baſilio teſte: *quod unicuique noſtrum*, inquit ille, *in occulto ſtatera quædam à Conditore noſtro conſtructa eſt, in qua rerum naturam diſcernere ac dijudicare poteſt.* Bilancis hujus infidelitatem, ab originali noxâ, quâ homo vulneratus eſt in naturalibus, ortam deplorare ſolemus: & potiùs noſtrum eſt, quàm libræ vitium. Si quando enim accidit ut in ferendo judicio de bonis intellectus nobis non mentiatur: nos ipſos decipere non pudet, cùm vanitatem ſectantes deſipimus. *Mendacia*, inquit Chryſoſtomus, *ſi non habent quem decipiant, ipſa ſibi mentiuntur.*

Sæpe non error judicij; ſed hominis mendacium eſt, quod iniquitas impoſuit ſibi.

D. Baſil. infra.

Chryſoſ. ho. 39. in Matth. in imperf.

Non dixit Pſalmographus: mendaces ſunt ſtateræ filiorum hominum; ſed potiùs: *mendaces filij hominum in ſtateris ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Per ſtateras hîc intellectus humanos intelligi, jam ex verbis D. Baſilij datis proximè noſti. Vanitatis errores, eorumque cauſa notatur à Davide. Non affirmat homines deceptos; aſſerit decipientes: ne putares quòd cum præ inanitate cæcutiunt, ſemper lancis dolo (ideſt hallucinationi mentis) hoc tribuendum ſit. Falluntur utique pluries à ſeipſis. Ideo non mentales trutinas; ſed homines hoc loco fallaces nominat: *mendaces filij hominum in ſtateris* &c. Conſule rurſus Baſilium: *malè ponderas*, ait, *prava bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporaria æternis præponens, prætereuntem voluptatem pro indeſinente lætitia eligens. Mendaces igitur filij hominum in ſtateris iniquitatis.* Emptionis & venditionis contractus inter ſæculum & ejus amatores quotidie celebrantur. Mundus emptor eſt; emit homo. Et quamvis non ſoleant emptores quærere mendacem libram; ſed fidelem (hic enim vendentium dolus eſt) in præſenti contingit aliter: non vendens imponit eis, qui ſibimet illudunt: ac licet æqua judicij bilanx detegat aurichalcum, emere credunt aurum: merces ponderant infidâ trutinâ dilectionis: & colligentes fœnum, nullis parcunt expenſis ut acquirant fugientia; animæque bona ſi fiant facillimo negotio pervia, linquunt inertes. Ut quærant vitæ commodum, etiamſi non ſit opus aſcendent ſuper tecta; ut ſollicitent ſpiritus bono perutilia, nec januam pulſabunt. Ad hæc reſpondent multi: ſumus fragiles quia terrei. Benè. Sed nonne ſumus etiam cælum? Audi S. Cyprianum. *Cum corpus è terra, & ſpiritum poſſideamus è cælo, ipſi terra & cælum ſumus.* Quod licet ita ſit, pars quam de cælo habemus alteri cedit, quam ex luto ſumpſimus, & obliti cæleſtis originis ludicra ſectamur.

D. Baſil. ho. 15. in Pſal. 61.

S. Cypri. expoſit. in orat. Domin.

Nihil minus accideret mortalibus dato quod rationis compotes eſſe non daretur, & uſque ad mortis exitum producerent infantiam. Puerorum eſt ita vilia quædam pretioſioribus anteferre, ut adamantem relinquant oblato pomo: guſtui; non rationi morem gerunt illi. Haud aliter hominum evenit moribus. Ideo gentium Apoſtolus monebat Corinthios, ne parvulos imitarentur: *fratres nolite pueri effici ſenſibus:* animadvertebat etenim quod ſenſuum ducatum ſequentes flocci pilique facienda pueriliter deperimus; æternùmque, ſi voluerimus, perennatura negligimus. *Quid? eorum qui avaritiæ ſerviunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanas ſectantur hominum laudes: nonne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè ſpiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri.* Exquiſitiſſimis utimur mediis ut illud aſſequamur, quod attinet labentis vitæ commoditatem; animæ depellere mortem, nec obviis remediis curamus: illud anhelat homo (iterum dicam, imò & oſtendam) ſuper tecta conſcendens; hoc autem nec rogabit pulſans ad oſtium.

10.

Pro vitæ cæ modo tecta conſcëdimus; ad ſpiritualia, nec per januam.

1. Corinth. 14. 20.

S. Bern. epiſt. 341.

Domo quadam ſedebat Capharnai Redemptor docentemque legis doctores audiebant & Phariſæi: ſimulque ad morbos depellendos paratiſſimus erat cæleſtis medicus more ſuo. Et *ecce*, inquit S. Lucas, *viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre & ponere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum, & per tegulas ſummiſerunt eum cum lecto in medium ante Jeſum. Quorum fidem ut vidit,*

Luc. 5. à n. 18.

dixit : Homo remittuntur tibi peccata tua. Et poſtea membra quæ ligaverat paralyſis verbo ſolvit cuncta potenti, dicens : *tolle*
Ibi n. 24. *lectum tuum & vade in domum tuam.* Bone Deus, quare ſcelerum veniam præbes non petenti ? largire ſanitatem quam expetit anhelanti corde : ſic doctum prodigio pœnitebit criminum, & revertetur abſolutionem poſtulaturus. Qui dixiſti familiaribus intiIoan. 16. 24. mis : *petite & accipietis* ; extraneo donas animæ vitam, quin ille roget ? Piiſſimâ quidem clementiâ Dominus uſus eſt, miſeri non ſolum crimina ; ſed inertiam dolens. Videbat illum per ardua tecti quærentem corporis morbo liberari : (nec enim credo demiſſum fuiſſe per tegulas invitum:) ſciebatque Salvator hominem hunc nec per januam poſtea reverſurum, ut peteret indulgentiam delictorum : neque poſt recuperatam ſalutem fore ut coram Domino immoraretur :
Luc. 5. 25. ait enim Evangeliſta : *& confeſtim conſurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat: & abiit in domum ſuam magnificans Deum.* Idcirco Dei Filius differendam non eſſe judicavit delictorum remiſſionem : utpotè quam nec ad oſtium poſtulaturus erat paralyticus, licet ut membrorum vigorem acciperet, nulli diligentiæ pepercerit. Hujuſce morbidi circa ſpiritualia neglectum venatus eſt Chryſologus ex eo quòd grates de peccatorum ultroneâ condonatione Servatori
Chryſolo. ſer. 50. nequaquam retulerit. *Audit*, inquit, *veniam & tacet paralyticus, nec ullam reſpondet gratiam, quia plus corporis, quàm animæ tendebat ad curam, & temporales ærumnas reſoluti corporis ſic deflebat, ut æternas pœnas reſolutionis animæ non deſleret.* Quot paſſim ægro conſimiles iſti numerabis in animarum curatione ſollicitanda, qui pro mundanorum conſecutione nullum non movent lapidem ; ad cæleſtia verò nec pedem ! per invia, totoque virium niſu volantia venantur ; ad æterna torpentes languent, deſi-
Incertus S. Hiero. to. 4. epiſ. ad amicam. d. ſcientiâ divi. leg. ciunt, jacent. *Pene totum patrimonium*, ait S. Hieronimus, *aut negligitur aut donatur, ut conſulatur vitæ quandoque perituræ, & pro æterna ſalute omnis admodum homo negligens eſt* &c.

11. *Poſtremo loco ſpiritualia poſtulamus.* Alios invenies qui non ſanè penitus omittunt ea quærere bona, quæ ſpiritum divitem reddunt ; ſed orationis pulchritudinem deſideriis mundialibus decolorem reddunt.
S. Ambr. to. 2. in pſal. 118. octon. 21. Unde ſuadebat S. Ambroſius, dicens : *nihil quod alij noceat poſtulemus, nihil quod nos ſæcularibus petitionibus decoloret.* Multi ſimul ſpiritualia deprecantur, ſed reſervant hæc ultimo loco reponenda cùm preces emittunt: & ſi dicere ſolemus ex philoſopho : qui tardè fecit, diu noluit, de his poſſemus effari ſimiliter : qui ſerò petiit, ſæpè contempſit. De hoc nihil dubito. Nunc tantùm illud miror : quod poſtquam ſupplicationes Altiſſimo varia rogantes offerimus, in hæc verba clauditur oratio ; & poſt hujus vitæ periodum, quæſo Domine, ut mihi tribuas animæ ſalutem, quod inter cuncta præcipuum. Bellè, ſed cur præcipuum tandem poſtremò flagitas ? cur non ante omnia ? Fortè quia ſalus animæ nos ipſos quærit, & illam Deus offerens larga manu, ſtat jugiter ad oſtium & pulſat ; cùm econtrariò quidquid caducum eſt evolet : priuſque oportere judicamus inſequi fugientes, quàm aperire pulſanti : quaſi non unquam acciderit moras trahenti quod recludere fores tunc voluerit cùm jam *ille declinaverat at-* Cant. 6. 7. *que tranſierat.*

Merito dixit Spiritus ſanctus ore Salomonis : *melior eſt finis orationis quàm prin-* Eccle. 7. 9. *cipium.* Hæc verba licet aliqui de ſermone intelligant, alij verò aliter : placet expoſitio de precibus quas Deo fundimus, quia planior. Ita Dyoniſius Carthuſ. interpetratur ibi : *nempè ſi oratio à devotione incipiat, &* Dyoniſ. Carthu. in *in diſtractione terminetur, invalida eſſe, aut* Eccle. 7. 9. *parum valere cenſetur. Si autem à diſtractione inchoetur, & in recollectione, devotione, & fervidâ unione finiatur, idonea judicatur.* Et quid amplius initio, quid verò minus in exitu orationis invenitur, ut oraculo Sapientis, clauſula precationis laudetur præveſtibulo ejuſdem ? quinimo ſolent homines incipientes orare totius devotionis jaculari fervorem ; declinant poſtea multò priuſquam deſinant : meliora igitur ſunt orationis initia. Falleris : ne judices precum excellentiam ex ſolo fervore : ſæpe, quia nocitura poſtulamus, ardor ipſe noſtrum exaggerat errorem. Attendenda potiſſimum rogationis materia : juxta quam Salomon præcitatis verbis extulit principia deprecandi. Incipimus obſecrari eum, à quo datum omne deſcendit, poſcentes illa quæ ſpem fallunt inanem : poſthâc animæ bonum tandem imploramus. Inde conjice quàm verum ſit : *melior eſt finis* &c.

12. *Terra conſpectum oratio vitet.* Ut iſta quæ obteſtantes erramus toties, emendemus in melius : æquum erit vota noſtra ſic à terrenis evellere, ut nec in eorum conſpectu permanere ſinamus illa. Excelſum ſibi vendicat precatio Deo ſacra locum: nam, ut Caſſiodorus pronuntiat *oratio ſerenat, cor,* Caſſiod. in *abſtrahit à terrenis, mundat à vitiis, ſubleva-* pſal. *vat ad cæleſtia* &c. Aſcendat igitur in ſublime humilitas rogatuum noſtrorum : amoris pennis evolet : ita quod videre nequeat terræ flores quæ citò placent, citiùs marceſcunt, citiſſimè cadunt.

Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, Eccl. 35. 21. inquit Eccleſiaſticus. Oratio-ne fertur ſuper altitudinem ætheris, orantis relinquens pectus inerme ? quid ſupra nubes inquirit ? Deum ? Illi dicere poſſemus : quod quæris, intus habes : nullo quippè circumſcribitur immenſus loco : ſubtus nubila commoratur etiam Altiſſimus. Ergo dum orator degit habitaculo terreſtri, preces maneant ibidem, non minus exaudiendæ dum ſe proſternunt humi, quàm cœli faſtigia cùm ſollicitant. O prudens orationis ingenium ! ſibi timet à terræ vicinio contagium. Volaturit, & ſupra nubes collocat ſeipſam, ut iſtarum interpoſito velo, nec terrea cernat : ſic enim aptius diſcernet quid ſupplicet. S. Bernardus expendens ea Siracidis verba. *Sed* S. Bern. ſer. *& in alio loco legis : quia oratio juſti cœlos* 3. d. Epipha. *penetrat. Oratio, inquam, non cujuſlibet, ſed juſti. Nam qui avertit aurem ſuam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Porro ſi juſtus eſſe volueris, & non avertere aurem*

tuam

tuam mandatis Domini, ne avertat & ipse suam à precibus tuis, necesse est ut non solùm præsens sæculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, & subjicias servituti. Fascinari timet orator pius: nec securitatem nanciscì putat, nisi positus extra jactum oculorum, obliviscatur futile cunctum, solummodoque de cælestibus exsatietur.

13. *Quærunt alìqui Deũ, quasi non quærerent.* D. Aug. to. 8. in Pl. 52.

Deum quærunt plures ab eo multa postulantes: & nihil minus quàm Deum quærere videntur: ut namque dixit Augustinus, *qui propter sæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem, & terrenam fœlicitatem, invocant Deum, non invocant Deum.* Sapientissimè pariter, & piè. Dicito, quæso. Qui sciens prope fontem flosculos quosdam enasci, quibus eget, viam cœpit ut carpat illos: dato quòd, antequam perveniat illuc, fiat certior ejusdem generis flores alio nasci prato, ad quod via planior est: nonne jam cœptum deseret iter ad fontem, ut faciliùs colligat quæ ipsi fuerant in desideriis? Non dubito. Sed quare deviabit ab incepto? Quia fontem non propter ipsum quærebat; sed flores legendi gratiâ pergebat isthàc. Arripit cor humanum arduam semitam, vitia declinat, præterita dolet, sensuum januas claudit, Deum quærit, mundanas fœlicitates obsecrans, quæ non aliud quàm florea germina sunt, quæ primo cum Sole sepelit occasus. Hæc eadem promittit homini sæculum, addens latissimam, plenamque deliciis aperiri viam, quâ tenditur ad prata. Relinquet ne Dei tramitem viator ut alium sequatur latiorem, & viridantia decerpat minoribus impensis? Proh dolor. Cur ita, nisi quia Deum non exquirebat propter Deum; sed ut requireret flores, incipiebat pergere ad fontem? Istis vel similibus dicebat emphaticè Præcentor propheticus Evangelij: *si quæritis, quærite, convertimini venite.* Videbitur fortè repetitio supervacua: *si quæritis quærite*: quærentes monet ut quærant? hac monitione desides indigent; at si jam sollicitant, quid hortatur? Disertè commonet: quia Deum vestigant nonnulli, quasi aliud indagarent, eò quòd multa, quæ Deus non sunt, præcordiis totis amplecti cupiant. Opportunus est Bernardus ad hunc locum. *Quid est si quæritis quærite? in simplicitate cordis quærite illum. Non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum.* Solus verè Deum inquirit qui sua dirigit opera, non ad inania; sed *ad vitam.*

Isai. 21. 12.

D. Bern. ser. 2. de altitud. & bassitud. cordis.

DELIBATIO II.

Opus justi non ad solos fertur carpendos fœni flores, hominum scili. vanissimas laudes.

14. *Hominũ opinio ad apprehendendam virtutẽ suffi-ciens monitor non est.*

HUmana superbia, satis paradoxa, despicit cunctorum judicia: simulque se subjicit omnium opinioni. Sua nimiùm extollens nulli cedit; at vanæ gloriæ vento plena putat eò tantùm perveniisse, quò dixerint hommes. *Quid facis homo?* (exclamat Chrysostomus.) *Alij reddituros es rationem factorum tuorum, & alium testem citas eorum quæ facis?* Gloriolæ vanissimæ leno, dum virtutes colit ut laudem suffuretur, prope divinam rem subdit mendacibus linguis timens, ac tumens. Displicere populo veretur idem qui sibi soli complacens exultat. Quasi non Deo, sed hominibus, inserviat cum operatur benè, quæritat hominum gratiam pro mercede: quo fit ut Deum virtutis illius debito liberet certissimum & magnificum redditorem; hujusque loco sibi debitores faciat eos qui solvere non valent æquale virtuoso facto pretium. Appositè Chrysostomus idem: *Cùm boni quippiam feceris, noli à me gratiam flagitare ut Deum certè habeas debitorem.* Et post pauca. *Habes igitur locupletissimum debitorem, cur illum relinquens, me exigis hominem pauperem prorsus ac tenuem?* Nemo est qui nolit potius divitis, quam egeni creditor esse, dato quod opulentus ille debitorum fidus, & sine mora, solutor agnoscatur. Ii tamen quos popularis auræ sonus vexat mendax, pauperrimis creditoribus contenti, mentium suffragiis humanarum acceptis favorabilibus existimant sibi satis superque factum: & bonorum omnium præbitoris Dei largâ manu remunerari parvipendunt. Virtuti debelissima fundamenta jaciunt qui mundanarum laudum amore ducti rectam aggrediuntur semitam. Quid enim vento debilius, ut superædifices Domini templum, quod tantæ molis est ut non nisi tota vitæ serie claudatur ædificatio? Alienum de te judicium residet in judicante, structura verò virtutum superimposita cordi tuo crescit: quî fieri potest ut super alterius existimationem construas domum, quæ proprium intra pectus exurgit? Adde quod virtus lux est; vana gloria quid præter umbram: & face quæris umbram? Vel ista fugiet; vel extinguetur facula: frustra laboras: nequaquam virtutem coles hominum opinione solâ ductus: hæc enim fragillima; operum autem bonorum fructus, cùm solidi sint, egent altiori radice.

Chrysost. ho. 3. in c. 6. Isai. tom. 1.

Idem to. 2. ho. 15. in Matth.

Heli Sacerdos malè moratos genuit filios, ita ut de illis in sacro textu dicatur nescivisse Dominum; non quod veri Dei caruerint agnitione; sed quia sic vivunt quasi Deum nesciant illi quos Omnipotentem hostem habere non pœnitet. Objurgavit illos genitor in hæc verba: *Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei* &c. Sequenti cap. refertur Dei revelatio Samuëli puero facta, quâ Deus Heli minabatur supplicium, eò quòd paternam erga filiorum crimina curam omiserit. *Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Difficilè componi videntur hæc verba cum præcedentibus: *quare facitis res hujuscemodi* &c. En Heli filios increpat; & adhuc illos dicitur non reprehendisse? qua de causa? Quia media non applicuit apta ut eos ad meliorem frugem revocaret: dixit eis: *nolite filij mei: non*

1. Reg. 2. 23. 24.

Ibi c. 3. 13.

enim est bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini. Rumore populari pater utitur ad gnatos corrigendos? Debile fundamentum suppositit virtuti quam filiis cupiebat suadere parens: arguit eos nihil agens. Idcirco Deus asserit verè, quod sacerdos non corripuerit genitos. Non deserit crimina qui solas ad hunc finem attendit hominum linguas, quia non ex ventorum flatibus germinat arbor: & quid sunt mortalium bona vel mala elogia rationis expertia nisi ventus, vel secundus, vel contrarius? Audi Gregorium occasione constantiæ D. D. Pauli, dicentem: *unde & illa arbor altè radicata, quasi inter adversantes ventos fixa steterat, quæ dicebat: per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.*

D.Greg.M. l.22.mora. c.5.tom.1.

15. *Lingua mentitur etiam cum laudat benemeritum.*

Illas tantum laudes, quas furantur indigni, vanas existimas? Etiam benemeriti præconiis vanitas est: nam & ibi vulgaris echo mentitur: & quidquid adjicit veræ laudi, destructio hujus est. *Itaque*, ait Philo, *nec laudare nec vituperare videntur qui in alterutro aliquid admentiuntur de suo.* Nec quia laude aliquâ dignus est is qui effertur, ideo desinit esse vacua laudatio quæ superat meritorum pondus. Quid refert utrum flores fœni carpat homo; brutumve pascatur eisdem? erunt idcirco minus futiles quia rationali manu decerpuntur? Utrisque mentitur humana laus, dignis, & merito destitutis. Ita fraus transiit in consuetudinem, ut necnon cum promeritus extollitur, veritas deseratur.

Philo Hebr. tom.1. l. d. migrat. Abrahæ.

Dei gloriam zelatus David ad singulare certamen occurrit Philisthæo Israëlis ignaviam exprobranti: percussum fronte prosternit hostem: & accurrens amputat illius caput ejusdem gladio: novum quippe non est superbo ense proprio jugulari. Caput inimicum reversus portabat victor armis onustus, & honestatus: cùm ex universis urbibus Israël egressæ mulieres in ejus occursum choros ducebant, faustumque canebant ovanti. *Et præcinebant mulieres ludentes atque dicentes: Percussit Saül mille & David decem millia.* Ecce duplici verbo duplex mendacium: nec enim tunc Saül mille percusserat, nec decem millia David. Nil mirum quod pro Saülis encomio mentiatur vulgus, & quia regi placere qui cupit odit veritatem: & quia laudes umbræ sunt virtutis ac solent crescere tenebræ cùm lux decrevit. Saül nihil egit pro Goliathi cæde: meritorum luce carentes fiunt clarissimi per laudis umbram: proinde fallax encomium Saülis non me movet. Circa Davidem cui sufficiebat victoriæ suæ veritas, cur, & ad quid falsum comminiscitur fœminarum plebs? Assueta fictionibus lingua veritatem denigrat. Indignum benemerenti conjungunt: utrumque simul collaudant & cùm erga priorem mendaces fuerint, etiam de posteriori falsò narrant: *percussit Saül mille, & David decem millia.* Sic odio habetur veritas, ut ab hominibus etiam cùm augetur imminuatur.

1.Reg.18.7.

16. *Remunerãdo fallere ingenium odij est.*

Et hoc illud est dilectum adeo ferè cunctis bonum, ut quosdam desiderio trahat? nonnullos gaudio dementet? alios cadendi metu debilitet? O cæcum laudis amorem! Timendum potius esset quod amplecteris. Vel fabulosè lauderis, aut veraciter, si sapis, time: sic solent humilitatis amatores. *Si cor veraciter humile est, bona quæ de se audit, aut minimè recognoscit: & quia falsa dicuntur metuit: aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat*, ait laudabiliter contra laudes M. Gregorius. Qui laudari promeruit, pavet non sine causâ cùm se audit prædicari: nam virtutis pretium accipit ab eo quem sibi novit parare malum: à sæculo nempe, quod per ista ruinam sollicitat ipsius. Hinc videant qui mundo serviunt quàm turpius decipiantur meritorum solutionem accipientes ab eo, quàm si penitus illâ fraudarentur. Minus est prorsus denegatis præmiis eludi, quam donis falli. Quem virtutum facinoribus heroem vel mundus oblivione sepelit, aut lapidibus obruit, liberum relinquit, ut saltem querelas emittens animi dolorem levet, ac tandem prudens ingrato domino valedicat. Illius verò quem fallaci bono remunerat obstruit os, manusque ligat, ut discholo nimis hero jugiter famulatus adhæreat silens. Odio prosequitur virtutis asseclas: *nam quemadmodum non valet justos diligere: sic non potest mundus suos non amare fautores*, ait Antistes Venetiarum. Ut autem circumveniat incautos, multa distribuit eis qui non timent illum & dona ferentem. *Illos igitur solos* (addit S. Doctor ibidem) *qui ignorant Deum, & futura non prævident, decipit mundus. Aureo etenim eos inebrians calice, variis donis, pollicitationibusque deludens ad sempiternum trahit exitium.* Non omnino promissa negat, sed adimplet nonnulla mundus: quod pejus puto: nam ingenium odientis est remunerando nectere dolum.

D.Greg.M. proximè supra.

S.Laur.Just. in fascic. amo.c.11.

Idem ibi.

Obvia sunt exempla, sed repetamus historiam victoris Davidis. Promiserat inter alia Saül percussuro Philisthæum filiam uxorem. *Virum ergo, qui percusserit Philisthæum ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israël.* Exemptionem à tributis, opesque promissas accepisse Davidem à Saüle non lego. Sed mirabilius est quod genitam in conjugem obtulit inviso Davidi, consequi renitenti celsam adeò sortem: *loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. Et locuti sunt servi Saül in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: num parum videtur vobis generum esse regis?* Odium & invidiam adversus Davidem fovebat pectore Saül ingratorum exemplar: & eundem quem oderat cupit sponsalibus regiis evehere? illum desiderat exaltare, de cujus fortunâ livore tabescit? gratitudinem ignorat, & munerat præmio? Ingeniosè fuit ingratus, hostis, & invidus. Vidit quòd si Davidem totaliter irremuneratum præteriret, is curiam relinqueret, ac prælia: necnon & querimonias emitteret de regis ingratitudine, quibus regalis munificentiæ splendor non parum dehonestaretur. Quid molitus est peracutum livoris genium? Solutionem Davidi parat

1.Reg.17. 25.

Ibi c.18.24. 23.

exhibere

exhibere nocituram, scili. affinitatem regalem, quæ stimulos adderet bellicæ strenuitati, suadens in pericula ruere : *dabo eam illi ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philistinorum.* Imponere Davidi voluit Saül fidelitatis colore, solutione dolosus; non obliviis meritum sepeliens: putarunt enim ejus odium, ingratitudo, & invidia, miserrimè decipiendum fore Davidem, si remuneratio tegeret astutiam. Satagebat Saülis calliditas vindictam exequi, non insidias parans; potius promissa, sed insidiliter, observans : *quem dissimulator callidus ut sine insidiis suis posset offerre discrimini, statuit eum Michol filiæ suæ nuptiis alligari, si centum sibi allophylorum præputia victor offerret.* Ita D. Isidorus Hispal. O supremam perfidiam! gratitudinem ingratam! hostile donum! Haud aliter, nec amplius recipiunt mendaciis mercedem suam qui tantùm ut hominibus appareant, cunctorumque per ora volitent, benè operantur.

Ibi n. 21.

S. Isido. Hispal. in 1. Reg. c. 11.

17. *Calumniam ob virtutem passus honoratur à Deo.*

Multò meliùs accidit eis qui contemnunt elogia sonora, tutam despectionem diligunt, vel saltem hominibus placere non curant, ut Filio Dei se gratos exhibeant, qui ut nos exaltaret, existimationem suam libens hominum vituperiis exhibuit. Illorum quilibet, quantò humilior, tanto sublimior est. Lucet margaritum in sordibus : & fulgor adamantis etiam in tenebris irradiat. His cohæret Origenis adnotatio circa oblocutionem fraternam adversus Moysen, dicentis : *audite nunc & quantum beneficij conferant iis, quibus obtrectant. Nunquam invenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus, quando ab hominibus ei derogatum est.* Igitur Dominus mensura servis suis eâdem remetiri gaudens, eis, qui virtutis amore calumniam pro laudibus inveniunt, donat quod gloriosè multorum linguis efferantur.

Orig. tom. 1. hom. 7. in Numer.

Solemne Paschatis urgebat festum, quo Verbum incarnatum Phase, hoc est Domini transitum celebraturus erat in cruce, ut genus humanum transire faceret à mortis vinculis ad vitæ libertatem. Diversabatur Dei Filius apud Simonem. Occasionem arripuit Magdalena, quâ profunderet eidem unguenti alabastrum obsequiosâ pietate: nec largitas detractionem effugit. *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes : ut quid perditio hæc ? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Ecce duplicem una virtus injuriam patitur: fugillatur quippe de avaritia erga pauperes, ac de prodigalitate circa Magistrum. Redemptor denigrari cernens candidam pœnitentis liberalitatem, suscipit ejus partes : additque nominis claritudine munerandum opus egregium. *Amen duo vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Incongruum prima facie videtur quod humilitatis exemplar, deliciarum osor, advocatum exhibuerit seipsum pro Magdalenæ unctione : *causam illius publicè tuendam suscepit*, inquit Victor Antiochenus. Nonne decentius fuerat ut v. g. jussus Petrus pro defensione Magdalenæ loqueretur ? Exemit gladium Redemptori nequaquam placiturus ? Et mulieris causam non tuetur, quæ Domino placebat ? Calumniam passa fuerat hæc Magdalenę virtus: non homini puro ; sed ipsi Deo incumbebat illius honorem curare. *Vide autem Dei misericordiam quomodo mulierem magnis donis remunerat : facit eni meam memorabilem ubique* &c. Hæc Theophylactus. Placuit equidem Apostolorum Principi mulieris pietas : nam juxta probabilem Augustini, Hieronimi, Theopylacti, & aliorum sententiam, solus Judas indignatus est de unguenti sumptu ; non illius tamen erat honorem pro detractione retribuere Magdalenæ : hoc munus extat Filij Dei, qui cernens gladio linguæ vulneratam, de bona ejusdem existimatione sic providè satagit, ut promittat ipsius piam largitionem per orbem evangelizandam : *ubicumque* &c. Qui capillos numerat, quomodo non famæ jacturam munerabit ? Calumniatorum venenata spicula ne paveas : lilium non fœdatur spinis ; alienæ sunt. Non aqua terit illa, quæ rodit cretam. *Quot virtutes, tot lilia*, dixit Bernardus. Aqua populum designari non ignoras : fluit illa, scinditur iste, murmurat uterque : attamen sicut rigat florum radices aqua, ut pullulent, sic detractio patientiæ serviat ut germinet, nec te quasi luteam glebam dissipet.

Matth. 26. 8. 9.

Ibi n. 13.

Victor Antioch. ad eum locum.

Theophylac. in Matth. ibi.

S. Bern. ser. 70. in Cant.

18. *Permittit aliquando justus ut ejus virtus appareat vitium.*

His edoctus quisquis deridet hominum opiniones aëris incolas : dixitque cum Augustino detractori suo : *quod de animo meo verum non sentis, facilè contemno.* Non tantùm linguarum tela deludit illæsus; sed opus suum aliquando permittit sceleris faciem induere, ut extra laudationis jactum posita virtus, eò securior sit quo magis exposita fuerit vituperio.

D. Augus. l. contra Secundin. c. 18. tom. 6.

Ecclesiæ primitivæ tempore noviter conversi possessionum suarum quas vendebant pretia dicabant ad Apostolorum pedes: ut opum contemptus, & communis vita, Dei, & condiscipulorum dilectionem testaretur. Ananias quidam, cupiditati simulque Deo morigerari volens fraudavit de pretio agri : solamque partem obtulit Apostolis. Non tacuit fraudem Vicarius Christi ; sed illam alumno perfido conjecit in faciem. *Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri ?* Hicne ille qui, ut ejus qui propter nos egenus factus est vestigiis insisteret, omnia reliquit ? Nunc pecunias veluti numerat ? & quia non integras invenit, reprehendit illum qui non rapuit partem, sed noluit donare totum? Male videntur ista cohærere : intantùm, ut Beda non judicaverit superfluum admonere nos quod Petrum hoc loco non fœdavit avaritia : *non quæstus causâ tam severam in prævaricatorem sententiam dedit.* Pharisaice scandalizabuntur aliqui dicentes : hic est paupertatis magister spontaneæ ? pecuniis alienis inhians ? iis quæ offeruntur non saturatur ejus ambitio, & hominibus omnia linquere suadet ? His vel similibus nævis Petrus virtutis candorem suæ non metuebat offuscari ; quinimò permisit occasionem,

Actor. 5. 3.

Beda in Acta, ibi.

non datam, sed fortè sumendam. A divitiarum cupidine longè distabat Apostolorum Primas: & non difficilè, utpote qui vinculis earum nec ante vocationē irretitus, pauperrima retia possidebat, & naviculam. Attamen ut virtus oppugnata cresceret, calumniis illam patere non veritus, avaritiæ nigro colore sineret ipsam infuscari. Quapropter quid ad integritatem pecuniæ superesset ab Anania vovendæ non siluit: cùm tamen ita contemneret illam, ut non propriis manibus acciperet oblata, sed ad pedes posita veluti conculcaret: quippe non eum latebat quòd postea successor ejus Greg. M. monuit, dicens: *sciendum est quia ne immoderatis laudibus erigamur, plerumque miro rectoris nostri moderamine, etiam detractionibus lacerari permittimur.* Huic se providentiæ subdebat Petrus, patiens ut fortassis inureretur ei nota, quæ fugaret laudum pericula. Ita docet spiritualis politiæ regula virtutem sectari: proclamationes parvifaciendas admonet tam generosè, quòd, si oportuerit, virtutem non pudeat induere vitij faciem. *Opus justi* non ad encomia diriguntur ab eo; sed *ad vitam* spiritus assequendam.

D. Greg. M. l. 22. moral. c. 5. to. 1.

DELIBATIO III.

Opus justi non ad sæcularis honoris pompam.

19. *Honor sæculi nugæ, subsannatio.*

CUm regna mars premit universorum vastator sanguineus: consumptis jam regalis thesauri copiis, exhaustâ populorum substantiâ, solent reges è vilissima quaque materia monetam cudere, cujus valor ab ore pendet potius quàm ab ære. Sic oppressâ nimis adverso assiduoque prælio mundiali potentiâ, quasi necessitate coactâ, metalli abjectissimis, imo & ligni, frustulis æstimationem indere non piget sceptra regentem: hanc enim exlex indigentia legem ferre solet, ut nemo recuset infima, quò sibi consulat. Militia est hominis vita. Mundus ut bella gerat, pauperie se pressum dolens, numisma cudi jussit quod honorem appellat, ut militum suorum stipendia solvat fidelis & mendax. Non de illo nunc agimus decore, quod apud sapientes magni ducitur; sed irridemus mentitum, quod inter entia rationis numerat Christiana philosophia. Tumidum istiusmodi titulum ab honorante mensuremus: & videbis quàm verè dixerit Chrysostomus: *nihil humana gloria vilius, nihil abjectius: dic enim, obsecro, si videre contingat multitudinem parvulorum, eorum scili. qui subjecti uberibus sint, nunquid ab his gloriam cupis? ita te necesse est gloriæ causa ad omnes homines affici.* Ridiculum esset à lactentibus honorari, & hujusmodi fælicitate superbire? Infantilia sunt hominum judicia: si ab eis honorem accipias, nugæ sunt: crede te per ista subsannari.

Chrysost. to. 4 hom. 2. super epist. ad Tit.

Dimisso Barabba Iesum flagellis cæsum tradidit iniquis Pilatus. Tunc militum cohors exultat velut victores captâ prædâ, totiusque ludibrii ludum instituunt Redemptori gravem, sed levitatis militaris testem. *Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Ave rex Iudæorum.... & ponentes genua adorabant eum.* Locum expendens & jocum Ambrosius ait: *quod detestabili licet mentis operentur affectu, honoratum tamen exitum produnt, cùm pungentes coronant, & illudentes adorant, & si corde non credunt, quem perimunt confitentur. Illis defuit boni operis affectus; Deo tamen suus non defuit honor: qui salutatur ut rex, coronatur ut victor, quasi Deus, & Dominus, adoratur* &c. Quis nisi Ambrosio duce auderet credere Servatorem spineo diademate, ridiculariis genuflexionibus, & salutationibus fictis, à militibus honorari? subsannabant illi, sed illusione colebant? Utique: nam subsannatio est sæculi cultus. *Omnis enim purpura illusio est, postquam Domino Christo Iesu in purpura est illusum. Eodem modo omnis corona & omne sceptrum.* Ita Cardin. Hugo. Et adhuc licet ista credat *miser homo manibus & pedibus reptans ad honores, sui dedecoris gradum nititur ascendere.*

Marc. 15. 17. 18. 19.

D. Ambr. l. 23. in Luc. tom. 3.

Hugo Card. in Eccle. 2. 2.

S. Antoni. Olyssip. ser. Dom. 1. post Epiph. 20.

In dubium verti posset, quid sit in humilitatis palestrâ glorioſius fortitudinis opus: honores ne mundanos declinare, seu acceptos fortiter spernere? Dicerem strenuioris animi facinus esse decus admittere ut abjicias, quàm refugere ne decipiaris. *Quapropter etiam valdè magno animo, sublimique opus ingenio est, ut dignitate uti, non abuti, possis.* Terga vertens pompæ sæculari vincit equidem; sed fugæ præsidium quærens, victoriam aliquantulum denigrare videtur: dicent enim cuncti ausum non fuisse aperto marte congredi. Qui se venerari sinit, ut oblatam pedibus terat gloriam, non aufugiens, sed pugnans triumphat. Timere nescientis est exhibitam ab hominibus gloriam non rejicere, sed proculcare.

Timere nescientis est humanam gloriam non rejicere sed acceptam proculcare.

Chrysost. to. 2. hom. 41. in Matth.

Postquam beatissima Virgo prædilectum Unigenitum per triduum non viderat, eo quòd ipso absente lumen amiserat oculorum, invenit *illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus.* Vel, Domine, abscondi sapientiam qua polles, vel in theatrum jam prodire cupis. Si latibula quæris, cur ita respondes ut admirationem commoveas? si apparendi tempus apropinquavit, cur interrogando vis ignorans judicari? siscitatur qui nescit; responsis prudentiam propalat qui sapit: utrumque simul extremum conjungis, & sapientem haberi, necnon pueriliter ignorantem? Volebat incarnata Sapientia splendorem fragilem ab hominibus oblatum despectui habere prudens, ita quòd nec illum vitaret; nec etiam plurimi facere putaretur. Ideo majestatem abjectioni mirè copulavit. *Ad ostendendum quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat, & ad comprobandum quia Deus erat eisdem loquentibus*

Luc. 2. 46. 47.

Beda hom. in Dom. infrà oct. Epiphan.

tibus ſimiliter reſpondebat. Miſcuit humile ſublimi, quò non fugaci declinatione triumpharet per vanæ gloriæ deſpectionem, qui ſolet eſſe vulgaris vincendi modus; ſed ut honorem accipiens protereret, ſe deriſioni ſuperborum objicere non timens. Parum eſſet vel tacendo, vel ſola dubia proponens, admirationes vitare: præbuit reſponſa, quæ mirarentur homines: audientium ſtupor extollebat docentem; nihilominus ne commendationem iſtam videretur facere multi, hanc expoſuit manifeſto vituperij periculo, dum inquirens fortè dijudicaretur inſcius, & rogans amitteret exiſtimationem quam reponens acquiſierat. Sic non diffugiens vicit gloriolam; ſed recepit ut calcaret. Difficillimam ſanè palmam!

21. *Summus inter honores quos Deus largitur, eſt amicitia ipſius.*

Vellem quidem ventoſo fugitivi nominis amori præbere medelam. Paratiſſimam reperies, dummodo velis. Honos à te quæratur ubi eſt; non ubi fingitur. Aves omnium præcellentiſſimum decus, quod nec invidia rodat, nec hoſtis decolorare audeat? Aſcende ad amicitiam Dei: nullum, dum vita mortalis manet, tenebris altius faſtigium. Amicitiæ lex eſt æqualitas inter amicos. Et licet qui hujuſmodi ſcripſere leges non de illa quæ verſatur inter Deum & homines locuti ſint, attamen & huic accommodari poteſt quod pro humana dixerunt neceſſitudine, cùm non minùs amor Dei valeat quàm natura. Illud neſcio cujus dictum de amicitia, quadamtenus applicari poteſt ei quæ Creatorem conjungit creaturæ: *ſæpe quidem inferioris gradus & ordinis, dignitatis, & ſcientiæ ab excellentioribus aſſumuntur in amicitiam, ita ut ſublimis deſcendat, humilis aſcendat.* Hinc ſic ratiocinari liceat. Cum deſcendendi capax eſt amicus excelſior, dividenda eſt inter utrumque diſtantia, ut hic partem ſe demittendo vincat; alter verò reliquum aſcendendo ſuperet. Quid verò ubi præcelſior univerſis, nempè Deus, deſcenſui præ infinitate aptus non eſt? quomodo ad paritatem, quam exigit amor, perveniendum erit, niſi creatura totam intercapedinem, quæ illam à Conditore ſuo dividit, evecta percurrat? O quam ſublimè volat amoris penna! quò pertingere mente vix evalet. Altitudinem dilectionis ab experto accipe. *Horum autem omnium bonorum culmen tenet amor: nihil enim in tota domo Dei amore ſuo pretioſius, nihil præſtantius. Hoc omnium donorum Dei maximum eſt donum ſuper omne donum, quòd non præſtatur niſi amicis, imo donum ipſum amicitia, &c.* hæc D. Thomas à Villano. Verè dici valet: ſummum inter honores quos divini Principis munificentia largitur, ipſius amicitia eſt.

Incertus ſub nomine Aug. l. d. amicitia, c. 4.

S. Thom. à Villano. ſer. 2. Dom. 17. poſt Pent.

Apoſtolis quos in familiares delegerat, dicebat olim cæleſtis Præceptor: *vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Intendebat diſcipulis exponere quid præmij pro totius legis obſervantia poſt mortem accepturi forent. Inſinuat Chryſoſtomus, dicens: *proponitur enim familiaris ſublimitas officiorum fœnore comparanda, cùm Domino certa negotiatio copulatur. Promittit enim & exigit .... ad amicitiarum verò cæleſtium potentiam ſervitutis obſequio pervenitur.* Amicitiam promittit Dei Filius intimam Apoſtolis in cæleſti curia fruendam, pro totius vitæ certamine multiplici, & promiſſionis largitas non mediocris viſa eſt Chryſoſtomo? Non deerit qui ſpectata remuneratoris liberalitate ſummâ, parcè Dominum cùm eis agere putet, dum familiaritatem his verbis offert ſolam in præmium. *Vos amici mei eſtis*, ait? Quid hoc præter id quo jam viventes potiebantur? Amicos ipſe vocavit Apoſtolos vita comite: *vos autem dixi amicos:* hoc ipſum conferet in cœlis, quod obtinuerant ſuper terram? Ad hæc. Unicum Apoſtolorum opus (omnia ſcili. propter Servatorem reliquiſſe) largiter adeo Dominus compenſaturum aſſeruit, ut in regno ſuo judices futuros annuntiaverit eiſdem, ſic ſpondens: *amen dico vobis quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël.* Poſtea verò præceptorum univerſæ obſervationi unicam repromittit amicitiam? *amici mei eſtis ſi feceritis quæ* &c. Pollicetur illam: hæc namque maximus eſt inter honores, quos à Deo creatura valet aſſequi.

Chryſoſt. ho. 2. in Ioan. 15. habetur poſt commen. in Joannem.

Matth. 19. 28.

Et adeò indubitatum eſt, decorem, qui ex amicitia Dei manat, præire cæteris ut ille proprius appelletur poſſidentis antonomaſticè: quaſi omnes alij dici poſſint alieni, quotquot homines adipiſcuntur ſuper terram. *Quod relinquis alienum eſt*, dixit Seneca. De bonis loquitur Philoſophus quæ vel invitus dimittes. Unum ex iſtis honor mundialis eſt: quem licet uſque ad extremum vitæ periodum retineas; mors tamen inexorabilis exactrix reſtituere coget: *ſuo quippe non alieno debet quiſque gloriari. Inanis eſt gloria quæ de alieno ære, indumento, ſeu alio quovis munere ad tempus collato poſſidentem attollit. Nam cùm voluerit ille qui dedit ad libitum valet auferre.* Sic D. Laurentius Iuſt. Non ita ſe habet honos quo juſti potiuntur per hoc quod ſint amici regum Regis: perennat ſplendor hic ultra mortis metam, citraque rapinæ metum permanet jugiter: ideoque propriiſſime vocari poteſt hujuſmodi gloria dilectorum Dei propria, ut ab aliis, quibus gloriatur homo, latum diſcrimen agnoſcamus.

22. *Gloria in virtute ſita dicitur propria hominis.*

Sen. epiſ. 69. fine.

S. Laur. Iuſti. l. de humilitate c. 1.

Cæleſtium viſionum ſublimis contemplator, loquens de civitate, quæ ſurſum poſita ſole non eget, inquit: *reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam.* Commentatur Aquinas: *reges hoc eſt Prælati, qui non tantum ſeipſos, ſed alios regunt:* Alcazar ibidem planiùs exponit: *addi fortaſſe poſſet multos etiam ex iis, quos mundus reges appellat, in cælum advecturos* &c. Quænam ſit iſta gloria, quis honos ille, difficile judicabit expendens ſuper ſepulchra regum coronas apponi ſolere, quaſi ad januam deponant regalia, cum ingrediuntur mortis domicilium. Eſto purpurâ ſepeliantur induti, murex hæredabit vermes. In reſurrectione pannoſus pauper, & ſuperbus Imperator, ſub æquali nuditate reſurgent: nec ſatellitij pompa, nec ſceptri fulgor apparebit

Apocalyp. 21. 26.

D. Thom. ib.

Alcaz. ibi.

rebit ultra. Quem ad supernam Jerusalem rex asportabit honorem ? Respondet Interlinearis : *puritatem conscientiæ :* sic enim verè pariter, & piè verbum illud, *honorem*, interpretatur. Amicitiam Dei secum deferent illi quorum sanctitas effulget : quæ quidem amicitia Dei est : hanc non amittent claritatem, sed illustres ipsius jubare cælestem Regiam adintrabunt. Preme illud *gloriam suam* : quasi reliquæ sint alienæ quas in vita mortali nanciscimur, ista, quæ Dei amicitiam comitatur, possidenti peculiaris est : *afferent gloriam suam & honorem : puritatem conscientiæ.*

23. *Ex meritorũ gloria decoramur præsipuè.*

Dividi valet in duplicem honos ille proprius amicorum Monarchæ summi : consurgit enim ex favore divino, ac humano merito. Quæris modo ex his duobus quale justum sublimat honoratiori titulo. Pro merito stat non unicum momentum. Cùm Dei beneficia justus adipiscitur, accipit ab eo qui dat omnibus affluenter ; cùm verò meretur offert donaria cunctorum Domino : beatius autem est (ipso teste) dare quàm accipere. Insuper liberalitas Dei, si meritum secludas, fortunæ datum forsan putabitur : nec nimiùm evehitur benemeritus fœlicitate simillimâ sorti, cùm hæc, ut vulgus ait, quærat immerentes. Meritò autem neutiquam fortunæ valet accommodare nomen : ideò plùs decorat habentem. Expende

D Aug. to. 8. in Psal. 103. Augustinum tandem. *In omnibus Scripturis supereminentissimam viam, supereminentissimum locum charitas obtinet. Non ad eam aspirent nisi boni. Hanc nobiscum non communicant mali : possunt communicare baptismum, possunt communicare cætera sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, & istam conjunctionem, charitatem nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum.* Inde argue dicendum similiter esse pro quolibet merito supernaturalis præmij condigno : nam isto caret improbus ; munera verò divinæ benignitatis, & justus & peccator accipiunt. Si solos qui scripti sunt in libro vitæ benevola manus Omnipotentis favoribus prosequeretur, omnes qui donis ejus fruuntur, magnos dicere deberemus. At non meministi Caimo securitatem, Esaü divitias, Nabuchodonosori potentiam, Malcho salutem imò Judæ osculum exhibitum à Deo ? Multoties beneficum se præbet ex inclinatione sola naturæ. Unde nemini judicare licebit ex acceptis beneficiis tantùm, se Deum habere propitium : præsertim quia sicut amantibus Deum & mala cooperantur in bonum : Sic non diligentibus & bona sunt ad malum via. Quid refert quòd ex imbrium affluentia lapis accipiat plurimum ; arbor verò satis parum ? est ideo fœlicior cautes ? Vel fœni flosculus, quia vitæ compos, topasios & adamantes, nedum silices, longè nobilitate superabit arbos : hæc enim fructum parit ; lapides quamvis pretiosi steriles sunt. Sic nobis accidit. Pluat Conditoris munificentia largitionum frequentes nimbos ; non hinc ; sed meritis decoramur.

Promisit Apostolis in passionis vestibulo

Joan. 15. 15. Dei Filius, dicens : *jam non dicam vos servos :* imò filios nominaverat antea. *Filioli adhuc modicum vobiscum sum.* Benè. Sed quomodo stat irrevocabile verbum cùm eo quod apud Matthæum dixisse refertur in talentorum parabola ? *Ait illi dominus ejus : euge serve bone.* Sic suos Deus alloquitur cùm illos mittit in possessionem æternùm permansuræ fœlicitatis. Apostolos in terris adhuc ministrantes, filiorum perillustri nomenclaturâ nobilitat ? cùm accipiunt coronas, iterum servorum nomine vocat eosdem, quos non ultra jam servos appellaturum spoponderat ? Vide. Filiatio divina donum Dei est ; hujus autem servitus, hominis meritum : cumque meritis amplius condecoretur justus quàm datis : in terris Apostolos non servientes dicere, sed filios, decrevit ; in cælis verò præcellentiori titulo, servi scili. hoc est obsequia Deo consecrantis, illustrat : tunc temporis enim cùm victores transcendebant caduca, potioribus oportebat excellentiis insigniri. Servi Dei honorificum nomen præire stemmati filiationis divinæ, colligo ex doctrina D. Antonij Olyssiponens. qui filiationem timori tribuit ; servitutem verò dilectioni. *O suavis timor, qui de servo facis filium. O benigne & verax amor, qui de filio facis servum.* Cùm etenim altiùs elevet hominem amor, quàm timor : infertur excellentius esse appellari servum quàm filium, de mente S. Doctoris, qui servitutem appropriat affectui ; filiationem verò pavori. Honorabiliorem dico servitutem, quia meritum significat non gratiam. Illud est potissimus honos : ad hunc ; non ad evanidam sæculi pompam justus contendat operibus efferri : relinquat alios iis, quorum spes emortua, reque vacua : sit *opus justi ad vitam.*

Ibi c. 13. 33.

Matth. 25. 21.

S. Antonius Olyssip. ser. Domi. 15. post Trini.

DELIBATIO IV.

Opus justi non ad terrenas voluptates.

24. Sen. epist. 60. *Causam gaudii ne quæsieris extra.*

S. Amb. to. 5. ser. 6. S. Laur.

S. Bern. epist. 118.

Sen. epist. 23.

Omnes tendunt ad gaudium ; sed unde stabile, & magnum consequantur ignorant, ait Cordubensis : cui adde Ambrosium : *scimus enim quod omnis homo gaudere desiderat ; sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet inquiri.* Hic ex divitiarum cumulo, ille à dignitatum splendore, alter de populari plausu, nonnulli aliter, voluptatem captant ; veram tamen non inveniunt, sed picturatam venantur. *Verum gaudium*, scribit S. Bernardus, *non est de terra, sed de cælo. Ideò non de hac convalle ploralionis, sed de illa quam fluminis impetus lætificat, civitate Dei. Et revera illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & cum possederis nemo tollet à te ; cui comparata omnis alia jucunditas mœror est*, &c. Gaudere nescit qui de bonis externis hilaritatem concipit. Non mæstitiam suademus, sed lætitiam corrigimus, mutari cupientes in melius : *disce gaudere*, monebat Seneca : *nolo* (addit ille) *tibi unquam deesse lætitiam. Volo illam tibi*

domi

domi nasci : nascitur si intra te ipsum sit. Causam gaudendi ne tu quæsiveris extra.

In hoc non erit difficile Baptistam imitari. Joan. 3. 29. *Qui habet sponsam* (dicebat ipse) *sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Nulli dubium est sponsum hic esse Verbum Dei, amicum verò Joannem ; hæreo tantùm illis verbis : Ibi c. 1. 23. *gaudet propter vocem sponsi.* Præcursor vox sponsi est : *ego vox clamantis:* hæc vox movit Joannis gaudium ? exultat ille de seipso ? Et quidem prudentissimè, ut intra se gaudij motivum claudens, lætitia perdurabili frueretur. Imitare amicum sponsi duce Augustino : D. Aug. to. 8 in Psal. 139. *gaudio gaudet propter vocem sponsi. Itaque fratres citò dixerim charitati vestræ, illi unusquisque probet se, non ut loquatur, sed ut de alio locutionis officium exigat. Gaudium autem taciturnitatis intus habeat in voluntate ; vocem doctrinæ in necessitate.* Cura igitur ut lætitiam ab intus habeas : nec enim solida sunt oblectamenta, Seneca ep. 98. in prin. quæ veniunt extrinsecùs : *exibit gaudium quod intravit.*

25. *Metus minuit gaudia.* Quantumvis fortunæ ridentis beneficio dulcedine diu perfruaris, vix timore anxio liberati poteris. Inde vide quàm sit mutila suavitas ista, cùm eam præscindat pavor. Plutarch. in moralibus. *Ut corpus*, ait Plutarchus, *non est capax voluptatum, nisi benè temperatum : ita animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu.* Hilaritatem diminuit horror : illa namque dilatat ; hic stringit cor : proindeque fieri nequit ut saltem non minus lætetur quicumque timet.

Experientia probat assertum ; non ideo Jacobum omittam. Suadente matre benedictionem paternam primogeniti loco petiit, ac obtinuit ille. Superveniens Esaü dolet jacturam, cominatur vindictam : qua de causa frater petit Mesopotamiam. Antequam ad Labani domum accederet, ejus filiam Rachelem vidit in agro, & præ lætitia profudit Gen. 29. 11. lachrymas : *elevata voce flevit.* Multò amplior gaudij materia fuerat benedictionem patris, quam natura denegaverat, fœliciter acquisivisse : nec tamen usque ad fletum gavisus est de hujusmodi sorte. Minor erat gaudendi ratio aspexisse consobrinam ; & hic ploratum reprimere non valuit, præ hilaritatis exuberantia ? Cur non sic accidit apud Isaac benedicentem ? Quia venatum Ibi c. 27. 30. abierat Esaü, & jam revertebatur. *Vix Isaac sermonem impleverat : & egresso Iacob foras, venit Esaü.* Verebatur Jacobus ne germanus indignatus, ejus fortunatissima gaudia veniens interciperet : & lætitiæ comes timor istam circumcidit. Ibi n. 20. Ad illa verba : *voluntas Dei fuit ut citò occurreret mihi quod volebam*, ait Chrysostomus : Chrysost. to. 1. hom. 53. in Gen. *adhuc in angustiis stabat Iacob, angebaturque plurimum timor ejus.* Et post pauca : *timebat & tremebat ne propter benedictionem fieret omnis maledictionis reus.* At verò conceptum ex Rachelis præsentia gaudium, non fratris metus, aliusve quispiam defraudabat : ideo planctum edidit præ magnitudine voluptatis.

26. *Voluptas feriendo volat.* Ut plurimùm quia luctus provocat extrema gaudij, lætum devenustat pavor diem, umbrisque ipsa nigrescit aurora. Non frustra prudens trepidat coram sortis risu, sciens voluptatibus hanc inesse conditionem, ut quæ demulcent, feriant, & simul abeant.

Habet hoc omnis voluptas
Stimulis agit fruentes :
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Insequuntur dolores lætitiam ; fugam capit ista ne pereat hostiliter agmine cruciatuum impetita : eligitque potius volando interire. Ac licet inimicis amaritudinibus esset immune gaudium, adhuc paveseeret : aliena sunt enim bona quæ possidet : latronis est fugitare nemine persequente. Ne minus pavendam esse voluptatem existimes quia fugientem experiris : vulnerat insimul, & volitat.

Salomon introducit impios in gehennalibus flammis ita sibi vera serò dicentes : *divitiarum jactantia quid contulit nobis ?* & Sapient. 5. 8. ne respondeat aliquis contulisse voluptatum copiam, statim per verba sequentia tacitè occurritur solutioni : *Transierunt omnia illa* Ibi n. 9. 10. 11. 12. *tanquam umbra & tanquam nuntius percurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam.... aut tanquam avis quæ transvolat in aëre.... aut tanquam sagitta emissa*, &c. Ecce quinque similitudines alligavit Sapiens, metiri cupiens ad amussim velocitatem, qua mundana gaudia volant : quasi priores quatuor satis non essent ad symbolum, addidit sagittam : & hoc ænigmate perfectè jam expressisse noscens quod volebat, aliud non adjecit. Pro voluptatibus aptissimæ similitudines mehercle sunt ales, navis, nuntius, & umbra : umbra, inquam, voluptuosi namque vita nox est : nuntius, quia hic nova defert, gaudium sola novitas alit : navis, est quippe voluptas tempestatibus exposita : tandem avis, quia lætitiæ mundiales aërem occupant, & prendunt ramusculos ut morentur ibi, nullo solido nixæ fundamento. Adhuc tamen deerat aliquid istis emblematibus : nam ex iis quatuor nullum vulnerat ; cùm tamen gaudia lethaliter iciant quamplurimos. Multa sunt arma quibus assimilari posset gaudium : quid potius invenit Salomon in sagitta ? Volat simul & ferit. Non lanceæ, non gladio ; sed sagittæ similis est voluptas, quia vulnerans evolat : *tanquam sagitta emissa.* Perbelle S. S. Ambr. in serm. Ambrosius. *Delectatio cecidit & præteriit, vulneravit & transiit, miserum fecit, & abiit : infœlicem reddidit, & reliquit.*

27. *Voluptates etiam postquam desiere torquent.* Notatu dignum quod sagittam voluptas antecellit in vulnere infligendo. Spiculum à nervo demissum, postquam pertransiit, non percutit quem jam præteriit ; voluptas autem postquam perivit, adhuc vulnus infligit : abit quod delectat, manet quod cruciat. Impiorum verba sunt apud Salomonem : *coronemus nos rosis antequam marcescant :* rosas præ aliis floribus eligit Ecclesiastes, ut cùm eis humana gaudia conferat ? Sapien. 2. 8. *Spina sepsit gratiam floris, tanquam humanæ* S. Ambro. to. 1. l. 3. Hexame. c. 11. *speculum præferens vitæ, quæ suavitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat.... semper tibi spina proxima est.*

Hæc Ambrosius de rosâ loquens & rosas. Quæ cum ita sint, Sapiens prudenter hunc selegit florem, ut cùm eo lætitiam sæcularem componeret. Dices tamen: dissidere videtur emblema: nam rosa spinarum satellitio defendit foliorum pompam; gaudia verò sic inermia sunt, ut antequam oppugnentur, dispareant. Quâ ratione putantur similia rosis? Commentatur Lorinus: *symbolum hoc est marcidarum voluptatum, quæ non sine punctionibus sunt, & brevi decorem, atque odorem perdunt.* Hujusmodi floris brevitas, cùm spinarum punctionibus adjungatur, humanæ lætitiæ similitudinem refert: eò quòd marcescentis jam rosæ cecidit venustas, & adhuc spinæ manum lacerant, si tollere velis è rosèto flosculi cadaver pietate ductus. Haud aliter postquam voluptas emarcuit, spina pungit: *præterit jucunditas non redditura, & manet anxietas non relicturа*, inquit D. Bernardus. Malis bonum istud crudelius est: illa namque quandiu permanent solum affligunt; gaudium antequàm sit, spe torquet: cùm pervenit, metu instantis excruciat anxietatis: & postquam disparuit serâ falsáque pœnitudine angit. Triplicem voluptas infligit ictum: & nullius vexatione motus vel suspirium edis? O letargum! Scire cupis quare hujusmodi rosarum aculei sensum minimè transfigunt? Quia flores maximi facis, & vix est qui doleat de illo quod magni ducit. Imò nec vides quod pungit, si suprà caput locas id quod placet.

Lorin. ibi.

S. Bern. epis. 113.

Voluptatum non videmus futilitatem quia magni facimus illas.

Redeant impia verba nonnihil pro pietate nos illuminatura. *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Sciunt flores istos languere citissimè? cur ex eis laureas contexere volunt? Cadet foliorum purpura; manebit spinetum sæve tempora cingens? Erat in votis aculeos non cernere, ne minus placerent rosæ, ac ne contuerentur quod pungit, supra caput collocabant quod recreat. Cogit experientia fateri voluptates marcere brevissimè: ex his tamen corollas texit voluptuosus perditè amans flosculos, quibus inest dolorum angor: & suprà caput positas ignorant oculi spinas, quas intuerentur nisi capitibus imponerent sentibus circumcinctos flores. Sed an quia non cernis ideo vel non pungunt, vel sunt longè positi? Si somnum excusseris, ad minus dolori tuo credes.

28. *Citius perit gaudium quàm adveniat dolor.*

Timor gaudij socius vulnera cavet, si sapis: & cavere nescit quia vulnerat. Fortassisque durius est perdere bonum quàm pati mala: nam jacturam dolet amor; percussiones tolerat patientia: cumque dilectioni obediant omnia, & proinde subesse non sciat; econtrariò verò tolerantia, quia frequenter paret, sæpe conculcetur, hinc fit ut amoris cruciatus excedat ictum, quem suffert pectus pati promptum.

Alius dubij solutionem desidero nunc. Quid celeriori cursu graditur, adveniens dolor, an jucunditas fugiens? Detrimenta quidem vel furor hostilis odij præcipitat, vel nescientia mortalium advocat. Quidam citò periit, quia nimis festinatò vivere curavit; alter ocyùs dicto paupertatem expertus est, quia raptorum patuit unguibus. Velocissimè, fateor, damna cursitant, ut passuros opprimant. Crede tamen adhuc velociùs gaudium finiri: dolor enim quærit hominem, qui fugere non valet insequentem: ac minori pernicitate opus est, ut comprehendat hujusmodi claudicantem. Lætitia verò fugit eundem se tota sollicitudine quæritantem: & magis præpeti gressu festinat qui fugam capit ut se ab importuno vestigatore propipiat. Idcirco non tam actutùm dolor adventabit, ut non festinantiùs dispareat gaudium.

Hoc fortè pensitabat Jonathas, cùm Davidem alloquens prorupit in fletus, tempore quo celeriter eum oportebat nullâ factâ morâ dimittere. Promiserat amico princeps animi perversi patris erga Davidem conatus investigare solerter, ut ipsum certiorem faceret. Invenit adhuc odium permanere regis ingratissimi: vitæque discrimen fuga vitare Davidi consuluit signo dato verbis æquivocis ad puerum quærentem sagittas, & simul Davidem concernentibus: *festina velociter, ne steteris.* Volucrem fugam ille monet: sed antequam abiret surgit David, accedit Jonatham, adoratque tertiò: *& osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius.* Hac tempestate cunctantur amici, cùm posset accidere Saülem advenientem furore concitum in Davidem ruere, & Jonathæ dimidium abscindere? Quare Princeps amantissimus infœlicem dilectum nunc sinit immorari? Fallor nisi secum Jonathas ita reputavit. Saülis adventus malum est quod paveo; amici præsentia gaudium confert, quod mihi nunc expirat. Non est cur timeâ ne parens meus adveniat occisurus Davidem: nunquam adeò festinanter dolor foribus aderit, quod non properantiùs gaudium finiatur: celeriùs abibit David, quàm Saül adveniat. Sic avolat gaudium de creatura conceptum. Unde rectè M. Gregorius ait: *pulchra transeunt, læta & prospera evanescunt.*

1. Reg. 20. 38.

Ibi n. 41.

D. Greg. M. l. 5. in 1. Regum c. 12. tom. 2.

Hoc nolentes fatemur omnes. Nunquam tamen de voluptatis brevi duratione ferre solemus incorruptum judicium tam exactè, quòd non aliqualiter decipiamur. Quidam expectant fore ut lætentur: alij memorantur præteritam lætitiam: plures de præsenti complacent. Errant universi: nam, ut S. Ambrosius ait, *verum in hoc mundo gaudium nec fuit, nec est, nec esse poterit.* Sed potissimùm hallucinantur ij qui præsentem esse putant exultationis causam: etenim cùm existimamus illam fini appropinquare; jam perierat.

29. *Gaudiù jam perierat, cùm fini putamus appropinquare.*

S. Ambr. to. 5. serm. de S. Laur. fine.

Accidit aliquibus idem quod Regio Vati contigit, cùm adulterini pueruli periculum superare cupiebat planctu pio. Paterno ductus amore nihil non molitus est ut ex mortis faucibus eriperet infantulum: abstinuit, flevit, procubuit; nulla tamen istarum valuit oblatio filij mortem avertere: *accidit autem die septima ut moreretur infans.* Emoritur puer, & adhuc permanent Davidis id nescientis lachrymæ: cur ita? nonne prædixit regi Nathan exitum puelli? quare non eundem prophetam Deus rursus mittit, ut eodem momento quo expiraverit infans, renuntiet patri? Obiit gnatus, & parens adhuc

2. Reg. 12. 18.

pro

pro ejus vita servanda cælum pulsat ? Sic operæpretium fuit regem experiri qualisnam sit concitatio gaudij festinantis abire. Infans erat patris deliciæ, cùm ex Bethsabee natus esset : *utut diligas filium, non tantum diliges, quantum ille tum diligebat, desiderio flagrante erga matrem erat beatus ille, tametsi ex adulterio esset. Scitis verò liberos in amore parentum communicare.* Hæc D. Ioannes Chrysostomus. Unde peculiariter David afficiebatur erga vitam filioli : hanc citò finiendam timebat, cum illa jam transierat. Rarò invenietur qui de brevitate lætitiæ temporalis æquam ferat omnino censuram : cum istius formidatur mors, jam expiraverat.

Chrysost. ho. 8. in c. 3. ep. ad Colloss. tom. 4.

30. *Novitate sublatâ voluntas non pungit appetitum.*

Imo dicam accidere quandoque ut oblectamenta priusquàm detur incipere, desinant. Sic videres, est in eo quòd sola novitas divitiarum placeat, & postea fastidio sint : *appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat*, ut sæpius audisti dicentem Gregorium. Transiit prima voluptas : tunc secunda pariter & cæteræ perierunt ita quòd jam non moveant vota. Nescio qua novitas arte jucunditates colorat, quasi forent indumenta quæ nos exuunt meliori stolâ. De bonis terrenis veluti de vestibus loquens dixit Chrysologus. *Terreni terrenis velati sunt vestimentis : & ideo sicut novitate splendent, ita vetustate sordescunt:* quæ non minus in deliciis verificantur : quia teste Ambrosio, *sunt etiam mollia indumenta delicioſi actus & mores.* Inexpertos facilè desideria trahunt ; post experientiam gaudia viribus emortuis non pelliciunt.

D. Greg. M. hom. 36. in Dom. 1. post oct. Trini. tom. 2.

Chrysol. ser. 82.

S. Ambr. l. 5. in Luc. c. 7.

Ejicitur de paradiso Protoplastus : & clauditur ipsi per flammeum ensem & Cherubinorum excubias aditus. Quo fine ? ut iterum de ligno scientiæ non comedat ? Minimè ; sed *ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Quod Adamo peccatori deliciarum præcludatur hortus, judicis Divini sententia fuit æquissima ; sed quòd pro ligno vitæ ; non autem pro ligno scientiæ Deus hanc adhibuerit cautionem, res mira ! Præceptum illud : *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, post fractionem adhuc erat integrum, cùm fuerit negativum, & adhuc potuerit servari. Peccaret Adam si de ligno scientiæ comederet secundò ; non autem delinqueret si ligni vitæ colligeret fructum, utpotè qui veritus unquam ipsi non fuit, ut affirmat Chrysostomus, dicens : *potuisseque ipse si voluisset cum aliis etiam de hoc vesci quod perpetuam illi contulisset vitam, eò quòd nullum mandatum de illo acceperat.* Semel nequam præsumitur iterum in eodem genere lapsurus unde timeri poterat, ne si pateret ingressus, regrederetur Adamus ad prohibita ligni scientiæ poma, de quibus gustaverat semel. Æternùm vivere per vitæ arboris esum ne curaret qui noverat se morti jam addictum : Cur non occluditur ei paradisus ne scientiæ fructum repetat ; sed ne de viræ cibo Protoparens edat ? Faciliùs credi posset hominem primigenium de vitali pomo comesturum, quàm de illo qui mortem intulit ? Sane quidem ita : hujus namque suavitatem jam delibaverat, proindeque parvipenderet ; alterius verò arboris eum commoveret appetitus, quia non adhuc de illo vesci contigerat. Imo Rupertus asserit Adamum notitiam ligni vitæ non habuisse ante peccatum. *Igitur*, inquit, *nec Adam cognovit, nec ipse serpens diabolus scivit quod etiam lignum vitæ plantasset Dominus Deus in medio paradisi. Si enim vel ille scisset, numquam consilium suæ malignitatis ita dimidiasset, sed sicut illud lignum temerare persuasit ut miseros faceret, sic & istud præripere suasisset, ut æternaliter miseros, vel misere æternos efficeret.* Itaque de primo parente credi poterat esurum potius de ligno vitæ nisi clauderetur : nam inter delicias temporaneas illa fortiùs trahit quæ nescitur :

Gen. 3. 22.

Ibi c. 2. 17.

Chrysost. to. 1. hom. 18. in Gen.

Rup. l. 3 in Gen. c. 30.

—— *Novitas gratissima rerum:* Ovid. 3. Pont. 4.

Hac pereunte, quæ vix brevissimè durat, gaudia desinunt : &, quod pejus, contingit multis, qui præcipites venantur voluptuosa, *hos carnis illecebras dulci titillatione corporis blandientes, dum mella putant, venena noxia reperire.* Verba Hieronimi sunt. Iis de quibus loquitur medetur aliquando experientia, post quam plura minus arrident.

S. Hieron. to. 1. epist. 12. ad Gaudentium.

31. *Miserum est deceptum gaudere.*

Quod cùm sit in comperto, oculis patet hominum cæcitas, qui dulcibus inhærentes mendaciis, nihilum sectantur, vilissimoque pretio seipsos vendunt mercatori perfido, sæculo scili. quod propriis caret bonis, ac alienorum decoctor aufugit. Exultant illi quidem in fallacibus : *nulla autem verior miseria quàm falsa lætitia. Denique intantùm miseria est, quod videtur fœlicitas in hoc sæculo* : &c. Miseratione dignissimum est ita voluptati rationalem adhærere : nam lætus vivit ex fraude quam patitur. Si deceptus doleres, caveret animus discrimen doloribus edoctus. Cum de dolo gaudes, fallentem non vitas : indies præceps ibis. O miserum qui seducitur & lætatur !

D. Bern. tract. de gra. & libe. arbit. ante med.

Gaudio dixi : quid frustra deciperis ? ait Salomon. Deinceps addidit : *vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium.* Non tamen Sapiens monet plorantes quod frustra decepti sint. Et sane tam verum est dicere vanum dolorem de malis, quæ si patienter sustineantur bona sunt ferenti : quàm evanidam esse jucunditatem de bonis, cui nectitur pœnarum in futurum præsens periculum. Quâ de causâ Ecclesiastes sicut gaudio dixit : *quid frustra deciperis* ? non etiam dolori similiter loquitur? Quia innocens, cùm patientiæ bonum ignorans lachrymatur, ac pati recusat, fallitur & dolet. Qui verò lætitiæ tristem exitum sponte non animadvertens, hilaritati dans operam, in pectus mittit aspidem, iste circumvenitur, & gaudet : hic præ illo miserabilis. Non ergo lamentis ait Salomon : utquid frustraneè deludimini ? sed oblectationem corripuit aiens : *quid frustra deciperis.* Hugo Card. ibi : *quid frustra deciperis delectando in noxiis, & putando tibi bene esse cùm male sit ?* Itaque nostrum ipsi misereamur : *tristemur* (Chrysostomum audis)

Eccli. 2. 2. Ibi c. 4. 1.

Hugo Card. in Eccle. 2. 2.

Chrys. to. 4.

ho. 15. in cp. ad Philip. *tristitiâ quæ gaudij sit mater, & non lætemur gaudio quod tristitiam pariat. Fundamus lachrymas multam voluptatem seminantes, & non rideamus risum qui nobis stridorem dentium generet.* Discamus gaudere: eligatur vera, non fucata lætitia: perennatura quæramus gaudia; fugientia declinemus. *Quænam* (iterum loquitur os aureum) *sæcularium quæso voluptatum utilitas? hodie sunt, cras elabuntur: hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis: hodie ignis ardens, cras cinis extinctus. Spiritalia autem perpetuò clara floridaque, & indies splendidiora permanent. Opus* igitur *justi* non ad terrena gaudia; sed *ad vitam.*

Idem tom. 3. hom. 43. in Ioan.

DELIBATIO V.

Universorum spiritualibus lucris justus intendit enixè.

Lect. Hebr. Prover. 10. 16. HEbraica lectio pro verbis illis *ad vitam*, habet *ad vitas*: & quamvis intra eundem justum cujus opera sunt, duplex vita considerari valeat, quarum alteram possidet, alia verò in spe reposita manet: attamen haud impropriè posset exponi, ut & aliorum vitam, quibus ille bona sua spiritualia communicat, hîc intelligere possimus: quasi dixerit Salomon in hujus versiculi prima parte: benè justus operatur curans ut alij spiritualiter vivant: non ad sui tantùm vitam, sed etiam ad aliorum vitas dirigit opus.

32. *Vix fieri potest ut justus non communicet spiritualia: vel communicata non augeat.*

Philo. Hebr. l. d. planta. Noë. tom. 1. Epicte. apud Stobæum serm. d. virtu. Ut virtutis magnalia prædicemus, diversa quæri solent ænigmata. Soli eam assimilavit Philo: *sicut oriens*, inquit, *sol totum cœlum radiis illustrat: eodem modo etiam virtutes suis in homine radiis, posteaquàm mentem penetrant, totam animam reddunt lucidissimam.* Fonti similem dixit Philosophus animam justi: *anima virtuti dedita similis est perenni fonti.* Aptissimum est emblema utrumque ut explicetur quàm pronè virtus in aliorum emolumenta se diffundat. Solem refert: non fulget quin illuminet: fontem imitatur, qui si abundat, jam diffluit. Hoc discriminis est inter similitudines illas ac virtutem: quod sol, ut omnibus lucem elargiatur, descendit quotidie; virtus autem, dum prodest cunctis ascendit semper: tunc sublimior apparet cùm de aliorum salute gaudere perhibetur. *Montes & colles*, ait S. Hieronymus, *intelligere possumus sanctorum animas, quæ pro varietate virtutum montes appellantur, gaudebunt super pœnitentibus*, &c. Deinde fons cùm supereffluit, sæpissime non augetur; sanctitas verò invigilans alieno profectui, capessit augmenta. Bonum istud sic perutiliter in proprium commodum est sui diffusivum, quòd statuere valemus, vix fieri possibile ut virtus vel se communem alteri non præbeat, vel communicata non crescat.

S. Hiero. l. 15. in c. 55. Isai. to. 5.

Notabam, quòd cum Eliseo remanenti morigeratus fuerit Elias, ut rem, quam difficilem dixit, postulanti non degenaverit, spiritum nempe duplicem: sciens discipulum ab eo dividi nolle (quippe qui ter ad magistrum dixerat: *non derelinquam te*) eundem curru secum igneo non levaverit, ut ambo simul eodem loco fœlici placidáque fruerentur quiete. Majora quidem horum peregerat Elias mirabilia: & istud operari detrectat? Attende. Si comitatus abiret alumno magister, ut essent incolæ pariter loci, quo nunc à Deo Tesbites protectus quiescit: vel ibi præceptor discipulum de spiritualibus non erudiret; vel docens non ideo virtutibus Elias augeretur, quia jam est quodammodo constitutus extra viam, ut ait Granatensis. Neutrum fert probata virtus: nec sui copiam non facere, nec faciendo non augescere. Maneat Eliseus; elevetur solus Elias.

4. Reg. 2. 2. 4. 6.

Suar. to. 2. in 3. P. disp. 55. sect. 1. §. sed quæres & §. Ex iis.

Adeo verum est, virtutis ingenium communicando seipsam effluere naturaliter gestire: quod sicut vas aqua summis extremitatibus plenum tunc est cùm redundat: sic virtutis consummatio ex eo judicanda quòd superabundaverit. Optimè de Sponsa D. Bernardus, *Etenim merito amica dicitur, quæ Sponsi lucra studiosè ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirit.* Et infra. *Perfectus omnis reputabitur in cujus anima tria hæc congruenter atque opportunè concurrere videbuntur, ut gemere pro se, & exultare in Deo noverit, simul & proximorum utilitatibus potens sit subvenire, placens Deo, cautus sibi, utilis suis.* Sic loquitur Mellifluus Doctor quasi tunc solum censeatur amicus Dei ac perfectus justus, cum proximi spiritualia commoda curat. Nondum virtus completa, quandiu non repleverit alterum.

33. *Virtus antequam se perfectè in aliorum bonum effundat, consummata non est.*

S. Bern. ser. 57. in Cant.

Eccli. 48. 13.

Eccleiasticus inter alios antiquarum legum Heroes, quorum instituit panegyrim, Eliam collaudat. Post multa dixit: *& in Eliseo completus est spiritus ejus*, &c. Alludit ad historiam satis notam, quam tetigi paulo prius ex 4. Reg. ubi refertur discipulum accepisse magistri duplicem spiritum. An incompletus erat spiritus Eliæ quandiu non illum donavit Eliseo? Quare non completum pronuntiat ipso in Elia? In alumno completum fuisse dixit; non quòd antequam flammeo curru levaretur consummatus non esset: potius ita loquitur ad eruditionem nostram, ut colligamus quantùm virtus communicata proficiat. Spiritum illum duplicem ad mores pertinere doctrina Bernardi est: *duplicavit*, inquit, *spiritum visio abeuntis, ut intellectui spirituali, spiritualis jungeretur affectus.* Sanctitatis largitus est spiritum Elias Eliseo: cumque donatio non in donante, sed in accipiente perficiatur, similiter in discipulo completum dicitur donum ipsum: quasi largitio consummaverit Eliæ spiritum; & antequàm tribueret, possideret incompletum.

D. Bern. ser. 1. Pentecos.

Adminus equidem non inficiaberis majori gaudio animam perfundi, cum sociam in virtutis via sibi jungit. Nullius boni sine socio jucunda possessio est. Ab hac regula non est cur Deum excipias. Hoc bonorum summum inveniisti? Communicare perge, si vis amplius de tua fœlicitate jucundari. Æternæ beatitudinis dilationem consolatur

34. *Gaudium de cælestibus crescit ex socio fruente.*

gaudium

gaudium quod juſtus concipit de aliorum ſpiritualibus lucris : vide quam ſit magnus in hac re charitatis jubilus. *Quæ ergo amore languet*, inquit M. Gregorius, *fulciri quærit floribus, ſtipari malis : quia ſi illum quem deſiderat, videre adhuc non permittitur, magna eſt ei conſolatio ſi aliorum profectibus lætetur.* Apud arithmeticos diſtributio & multiplicatio ſpecie diſtant, & ſic accidit dum numeras fugitiva bona ; at verò ſi de gaudij cælitus accepti computatione loquamur, ille multiplicat qui diſtribuit.

D.Greg.M. hom.15. in Ezech.to.2.

Divinus Sponſus ut greſſuum celeritate firmiſſimam ſui amoris probaret conſtantiam, dilectam quæſivit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Hujuſmodi fœlicitatem ſic magnifecit Sponſa, quòd illius præſentiam ſibi ſoli velle pronuntiavit. *Dilectus meus mihi & ego illi* : imò nullo audiente, ſecum præfata verba protulit, ut D. Bernardo viſum eſt. *Sed melius, ut opinor*, inquit, *ſecum potius & non cum altero ſic locutam, præſertim quod truncata & minus continens inveniatur ipſa locutio, inſufficiens planè ad dandam intelligentiam auditori, ob quam vel maximè invicem loquimur. Dilectus meus mihi, inquit, & ego illi.* Poſtea cùm noctu Sponſus abeſſet, illa ſurgit ſedula, quærit vigil, invenit fortunata. Exultans in hæc verba prorupit : *inveni quem diligit anima mea : tenui eum ; nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Ubi Gilbertus Abb. *primò conſidera quam ſint lætitiæ plena hæc verba : inveni, inquit, tenui, nec dimittam.* Utrobique lætitiam reperio ; ſed priori loco ſponſæ pectore clauſam : *dilectus meus mihi*, poſteriori verò communicare geſtit alteri bonum quo potitur : *donec introducam illum in domum matris meæ.* Antea ſolitudinem diligebat ? poſtea ſocietatem ? Hoc fuit in causâ. Satis erat anteriori loco minorem exultationem concipere, cùm Sponſi præſentiam nullo proprij laboris pretio conſequuta fuerit ; poſthàc, per plateas, & percutientium manus, pervenit ad ejuſdem conſpectum : & quia plurimi ſteterat ea ſors, voluit exuberantiâ gaudij ſollicitudinem compenſare. Quid ageret illa quò lætitiam augeret ? Matri (hoc eſt fidelibus cunctis, Eccleſiæ ſcili.) commune fecit. Quod mater ibi ſit Eccleſia, probant Gilberti verba ibidem : *hic matris tuæ Eccleſiæ proprius & domeſticus locus.* Multis igitur aſſociata volebat Sponſa tunc Deo frui, ut lætior foret poſſeſſio. Sic de ſodalitate fruentium effloreſcit jucunditas amicorum Dei, cùm ſanctitatis gazas erogant ut alij diteſcant, quin diſtributione minuantur.

Cant.2.16.

D.Ber.ſer. 67. in Canti

Cant.3.4.

Gilb.Abb.in Cant.ſer.9.

Idem ibi ſer. 11.

35. *Beneficium putat juſtus quòd ejus doctrinam non recuſes.*

Hinc fit ut juſtus eam hilaritatem experiatur dum ſocium virtutis alterum reddit : quòd beneficium accipere ſe reputat in eo quòd ille non reſpuens ejus monita, reſipiſcat : donat, & exiſtimat recepiſſe. *Quodammodo enim beneficium conſequitur ipſe qui curat, ſi fructum ſui laboris in ægrotante conſpiciat, & per lætitiam mentis etiam ipſe conſequitur utilitatem : unde illud quod dicitur : beatus qui loquitur in aures audientium.* Sic Origenes. Jubilatione perfunditur qui ſocios acquirit Deo diligendo. Redemptoris in hoc etiam veſtigia premit : ipſe namque dum in terris ageret quaſi collatum ſibi donum credebat ſi peccator ad ejus verborum præpotentes radios expergefieret.

Orig.ho.11. in 14.Jerem.

Bonus paſtor errantem quærens oviculam, ex itinere fatigatus ad fontem Sichar ſedebat, cùm apparuit illa ſui ſatis ignara boni. *Dicit ei Ieſus : da mihi bibere.* Myſterium ſubodoratur Chryſoſtomus, dicens : *fons vitæ juxta fontem ſedens bibere poſcit, non bibere volens, ſed potum dare. Da mihi bibere ut dem tibi bibendam aquam immortalitatis : ego enim ſalutem mortalium ſitio, non ut bibam, ſed ut potum præbeam.* Hâc expoſitione Sancti Doctoris poſitâ, quærerem: offert ſpiritualem animæ potum Dominus, & his verbis utitur : *da mihi ?* offerat ſtatim: nec petat. Deferendo petit : quia ſic ſponte donabat ſpiritualia, quaſi reciperet. Animus erat ipſi mulieri donum inæſtimabile præbere : illam ad hoc invitat utens phraſi, non donaturi, ſed poſtulantis : da mihi : eſt quippe liberaliſſimæ virtutis nota beneficium putare ſibi collatum, quòd luce indigens, eam velit ab ipſo datam admittere.

Joann. 4.7.

Chryſoſt.to. 6.hom. d. Samarit.

36. *Parum eſt vel ſoli Deo, vel non omnibus vacare,*

Poſſet juſtus multoties expertus apud fallacium bonorum dilectores nihil per opera ſeu verba ſua colligere lucri, ſe intra ſeipſum continere, ut fructuoſiùs proprium excolat agrum. Agnoſcit attamen charitatem omnia reddere bona communia, ſuoque addi commodo quidquid aliorum augetur in profectibus. *Communionem tamen*, ait S.Leo, *obtinet decoris connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non iiſdem utuntur gratiæ beneficiis gaudent tamen invicem bonis ſuis : & non poteſt ab eis extraneum eſſe quod diligunt, quia incremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno.* Contendit vir perfectus cæcis miniſtrans lucem, viamque demonſtrans : videt quippe ſoli Deo vacare, bonum, ſed parvum. Imò quamvis ad quoſdam ſpiritualis beneficentia protendatur, non multum eſt, quamdiu non ad multorum abundat quæſtum.

S.Leo Pap. ſer. 10. Quad.

Apud Iſaiam legis : *parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël convertendas.* Ex Cornelio à Lapide, Lira, Procop. & Hieron. de Chriſto Domino Deus Pater loquitur ore prophetico. Vera, ſed ſatis ardua hæc eſt interpretatio : nam licet omnem gloriam, quæ provenit Æterno Parenti ex Evangelij prædicatione, ſeponamus : in ipſa incarnatione Verbi, reperiemus divinum Genitorem nominis illuſtrem claritudinem ex myſterio tanto reportaviſſe. Quid majus pro celſitudine Patris, quàm eundem Chriſtum, qui æqualis ipſi eſt ſecundùm Deitatem, ejuſdem appelletur ſervus quatenus homo ? Huic præclariſſimo dominio ſi conjungamus Iſraëlis converſionem, adhuc non magnum Patri hoc eſt ? *Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël convertendas.* Quid, quæſo, adjiciendum, quo Dei Patris gloria ſatis augeatur ? Univerſis prodeſſe Filium in aſſumpta carne. Vide quod ſequitur. *Ecce dedi te in lucem gentium ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Commen-

Iſai.49. 6.

Ibidem.

Hugo Card. ibi. tatur Hugo Cardi. *dedi te in lucem gentium: quia parum est te tantum esse illuminationem Judæorum: ideo dedi te in lucem gentium ut eas illumines per doctrinam & prædicationem.* Gaudet Dei munificentissima benignitas, ut ipsam, quoad possint, imitentur qui ab eo accepere talenta. Sicut ergo non est quem prætereant divini solis radii: sic ab eodem illuminati, more speculi, fulgorem datum non tegunt, sed eo vitiorum tenebras repercutiunt.

37. *Ut animarū lucra justus assequatur, pericula despicit.*

Solent virtutis assectæ, ut se meliori tempestati servent, aliquando vitæ periculum declinare; non quidem eximiè seipsos adamantes; sed Altissimo diutiùs in terris famulari cupientes, quantumvis exinde regnum differatur iisdem. Cùm tamen animas ad tramitem veritatis reducendi se ingerit occasio, minimè discrimina vitant: nihil hujusmodi negotiationi præponunt. *Nec ideo tamen*, inquit Augustinus, *propter ista quæ incerta sunt, debet nostri officij esse certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, sed alterius incomparabiliter diligentius, sollicitiusque curandæ.* Hujus doctrinæ quæramus insuper exemplum in alio Dei honoris insigni zelotypo.

S. Aug. to. 2. epist. 180. ante med.

Cælum clauserat Elias: & negata de cælo pluvia madidavit oculos imbre diuturno, sed inutili. Domini clementia prophetæ severitatem aliquantùm flectere volens ei jubet ut Achab regem quærat, flagellumque denuntiat continendum immissâ pluviâ. Nec verbo dubitavit Elias. Adit regem, & alloquitur propheticâ libertate, metuere nescius: imò prophetas Baal quadringentos & quinquaginta interfecit ad torrentem Cison. Nuntiatur vatum clades impiæ sacrilegi cultus fautrici Jezabeli, quæ mortem Eliæ

3. Reg. 19. 3. comminatur. *Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas.* Pavet Jezabelem, qui non veretur Achabum? Hic uxore sua magis ne pius? Audi non bonum

Ibi c. 16. 30. & 33. ejus elogium. *Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum.* Et infrà: *& addidit Achab in opere suo irritans Dominium Deum Israël, super omnes reges Israël, qui fuerunt ante eum.* Hunc & infensum sibi quærit Elias, qui Jesabelis declinavit furorem? Ne demireris. Mortem subire reginâ furente, solius erat vatis utilitas cùm jacturâ populi: tunc cessit tempori, discessitque loco. Cùm regem Achab quæsivit propheta multos Deo reconciliare parabat: & hoc fœnus ambiens, vitam libenter exposuit. Chrysostomus Deum sic ad Eliam, loquentem introducit: *proficiscere, inquit, & compare apud Achab. Reconciliari eis volo, sed absque te non reconciliabor. Tu gratiam illis præbe qui nunc castigantur. Ego clam apud te pro illis intercedo: tu autem manifestus amicitiæ resarcitæ sis author.* Animas itaque reducturus ad veritatis viam, deposuit formidinem vates, unicum sibi præfigens laboris proventum, si mortuos Deo revocaret homines

Chrysost. to. 1. hom. 1. d. Elia.

Sanct. in 3. Reg. 18. ad vitam. *Hîc Elias magnum illis documentum dedit, qui secessum sibi & solitudinem elegerunt, ut quietem relinquant, & orationis quietum otium, si quando proximorum salus nostrum à nobis studium & operam requirat.* Notavit ista Sanctius ibi ad caput 18. Non propriæ tantùm servit famulus Dei vitæ spiritus; opus ejus universis *conducit ad vitas.*

DELIBATIO VI.

Dei donis malè utentes, obliti, necnon & ignari reprehenduntur.

38. *Vix Dei patientia sustinet quod tibi expensis perdas te ipsum.*

AD secundam nunc procedamus hujusce dogmatis partem: *fructus autem impii ad peccatum.* Dum litteram expenderem, aiebam per hæc verba significari quotidianam impiorum insaniam, quâ solent vitiis insumentes dona Dei, hæc in benefactorem retorquere. In maledictionem sibi vertunt Domini benedicentis munera, prout S. Hieronymus dolebat, dicens: *qui sanitate abuntur in libidinem, & divitias vertunt in luxuriam, bonamque famam sordidâ conversatione deturbant, hi benedictiones Dei mutant in maledictionem.* O dementiam nulla miseratione dignam! Suis expensis efformant idolum propter quod terga Deo vertant! Vix infinita Dei mansuetudo patitur hoc; licet diu conniventibus oculis alia crimina dissimulet.

S. Hiero. in cap. 2. Malach. tom. 6.

Conferre libet mutuo simulacra duo aureum scili. vitulum, & æneum serpentem. Hic usque ad pij regis Ezechiæ tempora perstitit divinos furatus honores: *confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filij Israël adolebant ei incensum:* &c. Non tam diuturna fuit vituli fœlicitas: hodie lucem vidit, & altare; cras fuit redactus in pulverem, ut liquet ex ipso contextu: *arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem* &c. Falsum erat utrumque numen. Quid amplius meruit præ vitulo serpens, ut ille tam brevi tempore majestate privetur; hic verò cultu præclarus, serie tot annorum æncâ sorte perduret? Existimo Dominum ægrius tulisse vituli quàm serpentis idololatriam. Colubrum nullis populi sumptibus molitus est Moyses; vitulum autem ex auro Hebræorum legimus conflatum: *dixi: quis vestrum habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi: & projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Non diu sustulit inexhausta Dei patientia, quòd isti propriis & magnis expensis delinquentes, divinæ largitatis dona verterent in ipsius opprobrium. Quàm difficulter sumptus his æquales homo faceret pro Dei obsequio. Non effugit hoc Augustinum impensas auri pro fabrefactione vituli perpendentem. *Factum tamen illud*, ait S. Doctor, *ipsum difficile ut esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putavi qui contristantur si quid tale propter vitam æternam divinitus fieri, vel æquo animo tolerari jubeatur.* Attamen cùm in delictorum executionem prodiga postulatur donatio, nullam experitur arduitatem iniquitas. Quid hoc est nisi Deo bellum inferre susceptis ab ejus manibus impendiis

4. Reg. 18. 4.

Exod. 32. 20.

Ibi n. 24.

S. Aug. to. 4. q. 141. in Exod.

pendiis ad pugnandum? Honorem Divinum summopere lædit sic peccans: parum enim abest ne putet Deum futura nescire, propterea que suæmet offensionis materiam præbuisse, traditis divitiis, pulchritudine, salute, similibusque donis perperam usuro,

39. *Fere opus est miraculo ut beneficia Dei nobis à mente non excidant.*

Quænam hujus ingratitudinis extat radix? In quorundam animis, accepti oblivio, frequentissimus filiorum Adæ morbus: *nam tum Deus memoriâ hominum maximè elabitur, cum beneficiis ejus fruentes, honorem dare Divinæ intelligentiæ debent.* Hæc Lactantius Firmianus. Instar miraculi est memores donorum Dei homines reddidisse. Quid sit prodigium Theologi noverunt docentes esse quendam effectum inusitatum, quo superatur naturæ vis. Quantum Deo simus obstricti meminisse, res est quæ in dissuetudinem abiit: necnon per illam, vitiatæ naturæ inclinatio subigitur: ergo mirabili simillima dicatur memoria recepti beneficij: *multi enim*, ait Petrarcha, *semper ingrati. Sed plures hodie, vereorque ne confestim gratum esse portentum sit.* Vel saltem suspicari liceat requiri peculiare prodigium, ut mortales donum etiam termaximum non tradant oblivioni.

Lactant. Firmi. l. 2. d. Divinis instit. c. 1.

Petrach. dial. 28. d. remed. adv. fortu.

Pluit manna de cœlo Deus quondam Israëliticæ genti, famis remedium, voluptatis delicium. Per annorum quamplurium tractum hâc alimoniâ pastis, dati memoriam Dominus non confidit; sed curavit signo detinere ne dilaberetur, sic jubens: *imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti.* Glossa interlinearis ibi n. 34. verbo, *reservandum*, addit: *in memoriam æternam.* Timerine poterat magnam, adeóque diuturnam Dei largitionem oblivij sepulchro recondendam? Insuper. Non aliud commodius inveniebatur signum, quod posterorum commendaret memoriæ cæleste alimentum, nisi panis ipse angelicus? Non casu, sed prudentissimè jussit Altissimus asservari manna, pro futuræ oblivionis anathemate: nam custoditum putrescebat. Et sic, miraculosè factum credendum est quòd permanserit incorruptum in vase per temporum seriem. Cornelius à Lapide ibi: *quintum pariter est hîc miraculum, quòd scili. Deus tot sæculis manna hoc incorruptum servarit.* Ut ergo fateamur ad memoriam hominum de muneribus acceptis fulciendam sæpe miraculum desiderari, Deus obviam it oblivioni re miraculosè perduraturâ: *custodiatur* &c. Prodigium postulatur ut mortales munus excellens non procul ab animo pellant: nisi Omnipotentiæ manu stabiliatur debitorum labilis mens, excidet, atque delebitur,

Exod. 16. 32. Interlin. ad n. 34. ibid.

Cornel. à lapid. in Exod. 16. 33.

40. *Quo majus beneficium, eò facilior oblivio.*

Et eò difficiliùs permanebit apud accipientem recordatio doni, quò fuerit excelsius: Grave cordibus ingratis pondus est debuisse: quò fuerit amplior donatio eò majori premitur onere gratitudinem exosus. Si rationis legibus obtemperaremus, cùm plus nobis conferret Divina largitas, certior foret dati reminiscentia. Contingit econversò: nam sicut lippientes oculi, quò majorem lucem applicueris, eò minus vident, ita benefactorum oblitus, quò plus in eum conjeceris, eò minùs ille cernit, seu tantò magis oblito pectore deponitur: quod in idem recidit, quia oblivio cæcitas quædam est, juxta illud Philonis Hebræi: *præcedit oblivio res surda cacaque.* Ægrius recordamur illius muneris quod pretiosius est: circa istud majori diligentiâ curat Omnipotens ingratitudini oblivioſæ occurrere.

Philo Heb. l. 2. allego. legis. ante med. to. 1.

Versemus iterum Dei jussu manna servatum ad posterorum notitiam. Quæro cur non & aquam præcepit è saxo emissam alio in vase custoditi Dominus, ut plebs venturis temporibus admiraretur ejus magnificentiam, quam per Moysis manum Conditor exercuit? *cumque elevasset Moyses manum, percutiens virgâ bis scilicem egressæ sunt aquæ largissimæ* &c. Minori beneficio Creator devinxit populum educens aquam de petra, quàm panem de cælo demittens: tum quia hoc loco educti latices non per annos effluxere; sed tantummodò quantum satis fuit inopiæ præsenti, ut ex aliis notat Lorinus: tum etiam quia non deliciæ, sed necessitati serviit aqua; manna tam fami quàm voluptati morem gerebat. Hoc quia majus beneficium procliviùs elapsurum erat è memoriâ. Unde fuit æquum asservato mannæ vase discrimen istud præveniri. Præpostera mortalium conditio est. Ille videbatur ab ingratitudine remotior, cui plura Deum contulisse videmus; hic idem oblivioni pronior acceptis à Deo perversè utitur ingratissimus.

Num. 20. 11.

Lorin. ibi n. 11.

41. *Aliquandò tunc Dei beneficium ignoramus, cum plùs claresc. it.*

Aliis non memoria, sed intellectus in istiusmòdi relabitur. Divina munera citra culpam ignorant aliqui, non quia recondita; sed cum meridiana luce clariore splendent. Quos erudit adversitas, ipsi videntes nesciunt dum tempora florent. Ad lucem non cernunt quantum debeant liberalitati summæ, quod in tenebris aspiciunt positi.

Frustra quadruplici custodiâ servabatur in carcere Petrus, qui liber in proprij cordis habitaculo stabat securus. Orationi vacabat Ecclesia, Herodes crudelitati, somno Petrus: innocentia quiescit imperterrita: indefessa vigilat sævitia: sollicita satagit charitas. *Et ecce angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo*: ubi Glossa verbo, *lumen*, ait: *signum præsentiæ angeli Dei, cujus præsentia soli Petro lumen præbebat, nec aliis refulgebat.* Inde licet colligere duo: primum quòd lux illa fuit munus Petro donatum soli: secundum quòd postea cum discessit angelus, mansit recedente lumine nocturnis Apostolus in tenebris. Exivit è carcere comitatus duce fidissimo, *& nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum: existimabat autem se visũ videre.* Processerunt vicum unum: & reliquit eum cælestis ales. Tunc *Petrus ad se reversus dixit: nunc scio verè, quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis* &c. Audis quàm serò viderit rem certè manifestissimam! Adstat angelus fulgore coruscans, percutit vincti latus, alloquitur eundem, cecidere vincula, fores apertas invenit,

Act. 12. 7. Gloss. ibi. Ibi n. 9. Ibidem. n. 11.

venit, egreditur liber, & adhuc nescit verum esse quod fiebat per angelum ? Lorinus ibi : *Meritò : maximæ enim res fiebant, ait hoc loco Chrysostomus, & præ timore videntur incredibiles : & ut moraliter agamus, plerique in beneficiis Dei indormiscunt.* Scio Principem Apostolici collegij multipliciter in hoc à culpa vindicari : de quo nonnihil dicam revocans ad trutinam rursus præsens dubiolum aliorsum flor. 29. n. 20. Sed non ideo mirari desinam, quòd postquam abiit libertatis assertor, statim novit quod ignorabat antea. Quare sic accidit ? Quia dum præsens aderat angelus, non carebat lumine Petrus : clarissimè patebat Dominicum auxilium eidem impertitum cælitùs. Tunc nesciuntur à divina manu delapsa, cùm perspicua sunt. Absente angelo, mansit ille quasi derelictus : & novit ad noctis umbram, quod circumfusa luce latuit eum. Hoc ipsum est quod prædixeram. Aliquando citra peccatum mentes obcæcantur hominum, ita ut non nisi derelicti, & in tenebris ac umbra mortis positi recludant oculos. Ad solis radios ignorant manifestissima debita, conclamante universo, ut nobis inculcet illa : juxta Venetiarum Præsulem. *Considera*, inquit, *O homo, clamat mundus, quantum dilexit te qui pro te fecit me* &c.

Lorin. in act. c. 12.

S. Laur. Just. in lign. vit. c. 2 d. prudentia.

42. *Dei beneficium ignorare, valet dē arque illo carere.*

Infœlix equidem hæc mortalium ignorantia ! cùm soleant aliæ reperiri ultrà spem fœlices) deperdi namque facit illa donum. Quid est istud non agnoscere, nisi penitus eodem carere ? Acutè S. Bernardus de Samaritano leproso, qui unus ex decem rediit acturus Domino grates, ait : *fœlix autem Samaritanus ille qui cognovit quod nihil haberet quod non accepisset : idcirco servavit depositum : & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus.* Quasi nisi gratus rediret beneficium non servasset, quod apud eum Redemptor deposuerat ; sed omninò perdidisset. Fateor fruitionem ad voluntatem spectare : sed cùm nihil volitum sit quin præcognitum, bono tuo, quod intellectum fugit, non potiris. Eodem verbo Lusitano solet exprimi cognitio & consecutio : utrumque unico significamus vocabulo, *alcançar*, non sine sale quidem. Cæcus flores carpit ; nec eis fruitur. Esto pulser citharæ fides auditu carens, minimè suavitate gaudet : nemo prendit quod ipsius notitiam præterit.

S. Bern. ser. contra pessimum vitium ingratit.

Incarnati Verbi adventum describit paucis Joannes, addens quid largitus fuerit Dei Filius illis qui eum in terris peregrinum recepere. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Per illam potestatem Dionysius Carthusianus ibi gratiam efficacem intellexit. An non & gratia sufficiens dici valet potestas ? Non dubitabit theologus : omne auxilium sufficiens dat posse. Igitur quare non asseruit Aquila Evangelica Salvatorem promeruisse potestatem ad filiationem divinam consequendam, iis qui eum non admisere ? Christus Dominus enimverò pro cunctis auxilia meruit, ut si vellent, possent filiorum Dei nobilitatem assequi : licèt non omnes eò ascenderint, attamen cunctis datum est posse ad celsitudinem tantam pervenire. Cur non omnibus

Joan. 1. 12.

Dionys. Carthu. in c. 1. Joan. art. 4. ad fin.

dicitur hæc facta potestas ; sed illis qui eum recepere ? Quia cæteri hoc beneficium nescierunt. Illis qui sibi concessum agnovere munus, hoc asseritur datum ; de reliquis id tacetur, quasi non acceperint collatum ab Altissimo donum, cujus ignari extiterunt. Liceat ultra morem nostrum, idem assertum firmare verbis Christi Domini, quæ pro consecratione sacrosancti calicis protulit. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum :* ubi Remigius apud catenam D. Thomæ hîc, inquit : *non ait pro paucis, aut pro omnibus, sed pro multis ; quia non venerat unam tantum gentem redimere, sed multos de omnibus gentibus.* Benè. Sed nonne venerat omnes redimere ? Qui pro cunctis ascendit crucem, pro universis effudit sanguinem ; *pro multis effundetur*, ait ? an non & pro omnibus ? Ita quidem : cùm tamen beneficium redemptionis multi, sed non omnes, cognoverint, effusus asseritur Domini sanguis pro multis ; de cæteris idipsum non affirmatur : quasi communi beneficio caruerint illi, quorum cæcitas effusionem pro ipsis factam neutiquam percepit. Idem est debito claudere oculos dum recipis, ac manum aperiendo, largitionem omninò dimittere.

Matth. 26. 28.

Remig. apud cat. D. Tho. ibi.

Vellem ut ij quorum mentis acies ad benefactoris divini munificentiam percipiendam titubat, assignarent qua de causa, si quidquam eis pati contingat, facilè perspiciunt sæpe Dei flagellum. *Quanta patiatur mala, ipsa miseriarum vorago, & flagellorum interminata perpessio, eidē clarissimū tribuunt magisterium. Nullo ut de hoc instruatur indiget doctore.* Nō sic evenit in beneficiis à Deo magnificè distributis. Idcirco dixit alibi sanctus Doctor idem : *Eia nunc expergiscere ô homo, amove ignorantiæ velamen à corde tuo, excute jugum delictorum tuorum, deprimens te : & revolve animo quantò vales prudentiùs quantòque particulariùs, quàm præclara, quàm proficua, quàmve innumera dona tibi tuus contulit Dominus*, &c. Hac, & similibus, eget homo exhortationis luce ut recepta videat ? non ut cernat mala quæ patitur ? cur ita ? Querelas emittendi vesana voluptas aperit lumina ? eadémque obstruuntur grates agendi tædio ? Forsan ita res habet. Hoc unum statuo, quod in eodem divinæ manus opere quibusdam benevolo, alteris autem severo : isti se dicent flagellari ; at illi nequaquam affici beneficâ sorte fatebuntur.

43. *Facilius Dei flagellum agnoscimus quam beneficium.*

S. Laur. Justi l. d. Casto connub. animæ c. 2.

Idem l. d. obedi. c. 3.

In brachio excelso Israël ab Ægyptiaco ergastulo fuerat egressus : cùm ipsum dimisisse dolens Pharao persequitur armato milite. Veniunt Hebræi ad rubri maris littora, scinditur æquor, gradiuntur per siccum, insequentibus Ægyptiis quos evertit Omnipotens, & in profundum ivêre præcipites. *Dixerūt ergo Ægyptii : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Non aiunt Israëlitæ : Dominus pugnat pro nobis contra eos ? & auditur ab infidelium ore : *Dominus enim pugnat pro eis contra nos ?* Humanæ ingratitudinis consuetudo hæc est : mala sua Deo tribuunt ; bona minimè : visum acuunt ad flagra, ut edant querimonias ; occludunt acceptis ne reponant gratias.

Exod. 14. 25.

Unicum

44. Dei munera obliviſci perinde eſt ac non intelligere illa.

Unicum reſtat in ſubjecta materia dubium non hîc prætermittendum. Duplicis ingratitudinis mentionem peregimus : prima eſt debitorum oblivio : ſecunda eorumdem ignorantia. Quænam ex his turpior ingratitudo ? beneficium nunquam agnoviſſe; an cognitum oblivionis tradere ſepulchro ? A ſolutione conſultò ſuperſedeo : nam perindè eſt Dei munerum te immemorem eſſe, ac ſi nunquam illa tibi collata percepiſſes.

Caſſiodo. in epiſ. *Qui quanta ſibi gratia collata ſit, neſcit : quantas largitori grates debeat non intelligit : non enim poteſt quis plenè intelligere quod accepit, niſi meminerit.* Ita Caſſiodorus & verè nimis. Ideo divinum benefactum, mittens poſt terga, ſepelire, valet idem atque penitus ignorare.

Pſal. 105 7. *Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua.* Scio Auguſtinum & Proſperum exponere hunc intelligentiæ defectum, ita ut ſignificet non meditari æterna bona, quæ mirabilibus illis præſignificabantur. Hic tamen ſenſus magis videtur anagogicus quàm litteralis : unde germanius exponitur locus de intellectione ipſorum, quæ in Ægypto facta ſunt portenta. Difficultatem nonnullam tamen in hac expoſitione timeo : quia ſic non videntur illa verba nimis cohærere iis quæ legimus apud Exodum. *Locutuſque eſt Aaron omnia verba quæ Dominus dixerat ad Moyſen : & fecit ſigna coram populo, & credidit populus.* Ecce noverunt mirabilia Domini. Quid ergo Regius vates in perſona fidelium pœnitentium, ait : *Patres noſtri* &c. Non intellexiſſe prodigia dixit, quia cecidit è memoria, quod mente percepere. Lege ſtatim ſequentia immediatè verba : *non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.* Lorinus ibi : *in Ægypto autem non fuiſſe memores mirabilium Dei eſt non benè animo ibi infixiſſe illa, & non æſtimaſſe ut par erat.* In Exodo legis ante maris tranſitum deſperaviſſe turbam, quaſi ſignorum jam oblita non crederet ſe à furore perſequentium eripiendam. *Cumque appropinquaſſet Pharao, levantes filij Iſraël oculos, viderunt Ægyptios poſt ſe : & timuerunt valdè :* immemores mirabilium ſe præſtitere diffidentiæ locum præbentes : hoc fuit velut idem ac ea non intellexiſſe. *Patres* &c. Sic ingrati ſe divinæ munificentiæ præripiunt mortales : indeque fit ut aburantur ipsâ pro ſuimet exitio, Deique injuriis : *fructus autem impij ad peccatum.*

Exod. 4. 30.

Lorin. in Pſ. 105. 7.

Exod. 14. 10.

DELIBATIO VII.

Obruitur qui peccat virtutis prætextu : fallitur qui divitias voluptateſve captat ex crimine.

45. Vix unquam pœnitet delinquentem ſpecie virtutis.

Matth. 7. 20.

Fructus autem impij ad peccatum. Per fructus opera ſignificari non eſt improbabile. Divinus Magiſter dixit : *ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Opera ex ſe indifferentia dirigit impius ut delinquat. Hic eſt unicus improborum finis ? Multi ſe tendere profitentur ad virtutem cùm delinquunt : alij fatentur ad poſſidendas opes facta ſua collimare ; nonnulli voluptates pro actionum ſuarum ſcopo cæcati præfigunt. Omnes hi fallunt egregiè vel ſeipſos, vel eis credentes. Examinemus ſingulos : & priùs aliis, virtutem ſimulantes : plus namque periculi eis ineſt : ideo enim dixit Gregorius M. *plerumque vitia colore virtutum tincta, tantò nequiora ſunt, quantò & eſſe vitia minimè cognoſcuntur :* &c. Fœda vel iiſdem amatoribus eſt delicti facies. Identidem alieno colore mentitur pulchritudinem ſcelus, multoque pretio venditat quod non habet : ac, quod mirabilius eſt, ementes invenit luminibus orbos (ne amentes dicam.) Accepto plauſu exultant ficti virtutis alumni, gaudentes ſpoliis alienis : ideo miſerrimi, quia pœnitentiæ planiorem viam præcludunt ſibimet-ipſis, verecundiam ſcili. Potiſſimum inter naturalia peccatorum medicamenta pudor eſt : ad execrationem commiſſi, futurorumque fugam plurimùm conducit. Huic medicamini ſe reddunt ineptos ij qui peccatis veſtem ſpecioſam ſuperinduunt virtutis. Longè aberit à rubore peccans prætextu benè operandi. Qui more delinquentis corruit, exurgit facilè ; qui ſtylo benè operantis deliquit vereor ne ſub impœnitentiæ lapide condatur.

D. Greg. M. tom. 1. l. 31. mor. c. 10.

Herodes & David homicidium commiſerunt : occidit is Uriam, ille Præcurſorem. Reprehenditur à Nathan Hebræus monarcha, facillimoque negotio reſipuit : *peccavi Domino.* Non pœnituit facti Herodem : nec enim ejus pœnitentiam taceret Evangeliſta, qui tam accuratè narrat hiſtoriam. Qui prima facie circunſtantias expenderet utriuſque delicti, fortè viceverſa futurum indicaret, nempe quod non Davidem, ſed Herodem pigeret facti : nam David eripuit Uriæ vitam ut adulterium ſuum ſic regeret, ac vulgò putaretur Bethſaberam ex conjuge filium genuiſſe : nec miraremur ſi regem nequaquam tæderet criminis quo propriam tueretur famam. Herodem de Baptiſtæ decollatione pœniturum quis dubitaret ? Nam *contriſtatus eſt rex*, cùm Joannis caput flagitavit laſciva puella (& non fictè juxta Aug. Chryſoſ. Theophylac. Euthym. & alios) eidemque viventi reveritus obſequebatur, & protectionem adverſus Herodiadis exhibuit odium. *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum, & ſanctum : & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Et non doluit necaviſſe ? Neutiquam : nam pallio virtutis peccatum crudelitas apud ſeipſam honeſtavit, jurisjurandi ſcili, adimplendi prætextu : *propter jusjurandum..... noluit eam contriſtare.* S. Hieronymus : *ſub occaſione pietatis impius fuit, dum juramento ſcelus excuſat.* Jeſſæus Princeps non virtutis alicujus quæſito colore deliquit ; ſed more cadentis lapſus eſt : ideo puduit eum, & pœnituit. Qui velut benè agens nefas patrat, obruitur ; qui aliter ſe noxâ maculat, ſæpe reducitur ſtatim. *Fructus*, ideſt opera, *impij* tendunt ad peccatum ; & frequenter ad virtutem ſimulant capeſſere

2. Reg. 12. 13.

Marc. 6. 26.

Ibi n. 20.

Ibi n. 26.

S. Hiero. in c. 14 Matth. lib. 2.

viam : ægrè ad ſalutem iſti revertentur.

46. *Unicum mortale ſufficit de pauperare hominem.*

Alij ſunt qui unicè ad opulentiam conſequendam totis incumbunt viribus. Decipiuntur vano ſpei oblectamento : non ad opes ; quin potius *ad peccatum* ij deſudant. Imò remanent ideo pauperrimi quia peccatores : ſufficit enim vel unicum delictum ut inopia premat peccantem. *Pauperes facit*, inquit Ricardus Victori. *indigentia bonorum exteriorum : multò magis autem pauperes reddit inopia bonorum interiorum. Pauper eſt qui diſcretione caret, qui conſilium non habet, qui virtutum divitiis caret.* Quocumque gravi crimine fœderis, uni de tribus animæ hoſtibus tui dominium concedis. Captivus quantumvis multa poſſideret dum libertate potiebatur, ea deperdit mox atque fit juris alieni. Unde licet terrena cuncta reciperes in peccati mortalis pretium, læſus manebas: nihil enim conſequitur ſeipſum perdens.

Ricard. Vict. 2. p. l. 2. c. 38.

Ad ſingulare certamen auſus tenebrarum princeps deſcendere cum Dei Filio quondam, ita veſanus intumuit ut ab ipſo adorari ambiret. Oſtendit ei omnia regna mundi, eaque in adorationis pretium obtulit mentita liberalitate ſuperbus : *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me.* Audi quid adnotaverit S. Nilus, eruditionis piæ flumen Eccleſiam fœcundans : *Dominum ipſum hortatus eſt, hæc omnia tibi dabo, & his quæ in hac vita judicantur præclara nihil indigentem decipere conatus eſt.* Et quæſo demus quòd adoraret iniquum Salvator, & promiſſam regnorum largitionem aſſequeretur in præmium : in quonam deceptus Chriſtus Dominus remaneret ? Quia peccaſſet: ac poſſidens cuncta nihil haberet. Animæ labem comitatur egeſtas. Serpens callidus ita ſecum viſus eſt meditari fraudem : ſi mihi exhibuerit iſte cultum, omnia prout ei ſum pollicitus facillimè tradam : ſed in hoc ipſo deludam eum : ſemel enim atque bonorum hæc affluentia flagitio ſteterit ipſi, nihil ei dono, quamvis largiar univerſa. *Fructus impij* ad fortunas congerendas videntur feſtinare ; ſed illudimur : nam potius egeſtatem ſollicitat ſibi, qui ruit in piaculum : non ad copias it, ſed *ad peccatum.*

Matth. 4. 9.

S. Nilus in l. aſcet. prope finem.

47. *Etiam peccato alieno in ſe ſuſcepto, ad inopiam pervenitur.*

Adeò pluſquàm verum eſt delinquentem pauperem reddi peccato metipſo, ut etiam verificetur in eo qui peccatoris egerit perſonam innoxius. Etiam pro non ſuis erratis fidejuſſor inſons, eò quòd illa ſolvenda ſuſceperit pauperiem fuit expertus. De incarnato Dei Verbo loquor, quem ſcis pro nobis pietate ductum fidejuſſiſſe. Infinities opulentus eſt : quamvis enim omnia creata, quorum in executione, ut ita dicam, dominium poſſidet, finitum cumulum non excedant : attamen valet in infinitum alia vocare ad lucem bona, quin ullus ei poſſit præſcribi limes. Hunc ergo ditiſſimum Regem, hominum culpæ, licet alienæ, pauperem reddiderunt. Audi Apoſtolum.

Ad Corinthios Gentium Doctor ſcribens de Filio Dei ſic loquitur : *egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis.* Hic eſt ille ne, cui dedit omnia Pater in manus ? quo infortunio factus eſt inops ? Non infœlicitas extitit in cauſa ; ſed amoris induſtria : noſtra ſuſcepit crimina, ut à nobis illa tolleret. Ipſe peccatis hominum oppreſſus, ad extremam egeſtatem redactus eſt ; nos à delictorum miſeriis eruti, divites facti ſumus. Et quamvis hic Pauli textus communiter accipiatur de pauperie temporali Chriſti Domini : tamen ſcio D. Anſelmum ibi de ſpiritualium divitiarum affluentia expoſuiſſe verba illa : *cùm eſſet dives.* Unde colligo poſſe nomen, *egenus*, accipi de inopia quam in ſpiritu crimen inducit ; non quòd hanc Filius Dei ſit paſſus in ſeipſo ; ſed quod tanquam noſter fidejuſſor hanc tulerit egeſtatem, eo modo quo peccata noſtra dixit Petrus in corpore ſuo tuliſſe. Accipe Anſelmum : *per illum*, inquit, *& illæ ma ores divitiæ, fides, pietas, juſtitia, charitas, boni mores. Nemo enim & has habet, niſi per eum qui juſtificat impium. Ecce quàm dives.* Has divitias non amiſit Redemptor ; ſed earum defectus (reatus nempe noſtros) luendos non dedignatus eſt ſuſtinere, vadem pro humano genere ſeſe præbens : ſic *egenus factus eſt.* Si cunctorum Dominus ſceleribus non ſuis inops redditus eſt ; quid erit flagitia committenti, qui nihil præter commodata quædam poſſidet exilio detentus ? Putat iniquus congerere ſe fructus ad opulentiam ; fallitur : nam ſolummodo *fructus impij ad peccatum.*

S. Anſelm. to. 2. in epiſ. ad Corint. ibi.

48. *Voluptas alii, quando expirat antequam perficiatur.*

Ut ſtatuere valeamus nihil ex operibus nequam homini ſceleſto relinqui niſi peccati labem : reſtat aperiamus quàm deſipiant apertè qui voluptatem ex piaculo carpere ſollicitant. Delicias quærunt, & non ſine dolore conſequuntur : hac tamen lege quod breviſſimè pertranſit ſuavitas ; at perdurat jugiter anxietas. *Citò præterit quod delectat ; permanet ſine fine quod cruciat*, ait Caſſiodorus. Homo naſcitur ad laborem : eſt illi voluptas præternaturalis, cui labor innatus. Nihil violentum diuturnum docuit philoſophia, confirmat experientia. Hinc oritur ut dulcedinum helluonibus expirent iſtæ priuſquàm ad finem perveniant eædem. *Talia enim omnia quæ humana ſunt, & quæ carnalia. Nondum rectè advenerunt, & avolarunt, tale quiddam ſunt deliciæ, & tale quiddam humana gloria & potentia, tale quiddam & divitiæ, tale quiddam univerſa hujus vitæ proſperitas.* Hæc S. Joann. Chryſoſt. Cætera nunc omitto : de voluptatibus tantum dicam : eas amantes, citiùs ipſas amittunt, quàm illis plenè potiantur.

Caſſiod.

Chryſoſt. to. 1. hom. 1. in Gen.

Quærulo nullâ de causâ Hebræorum populo copias avium immiſit patiens æquè potenſque Dei clementia. Uſque in delicias amamur : quomodò non aderit pius indigentiæ, qui ſanctè morigeratur appetitui ? Attamen, cùm Sol ſpinis favens earum genium non immutet, quamplures illorum ita divinæ munificentiæ ſe præſtiterunt ingratos, ut morte mulctati ſint. Rem ſic deſcribit Regius vates : *adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Ira Dei, quæ lento gradu ſolet ad criminum vindictam iter conficere (forſan ideo non dicitur hîc deſcendiſſe flagelli pondus ; ſed iram aſcendiſſe) non expectavit quod in ſtomachum cibi trajicerentur ? Vel ſaltem ut palatum

Pſal. 77. 30. 31.

Liran. ibi. tum attingerent ? Liranus ibi : *quia non totum adhuc comederant, & probabile est quòd ipsi, vel plures eorum, actu comedebant, quando Dei punitio venit super eos, ideo subditur : & ira Dei* &c. Non equidem nimis festinavit punire Dominus ; potius desiit ocyssimè voluptas. Hæc perfectè compleretur cùm escam guttur perciperet ; ut autem noscas quàm festinanter disperierit, advertas deliciam, de qua ibi agitur, ante quàm consummaretur, consumptam. Linguam occupabant epulæ, ubi non plena est gustus experientia ; tamen hæc ibi vidit exitum, ubi non ad huc erat integra: *adhuc escæ eorum*, &c. Latetne brevitas ista mentes hominum ? Non credam eos ignorare crasse quod acutus dolor eorum ingerit oculis.

49. *Virtutis labor suavis, vitij voluptas molestiæ conciliat.*

Non de illo cruciatu nunc sermo est, qui luxui superveniens ipsum hostiliter insequitur. De dolore agimus qui germen libidinis ab ea nascitur. Quàm dissimiles evadunt radicibus suis, vitiorum virtutumque fructus ! Virtutis labor voluptuosus est adeò quod suavis reddatur ; nefaria voluptas oblectando lædit, cruciatque gaudentem. Unde Chrysostomus ait : *videamus nunc si quid horum mandatorum difficile sit & naturam humanam transgrediens. Nihil igitur tale profectò ; sed econtrà, incredibilem in his facilitatem, in omni autem vitio maximum laborem, & sudorem non parvum inveniemus.* Virtuosus labor levis est justo ; peccati verò fallax illecebra doloris ante supplicium genitrix est delinquenti.

Chrysost. to. 2. hom. 57. in Matth.

Duplicis dilectionis fit in sacro textu mentio sub exaggeratione peculiari. Deperibat Amnon Davidis gnatus germanam Thamar : nec minori cordis flamma Jacob exarduit erga Rachelem. Impensissimè diligebat uterque ; sed non eundem affectus in eis operatus est exitum. Amnonis amor illi conciliavit ægritudinem : *ita ut propter amorem ejus ægrotaret.* Jacobi dilectio non infirmantem ; sed robore vigentem reddidit eum, sic ut pastoritij muneris onus ei levissimum visum sit : *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* E simili fonte diversa prodeunt ! Utrobique amor erat in causa : hic Jacobo suavitas laborum ; & Amnoni dolor morbum sequens ! Virtutis & vitij dissimilitudo hæc est. Pepigerat fœdus cum Labano Jacob ut pastorem ageret : iste dum æstu geluque ureretur, honestum exercebat opus, scili. justitiæ, cujus est persolvere contractus onera : unde virtuosa opera, quamvis insomnis duraque, levis erat justo : nam licet amoris magnitudini textus hoc tribuat, aliam non inficiatur causam quam tacuit, nempe operosum illud exercitium ad virtutem spectasse. Amnonis lasciva flamma voluptati sociavit morbum ; nullaque fuit ægrotationis origo præter amorem, qui lenocinabatur ejus cordi ; nec alio opus erat veneno, quàm isto pectus exedente : *crudeli percussus vulnere carpebatur*, ait Hugo Card. qui notavit sanè tempestivè quòd soror libidinosi hujus *Thamar interpretatur amara.* Hæ sunt deliciæ sceleris ! Tormenti genus hoc est : non ad vera gaudia pervenit *fructus impij*; sed *ad peccatū.* Unicus est hic arboris malæ pessimū germen.

2. Reg. 13. 2.

Gen. 29. 20.

Hugo Card. in 2. Reg. 13.

DELIBATIO VIII.

De virtutum nexu : justi dominio in opera sua : exempli viribus : mundi præmiis : temporalium & æternorum differentiâ : peccatorisque vitâ morti simillimâ.

ITerum de more nostro, cùm verba textus singula perpenderem, in eorum primo hærebam statim. *Opus.* Opera pluraliter hic intelliguntur, ut probat Lectio Septuaginta, qui verterunt, *opera.* Multa sunt equidem ex quibus consurgit Dei templum : non unico lapide constructur domus : oportet ut nullum non moveat lapidem qui Deo præparat domicilium. Cognationem virtutes agnoscunt ad invicem, quamvis non sint æqualiter nobiles : *etsi cognatæ sint inter se concretæque virtutes*, inquit S. Ambrosius. Sic mutuâ nectuntur affinitate, ut cunctæ velut unica valeant reputari.

50. *Virtutes ita sociantur ut videantur unica.* Lect. Septu. Prov. 10. 16. S. Ambr. to. 4 l. d. obitu Satyri fratris post med.

Non te prætereat stylus Evangelici alitis : *hæc est charitas, ut ambulemus secundùm mandata ejus.* Ita scribit Joannes. Theologorum apex de virtutibus videtur agere minus Theologicâ exactione : nam una charitas virtus est superexcellens cunctas, mandatorum autem observatio pertinet ad plures virtutes : ambulare juxta mandata, fidem, justitiam, pœnitentiam &c. comprehendit : & ait Evangelista hæc omnia charitatem esse ? Mysticæ Theologiæ cedat nunc scholastica. Plures equidem numerantur virtutes ; at sic amica similitudine sociantur, quasi non multæ sint, sed omnes una charitas : *& hæc est* : &c. perbellè Glossa Interlin. hoc loco verbo, *ambulemus*, ait : *non cessemus ab opere virtutum.* Ita virtutes universæ copulantur, ut videantur omnes unum *opus justi.*

2. Joan. n. 6. Interlin. ibi.

51. Igitur perfectæ sanctitatis Heros ne quasdam imitetur arbores, quæ sibimetipsis inæquales fructibus onustantur ita dissimilibus, ut uno ad maturitatem perveniente, alter putrescat, alius erudus adhuc turgeat. Potius omnes animæ fructus tam simili perfectione gaudeant, ut in unum coaluisse videantur.

Carnis & spiritus opera Paulus Galatis adnumerat. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia* &c. & post pauca de virtutibus agit : *fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas*, &c. Non te pungit varius loquendi modus ? Pluraliter loquitur cùm de operibus carnis incidit sermo : *manifesta sunt* &c. & contrapositionis legem rhetoricam benè callens, virtutes plures numerat singulariter dicens : *fructus autem Spiritus*, &c. Ne putes casu transiviſse calamum à numero ad unitatem. Inimica sibi mutuò vitia sunt : proindeque de illis tanquam de pluribus agendum erat. Virtutes indivisim fœderantur : idcirco veluti de unica sermonem habet Apostolus multarum seriem describens. Aliquantum favet S. Anselmus, dum

Ad Galat. 5. 19. Ibi n. 22.

S. Anselm. tom. 2. in epist. ad Galat. ibi.

ait ibi: *cœpit dicens: fructus autem Spiritus est charitas: ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta, & religata contexuit, quæ sunt gaudium pax &c .... charitas ergo non potest haberi sine cæteris bonis, & cætera bona sine charitate nequeunt prodesse.* Criminum regnum in se divisum est (O utinam desoletur;) pietatis autem Respublica non sic: tranquilla fœdera servantur in ea suadente amore, concordi pacis pignore. Ideò S. Ioannes Climacus dixit: *virtutes, Iacob scalæ comparantur .... simul nexæ, atque altera ad alteram transmittentes in cœlum sustollunt amatores suos.* Aliam similitudinem colligo ex D. Bernardo. Pulchrè fideliterque depinxit animam sanctitate fulgidam: experto crede. *Est ergo,* inquit, *cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes.* Aptè virtutes syderum nomine veniunt potiùs quàm solis: hic etenim unicus est, & societatem cum aliis luminaribus poli summâ velocitate refugit. Luna cum planetis: necnon stellæ ad invicem profitentur amicam sodalitatem. Quinimo, prout supra dicebam, quamvis plurimi sint virtutis actus: omnium tamen stabilis nexus unicum suadet velut esse *opus justi.*

S. Ioann. Climac. in scal. gra. 9.

52. *Iusti operibus suis dominantur.*

Iusti. Bona opera rectè dicuntur justi propria; vix opera nequam dici valent operantis: non quod libertatis dominium in eis improbus non exerceat; sed quia vita servilis exulare facit nomen dominantis. Qui sibi non dominatur, facta sua non regit; sed projicit. Iustus verus gestorum suorum possessor est, sceleratus verò suorum custos.

S. Ambr. to. 5. l. 2. epist. 7.

Virtutem libertatem esse arbitror, inquit S. Ambrosius: & infra: *servit igitur peccator formidini, servit etiam cupiditati, servit avaritiæ, servit iracundiæ, & videtur hujusmodi sibi liber?* cumque mancipium operas, in quibus desudat, dicere proprias non valeat; qui verò nascitur ingenuus suarum teneat imperium: parum abest ut valeamus asserere solius actiones justi vendicare dominum operantem; illas verò quibus vitam prodigit nefarius, tanquam alienas reputari.

Tobiæ 11. 12.

Postquam angelico ministerio Tobias à cæcitate venit ad lucis gaudia, gratiis, ut par erat, Deo persolutis, ad Jerusalem oppressam Babylonicâ servitute convertit sermonem *Ierusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum:* ubi magister doctissimus Celada commentatur: *scili. præcedenti versu dixerat quòd castigaverat Deus Ierusalem in operibus manuum suarum, idest propter iniqua opera; ideo nunc ait in bonis operibus placandum, & propitiandum esse Deum.* Preme senis verba. Cùm de piaculis agit urbis, non dixit: in operibus tuis; sed: in operibus manuum tuarum. Cùm de virtutibus ad quas hortatur, verba facit, tunc inquit: *in bonis tuis.* Aliena sunt nostra crimina? sola nobis propria sunt opera bona? Vereor ita dici valere pro morali doctrinâ: eo quòd mala sint operationes captivi; bona verò, hominis ingenui. Hoc unum scio, quòd aliena plus suis palato sapiunt: an ideo criminum dapes sic pelliciunt appetitum?

Celad. in Tobi. ibi in commen. litt.

Ad vitam. Septuaginta legunt: *opera justorum vitam faciunt.* Probabiliter exempli vires his verbis notantur, quarum adjumento vix est qui non indigeat. *Cùm benè proficere in sancta conversatione volumus, necessarium nobis est ut electorum plurimorum nobis exempla colligamus.* Et quàm planum est iter per exemplaria! Exemplis destitutus persæpe trahitur; si alterum imitetur ambulare pigebit; potiùs cursitabit.

53. *Exemplum difficultatem virtutis minuit.* Lect. septua. D. Greg. M. l. 4. in l. 1. Reg. c. 10. tom. 2.

Trahe me: post te curremus &c: ubi Sponsæ loco D. Bernardus: *non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim, current adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo.* Sponsa cursum conficit; & eádem trahitur; cæteræ current; non trahentur? Exempli vis hæc est. Sponsa nullius creaturæ; sed solius ductu Sponsi pergit, adolescentulæ autem exemplo sponsæ ducuntur. Illa trahitur; non istæ. Sic imitatio facillima reddit virtutis ardua. Sollicitudo sanctorum hæc est, aliis proclivem offerre semitam quæ ducit ad vitam: & ita quòd humilitati suæ injuriam non recusant inferre, si facilior inde virtus alteris maneat exempli beneficio.

Cant. 1. 3. D. Bern. ser. 21. in Cant.

Humilitati suæ vim justus infert in lucrum alienum.

Ad Corinthios Gentium Doctor scribens ait: *imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Quomodo Paulus obtinuit à seipso ut consuleret imitationem sui humillimus ille, qui ad eosdem postea scripsit: *nihil sum!* Christum Dominum suadeat imitandum; se taceat. Non hîc ut imitarentur Filium Dei monuit: arduum namque appareret quòd cinis & lutum virtutibus referret lucem Creatricem, expertemque nævi. Faciliùs foret Corinthiis Paulum sibi præfigere in exemplar: videntes etenim de persecutore Apostolum, peccatores non desperarent se tandem aliquando emersuros à vitiorum cæno. Humilior quidem foret modus loquendi, si diceret: non me imitemini, cui nihil boni; sed Redemptorem bonorum omnium prototypum. Non tamen refugit perfectus vir humilitati suæ aliqualem injuriam inferre: dummodo sic imitatione mediante pronior virtus aliis remaneat.

1. ad Cor. 11. 1. 2. Corin. 12. 11.

54. *Mundus rogatus debitum donat loco beneficij.*

Fructus. Nomine fructuum hîc intelligunt quidam proventus illos, quos terra sponte, nullo culta vomere progerminat. Si moraliter procedamus nihil præter spinas tribulosque novi, quod terra spontaneè proferat post originis maledictionem: S. Augustinus: *ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti à peccatis.* Imo tellus improbissimis laboribus exculta difficillimè fructificat. Serviunt sæculi Principibus miseri: nec mora, nec requies ulla datur alligatis ad fortunæ rotam: nam ut S. Greg: M. condolet, *gravis labor est hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is qui apprehendit, noverit diu stare non posse.* Qua putas liberalitate munerari prolixi temporis obsequia? Fere nullâ. Non solum rogari se mundus vult; sed postquam

S. Aug. l. 1. d. Gen. contra Manich. cap. 13. to. 1.

D. Greg. M. l. 6. mora. c. 7.

sponsionem

ſponſionem præmiſit, & diu ſervienti promiſſum non adhuc implevit, præmium jam debitum favoris loco donat: & hoc ipſum non niſi poſtules impetrabis.

Joſeph in Ægypto munus exequebatur Reipublicæ perutile, cùm ab eo vocatus pater Jacob, comitibus filiis advenit, famem regionis mutatione devitaturus. Tunc Joſephus quinque fratres ante Pharaonem conſtituit: qui facultatem ejuſdem, ut morarentur in terra Geſſen, petierunt, & impetrarunt. Duo ſunt expendenda nunc. Primum quòd antea Rex cuncta promiſerit Ægypti bona fratribus Ioſeph elargiri; nunc ut ipſis in terra Geſſen domicilium ſtatuere concedat, non ultrò, ſed rogatus acquievit. Cum primum Iacobo natos adveniſſe novit Monarcha, ſumma largitate ipſos
Gen.45.17. 18. proſecutus eſt. *Dixitque ad Ioſeph, ut imperaret fratribus ſuis, dicens: onerantes jumenta ite in terram Chanaan, & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Adduxerunt illi genitorem: nuntiatur hoc à Ioſepho regi; nec tamen eis ille tradidit Geſſen, niſi poſt eorum preces, in
Ibi c.47.4. habitaculum: *petimuſque ut eſſe nos jubeas ſervos tuos in terra Geſſen.* Hæc eſt mundialis magnificentiæ avara conditio: quod jam ex vi promiſſionis debuerat, non niſi rogatu compulſa largitur. Secundum notari dignum eſt quod non Joſeph, ſed fratres à Pharaone terram Geſſen in habitationem poſtularunt: *petimus* &c. Non Joſeph qui regis obtinuerat gratiam; ſed germani, qui vultum regium tunc primùm videbant munus iſtud petunt? & hoc ſuadet Joſephus idem? Prudentiſſimus equidem: ſciebat enim de ſæcularis politicæ ſtylo facilius eſſe gratias, quàm præmia conſequi. Hoc ipſum ſi flagitaret Ioſeph, donaretur in præmium ex eo debitum quòd Pharaoni ſervierat fideliter; rogantes autem fratres (quibus nihil rex debuerat obſequij) non remunerationis titulo, ſed gratiæ reciperent iſtud. Voluit Joſephus ut potius fraterna precatio munus deſideratum obtineret: noverat enim potentiæ ſuperbæ regum placere præmia ſub nomine largitionis conferre, ut accipiens debitorem ſe fateatur. Pharao apud S. Proſpe-
S.Proſp. l.d. promi. & Prædict. Dei P.1.c.29. rum figurat ſæculum. *Exponit Ioſeph Pharaoni ſomnia .... ſalubri conſilio inſtruit. Et noſter Ioſeph Chriſtus Dominus mundo per ſeptennarium numerum currenti in finem, tale conſilium dedit*: &c. Sic mundus avarè mentiens liberalitatem, venditat ipſe tibi quod ex meritis jam tuum eſt.

55. Æterna ut propria; caduca reputemus ut aliena.

Impij. De terrenis bonis quibus potitur iniquus agitur hîc: & eorum dominus inſinuatur ille, non quod commodata non ſint; ſed quia dominium eorum acquiſiviſſe putat. Imprudenter illuditur æſtimatione ſua. Æquum foret, ut æterna bona homines ut propria reputarent; caduca velut aliena. Difficilè judicas hoc? Unum ſcio, nempè Davidem non adhuc exemplo Chriſti Servatoris imbutum ita cenſuiſſe.

Pſal.20.4. Meditare qua ratione loquatur inſignitus diademate pſaltes: *poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo: vitam petiit à te, & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculi:* & juxta Janſenium de ſeipſo locutus eſt: *ut rectè intelligatur*, inquit, *hoc loco non ſignificari aliud, quàm* Ianſen. in *regalem dignitatem & gloriam Dei beneficio* pſal.ibi. *ei obtigiſſe.* Et infra ad illud: *vitam petiit*, ait idem Janſenius: *ratione vitæ ſempiternæ, quam per Chriſtum David in cœlis bona ſpe expectavit.* Dum coronæ meminit vates non dixit tribuiſti; ſed poſuiſti? cum verò de ſempiterna beatitudine fatur, hanc ſibi donatam aſſeruit? non adhuc ille ſummo bono fruebatur; ſceptro verò maximè: fateatur ergo ſibi collatum decus regium; non autem fœlicitatem ſupremam. Noluit hoc loco ſic de regni Divinâ donatione loqui: ne ſibi ſubreperet bona temporalia tanquam propria pertractare. Spiritualia ſibi data dicebat (*dediſti ei* &c.) utpote qui perennatura ſola rebatur ſua. Dura videbitur hæc veritas vobis qui thezauritatis in terris: at *ſi veſtra ſunt hæc* (loquitur nunc S. Ber- D.Bern. ſer. nardus) *tollite ea vobis, ſed homo cùm in-* 4.Adven. *terierit non ſumet omnia, neque deſcendet cùm eo gloria ejus: veræ ergo divitiæ non opes ſunt, ſed virtutes.*

Ad peccatum. Ut antitheſis aptius com- 56. *Peccatoris vita mortua.* poneretur, in hiſce poſtremis verbis dicendum videbatur: ad mortem: quia in primâ verſus parte dixerat Sapiens: *ad vitam.* Ceſſet leviſſima dubitatio: quid refert, ad peccatum, dicatur; an ad mortem? Nonne delictum obitus eſt? Rem cunctis obviam non ignoras; licet fragilitate præceps hoc citò nimis prætereas. Peccator criminibus obrutus quid niſi cadaver ſentiens? mobile ſepulchrum? reſpirans umbra? Rationalis vita non corpus eſt, ſed anima: quæ ſpiritualiter gravi lapſu interit. Corpus quod habitat ſpiritus emortuus, vivum extat; non tamen eſt homo vivens, *Quia pedibus am-* S.Aug. ſer. *bulat, quia manibus contrectat, quia ocu-* 28.d. verb. *lis videt, & audit auribus, officiis cæteris* Apoſt.to.10 *membrorum talis utitur, viventem putas: vivit, ſed corpus ejus; mortua eſt autem anima ejus, mortuus eſt quod melius eſt: vivit habitaculum, mortuus eſt habitator.* Neque dicas Auguſtini, cujus hæc ſunt verba, requiri ſpiritum ut iſta percipias: quomodo ſcili. vitam habens æqualis defuncto ſit. Gentilitatis caligine ſepultum Senecam hæc, ex parte ſaltem, non latuerunt. De Romanorum Imperatore quodam, voluptatum ſuarum viliſſimo ſervo, loquebatur, cùm ipſius mortem triplici verbo diſertiſſimè deſcripſit: *deſiit videri vivere*: quaſi Sen. non reipſa vivus fuerit qui peſſimus. Ne te vitæ fallat imago. Lucis uſus nequam, & veræ mortis umbra prorſus idem.

Graviter ægrotaverat rex Benadab: mittit ad Eliſeum rogans an ab illa foret evaſurus infirmitate. Reſpondit propheta: *dic ei ſanaberis*: at mox addidit: *porro oſtendit mihi Dominus quia morte morietur.* Videntur 4.Reg.8.10. hujuſmodi verba Dei vatem dedecere. Sanari, morique de eâdem perſona uno tempore vera ſimul eſſe nequeunt: vel igitur verum eſt mortem viſurum; vel ſalutem: cur oppoſita profert? Difficilis eſt litera. Exponi ſolet primo: *dic*: ideſt tu de more

adulatorum dices regi quod ſanabitur ; ſed ego ſcio moriturum. Secundò : ſanabitur, ideſt ſanari poteſt, quantum ex vi morbi, ſed divina diſpoſitione morietur. His omiſſis quæ non vacat examinare, deflectam ad moralia. Ne tu putes contrariari mortem, & peccatoris vitam, ſynonima ſunt. *Ad vitam*, dictum erat de juſto. Expectabas quòd præſens clauderetur paræmia ſic : fructus autem impij ad mortem. Sed perinde habe quod legis : *ad peccatum.*

FLOS XVIII.

Via vitæ cuſtodienti diſciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat.

APERITUR.

1. GEnuinum hujus verſiculi ſenſum inveniemus, cùm nominis, *diſciplinam*, quòd hîc eſt ſatis ambiguum litteralem acceptionem rimati fuerimus. Aliqui ut Hugo Cardin. per diſciplinam intelligunt flagella Dei, quibus homo docetur, & in via ſalutis conſtituitur. Hanc ſententiam exornat copiosè Salazar ductus verbis D. Gregorij Nazian. aliorſum dictis : qui de tribulationibus ait: *ipſæ ſunt regia ad cælum via.* Poteſt apud hunc interpretem videri (Salazar inquam) ſemitæ appellatio regiæ quantum congruat laboribus : quæ necnon via Baſilica vocatur apud Græcos, & à Latinis prætorialis & conſularis. Per diſciplinam accipere labores, tropologia mihi videtur : nam plagas à Deo inflictas nemo dicitur cuſtodire litterali verborum attentâ proprietate. Si verò dicas non ſumere Scriptorem ſacrum, *diſciplinam*, pro ipſis anguſtiis, vel cauſis dolorum ; ſed pro eruditione, quæ illarum experta prudens eruit patientia : reſpondeo non apparere cur de hoc potius eruditionis genere, quàm de alio, quod per doctrinam internam & exteriorem à Deo præbetur, nomen diſciplinæ uſurpandum ſit.

Hugo in Prov. 10. 17.

Salaz. ibid.

S. Greg. Nazian. orat. d. grandine.

2. Ideo aliqui ſenſum utrumque annectunt in unum ; ita ut diſciplinæ appellatione veniant hîc tam Dei punitio, quàm reprehenſio, doctrinaque, tum inſpirationibus internis, tum per Sacram Scripturam, tum ſapientum, aliorumque, vocibus immiſſam à Domino qui per hæc media dirigit hominem ad vitam. Sic à Lapide cùm Janſenio. Hi quoad priorem partem impugnantur ex dictis contra primam interpretationem ; quoad ſecundam coincidunt ferè cùm ſequenti, quàm præferendam exiſtimo. Caietanus cùm Lira & aliis, per diſciplinam intelligit animadverſionem quæ verbo perficitur. Addam ex Cornelio à Lapide illam quæ in Sacra Pagina continetur. Non adjicio eam quæ per internas illuſtrationes exhibetur à Deo : quia ſicut hæc propriè non veniunt increpationis nomine, ita neque voce, *diſciplinam*, ſignificantur. Solet expoſitio prioris hemiſtychij ad expoſitionem ſecundi, & econtrà, in ferè omnibus parabolis, quarum ſenſum inveſtigamus, ita ſe habere quòd alterius alterum poſcat opem. Animadverſionibus adderem leges ac præcepta divina humanaque : nam ſub vocabulo diſciplinæ, rigore litteræ ſervato, cadunt ultrò.

Cornel. à Lap. in Prover. 10. 17. Janſen. ibidem. Caieta. Lira in Prover. 10. 17. A Lapid. in hunc locũ.

Itaque tota ſententia valet : ille qui monita, juſſaque ſalutaria cuſtodit, in via greſſus ponit, quæ ducit ad vitam ; ab eâdem verò exerrat is qui reprehenſiones quibus ad tramitem ſalutis reducendus erat, ſuperbus abjicit. *Quis enim facilè invenitur qui velit reprehendi ; & ubi eſt ille ſapiens, de quo dictum eſt : corripe ſapientem, & amabit te ?* inquit Auguſtinus. Nec ſcrupuloſus redarguas me jam nomine diſciplinæ ſubintelleXiſſe præcepta, quæ nomine increpationis non veniunt, quem defectum paulò prius notaveram in addentibus expoſitioni voci *diſciplinam*, reprehenſiones Dei per internam illuſtrationem immiſſas. Diſparitas eſt, quod increpatio, licet non ſolear ſignificare præcepta : nihilominus vocat hominem ad legum cuſtodiam : ideoque tangitur aliquatenus in ſecunda parte ſuprapoſiti axiomatis. At illuſtratio nec eſt propriè increpatio : nec iſta vocare dicitur homines ad illuminationem divinam.

S. Aug. to. 2. epiſt. 87.

3. *Via :* hoc eſt vivendi modus : quid enim vita niſi via ? Nihil addit vita viæ, niſi litteram, quæ crucis exhibet figuram, ut credas nihil aliud eſſe vivere, niſi crucem & iter. In patria cæleſti conſequemur ſedem ; in hoc filiorum Adami exilio carpimus viam : peregrinamur utique : *audies enim & David poſt hæc dicentem : advena ego ſum apud te & peregrinus ſicut & omnes patres mei. Et Paulus dicebat de juſtis illis, quòd confitentes erant, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt ſignificant ſe patriam inquirere, qui meliorem appetunt patriam ideſt cæleſtem.* Hæc D. Joannes Chryſoſ.

Chryſoſ. to. 1. hom. 6. in Gen.

Vitæ. Tria ſunt à quibus via nomen ſumere valet : initium, viator, & terminus. Salutis calles appellari ſolent via Dei : quia hujus iterfactionis principium Deus eſt. *Cuſtodivi vias Domini* legimus apud Pſalmographum. Ipſæmet viæ dicuntur prudentiæ, ſumpta denominatione ab eis qui gradiuntur per ipſas, qui ſanè prudentes valdè ſunt. *Et ambulate per vias prudentiæ*, inquit Eccleſiaſtes. Tandem à termino nominatur apud Jeremiam dolorum vatem via vitæ : nam ibidem via mortis dicitur illa quæ ducit ad interitum : *Ecce* (ait Deus per eum) *ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Ita Dominus cùm ore prophetico populo daret optionem ut eligeret, vel egredi urbem & vivere ; ſeu manere, ac perire. Ergo curioſiùs forſan inquires, quonam ex his modis via quæ ducit ad æternam dicatur hoc loco via vitæ : an quia ſumit initium à Deo qui vita nobis eſt ? *ego ſum via & veritas, & vita :* an quia ſoli qui rectò pergunt vivunt ; cæteri pro mortuis reputantur ? ſeu quia per hujuſmodi ſemitam itur ad vitam ? Secundo ſenſui favent Septuaginta, qui legunt : *vias juſtas.* Ultimæ interpretationi adhæreo : cujus

Pſal. 17. 22.

Prover. 9. 6.

Jerem. 21. 8.

Joan. 14. 6.

jus in re leviſſima non aliud fundamentum exigas, niſi quod frequentior ſit loquendi modus viam à termino denominari, quàm aliunde.

Cuſtodienti. Verbi hujus duplex uſus eſt. Sæpe ſumitur pro attentiùs aſpicere. Sic Tullius: *oculi, & aures omnium te ſpeculantur, & cuſtodiunt.* Frequentiſſimè ſolet accipi cuſtodire pro tueri, ſeu in cuſtodiâ privata continere. Leges, & ſalubria monita, utroque modo cuſtodit qui tenet viam dextram: ipſius namque vigilantia ſic in examinandis juſſis circunſpecta ſatagit, ut nec iota unum ſibi permittat præterire: cautè ſolerterque attendit mandatis, quaſi Cherubim oculis pleni de quibus D. Gregorius: *totum corpus plenum in circuitu oculis habent, quia omnis eorum actio, providentia ſollicitudinis & repletur, & circumdatur.* Deinde pretioſiſſimum theſaurum, quo Deus ipſe comparatur, claudit juſtus cùm obſervat mandata: nam obſervatio iſtorum, amor Dei poteſt vocari, juxta illud Salomonis: *dilectio, cuſtodia legum illius eſt:* & quid amore pretioſius illo? in hac gemma cuncta claudantur animæ opes. *Sponſæ* (inquit mellitus Doctor) *res & ſpes unus eſt amor. Hoc ſponſa abundat, hoc contentus eſt Sponſus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet.* Ideo vigil cuſtodit juſtus præcepta, ne pereat id quod unica ſpes & poſſeſſio illius eſt, ſcili. amor.

Tullius orat. 1. in Catil.

D. Greg. M. to. 2. hom. 7 in Ezech.

Sapi. 6. 19.

S. Ber. ſer. 84. in Cant.

Diſciplinam. Quamvis in ſingulari numero uſurpetur, & præter alia ſignificet humanas leges, quæ neceſſariò ſunt plures, ac temporum, circunſtantiarumque diverſitate variantur: attamen ab iſtarum neceſſariâ & utili pluralitate vox ſingularis non diſcordat: nam ſi decreta per humanos legiſlatores ſervatâ rectitudine conſtituuntur, ita divinæ ſimiles evadunt, ut eas omnes cum audis, unicam Dei legem te audire putes: & certè *omnium legum inanis eſt cenſura, niſi divinæ legis imaginem gerat.* Sic Auguſtinus.

D. Aug. l. 9. d. civit. Dei. 4.

Qui autem increpationes: Hebraicè: *increpationem.* Ne te nimis moveat lectionis diverſitas: nam vix reperies objurgationem à charitate manantem quæ unica ſit: quippe corrigens proximum, ſi ſpiritu lenitatis munus hoc exequitur, prius reprehendit ſeipſum: veluti pater medicus ægro filio potionem præbens amaram, guſtat prius quàm propinet. Ideò S. Bernardus conſulebat dicens: *non dico ut te facias quod non es: ſed ut attendas quod es, quia verè miſer es: & ſic diſcas miſereri qui hoc aliter ſcire non potes: ne fortè ſi proximi malum conſideres, & tuum non attendas, movearis non ad miſerationem, ſed ad indignationem, non ad adjuvandum, ſed ad judicandum.*

D. Bern. de grad. humilit. poſt princ.

Relinquit. Relinqui dicitur quod jam tenebas: nam ſi non aliqualiter acceperas, nullatenus reliquiſti. Error itaque præcipuus eſt in illo qui ſemel correptionem ſalutiferam admiſerat, & poſthàc ſui oblitus rejicit. Vehementer iſte pericliratur juxta illud Bernardi: *væ tibi quicumque es canis reverſus ad vomitum ſuum:* eâ namque difficultate reſurgendi laborat, ut impoſſibilitas appelletur ab Apoſtolo dum ait: *impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte.... rurſus renovari ad pœnitentiam.* Sed infrà latiùs de hoc delibat. 5.

Idem ſer. 2. d. reſurrect. poſt princ.

Heb. 6. 6.

Errat. Sumi poteſt vel pro vagari, vel pro decipi: hoc loco ſecundum veroſimilius. Non exaggeratur error hic, licet maximus: eo quod cùm ex contextu ſatis liqueat agi de ſuperbo ſalubria monita ſpernente, ſufficit hoc ut ejus errorem peſſimum agnoſcamus: nec enim leviter ſolet errare, qui præſumptione ventoſiſſima elatus arroganter effertur? *per prudentiam verò*, Chryſoſtomum audis, *ſtultum fieri, & venia privat, & majus adfert ſupplicium. Tales ſunt, qui in ſapientia ſuperbiunt, inque extremam incidunt arrogantiam. Nihil enim adeo ſtultum facit ſicut arrogantia.*

Chryſoſt. to. 4. hom. 20. n c. 12. ep. ad Roman.

DELIBATIO I.

Laborum viam ingredi multa ſuadent.

NUnc pro animarum didaſcaliâ divertamus ad expoſitionem illam, quæ ſuprà viſa fuit eſſe tropologica: ſecundùm quam ſenſus hujuſmodi thematis hic eſt: ærumnas patienter ſuſtinenti via patet ad æternùm perduraturæ vitæ poſſeſſionem. Antequam Deus (qui via eſt ipſo teſtante) figeretur cruci: non mirum foret ſi ad vitam pergere contendiſſes declinans crucem; at poſtquam ſuadente dilectione, crudelitate miniſtrâ, cruci via veritatis affixa eſt, inſanè præſumis crucem odiſſe, viamque tenere, qua itur ad cæleſtia. Inſuper: ad ignotam regionem, ſine duce, periculis hinc & inde circumſeptus, non niſi temere accingeris itineri. Dux eſt ille tibi, qui paſtorem agere non dedignatus, *proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit.* Ducentem agnoſcis, & ſequelam ejus profiteris? *quid eſt*, ait Auguſtinus, *Chriſtum ſequi niſi imitari? quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt relinquens nobis exemplum, ſicut ait Apoſtolus Petrus, ut ſequamur veſtigia ejus. Hunc in eo quiſque ſequitur in quo imitatur.* Verùm ſi conſilij tantummodo, non autem præceptum, putas opus eſſe Filium Dei ſequi ductorem, falleris peſſimè. Quinimò vituperabilius eſt Redemptorem ſequi nolle cùm patitur, quàm ſi ex illius ovibus eſſe recuſares. *Quamvis legem ſanctiſſimam habeamus, ſi tamen ea quæ barbari, facimus, barbaris etiam deteriores ſumus.* Ita Salvianus. Si noſſe negares amantiſſimum Dominum, ignorantiæ vulgarem excuſationem prætenderes; cùm autem eum quem fateris cognoſcere, deſeruiſti, nulla ratione verâ, ſeu apparenti, excuſaris: pateris notam electionis iniquæ. Turpius eſt Chriſti ſequelam refugere, quam eundem ignorare.

5. *Turpius videtur Chriſtum deſerere, quam ignorare.*

S. Aug. to. 6. l. d. virginit. c. 27. fine.

Joan. 10. 3. 4.

Salvianus l. contra Gentes.

Comprehenditur qui venit educere *de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Terga dat præter alios Petrus, qui non nimis antehàc arma virumque ſpondere

Iſai. 42. 7.

ſpondere viſus eſt. Amore tamen (quem timoris umbra licet quandoque terreat, non è pectore fugat) ſuggerente, domum petit Pontificis : ibique validiſſimo ab imbecilli manu vibrato cadit formidoloſus ictu non ſemel ; *& acceſſit ad eum una ancilla, dicens : & tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens : Neſcio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi : Et hic erat cùm Ieſu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento : Quia non novi hominem.* Matth.26. 69.70.71. Ecce jam bino teſte probatur Petrus Chriſti diſcipulus : ipſe tamen inficiatur noſſe quem Deum confeſſus antea fuerat. Poſt puſillum ab aliis convincitur ex alumnis illius eſſe : *verè & tu ex illis es : nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Ibi n.73. & 74. Ad hæc quid ille repoſuit ? *Tunc cœpit deteſtari & jurare quia non noviſſet hominem.* Ad oculum ferè concludunt inter aſſeclas Jeſu numerari : & Apoſtolus audet negare ! Cur non, ut veroſimilior eſſet, reſpondit ſe quidem hominem illum agnoſcere, fuiſſeque aliquando ex ipſius auditoribus ; jam tamen illius veſtigiis non inſiſtere, ſed ei valedixiſſe ? Aliquid pro confirmatione propoſitæ concluſionis hinc eruamus : nam, ut Ambroſius dixit, *error Petri doctrina juſtorum eſt.* S.Ambr. l. 10. in Luc. c.22.tom.3. Puduit Apoſtolorum Principem hæc verba proferre. Ex duobus unum aſſerere cogebat metus : nempe, vel ſe Magiſtrum ignorare ; vel ſcire quidem ſed non ſequi : cupienſque ſeligere quod minùs vituperio dignum foret, non ſequelam negavit ; potiùs agnoviſſe pernegat, quaſi dicens, vituperabilius eſſe non ſequi Domini greſſus quem agnoviſſet, quàm ejus neſcire nomen. Quiſquis gaudet Chriſtiani decoro titulo, conteſtatur ſe Chriſtum Dominum ſequi. Benè : ſed à via ne declinet, quà præit paſtor, per tribulationum patientiam ducens. *Debemus ergo non ſolum eum, ſed ejus vitam cumulatiſſimè ſequi : vita enim Chriſti reſperſa fuit anguſtiis plurimis*, S. Aug. inquit Auguſtinus. Iſtas refugimus, cùm tamen ad vitam pervenire cupiamus omnes. *Quàm pauci* (exclamat S. Bernardus) *poſt te ô Domine Ieſu ire volunt : cùm tamen ad te pervenire nemo ſit qui nolit : hoc ſcientibus cunctis : quia delectationes in dextera tua uſque in finem. Et propterea volunt omnes te frui ; at non ita & imitari : conregnare cupiunt ; ſed non compati.* D.Ber. ſer. 21. in Cant.

6. *Deus videtur amplius odiſſe quod patiens illum ſequaris invitus, quàm ſi ladas in faciem.* D.Greg M. l.6. moral. c.7. 20.1.

Experientiâ cogimur fateri quod anxietatibus liberi non erimus quocumque nos verti contingat. *Is, qui accepta eſt præditus ratione, conſiderat quod valdè ſibi ſit impoſſibile ut hæc peregrinationis tempora ſine gemitu evadat.* Ita D.Gregorius M. Ergo ſi, velis nolis, eſt ingemiſcendum : quid reſtat niſi Chryſoſtomi conſilium amplecti ? *Faciamus*, ait ille, *de neceſſitate virtutem, ſeu voluntatem.* Et infrà poſtquam virilem ſuaſit pro caſibus adverſis animum, inquit idem. *Hoc pacto quæ præter ſpem obvenerint mala, in voluntatis officium commutabis.* Chryſoſ.to. 5 ſerm. de amore Dei, & tolerantia in adverſis. Nonne conſultius erit fructuosè pati quàm fruſtranèe ? Nolentibus etiam contingit crucem ferre : *impoſuerunt illi crucem portare :* Luc.23.26. ſed aliud eſt crucem ſuſtinere ; aliud tollere : non ſequebatur Cyrenæus ; ſed ibat poſt Servatorem. Ille ſequitur Dominum qui meritoriè crucem tollit, quod non accidit niſi volenti : *ſi quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matth.16. 24. Putas-ne ſatis ut meritum non deperdas, offerre Deo quod pateris invitus ? Nec diabolus, quamvis omnem tyrannidem exerceat in ſuos, vult milites vi coactos : nedum verus & amantiſſimus omnium Dominus adſcribet militiæ ſuæ neceſſitate compulſos ? Adſit Ambroſius : *voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus : voluntarium ſervum ſibi diabolus auctionatur.* S.Ambr. l. 1.d Jacob & vita bea. c. 3. relatus c. Non eſt. 15. q. 1. Imò parum abeſt ne dicere audeam Deo minus diſplicere ſi terga dederis ipſi, quàm ſi violentiâ trahente per crucis viam ſequaris eundem. Cùm enim Dei donum ſit eum patiendo imitari (juxta illud Pauli : *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini :*) Divinæ beneficentiæ munus deſpicere videtur dura ſuſtinens coactus : quod equidem videtur Dominus amplius odiſſe, quàm in faciem lædi. Ad Philip.1. 29.

Ad hortum regrediamur : nam ibi documenta pro divini Magiſtri ſequela reperiemus, ubi petiit à Patre quòd paſſionis calix aſſeclis communicaretur ſuis : ita namque D. Hilarius expoſuit Aſſertoris orationem : *tranſeat oro mi Pater hic calix à me ad meos.* D. Hilar. Cano.13.in Matth. Proſternit hoſtes omnipotens manſuetudo, ſimulque ſe tradit eorum crudelitati. Suorum nihilominus memorem ſervans providentiam dixit ad inimicorum viliſſimam turbam : *ſi ergo me quæritis ſinite hos abire.* Joan.18.8. Ignoro ſanè qua ratione prævaluit in hac re Servatoris amor. A diſcipulis inquam, nollet avelli, ſimulque dimittit ut abeant ! Facilè quieſces dum ſolvat dubium ipſa dilectio Redemptoris, qui tormenta ſitiens ad horum ſocietatem admittere non patiebatur ſodales. Fateor amorem ita ſuaſiſſe. Urget attamen ſcrupulus, cur in via Calvariæ ſinit lamentantium affectum ſibi ſocium jungi ? *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum : quæ plangebant, & lamentabantur eum.* Luc.23.27. Ad hæc. Apoſtoli à Magiſtri vincti latere abeundo peccaverunt venialiter juxta ſententiam lucis evangelicæ Luſitanæ. Silv. to.5. l.7. c.3.q. 26.n.209. Dira res eſt ab illo quem ſummè diligis etiam leviter offendi, præſertim dum anxius eſt animus. Quare Dominus hanc illorum fugam non impedit ; quinimò verba profert ex quibus illi forſan occaſionem derelictionis arripuerunt ? *ſinite hos abire.* Duplicem appoſui dubitandi rationem : utrique faciam ſatis. Ad primam. Mulieres non invitæ ſequebantur ; Apoſtoli ſi ligarentur (cùm adhuc eſſet imperfecta eorum dilectio) traherentur nolentes ad ſuſtinendos cum divino Præceptore cruciatus. *Si autem*, ait Dionyſius Carthuſ. *Chriſtus permiſiſſet Apoſtolos hac vice capi, periſſent ſecundum Auguſtinum, quia infirmi erant, & ad moriendum pro Chriſto imparati.* Dionyſ. Carthuſ. in Joan. 18. art.43. Ne vi cogerentur abire permiſit illos ; fœminas autem, quantumvis afflictas, minimè ſuis à veſtigiis repulit. Nunc ad ſecundam. Peccaverint eſto diſcipuli fugitantes : at minus ægrè ferre videbatur Dei Filius amorem ſuum in faciem lædi, quàm

quam ligatos Apoſtolos illum ſequi: voluntarios commilitones amat qui *oblatus eſt quia ipſe voluit.*

Iſai. 53.7.

Cui doctrinam hujuſmodi non ſuaſerit ratio, nec tradiderit amor divinus: adminus eandem noſtra fragilitas edoceat. Iſta curat minuere quod patitur. En optimam artem imminuendi mala: ſuſtine libenter. Nihil non emollit propria voluntas. Unuſquiſque ſolet electioni ſuæ plaudere: licétque non diligat quod elegit, electionem amat. Si arbitrium fuerit amplexum calamitates, proprij conſilij ſuavitas, earum amarori miſcetur: & hunc illa, ſi non dulcem reddiderit, ſaltem minus acerbum efficiet. A mundanis hoc addiſcere non pudeat. *Pravorum mentes, hujus mundi ſervitio deditæ, & rerum temporalium fatigationibus affectæ, & aſſuetæ: etiam ſi eis libere vacare liceat: ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinant. Quarum exemplo juſti mens edocta contrarios eventus, & cuncta quæ premunt debent æquanimiter tolerare.* Sic monet D. Laur. Iuſtin. Quid eorum qui ſæculi terunt vias difficiles dulceſcere facit moleſtias, niſi propria delectio? Luxuriant virentia mundi prata: ſed major ſpinarum numerus quàm florum. Nemo tamen dum legit roſas, ut par eſt ſentit aculeos. Quare, niſi quia quod ultro patimur dolet minus? Ita ſæpe contingit.

7. *Quod ultrò patimur minus dolet.*

S. Laur. Iuſti. in lign. vit. c. 5. de patientia.

David adulterij, necnon homicidij reus efficitur. Poſtea ſuperbiæ fuco cæcatus numerari jubet populum. Utroque loco meruit Numinis iram, tulitque flagellum. Priora crimina filioli nece punita ſunt: *quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus eſt tibi morte morietur.* Sic prænuntiavit Nathan. Plebis autem ſuperba numeratio peſte mulctata fuit, *Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſraël de mane uſque ad tempus conſtitutum.* Aliorſum diſparitatem iſtam alibi verſavi: nunc ad præſens inſtitutum nonnihil addam. Enimverò gravius deliquerat rex adulterio fœdatus & homicidio, quàm populum ſupputari jubens. Si humanæ juſtitiæ infida lance pœna libraretur, non mirarer graviùs flagellari, cùm peccaverat minus. Divinam æquitatem inquiro, cùm videam regem ſcelera majora committentem puerili morte cædi; minúſque graviter noxium peſte populo immiſſa feriri. Circumſtantias utriuſque punitionis animadverte: cernes æquiſſimè commenſuratas fuiſſe reatibus pœnas. Parvuli mortem nolebat parens. *Deprecatuſque eſt David Dominum pro parvulo: & jejunavit* &c. Graviſſimum quidem ſupplicium fuit hoc, quia refugiebat illud voluntas patientis, ita ut duplex immane flagitium adæquaret. Peſtis Monarchæ non adeo grave malum, cùm ex tribus ipſe fecerit illius optionem: *aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera* &c. Quamvis igtiur non tam fœdè tunc ipſe deliquerat: peſtis ei, ſed voluntaria, infligitur: quaſi minùs feriat iſta dum infertur volenti, quàm infantuli deſideria renitentem ejus morti genitorem. Ergo ſaltem ut flagra minus acerba credantur, amplectamur illa cum quibus grave luctamen nobis eſt: & malorum vires infringemus; noſtras autem roborabimus, ut alacriter arripiamus eam quæ dicitur *via vitæ.*

2. Reg. 12. 14.

Ibi c. 24. 15

Ibi c. 12. 16.

Ibi c. 24. 13.

Accedit utilitas alia non medioctis: quam, ſi afflictionibus exerceamur libenter, conſequemur: ſcili. quod tribulationibus politus lapis, ad cæleſtis Jeruſalem ſtructuram tunſione multa coaptatus, pluris ſit à Deo juſtus, quàm dum ante preſſurarum ictus molliter ſuper gramina requieſcebat. Pulcherrima utens allegoriâ confert Os aureum perſecutionem vento, juſtumque tritico in area perpurgando. *Ideo movetur perſecutio quaſi ventus, ut ventilabro Chriſti jactati, qui jam disjuncti fuerint actibus, ſeparentur & locis, ut ſicut triticum mundum in granariis, ſic ſancti probati in regnis cæleſtibus reponantur.* Ænigmate Chryſoſtomi fruamur. Triticum quamdiu non ventilatur, non clauditur à Domino; ſed pedibus objicitur; poſt triturám cuſtoditur accuratè. Niſi prematur adverſis homo, fit minoris à Deo, afflictatus verò, jam honore afficitur ampliori.

8. *Poſt ærumnas juſtus pluris fit à Deo.*

Chryſoſ. to. 4. hom. 9. in c. 5. ad Rom.

Cadit Saulus, ut renaſcatur, agnoſcit Dominum converſus quem inſequebatur perſecutor: *Domine quid me vis facere?* Non illum Redemptor plenariè docuit; ſed Ananiæ remiſit. *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Baptizatur ille, deſtinaturque ab Spiritu ſancto ad Gentium culturam, cui dum multa per diſcrimina ſedulus incumbit, è tribunali Pontificis in Jeruſalem, deducitur in caſtra ne pereat. Ipſa nocte, *aſſiſtens ei Dominus ait, conſtans eſto: ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* En audit à Domino quod non interrogat ille cui antea roganti quòd petierat non aperitur plenè: qua de cauſa? Multa ſuppeditat myſteria dubium iſtud quorum alia diverſis in locis aperuiſſe mihi liceat. Priori loco (dicam nunc) jam tradiderat cor Paulus; non tamen adhuc pro Chriſti nomine paſſus erat. Tunc ipſius oratio ſic parvipenditur, ut ab alio (& Ananiæ nomine ſupreſſo) docendus mittatur in urbem. Poſtquam verò perſecutionibus probata fuit ejus fortitudo, jam ſtrenuum bellatorem princeps pacis per ſeipſum de futuris, quæ non interrogabat, pleniùs inſtruere non dedignatur. *Cùm Jeroſolymis adverſus eum commota fuiſſet ſeditio, & agonem clariſſimum pro verbo, & prædicatione Domini deſudaret, aſtitit ei Dominus*, ait Origenes. Tunc experiatur divinam peculiariter benevolentiam, cùm perpetitur ærumnas, quò pateat quanti apud æquiſſimum æſtimatorem fiat is qui per paſſionum fluctus navigat imperterritus probè ſciens, quòd laborum ſemita eſt *via vitæ cuſtodienti diſciplinam.*

Act. 9. 6. 7.

Act. 23. 11.

Orige. to. 1. hom. 15. in Gen.

DELIBATIO II.

Voluptatis via diſſuadetur.

9. *Mortem delicia juvant ut ſecurius feriat.*

VNum ex altero noſcitur oppoſitum. Ex prædictis inferre pronum eſt cuique ſic : via igitur ad mortem voluptas eſt, cùm ſoleat labor ducere ad vitam. Non dubites : id experientia docet, pœnitudo luget. Supervacaneum duco veritatem adeo recta videntibus notam confirmare. Parum eſt quod voluptates iter dicantur ad mortem : hujus portæ ſunt Auguſtino teſte : *exaltatur*, inquit, *homo ab omnibus pravis cupiditatibus, quæ ſunt portæ mortis, quia per illas itur in mortem.* Deliciis marceſcit ætatis flos, enervatur membrorum vigor, hebetatur ſenſuum acumen, langueſcit rationis oculus. Quid hoc niſi mortis præludia ? Inter mortem & luxum fœdus initum penſitabam : ſeſe mutuò juvant ſociæ : mors etenim, ut voluptas pretio ſummo venditet illecebras, amorem vitæ hominibus indit, quo deluſi mercantur lubrica gaudia carò. Econtrà deliciæ, ne coacti frequentibus experientiis mortem agnoſcamus temporalium eſſe malorum terminum, eamque præ vitâ miſeriis addictâ diligamus, iſtas operiunt floribus, quos venum exponunt amatoribus ſæculi non infimo ſumptu comparandos. Venditione peractâ reſtat partiri lucra inter ſocias. Scindi nequit vita, quam ſibi lucrantur ambæ, mors ſcili. ac voluptas : & quia ſunt amicitiâ valdè conjunctæ, paciſcuntur ut in ſolidum eidem vitæ ſimul dominentur. Non audet mors ab hujuſmodi pacto reſilire : valdè namque pendet à deliciis pro exequendo munere ſuo. Aliquoties accidit mortem non prius ictum infligere falce, quàm voluptas præeat morti viam parans, & victimam ligans. Exemplum accipe Holofernis exitum. Noſti (nec notiſſimis immorari ſoleo) Bethulienſibus obſeſſis armata non acie, ſed facie ſubveniſſe Juditham.

D. Aug. to. 8. in Pſ. 5.

Aſſyrium Heroina ducem, inquam, cepit ipſius oculis : & cùm obſervaſſet mero ſopitum arrepto pugione jugulavit. Notatu dignum judico divinam in mirabili facto providentiam. Si Deus animo fœminili ſtrenuam adeo contulit ſtabilitatem, ut medios inter armatorum cuneos inimicum feriret cominus imperturbata manu : quare non potius vigilanti quàm dormienti necem afferre diſpoſuit ? Somno vinctum occidere, quid aliud eſt niſi mortuo ſimillimum è medio tollere ? Hæc eſt novæ Palladis fortitudo ? Juvante ſomno (qui mortis frater, proindeque vitæ hoſtis eſt) viciſſe Holofernem ? Dicerem, ſic oportuiſſe, ut mortis ictui ligatam ebrietas victimam teneret, ut non manus aberraret : *non*, inquit Auguſtinus, *delicata matrona pugnavit. Sopor tibi quem ferias præparavit.* Soporatum, & à vino madidum occidit. *Holofernes jacebat in lecto nimia ebrietate ſopitus.* Noluit mors abſque ſocia voluptate prædam facere, ut ſecaret audentius collum ſuperbiæ collis, texit callida falcem deliciarum frondibus : & cui Dux reſiſteret apertè pugnanti ; non timuit ; ſed amplexus eſt illam ſuaviter perſonatam. Vides in flumine piſciculos certatim ad hamum pinnis ferè volaturientes ? Illum niſi tegeret eſca vitarent, etſi viſus eis debilis. Haud aliter in turbido mundialis æquoris gurgite, mortis hamus velatur lenociniis guſtus, ne diffugiant, ſed involent more piſcium rationales, & mortem devorent. Huc ducit adeò dilecta ſuavitas ! O fraudem pulcherrimè turpem !

Aug. in appendice ſer. 67.

Judith 13. 4.

10. *Voluptas acerbior eſt, quam vindicta.*

Acerbiora puto ſenſuum oblectamenta, quàm vindicem hoſtis manum, adverſus miſeros mortales : quos à cupitis recedere nolentes dirè cædit. *Quis hoſtis in quemquam tam contumelioſus fuit, quàm in quoſdam voluptates ſuæ ?* Sic interrogat Ethnicus morum inſtructor. Fateor quod fulminis ingenium ſequitur vindicta ; delicium tamen eſt veneno ſimile. Non è cælo dejicitur fulmen, ſed à nube, quæ terreſtris potiſſimum eſt, & locus non mutat naturam : unde facilè credes ultionem fulmini parem. Utrumque circumrotatur, ad certumque locum non collimat ; ſed quocumque fert igneus furor ; exequuntur illum. Toxicum & voluptas non ſic ſe gerunt ; ſed quacumque ingrediantur, ambo tendunt in corda. Hunc ſibi quærunt ſcopum, quò mortale ſit vulnus.

Sen. in epiſ. 39.

Redeamus ad tragicum illud fortunæ ſpectaculum, cui theatrum tentorium fuit Holofernis. Arripuit Bellona ſacra gladiolum, & cùm poſſet illum barbaro cordi figere, potius in dormientem cervicem direxit. *Et percuſſit bis* in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus.

Et fragilis valido latuit benè ſexus in ictu, Ut cecinit poëta. Si manui fidit : quare non tranſverberat pectus ? quod faciliùs foret, nam percuſiſſe caput, majus aliquid fuiſſe videtur inſinuare ſtylus Damiani, dicentis : *dum deauratos, oſtroque nitentes Holofernis thalamos ſprevit fortioribus armis in mente præcincta ; etiam caput ebrium audenter impreſſo pugione truncavit.* Duplici percuſſione facinus indiguiſſe viſum eſt : *percuſſit bis in cervicem :* an non tutiùs cor Aſſyrij transfigere, ubi vel minima punctio lethalis eſt ? Joab occiſurus Abſalonem cùm ter jaculaverit, ſemper cor petiit. *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom :* non aliam ſuſpenſi corporis partem quæſivit jaculis, forſan ut certiſſimè vitam auferret. Cur non ſimiliter Juditha ? Dicam. Solent ejuſdem exercitus ducibus à ſupremo Chiliarcho certæ ſtationes deſignari ad pugnam, ita ut neuter alteri locum aſſignatum præripiat ; ſed unuſquiſque ſuo conſiſtat, ibique hoſtem cædat. In Judith pugnabat contra Holofernem integer exercitus, quem regebat honoris divini zelus. Inter alios duces numerabantur inſigniores duo, ſcili. vindicta communis, & ſpecioſitas peculiaris. Obtigerunt illis diviſæ ſtationes : quod ſcili. pulchritudo cor inimici occideret, illumque feriret ibidem. Vindicta verò pro defenſione populi ſuſcepta deſtinatur ad caput. Neque vindicta locum oblectantis arripuit ſpeciei : nec iſta præoccupavit

Sidonius carm. Eucharift. ad Fauſtum.

S. Petrus Dami. l. 7. epiſ. 16.

2. Reg. 18. 14.

quod

quod ultioni commendatum erat. Unaquæque parte sibi commissâ decertavit: scilicet vindex manus caput abscidit; non cordi ferrum immisit, ne voluptatis officium sibi arrogaret, quæ barbari cor turpiter vulneravit egregiè. *Cor autem Holoferais concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus.* Pugio non læsit cordis intima; voluptas autem maximè:

Judith 12.6.

Silius 15.

——— *tantum nec tela, nec hostes,*
Quantũ sola noces animis illapsa voluptas.

De veneno medici affirmant periculosius esse si vino, quàm si alteri liquori misceatur, fortè quia sic ad cor faciliùs permeat. O cave pessimum virus mixtum inebrianti lætitiæ voluptatum. *Venenorum lethalium nullum melius instrueret mensam: imò, si verum oportet dicere, nullum pejus: nam lethifera illa mox auferunt eum qui potat, & mortem sine sensu inducunt, ita ut & qui moriatur non doleat: voluptates autem vitam multis mortibus graviorem inducunt.* Ita Chrysostomus.

Chryſoſt.to. 5.ſer. de luxu & crapula.

11. *Somnus peccatoris difficilè pellitur; justus non sic.*

Amicam se voluptas mentitur, & sensim necat non sentientem. Occurrent passim tibi hoc morbo ægri: qui tamen sic malo suo desponsaverunt animam, ut non solum de illo non doleant, sed in utramque aurem somno sopiti stertant. Ast quam irrequietus est somnus iste! *Qui somnum Christi non dormiunt, non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione, quia ipse ait: ego dormivi, & quievi, & surrexi* &c. Sic D. Ambrosius. Voluptuosi premuntur oculi; sed intus nec mora nec requies: furit appetitus, discurrit intellectus, currit desiderium, confundit phantasia cuncta. Non sic in pectore justi, quod velut spirituale triclinium Summi Regis custodiunt armatæ virtutum excubiæ, ne divinæ majestatis ibi quiescentis dignitati quidquam indignum perstrepere audeat in eo. Ideo fortassis luxui deditus difficulter percipit hostium insidias, eò quòd in præcordiis inquietudo maxima non sinat exteriùs minora sentire. Justus, cui dum terris immoratur denegantur gaudia, quiescit intus & extra simul: ad levissimum tactum expergefiet.

S.Ambr.to. 1.l.d. Nabuth. c.16.

Compone somnos Eliæ, ac Samsonis. Hic voluptuariæ tradit se quieti, Dalilæ perfidiam non cavens. Importunè rogatus à proditrice Philisthæa stupendæ virium suarum fortitudinis aperuit secretum, quod illa nescens advocat ejus hostes. Samsonem dormire super genua suadet, ac tonsore adhibito raduntur Nazaræi crines: *rasit septem crines ejus:* quod insinuant hæc verba non aliter nisi per novaculam factum esse. D. Prosper id affirmat expresè, dicens: *quod verò novaculâ adhibitâ rasit caput ejus*, &c. Et non sentit cutis novaculæ aciem? Non hoc fuit satis ut somnum depelleret: illum cœpit à se abigere Dalila, & tunc expergefactus est: *cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit: dixitque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens* &c. Perge modò ad Bersabee Juda: inde per desertum superata via diei unius, veniens ad juniperum quandam, sub ejus umbrâ dormientem invenies Eliam. (Arbuscula est pro foliis spinas habens perpetuo virentes: nam & spinæ Dei servis umbram placidè subministrant.) Dormiebat, inquam: *& ecce angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: surge, & comede. Respexit* &c. Iterum dedit membra sopori: *Reversusque est angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: surge comede: grandis enim tibi restat via.* Ecce bis expergiscitur Elias, non percussus, non impulsus ab angelo; sed tactus ab eo: *tetigit eum:* quod non gravem concussionem indicat dormientis, præsertim angelo tangente, cui corpus aëreum. Novacula non suscitat Samsonem? Tactu levissimo expergefit Elias? Ita: nam justus hic erat, & ab omni voluptate longè positus: imò *famelicus erat & lassatus*, inquit Liranus. Inter calamitates quieti vacabat sic ut levem adeo tactum sentierit facilè; Samsonis autem pectus ita cogitationum proclamans turba inquietabat intus, ut novaculam sensus non perceperit extra: nam ut S. Hieronymus ait, *sicut igitur mare fervens quiescere nunquam potest, sed redundant fluctus ejus, & revolvuntur ad littora, atque iterum resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt, quod pedibus conculcatur, sic impij habentes cor ut mare, æternæ conculcationi subjacebunt, quorum nullum est gaudium, & nulla pace requiescunt.* Multò minùs quiescerent, si quò tendunt prospicerent: ipsis voluptas via mortis est; sicut econtrariò justo per tribulationes patet *via vitæ custodienti disciplinam*, quâ sic edocetur gressus dirigere.

3. Reg. 19. 5. 6. Ibi n. 7. Liran. ibi ad n. 5. S. Hier. l 16. in Isai. c. 57.

DELIBATIO III.

Custodiens mandatorum Dei disciplinam aliis est via vitæ.

EX origine hebraica textus noster sic legitur: *semita ad vitam custodiens disciplinam.* Sensus est: disciplinæ, seu legum exactus observator exemplo suo alteris ad piè vivendum præbet viam seipsum: nam virtutem quà eundum objiciens oculis eorum, ducensque ipsos ad optatum finem, viæ munus exercet. Meminere hujus lectionis Rodolphus; & ex eo Salazar hoc loco. Quæ illi prælibarunt prosequemur: Majoribus nostris invenire licuit; nobis nescio fateor, an fœliciter accidat inventis addere, quod falsò vocatur facillimum. De vi exempli dicere nunc omitto. Universim de illis qui aliorum incumbunt spirituali profectui, nonnulla subjicio. Isti quidem viæ regiæ sunt ad vitam ex triplici ratione: primò quia non huic, vel illi soli; sed unicuique patent: secundò quia vellent sine ullius præmij lucro illis præire, qui ad salutem instruuntur, haud aliter ac viæ nemo grates agit quòd ipsum ad optata perduxerit: tertiò, nam ut ejusmodi officium proximis exhibeant, non recusabunt (veluti via) pedibus teri. Expendam hæc tria.

Lect. hebr. Prover. 10. 17.

Rodolph & Salaz. ibid.

12. *Lux quæ universos illuminat, præcellit cæteras, quæ non cunctos.*

Ad primum. Ferè nihil invenies magnum quod manus una claudat : universitati nascitur quidquid egregium naturæ gratiæve opus est. Moles terræ , vastitas æquoris , arborum divitiæ , planetarum splendor pro mortalibus universis ab Authore naturæ creata sunt. Idem in operibus gratiæ reperies : omnibus Deus offert veniam , confert auxilia , cœlum aperit , clementiâ infinitè liberali. Sic justus doctrinâ & exemplo fit omnibus omnia ; non uni , sed singulis fulget more cælestis luciferi , cujus typus est, quia Solem divinum sua nobis annuntiat claritate. *Rectè autem* , inquit S. Greg. M. *lucifero justi vita comparatur. Solem quippe præcurrens lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia , nisi sequentis judicis claritatem clamat ? in eorum namque admiratione conspicimus , quid de veritate veri luminis æstimemus.* Quasi non satis esset ut æquarent stellas minores jubare qui lucent illuminantes orbem pro veritatis agnitione , lucifero, qui splendidissimus est , assimilantur hi meritò : non enim cæterarum lampadum cœlestium in turba numeranda est lux illa , quæ Deum hominibus ostendit ; sed loco singulariori digna judicatur.

D.Greg. l. 10.mora. c.12.n.21. tom.1.

Nato Domino venêre Magi stellâ duce Regi cultum dicare cupientes quem cælitus noverant : *vidimus enim stellam.* Astrum illud , ut fert sententia communis, non erat coætaneum reliquis ; noviter ad hoc munus fuit conditum. S. Leo Pap. novum sydus illud appellat. *Ad credendum ergo*, ait, *promissæ posteritatis hæredes in syderibus designari , ortu novi syderis excitantur :* & Augustinus novam lucem vocat : *eo nascente lux nova est in stella revelata.* Quæstio litteralis est , quid actum fuerit de hujusmodi stella. Est verosimile periviſſe : *peracto officio , cùm nova esset desiit esse* , ait glossa quædam. Quis non existimaret sydus istud in firmamento cum cæteris collocandum ? Sed æquum suspicor non fuisse , ut eodem loco luminare hoc inter alia reponeretur: non enim , æqualis dignitatis erat cùm eis quæ noctu lucent; sed multò minoris: nam quamvis ea valuit in conspectu solis apparere: ignobilior erat, quia reliquæ stellæ cunctos illuminant , & manuducunt ut Creatorem noverint: *cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum* ; illa vero solos duxit Magos ad incarnati Verbi adorationem. Universos in viâ salutis ducere , munus adeò excellens est , ut paritatem non ferat cum luminibus quæ non se gerunt similiter. Sic luces rationis compotes , dato quòd illuminent cunctos , antecellunt eis , quæ non universitatis bono , sed peculiaribus resplendent emolumentis.

Matth.2.2.

S.Leo Pap. ser.3.d.Epiph.

S.Aug.ser.5. d.Epiph.

Glossa quædam, cum Hugo Card. in c.2. Matth. & Abulen. q. 16.ibid.

Psal.18.1.

13. *Distribuens spiritualia possidet.*

Spiritualium bonorum copiam distribuit animabus astrum rationale largitate conspicua : viresque splendor acquirit , cùm dispergitur : nam in locum ex quo prodeunt lumina revertuntur & flumina. Etiam solis instructus naturæ monitis Tullius dixit olim: *fructus ingenij , & virtutis , omnisque præstantiæ tum maximus capitur , cùm in proximum quemque confertur.* Quid ille diceret, si qui doctrinam de amicitia tenuit , sciret charitatis vim , cujus proprietas est dispertiendo congregare ? *Advertere possumus :* ait S.Antonius Paduanus , *ipsius charitatis miram perfectionem , & novam proprietatem, videlicet quòd sparsa colligantur dum spargitur in plures.* Itaque justus accepit radios à Patre luminum ; non ut contegeret , sed ut diffunderet : quod si præstet , remanet omnium , quæ distribuit multis , verus Dominus : quasi solus possideret cælestia dona, quæ per illum sortiuntur universi.

Tulli.l.10.d. amicitia.

S. Antoni. Olyssipo. fer. fer.3.hebdo. 3. Quadr.

Exemplum apponam in ipso justorum Prototypo. *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filij Dei. Si autem filij , & hæredes : hæredes quidem Dei , coheredes autem Christi.* Sic ad Romanos Doctor Gentium. Meministi quid ipse dixerit ad Hebræos ? Vereor ne suspiceris parum sibi similem ; dum legis ibi : *novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio , quem constituit hæredem universorum.* Quomodo stant hæc duo ? scili. Filium Dei naturalem esse hæredem universorum , & nos ipsius factos esse cohæredes ? Ubi reperitur hæres universalis , nullus est socius hæreditatis : igitur cùm nos appellet Paulus cohæredes Christi , quomodo vocat eundem hæredem universorum ? Quia spiritualia dona distribuenda mortalibus accepit à Patre : qui autem pro cunctorum utilitate consequitur cælestes divitias , ut effundat, videtur possidere solus eas , quasi donorum animæ fluvius inexhaustus refluat in effundentem acceptas opes : & sic in nobis Redemptor possidet quæ contulit in nos ipsos. Quàm tempestive Catharinus Episcopus ! *Beatitudinem & gloriam illi referimus acceptam , ut ipse sit verè hæres etiam nostræ gloriæ, qui nobis eam promeruit , & illi donatur in nobis.* Itaque ad instar exemplaris divini , sanctitatis Heroes virtutum gazas avent elargiri , quin dubitent singulis tradere thesauros , quos impensè diligunt : cùm enim ipsi super terram se mortuos reputent , hæredem habere non recusant. *Si te viro credideris virtutibus multis instructo , sine dubio omnium quæ in ipso bona fuerint , hæres remanebis* , inquit Basilius : perfectus , inquam , vir *custodiens disciplinam* , attendit animarum lucris, bona sua communicans , non tanquam eorum custos ; sed veluti *via vitæ.*

Roman. 8. 16. 17.

Hebr. 1. 2.

Catharin. Episco. ad eam locum.

D. Basil. ho. d. abdicatione sæculi 37. ex var. longè ante med.

Secunda inter justum & viam erat similitudo : quòd cùm via peregrinos ducat errantes , dilectos absentes conjungat, miseros revocet exules , nullum exinde lucrum venatur. Justus ita charitate ardescit , ut vellet nullâ expectatâ mercede , cunctis beneficentiâ spirituali profuisse. S. Bernardus. *Durus amor de spe vires non sumit : nec tamen diffidentiæ damna sentit.* Amoris generositas hæc est sic operari ut ipsi quæstus ex benefaciendo sit feciſſe. Amor vulgaris impensus proximo , præmium à Deo conferendum non respuit ; at eximia dilectio suis ita militat stipendiis , ut etiam hujusmodi commodum refugiat.

14. *Eximius amor benefacit non expectato lucro.*

S.Bern. ser. 83. in Cant.

Mirabar Divinum orbis Magistrum ad Pharisæos , & alios, quam sæpissimè doctrinæ suæ margaritas projeciſſe , cùm non ignoraret surdis canere ; Saülo verò quem

scie bat

sciebat facillimè convertendum, & qui electus erat ut ineffabile nomen coram gentibus portaret, non fuerit allocutus dum vita mortalis maneret. Vocat Judam priusquàm Paulum! O abditissima providentiæ superioris arcana! Liceat aliquid ingenioli conjecturæ. Illos quos frustra nitebatur Dominus ad veritatis tramitem ducere, diligebat Servator; sed minùs: ideò dum viator extitit, eos per doctrinæ fluenta colere studuit, cùm adhuc sibi merendi locus erat. Pervenit ad vitæ metam: impositus est terminus meritò: tunc Paulum amplius dilectum illuminat; nullam jam à Deo Patre mercedem expectans. Idcirco moras traxit mereri nolens in Saülo docendo, quia hic suæ dilectionis Benjamin singulariſſimus erat, ut insinuat Ambrosius. *Pulchrè*, ait, *etiam Moyses cùm benediceret Benjamin tribum, dixit: dilectus à Domino habitabit confidenter, & Deus obumbrabit super eum omnibus diebus, & inter humeros riquiescet. Dilectus à Domino, quia etiam vas electionis est factus. Neque enim aliter nisi Domini est miseratione & amore conversus.* Alios ante passionem reduxit Servator, plurimumque promeruit in hoc sibi; amantissimo Saülo beneficum se præstitit, eâ tempestate, quâ locus merendo præclusus erat, finitâ viâ. Hoc est strenuissimi affectus argumentum: licet fatear spe retributionis divinæ non illum dedecorari: nec enim apud summum remuneratorem promereri pugnat cum generosæ munificentiæ theoremate quod præscribit Seneca, dicens: *non est beneficium quod in quæstum mittitur.* Attamen cùm satis amori præcipuo non sit observare veræ dilectionis leges; sed earum jussa superare contendat: non solum quæstum ab eo, cui proficuus est, justus non ambit; sed etiam à Deo conferendum non sollicitare videtur præmium, ut longius absit à commodi cupidine proprij qui totus aliis vivit; ferè non sibi.

D.Ambr.to. 2.l.d.Benedic.Patriar. c.12.

Sen.l.4. d. benef.c.14.

15. *Divinum penè opus benefacere sine lucro.*

Excellens mehercle benefactorum hic modus est, & quasi divinus: humana quippe conditio lucrifuga non est, *omnes enim*, ait S. Basilius, *angelicam viam ambulantes mercatores sumus per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes.* Hominem supergreditur ille qui lucrifactionem non sectatur. *Invenies igitur*, inquit Philo, *si omnes consideres, eos quoque vendere magis quàm donare, qui gratis largiri dicuntur: & quos putamus gratuitò accipere, eos revera emere.... At Deus non venditor est, æquum pretium rebus suis statuens, sed donator omnium perennes gratiarum fontes profundens, nullam permutationem cupiens.* Igitur gratis benefacere, modum etiam operandi videtur excedere spirituum creatorum, ac Deo approximari, ejusque opus esse, non creaturæ.

D. Basil. to.1.hom. 12.ex vari. ante finem.

Philo Hebr. to.1. l. d. Cherubim.

In brachio excelso cæditur Pharao, liberatur Israël: ac de servitute durissimâ in amatam libertatem asseritur vindice dextrâ. Ignotam deserti viam, seu potius inviam solitudinem peragrare cœperunt. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis*, &c. Compone, quæso, ista cùm his quæ sequenti capite adjiciuntur. *Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël*, &c. Erat ne dux angelus? an Deus ipse ductor? Si præit angelus, ut quid prædicitur: *Dominus autem præcedebat?* Si ducatum præstat Omnipotens, quomodo scribitur militem cælestem antecedere Jacobæam prolem? Fateor spiritum præivisse angelicum, sed beatum. Huic nihil meriti ex hoc beneficio, quô prosequebatur populum, obveniebat (cùm jam esset incapax merendi) & nihilominus inceptum persequebatur. Hic penè divinus fuit benefaciendi ardor: ita ut vocari queat Deus, qui angelus erat. Rupertus: *sive ille erat angelus magni consilii, sive angelicorum spirituum aliquis, in quo esset virtus liberatoris Dei*, &c. ac si quid angelica virtute majus præstaret ille spiritus Hebræos præcedens: nec mirum ita videatur, cùm citra spem lucrifaciendi beneficium exhiberet. Sic & similiter Deum justus imitatur apprimè, si ad propria non intendens animum, spirituali proximorum incumbit profectui: more viæ, quæ viatoribus prodest, quin obeat munus lucrosum sibi. Cúmque Deus, dum in terris ageret, se mortalibus viam appellaverit, ejus in hoc imitatores eodem titulo fas est insigniri: dicatur ergo justus *via vitæ*,

Exod.13. 21.

Ibi c.14. 19.

Ruper.l.2.in Exod.c.35.

16. *Iustus ut fructum Deo edat, pedibus patitur conculcari.*

Tertia justi & viæ analogia est in eo quòd ambo, cùm sint perutiles cunctis, attamen omnium plantis minimè recusant substerni. D. Gregorius M. *Si itaque index doctrinæ patientia est, tantò quisque doctus ostenditur, quantò patiens fuerit.... Doctor ergo qui mores populi & per patientiam sustinet, & sacri eloquij verbis docet, & currus dicitur & auriga: currus quia tolerando portat, auriga quia exhortando agitat.* Nequaquam cedit proximorum amor insanæ dilectioni, quâ diligunt filij sæculi hujus idola sua. Et (ut cæteros omittam) quàm libenter patitur conculcari magnatum pede superbo miser, cujus cordi cæca dominatur ambitio! Ut ascendat descensum diligit humilitate mentita, non humilis; abjectus potiùs. Quas non vilissimas, & sordidas vias, quærit avarus, ut auro postea nitescat! Serviles infamias auri phantasia deaurat bellè. Ergo ne primas concedet ambitioni, seu avaritiæ, charitas? Non credam. Ut virtutis fructus Deo, non sibi, ex alienis cordibus progerminent justi, subtus terram demitti patiuntur.

D.Greg.M. tom.2.hom. 21. sup. Ezech.

Æterni Patris Angelus, à Deo missus homo clamantis Unigeniti vox, non minus exempli quàm verborum rhetoricâ prædicabat auditoribus pessimis ad Jordanis ripas. Annuntiabat Messiam de illo prophetans ita: *& congregabit triticum suum in horreum.* Per triticum intellexit S. Hilarius justos in cælis, velut granariis, reponendos. *Triticum*, ait, *suum, perfectos scili. credentium fructus horreis recondendum.* Tritico assimilantur justi, quos Deus ut pupillam oculi custodire solet! Expectabam ut qui divino in conspectu appretiantur summè, rei pretiosiori componerentur à veritatis præcone. Sanctos æquiparet Joannes argento, auro, gemmis; triticum dicit? Et sapienter: noverat enim ab experientiâ pro-

Matth. 3. 12.

D.Hilar. in Matth. Canno. 2.

priâ doctus quàm peramanter ſpirituales fructus ex hominum animis Domino ſuo cupiat juſtus demetere. Ut indicaret illum nullam vereri abjectionem dummodo fructificet: non argento, vel auro, ſeu gemmis, quæ fructifera ſunt induſtriâ comite, magno tamen habentur in pretio (ac ferè latria coluntur) ſanctos conferre voluit; ſed elegit ænigma tritici: quod, ut non ſibi, ſed domino ſuo, proventum pariat, in terram projicitur, ibique ſepelitur, dans agro fructiferum reddi. Conculcari non renuit juſtus, imò nec obrui, quò vel unam Deo lucretur animam. *Verba juſtorum ex radice veniunt humilitatis, ut fructum valeant ferre pietatis*, ait S. Greg. M.

D.Greg.M. l.24.mora. c.8.to.1.

17. *Humilitas ut fructus edat proximis, vellet amplius deſcendere ſemper.*

Lubens adeo ſe juſtus abjicit ut ſpiritualiter germinare faciat aliena corda, quòd illi nunquam ſatis deſcendiſſe videtur. Sacrâ velut ambitione quærit infima, non minùs fervidè, quàm ſuperbi culmina concupiſcunt: *humilitate enim conſervatur charitas*, ut Auguſtinus docet. Suſpecta humilitas eſt quæ certum depreſſioni ſuæ terminum præfixit: non amat illam nimis, qui certis limitibus eam circumſcribit. Verè humilis virtus effuſa in animarum utilia, nunquam in voluntariè decidendo ſiſtit gradum, niſi violenter.

S.Aug.to.4. expoſ. in c. 2. epiſ. ad Galat.

Certant interpretes, quid aquæ nomine ſignificetur in illa Chriſti Domini promiſſione facta cùm Samaritidem alloqueretur: *ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons*, &c. Sequamur Purpuratum ad litteram ſic exponentem: *aqua autem hujus fontis ſunt gratia & cætera omnia quæ gratiam infuſam conſequuntur.* Noſti ex vulgari theologia, virtutes ſupernaturales gratiam juſtificantem comitari, ſic ut illa pereunte deſinant præter ſpem & fidem, ac renaſcente reviviſcant. Etiam ne dubites hoc loco de virtute, quæ proximorum profectui utilis eſt, ſermonem haberi. D. Cyrillus Alexan. ſæpe datus inſinuat, dicens: *aquam rurſus gratiam ſpiritus appellavit: quam qui adeptus eſt, divinæ ſcientiæ ſcaturientem fontem ſic adeptus eſt, ut præceptis hominum non indigeat: ſed facilè poſſit ad potum verbi cæleſtis etiam cæteros hortari*, &c. His prælibatis, quæro: cur potiùs aquæ fontanæ, quàm marinæ comparantur virtutes? Imò quare hîc non arbori potius? Cùm de fructuoſa pro cæteris hominibus virtute loquitur, arbor appoſitum erat emblema: non enim latex germina profert, ſed planta. Deinde ſemel quod lymphæ deligitur ænigma pro cæleſtibus donis, quæ largiſſimè fluunt, nonne foret aptior inexhauſti ſimilitudo maris? Minimè quidem. Non æquoris, nec arbuſti metaphora majori proprietate ſumeretur ad virtutis delineandum profundum in ſui demiſſione genium. Virgultum radices agit ad certum uſque limitem; non ita juſti humilitas, quæ nunquam dicit abjectioni propriæ, ſatis: quinimò ad nihilum contendit ſe redigere: cùm tamen ad id vires ipſius contingere non queant: eſt enim anihilatio Dei ſolius opus, ut facilè probant philoſophi. Æquor humilitatis allegoriæ non eſt aptum: in primis enim ſæpiſſimè tumet: deinde quotidianis æſtibus creſcit: denique, licet etiam retrorſum quotidie bis iterum littora linquens loco cedat: tamen retrogreditur uſque ad terminum ſibi præfixum, ultra quem labi non permittitur. Fontium perennium rivulus accommoda virtutum, quas humilitas fortiter ſtabilit, imago eſt, eò quòd multò aliter ſe gerit, quàm de freto diximus & frutice. Ebullit collis in vertice fluentum, præcepſque ruit quærens quam fœcundet glebam: ad florum pedes, ad arbuſcularum infima ſe inſinuat deſiliens; ſed nunquam tam imum locum obtinet, quòd (niſi præpediatur) ad inferiora non adhuc delabi contendat, hoc uno fine quòd fœtus illa ſumptibus ferant irrigantis undæ. Similiter ad charitatis apices evocata divini Solis radio virtus (velut ad montem aqua) ſurſum erumpit: indeque dilabens perenniter, ad floſculorum rationalium plantas provolvitur ſuppliciter: ad arborum terræ viſceribus hærentes & inveteratas radices vergit pronâ ſubmiſſione: cupiens iſtas in melioris vitæ novitatem reſtaurare; illas verò fructibus divites reddere. Quantumvis nihilominus poſtrema petens illabatur, nullam ſuo deſcenſui metam ſtatuit, ſanâ quadam humiliationum hydropiſi. Verè quidem *via vitæ* eſt cuſtodiens diſciplinam: non enim viatori via dicet: ſatis me pedibus contriviſti.

Joan.4.14.

Tolet. ad eum locum.

S.Cyrill. Alex. l.2. in Joan. c.85.

DELIBATIO IV.

Errores odientis correctionem ſugillantur.

18. *Propria voluntas majorem ducit in ruinam, quàm homines nequiſſimi.*

QUi autem increpationes relinquit, errat, inquit Sapiens: & non unico errore decipitur: nonnullos annumerabo. Primus eſt voluntatis propriæ ductum ſequi: non enim tantùm cæco fidit, ſed viam damno ſuo quærit opportuniſſimam. Non adeo, ſi ab aliis perperam duceris imminet ruina, quàm à tuomet arbitrio ductore. Infirmitas aliena minatur contagium, ſed extrinſecùs te dum reſiſtis oppugnat. Multò majus diſcrimen pateris cùm propriæ delectionis ægritudine laboras: illa namque poſſidet cor, atque inficit intus. *In corde*, ait S. Bernardus, *duplex eſt lepra: propria voluntas, proprium conſilium. Lepra utraque nimis peſſima: eoque pernicioſior: quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non eſt communis cùm Deo, & hominibus, ſed noſtra tantùm* &c. Et iſtam conſulis, prudenti correptione poſthabitâ? Erras turpiſſimè. Majus veniet à propria voluntate ſcelus, quàm à nequiſſimis hominibus ad malum inſtigantibus.

S.Bern. ſer. 3. de reſurrect.

Dubitabam quidnam fuerit in cauſa cur diabolus non perſuaſerit Judæis, ut Judam tentarent ad Magiſtri proditionem. Non eum Judaicum ſollicitavit odium ut Salvatorem venderet; ſeipſum obtulit ille, dicens: *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Rabanus: *non coactus*, inquit, *non invitatus, ſed ſponte ſceleratum iniit conſilium.* Non

Matt.26.15.

Raban.apud Cate. D. Tho. ibi.

Non ſic dæmon ſe habuit cum Pilato : furore Judæorum uſus eſt, ut per ipſos illum perduceret ad Chriſti necem : ij clamarunt, dicentes : *Crucifigatur.* Matth.27. 23. Necnon inſtiterunt inconſidentiæ ſuſpicione terrentes eundem : *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris.* Joan.19.12. Scire vis quare diabolus in hoc ſibi diſſimilis ? Atrocius erat flagitium traditoris juxta dictum Chriſti Domini. *Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Ibi n.11. Minus deliquit Pilatus. Ideo delictum immane Judæ peractum non fuit ductu nequiſſimorum hominum ; ſed propria diſcipulum peſſundedit voluntas ; non tam grave judicis crimen ſuaſerunt Redemptoris hoſtes, quod veluti coactus voluit : *& exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Ibi n.12. Velle ſuum cuique deteſtabiliorem ſuadet reatum, quàm ſoleant iniquiſſimi ſeductores.

19. *Voluntas propria conſiliarius dæmone pejor.* Imò dicere audeo : diabolo pejor conſiliarius propria voluntas. Hæc nimiè teipſum diligit ; ille verò manifeſtè proſequitur odio. Machinatur uterque tui perniciem : ſed cui ne credes facilius ? inimico ; an diligenti ? Dæmon ipſe humano arbitrio primas in tentando cedit : huic enim committit bella quæ gerit adverſum nos, & per illud obtinet victorias & clades. S. Bernardus de voluntate propria loquens. S.Bern.proximè ſuprà. *Ipſa eſt quæ paradiſum ſpoliat, infernum ditat, ſanguinem Chriſti evacuat, & ditioni diaboli mundum ſubjugat.* Quod minus eſt tartareus draco ſuggerit ; quod verò majus, id remittit vice ſui perſuadendum à propria voluntate ipſi peccaturo : quaſi ad peccatoris malum iſta plus valeat quàm tenebrarum principes.

Expende, precor, primum communis adverſarij cùm natura noſtra certamen. Præceptum Protoparentibus erat ne de ligno ſcientiæ comederent, eo pacto quòd ſi pomum guſtaret Adamus, genus periret humanum ſpirituali morte. Conſtat apud Theologos quod peccatum Hevæ non infecit Adamides : nec illius caſu, ſed Adæ lapſu natura humana corruit, utpote qui ſolus caput erat. Generis noſtri ruinam cupiens dæmon invidus moliri, non Adamum, ex quo res tota pependit, ſollicitat ; ſed Hevam, quæ poſtea ſponſum impulit ad tranſgreſſionem : Gen.3.12. *mulier quam dediſti mihi ſociam dedit mihi de ligno, & comedi.* Nodi ſolutionem ab Auguſtino quærebam ; ſed ad ejus lumen apparuit multo difficilior, quàm putabam : ait D.Aug.l.14. d. civit. Dei c.11. quippe : *animal lubricum, & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum per quem loqueretur elegit, eoque per angelicam præſentiam, præſtantioremque naturam, ſpiritali nequitia ſibi ſubjecto, & tanquam inſtrumento abutens, fallaciam ſermocinatus eſt fœminæ à parte ſcili. inferiore illius humanæ copulæ incipiens, ut gradatim perveniret ad totum, non exiſtimans virum facilè credulum, nec errando poſſe decipi, ſed dum alieno cedit errori.* Preme poſteriora verba : *non exiſtimans* &c. Credulum non putat ? incapacem deceptionis æſtimat, & negotium tentandi Adamum non per ſe ipſum exequitur ? Mulier quid poterit, ſi duellum recuſat malus & ſapiens angelus ? Lenocinari fœmina valebit Adæ voluntati propriæ, ut hæc peragat quod ipſe Dæmon difficile factu reputavit. *Cum voluntas ejus,* inquit Angelicus Doctor, *à rectitudine juſtitiæ diſceſſiſſet, uxori ſuæ morem gerere volens, in tranſgreſſione divini præcepti eam ſecutus eſt, edendo de fructu ligni vetiti.* S. Thom. opuſc.2. c. 191. Vides quomodo diaboli negotium egerit Adami propria voluntas ? Heva minùs peccavit, quia ſibi ſoli comedens nocuit : unde peccatum iſtud, quod erat minoris momenti, ſuaſit per ſemetipſum gehennalis inimicus. Adæ noxam quam potiſſimum ardebat malignus, & quæ gravior, ac non tam facilè ſuadenda, voluntati hominis propriæ commiſit callidus, tanquam ingenioſiori ad fallendum conſiliario. En præcipuum, in quo ille, *qui increpationes relinquit, errat :* ſcili. ſuæ tradere ſeipſum electioni.

Secundus error eſt præſumptio de proprij judicij præſtantiâ : idcirco etenim corrigentem præterit ſuperbus, quia putat agere ſapienter. Antonomaſticè hic error eſt ſi te ſcire credis quod neſcis. Qui ſimpliciter ignorat, nec ſemper in errorem labitur ; at verò cognoſcere ſe falsò æſtimans quod eum latet, errat propriè. D. Auguſtinum audi : *non eſt tamen conſequens ut continuò erret quiſquis aliquid neſcit : ſed ſi quis exiſtimet ſe ſcire quod neſcit. Pro vero quippe approbat falſum : quod erroris eſt proprium.* D.Aug.relatus à textu in c. Quamvis diſt.38. Intolerabile ferè hoc eſt : ſcili. neſcientem ferre judicium, & veritatem reliquis ignotam attigiſſe confidenter exiſtimare. Solius Redemptoris invictæ patientiæ reſervatur ſic errantis fiduciæ connivere.

20. *Intolerabilis error præſumentis non errare cum deſipit.*

Ter negat Petrus, totidemque lapſus eſt erroribus : nam omne peccatum ignorantia eſt. Ex Ariſtotele philoſophi dicunt in Ethicis : omnis pravus eſt ignorans. Apud Theologos, ubi res altiori diſcutitur indagine, reperimus communem Thomiſtarum ſententiam docentem fieri non poſſe quin ad omne peccatum grave præcedat error in intellectu ; Scotiſtæ verò tenent ſubſequi neceſſariò. Scholæ utrique valdè favent oracula ſacra obvia cuique. Nullus tamen ex hiſtoriographis evangelicis Petrum de neſcientia notavit ex eo quòd negaverit Præceptorem. Erat ille in Thaboris monte præcelſo majeſtatis divinæ ſolio : cujus pulchritudine ferventer allectus prorupit in illa verba : *Domine bonum eſt nos hic eſſe :* & ecce à duobus Evangeliſtis inuritur eidem ignorantiæ nota : *non enim ſciebat quid diceret,* ait Marcus : Lucas autem inquit : *neſciens quid diceret.* Peccantem Apoſtolum ignorantem non vocant hiſtorici ſacri ; maximè verò cùm Servatoris gratiſſimæ pulchritudini perpetuò adeſſe percupivit ? Optimo quidem jure : nam in atrio Pontificis non ſe putavit Petrus loqui ſapienter cùm delinquens erravit ; aſt in transfigurationis gloria, ſic hallucinatus eſt, ut cùm cæterorum qui aderant nemo petiiſſet à Domino quòd in illa ſplendida quiete permanere jubeat eos ; ipſe tamen, quaſi ſoli ſibi venerit hoc in mentem, aliquali præſumptione deluſus dixit : *bonum eſt nos hic eſſe.* Fortè putavit nihil melius poſſe tunc à ſe proferri. Vide an ſit hæc mens Euthymio dicenti : *Marcus autem ait : neque enim ſciebat*

Videri poteſt Gonet. de pecca. diſp. 6. Ovied. ibi tract. 6. controv. 6. pun. 5. fr. Iſidor. à luce diſp. 4. n. 816. Amic. d. pecca. diſp. 17.

Matth.17. 4.

Marc.9.5.

Luc.9.33.

Euthym. in c.17. Matth.

ſciebat quid locuturus eſſet, ideſt non noverat quid aliud melius locuturus eſſet, vel loqui poſſet. Non Simonem ſic loquentem reprehendit Magiſter; ſed illius errorem prodiderunt Evangeliſtarum calami: quaſi ſolius Dei ſit errorem putantis agnoſcere quòd neſcit patienti ſilentio tolerare. Quid ne dicemus cùm offenderimus eos qui ſe cuncta noſſe blaterant, vel ſaltem expectant noſcituros? *Magna ſtultitia eſt credere ſe aſſequuturum omnia*, inquit Philo: & meritò, cùm Demoſthenes morti proximus, expletis centum & ſeptem annis dixerit quod tunc egrederetur è vita quando ſapere cœpiſſet. Non ita ætatis noſtræ ſcioli, præſertim qui de faſciis ad faſces rapiuntur citiſſimè. Verax dixit Philoſophus morum: *puto multos potuiſſe ad ſapientiam pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe.*

Philo Hebr. l.d.migratione Abrahæ.to. 1.

Sen.l.d. tranquillitat. animi c.1.

21. *Homo computat beneficium ut injuriam; & male gratus eſt de non accepto.* D.Aug. to. 2.ep. 50. ad Bonifac. longè ante med.

Tertium reprehenſiones abjicientis erratum eſt, quod objurgationibus quas debuerant corde amplecti, offendi ſe putant miſeri. *Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio: ille in ligando, iſte cædendo, ſed ambo diligendo.* Hæc S.Auguſtinus. Correptio meliori jure numeratur inter beneficia, quàm alia permulta quæ vulgus amat: ſed ex iis quæ ferè nulli grata ſunt, dicendum eſt. De his ait Seneca: *qui nova accipere non vult, acceptis offenditur.* Sic multi, ne iterum corripias, increpationem in offenſam transformant. Novum hoc non eſt apud ingratitudinis vitio cæcos, *cum quidam recipere beneficium injuriam judicent*, ut ait ibidem Seneca. In dono videndo perſpicaciâ caret ingratus, quâ pollet ut ingeniosè ſuum creditorem illudere velit, acceptum vertens in probrum, ne grates non reddidiſſe calumnietur ille. Vide quò pertingat ingrati circa gratias agendas tædium: ut potiùs velit ſe læſum credere, quàm munere devinctum fateri! *Grande prorſus malum eſt ingratitudo*, ait S. Laurentius Juſtin. His addam quòd ſi contingeret peccaminoſam aliquando eſſe gratitudinem quam non debet malus, hanc non recuſaret iſte pro crimine quàm execratur ad ſolutionem debiti.

Sen. l.4. d. benefic. c. 40.

Idem ibi.

S. Laur.Iuſt. l.d.inſtit. & regim. Prælatorum. c. 21.in princi.

Exemplum do: ſed ne accipias. Juxta mare rubrum Iſraëliticus populus retroſpiciens vidit inſequentẽ hoſtilem exercitum,& pertimeſcens ait ad Moyſen: *forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto?... multo enim melius erat ſervire eis, quàm mori in ſolitudine.* Iterum in deſerto Sin conqueſti ſunt de Moyſe ac Aarone, quòd eos ab Ægypto eduxerint: *cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, ut occideretis omnem multitudinem fame?* Poſtea in Raphidin repetunt ſimilem importunè querimoniam: *cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos* &c? Ecce jam tertiò queruloſi loquuntur adverſus Moyſem, quaſi maxima illos affecerit injuria redimens eos à captivitate dira. Demiraris ingratos? Tranſi modo ad aurei vituli Bacchanalia. Poſt idoli conflationem audis quid illi dicant? *Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Rupertus ibi. *Hoc, inquam, dicendo, veritatem Dei mutaverunt in mendacium, & ſervierunt creaturæ potius quàm creatori* &c. Agnoſcunt idolo ſe debere quòd ipſum nec dedit eis, nec potuit, libertatem nempe. Moyſi debuere quòd ab ergaſtulo prodierint Ægyptiaco: nec illi ſe confitentur obſtrictos; imo queruntur quaſi offenſam in hac eductione gravem acceperint? Idolo cui nihil debuere munus iſtud referunt acceptum? O inauditam ingrati animi veſaniam! Peccabant vitulum appellantes authorem boni ſui: proinde quod non debuerant parabant ipſi libenter adorationibus oblatis perſolvere. Iidem per ingratiſſimam perfidiam non ſemel doluere Moyſis beneficium velut injuriam. Sic peccator verbo diſciplinæ quaſi gladio percuſſus furit in admonentem; ſed non levi fallitur errore.

Exod.14.11. 12.

Ibi c.16.13.

Ibi c.17 3.

Exod.32. 4.

Rup.l.4. in Exod.c.24.

Quartus inter correptionem reſpuentis errores, hic eſt: illam & authorem prorſus refugere. Cæco pejor eſt iſte: nam luminibus orbus lucem quærit, recuſans autem ſpiritualiter duci tædio profquitur ductorem. Admiſſis medelis uti malè, vitium electionis eſt; at verò medicinam accipere nolle phreneſim redolet Ideo S. Bernardus de rejiciente increpationem ita fatur: *plerumque etiam impatientia contemptui jungitur, ita ut aliquis non ſolum non curet corrigi objurgatus, ſed inſuper ob urganti indigneturmore phrenetici manum medici repellentis. Mira perverſitas! Medicanti iraſcitur qui non iraſcitur ſagittanti. Eſt enim qui ſagittat in obſcuro rectos corde, qui & teipſum nunc ſagittavit ad mortem, & in illum non commoveris? Mihi indignaris qui ſanum te fieri cupio?* Phreneſis eſt hæc, quam illuſa mens patitur. Remedium quærere, ſed illo perperam uti, perverſitas voluntatis eſt; At medicamine, quin & medico, ſe privare velle, ſtultum penitus.

22. *Intellectus vitium eſt remedio ſeipſum privare velle.*

S.Bern. ſer. 42. in Cant.

Dei Filius ut ſe dierum Dominum probâret, deſpiciens Phariſæorum calumnias, in ſabbato benefacere non timuit. Intrat ſynagogam, ibique repertum hominem, cujus dextra nervorum regimine deſtituta marcuerat, in medium adducit: & cùm interrogaſſet Phariſæos liceretne ſabbatis benè, an malè facere, tacentibus illis, homini jubet manum extendat: & ſic uſum illius ei reſtituit amiſſum. Tunc ait Lucas: *ipſi autem repleti ſunt inſipientiâ, & colloquebantur adinvicem, quidnam facerent Ieſu.* Quid inſipientia hæc ſignificet, quidque tractaretur illo colloquio D.Matthæus explicuit. *Exeuntes autem Phariſæi, conſilium faciebant adverſus eum quomodo perderent eum.* Chryſoſtomus, *nullâ injuria vexati de interitu meditabantur.* De occiſione agunt: & non crudelitate, ſacrilegeque furore dixit repletos Evangeliſta Lucas? Inſipientiam vocat impietatem hanc? Multò minori de causâ dixit ad patrem energumeni Dominus: *ô generatio incredula & perverſa, quouſque ero vobiſcum?* Et in quo peccaverat iſte miſerrimus? Ex multis monſtratur hunc hominem infirmum in fide fuiſſe: ac Liranus adnotat incredulitatem iſtam unam ex cauſis

Luc.6.11.

Matth.12. 14.

Chryſoſt. to. 2.ho. 41. in Matth.

Matth. 17. 16.

Liran.ibi.

ſis eſſe cur Apoſtoli gnatum curare non valuerint. *Alia*, inquit, *autem cauſa fuit incredulitas patris qui perfectè non credebat.* Non igitur omnino fide carebat hic homo; ſed in ea debilis, ac nutans erat. Hæc tamen culpa licet non inter omnes graviſſima, Domini reprehenſione ſeverâ digna fuit? & adeo pius ad impios D. Lucas Phariſæos non ſævos affirmat? non ſacrilegij reos, dum necem Redemptoris machinantur? inſipientiâ repletos notat ſolummodo! Crudeles, & ſacrilegos; non dubitabis; licet hoc taceat ille: ſupervacuum duxit ſic loqui. Inſipientes illos tunc fuiſſe, fortè nec in mentem tibi veniret, cùm inierint aſtuti eâ tempeſtate conſilium occidendi Chriſtum, perſonatâ facie tecti zelum prætendente religionis. In iſta necandi Servatoris meditatione ſtupidæ mentis homines verè dicendi ſunt: quia cùm Filium Dei medicinam experti fuiſſent extare malorum, ſeipſos privare volebant remediorum fonte. Dæmoniaci parens non ignorans dictus eſt, quia non ita ſe habuit; ſed medicamine benè uſus non fuit, quatenus fidem cujus indigebat non adhibuit ut virtus miraculorum Apoſtolis conceſſa prodeſſet filij malo. Defectus hic perverſitas appellatur: *ô generatio .... perverſa;* atverò medicum & medicinam de medio tollere ſtultum eſt: *repleti ſunt inſipientiâ: conſilium facicbant adverſus eum, quomodo perderent eum.* Fortaſſis te pungit verbum illud, *perderent:* vide an ſecundo litteræ ſenſu valeat idem quòd: *amitterent.* Si hæc fuit mens Rabani, ſuſpicionem illi teſtituo dans ejus verba: *conſilium fecerunt quomodo vitam perderent, non quomodo ipſi vitam invenirent.*

Raban. apud cate. D. Tho. in Matth. 12. 14.

23. *Fleat qui amicum putaverat hoſtem.*

Quintus error (ne dicam ultimus in re ubi non tot quin plures) in eo eſt, quòd cùm te fraternè corripiens amare probet, ejus dilectionem ignoras, hoſtemque putas. *Magis amat objurgator ſanans, quàm adulator ungens caput*, inquit Auguſtinus: *habet enim* (ut concinens diſcipulo magiſter ait Ambroſius) *amor plagas ſuas quæ dulciores ſunt, cùm amarius inferuntur. Dulcior enim eſt religioſa caſtigatio, quàm blanda remiſſio.* Imo ſi omittatur correctio, dubitat Auguſtinus an te Chriſtiana dilectione proſequatur non curans ægro ferre medelam. *Neſcio* (ſcribit S. D.) *utrum Chriſtianæ amicitiæ putandæ ſint, in quibus magis valet vulgare proverbium: Obſequium amicos, veritas odium parit, quàm eccleſiaſticum: fideliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.* Quæ cum ita ſint, hallucinatur craſſe qui derelinquit increpantem. Perniciosè deſipit iſte, cum deſerat amicum, rem ſanè raram.

Aug. tom. 2. epiſt. ad Hier. 8. fine. S. Ambr. to. 5. ſer. S. Petri

Aug. to. 2. epiſt. ad Hieron. 19. antè finem.

Imo quæri poterat quid ſit erranti pejus, hoſtem ignoraſſe an amicum neſciviſſe? Ille quem latet hoſtis, periculosè, quidem fallitur. Obſequia fruſtra neſciens offert ei, cujus abditur in pectore virus: & tantùm abeſt ut ejus flectat iras, quod potius ingratitudini materiem ſubminiſtret. Inſidias minimè ſuſpicatus præbet ictibus pectus inerme: pluſque feriunt jacula non prævisa. His, & ſimilibus momentis poterat ſuaderi pejus eſſe hoſtem pati, quem neſcias, quàm non agnoviſſe amicum, ideoque perdidiſſe rem nullo ſatis æſtimabilem pretio. Ni tamen fallor, potiori jure lachrymis deflendum eſt quòd amantem non agnoveris ut ejus corde potiri licuiſſet, quàm adverſarium ignoraſſe ne caveres. Cum de inimico priùs ignoto certior factus es, periculum cernis jam præteritum. Econverſò accidit cùm tui dilectorem jam credis, quem putabas adverſus te odio flagrare: damnum quippe ab amicitiæ uſurâ deperditâ præſens eſt. Jactura minus dolet anteacta, quàm ob oculos poſita. Igitur fleat qui amicum habuit neſciens, & putaverat odientem, non ſic ille qui tardè reſcivit ſe odio haberi.

24. David & Saül, ambo per non modici ſpatia temporis ignoraverunt alter quid in alterius corde lateret erga ſe, dilectio, an ſimultas. Davidem latebat olim Saülis infeſtus livor: quis enim ſe putaret infenſum regi, cujus anxietati, dum à ſpiritu nequam exagitaretur, medelam attulerat, quique pro regni honore certamen iniverat, ac fœliciter detriumphaverat, ipſo lætante? *percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraël, vidiſti, & lætatus es.* Experientiâ doctus exoſum ſe, prout jactus lanceæ convincebat, declinavit ab aula; ſed non ideo doloris edidit ſigna; quinimo ſedulus eidem ſervire perrexit martialibus obſequiis mancipatus: imo & ſponſam filiam Saülis admiſit ille tandem: interventuque Jonathæ ad ipſius conſpectum reverſus eſt: *& introduxit Ionathas David ad Saül, & fuit ante eum ſicut fuerat heri & nudius tertius.* Accidit poſtea latenti profugo in ſpelunca Davidi, ut eam Saül nihil tale ſuſpicatus ingrederetur: pepercit huic vir ſecundùm cor Dei: & abſciſſa clamydis parte, quæ ſibi teſtis eſſet, prodeuntem ſequutus eſt ingratum, ipſique ad oculum oſtendit ſe vitam illius eripere noluiſſe. His auditis *levavit Saül vocem ſuam & flevit*: &c. Quid movit lachrymas? Inimicum putaviſſe prius Davidem, cùm potius amici mùnus obiret. Id colligo ex iis quæ ſequuntur; *dixitque ad David: juſtior tu es quàm ego: tu enim tribuiſti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicaſti hodie quæ feceris mihi bona*: &c. Antea reputaverat Davidem ſe odio proſequi, ut patet ex dictis à Saule filiæ Michol: *quare ſic illuſiſti mihi, & dimiſiſti inimicum meum ut fugeret?* Poſtea rex deceptum ſe videns, perdidiſſe plangit gaudium, quô potiri valeret de fidiſſimi amici conſortio, ſi crederet citius dilectionem Davidis, quàm docuit caſus, & contexerat uſque nunc livor cæcus. Correctionem ab amico Davide modò factam Saul expertus eſt perutilem: nam ſatis obduratus nuper, jam commotus eſt ad pœnitentiam. *Humiliter* (ait hoc loco Hugo Cardin.) *reprehendit David Saülem: & ideo provocavit eum ad fletum & pœnitentiam: ſic humilis correctio frangit omnem duritiam.* Quàm aliter, non reges ætate noſtra, ſed homunciones! Increpatur delinquens: & fallitur ſi affectum, qui zeli, charitatiſque filius eſt, vocat inimi-

1. Reg. 19. 5.

Ibi n. 7.

Ibi c. 24. 17.

Ibi n. 18. & 19.

Ibi c. 19. 7.

Hugo Card. in 1. Reg. c. 24.

cum : & adhuc turpiùs agit si terga vertit : *qui autem increpationes relinquit errat.*

DELIBATIO V.

Errat concionator omittens auditorum disciplinam,

25. *Qui autem increpationes relinquit errat.* Septuaginta sic transtulere : disciplina verò carens increpatione errat. Illos quibus animarum incumbit instructio tangit Lectio ista. Inter quos admonentur divini verbi præcones ne similes efficiantur iis de quibus Isai.56.10. apud Isaiam dicitur : *speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi : canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Istorum doctrina non solùm errat, idest vaga fertur, quin ullius animo sedeat profutura : sed involvit errorem : falsò namque putat munus exequi suum ecclesiastes qui vitia non curat objurgare, sed laudum præconia sibi mercatur elaboratæ delectabiliter orationis pretio. Scio quod auditores inania quærunt : nam utplurimùm expectant à concionatoribus quod illi de quibus mentio fit apud Vatem Ibi c.30.10. 11. evangelicum. *Qui dicunt videntibus : nolite videre ; & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt : loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me semitam.* Non audent hæc ore proferre ; sed mens eorum alia non Gerson p.4. in argumentati. contra superstitiosos sermon. est, quam satis aperiunt. *Prædicator verus* (inquit Parisiensis Cancellarius) *non applausum suum quærit, sed populi profectum. Nec attendit quod delectet inutiliter, sed quod proficiat salubriter.* Vulgi ductum si concionator sectetur, duplici capitur mendacio : attende quid sollicitet ; vide quid relinquat ! Utrimque fallitur : it post echus garrullitatem inanem, deperditque meritum non vulgare. Hæc duo persequar paucis.

26. *Auditores nec se nescire norunt : ideo laudes eorum despice.* Chrysost.to. 5.l.5. d.sacerdotio. *Qui aliorum edocendorum provinciam susceperit, ne de aliorum laudibus dependeat : quin orationes hoc consilio meditatus, ut Deo gratæ, atque acceptæ sint. Laudatur is ab hominibus, laudes ne rejiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur, illas ne ambiat.* Ita Chrysostomus : at ne putes Doctorem sanctum laudum contemptum concionatori dissuadere ; quin potius addit : *erudiendus est is primùm in laudum contemptu, ac despicientia.* Mehercle nihil facilius quàm futilissimum illud (nec nomine dignum) quod ab auditorum linguis personat, parvipendere. Laudes à laudante metiri memento. Non ingenio proceres plausum decernunt oratori ; sed vulgus : nec poterit non esse vulgare quod à vulgo nomen accepit. Arguere liceat brevi dilemmate, sic : vel auditor fatetur se de auditis judicium sanum ferre non posse ; vel non. Si primùm, manifestè patet quàm ridicula sit eorum sententia, quam ipsi testantur sine jurisdictione prolatam. Non amplius addo, quia vix invenitur qui sibi jus in concionatorem non arroget ut judicia ferat : putant enim aures, & notitiam idiomatis, ad censoris munus satis esse. *Poëtam non potest nosse nisi qui versum potest struere. Philosophum nescit nisi qui scit dogmatum varietates. Manu facta, & oculis patentia, magis probant artifices. Nostra quàm dura sit necessitas hinc potest animadvertere quod vulgi standum est judicio, & ille in turba metuendus, quem cùm videris solum despicias.* Verba sunt D.Hieronymi. Si verò (quod potius credam) plaudunt oratori sacro illi qui doctrinam se apprimè callere putant, horum etiam voces omitte : nam usque adeo nesciunt, ut nec ignorantiam suam agnoscant. D.Hiero.to. 1.epist.26. ad Pammachi. post med.

Instabat jam Dominicæ passionis tempestas, cùm amantissimus Redemptor discipulos præmuniebat sermone sapienter. Ad hujus finem, dixit : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.* Vide quid post pauca discipuli Magistrum collaudantes affirmant. *Dicunt ei discipuli ejus : ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia* &c. Hæc verba prioribus quæ Christus Dominus dixerat confert Augustinus, & inter utraque concordiam quærit. *Cùm ergo*, inquit, *adhuc promittatur hora illa in quâ sine proverbiis locuturus est : cur isti dicunt, ecce nunc palam loqueris & proverbium nullum dicis* &c. Præsciebat divinus Magister se de claritate sermonis à suis auditoribus laudandum (*ecce nunc palam loqueris*) & anticipatè negavit se clarè loqui ? *Hæc in proverbiis locutus sum vobis :* sermo laudem illam contemnentis hic est : utpote qui destruebat eorum assertionem, opponuntur enim : *palam loqueris* ; & , *hæc in proverbiis locutus sum.* Quare putas despexit præfatam laudationem à discipulis exhibitam ? *nisi quia* (prosequitur S.Augustinus proximè) *quæ scit ipse non intelligentibus esse proverbia, illi usque adeo non intelligunt, ut nec saltem non se intelligere intelligant ?* Imitemur concionatorum exemplar : & ne illecti gloriolâ, vitia castigare formidemus. Qui sic egerit incedit rectò ; *qui autem increpationes relinquit, errat.* Joan.16.25. Ibi n.29. D. Aug. tract.102.in Joan.tom.9.

27. *Plus ne Deo placet obviare delicto, quam servare totam legem.* D.Greg.M. tom.2.ho.6. in Evang. Secunda fraus volentis os populi potius lucrari, quàm Deo animas acquirere, visitur in jactura, quam libenter patitur, & maximam. Inprimis amittit excellens meritum : nam D. Gregorius M. dixit : *plus enim est verbi pabulo victuram in perpetuum mentem reficere, quàm ventrem morituræ carnis terreno pane satiare.* Heroicum Altissimo præstabit obsequium is qui animam, quam ipse Dominus adeo multi facit, reduxerit ad eundem ab orci faucibus ereptam. Imò etsi deesset ibi omne meritum, adhuc optimam negotiationem ille non vult qui recusat animas lucrari : nam, ut scribit S.Doctor idem, Idem l.33. moral.c.16. *quasi quoddam negotium faciunt qui prædicationem prærogant, & à populis fidem reportant. Fidem impartiunt, & horum sanctam protinus vitam sumunt.* Quo in pretio Deus animam nostram habeat, vellem ut ab humano, si fas est, conjicias exemplo. Accipit filius gemmam inter alia paterna bona sibi hæreditario jure delata, illamque non vulgari

gari æstimatione servat. Accidit ut eandem sibi furto sublatam oportuerit illum pecuniis ab emptore possidente redimere : post emptionem plus multò chara manet illi, quàm prius, dum solo hæreditatis eam titulo possederat. Infima si licet componere summis, applica tenuem apologum. Dei Filius, utpote Patris hæres, animarum dominus erat ante redemptionem. Diabolus furto se misit in possessionem illarum: oportuit eas redimi: quod postquam peregit, multò plus illi gemma hæc, seu quælibet anima est in deliciis : præsertim illæ, quas jam per gratiam baptismalem sibi desponsavit. Quâ putas urS.Aug.to.8. in ps.61. getur animarum siti ? *In cruce positus sitio dixit, quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat : ipsos enim ille sitiebat.* Hæc D. Augustinus. Igitur hanc extinguit Dei Filio sitim qui animas à vitiis depuratas ei dicendo dicat. Conjice nunc, quòd si merces propinanti aquam pauperibus promittitur à DoMatth.10. 41. mino (*& quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli : amen dico vobis non perdet mercedem suam :*) quâ munerabitur magnificentiâ qui non minimo ; sed Regi regum animarum siti mitigandæ aliquid obtulerit ! Nescio an Deo sit acceptius unico peccato populi saltem obviam ire, quàm si totam legem Dei servares ad unguem. Præcepta custodiens vitam servas propriam ; alieno crimini obstans Deum veluti defendis ne lædatur. Quid putas laudabilius ? te servare indemnem, an Deum illæsum ? Non ergo frustra dubitabam, plus ne Domino placeat flagitio multorum resistere viriliter, quàm legem universam custodire solerter.

Descendit è monte dux Israëlis portans eas tabulas quibus divina lex erat inscripta. Eo tempore populus idololatriâ sese fœdaverat, & festivâ celebritate dedicationem idoli colebat impiè. Doluit Moyses gravissimam Conditori sic irrogatam injuriam : & accensus irâ projecit tabulas, ut expeditior maneret ad comburendum vitulum, & ita Exod.32. 19.20. fractæ sunt : *iratusque valdè, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis : arripiensque vitulum quem fecerant combussit, & contrivit usque ad pulverem.* Litteram omitto, mysterium aperuit Glossa Gloss. ord. ibi, ex Aug. ord. ex Augustino. *Sed in hoc significatur quod Deus primum hominem ratione & ingenio decoravit, cor sapiens & intelligens dedit, ut sine difficultate & errore scire & implere posset. Hoc ergo faciendo quasi tabulas quasdam scripsit, & dolavit : sed eas homo confregit cùm diabolo acquievit, & se illâ gratiâ indignum reddidit.* Et quamvis Adamus acquiescendo diabolicæ fraudi per Hevam immissæ, non omnia præcepta divina fuerit rigorosè transgressus, tamen dici potest in aliquo sensu totam legem tunc infregisse : tum quia in suo lapsu posuit originalem nostrum, quod omnium peccatorum quodammodo radix est : tum ex illo Jacobi Jacobi 2. 10. Apostoli : *quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ex hac interpretatione nobis colligere licet, quod si tabulas confringere significat peccare ; tabulas custodire denotaret à peccato abstinere. His præjactis : quæro, cur Deus permittat frangi tabulas istas à Moyse, cùm sufficerer eas dimittere ? Sivit hoc ut amicus ejus comburet sacrilegum simulacrum : nam videtur plus ille Domino placuisse per combustionem idoli obvians populi unico sceleri ; quàm si tabularum incolumitati consuleret, hoc est, totam legem inviolatam servaret omnino. Egregium charitatis opus ! quod universæ mandatorum custodiæ præcellit ad speciem ! Jam penè sanctus proclamari valet qui animas à crimine deterret ?

28. *Qui animas illuminat, sanctus, an sanctitas est?*

Imò non sanctum appelles : parum enim abest, ne hunc possis vocare sanctitatem. Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale dicendum, ab ipsis instruimur Logices incunabulis. Igitur qui peccatores metamorphosi sacrâ transmutat in justos, non solummodo sanctus dicatur, sed sanctitas.

Davidis erga legem gratiæ desideria sæpe suadebant eidem ut ænigmatibus delinearet expectatissimum Evangelij tempus, quò sic spei cruciatum quadamtenus emolliret. In typo egressionis populi Judaici de ergastulo Ægyptiaco, sic initia nascentis Ecclesiæ sub Apostolorum culturâ meditabatur dicens : *facta est Judæa sanctificatio ejus* &c. quæ Psal.113.2. verba mysticè Lorinus de Apostolis interpretatur. *Mysticè*, ait ille, *Judæa, hoc est* Lorin. in Psal. ibi. *Judæi Apostoli facti sunt sanctificatio Dei, quia sanctificaverunt populum Christianum baptizando, prædicando &c.* Concinit Hugo Card. in expositione allegorica : *facta est* Hugo Card. ibid. *Judæa, idest Apostoli, qui de Judæa fuerunt, sanctificatio ejus, quia sanctificaverunt populum Christianum* &c. Nonne satis erat Apostolicæ dignitati sanctos vocari ? Hoc titulo Deus in sacris litteris honoratur. Ipse regius psaltes de iisdem Apostolis locutus pro die qua sedente supremo judice in sede majestatis suæ, confessuri sunt ipsi judicantes orbem, eos nominat sanctos, inter alios etiam judicium laturos : quippe ait : *ut faciant in eis judicium conscriptum : gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Bellarminus ibi: *gloria hæc sedendi cum Christo in nubibus, & judicandi mundum & Principes ejus, erit omnibus sanctis ejus.* Cùm jam regno potiuntur nominantur Apostoli sancti ? Hæc minor equidem nomenclatura est ; dum autem in terris agunt non solummodo sancti, sed sanctificatio dicuntur Apostoli ? Cur, nisi quia sanctificaverunt populum Christianum baptizando, prædicando ? In cælis officium prædicationis illi non exercent : sufficiat igitur pro eo tempore nominari sanctos : *gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* At quandiu viam salutis, doctrinæ lumina spargentes, aperiebant mortalibus, quasi parum foret nomine sanctorum insigniri, sanctitas, aut sanctificatio nominantur. Deus hoc modo loquens in propheta significavit se plurimi facere cælestis verbi præcones, quorum interventu animas proprio sanguine redemptas evincit à tartari faucibus.

Pſal.149.9. Bellarm. in Pſ.149.9.

29. *Luminare ducens ad veritatis*

Terrenam conditionem exuisse videntur ij quorum pendet ex verbis dulcis illapsus quo superna lux corda penetrat. Luminare

agnitionem peculiari dignitate fulget.

illud quod homines ducit ad veritatis agnitionem, ſupra caput incarnati Verbi collocatur. Orientis incolas, erroris nocte cæcos, illuminare dignata fuit providentia Dei. Nato Domino Magos ducit ſtella : non ex iis, quas in Orbis prima conditione Creator produxit, cæloque locavit ; ſed novum ad hoc munus. Omnipotentia creavit aſtrum, ſic teſtante Damaſceno : *cùm autem*, inquit, *in miſeratrice, & ſalutari Domini nativitate ſecundum carnem propter nos à Magis ſtella viſa eſt, non ex iis fuit aſtris, quæ in principio facta fuerunt.* Tranſeamus uſque in Bethlehem : ducat & nos eadem ſtella. Suſpice quonam loco ſteterit illa. *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.* Memini quod Joſephum adoraverunt ſtellæ dormientem : *vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas undecim adorare me.* Chriſtum Dominum ille præfiguravit, & in hoc. S. Proſper. *Rurſum alia ſacramenta videt in ſomnio, & hæc ſuis fratribus indicavit, Quaſi Sol, inquit, & Luna, & undecim ſtellæ adorabant me. Dicitur & de noſtro Ioſeph Chriſto Domino per prophetam : laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen.* A typo ad exemplum optima fit conſequentia. Joſephum reverentur Sol & Luna, necnon ſydera undecim : quare non juſtitiæ Solem unica ſaltem quæ Magis miniſtraverat, exhibuit ſtella cultum ? Quia cùm ad agnoſcendam veritatem (quæ Salvator eſt) deduxerit mortales, congruum fuit obtinuiſſe locum ſupra caput incorporati Verbi : *ſtaret ſupra, ubi erat puer.* Non minoris apud Altiſſimum appretiatur creatura quæ viam demonſtrat peccatoribus ut Salvatorem inveniant.

S. Joan. Damaſcen. l. 2. fidei orthod. c. 7.

Matth. 2. 9.

Gen. 37. 9.

S. Proſp. l. d. promiſſ. & prædict. Dei. p. 1. c. 25. prope finem.

Hinc æſtima quàm ſolidè SS. Patres ſic extollant eos, qui doctrinæ fulgore præeunt cupientibus ad vitam ingredi. D. Gregorius M. regium decus iis appropriat : *rex quippe prædicator dicitur : quia celſitudinem tenet ordinis, & dignitatem magnæ converſationis.* Plus extollit eundem Auguſtinus dicens ? *prædicatores cæli ſunt, & nubes. Cæli propter fulgorem veritatis* &c. Ac ne cedat in hoc Auguſtino Gregorius, hunc audi rurſus : *maxilla quippe Eccleſiæ ſanctæ prædicatores ſunt.* Proclive manet expendere quantùm rapiat peramantes oculos Dei Sponſæ facies. Altiùs idem S. Doctor aſcendit : animæ documenta præbens dicitur ab eo Deus quodammodo. *Samuël interpretatur nomen eius Deus. Quem ergo nobis Samuël convenientiùs inſinuat, quàm prædicatorum ordinem, qui ad fidem vocatus eſt ex gentilitate.*

D. Greg. M. to. 2. in l. 1. Reg. c. 14. lib. 5. c. 4. ad finem.

D. Aug. to. 8. ſer. 1. in pſ. 88.

D. Greg. M. l. 13. moral. c. 6. n. 7. to. 1.

D. Greg M. in 1. Reg. c. 1. lib. 1. c. 1. tom. 2.

30. *Fulget præclariùs informans mores, quàm miracula patrans.*

Igitur eſto quòd perfectus vir ita ſanctitatis conſcendat culmina ut Omnipotentiæ brachium poſſit nuncupari, transferat montes, maria dividat, flumina retroire jubeat, non adeo refulgebit ille ſicut dum populi mores inſtruere curaverit. Sic dato quod Apoſtoli miracula non feciſſent, dicit Chryſoſtomus : *hoc ipſum maximum eſt miraculum abſque miraculis orbem terrarum accurrere, à duodecim pauperibus & illiteratis hominibus attractum.* Prodigia daturo minimè reſiſtit natura : proinde non adeo mirum fortaſsè videbitur prævalere creaturis non obſiſtentibus. At verò mores informans, millies oppoſita ſibi reperiet obſtinata corda, quibus nihil durius. Irradiat fulgentiſſimè ſpiritualis magiſter animas ad tramitem rectum evocans ; non ita verò ſi miracula patret.

Chryſoſt. to. 3. hom. 1. in acta.

Moyſis faciem ſcis emiſiſſe radios. Quo tempore ? cùm perpetrabat mirabilia, ut Pharaonis puniret ſuperbiam ? cùm ſcidit æquor ut populo via pateret ? Nequaquam ; ſed cum legis tabulas ſecundò attulit, & præcepta Dei populo propoſuit. Nunquid non opportunè coruſcaret in Pharaonis conſpectu Dei miniſter, ut ipſi terribilis eum doceret Altiſſimi juſſa non contemnere ? Dei legatione fungebatur utique tunc, imo Dei titulo : *conſtitui te Deum Pharaonis :* jubar attamen non niſi cùm documenta morum præbuit auditoribus legimus in eo fulſiſſe : & ſtatim atque doctrinam illam propoſuit, ſplendorem contexit : *impletiſque ſermonibus poſuit velamen ſuper faciem ſuam.* Hic eſt animas ducentium fulgor, quem aliorſum expoſuit Clemens in hæc verba : *videntur mihi ii qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminant animas hominum ſimiles eſſe radiis ſolis : qui ut proceſſerint, & apparuerint mundo, celari ultra aut occultari nullatenus poſſunt, dum non tam videntur ab hominibus, quàm videre omnibus præſtant.*

Exod. 7. 1.

Ibi c. 34. 33.

Clemens l. 8. Recogn.

Viderint omnes quibus inſtruendæ Chriſtianæ plebis incumbit onus, quantum nitoris deperdant, ſi miniſterium ſuum adulterent, & ambiant potius theatri plauſus, quàm audientium profectus. Objiciunt ex illis aliqui ſe concionatoris partes non relinquere dum in Dei, Sanctorumque laudem ſubtilia excogitant, quibus allecti auditores trahantur ut divinis interſint, potius quàm prophanis, & ſimul in Dei laudes & Sanctorum imitationem ſtimulentur. Benè ; ſed non ſine doctrinæ ſpiritualis condimento tranſeat oratio. Dei laus via ſit ad ſalutis veritatem aperiendam. Meminerint illud ipſius Domini ore Davidis monitum : *ſacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.*

Pſal. 49 23.

DELIBATIO VI.

De via ſalutis : de vita & tribulationibus dilectis. De conſcientia & recidiva : peccatoriſque abjectione longè poſiti.

31. *Vnica ſalutis via dividitur in plures.*

FAndem Salomonis paræmiam nunc minutatim illuſtremus, ut moralem doctrinam hauriamus. *Via vitæ*, inquit, *cuſtodienti diſciplinam : qui autem increpationes relinquit errat.* In priori voce, verbo citiùs hæſi. *Via.* Septuaginta namque tranſtulerunt : *vias vitæ.* Unicum equidem iter eſt ducens ad vitam juxta illud : *quam anguſta porta, & arcta via eſt quæ ducit ad vitam :* quomodo ergo multæ ducunt ad vitam viæ ? Unica eſt & multiplex : una propter unitatem termini ad quem tendimus ; & multiplex ob varietatem

Lect. Septua. Prog. 10. 17.

Matth. 7. 14.

tatem eorum à quibus recedimus. Minimè à divini Magistri pronuntiato discedo: quòd enim multæ dici possint ad salutem viæ testis est Chrysostomus. *Hei mihi*, ait, *quot ad salutem nobis viæ !* Concinit D. Bernardus : *ut custodiant te in omnibus viis tuis. In quibus omnibus viis ? Quibus declinas à malo : quibus fugis à ventura ira. Multæ sunt viæ, & genera multa viarum : magnum profecto periculum viatori.* Doctor eccè mellifluus plures asserit vias tam ad sinistram præcipites quàm dexteram tenentibus obvias : nec enim clementior suis est princeps tenebrarum, quàm gratiarum Author. Ille tramites aperit multos optione data malignè ; Deus autem benignitate ductus, cunctis non unicum offert callem. Una propter unitatem fidei via est ; quæ tamen pluralitate semitarum in plurimas dividitur indivisim.

Chrysost. to. 5. ho. 61. ad populum.

D. Bern. ser. 11. in psal. Qui habitent.

Psal. 142. 8. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Pœnitens David accepta justificatione timens ne iterum cadat petit sollicitè gratiam cognoscendi viam justitiæ. Unde Bellarminus ibi sic exponit præcitata verba : *ideſt illumina mentem meam, ut cognoscam viam justitiæ, in qua ambulare debeo, ut ad te perveniam.* En singularem salutis viam sibi demonstrari flagitabat David. Alibi tamen ipse plures vitæ semitas à Deo sibi fatetur designatas. *Notas mihi feciſti vias vitæ :* quamvis enim de Christo Domino verba hæc soleant expositores biblici recipere : tamen etiam de Davide litteraliter interpretatur ea Lorinus. *David*, inquit ille, *corruptionem, mortemque non timere se dicit, propter spem beatæ resurrectionis : ad quam perveniendi vias didicerit à Deo.* Hîc plures vias ! illic unicam agnoscit ad vitam ! Dextra Dei est hîc : cujus placidissima lenitas ut itineris asperitatem faciat miteſcere de propriæ ingenio electionis, viam, quæ una est scindit in plures, ut eligas. In una humilitate agnoscit Augustinus hic plures vias, exponens ita : *notas feciſti per me humilitatis vias.* Si ex virtute unica plures dividuntur semitæ : quot erunt viæ si numeremus omnium virtutum aggregatum ! Non unicum sectati sunt iter quotquot ad cælestem patriam pervenêre fœliciter. Xaverius maria tranat, exteraſque plagas illustrat. Alexius ignoratus paterna domo delitescit amoris martyr. Sancti Pontifices Maximi dignitatis Apostolicæ prælato solio crucem invenerunt. Joannes Dei Lusitanus inter ludibria vulgi virtutem exercuit non vulgarem. Parens meus beatissimus Paulus, quamvis Eremitarum author & magister, abditus antro ; cunctis mortalibus ignotus, Deo latitavit, & sibi. Augustinus verò, Bernardus, Chrysostomus, aliique mille, coram Orbis theatro, subsannantes mundialium pompam, cunctis profuere. Quot ad salutem nobis viæ ! Unica est *via vitæ* : simulque plures *vias vitæ custodit disciplina.*

Pſal. 142. 8.

Bellarm. in pſal. ibi.

Pſal. 15. 11.

Lorin. in pſal. ibi.

S. Aug. to. 8. in pſ. 15.

Lect. Sept.

32. *Et vivendo morimur.* *Vitæ.* De cælesti, seu æterna sermonem esse non dubitas. Quæres tamen cur in littera id non exprimatur, sed æterna fœlicitas absolutè vita nominetur : cùm æquivocationem nonnullus ibi pati posset hæsitans utrum de temporali vita sermo sit ? Dictum sat est scienti contemplari quid inter unam & alteram interſit : sola namque vita est illa quæ perpetuò mansura perennat ; illa verò, quæ quotidie minutatim deficit, mors potius dicenda.

Nempe vorax annos mensesque interſicit ævum,
Seque fluendo parit, seque fluendo necat.

Herman. Hugo l. 1. piorum desider. poëm. 13.

Ita modulatus plangit moralissimus vates. Sed non poëticè dictum crede : nam licet fabula vita sit ; fabulosum non est quòd vivendo morimur.

Ad mortem ægrotum Ezechiam invisit Evangelicus prænuntius Isaias : & inspirante Numine dixit ei : *hæc dicit Dominus Deus : Præcipe domui tuæ : morieris enim tu & non vives.* Intelligeremus prophetiam, quamvis tantùm diceret : præcipe domui tuæ : morieris enim. Jam non quæro cur alloquens Ezechiam, non satis putaverit sic prædicere : *morieris enim*, quin adderet pronomen, *tu*, ad regem namque loquebatur, licet fidelem: cumque soleant utplurimùm Principes à mortis lege se velut immunes reputare, propheta non personam, sed regum conditionem sugillans tacitus, expressissimè declarat non ad alterum, sed ad ipsum dirigi mortis prædictionem : *morieris enim tu.* Illud supereſt animadvertendum : quare scili. addidit : *& non vives* ? Dicerem quia duplex est mortis genus : aliud sepulchra replet ; aliud terram occupat. Et vivendo morimur. An non verè dicitur homo interire cùm emori meretur ? Sanè hoc loco, juxta D. Gregorium M. id per Isaiam Dominus denuntiavit Hebræo Regi : scili. Quod mori dignus erat : *per prophetam Dominus dixit, quo tempore mori ipse merebatur*, &c. Et quis est nostrûm, qui qui ad minus ob peccatum originis non sit nunc dignus obire ? Si mori dicitur qui vitam finire meretur, dum vita manet, jam eâ functi sumus. *Igitur*, inquit S. Basilius, *nunc quidem in vita non sumus ; sed in morte.* Sola sine addito vita est quæ protenditur per sæcula. De hac Salomon hîc agebat : ideò non oportuit addere : sempiternæ, cùm dixisset : *via vitæ.*

4. Reg. 20. 1.

Principes videntur putare se à lege mortis immunes.

D. Greg. M. l. 12. moral. c. 2.

D. Basil. ho. 20. in pſ. 33. poſt med.

33. *Tribulationes dona Dei sunt.* *Custodienti.* Cùm per disciplinam tribulationes ad litteram intelligantur, non me præterire patiar, quod hæc disciplina, seu labores, custodiri dicuntur ab eo qui rectam viam carpit ad salutem. Id custodiri dicitur quod amatur : idque diligitur quod bonum est. Mala custodire quis novit ? Animadverte missas à Deo tribulationes quibus perpoliatur justus, lapis vivus in cælestis Jerusalem structurâ collocandus, verè bona dicenda. *Bona ergo tribulatio*, inquit S. Ambrosius, *quæ dignos facit nos, qui in latitudine exaudiamur à Domino. Gratia est autem exaudiri à Domino Deo nostro.* Ab effectu causas nomen accipere sæpe docet experientia. Labores proficuos esse norunt multi : non mirum quod illos inter eorum bona connumeremus : imò vocentur munera divinæ manus. Esto quod immeritò patiaris, adhuc donum est : largitionis nomine veniet potiùs dolor immeritus, quàm fœlicitas meritis empta.

D. Ambr. to. 2. in pſ. 118. octon. 18. prope finē.

Furens caterva crudelitatis æstu, proditore duce, accedit ligatura manus illas, quas in redemptionis pretium solvendum extendere cupiebat amor. Petrus adhuc majora non capiens, Magistrum tueri cupiens exemit gladiū; sed mox reprehenditur à Domino dicente: Ioan. 18. 11. *mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ecce passionis tormenta vocavit Filius Dei calicē à Patre donatum. Post resurrectionē cùm discipulis euntibus ad castellum colloquens, ait ad Luc. 24. 26. illos: *nonne hæc oportuit pàti Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Non dixit: & ita gloriam ei donari. Passionem sibi datam affirmat! *Calicem quem dedit mihi Pater*, gloriam verò minimè? Insons passurus erat Dominus: labores injustè sustinens, beneficia Dei putet accipere. Gloria corporis, de qua sermo est apud Lucam, Servatori fuerat conferenda meritorum pretio: rationem doni vix retinet; hâc appellatione gaudent cruciatus, qui cælitus immittuntur innocenti. Sique data Domini sunt, cur non dicentur custodiri? *custodienti disciplinam.*

34. *Nollet justus eripi sibi quod patitur.*

Disciplinam. Sic nominare solemus doctrinam: hic eâdem voce flagella Dei nuncupantur. In multis conveniunt: unam expendo analogiam. Doctrina, si nescientibus inculcetur, erit eis insipida; quæ scienti proposita suavis est. Sic & afflictio: hanc si medullitus intelligas, eâ summopere gaudebis. D. Aug. to. 8. in ps. 36. *In medio tribulationis gaudium est.* Ita S. Augustinus. Mundialia cuncta faciem alienam comminiscuntur. Ergo-ne dicemus tantùm sæculi bona commentitia? Mundus etiam dum cruciat, mendacia fingit. Si tormenta cordis oculo introspicias, amabis: etenim vera bona sunt quæ gaudium párere solent immortale. Ideo non sponte patieris auferri quod angit, ne vel in parvo minuatur quod patiendo lucraris.

In carcere liber inter vincula: in somnis animo vigil clausis oculis: in tenebris igne charitatis effulgens, quiescebat Petrus. Acto. 12. 7. *Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus.* Ceciderunt? Quomodo? *Virtute divina, vel angelica*, inquit Liranus. Lira in Act. ibi. Cur non vincula manu corporeâ, quam assumpserat angelus dissolvit? In assumpto corpore assertorem angelicum apparuisse Principi Apostolorum, dubium non est: cum ex sacro textu habeamus tetigisse corporaliter Petrum: *percussoque latere Petri.* Non manu solvisse nexus angelum puto: nec enim diceret D. Lucas: *ceciderunt catenæ*, si manibus dissolverentur. Non pavent Apostoli solvere Lazari ligamina? Et angelus horret Petri catenas contingere? Non horror fuit; sed prudentia, ne scili. veluti violentiam inferre Petro videretur auferens ab eo ligamina ferrea. Teste S. Ioanne Chrysostomo Petrus istis potiebatur lætus. Chrys. to. 4. hom. 8. in epis. ad Ephes. *Petrus hac catena gaudebat*, inquit S. Doctor. Noluit Angelus ut Apostolus ablata sibi quereretur catenarum ornamenta: ideo non illas à manibus abstulit angelica manus, curavit Sapiens Omnipotentiæ minister ut caderent, vel Deus ipse providit ut sic accideret, ne violenter ab illo rapiantur.

Oppones: si tantopere vincula Petrus amabat, ut ea palam non ausus fuerit angelus extrahere: illum ex carcere quo pacto suadet prodire? Respondeo verbis utens ipsius textus: *nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre.* Si Apostolo tunc notum esset, cùm exiit inde, se ab ergastulo reipsa dimitti, forsan postularet ab angelo ne sibi dilectam patientiæ sortem abriperet. Nesciens evocatur à custodiâ: cadunt ultrò ferrei nodi, quò celaret angelicus minister ansam querelæ: quod ipse non leviter insinuavit, in eo quòd tunc discessit, cùm jamjam Apostolus rei veritatem agnituras erat, velut si metueret in furto deprehendi. Cerne textus ordinem: *discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus dixit: nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum* &c. Ibi n. 10. & 11. Vide quàm celer disparuerit! non postquam rem novit Ecclesiæ Pastor, sed paulo priùs, quasi declinans ab eo, ne sibi præreptas manicas, & carcerem, à cælesti ductore causaretur. Is Apostolici culminis erat amor, ut de tribulationum adempta fœlicitate conqueri sciret. Ac meritò sic amabat ille cruciatus quibus extollitur ita quod idem Chrysostomus concupiverit potius Petri vincti, quàm liberatoris angeli tenuisse locum. *Hic si mihi quisquam dixisset, elige utrum velis, vis esse angelus Petrum solvens, an Petrus servatus? Petrus utique maluissem esse, propter quem & angelus descendit.* Chrys. to. 4. hom. 8. in epist. ad Ephe. Sapientes ita de calamitatibus loquuntur: noverunt id quod intrinsecùs in eis latet; stultus verò non intelligit hæc. Similis est doctrinæ adversitas: neutram diliges, nisi probè callueris quanti fieri debeat. Idcirco eodem nomine vocamus *disciplinam.*

35. *Conscientia increpationes contemnens intellectu videtur destituta.*

Qui autem increpationes. Errare pronuntiatur illum qui spernit increpantem. Adverte sermonem hîc non esse de reprehensione, quâ propria cujusque conscientia ferit peccantem: hanc enim si temnat, parum est quòd asseramus errare: nam error solis intelligentibus tribuitur, si rigorem loquendi tenemus. Et quis nisi rationis exors non sentiet conscientiæ pulsantis ictus? Adeò terribiles isti sunt, ut si eos inter dānatorum pœnas connumeremus, non longe à D. Gregorio Nysseno abeamus. *Idcirco,* D. Greg. Nyssen. orat. in ps. 6. *ait, quasi in oculis habens terribilia supplicia gehennam illam, & tenebrosum ignem, & conscientiæ vermem numquam emorientem, qui animam semper pudore fugillat, ac recordatione malè actæ vitæ cruciatus renovat atque redintegrat: Deo jam supplex fit* &c. Hunc jugiter corrodentem qui non sentit vermiculum, non dicam sensu privatus, sed judicij penitus expers dicendus est. Qui monitorem istum domesticum aspernatur, intellectu carere videtur.

Psalmographus in gratiarum actionem provolvitur dicens: *benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*: quod quamvis intelligatur de Christo Domino, potest etiam de Davide simul exponi: *neque contradico, nonnulla ipsimet Davidi proprie convenire, &* Psal. 15. 7. Lorin. in argum. ps. 15. *ad*

ad litteram, ait in hujus argumento pſalmi Lorinus. Si verba proferret iſta quidam ex iis quos de præſtantia ingenij ſuperbos patimur, non mirarer quòd uſum rationis putaret ſpeciale beneficium ſibi ſoli collatum. Longè Rex aberat humillimus ab hujuſmodi faſtu: quem non piguit de ſeipſo dicere: *& ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Ut jumentum factus ſum apud te* &c. Præcedenti loco gratus David ita loquitur: quia licet omnibus Deus hominibus conceſſerit intellectus uſuram: tamen ſic aliqui degunt, ut mente prorſus deſtituti videantur: ideoque ſibi vates (cæteriſque Deum timentibus) peculiare donum putavit intellectu circa ſpiritualia pollere. Sed quodnam eſt inter multa potiſſimum diſcretionis indicium? Præteritarum labum reprehenſione velut interno flagello caſtigatum emendari. Ex hoc vates coronatus intulit ſibi collatum in animæ negotiis intellectum: *benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Renibus Thomas ait ſignificari culpas. Caietanus verbum Hebraicum, quod vulgata legit: *increpuerunt*, interpretatur: *caſtigaverunt.* Auguſtinus ibi legit: *emendaverunt*: quaſi diceret David: jure poſſum in Domino gloriari quòd intellectu verè fruar: experior namque præteritorum criminum vermis (ideſt conſcientiæ) punctionibus non fruſtra me caſtigari; ſed melioris vitæ fructus ex remorſuum ſpinâ colligere. Si verò delictis ita ſummergitur peccator ut increpantem conſcientiam non experiatur, neſcio an ab humano commutatus in brutum, rationalem amiſerit nobilitatem. *Hinc leges* (ait Ludovicus Vives) *& præcepta morum, & intus in unoquoque conſcientia, quæ delicta ipſa ſua arguat, reprehendat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum.*

pſal.72. 22. 23.

Ludovic. Viv.l.2 d. anim.

36. Reincidentiæ gravitas.

Relinquit. Deſipere inquit Salomon eum qui linquit reprehenſiones. Nihil rigoroſè loquendo relinquitur, niſi quod prius tenebatur. Acceptaverat monita peccator, & ſaltem in votis erat melioris vitæ amor: vix tamen nova ſeſe obtulit occaſio regrediendi ad vomitum, cùm jam increpationes deſeruntur. Graviſſima hæc peccati qualitas eſt; ſcili. recidiva. Prior culpa vulnus infligit: poſt ſanitatem reincidentia cicatrici putredinem inducit. Modus loquendi eſt hic Magni Greg. *Cicatrices namque*, ait, *putreſcere, eſt ſanata jam peccatorum vulnera rurſum in tentationem ſerpere, atque de eorum iteratione delectationem ſentire. Cicatrices computreſcere eſt, ex peccatorum ſuggeſtionibus poſt ſuperinductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpæ in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, & tandem per opus miſerum, quaſi effuſo fœtori corrumpi.* Sicut igitur corruptio fœdior eſt vulnere, ſic poſt pœnitentiam admittere ſcelus, turpius dicendum.

D.Greg.M. to.2.in pſ.3. Pœnit.

Cum David poſt adulterium & homicidium reſipuit ad verba Nathan, dixit: *peccavi Domino*: poſtea verò juſſit numerari populum: acceptaque ſupputatione, pœnitens facti, dicebat: *peccavi valdè.* Nemini quidem ignotum eſt Davidem priore loco plus deliquiſſe: nam & homicidium commiſit, & adulterium, quorum ſingula, eò quòd ſint contra juſtitiam graviſſima ſcelera ſunt: imò potius in iſtorum quolibet multiplex crimen agnovit Chryſoſtomus: *nam cum*, inquit, *iſti adulterium cademque ſimplicem factam aſſerant, non modò minimè nos id negamus, verum etiam multiplicia hæc crimina fuiſſe affirmamus: idque tum ab eo qui paſſus fuit injuriam, tum à conditione peccatoris comprobamus.* Cùm hæc ita forent, David tunc reſipiſcens non dixit peccaſſe nimis! Numeratio populi quid præter ſuperbiam? præſcripto ne legis, quæ per dimidij ſicli oblationem Deo exhibitam populum numerari præcipiebat, non obediviſſe? Quantò ſuperexcedit amplius iniquitas adulterij ſimul cum homicidio? Legitur attamen de numeratione plebis dolentem Regem, non ſolum faſſum eſſe crimen, ſed illius gravitatem fuiſſe teſtatum præcitatis verbis: *peccavi valdè.* Cur niſi quia ex priſtinis lapſibus reſtitutus jam ſanitati, reincidit in poſterius delictum? In flagitiis illud eſt dignitate prius, quod eſt tempore poſterius: nam per ſecundum additur ulceri plaga, ictuique tabum. De reditu ad noxam præteritam videtur loqui textus noſter, cùm ſpernentis increpationes errorem damnat: agit quippe de illo, qui jam reſipuerat amplexatus monita ſalubria; ſed recidens abjecit reprehenſiones, quarum vim ſanativam expertus erat, & medicamentum quod illi fuerat auxilio, *relinquit.*

2.Reg.12. 13.

Ibi c.24.10.

Chryſoſ.to. 2.hom.27.in Matth.

Errat. Verbum Hebraicum, quod huic reſpondet, Salazar obſervat ſignificare idem ac dicere: *longiſſimè aberrat.* Sic inſinuatur illum qui ſpretis ſalutaribus increpationum documentis viam vitæ deſerit, à Deo penitus exulare. O dementiam! Nonne ſatis audaciæ quod peccator divinæ benignitati reſiſtat, niſi & immenſitati audeat opponi? Deus cum ſit immenſus adeſt ubique: ſceleſtus (quaſi valeret immenſitatem divinam declinare) longè poſitus aberrat à Deo: quod adeò malis eſt familiare ut idem ſit proferre nomen hoc: diſtantes à Deo, ac dicere peccatores. Synonima ſunt hæc juxta Davidicum ſtylum: *qui elongant ſe à te peribunt*: ideſt qui te graviter offendunt. Phraſim fortaſſis à genitore Salomon didicit. Ejus hæc ſunt verba Deum precantis, poſtquam ædificata Domini domo, repoſuit arcam ibidem ſolemni pompa. *Si clauſum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum: exaudi eos in cælo, & dimitte peccata ſervorum tuorum.* Notaſti ne loca exauditioni, & precibus à Salomone deſignata? Oratio fuerat in templo dicenda: *orantes in loco iſto*, non tamen flagitat ut exaudiatur ibidem, ſed in cælis: *exaudi eos in cælo.* Qui etiam in templo moratur Deus cur non dicitur exauditurum rogationes ibidem? Quia in templo fuerant extituri peccatores: & hi ſolent abeſſe à Deo, quantum diſtet à terra cælum, cùm pace bona immenſitatis Altiſſimi cui bella movent. In terra dum orarent illi; de cælo Deus exaudiret eos, dato quod annueret poſtulatis. *Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris*, habes dictum à Domino

37. *Peccator à Deo diſſitus, ut à cælo ſolum.* Salaz. in Prover.10. 17.

Pſal.72.27.

3.Reg.8. 35. 36.

Iſai.55.9.

Domino per Isaiam, ne novum putes quòd asseram peccatorem à Deo tanquam cælum à terra separari. Et si pungit scrupulus, & quæris quomodo hæc patitur immensitas, omnia spatia sine termino complectens: Augustinum de se cùm peccator fuerat, cùm Deo loquentem audi: *ecce intus eras, & ego foris: mecum eras, tecum non eram, & me tenebant longè à te, quæ diviserunt inter me & te.* Sic vagatur qui Dei benignitatem, per increpantium voces advocantem derelinquit, & per invia præceps *errat.*

S. Aug. l. 2. confess. c. 2. tom. 1.

FLOS XIX.

Abscondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam insipiens est.

APERITUR.

1. ADeo frequenter Salomon carpit vitia linguæ, quod vel ex hinc videre liceat, quàm difficile sit eis mederi, quibus tam iterata confert medicamina. Efficacia sunt illa quidem, eo quod ejus ore Deus loquatur cui soli frænare competit hominis linguam lascivientem: unde S. Augustinus dixit: *si linguam nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es* &c. Adhuc tamen in dubium vocari valet quænam sit in hoc versu præcipua Salomonis mens: dissuadere odium, an simulationem & contumeliam? Priori sensui favere videntur Beda, Caiet. & Rodolph. Juxta quos explicantur illa verba sic ut Sapiens velit suadere depositionem odij: vel enim illud celatur, vel contumeliis prolatis deregitur: primum simulatoris est vafrities; secundùm verò stultitia protervi. Quodnam pejus judicet alter. Salazar. non acquiescit huic exponendi modo; sed affirmat Salomonem hîc non tam odij deponendi rationem habuisse; quàm linguæ astutiam, necnon & petulantiam compescere velle: ideoque, sine alio fundamento, priorem illorum interpretum expositionem judicat minùs aptam. Non video quare potius adversus linguam astutam, & contumeliosam, invehi tantùm dicatur hoc loco Salomon: & non etiam contra odium (quod radix hujusmodi malorum ferè semper est) loqui asseramus.

D. Aug. ser. 4. d. verbis Domi. to. 10.

Beda, Caiet. & Rodolph. in Prover. 10. 18.

Salaz. ibidem.

Judico igitur, & odij & linguæ ignes hoc loco voluisse aquâ sapientiæ Salomonem extinguere. Nec enim solius linguæ flammam restinguere satis est quoties illa ex cordis incendio ignitur. Haud aliter atque succensa domo, cùm jam per fenestras evomit avidas, tremulasque faces, vicinus ut sibi prospiciat, aquam projicit ardenti januæ, quâ sic proprium parietem ab elemento voraci tueatur illæsum: sed frustra laborat: nam rogus intus alitur, ex quo denuo reviviscunt malè sopitæ flammæ. Si velit plenè occurrere grassanti malo, debuerat intus exardescentes lares undâ replere. Prudenter ita Salomon non solum fenestræ, idest oris; sed interioris domus, hoc est cordis incendia laticibus doctrinæ præfocare curat.

2. Dubitabis, an utraque sententia hujus pars reprehendat adulatorem, an verò duo genera personarum corripiat dogma istud, scili. in priori parte astutum blando sermone virus odij contegentem; posteriori verò eum qui non simulat amorem, sed ore depromit jacula quibus ferit quem odit? Rodolphus agi putat hic de maledico: *quod ad sensum spectat, detractorem stultitiæ notat.* Adversus adulatorem affirmat Hugo totum versiculum invehi, nam illius est præsentibus assentari mentito sermonis astu, & absentium rodere famam. Huic expositioni favere videtur quod in secunda parte non apponitur particula, *autem* (sicut in aliis additur paræmiis) vel alia similis adversativa, ut ex ea colligamus loqui de personis diversis. Attamen hæc ratio non convincit: nam sine particulâ adversante, ipsa materiarum diversitas insinuat sermonem non esse de unico subjecto: rarò enim accidit quod idem sit callidus in loquendo, ac simul effrænis ad jaciendas contumelias, quibus odium propalatur. Unde verosimile judico reprehendi hoc loco tam adulatorem, quàm & maledicum: quippe neuter amat, amboque mentiuntur: quia ut Rodolphus hic ait, *ubi in animo non est amor, ibi in lingua non est veritas.*

Ropolph. in Prover. 10. 18.

Idem ibi.

3. *Abscondunt.* Hebraicè: *operiens.* Itaque idipsum, quod in vulgata sumente partem pro toto dicitur de labiis, affirmatur in Hebræo de homine linguoso: *operiens odium labiis falsitatis.* Non multum distat utraque Lectio: nam Hebraica de homine toto pronuntiat quod vulgata de ore asseverat, seu lingua. Pars hæc hominis & homo loquax quasi pro eodem sumi possunt, ac si hujusmodi homines nihil sint præter linguam solam. Meministi dictum quorundam ex iis quos loquelæ nimietas odiosos reddit: *qui dixerunt linguam nostram magnificabimus:* exponit Valentia: *idest per linguam nostram, & propter eloquentiam erimus magnificati per totum mundum.* In istis dicacibus, qui vaniissima garrulitate fatigant aures, & aërea deglutiunt, synonima sunt hæc: magnificabimus nos; & *linguam nostram magnificabimus:* ipsi namque lingua sunt, nec amplius: *canibus imbecillibus mos est quantò plus defecerunt virium, tantò magis latratibus indulgere,* ait Seneca.

Quidam nihil præter linguam. Lect. Hebr. hîc.

Psal. 11. 5

Valent. in Psal. ibid.

Sen. in Prover.

4. *Odium.* Verba mendacis, cùm differant à corde, tegunt quidquid in eo reconditur. Solius odij tamen dissimulationem hîc exprimi video: quia peculiari sollicitudine solent homines odia velare tergiversationibus mille. Cùm omnia crimina sint spiritus infœlicitates, eorum aliquibus inest quædam veluti fortuna; nonnulla verò etiam sibi sunt infœliciissima. Jactat se quisque de vindictâ luxuriâ, similibusque fœdissimis ulceribus; plura sunt econtrà, quæ nemo fatetur. Inter hæc non infimum locum tenet odium. Audisti sæpissimè gratias Deo agentes quod nullum

nullum oderint ; & si occasio illis occurrat, erumpent ex ignitis cineribus, quos in imo pectore servant, sulphureæ flammæ. Scis cur isti negant odium ? Quia custodiunt illud. *Quare*, inquit Seneca, *vitia sua nemo confitetur ? Quia etiam nunc in illis est. Somnium narrare vigilantis est ; vitia sua confiteri sanitatis indicium est.* Obiter ne prætereas Ethnicum somniis æquiparantem vitia. Quid plus in hac re diceret, si fidei divinæ splendore collustraretur ? Et quid nos dicemus de illis qui Dei ministro conscientiæ fæces abstergere cupienti, ac Deo locum præparare, negant odio se unquam polluisse ? O miserrimi, qui confusionem æternam brevissimo pudore fugere possent, & nolunt evitare quod horrent. *Nam*, ait Augustinus, *quando homo detegit, Deus tegit. Cùm homo celat, Deus nudat : cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.*

Sen. epist. 53.

D. Aug. to. 8. supra ps. 31.

5. *Labia.* Cùm pars hominis accipiatur ista per synecdochen pro homine toto : quare non potius cordi mendacium tribuitur, cùm ab illo dicantur exire doli. *Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus* &c. Fateor utrumque mentiri, scili. cor, & os : attamen exprimitur clarius fœditas mendacij, si tribuatur ori: nam cordis munus est occulere quid sentiat : unde non adeo mirandum est à corde tegi veritatem, quod à natura datum fuit ut abdamus alia, quæ ratio suadet abscondere. Os autem collatum est ab authore naturæ, tanquam interpres animi ad ejus mentem aperiendam. *Quid est igitur os hominis, nisi quoddam sermonis aditum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis* ? Sic D. Ambrosius ; sed malitiâ mutante Conditoris opus, factum est, ut os homini sit sermonis velamentum, origo contentionum, theatrum mendacij, armarium telorum. Contrarios in usus ore (sicut & ferè omnibus à Deo acceptis) abutitur homo.

Marc. 7. 21.

S. Ambr. to. 1. in Hexâ. lib. 6. c. 9.

Mendacia. Sumptum ex parte finis dividitur mendacium in jocosum, officiosum, & nocivum. Si quæras de quo sit in præsenti sermo, dicendum videtur vix accidere, quod mendacium abscondentis odium non sit pernicioſum. Assentatoris lingua sagitta est, juxta illud Cassiodori : *adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus salve dicit, prodigos vocat liberales : avaros parcos, & sapientes : lascivos curiales, garrulos affabiles, obstinatos constantes, pigros maturos, & graves, hæc sagitta leviter volat, & citò infigitur.*

Cassiod. in epist.

6. *Qui autem profert.* Dicere posset : qui contumeliam facit ; usus est verbo : *profert :* ideſt exprimit ore : nam etiam qui abstinet à contumeliâ proferendâ, sæpe corde contumelioſus est. Duo sunt igitur detrahentium genera : quidam interna detractione lædunt ignoti : *foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractionis evomunt tempestates.* De istis priori versus parte jam egerat : ideo sic in postremâ locutus est : *qui autem profert :* ut se de verbo lædentibus agere significaret.

Alanus de complanctu naturæ.

Contumeliam. Quamvis nomen hoc in rigore Latino sumatur pro læsione quæ vel fit in faciem, vel projicitur in dissitum tanquam præsentem (ideo enim valdè differt à simplici detractione contumelia, prout explicant Lessius, Layman, & alij :) tamen, ut periti linguæ Hebraicæ notarunt, vox Hebræa significat, non solùm detractionem, sed etiam contumeliam & infamiam ; sub hac universalitate accipitur hoc loco nomen contumelia. Unde Chaldæus vertit : *qui profert detractionem stultus est.* Hebræa sic habent : *proferens infamiam ipse stultus.*

Lessius l. 2. d. just. c. 11. dub. 2. n. 6. Laym. l. 3. d. just. p. 2. c. 6. n. 1. Vers. Chald. Hebr. Lect.

Insipiens est. In quæstionem tandem vertì potest, an insipientia sumatur hîc pro nequitia, juxta phrasim Salomonis repetitam sæpiùs ; an pro stultitiâ, quatenus qui detractione vel convitio ferit alterum, suam prodit imprudentiam, inimicitias provocat & vindictam ? Magis placet ad litteræ rigorem prior sensus (quamvis posteriorem non improbem : imò ad moralia sim illustraturus delibatione 4.) cui favet Dionysius Carthusi. dicens : *insipiens est, ideſt impatiens passionatus & improbus, non attendens se-ipsum, & proximum lædere non formidans, quod charitati atque justitiæ contrarium est.*

Dyonis. Carth. in Prov. 10. 18.

DELIBATIO I.

Habetur odio veritas & veraces.

PRæter odium proximi, de quo ad litteram agunt hîc expositores, alia duo tanguntur odia labiis mendacibus : Veritatis nempe, ac vera dicentis ; cùm tamen quisque Deum testetur & homines, nihil se præter veritatem omninò velle. Absconduntur veritatis odium labia. Gratis execrantur mortales veritatem : nam quid amabilius ? Cor apud Ægyptios, teste Pierio, collo appensum, veritatis hyeroglificum erat : ergo cor offert qui vera loquitur, & non amabis ? Forsan istud veri tædium ex eo nascitur quòd virtuti sit veritas quàm simillima. *Nullæ duæ res inter se tam amicæ & concordes sunt, quàm virtus & veritas, nempe germanæ, à Deo genitæ, & humanis mentibus sicut utilissimæ, ita etiam integris jucundissimæ.* Majori simultate prosequitur homo verum, quàm hostem : hunc enim vincere sperat : imò quandoque perire nollet, ut eum subigere valeat ; veritas autem invicta convincit atque triumphat : & quò certior est homo se vincendum, eò ferventiùs execratur eam. Nocturnis avibus assimilavit olim Theodoretus osores veritatum : *cæci*, ait, *nihil vident. His itaque similes sunt, qui veritatem intueri nolentes, amant in tenebris ignorantiæ versari, veluti aves illæ, quæ noctu tantùm volant ut ululæ, & noctuæ : hæ lucem odiunt, amant tenebras :* &c. Huic insistens ænigmati sic meditabar. Avis nocturna bellum cùm alia non refugit ; at si Sol oriatur, multò priùs evolat. Sol emblema veritatis est ex Pierio. Inimicum non ita declinabit homo, sicut verum.

7. *Plus odiò veritas habetur quàm hostis.*

Ludovic. Vives l. 2. de ani.

Theodor. ter. 2.

Pier. l. 44. hieroglyph.

Postea quàm divinus Spiritus per Davidis os instruxit justos, pergit ad illuminationem iniquorum. Aperit iniquitatum radicem in

Pſal.49.17. hæc verba : *tu verò odiſti diſciplinam , & projeciſti ſermones meos retrorſum.* Poſt terga quare mittitur à peccatore ſermo Dei ? quia contemnitur ? Aptior phraſis ad explicandum contemptum videretur dicere : conculcaſti ſermones meos : ſicut alibi dicitur ad exprimendum quàm deſpectus à Saüle David fuerit : Pſal.55.2. *conculcavit me homo.* Saül pedibus proculcat Davidem : ſceleſtus non ad pedes ſermonem Dei projicit , ſed poſt tergum ? Ita quidem : ſed quâ de cauſa ? Vide : Saül hoſtis erat Davidis : & quamvis rectis oculis non aſpiceret inimicum , tamen ejus aſpectum nequaquam ille cavebat. Cùmque id quod proſternitur ante plantas non lateat lumina , conculcatum ſe David affirmat à Saüle. At verò quod ponitur à tergo , non videtur ; & ſic deteſtatur mendax veritatem (de mendaci priore pſalmo ſermo eſt : lingua tua concinnabat dolos) ut eam neque cernere patiatur. Ideo ſermonem divinum Ioan.17.17. veritate fulgentem (juxta illud : *ſermo tuus veritas eſt*) ne contueatur improbus jacit S.Aug.to.8. in pſal.49. retrò. S. Auguſtinus ibi : *projeciſti ſermones meos poſt te , ubi non videantur à te , ſed onerent te.* Adverſarium aſpicere non timet pluries homo nequam ; veritatem intueri recuſat : & quaſi non ſatis ad hoc foret illam dorſo remittere , fugam capeſſit ut ſe ab ea currens eripiat : *projeciſti* &c. *Si videbas furem currebas cum eo.*

8. *Veritatem oderunt homines plus quàm mortem* &c. Altiùs adhuc ſuſpicor aſcendere odij flammam , quô mendaces inſequuntur veritatem. Quid mortis facie terribilius homini ? quid ampliùs horret quàm lethum ? Veritatem : iſta quippe continuo vocibus experientiæ pulſat aures ; mortem verò longiſſimè diſtare putant ferè cuncti : & cùm ſoleat execrabilius reddi quod , cùm odio habeatur, jugiter adeſt : idcirco veritatis odium inimicitiâ mortis majus eſt. Sceleratorum pœnas horribiliores morte non dubitas. Crede veritatẽ impiis inter ſempiterna ſupplicia computari. Audi S.Ambroſium. S.Ambr.to. 3.in epiſ.2. Theſſal.2. *Severus autem apparebit incredulis, cùm æternis pœnis coarctari cœperint. Corona enim diſcipulorum magiſtri eſt gloria ; & veritas eius incredulorum eſt pœna* &c. Imò addam : ſuppliciis omnibus plus reformidat homo veritatem : hæc illi pœnarum genus omne, tormentorumque non levis exaggeratio eſt.

Davidem iterum audiamus : cujus verba licet imprecationem præ ſe ferant , prædictionem tamen continent , ut monet Bellarminus : Pſal.53.7. *averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.* Prior pars ex eodem Cardinali valet idem atque dicere : *averte mala, quæ mihi impendent , à me, & converte illa ad inimicos meos. Quod quidem ita factum eſt , nam Saül perſequebatur Davidem : & continuò factum eſt ut Philiſthæi perſequerentur Saülem.* Poſtrema verba, ſcili. diſperde illos , quid majus videntur ſignificare, quàm nomine ; *mala* , prolatum fuerat. Putabam dicturum : & in fulminibus, flammis, gladio, peſteque, diſperde illos. Non hoc dixit : ſed *in veritate :* quod juxta Caietanum, quem refert , & non improbat Lorinus, impletum eſt, quando ab ipſa veritate qua tandem convictus eſt Saül , concidit ab animo perſequendi Davidem , ut videre eſt 1.Reg. 24. 18. Non fulmina prædixit Saüli ; ſed aliquid, quod iniquus pluſquam fulmen pertimeſcebat , ſcili. veritatem : *& in veritate tua diſperde illos.* Oderunt lucem qui lippis oculis eam vix intueri ſuſtinent : execrantur medicinam qui morbo laborant. Exiſtimabam ſolos veritatem deteſtari eos qui ſtultitiæ tetra nocte obcæcati , ſe luminis expertes volunt , & ægritudini mentis adhibere medelam cavent. Proh dolor ! ſapientium defectus hic maximè proprius eſt. *Credite mihi* , ait Gerſon , *amariſſima eſt veritas : ſed neſcio quo pacto apud nullos eorum amplius quam apud litteratos , qui ſapientes ſunt in oculis ſuis , apud quos omnis , vel admonitio charitativa, vel fraterna correctio, contumelioſæ, & vindicandæ deputatur injuriæ.* Gerſon p.1. epiſ.2. ad ſtudentes Collegij Navarræ.

9. *Vera loquens non tantùm punitur ut reus ; cæditur ut hoſtis.* Nunc de odio contra vera loquentem agendum eſt , & breviter : inſanit enim , & cùm rationis expertibus non ſunt prolixi miſcendi ſermones. *Res eſt*, inquit S.Fulgentius , *extremæ dementiæ odiſſe loquentem veritatem.* Inſano tamen vitio tritum, ſed vulgare nuſquam , dictum opponamus fatui ſapientis : nempe tres matres optimas parere tres peſſimas filias : ex ſecuritate periculum, de familiaritate contemptus, à veritate naſcitur odium. O nimis verum , experientiâ comprobante. Frequens eſt veritatem puniri tanquam delictum. Id ſupponit Auguſtinus. *Melius eſt autem pro veritate pati ſupplicium , quàm pro adulatione beneficium.* Sed animadverte quòd veritatem proferens , non qualitercumque deliquiſſe putatur , ſed hoſtilem animum gerere creditur. Aliquando quaſi parum foret veluti reum puniri , cæditur ut hoſtis. D.Fulg.ſer. in decollat. S. Joannis. D.Aug.relatus in c. nemo 11. q. 3.

Injuſto marte ſæviens Nabuchodonoſoris vaniſſima ſuperbia , totum ferè quatiebat orbem , ſubjugare cupiens aliena , qui ſibi dominari neſciebat volens. Subjecerat armato milite plurimos ; inermi verò metu dejecerat alios. Holofernes militiæ Princeps, antequàm Bethuliam obſidione premeret, audiit filios Iſraël ibidem commorantes præparare ſe ad reſiſtendum , ac montium itinera concluſiſſe. Advocat in conſilium Ammonitarum , ac Moabitarum proceres : & ab eis quiſnam ſit populus ille , quidque de civitatibus ejus, rege, viribus & multitudine ſciant percontatur. Achior dux Ammonitidum enarravit mirabilia Dei pro Iſraëlitica plebe quondam patrata : monerque ne temere contra ipſos pugnet : quia ſi non ſit eis iratus Deus ſuus , non ſolùm illis non prævalebit , ſed in opprobrium cunctis erit populis. His auditis, *indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior : Quoniam prophetaſti nobis , dicens , quod gens Iſraël defendatur à Deo ſuo , ut oſtendam tibi quoniam non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor : cùm percuſſerimus eos omnes , ſicut hominem unum, tunc & ipſe cum illis Aſſyriorum gladio interibis* , &c. & infrà : *ex hac hora illorum populo ſociaberis , ut dum dignas mei gladij pœnas exceperint, ipſe ſimul ultioni ſubjaceas.* Non quæro in quo deliquit Achior : nam apud tyrannum veritas quaſi reatus pœnas luit , decernente ſuperbiâ : de quâ Hugo Cardin. Judith. 6. 1. 2. 3. Ibidem n.6.

Hugo Card. in c. 6. Iudith. n. 1. Cardin. ibi : *hoc enim proprium eſt ſuperborum , indignari monitis inferiorum.* Sed quare non judicialiter illum tanquam reum damnavit ? Aſſueri convivium Regina Vaſthi adire vocata contempſit : nec ſic ex abrupto punita fuit. Interrogantur ſapientes , & ſcripto ſententia fertur ; quantumvis in rabiem uſque Rex exarſerit. *Unde iratus rex , & nimio furore ſuccenſus , interrogavit ſapientes .... cui ſententiæ Vaſthi regina ſubjaceret* &c. Unus ex eis conſuluit quid agendum : *egrediatur edictum à facie tua , & ſcribatur juxta legem Perſarum , atque Medorum , quam præteriri illicitum eſt , ut nequaquam ultra Vaſthi ingrediatur ad regem* &c. *fecitque rex juxta conſilium Mamuchan , & miſit epiſtolas* &c. Aſſuerus lentiori greſſu vindicat injuriam ? Holofernes abſque judicij figurâ mulctat Achiorem ? Sic accidit quandoque veridico. Iudex reum non odit , quamvis capite plectat ; vera dicens odio habetur. Ideo , cùm Achior eo quòd ingratam veritatem palam facere auſus eſt , Holofernis furorem incurrerit : non tanquam reus judicio condemnatur ; ſed inimicis adjungitur ut hoſtis : *illorum populo ſociaberis.* Potentum infœlicitas dicitur eſſe quòd vero careant amico : *divites* , ait Seneca , *cùm omnia habeant , unum illis deeſt , ſcili. qui verum dicat.* Meo tamen videri , miſerabilius eſt , ſi habeant , & ignorent. Amicè loquitur qui veritatem eis detegit ; ſed hoſtiliter ab iiſdem oppugnatur ille , quem deberent amplecti. Hallucinantur miſerè. Audias utique ipſos à ſapientibus , & aſſeclis exigere ut veritatem aperiant ; illam tamen amare mentiuntur, ejuſque *abſcondunt odium labia mendacia.*

Esth. 1. 12. 13. 15.

Ibi n. 19.

Ibi n. 21. & 22.

Sen. in epiſ.

10. *Veritas licet jucunda lapidatur; mendacium non ſic quamvis triſte.*

Hinc fit ut veluti grande piaculum veritatem fari quiſque renitatur, videns adverſus eam iris agitari ferocibus animos , bellaque nutriri. Cùm verax funeſta denuntiat, vitiave corripit , mirandum non eſt oppugnari. Quid mirum repellatur veritas ab eis qui veritatem execrantur ? Socia ſunt hæc odia , veritatis, inquam , ac virtutis. D. Laurentius Iuſt. *Quem delectat veritas , virtutis opera placent ; illam quærit in ſe , aliiſque communicat : quibus verò odioſa eſt , virtus etiam diſplicet. De eâ non valent loqui , audire non poſſunt* &c. Plus ultra furit hominum cum veritate diſſidium. Etſi loquaris audienti fauſta , ſed vera , non ideo minùs torva facie , minacibuſque ſuperciliis excipietur veritas. Evadet mendax afferens triſte nuntium ; periclitabitur veriloquus pronuntians læta.

S. Laur. Juſt. in faſci. amoris c. 12.

Fixis tentoriis in deſerto Pharan quieſcebat Iſraël , cùm Deo jubente , Moyſes è ſingulis tribubus principes miſit ad explorandam terram Chanaan. Ex iis Caleb ac Ioſue dixerunt : *terra quam circuivimus valde bona eſt. Si propitius fuerit Dominus , inducet nos in eam* , &c. alij verò timore improbo populum repleverunt , dicentes: *terra quam luſtravimus devorat habitatores ſuos : populus quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo : quibus comparati , quaſi locuſtæ videbamur.* Iſti falſa renuntiabant ; illi vera. Sed quibuſne diſcrimen vitæ contigit experiri ? Caleb bo, Ioſueque veritatem annuntiantibus : nam illa verba textus : *lapidibus eos vellet opprimere* , ad illos referuntur , ut videre eſt apud Cornelium à Lapid. ſic exponentem; *& lapidibus eos (Caleb ſcili. & Ioſuë qui murmurantibus reſiſtebant) vellet opprimere.* Notatu dignum reperi quod in illos qui terræ detraxerant, nullus manum ſuam levare auſus eſt , quamvis adverſus bonum commune locutos fuiſſe noverint plurimi : nec enim putandum eſt omnem omnino populum Iſraël murmuraſſe permotum dictis exploratorum detrahentium terræ promiſſæ : *quia tamen* , inquit Lorinus, *maxima pars murmuravit , omnis turba dicitur murmuraſſe.* Unde patet quòd ſicut majori plebis parti diſplicuit promiſſa terra ex iis quæ ab ejus luſtratoribus dicta ſunt : ita & quamplurimis placuit , & ad illam pervenire deſiderabant magnopere. Quæro. Lapidibus ingrati volunt obruere Calebum & Ioſuë ? non autem illi qui veritati favebant audent lapidare mendaces exploranres ? Duo principes diſcrimini patent qui læta nuntiabant , optimam ſcili. eſſe regionem , poſſeque illam ab Hebræis poſſideri ? Alij , qui triſtiſſima retulere (nempe terram illam bello capere poſſibile non fore) incolumes remanent ? Hæc eſt mendacij fœlicitas ; illa vero veritatis infortunata ſors. Deceptor , quamvis mœſta loquatur , erit ab aliena offenſione tutus ; verax , licet ore promat jucundiſſima, nihilominus ictibus impetitur. Iſta facilè prædicatori coaptabis , qui per Calebum ſignificatur hîc ex Ruperto. *Caleph,* inquit , *ideſt omnis teſtis veritatis , prædicat fideliter , clamat confidenter : aſcendamus & poſſideamus terram, ideſt credamus quia Chriſtus reſurrexit* &c.

Num. 14. 7. 8.

Ibi c. 13. 33. 34.

Ibi n. 1. 2.

Lorin. in Num. c. 14. 2.

Rup. l. 1. in Num. c. 38.

Quod ſupra de veritatis lapidatione dictum cùm noverint omnes , vix eſt cui ad veritatem coram ſæculi magnatibus aperiendam verba ſuppetant. Alios metus alienæ crudelitatis , quoſdam amor commodi proprij tacere docet. Illi trepidante corde balbutiunt ; iſti cupiditatis ardorem diſſimulare cupientes eam ſilentio produnt. De utriſque pauca dicam. *Vera dicentes ſolent perſecutionem pati* , ait Auguſtinus : proinde metuunt plurimi hanc ſubire provinciam. Timentium fragilitatem non laudo : ſed ignavi crimen aliquantùm imminuitur per potentium ſuperbiam , qui velut ſolis illis proprium arrogant ſibi mentis acumen ; minores verò ne contendant inæquali marte , cedunt prorſus : ideoque verentur coram ipſis vel paucula verba proponere.

11. *Balbutit ſciens dum coram potente verum oportet loqui.*

S. Aug. l. 1. d. ſer. Domi. in monte. to. 4.

Urgebat Moyſen Omnipotens angores populi miſeratus Iſraël , ut de ſervitutis caveâ pluſquam vinctam eripere plebem aggrederetur. Ille defectum opponit eloquentiæ , dicens : *Obſecro Domine , non ſum eloquens ab heri & nudius tertius* : exponit Liranus : *ac ſi diceret : licet à juventute non ſum multum eloquens* &c. Impeditum ſanè dictum hoc Moyſis eſt : audivimus enim omnes referente D. Luca Stephanum pro concione priorum temporum geſta narrantem : inter quæ ſic ajebat de Moyſe : *eru-*

Exod. 4. 10.

Liran. in Exo. ibi.

Act. 7. 22.

ditus eſt Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis. Qua ratione poſſunt iſta cohærere verbis ipſius dicentis: *non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius:* hoc eſt à juventute. Adde: nonne cùm Deo loqui audebat? Deo ſapientior erat-ne Pharao? D. Auguſtinus: *mirum ſi tam gracilis vocis, ut nec ab uno homine poſſet audiri: an fortè regius faſtus non eos permittebat de proximo loqui?* Subdubitanter S. Doctor loquitur; poſſet attamen nihil ſuperbum dubitare de Pharaone. Sed replicabis. Regis in conſpectu verba facere pavet, qui Dominum alloqui non timet? Maximè: nam Deus veritas eſt: omnis homo verò mendax. Ideo præpotenti verum eloqui doctiſſimus recuſat, maleſuado metu compulſus. Hic tamen eſt ille delectus amicus ab eo, quem nullus fallit, legationi tantæ deſignatus à ſupremo rerum Arbitro, edocendoque populo ſuo per tot annorum ſpatia conſtitutus ab eodem: ut ſic tu ſciole, cùm videris eccleſiaſtem, qui nec os ad os affatur Deum; neque ſigna faciendi poteſtatem accepit, veritates nudas in ſuggeſto ſacro coram potentioribus exponere verentem, non ſtatim zeli pallio ſuperinducto detrahas humanæ fragilitati. Etiam vice Dei loquens luteus homo eſt: quidni timeat ictus? Sanctè pertimuit hoc ille Divini amoris ignibus exardeſcens Bernardus, & certè neſcio loquatur ne de veritatibus objiciendis apud illos qui potentiâ fulgent. *Quam ſanè*, ait ille, *odioſam admodum novitatem, & vereor proferre in medium, & prætermittere gravor. Urget quippe linguam in verba dolor: ſed timor ligat. Timor duntaxat ne quem offendam ſi palam fecero quod me movet: quoniam veritas nonnunquam odium parit.* Audio mille ſuſurrones inſurgere quærentes: cur non ævi noſtri concionatores metum ſuperant ut increpent auditorum peccata, ſicut devicit Bernardus? Priuſquam reſpondeam, dicito: quis es tu, qui veniſti ad me curare vulnera mea? Accidit ne tibi aliquoties ad concionantis increpationem reſipiſcere? Taces? Et ego. Difficile, inquis, eſt inveteratæ peccandi conſuetudini vale dicere. Soli mihi facillimum reputas ſuadere tibi quod moribus nequam dicas vale? Ferè miraculum eſt. *Conſideranti mihi conſtantiam prophetarum, miraculum ſubit, quomodo verè credentes Deo magis quam hominibus, contempſerint mortem, pericula, contumelias .... dum voluntati Dei in correctione & prophetatione deſerviunt.*

D. Aug. to. 4 l. 2. quæſti. in Exod. n. 16.

D. Bern. epiſt. 78. poſt medi.

Orig. to. 2. hom. 6. in c. 16. Ezech.

12. *Facilius eſt Principem falsâ contumeliâ ferire, quàm veritatem objicere.*

Ab effræni linguæ temeritate neutiquam immunis eſt regum poteſtas. At facilius erit loquaci calumniari falsò, quàm prudenti reprehendere de vero crimine. Hoc ipſum aliquando veretur audax. Quid mirabile ſi modeſtus præco veritatis id timeat? Multò magis arduum eſt vera in faciem objicere principi, quàm falſum ei impingere crimen: nam impatiens correctionis altitudo ſe à veridico feriri gladio verbi metuit, juxta illud S. Petri Damiani: *gladius ſpiritus eſt verbum Dei. Hunc gladium quia perverſi timent ſpiritus, fabros de terra Iſraël auferunt, dum eos, qui redarguere delinquentium errata debuerant, à tenenda cenſuræ diſciplina compeſcunt?* at verò cum in principem quis contumelioſus eſt, non illum, ſed ſeipſum lædere cenſetur. Chryſoſtomus. *Dic enim quæſo, ſi quis principes convitiis inſectaretur, ſi quis rerum dominos afficeret injuria: quem læderet, ſemetipſum, an illos? Planum eſt quod ſemetipſum: ergo principem quidem lædens non illi, ſed ſibi nocet:* Hinc eſt quod mendaci contumeliâ principem lædere nonnunqnam loquacitas audet; ejuſdem verò delicta corripere pavet, licet Dei nomine loquens modeſtia.

S. Petrus Dami. l 6. epiſt. 18.

Chryſoſt. to. 5. hom. 68. ad populum.

Ad penè meridianam lucem in ſolario caligine tentationis obcæcatus David oculorum laqueo captus eſt. Pulcherrima cauſa fœdos valdè protulit effectus: ſpecioſa nempe Bethſabee adulterium, & homicidium. Deus, qui non diu noxas electorum punire differt ne putreſcant ulcera, miſit prophetam ut criminum pœnas regi denuntiet: accedit vates, & parabolâ uſus eſt divitis qui lauto cupiens hoſpitio peregrinum excipere, pauperculi necavit ovem, ſumptibus propriis parcens. Indignatur adverſus avarum opulentum David: & videns tunc patere januam doctrinæ Nathan ait ad illum: *tu es ille vir.* Vidiſti quâ circumlocutionis ambage uſus eſt propheta? Veni modò mecum ad Bahurim, & cernes egredientem inde Semei, lapideſque mittentem adversùs Davidem, cum furorem declinat Abſalonis impium. *Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saül, quoniam invaſiſti regnum pro eo.* Non exprobravit ei homicidium Uriæ, vel adulterium. Conferamus nunc maledicum iſtum cùm vate. Semei falſa conjicit in os Davidis? Nathan à Deo miſſus, crimina, quæ verè commiſerat ille, cunctatur increpare? Hæc eſt humanæ linguæ proclivitas in falſitatem; tarditas ad verum: ut ſi adverſus majeſtatem regiam furit, potius falſa dicat aliquando qui poſſet objicere vera. Ideò Semei non adulterium Bethſabee, vel homicidium Uriæ objectavit Monarchæ; ſed multum ſanguinem innoxium fudiſſe, virumque exlegem eſſe, regnumque alienum invaſiſſe, mendaciter oppoſuit. Econtra qui veritatem ex officio regi palam dicturus eſt, eam deſiderans obvolvere, circumloquitur plurima, priuſquam animum inducat metum deponere. *Non mediocre autem quod Nathan denuntiavit ei: hoc eſt inferior propheta. Gravis enim verecundia, pudorque delicti, ab inferiore reprehendi.* Sic Ambroſius. Hoc fuit in causâ quòd Nathan præmiſit de paupere diteque parergon. Hucuſque de timore dixi veritatem ſepelientis.

2. Reg. 12. Ibid. 16. 7. 8.

S. Ambr. to. 1. apolog. 1. d. David.

13. *Perfectus in aulâ cavet ne lucro veritatem adulteret.*

Nunc de commoditatis propriæ dilectione, quæ ſimilem taciturnitatem ſuadet pluribus, dicam paucis. Principis latus ambientibus hoc eſt familiare: nam quid aliud ſolent iſti, niſi ſeipſos in ſervitutem vendere nobilem? imo potius infimam: ſervus enim, vel apud barbaros, ex actionibus externis plures; ex internis omnes liberas habet; non ita qui regum ſectatur palatia: vix

greſſus

gressus ei conceditur quem suum appellet : imò nec intellectus ei permittitur : quidquid enim regi placeat, cogitur annuere, vel discrimini patebit. Qui autem seipsum venundedit, cui fidelis erit ? Quidni verum aperire nolit ? Hæc est utplurimùm aulicorum conditio : imò velut aulæ regiæ contagiosa lues : *omnes student placere regi*, proclamavit ex ecclesiastico suggesto ad Cæsaream Caroli 5. majestatem S. Thomas à Villano. Etiam perfectus vir si regiam frequentat, sibi caveat ne delusus ambitione lucri, veritatis nitorem adulteret. Hoc formidavit Propheta Daniel : quis immunem se putabit ab hoc discrimine ?

5 Thom. à Villano. ser. Dom. 19. post Pente.

Tempus erat, quo superbissimi Nabuchodonosoris non absimilis proles Balthassar imperij tenebat habenas, quin illas quibus appetitum frænare debuerat moderaretur prudenter. Extructo regali convivio pavit suæ vanitati pastum offerentes. Et infami temulentiâ victus jussit afferri templi vasa, quæ pater ejus asportaverat ex Judæa, quibus ipse, convivæque, biberunt sacrilegè, laudes idolorum adjicientes, quibus indignationem Altissimi provocarunt. Adfuit statim quasi manus hominis triplici verbo sententiam damnationis in pariete graphicè depingens. Pallet rex, artubusque collisis tremiscit, clamat ut sapientes advocentur, qui ferale scriptum legant & exponant ; sed non valuerunt. Regina monente Daniel accersitur, cui rex plura pollicetur si scripturam legere quiverit, ac interpretari. *Ad quæ respondens Daniel ait coram rege : munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da :* commentatur Glossa ex D. Hieronymo : *tristia nuntiantem indecens erat dona suscipere.* Benè : sed vide post interpretationem fatalis decreti, quid textus narret. *Tunc jubente rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo ejus : & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Hæc eadem non multum antea rex promiserat, Danielque recusaverat. Quid est quod antequam exponeret scriptum portentosum illud, regia dona contemnit ; postea verò acceptat illa ? Puto Danielem timuisse munerum pro veritate patefacienda corruptelam. Mæsta sed vera denuntiaturus noluit veracitatem suam exponere corruptionis discrimini. Postmodum cùm jam quæ Deus ipsius instillavit linguæ, liberrimè locutus regi fuerat, valebat à Baltassare donata recipere citra falsitatis periculum : hæc enim erat occasio postrema, quâ verum in conspectu regio posset effari : nam *eâdem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus.* Maldonatus inibi. *Danielem verò oblata prius munera recusasse, ne eorum causa scripturam interpretari videretur. Nunc verò adhibita jam interpretatione sublataque suspicione ambitionis, & lucri, regis beneficentiâ, & liberalitate, moderatè uti.* Crederem non acceptarum, si rex supervicturus esset, ne tacendi verum apud eundem incurreret apertum discrimen. Solent à parietibus regiis hæc duo contagia dimanare scili. utilitatis amor, cadendique timor. Unde fit quod adulationis illita melleo veneno, veritatis *abscondunt odium labia mendacia.*

Dani 5. 17.

Gloss. Ordi. ex D. Hiero. ibi.

Dan. 5. 29.

Ibi n. 31.

Maldon. in Daniel. c. 5.

DELIBATIO II.

Multipliciter mentitur iniquitas sibi.

Labia mendacia dixit Salomon, cùm posset paternam phrasim sequutus dicere totum hominem mendacem, & omnem. Sed ideo ita loquitur quia de mendaciis agit, quibus alios fallimus : hæc namque potissimùm verbis peraguntur. Alius est mentiendi modus (de quo non agitur hîc) multò plus nocivus, quo decipimus nos ipsos. Iste non ad labia pertinet : sed otiosum non erit hujusmodi fraudes occasione priorum aperire : nec enim à seipso quisque tutus est ne deceptionem patiatur. Nobis igitur metipsis imponimus cogitatione, auribus, memoriâ, oculis, desideriis, & corde, ut cætera linquam. Sigillatim aperiam cuncta.

Mente decipere seipsos vitium superborum est. *Aliena semper à veritate superbia,* scribit S. Greg. Magnus. Ipsis aptari potest optimè carmen Gersonis. 14. D. Greg. M. l. 24. mora. c. 10. tom. 1.

Somnium cur non miserum vocemus
Plurium vitam ? An caret sopore
Cor vigilantum ?
Non caret, nam quas aliunde somni
Tradimus causas, nisi quod recludit
Missa de corde cerebri meatus
Fumida nubes ?

Ferè nullus est qui mentiatur alteri priusquàm sibi. Gers. p. 3. Carmi. ad Cardinal. Petrum de Æliaco.

Fallaciâ nocturnæ quietis consimili, palpebris apertis, somnolenta ludibria mentem exagitant superbam : quasi nolentes contra suam ire mentem, intellectui proprio talia suadent, qualia de se credi volunt ab aliis. At priusquam cæteros decipiant, se fallunt ipsos.

De pseudoprophetis minabatur Deus olim per Jeremiam sumpturum vindictam. *Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo.* Mendacium quod somniaverant, erat ne unum an multiplex ? Video prius in singulari Deum loqui : *somniantes mendacium ;* deinde pluraliter : *narraverunt ea.* Duplex dici potest unumquodque mendacium ab hujuscemodi pseudovidentibus prolatum : nam & sibi suadebant se illustratos à Deo : *somniantes :* & falsum populo narrabunt : *narraverunt ea.* Vix est qui veritatem deserat, & non se priorem fraude circumveniat, saltem in eo quòd putat ejus dolum nunquam aperiendum. Jere. 23. 32.

Memoria fallax necnon mortalibus inest. Rectè confertur pictæ memoriæ tabulæ ; sed melius pictori posset æquari : nam ei, sicut & pingentibus circa fictiones fuit semper æqua potestas. Consulit incertus Bernardus honestæ vitæ candidatum, dicens : *ista tria semper in mente habeas, quid fuisti, quid es, & quid eris.* Sed ô quam rarò tam fœlix invenitur memoria ! *Video*, inquit S. Bernar- 15. *Fœlicitatis memoria pristinæ abjectionis recordationi conjuncta.* Incertus author in appendice ad formulam

honeſtæ vitæ, inter opera S. Bernardi. D. Bern. ſer. 4. ſup. Miſſus.

dus, *pleroſque in Eccleſiâ de ignobilibus nobiles : de pauperibus divites factos ſubito intumeſcere, priſtinæ obliviſci abjectionis : genus quoque ſuum erubeſcere, & infimos dedignari parentes.* Utilis equidem eſt, ne ſuperbias, initij recordatio. Sed ne dubites multis infœlicitatem natalium onus eſſe quod immergit ſiniſtro pondere quem alata levare dextera poſſet. Oportet igitur ſic memoriæ ſubſidium accedere ne dilabatur fragilitas, quod ſimul abjectæ ſortis, necnon fœlicitatis veſtigia reminiſcaris. Sic fortunæ (ſi quam ſortitus es) recordaberis ne demittas animum : ſimulque mente retinebis exordia prima, ne ſecundis flatibus extollaris.

Quantumvis in commune Reipublicæ bonum Joſephus deſudaverit, poſt ejus mortem abolita fuerat geſtorum illius memoria ſic ut apud regem nec nomine tenus agnoſceretur. *Surrexit interea rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph.* Videns ille populum Hebræorum invaleſcere viribus & multitudine, recens natos puellos in flumen projici jubet, quaſi poſſet aquarum auxilio ſanguinis explere ſitim. Quot latibula fruſtra quæſivit infantulis matrum ingenioſus amor! Quoties ipſi vagientes miſerrimè prodebant ſeipſos, utpote qui latere neſciebant, quia peccare ignoraverant! Ex iis unus extitit Moyſes, qui per tres menſes à genitrice reconditus, ab ipſa tandem, cùm jam celari non valeret, in carecto ripæ fluminis expoſitus eſt. Quàm ſæpe fuit periculum ſecuritatis origo! Deſcendebat filia Pharaonis ad flumen : cernenſque ſiſcellam ubi futurus terror Ægypti claudebatur, uni pediſſequæ præcepit ut eam afferret: Non prius vidére miſellum famulæ; ſed princeps fœmina miſeriam fortè ſuſpicata eſt, quod nobilium oculorum maximè proprium claritate ſanguinis præcellentium. Denique cernit vagientem unum ex pueris Hebræis, quos dirus pater inaudita ſævitiâ damnaverat, ne dicam, inauditos. Nutrici (quam ignorabat matrem pueruli) committit educationem promiſſa mercede, quem adultum adoptavit in filium : *vocavitque nomen ejus Moyſes, dicens : quia de aqua tuli eum.* Sperabam quòd ſicut in regalem familiam adoptatus eſt puer, ſic & inſigniretur nomine regio. Cur non vocavit Amenophim, quod patri ſuo Ægyptiorum præpotenti monarchæ vocabulum erat, juxta Pererium, Abulenſ. & à Lapide? Vel nominet Thermutidem, denominatione ſumpta ex Thermut, nam ſic nominatam filiam Pharaonis refert ibi Cardin. Hugo. Congruum non erat quia nomen adeo nobile, Moyſi tantummodo reduceret in mentem quàm fœlicem adeptus fuerit ſortem : habere ſcili. adoptivam genitricem filiam Principis. Aliud poſſet nomen ex vulgaribus imponere projecto infanti; ſed nullum accommodatius, quàm vox iſta, *Moyſes*, ideſt : attractus : hoc eſt extractus de aquis : hac enim appellatione duplex monitio poſtea ejus auribus inſonabat: prima quòd humillimo loco projectus ad infimam devenerit ſortem : ſecundò quod fœliciſſimè fuerit à filia Regis, protectione ſub benigna receptus. Neutrum ſine altero memorari ſatis eſſet. Si nomine Pharaonis illuſtris Moyſes fieret, fortunæ ſolius memor in elationem rueret; econtrà ſi vulgari ſub vocabulo maneret ignotus, abjectæ originis memoria illius animos ad magna contraheret nimis. Æquum erat ut is qui ad maxima ſervabatur, eo nomine donaretur, quod fœlicitatem, ſimul & infortunium reduceret in mentem. De aquis extractum indicabat nomen; ut & projectio in carectum, & filiæ regiæ benignus amor memori reminiſcentiâ perſiſteret indiviſim. Niſi memineris antiquæ infœlicitatis, teipſum dediſces, ita ut quis fueris olim oblitus, audeas tibi mendacem ortum ſuadere.

Exo. 1. 8.

Ibi c. 2. 10.

Pererius, Abulenſ. à Lapide & Hugo Card. in Exod. 2.

Nec ſolum præteritum nobis tegit memoria fallax, ſed inſuper callido aſtu fugat è mente quid ſimus, repetitos hujus veritatis monitores oblita. Mirabile dictu quidem eſt quòd cùm nihil ſit nobis præſentius quàm nos ipſi, longè poſita dignoſcamus exactè; nos verò metipſos negligamus agnoſcere. Hoc ſcias quòd plus tibi proficeret noſſe teipſum; *laudabiliorque eſt animus*, inquit Auguſtinus, *cui nota eſt vel infirmitas ſua, quàm qui ea non reſpecta vias ſyderum ſcrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas teneat, ignorans ipſe qua via ingrediatur ad ſalutem ſuam.* Fateor tamen quòd ſicut corporalibus oculis non licet intueri ſeipſos, ſic intellectui noſmet probè cognoſcere, non quidem impoſſibile, ſed arduum. Imò labor antonomaſticè dici poteſt juſtorum hic, nempe cognoſcere ſe. *Iſte in hac vita juſtorum labor eſt, ut ſemetipſos inveniant :* inquit S. Gregorius M. Difficultas in eo eſt quòd centrum imaginationis in aëre poſitum ſit : proindeque phantaſia deſcendere ad limum ex quo traximus originem recuſat velut à centro ſuo divelli. Deſcenſum iſtum ſuadere videntur tot ruinæ, quot paſſim deploramus. Sed cùm aliud ſit ruere, aliud verò gradatim deſcendere, nequaquam ruinis edocemur deſcenſiones. Maneat itaque ſublimem nobis adeo eſſe noſtræ luteæ vilitatis agnitionem, ut hæc ſoli Deo reſervari videatur.

16. Cognitio ſui quam difficilis?

S. Aug. to. 5. l. 4 d. Trinit. in princ.

D. Greg. M. l. 11. moral. c. 10.

Miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Commentatur Hugo Cardin. *ideſt fragilitatem.* Et unde fragilitas dicitur, niſi ex eo quòd ſimus teſtea vaſa? *Figmentum vocatur opus figuli*, addit inibi Cardinalis idem. Et Janſenius eodem loco dixit : *ipſe enim novit conditionem plaſmationis noſtræ.* Igitur propheta rationem aſſignat cur Deus timentium ſe fuerit miſeratus, nempe quia noſcit hominem ex luto plaſmatum fuiſſe. Aliam poterat rationem hujus miſerationis afferre nobiliorem, ſcili. quia novit ſeipſum Dominus, & quam illum deceat pietas, miſericordem ſe timentibus eum exhibuiſſe : nam & Sapiens dixerat : *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:* ergo & miſericordia utitur propter ſe : dicere debuerat igitur David Deum ſe timentibus fuiſſe miſertum, eo quòd ſuam bonitatem agnoſcat, propter quam operatur omnia. Quid magnum eſt Conditori

Pſ. 102. 14. Hugo Card. in pſ. ibi.

Janſen. in pſ. ibi.

Prover. 16.

tori quod noſtræ naturæ ſciat imam originem ? Fateor Omniſcio non eſſe rem maximam : ſed non eſt ex minimis , quæ ſcientiæ Divinæ continentur ambitu. Illud fetè nullus hominum ſcire videtur : & quod vulgo apud mortales neſcitur Deum non latere , laus eſt ſcientiæ Divinæ. Hanc extollat Pſalmiſta dicens : *ipſe cognovit figmentum noſtrum.* S. Auguſtinus in hunc locum. *Quod figmentum ? Nos. Unde loqueris, quia cognovit ? Quia miſeratus eſt. Memento quia pulvis ſumus. Ad ipſum Deum converſus ait memento , quaſi obliviſcatur Deus : ſic cognoſcit , ſic cognovit ut non obliviſcatur.* Deo penè reſervatur hujuſmodi verum ſcire : non etenim fingimus ex alia materia creatos : nota eſt Domino fictio noſtra : *ipſe cognovit figmentum noſtrum.* Iterum Hugo Cardinal. ibidem : *poteſt dici figmentum noſtrum id quod nos fingimus.*

D. Aug. to. 8. in pſ. 102.

Hugo ſup.

17. *Conditionis oblivio noſtræ deſcribitur.* Pſ. 102. 14. 15.

Proſequamur Pſalmographi verba : quæ ſi premas fortè non inutilia meditaberis. *Recordatus eſt quoniam pulvis ſumus : homo, ſicut fœnum dies ejus , tanquam flos agri ſic efflorebit.* Tria ſunt expenſione digniſſima dubia in hoc regij pſaltis verſu. Primum : Deone competit recordari qui cùm omnia præſentia contueatur , nihil obliviſci poteſt? Secundum : quid pulveri cum flore ? Quâ ratione homo aſſimilatur utrique ? Tertium cur non arboris , ſed agri floſculo æquiparamur ? ſingulis adhibeam ſolutionem : utinam fructuosè. Ad primum. Deus equidem nullius rei patitur oblivionem; attamen ſic per Davidem loquitur , ut nos dum legimus Deum recordatum , conjiciamus illum veluti (more noſtro loquar) oblitum quod nos de nihilo ſuſcitaverit : generoſitas enim largitatis infinitæ poſtulat ut quaſi obliviſcentem ſe præbeat facti qui magna ſolus efficit. At cum videat homines hanc oblivionem ſibi propriam feciſſe , Deus noſtrum ſupplere dignatus defectum, recordationem, quæ nobis incumbebat , appropriare ſibi non recuſat : *recordatus eſt quoniam pulvis ſumus.* Ad ſecundum. Pulvis eſt homo , ſed florem imitatur , qui cùm terreæ naturæ ſit , folia explicat in aëra , ſeipſum augeſcere ambiens , quaſi diu duraturus ; cùm tamen ſub veſperum tendat flos ad occaſum, qui ſub auſpiciis roſeæ Pallantidis natus fuerat. Sic & nos lutum ſanè viliſſimum , ſtylo floſculi vivimus. Radices agimus , explicamus folia , quærimus incrementa cùm nihil horum pulveri congruat. Sed meditare quomodo floreat homo ! Defloreſcendo ſimul : non enim ait : ſicut flos agri floreſcet ; potius dicitur : *efflorebit , ideſt deflorebit , quia hoc totum tranſiet ſicut flos fœni.* Sic Hugo Cardin. ibi commentatur. Ad tertium. Non arboris , ſed agri comparantur flori mortales : quia flos agri fructifer non eſt , ab arbore vero producti fructus utplurimùm edunt. Non his componimur , ſed illis , ut humanæ pompæ ſterilem vanitatem rideamus, quæ , ſicut flos Natale ſolum deſpicere videtur , dum pulchritudinem extollit in altum , ita pulveris (ex quo ducimus originem) viliſſima contemnit incunabula : & licèt expoſita vento , brevi caſura , veluti dicit : dum floream , peream.

Hugo Card. ſupra.

O ſi foliorum inanem apparatum contraheremus , quid nobis vicinius occurreret quàm ſepulchri fœditas ! Hanc qui dedignaris intueri , fuge teipſum , ſi potes. Igitur ut cum Baſilio loquar , *dimitte in terram oculos , dein attende quod ex re quapiam iſti terræ congenere , & affini , nempe vili , ac rejectitia efformatus es. Quid aſpernabilius eſſe poteſt , quàm nos ipſi ?*

S. Baſil. hom. 11. in Hexam.

Hactenus vidiſti quàm ſit frequens pulveris ex quo progeniti ſumus , apud Adamides oblivio. Iſtam quantùm nociva ſit admirari liceat nunc breviter. Unum dicam. Niſi teipſum agnoveris , vix Deum noſces. Ut Altiſſimum non ignores oportet inſpicias temet : cùm enim Deus (non quò ad locùm) ſua perfectione diſtet à nobis infinitè; noſtra verò tenuitas nullâ diſtantiâ ſejungatur à mente , poſſumus arguere ſic : qui tibi tam intima neſcis , quomodo quæ te longiſſimè præcedunt proſpicies ? Congruit igitur agnitio ſui valdè pro notitia Dei comparanda.

18. *Ut agnoſcas Deum , noſce teipſum.*

Ad Corinthios Gentium Doctor , ut viatorum , & fruentium Deo ſatis diverſam conditionem aliquatenus exprimeret , air : *videmus nunc per ſpeculum in ænigmatè.* Speculum accipe creaturas : in illarum namque fragilitate relucet majeſtas Dei. Speculum commentatur Interlinearis : *imaginem obſcuram videmus enim creaturas.* Et Similiter Lira. *Tertio modo cognoſcitur à nobis quaſi in ſpeculo , inquantum per creaturas à nobis cognitas , ſicut per ſpeculum ducimur in Dei cognitionem.* Favet etiam D. Thomas. *In quantum ergo inviſibilia Dei per creaturas cognoſcimus , dicimur videre per ſpeculum.* Accommodatior primâ facie videbatur ad Pauli ſenſum ſimilitudo umbræ , quàm ſpeculi. Creaturarum, fateor, vitrea duratio eſt : ſed nemo quærit ſpeculum ut alium cernat in eo. Ad hoc ut perſpiciatur quàm nihilum ſit creatura quælibet Deo compoſita, dicat illas quaſdam eſſe umbras : quid enim eſt caligo niſi carentia ? In umbra metimur ut poſſumus Phæbi greſſus : in creatura conjicimus quiſnam ſit ille quem participant ſingula quin exhauriant cuncta. Speculi potius quàm umbræ elegit Apoſtolus emblema ? Nec fruſtra. In ſpeculo ſi videre volueris alium , applicas faciem , ideoque non illum aſpicies ibi , quin te cernas. In umbra verò ſi vel Solis curſum , vel corporis cujus opacitas tenebras expandit , magnitudinem dimetiri velis , non teipſum ideo vides. Ut ergo inſinuaret Paulus opportuniſſimum ad cognitionem Dei medium eſſe cognitionem ſui , Creatorem in creaturis velut ſpeculo videri docet. Si dum illis velut ſpeculis utimur , nos ipſos aſpicere curemus : quod niſi feceris ; Deum ignorabis. *Fruſtra cordis oculum erigit ad videndum Deum qui nondum idoneus eſt ad videndum ſeipſum . . . . præcipuum & principale ſpeculum ad videndum Deum , animus rationalis intuens ſe ipſum.* Vide quàm proficuum ſit cognoſcere ſeipſum , quamque nocua ignoratio ſui , ut phantaſiæ tuæ mendacia rideas : quæ non ſolummodo quid fueris olim dum non eras, ſed quid ſis modò cum terram cinis occupas , obliviſci malè ſuadet.

1. Cor. 13. 12.

Gloſſ. Interlin. & Liran. ibi.

D. Thom. in 1. ad Cor. 13. lect. 4.

Hugo d. S. Victor. l. 3. d. anima.

Ex

19. *Pulveris memoria velox evaneſcit.* D. Baſil. orat. de morte.

Ex incerto authore paulò prius tria memoriæ commendabam : quid fuiſti, quid es, quid eris. De prioribus dixi : nunc de poſtremo, quod penè facillimè omnibus excidit. *Neque mente agitamus*, ait S. Baſilius, *unquam id quod ſanè ſcitu eſt perdifficile, quantum temporis intervallum is nobis ad curſum concedere volet, qui nos ad hanc mundi peregrinationem ablegavit.... Sed quæ cogitare debemus, ea utplurimum relinquimus.* Alterius futuri mali non obliviſcimur tam citò ; nos autem in pulverem redigendos, ſi quando venit in mentem evolat citiſſimè.

Danielis tempore duplici viſu Deus per ſomnium commonefecit Nabuchodonoſoris vanitatem cæcam. Primùm vidit ſtatuam celebertimam, cui caput aurum, pectus argentum, venter cùm femoribus æs, tibiæ ferrum, pedes teſta ferro malè commixta : quæ omnia in favillam redigi pariter conſpexit, *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ.* Poſtea iidem regi apparuit in ſomnis arbor altitudine procera, ramis explicata, fructibus dives, quam vox de cælo ſuccidi jubebat, ſpe tamen regerminandi non præſciſa. Hoc ſecundum ſomnium Rex ipſe retulit Danieli : *ſomnium coram ipſo locutus ſum* ; primum verò minimè quia reminiſcentiâ non retinuit illud : *ſomnium ejus fugit ab eo.* Radices in mēte fixit arbor ſomniata ; ſtatua verò priùs ex memoriâ cecidit, quàm ad impletionem prophetiæ corrueret ! Si fortè viſionis hujus horror turbavit ſpecies, cur non ſimiliter contigit in alio viſo ? Nonne ſatis incutiebat pavoris etiam arboris prævisa ruina ? Quid ergo eſt quod prioris non meminit ſomnij ? poſterioris autem maximè ? Quia ſtatua (cujus caput erat Nabuchodonoſor : *tu es ergo caput*) in pulverem diſſolvenda erat : nec mente ſolet veritas adeò funebris retineri. Quod arbos exceptura fuerat ictus, minus horrendum fuit prænuntium, eo quòd radicibus intactis vita manebat. *Veruntamen germen radicum ejus in terra ſinite.* Oblivionis via odium eſt. Cumque mortalibus exoſum ſit quidquid funus & mortem redolet, pulveris memoria celer evaneſcit. Moraliter exponens hunc locum purpuratus Hugo, inquit. *Per Nabuchodonoſor potens aliquis & dives ſignificatur, qui videt ſomnium quando ſtatum vitæ præſentis, & fallacis contemplatur, qui ſignificatur per ſomnium.* Sic Hugo ad cap. 2. Danielis. Hoc ſomnium diſparet quamcitò, quia ut S. Hieronymus dixit, *quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos eſſe credimus.*

Daniel. 2. 35.

Ibi c. 4. 5.

Ibid. c. 2. 1.

Ibi n. 38.

Ibi c. 4. n. 12.

Hugo Card. in Daniel. 2.

S. Hieron. ad Heliod. to. 1. ep. 3. juxta fi.

20. *Alienum ſepulchrū ſat nobis non eſt ut lethi memoremur.*

Hoc quid aliud eſt niſi memoriæ mendacium ? Si recta ſaporemus, aliena ſepulchra docerent verum. Solent aſcetici magiſtri monere ut reſpiciamus aliorum tumulos, & cernamus ibi non diſcerni quinam ſit ſervus vel dominus : qui dives, aut pauper : nihilo diſtant qui jam nihil ſunt. Optimum ſanè conſilium. Sed vix eſt qui ab alieno monumento deſumat ſalutis monita : quaſi non foret in nos omnes communis mortis inevitabile jus. Etiam ſanctitate provecti non ſibi fidunt quod alieni ſepulchri meditatus pulvis ad propriæ mortis recordationem ſtabiliendam ſatis erit.

Emoritur Sara : pro cujus funere Abraham nulli diligentiæ parcens : imò quampluribus mediatoribus adhibitis emere curavit ſepulchrum, quod erat duplex. *Intercedite pro me apud Ephron filium Seor, ut det mihi ſpeluncam duplicem quam habet in extrema parte agri ſui : pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in poſſeſſionem ſepulchri.* Unâ mortuâ Sarâ duplicem ſpeluncam deſiderat ? Nonne ſupererant alia monumenta non duplicia ? Quid ſignificet ſpelunca duplex audi Cornelium à Lapid. referentem ex Procopio. *Erat duplex, vel quia duas habebat cryptas, unam pro ſepeliendis viris, alteram pro mulieribus, ut vult Procopius : vel* &c. Voluit Abrahamus unum conjugi demortuæ ſepulchrum præparare, aliud verò ſibi : noverat quippe quàm ſit propriæ mortis cogitatio ſalutaris : nec ſibi fidebat quod Saræ ſepultura, proprij finis imaginem ſervaret in mente. Proinde voluit de ſuo providere buſto ; quo ſalutifera meditatio funeris excitaretur, maneretque jugiter : nec enim ſolent aliena fata ſuſcitare mentem ut continuò contempletur interitum ad quem properamus. Ore tenus, dum amicus obit, vel frater, de ſuprema die, quæ nobis etiam adveniet, loquimur : ſed cordibus execrantes illam quæ nobis erit æternitatis janua. Sic mortis *abſcondunt odium labia mendacia.*

Gen. 23. 8. 9.

Cornel. à Lapid. ex Procop. ad hunc locū.

DELIBATIO III.

Altera pars tituli præcedentis.

21. *Auditus nos plus fallit quam mendaces.*

VErè quidem ſenſus externi dici poſſunt animæ noſtræ famuli. Ne quidquam ſimilitudini deeſſe videatur, etiam in domino ſuo decipiendo ſimilantur ſervis : quorum propriū eſt mille dolos nectere adverſus illum cui obediunt inviti. Auditus inprimis inauditus impoſtor eſt. Unde meritò dixit unus ex antiquis oraculis tantum diſtare veritatem à mendacio, quantum ab auribus oculi. Imò & poëta nihil finxit dicens.

Nec retinent patulæ cōmiſſa fideliter aures. Sciebam pervium eſſe mendaciis hoc oſtium, quibus undique parantur inſidiæ : nam, ut vulgò dicitur, duæ ſyllabæ ſonant cùm dicitur fides : prima derivatur à facto ; ſecunda verò à Deo. Ethymologia inſinuat fidem adhibendam eſſe Deo humaniſque factis ; verbis autem hominum neutiquam. Verum enimverò majus deceptionis periculum ab auditu proprio, quàm ab alienis vocibus imminet. Fraudem quam refugis, intus habes.

Horat. 1. ep. 18.

Poſtquam divinus Magiſter ſeminantis parabolam Apoſtolis ediſſeruit, dixit eis *videte ergo quomodo audiatis.* Illationem eam intulit ex hoc antecedente : *non eſt enim occultum quod non manifeſtetur : nec abſconditum quod non cognoſcatur, & in palam veniat.* Ex eo quod omnia ſint patefacienda, quantumlibet contegantur technis, & involucris

Luc. 8. 18.

lucris recondantur, videbatur potius inferri non esse cautionem nimis necessariam audienti: nam etsi fallatur ad horam, citò detegetur fraus. Quia sunt palam aperienda cuncta, ideo animi oculos oportet excitare dum audimus? *Videte ergo quomodo audiatis.* Ita quidem: ne nimium fidens in eo quod nihil occultum quod tandem non sciatur, teipsum decipias dicens in adhibenda fide auditis nihil esse periculi. Non tam ab externis vocibus, quàm ab ipsis auribus deceptionem cave. Verborum Christi Domini stylus hujuscemodi cogitatui patrocinatur: non enim ait apud Lucam juxta vulgatam correctam: videte quid, vel à quo; sed: *videte ergo quomodo audiatis.* De modo audiendi sollicitos nos esse monet, plusquàm de re, vel de authore dicti: nam audiendi modus (ut aiunt philosophi) tenet se ex parte potentiæ; loquens & res audita manent extrinsecùs. Interpretes ad hunc locum verba Domini sumunt prout videre est apud Dionysium Carthus. ibi sic exponentem: *diligenter hæc auscultate, atque cæteris éadem sicut vobis commisero prædicate.* Similiter Cardinalis Toletus ibidem: *attendite ergo ut diligenter, & obedienter audiatis ea quæ aliis debeatis manifestare.* Illud: *videte*, cautelam sonat. Quid cavendum in verbis Domini, qui falli nescit, vel fallere? Non in ejus verbis, sed in Apostolorum auribus cautionem suadet: est enim humanus auditus natura sua mendax. Callidior est astus, quo nobis imponimus ipsis, omni fraudulentorum versutiâ, verborumque arte.

Dyoni. Carth. & Tolet. in Luc. 8. 16.

22. *Aures claude ne pateant fraudibus.* Job 12. 11.

Perperam itaque fidis aurium judicio: nam licet verum sit illud: *nonne auris verba dijudicat, & fauces comedentis saporem?* Tamen cùm terrena bona velocissimè fugiant, eorum echo velut à longè sonans vix fideliter percipitur unquam. Nosti quàm verè dicatur à D. Bernardo: *auris prima mortis janua:* istam præ cæteris paradisiacus elegit serpens ut prima fictio descenderet ad Hevæ præcordia: *eritis sicut Dij*: judicavit hujusmodi portam præ aliis perviam fraudi. Quodnam isti malo remedium putas? Aures claude: nam aliud ignoro.

S. Bern. ser. 28. in Cant

Gen. 3. 5.

Eccli. 13. 17. *Audiens verò illa quasi in somnis vide.* Optimum Ecclesiastici consilium; sed impedita sententia: præsertim quia, ut monet à Lapide illud, *in somnis*, non refertur ad, *audiens*; sed ad, *vide.* Quomodo cum magnatibus gerere se conveniens inæquali sit, monet præfato loco textus. Et quid consulit? Eorum verba cùm audieris, vide quasi somnians. Nonne propriùs loqueretur dicens: quasi in somnis audi? Verba non cadunt sub oculorum sphæram: meliùs ergo moneret sic: ea velut in somnis audire memento. Nequaquam. Verum est, quod sub verbo, *vide*, quod omnium sensuum ministerio solet esse commune, subintelligitur: audi. Sed emphaticè dictum est vide: quasi moneat verba principum sic accipienda ut aures in hoc se habeant sicut oculi se gerunt quandiu sopore premuntur; non autem velut auriculæ dormientium. Ligat organa sensuum nocturna quies: hac tamen disparitate quod oculi clauduntur; aures minimè. Utque Siracides insinuet oportere, ne circumveniaris, aures obturare, monuit audiendum esse ita ut verbis adhibeas auditum habentem se more visûs, quem occludit requies: *audiens autem illa quasi in somnis vide*: scili. conclude verbi alieni fores, ut obseras lumina cùm somno te committis. *Vide, ideest cave tibi*, exponit Hugo Cardinal. Nisi cautione te præmunias hâc, auditum experiêris perfidum animæ tuæ famulum, qui fallacias tibi prætendat innumeras, ultra illas quas à mendacibus effictas patiêris.

Cornel. à Lapid. ibi.

Hugo Card. in Eccli. 13. 17.

Oculos nunc examinemus. O quàm subdoli cordis nuntij sunt! Testes oculares, & falsi! *Oculi est ut intuendi fungatur officio, tuum est cavere quod videris.* Majori fraudi patere judico malè videntem, quàm cæcum: ille namque vult, & nescit de rebus judicium ferre; iste verò procedit maturiùs.

23. *Majori fraudi patet malè videns, quàm cæcus.* S. Ambr. to. 2. Oct. on. 16. in Ps. 118.

Meministi cæcum Isaac, dum palparet Jacobi manus, qui personam primogeniti fratris agebat pro benedictione postulanda, dixisse: *vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esaü.* Caligabat: sed unum pro altero putavit filium: quod non tam crassus error est. Transi nunc ad cæcum juxta Bethsaidam sanatum à Domino. Educit eum apprehensa manu Servator extra vicum, & projecta saliva in oculos, manibusque salutaribus impositis, *interrogavit eum si quid videret. Et aspiciens ait: video homines velut arbores ambulantes.* Jam delibatione ultima floris 15. n. 24. semicæci hujus tenebras aliquali donavi luce; nunc ad præsens institutum compono illum Patriarchæ. Isaac minus aberravit à vero, fratrem pro germano commutans judicavit? Cæcus autem (jam utcumque videns) pro hominibus arbores existimat, vel homines arboribus similes? Ne dubites pejus errare visum quàm cæcitatem. *Imperfectis oculis* (ait S. Petrus Chrysol. ad illa verba: *video homines* &c.) *grandescunt formæ, turbantur species, res falluntur ipsæ:* &c. O quam frequenter nostra deluduntur lumina, dum res penitus evanidas reputant maximas! Pulchritudinem velut rem penè divinam stupent: quid est nisi sanguis ad cutis colorem aptè sparsus, & partium proportio non monstrosa? Gemmarum splendorem, aularum demiramur magnificentias: quid hoc præter magis vel minus densas terræ partes arte politas? Hortorum artificiosas, virentesque divitias, fontium structuram mirabilem avidis oculis perspicimus. Violentiam laudas, quâ torquentur à nativitate plantæ, necnon surgunt, & circumferuntur aquæ; nihil amplius ibi. Hæc sunt, ac similia, visus mendacia, quæ utinam ad cordium errores non transirent.

Marc. 8. 23. 24.

Chrysol. ser. 176.

Sed persæpe mendacibus nuntiis, oculis nempe, decepta corda cæcutiunt: &, ut Lusitana phrasi Latinè loquar, nodus est quem cæcum appellamus, is qui oculorum ministerio libertatem vinxit miseram: cùm potius deberemus nos cautam exercere potestatem super visum. *Item* (ait gloria Lysiadum) *super oculos qui sunt quasi quidam latruncu-li, qui furantur puellam de terra Israël, ut dicitur 4. Reg. 5. ideest pudicitiam de mente viri justi, debemus habere potestatem dicentes*

24. *Difficillima est medela, si deceptio veniat unde veritas expectabatur.* S. Antoni. Olyssipo. ser. Dom 21. post Trinit.

cùm Iob 31. *pepigi fœdus cùm oculis meis ut nec quidem cogitarem de virgine.* Difficulter ad veritatis viam reducitur qui ex palpebrarum impostura exerravit. Quare? Quia cùm acies ad fraudes aperiendas, veritatemque detegendam creata sit: dum ab ista fallimur à quâ sperabamus edoceri, quid est hoc nisi medicinâ damnum pati? Quando remedia nocent, ægri desperatur salus. Ita si decipit homines illud à quo veritatem expectare solebant, difficillimum quidem ab hoc morbo ad sanitatem venire.

Amos 2.4. Adversus Judam in hæc verba Deus per vatem supplicium comminatur: *non convertam eum eo quòd abjecerit legem Domini, & mandata ejus non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.* Et licet de pura pœna hoc soleat accipi, tamen planior mihi sensus, si de permissione impœnitentiæ, quæ delicti etiam pœna est, Liran. ad c. 1. Amos n. 13. interpretemur illud: *non convertam eum*, sicut similem comminationem adversus Ammonitas factam superiori capite apud eundem vatem explicuerat Lira dicens: *non convertam dando sibi pœnitentiam ut consequatur veniam.* O quam acerbus, & ferè immedicabilis est languor ille quem destituit meditus, quamvis ægroti culpâ motus eum deserat! Investigemus qua de causa populus Judæ in adeo gravem inciderit luem: *deceperunt*, inquit, *eos idola sua.* Minus foret malum, si ab hostibus deceptionem pateretur: ab istis enim quis aliud expectaret? At idolorum fraudibus circumveniri Judam, quæ ut oracula veritatis colebat, pernicioſa nimis fraus extitit ita ut ejus morbi sanitas haud facilè restauranda foret: *non convertam eum:* Oculis applica, & videbis, quod cùm sint veritatum exploratores, miserrimum est ab iisdem falli quos consulimus ne decipiamur. Aliorum sensuum omitto similia commenta: scis enim illos non minus fraudulentos: nam inter sensus principatum tenent S. Aug. l. 10. confess. c. 35. tom. 1. oculi S. Augustinus: *oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes:* ac proindè cùm regentium soleant mores esse norma, quam subditi sectentur, ex fraudibus nostrorum luminum colligi possunt reliquorum sensuum præstigia.

25. *Plus doli timendum à desiderio nostro, quàm à desiderato bono.* Desiderij nostri fabulas nunc rideamus; nisi deplorare malueris. Auri cupidum insano similem dixit S. Ambrosius in eo quod ei phantasia illudat. *Sicut*, ait, *enim ij qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper redditus computat.* Quod avaro contingit erga divitias, unicuique circa ea quæ deperit accidere solet. Hoc tantùm dixerim scili. hujusmodi fraudes nos ab ipso desiderio pati. Huic innumeræ sunt astutiæ S. Ambr. to. 5. ser. Domi. 8. post Pentecos. ludendis cupientibus: *radix malorum est cupiditas. . . . instat dolis, & imminet fraudibus, dissolvit pactum* &c. dixit Innocentius: Innocent. d. vilitate condit humanæ. non tantùm alienos fraudat: sed etiam domino suo parat insidias. Fateor & desiderata bona suos amatores frustrare: præcipuè tamen à voris nostris deludimur.

Eccli. 23. 5. Postulabat Siracides à Deo, dicens: *Omne desiderium averte à me.* Cur non averti rogat à se desiderabilia cuncta creata; sed potius universa desideria? si per desideria intelgas cùm à Lapide ipsum peccatum concupiscendi, nulla est difficultas: quia non res cupitæ, sed actus quibus eas exoptamus, mala nostra sunt. Sed Liranus ibi desiderium sumit pro eo quod non est peccatum, licèt consensus noxa sit: *averte à me, prohibens me tali desiderio consentire.* Et similiter Dionysius Carthusian. ibidem: *averte à me, ut nec diutius immorer, neque consentiam, nec actui mancipem illud.* Nunc urgeo sic. Illud quod actum peccaminosum cupidinis movet, non est ipse motus, seu ardor appetitus sensitivi, cui præbetur consensus; sed est res illa desiderabilis, in qua relucet bonitas jucunda, vel delectans, quæ trahit voluntatem. Cur ergo non petit Ecclesiasticus à Deo quod hujusmodi res à se dividat? sed inquit: omne desiderium averte à me? Quia frequentiùs ab ipsis cupiditatibus nostris, quàm à bonis quæsitis, circumventiones patimur: bona quippe suâmet nos fugacitate docent quàm sint inania: consequendi arduitate, servandi anxietudine, milleque modis aliis aperiunt dolosum esse pactum, quo venduntur carò: licet emptionis rescissionem nemo sit qui petat; quamvis plusquàm dimidio justi pretij se defraudatum experiatur. Atverò commutabilium sitis neque fugit (proh dolor: quàm tenax!) Nec est ardua, nam cuique prout libet permittit sors, quantumlibet avara, ut optet: neque tandem servatur anxietatis dispendio: quis enim tollet à te desiderium tuum si nolueris? Cùmque deficiant hæc tria fallacias aperiendi media, quæ pro bonorum temporalium agnoscendis astibus præstò sunt: faciliùs nos arte fraudulentâ capit velleitas nostra, quàm bona caduca.

Cornel. à Lap. in Eccli. 23. 5.

Lira & Dionys. Carth. ibid.

26. *Difficiliùs fides habenda cordi quàm oculis.* Defines tibimet confidere, si cor tuum ostendero mendax? Suspicor hoc insinuasse Davidem, cùm dixit: *labia dolosa in corde & corde locuti sunt.* Et cordi tuo, velut responsa danti, fidem audes præstare? Non ei plus, quàm somnianti, se credebat ille quicumque ait: *cor meum semper est in motu, & nunquam requiescit: sed sive dormiam, sive vigilem, somniat:* & infrà de corde iterum ex cordis abundantia loquens hæc addit: *Cúmque ad se revertitur, & discutit quod cogitavit, nihil reperit: quia non opus fuit, sed importuna cogitatio, qua componit multa de nihilo:* &c. Fateris oculos quamsæpe mentiri? Ægrius cordi fidem exhibebo quàm luminibus. Cùm falsa multoties effingat, assensum negabo, licet semel verum dicat: hæc enim est ordinaria mentientium pœna: quòd si quando veritatem proferat dissentiamur. Psal. 11. 3.

Incertus author sub nomine Bern. in medita. c. 9.

Devictâ morte Author vitæ discipulorum anxias mentes præsentiæ suæ solatio recreaturus obvium semetipsum præstitit duobus ad castellum Emaüs euntibus. Occasionem ab eorum tristi vultu prudenter arripiens, ad læta viam præparat: sed prius interpretabatur eis quæ de ipso erant Scripturas. Cùmque ad cor eorum, potius quàm ad aures loqueretur, *eo differente*, inquit

Theophyla. ad proximum infra Luc. locum.

quit Theophylactus, *scripturas, percellebatur intrinsecus cor eorum, quod ille qui differebat Dominus esset.* Hoc iidem postea confessi sunt dicentes: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Monebat cor eorum adesse Dominum; & intellectu non adhuc assensum præbent! Post non multum dierum decursum; cum aliquot Apostoli piscarentur in mari Tiberiadis, apparuit eis Magister in littore. *Dixit ergo discipulus, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est.* Hoc tribuit Chrysologus oculorum Joannis acumini. *Primus*, ait, *qui diligitur videt: quia semper amoris oculus acutius intuetur, & semper vivacius qui diligitur sentit.* Quæro nunc Ioannes nullo Domini verbo ductus adstare novit eundem! Bini discipuli verò in castellum pergentes doctrinâ tanti Præceptoris instructi fidem retardant! Excusatione digni sunt aliqualiter, qui cordi fidem exhibere distulerunt (nec enim eos reprehensos à Domino putes quòd suismet cordibus in viâ non crediderint; sed quòd in assentiendo prophetarum dictis morosi fuerint:) quia tam crebris deceptionibus adversus nos præstigiatorem agit cor nostrum, ut semel veritatem loquenti non audeat credere se, qui maturos judicij sui gressus dirigere curat. Ioannes autem non cordis proprij, sed luminum suorum dicto non levis annuit: quamvis enim solitet visus plura falsissima referre, tamen amore ductus veri tramitem facilius invenit corde.

Luc. 24. 32.

Ioan. 21. 7.

Chrysolo. ser. 78.

27. *Difficilè sanatur morbus animæ decepta per eum quem putabat veritatis oraculum.*

Et, quod pejus est, vulgo invaluit proverbium: nihil fidelius corde: cùm tot videamus à corde proprio circumventos, quot mundus variè flagellat, nec desinunt sequi persequentem. Vereor insanabilem, vel saltem propè sine medicamine morbum istum, quia pro radice vendicat fraudem ejus, de quo vulgò putatur comminisci non posse. *Facilior cautio est*, ait S. Cyprianus, *ubi manifestior formido est*; &c. Quis vitabit quem non veretur? tot excipit ab illo vulnera, quòd salus reddatur vix possibilis. Difficillimè sanatur qui dolum expertus est ab eo quem veritatis existimat præconem.

S. Cypria. l. de unitate Ecclesiæ. initio. seu de simplicitate prælatorum. tom. 2.

Lachrymarum vates morali sensu sic lamentabatur animæ casum: *magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* Ubi glossa ord. *contritio enim gentis illius, vel Ecclesiæ corruptæ, vel cadentis animæ, si semel hostibus subjecta fuerit quasi mare numquam quiescit .... quis medebitur tui? ac si dicat, nullus medebitur, nisi ad eum redeas à quo recesseras. Quis? aut nullus, scili. aut rarus.* Et quænam fuit origo desperati mali? *prophetæ tui viderunt tibi falsa*, prosequitur ibidem flebilis prænuntiator: ubi éadem glossa moraliter exponit sic: *habet etiam anima falsos prophetas, exterius sensus, scili. carnis, qui præsentia nuntiant, futura non curant; habet interius pravos cogitatus, quos prudentia carnis gignit, quæ falsa & stulta ostendunt nobis.* En quare sæpissimè casus animæ vix medelam recipit: quia scilicet ij, de quorum veracitate confidebat sic ut eos tanquam suos haberet prophetas, falsitatem ipsi persuaserunt, quæ fuit occasio ruinæ: arduum quippe valdè opus est spirituali morbo mederi, qui à fallaciis ortum habuit illius qui verax esse putabatur. Cogitationes illæ de quibus glossa, de corde manant: *de corde exeunt enim cogitationes malæ*, existimantur veracissimæ, cùm à prudentia dicantur genitæ; sed heu quàm perfidè! *Viderunt tibi falsa.* Miserum est quod animæ suamet sit insidiosa mens, quam velut speculatorem ad præcavendas insidias dedit natura. *Mens*, ait S. Macarius, *cùm sit perspicacior, prospicit adversariæ potestatis machinas & insidias; protegitque animam tanquam oculus illius.* Et hac ductrice ruisti præceps? *quis medebitur tui?* Vidimus cordis, oculorum, desiderij, memoriæ, cogitationisque figmenta: non ergo existimes quòd veritatis *abscondunt odium labia mendacia sola.*

Thom. 2. 13.

Gloss. ord. ibi.

Thren. 2. 14.

Gloss. eadem.

Matth. 15. 19.

D. Macar. hom. 7. fine.

DELIBATIO IV.

Ignorantiæ nonnullæ proponuntur quas patitur maledicus.

INsipientem Salomon vocat eum qui honoris vel famæ alienæ læsor injustus est: *qui profert contumeliam insipiens est.* Ac licet *insipiens* hîc ad litteram, ut in expositione monui, probabiliùs valeat idem atque improbus: tamen improbabile non est significare stultum: & saltem sic moraliter interpetrari possumus. Unde quosdam nunnc detractionis errores aperiam.

28. *Si nequam non fueris, dè alij male non loqueris.*

Prior est, quòd cum putat maledicus se notam inurere alteri, honorat eum; sibi verò detrahit. Non præteriit Origenem, dum expendit obmurmurantem Mariam sororem Moysis quod illa fuerit fœdata leprâ; frater verò tunc divina decoratus laude. *Ecce Maria facta est leprosa sicut nix. Videtis quid sibi pœnæ intulerint obtrectatores ...? sibi turpitudinem; illi splendorem; sibi lepram, illi gloriam*; &c. Itaque binâ stultitiâ notatur qui rodit alterius famam: nam & seipsum dehonestat, & alterum nolens honore afficit. De priori non dubitabam: *jus enim exigit* (ut aliorsum ait Cassiodorus) *sagittas fraudis redire in dolosum verticem sagittantis.* Detractio quidem sæpè fraudulenta sagitta dici potest: nam vestem induunt aliqui fraternæ charitatis ornatam colore, ut securiùs proximum feriant. Hos lepidè S. Bernardus ita depingit. *Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria: sicque quâdam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem*, &c. En sagitta fraudis: hæc revertitur in sagittarium: hi namque solent de aliis male loqui, perperam qui vivunt. Ab aliis morum rectitudine reprehendi non patiuntur: nec melioris nominis claritatem in eis prospicere sustinent lividis oculis: proindeque denigrare cupiunt crystallina specula, in quibus propriam coguntur videre turpitudi-

Origen. to. 1. hom. 7. in Numer.

Cassiod. l. 5. epist.

D. Bern. ser. 24. in Cant.

nem. Idcircò reprobè degentium eſt aliorum vitam linguâ cædere. Cupis à linguæ vitio cavere? Attende tibi: rectâ incede viâ, & labiis non delinques.

Pſ.38.1. Imitare Davidem. *Dixi: cuſtodiam vias meas*, inquit, *ut non delinquam in lingua mea.* Quamvis particula, *ut*, aliam recipiat expoſitionem, ita ut ſignificet idem atque: taliter quòd; nihil tamen prohibet illam ſic interpretari quòd jam habeat cauſalem: quaſi finis benè operandi, quem ſibi David præſcripſiſſe hîc aſſerit, fuerit ne murmuratione delinqueret. S. Ambroſius ibi: *Quomodo igitur propoſuerit ſanctus propheta David, aut propter quid cuſtodire vias ſuas, audiamus: ut non, inquit, delinquam in lingua mea.* Ex Hugone Card. adde quod viarum cuſtodia illa reſtringi poteſt ad opera. *Et in hoc verſu*, ait Purpuratus; *notantur tria: videlicet deliberatio cùm dicitur: Dixi. Cautela in operando, ibi: cuſtodiam. Cautela in loquendo, ibi: ut non delinquam* &c. Hæc in verbis cautio Davidica plura comprehendit, quæ numerat ipſe commentator: attamen priori loco ponit obtrectationem, ibi: *ut non delinquam in lingua mea: detrahendo* &c. ex quibus præcitata verba Davidis apto præfixo thomati. Vidit ex proprio ſcelere naſci ſolere detractionis virus, quod ideo detractor alteri vult injicere, quia prius peccando admiſit in ſe venenum. Cumque à murmuratione vellet abſtinere, judicavit huic fini medium aptiſſimum fore peccatorum fugam: quia ſicut ſceleſtus aliis impingit nequitias, quibus inficitur (quaſi levitet onus peccati ſociis adhibitis ore tenus, quos affirmat ſecum pergere;) ita perfectus vir econtrariò quia benè operatur; à maledicentiâ longiſſimè recedit. Quæ cùm ita ſint, is qui probris inceſſit alios, hæc ſibimet ineſſe, in quibus alteros damnat, apertiſſimo detegit indicio: ſtultus eſt qui ſic prodit ſeipſum.

S.Ambr.to. 2.in pſ. 38. n.1.

Hugo Card. in pſ.38.n.1.

29. *Laudas convitio quem deprimere putas.*

Secunda ſtultitia eſt quod ipsâ manu, quâ totus contendis proximum deprimere contumeliosè, potius offers & laudas tuo (prout exiſtimas) convitio. Hebetudinis notatur mens illius, qui cupito fini ſic inepta media ſelegit, ut oppoſitum pariant effectum. Sic tacitè coronatus vates adnotat in Adamo. *Et homo cum in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Sic loquitur quia Protoplaſtus fructum arboris vetitum comedit, ut ſciret ſicut Deus; exinde tamen illi contigit quod amiſsâ juſtitiâ originali ſcientiam illius fœliciſſimi ſtatus deperdidit. Similiter Saülem ſtultè dixit Samüel egiſſe: *ſtultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Nam holocauſto Deum læſit eodem, quo placare cupiit ipſum, dixit enim: *nunc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum.* Stultum ſemel & iterum appellavit Abigail virum ſuum Nabal: *quoniam ſecundùm nomen ſuum ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cùm eo:* volens enim bona ſua ſervare per avaritiam, quâ ſubſidium Davidi conferre noluit, ſic eádem direptionis periculo expoſuit: *completa eſt malitia adverſus virum tuum, & adverſum domum tuam.* Haud aliter qui alterum verbo lædit ſtultè agit: quia eundem verbis hujuſmodi laudet. *Deinde*, ait Anonimus, *ſi æquo animo penſamus, idipſum quo nobis detrahere videtur injuſtè, laudari nos potius quàm accuſari probamur.*

Pſ.48. 13.

1.Reg.13.13.

Ibi n. 12.

Ibi c.25.25.

Ibi n.17.

Incertus auctor ſub nomine D. Hiero. tom. 4.epiſt. ad Oceanum.de ferend. oppro. poſt med.

Recolamus quid acciderit cæco à nativitate: qui miſſus ad Siloë, aquarum ſilentium non addiſcens (de quibus dicitur apud Iſaïam: *abjecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cùm ſilentio*) miraculum prædicat & vicinis, & Phariſæis. Ab his rogatur quomodo aperti ſint ejus oculi: tunc ipſe vel malitiam præſentiens, vel moleſtiam non ferens, *reſpondit eis: dixi vobis jam .... Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: tu diſcipulus illius ſis:* &c. Vides contumeliam exiſtimatam quantum décoris habeat? Ut illum dedecorent dicunt quaſi maledicentes quòd diſcipulus Chriſti ſit, qui ſanè titulus honorificentiſſimus eſt. Scio Dominum Jeſum ad quoſdam, qui crediderunt ei, dixiſſe futuros ipſius verè diſcipulos, ſi manſiſſent in ejus ſermone, ideſt fide ac opere cuſtodiſſent: *ſi vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Hoc ipſum quod tanquam excellens præmium pollicitus eſt is cui dedit omnia Pater, Phariſæi tanquam non leve maledictum jaciunt in eum qui cæcus fuerat? Nolo debere Auguſtini verba ibi. *Tale maledictum ſuper nos & ſuper filios noſtros: maledictum enim eſt ſi cor diſcutias, non ſi verba perpendas.* Convitiatoris mens linguaque delirant, adeoque rationis inops eſt ut opprobrium putet quod honorat.

Iſa.8.6.

Ioan 9. n. 27.28.

Ibi c.8.21.

S.Aug.to.9. tract. 44. in Joann.

30. *Libenter audito convitio non caderis, ſed ventus.*

Tertius error eſt putare quòd verba contumelioſa, quibus impetitur innocens & libenter iſta patiens, eum tangunt. Falluntur maledici. Si linguæ jactus aperto ſinu excipis, lapides intactum te relinquunt, quod non accidet, ſi cupias ut jam calumniator ſileat.

Ad oneroſos illos conſolatores, qui venerabili ſub amicitiæ nomine calumniis cædebant innocuum, ſic loquebatur Iob. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis, cùm è vobis nullus ſit qui poſſit arguere me? Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.* Idem athleta patientiæ de amicis eiſdem conquerebatur infra. *Aperuerunt*, ait, *ſuper me ora ſua, & exprobantes percuſſerunt maxillam meam:* quæ verba ſic D.Thomas commentatur: *ſubdit: Aperuerunt ſuper me ora ſua, ſcili. amici mei ab hoſte meo inſtigati: & hoc exponit ſubdens, exprobrantes percuſſerunt maxillam meam. Ille enim dicitur in facie alicujus percutere, quando ei improperium in facie dicit: amici autem Iob plura contra eum dixerant peccata multa exprobrantes.* Nunc ſe ab amicis dolet percuſſum in maxilla qui verba eorum in ventum proferri dixerat alibi! Idem erat Jobus modò qui prius, éadem innocentia, convitiatores iidem: cur ergo diſpar ſtylus? Quia non æqualiter excepit utrobique injurias. Priori loco libentiſſimè ſe colligere illas, tanquam ſparſos flores, inſinuavit: nam ad eos dixit ut diſputationem

Iob.6.25. 26.

Ibi c.16.11.

D.Tho.com. in 16. Iob lect.1.

nem contra se inceptam prosequerentur. *Verumtamen quod cœpistis explete*, &c. Patientiæ tunc apicem conscendit : proindeque tela ridebat : nam in ipsum projecta ventum vulnerabant ; non eum qui tam sponte sufferebat maledicos : *in ventum verba profertis.* At verò posteriori loco, licet patienter se habuerit ; non tamen videtur amavisse tunc amicorum opprobria : quinimò concupivisse denotavit ut eis finem imponerent. *Nunquid habebunt finem verba ventosa ?* Hic ubi tolerantia se fatetur lassatam convitiis, ipsis affirmat Job se in faciem cæsum : *exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Vis ne linguâ furentis frustrare conatus ? Non tantùm cædenti cede ; sed libens audi : proferet in auras quod jacit in aures ; licet stultus ille putet gladio verbi te vulneratum lethaliter: *nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitiantis opprobrium.* Verba sunt Augustini.

Job 6. 28.

Ibi c. 16. 3.

S. Aug. to. 7. l. 3. cont. lit. te. Petili. c. 7.

Quarta desipientia oris venenosi reperitur in eis, qui cùm ab aliquo passi sunt contumeliam, se reputant illam propulsare, si malè de proditore famæ suæ loquantur : te non superavit is qui ferentem læsit ; sed potiùs triumphasti, qui sustinuisti constans. *Contumelia*, inquit Chrysostomus, *afficere non tam venerabiles facit, atque contumelias ferre. Ille enim est contumeliosus, hic verò philosophus, & ille quidem homine pejor, hic verò angelis par.* Bellè : sed ejusdem S. Doctoris excipe consilium prudentissima pietate plenum. *Jam quispiam tibi maledicit ? Dic tu : si omnia nosset, non hæc sola dixisset. Qui verberat, si quidem habuerit alterum patientem, magis destruitur, & in ipsum plaga convertitur.* Generosa pariter & pia vindicta hæc est de maleloquo : scili. eum audire.

31. *Malè de te loquentem cadis audiëdo toleràter.*

Chrysost. to. 3. hom. 14. in Act.

Psal. 91. 12. *Et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea*, inquit Psalmista. Dum psalmum eundem oculis percurro, non possum non mirari quod exaltationem sibi paratam affirmans paulò antea : *exaltabitur sicut unicornis cornu meum :* & inimicos à se despici asseverans : *despexit oculus meus inimicos meos :* non adversus malignos aliud se testetur exequuturum, nisi quod audiet illos : *in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* Aliorum lectio apud Lorinum habet sic : *& in insurgentes adversus me malignantes :* quasi dicat : en paro telum, quo mihi maledicentes configam : eos surdâ (ut aiunt) aure audiam. En illustris de loquace tibi præstò est ultio ; non autem aliam quæras insipientium qui maledictum reddunt pro maledicto : quasi lapide projecto mederentur proprio vulneri.

Ibi n. 11.

Ibid. n. 12.

Lorin. ibi n. 12.

32. *Semel quod audierit homo, loquetur.*

Quinta linguæ nequam ignorantia numerari potest illa quâ labuntur duplices animo, sibique dissimiles : dum absentes rodunt quos venerantur coram. Genus hominum execrabile. Ardore dicendi permoti facilè sibi suadent audientes celaturos quod ab ipsis in aliorum famam conjicitur : Falluntur egregiè : *res omnium difficillima tacere & audire*, dixit Gellius : & mirum est quòd silentium cùm sit merum nihil (quid enim est præter omissionem ?) inter ardua numeretur. *Silentium nihil est, sed ubi vox non est, ibi silentium dicitur*, ait Eucherius. Attamen istud nihil est à quo (bona pace philosophiæ) multa pendent. Audi Climacum. *Taciturnitas in cogitatione mater est orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris observatio, cogitationum diligens inspectio, specula hostium, carcer luctus, lachrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, suppliciorum pictor, judicij indagatrix, sagax mœroris subministratrix, immica fiduciæ, quietis conjux, ambitiosæ doctrinæ adversatrix, scientiæ adjectio, speculationis opifex, secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* Jam non miror quod inveniatur difficile tot utilitatum promptuarium. Imprudenter expectatur passim ab hominibus taciturnitas, vix unus è millibus labia cohibere novit. Redi ad Climacum. *Paucorum*, inquit, *revera est aquam nullis aggerum molibus septam suis meatibus arcere, sed multò pauciorum est incontinens edomare os.* Loquendi facultas ab auditu pendet : semel quod audierit homo, loquetur.

Eucher. apud Aul. Gell. l. 1.

Cate. Lipom. in Gen. 1. n. 1.

S. Joan. Clim. in scal. grad. 11.

Idem ibi.

Adducitur ad malorum omnium Protomedicum sanandus miser, qui aurium & oris officio compeditus erat. Tunc Dominus digitis aures, & salivâ tangens linguam, vitium organi correxit utriusque. *Ait illi Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* Duo hîc mirabilia lego, ex quibus unicum tantummodo à Christo Domino verbis expressum fuisse scribitur : auditui namque soli dixit : *adaperire*, quod verbum ne ad os extendas: Beda ibi : *quod autem ait Ephphetha, ideſt, adaperire, ad aures propriè pertinet.* Qui auribus jussit referari ; linguæ non præcepit expediri ? Supervacuum foret hoc. Audiat homo : loquetur. Is ad loquelam pelliciens pruritus, ut videatur loquendi facultatem penitus ex auditu dependere, sic, ut ab auditione ad linguæ usum prona sit consequentia. Vix arcanum servat lingua quod retinet memoria. Apud Cassiodorum Theodoricus administrum suum ita laudabat : *secreta nostra quasi obliviscerentur occultavit.* Non alia phrasi melius exprimeret secreti fidem servatam, quàm oblivionis auxilio : si meministi auditum, non credam quod tacebis.

Marc. 7. 34. 35.

Beda in Marc. 7. ibi. l. 2. c. 31.

Cassiod. l. 5. epist. 3.

Ignoranter judicat is, qui linguâ peccat, non evulgandum quod ab ipso alij acceperunt. Pauci, fateor, sunt qui benè de proximo loquantur absenti : sed pauciores numerantur qui detractionem auditam fileant : *rarior enim tacendi virtus est quàm loquendi :* & putas aliam requiri causam præterquam audivisse, ut secretum commissum evomi faciat ? Ne tu aliud causæ quæras cur palam detractio facta est, nisi quod sciatur : hoc satis erit ne lateat.

33. *Quod audierit homo iniquè dictum non latebit.*

S. Ambr. l. 9. in Luc. c. 19. tom. 3.

Hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, ait Sapiens. Et quid est id quod omnia continet ? Respondet Carthusianus ibi : *vel hoc quod continet omnia ideſt homo habens aliquid commune cùm aliqua creatura.* Et quid per vocem intelligemus ? *Melius*, ait Lorinus ibi, *per vocem accipit Cantacuzenus, cæterique, illam quæ contra Deum effunditur,*

Sapi. 1. 7. 8.

Dionys. Carth. in Sap. 1.

Lorin. ibid.

ditur, cui adjici poteſt ea qua proximus laditur. His expoſitionibus præmiſſis nihil dubites quod ſi homo habeat ſcientiam vocis, non poterit abſcondi qui verba nequam dixit : non eſt cur alia revelationis origo diſquiratur, præter notitiam homini datam de verbis alienis malignis : *ſcientiam habet vocis. Propter hoc* &c. Igitur ſtultum erit abſenti detrahere coram iis quibus committis ut ſileant : *quod tacitum velis nemini dixeris*, inquit Philoſophus moralis. Sed jam de inſipientiis eſto ſatis : nam ſi ſtultorum infinitus eſt numerus, errores quis enumerabit ?

Sene. de mor.

DELIBATIO V.

Simulatio, linguæ doli, detractioniſque vitium frequens, necnon ejus auditores increpantur.

34. *Mundi technas tandiù timebis, quandiù non agnoveris,*

ADverſus captioſæ ſimulationis laqueos per Salomonis os curat Spiritus ſanctus nos præmunire, quin remedia conſulat ibidem adverſus odium quod aſtutia tegit. Nam tantùm lego hîc, quod apud homines abſconditur odium labiis fallacibus : *abſcondunt odium labia mendacia.* Vellem ut Sapiens offerret ſimul vias evadendi reconditum iſtud malum. Sed credo Paræmiaſten ſatis cavere ſtudioſè legenti, dum ait inimicitias apud mendaces latere. Parum non eſt ſcire quid veneni deliteſcat pulchra mundi facie : nam tandiù valet eſſe formidini ſæcularis aſtus, quandiù neſcitur. Nauclerus dum ſecat ignota ſibi maria, metuit jugiter ; ſemel quod novit quà vitandæ ſint Charybdes, ac declinandæ voragines, quieſcit animo. *Mare erat mundus amarus ſalſitate, turbulentus tempeſtate, ſæviens fluctibus*, &c. ſic Auguſtinus : & quamvis S. Doctor dicat converſum in aridam, per Chriſti Domini potentiam : tamen poſſumus meditari quod jampridem per malitiæ ſalſuginem verſum eſt in mare. Hoc formidabile quidem ſi ſcopulos cryſtallinis undis contectos neſcias. Mox atque noviſti ſilices doloſos ibi latitare, parvipendere vales ejus hoſtiles, & implexas inſidias.

S. Aug. to. 8. in pſ. 65.

Evangelicæ meſſi deſtinabat operarios Chriſtus Dominus : & quos mittebat ſine ſaculo, doctrinæ ſuæ theſauro replebat pro minuendis incommodis viæ. Poſt alia docuit ut ſibi caverent ab hominibus. *Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos* &c. Non hîc hærerem niſi poſt pauca legeretur eodem ſermone dixiſſe : *ne ergo timueritis eos.* Hîc timorem diſſuadet ; illic monet ut caveant ! Proceſt quod in Angelici catena legis : *Cùm enim in medio amicorum certamen erit, jubemur eſſe ſolliciti.* Prioribus verbis agebat Redemptor de Apoſtolis, dum inter homines converſarentur antequam malevola corda noſſent amicitiæ pallio tecta. Poſtquam autem traditi fuiſſent, & ante magiſtratus ducti, jam manifeſtos videbant hoſtes. De his pro tunc ait : *ne ergo timueritis eos.* Sed

Matth. 10. 17.

Ibi n. 26.

Cate. aurea D. Thomæ in 10. Math.

quandiù velo tectum contuebantur mundum, cautelæ præſidium docebat metus prodens : *cavete autem ab hominibus.* Mundi technas tandiù timebis, quandiù non agnoveris ſi tuus ratione ducitur metus. Minimè tibi veniat in mentem divini Spiritus calamum textu noſtro reliquiſſe quidquam cujus neceſſaria foret notitia pro vitandis vulneribus inimicitiæ mundialis. Media quibus mundum vincas hic non addidit : ridicula quippe ſunt ejus arma noſcenti fraudes quibus utitur ſæcularis calliditas : dixiſſe fuit ſatis quod ſub floribus venenum ſerpentes *abſcondunt.*

35. *Unica lingua nequam pluribus odiis formidabilior.*

Odium. Lingua nequam condere valet ſimultatem ? Crudelitas illius talis eſt, ut ignorem quomodo ipsâ tegatur odium. *Crudelis pes, crudelis manus, crudeliſſima lingua eſt. Sæpe enim ſævitiam quam manus non æquaverat, lingua tranſcendit*, &c. Hæc Petrarcha. Inſtrumento adeo ſævo quâ ratione poterit diſſimulari voluntas exardeſcens odio ? Iſtud flammæ ſimillimum non negabis ? *lingua ignis eſt.* Contegit ergo lingua malevolentiam : nam illa præ hâc majori fervet incendio : & facilè fit quòd abſcondatur minor ignis à maximo. Unica lingua nequam pluribus odiis formidabilior eſt.

Petrarch. de remed. proſp. fortu. dial. 101.

Jacobi 3. 6.

Tribulatus Jeſſæus Heros ita Deum precabatur : *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.* Eodem pſalmo David apponit poſt pauca : *cùm his qui oderunt pacem eram pacificus :* ex Hebræo ſic legitur apud Bellarminum : *multum incola fuit anima mea cum his qui oderunt pacem, ego pacem loquebar, & illi ad bellum.* A lingua doloſa liberari flagitat ! ab iis qui oderunt pacem non ita ! Etiam ipſum Davidem odio habebant iſti : nam ibidem ex Hebræo legi poteſt : *ego pax :* ac proinde ſatis indicatur exoſum fuiſſe illum iis qui paci contrariabantur. Adverſus odia non poſtulavit auxilium ? imò prolongat incolatum apud hoſtes ? contra labiorum nequitiam Dei potentiam implorat, ab illâ ſupplex eripi rogans ? Prudentiſſimè certè : nam odiis plurium ſævior eſt unica linguâ : *quid apponatur tibi ad linguam doloſam* ? iſtius flammæ rogus talis eſt ut corâ eo ſimultas vix facula ſit. Ignis magnus videri non ſinit minimum. Hinc naſcitur quòd tam facilè labia mendacis *abſcondunt odium : quorum iniqua labia difficillimum eſt evadere, dum per quendam affectum videntur conſulere* &c. inquit S. Proſper ad proximè citatum pſalmum.

Pſ. 119. 2.

Bellarm. in pſ. ibi.

Pſ. 119. 3.

S. Proſp. in pſ. 119. n. 2.

36. *Lingua majori dexteritate pollet ut fallat, quàm cor.*

Labia. Odium reſidat corde, quod inſcrutabile docet Scriptura, teſtatur experientia. Ergo corde recondi pronunciet odium ; non verò labiis : utrobique latibula quærit odium, corde ſcili. ac labiis : tamen iſtorum potius hîc ideo fit mentio, quia lingua cordi præcellit odio in celandis fraudibus aſtutè. Fateor illam ſolitam eſſe vacuare præcordia, juxta illud S. Bernardi de hac dicentis : *tenuis eſt & lata aptiſſimum vacuandis cordibus inſtrumentum :* Nihilominus aliqui ſunt quorum lingua non evacuando ; ſed claudendo pectori ſervit fictione plurimâ. In machinando mendacio præfertur horum lingua cordi : nam in iſto, velint, nolint, ſita veritas eſt, ibique reſiſtit fraudi ; ſed ab hu-

S. Bern. ſer. d. triplici cuſtodia.

juſmodi

jusmodi linguis abest longè verum : ac proinde cùm prope non sit quod machinationibus earum obsistat, fallacias mirâ dexteritate perficiunt. Aliquando immanis adeo dolus est ut illum cor veluti renuat moliri : committit hoc labiis ; nec illa recusant.

Psal.49.19. David in persona Dei, peccatum oris describens quo dolosè agentes iniqui se pollunt, aiebat : *lingua tua concinnabat dolos.* An non malitia hæc ex corde manat ? Non Hugo Card. in ps.ibi. id oblitus est Hugo Cardi. ibi : *malitia id-est maledictione, scili. detractione. Prover.15. A. os fatuorum ebullit stultitiam. Matth.12. C.ex abundantia cordis os loquitur.* Videbatur dicendum potius dolos à corde concinnari : cùm ex doctrina Servatoris nostri, mendacia prodeant ex corde. Sed melius calamus David concinnationem fraudis illius, de qua nunc sermo incidit appropriavit cordi. De astutia contra fratrem agebatur ibi, quam sanè cor ipsum refugit, utpotè societatis amicum (est enim homo animal sociabile) proindeque nolens cor id exequi, mandat hoc linguæ, tanquam ad fallendum Ps.49.19.20. aptiori : *lingua tua concinnabat dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum :* &c. Quæ cùm ita sint, abscondi odium dixit Salomon à labiis mendacibus, licet corde resideat : quia linguæ mendacij sunt insignes fabri.

37. *Quandoque tacendo mentimur.* *Mendacia* vocavit labia, cùm non solum efformandis verbis fictricibus inserviant ; sed etiam ferè munus exhibeant, quâ lingua clauditur. Mendacia, inquam, illa dixit Ecclesiastes absque ulteriori explicatione : quia nec non clausa quandoque labia mentiuntur. S.Ambr.to. 3.ser. Dom. in pass. *Omnis simulatio, & omnis duplicitas mendacium est. Ergo non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium comprobatur.* O lubrica nimis ad fraudes humana conditio ! Et silendo mentitur homo !

Post multos dierum septem circuitus, ad arca Domini præsentiam corruêre muri civitatis Jericho, depopulavitque gens Hebræa fœliciſſimè victrix urbem infœlicem. Admonuerat populum Iosuë ne de spoliis quis aliquid sumeret. Achan victus cupiditate, certa quædam furatus est, propterea que Deus punivit Israëlitas : fugerunt cæsi à viris urbis Hai, quam expugnare conati sunt. Dolens Josuë hujuscemodi cladem Dominum alloquitur dolorem piissimis verbis egerere cupiens. Cui Deus inflicti supplicij causam aperuit fuisse furtum illud, quod usque tunc Dux vigilantissimus ignorabat. Iosuë 7.11. Attende verba Domini. *Peccavit Israël, & prævaricatus est pactum meum : tulerunt que de anathemate, & furati sunt atque mentiti.* Preme verbum postremum : *atque mentiti.* Liran. in Iosuë ibi. Quisnam, quæso, mentitus fuerat ? Is qui furripuit Achan. Liranus ibi : *atque mentiti sunt quia promiserant Deo obedire, & sic mentiti sunt, quia non servaverunt promissum. Sciendum tamen quòd scriptura hîc loquitur in plurali, licet unus tantum peccaverit.* Benè : sed usque ibi nec verbum dixerat Achan hac de re : quâ ratione mentitus est ? Silentio. Quâ igitur arte veritas erit à filiis hominum tuta ? Dum loquuntur, eam dilacerant : dum tacent, eandem sepeliunt.

Exponens litteram dixi reprehendi adulatores hac sententiâ. Pessimi homines isti mille digni sunt opprobriis : & nullo feriuntur alio nisi mendacis titulo ? Et putas hoc parum ? *Opprobrium æquam in homine mendacium*, ait Ecclesiasticus. Græcè habetur : *macula pessima est in homine mendacium.* Imo inter omnes contumelias, quas adversus nobilem virum furor velut arma ministrat, turpissima hæc est, fallacem vocari.

38. *Turpissimum est aliquem appellari mendacem.* Eccli.20.25. Lect. Græc.

Proceribus exercitus Holofernes jubet ut quisnam sit Bethulienſis populus, & quænam vires ejus faciant illum certiorem. Achior dux Ammonitarum veritatem aperuit, & nequaquam magnatum, qui aderant, auribus responsum arrisit. Indignatione pleni cogitabant de illius nece : dixeruntque suadente ira : *ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana .... cùm eisdem gladio transverberabitur* &c. Iudith. 5. 28. Eruditissimus pacensis Antistes commentatur sic : *quoniam falsum est quod ipse deceptus profert.* Sed illius disertissimi scriptoris cùm bona pace non dicitur propriè fallere qui deceptus falsum pronuntiat. Undè germanior videtur expositio Liræ, qui sic habet : *fallit nos, ideſt falsis verbis decipere nos intendit.* Ecce vocant Achior falsidicum. Putabam dictiros : ut cognoscat Achior quoniam imbellis est animi, perfidiæque reus adversus Nabuchodonosorem : utpotè qui putans Bethulienses illius potentiæ resistere valere, videtur hoc ipsum regis nostri dedecus ille desiderare. Nec ista, nec similia contra veridicum Achior convitia jecerunt. Quid ergo ? Vocavere mendacem : *fallit nos :* quasi nullo possent fœdiori probro lacessere, nisi simulantis notâ. Pluribus notatur adulator. Sed inter cætera hoc execrabilius est, quòd scilicet sint ejus *labia mendacia.* Lazerd. in Iudith. ibi in lit. comm. Lirand. ibid.

39. *Si benè loquendum loquitur unus ; si malè, plures ore uno.* Lect. Sept. Prov.10.18.

Qui autem profert. Singulari numero transtulit istam secundam paræmiæ partem noster vulgatus. Legunt Septuaginta : *qui autem proferunt.* Non diminutè doctrinam Salomonis proposuit latina lectio : nam ex singularis hominis dicto pullulant citò perplura simillima. Sat est quod unicus perperam loquatur (*qui autem profert*) ut mille socios inveniat uno prorsus ore loquentes. *Veluti enim*, ait S. Basilius, *canis latratus, alterius canis tumultum provocat, sic & animum tuum quiescentem ac dormientem vox illius excitavit, & facti estis inter vos latrantes. Dixit ille aliquid contumeliosum ; tu verò insipientis imitatus stultitiam, majorem fœnore reddis.* Si benè loquendum est, unius os aperitur, & non amplius ; si verò male, statim ac fatur unus, alij sequuntur velut eodem loquentes ore. D.Basil.to. 1.hom.12.ex variis.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas labia mea laudabunt te. Divinæ pietatis opus de quo Psaltes agit ibi ; non illum solummodo tangebat, sed omnes Adæ filios : nam sermonem facit hîc de spiritualibus donis per Messiam dispertiendis misericordi largitate : *quasi dicat* (exponit Chrystopol. Præsul) *ego novi in spiritu quod meliores* Ps. 62.4. Valent. in ps. ibi.

sunt

ſunt cibi & potus ſpirituales, quos nobis debes dare per miſericordiam, & paſſionem, & reſurrectionem tuam, quam &c. & infrà: *quia tu dabis mihi iſtos cibos.... ideo labia mea laudabunt te.* Quod autem ſolitarium ſe David computet in laudando, colligo ex eo quod ille malos tanquam emortuos videatur excludere à Dei laude. S. Hieronymus expendens hunc locum: *poſt miſericordiam namque laus ſequitur hic orando, illic laudando. Qui autem in Deo vivit, Deum laudat: quia ſcit alibi dictum, non mortui laudabunt te.* His præmiſſis legamus in eodem pſalmo quid non poſt multa ſequatur: *obſtructum eſt os loquentium iniqua.* Loquentes dicuntur multi; & os unicum! Conjunge utrumque verſiculum, & agnoſces quæ ſit diſparitas inter ſanctam & impiam loquelam. Cùm acturum ſe gratias dicebat David, non ſibi promiſit in benè loquendo ſocios: ejus labia ſola Deum erant laudatura: *labia mea laudabunt te.* Dum verò de linguis agit iniquis, quamvis incidat ſermo de multitudine *loquentium iniqua*, unicum dixit *os*: ſufficit enim quod unus nequam os aperiat, ut imitentur cæteri eodem velut ore loquentes. Heu quam verum eſt illud ſi Auguſtini: *ſi ſanctus tetigerit immundum non ſanctificabitur. Si immundus tetigerit ſanctum inquinabitur.* Sic Incertus.

S. Hieron. apud cate. Putei in pſ. ibi.

Pſ. 62. 12.

Incertus D. Aug. to. 7. l. cont. Fulg.

40. *Detractorem audiens loquitur malè.*

Contumeliam. Alia verſio legit contumelias: & vix eſt una detractio quæ non ſcindatur in contumeliam duplicem: non enim ſolus honorem alterius vulnerat qui profert verba noxia, ſed qui libenter audit ſilens. *Non ſolum ille reus eſt, qui falſum de alio profert: ſed & is qui citò aurem criminibus præbet.* Ita S. Iſidorus Hiſpal. Non malè tantùm loquitur qui fatur quod tacere debuerat; ſed etiam is qui cum mala loquentibus verſatus obmuteſcit.

S. Iſidor. Hiſpal. l. 3. d. ſum. bo. c. 59.

Superemminenti ſolio ſublimis, fido Seraphinorum ſatellitio comitatus apparuit Altiſſimus Iſaiæ: qui viſionis gloriâ perculſus in hæc verba proſiliit: *væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego ſum.* Lis eſt inter expoſitores quodnam fuerit peccatum de quo vates ingemiſcit evangelicus: an taciturnitatis inopportunæ; imprudentis-ne loquelæ? Primum aſſeruit ex Hieronymo & aliis Cornelius à Lapid. Pro ſecundo ſtat Origenes dicens: *apparet verbo tenus peccaſſe propheram*, &c. Vide an poſſint hæ ſententiæ in concordiam ſic reduci. Peccaverat Iſaias omittendo reprehendere linguas nequiſſimas, inter quas morabatur: *& in medio populi polluta labia habentis ego habito*, dixit ille. Unde licet conticuerit audiens iniqua verba: ſic ſe habuit atque ſi loquens improbè labia pollueret: *væ mihi quia tacui: quia vir pollutus labiis ego ſum.* Ita contingit in obtrectatione. Obmurmurantem ſilens audis? Detraxiſti.

Iſai. 6. 5.

Origen. ho. 10. in Levit. apud Gloſſ. ord. ad 6. Iſai.

41. *Amarius ledis audiendo detractionē, quàm ipſe detractor.*

Addam crudeliùs innocentem à te feriri, qui murmurationi mutus miniſtras, quàm ab illo qui virus ore vomit: hic enim fortè vel furore vel invidiâ ſuperatus prorupit in eum verborum vomitum, quo morbum levaret ſuum; tu verò qui ſola nocendi voluptate illectus adjutorem te præbes maledico, vel ſimili motivo ductus, diriùs proximum læſiſti, quàm ille vulneraverit.

Quia exacuerunt ut gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram, ut ſagittent in occultis immaculatum, ait Pſalmographus: quam ſagittationem detrahentibus accommodat Card. Hugo ibidem: *abſentes & remotos ſagittant & vulnerant.* Non gladio, non ſagittæ, amaritudinem ineſſe pronuntiat, ſed arcui. Et pro vulnere quid præſtat arcus? qui nec è manu ſagittantis dimittitur ut percutiat, neque armatur cuſpide. Amaram appellet ſagittam: quid fellis in arcu non feriente? Nihil agere videtur; & vulneris eſt cauſa pejor quàm ſagitta: nam quaſi nolens (nervo trahente) adjuvat eam, quæ arcu deſtituta icere non valuiſſet: poſt illam tamen vadit, quin locus detur vulnerato ut de ſagittifero cornu quæratur, eo quod is per vim adjungitur ſpiculo, proindeque tollit vulgare dolentium levamen. Cùm ſævitiæ verti poſſit à miſeris auferre triſtiſſimum quærimoniæ ſolatium, ideo non ſagittam, ſed arcum vocavit felleum, de quo non ſolent effigiari querelæ. Detrahit proximi famæ loquax te audiente: *dices*, ait Hieronymus: *ipſe non detraho, aliis loquentibus quid facere poſſum? Ad excuſandas excuſationes in peccatis iſta prætendimus. Chriſtus arte non illuditur.* Detractoris lingua ſagitta eſt: auditor exhibet officium arcus: nam illi per vim jungi videtur, dum totus contorquet caput. O arcum doloſum. Niſi ſagittæ admoveréris, & poſt eam vaderes quaſi nihil agendo: miſer abſens honoris vulnus minimè pateretur. Una eſt contumelia, ſed ferè ſingulæ ſunt duplices, nam alia irrogatur ab audiente. Ideo licet hic vulgata legat *contumeliam*; alia verò lectio transferat, *contumelias*, ne multum iſta diverſitate movearis.

Pſal. 63. 4.

Hugo Card. in pſ. ibi.

S. Hiero. to. 1. epiſt. ad Ruſtic. 4. ante fin.

Inſipiens eſt. Alia lectio habet *inſipientiſſimi.* Quid? Ingenioſiſſimos audio (proh dolor) detractores. Acutiſſimi ſunt ut feriant; ſed ad benè operandum ſtupidi. Fateor quod abuſivè dicitur ſapiens qui ſolum ad mala perpetranda ſapit, juxta doctrinam Auguſtini dicentis: *abuſione quippe nominis ita ſapientia dicitur in malo, quemadmodum in bono aſtutia: cùm propriè magiſque uſitatè in latina duntaxat lingua ſapientes laudabiliter appellentur: aſtuti autem malè cordati intelligantur.* Nihilominus acuitur voluptate mentis acies. Unde fit quod adverſus alterum eloquia concinnent: quaſi habeant in lingua intellectum. De Doeg Idumæo queritur David, cujus lingua fuit adverſus eum injuſta: *tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua: ſicut novacula acuta feciſti dolum.* Bellarminus in eum pſalmum ait: *argumentum autem eſt reprehenſio Doeg Idumæi, qui calumniatus eſt Davidem.* Quæro: lingua ne cogitat, an intellectus? Quæ philoſophia peculiarem ſedem facultatis intellectivæ ponit in ore? Docet experientia pro maleloquis. Videtur ingenium in illa ſola poſuiſſe loquentes perperam: *quamvis enim cogitatio ad mentem pertineat, tamen David poëticè tribuit hoc linguæ, quaſi ipſa lingua tam mala fuerit, ut etiam ſilens apud aures hominum,*

42. *Ingenium in lingua poſitū videntur habere quidam.*

S. Aug. l. 11. de Gen. ad litt. paulò poſt initiū.

Pſ. 51. 4.

Bellarm. in eum pſal.

Idem ibi n. 4.

hominum, tamen apud se ipsa cogitando loqueretur. Hæc Bellarminus. Ex quibus acumen linguæ noxiæ conjice. Ad alia fortè maledicus *insipiens est.*

FLOS XX.

In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.

APERITUR.

1. MUltus, non tamen nimius est Paræmiastes in objurgando peccata linguæ. Terret ecce denuo, denuntians periculum peccandi plura loquentibus quàm par est. Plurimùm ab aliis artibus distat salutaris inculpatè loquendi scientia. Opifices reliqui jugiter operando redduntur egregij: & assuetudine frequentissimâ fit ut priorum operum vitia corrigant: atque in hoc etiam naturæ imitatores ab imperfectis ad perfecta, à perfectis ad perfectissima procedunt. Econtrà, si rarò munus artificis exerceant, vitiosa peragunt artefacta. Aliter accidit in loquendi prudenter facultate. Crebrò verba facientes eò plus delinquere solent, quò magis assidui sunt in linguæ volubilis exercitio. *Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia citò transit.* Sic D. Isidorus Hispal. Infrequenter silentia rumpens, non solum eloquitur sapientissimè: sed multa vitat oris peccata, quibus multiloquus labi solitat.

S. Isidor. Hispal. in soliloq. c. 2.

Duplex esse potuit Salomonis in hâc sententia mens: vel dissuadere leves in effando noxas, ne prolabaris in graviora; vel tantummodò citra omnem culpam verbosos cohibere, ut eos à venialibus labiorum defectibus avertat. Magis placet prior sensus, quantumvis non appareat cur non simul ad secundum finem attendisse dicamus prudentiæ magistrum: ita quòd ex utroque unus versiculi confletur intellectus. Verius inquam, puto hîc sermonem esse de peccatis gravibus: licet namque veniale propriissimè peccatum sit: attamen insolitum apud sacras litteras non est nomen, peccatum, absolutè prolatum (nisi ex circunstantiis determinetur ad levia) stare pro mortali tanquam pro significato principaliori: nam & in univocis hæc loquendi ratio usui est. Univocè conveniunt animæ; nihilominus cùm absolutè dicimus animam, supponit pro rationali: & sic de similibus. Haud aliter peccatum sine addito sæpissimè designat in Scripturâ mortale. Omitto numerare loca, ne dum reprehendendo multiloquio viam paro, incidam in idipsum, frustra verba multiplicans in re satis notâ. Igitur tum simplex verbositas, tum etiam peccatis levibus immixta, reprehenditur hîc, tanquam pronum iter ad majora, cùm dicitur: *in multiloquio.*

Non deerit. Modus iste loquendi multitudinem lapsuum, qui linguâ contingunt, subindicat: non peculiariter signat, ut quamplurima denotet esse: *Undique*, ait Chrysostomus, *nobis diabolus insidias parare consuevit, sed facilius lingua & ore peccante: nullum enim æquè congruum illi organum in ministerium est interitus atque peccati.* Lingua damnosas machinatur fraudes, luxuriæ sufflat ignes, iræ tela ministrat, audet blasphemias, perjuria promit, adulatione mulcet, detractione cædit, invidiæ, superbiæ, aliisque vitiis, coagulat venena, quibus pro loquentis & audientis pernicie, hostes animæ utantur. Et insuper, cùm tot criminibus expositus degat loquax, ferè nullum in seipso novit: quippe si propria delicta cerneret, labia clauderet: nam ut ait Climacus, *qui peccata cognoscit, continet linguam suam; qui verò loquax est, nondum seipsum, ut oportet, agnovit.*

Chrysost. tom. 5. hom. 4. ex variis.

S. Joan. Climac. in scal. grad. 11.

3. *Peccatum.* Video simpliciter, prout sonat accipiendum esse de crimine, quo fœdantur mores. Attamen judico non improbabiliter posse necnon intelligi de vitio sive defectu spectante ad rationis imprudentem usuram: & in hoc genere vitiosissima garrulitas est. *Loquacitas multos errores habet*, inquit Stobæus. Esto quod Tullianâ facundiâ polleat is qui verbis nimius est, non poterit non à prudentiæ legibus declinare sæpissimè. Fortassis idcirco Salomon istum contraposuit prudenti: *qui autem* &c. Demus quod eloquia concinnet aptissimè, vix fieri potest, ut eorum pluralitate præceps non se futilibus immisceat, & aureo, ut aiunt, hamo velut piscículos capiat indoctos: quod D. Prosperi reprehensione dignissimum: *rebus inanibus*, ait, *pretiosa verborum indunnt ornamenta.* Veteres Latini garrulos appellabant fatuos: hæc enim vox derivatur à fando.

Stob. ser. 36.

D. Prosp. l. 1. de vit. contempl. c. 24.

4. *Qui autem moderatur.* Non suadetur omnimoda taciturnitas: nam ex D. Thoma hæc in dicendis, & locutio in eis quæ taceri oportet, peccatum est. *Moysi præcipitur*, inquit M. Gregorius, *ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur: ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat.* Moderanda igitur lingua est; non supprimenda: *mors & vita in manu linguæ*, dixit Sapiens: & ut vitam doner solvenda est; & ut necem non inferat, colliganda. *Et loqui & tacere perfectio est. Est autem utriusque partis causa, verborum tenuisse mensuram.*

D. Thom. 22. q. 73.

D. Greg. M. to. 1. in Pastora. p. 2. c. 4.

Prover. 18. 21.

Valer. Epist. co. in serm.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere rectũ.

Hora l. 1. saty. 1.

5. *Labia sua.* Plura sunt instrumenta quæ natura providit, ut simul ad verba facienda concurrant: quasi res ista non unius committenda sit electioni: sed plurium decernenda consilio. Vel sic insinuatur maturitas rectè loquendi magistra. Attamen labiorum solummodo mentione factâ cautelam in dicendo textus commendat, ut compressis labiis (quandiù tacere congruum) lingua custodiatur sera duplici. Noxia nimis vipera lingua: *& ideo Deus*, inquit datus alibi Joannes Chrysost. *eam velut muro duplici voluit circundari. Nam dentium tegmine, & labiorum custodiâ continetur, ne verba improvida garrulitate proferantur.*

Chrysost. supr.

6. *Prudentiſſimus eſt.* Opponit Salomon prudentiam peccato, & ſic vocat ſtultos eos qui labuntur in crimina, de quo alibi lentius egi. Nunc tantùm occurrit ex verbis Chriſti Servatoris difficultas, qui prudentiam exaggeravit iniquorum, dicens: *quia filij hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.* Videtur Salomon contrariari pluſquam Salomoni? Facillimè nodum ſolves animadvertens apud Lucam prudentiam ſumi pro aſtutiâ, præſcindendo à malâ & à licitâ. Ita capio Liram ad præfatum Lucæ locum: *ideſt*, inquit, *magis aſtuti ſunt, & fervidi in temporalibus negotiis agendis.* Prudentiam à verâ & falsâ, ideſt bonâ, maláque, abſtrahere notum.

Luc.16.8.

Lira in Luc. ibi.

DELIBATIO I.

Temporis prodigi diſſipatores corripiuntur.

7. *IN multiloquio non deerit peccatum*, inquit Sapiens: & vertit Chaldæus: *in multitudine verborum non ceſſat peccatum.* Quæ lectio ſatis indicat peccatorum congeriem, in quam loquacitas incurrit: quod jam ad litteram notavi. Quamvis enim hæc expoſitio non placuerit Salazari: tamen videtur germanior, ſi litteraliter loquamur, quàm alia quæ potiùs ut moralis interpretatio doctrinam ſubminiſtrat, & ab ipſo præfertur accipiente peccatum pro nimietate verborum. Minus, inquam, litteralis eſt acceptio hæc: nam particula, *in*, denotat aliquid ex altero manans, vel ipſi mixtum. Si verò multiloquium, & peccatum, ibi coinciderent, valeret non amplius quàm dicere: in garrulitate non deerit garrulitas. Hoc non eſt conſonum litteræ rigori. Ergo multiplicitatem peccatorum à loquacitate manantium timendam admonet dogma iſtud. Illa omnia dinumerare decreverat: ſed coëgit deſiſtere D. Bernardus affirmans hoc impoſſibile prorſus. *Quis*, inquit, *ſanè numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat ſordes: quàm multiplex in labiis circumciſis immunditia coaguletur: quàm ſit gravis pernicies oris incircumſpecti?* Nonnulla tamen reprehendere licebit vitia loquacitatis.

Lect. Chald. Prover. 10. 19.

Salaz. in Prover. 10. 19. n. 250.

D. Bern. ſer. de triplici cuſtodia.

Primum eſt prodigalitas quâ tempus inſumit. Audiendus iterum malleus Doctor. *Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora: O donec pertranſeat tempus. Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miſeratio Conditoris indulget.* Conſonat Cancellarius Pariſienſis, dicens: *etſi non aliud afferret hæc loquacitas incommodum, abundè illud eſt, quod magnæ rei, & inappretiabilis, fit conſumptio, dum ſcili. tempus inutiliter dilabitur.* Non levis equidem temporis eſt jactura, & quia pauciſſimi dies noſtri (ſolet enim raritas pretia rerum adaugere:) tum quia æternitatem fœliciſſimam poſſumus horarum commutatione mercari, ſi virtutibus exercendis dicentur. Rationes iſtas poſtea perſequar.

Idem ibi.

Gerſ. p. 1. tract. de diſtinctione verarum viſionum à falſis.

Nunc videamus quomodo ſtare valeat id quod verè vulgò dicimus, vitam nempe non eſſe noſtram (commodatò quippe nos eam accepimus redditurі citra ullam injuriam) cùm eo quòd non parum perdidiſſe aſſeramus illum, qui negligit operibus rectis inſumere ſibi conceſſa tempora vitæ. Aliena diſſipans nihil amittit: res enim perit domino ſuo. Quid ergo deperdit otioſus? tempus non ſuum? Computa lucrum ceſſans: nam etiam numeratur in damnis. Jacturam facit ille dierum, quibus potuiſſet congerere proventus. *Militia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarij dies ejus.* Legunt Septuaginta: *ſicut quotidiani mercenarij vita ejus.* Similem potiùs diceret fortè ſervo, quàm ex mercede laboranti: hic etenim pro libito; ille ſervitute coactus laborat. Homo, velit nolit, ſudoris tædio addictus eſt: quippe qui *naſcitur ad laborem*: aſſimiletur igitur ſervo, qui non arbitrio ſuo ductus acerbas exercet operas; non autem diurno mercenario, cui liberum eſt onus laborandi, ſtatim ac libuerit, dimittere. Jobus ibidem æquiparavit ſeipſum ſervo æſtuanti præ labore: *Sicut ſervus deſiderat umbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeravi mihi.* Servus à mercenario plurimum diſtat: cur utramque ſimilitudinem coëgit in unum? Duo ſunt ad quæ Jobus intendebat, ſcili. pro temporalibus labor, qui ſervili comparatur ſudori: necnon æternitatis lucrandæ negotium, quod aſſimilatur operæ mercenarij. Demus expoſitioni patronum: & poſtea præfixum cogitationi ſcopum ex Jobi dicto, prout reor, eruemus. Hujus loci magnus illuſtrator ait inibi: *in comparatione etenim duo ſunt, quæ præmiſit: in expreſſione etiam fatigationis duo protinus ſubdidit. Ad æſtuantem quippe menſes vacuos reddidit: quia quò magis æternum refrigerium quæritur, eò magis conſpicitur quàm vacuè pro vitâ iſtâ laboratur. Ad præſtolantem verò laborioſas noctes ſubintulit: quia quò magis ex termino operis præmium quod aſſequamur inſpicimus, eò magis ingemiſcimus diù nos neſciſſe quod quærimus.*

8. *Perdidiſti dies quibus otiaris.*

Lect. Septu. ibi.

Job. 7. 1.

Ibi c. 5. 7.

Ibi c. 7. 2. 3.

D. Greg. M. l. 8. moral. c. 5. tom. 1.

Supereſt examinare cur pro cæleſtibus divitiis operarij munus agentem, non ſervo ſimilem dixit, ſed mercenario ex diurna mercede conducto. Manifeſtum eſt ad rem noſtram utriuſque diſcrimen. Servus cum otiatur per dies aliquot, non ſibi damnum infert, ſed domino ſuo. Qui pro caducis deſudant, ſi feriantur, nihil deperdunt, quia nihilum erat quod ipſi contendebant acquirere. Mercenarius aliter: nam cùm ex diurna mercede ſuas locaverit operas, quot dies intermittit indulgens otio, diſpendium pretij toties patitur. Vulgò dicitur otianti opifici: tot perdidiſti dies. Quiſquis es qui legis hæc: ſicut mercenarij dies tui. Crede Cæſario monenti: *quocumque tempore non cogitaveris Deum, puta tempus illud amiſiſſe.* Conſonabit ſi redeat vox Gregorij. *Sciendum quoque eſt quod mercenarius ſollicitè curat inſpicere, ne unquam dies vacuus labatur ab*

Cæſarius monit. 2. c. 3.

D. Greg. M. ſuprà proximè c. 3.

ab opere: & post pauca. *Unde & electus quisque vitam suam quasi mercenarij dies pensans, tantò fidentiùs spe tendit ad præmium, quantò nunc robustiùs perdurat ad laboris incrementum. Qui sit decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne à labore vacua transeant vitæ momenta, formidat.* Hæc S. Pontifex; & nihili temporis jactum æstimas!

9. *Ad summum unius diei domini famus, & non integrè.*

Timeo ne respondeat his quisquam ex illis quorum mentis oculos obcæcavit mundi fumus, ita ut ad ipsum veritatis fulgorem hallucinentur. Vereor, inquam, ne veritate adversus eandem abutatur, dicens: brevissimum est totius vitæ curriculum: quid ergo tu dierum aliquot jacturam veluti magnam deploras? Reponam objiciens duas illas rationes quas insinuavi suprà n. 7. Utensilium æstimationem paucitas incrementat. Paucissimi dies nostri: sed ideò multò pluris à te fieri debent. Rursus. Perpende quanta posses in æternum lucrari tempore, quod nuper delapidasti: sic licebit æqua lance trutinare quid perdideris prodigus dierum. Duo dixi: stabiliam utrumque. Ad prius. *Alia philosophia hic fermo est, ut discas per ea quæ dicis, quòd diaria ac quotidiana sit vita humana. Id quòd præsens est cuique proprium duntaxat est.* Ita D. Gregorius Nyssen. ad illud orationis Dominicæ: *da nobis hodie.* Et infrà ibidem: *nos autem consiliariis opus habemus ut intelligamus fragilem atque caducam hanc, & diariam vitæ, quæ per carnem transigitur, conditionem?* Certè dierum nostrorum paucitas vix numerus est: unitatem non excedunt: hesternus quippe jam periit; crastinus adhuc non extat: hodierno potimur ad summum. Sed non ita fruamur eô quòd integram illius possessionem certam judicemus.

S. Greg. Nyss. d. orat. Dominica prope finem.

Idem ibi.

Repetamus insignem hujus mæstæ philosophiæ doctorem. Job, inquam, post horrendè stridentes cruciatuum procellas, tranquillo jam æquore, sudoque cælo quiescens, geminata de manu Domini bona resarcivit amissa. Inter hæc filios etiam alios reparavit ei divina manus. *Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ. Et vocavit nomen unius diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij.* Diem appellavisse priorem ob ejus pulchritudinem Lirinus asseverat: *propter*, inquit, *speciositatis ejus claritatem.* Inquirebam cur soli huic filiæ nomen Job imposuerit Diem; non verò cæteris, quæ pulchritudine fulgebant etiam: omnium enim decorem textus collaudat. *Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra:* nominentur igitur illæ à genitore, dies prima, secunda, tertia. Non ita congruebat. An tres numeraret sibi dies Jobus, qui vitæ brevitatem apprimè noverat? Hujus miseram conditionem non tam facilè dispunxit ex memoria, licet meliori fortunâ potitus, ille qui totus æreus patientiæ constantiâ visus est. In genitos parens obtinet jus quoddam, patriæ potestatis nomine vulgo notum: unde certum in eos dominium sibi vendicat, & ita ut eos aliquando venundare possit. Ergo ne veniat in mentem patri se trium dierum dominum: non omnium filiarum nomen dixit Diem; sed unius: quâ ratione facillimè recordaretur quàm sit concisa vitæ periodus, eo quòd, sicut parentes præcedere solent filios ad sepulchrum, sic ipse frequenter secum reputaret prius è vita concessurum, quàm dies unicus (hoc est ejus filia) interiret. Applica toti humano generi supposita doctrina D. Gregorij M. *Quid est ergo*, inquit, *quod prima filia beati Iob Dies dicitur.... nisi quia universum genus humanum, quod benignitate Conditoris, atque ejusdem misericordia redemptoris eligitur, istis nominibus designatur? Homo namque dies ex conditione claruit* &c. Hem! tot vitarum collectio una dies! Parcitas ista vilem equidem vitam probat; sed tempus appretiatione dignissimum reddit: proprium namque paupertatis est abjicere inopem; rei verò necessariæ pretium extollere.

Job 42. 13. 14.

Lira ibi.

Job suprà n. 15.

L. 2. cod. de patribus qui filios &c.

Consonat Exod. 21. 7.

D. Greg. M. l. 35. moral. c. 13. to. 1.

Deinde si cupis facilius rectâ ponderare trutinâ quanti valeat hora: meminisse debes quid in ea fœnerari posses in cælestibus thesauris reponendum. Et quantùm poteris dum vita manet acquirere, tanti faciendum tempus est. Audet piè D. Bernardinus Senens. *Tempus tantum valet quantum Deus: quippe in tempore bene consumpto comparatur Deus.* Plus, & non piè, audes tu qui perlegis hæc. Tu, inquam, christiano gaudens nomine, cui datum est vera fide insigniri, mediisque frui liberali manu præparatis ad salutem: annos prodigis, cùm debuisses instantia computare, ne transirent in vacuum! Esto qui miserrimè degunt extra sanæ religionis cultum, series annorum numerent, quin oculos ad cælum suos levare velint: nam in statu perditionis illi sunt. Atvero qui viam veritatis elegêre, sciant vitæ suæ dies, quantumvis breves ad usuram sint, permultos esse tamen ut prodigantur.

10. *Prolixa vita humana tempus est ut dissipes; breve ut perfruaris.*

S. Bernardi. Senens. fer. 4. post Dom. 1. Quadrag. c. 4.

Meditatione judico dignissima verba Siracidis. *Vita viri in numero dierum: dies autem Israël innumerabiles sunt.* Prior sententiæ hujus pars brevitatis humanæ vitæ reminiscitur. *Hoc est*, exponit Cornelius à Lapide, *vita viri est in diebus numeri, idest in diebus numeratis & paucis.* Benè. Sed Israële progeniti forsan ab hujus mensuræ terminis immunes? quare dies populi hujus innumerabiles dicti sunt? Quia, cùm veri Dei cultum obtinuisset, longissima erant ejus tempora, quæ mille aliis curis obvolutus amittebat. Favet commentator ipse: *nominat*, inquit, *populum Israël præ cæteris: quia ille solus ævo Siracidis habebat veram sapientiam, idest fidem, cultum & religionem Dei.* Solus Israël tunc viam salutis invenerat, in qua vel gressum frustrare, vel per instans quiescere, magni ponderis damnum est. Itaque tempus quod ad vivendum experimur brevissimum, prolixum est, ut amittatur: veluti obolus mendici, qui prope nihil est ut comedat; & tamen perdiderit, nimiùm est ut ploret.

Eccli. 37. 28.

Cornel. à Lapid. ibi.

Idem ibi.

Bona quædam numerantur, quæ non nisi à tergo rectè novimus? cùm scili. abierunt. Hujusmodi sunt salus, honorabilium hominum convictus, libertas, & similia. Vnde Petrarcha: *gratiorem fateor sanitatem redditam, quam retentam. Ingratissimi mortales*

11. *Nullius temporanei jactura dolore dignior quàm temporis.*

Petrarch. de

reme. prosp. fortu. dial. 4.

bona vestra vix aliter quàm perdendo cognoscitis : &c. Salutem æque solus æstimat æger. Similiter de hominum societate nemo sibi gratulatur, quamvis à natura nobis insideat ejus amor. *Nobis quidem insitus est à naturâ societatis & communionis appetitus*, &c. Se fœlicemne putat aliquis ex eo quod hominibus convivere sibi datum fuerit? Si tamen deseramur, ingemiscentes novimus quàm jucundum sit quô caremus.

Sen. in epist. 75. fine.

Ita libertas. De hac Seneca : *inæstimabile bonum est suum esse.* Nemo tamen cælitibus gratias agit quòd se liberum creaverit. Si veniat in captivitatem, quis erit qui non defleat ereptam sibi sortem ? Hujusmodi bonis valemus adnumerare tempus. Hoc dum præsens est vilipenditur ; amissum fit pluris. Descendant in infernum viventes, & quærant à flammarum incolis quid post beatitudinis amissionem ipsos amplius cruciet: sanè respondebunt unanimiter amisisse tempus irreparabiliter, quo possemus pœnas istas vitare. S. Laurentius Iustin. *Hinc indulti temporis pretiositas commendatur. Quanti autem sit, quis corde percipere, quisve humanâ valet referare facundiâ ? Illud noverunt optimè qui eo carent.* Quin adeas infernos carceres, hanc veritatem attingere quibis : nam si quicumque tribulationum turbine jactatus judicij libram non deposuit, rogetur quid inter cunctas, quas patitur, anxietates eum sæviùs torqueat, & quid ei præcipuè sit in votis, reponet : me dirius angit quòd tempus perdiderim, quô divinam placare justitiam valerem : ac mihi potissimùm frustra est in desideriis quod amissi reverterentur dies.

S. Laur. Iusti. l. d. vita solit. c. 10.

Sine quiete sedens, eiulans absque levamine, videns inter lachrymarum imbres Jerusalém desolatam, sub ejus incolarum nomine Jeremias Deum præcabatur. *Convertè*, ait, *nos Domine ad te & convertemur: innova dies nostros sicut à principio.* Non aliud quã dies postulat innovari! Lamentabatur Israëlis opprobrium : *intuere & respice opprobium nostrum.* Ingemiscebat de amisso gaudio : *defecit gaudium cordis nostri :* hæreditatis abalienationem deflebat. *Hæreditas nostra versa est ad alienos* : indolebat jugum servitutis. *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Tristabatur amicorum, & fœderatorum desertione : *non fuit qui redimeret de manu eorum.* Cruciabatur famis oppressione, quæ vel manebat, vel saltem præcesserat. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis.* Memorabatur delapsamè vertice coronam : *cecidit corona capitis nostri.* Nihilominus nec diadematis majestatem, amicorum auxilia, libertatem pristinam, honorem, gaudium, similiave, restitui postulat ? Horum omnium jacturarum dolor minus angebat vatem. Unicum illud jaculum cæteris altius infigebatur cordi : scili. amissi temporis damnum quo posset Israël placere Deo. Cùm enim ad litteram ex Maldonato de conversione spirituali sermo sit ibi ; *converte nos Domine* &c. animæ bona quæ præteritis temporibus lucrari poterant Hebræi, & amiserant, Jeremias eorum nomine deplorabat, cupiens ad priora tempora, si fieri posset, redire : *innova dies nostros sicut à principio.* Annorum damna libenter olim passi, tunc magnifaciebant, cùm abierat irrevocabile bonum.

Thren. 5 21.

Ibi n. 1 & 15.

Ibid. n. 2. & 5.

Ibi n. 8.

Ibid. n. 10.

Ibid. n. 16.

Maldonat. in Thren. c. 5. 21.

DELIBATIO II.

Materia tituli præcedentis amplificatur.

VIsne tu etiam de temporis valore sanum proferre judicium ? Amissum necnon quod restat jam puta : pendes istud ad æqualitatem. Nosti quàm verum sit nos quotidiè mori, nam dietim demitur pars aliqua vitæ. D. Gregorius M. *Sancti viri quia brevitatem vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt.* An recusabis perdere mentaliter integrè quod per partes re ipsa perit ? Si refugis, tibi remedium denegas, tuum permanebit immedicabile malum. Si propriam defecisse vitam reputaveris, temporis pretium agnosces : ita ut judices spatium brevè ut vivas ; longum tamen ut inter inania dilabatur. Quoniam solemus præsentium deludi præstigiis : qui præteritam existimaverit esse vitam, de ista censebit incorruptè.

12. *Si vitam reputaveris abiisse, rectè judicabis de tempore illius.*

D. Greg. M. l. 7. moral. c. 19. tom. 1.

Universi generis humani loquens nomine David, inquit : *quoniam omnes dies nostri defecerunt : & in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur : dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Tria sunt in hoc loco trutinanda. Primum, cur dies omnes appellet nostros quos jam abiisse fatetur : *omnes dies nostri defecerunt.* Perit cùm re dominium: ergo transacti dies nostri non sunt. Deinde secundum proponam. Quòd non adhuc extat, non potuit jam desiviisse : quomodo igitur non solum anteactos, sed omnes penitus dies nostros disparuisse credit ? *omnes dies nostri defecerunt.* Tertium est : annos mortalis periodi simul vates appellat dies & annos : imo pronuntiat quod humana vita communiter usque ad annos protendatur septuaginta : *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni :* exponit Lira : *de communi cursu.* Qui vitam dierum nomine significat, qua ratione annos vocavit eandem ? Qui dici potuit quod vivendi spatium, loquendo communiter, ad septuaginta pertingere soleat annos ? cùm tot millia juventutis flore, tot in pueritiæ radicibus evellat mors falce volante. Singula solvam. Ad primum. Cupiebat videns coronatus æquum de temporis valore judicium ferre : quod ut præstaret, consilio usus est præsentaneo : scili. omnia tempora vitæ, quamtumvis futura, reputabat jam transacta: quippe non nisi sic eorum caritatem apprimè dijudicat mens nostra præsentium caligans desiderio. Idcirco non quosdam, sed cunctos vitæ dies ut jam præteritos æstimabat : *omnes dies nostri defecerunt.* S. Hieronimus ibi : *& hoc ipsum quod loquimur, de morte est, & non intelligimus.* Ad secundum. Vitæ caducæ tempus valet simul appellari

Pſ. 89. 9. 10.

Liran. ibi.

S. Hiero. in Pſ. 89. n. 9. tom. 7.

dies,

dies, & anni : dies, inquam, ut vivas; anni prolixi ut perdas, inutilibus teipsum implicans. Et ne libera videatur expositio, rumina illud : *anni nostri sicut aranea meditabuntur :* commentatur Lira : *meditabuntur inutilia, sicut aranea multum intendit pro tela facienda.* Concinit Bellarminus : *& sensus est: Anni nostri ideſt tempus vitæ nostræ exercebitur vanis laboribus, & doloribus, timoribus, suspicionibus, in temporalibus bonis procurandis, & temporalibus malis cavendis, sicut aranea exercetur in texendis rebus omni re fragilioribus, non sine propriæ substantiæ consumptione.* Patrocinatur etiam D. Hieronimus ibidem : *videte quid dicat quomodo aranea quasi mittit fila, & huc illucque discurrit, & texit tota die : & labor quidem grandis est, sed effectus nullus est : sic & vita hominum* &c. Appositè vita nostra similis dicitur aranearum texturæ, nam & nos frustra laboramus in contexendo res tenuissimas, quibus conditionis nostræ pulvis detinetur, & si manum nimis admoveas, commacularis.

Lira ibid. & Bellar.

S. Hiero. supra.

Nec te prætereat in eis Psalmographi verbis illud, *in ipsis* ad quid referatur. Omitto aliorum interpretationem, nec impugno. Mihi planum videtur exponere sic : in ipsis, ideſt in iis laboribus vanis tempus consumptum, quos aranearum telis puto similes, anni sunt septuaginta. His præmissis dissolvetur tertium, quod proposui supra, dubiolum. Sententia Davidis reddi potest sic, quasi diceret in Adamidum persona. Brevis quemquem vita : proinde nomine dierum significanda venit. Sed hæc ipsa, cùm inter futilia, texturis aranearum similanda, teratur, adeo longa est ad ejus prodigalitatem damnandam, quasi communiter septuagesimum semper attingat annum : licet futuris temporibus (quæ David non ignorabat) commune non sit ad illam ætatem devenire. Ut homo degat, non annos, sed dies annorum numerat : *dies annorum nostrorum.* Sed quia versamur inter inania, *sicut aranea*, longissima tempora in ipsis perdidisse lamentetur : *in ipsis septuaginta anni.* Sed quare novit propheta temporis valorem non mediocrem; nisi quia illud omne reputabat præteritum ? *omnes dies nostri defecerunt.* Solet humana mens pluris facere quæ pertransierunt : & celeritas temporum transeuntium cernitur, si retrospicias præmissa. S. Augustinus : *longitudinem vitæ hujus sentiri non facit nisi spes vivendi, nam nihil videtur esse celerius, quàm quidquid in ea jam præteritum est.* Computa igitur velut præteritos omnes vitæ dies : & scies quid valeat hora, ne prodigas annos.

S. Aug. to. 8. in ps. 6.

13. *Non tantum dierum, sed horarum rationem reddenda.*

Adjice aliud pro eadem temporis prodigalitate frænanda motivum. Frequens est etiam cunctorum ferè mos, illis accuratiori prudentiâ regente uti, quorum rationem reddituri sunt. Et non meministi, jam non dicam annorum, vel dierum, sed horarum singulas apud Altissimum numeratas esse, ut ad judicij tui ratiocinia vocatus respondeas, in quo traditum tibi vitæ spatium consumpseris ? Nulla tergiversatione poteris vel brevissimi temporis furtiolum celare.

Tædio vitæ pressus David, ceu æger, qui febri exæstuans rogat medicum ut prædicat sibi quantùm duratura sit ejus vis : ita quodnam sibi spatium vivendi restet scisciatur à Domino : mortisque memor finem hujus interrogationis expressit dicens : *notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est : ut sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos* &c. Non improbabiliter sic exponerem : ut sciam quantùm perdiderim temporis, de quo tanquam de re furto sublata, quàm deesse mihi deploro, rationem sum redditurus. Favet aliqualiter Hebræa lectio, quæ pro illis : *quid desit mihi*, sic habet : *quid deficio* ego : quasi dicat : quid è numero dierum mihi tradito deest pro supputandis tecum Domine ratiociniis circa tempora vitæ meæ ? Si probabilis videtur hæc expositio, vide quid sequatur : *ecce mensurabiles posuisti dies meos :* commentatur Hugo Cardi. *mensurabiles dicit secundùm quantitatem continuam, non discretam.* David interrogat de numero; Deus verò mensuram apposuerat ejus diebus ? Exactissimæ divinæ justitiæ severitas hæc est. Quòd numeratim creditor tuus tradit, exigitur ad numerum postea : & quando rationem istam ei reddideris, facilè poteris frustula suffurari de singulis, dummodo numerum exactè appendas. At in iis quæ tibi sunt ad mensuram commissa, non sic te gerere valebis, præsertim si res magna non sit. Contracta nimis est dierum nostrorum longitudo : palmares vocari possunt : *ecce palmares posuisti dies meos*, legunt hîc aliqui apud Bellarminum. Animadvertit ergo Regius vates, non ad numerum (ut ipse cupiebat, ne tremendum adeo foret judicium) sed ad mensuram sibi fuisse traditos dies, ut juxta eam redderet rationem singulorum, nec posset ab uno quoque die clanculùm subducere horam impunè. Ideo perfecti viri, ut de solitariis loquens ait Laurentius Iustini. *nullum temporis spatium (quamvis brevissimum) inutiliter transire patiuntur, scientes de illo coram universorum judice districtam rationem esse reddendam.* Memento judicij horribilis, cùm ad ratiocinia vocandus es : ibi namque ad mensuram à te ratio exigenda commodati spatij vitæ : quàm tu forsan ideo largiùs expendis quia vivis ex mutuo. Alienum dissipas, an tuum reputas ? Tuum esset utique, si juxta Dei leges insumeres, *Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud, & proprium facimus*, ait Chrysostomus. Piâ ergo avaritiâ retine, quæ naturâ suâ dilabuntur, horas.

Ps. 38. 5. 6.

Lect. Hebr. ibi.

Hugo Card. in ps. ibi.

Apud Bellar. in ps. 38. 5.

S. Laur. Iust. l. d. vit. solit. c. 10. fine.

Chrysost. to. 4. hom. 3. in c. 5. ad Ephes.

Cave tamen cupiens unam vitare Syrtem, ne contingat in alterâ naufragari : ne, inquam, temporis prodigalitatem vitare desiderans, vitam nimis diligas : hinc enim fiet ut cæcutias. *Cæcus quippe est qui supernæ contemplationis lumen ignorat : qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, quò gressus operis porrigat, nescit*, ut M. Gregorius dixit. Quin potiùs judicavit impossibile Tullius virtutem ab eo coli, qui nimis in lucis usurâ sibi complacet. *Qui*, ait, *nihil*

14. *Si vitam plurimi feceris, cæcuties.*

D. Greg. M. in Pastor. 1. p. c. 11. to. 1.

Cicer. l. 2. rethor.

habet in vita jucundius vitâ, is cùm virtute vitam non poteſt colere. Floris pulchritudine captus hunc ſi admoveas oculis, eos claudis: nec valebis fugacitatem floſculi videre mentientem amœnitate fragranti lenocinia. Ut videas, ab oculis remove. Sic dum vitæ florem citò pereuntem plurimi facis, excæcat nimius amor oculos mentis: brevitatemque vitæ infructuosè lachrymaberis.

Pſal. 101. 4. David peccatoris nomine locutus aiebat: *defecerunt ſicut fumus dies mei:* &c. Quid fumo & vitæ commune, ut ille queat hujus emblema dici? Plura ſunt quibus fumus & vita conſentiunt. Vento diſperguntur ambo: necnon quò plus extolluntur, eò citiùs diſparent: inſuper tam fumus quàm vita, cineribus cognati ſunt. Et, ut cæteras analogiæ rationes linquam, hanc ſolummodò, quæ ad thema præſens conducit, meditabor. Fumum ſi palpebris applices, excæcabit, fletumque ciebit fruſtraneum; ſi verò removeas illum ab oculis, cernes rem inaniſſimam. Fruere Chryſoſtomo. *Mentis oculus*, ait, *ſi in pratis ſpiritualis paſcatur eloquij, erit totus ſine dubio purus ac lucidus, & acutiùs cuncta perluſtrans: ſi verò in fumum ſæcularium negotiorum fuerit ingreſſus, ad innumera prorſus mala lachrymabitur ac flebit, & in hoc quidem ſæculo, ſed multò amariùs in futuro. Fumo enim ſunt humana negotia comparanda. Propterea & ille ait: defecerunt ſicut fumus dies mei. Sed ille quidem de brevitate hoc, & fuga quadam hujus dixit ætatis. Ego verò non ad hoc ſolum, verùm etiam ad turbulentiam rerum præſentium dici poſſe iſtud accipio.* Oculis impoſitum vulgò fertur Luſitanicâ phraſi quod adamatur impenſiſſimè. Dies ergo mortalitatis hujus, qui fumo comparantur, ſi oculis adjungas: ideſt ſi nimiùm ames, viſum obſtrues, & lachrymas nullius meriti fundes: Sapi. 1. 2. dices namque: *exiguum & cùm tædio eſt tempus vitæ noſtræ.... venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* His quæ inculcavimus animum ſi appoſueris, tempus appretiatione digna proſequêris, & vitabis multiloquium, quô teritur inutiliter.

Chryſoſ. to. 2. hom. 2. in Matth.

DELIBATIO III.

Multiloquus avaritiâ plauſibus inhiat avidus inſanè.

15. *Mentis inopes reddit nimius laudis amor.*

CUm vitia catenæ ſint, facilè ſibi mutuò nectuntur. Et ne fines egrediar textus noſtri, hoc ipſum inpræſentiarum videre pronum eſt. Loquacis prodigalitatem uſque nunc redarguebam: modo ejuſdem incuſabimus avaritiam, nam ut ex Democrate refert Stobæus, *avaritia quadam eſt omnia velle dicere, & nihil audire.* Hominum etenim plauſus utplurimùm venatur qui loquendo multus eſt, quippe.

Democrat. apud Stob. ſer. 36.

Ovid. 5. Triſt. 15. ——— *facunda facit pectora laudis amor.*

Et quò non mortalia pectora trahit laudum ſtulta fames? Pecuniarum cupidos rapit equidem experientia docens quod *pecuniæ obediunt omnia:* ſed experiuntur iidem minimè ſe auro poſſe mercari humana corda. Cùmque falsò putent adulatorum cor à laudato poſſideri: expoſcunt faſtoſa encomia vulgi, quæ nullum exiſtimant peritura per ævum. Deſipiunt craſsè: invidiam ſollicitant nolentes. Eccle. 10. 19.

Nil opus invidia eſt, procul abſit gloria vulgi:
Qui ſapit in tacito gaudeat ille ſinu. Tibull. l. 4.

Quinimò non inſipientiæ, ſed inſaniæ tribuenda laudum immenſa cupido. Crede medico ſapientiſſimo, pariter & experto, Chryſoſtomo, inquam dicenti: *extremæ dementiæ eſt nulla imminente neceſſitate rerum, & neceſſitate violenta, propriis velle laudibus decorari.* Et quamvis S. Doctor loquatur de laudibus in ore proprio, tamen ſatis inde firmatur quod prædixi. Laborum pretioſa remuneratione ſe divites reputant ij quorum nomen celebre volitat per ora; cùm ſæpe maneant ipſi mentis inopes: cujus eſto ſignum, quòd, cùm ad intellectum pertineat eligere viam quà ſit homini pergendum: illum ſic perturbat ambitio præconij, quod judicio deſtituti mortales in eligendo tramite confunduntur. Chryſoſ. to. 3. hom. 5. d. laud. Pauli.

Populе meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Procopius apud gloſſam interpretatur: *vias confundebant qui umbris acquieſcere docebant.* Lucem ab adulatoribus (*qui te beatum dicunt*) te putas accipere? Umbra, nec aliud, eſt. Sed quare non greſſus dixit, ſed vias, confundi ab illis qui vitia palpabant? Nonne ſatis diſſitæ ſunt recta, & iniqua ſemita? Oppoſitæ quidem, & in valdè contraria ducunt. Attamen gloriolæ perculſus amore ſic dementatur, ut unum ab altero calle diſcernere neſciat. Audit laudari ſcelera, vitioque verti metum peccandi: quid ſibi vitandum, quid amplectendum, judicij librâ malè trutinat mentis inops. Putabat cæteros antecellere laudum auxilio; ſed permanſit adeò ſeipſo minor ut jam inter dextrum & lævum tramitem vix diſcernat oculis mentalibus lippus. Iſai. 3. 12. Procop. apud Gloſſ.

Imò deteriorem furente credo laudis humanæ procum, duplici de cauſa: quarum alteram tantùm inſequar. Flagellantur apud noſocomia qui malèſana mente laborant: nec tamen adeò ſunt excordes, ut ictuum dolorem non ſentiant. Flagris etiam petuntur qui vanè collaudantur (juxta illud Ignatij, quamvis à vanitate remoti: *laudantes enim me flagellant*) tamen adeo ſtupidi ſunt, ut gaudeant ſe gratiſſimo verbere quati. Dum pro laude certantes audio vanitatis rivales, mihi videor cernere pueriles trochos ab iis, quibus tenera ſuadet annorum conditio inanibus delectari, percuſſos: quos ipſi ſcutica flagellantes faciunt circumverti. lætiſque clamoribus non ſinunt requieſcere, de quibus Maro: 16. S. Ignat. in epiſt.

Ceu quodam torto volitans ſub verbere turbo, Virg. 7. Æneid.
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent ———

Verbera

Verberatur à puero trochus : qui sensus expers ictus non sentit ; quinimò circumrotatus quasi tripudiat. Haud aliter vertitur in gyrum qui vanis laudibus aures huc, & illuc accommodat. Aliquid magnum resonant aëra ; sed puerorum ludus agitur : triumphum existimas ; publica flagra sunt. Mente capto deterior est qui percussus exultat. Hâc ratione relicta pergo ad aliam.

17. *Singularitas in refulgendo præsagit ruinam.* S.Aug.to.2. epist.64. ad Aurelium. ante fin.

Et utinam sufficiat iterare rationis fulcimina dissuadendæ laudum concupiscentiæ, quâ non prolectari quid arduum est : nam ut ait Augustinus, *etsi cuiquam facilè est laude carere cum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur.* A Syrenum cantibus abesse quisque valet ; eis verò non trahi nec sibi confidit Ulysses. Pejoris conditionis dicebam nuper superbos laudum amatores præ amentibus : & ratio hujus est quia si te adjungas furioso, & quidquid effutit, vel agit, approbes, quiescet fortè furor ; laudationem ambientes non sic, quia sodalem recusant : & solem se putant imitari, si cunctis luminaribus extinctis ipsi tantùm luceant. Præcipitium quærere probant. Est enim singularitas in refulgendo præsagium ruinæ.

Prænuntiabat Apostolis divinus Magister funestum sæculi occidentis exitum. Et post alias cadentis theatri calamitates, cælestium corporum defectionem vaticinatus est, dicens : *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Nam dubito simpliciter de vero casu stellarum hæc intelligenda verba. Patrocinantur Chrysostomus & Euthymius ; parcat Aristoteles : *magis enim* (ait lepide Maldonatus) *Christo id affirmanti, quàm Aristoteli neganti fieri posse, credendum esse arbitror.* Si casus hujusmodi rationem quæras litteralem illa statim occurrit quòd, cùm propter hominem stellæ creatæ sint ut noctem illuminarent, cùm tandem vitæ mortalis finientur vicissitudines : & alij perpetuis, absque lucis ullius levamine, tenebris addicendi sunt ; alij ad civitatem commigraturi, de qua dicitur *nox enim non erit illic :* ne munere suo peracto maneant stellæ otiosè in sublimi positæ, ruent de cælo. S. Joannes Chrysostomus : *stellæ cadent. Quis enim usus nullâ existente nocte ipsarum erit ?* Ratio ista nonnihil patitur. Etiam Solis & Lunæ cursus & officia quiescent. Cur ergo tantum accidet stellis decidere ? Quia solæ remanebunt mittentes radios, extinctis duobus magnis luminaribus orbis. *Sol obscurabitur* &c. Cælestem splendorem sic Deus astris distribuit olim, ut Sol diù, Luna stellæque noctù splendescerent. In occasu sæculi obtenebrato Sole, obscuratâ Lunâ, totus cælorum fulgor ad stellas devolvetur. Quid restat nisi ruina properans iis quæ in lucendo singulares irradiabunt ? Non melior lucibus rationalibus obtingit sors. Extollit fortunatum popularis aura : nullius ille societatem pro fœlicitate hac exhaurienda non rejicit. Solitariam diligit fortunam ? Citò ruet.

Maldon. in 24. Matth. n.29.

Apocal.21. 25.

Chrysost. to. 2.hom.77.in c.24.Matth.

18. *Tege splendorē ne videas plaudentes.*

Si rationis compos adhuc extas, ne te vulgaris alliciat plaudentium vultus ipso gestu mentiens, quasi non satis lingua superesset mendaciis. *Instat adversarius veræ beatitudinis nostræ ubique spargens in laqueis, cuge euge : ut dum avidè colligimus, incautè capiamur, & à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallaciâ ponamus* &c. Sic Augustinus. Si muta populus acclamatione tibi gestit, oculos claude prudens. Basiliscum imitantur qui supercilia, dum loqueris, more arcuum torquent in altum, ut luminum virus in te fagittent. O tege visum : potius ne cernas, quàm videaris.

S.Aug to.2. l.10.confi. c. 36.

Adeo verum est assiduum colloquium similes reddere dissimillimos, quod Moyses amicus Dei factus, ex consortio sermonis, Domini, qui lux est, radios evibrabat. Hebræi metuebant appropinquare duci refulgenti. Quid ille tunc ? Vocavit Aaronem, necnon & Synagogæ Principes : quos cùm populus videret sermones miscere cùm Moyse, jam ex timore confirmati, propius accesserè. Plebi Gubernator fulgidus revelata facie proposuit Altissimi præcepta ; sed non sic deinceps : velamen quippe quod abstulerat volens alloqui Deum, imponebat iterum, verba facturus ad Israëlitas : *quibus* (ait sacer textus) *præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam.... Operiebat ille rursus faciem suam si quando loquebatur ad eos.* Duo in hæc verba meditabar : primum quare dum legem proposuit, faciem non obduxit ; maximè verò postea cùm deinceps loqueretur iisdem ? Secundum : si coram populo velato vultu dicturus erat Moyses ; & postea velum ablaturus, cùm ad Dominum ingrederetur (*quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret*) nonne satiùs esset à Deo postulare quòd fulgorem ei suspenderet quandiù ad populum effaretur ? Ad utrumque unica solutio. Præcepta Dei proponens Moyses, quibus frænum injiciebat appetitui, nequaquam acclamationibus excipiendus fuerat : unde non erat cur ille caveret à cernendo plaudentium gestus adulatorios. Postea verò maxima prudentia suadente vitat eos aspicere, cùm datæ cælitus eloquentiæ vela panderet. Idcircò non solam texit lucem : sed aciem velavit, ne videret ipsa blandientes facies. Si à Deo peteret Moyses ut fulgorem sibi datum subtraheret, radios quidem celaret ; sed populum conspiceret : quem, fortassis assentatione blanda gestientem, sibi cupiebat abscondere, ne subdolâ caperetur ipse mutæ laudis illecebrâ, quam sitientes avent insanâ hydropisi loquaces.

Exod.34. 32. 33. 35.

Ibi n.24.

19. *Hominum laudes reputa somnia.*

Enimverò avaritia risu digna dicenda hæc est. Solent ij quos vocamus in opum congerie mendicos, qui nummos numinis instar habent, dum eorum fallunt nocturna somnia mentem, imagine deludi gemmarum, auri, argentique figuris, quarum inanis umbra disparet in ipsâ palpebrarum apertione. Similiter fabulosi nominis cupidi delectantur insomniis : quæ veritatis pulchro titulo decorant, quorumque fœdātur amore. Quidni maculas cōtrahant, qui famum, & amanter valdè, contrectant ? Proderit Chrysostomus : *Quod si centum vel mille, vel innumeri extiterint laudatores qui applaudant, nihil tamen illi*

Chrysost. to. 4 ho. 17. in epist. ad Roman.

illi omnes à graculis desuper garrientibus different. Imò si angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumque præconium aranearum textura, fumisque & somniis infirmius. His & similibus occurrunt qui os populi meruere, se quidem vulgi faventis dicta despicere mente securâ: quamvis laudationis Echo resonet auribus. Ne tibi nimium credas. Licèt in humilitatis arce tutissimus esses, prudentiæ opus foret hominum laudes non audire, ipsasque velut phantasiæ dormientis ludibria reputare.

Quis à cenodoxiæ vitio longiùs positus, quàm supremus humilitatis Magister? Nos tamen ut informaret salutaris doctrinæ præcessit exemplo. Dimissâ turbâ Redemptor Apostolis comitatus naviculam conscendit, ut stagnum transfretaret. Ecce tempestas furit minax, quassatamque cymbam errare facit unda replens: & interea salutis dormiebat spes puppi jacens. *Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens.* Ars incertò laborans obstupuit, adesseque necem pariter & sepulchrum judicat metus hâc vice benesuadus: nam ad afflictorum certissimum præsidium confugere docuit procellâ jactatos immiti: *& excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Expergefactus itaque Dominus tranquillat æquor, & fidei defectum severus objurgat, dicens: *quid timidi estis? nondum habetis fidem?* Sanè fides eorum aliqualis erat; cùm ab ipso flagitaverint salutem. Ideo apud Matthæum non fide prorsus orbatos legimus, sed fiduciæ inopes: *Domine salva nos perimus. Et dicit eis Iesus: quid timidi estis, modicæ fidei?* Qui modicam habebant non illâ destituebantur omninò. Laudet igitur Magister incipientium discipulorum tenellam fidem: increpationem omittat. Non pepercit eis quia suscitantes Præceptorem, occasionem eripuerunt illi subsannandi clariùs hominum plausus, qui dicturi fuerant: *qualis est hic quia venti & mare obediunt ei?* Cupiebat Salvator istud encomium veluti somnij figuram dormiendo cernere, qui dicere potuit: *ego dormio & cor meum vigilat.* Sic se habuisse percupivit is qui à superbiæ discrimine remotissimus dormiebat securus. Tu qui totus inter pericula versaris, insomnium crede hominum præconia. Sic mundi laqueos floribus tectos irridebis: nam vires inimici deridet qui tempore pugnæ dormit, & somni quiete fruitur qui somniat. Dormire te judica; sed cor tuum vigilet.

Marc. 4. 37. 38.

Ibid.

Ibid. 40. Matth. 8. 25. 26.

Ibi n. 27.

Cant. 5. 2.

20. *Laudabit nemo si laudantes audiat, si verò calumniantes silebit.*

Illud potissimùm trahere solet vanæ gloriæ hydropisi laborantes: quòd nempe statim atque audiunt quemquam ipsos laude prosequentem, jam se putant honoris sui perpetuum propugnatorem invenisse. Non adeò passim reperitur constans nominis alieni patronus. Ut absentis famam corrodant, etiam ij qui genio, loco, vel corde dissiti sunt, facilè coadunantur. *Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio.* Sic Bernardus. Non parum tibi præstare credit qui se non adjungit detractorum conciliabulo; sed minimè se illis opponet. Putas aliquem tibi clypei vice futurum adversus obloquentis linguæ sagittam? Benè de te verba faciet, si laudari te cernat amicus. Idemmetipse, qui beneficia tua memori mente retinet, ad summum rectè de te loquetur, si alios collaudantes audiat; si tamen illi detrahant, obmutescet.

S. Bern. ser. 24. in Cant.

Cùm peccatoribus discumbere Dominum calumniabantur Pharisæi: quasi Sol rubos illustrare dedignaretur, vel soleret à luto, quod exsiccat maculari. *Et videntes Pharisæi dicebant discipulis ejus: quare cùm publicanis & peccatoribus manducat Magister vester? At Iesus audiens, ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Non ad Magistrum hæc verba fecere calumniatores; sed ad ejus discipulos: his tamen silentibus, oportuit Dominum honorem proprium tutari. Alibi refert Matthæus Dei Filium Apostolos interrogasse quid circa illum sentirent homines. Varia retulerunt placita: quibus addidit rogare suam exponerent in hac re sententiam. *Respondens Simon Petrus dixit: tu es Christus Filius Dei vivi.* En Petrus responsum adhibet interrogationi quam Dominus non ad eum direxerat solum: dixerat enim: *vos autem quem me esse dicitis?* Faciliùs-ne fuit Christi divinitatem prædicare, quàm fuisset innocentiam à societate peccatorum illæsam esse defendere? Quinimò ferè cuncti rem quasi magnam extollunt Principis Apostolorum confessionem. Unum do pro multis D. Paschasium. *Petrus prior præ omnibus respondit, prioratus officij est, & ardor fidei nimius.* Duplici verbo potuerat Petrus calumniatoribus obstruere os, dicens sceleratis doctrinam & exemplum offerre Magistrum cupere, proindeque injustam illorum esse calumniam. Econtrà Christi Deitatem asserere tunc temporum satis erat arduum: aliter non sic extolleret divinus Præceptor Petri dictum: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Tacuit Apostolus loco priori quod erat facile tutu: nec ex condiscipulis alius alloquentes iisdem Pharisæos redarguit? postea verò Petrus interrogationi responsum exhibet de Christi divina Filiatione cognitu difficillimâ? nec alteri permisit ut responsionem præoccupet? Sic tulit occasio. Justus erat: attamen humana quædam patiebatur adhuc. Naturæ Christi divinæ Petrus arcanum fidenter aperuit. Sed qua tempestate? Cùm plures (diversa licet opinantes) Magistrum collaudabant: *alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut unum ex prophetis.* Tunc ausus est Petrus, Christi Domini beneficiorum non immemor, de Servatore benè loqui, dum autem detrahentes audit Pharisæos, ipse, condiscipulique, conticuere. Detrahentem linguam Salomon assimilavit pluviæ: *ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.* Cùm sæviunt nimbi nemo est, qui ut alium tegat, prodeat è domo. Laudatorem tuum audis: & jam existimas decoris custodem adversùs.

Matth. 9. 11.

Ibi c. 16. 16.

Ibi n. 15.

D. Pasch. l. 8. in Matth.

Matth. 16. 17.

Ibi n. 14.

Prover. 25. 23.

21. *Solus laudet qui merita laudati conservat Dominus.* 1.Cor.4.5.

adversùs obtrectatores te nactum esse. Ne ibi tam citò credas, nec illi.

O utinam ista laudum desideria quæ nos alliciendo cruciant, illud expeterent potius theatrum, coram quo Judex incorruptus *manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.* Hanc sollicita laudem ab eo manantem, qui te laudabilem servare poterit: hominis enim laudatio exposita falsitati, solummodò tunc incipit citra mendacij periculum insonare, cùm tu eam audire nequis mortis carcere clausus. A Deo prolatum hoc discrimine vacat encomium.

Eccli.11. 30. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam,* ait ore Siracidis divina Sapientia. D. Ambrosius. *Mors igitur vitæ est testimonium.* D.Ambr.l.d. bono mortis c.8. to.1. *Nam si laudari ante gabernator non potest, quàm in portum navem deduxerit: quomodò laudabis hominem prius quàm in stationem mortis successerit?* Prudentissimè divini Spiritus monitu laus posthuma decernitur benemerito, cùm nec ipsum præcipitet elatio, nec laudantem doceat ambitio. Sed norunt cuncti quòd vivente Præcursore, de illo protulit incarnata Sapientia: *Non surrexit inter natos mulierum maior Joanne Baptista.* Matth.11. 11. En voce deprompsit, vitâ comite, suæ vocis laudem illamet Sapientia, quæ docuit Ecclesiastici calamum dicentis: *ante mortem* &c. imò S.Thom. à Villano.ser. 3.d.Adven. prout notavit Præsul Valentinus, *longam in ejus laudem orationem composuit, non unam aut duas, sed multiplices ejus virtutes commendans:* aliud suadet exemplo? aliud inspirat scriptori? Animadverte quis Baptistam extulerit; & quorumnam ora tacere moneat aliorum facta. Hominibus consulit ne laudent viventem: cùm enim sint humana judicia deceptioni jugiter obnoxia, nac laudabilem reddere valeant quem commendant, reservantur eorum præconia tempori, quo laudati non illiciant appetitum. At verò cùm Dei munere commendari dignus esset Baptista sacer, ejusdemque laudabilitatem custodire posset omnium Dominus incapax decipi, præconatur hujus ore merito Joannes, quin divina Sapientia dissideat à seipsa dicente: ne laudes. Ergo ad illam prospice commendationem conferendam post obitum, *cùm laus erit unicuique à Deo.*

22. *Si Dei laudem tuæ præponis, hæc permanebit; non aliter.* D.Greg.M. to.2.ho.21. sup.Ezechi. Interea, dum justis gratissima dies illa differtur, evanida hominum dicta, seu potius dicteria, ne curaveris. Aliter, quod in Dei gloriam non refers, peribit vanissimè: *quia ante Omnipotentis Dei oculos vel quæ benè gesta; vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cùm jam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt.* Ita S. Gregorius M. Satage quòd primùm resonet honor Dei: tuam commendationem differri ne pigeat: sic etenim perdurans ista manebit, quæ si audiretur citiùs, periret velociter.

De filij nativitate præmonitus ab angelo dubitavit Zacharias. Hæc est infœlicium conditio misera: scili. ut alienam à se putent melioris fortunæ spem, ne ridenti credant ejusdem vultui mæsto assuefacti. Mulctatur linguâ qui peccaverat aure. Sed recens nata Dei vox Patri loquelam reddidit octava die: S.Ambr.to. 5.ser.d.Baptista. *os quod angelus alligaverat, Ioannes solvit: quod Gabriel obstruxerat, parvulus reseravit,* dixit Ambrosius, nec inficior. Imò vestigare cupiebam quare non aliquantò citius miraculum istud edidit præpotens puer. Adaperiat os genitoris, cùm ab isto nutibus quærebatur, quo vellet nomine genitum insigniri. *Innuebant autem patri ejus quem vellet* Luc.1.62. *vocari eum.* Rogatus ut quæstionem dirimeret, obmutescit adhuc, & scripto nomen ab angelo traditum exposuit. *Et postulans* Ibi n.63. *pugillarem scripsit, dicens: Ioannes est nomen ejus.* Et postquam nomen hoc ita graphicè depinxit, oris impedimenta deposuit, *Aper-* Ibi n.64. *tum est autem illico os ejus* &c. Qui statim locuturus erat cur non jam expeditur labiis, ut verbo proferat quomodò velit gnatum appellari? Quia Præcursor, qui prophetaturi locutionem solvebat, noluit ut à sui laude Zacharias inciperet effari (nam Joannem qui pronuntiat, laudat eundem quin aliud adjiciat: Joannes quippe valet idem ac gratiosus;) potiùs à Dei laudatione ut initium dicendi sumeret pater, filius desiderabat: & ita contigit. *Apertum est autem* Ibid. *illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Haymon Episcopus. *Et* Haymon Episc.Halsb. in id Evang. *non decebat ut ipse à laude Dei taceret, qui de nativitate filij sui, Dominique præcursoris gaudebat.* Deo cessit Baptista: nec tamen deterioris ideo conditionis inventus est: nam quia linguæ nodum resecare moratur, accidit ut laus in ipsius nomine fulgens, non verbo, quod velut aër ocyssimè transit, prolata perierit citò; sed tabulis insciissa perduraret. Nescimus utique cujus materiæ fuerint pugillares tabulæ, quibus in scribenbo nomine Joannis Zacharias usus est. Si ad mystica deflectamus, lapideæ sunt ex Glossa interlineari ibi: *quia lex scripta in* Interlin. ad *tabulis lapideis mysteria loquitur.* Idem vi- Luc.1.63. detur insinuare S. Ambrosius, dicens: *scri-* S.Ambr.l.2. *bamus prænuntium Christi non in tabulis la-* in Luc.c.2. *pideis, sed in tabulis cordis carnalibus:* licet tom.3. non exprimat an fuerint litteraliter lapideæ tabulæ in quibus genitor expressit appellationem Joannis. Sed quidquid esto, patet diuturniùs nomen illud clarissimum pugillaribus impressum permansisse, quam si verbum esset à Zachariæ linguæ pronuntiatum: ut sic statuere valeamus, illius nomen solidiori celebritate splendescere qui potissimum in Dei laudem ora resolvi cupit. Prædicatorum norma Joannes est: multitudinis auram parvipendebat, quod apertè insinuat locus suis concionibus ab eo postea delectus. *Illud* (ait S. Hieronymus incertus) *etiam in* Incertus D. *eo mirandum est, quod eremum elegerit, Do-* Hiero.to.4. *mini prædicaturus adventum, non in templis,* in epist.d.ve- *non loquitur in plateis, multitudinem multi-* ra circumcis.post med. *tudini profuturus horrescit.* Omittant grandiloquentes in curiis regum totis viribus auditores fatigare, ut admirationes exhauriant: somnium sectantur, aërem prendunt: sic punitur eorum laudis avaritia, hoc enim est inter alia quod *in multiloquio non deerit peccatum.*

DELIBATIO IV.

Reprehensio eorum qui de seipsis grandia loquuntur, ingenij, vel nobilitatis, hypocritæ.

ALiud est inter garrulos vitium frequentissimum : jactantia nempe : quia, ut
S. Joan. Clima. in scal. grad. 11. S. Joannes Clima. dixit, *loquacitas est inanis gloriæ sedes, per quam se ipsam judicare, atque in publicum producere solita est.* Vituperio certè dignissimus hujusmodi dilectionis
Arist. 4. Ethic. propriæ servus. *Iactator*, inquit Aristoteles, *justissimè, & maximè vituperandus est.* Tamen cùm experientiâ magistrâ notum sit homines à vitiis ampliùs deterreri si stultitiam exprobremus erratorum, quàm si malitiam eorundem audiant execrari : potiùs aperiam quàm stultè se quisque jactet, frequentiora se jactantium percurrens motiva.

23. *Opera cujusque genus ipsius.* Occurrunt ecce mox nobilitatis suæ personantes altissimè tubæ. Mirum est quàm nimis illis placeat alienum hoc bonum cui dominatur invidia & proprius amor. *Iam verò* (scribit Boëtius) *quàm sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat : quæ si ad claritudinem refertur, aliena est. Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum. Quòd si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Quare splendidum te si tuam non habes aliena claritudo non efficit.*
Boët. l. 3. de consolat. prosa 6.
Nulla veritas apud sapientes obvia sæpius
Plutar. contra nobili. l. 10. est. Accinit Plutarchus : *quid enim*, ait, *aliud nobilitatem esse putamus, quàm opes antiquas aut veterem gloriam ? quorum neutrum in nostro arbitrio est : sed alterum inconstantis fortunæ, alterum propter humanam intemperiem est. A duobus igitur alienis superbum illud nobilitatis nomen pendet.* Similiter Seneca :
Senec. in epist. 44. *nec quod ante nos fuit nostrum est ; animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere.* Non sola sanguinis claritas, quin alia concurrant, magnum efficient : humili genere ortus quandoque præcellentior. Sublimi colle nascitur flos fœni brutorum pabulum ; terræ centro conduntur adamantis natalia, quod tempora Principum illustrat, eludens tempora. Fluminis præstantiam non de fontibus, à quibus promanat, dijudicas : sed ex aquarum copia & salubritate censes. Ab argento prodit stannum, ex optima radice truncus. Quid corvo prodest album nasci ? Quid ædificio præstat sub lapide primario reconditum aurum, si minitatur illud ruinam ? Artifex ingeniosus optimam ex creta fingit imaginem ; rudis autem ex argento formabit pessimam. Audi Chrysostomum de duplici fratre inæqualiter fœlici loquentem :
Chrysost. to. 4. hom. 16. in c. 9. ad Rom. *nondum enim genitis illis ait dictum est illi, major serviet minori : ac declarat nobilitatem eam quam caro affert nihil prodesse, sed animæ virtutem quærendam esse, quam vel ante ipsa opera Deus novit.* Opera igitur cujusque genus ipsius esse crede.

Post parabolam villici, qui à villicatione se timens amovendum, prudenter, quamvis iniquè domini sui sumptibus paravit amicos, hanc adjecit divinus Magister sententiam : *quia filij hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.* Quærit inibi Maldonatus : quid sibi velint hæc verba : *in generatione sua :* respondetque sic : *hoc est prudentiores sunt profani homines in malum, quàm justi & sancti in bonum.* Favet incertus sub Eusebij nomine ad citata verba : *prudentiores sunt illi in malo, quàm isti in bono.* Benè : sed cur non ait : in operibus suis sunt ? Quia cùm de hominibus incidit sermo, videntur idem opera & generatio. Filiorum sæculi mala opera non bonum eorum genus est : idem proinde fuit quod ait *in generatione*, ac si diceret in factis. Beda in hunc locum. *Filij autem lucis, & filij hujus sæculi vocantur, quomodo filij regni, & filij perditionis. Cujus enim quisque agit opera, ejus cognominatur & filius.*
Luc. 16 8.
Maldon. in Luc. ibi.
Incertus sub nomine Eusebij Emiss. hō. Dom. 9. post Pasch.
Beda in Luc. 16. ibi. lib. 5. c. 64.

Parentes equidem claros obtulit fors uni : operum ingenuitatem alteri merita conscierunt. An dubitas majus quid esse meritorum industriâ quàm fortuna casu fulgere ? Redi ad Chrysostomum : *stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum servatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci.* Fortunatus inclytus ortu, collatum accipit beneficium : & nulla difficultas in recipiendo visitur superanda, vel extollenda solertia. Benemeritus autem proprium excudit stemma, sibique dexteritatem valet gratulari. Heros minor esset, si dono fortunæ faventis ascenderet in sublime ; magnus erit si gradibus operum pervenire detur ad excelsum.
24. *Minus est ascendere nobilitatis auxilio, quàm gradibus meritorum.* Chrysost. in opere imperf. hom. 3. in Matth.

Nascitur Moyses eâ tempestate, quâ sævus Pharao puellorum Israëlitidum nativitatem causam esse mortis decreverat. Matris amor tenellum abscondere cupiens jam nequaquam valuit. Proindeque conditum in fiscellâ, ripæ fluminis tradidit, & sorti commendavit incertissimæ. Contigit, ut Regis filia descendens viderit infantulum, ejusque miserta nutriri jusserit, ac deinceps adoptaverit in filium. Post elapsa tempora reliquit aulam ipse, migravit in Madian : exindeque missus est ad Pharaonem legatus Dei. Tam varios expendentem casus divinæ providentiæ mirabilis altitudo non præterfugiet. Ad quid nascitur Moyses ? Ut Israëlem-ne redimat ? Pro munere hoc videbatur congruentius fore, si usque in egressionis populi tempora moraretur in Monarchæ palatio, nepotis regij nomenclatura decorus, ut hac via facilius populo pararetur libertas : si nempe dilectus à Pharaone, gentis dimissionem suæ fœliciter exoraret ab eo. Degener à titulo tam illustri custodit gregem ? ac de post fœtantes in Dei nuntium atque ducem charæ plebis assumitur ? Ita congruebat ut electi amici Moysis Deus consuleret splendori. Si præaltum assertoris Hebræorum decus præriperet, avi adoptivi favore juvante : sorti, quæ illum exposuit oculis Ægyptiæ Principis hoc debuisse fateretur. Non decuit fortunæ manibus hominem extolli talem;

cui

cui divina largitas Dei nomen conferre non
Exod. 7. 1. recusavit : *constitui te Deum Pharaonis.* Excellentiori viâ Moyses ad illud ascendit fastigium : non, inquam, per Pharaonis dilectionem ; sed merito sollicitudinis illius, quam in hujusmodi functione sedulus exercuit. *Negavit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cùm populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*, scribit Paulus ad Hebr. & commentatur Athanasius : *clarè enim prospiciebat majora quædam se accepturum.* Humilitas quâ valedixit honori : peccati odium, & in proximos charitas, evexêre Moysem ; non autem adoptivæ nobilitatis claritudo. Quid ergo *in multiloquio* perstrepit superbus, numerans ; non tamen imitatus, avos, & proavos ? Audi quid suadeat Apostolis Dei Filius : *patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim pater vester qui in cælis est.*

Hebr. 11. 24.

S. Atha. in epist. ad Rõ. 11. ibi.

Matth. 23. 9.

Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus & proavos strepitis ?
Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Boët. l. 3. d. consol. metr. 6.

25. *Dolor ab intellectu manans corda torquet.*

Secundam (quam pauciſſimi fugiunt) jactantiam injicit opinio de intellectus acumine, ac prudentiæ gurgite profundissimo. Nunc omitto quod ferè semper arenis Lybiæ siccior est ille putatus fluvius, & globo simillimum acumen ejus, qui se Tulliani, & amplius, ingenij seducit apprehensione. Demus tamen quòd judicij summam sortitus fuerit aciem : hoc jactat ? Inprimis, si rationis dissentit voluntas ducatum amplecti, similem inferno ducis vitam. Crede Bernardo. *Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur : dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur* &c. Si verò rationi conformem se rationalis appetitus exhibet, dabit adhuc intellectus dolorem. Repete Bernardum. *Vides*, ait, *quia differentia est scientiarum quoniam alia inflans, alia contristans est ? . . . non dubito quin dolentem tumenti præferas* &c. Martyrem dicam præcellens ingenium : hâc tamen ab aliis martyribus diversitate, quòd illi, utplurimùm, non corde ictus excipiunt, sed quidam frangitur cruribus, alter capite truncatur. At verò qui perspicaci pollet indole, torquetur corde. Mens & cor amicitiæ fœdera servant. Et sibi mutuò revelant arcana, & afflictione urgente solent auxilium ad invicem ferre. Cùmque duos inter amicos communia sint cruciamenta : nullus est dolor intellectum angens, qui non cor transfodiat. Vel, si potiùs placuerit, non martyrem dicas ingenium fœlix ; sed tortorem : quia martyr patitur ; cogitatio verò cruciat. Imò non aliò dirigit impetum nisi ad præcordia. Experto credendum Jobo.

D. Bernar. ser. 5. de Ascens.

Idem ser. 36. in Cant.

Job 17. 11. Lect. Septuag. ibi.

Audi peritissimum in arte patientiæ : *Cogitationes meæ dissipatæ sunt torquentes cor meum.* Ubi Septuaginta legunt : *rupti sunt articuli cordis mei.* Concinit Beda dicens ad verba sequentia. *Cùm ergo per diem acrioribus cogitationum morsibus roderetur, noctem venire desiderabat, sperans quod ejus silentium aliquod remedium quietis afferret. Rursum in ipsa noctis quiete, curis, ac sollicitudinibus diei remotis, magis in se vigilantes, & plus solito inquietas cogitationes patiebatur* &c. Ecce qualem sustinebat à cogitatu suo conflictum Jobus. Hoc tantùm dubito : dum violenter convelli suas cogitationes queritur : cur non torqueri dixit intellectum ? Quia cordi solet infligi dolor ille cujus radix est in mente. Penè vidêris excors tu qui mirabilem res omnes dignoscendi facultatem obtigisse tibi gratularis, cùm angores hujusmodi non experiris : vel tibi cor lapideum inesse dicemus, quod an consonet subtilissimo intellectui, nimis dubito. Hunc igitur ne jactes : vel te stolidum probat quod exultas de carnifice quem patieris insigni, lætabundus quasi de sortis excellenti dono.

Beda in 17. Job ibi. l. 1. c. 17.

Inficiaberis diriùs eum contorqueri, qui melius novit quod ipsum excruciat ? Quid est dolor ? Actus potentiæ appetitivæ refugientis malum. Sicut amor intenditur, si boni cognitio sumat incrementa, sic dolor excrescit ubi fuerit intensior mali notitia.

26. *Qui plus novit amplius cruciatur.*

Narrat quod acciderit sibi quiescenti Nabuchodonosor. Somnium vidit, quô perterritus jubet Sapientes vocari Babylonicos, ut interpretentur imaginem phantasiæ. Quorum tamen copia sic apparuit inops (& quis est hic qui nisi Deo plenus in aula non desipiat) quod exponere visum nescivere. Daniel ingreditur ad regem, qui vati portentum retulit, ac ut illud ediſſereret præcepit amicè. Turbatur fermè per horam Daniel : & non utcùmque ; sed ut habes apud S. Hieronymum dicentem : *tacitus intellexit Daniel somnium esse contra regem : & timorem cordis vultus pallore signabat : dolebatque* &c. sed prophetæ (quod mirum) animos injecit Monarcha. *Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora : & cogitationes ejus conturbabant eum. Respondens autem rex ait : Baltassar, somnium & interpretatio ejus non conturbent te.* Mœror utrumque vexabat : regem scili. quia somnij fatale monitum ipsius rem tangere vel non dubitabat, vel suspicabatur : necnon & vatem, *quia scili.* inquit à Lapide, *dolebat Daniel, regi sibi tam amico per hoc somnium tam dira portendi.* Dei videns erat Daniel ; non tamen confortat regem ; sed corroboratur ab eo ? Neu demiremur. Cùm duo premuntur eâdem afflictione, ille mitiùs agitari perhibetur cui ad alium solandum verba suppetunt. Propheta, simul & Babylonis Moderator, eâdem ferali figurâ territi præcordiis quatiebantur. Sed cum legam Nabuchodonosorem Danielis mæstitiam alleviare conatum fuisse : conjicio regem minus hâc ærumna fatigatum, quàm Danielem. Sed quare non tam urgetur dolore Princeps ? Quia somnium cortice tenus iste noverat ; Daniel introspiciebat quid portenderet ferale spectrum, & solet qui plus agnoscit, sæviùs malorum notitiâ macerari. Utinam dolor quem sapientia gignit, frequenter conciperetur pro iis quæ salutem

S. Hieronym. in Dan. ibi c. 4. to. 5.

Dani. 4. 16.

Corn. à Lapid. in Daniel. ibi.

Matth.5.5. Gerſon.p.1. tract.d.nuptiis Chriſti. attinent, nam *beati qui lugent* : exponit Gerſon : *has lachrymas inducit vinum ſacræ ſapientiæ compunctivum : eo quòd in multa ſapientia multa ſit indignatio, ait Eccleſiaſtes* &c. Sed proh dolor : nulla eſt miſeria temporalis, in qua ſapiens poſitus non miſerior ſit, ut notavit quidam expendens Boëtij luctum : *ſapiens miſer plus miſer eſt, quàm ruſticus miſer : ſcit enim exaggerare cauſas dolendi, quas ruſticus miſer ignorat.* Uſu rationis antea deſtitutus ex ægritudinis vehementiâ, punctiones eò plus dolet, quò perfectiùs reſtituitur ſibi : & altiùs tunc ingemiſcit, cùm jam integrè mentis compos factus eſt. Intellexiſſe nocuit. Nonne vides quid jactitas ? Non ad intellectum vibratur durioris exitij telum : ſed ille volens ab impetente protegere cor tuum, accurrit : & novum non eſt eum citiùs vulnerari, qui pugnantium furorem ſedaturus advenit. Mens excelſa gemit confecta luctu : quò enim eſt nobilior, eò tenerior.

Anonym. apud Thom. Hibernic. in flor. DD. verbo Miſeria.

27. *Sapiens ampliori corde indiget.*

Opportunius foret ut ſi polles ingenio præſtanti, vires ad hanc mœſtiſſimam ſortem ferendam, poſtulares à Deo. Acies interna tibi futura damna prænuntians accelerabit incommoda : diu meditans augebit præſentia mala : necnon & præteritos dolores revocabit. Sæpe te vulneratum deſpiciens relinquet hoſtis : & mens tua denuò tibi geminabit plagas. Ceſſet infortuniorum tempeſtas ; domeſtica ſævit adhuc procella : & quæ non extant detrimenta ut pereant, mens fingit ut crucient. Si plurimum ſapis, indiges ut à Domino tibi cor duplicetur, pro tolerantiâ quotidiani conflictus inteſtini.

Salomon in regno patris poſt ejus obitum confirmatus, & à Deo dilectus quieſcebat. Dum ſomnos caperet ſciſcitatur Omnipotens ab eo, quid velit. Ille tunc ſupplicem obtulit hunc libellum. *Dabis ergo ſervo tuo cor docile ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum.* Et quamvis, *docile*, poſſit accipi pro docto, ut notavit Sanctius ibi : tamen hîc addit utrumque petiiſſe regem, ſcili. cor & ſapientiam.

3. Reg. 3. 9.

Sanct. in 3. Reg. 3. ibi.

Petierat, opinor, Salomon à Domino ſapientiam, & intelligentiam ad regium munus exercendum : quod ſi illud non videretur concedendum, ſaltem cor docile ut ſapientum conſiliis adhæreſceret. Hæc ſanctius. Rex diviſim petebat : Deus donavit utrumque : *poſtulaſti tibi ſapientiam ... dedi tibi cor ſapiens.* En lego Salomonem poſtulaſſe cor : nunquid illo carebat ? Sapientiam in libro Paralipomenon petiiſſe refertur expreſſiùs : *da mihi ſapientiam :* quomodo hîc poſtulaſſe dicitur cor docile ? cùm ſapientiam deſiderat cor aliud ſibi donari flagitat, quaſi unicum à natura donatum non ſufficeret ſapienti. Excellenter docendus à Domino, curavit ut geminato corde muniretur adversùs futura civilia prudentis animi bella. Præſertim requiritur hæc innovatio cordis pro ſapientiâ ſpirituali : quàm etiam comitantur domeſtica prælia inter externum, & interiorem hominem, pro quibus magnitudine cordis opus eſt : *grande*, ait Ambroſius, *enim cor eſt à Domino creatum, quod recipiat verbum de cæleſtibus virtutibus ac poteſtatibus.* Etiam tamen pro temporalibus præliis, qui polles præacuto judicio, cor à Deo tibi conduplicari depoſce : congruit namque ſapienti cor ingens ; non autem hoc intelligas de turgenti, quod vacuum ſonat nimis *in multiloquio.*

Ibi v. 11. 12.

2. Paralip. 1. 10.

S. Ambr. to. 2. in pſ. 118. octon. 10.

DELIBATIO V.

Increpantur qui virtutes, & vitia vendunt non ementibus.

ECce loquacitatis alter morbus : virtutum nempe ſuarum tibicinem agere. Superbus & humilis quamvis eodem exerceantur opere, diſſident. Hic inde ſurgit ad Authoris gratiæ laudes ; ille vento diſtenditur in ſui præconia : & ut S. Iſidorus Hiſpal. dixit, loquens de pauperum alimoniâ : *dum cauſa jactantiæ pauper paſcitur : etiam ipſum miſericordiæ opus in peccatum convertitur.* Æmulari ſolent homines inverſis greſſibus Divinæ potentiæ metamorphoſes. Noverunt Deum ex delictis virtutes eruere ; componunt ipſi ex operibus rectis crimina. Illud providentiæ mirabile ; iſtud pervicaciæ ſumma.

28. *Ex virtute peccatum eruit homo, Deus econtra.*

S. Iſidor. Hiſp. l. 3. de ſummo bono c. 64.

Per Iſaïam ad meliorem frugem evocans à flagitiis populum ſuum, aiebat illis Deus : *ſi fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur : & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quî fieri poteſt ut reatus, qui nigredo ſunt, nivea reddantur ? Pro morali doctrina meditabar ſic. Divinæ largitati ſatis non eſt quòd vitio excluſo ſanctitatis candorem præbeat reſipiſcenti ; ſed mirifica tranſmutatione piacula videntur in virtutis nivem tranſverti. Dubito faveat ne dictis Chryſoſtomus locum ſic exponens : *nam ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum quaſi nivem dealbabo : quaſi nix dealbabuntur, inquit, & ad diverſum habitum convertam.* Si juxta rigorem philoſophicum loquitur, ſcis converſionem non eſſe puram ablationem unius cum adventu alterius in idem ſubjectum, ſed à philoſophis definiri : tranſitum unius in aliud. Inde collige an S. Doctor voluerit Deum ex ſceleribus nitorem ſanctitatis eruere per converſionem. Si per te mihi licuerit hoc opinari : quânam cauſâ permotus id exequatur Dominus inquiram. Præſtò erit. Ne, ſcili. plus hominum iniquitatem valere videatur ut perdat, quàm Dei gratia poteſt ut perdita reſtauret. Nonnunquam virtus ipſa per induſtrioſam nequitiam vertitur in erratum. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Nomine argenti ſignificari dicitur hoc loco fidem ; ſed non incongruè poteſt accipi necnon pro cæteris benè geſtis : cùm unaquæque virtus argentea moneta ſit, quâ regnum cælorum comparatur. Expoſuit Hugo Cardin. hic : *argentum tuum, ideſt, nitor ſacræ doctrinæ, puritas vitæ* &c. Quæro : Deus qui virtutum pauperiem in plebe accuſare volebat : quare non potius dixit : argentum tuum à prædonibus (hoc eſt vitiis) diripi um

Iſai. 1. 18.

Chryſoſt. to. 4. hom. 8. in 1. ad Cor.

Iſai. 1. 22.

Hugo Card. in Iſai. c. 1. ibi.

direptum est? Quia summus iniquitatis apex non est virtute relictâ sectari nefas; potiùs erit oppositio Divinis transversionibus conamine, sicut Altissimus ex noxâ bonum educit: sic econtrariò mortalium audaciam idipsum quod naturâ suâ rectum erat, in execrandum nefas transvertere, quod videtur esse dictum à Domino per os propheticum: *argentum tuum versum est in scoriam.* Quid aliud agit virtutum suarum jactator? Bonis alioquin operibus abutens in quæstu plausus, egregia facta degenerare cogit in culpam. Hoc *in multiloquio non deerit peccatum.*

29. *Cui deest unius virtutis opus, cunctis destitui videtur.*

Regulariter si loquamur, non adeo perfrictæ frontis erit præco laudum suarum ut virtutum omnium copiam sibi adesse buccinet. De unâ, vel alterâ se jactitat; de reliquis vel ficta humilitate silet, vel nihil audet asseverare, ne falsi convincatur. Saltem exhinc concluditur omni bono vacuus: D.Greg. M. l.21.mora. c.3.to.1. *omnes quippe virtutes*, ait S. Gregorius M. *in conspectu Conditoris vicaria ope se subleVant, & quia una virtus sine aliâ, vel nulla est omnino, vel minima, vicissim suâ conjunctione fulciantur.* Cælum non unica stella exornat: & cælum est anima justi, non una virtute conspicua. Domus est: quam semel atque cœlestis lux obintraverit, fieri nequit ut ex parte lucida sit, partim verò tenebrosa. Si tenebræ ad aliquod latus domi permanent, penitus luce tecta carent: sic ubi non totus animus radio spirituali micat, est perinde, ac si nulla reperiretur ibidem probitas.

Versare juvat iterum Salomonis insomnium, de quo proximè nonnihil prædixi. Ait Dominus ipsi, cùm tradidisset ille palpebras placidæ quieti: 3.Reg.3.14. *si autem ambulaVeris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit Pater tuus, longos faciam dies tuos.* Si hunc loquendi modum attentè meditemur, suspicabimur Salomonem degisse tunc prorsus extra Dei, patrisque vias: nam Dominus de futuro loquens dixit; non quidem: si perseveraveris; sed: *si ambulaveris in viis meis, & custodieris præcepta* &c. Quare sic Deus agit cùm Salomone? de quo nuper textus: *dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis David patris sui.* Ibi n.3. Vide quid sequatur: *excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama.* Lira in 3. Regum c. 3. ibi. Vbi Liranus: *illud erat licitum pro eo tempore, tamen minus bonum:* & infra: *melius erat talia offerre in loco ubi erat arca Dei.* Meritò proinde ad Salomonem eâ phrasi Dominus utitur, quasi tunc extra virtutis omnino tramitem oberrans, nihil ex Dei lege servaret: *si ambulaveris .... & custodieris:* nam qui omittit unum supererogationis opus, quasi vacat omni bono, propter strictum virtutum nexum. Si unicus defectus in re quæ sub præcepto non erat, plura devenustabat egregia, vel ferè ad nihilum redigebat: quid putas de illo dicendum, qui unum exercens rectum, illo cunctorum aures obtundit perpetuò, deficiens in cæteris omnibus, quorum debitor est? O quot piacula malè tegit propriæ laudationis umbra! Isto *in multiloquio*, reliquorum transgressori *non deerit peccatum.*

30. *Scelus palam ad exitum perduces; virtutem sæpe non ita.*

Imo vereor quod ipsa, qua verè polles, virtus declamata pereat. *Sermo autem ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata suffragia tentat.* Hæc D. Augustinus. Flores in mari nusquam virentes vidisti, quantumvis multum sparij terræ sensim suffuretur unda. Mundus æquor est: non ibi virtus florebit, si eam ipsi committas. Solius hujus boni sine socio secura possessio est. Detestabile facinus etsi palam aggrediaris, ad finem perduces; opus verò bonum sæpe non ita. D.Aug.to.1. l.11.confess. c.8.

Duplicis genitoris textus meminit sacer: quorum uterque filium offerre voluit in holocaustum. Abrahami usque ad nauseam auditorum notissima est historia: rationalem paravit ille victimam in montis abdito secessu, prius tamen servos dimiserat. Non sic Rex Moabitidum, qui Hebræorum obsidione pressus, impiâ voluit hostiâ Deum suum placabilem sibi reddere. Non templum aliquod solus abiit ut mactaret libamen humanum; sed, ut aiunt, in oculis Solis hujus litavit gnatum, super ipsa nempe mœnia civitatis. *Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum:* &c. 4.Reg.3.27. Unius & alterius discrimen loci mente volutemus. Ex his parentibus prior ad sepositum mittitur fastigium? alter in ipsa urbis frequentiâ, coram suis & hostibus exequitur sacrificium? Abrahami, & regis Mesæ dispar admodum fuit oblatio. Ille vero Deo munus pium imposuit aris, heroïcam virtutem executioni mandans. Mesa filium necans, non solam paternam læsit pietatem, sed idololatriæ crimine se polluit, humanam victimam deo suo mactans: nam *erat etiam idololatra*, ut inquit Liranus: & infra ex Rabbi Salomone refert, nec impugnat, regem Phœbo, cujus radiis excæcatus numen luminare putabat, filij necem dicavisse. *Rex Moab cepit filium suum primogenitum, & immolavit eum deo suo, scili. Soli, quem pro deo colebat.* Crimen immane, licet in omnium conspectu patratum, nullius patuit obstaculo; insigne gestum suum si pater credentium Abrahamus intenderet cunctis cernentibus executioni dare, non egeret angelo cohibente ut retraheret manum ab incepto. Imo quamvis ad exitum perduceret holocautoma, periret forsan ostentationis ægritudine meritum. Lira in 4. Reg.c.3.ibi. Idem ibi.

Ad ecit in uno montium, quem tibi dixero. Et hic similiter, ut dum ascenderet senex, infringeretur impetus, lassaretur dextera, deficeret intentio: dum quæreret montem discere, dedisceret apparatum. Ambrosium audis: ultima verba rumina. Imò non à solâ turbâ declinandum fuerat, sed vel ab ipsis domesticorum oculis fascinationem potuit metuere sanctitatis heros. Ambrosium revoca: præsentissimus aderit. *Captiosè*, inquit, *autem loquebatur cùm servulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu.* Trepidavit ab hominum lu- D.Ambr.l.1. d.Abraham c.8.tom.1. Idem ibi.

minibus immota columna. Et arundines vento agitatæ ſtabilem exiſtimant virorem ſuum? inſuper & zephyri plùs ambiunt *in multiloquio* jactabundæ?

31. *Honore ambire delictio provocat citiùs Dei vindictam.*

Turpius aliud non ſemel invenitur in multiloquis jactantiæ genus. Vitia ſua prædicant, non virtutum ſed vitiorum hypocritæ: verè triſtiſſimi, utpote qui malo ſuo gloriantur. Ex delictis quædam ſunt apud ſpectatores fortunatiſſima. Deficiat quis in audiendo ſacro: vereor ne apud inexorabile detractionis tribunal ſuſpectus de fide judicetur. At ſi ſtupra committat, vindictas exequatur, & ſimilia non paveat, extollet illum vulgus de ruinis. Credendum ſanè quod gravi noxâ quacumque diſpendium ſummi noſtri patimur honoris: nam filiationem Dei amittimus. Et adeo ſtupidi ſunt mortales, ut hoc ipſo nævo quô fœdatur, nomen celebre cupiat reddere ſuum. Clamat ultionem advocans qui ſic inverecundè peccat. *Peccatum perpetrare crimen eſt, peccatum prædicare clamor eſt*, dixit S. Iſidorus Hiſpalenſ. Accelerat miſer homo vindictam Dei, ſi honorem lucrari deſiderat ex crimine.

S. Iſid. Hiſpal. l. 2. d. ſumm. bon. c. 20.

Noëmi temporibus ita mortalium exercere flagitia, quod illuviæ cataclyſmi diluendam turpitudinem Orbis judicaverit clementiſſimus Dominus. Juſto præcipitur ut arcam fabricet, ipſius, & ſuorum fidum receptaculum: quæ juxta communem Orig. Rup. Aug. Greg. M. & aliorum ſententiam annis peracta centum. Nec tamen ſtatim atque conſummata fuit, inundavit ſtrages fatalis aquæ; ſed adhuc per dies aliquot cunctatum eſt ſupplicium. Poſt ultrices undas diviſa eſt Patriarchæ poſteritas. Eorum quidam præteritam cataſtrophen, vel obliti, vel non paventes elati ſuperbiâ, civitatem cui turris emineret conſtruere conantur, cujus culmen cæli verticem poſſidere videatur. Æquiſſimus tunc rerum Arbiter non interponit moras: feſtinat obſtare cœptis: *cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum.* Difficile-ne foret Omnipotenti diruere turrim, poſtquam ad culmen perducta fuiſſet? Utquid properat punire vanitatis artifices illemet qui terram iniquitate repletam plectere diluvio procraſtinavit longiſſimè? Circunſtantia quædam impulit ut ædificij cæcam audaciam ocyùs ulciſceretur. Vide quid intendebant: nomen ſuum peccato condecorare, dixerant etenim: *venite, faciamus nobis civitatem & turrim cujus culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum:* ubi Chryſoſtomus. *Vidiſti radicem mali? ut, inquit, perpetuam memoriam conſequamur, ut noſtri perpetuò memores ſint poſteri: tale erit noſtrum opus, ut unquam oblivioni tradatur.* Ex ipſo peccaminoſo facto parabant honorificum ſibi titulum iſti? Æquum erat ne juſtitia remoraretur pœnas eorum qui ex delicto reportare nominis fulgorem ambiebant. Ante mundi horrendam exundationem, nimia fuit peccandi libido; non tamen per crimina celebritati memoriæ fragilitas attendebat humana conſequendæ: ſed corruptioni ſerviebat ſuæ. Propterea tardavit clementia mulctam: quaſi difficilior foret patientia criminis quô ſemetipſos luto geniti putant in cælum extolli.

Gen. 11. 6. 7.

Ibi n. 4.

Chryſoſt. to. 1. hom. 30. in Gen.

Ratio in promptu eſt. Qui ex infirmitate peccat, vel ſui reatus fœditatem agnoſcit: vel ad minus non approbat intellectu quod voluntate delirat. Is autem cui decus in malefactis poſuit libitus mentis defectus: crimen ſuum comprobat, & jactantioſus applaudit. Trans divinæ tolerantiæ metas (quamvis illimitata ſit) poſitum videtur veſaniam pati commendantis crimen ſuum. *Dicatur ergo*, monet D. Gregorius M. *ſit nox illa ſolitaria, nec laude digna: ac ſi apertè exoret, dicens: culpa quam fecimus ſola remaneat, ne dum laudatur & defenditur, in conſpectu nos noſtri judicii multipliciùs adstringat.* Qui perperam geſtum dictumve ſuum approbationis laude proſequitur, delinquit intellectu: qui nobilitate clareſcit, utpotè quem humanæ reipublicæ, quæ latet intra nos, facilè ac difficilè principem novimus. Cùmque injuria tantò plus doleat, quantò ab illuſtriori fuit inflicta, vix ſuſtinet imperturbabilis patientia Dei criminis audaciam, cùm illud ipſe reus approbans laudare non veretur.

32. *Exaſperat Dei patientiam qui ſe de ſcelere laudat.*

D. Greg. M. l. 4. moral. c. 19. tom. 1.

Quater lego Dominum à Judæis appellatum fuiſſe dæmoniacum: primò cum turba dixit: *dæmonium habes: quis te quærit interficere?* Secundò paulò priùs quam in templo lapides arriperent adverſus eundem: *nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu & dæmonium habes?* Tertiò ibidem: *nunc cognovimus quia dæmonium habes.* Quartò poſt illuminationem cæci à nativitate. *Dicebant autem multi ex ipſis: dæmonium habet, & inſanit:* nullibi tamen, præterquam ſecundo loco, manſuetudinis exemplar id convitium verbo propulſavit: ſed vel ſiluit, vel aliorſum locutus eſt. Erant ne amariora verba Judæorum illa quibus adhibuit reſponſum, dicens: *ego dæmonium non habeo?* Contumelia certè una fuit ubique: ſed modum peculiariter excedere viſi ſunt, cùm dictum ſuum approbare auſi, ſe benè dicere affirmant; cùm dixerint peſſimè: *nonne benedicimus nos quia Samaritanus es tu & dæmonium habes:* Commentatur Hugo Cardi. *ideſt verè & juſtè.* Hic quaſi ſummâ violentiâ raperetur mitiſſimus Dominus extra ſolitos animi tranquilli fines, depulit probrum petulantium linguarum illemet idem qui falſis impetitus apud iniquum judicem, & interrogatus ab eodem, *non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer.* Sic eſt impudenter dira pervicacia de flagitio ſe laudantium.

Joan. 7. 21.

Ibi c. 8. n. 48.

Ibi n. 52.

Ibi c. 10. 20.

Ibi c. 8. 49.

Hugo Card. in Joan. 8. 48.

Matth. 27. 14.

Non hic ſiſto calamum: quia ulteriùs pergit jactationis propriæ phreneſis. Et criminum quæ non commiſerunt jactatores invenies. Quis eò perventuros amentiæ crederet illos, qui etiam leviſſimam calumniam acerbè dolere profitentur gemitibus. *Dicis te hominem in prælio interfeciſſe*, ait S. Ambroſius, *& homicidii reatum ſuper te impoſuiſti. Lingua mendax fecit quod manus non prævaluit.* Quid non mortales coget vanus amor placendi

33. *Qui ſe falsi de crimine jactat, nec hominibus arridebit, nec divinam fugiet vindictam.*

S. Ambr. to. 5. in c. 12. Apocal.

placendi sæculo ? Quia mundo grata vident esse turpia, falsò crimine se fœdant, ut arrideant illi detestabilia muneranti. Quanam putas Dei animadversione dignos hujusmodi peccatores falsos & veros ? Hæc est eorum supplicij lex æquissima, scili. ut nec hominibus complaceant, nec divinam ultionem evadant.

Absalonem impietatis reum prælio victum, crinibus de quercu pendentem, lanceis tribus missis confodit Joab. Gnati cædem quàm lachrymabili pectore David exceperit notum est ; non tamen dolorem punitione Joabi mollire curavit ; sed eam ad Salomonis tempora servans distulit valdè. Non ita se gessit rex idem cùm Amalecitâ, qui Saülis mortem denuntians, ejus necis authorem seipsum asseruit. Protinus eum jussit occidi. *Vocansque David unum de pueris suis ait : accede irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.* Plus ne doluit David Saülis, quàm Absalonis mortem ? Non credam. Amalecites nuntium se Davidi reportare gratissimum putavit. Unde videbatur potius ex hoc munerandus, quàm supplicio afficiendus : quod & ipse rex disertis verbis fassus videtur, dicens : *cui oportebat mercedem dare pro nuntio.* Cur ergo mercedis loco rex æquus ipsi mortem decernit ? Ne causam in Davide quæras: Dei judicio factum agnosce: adolescens namque dum ait : *stansque super eum occidi illum:* falsò jactavit interfectionem Saülis, quam non peregerat. *Similiter*, inquit ibi Liranus, *in hoc mentitus fuit, quia Saül semetipsum occidit.* Et valdè favet ipsa Regum historia paulo antea narrans : *arripuit itaque Saül gladium, & irruit super eum :* quod enim Josephus censuit, scilicet quòd quamvis irruerit Saül super gladium, tamen quia debilitatus erat non potuit seipsum transfigere, non consonat contextui, ubi mox post illa verba : *irruit super eum*, additur : *quod cùm vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saül* : ergo ex eo mortuus est quod irruit super gladium, quin egeret Amalecitâ. Hic falsum sibi crimen imposuit ut regi obsequium præstaret ? Nec Davidi gratus fuit : nec ab ultione divinâ permansit immunis : *& sic*, ait ibi Lira, *justo Dei judicio, de mendacio, de quo sperabat impetrare gratiam reportavit mortem.* Adde Ambrosium suprà : *venitque quidam homo ad sanctum David, & dixit quod ipse Saülem qui eum persequebatur interfecisset : sed ille spiritu prophetiæ mentitum esse eum intelligens, veluti homicidam punire jussit* &c. Huc devenire solet præceps jactantia : quod frequenter *in multiloquio non deerit peccatum.*

2. Reg. 1. 5.
Ibi c. 4. 10.
Ibi c. 1. 10.
Liran. in c. 1 l. 2. Reg. n. 10.
1. Reg. 31. 4.
Ibi n. 5.
Liræ in c. 1. l. 2. Reg.
S. Amb. proximè suprà.

DELIBATIO VI.

In orando multiloquium damnatur.

34. Plùs in oratione loquitur qui fervidiùs orat. Matt. 6. 7. 8.

OPprobrium videntur irrogare prolixas orationes fundentes omniscientiæ, benignitatique Domini, qui docuit discipulos dicens : *orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici : putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Igitur vel ora corde : nam etiam sic Deum alloqueris (*quem Deus audit non est mutus*, ait Petrarcha) vel saltem, *noli verbis excultioribus in oratione tua uti. Sæpe enim infantium simplicia & pura, & balbutientia verba patrem suum qui est in cælis placaverunt. Noli conari multum loqui, ne mens tua ad inquisitionem verborum distendatur. Unius publicani sermo placavit Deum, unumque fidele verbum salvavit latronem. Multum in oratione loqui, mentem sæpe imaginibus illusit, intentionem dissolvit. Parum autem, aut unum etiam verbum in oratione loqui, colligere mentem consuevit.* Hucusque S. Joannes Climac. Verba longiusculè transcripsi : quia non multus est loquens contra multiloquium. Et si adhuc in rogando verborum pluralitatem amas, ut in conspectu Dei totum spiritum profundas : docebo stylum preces ampliandi. Ferventiorem habeas orationem : & erit largior quin verbum addas.

Petrar. d. remed. adv. 103. S. Ioan. Clim. in scal. grad. 28.

Hoc ipsum docuit divinus Magister exemplo. Tempus erat quô nulla quies odio inerat, nec amori. Jamjam imminebat passionis Dominicæ tempestas atrox : cui crudelitas inhiabat, & quam divinum Redemptoris pectus ardebat. Nihilominus Verbum nolens humanitatis jura lædere, permisit ei ut exitium nefandum reformidans postularet ab Æterno Parente calicem averti perhorrificum. Iterum & tertiò rogat. Lucas attamen solius tertiæ orationis meminit : nam statim ad suos venisse discipulos narrat, locutumque illis : & adhuc eo loquente Judas appropinquabat, ipsumque sequens turba cæcorum ducem exoculatum. Hoc posito : velim ne prætereas illa verba Lucæ : *& factus in agoniâ prolixiùs orabat.* Comparativum adverbium, *prolixiùs*, ad secundam orationem præcedentem respicere liquet. Sed quomodo ? nam D. Matthæus affirmat in rogatione tertia Christum Dominum idem dixisse. *Et relictis illis iterum abiit, & oravit tertiò eundem sermonem dicens.* Imò licet daremus non de tertia, sed de secunda oratione locutum fuisse D. Lucam, insurgeret eadem dubitatio : quia de secunda S. Marcus docuit à Servatore idem fuisse in illa dictum, quod prædixerat in prima. *Et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens.* Vel igitur de tertia, vel de secunda Redemptoris obtestatione sermonem factum velis apud Lucam, difficilè videtur quâ ratione illa precatio comparata priori dici potuerit prolixior, cùm juxta prædicta Christus Dominus idem protulerit. Dubium solvit Syrus : qui ubi vulgata legit, *prolixiùs*, transtulit, *intensiùs* : quasi sint longiùs protractæ quæ fervidiores fuerint preces.

Luc. 22. 43.
Matth. 26. 44.
Marc. 14. 39.
Lect. Syr.
Luc. 22. 43.

35. Dei celeritas in exaudiendis afflictis.

Tu fortè verborum quibus Deum sollicitas longitudinem brevitatemve metiris aliter atque divinæ solent aures. A lingua sumis eorum initium, & falleris : nam coram Deo priusquam à labiis emittatur vox, jam insonat. An longè positus est qui nos exaudiet ? *Munda tantùm cubiculum cordis, ubi fueris, ubicumque oraveris, intus est qui exaudit,*

D. Aug. to. 9. tract. 10.

initio. in Ioannem.

dit, intus in secreto, quem sinum vocat cùm ait, & oratio mea in sinu meo convertetur. Qui te exaudit, non est præter te &c. Verba sunt Augustini. Quinimo jam exaudiris antequàm corde loquaris.

Adversus pauperum oppressores pro eorum tenuitate Deum vindicias acturum esse Ps. 9. 38. vaticinabatur David. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Non mirum quòd verbis utatur de præterito, pro futuro: nam paulo antea, cùm de regno Dei sermo incidit, utitur futuritionis phrasi: vatum frequens mos est uti futuro pro tempore præterito, & econtra. Mysterium fortè latet in prioribus Davidicis verbis: scili. quod velut invictus Deus accedat exequuturus supplicium, & majestatem ostensurus: ideoque Ibi n. 37. de futuro dicatur: *Dominus regnabit in æternum .... peribitis gentes de terra illius:* cùm tamen pro miseratione præstanda tempus acceleret ita, quod præteritum loco futuri præpropero stylo collocari valeat: *desiderium pauperum exaudivit:* nova, sed apud clementiam Dei usitatissima, grammatica! Hoc omisso notandum occurrit: quòd cùm, de more nostro loquens, Deo accommodat aures: *audivit auris tua:* non pauperum verba dixit audiri, non cordium gemitum, sed

Oratio sistitur coram Deo priusquam exeat è corde.

præparationem cordis. Ita velocitatem Dei pensitare, orationisque longitudinem rectè metiri, licebit. Non à primo verbo sumit initium deprecatio: non à cordis priori suspirio; à cordis præparatione, quæ preces antecedit, istæ computantur: *neque enim existimamus*, ait S. Basilius, *Deum admonitione, quæ fit per verba, egere; verùm nosse etiam nobis non petentibus, ea quæ nobis conferant.* Simul iisdem psalmi verbis *notatur secundò facilitas exaudiendi, cum dicit: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Sic ibi Cardin. Hugo. Quid ergo verbositatem orans dispergis *in multiloquio*?

D. Basil. ora. d. grati. actione. inter varias 5.

Hugo Car. in ps. 9. 41.

36. *Ora, sed non obliviscaris quatia sint opera tua.*

Reliquum est aperire quodnam sit peccatum illud, quod orantibus *in multiloquio non deerit.* Unum saltem è duobus: præsumptio scili. ac diffidentia. Quoad prius. Insinuare se virtutibus assolet superbiæ fastus: & in flatus verborum prorumpunt inflata corda. Sic dum publicanus in templo, quinque verborum compendio peroravit; Pharisæus multo vocum apparatu, sub gratiarum actionis prætextu, curavit potiùs de se proferre panegyrim, quàm ad Altissimum

S. Bern. ser. 4. Quadrag. juxta finem.

dirigere periodum. *Nec hoc dico ut peccatoribus auferam orandi fiduciam: sed volo orare tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentiâ peccatorum suorum in animo contrito, est spiritu humilitatis, quemadmodum publicanus ille* &c. Ita D. Bernardus. Cognata est superbiæ turgida garrulitas. Elationem vitare cupis? Audi Pauli consilium, & amplectere. Opera tua coram oculis habe: sique factis adhæreat macula, tumorem verecundiâ deprimendo superabis, & velut Junonia volucris pennas demittes coactus fœdo gressuum tuorum conspectu.

Scribens ad Timotheum gentium Apo-
1. Tim. 2. 8. stolus, consulebat in hæc verba: *volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus, sine ira, & disceptatione.* Quamquam ad litteram hortetur consuetudinem Ecclesiæ servari, quâ lavabant omnes oraturi manus aquâ præ foribus templorum ad id munus paratâ: nihilominus litterali secundo sensu (forteque præcipuo) de puritate spirituali Paulus agit. Sic suadet lectio duplex. Pro, *puras*, Græcus habet, *sanctas*: Tertullianus, *innocuas.* Et S. Augustinus dixit ad hunc locum allusione factâ: *in manibus opera debemus accipere; si ergo talia sunt opera, ut ea possis in altum in conspectu Domini levare, potes etiam & tu in te ipso adversarios tuos excludere.* Imo ex ipso contextu deducitur sensus iste: nam ut manuum puritatem explicaret, videtur addidisse: *sine ira & disceptatione*: horum enim & similium labes hominem coinquinat. Sed quid interest manuum in altiora levatio? mentem ut elevet orans oportet: manus autem quô fructu sursum erigere monetur? Ut præ tuis oculis manus propriæ (hoc est opera) maneant dum vota fundis: nam si manibus adhærent nævi, cæcusque non es, turpitudinem te maculantem cernes, & præsumptionis pompam præcipitabis, ne cadas. Proficuum magistri morum sectare consilium, nec pigebit: supercilium audax vitabis vel depones: quod orantibus non adhuc perfectis *in multiloquio non deerit peccatum.*

Lect. Græc. Tertull. in apolog. c. 30. S. Aug. ser. 93. d. temp.

37. *Diffidentia orationem fascinat.*

Aliud simul extremum effugere memento, circa quod necnon verbosa nimis delinquit oratio. Videas ne superbiam devitare cupiens incidas in fiduciæ defectum. *Timida quidem oratio cælum non penetrat: quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò in ascensu languescit & deficit: eo quod non habeat vigorem.* Verborum auxilium coacervans pro deprecando noscente corda, motiva quærit agglomerare, quæ Deo proponat, ut iis permotus postulata concedat. Divino amori non levem per hoc infert injuriam: utpotè quem tacitè sic appellat indignum quod in ipsius erga nos benevolentiâ quiescamus. Deus autem, qui se nostrum fidissimum amatorem gloriatur, ita per hujusmodi timores læditur, ut diffidenti neget beneficium quod minus est, postquam eidem fiduciaiter oranti concesserat majus.

S. Bern. proximè supra, fine.

Hebræi quondam auro in vitulum efformato divinos honores obtulerunt. Versabatur interea Moyses in monte, Deum affatus amice: cui Dominus, quasi dolorem suum sic lenire vellet, audaciam populi narravit, quâ se derelicto simulacrum inanime pro Deo coluerit: insuper & pro tanto reatu delendum Israël asseveravit. Ad hæc totis viscetibus commotus ille precatus est Dei clementiam, & placavit justitiam. *Placatusque est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.* Descendit Moyses, & inflammatus ultionis divinæ zelo quasi viginti tria millia jussit occidi Levitarum gladio. Sequenti die locutus est ad plebem, & promisit advocatum agere pro eodem crimine coram Domino: quem obsecratus est enixè, sic ut se de libro vitæ ex-

Exod. 32. 14.

pungendum,

pungendum, vel ſcelus illud condonandum autumaverit. Hoc tamen reſponſum ſuæ poſtulationis accepit: *qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo: tu autem vade, & duc populum iſtum quo locutus ſum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Reipſa vindicaſſe Deum huiuſmodi ſceleſtiſſimum factum addit ſtatim ſacer textus. *Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron.* Hæccine repoſuit amico ſuo qui mutationis expers eſt, cui pridie petenti veniam annuerat? *Placatuſque eſt* &c. Scio rem facilè componere loci commentatores: nam primùm non delendum funditus populum propter hoc delictum repromiſit Deus; poſthac verò minori mulcta coërcendum fore dixit. Sic Liranus ad illud: *placatus* &c. *non quòd pœnam*, ait, *omnino dimitteret, ut paret ex ſequentibus; ſed ne omnino deleret, ſicut dixerat: dimitte me ut deleam eos.* Similiter A lapide. *Placatuſque eſt Dominus: ne ſcili. deleret populum, uti deſtinarat; ſed ut alia plaga eum caſtigaret*, &c. Adhuc pungit ſcrupulus. Eò largius beneficium confertur per veniam, quò major pœna remittitur. Plus erat Iſraël de medio tolli, quàm plaga flagellari: ergo fuit amplius donum quòd Altiſſimus placaretur ne deleret illum; quàm foret ſi condonaret ſupplicium iſtud minus, quod poſtea inflixit. Et qui benignus ad Moyſis obſecrationem dimiſerat quod grandius eſſet, repulſam dat amico eidem poſtulanti quod non adeo magnum foret? everſionis, inquam, priùs revocavit ſententiam? & poſtridie de flagellatione omittenda non ſimili benignitate reſpondit? Suſpicor Moyſis orationem unâ & alterâ die, non per omnia circumſtantiis æqualibus veſtitam apud miſerationis Dominicæ tribunal apparuiſſe. Luce priori (quando nempe Deus Moyſi dementiam retulit Jacobeæ prolis) ille ingenti fiduciâ erectus in ſpem Dominum oravit: & ita ut ab eo rationem iraſcendi percontaretur qui ſui rationes regiminis mortalibus reddere nequaquam tenetur. *Moyſes autem orabat Dominum Deum ſuum dicens: cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum* &c. inſuper inſinuavit honori Divino congruere ne perderet plebem illam: *ne quæſo dicant Ægyptij: callidè eduxit eos ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quieſcat ira tua* &c. Et quæ grandior confidentia, quàm ſi dicas in utilitatem cedere donantis quod flagitas? Tunc igitur Moyſi confidentiſſimè roganti Dei manſuetudo aſſentitur. Poſtridie non ſic: quia titubans aſcendit ad montem pro Iſraële precaturus: *peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quo modo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* Hæſitans cum oravit, repulſus eſt: *viſitabo* &c. Læſum fidei nutantis metu Numen poſtulatum non conceſſit, cui priùs amicabiliter audenti lubens indulſit petitam culpæ veniam, quo ad integram populi cataſtrophen.

38. Oranti occurret ſors per infortunij viam.

Orationis anima fides. Et ſanè ſi precum vires lentè penſemus numquam languidam rogationem Deo conſecrabimus. *O mira orationis potentia*, exclamat Ambroſius. Deſperatis jam naturæ mediis, ad optatum finem, etiam per infœlicitatis invium tramitem preces deducent orantem. Rogare qui Deum omiſerit experietur, quod erit illi gradus ad exitium illud quod aliis iter fuerit ad ſortem. Si ad orandum confugerit, per ipſum naufragium appellet portui.

S. Ambr. to. 1. l. d. 40. Manſi. manſione 11.

Teſtetur Jonas per varios caſus experientiâ doctus. Præceptum accepit Dominicum, ut Ninivitarum ſubverſionem denuntiaret iiſdem. Ille, vel quia non latebat Dei minas intercedente pœnitentiâ placari facilè: vel quia mæſtiſſimum agere nuntium detrectabat, fugam cepit: & Joppen deſcendens conſcendit navim ut iret in Tharſis: quaſi profugus reatum ſuum comitem non haberet, ac monitorem. Ecce ſpirare cœperunt valentiùs feroces venti, freta miſcuere furentia: clamant viri, ſtrident rudentes, reboant æthera, deficit ars, dormit Ionas: nam peccator adeo clauſis degere ſolet cordis foribus, ut etiam vehementiſſimo tonitru fulmen portendente non expergefiat. Excitatur denique à ratis miſerrimæ pavido gubernatore: qui monuit hiſce verbis ignotum prophetam: *quid tu ſopore deprimeris? Surge invoca Deum tuum, ſi fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Ad ſortes ventum eſt, ut immitis procellæ cauſam noſſent qui minaces effectus effugere non valebant. *Cecidit ſors ſuper Jonam*: timent cuncti qui delictum ex ipſius labiis audierunt: ſuique judex ipſe vates ut in profundum demergatur conſuluit nautis: & iſti Jonam in æquor dimiſerunt ſibi conſulere cupientes. Ipſum præparatus à Dei providentia deglutiit piſcis: ac officium navis, & naucleri agens, incolumem tranſtulit in aridam. Incomprehenſibilia ſunt equidem Altiſſimi judicia: tamen admirari licet quæ ſcrutari non datur. Decreverat Deus prophetam ſervare: cur in gurgitem præcipitari ſortium interventu permittit? quare navim conſcendens turbine quatitur, qui ceto clauſus appulit portum? Supplex poteſtas orationis hæc fuit. Cùm navigaret Jonas jacebat ſomno depreſſus: nequaquam orabat: imò jam vigil admonetur ut oret, ac nihilominus precum non utitur auxilio. Quid hujuſmodi accediæ putabas fore ut accideret? Navis, quam ut aſylum quæſierat aufugiens, ipſi poſtremum attulit periculum. Sortes, quæ ſodalibus evadendi naufragij viam aperuerunt, eundem tradidere furentibus vorticibus aquarum. At verò in ceti viſceribus concluſus ille meliora ſapuit: nam *oravit Jonas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Oranti, cete cujus ferocia cuicumque alteri certiſſimam & horrendam adduceret ſtragem, veluti ſi pietatem indueret, ſecurum præbuit conductum, & ſoſpitem deportavit ad littus, per infortunij vias fœlicem. Ad Deum revertenti callis patuit per orationem. *Circundatus aquis*, ait ibi Rupertus, *vallatus abyſſo, coopertus pelago, concluſus vectibus terræ, non dubitat aut interrogat utrum orationem ſuam poſſit Deus audire .... orat fideliter, ut orationi Deum tantis, tamque profundis, anguſtiis*

Ion. 1. 6.

Ibi n. 7.

Ibi 2. 2.

Rup. l. 1. in Jonam c. 2.

Ibi 33. 34.

Ibi n. 35.

Lira in Exod. 32. 14.

Corn. à lap. in Exod. ibi.

Exod. 32. 11.

Ibi n. 12.

Ibid. n. 30.

ad se erumpere gestienti, viam ipse faciat, venientem ipse suscipiat. Hæ sunt humilis obsecrationis validissimæ vires cujus potentiâ sic rerum invertitur ordo, ut per malorum semitam fœlicitas obvia miseris occurrat peroptata.

39. *Orationis arma non unicam victoriam consequuntur.*

Ulterius adde, quod mehercle multò amplius est. Non tantùm fortunatum solet exitum oratio consequi : sed etiam sortis mobilitatem reddit stabilem. Minimè sola fœlicitas unica precanti contingit : vincet iterum, superabitque discrimina faustus. Paucis solitat secunda sors obvenire secundò; Deum tamen orantibus aliter accidit : vultum servabit eis fortuna benignum. *Aptissima enim arma oratio est, thesaurus certè perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium* &c. Hæc S. Joannes Chrysostomus. Iterabitur fortunata dies ei qui potenti dimicaverit orationis armaturâ.

Chrysost. to. 5. hom. 4. incomprehensibili Dei natura.

Ad Jacob ægrotantem charissimus ei Joseph geminam prolem introduxit. Et postquam ille benedixit utrique, Josepho suo, in dilectionis præcipuæ pignus, extra communem cùm fratribus suis hæreditatis paternæ divisionem, prædium verbo legavit. *Do tibi*, ait, *partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Impeditus est locus iste : nullibi namque legitur Jacobum adversus Amorrhæos depugnavisse. Si ad figuratam locutionem confugiamus, multiplex est nodum expediendi via : cæteras linquo; illamque persequar, cujus meminit Pererius ad hunc locum, *ut sit iste sensus : cùm propter cædem Sichimitarum ac urbis eorum depopulationem, in maximo essem periculo perdendi agrum illum (quin etiam vitam, omnemque familiam) arripui solita mihi precum arma quibus in tantum Dei benignitate profeci; quod & vitæ discrimen evaserim, & prædium illud adhuc obtinuerim.* Nititur expositio hæc versione Chaldaica, juxta quam similia Lipomanus habet. *Chaldaica*, inquit, *more suo difficilium enodatrix locorum, legit, quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea. Non enim legitur aliquando bellasse Iacob, aut gladio & arcu in præliis usum fuisse, sed arma illius fortia contra omnes sibi adversantes, orationes & deprecationes assiduæ extiterunt.* Hâc itaque loci hujus interpretatione positâ, restat examinandum, cur inibi non sagittæ, sed gladio & arcui similis dicatur oratio. Conjicio hâc de causâ sic locutum, quia sagitta semel emittitur, & perit, secundum adversùs hostem non ingeminat ictum. Gladius verò non semel percutit : sæpius eo devinces hostem. Sic oratio non unius tantùm fœlicitatis instrumentum est : pluries fortunatus athleta sortem expugnabis adversam rogatuum auxilio. Postula nihil hæsitans de benevolentia Dei. Sique non hærere profiteris timidus, vanè verba numeras *in multiloquio.*

Pereri. in Gen. c. 48. 22.

Lipom. ibid.

Gen. 48. 22.

DELIBATIO VII.

Occasiones peccandi cautè præscindendæ.

CUm loquacitas in tot peccata labi soleat, oris custodiam nunc Salomon in posteriori hujusce paræmiæ parte laudans persuadere nititur dicens : *qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.* Nusquam tutò despicitur hostis : imò, ut ait Seneca : *citiùs invenitur periculum cum contemnitur.* Plus nocet naucleri somnus, quàm sævientis pelagi rabies, & non tractabile cælum. Enavigamus omnes dum vivimus per mare procellosum : insuperque prædonibus refertum. Istorum petulantiæ fiduciam ingerimus, dum nos à discrimine tutos imaginamur. Utplurimùm querimur de Satanæ tentationibus, quasi non essemus nobismetipsis adversarij. *Si aliquid persuadente Satana mali feceris, dimitte Satanam, accusa te, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis.* Sic Augustinus. Omisisti cautelam ? Tunc gehennalis inimicus accedere non audet, cùm cernit metu suadente cautos. Occasionem non vitantes debillimo prosternet instrumento; clausis foribus appropinquare pavebit.

40. *Occasionem non vitantes facilè dæmon prosternit; aliter timet.*

Sen. in prov.

S. Aug. to. 8. in ps. 91.

Mirabar olim dæmonem vivente (necnon cùm aderat intra eandem Pontificis januam) Dei Filio, fuisse ausum collimare ictum ad Petrum Apostolici collegij culmen. Putabam enim potiùs hoc post Magistri necem fœliciter fore peracturum, cùm scili. aberat auxiliator, charitas frigescebat, dolorque corda cruciabat. Apostolorum nemini diabolus tunc temporis mittit in cor ut Christum abneget, quò sic à Judæis tutior esse valeat ? Pertimuit Satan ipsos quos cribrare quasi triticum expetierat, cùm vidit eos januis clausis cavere periculum : *& fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum*, ait Joannes. Antea, quamvis non longè Servator abesset, sumpsit animos adversarius, quia vidit Petrum in mediâ occasionis aleâ (scili. inter iniqui Pontificis ministros) constitutum : *& ingressus intrò sedebat cum ministris.* Ibi tenui mulierculæ voce percussa cadit solidissima fidei petra : nec ampliùs opus erat pro discipulo superando, dum occasionem devitabat. Hoc fortè voluit Ambrosius dum componens Adami, Petrique lapsus, ait : *ille in paradiso labitur, ubi non veniabilis culpa : hic in prætorio Iudæorum ubi difficilis innocentia.* In occasione positum Apostolum proclive fuit cecidisse; januis clausis non accessit sagax tentator. Timentes veretur; despicit incautos tartareus oppugnator virtutis. Prudens antagonista timorem suum advocet in auxilium, seque propriæ cautionis protegat scuto ferè non vulnerabili. Sapiens meritissimè vocabitur; non qui peccandi ansam, cùm posset non præscidit, quantumvis damno spirituali strenuus obstiterit; sed qui occasioni prævius occurrit in viâ, priusquàm pulsaverit ostium.

Joan. 20. 19.

Matth. 26. 58.

S. Ambr. l. 10. in Luc. to. 3.

Præcox ista vigilantia sapientiæ index est;

ut

Scientia apex est occasionem peccati præcludere.

ut econtrariò socordia insipientiæ testis. Nequaquam gustus, vel tactus nominibus intellectum significare solent sacræ doctrinæ volumina: sed aurium & oculorum metaphorâ.

Isai. 35. 5. Sic apud Isaiam. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt:* & similiter

Jerem. 5. 21. apud Jeremiam: *audi populestulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures & non auditis.* Dicerem quod ideo potiùs visus & auditus appellatione venit intellectus, quàm cæterorum sensuum nomine: quia gustus, & tactus præsentia solummodò norunt: odoratus non nimis distantia; visus verò & auditus longissimè posita percipiunt. Proinde cùm sapientia sit ingenij fructus, ei nomina congruunt eorum sensuum quibus datum absentia, ut ita dicam, cognoscere. Vix enim illa mens potest intellectus dici quæ more tactus, vel gustus, tantùm animadvertit sibi proxima; minimè verò præcavet à longè temporis intercapidine dissita. Hæc ingeniosæ subtilitatis dexteritas est; non verò astrorum cursus metiri; & lapsus discrimen non attendere, ut lepidè Thaletis exprobrabat ancilla: quæ cùm videret eum in foveam lapsum, dum cælum contemplaretur dixit illum id jure pati, quia cùm juxta pedes posita nesciret, cælestia tam distantia rimaretur. Et licet dictum hoc tanquam vulgarem ineptiam inter errores fœliciter celebres castiget eruditus Hispanus: tamen potius vellem Thaletem irridere cum ancillâ, quàm in fossam cadere cùm philosopho: nam, ut S. Nazianzenus dixit: *absurdum est, si extra pericula philosophantes; in adversis, ubi opus est, deprehendamur nihil minus quàm philosophi.* Nihil proderit altissimè de rebus externis philosophari, si perperam exercentes animæ regimen, exponimus discrimini quod in nobis extat pretiosum sciti. spiritus. *Hæc est sapientia*, inquit Augustinus, *ut id quod Domino revelante, fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus, & id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate appetamus.* Imò crediderim scientiæ plenitudini potius incumbere sollicitudinem de vitando periculo, ne deflectamus in vetitum, quàm dirigere ad sectandam virtutem ut crescamus in melius.

Gre. Naz. epist. 118. ad Eudoxium. Habetur inter epistolas D. Basil.

D. Aug. to. 4. l. 2. d. ser. Dom. in monte ante med.

Peccavit vilissimo inescatus lucro Protoparens hominum: inque delicti mulctam, voluptatis ejicitur horto. Cùmque præceptum de non gustando scientiæ ligno staret adhuc, placuit districtissimo judici, paradisi fores Cherubico satellitio munire, ne ad pomum noxialem exuli pateret ingressus. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Et quamvis textus motivum asserat fuisse, *ad custodiendam viam ligni vitæ*: hoc non tollit quod simul Deus hoc modo voluerit aditum ad scientiæ lignum præcludere: nec enim verosimile judico Deum potiori cura hominem à ligno quod non vetaverat avertisse, quàm ab alterius arboris pomo, quod adhuc prohibitum post lapsum. Diceret quis: permittat homini misero Deus ingressum ad paradisiacum nemus. A frutice quidem vitæ deterreat, & ab arbusto ferali scientiæ, positis

Gen. 3. 24.

super utriusque ramos Cherubinis, & igneâ romphæa; non autem ante paradisi januam constituat excubias. Hoc expendere cœperam, cùm admirari destiti cernens quàm sapienter ita disposuit omnium Rector. Super arborem scientiæ positus Cherub non viam clauderet ad peccatum: non occasionem præcluderet audendi secundò comedere de prohibito pomo; sed à fructu carpendo manum arceret. Oportuit cælestium virtutum vigiliis non tantum delicti materiam subtrahi: sed januam quæ ad crimen ducere poterat observari. S. Hieronymus. *Sed quod illo ejecto ante fores paradisi Cherubim, & flammeum gladium posuerit ad custodiendum paradisi vestibulum, ne quis posset intrare.* Preme ultima verba: *ne quis posset intrare.* Introitus ad peccatum clauditur potissimùm: & quâ custodiâ? Cherubica: nam ut hîc ait Rupertus, *rectè angeli qui in hujusmodi præsunt Cherubim, idest plenitudo scientiæ vocatur.* Concinit Rabanus dicens: *Cherubim scientiæ multitudo, sive scientia multiplicata interpretatur:* plenitudinis autem scientiæ munus est peccatum non intra fores impediendum observare, sed ante ostium vigili cautelâ eidem obstitisse, occasione præmaturiùs interclusâ. Claudant ergo Cherubim Adamo non arborem tantummodo vetitam, sed viam, cujus facilitas occasionem reincidentiæ in voluntatem comedendi fructum scientiæ poterat subministrare: ut sic intelligas functionem sapientiæ maximè propriam esse peccatorum occasiones prudenter occludere.

S. Hiero. in quæst. Hebr. in Gen. post princ. to. 3.

Rup. l. 3. in Gen. c. 32.

Raban. apud Lipom. in Cate. ad 32. Gen.

Nec dicas præsumptionis cæco spiritu delusus: non est cur adeò anticipatè pertimescam insidias, & fugæ quæram præsidium antequam cominus impetar ab hostibus animæ: nonne ad horum technas quôcumque tempore dignoscendas intellectum accepi à Conditore? utquid ante prælium cataphractus incedam? Quare priusquàm tempestas ingruat, vela demittam? mentem sortitus sum circumspectam: unde cùm provocaverit inimicus, facilè objiciet ratio voluntati motiva, quibus à malo deviare placeat. O ne te seducat inanis fiducia: *namque juxta præcipitium vadens, quamvis non decidat, tremit, & sæpe numero ab ipso subversus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens, cùm timore vivit, & in ipsa labitur sæpius.* Ita Chrysostomus. Intellectui tuo in hoc minimè credideris: nam ab eo frustra expectabis illuminari ad lapsus vitandos, nisi occasiones ruendi amputaveris: quantumvis ille spondeat lucem. Rationem experiêris mendacem: ne cum ea paciscaris ut facem gressibus tuis admoveat pro criminibus declinandis. Potiùs fœdus ini cum oculis, ne peccatorum illicia proponant cogitationi tuæ. Sequere Jobum, & securus orabis.

Si oculos ab occasione non averteris intellectus non te eripiet.

Chrysost. to. 5. hom. 15. ad pop.

De seipso narrat in stadio patientiæ clarissimus athleta: *pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine.* Et licet sensus magis obvius hujusmodi verborum sit, ac si diceret intendens vitare consensum in cogitationes pravas circa virgines, pactus sum cum luminibus meis ut vitarent illarum aspectus: nihilominus probabilis ejus-

Job 31. 1.

dem textus erit sensus hic, & planissimus, prout verba sonant : contractum celebravi cum oculis ut ipsi cogitationes erga virgines averterent lascivas. Juxta secundam istam expositionem, fœderis illius materia fuêre cogitatus ; contrahentes verò Job & oculus. Job, inquam, cessit delectationi ; lumina verò pollicita sunt ei quòd turpis cogitatio non accideret Heroi. Et fieri ne potest ut quis de alieno validè paciscatur ? cogitationum dominus oculus non est. Quomodo ergo potuerunt oculi pollicitari Jobo immunitatem à cogitationibus impuris erga virginem ? Dices adeò perviam esse oculorum januam lasciviæ, ut eorum custodia sit quædam à turpi cogitatione continentia. Benè : Sed nonne planiùs foret ne feriretur in corde, ferire cùm intellectu fœdus, ut iste promitteret non cogitare circa virgines obscœna, quantumvis oculi suggererent incentiva? Frustraneum ille putavit paciscì cum intellectu quòd ferret opem voluntati ne occasioni ob oculos positæ succumberet : nec enim fidendum est prudentiæ (semel atque in delinquendi fomitem acies jaculaverit scintillas) ita quòd credas non adesse discrimen, eo quòd ratione polleas, & scientia præcellas, ut scias reprobare malum, & eligere bonum : quasi diceres cùm Samsone : *egediar sicut ante feci, & me excutiam.* Ad quid igitur inibit pugnator fœdus cum intellectu, qui promissi fidem servaturus non est ? Averte pedem ab occasionis foveâ : ne prudentiæ tuæ superbus innitaris.

Judic. 16. 20.

43. *In occasione positus non eget suasione diaboli.* D.Greg.M. l.11.moral. c.25. to.1.

Timendum ne semel in occasione constitutus exequaris adversus teipsum tentatoris munus. *In semetipso habet homo unde tentetur*, ait Gregorius M. Satis egisse diabolus reputat (nec fallitur) si hominem ad peccati limen adducat : quandoque judicat non esse operæpretium persuadere ingressum, quasi dicat : dum peccandi occasionem obtuli, quod meum erat perfeci: quod reliquum tentationis ultra supereſt, ipse præstabit.

Adeò certum est militibus animos addere quod Principem cernant descendere in arenam, ut ipse Dei Filius cupiens vires nostras alere, non detrectaverit ingredi cum Satana certamen singulare. Voluit, cùm sic majestatem abdidit, & ad vilissimi hostis duellum acceptandum sese demisit, opere nos ad pugnam adhortari, vincendique artes exemplo tradere. De mente dæmonis non conveniunt expositores an fuerit, nempe, divinitatem Christi Domini explorare, an autem eundem pertrahere ad peccatum. Arridet valdè sententia media quæ utrumque finem à dæmone pronuntiat intentum. Pro hac refert Silveyra Hilarium, Ambr. Gregor. & Hiero. Nunc omitto quod attinet ad examen divinitatis : & meditor serpentis antiqui desiderium de Servatoris peccato nonnihil se continuisse tentatione priori. Vide quomodo malus impetat invulnerabilem : dic ut lapides isti panes fiant. Ad gulam pellicere cupiebat ; & non suasit ut comederet de panibus quos miraculo suscitasset ex lapidibus istis. Saxa convertere in panem, peccatum non foret ; gula verò maximè tentat, & solummodo loquitur de conversione, quæ licebat ? desperavit-ne jejunii dilectori suadere delictum ? Minimè : *non desperavit*, inquit jam expensus S. Leo, *de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas : tantum sibi de naturæ nostræ mutabilitate promisit, ut quem verum experiebatur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem.* Ergo cur non dixit : lapides in panes verte, nimisque manduca ? Supervacuum existimavit Satanas gulam suadere : satis putavit consulere quod panem efficeret: quia sic (dato quod Christus Dominus purus esset homo) per escam gulæ periculum offerebat ei : quô posito præsumi poterat, quòd semel in occasione constitutus reliquum tentationis, vel ipse Christus vel panis, perficeret. In Redemptore quidem aberat quodcumque mali culpæ discrimen, quia verè Deus est : si tamen divinitate careret, optimus foret adversarij discursus. Cùmque de ipsius Deitate dubitaret Satan, sic meditabatur : de gulâ nihil suadebo : quia semel quòd pura creatura sit quem video, eum in periculo cadendi statuam : & hoc satis erit ut labatur : nam vel ipse, vel occasio, pro me diabolicum tentatoris munus præstabit.

S.Leo Pap. ser.3.d. Quadra. c.2.

44. *In mundum culpam tui lapsus ne conjicias ex integro.*

Hinc meditare quàm te oporteat occasiones contremiscere ad peccatum invitantes, quæ diaboli munus obeunt, neque cruce fugantur. Ad hæc solent homines excusare segnitiem suam, necessitatis nomine palliatam, dicentes : non omnibus datum pericula devitare, ferè hoc impossibile iis qui sæculi terunt lutosas vias, implexosque calles. Neminem ibi tutum prorsus degere fateor: nam, ut ait Augustinus, *hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum :* sed non omnimoda causa malorum istiusmodi mundus est. *Infamantur & saltus cum latrociniis pleni sunt, non quò terra peccet, & silvæ : sed quò infamiam homicidij loca quoque contraxerint. Detestamur & gladium quo humanus effusus est cruor, & calicem in quo venenum temperatum est, non gladii calicisque peccato; sed quòd odium mereantur illi qui his malè usi sunt. Ita & sæculum, quod est spatium temporum, non per semetipsum aut bonum, aut malum est* &c. Hæc D. Hieronymus. Quid est mundus nisi via peregrino ? mare naviganti ? Quòd viator cadat non viæ culpam tribuas : curet pedem tutissimè figere, non corruet. Quod nauta jactetur gurgite vasto, non undæ peccatum est : imputetur nauclero (cordi nempe) qui cùm posset antennâ demissâ legere littus, expansis velis committit brevem pelago turbidissimo ratem. Hoc ipsum quo turbaris, quæsieras anxius. Offert discrimina tot mundus, quot bona : tu ne præceps amplectaris oblata vanissima bona, quibus veluti puer, tractus pomo majora linquis. Heu latebat in pomo venenum, exclamas postea serò dicens : O fallax dirè sæculum quàm grande malum pulcherrimo colore tegis. Querelas istas in teipsum verte. Mundialis arbor fructus ferre solet illos ; non alios : quis te coëgit ut colligeres ? pessimum lignum hæc edit mala : ad hæc ne manum extendas, & non tibi nocebunt : quid peccavit arbustum ?

D.Aug.to.8. in ps.39.

S.Hiero.to. 9.in epist. ad Galat.l.1.c.1.

Dæmoniaco astu decepta mater viventium serpenti

serpenti fidens mortem subministravit Adæ gratissimo lenocinio delitescentem. Amore mulieris captus ille deglutiit latens virus, perditque hominum genus universum. Ecce Creator ad judicium properat lentè, citat reum, examinat causam, profert sententiam, infligit pœnas: quarum prænuntiavit unam in hæc verba: *maledicta terra in opere tuo.* Maledicitur solum insensibile, proindeque peccati minimè capax? Terræ maledixisse Deum notavit Alcuinus, *quia homo de fructu terræ contra vetitum manducavit.* Et quare non potius adversùs arborem scientiæ maledictum profertur? Quia nihil peccaverat arbor. Hæc suos, licet spiritui noxios, fructus ferebat: non ligni culpa fuit, sed primorum parentum, qui nocivum gustavere pomum.

Gen.3.17.

Alcuin.Ibi.

Urgeri scrupulo te video: sedabo facilè. Necnon (inquis) terra; quæ maledicta fuit in quo deliquerat? Æque ratione carentem atque plantam agnosco: disparitas attamen est, quòd cùm semel ejectus paradiso Protoparens iterum non esset reducendus ad voluptatis hortum, non ipsum tangeret maledictio, si adversum arborem, quam ipse gustaturus iterum non esset, fulminaretur. Terræ autem futurus cultor erat Adamus: idcircò pro ejusdem rei supplicio, terra, quam colere cogebatur maledicta fuit: *nam quia*, inquit Chrysostomus, *propter hominem producta est, ut ille posset frui his quæ ex ea nascuntur: ideò iterum propter hominem peccantem, maledictum ei inditur, quia maledictum terræ eveniens, hominis securitati, & fœlicitati obest.* Unde non terra feriebatur, sed homo. Arboris fructu potiturus deinceps non fuerat Adam. Proinde si Deus arbusto maledictionem infligeret, non reum, sed lignum punire videretur. An peccaverat arbor suos fructus ferens, etsi nocuos? Deliquit sola manus quæ pomum applicuit ori transgrediens legem. Arbori similem putavit mundum Gregorius M. exponens quippe Domini verba: videte ficulneam &c. inquit: *ac si apertè dicat: quia sicut ex fructu arborum vicina æstas cognoscitur, ita ex ruina mundi prope esse agnoscitur regnum Dei. Quibus profectò verbis ostenditur: quia fructus mundi ruina est.* Progerminat malus illa pulchra, sed venenosa: tu ne colligas hujusmodi poma: vel ne culpam conjicias in arborem: nec dicas te à mundo pati persecutionem ut præceps ire cogaris: quomodo teipsum insequitur, si fugit velocissimè qui figura præteriens est? Fructificat ruinas? Fuge occasionum præcipitia *prudentissimus.*

Chrysost.to. 1.hom.17. in c.3.Gen.

D.Greg.M. to.2.hom.1. in Evang.

45. *Deus ut nos avertat à periculo, quandoque cedit honori sibi debito.*

Eandem occasionis fugam alia suadet ratio non contemnenda: quâ convincitur ad prudentiam spectare tentamenta delictorum avertere. Nemo dubitat illum sapienter agere, qui Deo gratissimum dicat obsequium parco sumptu: emit namque levi pretio divinæ propitiationis gratiam. Quid faciliùs in ferè omnibus, quàm cautela prudens? Non armis opus est ut fugias: non indiges robore ne te prælio committas. Ista periculi vitatio Deo sic placet, ut non dubitet mille obsequiis hominum carere, dummodo hinc eorum securitas enascatur, quasi dicat: ut hominem à discrimine peccandi præmuniam, sponte cedo mihi debitis honoribus.

Sculptilia Deus Hebræis vetuit: *non facies tibi sculptile.* Quæstio est inter Biblicos interpretes, an etiam illis vetita fuerit imago Dei. Affirmativam sententiam tuetur viriliter & fusè Vasques, cujus opinionem dixit probabilem Lorinus: eique favet Clemens Alex. dicens: *sicut Moyses multis ante sæculis legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam imaginem simulacrumve facere* &c. Et statim: *ut enim Dei majestas vilis & contempta reddatur efficit, quæ est in promptu videndi consuetudo* &c. Hâc sententia posita, si ab ea quæras quodnam fuerit præcipuum legis motivum istius, respondebitur, quia cùm Israëlitica gens è consortio cùm Ægyptiis ad idololatriam fuerit prona, Deus id malum volens impedire, suimet imagines prohibuit. Bone Deus! Nonne tibi debetur in imagine cultus? Ita: sed ut Hebræi occasionem exinde non acciperent ad imaginem adorandam ratione sui ipsius, & non tantùm ut similitudinem Dei (in quo certè gravissimè peccarent) eam Dominus vetuit illis. Benignissimus quippe Rex regum noluit obsequia plurima (quæ sibi ab Hebræo populo forent in imaginibus exhibenda, si eis permitterentur) ne in idololatrandi periculum incideret, quasi dicens: ut eos à delicti discrimine cavere faciam libentissimè dimitto mihi debitos cultus. Adeò securitatis nostræ Deus amans est ut illam præferat honori proprio. Vide quàm facili negotio Deo munus offerre poteris gratissimum: te, inquam, in tuto constitue, ac ipsi valdè placuisti. Neque dicas: aderit mihi Deus ne periculo succumbam quod offert hæc occasio: nam potiùs Dei patrocinium pendet ab occasionis fugâ. Unde consulam cùm S. Thoma Valentino Præsule: *omnem peccandi occasionem effuge, & statim tibi aderit Christus.* Operaberis quam sapienter, si re non difficillimâ (qualis est fuga) Dei faventis præsidium adipiscaris. Cùm igitur lingua tot occasiones præbeat peccandi, qui ut eas devitet *moderatur labia sua prudentissimus est.*

Deuter.5.8.

Vasques to. 1. in 3. p. disp.204. à c.2.

Lorin.in Levit. c.26. n.1.

Clemens Alex. l.5. stromatum, longè antè med.

S.Thom.à Villano. ser. 2. Dom.2. Quadrag.

DELIBATIO VIII.

Defenditur orator: verbositas reprehenditur: dissuadetur otium, & fictio: laudatur proprium regimen, & prudens lingua.

46. *Non nimis loquitur qui rectè.*

CResconius quidam professione grammaticus; ingenio fortassis adeo pauper ut optativum non fuerit egressus: quem vocare possemus utentes phrasi poëtæ Bilbilitani

Hirsutum & dura rusticitate trucem Marti. l.7. epigr.

Salomonis verbis quæ nunc versamus: *in multiloquio* &c. insipienter abusus, illis damnari putat eloquentiam. Contra hunc D.Augustinus insurgens ait: *dictum non est: ex multa eloquentia; sed ex multiloquio. Multiloquium autem est superflua locutio.... elo-*

D.Aug.l.3. contra Cresconium c.8. tom.7.

quentia verò facultas dicendi eſt congruenter explicans quæ ſentimus.

Prover. 1. 7. Quam verum eſt illud Paræmiaſtæ *! ſapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Sed quare ? niſi quia, ut ait oratorum Princeps, *omnes ſtulti inſaniunt.* Quid ni dicam inſanos, qui cùm ſint rationales ornatum in dicendo execrantur ? Velut noctuæ lucem oderunt : aſſueti fœno deteſtantur ambroſiam iſti, de quibus dici poteſt illud Amos: *loquentem perfectè abominati ſunt.* Et ut ignorantiam tegant prolixum appellant ſermonem quem facundus exornat orator. O genus inviſum. *Abſit enim ut multiloquium deputetur quando neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur* &c. Hæc Auguſtinus. Non loquitur nimis qui rectè verba facit.

Cic. l. 4. Tuſcul.

Amos 5. 10.

D. Aug. to. 1. l. 1. retract. in prologo.

De ſeipſo loquens regius Eccleſiaſtes aiebat : *docuit populum, & enarravit quæ fecerat : & inveſtigans compoſuit parabolas multas. Quæſivit verba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos ac veritate plenos.* Hærebam in priori parte : *compoſuit*, inquit, *parabolas multas*, memor ipſum Salomonem conſuluiſſe libro eodem ſic : *idcirco ſint pauci ſermones tui.* Nonne debet connecti doctrina factis ? nihil frequentius apud ſacros & profanos magiſtros, quàm verba docentis operibus eſſe debere ſimillima. Sat nunc ſit pro cunctis D. Iſidorus Hiſpal. *quæ verbis doces exemplis oſtende.* Se fatetur Salomon multa protuliſſe verba ? Et ipſe idem conſulit aliis ut paucos ore dent ſermones ? Animadverte quæ priori loco adjecit : *compoſuit parabolas multas. Quæſivit verba utilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos* &c. Qui utiliter & rectiſſimè loquitur, etſi plura dixerit, nimius in dicendo non eſt. Minimè ſibi Sapiens adverſatur qui multa locutus conſulebat : *ſint pauci ſermones tui*, quia rectiſſimos profatus eſt: *conſcripſpſit ſermones rectiſſimos.* Quam benè Græcus vates.

Eccle. 12. 9. 10.

Ibi c. 5. 1.

S. Iſido. Hiſp. l. 1. ſolilo. c. 10.

Philemon Syracuſanus.

At benè dicentem ne longum exiſtimes
Etſi permulta dixerit &c.

Multo melius D. Bernardus : *dico tamen his qui prævolantes ingenio, in omni ſermone, ante penè flagitant finem, quàm principium teneant, debitorem me etiam tardioribus eſſe, & maximè. Sed nec ſtudium tam eſſe mihi ut exponam verba quàm ut imbuam corda. Et haurire, & propinare me oportet : quod non ſit celeriter percurrendo* &c.

D. Bern. ſer. 16. in Cant.

47. *Verbo Dei auditores ne terminos aquo breviores preſcribant.*

Quid ergo tu delicatule ſuſurras ? qui ſtatim ac orator Evangelicus breviſſimam duplicis quadrantis menſuram prætergreditur, jam ad optima quæque nauſeas : qui comediis laſciva turpitudine refertis, etſi longiſſimè protrahantur, ades in extaſim raptus : qui ludo vetito ubi etiam alienus honor talorum jactui exponitur, non recuſas noctem diei miſcere : ſoli proponenti verbum Dei teipſum exhibes rei non tuæ, nempe temporis, avarum? Cæteris prodigè tempora diſſipas, quæ ſenſuum alimenta ſunt ? animæ verò convivium lautius præſtari damnas ? O ne ſpiritui ſaluberrima propinantem cogas orationem proſcindere ſub prætextu quòd hora præteriit, ac te vocant epulæ.

In deſertum Bethſaidæ Chriſtus Dominus ut de Baptiſtæ nece dolorem leniret, ſeceſſit Apoſtolis comitatus. Illum turbæ ſequuntur ſalutis authorem utriuſque : cujus ex benignâ liberalitate fluxerunt pro ægrotantibus remedia, pro ſingulis doctrina, & pro cunctis convivium. Ex Lucæ contextu deducitur priùs Dei Filium ſermonem ad turbas habuiſſe : poſtea ægritudines ipſorum curaſſe. Deinde à diſcipulis ei dictum eſt, ut pro quærendis eſcis plebem dimitteret: tandemque magnifica miraculoſaque menſa ſubſecuta eſt. *Et loquebatur illis de regno Dei, & eos qui curâ indigebant ſanabat. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi : dimitte turbas, ut euntes in caſtella, villaſque, quæ circa ſunt diverſant, & inveniant eſcas* &c. Matthæus verò ſic diſcipulos ad Magiſtrum dixiſſe refert : *deſertus eſt locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas* &c. Cur non citiùs Dominum precantur ut populum expediat ? expectaverunt ut præteriret hora ? quare non cùm loqueretur poſtularunt quòd citò finem daret loquendi, ne tam ſerò finiretur infirmorum curatio, quòd poſt illam verum fuerit præteriiſſe horam ? *redeundi ſcili. ad propria*, ut exponit ibi Lira. Congruum non erat, ut Apoſtoli, qui reliquis auditoribus Domini fuerant futuri devotionis norma, ſic verba Dei prædicandi ſpatium circumciderent, ut Diviniſſimo concionatori dicendi finem accelerarent. Prætereat bonis avibus hora remeandi ad proprias domos : urgeat populum fames ; de convivio tamen animarum ; ſermone ſcili. ſacro, nihil minuatur. Opportunè, licet aliorſum Ambroſius. *Negligit enim famem corporis, qui pabula lectionis intendit : nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cæleſtis acquirit. Ipſa eſt enim refectio quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera, cùm de divinis ſcripturis cibum eloquij perennis accipimus.* Unde multò poſt habitum ſermonem Apoſtoli Chriſto Domino ſuggeſſerunt ut auditores dimitteret quia ſerò jam factum. Non ſic ætatis noſtræ audiendi aures non habentes : qui verbo Dei metas ad voluptatis legem præſcribunt : & ſi orator de illorum numero non ſit, qui fabellas ad eorum oblectationem componunt, cùm adhuc vix egreditur initia dicendi, jam delinquere pronuntiant *in multiloquio.*

Luc. 9. 11. 12.

Matth. 14. 15.

Liran. ibi.

S. Ambr. ſer. fer. 6. poſt Dom. 1. Quad.

Non deerit. Si diceret : ex multiloquio ſequitur peccatum, inſinuaret minus, quàm verbis illis : *non deerit* : quæ continuitatem peccandi videntur indicare, quaſi dicat : multiloquus non ceſſat à peccato : nam licet nec Deum, neque creaturas verbis lædat, tamen eo ipſo quòd loquax eſt, nihil operatur : & nihil agens non poteſt non omittere quæ agere debuerat. Pluribus hoc vitium eſt : operum nempe defectus verbis tegere ; ne dicam, aperire : *non loquentium, ſed facientium victoria eſt*, ait Chryſoſtomus. Horum opera nil aliud quàm verba ſunt.

48. *Quorundam hominum opera mera verba ſunt.*

Chryſoſt. to. 4. hom. 14. in 1. ad Corinth.

Ut non loquatur os meum opera hominum : propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras. Vel in propria, vel in Redemptoris perſonâ David loquatur, ex Epiſcopo Chriſtop.

Pſ. 16. 4.

Valent. in psal. 16. ibi. Christop. per opera intelligo verba : *ideſt non loqueretur verba hominum*, commentatur ille : Myſterio gravidam ne prætereas phraſim Davidicam. Appropriantur opera manui: oris eſt proferre verba. Sed ecce vates opera dixit ore loqui nolle : *ut non loquatur os meum opera ;* & ſtatim jam verba labiis accommodat, dicens : *propter verba labiorum tuorum.* Cur ſic tranſmutavit ſtylum ? niſi quia in poſteriori hemiſtichio de verbis Dei agit, qui præter verba perficit & opera ; in priori verò de hominibus loquitur, quorum plurimi non alia patrant opera quàm verba: ideoque perinde fuit dixiſſe : *non loquatur os meum opera*, ac ſi diceret : ut non loquatur os meum verba. Quorundam hominum operatio locutio eſt. Ut illi qui corpore ſunt nimis tenues, veſtes dilatant : ſic operibus

Stob. ſer. 22. inopes loquela ſe diffundunt. Democrates lepidè apud Stobæum refertur hos qui Athenis erant verbo potentes, & opere graciles, de vanitate ſubſannaſſe facto. Senex erat ille, nimiùmque defecerant ejus vires. Die quodam citato gradu conſcendit arcem : cùmque obvium haberet amicum, rogavit iſte quid novi eſſet quòd ſudore rigans ora, reſpiratione validiſſimè infirmâ crebrò repetitâ ſic aſcenderet : cui reſpondit ſapiens : illud facio quod Athenis in uſu eſt : parum ſcili. valere, ac fortiter ſpirare. Sapienter & liberè dixit.

49. *Tunc verbis locus eſt, cum peragitur opus.* Sen. epiſ. 40. Econtrariò dictat experientia nihil æquè prodeſſe ad hoc ut in magnis operam collaces, quàm aliis minimùm loqui, plurimum ſecum. Ideo Lucillo ſuo præcipiebat Seneca dicens : *ſumma ergo ſummarum hæc erit : tardiloquum te eſſe jubeo.* Tunc verbis locus eſt cùm peragitur opus. Ipſum loquetur etiam te ſilente. Ad tintinnabula tunicæ Pontificis ait S. Hieronymus : *tintinnabula, & illa malogranata diverſitates virtutum ſunt quæ habent ſingulæ voces ſuas, & egreſſus ipſe Sancti ſanctorum vocalis eſt.* Saltem quamdiu rem intentam ad optatum finem non perducis, tace, ne de verboſitate damneris ; tunc loquere, cùm operationem adjunxeris.

S. Hiero. to. 8. in pſ. 132. n. 3.

Poſteaquam in agro urbis Jerico apparitione angeli, qui princeps erat exercitus Domini, Joſuë confortatus audivit ſibi fore civitatem illam tradendam, quæ timore filiorum Iſraël clauſa ſimul erat, & munita : ſtrenuus Heros militibus præcepit, ut præcedentes arcam Dei circuirent urbem tacentes. Illi juſſis obtemperantes ita per tres dies gyravere muros, nec vocem unicam emittentes. Dies illuxit denique ſeptimus, in quo muri hoſtiles corruerunt, captaque civitas eſt. Eo, inquam, die, totius populi voces perſonuerunt Jerichuntinis terrorem incutientes. *Præceperat autem Joſuë populo dicens : non clamabitis, nec audietur vox veſtra, neque ullus ſermo ex ore veſtro egredietur.... ſic fecerunt ſex diebus.* Et infrà. *Cùmque ſeptimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Joſuë ad omnem Iſraël : vociferamini : tradidit enim vobis Dominus civitatem.* Quid ſibi vult ſilentium iſtud ad ſextum uſque diem ? nonne conveniens erat hoſtes verbis perterrefacere, priùs quàm ſternerentur muri ? Præcipiat, eſto, Joſuë militibus ne more ignavorum jactent magna, ſeque triumphatores prædicent ante victoriam : hæc enim arrogantia divinum averteret auxilium. Quare jubet omnimodam taciturnitatem ? Ad hæc. Septimi diei clamor videbatur octavo reſervandus in victoriæ pridie partæ fauſtam acclamationem. Oportuit ut ipſo die quo victus eſt inimicus ora ſolverentur in voces ? Hinc vide quàm ſit annexa ſtrenuè operantibus loquendi facultas, & quantùm ſilere debeat nihil agens. Hebræi per ſex dies urbem circuierunt nec ſagittam collimantes unicam : taceant ergo quandiù differtur opus. At ſequenti luce verbis locus erat, quia tunc operati ſunt ſtrenuè capientes urbem. Igitur operum defectus *in multiloquio non deerit.*

Joſuë 6. 10. 14.

Ibi n. 16.

Peccatum. De quonam peccato loquitur? De quolibet diviſim ferè verificatur : nam vix eſt delicti ſpecies ad quam lingua non præparet viam. Sed præcipuè de otioſitatis labe verum habet ſententia hæc : antonomaſticè, namque peccati meretur nomen, eò quòd radix criminum iſta ſit, juxta illud Eccleſiaſtici : *multam enim malitiam docuit otioſitas.* Diffiteri non valeo pleroſque multiloquos nimis occupari, quamvis inania ſint omnia quibus animum devovent. Attamen hæc ipſa perturbata ſollicitudo vecors otium eſt. Etiam in hoc ſibi mutuò contrariantur ſapiens, & imprudens. Illius requies operoſa eſt ; hujus autem anxietas omninò ſocors, languidaque ſegnities. *Sapientiæ otia* (dicebat S. Bernardus) *negotia ſunt, & quò otioſior ſapientia, eò exercitior in ſuo genere.* Exadversò de imprudenter degentibus ait Seneca: *quorumdam otium occupatum eſt. In villa, aut in lecto ſuo, in media ſolitudine, quamvis ab omnibus receſſerunt, ſibi ipſi moleſti ſunt : quorundam non otioſa vita eſt dicenda, ſed deſidioſa occupatio.*

50. *Quorundam ſollicitudo iners : aliorum quies occupata.* Eccli. 33. 29. S. Bern. ſer. 85. in Cant. Sen. l. d. brevit. vitæ c. 11. fine.

Si ad ſacra faciamus gradum, non deerunt exempla, tum ſollicitudinis pigræ, tum otioſitatis occupatæ. Jacob dormiens, ad ſuorum incrementa poſterorum fundamenta jecit : præludens enim eorum fœlicitati, poſſeſſionem terræ promiſſionis, non ſola pedum, ſed totius corporis poſitione ſumebat recubans humi : *terram in qua dormis tibi dabo.* Contra verò reprobus Eſaü primatum amiſit : nam quamvis ex agro laſſus veniens, otioſus appellatur ab Ambro. *Otioſus Eſaü amiſit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere.* Hic in ipſo labore deſes inventus eſt : ille autem in ſomni quiete non parum negotij confecit. Similiter Aſſuerus in ſtrato cubans, auditis priorum temporum annalibus munus agebat regium, decernens Mardochæo præmium. Eâdem hora ſollicitus in palatij atrio excubabat Aman. Quid operis exequebatur ? Penitus nihil. *Reſponderunt pueri : Aman ſtat in atrio.* Ambitioni ſerviens otioſus ibi ſtabat negatâ quiete ; Rex verò quieſcens regale præſtabat officium. Habes in Amano vigiliam inertem & in Aſſuero requiem induſtriam : de quâ legimus apud Hugonem Cardinalem ibi : *Joſephus dicit : nolens vigilias noctis in otio perdere, ad gubernationem ſui principatus voluit eas habere.*

Gen. 28. 13. S. Amb. to. 5. ep. 25. ad Vercell. Eccleſ. ad fin. Eſther 6. 5. Hugo Card. in c. 6. Eſth.

Quæ cum ita ſint, otioſos quondam ego miſerrimè 51.

Otium aliquod est sine quiete.

miserrimæ conditionis appellabam, eò quòd otium non illis præbeat quietem, sed vecordiam. Otiantur, nec inveniunt requiem; sed laborant improbè. Parabolam de conductis in vineam operariis proposuit Magister summus uberrimam. Postquàm primo mane Paterfamilias, necnon tertiâ, sextâque horâ, vineæ cultores advocavit. Tandem

Matth. 20. 6. exiit circa undecimam, *& invenit alios stantes, & dicit illis: quid hîc statis tota die otiosi?* Quinam sint isti de quibus loquitur,

Chrysost. ho. 35. imperf. in Matth. ex Chrysostomo accipe: *otiosi autem sunt peccatores.* Difficultatem excitat contra hujusmodi expositionem, quòd Sapiens affirmat fore dicturos malos in tremendi judicij

Sap. 5. 7. die: *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Otiosi sunt peccatores, atque delassantur, dum fugientes umbras insequuntur! Otio se dedunt stantes; & simul ambulant per ardua? Compones utrumque facillimè sic: jacent corpore; sed animo circumrotantur: lassitudine neque maximâ prosternuntur vires eorum, quos imaginabamur ferè beatitudinis quiete

Guerri. Abb. ser. 3. d. Assump perfruentes. *Impius etiam cum quiescit laborat. Quomodo enim quiescerent quibus Deus immittit rotam malorum: quibus juravit in ira sua, si introibunt in requiem meam? Extra illam non est nisi afflictio & miseria.* Sic Abbas Guerricus. Introgredi pectus unius istiusmodi si tibi liceret, vidisses utique desiderium alas quátere, invidiam seipsam corrodere, flammas ambitionem accendere, iram aëra flagellare. Hoc tu putas quietem? Inquietudo est; quantumvis ignavo claudantur somno sensuum ostia. Nec otium est hoc, neque negotium, sed torpor. Itaque, si negatur otioso quies: in otio quid est amabile? Igitur fuge malorum consiliarium, quod per antonomasiam dici valet *peccatum.*

52. *Sui moderamen divitiis præferendū.*

Qui autem moderatur. Etsi de solius linguæ moderamîne sermo sit inpræsentiarùm, tamen cum rerum Conditor menti nostræ totius minoris mundi commiserit habenas: nonnihil de hujuscemodi regimine nunc dicendum est. Difficillima sui gubernacula Deus tradidit homini, cùm suarum actionum arbitrum constituit eum. Naturam dedit conditione liberam, ægritudine inconstantem. Nunc lætatur; postea dolet. Jam securus triumphat; mox corruit pavidus. Prosperitatis aurâ sustollitur; infœlicitatis vento marcescit. Mutabilitate veluti dominio gaudet, judicans fore præcipuum libertatis emolumentum nullibi consistere. Hominem condiderat Omnipotens, ut cæli foret illius incola, quod à vicissitudinum alternationibus expers est, utpote stabiliter immobile. Sed culpæ reatus ipsum ad locum relegavit, ubi non tantùm situ, sed influxu, lunæ subest, ejusque instabilitatem imitatur mobilior tempore, sorte levior. Et (quod potius deplorandum) non solùm commutat unum pro altero infortunium; sed à malo transit ad pejora. Tumidum sæculi findit æquor tranquillis fortunatus undis, blando pandens vela Noto; sed ignotis nauclero scopulis periclitatur antequàm insurgat procella. E syrtibus ad securiora vada movet flatus puppim, cùm statim strident nimbi, tonitrua reboant, nubila densantur, micant fulmina, furiunt venti, stupet ars, languet spes, tremiscit animus. Quandiù placidis ferebatur aquis, pavebat Charybdes; postea cum sævit pontus, omnia prorsus horret. En miser homo quàm jugiter per varios laboret casus.

S. Basil. orat. in initium Prover. inter var. 4. ad fin.

In hac rerum vicissitudine gubernatore sagacissimo opus est, qui & in vitæ prosperitate, cum omnia ex voto succedunt, mutationes excipere possit, neve nimium in rebus præsentibus quasi perpetuis conquiescat, & in tristiori rerum statu animo non cadat. Hæc D. Basilius M.

Ecce quàm dubiæ navigationi præest ille non adeo magna dexteritate pollens navarcus, intellectus nempe noster ad scopulos declinandos ferme cæcutiens. O ter fœlicem, cui contigit prudentiæ radiis illustrari, ne deviet, ac miserrimè naufragetur. Dei donum hoc est cunctis opibus præferendum: illæ namque periclitari faciunt possessores; istud verò tutos reddit habentes. Ne divitias concupiscas; tui potiùs moderamen rectum quære. *Noli laborare ut diteris*, sed prudentiæ tuæ pone modum. Juxta D. Thomam illud, *prudentiæ*, genitivus casus est, non dativus: ait enim S. Doctor: *significatur non quod ipsa prudentia sit moderanda, sed quia secundùm prudentiam est aliquis modus imponendus.* Laboribus igitur & actionibus quisque suis ut moderationem imponat, consulitur: & agitur de magna operum parte: non enim est minor ea quàm divitiis acquirendis homines insumunt. Parùm primâ specie videbitur coaptata hæc antithesis: nam si consilium præberet Paræmiastes, ut relictâ fortunarum siti, paupertatem voluntariam, quæ ditat amplectentes, amarent: vel, ut spreta congerie argenti & auri, ad charitatis aurum, castimoniæ argentum, fortitudinis adamantia, spei smaragdos, cæterarumque virtutum gemmas inhiarent, perciperem facillimè: novi quippe his animam ditari; temporaneis autem bonis persæpe inopem reddi, gravatam scili. illis debitis, quibus ut se liberet, solvendo non est. Modum præcipit quæri Salomon prudentiæ, derelictâ gazarum cupiditate fortiter urenti? Quare? nisi quia modum ponere, ac moderari synonima sunt: & qui ditescere cupit, ditior sui regimine gaudebit, quàm si regum thesauros exhauriret: fugaces namque copias licet claudas, invitus relinques, dato quòd non avolent antequam linquantur; fœlicitatem verò quæ sita est in rationali propriarum operationum œconomia, non amittet, qui & opera, & verba sua *moderatur.*

Prover. 23. 4.

D. Thom. 2. 2. q. 47°. art. 4. ad 3.

53. *Sapius verba finguntur quam opera.*

Labia sua. Superfluum existimas illud sua? Minimè frustrà dictum: nec enim omnium est os habuisse verè suum. Sic illi qui jactantiæ vento distenduntur, cùm aliud loquantur, aliud operentur, alieno videntur eloquio uti. *Sunt enim multi vanæ gloriæ amatores, qui ut magni, & egregij ab hominibus habeantur, dicunt se magna quædam fecisse quæ non fecerunt, aut posse quod non potuerunt* &c. inquit Ambrosius. Unde conjice quàm nobiliori conditione præcellant verbis opera: quàmque sint hæc præ illis attendenda: verba namque multoties adulterabit homo, non

S. Ambr. to. 5. in c. 21. Apocal.

suaque

suaque sumet ; opera verò non valebit effingere : sed ex fructibus arborem dignoscas.

Notissima Jacobi paternam benedictionem sollicitantis est enarratio. Sacras historias evolventibus loquor : frustraneus labor esset singula quæ non conducunt ad præsens recensere prolixè. Inductrice matre, timore depulso, fortunâ comite, genitoris ad conspectum accessit Jacob personam Esaü collo, manibusque, gerens. Agnovit minoris filij vocem Isaac ; manus tamen dixit fratris esse : *vox quidem, vox Iacob est : sed manus, manus sunt Esaü.* Hærens itaque, tandem hunc esse judicavit Esaü. Sic enim colligitur ex sequentibus : *tu es filius meus Esaü ? Respondit, ego sum. At ille. Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi.* Et infrà : *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Expressit insuper hoc textus ipse : *& non cognovit eum.* Unde Chrysostomus ait : *etenim ob vocem placidiorem dubitabat justus, sed quia dispensatio implenda erat, non permisit Deus ut dolus sentiretur.* Similiter D. Hieronymus ad Pontificem Damasum. *Ego puto divinæ dispensationis fuisse, ut oculis cæcaretur, & cùm ipse diceret, vox quidem, vox Iacob est, manus autem, manus Esaü, tamen non intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris præreptor astiterat.* De hoc haud quidquam dubito. Solummodò vellem investigare cur Isaac, licet ei dubium in æquilibrio proponerent, hinc manus hirsutæ, illinc vox blanda, istaque suaderet esse Jacobum ; illæ verò testarentur Esaü adesse : quare potiùs, inquam, Esaü crediderit eum quem osculabatur ; & voci fidem non adhibuerit monenti hunc esse Jacob ? A littera paululum ad mystica declinemus. Allegoriam exhibuit Glossa ex D. Isidoro Hispal. *Per collum*, inquit, *in quo superbia apparet, mentis elatio signatur, per manus opera.* Manibus, hoc est, operibus credidit senex existimans facilius esse quòd homo verbis, quàm operibus, alienis uteretur. Primogenitum ex manibus intulit : nam eas, ideſt, opera tactui paterno mentiri non posse putavit. Verba Jacobi ficta censuit pater, ideoque fratris minoris veram se audire vocem abnuit, eo quod arduum non sit aliena comminisci verba. Non sic facilè valemus opera depingi mentitis artibus. In præsenti, cùm non de operibus inciderit sermo, sed verborum fiat mentio, soleantque multi ore mutuato loqui, non dictum est simpliciter labia, sed : *qui autem moderatur labia sua.*

Gen.27.22.

Gen.27.24. 25.

Ibi n.35.

Ibi n.23. Chrysost. to. 1.hom.53. in Gen.

S.Hier. ad S. Dama. Pap.ep.142. quæst. 3. tom. 3.

Gloss. ex D. Isidor.Hispal.

54. *Principibus incumbit attendere ne decipiantur : interrogent quod norunt.* Esth.16. 6.

Vellem hujus doctrinæ monita regiis auribus personare jugiter : multi namque bonitate regum abutentes, ementitâ verborum dulcedine, *aures Principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.* Nullus est mortalium qui deceptioni non sit obnoxius. Præ cæteris tamen principes fraudi patent. Ideo Tacitus inquit: *hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates, ipsa Principis facilitas intendit : cùm apud infirmum, & credulum minore metu, & majore præmio peccatur.* Et, quod pejus est, non tantùm creduli, sed etiam circumspecti decipiuntur juxta illud tritum Imperatoris Diocletiani : *bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Eadem prorsus vox à rege audita (licet ad illum non fiat) eget examine ; privatis autem, qui simul illam audivere (quamvis ad eos dirigatur) simili cautelâ non est opus.

Tacit. l.1. annal.

Appositum ex Regum historia exemplum offero. Ziphæi cupientes odio Saülis morigerari sub zeli colore pulchro, Regi detulerunt Davidem in deserto Ziph latêre. Surgens pergit illuc, & in Gabaa Hachila castrametatus est. Observatur ab exploratoribus locus, Davidique renuntiatur : qui noctis intempesto silentio, comitem habens Abisai, perrexit ad Saülis tentorium. Dormienti pepercit, cùm valeret impunè figuram in veritatem (ideſt somnum in mortem) vertere, lectumque letho commutare. In hujus fidei testimonium jussit ut Abisai lanceam, & scyphum aquæ tolleret : & abierunt. Post longum intervallum in vertice montis positus ex adverso David elatâ voce palam ostendit sibi fuisse facillimum occidere Saülem, & noluisse adversus regium caput mittere manum. Vocem Davidicam Rex agnovit : adhuc tamen quæsivit an illa vox Davidis esset. *Cognovit autem Saül vocem David, & dixit : nunquid vox hac tua fili mi David ?* Utquid interrogat quod agnovit ? Imò David ad Saülem neutiquam verba direxerat : ait enim textus : *clamavit David ad populum.* Vulgus non exquisivit an verè foret Davidis ea vox quæ ad ipsum fiebat ? Rex verò Davidis ipsum non alloquentis vocem dijudicare cupivit an verè illius esset ? Prudenter equidem : frequentissimè quippe fictis vocibus deludi solent regum aures ; & non sic accidit plebi. Apud Principes verbis mutuatis utens, alienam quisque personam gerit : assentator amicum, invidus rectum, vafer prudentem, garrulus eruditum, grandiloquus heroëm, timidus cautum, comminiscuntur. Non sola sub ovinâ pelle vereri convenit lupos : vix est aliquod tegumentum, subtus quod non debeat dolus pertimesci : nam qui vento pascitur chamelæon nullum non imitatur colorem. Frequens est mendacium ; rara veritas. Cur omnia brevi durant mundialia, nisi quia cuncta sunt fictiones quædam ? Fraudis proprium est breviter perire. *Hæc est frater verè dementia, non cogitare, neque scire quod mendacia non diù fallunt.* Oportet igitur quod Principes hoc-ipsum quod audientes agnoscunt, revocent iterum ad examen : nec enim omnes dum loquuntur movent *labia sua.*

11.Reg. 26. 27.

S. Cypri.l.1. ep. 3.

55. *Excellentior est prudentia moderari linguâ ne verbis fastum ambias, quâ lasum injuriam non referre.* Prov.11.12.

Prudentissimus est. Notavi Salomonem cap. sequenti minus extollere actum quendam prudentiæ omni exaggeratione majorem : qualis est ejus qui læsus ab amico præmit silentio dolorem : ait enim : *qui despicit amicum suum indigens corde est : vir autem prudens tacebit.* Hic dicitur prudens vir ; qui verò moderamen adhibet in dicendo *prudentissimus* hoc loco nuncupatur ? Non imprudenter locutus est de prudentiâ sapiens. Linguæ moderamen inter ea quæ intellectui nostro conferuntur magnum Dei donum est non omnibus concessum : aliter non diceret S. Ambrosius : *fœlices planè illos, quorum ora ne multiloquio solverentur,*

S.Ambr.9.in Luc. c.19. tom.3.

verbi cælestis habena restrinxit. Qui vulneratus contemptu, non repercussit impetentem, patiens vicit alienæ insolentiæ tela. Qui dum posset effari multa, moderatur sermonem suum, præsumptionem superat, propriique plausus amorem deponit. Hoc est excellentius virtutis opus.

Discipulos Dominus hortatur suos, ut cum ad tribunalia, regumque aulas, ob veritatis præconium (quod apud sæculum criminis loco puniri solet) ducti fuerint, non priùs quid responsuri sint meditentur: ipse
Luc.21.14. 15. namque loquelam suggerere curabit. *Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarij vestri.* Vides non humanæ sapientiæ committi pro veritatis defensione publicè loqui? Alibi ad injuriarum tolerantiam illos muniens divinus Magister, non promisit eorum linguis adesse, ne vindictæ calore concitatæ laberentur; sed tantùm beatitudinis honorifico titulo, spe cælestis præmij, & prophetarum exemplo robotavit eos ut maledicta, persecutiones, detrahentiumque vulnera sustine-
Matth.5.11. 12. rent æquanimiter. *Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* Mehercle valdè arduum est quòd læ-
Valer.Episc. in sermo. sus nec verbo feriat lædentem. *Nihil savius, nihil violentius amaris, asperisque sermonibus: quorum vulnera tanto difficiliùs curantur, quantò faciliùs proferuntur*, ait Valerius Episcopus. Imò longè difficiliùs adhuc est
Raban.in c. 5. Matth. opprobrio petitum gaudere. *Nescio quis*, inquit Rabanus, *nostrùm possit implere, ut laceretur opprobriis fama nostra, & exultemus in Domino.* Qua igitur de causa non promittit divinus Præceptor Apostolis collaturum sapientiam, futurumque in labiis illorum, ut valerent in conspectu maledicentium verba continere? Quia licet hoc prudentiæ sit munus; non tamen id est summum inter hujus virtutis munia. Major difficultas visebatur in eo quòd apud sæculi potentes, cùm possent ad propriam commendationem, vanumque fastum nimis eloqui, linguam regerent, moderarenturque verba. Dei Verbum hanc sibi curam reservare testatus est: *dabo vobis os & sapientiam.* Appelletur ergo prudens qui tacet cum læditur superbè: *vir autem prudens tacebit*; ast ille qui, ne quid nimis proferat, *moderatur labia sua, prudentissimus est.*

FLOS XXI.

Argentum electum lingua justi: cor autem impiorum pro nihilo.

APERITUR.

1. TAQUE servato loquelæ moderamine, quod præcedenti versu Magister prudentiæ docuit: nunc justi modestissimam linguam, hoc est illius ad limam examinata verba, similia dicit argento. Cardinalis Hugo secutus Caietanum, hujus assignat similitudinis duplicem analogiam, scili. nitorem, & sonum. Quoad primum: exinde collige quàm exerrent ij, qui verborum nitidam ac modestam pulchritudinem execrantur, & philosophicum supercilium fingunt, ut quidquid exornat eloquentia detestentur. Phaleras comptulis relinquo, viris exosa: nec tamen rudem loquendi modum laudari patior sub nudæ ac dilucidæ veritatis hypocrisi. Quædam sunt ingenia, quæ potius indiscreto suadente zelo, quàm innatâ rusticitate, silvestre sic profitentur idioma ut elegantiam oderint. *Veritas*, ait Lactantius Firmi. *licet possit sine eloquentia defendi, ut est à multis sæpe defensa, tamen claritate, ac sermonis nitore illustranda, & quodammodo differenda est, ut potentius influat in animos, & vi sua instructa, & luce orationis ornata.*

Hugo Cardin. hic. Caietan. Lactan. Firmi. in præfat. inst.

2. Vide proximè dicta n. 46. Quibus adde hujuscemodi hostes eloquentiæ vel SS. Patres calumniari, vel eorum venustissima verba præterire. Non solummodò aureum os; sed totus aureus est Chrysostomus. Gemmis loco verborum composuit orationes Chrysologus. Et, ut alios taceam, quærere vellem an melliflui nomen pugnet cum sanctitate Bernardi. Hos equidem, si Deo placet, non audebis nimis floridos dicere, vel obscuros. Utinam vel umbram eruditionis quâ fulgebant sectaremur. Justi erant: ideo verbis eorum citra pompam inerat argenteus nitor.

3. Sonus etiam argento peculiaris est, quo dignoscitur an sit adulterinum, an pretiosum. Isti sono similis est veritas, quæ justi verbis ostendit inesse splendorem argenteum. Impij verbositas imitatur æs, quod, cùm sit inferioris pretij longiùs argento resonat. Econtrà justorum in loquendo pretiosissima parcitas pacatum edit sonum consonum vero. Hoc tantùm in hac similitudine miraberis, in quo nonnihil ejus extrema discordare videntur: nempe quod argenti sonus in mortalium auribus echo suave producit; Veritas autem ingratum. Sed non est hoc universaliter verum: Plato namque veritatem appellavit suavissimam; & Maximus ait: *veritas ingrata est stolidis.* Et non arridet illa sceleratis: nam, ut ait Ambrosius: *quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiæ?*

Plato apud Stob. ser. 11. Maxim. ser. 35. S. Ambr. to. 2. in p. 118. Oston. 13. prope finem.

4. *Mendacium impossibile*

Argenti nitori ac sono jungitur defœcatio,

Ubi fore cupiunt Sancti.

tio, & valor: ex quibus expendit Salazar similitudinibus verba justi argento parilia. Addit Cornelius à Lapid. soliditatem, in quâ etiam non absimila sunt. Singula revoco ad trutinam, & postea quidquam adjicere curabo. Ubi habet Vulgata Lectio: *argentum electum*, scribit Hebraica: *argentum purum*. Depuratur loquela justi primò à mendacio: secundò à superfluis. Defœcatur argentum à stanno, terrâ, & galenâ (ex qua plumbum) quibus eadem vena matrix est, & commixtim ab eisdem visceribus eruuntur. Sermo non aliter à mendaciis, & inutili scoriâ purgandus est. Ab oris, & operis, fallaciâ justus abstinet ita quod vellet impossibile sibi fore mentiri. Fortassis cupiebat hoc Apostolus, cùm ad Corinthios aiebat: *non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Opera dixi fallacia: quia, ut ait datus nuper Ambrosius, *non solum in falsis verbis, sed & in simulatis operibus mendacium est: mendacium namque est se Christianum dicere, & opera Christi non facere.* Tandem superflua tollit justus ut veritatem amabiliorem reddat, vitans fastidiosa, deligens utilia: *nec enim multis opus est, sed efficacibus: seminis modo spargenda sunt.* Hæc Seneca. *Veritas*, ut inquit Augustinus, *panis est.* A lolio, zizaniis, & paleis oportet expurgari: præsertim quia tædium aliter facilè movebit. In hoc delinquunt ij qui tempus in illis enarrandis prodigunt quæ ferè nullus ignorat. *Onerosus est qui cognita inculcat*, scribit S. Doctor idem, jam superius expensus.

Salaz. hîc & à Lapid.

2. ad Cor. 13. 8.

S. Amb. to. 5. ser. 44. relatus in c. Cavete. 22. q. 5.

Sen. epist. 38.

D. Aug. in Joan. trac. 41. to. 9.

Idem l. 4. d. doct. Christ. c. 10.

5. Deinceps argenti valor, pretij, quod sermo castigatus exæquat, est emblema. In eo tamen quadamtenus dissimilantur, quòd nempe argenti cumulus ditat quandiù possidetur; sermo prudens autem divites facit etiam expendentes. Verum est excipientem ab ore perito doctrinam ita ditescere, quòd fassus fuerit magnanimus Alexander malle se doctrinâ quàm opibus cæteros anteire. Nihilominùs per hoc non minuuntur docentis divitiæ: nam idcirco sapientia confertur luci apud Ecclesiastem. *Et vidi quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Splendor enim pluribus dispergitur neutiquam omninò imminutus. Haud aliter diffunditur doctrinæ jubar. Eruditionis thesaurus emitur commutatione rei omnium inter mutabiles pretiosissimæ, tempore scili. *Nihil tempore pretiosius:* & non potest non summa dignum appretiatione vocari, quod pretio constat adeo magno. Deinde si rerum venalium taxare valorem solet major vel minor utilitas earum, numera quanta facundo mercetur ingenio qui pollet eo: nam & adversitate pressus vel hâc emergit arte, vel fortunæ molit iras, inveniens infœlicitatis propriæ levamina mille: cùm licet funestissimi naufragij jactura sit, non possit auferre mentis opes. Et insuper istis emitur amicus fidelis, qui thesauro similis est ex Siracide: *amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.* Igitur cum benemoratus verbo sapienter sibi paret amicos, ejus lingua pretium thesaurizat eximij valoris, utpote quod ad comparandum bonum pretiosissimum sufficiens est.

Ecclc. 2. 13.

S. Ber. in declam. sup. Ecce nos. longè post med.

Eccli. 6. 14. 15.

Argenti soliditas etiam justi prudentis locutionibus inest. Odit ille vanitatem vel ore tenus contingere. Loquitur ad pondus, non ad numerum: *verba autem prudentium* Eccli. 21. *statera ponderabuntur.* Aëre formatur oratio, 28. sed non in aëra disseminetur: ad corda potiùs descendat: quod ut præstet spontaneè, nequaquam levia sint verba par est. Sed heu, tam frequenter occurrunt auditorum aërea corda, ut extollant (aëris more) levissima, quæ proferunt illi quibus verborum flumen, & mentis gutta. Inde non parvo animarum damno contingit, ut quia graculi cantant, cygni taceant. Garrulitas illa signum est vanitatis internæ juxta Hugonem: *Vanus sermo vanæ conscientiæ est index*, ait ille: sicut Hugo l. 1. d. Anima. enim ex abundantia cordis os loquitur: ità id quo quis plenius est, hoc eructat. Cùmque rebus levissimis iniqui pascantur, hinc fit quòd loquuntur inania. *Pravi*, ait Gregorius M. *sicut in sensu leves sunt, ita in locu-* D. Greg. M. *tione præcipites: quia quod levis conscientia* to. 1. l. 5. *concipit, levior protinus lingua prodit.* c. 11.

Soliditatem, pretium, sonum, & nitorem 6. argenti vidisti meritò justi verbis appropriari. Adde quod, ut fertur (& invenies apud Calepinum verbo Argentum) vulnera sanat argenti spuma, nonque sinit superfluum excrescere carnis: necnon sordes mundificat cordis. Hæc omnia congruunt optimè verbis timorati sapientis. Longissimè quidem Apollineam excedit artem sapientia justi morbos animæ tollens: illa quippe cordis ulceri nequit mederi juxta poëtam.

Afferat ipse licet sacras Epidaurius herbas Ovid. 1. *Sanabit nulla vulnera cordis ope.* Pont. 4.

Justus verò fœliciór medicus ipsum præcordiis latens vulnus mirabiliter sanat, doctrinæ medicamentum apponens: gratissimumque sic obsequium exhibet Altissimo, qui nihil à nobis expetit nisi cor nostrum. *Nihil aliud* Hugo proximè sup. *quærit à te, nisi cor tuum*, ait citatus Hugo.

Cor autem impiorum pro nihilo. Ut hæc se- 7. cunda sententiæ pars aptè respondeat priori, debet intelligi sensum esse verba impij carere similitudine argenti: quia nec hilum valent, eo quòd ejus cor pro nihilo est. Itaque Salomon ut linguæ vitium indicaret, cordis malum aperuit, quod illius vitij fons est. *Impiorum* pluraliter ait; cùm justum in singulari dixerit. O quàm facilè mali congregantur! Et præsertim adversùs bonos: non quòd amicitiam servent inter se pravi; sed interim simultatibus depositis, adversùs insontem conciliantur. *Quid ergo*, ait M. Gregorius, *pravos hujus mundi divites dixe-* D. Greg. M. *rim, nisi aristas quasdam generis humani? to. 1. l. 17. qui dum contra se superbiunt, sed bonorum* mora. c. 6. *vitam unanimiter affligunt, adversum se quidem divisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt.*

Pro nihilo. Cor impij nihil est quia dili- 8. git mundum, qui similiter est nihilum, & quem non sic amaret niæ simillimi forent: nam ex Aristotele, *amicitia omnis quadam* Arist. l. 8. *inter amicos paritate, & similitudine constat.* ethic. c. 3. Unde bellè dixit S. Petrus Damianus: *tunc* S. Petr. Da-

mi.ad Abb. Desiderium. l.3. ep.17. *cum videbantur esse impij, ad nihilum potius pertinebant quàm ad verum esse : qui enim ab illo recedit qui verè est, juxta illud Exod.3. Ego sum qui sum : necesse est ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Res equidem admiratione lachrymabili prosequenda, si meditemur qualem nobis metamorphosim eligamus. Datur optio nobis utrum velimus qui aliquid sumus fieri nihil ; an autem instar omnium reddi : nempe charitatis ingenio simillimi Deo transformari, qui omnia continet. Miseri malumus per dilectionem anihilari, quàm infinitatis amore ferè indicibiliter augeri.

S.Aug.to.9. tract.2.in 1. Joan. fine. Profundè monet Augustinus. *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis, terra eris. Deum diligis : quid dicam ? Non audeo dicere ex me. Scripturas audiamus : ego dixi dij estis* &c. Sublime volavit aquila? declinemus oculos, nec enim valebimus ejus pernicitatem adæquare visu.

DELIBATIO I.

Lingua justi argento signato similis est.

9. ARgenti simpliciter dicti nomine quandoque venit pecunia. Sic Apostolorum Acto.3.6. Princeps : *argentum & aurum non est mihi.* Gen.43.22. Similiter fratres Josephi : *aliud attulimus argentum.* Deinde per linguam totus homo non semel significatur. Habes apud Psalmographum : Ps.49. 19. *lingua tua concinnabat dolos.* Et Dani.5.19. legis apud vatem *universi populi, tribus & linguæ tremebant*, &c. An autem etiam in præsenti, cùm dicitur : *argentum electum lingua justi*, probatæ monetæ argenteæ similatur justus ? Nosti D.Hilarij sententiam : D.Hilar.canon.23. in Matth. *Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata.* Imaginem Dei expressam in seipsis habere, peculiari ratione convenit justis, ut ex Magistro gentium colligitur. 1. ad Cor. 15.49. *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Quapropter aiebat S. Zeno l.2. ser.3. S. Zeno Veronens. *Non ergo carnale hoc indumentum imaginem Dei debemus accipere, sed cælestis hominis spiritualem, quam in se credentibus Dominus atherea nativitate renovatis, plenitudinis suæ pio de fonte largitur. Quam rationem Paulus evidenter prodidit dicens : quemadmodum portavimus imaginem ejus qui de limo est, portemus & imaginem ejus qui de cælo est.*

10. His præjactis. Non omni verosimilitudine videtur destitutum, si putes hoc loco justum argenteo numismati componi. Nec te moveat quod homo lutum, & fimus est : non verò pretioso compactus metallo : nam potens est Deus conflare scoriam in argentum, Ezech. 22. 19. 20. juxta vaticinium Ezechielis : *eo quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jerusalem, congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis.... & requiescam : & conflabo vos.* Quod cum ita sit, non multum audeo, si dicam videri terream deposuisse conditionem illos quibus datum cælestis doctrinæ pabulo mentes proximorum reficere. Imò angelis ij simillimi sunt, qui Dei verbum annuntiant. *Angeli Dei annuntiatores sunt veritatis*, ait S. Augustinus. Ab animarum salute requiescere humanum quid est ; earum verò lucris indefessâ curâ jugiter insistere angelicum imitatur Dei obsequium. S.Aug.to.8. in ps.44.

Ab animarũ salute quiescere, humanum; insistere ipsi, angelicum.

Esaü minis, & amore matris fugam suadentibus peregrinabatur Jacob Labani domum quærens. O quàm sæpe quæritamus ut refugium, ejus umbram de cujus postea querimur fallaciis ! Dormiebat ille ; divina tamen protectio vigilem se præbuit ei. Cernit scalam extrema summitate cælo vicinam: qua descendentes, & ascendentes angeli, sursum, deorsum, versabantur, Deo, qui scalæ nixus apparuit, famulatum sic offerentes. *Dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum : angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam* &c. Gen.28.11. 12. Linquamus historiam : pulsemus ut aperiatur mysterium. Ducatum præstent Isidorus Hispal. & Rupertus Abbas. Ille vidit in Jacob dormiente Servatorem in cruce mortuum. *Et his dictis discessit. Somnus iste Jacob mors, sive passio Christi est.* Rupertus deinde per angelos prædicatores accepit. *Vidit & angelos ascendentes & descendentes per eam. Angeli Dei, id est nuntij sancti prædicatores sunt veritatis, nuntij vel testes utriusque divinæ pariter & humanæ generationis Jesu Christi.* S.Isid.Hisp. in Gen. c. 24. Rup. ibi l.7. c.12. Si utriusvis figuræ lentiùs perpendamus delineamenta, vereor ne videantur suis exemplaribus dissimiles. Purus homo Jacob filij Dei typus erat? angelorum verò nobiliori naturâ significantur illi qui plusquàm homines non sunt? Deus ipse, cùm à mortalium quærenda salute requievit in cruce, non meliorem sibi vendicavit imaginem, quàm hominem purum pauperem, & profugum. Prædicatores autem qui veluti veritatis argenteæ tubæ castra Domini ad arma vocant, sub pulcherrima descendentium, & ascendentium angelorum specie, quasi supra terrenum plasma, quo progeniti sunt, elevati comparent, in hujusce muneris nobile decus. Igitur quasi non ex cådem argillâ plasmatus, argento valet assimilari justus, dum ad aliorum spirituale documentum verba facit. Numisma Dei est quô ad animas comparandas utitur : *argentum electum* regiâ cusum imagine.

11. *Omnibus pro capacitate sit accommoda largitas.*

Aliud proferam ejusdem allegoriæ motivum. Pecuniæ, seu argento signato non impar justus est, cùm docet rectà gradiendi vias : ex hac saltem ratione, quod nummus non uni vel alteri necessitati sic inservit, ut alij sublevandæ non prosit ulteriùs. Vestis fami non est utilis : panis nequaquam nudum operit : musica minimè sanat ægrum : pharmacum neutiquam solvit carcere clausum. At pecunia singulorum capacitati succurrit, se cunctorum accommodans indigentiæ : vincto libertatem negotiatur : ægrotis medicamenta propinat: vestem spoliatis projicit : cibatque famelici ventrem. Justus mo-

A Lapide ibi ex Theodoreto. *& conflabo vos. Ideſt* (ait ex Theodoreto Cornelius à Lapide) *quia vos scelerum colluvionem admisistis, & facti estis quasi argentum adulterinum, fornacem vobis constituam ipsam Jerusalem.... eos verò qui purgationem admiserint, expiem, depurem, & quasi quoddam purgatum argentum reddam. Hoc est quod sub-*

netæ beneficam imitatus pretiositatem, distribuit singulis doctrinam, prout cujusque suadet egestas, patiturque capacitas. Hæc est beneficentiæ peculiarissima laus: indigentibus accommodatâ distributione subvenire. Qui vel superflua minimè profutura donat: vel cum vanæ gloriæ fœnore turpi redditurus, largiùs quàm pauperiori, tribuit, ambitioni dedit. Prior damnum intulit potiùs, quàm beneficium contulit: posterior non donavit, sed fœneratus est. *Liquet igitur debere esse liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas: cujus sobrietas tenenda est, maximè Sacerdotibus, ut non pro jactantia, sed pro justitia dispensent.* Hæc D. Ambrosius. Itaque beneficus, longè pulsâ negotiationis turpitudine sit liberalis cunctis (præsertim sapientiam distribuens) & singulis pro ipsorum variâ mensurâ distributorem exhibeat prudentem. Imitetur Dei Filium: qui descendens ad ima terrarum, immēsum largitatis imbrem sic adeò diversis egenorum inopiis attemperavit, ut universis mira singularitate proficuus, illimitataque singulis universalitate curaverit accommodus esse.

S. Ambr. to. 4. l. 2. d. offi. c. 16.

Ideo (nisi decipior) dicebat vates Jesseus: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Ad quem locum ut solet Chrysologus. *Vellus cum sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas, cum sit in carne vitia carnis ignorat: cælestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum terris omnibus in pluviam salutis effunderet: & sicut stillicidia stillantia super terram. Ut vitalibus partita stillicidiis tempora fidei rigarent germina, non necarent.* Unum pro cunctis dedi Chrysologum: scis namque hunc in sensum quàm plurimos conspirare: scili. ut pluviæ nomine Verbum Patris appelletur eo psalmi loco. Dicet quispiam: nonne foret emblema Solis aptius Unigenito descendenti? Hic nasciturus erat ex Virgine temporaliter ut mortem obiret, pluvia minimè quidem nascitur, nec moritur; Sol autem ortum experitur, & occasum: *Oritur Sol & occidit.* Dicturum putabam: ascendet sicut Sol. Aptissimè tamen prædixit in morem pluviæ descensurum. Sed quare sic? Accipe. Sol assuetus præesse luminaribus poli, nostræ nequaquam obsecundat voluntati.

Ps. 71. 6.

Chrysol. ser. 143.

Eccle. 1. 5.

Sæpius nollet quisque nostrum ipsius tanto jubare caloreque repleri. Florem lucis pater exurit: stellas illuminat simul & abscondit: suæ tantùm aptat magnitudini quod largus dispertit, quin accipientium qualitates discernat. Pluvia non ita se gerit. Ad florem cadens, ejus folia tangit leviter, & pertransit, ne dissipet; ad arboris radices lentiùs immoratur, quia majori eget aquarum copiâ: decurrit ad flumen quod invenit pauperrimum de temporis injuriâ, ne dicam veluti murmure frementem: & quia nimis fluvius eget, eo quod mari tributum debeat, & solvendo non stet, quod (quamvis aquam sic projiciat in æquor) negare non valet: ejus penuriæ quasi miseratus effusâ liberalitate replet illum. *Una pluvia*, inquit S. Cyrillus Jerosol. *in universum descendit mundum; quæ alba quidem sit in spinis, rubea autem in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in diversis speciebus diversa: & in omnibus sit omnia.* En pluvia singulorum capacitati ac inopiæ beneficium aptat. Hæc est largitatis excellentia: scili. non projicientis impetu, sed stylo distribuentis prudenter uti. Sapientissimè David pluviæ similavit Verbum nostra post sæculorum decursus invisurum habitacula. Imo nimbus ipse divinus in stillicidiis postea fœcundavit spirituales agros immodicæ non capaces aquarum copiæ. Favet S. Bernardus: *Pluvia quippe voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, placide prius, & absque strepitu operationis humanæ, suo se quietissimo illapsu virgineũ dimisit in uterum: post modum verò ubique terrarum diffusa est per ora Prædicatorum, non jam sicut pluvia: sed sicut stillicidia stillantia super terram.* Incarnatæ Sapientiæ vestigia sequantur ij, quibus horti dominici (hoc est sæculi) plantas incumbit irrigare. Nonnunquam Solis: aliquando stellæ prædicator jubeat munus: nec enim æqualis cunctis est mentis acies. Audiat M. Gregorium: *Prædicatores*, inquit, *Sancti ut Sol nostris oculis sunt, cum contemplationem nobis veræ lucis aperiunt: & velut stellæ in tenebris lucent cum per activam vitam pro futuris necessitatibus nostris terrena disponunt.* Cunctis distribuat justus accommodè: singulis apter egestatibus dona: fiat omnibus omnia, sicut pecunia solet. Sic dicetur ipse *argentum electum.*

S. Bern. ser. 2. sup. missus

D. Greg. M. to. 1. l. 9. mor. c. 3.

DELIBATIO II.

12. *Sapientiam tegere arduũ.*

Idem de doctrina justi.

EAdem pecuniæ similitudo necnon doctrinæ convenit optimè sicut colligitur ex Origene dicente: *Vos omnes quibus hæc loquor pecuniam accipitis fœneratam, verba mea hæc pecunia Domini est.* Hanc servis suis tradidit homo Deus peregrè proficiscens, ut fœnus animarum ipsi redderemus. Triplicem rationem offero cur pecuniæ sit consimilis doctrina justi. Primam accipe. Scientiam igneo lumini non absimilem habemus ex Pio Pontifice: *sunt*, inquit, *scientiæ sicut lumina*: qui *de suo lumine lumen accendit, & sibi retinet lucem & accipienti tenebras aufert.* Concinit Augustinus dicens: *ignis ardens est omnis minister Dei.* Imò Jeremias sermonem Domini vocat ignem: *Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis: & defeci ferre non sustinens.* Quin potiùs etiam de sermone qui Domino minimè placuit, dicebat Eliphaz: *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Itaque scientiam sicut ignem in sinu abscondere perdifficile. *Nunquid potest homo ignem abscondere in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* ait Salomon. Sic & eruditio ægrè valebit contegi. Chrysippus interrogatus quid esset mens hominis: fontem sermonis esse respondit. Unde velut fontanas aquas difficulter, si abundant, claudes ne profluant: ita sapientiam vix cohibebis ne pateat. In hoc æquatur illa pecuniarum co-

Orig. to. 2. hom. 3. in ps. 36.

Pius Pont. epis. 120.

D. Aug. to. 8. ser. 1. in ps. 103.

Jerem. 20. 9.

Iob. 4. 2.

Prov. 6. 27.

Chrysipp. apud Stob. ser. 1.

S. Cyrill. Jerosol. cat. 16.

piæ, quæ ubicumque ſervatur ſonitum rarò non edit. Niſi malis expendere quod opes amentiæ ſunt quamſimiles: & vix fieri poteſt ut inſaniam diſſimulet amens. *Divitiæ nihil aliud ferè ſunt quàm fœlix amentia.* Ex his omnibus liquet difficillimè pecunias utplurimum abdi ſic ut nullum ſui prodant indicium. Haud aliter (ſed nobiliori de cauſa) ſapientiam celare ſatis arduum eſt.

Ariſto. l. 1. retho. c. 16.

Tria nondum attigerat luſtra Servator, cùm jam errantis induit ſpeciem, ut quæreret errore diſperſos. Templum adiit, & ſedit in medio Doctorum, audiens, interrogans, & obſtupefaciens: *audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentiâ & reſponſis ejus.* Stupor non qualiſcumque admiratio eſt, ſed vehemens, ex Ariſtotele. Idem ſacer hiſtoriographus infra narrat Dominum in ſynagoga Nazareth expoſuiſſe Iſaiam plauſibiliter: *& mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* Hic admirati ſunt: in Jeruſalem verò ſtupuere? Quid ibi demirabilius, quàm hîc? Quòd ſapientiam quam reſponſa præ ſe ferebant, interrogationibus (quæ neſcientis propriæ ſunt) obvelabat. Hoc magnum virtutis opus. *Quia parvulus erat invenitur in medio, non eos docens, ſed interrogans, & hoc pro ætatis officio.* Sic Origenes. At exponens Dominus Iſaiam, depromebat ſapientiam, biblicum agens interpretem: ideò hîc non adeò mirantur. In Jeruſalem celabat eandem. Hoc ſtupeſcere coëgit ſapientes, nempe quòd ſic valeret abſcondere lucem nubibus immunem: nam doctrinæ radij, velut argenti ſplendor, ſi plurimus eſt, non diu latebit.

Luc. 2. 46. 47.

Ariſto. in topic.

Luc. 4. 22.

Orig. hom. 19. in Luc.

13. *Fratris emolumentum ſpirituale momentis lucrum eſt.*

Secunda inter nummos, & verba juſti proximis utilia, ſimilitudo hæc eſt. Monetarum acervos otiosè claudere, mercatoribus jactura non levis eſt, lucri temporiſque damnum. Sic ille, cui cælitus datum aliis viam ſalutis prudentibus monitis aperire, dies perdidiſſe reputat, quibus nullum ad veritatis reduxit ſemitam. Negotiatoribus æquat juſtos D. Baſilius expenſus jam aliorſum: *omnes enim*, ait, *angelicam viam ambulantes mercatores ſumus, per opera mandatorum nobis poſſeſſionem cæleſtium negotiantes.* Nec tamen ex ſola regione longinqua (cælo ſcili.) mercator iſte fœnora negotiatur: etiam quin proprium relinquat littus (in terris inquam) plura lucrari ſolet, aliorum nempe ſpiritualia emolumenta. Nam & proximi ſalus juſti momentis lucrum eſt, ut ſuadent verba Domini apud Matthæum: *ſi te audierit lucratus eris fratrem tuum*, exponente Caietano: *ut fratris*, inquit, *ſalutem tuum lucrum æſtimes, & non ſecus quàm tuum lucrum inquiras.* Imò licet propria tantum congerat ſpiritualia commoda juſtus, inutiliter cucurriſſe putat: veluti ſi fons in prælto colle poſitus eſſet, ſic avarus, ut eadem, quæ genuerat, aquas terra ſorberet, inutilis à cunctis vocaretur: ita charitas: hæc etenim fons dicitur ab Auguſtino. *Bibite charitatem. Fons eſt.* Hic oritur apud collem, hoc eſt juſtum, qui collis appellatur juxta illud Geneſis: *Deſiderium collium æternorum:* ubi Rupertus: *ideſt Chriſtus deſiderabilis expectatio omnium juſtorum.* Unde fons ille charitatis fruſtraneus ab eodem juſto putatur, niſi proximis proficuus riget eorum inopem ſiccitatem. Sibi ſoli præmia congregans largiſſima, ſi non illuminet alterum, tempus exiſtimat perdidiſſe qui charitate fervet.

D. Baſil. to. 1. hom. 12. ex var.

Matth. 18. 15. Caieta. ibi.

S. Aug. to. 9. tract. 7. in 1. Joan. epiſ. initio.

Gen. 49. 26. Rup. l. 9. in

Gen. c. 37.

Charitas niſi alios in via ſalutis inſtruat, perdidiſſe tempus reputat.

Audi charitatis olim exemplar, & poſthàc patientiæ prototypum: qui ſic lachrymabilis vitæ ſuæ deplorabat inanitatem: *ego habui menſes vacuos:* exponit Doctor Angelicus: *ideſt reputavi menſes præteritos mihi vacuos præteriiſſe.* Supervacuè vixiſſe putat is qui ſuſtinens patienter tot merita cumulavit! Hujus verba quantùm diſſident ab Apoſtoli dicto! *non in vacuum cucurri* &c. Ecce Paulus, quamvis humillimus, non in vacuum laboraſſe credit; & Jobus non ita? Nodum ſcindat Cornelius à Lap. ad illa Magiſtri Gentium verba: *utpote quod vos cum aliis multis ad Chriſtum, & ſanctitatem Chriſtianam adduxerim.* Renatus eſt ſpiritualiter Paulus: & fontis more naſcentis Eccleſiæ jam floſculos irrigabat vix exortus è cœno. *Baptizatus eſt. . . . & continuò in ſynagogis prædicabat Ieſum.* Claudere præſumpſit fontem illum impietas, at fruſtrà: nam ipſo carcere detentus erumpebat, ut ſpiritualia germina doctrinæ laticibus præfunderet. *Laboro uſque ad vincula quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Carnis fragilitas, fontis ejuſdem torrenti non ſemel obſtabat ægritudinibus: ipſo tamen obſtaculo vires aſſumebat, ut fortiùs efflueret: nam de morbis, & capitis dolore accipit S. Hieronymus apud Cornelium à Lapi. infirmitatem de qua Paulus ad Galatas dixit. *Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jampridem.* Igitur jure peroptimo dixit Apoſtolus non in vacuum laboraviſſe: qui ab incunabulis aſſuetus erat animarum colligere lucra: quinimò adverſitatis etiam tempore (quo vix exauditur ſapiens) exequebatur fœliciter munus idem. Jobo non pariter accidit inter procellæ ſuæ turbines. Olim, fateor dum ſecunda flabat aura magiſtrum ſpiritualem agebat apud quamplures: *docuiſti multos*; poſtea tamen impetitus dolorum ictibus quantumvis doctiſſima verba fecerit, nullum tamen auditorem lucratus eſt. Quidni dies illos computaret quaſi tranſiviſſent inaniter? *Habui menſes vacuos.* Sic alienæ charitas invigilat utilitati, quòd niſi proximorum ſpirituali commodo inſiſtat, æſtimet perdidiſſe tempora, quaſi mercator dum ſervat argentum. *Sapientia ſuper omnem poſſeſſionem præeminet, generoſa poſſeſſio quæ ſparſa colligitur, erogata revertitur, publicata ſuſcipit incrementum: per quam nobilis conſcientiæ theſaurus ſecretis penetralibus mentis innaſcitur* &c. ait Alanus.

D. Thom. in c. 7. Iob. lect. 1.

Ad Philipp. 2. 26.

A Lapide ibi.

Act. 9. 18. 20.

2. ad Timo. 2. 9.

Ad Gala. 4. 13.

Job 4. 5.

Alan. l. d. complanct. natu.

Sic imitatur juſtus Deum: qui charitas eſt, & adeo in hominum bonum propenſa, ut cùm dignatus eſt in terris vitæ connumerare dies is, qui debito nativitatis æternæ temporibus immenſurabilis erat, eos extra numerum dierum ſuorum poſuerit, quibus nullam de ſæculi fluctibus eduxit animam.

14. *Dei Filius non computabat vitæ dies, quibus non lucrabatur homines?*

Vide quid Aſſertor Apoſtolis dixerit, cùm eorum corda præpararet ut minus ægrè ferrent abſentiam dilectiſſimi præceptoris:

exivi

Joan. 16. 28. *exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ubi D. Augustinus de ascensione Redemptoris intelligit illud iter ad Patrem. *Reliquit mundum*, ait, *corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione.* Putabam de futuro Christum Dominum fore locuturum, eò quòd ascensionis tempus adhuc longius abesset. Si diceret: vadam ad Patrem, scrupulum non moveret stylus. De præsenti fatur: *vado*: quasi jam cælum pergeret ille qui redivivus per quadraginta dies adhuc in terris immoraturus erat, postquam è sepulchro surgeret? dies istos non computat? Quasi transirent in vacuum, illos videtur parvipendisse: utpote quibus latens nec hominibus quidquam promeruit (ejus namque merita morte consummata fuisse theologia vulgaris est) neque de novo discipulum vocavit, nec ulterius aliquam ex mundi silvis animam venatus est. Vereor ne perdidisse tempus illud existimaverit, quo ab animarum venatione quievit. Et ipse gloriæ Princeps mercatoris exhibebat peregrinus officium juxta illud S. Leonis: *venit in hunc mundum dives, & misericors negotiator cæli, & commutatione mirabili inivit commercium salutare, nostra accipiens, sua tribuens.* Et sicut negotiatoris quies temporis frustratur usuram: Sic divini Magistri, ejusque assectarum ingenium perutile cunctis, doctrinæ si claudat rivos, quasi terrâ sepelisset pecuniam, sic dierum subiisse detrimentum existimat.

D. Aug. trac. 102. in Joan. fine.

S. Leo ser. 3. de pass.

15. *Peramanter medetur anima qui sine infirmi pudore.*

Tertium addo analogiæ nexum inter argentum signatum, doctrinamque justi: scili. quod pecunia sua cuique pro sublevandis necessitatibus usui est, quin pudeat ipsum de auxilio quod illa præbet. Sic sæpe justi verbis utitur peccator audiens, ut suam levet egestatem, quin miserrimum egenum suæ vilitatis rubor confundat. *Neque enim is qui peccat probris venit infectandus, ut scriptum est, ne exprobres homini avertenti se à peccato.* Sic D. Basilius. Philosophus qui beneficiis regulas præscripsit generatim loquens, monet liberalem ne accipienti notitiam largiti muneris tribuat in pompam: *danti in tantum producenda est notitia muneris sui, in quantum delectatura est eum cui datur.* Imò addit: *interdum etiam ipse qui juvatur fallendus est, ut habeat, nec à quo acceperit sciat.* Hoc sicut in vitæ mortalis militat subsidiis, ita etiam in spiritualibus eleemosynis multoties observandum est: ne beneficium indigus respuat, quod pudoris dispendio constat, secutus consilium Senecæ perperam intellectum, qui dixit: *quod pudet debere ne acceperis.* Qui verecundiæ pretium solvit pro inopiæ suo remedio, non omninò gratis accepit. Et pejus est, quod sic vendens beneficium caret excusatione, quia nullam ex alieno rubore consequitur utilitatem. Minoris dilectionis optimum signum est quòd tibi noluerit indigenti gratiosè subvenire qui valet; peramanter animæ vulneri tuo medetur is qui medicamentum apponit, sic ut te non pudefaciat.

D. Basil. to. 1. hom. 3. in Psal. 14.

Sen. l. 2. de benef. c. 23.

Idem ibi c. 9.

Idem ibi c. 23.

Petrus in præludiis belli strenuus, ad aras usque fidelitatem spopondit prædilecto Magistro. Sed ut alienæ fragilitatis compassionem addisceret, permissus est illius amor sic ad ignem frigescere ut ancillulæ voce perterritus negaverit Præceptorem. Et quia vix accidit ut semel tantùm cadat qui occasionem non vitat, iterum, & tertiò lapsus est. Annuntiaverat hoc ipsum eidem præscius Redemptor, dicens ante binum galli cantum triplici labe maculandum. Itaque postquam ter negavit Apostolus, *continuò gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat: prius quàm gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras flevit amare.* Ubi habent vulgata: *gallus cantavit*: legit ex Græco Franciscus Lucas *clamavit gallus.* Ecce gallus monitoris officium præstitit ut Petrus resipiscceret. *Galli cantu admonitus*, inquit Victor Antioch. *quasi à gravi somno excitatus, ad se reversus comperit se in illud ipsum malum, ac probrum decidisse, in quod Dominus ipsum prolapsurum paulò ante denuntiaverat.* An Apostolorum Antesignanus legato nobiliori non dignus erat? Avis excitat illum? quare non per angelum admonetur ut Balaam? Cui cælestis nuntius ait: *perversa est via tua, mihique contraria*: vel per hominem, ut David, ad quem missus est vates? *Misit ergo Dominus Nathan ad David*, Certè plusquàm David Petrus Deo dilectus erat: ideo per galli vocem reprehenditur: quamvis Balaamum, Davidemque per creaturas rationales Dominus increpuerit. Admonitorum ratione utentium reprehensionem, non sine verecundiâ eorum qui monebantur exceptam ab ipsis fuisse credo. Noluit Deus Balaam, vel Davidem, citra pudorem à delicto revocare. Petrum verò, ut non erubescat monentem, non angeli vel hominis interventu suscitavit, sed galli cantu, de quo minimè quidem verecundaretur. O eximiam charitatis beneficentiam, quæ (dum aliter prudentia non suadet) indigenti animæ subvenit curans ut molestum erubescentiæ dolorem nequaquâ patiatur. Dum, inquam, syndéresis dictamen aliud non jubet: quia sæpe confusio delinquentis quærenda est velut medicina leniens, ut meliora sapiat libentiùs: ait namque M. Gregorius: *facilè autem culpa corrigitur, quæ & erubescitur, quia esse culpa sentitur.*

Matth. 26. 74. 75.

Franc. Luc. ex Græco.

Vict. Antioch. in c. 14. Marc.

1. Reg. 12. 1. Num. 22. 32.

D. Greg. M. tom. 1. l. 32. mor. c. 17.

DELIBATIO III.

Non sicut argentum discordiarum fomes lingua justi, sed pacis instrumentum.

16. *Inter dissidentes conciliare pacem illustrius quàm hostem devincere.*

HActenus inter pecuniam, justum, hujusque verba, connexiones quasdam expendi, quibus nixus poterit quisque de argento signato loquens effari cum Salomone, dicens: *argentum electum lingua justi.* Nunc dissimilitudines inter éadem extrema perpendam. Postquam vel Caimi (qui morti januam aperuit) vel aliorum providentiâ solerti, divisio rerum auream extinxit ætatem, invidiæ cæcutientis errore, quidquid unus possidet, sibi putat alter sublatum: quo fit ut opum furiosa libido pacis inimica sit. *Pecuniæ grandior acervus, & privatim, & in civitatibus*

Plato l. 5. de leg.

vitatibus, inimicitias, seditionesque parit, inquit Plato. Et ita quid nihil tam legibus natura sanctum firmaverit, ut non pateat cupiditatis insaniæ. *Facultates* ait Chrysologus, *unitatem scindunt, fraternitatem separant, cognationem spargunt, parentum perdunt & violant charitatem &c.* Non sic justi sermo: ipse namque sciens quàm verum sit illud Bedæ: *qui linguam non refrænat, concordiam dissipat:* ut longiùs absit discordiis neutriendis, non tantùm procul vitat quidquid humanæ pernicioſissima zizania valet seminare: sed paci conciliandæ sedulus invigilat, verba faciens, quæ dissidentes ad amicitias revocent. *Audiant,* inquit M. Gregorius, *jurgiorum seminatores quod scriptum est: beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Atque è diverso colligant, quia si filij Dei vocantur qui pacem faciunt, proculdubio Satanæ sunt filij qui confunduntur.* Non minori nomenclaturâ, quàm filiatione divina, donari oportuit pacis conciliatores. Heroicum hoc præ multis est virtutis opus. Non clariùs fulget de victis hostibus laurea, quàm de sopito simultatum igne charitas. Imò perilluſtrior sapientiæ victricis pompa videtur inter discordes unitatem stabiliviſſe, quàm proprios inimicos detriumphaſſe: quia cum adversarij prostrati non dent corda, sed manus, conciliati verò certantes quasi submittant voluntates pacis authori: victor illucet non tam quia protrivit oppugnantes, quàm quia junxit inter aversos amica fœdera.

Princeps pacis Dei Filius utrumque præstitit munus. Et utriusque populi (Gentilis, inquam, & Hebraici) dissidium extinxit: & spiritualium adversantium superbiam debellavit. Utque discernas quidnam ex his extiterit ei glorioſius, audi Paulum ad Ephesios: *ipse enim est pax nostra*: sed memento illius ad Corinthios non eodem stylo sic loquentis: *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Jam, ut puto, confers diversam utriusque loci phrasim. Corinthiis non dicitur Christus Dominus victoria nostra; sed illam nos à Deo Patre recepisse per eum. Ephesiis autem asseruit Apostolus nobis datam pacem per Dei Unigenitum; sed eundem appellavit pacem nostram: *scili. effectivè*, inquit Liranus. Animadverte priùs quàm indages mysterium qualis illa victoria sit, & quænam pax ista. Victoriam commentatur interlinearis: *peccati & mortis.* Pax ex ipso contextu colligitur esse quæ inter Judæos & Gentiles facta est: ibi: *qui fecit utraque unum.* Post pauca sanctus Anselmus exponit: *Pax nostra ipse est, qui utraque fecit unum: id est Iudaicum populum, & Gentilem fecit unanimes in fide & cultura unius Dei, & moribus.... inimicitias vocat idololatriam: Judaicus enim populus inimicabatur gentili idolis servienti, & Gentilis Judaico idola contemnenti.* Hæc sanctus Anselmus: quibus adde ibi lectionem Syriacam: quæ pro vulgatæ verbis, *interficiens inimicitias*, habet: *cruceque sua enecavit odium*: Deinde veterum traditiones recole, quâ compertum est impoſita nomina sæpiùs, ut alicujus memorabile factum è posterorum non excideret memoriâ. Sic ab Africa domita Scipio dictus est Africanus: Messala vocatus à Messana Siciliæ nobili civitate capta. Similiter pax dictus est Christus Dominus ab illa pace quam statuit inter Iudæos, & Gentiles: *Medium parietem maceriæ solvens*: id est: (ait ex aliis Cornelius à Lapid. *dissidium quod erat inter Judæos & Gentes.* Adeò glorioſum putavit inimicitias extinxiſſe Dei Filius, ut se pacem nostram permiserit nominari, non autem victoriam: quasi fuerit utriusque authori glorioſius, pacem inter contendentes adunare, quàm fæliciter hostes immaniſſimos prosternere. Sapientia verbum Patris est: & huic incumbit velut cœlesti pluviâ sedare fluctus.

Sicut bellica tempestas omnes mortalium fœlicitates devenustat: ita pax exaggerat cunctarum gaudia. Unde *primum omnium bonorum pax est*, ait Natalis Comes. 17.

Sydera pace vigent, consistunt terrea pace. Terrenorum concordes animos evexit Mantuanus catholicus. Plus illi dixiſſe licebat, quin timeret quod fertur de pictoribus atque poëtis: nam unitas pacifica super astra vendicat sibi quid imitetur, angelorum scili. uniformes hierarchias, juxta illud Cassiodori: *Nec inveniri potest forma expressior conversationis angelicæ, quàm unitas socialis.* Nam si angelicæ substantiæ durant in ævum, etiam in terris pace fruentes conditionis mortalis, instabilitatem aliquatenus detinent. *Nulla prævalida armis gens, inter se consentiens, vinci ab externo hoste, quamvis feroci opibusque præstanti, potest*: inquit Æmilius. Parum est ut Angelico statui componamus in terris viventium pacem, spectata sola naturæ Angelorum unitate. Audeo dicere: beatitudini simillima nostra pax est. Quid est beatitudo? Perfecta satietas & summa. Pacem qui possidet satiatur adeo, quòd nihil ultra videatur ipsi restare cupiendũ. Audi sanctum Bernardum quodnam pacis Ecclesiæ mediatorem: ob idque à Senatu Romano decoratum erectâ statuâ inter Heroes, suppoſito lemmate, quo pacis author, Ecclesiæ columna patriæque pater inscriptus est. *Pacem*, inquit sanctus Doctor, *volo, pacem desidero, & nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficis tu. Tu es enim pax nostra, qui fecisti utraque unum.* Est ergo pax bonorum omnium compendium, beatitudinisque synonimon.

Ad litteram sic usus est pacis nomine Zacharias. Expiatâ per linguæ vincula dubij culpabilis noxâ, cumulato per Baptistæ natalia gaudio, quod presserat corde per octo dierum silentium, ejus fœliciſſimus parens in Dei laudes prorupit: quibus per hæc verba clausulam impoſuit: *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis, sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Sic Messiæ mox nascituri munus esse declarat præbere lucem ut ad salutis viam perveniant homines. *In viam pacis, hoc est ad conversationem justam ac virtuosam, quæ est iter ad pacem pectoris in præsenti, atque ad pacem æternitatis in futuro.* Ita commentarium Dyonisij Carthus. Exiſtimabas fortè cœlestem patriam sub titulo regalis curiæ, paradiſive nominandam à Zacharia? Non metaphora voluit uti; sed synonimo: pax enim & beatitudo sonant

Chrysol. ser. 1.

Bed. l. 2. in c. 27. Prov.

D. Greg. M. to. 1. 3. p. pastor. c. 24.

Ad Ephes. 2. 14.

1. Cor. 15. 57

Lira in 2. ad Eph. 14.

Interli. in 1. ad Cor. 15. 57.

S. Ansel. to. 2 in c. 2. Epis. ad Eph.

Lect. Syria. ibi.

Ad Eph. sup.

Corn. à Lap. ibid.

Natal. Comes l. 3. hist.

Bapt. Mantuan. d. pace.

Cassiod. in ps.

P. Æmil. l. 1.

S. Bern. ser. 13. in Cant.

Luc. 1. 79.

Dyon. Carthus. ibi. art. 5. juxta fin.

ſonant diverſa, valent idem, eò quòd utraque ſit bonorum compendium, fœlicitatum epilogus. Concordiam igitur apud ſuos auditores adinvicem juſtus curat, & nutrit: non equidem in hoc ſimilis eſt argento lingua ejus, cùm ſit illud bellorum ſcintilla; iſta verò ſit pugnarum extinctio.

18. *Fœliciùs vincit qui blandis verbis ſuperat quem pertimeſcit.*

Hic unitatis amor quam inter proximos lingua juſti ſollicitat, non minus ſatagit, ut ſibi cunctos amicabili humanitate conjungat: nec diſcordia ſcindat nexum, quem ratio ſuadet, ac natura: natura, inquam, dum hominem animal inter cætera ſociabile, nec armis à nativitate munitum ſolum genuit: ratio verò quia rationabile tædium contentionum ingerit pacato cordi, ſuadens quòd certare cum pari duellum anceps dicendum, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum, cum fatuo ſtultum, non minus ac ſi cum hominis imagine digladiari velles. Hæc tantummodo percipit qui vulgi opiniones dedidicit: Scio etenim apud ſæculi barbaras leges fatuitati damnari pacis amicum, injuriarum vim ſcuto patientiæ ſic excipientem, ut brachio dextro amplexetur hoſtem. S. Bern. ſer. d. donis Spiritus ſancti. Sed potiùs crede Bernardo dicenti: *qui enim mentem pacificam, & ſerenam habent, de ſupernis dulciùs ſapiunt, & ſubtiliùs vident. Nam quiſquis patientior, eò probatur eſſe ſapientior.* Audio dicentes: prudenter agere non negamus eum, qui blando ſermone mollit inimicum: ſed ignaviæ notam refugimus: nam ab hominibus judicamur, adhuc noſtra converſatio in cælis non eſt. Inertiæ nævo maculari ne reformides: quinimò ſcias te reddendum apud ſenſatos clariorem, ſi blandiloquo ſermone cor alienum ſubigas. Qui rixatus evaſit victor, emit periculo victoriam: cujus pars aliqua demitur ab eo, qui ſe vinci potuiſſe permiſit. At verò ſi pacatè loquens diſſimules, & ita cor offenſoris demulceas, vinci non potuiſti: tunc te fœliciorem exiſtima. Benè de patientia relatus jam ſuprà S. Laurentius Juſtin. S. Laur. Juſt. in lign. vit. o. 2. d. patient. *non mediocris animi eſt patientia, quæ inſuperabilem facit hominem. . . . Omnia vincit adverſa, non colluctando, ſed ſufferendo: non murmurando, ſed gratias agendo.* Fortunatiorem ſortitur eventum, qui prudentiæ tenens habenas, humanitate verborum adverſarium proſequitur inhumanum, quàm ſi tumeat iracundiâ, oreque jaciens ignea tela, confundat hoſtem.

Cum fratre, ſoceroque diſſenſiones Jacobus expertus eſt, & utrumque ſuperavit juvante Deo. Patrios lares cupiens reviſere ideoque à Meſopotamia revertens, perſecutionem Labani paſſus eſt; non quòd verbo vel opere fuerit ab eo læſus; ſed quia veſtigiis inſiſtens generi, fugam, & inopinatam filiarum ablationem damnavit: & præſertim arguit quòd ſublata furto numina ipſius abſconderet. Res tamen fœlicem habuit exitum: nam reconciliationis fœdus iniit Laban cum Jacob: & hic gratitudinis ergo Gen. 31. 54. Deo victimas immolavit: *immolatiſque victimis in monte*, ubi Cornelius à Lapid. Cornel. à Lap. ibi. *hiſce ergo victimis gratias egit Iacob Deo pro pace inita.* Poſt hæc venit ad Eſaü fratrem ſuum, quem valdè metuebat: invenitque iratum jam prorſus immemorem: qua de cauſa Deo gratus etiam, *erecto ibi altari invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſraël.* Commentatur idem Cornelius. *Jacob in gratiarum actionem hic Deo liberatori, duci, & ductori aram erigit, & inſcribit.* Utrobique video Jacobum grates perſolvere, ſed in ſecundo loco, ritu ſolemniori: nam primùm dicitur immolaviſſe victimas in monte; non tamen erexiſſe altare. Quando autem cum Eſaü actum fuit, non tantùm habemus erectionem aræ, ſed inſcriptionem tituli: ſic enim exponit citatus interpres verba textus: *invocavit* &c. *Hunc ergo titulum* (ſcribit à Lapide) *inſcripſit Iacob altari: El Elohe Iiſraël: ideſt Deus fortiſſimus Iſraëlis: vel Deo fortiſſimo Iſraëlis.* Eâdem videtur mens Caietani. *Crediderim ego*, inquit, *fuiſſe conſuetudinem, ut nomine Dei, cui altare dicabatur inſigniretur altare: & propterea Moyſes tali modo loquendi utitur.* Quæro: cur hoc loco Jacobus peculiari ſolemnitate gratias egit Altiſſimo? Quia multò plùs experiebatur ſe fœlicem, cùm vicit fratrem, quàm dum ſuperavit Labanum. Rationem aſſigno. Pro Laban Jacob irato vultu, verbiſque oſtendentibus iram uſus eſt: *tumenſque Iacob cum jurgio ait: quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me &c.* Fateor quòd hæc aliaque Laban audiens ita ceſſit, ut reſponderit: *quid poſſum facere filiis & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus.* Video, inquam, Jacob proſtraviſſe Labanum: nec tamen ille ſe beatum æſtimavit adeo tunc, quia *tumens*, & *cum jurgio*, ſocerum vicit. A germano victoriam reportavit aliter: miſit enim ad illum dicens nuntiis: *Sic loquimini domino meo Eſaü: hæc dicit frater tuus Iacob:* ubi Lipomanus: *fratris officium exhibet, ut fratrem ſibi verbis ac factis conciliet, in bono malum vincere ſtudens.* Sinebat juſtus humilitate ſua ſatiari ſuperbum. Opportunè Rupertus: *Vanitatem, inquam, illius*, ait Abbas, *oblatis ultra obſequiis ſaturare feſtinabat, munera præmittens domino ſuo Eſaü, præcipienſque ſuis, hæc, & hæc dicetis, ſic & ſic loquimini domino meo Eſaü* &c. & ita facillimè ſuperavit illum citra prælium. Beatiorem ſe putavit Jacob per hunc vincendi modum. Igitur in majoris gratitudinis teſtimonium erexit altare, cui titulum divinæ majeſtatis inſcriberet: celebrior namque triumphus hic eſt, quem fraternis conſequutus eſt verbis, abſque jurgio vel tumore, quibus ad Labanum fuerat uſus. Ita linguæ juſti obediunt omnia, non ſecus atque pecuniæ: quamvis hæc diſcordiarum ſit matrix, & in hoc non dicatur *argentum electum lingua juſti.*

Gen. 33. 20. Cornel. à Lap. ibi. Idem ibi. Caiet. in c. 33. Gen. Gen. 31. 36. Ibi c. 32. 4. Lipom. in Caten. ibi. Rup. l. 8. in Gen. c. 2.

DELIBATIO IV.

Aliæ diſſimilitudines inter argentum & linguam, ſapientiamque juſti.

19. *Juſtus poſt tribulationē liberè loquēs terret hoſtē.*

IPſa textus noſtri verba ſic Septuaginta legerunt: *argentum igne examinatum lingua juſti.* Quiſnam ſit ignis ille quo verba juſti probantur, alij charitatem putant, alij Lect. 19.

veritatem dicunt, Hugo Card. prudentiam existimat. Sed *mysticè*, ait ibi Cornel. à Lapi. *hic ignis est tribulatio, & persecutio.* Quâ expositione suppositâ licebit aliam inter argentum & verba justi dissonantiam adnotare. Missum argentum in ignem denigratur. Justus quantumvis fornace tribulationis exuratur, eodem sermone, seu argento fulget ut antea. Ideo Pierius Salamandram constantiæ posuit ænigma super ignem: quod scili. animal flammarum vim eludit. Non ignobilius dedit emblema stabilitatis, lapidem in quadro positum D. Anselmus: *quadratus lapis*, inquit, *sex æqualia habet latera: in quod horum ceciderit firmiter jacebit. Sic providendum est viro justo ut in suo persistat proposito. Hujus autem latera hæc sunt, prosperitas, adversitas, sui libertas, subjectio, in secreto esse, & in publico: in quibus singulis, si à diabolo impulsetur, stet, nec à proposito moveatur.* Hoc non omnibus datum. Excellens adeo constantiæ strenuitas est post perpessam tribulationem causâ veritatis, iterum loqui sicut antea, quòd hæc libertas ipsi terrorem incutit hosti, ne verbo saltem audeat Heroem impetere.

Cornel. à Lap. in 16. Prov. 20.

Pier. Vale. l. 16.

S. Anſel. in simil. c. 173.

De Tophet quò missus fuerat à Domino ad prophetiæ munus, venit Jeremias ad atrium domus Domini, *& dixit ad omnem populum: hæc dicit 'Dominus exercituum Deus Israël: Ecce ego inducam super civitatem hanc, & super omnes urbes ejus universa mala, quæ locutus sum adversus eam.* Audivit hoc præfectus Phassur: & quamvis prophetæ verba non ad ipsum specialiter directa fuerint, sed ad omnem populum: ægrè tulit adeò supplicij denuntiationem, ut percusserit, & tenuerit vatem. *Percussit Phassur Jeremiam prophetam, & misit eum in nervum.* Crastina die hinc Jeremias eductus, acriter in eundem vibravit propheticè comminationis gladium, dicens: *non Phassur vocavit Dominus nomen tuum, sed pavorem undique. Quia hæc dicit Dominus: ecce ego dabo te in pavorem, te, & omnes amicos tuos: & corruent gladio* &c. Non tamen legimus tunc facto seu verbo Præfectum adversus vatem quidquam executum fuisse. Percussit Phassur audaciter Jeremiam heri cum generaliter loquebatur ad populum? hodie verò quando minaciter prophetat adversùs eundem, impius nec verbum protulit contra prædicentem? Pertimuit Jeremiam, postquam vidit quòd à se percussus, & nervo propter munus prædicationis constrictus, posthac eâdem, imò & validiori constantiâ loquebatur. *Liberatus autem*, notat Lira, *Pontificem constanter arguit.* Heroica dicendi virtus ita potens quòd pressurarum vi non infringatur, cogit hostem revereri, quem odit. Argentum infuscat flamma: sed in hoc non sicut argentum electum lingua justi: nam igne tribulationis examinata non minus adhuc rutilat.

Jerem. 19. 14. 15.

Ibi c. 20. n. 2.

Ibi n. 3. & 4.

Liran. ibi.

20. *Unica fœlicitas non permanet: instar multarum sit ut perduret.*

Aliud insuper assigno quo distant argenti copia, justique lingua: hoc est in loquendo sapientia. Pecuniarum splendor fortunæ munus est; prudentia dirigens verba nequaquam subest mobilitati sortis. O quàm præcellit opes bonum stabile, nec alienos incursus, neque propriam inconstantiam pavescens! Vix inter mortalium bona reperitur in terris quicquam immortale. *Omnia*, inquit Aristoteles, *quæ sunt sub cælo, tabescunt, senescunt, & sordescunt sub tempore.* Adeo se ingerunt hominum oculis documenta veritatis hujus, ut frustraneum sit memorare singula. Elige quid radices validas agat in terris: nec ibi stabile quidquam invenies. Arbores meditare: quidam earum fructus in ipso flore marcescunt: emergunt alij, sed plures ad maturitatem non perveniunt: & plurimos vix maturos dejicit ventorum vis. Quid erit iis quibus agere radices non datur? Miscet omnia tempora vicissitudo: fœlicitatis ortum comitatur sepulchrum: adolescentiam præcedit mors. *Res sæculi dum tenemus amittimus.* Instar multarum sit oportet sors illa, quæ temporis varietatem superare valeat, ut interire possit partim, & ex parte manere. Succedat sibimet inconstans fœlicitas, ut perduret; unica perseverare non poterit: sit multiplex, ut successivè stet præterfluendo.

Aristo. l. 4. physic.

S. Hiero. l. 3. in Amos c. 6. to. 6.

Sponsam Canticorum Dilectus palmæ similem dixit: *statura tua assimilata est palmæ:* necnon & lilio: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea:* insuper etiam fonti: *fons signatus.* Cernis quàm distantibus utitur metaphoris ut Sponsæ accommodet spectabili venustati! Quî fieri valet ut illa sit omnibus æqua? Fons difluit per agros; flos & arbor neutiquam. Isti coloribus mulcent oculos; fonti color non adest, nisi sit infecta. Potius eligat ex prædictis ænigmatibus unum quo Sponsæ perfectionem exprimat. Utquid tot emblemata multiplicat? Quia in his, quæ visui patent nihil est quod seorsim ab aliis possit imitari mansura bona: qualia erant quæ in Sponsa placebant præcipuè. Singula non stant; ex tribus illis consurgens numerus durationè successiva percurrit stabilis per sui partes: ita ut initium tunc videat una, cùm interit alia. Saltem sic habebimus ænigma constantis boni (licet non admodum exactum ad amussim) ex palma, lilio, ac fonte compositum. Ex his quodlibet seorsum non erat sufficiens, ut fixam præ se ferret sortis imaginem. Lilium quippe vere primo pompam explicat, & antequam æstas adveniat, demittit. Æstivas fructuum divitias possidet arbor, quas, licet gladiis videatur palma tueri, tempus diripiet. Nec mirum est hoc in palma, quæ nemini præstat umbraculum: cùm lignorum, quæ hominibus umbram offerunt, ramos feriat securi manus éadem, quæ dum arderet æstifer calor ibidem tegumen invenit amœnum. Fons hyemali tempore prædives, verno incendio pereuntibus ejus opibus ad extremam devenit inopiam: & substantiam suam cum gratissimis, & ingratis plantis prodigens, postea parum abest ut inopum stylo penuriæ suæ querelas incassum emittere velut submissa voce videatur: præsertim quia (ut & in hoc egenorum simillimus appareat) cuncti ferè sitiunt ei quod restat auferre. Sic tamen alternantur vices, ut cùm enascuntur fontes, cadant fructus; & cùm esuriuntur fructus, marcescant flores. Ut insinuetur

Cant. 7. 7. Ibi c. 2. 2. Ibi c. 4. 12.

instar

instar multarum esse dilectæ sortem, proindeque permansuram. Ex illis tribus conflatur sponsæ imago, quæ successione dici possit eádem (sicut flumen dicimus unum, quamvis unda prætervolet undam:) nec enim duratura fortuna, vel arbori soli, vel fonti, liliove, divisim rectè poterat exæquari tantùm: utpote quorum singula, propter fugientis conditionis vilitatem sponsæ perfectioni dissimilantur. Hujus enim bona quæ largiori beneficentiâ contulit Sponsus ei, vendicant summum de perpetuitate nitorem: quippe quæ cælitus delapsa terrenorum inconstantiæ non subsunt: quia cum cæcis mundi donis non computantur: imò similima sunt bonis in æternum permansuris. S. Thomas ad priorem Canti. locum, ait: *statura ergo Ecclesiæ palmæ assimilatur: quia in omnibus quæ agit, semper supernam in memoria retinet remunerationem. Palma enim victricem ornat manum: & ideo significat præmium illud, quod victoribus sanctis in cælestibus dandum est.*

D.Thom. in Cant.7.7.

21. *Potius lætitiam movet quod sorte, quàm quod meritis, obtigit.*

O ter fœlicia dona, quæ minimè ventus projecit in sinum! O fallacia hominum judicia, quibus ea sola placent, quæ sors inopina dedit! Cùm pretio meritorum quidquam acquirunt, debiti solutio hæc est: unde non solet nimis excipientem exhilarare. Falluntur, inquam: nam fœlicitas à virtutum exercitio vix distinguitur, sed quasi sunt synonima. Explicans illud Abrahami: *ecce in tabernaculo est*, ait Philo Judæus: *ecce, inquit, apud me ipsum virtutem habeo repositam ceu rem pretiosissimam, & ideo jam nunc fœlix sum. Quod enim ex virtute percipimus, fœlicitas est, ut non frustra eam possideamus.* Hoc non attendunt qui sortis casu contingentia, favente sibi manu donata, læti contemplantur. Idipsum quod præmij loco recipit à Deo, quin gaudeat, homo, si ab hominum inconstantia (quod sortem nominamus) iterum tribuatur, erit eidem gaudij materia. Sed quare tunc plus arridet? Quia durationis incertitudo, præcedensque forsan injuria, lenocinantur voluptati.

Philo Hebr. l.quod deterior &c.to.1.

Bis electum Saülem ad Israëlis thronum Regum historia refert. Primùm à Samuële fuit inunctus in regiæ majestatis nobile signum. Secundò quando percussis Ammonitis exemit Jabes ab hostili jugo, quod ipsius habitatoribus imminebat: populus tũc abiens in Galgala vassallitium solemniter promisit victori, quem legimus hoc loco non vulgari perfusum hilaritate. *Et lætatus est ibi Saül, & cuncti viri Israël nimis.* Non cerno similiter hilarem Saül in Maspha, ubi fuit à Samuële populi votis coacto vocatus ad sceptrum. Qua putas de causa? nisi quia prior electio Dei munus erat, qui Saülem dignum coronari sustulit ad plebis regimen supremum. Tunc dixit Prophetæ: *certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Ibi non alia nisi meritorum via consecutus est regnum: proindeque non legitur hoc de præmio gavisus. In Galgala regiæ potestatis investitura nova, fortunæ donum appellari potest: eo quòd illimet, qui prius contempserant Saülem (*& despexerunt eum*) nunc ipsi libenter subdi-

1.Reg.11. 15.

Ibi c.10.24.

Ibid. n.27.

derint animos instabilitatis plenos. Omnes enim textus narrat concurrisse ad inaugurandum denuo regem. *Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saül.* Eadem penitus erat utrobique diadematis Hebraici regni celsitudo: sed antea meriti viâ fuit à Deo collatum (*sic enim erat innocens quando regnare cœpit, sicut filius unius anni est*, ut ait Rupertus) idcirco de illius acquisitione vel nihil, vel modicè, lætatus est Saül. Postea nimium exhilaratur de ipsiusmet sceptri nova possessione, quia vidit post injuriam plebis, nunc esse beneficium sortis, utpote quod ei à populo conferebatur, qui varietatis est emblema, præsertim dum comitia celebrantur. *Nullum fretum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum.* Hæc Cicero. Hoc ipsum gratius est hominum ægro palato, quod mobilius: despiciunt stabilia, fugientia quærunt. Falluntur, & non egregiè: nam altioris conditionis ea bona sunt, quæ cum semel fueris adeptus, relinquere non cogeris. Illi diligunt equidem cælestia, sed vellent ut obtingerent sibi quasi sorte; non verò meritorum sudore constarent. Amant coronam; oderunt stadium. *Quam pauci post te ô Domine Iesu ire volunt: cùm tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit.... volunt omnes te frui: at non ita & imitari: conregnare cupiunt, sed non compati.* Recolo D. Bernardum. Unde-ne habet ortum hæc insipientia? nisi quia consuetudine delusus animus assolet sortis (ut aiunt) risum præstolari; laboreque paranda bona, licet permanentia detestatur. Ex istis unum est sapientia, quæ tantum abest à fortunæ legibus, ut Aristoteles dixerit: *ubi plurimus intellectus, & ratio, ibi minima fortuna.* Quo sensu Philosophus id pronuntiaverit, non examino; satis nobis est illum non dubitasse, quod ratio prædives, intellectusque præcellens, opponantur fortunæ: quod non esset, si forent hæc sortis munuscula, ut est argentum. Istius ergo similitudo cùm sermone, vel sapientia, justi non est omnimoda.

Sup.

Ruper. l.1. in 1.Reg.c. 19. fine.

Tull. pro Muræna.

D.Bern.ser. 21.in Cant.

Aristot. l.d. bona fortu.

Imò quò veritas hæc altiùs insideat animis, addam inter argentum & sapientiam justi disconvenientiam duplicem. Prima est: argenti copia nullum reddidit pavoribus immunem; sapientia verò cælestis (quam per linguam hic jam accipio) timoris exors est. Appositè S. Augustinus: *nemo securus est in his bonis, quæ potest invitus amittere; veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus.* Dum video passim splendentes fortunæ fulgore, non stellam, ut vulgus compellat sortem; sed à fortunato facem gestari dextra mihi videor. At ille, si respexerit ad sinistram, cernet umbram quâ terreatur. Hanc si voluerit admota flamma fugare, mutabit caligo locum; non evanescet; dexteram tenebit. Clariùs dicam: si dignitate præcedis, obumbraris invidiâ: si meritis effulges, infortunio tenebrescis: si divitiis abundas, curis augeris: si populari veheris aurâ, paves, quæ sequitur, infamiam &c. Igitur fortunæ splendor malis plurimos liberavit, metu neminem: *nusquam est securitas*

22. *Divina lucis proprium fugare circumquàque umbras.*

D.Aug.l.2. d.libe.arbit. c.14.

S.Bern.ser.d. ligno, fœno &c.

tres : neque in cælo , neque in paradiſo : multò minùs in mundo. Non ſic ij quibus divina claritas effulſit. Iſta circumquaque fugat umbras, ne timorem incutiant. *Nunquid non Dominus dies eſt ? Dies planè illuſtrans & ſpirans , qui ſpiritu oris ſui fugat umbras, & deſtruit larvas illuſtratione adventus ſui.* Sic Mellifluus idem. Divinæ lucis proprium eſt, non ſolum ſplendorem præbere,ſed tenebras undique diſpergere.

Idem ſer.72. ſup.Cant.

Demum advenit peroptata dies (quidni diem vocemus noctem illam ?) quo Verbum Patris , mortalitatis noſtræ ſoloce indutum, viliſſimo tugurio pauperrimum expertus eſt hoſpitium , ut nos illius inopiâ ditati cæleſtes manſiones ingrederemur. In eâdem regione gregibus invigilabant paſtores, quibus en adeſt nuntius gaudium evangelizaturus cunctis retrò ſæculis concupitum. Beda ibi : *ut claritas Dei paſtores circumfulſiſſet, hoc eſt : ex omni parte illorum radios luminis aſperſiſſe dicatur.* Sic Venerabilis Commentator accepit illud Lucæ : *claritas Dei circumfulſit illos.*Ecce fulgor circumcirca ſplenduit , quem D. Lucas , cùm vocare poſſet angelicum , nominavit divinum : *claritas Dei :* vertit Syrus : *gloriaque Domini illuxit eis :* Vatablus autem legit : *& gloria Domini circumfulſit illos.*Lucem attulit angelus: & non dicitur angelica ? Emphaticè quidem : nec enim creaturæ , ſed propria Dei, videbatur lux , quæ circumfulgens in gyrum tenebras hominibus illis ab omni parte depellebat : non unico latere , ſed in omnem partem radios mittens , ut nullus umbris terrorem incutientibus daretur locus : *nolite timere.* Non inficior cogitationem iſtam ex ipſo textu aliqualiter poſſe redargui : paſtores etenim , etſi lucem circulariter diſperſam viderint,tamen *timuerunt timore magno:*(vellem ut ſemper lectorum argumenta ſic ſolido niterentur fulcimento , & non inſurgerent arguentes per textum in cap. ſuo) ſed facilè diluitur. Imprudens fuit illa formido; nobis verò de prudenti metu ſermo tantùm eſt. Si ruſticos prius exuiſſent mores , ac Deum infantilibus membris natum , humilibuſque pannis involutum prænoviſſent , quid paverent ? Prima radix timoris fuit nuditas hominis , & vox Dei : *vocem tuam audivi in paradiſo : & timui eo quod nudus eſſem , & abſcondi me.* Etiam hæc motiva tunc deerant pavendi : nam panniculis tectum noſtra cur nuditas horreſceret ? Non loquentem , ſed vagientem puellum , puſillitas humana quare tremiſceret ? *& ne fortè dicas,* inquit S. Bernardus , *etiam nunc : vocem tuam audivi & abſcondi me : ecce infans eſt , & ſine voce. Nam vagientis vox magis miſeranda eſt , quam tremenda.* Parvuli erant paſtores ? Etiam tunc Deus infans. Malis undique petebantur ? Aderat remedium. Hoſtilibus patebant incurſibus ? Dux erat in acie : quem ſi fortè timerent adhuc iratum , prout olim reperire ſolitum erat : metum deponerent facilè , ſi meminiſſent puerum non magno ſumptu placari.Hæc dixerim ut cernas formidinem paſtorum imprudentem extitiſſe : lux enim (quæ ideo Dei vocatur claritas) omnem exulare undique faciebat umbram , ex quâ poſſet aliàs horror non inanis exoriri.

Beda in Luc. l.1. c.5.

Luc.2. 9.

Lect. Syr. & Vatabl.

Gen.3.10.

D.Bern.ſer. 1.d.Nat.Domini.

Non ita ſolent fulgere ſublunares radij. Si dextra coruſcat ; obnubilatur læva : ſi radiet ſiniſtra ; dextram occupat caligo : præcedit fulgor ? Inſequuntur tenebræ : reſplendent poſteriora?Præit obſcuritas. Nunquam totum hominem, quamvis fœliciſſimum clareſcere facit ſplendor integer. *Quis eſt enim tam compoſitæ fœlicitatis , ut non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur* ? ait Boëtius : & poſt pauca : *Huic cenſus exuberat , ſed eſt pudori degener ſanguis. Hunc nobilitas notum facit , ſed anguſtia rei familiaris incluſus , eſſe mallet ignotus. Ille utroque circumfluus , vitam cælibem deflet. Ille nuptiis fœlix , orbus liberis , alieno cenſum nutrit hæredi.* Totum igitur fortuna congerat in ſinum fortunati : non totum ; ſed pars eſt.

23. *Totum fortuna donet : adhuc integra fœlicitas non eſt.*

Boët.d.Cõſol.philoſ.l. 2. Proſa 4.

Vide quomodo inter concupiſcentiarum fluctus enatet veritas : audi quid fateantur illi quos introduxit Salomon ex brevitate vitæ ſumentes occaſionem, ut appetitum excitarent : *ubique relinquamus ſigna lætitiæ : quoniam hæc eſt pars noſtra , & hæc eſt ſors.* Ubi Lorinus : *lætitiæ, gaudiique voce, omnia, quæ ſibi proponit impius , bona intelliguntur.* Et mox idem ait ad poſteriora verba. *Sors, & pars , ſynonima ſunt.* Qua expoſitione præjacta , dubitabam quomodo partis nomine veniret ſors , tempore quo erat in votis, cùm ſcili. ferè nihil erit quod humani deſiderij ſphæra non claudatur : vix enim eſt impius , qui non cuncta concupiſcat mundialia. Hæc omnia dicuntur pars ? Et veriſſimè : nulla namque ſors eſt integra penes mortales : fruſtrancè quæret invenire cupido niſi fruſta : *hæc eſt pars noſtra , & hæc eſt ſors.* Si quod eſt creatum bonum excipiendum ab hac regula : puto ſapientiam dici poſſe , dummodò ſit virtuti conformis , & ſocia. Illa nobiles divitias prudentiæ ſubminiſtrat : ſplendorem ab hominum opinionibus immunem præbet : ſpiritualium filiorum ſtirpem annumerat : fortitudinis invictæ robur præſtat : & (quod caput eſt) Deum, qui omnia continet , aſſequi docet. Non ſic pecunia : quæ ſublevat inopiam , plura verò alia mala relinquit ſine medela. Pluſquam igitur *argentum electum lingua* (hoc eſt ſapientia) *juſti.*

Sapi.2. 9.

Lor.in. ibi.

DELIBATIO V.

Ut argentum, ita juſtus reſplendet, quin alienam lucem abſorbeat.

NUnc per ſynecdochen linguam accipio pro juſto , quandam inter illum & argentum analogiam trutinaturus adhuc.Splendor argenti generoſitate ſuperat ſolem : hic enim minores extinguere ſolet ignes ; ille verò nequaquam. Sic juſtus effulget , quin alienam lucem obumbret.Hoc inde naſcitur, quod cæteros pluſquam fraternâ charitate proſequitur. *Major eſt,* ait S.Ambroſius,*fraternitas Chriſti , quam ſanguinis.* Quos natura juſſit eſſe germanos , nec ſemper cordium

24. *Rutilet jubar ſine lapſu alterius.*

S.Ambr.to. 5.ſer.de unitate charitatis.

dium sympathia donavit: unde fit quod sæpissimè vivant hostiliter, & alter alterius obtenebratione clarere putet. *Sanguinis fraternitas*, addit ibidem S. Ambrosius, *interdum sibi inimica est, Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est. Illa inter se communia cum æmulatione dividit; hæc etiam propria cum gratulatione communicat: illa in consortio despicit quoque germanum, hæc assumit frequenter alienum* &c. Enimverò si nossent homines unanimitatis commoda, nollent aliorum depressione tolli: coruscet jubar tuum sine lapsu alterius.

Idem ibi.

Ab Incarnato Deo capias exemplum. Magos ad præsepium stella prævia ducit: quæ vel angelus erat, ut favente Chrysostomo docuere Theophylactus, & Euthymius, non improbabiliter: vel saltem ab angelo movebatur, ut fert communis sententia: & cùm perveniisset ad locum ubi recens natus puer latebat, super eundem consistere jussa est: *usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.* Expectabam ad infantis Dei pedes, adorationis ritu prosternendam: æquum enim erat, ut hæc (licet creata denuo) stella, cæterarum causam agens ita restitueret Creatori cultum, quem à Magis antea furto receperant. Ipsos astra coluisse habes apud Chrysologum datum suprà dum legeres florem 3. n. 46. ergo compensat aliqualiter istud sydus obsequium, quod, cùm vero Deo deberetur, aliis luminaribus injustè collatum fuerat: procidat, inquam, coram Sole justitiæ. Noluit is, ut in ejus conspectu caderet angelus, qui vel stellæ munus agebat, vel saltem illam gubernabat: quia tunc Sol divinus apparuit: & ipsius generosæ conditioni foret incongruum alienâ ruinâ illucescere. Quod in epiphania Deitas refulserit, author est idem Chrysologus, dum ait: *solemnitas præsens epiphaniæ vocabulo nuncupatur, in qua illuxit Deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne.* Memini Josephum Jacobi filium in somnis vidisse Lunam, Solem, & stellas undecim ei adorationem offerre. Procumbunt lucis proceres, & principes coram homine puro! Posthàc in conspectu Altissimi nec una stella prosternitur! Suæ Joseph fœlicitatis ignoraret splendorem, nisi multorum luminum casibus augeretur. Divinæ majestatis radios minus generosè *Sol in præsepio Christus* explicaret, si vel angelus ibi caderet, vel stellam è manu demitteret. Non ab alterius lapsu magnitudinis claritatem Oriens ex alto mutuatur.

Matth. 2. 9.

Chrysol. ser. 147.

S. Pet. Dami. ser. d. Epipha.

25. *Fugit pavetque frater fratris fœlicitatem.*

Humanæ celsitudinis aliter stylus invaluit. Invidiæ miserrima sors est: quæ tanquam si non ei mala sua satis essent, patitur & aliena bona. Computatio fit inter aliorum profectus, damnaque: proximorum, inquam, utilitatibus angitur, quia delectatur invidus ærumnis. *Alienas enim jacturas suos quæstus existimat, & aliorum fœlicitatem miseriam suam arbitratur.* Nusquam habebit lividus minus malè, quàm in gehenna: ibi namque nullum erit alterius bonum, quo miser exuratur. Unde sapienter dixit Sanctus, gloria Lysiadum: *magnam pœnam faceret Deus invido, si ipsum poneret in gloria paradisi: quia ibi totaliter excæcaretur à gloria proximi, & à luce beatitudinis ipsorum.* Explicandus est Seraphicus Doctor, utputo, si nihil obstante invidiâ, perpetuo cogeretur esse livore plenus in cælo, tot videns fœlices: nam si liberum ipsi foret cælum relinquere, ne beatorum claritatem, cæcutientibus, & lynceis conspiceret oculis maximum quidem, sed non diuturnum dolorem experiretur. Quidni fugæ præsidium quærat invidus, ne lucem alterius inspiciat, qui timet eandem? Inaudita philosophia est, quod bonum terminet actus fugæ. Sed sub colore mali, bonum etiam timori subest. Dolent invidentiâ percussi, neque doloris causam agnoscunt invidiam esse, ne fateantur culpam. Potiùs insinuant se torqueri bono proximi. Hoc igitur pro invidis rationem induit mali: proindeque refugiunt alienum fulgorem.

Chrysost. to. 2. hom. 41. in Matth.

S. Antonius Olyssip. ser. fer. 4. in Pass.

Postquam quadraginta dierum spatio Moyses in monte Sinai decalogum tabulis accepit, descendit facie rutilus: quod cùm vidisset Aaron pertimuit. *Videntes autem Aaron, & filij Israël, cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.* De cæteris, excepto Aarone, facillimè inducar ut credam Liræ dicenti: *ex reverentia enim retrocesserant.* De Aarone difficiliùs id existimabo, qui fraterna consuetudine confidentiùs cum Moyse versari valebat. Aaronem fugisse, quamvis textus non exprimat, ne dubites: legimus enim vocatum revertisse: *vocatique ab eo reversi sunt, tam Aaron quàm principes synagogæ.* Ergo recesserant omnes isti declinare cupientes aciem à fulgore. A quo se quæso fugâ proripit Aaron? quid pavidus formidat? Moysaicæ faciei radios. *Videntes autem Aaron* &c. Et ab isto jubare quid mali? Adhuc exquiris invido supplicium acerbius alieno bono? Invidebat jam fortassis Aaron germano. Postea certò novimus invidum fratrem: dixit enim cum sorore: *num per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus?* Degeneris æmulationis plena verba sunt ista: quæ nunc detexere virus, quod antea fortè medullas jam corrodebat Aaronis. Ideò non mirum quòd faciem fraternam ille metuat, & viret, quæ ipsius oculis non tam fulgebat, quàm fulminabat.

Exod. 34. 30.

Lira ibi ad n. 31.

Num. 12. 2.

Addam pro cogitationis ipsiusmet robore secundum ejusdem loci mysterium. Nitorem largitur Moysi Deus, quia sic oportebat, ut populus eum revereretur amplius? Rationem istam assignant quidam, quos nomine suppresso refert Lira. Videbatur ex eâdem ratione claritatem concedendam cælitus Aaroni supremo Sacerdotum apici, quique simul cum fratre ducebat populum: *deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, & Aaron.* Luceant igitur fratres ambo. Communi bono conveniens non erat hæc in lucendo paritas: oportebat enim quòd pro Hebraicæ Reipublicæ utilitate non disjungeretur eorum fratrum socialis amor. Si micarent ambo, vereor ne diffugeret alter ab altero, fraternæ claritudinis impatiens. Moyse verò tantum lucente, saltem hic non fugeret fratrem; sed vocabit eum, sibique sociabit. Hæc est humanæ singularitas fragi-

26.

Liran. ad Exod. 34. 29.

Ps. 76. 21.

litatis: oderunt sortis contubernium, sibique damnum pariunt: nam si de aliena prosperitate gauderent, suam facerent homines: juxta illud Augustini: *tolle invidiam, & tuum est quod habeo: tollam invidiam, & meum est quod habes.* Et esto quod nolint aliena manu lucrari: ad minus tormentum effugient, si livorem deponant.

D. Aug. in Joan. trac. 32. tom. 9.

27. *Malis videtur incipere proprium damnum, cùm cœperint videre bonorum felicitatem.* Ricar. à S. Victo. p. 1. l. 1. d. crudit. interioris hom. c. 7.

Tam verum est alienis commodis torqueri cor invidentis: ut quantumvis aliorum excellentias intueatur, sentiat cruciatus non mediocres: attamen tunc videatur ipsius infœlicitas initium sumere, cùm cernere lividus incepit eorum quibus invidet celsitudinem. *Insolens namque animus, & propriæ excellentiæ cupidus, cùm per nimiam superbiam cadit in invidiam: penè molestiùs fert aliorum profectum, quàm proprium defectum.* Hæc Ricardus Victori. Eò plùs cruciat invidos alterius claritas, ut à tempore quo cœperunt illam vidisse putetur exordium sumere ipsorum infortunium: quamvis aliàs nimis indoluerint.

Dei Filius per civitates & castella docens iterfaciebat in Jerusalem: cùm à quodam interrogatus est an esset parvus numerus eorum qui salvantur. Cui Dominus ut raritatem adintrantium beatitudinem ex angustiâ januæ colligendam significaret, respondit: *Contendite intrare per angustam portam:* & addidit: *Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare* &c. Hæc de judicij die credo sumenda: tunc enim finietur pœnitentiæ tempus, cujus terminus per ostij clausuram videtur indicari.

Luc. 13. 24. 25.

Favet huic expositioni Beda: *intrabit autem* (loquitur de Christo Domino) *& claudet ostium quando totum corpus suum, quod est Ecclesia, resurrectionis gloria clarificatum ad suæ contemplationis gaudium perducens, reprobis locum pœnitentiæ tollet, quem nunc cunctis piè pulsantibus aperit.* Reprobi ne tunc incipient stare beatitudinis extra januam cùm intraverint justi? Nonne prius excluſi fuerant ab illa? Quis dubitat? Is tamen in eis exardet medullitus livor, ut proprium damnum ab ea computandum existiment hora, qua justos conspexerint ad æternam fœlicitatem visibiliter admitti. Judex intrabit, & cum eo beatorum agmina victricia coram lividis malorum oculis: & illorum ingressus erit velut reproborum infortunij primordium. *Cùm autem intraverit.... incipietis foris stare.*

Beda in Luc. l. 4. c. 57.

28. *Diabolus ab hominum sorte computat propria tormenta.* S. Cypri. to. 1. ser. d. zelo & livore.

Hæreditarium à diabolo transfusum est hujusmodi judicium ad invidiam humanam principis tenebrarum filiam. *Ille dudum angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus, & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit; non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante dejectus.* Itaque dæmon ab hominum quibus invidet, fœlicitate numerat supplicij sui dies, quasi gehennales flammæ, quibus multò priùs incendebatur, nihili faciendæ sint comparatione dolorum, quos de nostra sorte concepit.

Duo quondam ab spiritu nequam obsessi, de monumentis exeuntes ad Filium Dei clamaverunt: *venisti huc ante tempus torquere nos?* Quidam, quos tacet Maldonatus, & improbat, hæc verba retulerunt ad Incarnationis tempus: quasi præproperè venisse Dominum in terras arbitrarentur dæmones ij. Expositio ista non mihi videtur omni probabilitate destituta? nam ratio qua Maldon. illam refutare conatur, non convincit: ait namque minimè potuisse diabolos ignorare quodnam tempus esset adventus Redemptoris ex Sacra Pagina quam intelligebant optimè: proinde non poterat eis videri Salvatorem anticipatò venisse. Scio malos angelos optimos esse scripturarios, nihilominus novum non est quod mentis eorum aciem obstinata voluntas excęcare valeat. Ipse Maldonatus fatetur Satanam cùm dixit in solitudine: *si Filius Dei es*, non agnovisse Christum Dominum: quid ergo refert sciviſſe Scripturas? Unica ne deprehenditur in diabolo stultitia? Pro cunctis hæc sufficiat. Noverat ipse principatum suum, quem tyrannicè possidebat, expoliandum per Messiæ mortem: attamen suæ ruinæ causam sollicitavit cùm Judæ proditionem, Judæisque suasit crudelitatem. Quid stultius? Non ergo mirum si tempus incarnationis adesse jam non adhuc existimarent. Posito quod loquantur de hoc: quæri potest quomodo se torqueri doleant per Christi adventum? Sanè multò priùs excruciabantur: nam, ut ait S. Isidorus Hispal. *prius de cælo cecidisse diabolum creditur, quàm homo conderetur: nam mox, ut factus est, in superbiam erupit, & statim, ut factus est, cecidit.* Torturam tamen ille suam ab Assertoris adventu computandam existimavisse videtur: dixerunt enim: *venisti.... torquere nos?* quasi dicerent: extunc, quando scili. advenisti, noster incepit cruciatus. Ne timeas dæmonis verba sic interpretari: nam *invidia*, ut S. Basilius ait, *proprius est diaboli affectus.* Solent invidi proprij doloris durationem juxta cæterorum fœlicia tempora metiri. Adde Chrysostomum ad præfata diabolica verba: *ab experientia clamant: flagellabantur enim invisibiliter, intolerabilia patientes ex præsentia Christi.*

Matth. 8. 29.

Matth. 4. 6.

S. Isido. Hispal. l. 1. d. Sum. bo. c. 12.

S. Basil. ho. 21. in aliqua S. P. loca: habita in Lacizis.

Chrysost. to. 2. hom. 29. in Matth.

Humanam invidiam cædere animus erat; & ad eam, qua diabolus utitur, divertimus: nec impropriè, nam diabolicum venenum livor est: imò pejus: nam tota diaboli nequitia non est mors animæ, sed extrinsecùs tela jacit; at invidia spiritum immortalem velut absumit. *Invidia est*, inquit Alanus, *erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus.* Econtrariò si longiùs absit invidia, velut augetur de aliorum optima sorte splendor proprius: quem si aliis communices, non deperdes: imò velut si per alios acciperes dilatabitur. *Intra te ipsum orbis agitur: accipiendo das, dando accipis.* Ita Seneca. Gloriæ tuæ socios ne recuses: illius crede veluti partem dici posse consortium aliorum: quo deficiente videtur imminui, si generosus extas, & ab invidentia procul positus. Quæ sua sunt amor sectatur proprius: *non sic amor fraternitatis, & unitas charitatis. Hæc etenim nihil habent singulare nihil proprium, non minus alieno, quàm suo, gaudent bono: sua libenter*

29. *Quasi cæpit minui gloria, si participes discedant ejus.*

Alan. l. d. Complanct. natu.

Sen. l. 5. d. benefic. c. 8. fine.

S. Laur. Justi. l. d. casto cōnub. animæ c. 10.

libenter impertiuntur, gratis tribuunt, hilariter communicant &c. Hæc D. Laurentius Justi. Bonum sui diffusivum fatemur omnes: resistis igitur ejus inclinationi, si claudis illud intra teipsum. Cùmque innatæ propensioni facta violentia nævus gloriæ sit, ideo dicebam, tunc istam diminui cùm desunt sodales, quibus congaudens eos ad sodalitium splendoris admittas.

Explicuit olim Sol divinus tribus Apostolis radios, ut sic eos ad splendidioris claritatis possessionem prosequendam alliceret. Hoc ignoravisse Domini motivum Petrus videtur: quippe qui nihil ampliùs appetiit hæc videns, quàm in Thabore cum Præceptore commorari. Dixit bonum fore si permanerent ibidem; sed hoc non protulit, nisi cùm Elias & Moyses, qui huic epiphaniæ Christi Domini præsentiam exhibuere, discedebant, seu discessionem parabant. *Et factum est, cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor bonum est nos hìc esse:* vertit Syriaca: *cùm cœpissent discedere.* Nemini fore dubium reor Apostolorum Præsidem tunc in illa verba prorupisse, cùm celeberrimam divini Magistri pompam jam jam finiendam putavit. Aliter utquid suadere Domino curaret in monte mansionem, si manentem cerneret adhuc per longum tempus futurum? Sed, quæso: quo ductus indicio reputavit Simon gloriam illam fini proximam esse? Quia discedebant majestatis consortes: & judicavit jam ex parte perire splendorem qui sodales amittebat. Elias & Moyses non solùm adstare Domino visi sunt; sed collucere. Sic habes apud Tertullianum: *tradidit Pater Filio discipulos novos, ostensis priùs cum illo Moyse, & Elia in claritatis prærogativa:* & cap. 23. *quid tam Christi Creatoris, quàm secum ostendere prædicatores suos? cum illis videri, à quibus in revelationibus erat visus, cum illis gloriam suam communicare, à quibus gloriæ Dominus nuncupabatur?* Hoc ipsum D. Lucas insinuat: *erant autem Moyses & Elias visi in majestate:* cœperunt isti à Domino discedere: tum Petrus, licet nesciens fuerit locutus, tamen sciens & prudens hoc secum statuit, scili. jamjam Magistri gloriam disparere: quæ per Prophetarum fulgentium discessum, quodammodo minuebatur. Argentum ad lucernæ radios tutilat ampliùs: si hanc extinguas diminuetur splendor. Sic justi fœlicitas non amat alienæ lucis extinctionem: in socios dispersa refulget. Non igitur sola sit ut *argentum electum lingua justi*; sed ipse totus imitetur illud.

Luc. 9. 33. Lect. Syriaca. Tertull. l. 4. contra Marcion. c. 22. & 23. Luc. 9. 30. 31.

re, D. scili. Antonio versiculum in sensu accommodatitio accipere, prout solet Ecclesia mater, & magistra sacri textus verbis uti pro quolibet confessore, quæ non pro illo, sed pro Heroë aliquo veteris testamenti, dicta sunt. Sic ex Ecclesiastico sumpsit: *non est inventus similis illi:* quod ibi de Abraham dicitur. Et infrà: *fungi sacerdotio, & habere laudem*, cùm hoc ibi de Aarone proferatur. Non itaque reprehendas quod priorem præsentis paræmiæ partem accommodemus illi justo, cui per antonomasiam Sancti nomen ex ore infantium Deus apposuit. Refertur in ejus vita, quod sui obitus die, minoris Ordinis fratres ejus exitum aliquandiu celare volentes, ut illius corporis thesaurum suo in cœnobio condere possent, quin obstaret pia civitatis Patavinæ contradictio, D. Antonij mortem reticebant. Sed quia solis occasus non potest secreto committi, pueruli divino afflante Spiritu clamabant dicentes: Sanctus mortuus est. Et hinc usus invaluit Patavij, quòd illi qui se conferunt ad S. Antonij sepulchrum, ad Sanctum se pergere dicant suppresso nomine: quasi docente cælo sit ille per antonomasiam Sanctus. Non impropriè videamur accommodatione uti, cùm de illius lingua proferimus: *argentum electum lingua justi:* præsertim, cùm notum sit D. Antonij linguam, quasi argentea foret, à D. Bonaventura corruptionis immunem inventam fuisse: qui piis illam osculis veneratus, & lachrymis ora rigans, ita fatus est. *O lingua, quæ semper laudasti Deum, causaque extitisti ut alij eundem laudarent: nunc miraculo integritatis tuæ ostendis apud Deum, qui te ad tam sublime officium creavit.* Argentum, inquam, erat lingua eximij justi hujus: nam, ut ait Chrysostomus, *thesauro cuipiam assimilatur justorum virtus, in quo plurimæ & ineffabiles divitiæ continentur.* Regum Domini peculiares gazæ sunt istæ, quibus munera largitur militibus suis. Et cùm omnia Deus possideat, hoc tamen argentum electum (scili. D. Antonij linguam) adeo magni fecit, ut eâdem voluerit bellatorem optimum remunerare tanquam pretiosissimo dono. Idcirco, licet permiserit annorum edacitati quòd ejus carnem solveret in pulverem; lingua tamen post annos duo supra triginta rorida servata est. Qui terrenis principibus famulatur dimittit quidquid in eorum obsequia dicat; non ita qui famulatum præstant Altissimo: idipsum quod ei devovent, iterum sæpius accipiunt in præmium, ut sic intelligant parum abesse quòd nostro loquendi more dicamus, nihil aliud apud thesauros Dei pretiosius inveniri quo fidelem servum afficiat præmio, quàm illudmet, per quod ipse divinam largitatem adstrinxit.

Eccl. 44. 20. Ibi c. 45. 19. Chrysost. to. 1. hom. 36. in Gen.

Legisti Siracidem asserentem: *dedit mihi Dominus linguam mercedem meam?* Quis adeo gratus Deo fuit, ut linguam inter præmia numeraverit? Pars est humano corpori debita jure integritatis: & apud Ecclesiasticùm obtinet mercedis locum? Nonnunquam accidit ut obsequium & retributio Dei coalescant in unum. Eadem lingua quæ Siracidi fuit instrumentum divinæ laudis simul extitit liberalissimi retributoris donarium. Nonne merita

Eccli. 51. 30.

DELIBATIO VI.

Argentum electum lingua justi: vel D. Antonij Olyssiponensis, qui Sanctus antonomasticè dictus est.

Obsequio suo Deus aliquando remunerat justum.

30. Licèt universim de quolibet justo verba faciente loquatur textus quem versamus: non erit incongruum de Lusitanorum deco-

merita noſtra dona Dei ſunt ? Auguſtinum
S. Aug. l. 9. conf. c. 13. tom. 1. conſule : *quiſquis autem tibi enumerat vera merita ſua, quid tibi enumerat niſi munera tua* ? Quid ergo mirum quod idem inſtrumentum ſerviens merito præmium juſti ſit ? Veriſſimè dicere mehercle poteſt Antonius: *dedit mihi Dominus linguam mercedem meam:* in ipſa Deum benedixi, proximos edocui, hæreticos profligavi. Quapropter Deus eandem ipſi conſecratam ita benignè ſuis numeravit in bonis, ut, quaſi aliud pretioſius non poſſideret, loco mercedis mihi donaverit eam, per temporum ſeriem prodigiosè ſervans incorruptam.

31
Solum quod perpetuò perennat nomine dignũ.

Et quidem illa hujus tam præſtantis doni permanentia ſatis indicat Antonij linguam Dei peculiare opus. Nam quidquid natura tribuit fluxum eſſe convincunt experientiæ clamores. Deinde quid aliud eſt præter inanem larvam terrena gloria ? quæ, ut ait
Chryſoſt. to. 1. hom. 22. in Gen. Chryſoſtomus, *nihil habet ſtabile, neque firmum; ſed ſolum eſt oculorum deceptio, & priuſquam appareat, avolat.* Senem baculo nixum pictores tempus exprimunt: quo fundamento neſcire me fateor. Nam ſi dicunt ideo ſic depingendum, quia jam plurima per ſæcula durat : cur non Solem effingunt vetulum qui die quarta mundi cœpit eſſe ? Senectus invalida eſt : at verò tempus viribus præcedit cuncta :
Ovid. d. Pont. 4. 8. *Nullaque res majus tempore robur habet.* Senes minimè ſunt agiles & extare ſolent in edendo parci : tempus autem & vorax rerum, & ſtare neſcit rotans omnia. Moraliſ-
Sen. epiſ. 66. ſimè Seneca : *omnia enim illa, in quæ dominium caſus exercet, ſervilia ſunt, pecunia, & corpus & honores, imbecillia, fluida, mortalia, poſſeſſionis incertæ.* Contra verò, prout ipſe
Idem ibi Philoſophus paulò poſt addidit : *quidquid vera ratio commendat ſolidum & æternum eſt.*
S. Greg. M. v. 1. l. 17. mor. c. 5. Ferè chriſtianè loquitur : nam *finis determinans innoteſcit, quia quod præterire potuit, modicum fuit*, inquit M. Gregorius. Pictori ſuam relinquamus illæſam audendi facultatem, & moralem doctrinam ex dictis eruamus : nempe minima eſſe quæ ſenex ideſt tempus adeo facilè comminuit. Imò ſolum id quod perpetuò perennat, nomine dignum; cætera neutiquam annumeres.
Eccle. 3. 14. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perſeverent in perpetuum.* Sic Eccleſiaſtes. Si perpetuum non pro diuturno; ſed cum Gregorio Thaumaturgo pro æviterno ſumatur, impeditus præ multis locus hic mihi ſemper viſus eſt: nam difficillimè reperietur qualiter dicere potuerit Salomon omnia Dei opera manſura in æternum : Salomon, inquam, qui
Ibi n. 19. & 20. poſt pauca dixit eodem capite: *Cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum: de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur.* Difficilis eſt nodi ſolutio : ſcindamus illum. Temporanea, ſi comparentur æternis, ita manent inferiora, quod inter ea quæ Deus operatus eſt, ſimul cum perpetuis computari digna minimè ſint : ac proinde non agit Salomon de iſtis præfato loco, quamvis univerſalibus verbis utatur. Ea ſunt peculiariſſimè Deo jubente condita, quæ jugiter ſtabunt ultra ſæcula: omnia ergo Dei opera (id eſt quæ tantum nomen æquant) perſeverant in perpetuum. Hinc D. Antonij linguam Dei opus valdè judico ſingulare: quippe non ſolùm uſque nunc (quando jam à Sancti nativitate 487. numeramus annos) ſed in æternũ probabiliter eadem citra corruptionem permanebit. Quod ut pateat, ſciendum ex Suar. veroſimiliter dici poſſe neceſſarium non eſſe, nec divina ordinatione ſtabilitum, ut omnia corpora hominum, priuſquam reſurgant, in elementa, vel cineres omnino reſolvantur. Unde addit Suares: *item ex eadem radice provenire poterit, ut quoad aliquas partes, vel omnia, vel fere omnia corpora illo modo reſolvantur : quoad alias verò multa permaneant in eádem figura, denſitate, & magnitudine.* Hâc probabilitate ducti ſtatuimus linguam D. Antonij manſuram, ut in reſurrectione corpori reuniatur, & animæ, ac ſic duraturam in æternum. Neque dicas abſumendam igne finali, quem, vocant conflagrationis; hic enim ex probabili ſaltem ſententia ſubſequetur judicium : & conſequenter poſt reſurrectionem futurus eſt. Sic tenuit Auguſtinus. *Judicatis hominibus tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit.* Concinit S. Proſper: qui poſtquam judicium Divinum deſcripſit, ac dixit: *ſequiturque inter partes lata ſententia judicantis*: addidit in fine capitis: *poſt hæc ſequitur per ignem purificatorium quoſdam fideles homines, ipſaque elementa purgari.* Ex his omnibus fit valde veroſimile pretioſum illud argentum, nempe D. Antonij linguam in perpetuum duraturam: utpote mirabile opus Altiſſimi, quod hic in omnipotentiæ ſuæ decus à communis mortalitatis effectibus exemit ſingulariter.

Suar. to. 2. in 3. p. diſp. 50. ſect. 6. §. Propter.

D. Aug. t. 5. l. 20. d. civit. Dei c. 16.

S. Proſp. in tract. dimidium temporis c. 19.

Sed quare tam extra vulgares leges illuſtri privilegio lingua hæc donata fuit, niſi quia divina Majeſtas inſigniter ſe devinctam agnovit obſequioſo ejuſdẽ famulitio. Mira ſunt, & extra numeri pene fines poſita iſtius linguæ facinora pace, belloque ſeleriter exhibita. Vix fieri poteſt ut cuncta percurram. Ad caput reduci duplex poſſunt : ſcili. hæreticæ perfidiæ converſionem, & fidelium virtutis augmentum. Examinare vellem ex his quid maius. Dubitare nequeo gratiùs extitiſſe Deo lumine fidei cæcos imbuere, quàm videntibus lucem præſtare. Favere videtur S. Ambroſius. *Laus*, inquit, *gloriæ Dei eſt cùm multi acquiruntur ad fidem, ſicut gloria medici eſt ſi multos curet. Ideoque ad gloriam Dei pertinet quia gentes vocavit, ut ſalutis ſuæ medelam conſequerentur per fidem promiſſam Iudæis, ſignum habentes Redemptionis, atque hæreditatis futuræ Spiritum ſanctum poſt baptiſmum.* Vide ubi ponat Ambroſius Dei laudem : non in donatione Spiritus ſancti poſt fidem, ſed in eo quòd obedierint fidei. Hæreticos illuminans Antonius ex inimicis Dei reddidit amicos: quæ metamorphoſis eſt illuſtrior divinæ ſapientiæ cura, quàm dilectorum prælucens mentibus ipſos favore proſequi : nam in hoc ultimo divina gratitudo ducit amorem infinitum (qui cùm cæcus non ſit, non adeo ductore gaudet) in priori verò mirabili, nullo præcedente debito Dei, gratioſus ejus amor ſuo ductus libito compenſans bono malum gloriæ ſibi conquirendæ

32.
Ex hoſte amicum eruere magnum divinæ ſapientiæ opus.

S. Ambr. to. 3. in Epiſ. ad Epheſ. c. 1.

rendæ ſtudium impendit. Hinc dixerim apud infallibile judicium majori operâ dignam judicari tranſmutationem ex hoſte in amicum, quàm gaudio, & incrementis cumulare ſanctitatem excellentem dilectiſſimi.

Tam longè abeſt à præſumptionis fuco Sanctorum ſinceritas: ut Baptiſta qui materno clauſus utero, ad præſentiam Salvatoris exultavit, poſtea ſe illum ex facie minimè noſſe faſſus ſit. *Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ſuper quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.* Obiter expende quàm aliter ſuperbiæ pater ſe habuerit, dicēs: *Scio te quis ſis Sanctus Dei:* & tamen hic, ut exiſtimat Caietanus, *mentitur dæmon, & fingit ſe ſcire ad tentandum, ut ſciat, prout in deſerto tentaverat.* Neſcientia ſuperborum ex quâlibet ſuſpicione pronuntiat ſententiam; humilium ſapientia neſcire ſe fatetur quin pudeat. Hoc omiſſo proſequamur inceptum. Poſt exultationem in utero, quâ Regem regum adeſſe teſtatus eſt Præcurſor: plurium emenſo annorum ſpatio, adhuc amici oculis ignotus patitur eſſe Sponſus? Oportuit ab Æterno Parente ſignum exhiberi columbam? cur non multò primùm Joannem viſibiliter quæſivit Filius Dei ſe palam faciens ipſi? nonne plures antea requiſivit ſceleſtos, ut reduceret ad tramitem vitæ? plus obtinuere mali quàm inter natos mulierum primus? Ne divini reprehendas amoris æquitatem. Joannem, cui plurimum debuiſſe noverat, beneficio ſuæ manifeſtationis afficere non feſtinavit: hoc Paternæ curæ Chriſtus Dominus reliquit peragendum ſigno columbæ: non enim erat iſtud præcipuum ſui amantiſſimi cordis opus: ardenti nempe lucernæ augere flammam, quamvis noſſet quod iſtam aſcendere faceret altiùs Redemptoris facies revelata citiùs. Procraſtinavit ſui clariorem notitiam, quâ ſe potuit amico præbere ſodalem. Atverò ſceleratos convertere præſtantiſſimum erat Incarnatæ Sapientiæ facinus: id nec Æterno Patri ceſſit: perſonaliter propalavit, hoſtibus indicavit celebriorem apud judicium divini cordis eſſe infinitæ ſapientiæ partum converſionem infidelis, quàm dilecti progreſſum.

Joan. 1. 33.

Superbus ſuſpicione ductus affirmat; humilem non pudet dicere: neſcio. Luc. 4. 34. Caiet. ad eum locum.

Quod cùm ita ſit, patet quàm præcellentius obſequium D. Antonij lingua Deo præſtiterit, cum hæreticos ad veritatis callem revocabat, quàm cum fideles exhortans virtutum prata rigavit ſedulus. Qui mores informat ex officio, pictori ſimilis eſt juxta doctrinam Chryſoſtomi: qui ad populum Antiochenum concionem habens dicebat: *Officinam intra pictoriam, & ibi magnum invenies ſilentium. Sic igitur & hîc: nam & hîc regias pingimus imagines, nullam verò privatam per virtutis colores. Stylus autem nobis eſt lingua, artifex verò Spiritus ſanctus.* Alias imagines pictor vetuſtate deformatas renovat; aliàs verò à primis lineamentis ad ultimam perfectionem deducit: nec inficiaberis majus artis opus eſſe novas effingere, quàm denigratas reficere. Seraphinorum igne ardens lingua ſtylus erat Spiritus ſancti, quo pictura quædam effingebantur de novo; ſæpe autem aliæ renovabantur Dei ſimilitudines. Utrumque Deo gratum; ſed illud glorioſius. Sapientis os fons eſt ubertim ſcaturiens per agros eos quaſi fœcundans. Unde Paulinus de Auguſtino dixit: *Os tuum fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim: quia fons vivæ aquæ ſalientis in vitam æternam Chriſtus effectus eſt, cuius deſiderio ſitivit in te anima mea, & ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit.* Quod fontis latices florum radices humectent ut vireant, nequaquam demiramur: at ſi ſpinas fontis alicujus unda tranſmutaret in flores; quis non obſtupeſceret? *Spinæ ſunt hæretici*, ait Chryſoſtomus ad illud: *Nunquid colligunt de ſpinis uvas &c.* Meritò donantur hoc nomine qui ſterilis acie doctrinæ vigent ut pungant; non ut fructificent. Eorum plurimos in lilia transformavit Antonius. O victricem linguæ poteſtatem quæ pectori venenis infecto ſalutem attuliſti!

Chryſoſt. to. 5. ſer. 38. ad popul.

Paulin. ad Auguſt. Epiſt. 11.

Chryſoſt. to. 2. hom. 19. in Matth. Matth. 7. 16.

DELIBATIO VII.

Quâ promeruit D. Antonij lingua velut argentum electum incorrupta ſervari?

34. *Deus iis qui ſimul cum ipſo magna patrant cedit gloriam?*

NE prolixus appaream, duplicis tantùm vel alterius miraculi, quę Thaumaturgus Luſitanus operatus eſt, fœliciſſimum exitum cōmemorabo & breviter in ejuſdem ſacratiſſimæ linguæ laudem. Obſtinatè quidam negabat hæreticus in Euchariſtiâ Chriſti Domini præſentiam ſacramentalem. Quem ita convicit ille malleus hæreticorum, ut perfidus ignorans quodnam reſponſum præberet, confugerit ad miraculum. Convenére quòd poſtquàm inediam triduanam pateretur brutum, adduceretur ad publicum locum, & ei objiceretur pabulum coram ſacratiſſimo corpore Domini, quod ſuis manibus D. Antonius geſtaret: ut ſic videret cæcus an pabulo ſpreto prociderit in conſpectu latentis creatoris quadrupes. Ita factum, & ſancto jubente verbi Dei miniſtro, rationis expers animal famis remedium non curans, in genua provolutum eſt ante myſterium fidei, adorans univerſi Conditorem, ſub ſpecierum velo ſacrarum deliteſcentem. Credit infidelitas: gaudent Catholici, honoratur Antonius. Ubi notandum quòd nemo dixit à Sacramento altaris hujuſmodi miraculum fuiſſe perpetratum: ſed à D. Antonio. Huic plaudit orbis terrarum, victoriam ejus fauſtis acclamationibus extollens. Hæc eſt optima ſors eorum qui cum Deo ſocietatem ineunt. Dominus, & ſervus operantur ſimul prodigia, ſervo tamen Dominus magnanimâ generoſitate cedit gloriam.

Divinos exhibuit vitulo cultus Iſrael abſente Moyſe: qui tunc Dominum audivit ſibi dicentem: *vade deſcende peccavit populus tuus quem eduxiſti de terra Ægypti.* Eſto vocetur hic populus Moyſis: quia Moyſes Hebræus erat, populique dux, Deus equidem populum illum eduxerat ex Ægypto: dixit enim ad eundem, cùm loqueretur in

Exod. 32. 7.

Ibi c. 3. 8. rubo : *descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam:* & iterum : *& dixi ut educam vos de afflictione Ægypti, in terrã Chananæi* &c. Ibi n. 17. Moyses libertatis instrumentum fuit ; non author. Cur ipsi Dominus ait ? *Quem eduxisti de terra Ægypti.* En eximiam Dei magnanimitatem, quâ dignatur uti cum servulis. Per eos exequitur summa : licetque sumptibus omnipotentiæ negotium Dominus perficiat (ut accidit in Israelitica redemptione) cedit attamen servo conditor rei totius gloriam. *Glorificantes quidem se Dominus glorificat*, inquit M. Gregorius. Cupit æquissimus remunerator in famulorum complacens fidelitate par pari reddere : proinde nihil gloriæ sibi lucrari vellet : sed illis universam dimittere, quia necnon ipsi cunctam gestorum laudem soli Deo referunt fideliter: nam ut dixit Bernadus : *fidelis reverâ famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te : tamen trasеunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat.* Ecce vel semel divinæ (si dicere fas est) voluntati opponuntur justi pie. Deus ipsis omnem conferre vellet gloriam ; illi verò similiter Deo resignant integram. Quis prævalebit ? Deus eoquòd sit omnipotens ? an justus quia diligit ? vincunt ambo ; neuter superatur.

D. Greg. M. in 1. Reg. c. 2. l. 2. cap. 3. to. 2. S. Bern. ser. 13. in Cant.

35. *Valde mirum quod ratione carentem domes.*

Notissimum deinde quod accidit Lusitano mirabilium epilogo, dum esset in civitate quæ dicitur Armenium, infecta nimis ab hæretica labe. Cupiens Antonius miseros ad veræ fidei viam adducere, clausis foribus, per quas veritas ingreditur, aditum Soli præfulgenti negaverunt illi : Tunc hæresis Antidotus, ut eos confunderet, simulque Domino gloriam sollicitaret, ad maris ripam juxta positam de cuncta potentis auxilio securus, pisces convocat (optimum auditorum genus quia voce carent :) qui licet inæquale, numerosum & peccatissimum agmen efformantes adfuerunt concioni : qua de beneficiis Dei, & gratiis agendis concionator Sanctus elocutus est. Prodigium demirata novum turba stupet : imò hæreticam cæcitatem confusio tenet, ac pedibus Antonij provoluta jam lumen postulat, quod refugerat : errorumque demum tenebras abjurat : quasi audiret ab interiori monitore quod animæ suæ hortabatur Valentinus Præsul. *Disce obedientiam à brutis, & à tibi subditis subjectionem: jumentorum tuorum esto discipula, ut subdita sis.* Quid, quæso, mirabilius? Obstinata domare corda, pisces-ve resistere nescientes in quasi obedientiam cogere ? Non deerit qui plus admirandum asserat impios quàm bruta subigere. Tamen ut rationali naturæ non simus injurij, natantium cohortem obtemperantem D. Antonij præcepto miror potissimùm : nam valde stupendum quid est, quòd is qui ratione non utitur, utenti mitis obsecundet. Rationalis, vel metu, pertrahitur. Judicij fræno carens quâ vi superabitur ?

S. Thom. à Villano. ser. d S. Adelesmo.

Paruit Redemptori militia cælestis : imò furiæ gehennales : illa dum recens nato Domino plaudens famulatum celerem exhibuit ; inferna verò cum spiritus nequam ad ejus præpotentem nutum obsessa corpora dimisere. Nullibi tamen lego tunc homines ita hæsisse stupefactos, ut dixerint: qualis est hic qui cælestium civium obsequiis potitur ! qui principum tenebrarum dissipat obsidiones ! Accidit ut sedaverit Christus Dominus furentia vi tempestatis æquora : & ecce prodiit admiratio quorundã in hujusmodi verba: *qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei ?* Matth. 8. 27. Majus utique prodigiũ erat dæmones violẽter pressos fugare : potior celsitudinis apparatus fuit militum supernorũ promptissimum vassallitium : attamen hîc non audivimus æquam cernentium admirationem resonare ? Quid in mari prodigiosius ? Obediviſse voci Redemptoris aquas & ventum, quorum neuter vel impellitur amore, vel timore coercetur. Obedientiam istam quasi Deo soli datam non ptæteriit Carthusianus. *Inanimata autem propriè non obediunt nisi Deo per authoritatem. Si cæteris obedire dicantur in his quæ sunt supra naturam, intelligendum per ministerium.* Inferorum incolæ timere sciunt: quid mirum subderentur jubenti ? Cælorum accolæ diligunt : non adeo mirandum quòd famularentur dilecto. Dilectione vacuum, & metus immunem (qui nempe ratione quæ timenda, vel amanda, non discernit) subjicere, peregrina miraculorum est exaggeratio. Sed validè potens erat Antonij vox ut genus aquatile mitteret sub juga præcepti. Ergo sic miraculosè Deo lingua deserviens, prodigio muneretur : & incorrupta maneat, ut in sepulchro perdurare solebat olim conditum argentum : nam & est *argentum electum lingua justi.*

Dyonis. Carthus. in Matth. proximè art. 17.

36. *Justus multiplicari vellet, ut proximorum salutem negotiaretur.*

Non reticeam aliud ejusdem linguæ mirabile : quò tantum promeruit jugis per mansuetiæ decus. Contigit ut cùm auditoribus diversorum idiomatum concionaretur præco veritatis unicâ linguâ, singuli perciperent propria sibi verba : quasi cunctorum simul colloqueretur sermone materno. Seipsum veluti multiplicem dicare vellet Antonius proximorum emolumento spirituali. Singularis erat : pluriumque vices agere videbatur. Sanctorum stylus est, ut nunquam in re virtutis placeant sibi. De temporaneis parvo contenti sunt; ast in meritorum lucro semper quidquid acquisivere despiciunt, fervore magnanimi, simul & humilitate parvuli: *Nunquam humilitas est sine magnitudine animi*, ait Chrysostomus. Imo seipsos cupiunt singuli multiplicare, volentes ut numerus expleat quod unitas non satiat. Hoc est adeo verum, ut verba Dei : *Crescite & multiplicamini*, quæ de personarum annumeratione dicta sunt, acceperit de virtutis augmento pro singulis animabus opinio quam refert Augustinus. *Sive incrementum*, ait, *& multiplicatio, qua dictum est: crescite & multiplicamini, in provectu mentis, & copia virtutis intelligatur: sicut in psalmo scriptum est : multiplicabis in anima mea virtutem : &c.* Concinit S. Basilius: *nobis*, inquit, *dictum est crescite, ratione inita interioris hominis, quo se promovente rectè ad Deum contendimus.* Quadamtenus, Eucharistico velut miraculo, sanctitatis Heros ardet indivisus plurificari, simul & idem singulis manere totus. Hoc in idioma

Chrysost. to. 3. hom. in Ioan. 70.

Gen. 1. 28.

S. Aug. l. d. bono conjugal. c. 2. tom. 6.

D. Basil. to. 1. Hom. 11. in Hexame.

idiomatum pluralitate, quam unicus exprimebat sermo, testatus est Antonius.

In Ecclesiæ primordiis ita factum legimus ab illis argumentosis divinæ messis operariis. Postquam cælo delapsus igneus imber, verticibus insidens Apostolorum corda reddidit flammantia, cœnaculo prodierunt, at Dei magnalia populo depromebant ore
Act.2. 5.6. facundo. Aderat multigena turba, *ex omni natione, quæ sub cœlo est.* At *audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Quæritur à Commentatoribus, an tunc Apostoli successivè, nunc quodam, mox alio, idiomate locuti fuerint: an verò potiùs unico sermone concionantes, linguam singuli suam vernaculam perceperint. Posteriori modo possumus intelligere verba D. Lucæ, cum ait: *Cœperunt loqui variis linguis:* ait enim Liranus ibi: *Secundum quod dicit hîc Glossa Apostoli non solùm loquebantur, & intelligebant omnia idiomata: sed ipsis loquentibus in uno idiomate, quodcumque esset illud, omnes audientes, quantumcumque essent diversorum idiomatum, intelligebant idioma proprium, virtute divina hoc faciente.* Favent huic opinioni plures, quos videre licet apud Lorinum in Acta loco citato, pro quibus dabo incertum authorem sub homine Cypriani. *Sed*, inquit, *Evangelica doctrina propriâ linguâ prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, ut Græcis, & Barbaris, omnibusque gentibus verbum Evangelij sic esset intelligibile, ac si eorum auribus linguæ, in qua nati erant idiomata resonarent.* Nec obstat quòd multitudo audiens Apostolos die Pentecostes
Act.2. 6. *mente confusa est quoniam audiebat unusquisque lingua sua &c.* quam confusionem accidere non potuisse dicet nonnemo, si proprium singuli audirent maternum sermonem: non inquam obest hoc: sunt enim homines pro verbo Dei percipiendo sic stupidi, quod etiam linguam vernaculam non intelligant, & obscurum putent quidquid appetitui non adulatur, quasi voluntate potius quàm intellectu de auditis judicare videantur. Secundùm præfatam expositionem juvat investigare quodnam lateat mysterium in hoc, quòd scientes idiomata cuncta, loquebantur unico; sed ita ut à singulis nationibus perciperentur singula sermonum genera. Cogitabam ipsos à Deo tunc potiùs hoc postulasse forsan, ut quilibet instar multorum ibi foret in animabus erudiendis. Unicus erat concionator Apostolus quicumque: sed cùm simul ab illius ore tam diffita perciperentur verba, ministrorum plurium peragebat officia. Plusquàm duplicari avebat quisque, ut auditores Deo lucrifaceret. Haud aliter Paduana fœlicitas, D. Antonius inquam, fieri multus exoptans, à diversarum nationum auditoribus, vario capiebatur idiomate; cùm tanem unicus esset in ejus ore sermo. *Argentum* erat *electum*, imò signatum, hujus *lingua justi:* proinde similitudinem habens nummorum, universis pro ipsorum diversa necessitate proderat.

37. Inutilem se dicere præelsa virtus est.

Vidisti quàm pretiosum fuerit coram Rege summo illud *argentum electum:* Olyssiponensis nempe lingua Seraphini. Nunc admirare quam vilifaciebat ipse justus idem argentum. Ignotus degebat Æmiliæ in monasterio montis Pauli, mancipatus humilibus religiosæ domus exercitiis. Ecce mittitur ad civitatem Forliensem: ubi cùm quibusdam Ordinis Prædicatorum religiosis hospitatus est. Horum aliqui à Prælato rogabantur ut proponeret quipiam verbum Dei. Recusantibus ipsis, jubetur á Guardiano suo D. Antonius ut sermonem habeat. Prætendit insufficientiam ille se dicens abjectissimis conventus obsequiis, potius, quàm scholarum subtilitatibus, vel prædicationis excelso studio deditum; cùm tamen doctrinæ sacræ notitiis, ingeniique præstantiâ polleret, ut probavit exitus. Humilitate præcelluit Antonius, & præsertim virtutum suarum celsitudinem ignorabat. Nisi voluntariam submissionem amplexus foret, lumine, acieque non insigniretur. Ipse dixit olim: *O humilitas stella maris.... qui hac stella caret cæcus est.* Se pro nihilo computabat ipse, quia *pauper erat ab omni gloriæ cupiditate alienus,* inquit de Antonio Nazianzenus. Quæri posset in justo quid excellentius, tenere magnitudinis fastigium, an quàm sublime jam conscenderit ignorare? Controverterem nisi dubium S. Bernardus jam pridem solvisset. *Magna*, inquit, *& rara virtus profecto est: ut magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Concinit S. noster Lusitanus, qui de humilitate dixit: *ipsa est principium motus totius bonæ operationis: magnum habens dominium inter cæteras virtutes.* Abhorreat à voluptatibus, fortitudine vigeat, castitate candescat, & pluribus aliis virtutum ornamentis ditetur justus: an scire cupis quid operabitur super hæc omnia, si velit? Dicam: inutilem se putet.

Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus. Hanc humilitatis vocem quare Magister optimus non consuluit ut semper emitterent discipuli; sed postquam adimplevissent præcepta cuncta? Quia super hæc omnia humilitas mirabilis est. Nolebat divinus Præceptor ut à majori descenderent ad minus; amabat quod altiora magis ac magis meditarentur. Ut igitur, omnibus ad virtutis leges attinentibus peractis, imponant pulcherrimam coronidem se protestentur inutiles: hoc enim, post cuncta, supremus inter multas virtutes gradus est. *Humilitatis pulchritudine Apostolorum labores illustrabat:* ait S. Basilius Seleuci.

Consilium istud Incarnatæ Sapientiæ ne putes adimpleviſſe, quamdiu aliquid esse te judicaveris. Oportet nihilum teipsum agnoscas. Deum quæris qui omnia est. Illum non capies nisi tuo judicio nihil sis: nam si quicquam ineſſe tibi putas, jam non omnia desideras: proinde neque Deum sollicitas adipisci, qui prorsus est universa. Quamvis mirabilia justus operetur, satis non putat eximia facta sua tegere: pergit ulteriùs humilitas. Ita operatur ut sine mendacio possit asserere prodigiorum authorem nihil esse. Veritatem amat ipse: nec illam vellet in se humiliando

S. Anton. Olyssipo. ser. Dom. infrà Octav. Nati. S. Greg. Nazian. ser. d. D. Anton.

S. Bern. ser. 13. in Cant.

D. Anton. Olyssip. ser. 2. Dom. 3. post Pascha.

Luc. 17. 10.

D. Basil. Sel. orat. 35.

miliando lædere. Sequitur doctrinam D. Bernardi, qui dixit in subjecta materia : *si enim in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus liquidò cognosceremus, nec supra sanè, nec infrà, secedere deberemus veritati in omnibus acquiescentes.* Et alibi : *nec humilitas præter veritatem laudabilis.* Ingeniosa humilitas viam aperit ut justus & mendacium fugiat, & se, plusquam credi possit, humilians, dicere post patrata miracula valeat eorum authorem esse merum nihilum.

S. Bern. ser. 37. in Cant.

Idem epist. 21.

In primitiva Ecclesia tenella fides erat; sed validissima, credentis populi : nam de Petri sic umbra confidebant, ut ægros per plateas exponerent Apostoli transeuntis umbraculo sanandos. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Veniebat Petrus & per ejus umbram sanitatem accipiebant jacentes. *Petrus*, ait Beda, *umbra sui corporis invisibiliter allevabat infirmos :* & cur adeo festinanter exercebat illa pietatis opera, qui paternis visceribus complectebatur cunctos? Gradum sistat, manu tangat. Sapienter umbrâ medetur Simon : nam quia verè manus aliquid est noluit ut illa sanitates istas distribueret, ne cogeretur fateri miraculorum operatorem aliquid esse. Remisit prodigiorum executionem umbræ suæ : quia cùm hæc sit purum nihil, illæsâ veritate posset Apostolus asserere : quid me demiramini? Creatus author hujusmodi quæ stupetis, nihil penitus est. Sic suo judicio se demittere solent justi relinquêtes æquissimo rerum æstimatori Deo de ipsorum excellentiis aliter judicare. Hic novit quod sicut *argentum electum lingua justi* vocatur : ita lachrymæ sunt inæstimabiles margaritæ, cor pretiosissimum adamas, manus (hoc est opera visibilia) probatissimum auri pondus, fervor zeli carbunculus exardens, Dei timor aureo pallore scintillans chrysolitus : demum ibi dixerim condi thesaurum, non terra sepultum, sed in cælestibus collocatum : *thesauros*, ait S. Antonius, *id est multitudinem meritorum in cœlo : quia locus verus & proprius thesauri non est terra sed cœlum.* Has divitias nesciens possidebat Antonius : quem thesaurum aperiens Deus ejus linguâ tanquam argentea clave, distribuit populis opes inexhaustas.

Act. 5. 15.

Beda ibi.

S. Anton. Olyssipo. ser. in die Ciner.

DELIBATIO VIII.

Cor impiorum quo sensu dicatur esse velut nihil?

38. *Magnum est cor iniqui, si non pavet dū conscientia reprehendit.*

NOn parum difficilis hæc sententia videbitur, quâ malorum corda similia nihilo dicuntur hîc : *cor autem impiorum pro nihilo :* Si meminerimus quanta soleant ipsi vincere difficillima, periculaque subire. Imò cor hominis matrix est discriminum : ideò fortassis æquiparatur mari. *Quid est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum?* Certè nescio quid potiùs horrescam, hujus ne scili. æquoris infidam tranquillitatem, an stridentes nimiùm procellas. Scio nimis pavendam serenitatem istam sanè minacem. Tunc denique de anima deliberamus, cùm illam tradere cogemur. Interim conscientia qualiter fœdetur, unusquisque viderit : pœnitentia qualisnam fiat, non dubites nosse Dominum. Odij flamma, doloris lapide tegitur; non extinguitur : occasionis laqueus coactè solvitur; non scinditur : vindictæ vilitas nobilibus titulis condecoratur; nec despicitur : & vix ad emendationis propositum pervenimus, quamvis proponamus quotidie. In hac re serum distat, plusquàm ex verbis videtur, à serio. Timuit Adamus unicum post legis transgressum, ad primam Dei vocem, & tu post crimina toties vocatus, millieſque monitus non paves? Mortuo Jacob plures pertransierant anni postquam ejus filij fratri Josepho intulerant injuriam libertatem adimentes : & adhuc pertimescebant ne vellet Josephus de perantiqua offensa vindictam sumere : *ne fortè memor sit injuriæ quam passus est & reddat nobis omne malum quod fecimus;* peccator enim sciens omnia præsentissima Deo, vindicis æquissimi non memoratur iras! Credo magnum cor extare scelesti.

Gen. 50. 15.

Si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro. Verba sunt Evangelistarum Aquilæ : quorum genuinus, & magis communis interpretum, sensus est : si nos conscientia, seu cor accusat, multò magis Deus, qui major est corde nostro, & quèm latere nihil potest. Magnitudinem Dei volens Evangelista verbis exprimere, non aliud invénit quod à Deo dicat excedi nisi cor nostrum? Quid hoc? Altissimo si comparetur quidquid orbis clauditur ambitu, velut umbra vix reputabitur: & Joannes Deum cordi nostro confert quasi foret hoc res nimis magna, quam asseverare minorem Domino foret operæpretium? Ingeniosè Discipulus dilectus insinuavit quanta sit præditum improba magnitudine pravum cor. Hoc adeo ingens est, ut non otiosum fuerit autumare quòd hujusmodi cor sit Deo minus: non enim Joannes ibi de quolibet corde loquitur, sed tantùm de illo, qui cùm reprehendatur memoriâ malefactorum, superbè confidens præsumit. Roboratur expositio hæc ex eo quòd illis quorum cor non reprehendit eos, fiduciam ingerit ibidem. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum :* idest (ut exponi potest) justam confidendi causam : nam græcum nomen, pro quo vulgatus habet, *fiduciam*, Lorinus interpretatur : liberum aditum ad eum, liberam agendi, & loquendi cum ipso facultatem. Unde cum Aquila Evangelica sententiis præcitatis, opposuerit cor iniquum, de quo n. 20. cordi puro de quo n. 21. insonti fiduciam ingerere voluit sciens justos ferè semper pavidos in spiritualibus negotiis; & econtrà cor superbum tacitè fugillat vento distentum. Itaque insinuavit præsumptione sic magnum appellandum cor nequam, ut non leviter Dei magnitudo declaretur, cùm ille corde nostro major adhuc pronuntiatur, *& notandum*, commentatur S. Thomas, *quod*

1. Joan. 3. 20.

Ibi n. 21.

D. Thom. in epist. 1. Joan. c. 3.

Deus

Deus major eſt corde noſtro, & nihil præter Deum majus eſt corde humano. Utinan contentum eſſet ſua magnitudine, nec ſuperbè confidendo turgeret pulſo timore. Valdè timenda ſalus eſt nihil timentis. Cum homine pugnans oportet metum deponat, ne periculum augeat, cum Deo bella gerentem peſſundabit animoſitas. Igitur ne deviare videamur à textu noſtro: dicam cor impij pro nihilo habendum, quia pavidum eſt ad peragenda bona, ſimulque malo ſuo magnanimum, quia ut in præcipitia ruat, nihil non audet. De ſingulis iniquis affirmari valet quod S. Antonius pronuntiavit de laſcivo. *Sic & luxurioſus*, inquit ille, *habet magnum cor ad cogitandum, & committendum magnam nequitiam, & magnam luxuriam: ſed parum, vel nihil habet de calore & amore Spiritus ſancti. Ideò timidus, inſtabilis, & inconſtans in omnibus viis ſuis.* Ecce paventem, & audacem: nihilum & plurimum.

S. Anton. Olyſſip. ſer. 2. Dom. 1. Quadreg.

39. *De more ſæculi ſtrenuus ſolus habetur qui ad ſcelus audet.*

Vel dic, ſcelerati cor, quamvis multa metuat (utpote quod nihil habet cui fidere valeat) magnanimum eſt opinione ſæculi, puſillum autem, & pro nihilo, æſtimatione Dei. Utrumque oſtendam ſolidè, necnon ex S. Pagina comprobabo. A priori ſumamus exordium. Opinione, inquam, ſæculariter degentium, ille ſolus magnus dicitur corde, qui ſcelera non horret. Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur: *Et quando peccator peccatorem laudat, alius alium dum ſe invicem laudant occidunt.* Sic D. Hieronymus. Occidere parat hoc inſtrumento dæmon animas: & ut eas immolet appetitui, ligat adulationis fune: nam ut inquit Auguſtinus, *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis, delectatur enim ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudatur auditur.* Diabolus ne perdat ictum, ſic ligamine vocis adulatoriæ tenet holocauſta ſua, ne fugiant fœdas vitiorum facies, quæ ſub vanis integumentis latent. *Remotis obſtaculis vanæ opinionis ſcelera nuda penſentur, nuda inſpiciantur. Fallacia, & tegmina, & vanæ laudes, & gloria auferantur, & apparebunt miſeriæ peccatorum.* Ut ergo miſerias illas contegat mundi vanitas furatur optimas virtutum veſtes: induit vindictam ſtrenuitatis colore: injuſtitiam honorem appellat: & in hunc modum ſimilia veſtit monſtra ne terreant, ſed amentur. Hinc fit, ut neque ſtrenuus nec magno præditus robore putetur quiſque niſi poſtquam ſcelus aliquod operatur. Ex verbis Abſalom filij Davidis hoc manifeſtum erit.

S. Hieron. to. 8. in pſal. 9.

S. Aug. to. 8. in pſ. 9.

Idem. to. 5. l. 3. d. civit. Dei, c. 14.

Sororem ſuam nomine Thamar infeliciter ſpecioſam oppreſſit ejus frater primogenitus Amnon. Injuriam recordatione tenaci repoſuit Abſalom, & occaſioni commiſit. Inſtruxit convivium, quo lautiſſimè filios regis excepit: mandavitque ſuis, ut obſervantes Amnon cum vino caleſceret vita privarent: *Obſervate cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite*: preme quæ ſubdit: *Nolite timere; ego enim ſum qui præcipio vobis: roboramini & eſtote viri fortes.* Equidem Amnon ſuorum confidebat viribus occiſionem fratris: aliter non ipſis negotium iſtud mandaret: nec enim deeſſent Principi milites in regno patris ſui, qui mandatum de occidendo Amnon implerent: igitur de robore illorum quibus facinus exequendum fidit Abſalomus non dubitabat. Quare monet illos ut roborentur? *Confortamini & eſtote viri fortes.* Quia de ſæculi more, nemo priuſquam ſcelus aliquod executioni det, habetur vigore validus: cumque non vidiſſet adhuc illos iniquum aliquod perpetraſſe, fore timebat ne ſtrenuitate carerent. Forſan apud ipſum poſt necem fratris reputarentur heroes, forteſque viri. Strenuus apud ſæcularem veſaniam ſolus creditur qui ad flagitium audet.

2. Reg. 13. 28.

Deſipiens decipit mundus ita ſuos: nam verè puſillus eſt iniquus apud Altiſſimum: & cor ejus *pro nihilo* computandum. Quiſquis gravi ſe crimine fœdat, non tantùm imminuitur: ſed omnino tranſit in merum nihil. A Phyſicis ad moralia procedamus. Demus quòd omnipotens egrediens ordinarias leges, vellet animam rationalem è medio tollere: non niſi per annihilationem hoc fieri quiret: nam cùm illa partibus phiſicis & integrantibus careat, & ita ſit corruptionis, ac materiæ penitus expers; necnon à ſubjecto independens: nulla Philoſophia viam dabit, qua poſſet illa perire, niſi ſi prorſus annihilaretur. Hinc ad moralem interitum animæ gradum fac. Peccato lethali ſpiritualiter perit iniquus, & quodammodo fit nihil in conſpectu Dei. Fruere Bernardo: *Dignus planè eſt morte qui tibi Domine Jeſu recuſat vivere, & mortuus eſt: & qui tibi non ſapit, deſipit: & qui curat eſſe niſi propter te, pro nihilo eſt, & nihil eſt. Denique quid eſt homo, niſi quia tu innotuiſti ei? propter temetipſum Deus feciſti omnia: & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil incipit eſſe; inter omnia Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt, inquit, omnis homo. Ergo ſi hoc eſt omnis homo, abſque hoc nihil omnis homo.* Nervosè colligit conſequentia: non in figura, prout logici dicunt; ſed apertæ luce cogente veritatis, ut agnoſcas quidquid in peccatore latet ſub figuris, nihil eſſe coram eo qui novit omnia.

40. *Peccator coràm Deo nihil.*

S. Bern. ſer. 20. in Cant.

Audi ſemel doctrinam ſanam ex ore impij jam meliora ſapientis, & eruditi flagello, Nabuchodonoſoris. *Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt: juxta voluntatem enim ſuam facit, tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ &c.* Ex eo quòd ſecundùm velle ſuum diſponat de his qui morantur in terris, ij velut nihil habentur apud Altiſſimum? Bene. Sed nonne militat ratio eadem in virtutibus cœli? Nec dubitas, nec alio textu nunc opus eſt ut id firmetur: *juxta voluntatem enim ſuam facit tam in virtutibus cœli, quàm &c.* Cur ergo non ſimiliter tanquam nihilum reputari dixit Empirei virtutes? Quia cum ſint iſtæ conſtitutæ in ſtatu beatitudinis, non delinquunt, habitatores verò terræ maximè: *Non enim eſt homo qui non peccet.* Quamvis igitur utraque divinæ voluntatis nutui ſubſint, cœleſtia ſcili. ſublunariaque, non tamen cœlites vocantur nihil; de illis autem, qui peccatis pollui ſolent dicitur. *In nihilum reputati ſunt*: commentatur Hugo Cardin. ibi: *vel id eſt*

Daniel. 4. 32.

3. Reg. 8. 46.

Hugo Card. in 4. Dani. 32.

nullius valoris aut sanctitatis in conspectu ejus: quasi valeret idem dicere creaturas esse nihilum, quàm illas notare sanctitatis expertes in conspectu Dei. Apud rectissimum universorum Arbitrum plures, coram quibus tacet veritas, genuflectit adulatio, timetque sapientia, vilissimi sunt, & anihilati.

41. *Non adeo gaudet benemeritus eâ sorte, quâ simul potiri videt indignum.*

Meritò pro nihilo æstimantur iniqui divino judicio: aliter quippe minus gauderet justus à Deo habitus in honore, si nempe videret improbum æquè honoratum à Domino, & justitia Dei foret erga cunctos æqualiter inæqualis. *Tunc juvat*, ait Seneca, *accepisse beneficium, & supinis quidem manibus ubi illud ratio ad dignos perducit; non quòd quilibet casus, & consilij indigens impetus defert.* Incertus Augustinus: *honor si diligitur illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur.* Si Deus non minori decore justum quam scelestum extolleret, dehonestaret favoris gloriam virtuti calcaria præbentem, macularetque sanctissimi sui moderaminis intemeratum nomen. *Sic mundi divina in homines moderatio profectò nulla est; si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum.* Hæc Tullius. Honor à Deo collatus pulchrè stimulat inculpatas mentes: quod non efficeret, si nulla meritorum discretione facta ptojiceretur more lucis: non enim valdè cuperet justus loco potiri, quo sibi parem videret sceleratum considentem.

Seneca l. 1. d. benefic. c. 15.

Incertus S. Aug. to. 2. epist. 45. ad Armentar.

Cic. l. 5. d. natu. Deorum.

Ad faustam gloriæ suæ pompam tres Dominus discipulos advocavit: inter quos Petrus (ut moris est hominibus) de solari luce judicare voluit, cùm somnum vix ab oculis depulerat: ideò nesciens dixit: *bonum est nos hîc esse* &c. Vides qualiter in Filij Dei splendoribus Apostolus complacuit? Pertranseamus ad mensam Eucharisticam, & ibi siste gradum (nec enim pro nunc fœlicitati nostræ datur ulteriùs progredi.) Cernes ibi Petrum ab eodem Principe sumptuosissimo pastum convivio. Negato pascitur angelis edulio, quo non tantùm omne delectamentum, sed omnium bonorum continetur author: nec auditur hîc ex ipsius ore Petri: bonum est nos hîc esse? Puto non sic ibi locutum, quia cùm in cœna duodecim adessent, & divinus Magister jam dixisset: *nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* dubitare non potuit secum pariter admissum fuisse nequam hominem ad tantum decus. Ne quæras cur sileat Petrus. In transfigurationis cacumine digni fuerunt omnes eo favore perfrui. Quòd Judas Eucharistiam sacrosanctam acceperit, docuit S. Augustinus dicens: *Nam & Christus Judam, cùm sciret furem esse toleravit, & ad prædicandum misit, eique cum aliis Eucharistiam dedit.* Tres autem discipulos ad majestatis conspectum ideo vocatos quia digni, Judam verò, quod indignus esset, excludum indicat Damascenus. *Omnes*, ait, *Christi amore præditi; at unus pecuniæ studio flagrans, Iudas, inquam, Iscariotes. Unus hic dumtaxat indignus erat, qui divinitatem spectaret.* Deinde Moysem, & Eliam, per meritorum clivum ascendisse montem gloriæ notavit Ambrosius. *Cùm diverso*, inquit, *genere meritum æquale fundaverint, sicut in Evangelio declaratum est, quando cum Domino Iesu in resurrectionis gloria refulserunt.* Cùm itaque Petrus ad ejus gloriæ fruitionem nullum vocatum fuisse videret indignum, maximi fecit sibi collatum beneficium, & adeo quòd omni renuntians alteri bono, singulariter hoc unum concupiverit, dicens: *bonum est nos hic esse.* Incomparabiliter majus donum erat, quod in ultimâ cœnâ consecutus est. Attamen cum ad ejusdem sortis participium vocatus fuerit indignissimus: non tam de fœlicitate hâc sibi plausit Apostolus. Non digni societas, honore simul cum illo fruentium gaudia minuit, decus obnubilat. Quapropter Deus ne liberalitate nimia dona sua reddat ingrata, bonos magnificit; peccatores autem velut nihilum despicit. Cor autem impiorum pro nihilo.

Matth. 17. 4.

Joan. 6. 71.

S. Aug. to. 9. tr. 58. in Joan. relatus in c. Tu bonus. 23. q. 4.

S. Joan. Damasc. ora. d. Transfig.

S. Amb. to. 1. l. 1. d. Jacob c. 8.

42. *Incipit homo vivere cùm sequi Deum cœpit.*

Hinc tu, si sapis collige, qui virtutis non es aggressus viam, adhuc non incepisse; quinimò positum intra nihili chaos immensum latêre. Non adhuc extas, quandiu semitam salutis non tenes. Profunde Gregorius M. loquens de sapientia increata: *sola ergo cùm Patre & sancto Spiritu veraciter est, cujus essentiæ comparatum esse nostrum, non esse est. Huic si conjungimur sumus, vivimus, sapimus!* & alibi sibi non dissimilis inferebat idem S. Doctor, sic: *illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, qui innocenter, & humiliter viximus.* Vita spiritualis ab amore Dei auspicatur initia. Ideo fortè, licet anima (cujus est diligere) totum corpus nostrum inhabitet, cordi soli tribuimus dilectionem Dei, cùm enim cor fons vitæ sit, ibi residet amor, unde promanat vita. Humana vivendi usura tribus functionibus exerceturr vegetatur, sentit, intelligit. Hæc spiritualiter non consequitur nisi Deum diligens: crescit enim virtutum incrementis, delictorum sentit fœtores, & pondus, vocationum clamores audit: gratiæ candorem videt: gloriamque ferè perguslat: necnon intellectu discernit quidquid mundi cæci dilectores ignorant. Incipit ergo vivere tunc homo, cùm Deum cœpit amare.

S. Greg. M. to. 1. li. 18. moral. c. 27.

Idem to. 2. in 1 Reg. c. 13. lib. 5. c. 3.

Præparabat olim Apostolos divinus Magister ad sæcularis odij tela scuto patientiæ repercutienda. Mundi simultatis irrationabilis in discipulos rationem assignare volens, aiebat: *quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Minimè sibi cohærere videntur hujusmodi sententiæ partes: nam si de mundo suos eduxisse dicit, patet ipsos ibi vixisse priusquam eligerentur: fuerant igitur in mundo nati. Quo pacto, quæso de mundo non erant? Moralem vitam attende, linquamus nunc aliam. De mundo non erant, quia non est ille patria nisi jam natorum. Apostoli autem, quia priusquàm primò vocarentur in viam salutis, non Christum Dominum adhuc dilectione prosequebantur, non adhuc nativitatem attigerant: nam amor Dei veraciter hominis ortus est. Non igitur eis erat sedes natalis mundus: nam electio perfectum suasit amorem: proindeque cùm post eam iste cœperit affectus erga Dominum, jam extra mundum nati sunt. Breviter

Joan. 15. 19.

viter

S.Aug.to.5. tract.87. in Joan.

viter Augustinus, & opportunè : *ipsi inde erant, unde ut non essent, electi sunt inde* &c. Verè de discipulis poterat asseri : *de mundo non estis.* Væ non diligentibus Authorem vitæ : nam quandiù sic iniquitate sua lapidescunt, & improbi, necnon & *cor impiorum pro nihilo* habendi sunt.

DELIBATIO IX.

De justo ex pressuris lucido : de peccatâ impediente : providentiâ Dei : muto peccatore : laude silentij : malo socio : peccatorisque nihileitate.

48. *Justi per patientiam quantum splendeant.*

COeptis insistam adhuc : & versiculum eundem verbatim enucleemus de more nostro. *Argentum :* per synecdochen acceptâ linguâ pro justo, similis ipse proponitur argento : quia hoc, ut amplius rutilet, malleorum ictibus politur. Unde possemus uti verbis D. Antonij, dicentes : *fœlix est miseria, quæ ducit ad meliora : & fœlix nigredo quæ candorem parit.* Etenim justus per tribulationum pressuras ad splendoris perfectionem devenit non mediocrem. *Signis & miraculis majorem esse patientiam non dubitemus.* Ita S. Laurentius Justinianus. Ex præceptoribus apud Gersonem de patientia colloquentibus, aiebat quidam : *quod si anima Christi, & omnes Sancti paradisi simul orarent pro persona aliqua, non acquirerent ei tantum utilitatis & meriti, sicut ipsa sibi acquireret per unicam in adversitate patientiam.* Alius addidit. *Sancti minus eligerent dimittere minimam mercedem quam acquisierunt in tribulatione, quam sustinuerunt in patientia, quàm renuntiare Dei visioni usque ad diem judicii.*

S. Antoni. Olyssip. ser. Dom.2.post Trinit.

S.Laur.Just. in Lig.Vict. c.1. d. patient.

Joan. Gerson. to.4. prope finem in colloquio sex magistrorum, d. tribulatione.

Etsi philosophia doceat lucem impatibilem ; aliud est quod ratio suadet, aliud quod multorum suadet experientia. Dum feritur justus nitescit amplius. *Homo sanctus*, ait Siracides, *in sapientia manet sicut Sol : nam stultus sicut Luna mutatur.* Commentatur à Lapide : *constanter eodem fulgore semper lucens.* Unde videtur loqui textus de patiente, dum in hac vita degit : aliter nec sub emblemate Solis laudaret ejus constantiam, nam Sol videt occasum : nec ei contraponeret impium, qui solet inconstans esse more Lunæ, dum fluctibus mundi quatitur. Apud prophetam Danielem, de quibusdam Sanctis legimus ad instar stellarum refulsuros in mansionibus æternis. *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti : & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quin potius ex Dionys. Carthus. *docti sunt omnes justi.* Quo posito, sic meditabar. Stellæ noctu, Sol per diem, lucent. In cælesti patria dies perpetuus est : *portæ ejus non claudentur per diem : nox enim non erit illic.* Dum autem peregrinamur à Domino, verè nox offunditur : sic enim suadent sterrentium quies, & somniantium illusio. Eccur astris noctu splendentibus confertur beatus apud vatem ? Econtrà

Eccli.27.12.

Cornel. à Lapi. ibi.

Dani.12.3.

Dionys.Carthus. ibi.

Apocal.21. 25.

curnam Ecclesiasticus inter hujus vitæ, seu noctis, umbras degentem similem proponit Soli ; non stellis ? quia Sol est luminare majus. Inter mortalitatis ærumnas, vir perfectus mille torquetur anxietatibus, impetitur contrariis, patiturque labores : dum sic elucet, exæquat Solem. At in beatitudine, quantumvis fulgentissimè splendeat, minus rutilâ videtur luce gaudere, stellæque tantum par est. *Stella enim à stella differt in claritate : sic & resurrectio mortuorum.* Plurimum nitorem debet malleorum, hoc est, tribulationum ictibus *argentum.*

1.Cor.15. 41.

44. *Peccatis aliénis obviam ire quid rarum.*

Electum : idest singulare : sic enim D. Thomas illud Cant. *electus ex millibus* pro singulari sumit : *electus ergo*, ait, *quia solus ex multitudine Sanctorum dignus fuit audire. Hic est filius meus dilectus* &c. Similiter dici potest hic *argentum electum* idem esse atque singulariissimum. Sed quid in eo tam rarum ? Quòd proximum à peccato lingua justa præservat. Et in hoc argentum istud est singulare ? Utique : nam argentum alienum mihi non proderit. At verò lingua, hoc est verba viri probi, quamvis non sint audientis propria, tamen illi proficua cernimus dum eum cohibent à peccato. Sed rarissimum est quod alienum scelus amator virtutis (ut plurimùm) impedire sollicitet, licet illud execretur. Charitatis præcelsus gradus hic est. *Tunc*, ait M. Gregorius, *ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit : & cùm benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa.* Quid in proximorum cœtu magis infimum, quàm impius jamjam crimen exequi paratus ? Vix invenitur qui manum extendens detineat à lapsu.

Cant.5.10. D.Tho.ib.

D.Greg.M. to.1.2.p. Pastor.Adm.5. post med.

45. *Quæstio literalis an Apostoli noverint in mensa Judam esse traditorem.*

Discumbebat cùm duodecim Dei Filius in suæ passionis limine. Quia verò patientiæ dedecus non est affirmare quòd non te latuerit offensa, dixit ad illos, ab uno eorum se tradendum fore. Hæsitavetunt insontes de quo diceret. Innuit Joanni Petrus ; ut interrogaret quisnam proditor futurus : accepitque discipulus dilectus buccellæ signum perfido porrigendæ. Cùmque soleat ingratus pudorem abjicere, Judas idem quæsivit à Domino : *nunquid ego sum Rabbi ? Ait illi : tu dixisti.* Non tamen hæc sufficiunt ne dubitent interpretes an cæteri tunc Apostoli noverint Judam traditorem extiturum. Nec Joannem hoc sciviſse tenet Silveyra : quem licet ut Evangeliorum facem, & Lusitaniæ nostræ stemma venerer, tamen ejus placito, quantumvis rationibus & authoritate fulciatur, acquiescere non valui. Ait illud, *tu dixisti*, modum esse loquendi abstrahentem ab affirmatione, ac negatione. Sed contra, quia singulis interrogantibus : *nunquid ego sum Domine ?* soli Judæ respondisse, *tu dixisti*, non potuit non indicare affirmationem : esto verum sit modum loquendi hunc ex se abstrahere ab affirmando ; quod negant alij ab eodem Silv. citati. Exemplum objicit author ex verbis Redemptoris qui à Præside interrogatus : *tues Rex Judæorum ?* respondit : *tu dicis :* nec tamen hoc fuit acceptum, velut affimatio : nam aliter non fateretur Præses in eo se causam non inveniſse mortis. Respon-

Matth.26. 25.

Silv.to.5.l. 7.c.6.expo. 4.n.57.& 9. 12.n.86.& 90.

Matth.26. 22.

Ibi c.27.11.

deo;

deo: ſi authori licuit aſſerere D. Joannem, cùm de proditore Magiſtrum interrogavit, non advertiſſe donationem bucellæ, propterea quòd ad majora tunc attendebat: cur non dicam, ad accuſationes diſtractum judicem advertentiam non habuiſſe ad verba duo: *tu dicis?* Deinde huic exemplo aliud opponо. Adjuravit Princeps Sacerdotum Chriſtum Dominum ut diceret an eſſet Filius Dei. *Dicit illi Jeſus: tu dixiſti.... Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta &c.* Eu tanquam affirmationem accepit verba: *tu dixiſti.* Accedit quòd verbis indifferentibus in re ſummâ, & occaſione opportuniſſimâ veritatem aperiendi, non conveniebat uti Chriſtum Dominum ad Præſidem. Sanè Maldonatus ad illud, *tu dixiſti*, quod audivit Judas, ait: *quo dicto, neque Judas neque cæteri, quos id audiviſſe exiſtimandum eſt, proditorem ignorare potuerunt.* Inadvertantia buccellæ, videtur non probari: & ad quid daretur hoc ſignum, ſi fruſtaneum? Sto igitur Auguſtini verbis, prout ſonant: *Per buccellam tinctam, atque porrectam ſuum exprimit traditorem.* Toletus inſuper ait: *quamvis enim Joannes Judam eſſe proditorem, & eum qui traditurus eſſet Dominum à Chriſto intellexiſſet, &c.*

Ibi c. 26. 64. 65.

Maldon. in 26. Matth. n. 25.

S. Aug. to. 9. tr. 62. in Joan.

Toler. in Ioan. 13.

46 Itaque poſito quod Apoſtoli, vel ſaltem Joannes, noverint facinus impium traditionis ab impiiſſimo Juda perficiendum, quæro cur non ipſam conati fuerint impedire? Nonne illimet ſunt qui ſe mori paratos pro dilecto Præceptore conſtanter aſſeverabant? *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.* Audiens Petrus Dominum dicentem oportere Jeroſolymam adire, multaque pati, fortiter audet divino ſe totis præcordiis opponere conſilio! *Et aſſumens eum Petrus cœpit increpare eum dicens: abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Et proditorem non increpat? Joannes, qui Samaritanos cupit flammis conſumere cœleſtibus, quia Dominum excipere noluerunt adversùs Judam nec verbum profert? Quid hoc? niſi quia Samaritanorum combuſtio ſupplicium eſſet offenſæ jam factæ. Punitionis pro crimine præterito zelus invenitur faciliùs. Deinde mors Filij Dei, prout ab ipſo fuit, delictum non extitit, ſed charitatis opus eximium. Virtuti ſolent obviam ire multi, nec omnes inculpabiliter, ut Petrus. Alieno ſceleri (proditioni Judæ ſcili.) obſtare ne fieret neque Petrus, nec Joannes auſi ſunt. Eorum charitas eo jam tempore frigeſcebat, ſicut mox fuga ſatis oſtendit, Petrique negationes affirmaverunt. Occaſio non erat opportuna tunc, ut ab Apoſtolis expectares præcelſum adeo dilectionis opus, culpæ ſcili. alterius, obſtaculum ne committeretur objicere. Vitam offerre non dubitavit amor; Judam cohibere nullus confidit. Vides quàm ſit res magni ponderis criminibus proximi juſtum opponi? cum verbis hoc ille præſtat, rarum quid eſt ejus lingua: nempe *argentum electum*; non commune.

Matth. 26. 35.

Ibi c. 26. 22.

47 *Deus aliquando medio utitur à quo damnum timeri poterat.*

Lingua. Argenti nomine lingua juſti decoratur: ut ſignificetur quanto ſit in pretio apud ſupremum Dominum: gaudet enim ipſe bona perficere hoc utens inſtrumento, quod ſolet eſſe tot malorum via. Per fere cuncta vitia vagatur lingua miniſtrans eis: & commendat mirabilem Dei providentiam, quòd hinc eruat bonum fœliciter, unde tanta ſolent oriri peſſima. Mediis, quæ prima facie videbantur intento fini contraria, Deus ad ſapientiæ ſuæ decus utitur ſæpe. Hoc divinæ laudi, ſtuporique noſtro ſervit. *Hoc mirabile eſt, quòd non per ea, quæ videntur ſecuritatis eſſe, ſed planè per contraria, omnia pro nobis fiunt*, aiebat Chryſoſtomus meditans quomodo diligentibus Deum cooperentur in bonum ea ipſa quæ ad eorum damnum enaſcuntur. Sic permiſit peccatum, ut mundo tribueret culpæ deſtructorem Providentia. Sic Filio Pater decrevit pauperiem qua ditamur, vulnera quibus medelam accipimus, obitum quo reſurgimus. Non decebat ut alicujus oculis, maleſanis videretur Omnipotentem à mediorum nimia proportione vires emendicare, quibus fines præfixos aſſequatur. Quamobrem aliquando tanquam inſtrumentum eligit profuturum idipſum, à quo nocumentum poterat pertimeſci.

Chryſoſt. to. 3. hom. 56. in Acta.

Sic verum eſt velle Principes ut à cunctis exhibeatur eorum cogitationibus adoratio: quod Nabuchodonoſor poſtquam ſtatuam ſomniaſſet, ad ejus imitationem fabricari juſſerit auream, & adorari. O quàm ſæpe juſſu Regum inanimes coluntur ſtatuæ! Tres tantum inventi ſunt (& miror quod unicum exceſſerit numerus) cultum emortuæ nolentes effigiei dicare: quos Tirannus furore ductus ad ſe trahi juſſit, ut imagini venerationem ſacrarent admonuit, additâ flammæ comminatione niſi dictis pareant. Illi modeſta reſponderunt, ſimul & reſponſum negarunt, rem Deo committentes: & idolum minime colere velle proteſtantur. Exardet irâ ſævus: & ejus cordis incendium per ora prodiens accendi fecit fornacis ignem, in quam projecti ſunt vincti martyres: verùm accidit ut eos à quibus miſſi ſunt interficeret elementum vorax; illique medium illæſi tenerent ſcintillarum, ac expediti ligaminibus. *Viri autem hi tres, id eſt, Sidrach, Miſach, & Abdenago ceciderunt in medio camino ignis ardentis colligati, & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum.* Et quia pro Dei gloria tribulatos æmulantur Angeli, non defuit qui ſe tribus athletis adjungeret ſocium. *Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis ejus in fornacem: & excuſſit flammam ignis de fornace.* Textus non addit Angelum ſolviſſe vincula trium: cùm tamen ad eos venerit ſtatim quando fuerunt illuc miſſi: nam verba textus, *cum Azaria*, ſic intelligenda ſunt, ut non tantùm ſignificent loci, verum etiam temporis pene ſimultatem. Cornel. à Lapide ibi: *Jam ante deſcenderat cum eis Angelus ut primùm in fornacem conjecti ſunt, tutans eos.* Favet incertus, dicens: *Angelus Dei in fornacem cum miſſis eâ horâ pariter in ignem condeſcendit.* Et concinit verſio Græca: *Condeſcendit unâ cum iis qui circa Azariam in fornacem.* Curnam igitur eorum nexus non diſſolvit Angelus? quia mirum adeo non eſſet à protectore ſpiritu (cujus hæc poterat expectari benignitas) laqueos tolli. Mirabilius eſt quòd illis hoc flamma præſtiterit beneficium à quâ damnum

Dani. 3. 23. 24.

Ibi n. 49.

Cornel. à Lap. ibi.

Author. l. d. mirabilibus ſac. Script. c. 31. verſ. Græc.

Chrysost. to. 5. hom. d. tibus puer. num valebat metui. *Pueri ergo jactantur in flammam: ibat circa innocuos pedes novo libramine temperatus artifex ignis, & tot circumvolans pastus, sola consumere vincula laboravit :* inquit S. Joan. Chrysost. Aurea quidem, ac plusquam argentum hæc lingua justi ! Cohæret Angelicus Doctor. *Ardent vincula, incorrupta manent eorum corpora, & ambulabant in medio ignis compediti.* Igne qui ad tormentum accenditur, uti voluit Omnipotens ad puerorum libertatem ; non angelo : quippe magis mirandum est ut profit quod nocere natum erat ; quàm quod proficiat id quod fauturum nemo dubitaret. *Omnium enim Dominus* (redeat Chrysost.) *suæ virtutis abundantiam declarans, & bestiarum mutat naturam, & in oves mansuetas transformat, & quando ipse vult elementa ipsa naturæ suæ obliviscuntur, & neque ignis facit quod ignis solet. Et hoc discere poterit aliquis tam in tribus pueris, quàm in Daniele.* Revereamur itaque Dei providentiam, qui linguam, quæ de se *ignis est*, argentum electum efficit, ut veluti pretium sit redemptionis quâ peccatores eruuntur captivi, necnon absumat per salutaria verba funes delictorum, quibus colligantur.

S. Thom. com. in 3. Dan.

Chrysost. to. 1. hom. 57. in Gen.

Jacob. 3. 6.

48. Peccator verbis caret?

Justi. Quare non etiam argentum lingua peccatoris, cùm Dei misericordiam clamoribus advocat, & in propria crimina jacit maledicta, pravosque sodales incipit execrationibus ferire ? De labiis iniqui non agit nunc : quia huic vix est loquendi facultas. De muto apud Lucam, D. Antonius : *attende :* inquit, *quòd sicut iste dæmoniacus in tribus sensibus principalioribus, & cæteris nobilioribus amisit virtutem naturalem, scili. Videndi, audiendi, & loquendi : sic peccator, quia à Diabolo per mortale peccatum possidetur, in tribus animæ suæ sensibus cæteris principalioribus & nobilioribus, videndi, loquendi, & audiendi, amittit virtutem spiritualem.* Visum, & auditum, prætereo. Loquelæ defectum nunc misereor, & præsertim si cum Deo loquendum sit : quamvis enim pectoris voces audiat, aliquantulum tamen ex vocalis orationis prolatione cor inflammatur. Impio verba desunt quibus cum Deo loquatur.

D. Antoni. Olyssip. ser. Dom. 3. Quad.

Osee 14. 3.

Monebat Israëlem Oseas iniquitate lapsum. *Tollite vobiscum verba, & convertimini ad Dominum.* Opus erat hortari quòd secum verba ferrent ? verborum officina reperitur apud omnem non mutum : aëre formantur ubilibet : quin egeat homo sibi de sermonis copiâ providere. Perdideratne pro divino colloquio gens Hebræa modulos loquelæ ? Suspicor ita : nam corruerat populus delinquens. Et velut illi qui ruunt ex alto vocem amittunt : sic is qui Dei quondam amicitiæ celsitudine fruebatur, si labitur in scelus, apparet elinguis. Sonos ore profert : nec tamen tu putes esse propriè verbum quidquid audis. Inibi Sanctius. *Hos igitur hortatur Propheta ut ineptiri desinant, & belluinum in morem agrestes fundere, & sine mente sonitus. Assumant verba, homine nempe digna qui à Deo atque à ratione regitur... illa verba propriè ac verè nominari possunt quæ ab animo proveniunt, qui conversus ad Deum nil vanum aut infantile cogitat.*

Sanct. ibi.

Unde Paræmiastes hîc volens officia linguæ per argenti similitudinem, cui sonus inest, exprimere, se tantùm explicuit loqui de lingua *justi.*

Cor autem. Antitheses amant proportionem : nam & pro rethorica styli ratione, contraria debent in eodem ordine versari. Video tamen Salomonem dogmatis hujus bipartitam sententiam inter linguam & cor divisisse : cùm tamen utriusque disparata valdè munia sint. Fateor inter ambos commercium : sed genio sunt dissimiles nimis : præsertim quia cordis est abscondere, linguæ convenit revelare. Prudenter loquitur Ecclesiastes, quia de corde nequam agit : quod etsi diu taciturnitatem simulet, si tandem occasio sese offerat, prodit quod pectore latebat, munusque linguæ sumit. Plures admiramur Catones, quandiù nullus adversus eos audet, ac nihil est quod prosperè non contingat. Demus quod infortunia consurgant, feriatque leviter hostis : en jam cessit prudentia : vertitur in furorem, lingua strepit, arma virumque canit. *Sunt & alij mites,* ait Bernardus : *sed quandiù nihil dicitur, vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quàm longè sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio.*

49. *Silentium valdè laudabile cum ab alto linguâ percutens.*

D. Bern. ser. 4. d. adv.

Ideo forsitan Regius psaltes, dum silentij sui meminit, ait : *posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator adversum me :* legit S. Hieronymus : *donec est impius contra me.* Non excluſit aliorum temporum taciturnitatem : sed hanc potissimùm tam utilitate, quàm difficultate prætulit, quàm exercuit lacessitus : nam, ut ait Ambrosius : *si nobis aliquid objiciatur, dum nos purgare volumus, acerbamus ; dum ulcisci cupimus, confitemur.* Exigua laude putandus est dignus, qui fortis in tempore pacis, vigil dum dies est, vel nauclerum peritum agit tranquillo mari. Laudarem illum qui dum tempestas furit navem prudentiæ regit solerter, cùm imminent pericula nocti simillima, custodiendis labiorum foribus incumbit insomni sollicitudine, pugnam offerente inimico, tolerantiæ scuto sinistrâ objecto, dexteritate strenua jacula deludit. Ori custodiam apponere magnum erit, si linguarum telis impetaris : quia ut S. Antoninus ait : *nobile genus victoriæ est hostem debellare tacendo* &c.

Ps. 38. 3.

S. Hieron. apud Lorin. in eum locum.

S. Ambr. to. 2. l. d. interpell. Job c. 2.

S. Antoninus p. 4. tit. 3. c. 7. §. 2.

Non sic illi qui prudentiæ sectantur hypocrisim. Tacent, Curiosque simulant. Si vel minimo percutiantur ictu, proprium simul & alienum defectum revelant : proprium, quia stultam cordis nequitiam palam faciunt : alienum quia solari cupientes vindictâ dolorem, jaciunt in alios opprobria, secretaque detegunt. Obstupescis prudentissimum ? Tange : mox cor illius vitium aperiet suum alienumque simul. *Cor fatui quasi vas confractum,* inquit Ecclesiasticus. Et in quo putas proportionem hujus emblematis inesse ? Alias omitto : ad rem dabo unicam. Vas confractum, si tantum oculis à longè volueris judicare, videbitur tibi plenum & integrum, asservans id quod ipsi commissum. Tange, percute manu : non tantùm detegens inane, sed fractionem deprehendes, quæ proprium defectum fatetur, & alienum accusat ;

Quidã statim ac eos percutit aliquis, detegunt suum defectum & alienum.

Eccl. 21. 17.

ejus nempe qui fregit incautè, vel figuli, qui
Lect. Syriac. fractum vendidit dolosè. Sic se gerit *cor fatui* : Vertit Syrus : *cor impij* &c. Intactus velut idolum stultus collocetur in culmine, videbitur sapientiâ plenus, & totus tacens aget munus cordis. Vix puerilis exurgit occasio : jam ejusdem cor peragit munera linguæ, proprium nævum, & alienos propalat. Igitur analogiam cùm lingua servat aliqualem improbi *cor*.

50. *Ex mali societate bonus mutabitur ; non econtrà.*

Impiorum. Meminerat in singulari de justo ; nunc verò pluraliter impios reprehendit. Sæpe notavi frequenter in Scripturis, malorum sub numero plurali mentionem fieri, eò quòd eorum sit infinitus cumulus : nam etiam benè vivendi ratio quædam ars est : unde sicut in reliquis multitudo pessima est opificum : sic in istâ, raritas excellentium commendat eos. Pluribus è causis nascitur hæc malorum pluralitas. Unam solummodò memorabor, proh dolor, nimis veram. Permixta sunt ad usque diem Domini triticum & paleæ : scili. justus & iniqui. Triticum non difficulter, accedente verme criminis, evanescet in paleas ; istæ verò vix unquam solidabuntur in grana. Hinc decrescit paucitas justorum ; & malorum numerus incrementa sumit. Rerum natura sic est ut quoties bonus malo conjungitur, non ex bono malus melioretur, sed ex malo contaminetur bonus.

In cœnaculo Dominus cum discipulis aderat, ubi Sacramentum altissimum instituens, potentiæ miraculis manum imposuerat amor ultimam. Aderat loco præsens, cordeque di-
Joan. 13. 27. stans proditor, cui Redemptor ait : *quod facis fac citiùs.* Non plures continent hæc verba litteras ; quàm abscondunt mysteria. Plurimæ solent rationes afferri cur traditorem Servator ita fuerit allocutus. Inter alias non minus reliquis verosimilis est, quòd sic voluit Judam à cœtu condiscipulorum amovere. Nescio sit ista ne mens Ambrosij di-
S. Ambr. to. 1. l. 2. d. Abel c. 4. centis : *quod introierat in illum Satanas, ut ipse abiret à Christo. Excitur itaque, & excluditur, eo quòd jam cum Domino Jesu esse non posset, qui cœperat esse cum diabolo.* Ab Apostolorum societate Judas pellitur : & quare ? Ne qui malitiâ in diabolum versus erat, contagio cæteros inficeret. Sed urgebit aliquis. Apostoli quamvis cùm traditore perseverarent, non adhuc à divino Magistro recedebant : non ergo poterat à perfidi sodalitate reliquorum pertimesci ruina, quandiù sanctitati summæ juncti conviverent. Plus posset mali sodalis contubernium ut noceret, quàm Filij Dei vicinitas ne peccato inficerentur ? Non dubito : quia ut venenum serpat tactus aliquando sufficit ; ut antidotum operetur, in præcordia descendat opus est. Associantur iniquis innocentes : at horum virtus per illorum contagiosam luem ægrotat : malorum pestis non tollitur alienâ sanitate. Inde fit, quod unus vix invenitur insons : *lingua justi* ; mali verò turba sunt : *cor autem impiorum.*

51. *In spiritualibus non datur medium inter*

Pro nihil. Dicer philosophia non posse naturaliter annihilationem dari : quia sicut virtus infinita requiritur ut aliquid à nihilo trahatur ad esse, proindeque solius Dei proprium est creare (quidquid mentiatur humana potentia, quæ verborum inanitate sibimet illudens creaturas arrogat superbiæ suæ :) ita virtutem infinitè magnam postulat aliquid ab esse ad nihilum deturbare. O quam suimet ipsius hostis est qui malum diligit ! Infert ille sibi damnum, quod nulla poterat creata potestas : annihilat se penitus : nam, ut ait Augustinus : *peccatum nihil est, & ni-* S. Aug. to. 9. *hil fiunt homines cum peccant.* Nec putes à tract. 1. sup. sanctitate ad statum peccati, tanquam ab Joan. uno contrario dari transitum ad aliud. Plus distant : à visu animæ ad cæcitatem pertransitur, ut ab uno contradictorio in alterum : inter ea medium non quæras. Sic se habent amicitia, & inimicitia Dei, velut res ac nihil. *justum & nihil.*

Scribebat Paulus ad Ephesios : *eratis ali-* Ad Ephes. 5. 8. *quando tenebræ, nunc autem lux in Domino;* ubi per tenebras exponit Interlinearis peccata per ignorantiam committentes : *per ig-* Gloss. inter- *norantiam peccantes.* Illud autem : *lux in Do-* lin. ibi. *mino*, commentatur sic : *ex discretione benè operantes.* Valent itaque gentium Præceptoris verba, quasi diceret : aliquando nocte delictorum fueratis involuti ; nunc autem in conspectu Domini tanquam lux refulgetis. Quinimò juxta D. Thomam ibi *notandum* D. Thom. *est quòd indeterminatè non dicit tenebrosi, sed* ibi. lect. 4. *tenebræ.* Insuper notatu dignum quòd non ait : olim bonis mundialibus, inter ignorantiæ tenebras, velut stellæ splendebatis ; nunc autem melioribus radiis imitamini diem. Non sic loquitur ; sed in peccati statu priùs positos illos appellavit aliquando tenebras ; ad veritatis autem viam, operaque sancta regressos, vocavit lucem : nam tenebræ nihil sunt ; lux nobilis qualitas. Opponuntur contradictoriè tanquam aliquid & non esse, more lucis ac tenebrarum, peccator & justus. Ille merum nihil, quia caligo est ; justus verò quid magnum : utpote qui lux dicitur coram illo, cujus in conspectu stellæ sordescunt. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Inter Job. 25. 5. contradicentia rigorosa non reperitur medium. In hujusmodi re, vel plurimum es, vel nihil.

FLOS XXII.

Labia justi erudiunt plurimos : qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

APERITUR.

PRIOREM verficuli partem sic habent Hebræa : *labia justi pascent* 1. Lect. Hebr. *plurimos.* Chaldaicè verò : *pacant plurimos :* vel, *multos placant.* Quas Vers. Chald. lectiones cùm Vulgata Salazar conjungens hunc eruit sensum, cujus non satis percipio soliditatem. Ait quippe, quod cum apud veteres, dum fœdus jungere vellent, moris fuerit lautiores epulas præmittere, quò sic animi jucundè oblectati, sævitiam deponerent, & amicitiis constituendis aptiores essent :

essent : ideo Salomonem ad hujusmodi consuetudinem alludere dicentẽ justos verba sua propinantes aliis, discordium animos meliùs ad pacem lenire, quàm priscorum convivia. Optima quidem ad mores velitatio ; sed rigori litteræ quibus fundamentis aptetur non video. Nam quod Chaldæus pro, *erudiunt*, verterit, *pacant* ; hoc satis componitur si dicamus, quòd, cùm justi doctrina pravos audientium affectus inter se dissidentes, necnon cùm proximo litigantes, animæ nutrimento (scili. prudenti verbo) domare soleat: ideo quod noster interpres dixit : *erudiunt*, Chaldæus transtulit, *pacant* : cùm habeat originalis lectio : *pascent*.

2. Itaque plana videtur expositio, cujus idem Salazar, aliique meminerunt : scili. justus alios erudiens pascit sapientiæ ferculis ; at stulti doctrinam recusantes amplecti, spirituali premuntur inopiâ : & sic eos inveniet postremus vitæ periodus. Metaphora dapum, quâ Paræmiastes utitur, *pascent*, & vulgatus aperuit scribens, *erudiunt*, aptissima quidem est ut qualitates docentis aliquot insinuentur. Convivas advocans, dapesque ministrans, non torva facie, sed humaniter excipit illos. Ita qui doctrinam præbet, utatur charitativâ mansuetudine : aliter operam ex parte plurimâ perdet. *Hoc enim*, ait M. Gregorius, *habet proprium doctrina arrogantium, ut humiliter nesciant inferre quod docent, & recta quæ sapiunt, rectè ministrare non possint. In verbis enim eorum proditur, quod cùm docent, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque quos docent ut longè infra se positos veluti in imo respiciunt, quibus non consulendo loqui, sed vix dominando dignantur.* Hoc tamen fateor, quòd si magistro desit humanitas, non ideo deserendus: plus enim prodest quàm feriat. An ex arbore fructibus onusta, sentibus tamẽ armata, pomum recusabis colligere, ne manum laceres ? Non adeo te vellem delicatulum, quia

non est ad astra
Mollis è terra via.

Nihilominùs docturo placidus congruit stylus. Convivium parans non insulsa curat apponi fercula, sed palato suavia. Sic prudens animarum instructor commisceat utile dulci. *Agat ergo quantum potest* (jam datus D. Augustinus) *cùm ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur.* Nec tamen eos probo, qui perantiquum illusorem imitati cibos offerunt velut patinis depictos, quia nihil præter gratissimos colores exhibent, quos absorbent convivæ avidis oculis, ore jejuno. Demum convivij dominus rogari non expectat à convivantibus, ut ipsos ad mensam considere sinat ; sed potius eos invitat. Haud aliter sapiens non expectat interrogari : sed instat opportunè, importunè : novit aliquem vix fore, qui doctrinæ panem flagitet : nam apud Laërtium dixit Aristippus : *cui deest pecunia, petit ab obviis : cui deest sapientia, nullum sollicitat ut accipiat.*

3. *Labia* illius qui charitate fervens curat aliorum profectum, eos doctrinæ pabulo reficit. Sed cùm justi cor, ab ore nequaquam discordet, cordibus etiam probis tribuendum est munus istud : nec valdè zelum alieni proventus ostendet qui præcordia non apposuerit magisterio. Idcirco Paulus cordis & oris officia, pro discipulorum institutione consociabat. *Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* S. Gregorius M. expendens oleum quod Samuël detulit ad unctionem Davidis, ait : *quia verò oleo ignis accenditur, oleum doctoris amor est cordis.* Et infrà : *cornu verò oleum effundit cùm ille alta prædicat, qui hæc alta conversatione demonstrat.* Hinc tu conjice quod non liberè dixerim opus cordis esse alios de re salutis instruere.

Justi. Fateor doctrinæ lucem vitæ claritate foveri : sed vix patior piam quorundam impudentiam, qui vix à vitiorum cœno abluti, jam scholam aperiunt, & stupentium turbis exponunt fidei mysteria, solvunt conscientiæ nodos, magistri citò qui nunquam discipuli. More canalium effundunt ea quæ librorum lectione pertranseunt ipsos, concham nolentes imitari, quæ prius impletur, quàm diffundat.

Cernimus heu multos hac tempestate canales
Penè etenim vacuo pectore quisque docet.
At vix invenias multis è millibus unum,
Qui conchæ similem se prius esse ferat.

His omissis. Salomon agit hoc loco de justi labiis in ordine ad erudiendum cæteros; non autem de peccantis lingua gravibus polluti: nam *clausũ habet os peccator: quia qui seipsum non docuit, alium docere non potest.* Sic Orig.

Erudiunt. Septuaginta legunt : *labia justorum sciunt excelsa :* ubi nota quòd pro, scire, posuit Vulgatus, erudire. Litteras & puncta hebraica, quibus dissimilantur hæ voces, expendant periti : satis nobis erit affinitatem significati per illa verba notare. Ferè synonima sunt, erudio, ac, scio : quod adeo verum est, ut Seneca rejiciendam putaverit avaram sui sapientiam: velut adulterina quippe videtur quæ diffusiva sui non est. *Si*, ait, *cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enuntiem, rejiciam.*

Plurimos. Verum est, quòd non ad paucos doctrinæ fluenta coarctari vellet sapiens: cupit enim universis prodesse. Quid tamen aget si videat auditorum turbam, unum vel alterum hominem ; reliquos verò lapidem juxta saxum ? Aptabit sermonem, prout fieri valuerit, non oblitus Ethnici disertissimi. *Nemo* (Seneca loquitur) *est qui te intelligere possit. Aliquis fortasse unus aut alter incidet : & hic ipse formandus tibi erit, instituendusque ad intellectum tui. Cui ergo, inquis, ista didici ? Non est quod timeas ne operam perdideris, si tibi didicisti.* Non te peto ex illis unum, qui multorum expetunt clamorem : cùm scias, in illis quæ judicium postulant maturius, verissimum esse dictum ejusdem Cordubensis : *argumentum pessimi turba est.* Melius Hierony. *Docente in Ecclesia te non clamor populi, sed gemitus suscitetur.* Et concinit Bernardus, dum ait : *illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat.*

Qui autem indocti sunt. Ecce justo contraponit imperitos : cùm tamen apud vanissima sæculi judicia sæpissimè justus habeatur pro stulto : quia etenim prudentia carnis

S. Greg. M. to. 1. l. 23. moral. c. 7.

Sene. in Herc. furen.

S. Aug. l. 4. d. doctri. Christian. c. 13.

Aristip. apud Laërt. l. 2. c. 8.

2. Cor. 6. 11.

S. Greg. M. l. 6. c. 3. in 1. Reg. c. 16. tom. 2.

Iacob. Bil. in anthol. sacra.

Orig. hom. 38. sup. Levit.

4. Lect. Sept.

Se. epist. 6.

Senec. epist. 7.

Idem l. d. vit. beat. c. 2.

S. Hiero. epist. Nepoti. d. vit. cleri. tom. 1.

S. Bern. ser. 59. in Cant. 5.

Deo est inimica, spiritualem justorum eruditionem sapientia superba non agnoscit; licet ille solus recta sapiat, qui rectus degit.

S. Greg Nazianz. orat. 13. Hoc inculcavi pluries: nunc addo Nazianz. *prima sapientia est vita laudabilis.*

In cordis egestate. De indoctis loquitur, & non eorum intellectui, sed cordibus paupertatem accommodat: cùm verè post peccatum insipientia sit inopiarum summa. Quia tamen cordi tribuitur voluntas, quæ solet applicare intellectum ut hæc, vel illa, consideratione trutiner, ideo cordi nonnunquam tribuitur sapientia. Et sanè congruit ut affectu scientia contemperetur: quia, docente

S. Ambro. to. 3. in 1. ad Cor. 8. Ambrosio, *tunc scientia magna est, & sibi utilis, si charitate humilietur, ut amplius crescat. Temperatur enim à dilectione ut non satis mera sit, & inebriet scientem ut se extollat.* Proindè stultitia, seu mentis inopia similiter appropriatur cordi. Unde bellè

Sen. epis. 9. Seneca: *stulto nulla re opus est: nulla enim re scit uti, sed omnibus eget.*

Morientur. Quæstio est an de corporali morte, vel de spirituali sermo sit. Pro secunda parte stat ex Caietano Jansenius. *At*,

Corn. Jansen. in Prov. 10. 21. inquit, *contra stulti non solùm alios pascere nequeunt bonis sermonibus, sed ipsimet propter inopiam cordis, & sapientiæ, morientur morte animæ hìc & in futuro.* Mysticum videtur hoc.

Non curram ego sola (dixit citatus Bern.) *etsi solam me trahi petierim, current adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul, ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo.* Nec putes laboris adjutrices concupivisse, ideoque sodalitatem adolescentularum desideràsse; quinimò Bernardum ibidem audi loquentem ejus nomine: *propterea mecum volo ut currant; sed non ut mecum trahantur: volo habere socios consolationis; non autem & laboris.* Ingeniosè Mellifluus Commentator Sponsæ genium detexit. Non laborum, sed fœlicitatis, avet illa contubernium. Torpebat jacens, neque primo gressu viam inceperat, & jam bonorum suorum inire cupiebat societatem, ne sola potiretur muneribus, quæ præstolabatur à Dilecto. Parum est quod statim ac fulget, illuminet justus: imò potiùs exoptat ut colluceant alij.

Ibidem ibi. Idem loco cit.

Phœbo virum perfectum dixi persimilem. Sed melius ex Apostolo stellis æquantur Sancti. *Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Quamvis hoc loco solis mentio fiat: Paulus tamen pro Sanctis utitur sola comparatione stellarum: nam, ut ibi S. Thomas ait, *potest intelligi per Solem Christus Malachiæ ult. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ &c. Per Lunam Beata Virgo, de qua Cant. 6. Pulchra ut Luna. Per stellas ad invicem ordinatas, cæteri sancti* &c. Noluit Magister gentium Sanctos vocare Soles: quia, cùm stellæ singulæ vicinitatem aliarum non refugiant, exprimunt humanissimum justi splendorem: qui non stylo magni luminaris abscondit astra minora; sed ad instar stellæ societatem aliarum libens patitur. Ideo quamprimum gustant *labia justi* quàm suavis est Dominus, mox pro viribus citra superbiam *erudiunt plurimos*: non ambitione magisterij; sed fervore charitatis.

1. Cor. 15. 41. S. Thom. ibi.

DELIBATIO I.

Quàm læta celsaque sit bonorum in socios effusio Servatoris exemplo.

6. *Justus citissimè desiderat socios.*

INter plurima, quæ circumferuntur, ænigmata justi, nullum Sole clarius est: præsertim si proximorum lucra sollicitans vitiorum tenebras fugat. De quo scitè Clmens

Clem. l. 8. Recogni. inquit: *videntur mihi ij qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminant animas hominum, similes esse radiis Solis.* Unicam prosequar emblematis hujus analogiam. Vix inter auroræ brachia recens natus maximus ille fulgor splendentis Olympi rebus colores liberalissimè restituit, quos nox abstulerat: cùm jam cacumina montium perlustrat: nec patitur se nasci quin illuminet. Haud aliter virtutis amator: adhuc in cunabulis, pueruli more, vagitibus implet auras, peccata plangens: non solido cibo pastus; lacte nutritus, & penè sine voce loqui gestiens: jam tamen ea, quæ benignissimus Parens ipsi contulit, quamvis infantilia munuscula sint, cupit summoperè cæteris communia fieri. (Vota laudo; non temeritatem suadeo, contra quam suprà n. 3. nonnihil.) Vix pedem solvit ut viam carpat, & jam socios desiderat.

Sponsa Canticorum ita Dilectum compellabat. *Trahe me: post te curremus.* Exponit S. Bernardus: *trahe torpentem, ut reddas*

Cant. 1. 3. S. Bern. ser. 21. in Cant. *currentem.* Quæro. Unica est quæ trahitur? plures quæ current? Sic eam desiderium de profectibus aliarum palam feciisse puto. Se torpentem agnoscebat, nec moverat pedem. Sed ne vel initia sine consortio possideret, dum se trahi postulabat, expetebat comites.

7. *Elucet amplius quod uni datum, pluribus prodest.*

Nec frustra, sed prudenter, justus existimat sibi congruere nimis, ut quod manus Altissimi confert ei, diffundatur in alios. Beneficium uni solùm collatum, quamvis mirabile sit, non tam obstupere facit intuentium animos: quippe qui singularitatis tædio ducti, minus rectos figunt oculos in eum qui sine consorte divinam experitur munificentiam. Attonito forsan hærebunt obtutu, si multis prodesse videant uni datum; non ita si nemini præter ipsum.

Duplex inter multa mirandum Omnipotentia peregit prodigium. Accesserunt exactores tributi: & quasi recusaret indebitum solvere qui venerat aliena debita multo majora pendens in cruce pendere: quærunt à Petro: *Magister vester non solvit didrachma?* Affirmationis vim hanc interrogationem habere probabile videtur. Favet Arabica versio: *quare magister vester non solvit debitum?* Calumniatoribus moris est asserere quod ipsis ansam criminandi præbeat ut sic temeritatem colorent: ita quod non sola suspicione, sed firma certitudine se niti putatur. Cùmque domum venisset Apostolus, jussit præscius Magister, ut miraculosè quæsito statere, pro Domino simul & se vectigal persolvat. *Ut autem non scandalizemus*

Matth. 17. 23. *Calumniator supponit ut certum quod apperit criminari.* Lect. Arab. Matth. 17. 26.

eos,

eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem qui primus ascenderit tolle; & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens da eis pro me & te. Hæc non latuisse reliquos Apostolos verosimilis conjectura est nixa verbis Hieronymi: *quia viderant Apostoli pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.* Alibi apud Lucam Petrus, postquam tota nocte laborans in munere piscatorio nihil cœpit, laxavit nixus verbo Domini rete, multitudinemque natantium prendidit adeo copiosam, ut impleverit duas naviculas muta congeries. Tunc Petrus, & qui aderant, stupore fuere perculsi. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant: similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.* Hoc stupent miraculum qui de stateris repertione prodigiosâ nullum admirationis dedere signum? Sanè Dominus dum præcepit extrahi monetam è piscis ore, se cunctorum dominium tenere significavit. *Ut rerum*, ait Chrysostomus, *omnium Dominum se ostenderet, utque maris ipsius ditionem habere videretur, non à reconditis, sed mirabili quodam modo inventam deferri jubet.* Meritò Chrysostomus demiratur insolens portentum: imò putabam diviti piscatione præfatâ mirabilius: ibi namque rete collegit quod æquore solitat inveniri, pisces nempe; hoc loco verò pecuniam, quæ non solet ab aquis erui, traxit hamus. Hoc nullus admiratur! & numerosa præda cunctis admirationi fuit! Metire utriusque prodigij circumstantias. Harundo Petri dum piscem, qui staterem ore servabat, prehendit, soli Petro lucrum fecit. Deinde præ cæteris in redditione tributi fuit coæquatus Domino; reliquis nec pecunia nec piscis profuit. Et fortè miraculi plausibus obfuit alienæ singularitatis dolor: *quando verò*, ait Chrysostomus, *in unum solum contulit honorem, tunc doluerant.* Atverò retis captura Petrum ditavit, & socios. Plaudat huic beneficio cunctorum stupor, ut videas quàm longè plus claresçat munus quod multorum interest, quàm si nemini, præter unicum singulariter, proficeret.

S. Hiero. in 18. Marth.

Luc. 5. 9. 10.

Chrysost. to. 2. hom. 59. in Matth.

Idem ibi.

8. *Exultat meliori jure qui non sine comite fortunatus.*

Nec sola major inest sorti claritas, cùm fœlicitas unius dispergitur in plurimos. Insuper lætior est ipsi fortunato possessio boni, quâ non unicè potitur ille. Meritò nullum suave bonum putavit Chrysostomus illi, qui caret amico. *Nihil nobis est absque dilectione suave, licet sint innumera bona, sed quæ illorum utilitas? Sint divitiæ, sint deliciæ absque amicitia, & quod lucrum?* Dolorum consortium amori proprio tantùm servit: lenitur quippe cruciatus, qui dividitur: unde valdè se diligere probat qui tormentorum advocat participes. At gaudii sodalitium quærens dilectionem sollicitat alienam. Et cùm ab altero diligi nemo non gaudeat, accedit priori lætitiæ secunda. Sic dupliciter exhilaratur fœlix: nempe quia possidet quod alteri commune reddit: necnon quia se tanquam benefactorem diligendum non dubitat. Inde maneat illum tantùm exuberanter lætari meritò, qui non sine comite fortunatus.

Chrysost. to. 3. hom. 40. in Act.

Communiter Patres, & Scholastici Doctores, asserunt à Domino sanctificatum in utero fuisse Jeremiam, ex illo apud eundem vatem: *antequam exires de vulva sanctificavite.* De Joanne Baptista, quamvis textus non loquatur similiter, idem beneficium in maternis visceribus adeptum esse non dubitas. *In tertio Virginis verbo, quo salutavit Elizabeth, statim talis impressio subsecuta est, quòd Joannem in utero matris sanctificavit.* Hæc S. Bernardin. Sen. In hujusmodi privilegio similes conspicio: sed in hoc (præter alia) distant, quòd Joannes tunc per alacrem motum hilaritatem testatus est: *ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth exultavit infans in utero ejus:* hoc autem de Jeremia cùm sanctitatem accepit non lego. Scio disparitatem assignari facilè posse, quod Joanni concessus est rationis usus in utero matris; Jeremiæ minimè. Non abnuo. Sed adhuc stat quæstio? cur non post rationis usum Jeremias de præstito sibi sanctificationis dono gaudium ostendit? & Joannes intra genitricis viscera festivus exilit? nonne fœliciter evasit uterque liber à peccati primordialis compede? Gratiam acceperunt ambo: sed sibi soli lachrymarum Propheta; Joannes plusquam propheta, sibi, necnon & matri. Exultet igitur hic præ illo: nam jure meliori gaudet qui non sine socio fœlix. *Verè*, ait Guerricus Abbas, *gratiâ plena Maria: manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentia tam copiosè, tam magnificè, principaliter in matrem, de matre in Joannem, de Joanne in parentes gratiæ largitas profluebat.* Prodat ergo Præcursor voluptatis indicia: Jeremias non ita: nam bonum consorte non carens incrementa quodammodo sumit.

S. Bernardin. Sen. to. 3. ser. 6. art. 1. c. 3.

Luc. 1. 41.

Guerr. Abb. ser. 1. d. Bapt.

9. *Tunc beatior quis fœlicitate cum eâ communicat.* S. Ambr. to. 1. l. d. paradi. c. 3.

Quinimò dixerim bonum quodlibet, quantumvis excellens, non adeo reddere fœlicem quia possidetur, quòd non potius beatum afficiat ex eo quòd distribuatur cunctis. Ideoque *justitia magis aliis quàm sibi prodest, & utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.* Ita S. Ambrosius. Bona per plurima si possideas non perfectè fortunatus eris nisi communices: communicatione beaberis; non possessione solâ. Donum quod te beatum aliàs constituere non sufficit, si benevolus aliis commune facias, erit penè beatitudo tibi.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. De quâ terra dictum est hoc? Opinatur Chrysostomus accipiendum esse de visibili. *Dic quæso quam terram? Quidam intelligibilem dicunt: verum istud omninò falsum est... sensibile præmium hîc statuit* &c. Et hic est contemptus terrenorum, quem suis Dominus cupiebat suadere? terram cùm possederint mites, hujus possessione beatificabuntur? Ne timeas in verbis Domini scandalum. De moribus loquitur, qui sua cunctis pacificè communicant: & bona, quæ præ caducitate sua beare neminem valent, ipsa communicatione veluti beatum reddent. *Possidebis mitis*, inquit Augustinus, *possideberis immitis, nec cùm audis præmium propositum ut*

Matth. 5. 4.

Chrysost. to. 2. hom. 15. in Matth.

S. Augustin. ser. 14. in Evang. omn. SS. apud Ei-

bliote. PP. in eodem fest. *possidere terram, extendas avaritiæ sinum, quavis possidere modo terram, excluso etiam utcumque vicino tuo:* &c. Mitis possessione terræ beatur quadamtenus, non excludendo proximum. Terrena beatificare non sufficiunt; sed charitas humanissimæ communionis, æmula beatitudinis est. Hæc indoles gaudij veri notissima, scilicet communicatione perfici. Hæc humanitatis benigna conditio, de

Sen. in epist. qua Seneca: *nullum alienum malum putat, bonum autem suum ideo maximè, quod alicujus bonum futurum esse amat.*

10. *Plus valet unicum gaudium cum socio, quàm duo sine sodali.*

Sociabilem sortiti sumus naturam: minimè nostra bona societate dissipantur. Vel oculis gaudium excipias vel auditu, necessariò divides in duos, quin minuatur voluptas: nam duplex tam pupilla, quàm auris. Hoc ita voluit Supremus Opifex, ne contubernalem recusares exultationi tuæ. A teipso disce quàm cum aliis oporteat servare concordiam. *Tanta in eisdem*, ait S. Laurent.

S. Laur. Just. l. d. disc. & perf. monast. conversat. c. 4. ante finem. Justin. *humani corporis membris inest copula, tantus amor, tantaque inseparabilis, atque insuperabilis dilectionis unitas: ut unum sine altero non valeat gaudere.... Ex te qualiter proximum diligere debeas adverte.* Potius augendam ne dubites lætitiam cum asseclam dmiseris. Credes (si probaverim) pluris fieri posse unicum gaudium quod in consortem dividis, quàm duo sine participe clausa?

Adeamus Tobiæ historiam. Aberat adolescens, ut genitoris mandata compleret. Elapso reversionis termino, quem desideria parentum sibi præfixerant, mater interminato fletu proluebat ora, seipsam accusans de peregrinatione dilecti. Diræque jam non patiens moræ, quotidie circumspiciebat vias, ut celeritate luminum, tarditatem gressuum aliquatenus compensaret, dum fortè venientem à longè citò videret gnatum. Annuit

Tobi. 11. 6. optatis amica sors: nam *dum ex eodem loco specularetur adventum ejus, vidit à longè, & illico agnovit venientem filium suum: currensque nuntiavit viro suo, dicens: ecce venit filius tuus.* Desiderio filij fortior extitit dilectio sponsi? adhunc properat; genitumque linquit? Quis crederet. Cor absentia saucium nimis dolet; amor autem non dolor est, etsi vulnus. Huic remedium non sollicitabat illa; desideriis vero gnati maximè. Cur ea prius amorem satiavit sponsi, quàm filij votis mederetur? Putabam statim ac venientem prospexit prolem, festinaturam celeriter ad tam dilectum, ut brachiis teneret quem nunquam ex mente dimiserat. Accedat, amplectatur desideratum pignus, & postea patri nuntiabit ejus adventum. Maluit prudens fœmina primum gaudium (scili. notitiam de accessu gnati) communem reddere conjugi suo, quàm duobus potiri se sola: nam si ad genitum cursitaret, ut amplexaretur eundem, hilaritate duplici frueretur absque sodalitio mariti: scili. altero quia vidit adventantem liberum: & alio cùm super collum ejus amanter caderet. Noverat exultationem dum communicatur, augeri: priorem idcirco (nempe quam percepit oculis) partiri cum sponso accelerat, eligens potius unum solummodo gaudium adaucto comite, quàm duo solitaria. O sapientem fœminam: cujus ingenium non excæcavit amor, ne quod melius deligeret.

11. *Dei Filius oculos illuminare satagebat homines, quàm solium conscendere.*

Hæc, quæ de cujusque veri boni, solidique gaudij partitione dicta sunt (ut pressius ad thesim nostram revertamur) pronum est agnoscere, quàm appositè de sapientiæ bono, hujusque gaudiis, autumentur. Scire te ferè nihil est, nisi prosit alteri. *Nec*, ait Seneca, *me ulla res delectabit, licet eximia sit & salutaris, quam mihi uni scitu rus sim.* Scientia fax est, quæ tecta contenebratur, & in aërem deducta splendescit. Proinde justi sic alios erudire curant, ut majori sollicitudine satagant nescientibus lucem præbere, quam cælestis beatitudinis majestatem sibi maturare. Sen. epist. 6.

Hoc illos edocuit opere Sapientia Patris, cujus vestigia premunt vigilanti pede. Redivivus è tumulo surgit mortis occisor: triumphalem tamen abscondens pompam, duobus euntibus in Emaüs discipulis ignotus apparuit. Simul aperuit Scripturas, & operuit seipsum Dominus: usque dum in castellum venere, mensæque accumbentem agnoverunt in fractione panis, & mox disparuit. *Cognoverunt eum. Et ipse evanuit ex oculis eorum.* Luc. 24. 31.

Quid tunc discipuli, qui vix adeptum statim perdidere bonorum summum? *Surgentes*, ait Lucas, *eâdem hora regressi sunt in Ierusalem:* Ibi n. 33.

ibique ad condiscipulos *narrabant quæ gesta erant in via.... Dum autem hæc loquuntur stetit Jesus in medio eorum.* Si ad civitatem reversuri fuerant eodem tempore, tam discipuli, quàm Præceptor: quare non simul cum eis illuc viam carpit? Eos linquit ocyssimè, cùm eò tendat, quò ipsi ferè simul perventuri sunt? Difficultatem auget quod Ascensionis die Dominum egisse scribitur. Ex urbe suos ad locum ex quo cælum petiit ovans, duxit Filius Dei: postque Magistri discessum, reversi sunt. *Eduxit autem eos foras in Bethaniam.... recessit ab eis & ferebatur in cælum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem.* Jam te latêre non credam stylum disparem, quo rerum Conditor usus est utrobique. Resurrectionis die festinus ab oculis Apostolorum evolat in Jerusalem: nec patitur moras qui posset ipsis comitatus abire? cùm autem ascensurus esset in cælum, & valeret urbem in triumphi locum deligere, quò reversuros fore noverat eos: potiùs foras educit, & cælum conscendere volens, comes adjungitur illis, quos relicturus erat citò? Si non ipsos in Jerusalem usque ad Spiritus Paracliti adventum permanere voluisset, mirum non foret hoc: at ut scribit idem historiographus, *præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.* Utquid ergo non ascendit Empyreum in ipsa Ierosolyma, quâ nobis cælorum januas aperuit? Consultò moras trahebat pergens Bethaniam triumphaturus: qui ad solium ferebatur utique; non properabat, quamvis ascenderit virtute propriâ: *recessit ab eis, & ferebatur in cælum.* Utque denotaret non se nimia celsitudinis cupiditate moveri, deduxit Apostolos in Bethaniam, non agilitate corporis utens glorioso: sed admensuram gressus discipulorum libenter se coaptans. Die verò quâ surgens mortis vincula Ibi n. 35. & 36. Ibi n. 50. 51. 52. Act. 1. 4.

disrupit,

disrupit, beatæ celeritatis ope disparuit festinanter: neque suis, qui statim eodem ituri erant, comitatus abit: vix enim patiebatur morulam, cùm ad Apostolos de suæ resurrectionis mysterio docendos accelerabat. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Triumphum Ascensionis non parum tardare voluit; sed præbiturus doctrinam celer *evanuit:* ubi Euthymius: *evanuit à conspectu eorum, ne amplius tardarent, sed citiùs ad discipulos reverterentur: volebat enim eodem die simul omnibus apparere.* Et quid refert si aliquantùm iter facere retardent? Cruciaretur divini Magistri desiderium eos illuminandi: ferebatur namque Servator ardore discipulos docendi fidem resurrectionis. *Dominus propter salutem nostram omnia faciens, stat in medio discipulorum, volens illis resurrectionem credibiliorem fieri:* ait tibi Theophylac. Ergo dispareat, sequantur, illuminentur: imò charitatem Redemptoris imitantes, de commilitonum instructione curent: *ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Non expectaverunt Salvatoris adventum: noverant enim quantùm glorietur ipse videns humanissimæ charitatis nescientis moras festinationem, quâ *labia justi erudiunt plurimos.*

Luc. 24. 39. Euthym. in id Evang. Theophylac. in 24. Luc. Luc. 24. 35.

DELIBATIO II.

Peculiare decus est animas Deo lucrari: cui adeo nostra salus in votis est.

12. *Præcipuum justi decus animæ quas docet.*

INter martiales coronas, quas militari fortitudini decreverat olim sapiens antiquitas, eminebat illa, quæ vocabatur ovalis: hæc ei solita donari qui victoriam ab humili quovis hoste reportabat, ut à servis, piratis, &c. Militant quicumque degunt. Urbem à tartarei prædonis vilissimi tyrannicâ servitute liberat quisquis animam ad veri Domini reducit vassallitium: nam &, ut ait S. Antonius, *diabolus nobilis est creatione; ignobilis quo ad vitia:* & vere Dei civitas est anima quælibet, ac non parvula, sed talis ut in ea concluſus videatur orbis: cùm parvus mundus appellari soleat homo. Quo putas igitur honore frui lucrifacientem Deo non unam vel alteram, sed animarum copiam? S. Ambrosius, *Manifestum est quia perfectio discipulorum gaudium & corona magistri est. Hi enim sunt qui labores fructuum suorum edituri sunt. . . . labor enim discipuli in opere bono coronam dat magistro, judice Christo.* Hic est præcipuus in terris honos, hæc justi laurea: quam certè nescio præferat ne possessioni Christi Domini vir apostolicus.

D. Anton. Olyss. ser. Do. 3. Quadr. S. Ambr. to. 3. in c. 2. epist. 1. ad Thessal. fine.

Audi gentium Doctorem. Scribens ad Philippenses coronam suam dixit eos. *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.* Suadebat alibi Paulus Romanis: *induimini Dominum Jesum Christum: id est facite*, commentatur Bellarm. *ut in vestris moribus conspiciatur sanctitas & justitia Christi.* Unde cùm Apostolus Filij Dei sectaretur exemplar (juxta illud ejusdem: *imitatores mei estote, sicut & ego Christi*) colligere possumus ipsius utentes phrasi, Paulum induisse Christum Dominum. Sed quænam hæc locorum, seu ænigmatum, distributio? Philippenses corona sunt ei? Christus vestis? Improprium non foret, si Paulus vocaret discipulos vestimenta sua: *unusquisque enim* (verba sunt M. Gregorij) *qui rectè vivit, atque hoc & alios docere consuevit, quasi tot vestimenta habet, quot auditores ei concorditer inhærent.* Quare non Philippenses vocavit Apostolus indumenta sua? Christum induit? discipulis redimit caput? Ita rectè dividit. Utrumque decorat hominem: indumentum scili. pulchrum, diademaque nobile. Sed nemo non videt quàm longè serti decus antecellat vestium ornatui. Ut ergo vas electionis ostenderet se, præ charitatis incendio non vulgari, pluris facere honorem qui de alumnorum illuminatione proveniebat, quàm eum qui de Christi Servatoris in terris per gratiam possessione manabat: Christum Dominum sibi velut amicum induit, opere complens quod monuit Romanos: *induimini* &c. Philippenses autem collocavit suprà caput: *corona mea:* quasi minus exornaretur possessione Christi, quàm viator obtinuerat; & ampliorem gloriam animarum instructio contulerit præceptori. *Propter vos enim, inquit, mihi placeo, propter vos clarus, & illustris evado.* Sic explicat locum ad Philippenses Theodoretus. Eximio crede splendore coruscare quem cælestis doctrinæ dispensatorem fidelem videris: nam si peccatis anima transit ad nihilum; vocatur ad esse, cùm verbi potentiâ renascitur adjutrice Creatoris æmula, cujus tantummodò munus est animas creare. Ad illud Geneſis: *& animas quas fecerant in Haran*, ait Abulen. *dicuntur animæ quas fecerant, homines, quos ad cultum veri Dei in Haran converterunt, quia docentes, vel convertentes alios, facere eos dicuntur.* Sic excellit, qui Dei cooperator huic insistit operi.

Ad Philip. 4. 1. Roman. 13. 14. Bellarm. ad eum locum. Ad Philip. 4. 1. Theodor. in c. 4. epist. ad Philip. Gen. 12. 5. Abulen. ibi.

13. *Animas à peccato eripere munus est conveniens oculis Dei.* D. Bern. ser. 62. in Cant.

Plurimi fit ab universi Moderatore animas in via salutis dirigens. Ejus vox divinis melos propinat auribus. *Quantum Sponso placeat cum puritate mentis prædicatio veritatis, ostendit cum dicit: vox enim tua dulcis*, inquit Bernardus. Doctorum animæ celsitudinem vix unicum exprimit ænigma. Si pulchram fœcunditatem suspexeris, nubium similes nominabis: fulgorem si demireris, dic cælos. *Intelligimus, fratres nubes istas sicut cælos prædicatores esse veritatis*, ait Augustinus. Imò si prorsùs notavit Beda, *oculi Christi Apostoli sunt, & Evangelistæ, qui lumen scientiæ Ecclesiæ præstant:* de apostolicis concionatoribus idem possumus asseverare. Illos, qui proximorum incumbunt saluti, dicere velut ausim ipsius Dei lumina. Non jam divinas voces nominabo: non manus: ita namque supereminens ministerium est animis à verò deviantibus tramite reducendis invigilare, quod palpebris Domini congruat munus istud.

S. Aug. to. 8. ser. 1. in ps. 88. Beda in c. 49. Gen.

Petri dilectio se vix continere valens, Præceptorem à proposito violentæ mortis averse-

Matth 16. 22. 23. tere conabatur, dicens : *absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conversus dixit Petro : vade post me Satana, scandalum es mihi.* Audis quemadmodùm severè Princeps Apostolorum corripiatur hîc ! & fortassis tunc non peccavit : nec enim solitum ex amore Dei promanare culpam : nec inficiaberis illa verba Simoni dictasse cordis affectum : dixit enim Chrysostomus : *Petrus iterum ex fervore solus audet ea de re quicquam dicere :* consonatque S. Hieronymus dicens : *cœpit increpare illum amantis affectu, & optantis, dicere : absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Adminus levis extitit, si quæ fuit culpa. Pergamus ad Pontificis atrium : ibique miseraberis lapsum verticem Apostolici collegij. Ter corruit. Attamen demum Dominico revocatus intuitu resipuit. *Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini sicut dixerat, quia prius quàm gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare.* Quærunt interpretes utrum corporalibus oculis Apostolum divinus respexerit Magister. Probabilis est pars affirmans cui favet Theophylactus. *Quippe*, ait, *usque adeo Petrus ab humana infirmitate gravatus est, ut neque galli cantum sentiret : sed postquam gallus cecinit, iterum atque iterum negavit, donec Iesus benignè suo vultu ipsum recordari faceret sui dicti.* Hoc posito. Quemque movebit non leve dubium. Corripit in virga ferrea benignissimus Præceptor discipulum, qui vel nihil, vel tantùm leviter deliquit, dum passionem dissuadere conatus est ? & gravissimè ter peccantem non voce terret ; sed oculis erigit ? Imò quia peccaverat, ipsius illuminatio divinis oculis incumbebat. Non vocis ergo solius partes agit qui vigili curâ peccatoribus lumen administrat ; sed palpebrarum Dei officio substituit operam. Cernere pervium est inde, qualiter Domini sibi vendicet affectum.

Chrysost. to. 2. hom. 55. in Matth. S. Hiero. in Matth. ibi.

Luc. 22. 61. 62.

Theophylac. in c. 22. Luc.

14. *Nec unici hominis jacturam pati vellet Redemptor.*

Nequaquam, ut reges terreni, subest oblivioni Princeps cælesti Regia militum suorum strenuos labores, quos in ejus gloriam subeunt, dinumerans. Præmittendum, quòd eâ dilectione Clementissimus prosequitur mortales, ut peccatores perdidisse quasi doleat : *non enim*, ait incertus Chrysostomus, *sic dolet quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit salvare.* Imò ne perveniat usque ad lachrymas dolor iste, veretur Origenes humano stylo de divinitate loquens. *Vereor ne mala conversatio nostra non solùm terris, sed & cælo lamentationes inducat & luctus, & fortassis ipsi Deo luctum incutiant humana peccata.* Quæ licet figuratè dicta sint : tamen in hoc veritati serviunt, quod amorem erga nos divinum exprimunt : quo sciamus gratissimum Deo donum esse restitutam sanitatem animæ lapsæ. *Habet*, inquit idem Origenes, *Deus dies festos suos. Est enim ei magna festivitas humana salus. Ego puto quod per singulos quosque credentium, per singulos qui convertuntur ad Deum, qui proficiunt in fide, festivitas oritur Domini.* Fit ex his, ut suos bellatores, qui à Satanæ vinculis animas eruunt, Deus plurimi faciat. Duo prælibavi : singula persequar.

Chrysost. to. 2. hom. 46. ope. imperf. in Matth.

Orig. to. 1. hom. 23. in Num.

Idem ibi.

Piè S. Thomas à Villano. sic loquentem introducit Unigenitum ad Æternum Parentem. *Ecce ego homo sum, homines perire fratres meos pati non possum* &c. Cùm tot angelorum millia Filio Dei famulatus exhibeant obsequiosos : nihilominùs, nec unici hominis jacturam pati vellet, sciens quanti valeat anima. Positus in mortis ac vitæ confinio Redemptor duo commendavit summo Genitori : Spiritum suum, & Apostolos. Istos, inquam tradidit priusquàm passionis tempestas initium sumeret ; spiritum verò cùm jamjam expirare vellet. Nam in cœnaculo dixit : *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi &c.* in cruce pendens autem ait : *Pater in manus tuas commendo spiritum meu.* *Et hæc dicens expiravit.* Priori loco discipulos, quos non adhuc dereliquerat, jam Patri commendat ? & spiritum suum non nisi post paternam derelictionem (*utquid dereliquisti me ?*) tradit Genitori ? Major Dominum exagitabat sollicitudo pro Apostolorum tutela, quàm pro animæ suæ quærendo patrocinio. Viderat quòd ante bellum communis inimicus rapuerat ex duodecim unum (& hujus ruinæ paulò post meminit inquiens : *nemo ex eis periit nisi filius perditionis* : ubi Augustinus : *filius perditionis dictus est traditor Christi :*) nollet ut à cœnaculo usque ad crucem periret alius : ideo Patrem orat ut servet eos : doleret enim summopere, si prædaretur adversarius alterum. Spiritus autem sui commendationem distulit, nam de hoc non sic anxius erat. Fruere Ruperto. *Causa quippe magna & negotiosa est, de qua salutis amicum curare oporteat, quod se stabilitate littoris, idest immortalitatis pace & securitate potito, sui remiges in fluctibus difficili navigio periclitantur, sine dubio perituri nisi salutis ab ipso portus illis præparetur. Itaque nunc demum ab eo postulat pro illis, id est, quid roget, propter quid obscuraverit, manifestius aperit. Ait enim : Pater sancte serva eos* &c.

S. Thom. à Villano. ser. 2. fœdere Prin. Christian.

Joan. 17. 11.

Luc. 23. 46.

Matth. 27. 46.

Joan. 17. 12. S. Aug. to. 9. tract. 107. in Joan.

Ruper. l. 12. in c. 17. Joan.

Quid quæso reperiebatur in hac spiritus depositione dignum anxietudine ? Pro nobis emori Christum Dominum ? Dirum fateor patientiæ cruciamentum solvere quod non rapueram. Sed multò sævius angit perdere quod amaverat : præsertim cùm Dei Filius nos plusquam se dilexerit. *Christus autem*, ait Cyrill. Alex. *magis nos quam se ipsum amavit.* Pro nobis moriens debitum persolvit alienum. Non hic est laborum apex : amittit animam, facit rei dilectæ valdè jacturam. Idcirco ne Deum relinquat homo, plurimis impensis Dominus præcavet ; de propriæ vitæ discrimine non adeo magnis dispendiis curat.

15. *Non adeo vita Christus Dominus erat solicitus, quàm de suis.*

Cyrill. Alex. l. 9. in Joan. c. 23.

Postulavit in horto Christus Dominus Patrem ut ab eo transiret mortis calix acerbissimus : at oratio conditionalis fuit : *si possibile est transeat à me calix iste.* Postea tres monuit Apostolos dicens Petro : *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem.* Exponit S. Hieronymus : *hoc est ne tentatio vos superet, & vincat :* (& quæ tentatio vicinior erat, nisi relinquendi magistrum penitus ?) Ipse Redemptor Patrem oraverat pro Apostolis ut à malo servarentur : *non rogo*

Matth. 26. 39. Ibi n. 41.

S. Hiero. in Matth. ibi.

Joan. 17. 15.

ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Cùmque non mediocre malum ipsis foret à Christo Domino prorsus deficere, flagitabat etiam his verbis ut ab hoc damno præservarentur. Inprimis notandum quòd non hoc sub conditione aliqua, nec sub inefficaci desiderio; sed absolutè ac efficacissimè postulavit; cùm tamen pro vita sua preces conditionales fuderit, & non sub efficaci voluntate. Jam discerne quod majori sumptu pro suis, quàm pro semet fuerit sollicitus. Adde quod qui jam enixè pro Apostolis fuerat precatus, illos tres monet ut pro seipsis orent; & pro Magistri vita solus postulat? (non enim dixerat orate mecum; sed *vigilate mecum.*) Ita plùs quippe Dominus anxiabatur, ne de tribus aliquem amitteret, quàm de subeunda nece. Vitam Apostolorum orationi minimè commendavit; sed eorum perseverantiam: quamvis pro eâ jam rogavisset Genitorem. Bone Deus! Quid est homo quia sic reputas eum! nonne flos fœni? Cadens folium? disparens flatus? *Si ad id honoris quo illum dignata est, & insignivit Dei benignitas mentem converteris, utique magnum quid deprehendes esse hominem.* Hæc Basilius M.

D. Basil. ho. 1. in Hexame.

16. *Sortem Deus putat suam quòd ei spiritualiter conjungantur homines?*

Ex prædictis inferre licebit, pergratam Deo possessionem animæ nostræ, quâ per gratiam potitur. Audeo suspicari loco fœlicitatis apud amantissimum Dominum haberi quòd justi conjungantur eidem. Adeo enim de nostra salute gaudet, ut Cyrill. Alex. dicat: *quis ergo dubitabit delicias illi fuisse salutem hominum?* Et nota quòd (more loquimur humano: nihil enim Deo casu contingere potuit) non quasi reperiviſse putat: veluti si non ejus providentia quæsiverit; sed ac si fœlicitas illi dederit nos invenire per modum thesauri. S. Bernardus. *Respiremus fratres: & si nihil sumus in cordibus nostris: fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. O Pater misericordiarum: O Pater miserorum: Quid apponis erga eos cor tuum? Scio scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?* Igitur Deus ferè sortem computat suam, quòd ei spiritualiter conjuncti sint homines.

S. Cyrill. Alex. l. 10. in Joan. c. 11.

S. Bern. ser. 5. Dedica. Eccle.

Apostolos suos amicos vocaverat Salvator: *vos autem dixi amicos:* eosdem post resurrectionem appellavit fratres, Magdalenæ dicens: *vade autem ad fratres meos* &c. Et non satis fuerat servos in amicorum excellentiam transiviſse, nisi fratres nominaverit eos? Divino erga suos amori non sufficeret: cupiebat enim sic insinuare, se veluti sortis donum sibi collatum reputaviſse quod Apostolos affectus copulaverit eidem. Amicos dat optimos electio; probos fratres fortuna donat: (tales namque sortiti sunt Cain & Esaü, quibus digni non erant.) Utque denotaret Assertor semetipsum putare fœlicem ob sanctitatem Apostolorum quos ipsi junxerat amor: non solùm eos voluit amicorum præcellenti condecorare titulo: sunt enim amici fructus industriæ: sed insuper fratrum illustri nomenclaturâ nobilitavit: *fratres meos:* nam germanos virtute conspicuos eligit nemo, sed casu sortitur, & inter alias tèporaneas fœlicitates hæc annumeratur. Eligerat quidem Apostolos Redemptor: sed electionem texit fraterno vocabulo, tanquam si velut fortunæ munus judicaretur, ut ita clarescceret ampliùs erga discipulos affectuosa benignitas. Hæc dum expenderem, superius dicta recolebam: scili. jucundissimum divino conspectui dicari obsequium ab eo qui ad justitiam erudit animas: nam & curat ne Deus amicos deperdat, & alios ei denuo conciliat, quos, utpote genitos eodem parente, fratres annumerare non recusat. Non hæsitas ista frequenter accidere dum *labia justi erudiunt plurimos:* exinde collige quanto decore fulgeat ille.

Joan. 15. 15.

Ibi. c. 20. 17.

DELIBATIO III.

Justus instruens alios ut pericula vitent, excellit sapientiâ.

17. *Is sapientissimus qui à damno cavendo sollicitus fuerit.*

Labia, inquit, *justi erudiunt plurimos:* nec exprimit quid edoceant. Longum nimis esset singula percurrere, quæ justus aliis pervia facit. Unum eligo de præcipuis: nempe discriminum præsciam cautelam. Hæc est malorum antidotus, fortunarum vena, possessionum custos, inimicorum eversio. Adversùs temporis, ac mutabilitatis insultus cominus pugnare cunctorum est; à longè quid caveas, non nisi celso mentis disertissimæ positus culmine speculatur. Sapientiæ singularis nota sufficiens est cavere damna: *insipiens præsentia tantummodo videt, quæ in oculis sunt*, ait Ambrosius, *futura non respicit, præterita non cogitat. Sapiens autem & præterita recordatur, & futura considerat.* Dum sapientiæ virtus associatur, non solas præcavet ærumnas proprias: etiam invigilat aliorum doloribus: ne dicam: alienis. Hos quippe justus ut suos æstimat: juxta illud quod ait Augustinus: *Paulus ad Galatas monet: per charitatem servite invicem. Quod fieri non potest nisi alienam infirmitatem quisque habeat quasi suam:* quæ licèt de malo spiritus dicantur, applicabis argumento à fortiori cæteris. Hoc ut se præstare charitas indicet, aliorum damna lynceis oculis prævidet: & ideo probat evidenter sapientiam alieno malo prudenter præcaviſse. Quamvis homini contingat humanæ menti negata rimari, non tunc sapientissimus judicabitur nisi obviam ire damno futuro curaverit.

S. Ambr. to. 1. l. d. Noë & arca. c. 31.

D. Aug. to. 4. l. 1. d. ser. dom. in mõte longè an. fin.

Carcere clausus pincernarum Pharaonis Præpositus enarravit Josepho somnium: quod iste fœlicitatis præsagium interpretatus est: similiterque Magistro pistorum aliud aperuit insomnium, sed expositione satis dissimili, dicens extremum sibi diem adventare. Neuter attamen ibi Josephum vocavit sapientem: cùm tamen supra mentis humanæ sphæram evolaverit qui futura contingentia detegebat. Non de magistro pistorum cui necem: sed potius de pincernarum Principe mirabar cui libertatem prædixit. Nec enim laudibus extollitur qui tristia quamvis utilia; sed qui placentia loquitur. Accitus poste-

Joseph sistitur Pharaoni : prudens edisserit regi somnia, consiliumque præbet ut futuræ fami, quam portendebant, occurratur: *Et præparetur futuræ septem annorum fami quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopiâ.* Quia verò Josephus præficiendum admonuit esse virum sapientem Ægypto, qui de condendis frumentis ageret, dixit ei rex : *quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero?* Nimia laus Ægyptij monarchæ prima facie videbitur. Quid in Josepho jam deprehendit, ut nullum eo sapientiorem inveniri posse judicaverit ? an quod sibi respondit prudenter mysteria somniorum enucleans ? Non una dies tantùm sat est ut æstimes hominem: potuit enim hodie fortuna favente rectò collimare dicta ; cras autem in cunctis insipientiam detegere: præsertim quia Josephus erat tunc privatus homo; posthàc toti præponendus erat Ægypto: novumque non est multorum ingenij lucem dum sub humili tecto latebat effulsisse: postquàm verò supra dignitatis candelabrum, officijve rotam constituta fuit, vel gloriolæ vento, vel motu cujus incapax erat extinctam fuisse. Etsi fortè periculum hoc indoles ipsa Josephi promittebat superare: cur non sic eum collaudat Pincerna quando somnium suum audivit exponi faustè, viditque re ipsâ comprobatam interpretationem? quia Joseph in carcere neminem præsaga mente damnum cavere docuit: alteri namque sortem prænuntiavit; alij verò crucem, quam effugere nequibat. Aliter contigit cum Pharaonis insomnia referaret: nam venturæ fami consuluit obstacula. Tunc ergo sapientissimus: *nunquid sapientiorem &c.* Si deesset Josepho providentia de futuris, intelligens quidem foret; sed non sapiens. Bellè Caietanus. *Refertur autem intelligentia ad acumen intellectus, penetrando abscondita, sapientia verò ad consilium & prudentiam providendi.*

Gen. 41. 36.

Ibi. n. 39.

Caiet. ad hunc locum.

18. *Glorioſius est cavere malum quàm evadere.*

Fateor plus oculis ad plausum patere solertiam ejus qui remedium adhibet præsenti malo, quàm si provideat incolumi ne patiatur quod non timet. Laudatur medicus, qui desperatum sanitati restituit ægrum ; irridetur qui consilia sano præbet ne post incidat in morbum. Vulgi sunt ista. Cujus oculos dolor aperit, prosperitas excæcat. Contra docet ratio consultius esse prævenire damna, quàm apponere medelam. *O quanta Dei pietate agitur, ut cùm adhuc futura est, dum adhuc præcaveri potest, sua homini ruina reveletur : ut tanta sollicitudine prævideat, & agnoscat quid timere, quid cavere, cui periculo repugnare debeat. Tarda quidem & nimis sera providentia est, cùm jam imminens periculum vitari non potest.* Apud quamplures nutrix incauta periculorum temeritas gaudet nomine fortitudinis : ac tunc solùm se reputant strenuos, cum nullibi discrimina cavent. At *qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultè timet*, inquit Augustinus. Noctu semper degunt illi, quamvis diu vivant: ideo cautionem spernunt putantes noctis quiete placida sibi cuncta composita. Monuit eos, falli Seneca, dicens: *Ubi tranquilla tibi omnia videntur, ibi vocitura non desunt, sed quiescunt. Semper futurum aliquid quod te offendat existima. Gubernator nunquam ita totos sinus explicuit securus, ut non expedita ad contrahendum armamenta disponeret.* Quam accomodâ naucleri similitudine Philosophus moralis usus est : nam æquori verè similatur sæculi gurges. *Mari iustè comparatur*, ait Cassiodorus, *hic mundus, quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur.* Quis navigat sanâ mente, quamvis inexpertus, qui periculo se judicet immunem ? Non igitur est fortitudinis dedecus cautio circumspectè prospiciens. Potentissimus erat Pharao : tamenque sapientis consilium fore non dubitavit cavere solerter ab Hebræorum populo, qui numerositate robur accipiebat. *Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur : & si ingruerit contra nos bellum addatur inimicis nostris.* Et, quod majus est, cautelâ non erubuit uti regum Rex Omnipotens adversus eos qui Babel ædificationi dabant operam : *nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Hæc Deus. Et ô tu mobilis umbra, nolles te cautum ostendere, ne timidus puteris ? ô ventosissimæ superbiæ mancipium ? crede glorioſius esse cavere malum, quàm evadere.

Ricar. à S. Victore p. 1. l. 1. d. erudit. interi. hominis c. 35.

S. Aug. to. 2. epist. ad Hieron. 29. med.

Sen. l. 2. de ira c. 31.

Cassiod. in ps. 44.

Exod. 1. 10.

Gen. 11. 6. 7.

Insontium cladem timidus meditatur Herodes, & ut recens natum Regem tollat è medio, venit ad crudelitatis extremum. Jussit à bimatu & infra puellos occidi : quasi suspectos læsæ majestatis haberet quos ætatis teneritudo criminis incapaces testabatur. Monetur Filij Dei nutritius, ut fugâ simul cum Sanctissima Genitrice propiat ipse tendens in Ægyptum. Hoc jam aliorsum expendi. Mysteria nunquam exhaurienda claudit ista fortissimi Domini exercituum peregrinatio bellum recusans. *Deum*, ait Chrysologus, *fugisse ut hominem quis loquatur ?* An non æternus Parens Unigenitum dehonestat ita? Princeps hic est, quem prælio sequemur? quomodo martyres illius exemplo furorem impiorum regum non declinabunt? aliter accidit illis tribus pro divini honoris tuendi zelo fortissimis athletis, qui Babylonicæ fornacis igne veri Dei fidem illustrarunt. Conijciuntur in flammas : ibi solvuntur vincula, excutitur ignis, exeunt victores & illæsi. Quare non similiter Dei providentia Christum infantem eripuit? ut fugiat venturum gladium Joseph accipit monitum ? quid miraculi est in fuga? sæviant crudelitatis procellæ: maneat intactus flos campi : sicut inter ignes pueri tres incolumes reperti sunt. Nequaquam placuit hoc providæ sapientiæ Conditoris: nam cùm Filio naturali suo congruebat uti glorioſiori tyrannum vincendi modo, quàm dum tribus prædictis provisum est. Hi, quibus minus præmium satis, eripiantur ab igne posteaquàm in flammas conjecti fuerint. Sanctus sanctorum præservetur à malo futuro: glorioſius quippe cavere damnum, quàm evadere.

Chrysol. ser. 150.

Et, si forsan ideo cum inter Syrtes infidas enaviges, tibi securitatem comminiscaris, quia potestati, dilectionique terreni Principis

19. *Potestas fœlicem evehens quan-*

doque sustinere non valet ne corruat.

cipis niteris, qui te vexit ad mundialis gloriæ sublime fastigium : falleris, heu, miser : nam qui te super astra conscendere fecit, potuit equidem ascensum auspicio fausto promovere ; fortassis ruinam nequibit avertere. Secundam dedit ille tibi sortem : quis novit an conferre valebit secundò ? *Alia fœlicitate ad tuendam fœlicitatem opus est.* Priori, quâ potiris, comes non solet adjungi perseverantia. Quinimò, prout ait Cicero, *nihil est tam contrarium rationi & constantiæ quàm fortuna.* Neu putes debilem tantùm sortem esse recenter natam : imò quò plus adolevit, eò flos hic tenerior est. *Quantò major est fortuna, tantò minus est secura,* inquit Aristoteles. Superioris potentiæ manus, quâ fœlix exurgit in altum, quandoque non valet sustinere labentem ne corruat : nam cùm primùm ascenderet, nec invidiæ, nec odij, furor quidquam adversus fortunatum præmeditatus fuerat : postquam verò per temporum spatia livor & simultas concepere flammas, quis mortalium potentissimus incendium frænare quibit, ne fortunatum det præcipitem ? Velut sagittam, quæ sursum evolare facit manus, hæc tenere non poterit ne postea cadat : ita sæculi Princeps qui fœlicitatis adminiculo (quæ non integrum circulum perficit ; sed finem habet ac initium, ut sagittarij arcus) dilectum extollit ; nutantem nec semper valebit servare ne pondere decidat.

Sen. l. d. brevit. vitæ c. 17.

Cic. l. 2. d. Divin.

Aristot. l. 8. Ethic.

Extulit rex Darius Danielem ad Triumviratum : quem, ne Reipublicæ malè pressus Monarcha sustineret molestiam, constituit pro regni sui regimine. Cunctis Principibus, & Satrapis, antecellebat meritò Daniel, quia spiritu Dei plenus erat : ideò fœliciter munus exequebatur sibi commissum, regi dilectus, Reipublicæque proficuus. Aut

Sili. 11.

——*O diram exitium ! ô nihil unquam*
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia ——

Vellent Magnates in Propheta delictum invenire, quod regi denuntiarent, ut sic ab ancipiti culmine citiùs prolaberetur : nec valuere verum comperire crimen. Idcirco ex virtute noxam excogitarunt : nam *cæca invidia est, nec quidquam aliud scit quam detrectare, virtutes corrumpere.* Verebantur augmenta Danielis : nam S. Cyprianus ait : *quantòque ille cui invidetur successu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit.* Suaserunt regi quod legem superbiæ fumo scriberet, ut per triginta dies nemo vel ab homine quoquam, vel à Deo, quidquam oraret nisi à Dario : qui secus ageret, in lacum leonum mitteretur. Ecce transfigurata virtus in peccatum. Decretum impiissimum aspernatus Daniel in cœnaculo ter emittebat in die preces verò Deo. Ejus hostes observaverunt orantem, & quasi læsæ majestatis reum calumniati sunt in conspectu Darij. Et quamvis possent accusantes ipsum tanquam proditorem, vel homicidam, calumniam fingere mendacem (quod facillimum invidis est juxta illud Chrysologi : *invidus simulat semper, mentitur invidus semper :*) voluerunt eum potius ipsâ veritate calumniari, denuntiantes nempe quod oraret Deum suum. Sanè Darius, quia diligebat vatem, de hoc *satis contristatus est.* Astutia prævaluit innocentiæ : leonibus objicitur Daniel : rex dolorem testatur amantissimè. *Et abiit rex in domum suam, & dormivit in cœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Quæro. Si Darius de Danielis infortunio condolet, cur non sententiam tulit ut non projiceretur in lacum ? Non valuit adversum calumniatores ipsum tueri, quantumvis id cupiverit : *& pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum.* Hic est idem qui potentiæ suæ tantum adscribebat, ut per longum dierum spatium, non Deo, sed sibi jusserit orationes fundi ? Nunc invidiæ furori nequit obsistere qui Danielem prosequebatur dilectione ? qui prælto dignitatis vertice collocaverat eundem ? Ita quidem. Aliud est ad fœlicitatem efferre quem diligis, aliud illum jamjam prolabentem fulcire ne procumbat. Hoc adeo difficilius est, ut idem Darius, qui potuit dilectum extollere Danielem, à lapsu potens non fuerit immunem servare. Colligere licet nullum esse qui tutò despiciat pericula, quamvis potestate summâ nitatur. Audi libens eum, qui te adversus discrimina cautum esse commonet, dicens

Dani. 6. 14.

Ibid. 18.

——*Venienti occurrite morbo* Pers. 10.

A temporalibus ad spiritualia nunc ascendamus. *Labia justi erudiunt plurimos* ut culparum præcipitia vitent. Superiorum virga reatum expiat, pœnas vice Dei sumens pro delicto. Illud prius glorioſius isto munus est : nam per criminis fugam servatur honor Dei qui lædendus erat ; peccati verò castigatio decus idem restaurat : cùmque restitutio supponat jacturam, ex hâc devenustatur bonum recuperationis. Unde festivis plausibus perenniter æquum est celebrari labis vitationem, potius quàm sumptam ultionem de injuria Dei.

Peccati fuga plausibus celebranda, non sic peccati vindicta.

Obsessos premebat Holofernes Bethuliæ cives : qui penè desperatâ salute deditionem promiserant intra brevem dierum terminum, nisi copiæ venirent adjutrices interea. Tunc Judith obarmata plusquam virili fortitudine transit ad Assyriorum castra : Ducemque pulchritudine devincit, veritate fallit, pugione jugulat, & gaudens revertitur ad suos. Truncatum scientes bellatores Holofernem Hebræis dedere terga, simul & victoriam. Illud nunc notandum occurrit, quòd pro hujusce triumphi memori gratitudine, per tres menses gaudium victoriæ celebratum est cum Judith : imò dies festus institutus est in anathema oblivionis. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur.* Retrocedamus nunc ad tempora Samuëlis. Capta est ab Allophylis in Israëlis pœnam arca Dei. Hæc tamen hostes validè cecidit. *Illis autem circumducentibus eam fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnanimis :* quæ certè quoddam victoriæ genus erat. *Capta ab Allophylis arca Domini victoriam de victoribus versa vice exegit*, inquit Rupertus. Nec tamen legimus populum Israëliticum hac victoria similiter exultantem sicut Bethulienses

Tit. Liv. decad. 4. l. 8.

S. Cypri. to. 2. ser. d. zelo & livore.

Chrysolo. ser. 4.

Judith 16. 31.

1. Reg. 4. 9.

Rup. l. 1. in 1. Reg. c. 14.

de illa gavisi sunt, quam interventu Judith ab Assyriis reportavere. Lætatos quidem scimus cùm advenisset arca Bethsamitas; non autem festum constituêre diem : sed neque per menses gaudium perduravit, nec potuit esse diuturnum, quod eorundem luctus subsecutus est : *luxitque populus* &c. Quærebam, cur non extiterit utriusque victoriæ par exultatio? Meditabar, ideo sic dissimiles fuisse lætitias, quia cùm Judith vitaverit culpam (*non permisit me Dominus ancillam suam coi quinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis*) non potuit non inde solemnis festivitas Deo consecrari; arca verò cum à Philistinis illatam Deo vindicaverit injuriam, quantumvis eos de triumphans enecaverit, minimè tamen lætam adeò diem Domino vel hominibus attulit. O ter fœlicia justi labia : quæ dum peccata declinare docent, exuberantis gaudij materiam offerunt Altissimo, sibique decus negotiantur perennaturum.

1. Reg. 6. 19.

Judith. 13. 20.

21. *Illustrius donum est quod invito confertur.*

Unicum rationis momentum addo, quo plus clarescat, quàm sit res omnibus numeris magna proximos ad peccati fugam hortari. In ferè cunctis reliquis miserationis operibus, vota coæquabis accipientis : in hac verò longè superas : nihil enim peccatori minus in votis est quàm peccato dare terga. Cùmque sit generosius egentis desideria vincere quàm explere : illustrius liberalitatis, puto donum quod irrationabiliter nolenti magnanimus ultro confert.

Bis (aliis omissis) in brachio excelso Dominus exercituum protexit Israëlem : semel adversus Pharaonem, & iterum cum terram promissionis ingressus est possidendam. Non æqualiter utrobique vires exeruit manus omnipotens : nam ut Ægyptij debellarentur, pugnabat illa; sed Hebræi minimè : *fugiamus Israëlem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Postea tempore Josuë certabant Israëlitæ : imò quandoque victi sunt. *Qui statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai.* Nonne Deus idem? populusque non alter? Quid ergo est quod pro egrediente Deus pugnat? & posthàc non tam sollicitè causam ejus tuetur? Quia invitus Ægyptum relinquebat Hebræus: & magnificentia Conditoris maxime gaudet illâ gloriâ, quæ promanat ex donis collatis repugnanti. Eò metus ibi compulerat illos desperare salutem, ut dixerit Josephus: *quo factum est, ut Mosen gravissimis verbis accusarent, obliti prodigiorum, quibus libertatem ei Deus promiserat, minimumque aberat, quin Propheta lapidato, spretisque per incredulitatem divinis promissis, obtrà Ægyptiis deditione in pristinam eorum servitutem redirent* &c. Respuentes itaque beneficium speciale cura Dominus protexit benignè. Tunc, inquam, pugnavit pro eis, quando ausi sunt ad Moysen dicere visis Ægyptiis insequentibus : *quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?* Sub Josuë duce Jacobæa gens erat possidendam terram accipere paratissima. Eo tempore nec Dux ait, ut antea Moyses : *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis :* nec ipsi tam propitiam Dei potentiam experti sunt quod non aliquando illos percuti siverit. Nunc minor extitit, quàm fuerat priùs in suæ plebis protectione gloria Dei : nam illustrius est beneficium, quod sponte confertur non libenti. An non hinc solet exaggerari pietas Dei, qui cælestia recusantibus ingerit, & inculcat? *Superna nos pietas,* ait M. Gregorius, *nec deserentes se deserit. Contemptas enim illas delicias ad memoriæ nostræ oculos revocat, easque nobis proponit : in promissione torporem excutit, atque ut fastidium nostrum repellere debeamus invitat.* Deum imitatur qui renuenti benefacit. Monita salutis frequentissimè rejiciuntur : hujusmodi beneficio prosequi non gratos reluctantes, generosa laus eorum qui salutaribus *erudiunt plurimos :* nam cum verum sit illud philosophi: *quamvis retulisse illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accepit,* infertur quòd minimè de gratia sibi reddenda cogitat, qui compellit egentem ut se patiatur obstringi debito.

Exod. 14. 25.

Josuë 7. 5.

Josephus l. 2. antiquitatum fine.

Exod. 14. 11.

Ibi n. 14.

D. Greg. M. to. 2. ho. 36. in Evang.

Sen. l. 2. d. benefi. c. 35.

DELIBATIO IV.

Occasione textus, quædam pro laudibus Principis Apostolorum adnotat.

PRo, *erudiunt*, habet Hebræa Lectio : *pascent :* quod licet omnibus congruat, qui doctrinæ cælestis pabulo reficiunt populos : potissimum tamen iis qui præsunt convenit, utpote qui Dominicis ovibus verbo præeunt, viam ostendunt, arcent lupos, utilem alimoniam præbent, à noxiáque semovent gregem. Ex his post Christum Dominum primus istud subiit munus D. Petrus Apostolorum coryphæus. Cujus ut panegyrim hoc loco instituam, hæreo quidem an incipiam ab honore, vel ab onere. In minimo dubia satis electio : quia onus & honos plus verbis dissident quàm significato, & extremorum nimia similitudo delectui obstat. Aliter videntur sentire servientes ambitioni : qui dignitates ideo sollicitant, ut quiescant: *curritur in clero passim ab omni ætate & ordine à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit. Nec mirum de his qui necdum in semetipsis experti sunt. Videntes quippe illos qui jam proprios humeros cupitæ sarcinæ summiserunt, non solum non gemere, tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari* &c. Hæc S. Bernardus : & alibi : *ô utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram.* Noverat expertus quod lateant spinæ sub cujusvis coronæ floribus. Ex auro fieri præcipuæ solent, quod est inter metalla gravissimum. Supponitur moli qui præfertur. O quàm solidum oportuit esse robur ejus cui totum incubuit Ecclesiæ pondus! Etiam prophetæ fundamentum Ecclesiæ dici possunt ex Paulo : *super fundamentum Apostolorum & prophetarum :* nullus tamen propheta lapis appellatus est; Petrus maximè : *super hanc petram ædificabo :* cur ita? Nisi quia valibus utplurimùm regimen populi commissum non est. Petro credendum fuerat universalis

22. *Quales requirat vires prælatura.* Lect. Hebr.

S. Bern. epist. 42.

Idem ser. 77. in Cant.

Ad Ephes. 2. 20. Matth. 16. 18.

versalis Ecclesiæ moderamen : & ut serviret aptè gravissimo ponderi sustinendo, petræ soliditas erat opportuna. Pro antecessore stet S. Leo ad hunc locum : *quia tu es Petrus : ideſt, cùm ego ſim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, tamen tu quoque petra es qui mea virtute ſolidaris.... Supra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum &c.*

S. Leo Pa. ſer. 2. d. SS. Petro & Paulo.

23. *Non eſt dignitatis apex laureâ donari, ſed onus tollere.*

Sed peto : quid honorabilius in Christi Domini Vicario ? Corona redimiri, an ferre gravamina ? Pervia solutio est, pro tanti ponderis constanti sustinentia : regere namque non ideo gubernacula tenentibus arduum quia laureantur, sed quia oneroso sub fasce premuntur. *Non enim cathedra paſtoralis,* ait S. Laurent. Justin. *officium eſt honoris, ſed oneris, non ſecuritatis, ſed periculi, non quietis, ſed laboris* &c. Non itaque dignitatis apex est laurea donari, sed onus tollere.

S. Laur. Just. l. d. inſtit. præla. c. 12.

A Vicario ad Christum Dominum non nimis retrogredimur. Evangelicus vates Messiæ divinissimi regnum præsciâ mente contemplatus, ait : *factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Nonne aptius diceret super caput, ubi collocari solet corona, regum insigne ? Solvitur ad litteram dubium. Sceptrum qui gestat, illud super humerum reclinat. Principatus igitur nomine sceptrum appellavit. Et quare potiùs principatus vox accommodatur sceptro, quàm diademati ? Quia non hoc, sed illud, imponitur humero, cujus proprium est sustinere gravia : proinde principatum explicuit emphaticè per id quod sustentari solet scapulis. Appositè Corn. à Lapi. *principatus vel ſceptrum geſtatur humero, ut ſignificetur principem debere eſſe quaſi humerum populi, ut eum, ejuſque onera inſtar humeri ferat, & ſuſtentet.* Favet Rupertus. *Quia natus eſt nobis parvulus, ideſt humilis Filius Dei cujus principatus ſuper humerum ipſius erit, ita ut ſibimet, cum ſit Deus, propriis viribus ad tenendum principatum ſuum ſufficere poſſit* &c. Genuino stylo vates usus est, cùm prædicto loco principatum assignavit. Petri quidem tiara caput exornat fulgentissimè : sed honoratius est quòd humeris portaverit orbem.

Isaiæ 9. 6.

A Lapi. ibi.

Rup. l. 2. in Isai. c. 3.

24. *Cælum eſt munus animam introducere in cælum.*

Duo sunt præcipua inter ea quæ Petro incumbebant : scili. aperire cælum terris; apertum claudere. Quidnam sit ex his majus operæpretium erit in utramvis partem disquirere. Inprimis cuipiam videbitur multò cælsius esse potestatis Apostolicæ munus recludere cæli fores, quàm obserare : nam istas claudi nollet benignissimus Dominus ; quòd autem referentur gaudet summopere. Cùmque dignius appareat ministerium, quod gaudium Deo conciliat : excellentius judicari poterit opus Apostolicarum clavium patefacere januam cælorum, quàm occludere. Scio D. Maximum, quamvis totus in Apostolorum Principis laudes profusus eat, meminisse quondam clavis ei datæ, quin de potestate claudendi vel unicum faceret verbum. Quo videtur insinuare principalius esse in Petri dignitate quod cælestem Regiam pandat. *Petro ſicut bono diſpenſatori clavem regni cæleſtis dedit.... ut quorum corda Paulus patefecerit doctrinâ verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum.* Excelsa res adeò videtur animam in adyta cælorum introducere, quòd, si fieri posset, atque Petrus abesset, janitorem Redemptor ageret Empyrei loco Petri, depositâ parumper majestate.

1. Maxim. hom. 5. de SS. Petro & Paulo.

Judaici furoris adversus Filium Dei recentium adhuc reliquiarum collector Stephanus, postquam acri locutus est oratione magnalia Dei, suspiciens ait : *ecce video cælos apertos ; & Filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Locum versat Ambrosius memor verborum Davidis : *dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis :* nam stare & sedere situs incompatibiles videntur. *Videamus*, inquit Ambros. *quæ ſit ratio quod idem Dominus à David ſedens prophetatur ; ſtans verò ab Stephano prædicatur.* Et statim dubium tollit sic : *pro poteſtate regis ſedere dicitur.... ſtat ut ſuſcipiat Stephani martyris ſpiritum.* Premè ultima. Cælos adeuntem animam beare Dei proprium est ; suscipere verò seu introducere, potius ad ostiarij munia spectat : cur ergo Dominus ipse officium istud exequi paratum sese ostendit ? Aberat inde Petrus adhuc terrarum incola : & eo absente, quis præcelsam adeo rem exequeretur ? Christus Dei Filius. Non equidem discipuli Vicarius : sed ejus defectum supplere volens. Tantæ molis erat hominem cælis intromittere.

Petrò-ne libens Christus Dominus ſubſtitueret, ſi oporteret ? Act. 7. 55.

Ps. 109. 1.

S. Ambr. ſerm. 60. in feſto Pente.

In oppositum attamen non deerit cui placeat autumare sublimius fuisse Petri manibus tradi quod cælum concluderet. Hoc enim justitiæ divinæ supplicium est : à cujus moderamine pendet clementiæ Dei fama. Cùmque Deus hanc diligat valdè, plurimum confidit Apostolo, dum credidit illum clementer puniturum delicta per cæli clausuram. Prudentia quidem omnibus dictat miscendam severitati mansuetudinem. *Regat ergo*, inquit M. Gregorius, *diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor ſit rigidus, nec manſuetudo diſſoluta.* Vix tamen invenitur sæculi potentiâ sublimis, de quo dicere non potuerit Cassiodorus : *apud indignos mores creſcit cum poteſtate ſupercilium.* Et, quod amplius est (quia ut scribit Tacitus, *nomina honeſta prætenduntur vitiis*) partem justitiæ fingunt asperitatem nimiam; cùm illa reprehendatur à Deo per Ezechielem. *Quod abjectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis : ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentiâ.* Sed hi pastores verè non sunt : mox enim Dominus addit ibidem : *diſperſæ ſunt oves meæ eo quod non eſſet paſtor.* Utinam qui Dei locum tenent, pietatem divinam erga fontes imitarentur, de qua Origenes : *ſemper talis eſt Deus noſter, excruciat nocentes, ſed quaſi pius pater, tormentis clementiam ſociat.* Sed vereor ne Deus rarò manum inveniat humanam, quâ pro flagellatione blanda possit uti, nisi Christum Dominum verè mitem & humilem corde quem D. Prosper appellat manum Dei : *manus autem Dei Chriſtus eſt.* Plures reperientur quibus omnipotentiæ vices committantur ad patranda miracula ; sed clementiam in plectendis hominibus nulli

15. *Facilius Deus Omnipotentiam committet homini, quàm clementiam in puniendo.*

S. Greg. M. to. 2. l. 19. mora. c. 12.

Cassiod. in epiſt.

Tacit. l. 2. annal.

Ezechi. 34. 4.

Ibi n. 5. *Paſtor non eſt qui ſolam auſteritatem erga ſubditos curat.*

Orig. to. 2. hom. 5. in Ezechi.

S. Prosp. in pſ. 108.

tradere vellet, ne modum excedat fœni floris acerbitas.

Ægritudines, mortem, dæmonesque subjecit Apostolis Unigenitus Dei, quamvis inter eos numeretur Judas. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Quin potiùs ne solos ad regni sui proceres hoc limitari putares, de cunctis credentibus dictum est apud Marcum: *signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient* &c. Et apud Joannem: *qui credit in me opera quæ ego facio & ipse faciet.* Hîc siste donec enarrem quid Jerosolymis contigerit. Prope Judæorum Pascha ingressus est Dominus templi templum Domini, & cùm invenisset ibi vendentes, & ementes, displicuit ei quòd locus destinatus ut homines cum Deo per meritorum præmiique merces negotiarentur, fœdis polluerctur lucris, arreptis funiculis (nam fere semper veluti per funes tractum pervenit supplicium divinæ manus) ejecit negotiatores istos à domo Dei. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit.* Instrumenti quo Servator usus est notat Ambrosius lenitatem, dicens: *pius Dominus flagello exturbat sacrilegos, nequaquam persequitur ferro.* Potiùs quærerem cur non per discipulorum aliquem dispersit mercatores illos, eorumque pecunias, & pecora? decetne funis manum beneficiis assuetam? nonne satis Joannes, vel Jacobus, ut vice Magistri zelum induerent, ac templum repurgarent? Sufficerent utique; sed nimis forsan agerent qui Samaritanorum inurbanitatem voluerunt igne cælesti quondam animadvertere. *Non receperunt eum.... Jacobus & Joannes dixerunt: Domine vis dicimus ut ignis descendat de cælo & consumat illos?* His ne committeret (aut alteri simili) Agnus ut nomine suo flagrum arriperet in templo? Noluit clementiam suam ipsis credere, ne sævitiæ notam apud homines pateretur de illorum severitate; cùm tamen Omnipotentiam ultrò cuicumque fidem habenti quasi delegare non recuser. Unicè de justo dicitur hîc: *labia justi erudiunt plurimos:* ubi habetur in origine, *pascent:* vix enim unus est qui non utatur gladio, cùm labia sat erant, in pascendis iis quorum sibi cura commissa. Petrus aliter. *Quid Petro dulcius*, ait Bernardus, *qui tam dulciter ad se omnes convocat peccatores, sicut & actus Apostolici, & epistolarum ejus series attestatur?* Apud ipsum divinæ benignitatis honos periculum non subibat: ideo claudere cælum immerentibus Dei nomine commissum est ipsi, Redemptore dante. Plus ne potestas hæc honorat eum, quàm pervium reddere cælestis aulæ introitum benemeritis? Judicium suspendamus.

Nobis ex utroque non dubitanter inferre supersit quanti pendatur apud regum Regem Petrus, cui res adeo magnæ commendatæ fuerunt ab eo, quem non fallit amor. Parum est, si cum Apostolorum Antesignano conferamus universi machinam: nam qui toti præfecit eum Ecclesiæ, cur non eundem anteponeret orbi? Mundus mobilitatis ænigma contra Deum gerit hostiles animos. Econtrà dilectione Dei Petrus exardebat: *nemo enim ita ut ipse Jesum amabat:* & petræ soliditatem imitabatur inter mundiales fluctus. *Ille velut rupes, quæ vastum prodit in æquor.* Quidni dicamus plus attraxisse divinos oculos unicum Simonem, quàm orbem cunctum?

Cecidit Adamus astu dæmoniaco. Quasi Deum latere posset, ab eo tractatur Protoparens velut si prorsus ignoraretur: quæsivit enim ipsum: *vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: ubi es?* S. Gregorius M. *quia lapsum vidit in culpa, jam sub peccato velut ab oculis veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque & vocat, & requirit dicens, Adam ubi es?* Lapsus est etiam Petrus & non semel. Attamen *conversus Dominus respexit Petrum.* Theophylactus ibi: *usque adeo metu confusus est, ut ruinam non sensisset, nisi Dominus respexisset eum. O bonitatem! Etiam cùm negaretur, non neglexit discipuli salutem.* Unica præcepti de ligno transgressio fuit satis ut averteret oculos ab Adamo Deus; triplex verò negatio non idem præstitit? respicitur adhuc à Domino Petrus? Plus Deum commovisse fertè videtur Apostoli casus, ut prolapso manum porrigeret, quàm totius mundi ruina, qui cecidit in Adamo. A primo parente (in quo tanquam in capite corruerat orbis) declinavit oculos Dominus, ut judicem ageret. Excidium Petri rapiebat lumina Filij Dei: quasi plus amisisset in eo, quàm in sæculo toto. Ideo non judicantis fronte, sed rei personam exhibens respexit Petrum ut miserationem offerret ploraturo. Majori sollicitudine dignus erat ille solus, quàm universitas mortalium.

Et quid in Petro invenit sapientia Dei, ut illum sic magnifaciat? Pastoris vigilantiam ne grex Dominicus dispergeretur. *Petra* (inquit de Simone loquens Ambros.) *ad firmitatem ne labantur sustentat populos.* Non potest non à Deo nimis diligi qui tuetur Ecclesiæ constantiam. Fidelium permanentia sic Domino placet, ut proximorum animos in virtute stabilire sit ipsi dilectum obsequium præ multis: hoc præsertim desiderat, quod hominum corda nutantia teneamus ne dilabantur.

Rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Sic Petro Servator. Duo prænotanda sunt: primum conjunctionem illam, &, hîc idem valere atque proinde. Unde per hæc verba significare voluit oravisse pro Apostoli fide, intendentem quòd ipse conversus aliquando confirmaret fratres. Secundum est confirmationem illam ad provinciam docendi spectare. S. Titus Bostr. *esto posthac Petre eorum Doctor & firmamentum qui mihi per fidem adjungentur.* Quibus positis, quæro quid Omnipotentem suadet orare pro Petro? Quid expetit adipisci prece? Apostoli fidem? Benè. Cur eam optat? Ut confirmet fratres? Putabam dicturum tu qui rogatu meo roboratus permanebis in fide, conversus offer in holocaustum in ara crucis pro me teipsum. Non ita loquitur: nec enim præcipuè Redemptori

Matth. 10. 8.

Marc. 16. 17.

Joan. 14. 12.

Ibi c. 2. 15.

S. Ambr. to. 5. conc. 1. d. Basilicis &c.

Luc. 9. 53. 34.

S. Bern. ser. 1. d. SS. Petr. & Pau.

26. *Petrus plus rapuit Dei oculos quàm totus orbis.*

Chrysost. to. 2. hom 51. in Matth. 14.

Virg. Æneid. 10.

Gen. 3. 9.

S. Greg. M. to. 1. l. 2. moral. c. 2.

Luc. 22. 61.

Theophylact. in Luc. ibi.

27. *Præcipuè Deus à nobis cupit ut proximorum corda teneamus ne dilabantur.* Ambr. ser. 68. to. 5.

Luc. 22. 32.

S. Tit. Bostren. ad cũ locum.

demptori fuerat in desideriis decus illud, quod ex Apostoli martyrio proventurum erat divino Magistro; sed ovium ipsi commissarum perseverantia, quam à Petro stabiliri concupiebat: *confirma fratres.* Hoc fine ductus ei tot contulit honoris insignia, ut veluti Conditori suppar videatur: *nam quæ Deus condere solus potest, peccatorum scili. remissionem, & ut futura Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor & caput piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet: hæc inquam omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.* O quàm honorificata nimis est harundo piscatoria; non quidem vento agitata, sed quæ de mundi fluctibus copiosam hominum capturam collegit! O Deo dilectissimum: quem sponsæ suæ gratum sibi constituit oculum. Hac appellatione fruitur Petrus ex Bernardo: *isti sunt Petrus & Paulus duo magna luminaria quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum.*

Chryso. to. 2. hom. 55. in Matth.

S. Bern. ser. 1. d. SS. Petro & Pau.

28. Petro compar videri non dedignatur Dei Filius.

Nec destitit amantissimus Præceptor discipulum evehere donec sibi velut æqualem reddidisse visus est. Adeo: quòd S. Maximus putaverit oportuisse permitti ut in undis inciperet mergi, ne tanquam æqualis factus Redemptori superbiret. *Nam quia postea mergebatur, ut mihi videtur necessarium fuit, ne tanti sublimitate miraculi in perniciem fortè sui æquata Christo carnis fragilitas superbiret.* Expende quantis decoratus Magistrum referat consimilitudinibus. Ecclesiæ fundamentum Filius Dei: necnon supra soliditatem Petri fundata consistit: uterque pastor Christiani totius gregis est: utriusque triumphus ligni crucis fructus. Caput Ecclesiasticæ monarchiæ Verbum: capitis insignitur & nomine Petrus. In sinu Paterno Filius quatenus Deus adest: Petrus ibidem residet. S. Bernardus postquam dixit: *ipse elegit nos & posuit nos, & ubi ab eo quisque positus est, ibi est*, addit post pauca. *Porrò Thomas in latere: Joannes in pectore: Petrus in sinu Patris: Paulus in tertio cælo secreti hujus gratiam sunt assecuti.* Nec Deus ab illa regula se voluit eximi: amicitia pares aut invenit aut facit?

S. Maxim. hom. 1. d. SS. Petro & Paulo.

S. Bern. ser. 23. in Cant.

In civitate Caphatnaum accesserunt qui didrachma colligebant, ad Petrum, *& dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?* De solo Magistro curant? de Petro non agunt cum ipso loquentes? Lira: *non faciebant mentionem de Apostolis, quia non accipiebant nisi à capitaneis.* Optimè: sed si familiarum sola capita solvebant, quare Dominus Petro mandat ut etiam pro seipso reddat? *da eis pro me & te.* Voluit sibi Petrum exæquare Dei Filius. Dominus quia collegij Apostolici culmen erat didrachma pendit: Petrus etiam, quasi compar esset eidem (cùm pro cæteris Apostolis nullo fundamento similiter solutum opinari possimus) tributum persolvere jussus est, ut quàti fieret à Deo pateret. *Vidisti honoris excellentiam: vide nunc quanta philosophia utitur Petrus. Hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur quoniam ingens hinc honor magistro deferebatur.* Ita Chrysostomus. A Domino Petrus decore sic affectus est quasi foret alter ipse. Quid miraris audentem? Video Deum qui ab amoris igne zelotis nomen sibi vendicavit: (*ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes:* & alibi: *Dominus Zelotes nomen ejus*) dum, inquam, video Deum Petro sponsam suam Ecclesiam despondisse? Quis nisi sibi desponsavit sponsam? Petrus-ne Christus alter? Nosti quod Ambrosius de Christi Vicario narrat. *Nocte*, inquit, *muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait: Domine quo vadis? Respondit Christus: venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum.* Et post pauca: *intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo.* Habes ipso ex ore Domini verba quibus conjicias non illum dedignari si cum Petri demiramur excellentias, aliqualem inter ipsum & Dei Filium æquivocationem patiamur.

Matth. 17. 23.

Liran. ibi.

Ibi n. 26.

Chryso. to. 2. hom. 59. in 17. Matth.

Exod. 20. 5.

Ibi c. 34. 14.

S. Ambr. to. 5. ser. d. Basilicis &c.

Sibimet prætulisse Petrum non dubitavit universi Conditor, cui si conferantur cuncta, nihil omnia. An ideò quia strictiùs Christum Dominum dilexit, quàm Dei Filius amaverit seipsum? Judicet alter. Mihi tantùm incumbit ostendere Servatorem ad hoc ut quanti Petrum faceret condiscipulis pateret apertiùs, veritum non fuisse discrimini proprium honorem exponere.

29. Petrum sibi Deus prætulit.

Post quinque panum celeberrimum convivium, facto vespere discipuli medio mari jactabantur fluctibus. Ecce quartâ noctis vigiliâ Præceptor adest undarum proterens tumorem crystalinum: alloquitur eos benignè: sed *ferventissima erat Petri erga Christum charitas, desiderabat statim prope illum esse, & præ aliis.* Itaque postulavit ab eo sibi licere super aquas gradi, quò sic ad eundem perveniret. Annuit Redemptor. At Apostoli fidem ventus quatit, pavor extenuat, incipiensque mergi, cuncta potentis implorat auxilium. Quid tunc Dei Filius? *Extendens manum apprehendit eum: sicut*, ait Chrysostomus, *cùm antequàm volare queat si nido pullus exierit; in terram decidat, mater velociter raptum in nidum restituit, sic tunc Christus in Petro peregit.* Si Redemptori velut maternus amor suasit Petro conferre suppetias, ad quid opus erat uti manus? Puniat hæsitationem Dominus, nec manum offerens, neque verbo succurrens: voluntatis nutu solo præbeat auxilium decernens ne submergatur. Sic Petri castigabit meticulosam titubationem, & apparebit omnipotentiam suam, non manu, non verbis, egere pro subsidio Petri. Quid manum addidit? Ut Apostoli cernerent se Petrum tanti facere, quòd passus non est aliquod tunc dilectionis apertum signum non dedisse pro discipuli adjumento. Apud quosdam quibus postea narraretur prodigium sicut accidit, fortassis divinus honor periculum subiret, ne putaretur Christum non potuisse verbis auxiliari supplicanti. At quidquid blaterarent contempsit qui decus proprium periclitari connivebat, ut Petrum sibi pretiosum demonstraret extensione manus.

Theophyl. in 14. Matth.

Matth. 14. 31.

Chryso. to. 2. ho. 51.

Ita

30. *Cupiebat-ne Salvator subesse potestati Petri?*

Ita sublime volavit amantissimi dilectio Præceptoris, ut si fieri posset jurisdictioni Petri subjiceret seipsum. Divinus Magister solitus est quæ jussit exemplo facilia reddere: idcirco etiam obedientiam docuit factis. S.Laur.Just. l. d. obedien. c. 8. *Christus*, ait S.Laurentius Justin. *omnem obedientiæ perfectionem ostendit: ita ut vita ejus sit exemplar imitabile, obedientiæ magisterium, norma virtutum, subjectionis regula* &c. Proinde quia Petro mortales obsequi præcepit, semetipsum ei submittere cupiit.

Ostium Ecclesiæ se dixit Redemptor. Joan. 10. 7. *Amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Commentatur Toletus: *ipse ergo est ostium,* Tolet. ibi. *quatenus per ipsius fidem ingressus patet in ovile Ecclesiæ pastoribus & ovibus.* Non se melius diceret Ecclesiæ Solem? ostium seipsum nominat quod pedibus proculcari solet? Fortè sic locutus est ut Petro deferret celsitudinis hyperbolen. Apostolo tradendæ fuerant Ecclesiæ claves. Non sub potestate sua Solem habet palatij vel templi claviger; ostium verò maximè sub illius ditione positum est. Ut igitur Dominus insinuaret quàm peramanter vellet Petro subdi, se dixit Ecclesiæ ostium, ac si caderet sub Clavicularij dominio is cujus imperio subest cælestium ac terrestrium universitas. Et si quæreres à Dei Filio: Cur Domine servulum afficis honore tanto? puto responsurum: Quia hujus *labia justi pascent plurimos*, quod mihi gratum valdè opus.

31. *Gloriam suã Petro cedere vellet Redemptor?* Isai. 42. 8.

Aliud non vulgare præbitum expendo Simoni Petro. Ille ipse, qui quondam per Isaiam dixerat: *gloriam meam alteri non dabo:* ita suæ dominationis Vicarium constituit Apostolum, ut & gloriam cedere voluerit eidem, quæ de insignibus operibus discipuli debebatur Omnipotentiæ. Vellet sanè Petrus ut mirabilium suorum splendor Soli justitiæ totus adderetur, & sic unde prodeunt Sen. epist. 79. reverterentur flumina. Sed quia *gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitabitur,* contendebat Filius Altissimi Petro linquere decus integrum.

Ad templi fores Jerosolymitani reperiemus exemplo comprobatum quod asserui. Ad januam quæ dicebatur Speciosa mendicabat claudus. Cùm ascenderent illuc Petrus & Joannes, efflagitavit stipem de more suo Act. 3. 6. 7. mendicus; Petrus autem dixit illi: *in nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, & protinus consolidatæ sunt bases ejus & plantæ.* Sacrosancto Jesu Christi nomini mirabile tribuendum illud esse non dubito, cùm Ibi n. 16. Petrus dixerit: *hunc.... confirmavit nomen* Ibi c. 4. 10. *ejus:* & iterum: *quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni.... iste astat coram vobis sanus.* Ad quid ergo Dei providentia dispositum ut in patrando miraculo Petrus uteretur manu? & ita quod non prius apparuit sanitas, quàm Apostoli manus accesserit? Hanc enim vim habet illud: *& protinus:* nam vel significet idem quod, simul, vel sumi debeat pro, statim deinceps: probat non prius consolidatas bases, quàm Petrus apprehenderit dexteram claudi: seu, saltem, non sensibiliter patuisse datam huic misero salutem, nisi ad Apostoli tactum. Prodigium examinemus. Nominis Omnipotentis portentum hoc est? seu Apostolicæ manus? Si primum, superfluum est mendicum tetigisse, allevasseque. Si secundum, utquid nomen Jesu Christi protulit frustra? Nec frustranea fuit sanctissimi nominis prolatio, nec manus Apostoli supervacuus tactus. Petrus Magistro suo deferre miraculi plausum ambiebat: vellet ut sacratissimo Jesu Christi nomini, non verò sibi, tribueretur sanitas. *In virtutem Christi miraculum transfert*, ait Lorinus Lorin. in c. 3. Act. ibi. Tamen accidit econtrà: nam spectatores ad virtutem prolati nominis non attendisse verosimile plusquàm est (saltem ex majori parte si loquamur) Petrum verò, dum allevaret pedibus à nativitate debilem, salutis authorem demirati sunt. Hoc insinuavit Apostolus cupiens eos ab isto dissuadere placito: *viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos* Act. 3. 12. *quid intuemini; quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Eventum prænoscens illimitata Sapientia, Petrum invisibiliter edocuit ut confirmaret manu claudum, quia gloriam prodigij totam in discipulum rejicere vellet. Augustinus equidem Petro mirabilem tribuit sanitatem, ac de Filio Dei tacet. *Debilitas itaque, quam invexerat nativitas, vi pauperis jubentis exclusa est.* Nescit largiri non totum flagrans amor: ferè namque putat se debuisse quod tribuit, ac nollet debiti partem sibi retinere qui sua dispergit libentissimè. Manum suam ad majora Deus Apostolorum Principi tradidit quò fit ut quod operatur Dominus, tribuatur Petro. *Iudicat Petrus & judicia Petri confirmat Omnipotens, & est in manu Petri manus Altissimi.* Verba sunt D. Petri Dami. S. Aug. ser. 26. d. verbis Apostol. tom. 10. S. Petr. Dami ser. 1. d. S. Petro.

Panegyris quæstione desinat. Quàm sit magnum virtutis opus demandatum Petro vidimus: nempe quòd pasceret Christi gregem: necnon quàm tenera dilectione Dominus eum fuerit prosecutus, palam fecisse notavimus. Nunc dubito quid majus ad Apostolorum Principis laudem: imposuisse Pastorale munus; an favore benigno decorasse? Pro priori parte standum existimo. Regium quid est Ecclesiam nutrire salutis alimento. *Istos*, ait Guerricus Abb. *utique reor esse, de quibus olim parvulæ & pauperculæ consolatio divina promittebat Ecclesiæ.... Ad ubera parvulos Petrus invitabat* &c. Plus debet exercitus duci miles, quem in prima locat acie pugnaturum, quàm delicatulus alter, quem de nobilitate solâ magnum secum ad mensam considere facit in tentorio. Sic Deus ampliùs extollit eum cujus humeros onerat, quàm illum quem benigna manu fovet. Ad hæc. Deus illi, cui favet ipsius pia largitas, confidit gratitudinem. Rara quidem hæc est, sed facilis. At verò si animarum curam committat, ut eas reducat sedulus ad salutis pascua, credit eidem restaurationem damni quod se pati Dominus judicat. Hoc certè multò excellentius. *Damnum est Christo non habere quos salvet.* Quod cum ita sit: præcelsiori Deus honore prosequitur servum, dum illi pro salvandis hominibus delegat ministerium, quàm cum servitutis velut

32. *Quantum Deus honoret hominem delegans illi ministerium salutis animarum.*

Guerr. Abbe ser. d. SS. Petri & Pauli. Chrysost. in opere imperf. hom. 32. in Matth.

ad

ad speciem immemor eundem evehit ad amicitiam.

Coram Agrippa rege liberè, quamvis ligatus, Paulus olim loquebatur. Inter alia retulit sibi fuisse dictum ab incarnato Verbo: *ad hoc enim apparui tibi ut constituam te ministrum.* Nunquid non etiam ut ex hoste redderet amicum? Dignos Deus eligit ministros. Priùs igitur erat Saulum per gratiam (quæ Dei amicitia est) dignum facere, quàm in sui legatum assumere. Non tamen dixit: apparui tibi ut gratiâ meâ donarem; sed: *ut constituam te ministrum.* Adde quod ministrorum electio potestatis exercitium est; Christus verò Dominus in conversione Sauli non tam potentiam, quàm dilectionem ac misericordiam ostendit. S. Ambrosius: *quia etiam vas electionis est factus. Neque enim aliter nisi Domini est miseratione & amore conversus.* Quomodo igitur ad hoc visus est illi dum convertitur ut illum constituat ministrum? Duplici fine Deus exhibuit se spiranti cædes Paulo: tum ut gratiam conferens amicitiâ donaret, necnon ut ministerium traderet evangelicum. Primum favori tribuendum: ideò non erat summus ipsi collatus honos. Electio ejusdem onus imposuit ei non mediocre. Hujus tanquam præcipui decoris meminit quo Saulum affecit; amicitiam tacuit ibidem. A Paulo ad Petrum facilis transitus est: non quippe nimis longè distat Ecclesiæ oculus uterque. Accommodè applica quæ prædixi, ne dicta protraham.

Act. 26. 16.

S. Ambr. l. d. benedic. Patriar. c. 12. tom. 1.

DELIBATIO V.

Nonnulla de eleemosyna: & quod pauperi verbis non addenda vulnera supra vulnus.

33. *Præcipuum inopis auxilium lenitas verborum.* Lect. Hebr.

SEcundùm lectionem originariam, cui adhuc insisto, *labia justi pascent plurimos*, his accommodatitiè verbis utar pro miserorum avertendis injuriis: & compescendis eis, qui canibus deteriores (cùm isti quondàm ulcera mendici lamberint) pejori linguâ feriunt egenos. Inhumanam certè sævitiam! *nam si præbere non vis cur cædis? Non est tibi animus largiendi, cur contumeliaris?* Ita Chrysostomus: & infrà: *hæc omnia cogitantes, linguam domitam quasi fræno tenete, & omnem illiberalitatem ejicite, nec pecuniis solum & rebus nostris verùm etiam suavitate sermonis consolemur pauperes.* Imò reprehendendi valdè qui famelico eleemosynam porrigentes contumeliis non parcunt, ac veluti panem lapidosum jaciunt in fame pereuntem. Ideo disertissimè consulebat Ecclesiasticus: *in omni dato non des tristitiam verbi mali.... verbum melius quàm datum.* Scito potiorem eleemosynam verbo quàm stipe donari posse.

Chrysost. ro. 2. hom. 36. in Matth.

Eccli. 18. 15. 16.

Bethsabee Salomonis mater sic filio consulebat: *aperi os tuum muto.* Et quid proderit muto loqui? Vide quid ex Jansenio significet ibi mutus. *Magis tamen*, inquit, *apparet significari peculiariter homines quosdam ope indigentes.* Videbatur dicendum: aperi manum tuam, semel quod agitur de pauperum auxilio. Quare potius dixit: *aperi os?* Quia donum præcipuum inopi collatum sunt lenia miserantis verba. Si fiat ita, *labia justi pascent plurimos.*

Prov. 31. 8. Jansen. ibi.

34. *Stultus est qui omittit ter eleemosynam in talo thesaurizare.* Lect. Hebr.

Secundam versiculi partem sic legunt Hebræa: *& stulti in defectu cordis morientur.* Quæ si juxta proximè notatam accommodationem prosequamur, valebit idem ac si diceret Salomon: qui stultus est adeò quòd eleemosynam deneget, duréque loquatur inopi: stultitiæ suæ pœnas luet in jactura lucri spiritualis: & in hac pauperie cordis vitam finiet. Stultum, inquam, est egeno denegare subsidium: cùm sciamus per facultatum in pauperes distributionem thesaurum in cælis recondi; per avaritiam verò experiamur in terris dimitti. *Quæ stultitia est*, ait Chrysostomus, *illic relinquere ubi exiturus es, & illuc non præmittere quò iturus es.*

Chrysost. ro. 2. hom. 15. in Matth. in oper. imperf.

Ad illum divitem cujus ager ferax protulit multam inter messem spinas, quæ cogitationem pungerent, atque somnum adimerent: ad illum, inquam dictum est: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te.* Fatuus appellatur? Avarum dicerem, fortunarum servum, vel quid simile. Stultitiam ubinam detexit? Audi Chrysologum: *cogitavit iste quid post se relinqueret, non quod præmitteret ante se: unde juxta Apostolum, evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: æstimantes se esse sapientes, stulti facti sunt. Cui dicitur: stulte* &c. Præoccupavit Chrysologus quæ dicere possemus: nihil addam.

Luc. 12. 20.

Chrysol. ser. 104.

35. *Fatuus est qui durè loquitur pauperi.* D. Aug. ro. 8. in ps. 103.

Aliam expendam non minorem quamplurium insipientiam: scili. verborum asperitate contra mendicos uti. Posses verbis plurimum lucrari: (nam, ut Augustinus ait, *charitas de sacculo non erogatur*) & austera feritate loquens obvios questus deperdis? Hoc fatuum dicet qui te dilexerit.

Clausérat cælum Elias ne plueret: attamen à communi paupertate se non exemerat. Ad Sarephta Sidoniorum transmigrat, viduæ cujusdam charitati divinitus remissus. Occurrit illa vati, qui panem ab ea flagitavit. Reposuit vidua: *vivit Dominus Deus tuus tuus quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria* &c. Posset Elias hæc dicenti respondere: quasi una de stultis mulieribus locuta es. Nonne qui nubibus imbres prohibui valeo penuriam, quam prætendis, in abundantiam vertere? Nihil horum dixit Propheta. Nunc ascendamus ad persecutiones Davidicas. Erat in solitudine Pharan, Saülis mitioribus verbis nequaquam fidens, Jessæus Heros. Audiit quòd in Carmelo tonderet oves Nabal. Ad illum destinavit juvenes, qui nomine suo donari petant ab eo suppetias indigentiæ. Ferociâ turgens ille respondit: *quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos.* Nuntij siluerunt (solet prudens esse paupertas) & postmodum retulerunt audita Davidi. Accingitur ipse vindictæ, suisque stipatus abibat Nabalis inurbanam superbiam animadversurus gladio. Obvia sese timens obtulit Abigail

3. Reg. 17. 12.

1. Reg. 25. 10.

uxor Nabal, hujus, domusque suæ malum avertere curans : & inter alia protulit hæc. Ibi n.25. *Ne ponat oro dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundùm nomen suum stultus est.* Fatuum vocat sua tam sollicitè custodientem ? Elias viduam non stultitiæ notat, quæ paupertatem opposuit dicto potentis operari mirabilia ? Vide : Nabal asperis verbis usus est ; vidua minimè ; sed famelicum Prophetam non exacerbavit ; qua lenitate fortè promeruit substantiæ tenuis incrementa. Agresti sermone verò Nabal Davidem vulneravit fatuè : quia cum loquens leniter posset consulere sibi, loquacitate superbâ discrimen subire non vidit imprudens possessionum, quas deperibat. Stultum est viam pedibus calcare, nihilque proficere. S. Aug. ser. 25. de verbis Domin. to. 10. *Via cæli est pauper per quam venitur ad patrem*, ait Augustinus. *Incipe ergo erogare si non vis errare.* Viam pedibus teris contemnendo miselios ? Gressum non moves, & aberras.

36. *Quo sunt plures egeni liberaliorem te præbe.* Audio dicentes : tot sunt importunæ mendicantium turmæ, tamque captiosis utuntur astutiis ad eleemosynas extorquendas, quòd etiam excellenter misericordis charitatem refrigescere faciant, & nimia superjacta materia velut extinguat flammas. Multitudinem indigorum cerno ; nec tamen inde te fatebor excusari. Potiùs hæc debitorum pluralitas accusat, quòd restitutionem tot creditotibus faciendam omittis. Et plures illos esse quereris ? Qua fronte plura nimis debita negas ? Quinam sint debitores inquiris ? D. Antoni. Olyssip. ser. fer. 6. cinc. quæ restitutio ? *Eleemosyna est actus justitiæ, quia imploranti est debitum subvenire.* Sic D. Antonius Olyssip. Multi sunt egeni ? Quo plures numeras, liberaliorem te præbe. Merito derideretur agricola, qui postquam in agrum fertilem semina misit causaretur quod nimium in hoc triticum consumpserit. Quisque dicere posset huic avaro : miser quid ploras ? Multum agro commisisti ? quiesce, nam Deo favente fructum ideo proferet uberiorem, quia cæteris ampliùs ibidem seminasti. Eleemosyna semen est terræ commendatum : his agricolis non obest auxiliatrix Dei benignitas : S. Aug. prox. suprà. *fœcundus est ager pauperum*, inquit Augustinus, *citò reddit donantibus fructum.* Igitur ubi latè campus indigentium patet, disperge largiori manu. Sic illius exemplum imitaberis, qui non sibi fructum collecturus præter benefaciendi gloriam, tamen ad eruditionem nostram eò magis tribuit, quò plures reperit egentes.

Ne discedamus ab Elia. Priusquàm ad Sarephtanam destinaretur, manebat in torente Carith : ibique corvorum cælitus pascebatur ministerio. Nec puto nimium singulis vicibus atulisse vati, nam ideò bis quotidie defe- 3. Reg. 17. 6. rebant alimoniam. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi.* Descendamus nunc ad famem illam quæ accidit Elisæi temporibus post Eliæ discessum. Quidam attulit viginti panes Eliseo : quos ille ministro jussit ut apponeret populo. 4. Reg. 4. 43. Reposuit is : *quantum est hoc ut apponam centum viris ?* Animos concepit vatis fides, & præsumens piè de magnificentiâ Ibid. & n. 44. Domini, dixit : *da populo ut comedat : hæc enim dicit Dominus : comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis : qui comederunt, & superfuit.* Placebat-ne Deo plus Eliseus quàm Matth. 10. Elias ? *Non est discipulus super magistrum.* 24. Quid fuit in causa ut cum Elia se gesserit adeò parcè divina manus ; & cùm Eliseo tam largiter ? Patet solutio. Corvi mittebantur ad solum Eliam ; panes autem pro centum viris indigentibus multiplicati sunt. Hic ubi plures pascebantur annonæ angustiâ pressi, Deus contulit superabundanter : *comederunt* & superfuit. O ne fastidias inopum catervas : ubi superabundat egestas, & superexcellat pietas.

Innumerabiles, inquis, pauperiem patientes mea limina premunt. Aperi celer januam, introduces amicos totidem quot mendicitate nudos. Ferè cuncta quæ dispersa placent in amicis invenies in emendicante collecta sub sordido pallio. Quid amicitias conciliat ? Utilitas propria, nobilitas aliena, potestas auxiliatrix, fortunæ similitudo, viarum societas, & similia. Nullum ex his motivis est quod non adsit in eo quem penuria dejecit. Si utilitatem quæris, *fœneratur Domino qui* Prover. 19. *miseretur pauperis : & vicissitudinem suam* 27. *reddet ei.* Illustrem ambis amicum ? Quilibet æris vacuus nobilis est adeò, quòd Summi Regis ad te nuntius ordinarius missus sit, ejus legatione fungens. Potentem desideras ? In ipsa formidabili judicij magni die, ubi Sanctorum proceres causam tuam suscipere optantes conticebunt ; egenus te proteget apud severum judicem : aliter non diceret Gregorius M. *culparum vestrarum interces-* D. Greg. M. *sores quærite, atque advocatos vobis in die ju-* to. 2. ho. 40. *dicij pauperes procurate.* Fortunarum paritas in Evang. amorem sociat ? Etiam tu quisquis es rerum omnium sustines angustiam : quid enim tuum ex temporaneis ? commodatò vivis, nunquam satur. Viarum fortuita sodalitas conjunxit quosdam. Pauper ac dives ambo tendunt eòdem, & omnes *dum sumus in corpore* 2. Cor. 5. 6. *peregrinamur à Domino.* Cùm igitur incentiva dilectionis tot, quæ per cæteros distributa complacere solent, in quocumque misero conjuncta videas : unum addam ex quo valeas concludere peroptimos amicos tibi pauperes, quantumvis illos ad te spes traxerit atque necessitas. Vulgò dicitur claudi sepulchrum lydio lapide pro affectu vero fictoque dignoscendis : nam licet plures comitentur vita functum, vix erit è millibus unus, qui non simul cum eo sepeliat amicitiæ leges. At egeni sic fideliter amicorum gerunt munus, ut post benefactoris mortem, adhuc in amoris functionibus perdurent.

37. *Pauperes sunt benefactorum amici fidelissimi*

Postea quàm Christus Dominus Apostolis mortem Lazari nuntiavit, inquit eis : *ea-* Ioan. 11. 16. *mus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus ad condiscipulos : eamus & nos, ut moriamur cum eo.* Theophylactus : *non fi-* Theophylac. in Ioan. *duciæ, sed formidinis, & tristis animi ver-* ibi. *bum est, nam ut alios condiscipulos moraretur, memores eos facit mortis.* Ad Apostolorum acta pergamus. Mortem subiit quædam catholica mulier in Ecclesiæ primordiis. Vocatus adest Apostolorum Princeps : & cum accessisset ad cadaver, *circumsteterunt illum* Act. 9. 39. *omnes*

Act. 9. 39. *omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas quas faciebat illi Dorcas.* Voluit Petrus remotis arbitris vitæ restituere Tabitham; oportuit viduas ejicere: fortassis quia non
Ibi. n. 40. sponte discederent: *ejectis autem omnibus foras &c.* Componere liceat nunc Apostoli verba cum viduarum lachrymis. Nonne Thomas Lazarum diligebat: Divinus Magister
Joan. 11. 11. non dixit Lazarus amicus meus; *Lazarus amicus noster*, ait, ut Apostolorum amicum vocaret. Nec mortem illius Thomas deplorat, nec ad ejus cadaver accedere vellet? imo coapostolos avertere conatur ab itinere? viduæ verò mortuam comitantur, & fletu justa persolvunt? En custos amicitiæ fortuna tenuis. In eâ permanere post mortem benefactricis testabantur ita. Quinimò vitam ab Apostolorum Principe Tabithæ precibus
S. Cypr. to. 2. l. de opere & elemosy. impetrarunt illæ. *Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari.* Ita sanctus Cyprianus. Ecce fidelissimos amicos detegit mors, quos operis dum vivis: & velut si forent adversarij, paves quia plurimi sunt? Et manus, & *labia justi pascent plurimos.*

38. Etsi opem egeno feras, dura si verba præmiseris, punieris. Potissimùm cura benignè tanquam ad charos loqui, dum rogaris ab indigis: non enim nos convitio, sed Deum inhonoras. Aurea Chrysostomi verba non præscindam. *Cogita etiam*, inquit, *quò illæ contumeliæ, atque injuriæ pervenerint, cùm Deus quidem*
Chrysost. v. 2. hom. 36. in Matth. *ad te pauperem miserit, quia dandi potentem fecit, præbere illi jussit, tu autem non modò non dederis, sed convitiis turpiter expuleris. Huius delicti magnitudinem si facilè percipere non potes, considera in his temporalibus rebus, & videbis quàm atrox facinus commisisti. Nam si famulus tuus ad alium famulum similiter tuum argentum repetiturus, quòd illi dederis, jussu tuo profectus sit, nec inde solum inanis, verùm omni convitio atque contumeliâ pulsus redierit, dic quo supplicio famulum tuum punires, cùm te ipsum ab eo contemptum censeres? pariter ergo de Deo etiam cogita.* Fruere Chrysostomo: tandemque scito, quòd si duris indigentem verbis petieris, nil proderit ad punitionem evadendam quòd post auxilieris eidem.

Cum in Cades Moyses pro sedanda populi siti deduxit aquam de petra, punivit illum, simul & fratrem Dominus eis denegans ac-
Num. 20. 12. cessum ad repromissionis terram: *quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Et quid peccarunt
Abulen. ibi. hîc Moyses, & Aaron? sententia probabilis est Abulensis dicentis: *quia Moyses & Aaron ut venerunt, cœperunt objurgare totam multitudinem, & increpare eam, ideò multitudo turbata animo ex dura reprehensione, etiam videns miraculum, non laudavit Dominum.*
Num. 20. 20. Egebat plebs: opitulatus est ei Moyses: & non effugit pœnam asperrimæ suæ reprehensionis: *Audite rebelles & incredduli.* Licet remedium sitientis anxietatem subleves: tamen
D. Greg. M. to. 1. l. 21. mora. c. 14. si præmiseris molesta verba, non ideò Dei vindictæ declinabis ictum. *Nec magni est operis*, ait M. Gregorius, *quod postulata tribuunt, quia ipso donationis suæ munere vix eundem excessum sermonis tegunt.* Manus offeret stipem fructuosiùs, cùm etiam per mitia verba, *labia justi pascent plurimos.*

DELIBATIO VI.

Peccatoris egestas multiplex numeratur.

39. Peccator gustum deperdit. A Lapi. in Prover. 20. 21. *QVi autem indocti sunt in cordis egestate morientur.* Cornelius à Lap. per indoctos hîc intelligit malos, & per egestatem peccatum. *In cordis egestate*, id est, (inquit ille) *in sua inopia mentis & sapientiæ, scili. in sua insipientia, id est concupiscentiâ, & impietate, sicut vivunt, sic & morientur.* De sapientiæ penuriâ, quæ peccatorem comitatur, nonnihil dicam: sed alias adijciemus valdè miserandas. Caret ipse gaudio, amicis, intellectu, quiete, divitiis. O plusquam ter infœlicem tot indigentiis coangustatum. Perscrutemur singula. Gaudio destituitur, inquam, peccator. Hoc in aliquibus delictis perspicuum fateberis, in quibus ille reus & sui tortor simul est: ut odium, invidia, cupiditas, & similia. De cæteris loquor, ex quibus fatuam lætitiam concipiunt qui fœdantur iisdem. Stultam compello: nam quis ampliùs mentis inops, quàm exultans de hoc quod se, Deumque perdiderit? *Lætantur*, inquit D. Greg. M. to. 1. l. 20. mora. c. 16. Gregorius M. *Itaque sub sentibus, quia rebus quidem temporalibus gaudent; sed tamen dum dispensare sine tribulatione eadem temporalia non valent, eâ cura punguntur miseri quâ premuntur.* Ægroti somniantis incolumitatem hilaritas hæc est: nam certè malus veræ suavitatis dulcedinem haud percipit: veluti gustus caret usu.

Populum Israëliticum de monte Hor profectum per viam, quæ ducit ad mare rubrum, tedere cœpit itineris atque laboris: & (ut ingrati solent) beneficia vertentes in quærelæ
Num. 21. 5. motivum dixerunt ad Moysen: *Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.* Esto quòd laborem execrentur: quomodo tædium potuit movere manna? Omitto illam saporum varietatem, de quâ Sapiens: nam hæc non omnibus data: nec dubito istis negatum quod justis mirabili cibo contulit magnificentia Dei. Scio mannæ saporem nativum non insipidum, sed suavem extitisse. Sic Lira, Viegas, & alij ex Abulensi dicente nativum angelici panis illius jucundum saporem visum esse malis insuavem. Et ipse textus favet, dum ait: *gustusque ejus quasi similæ cum*
Exod. 16. 31. *melle.* Hoc posito. Miror quòd melleus ille cibus moverit eorum nauseam. Sed improbi erant isti: proindeque tanquam si facultatem gustus amisissent, visum est ipsis ingratum alimentum favo compar. Dyonis. Carthus. *Quemadmodum etiam ipsum manna in se (ut dictum est) dulce videbatur iniquis insipidum, qui dixerunt anima nostra nauseat super*
Dyonis. Carth. in Sa. Pi. 16. *cibo isto levissimo. Justis verò & Deo gratis sapiebat quasi omnium habens saporum suavitatem.* Ecce voluptatis incapax veræ scele-

stus est, etsi cupidinis obligatus affectu se delicias æstimet gustare, milleque bonis frui.

S. Ambr. t. 4. l. 2. d. Offic. c. 2. *Nihil bonum Scriptura, nisi quod honestum asserit*, ut notat Ambrosius; at suave dicere quod amaritudinum radix erit, hæreditarius error est à primæva genitrice derivatus:

Gen. 3. 6. nam vidit illa *quod bonum esset lignum ad vescendum*; nihil tamen ad comedendum pejus illo quod gustatum adscivit mortem. Quinimo licèt absque labe culpæ voluptas in creaturis aliqua sit, vera suavitas dici non

S. Aug. t. 8. in ps. 26. debet. *Quidquid præter Deum est, dulce non est*, ait Augustinus.

40. *Acerbum est quod illum experiaris hostem, quem protectorem habueras.*

Rursus inops est peccator quia eget amicis: nam si juxta Ecclesiasticum, *amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Verè paupertas est amicorum defectus. Hunc patitur homo nequam: nam, ut ait Origenes, *peccatori quidem omnis*

Eccli. 6. 14. Orig. hom. 4. in c. 13 Josue. *creatura hostis est.* Justissimè quidem torquetur per quæ peccavit. Deum, qui vocabat illum ad amicitiam, sprevit; creaturas experiatur inimicas quibus potiùs dilectionem impendit. Sæpissimè dicimus, & experientia testatur, pro defuncto nullum esse qui servet

D. Bern. ser. 2. d. Resurrec. ser. 2. amicitiæ leges. Defunctus est impius: amicum non computet ullum. *Quis magis mortuus est eo qui fovet ignem in sinu: peccatum in conscientia: nec sentit, nec expavescit, nec excutit?* Sic D. Bernardus. Fateor delinquentem sibi simillimos plures dilectos numerare: sed evolat amor, & quem putabat amantem, experitur hostem. Rem certè duriss imam: nam quò minùs prævidentur jacula, plus feriunt. Idcirco peracerbè torquetur is qui ab eo damnum patitur, in quo spem suam collocaverat. Cave ne baculus cui niteris harundineus frangatur & manum terebret.

Amicè fratribus exceptis, ac genitore suo, Joseph, degebant in Ægypto cuncti, donec advenit Jacobo dierum clausula, placida mors: & laboribus metam posuit fœlicem. Post obitum parentis, fratres ejus quam adversùs innocentem olim exercuerunt impietatis non obliti veniam ab eo flagitavere

Gen. 50. 17. dicentes: *Nos quoque oramus ut servis Dei Patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Isti profectò non solummodò Josephum, sed etiam Jacobum offenderant quondam: nam hujus præcordia torsit putatum homicidium, veraque gnati absentia. Quin potius etiam eorum odium ad Jacobum dilectorem Joseph extendi quodammodo dici potest dum fleret existimatam filij necem. *Nempè si*

Rup. l. 8. in Gen c. 25. *gravis illis erat ad videndum frater quia diligebatur, gravior multò esse poterat pater, quia cùm languore vel tristitia universa domus coram oculis eorũ perpetuo dolore cruciabatur &c.* Hæc Rupertus. Et non à Jacobo postulant indulgentiam? à Josepho verò maximè? Hujus clementiam desiderabant enixius: quia spem suam non in Jacob, sed in Josepho statuerant, istiusque protectioni confidebant. Ideò valdè timuere, ne quem protectorem existimabant, experirentur hostem post obitum parentis: cavendum etenim est ne stipes in quem recumbimus, vulnus manui præbeat. Sceleratum protegunt potentes, eum sequuntur adulatores: ab utrisque mox vulnerabitur, quos nunc in auxiliis numerat: jam is amicis eget.

Tertiam pauperiem patitur iniquus. Mentis inops est quicumque pondus æternum gloriæ commutat flosculo fœni. Ridebit quisque prudens, cùm videt quantum de sapientia præsumant ij quibus delicta judicij pepererunt hebetudinem. Cor tradiderunt idolo, vel isti, vel illi quod adorant: & intellectum retinuisse putant? Et hæc insaniæ circumstantia est, se quidem sanum credere mente. Quâ tamen ratione fieri potest ut nitida fluat aqua turbato fonte? ut, inquam, liber maneat intellectus ejus, cujus, cor est servile? *Cor tuum cogitationum tuarum est scaturigo*, inquit, Ambrosius. Nisi cor tuum custodieris, intellectu privaberis. Ne furtum noscas, qui tibi cor abstulerit, mentem non relinquet.

41. *Qui tibi cor abstulerit, mentem non relinquet.*

S. Ambr. q. 2. in ps. 118. Octon. 20.

Omni custodiâ serva cor tuum. Diligentissimam in custodiendo corde vigiliam Salomon ita cõsuluit. Mox de luminibus animæ, scili. intellectu, non similiter; sed ait: *oculi tui! recta videant:* ubi Rodolphus: *oculus animæ judicium indicat.* Et sanè majori sollicitudine servandos putabam oculos animæ, quàm corda: nam semel ac illi cæcutiunt, facilè tota domus diripietur. At verò cor tuum quis auferat, nisi priùs oculos amittas? Commendet ergo custodiam palpebrarum qui sic de pectore loquens monet excubias. Putavit Salomon satis fore de vigili cordis præsidio monita præbuisse: quæ si non observarentur (si nempe cor malè custoditum fur aliquis auferret) frustrà pro mente servanda vigilabis: nam qui furatus est illud, simul abstulit intellectum. Et superbis de judicij præstantiâ qui per delicta præcordia tradidisti? Mentis penuriam experiris qui peccando factus es excors. *Facilè humani intellectus acumen seducitur, cùm à sui cognitione cœperit animus dormitare. Vnde Prophetæ voce Dominus ait: populus meus seductus est non habens cor.* Hæc S. Laurentius Justin.

Prov. 4. 23.

Ibi. n. 25. Rodolph. ibi.

S. Laur. Justin. in fascic. amoris c. 16. initio.

42. *Possessio plus inquietudinis movet quàm desiderium.*

Quartò quiete nocentes indigere clamant eorum gemitus. Æquor sæculum dicimus; sed alteri dissimile nonnihil est: mari namque nonnunquam restituitur serenitas, ponit unda minas. Aquis autem mundi nunquam suda tranquillitas. Si ambientes mundialia bona consideres, videbis unicujusque pectore clausum Æthna: solum enim desiderium justi, quod in cælestia volat, strepitum non concitat alis: expulsis terrenis votis ibi cuncta silent. Ad illud Jobi, *qui ædificant sibi solitudines*, ait M. Gregorius: *solitudines ædificare est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & una intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare.* Iis econtrario, qui lethæi deliciarum fluminis laticibus epotis, patriæ cælestis oblivium incurrerunt, desideriorum turbine quatiuntur intima,

Job. 3. 14. D. Greg. M. to. 1. l. 4. mora. c. 28.

Jacob. Billius in anthol. sacr.

Et nihil est inter carnalia vota quietum,

Nec pax sollicitis, nec modus est cupidis.

Alij sunt quos fruitio tenet caduca. Nec istis data quies. Latet sub floribus ignis. Crescit lenocinio possessionis, vanidæ fœlicitatis amor:

amor : isto quid inquietius ? Conferamus anhelantem quod placet cùm seipso dum fruitur optatis : ac dicam inquietudine majori vexari possidentem , quàm desiderantem : nam vota comitabatur metus non acquirendi qui minus angit , eo quòd experientiâ cupiti boni careat , possessioni sociatur altera formido dirioribus anxietatibus angustians : timor inquam perdendi quòd jam prendebas. Unde linquitur indubitatum , irrequietiùs fruentem , quàm exoptantem pertubari.

Eccl.2.10. De se locutus aiebat Salomon : *& omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis : nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* Fruitionem appropriat cordi sapiens ? oculis verò cupiditatem ? Equidem nos utrumque appetitum (quorum est concupiscere) tribuimus cordi ; non oculis : qui , cùm solis præsentibus pascantur , non ad aliud tendunt , sed oblatis potiuntur. At energ â non vacat Salomonica phrasis, quâ graphicè pinxit lumina desiderantia. Oculi quandoque requiem capiunt ; cor perpetuò movetur. Proinde , ut indicetur nullum dari otium ei qui possidet fluxa bona , cordi tribuit possidere. Utque significetur non tam inquietè circumrotari concupiscentem, desideria congruere putavit oculis qui somno tradûtur aliquandiu:nam etiam de corporeis oculis intelligi valet ex Hug. locus:*desideraverunt oculi mei interiores vel exteriores.* Unde maneat hominé ampliùs turbari dum bonis utitur , quàm dum eadem consequi ardet. Ergo qui vulgo fœlices de criminum auxilio putantur , egent quiete. *Pervigiles noctes , dies anxios , sollicita tempora , ne tibi ipse facias commoneris. Auri custos , servator argenti , securitatem non habet , nescit quietem:* Hæc D. Petrus Chrysol.

Hug.Cardi. in Eccle.ibi.

Chrysol. ser.11.

13. *Plus aliquibus bona sua nocent, quàm mala ferirêt.*

Ultimò numeranda venit paupertas miserrima , cui tamen ferè nemo condolet , eo quòd videntes illam, credere non soleant: nempe divitiarum nuditas in divite. Nudus , inquam , est qui si charitatem erga proximum in eo quæras , alget supra nivem: si disquiras an aliquid ei desit , famem in eo deprehendes inexplebilem : si roges an ære opprimatur alieno , commodata sunt quæcumque venditat. Et (quòd omnium caput est) ditatur servus , indiget herus : corpus, inquam , gemmis , & auro superbit ; anima verò quæ latet intus , extremâ premitur egestate, orbata Deo : nam si mentales oculos explicuerit , dicet cum Augustino dato alibi : *omnis mihi copia quæ Deus meus non est , egestas est.* Quid nobilissimam supremi Regis filiam in hujumodi reduxit miseriam : fortè corporis divitiæ ? O nomine tenus bona. Verè mala dicam : scio enim quod *nonnullis impatientibus Dominus Deus quod petebant concessit iratus* , Augustino teste. Nisi vera mala forent , neutiquam ira Dei quasi telis uteretur iisdem , proijciens ea potius quàm dispensans. Quid prodest se putare beatum ei cui spinarum sertum pro floribus est, eo quod sensu careat , philtro dementatus amatorio ? *Verè autem felix est* (inquit idem Augustinus) *non si habet quod amat, sed si id amat quod amandum est. Multi enim miseri sunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miseri , habendo sunt miseriores.* Non jam reluctaberis legens ista , si dicam plus nocumenti hominibus afferre bona sua , quàm possint à malis pertimesci. Cùm etenim diriùs feriat gladius , cui nulla objicitur scuti resistentia , & nemo iis, quæ bona putat,claudat ostium, inde fit ut bonorum acquesitione disperdantur iniqui , meliùs quàm accumulatione malorum destruerentur.

S.Aug.to.1. l.13.confess. c. 8.

Idem to.2. epis.121.ad Probam d. oran. Deo, c.14.

Idem to. 8. expos. 2. in ps. 26.

Averte mala inimicis meis & in veritate tua disperde illos. Si prior hujus versiculi pars juxta communem expositionem accipiatur , nulla est difficultas in cohærentia cum posteriore hemistichio : nam sic interpretabimur: fac ut à me avertantur ad hostes meos mala,& ita eos demolire. Sed Titelmanus ad hunc locum ait. *Potest addi tertia expositio:averte mala ab inimicis: ut sit perfectæ innocentiæ deprecatio pro adversariorum salute : quomodo Christus pro inimicis rogavit &c.* Et quamvis Titelmanus de hac expositione dubitet , attamen Glossa ex Augustino insinuat similem sensum profuturum thesi nostræ , id est , ab inimicis meis tolle mala. Omitto verba , quia juxta expositionem istam David , eo modo pro inimicis , qui convertendi erant , coram Deo preces fundebat. Secundùm hanc mentem Davidica verba nunc non perpendo persecuturus eam forsan alibi. Nunc mihi satis , quod, *averte*, conformiter ad eam doctrinam sumi possit ibi pro *auferre*. Apparet modò versus hujusmodi difficilis antimonia. Orat Psalmographus Deum ut inpios ejus inimicos disperdat : disperde illos : Simulque rogat ut ab eis auferat mala ! Quomodo conciliabimus hujus orationis partes , nisi dicamus quòd, cum verum sit multa bona nostra nocere , per bonorum temporalium instrumenta cupiebat David hostes ipsius à Deo destrui ? *averte mala* &c. Sentiebat regius Psaltes plus damni sæpè de bonorum perfidâ conditione pati mortales,quàm de malorum hostilitate apertâ experiantur.

Psal. 53. 7. Titelm.in Psal.ibi.

44. *Miserabilior qui mala sua nescit.*

Restat omnium prædictarum paupertatum circumstantia , quæ singulas miseriores reddit : & cum alleviare putetur illas , non tamen deerit qui dicat augere. Quid sit quæris ? Inopiam , ab eodem qui patitur eam , ignorari. Non diffiteor id minime dolere quòd nescitur;attamen peculiari miseratione dignum puto quòd nec ipse misereatur sui. *Quasi* , ait M. Gregorius , *ergo à tinea consumuntur , quia sine sonitu , culpæ morsum tolerant , dum quanta detrimenta vitæ & innocentiæ patiantur , ignorant.* O miserrimos. Dum punctiones membrum sentit malesanum ; minor est infirmitas ; at si absque doloris sensu feriatur , pene desperata sanitas est. Illius malum compassione lachrymabili dignius , qui non cernit quid sibi deflendum sit.

D.Greg.M. to.1. l. 5. moral.c, 28.

Pompa triumphali , sed asello vectus , ut humilitatem associaret majestati Dominus omnium appropinquabat Jerusalem. Gaudentes proclamabant discipulorum turbæ Christi Domini laudes. Ipse lachrymis rigabat ora, plangens urbis illius volunta-

riam cæcitatem. Doloris motivum in hæc
Luc. 19. 42. verba protulit: *quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis* &c. In eádem urbe Salvator accessit ad piscinam, per cujus quinque porticus jacebat ægrotantium caterva, quorum expectationis patientia quemque moveret ad pietatem: nec tamen Redemptor ibi lachrymatus est. Ciet fletus ventura clades; non verò tot miserabilium præsentes anxietudines? Jerusalem præ morbidis compassione dignior: ægroti quippe sui doloris causas agnoscebāt; civitas autem nequaquam: *nunc autem abs-*
Theophilac. in Luc. ibi. *condita sunt ab oculis tuis.* Theophilactus: *flet Dominus stupiditatem ipsius Jerusalem, eo quòd ipsum non cognoverit.* Hanc mentis inopiam ipsos latentem insuper lamentabatur: nam eò plùs miseranda sors ejus est, qui se nescit miserum: ut infœlicitas ignorata, egestasque mentis abscondita moverit Salvatoris lachrymas. Non sic verò tot languentum eisdem nota miseria. Peccatoris penuria multiplex ignoratur ab ipso: sed ideo lachrymabilior. De virtutum superbâ
D Greg. M. tom. 1. l. 34. moral. c. 3. pauperie dicebat M. Gregorius: *Pauper utique quia virtutum divitias non habet: cæcus quia nec paupertatem quam patitur videt: nudus quia primam stolam perdidit: sed pejus quia nec se perdidisse cognoscit.* Optimè paræmiâ nostrâ pauperies peccantis, quam ipse nescit appropriatur cordi: quod cùm voluntatis dicatur sedes, oculis caret, quibus nuditatem suam videat: hæc enim cæcitas est inopiæ summa exaggeratio. *Qui autem indocti sunt in cordis egestate morientur.*

DELIBATIO VII.

Animarum medici lenitas, exemplum, & præmium. Charitas maxima conciliantis pacem. Lucis conditio. Astutia insipiens. Pauperies cordis. Mundus ventus.

45. *Per scripturæ verba ne feriatur auditor à concionatore.* NUnc solito de more verba dogmatis huius singulatim percurramus. *Labia* pro voce non dubitas accipi. Cùm tamen plura sint locutionis instrumenta, quæret aliquis cur de cæteris mentio non fiat; sed solummodo labiorum Sapiens meminerit. Forsan ita loquitur ne dentes ibi misceret, quæ vocibus articulandis etiam conferunt operam. Noluit inquam de illis mentionem fieri, cùm de aliis erudiendis agebat: ut insinuaret quantopere debeat exulare detrahendi vitium ab eo qui alienos mores verbo salutari ducit ad vitæ semitas. Ex mente D. Antonij Olyssiponensis, columbæ similis est
S. Antoni. Olyssip. ser. 1. d. Apostol. prædicator: *Sicut autem*, ait ille, *columba extra requirit unde pullos intus pascat: sic ex profectu pullorum*, id est, *proximorum refici debet animus prædicantium.* Avis hæc, ut fertur, sine felle vivit. Illam imitetur concionator: non illita felleâ mordacitate verba proferat. Nec tamen adversùs vitiorum cohortes inermis exerceat; sed neminem feriat.

Dum septem aperirentur sigilla, mira vidit Joannes prænuntia futurorum. Ad apertionē primi visus est equus albus: & ejus portabat sessor arcum; non tamen de sagittis ibi quidquam legimus: *& ecce equus albus, &* Apocal. 6. 2. *qui sedebat super illum habebat arcum.* Inutilis est arcus ei cui sagittæ desunt. Cur de his non agitur, sed tantum de arcu sermo est? vide quid significet arcus. Hugo Cardin. in-
Hugo Card. in Apocal. ibi. telligit sacram paginam: *Habebat arcum:* id est *Sacram Scripturam.* Et Viegas ait: *hoc*
Viegas ibid. Com. 4. sect. 2. n. 4. *loco arcus quem Christus gestare dicitur, Sacra est Scriptura, divinique verbi per Apostolos, & reliquos concionatores toto orbe prædicatio, quo arcu & sagittis imperante Caligula quam plurimos vulneratos ad fidem suam, religionemque traduxit.* Replicabit nonnemo, fieri mentionem sagittarum & vulnerum apud commentatorem. Fateor: sed non à concionante, sed à Christo Domino mittendæ sagittæ sunt. Apud Joannem tacetur de his, diciturque *habebat arcum.*

46. *Qui de aliorum salute curat, vitia ferat, non hominem.* Non inficior prædicatoris munus esse humana ferire: non tamen hominem, sed vitia: *res enim optima est non sceleratos extirpare, sed scelera.* Sic ad stylum quo Deus utitur, accedimus.

Sen. l. d. mori. *Denique committunt homines mala crimina semper:*
Dat spatium ut pereant crimina, non homines.

Canit S. Prosper: velut cum silvis grassatur S. Prosp. l. Epigr. 5. incendium, non agricola securim quærit ut secet arborem; sed curat voraces flammas extinguere: haud aliter cùm populus criminibus ardet, non homines feriendi, sed restinguendus ignis.

Hebræorum elationem reprimere cupiens Moyses ne futuras victorias propriis viribus arrogarent, sed Omnipotentis manui tam benignè quòd fere semper aversos ipsi protegerer: inter alia reduxit in memoriam casum aurei vituli, quem combussit Moyses. *Pecca-* Deuter. 9. 21 *tum autem vestrum quod feceratis, id est, vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens &c.* Quî potuit comburi peccatum? Hoc ignis est, juxta Gregorium M. *Sicut* D. Greg. M. to. 2. l. 1. in Ezech. hom. 2. *autem ignis amoris mentem erigit, ita ignis malitiæ involvit:* & flamma non exurit flammam. Quo ingenio dixit ussisse peccatum? prudentissimè locutus est ut indicaret sibi cordi fuisse non populum destruere, sed crimen abolere. Hunc imitentur zelum quotquot aliena vitia carpunt: non homini detrahant; delicta cædant. Quod obvium habebis facile si advertas hic Salomonem non dixisse ministerio dentium plurimos erudiri, sed per *labia.*

47. *Præcipua magisterij pars exemplum est.* *Justi.* Non ait: labia sapientis; potiùs inquit: justi, quem supponit simul doctum: ut nobis quibus onus docendi populos incumbit, non excidat è memoria quàm potens ad animarum profectum sit doctrina virtuti socia. Nihil renititur ei qui verbo suadet ac exemplo. *Dico vobis*, ait S. Bernardus: *Sermo* D. Bern. ser. 1. d. Resurr. *quidem vivus & efficax exemplum est operis: facilè persuadens quod intendimus, dum factibile probat esse quod suademus.* Imo dicam præcipua magisterij pars exemplum est: cùm enim quod oculis percipitur plus moveat: ille tantum dicendus est magister qui propriarum

priarum actionum adhibet exempla, quibus auditores informet.

Ad turbas, necnon discipulos erudiens, utrisque benignè locutus, Redemptor asseruit olim : *Magister vester unus est Christus.* Quare non etiam Patrem & Spiritum sanctum appellavit magistros eorum ? Sanè Pater edocuit Petrum de Filij divinitate : *caro & sanguis non revelavit tibi ; sed Pater meus.* Imò quidquid Assertor docuit, doctrina Patris erat : *mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Ergo Patrem nominet magistrum, cujus doctrinam ediserit. Ad hæc. Spiritui sancto congruit optimè Præceptoris nomen : quia eruditissimum reddit Amor divinus quem illuminat : & quia docturum Apostolos prædixit Filius Dei. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nec Spiritum sanctum, nec Patrem insignivit nomine magisterij ? se unum vocat magistrum ? Solus Filius Præceptor dicitur : quia cùm nulla Trinitatis persona, præter Verbum, carnem induerit, ille tantum præbuit hominibus exempla ; Spiritus sanctus & Pater nequaquam. Titelmanus ibi commentatur in paraphrasi : *quoniam ego unus omnium vestrûm sum instructor, moderator, ductor, atque præceptor : qui & exterius per vitam simul & doctrinam, & interius per Spiritus unctionem, aut qualemcumque internam admonitionem, vos doceo.* Ut ergo quàm præcipuum sit magistri munus exemplo suadere videas, Dei solus Unigenitus discipulorum suorum se nominat Præceptorem : *Magister vester unus est Christus.* Proinde Salomon de multorum eruditione perutili verba faciens hoc loco, non cujusque sapientis ori tribuit eorum profectum ; sed illi qui cùm sit justus, quos verbis instruit, exemplo corroborat. Ideo docere plurimos asserit *labia justi.*

Matth. 23. 10.

Ibi 16. 17.

Joan. 7. 16.

Joan. 16. 13.

Titelma. in paraphra. c. 23. Math. n. 8.

48. *Insinuat alios corde locare, qui mutuam pacem ipsis conferre studeat.* Lect. Chald.

Erudiunt. Chaldæa lectio habet : *pacant.* Occasione hujusmodi versionis, nonnihil dicendum in eorum laudem qui prudentes ac beneloqui. Vide quæ ad præcedentem florem à n. 16. notavi. Quibus adde justi dilectionem erga proximos in hoc valdè commendari, quòd mutuam ipsis afferat concordiam, & contueatur. Sicut ex abundantia cordis os loquitur : sic eructat lingua cujusquam id quo plenus est. Plures odiorum fomitem garrulitate sua ministrant, quia venis alunt odium ; justus eo quòd amorem erga proximum in præcordiis nutriat, amoris mutui profert documenta. Hinc illius probatur dilectio : nam apertè denotat alios corde suo locare, qui pacem inter eos vult servari.

Joan. 20. 19. 20. 21.

Mortis è claustro Salvator ad Apostolos revertitur, quos timor clauserat intra domi fores. *Stetit in medio, & dixit eis : Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis.* De pace mutua sermo est inter eosdem. *Quid* (ait Chrysologus) *repetitæ pacis largitas ista manifestabat ? nisi quia quietem vult inter eos repetitæ pacis donatione servari ?* Repetitio videbitur hæc supervacua, cùm taceat quod eo loco putaret aliquis opportunum. Existimabam quippe dum latus ostendit Apostolis, dicturum : per ostium hoc ingredimini : sic metu qui vos turbat posito, nanciscemini securitatem D. Augustinus de se dixit : *Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi & ibi requiesco securus.* Timore conterritos discipulos decebat similiter in affectus Redemptoris arcem recipi, quò sic animos conciperent. Cur non eis ut per latus intrent ad Magistri cor ille suadet ? sed pacem repetitò donat ? Quia dictum sapienti sat est. Qui donavit ad invicem ipsis conjunctionem pacificam verbo, per hoc insinuans cupere se ut ab eisdem servaretur, satis indicabat illis offerre locum in præcordiis. In corde suo collocat alios, qui fœdus amicitiæ vult inter eos permanere. Et quidem ex magnitudine hujus doni satis id perspicitur : ait enim de pace D. Augustinus, quasi de re maxima, *Hanc ergo qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat, quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, nihilominus & à sancto Spiritu alienus efficitur.*

D. Aug. to. 9. in manual. c. 23.

Idem to. 10. ser. 57. de verbis Domini.

Plurimos. Non uni vel alteri ; sed quampluribus dispertire sollicitat justus radios : ubi namque splendor multus coruscat, non ad paucorum aciem arctari solet. Exigui fulgoris est non omnium oculis patère. Quasdam numerant astrologi stellas, quas nebulosas vocant. Harum notitia non ultra philosophos, & mathematicos extenditur ; cæteram hominum latent universitatem, non nisi quia lux earum exilis est ; planetarum verò jubar quia majus, totus agnoscit orbis. Haud aliter luces rationales quò sunt fulgidiores, eò faciliùs patiuntur conspici.

49. *Lux rationalis quò major, eò se faciliùs permittit visui.*

Sub dura dominationis Ægyptiæ catenâ gemebundus populus Hebræorum jacebat. Et ut moris est homini, clamoribus tunc pulsavere cæli fores, cùm impietatis flagellum experti sunt humanæ. Illa quæ miseris quàm celer adest clementia, gemitibus istis permota Moysen de liberatione populi miraculorum armis acturum destinat legatum in rubo. Vidit à longè Moyses hirsutum veprem flammis exardere ; nihilò tamen consumi. Prodigium stupet ingens : accedere tentat, ut cominus rimetur visionem : sed arcetur ab eo qui aderat in igne : *Ne appropies, inquit, huc.* Quisnam esset qui loquebatur ei, dictum est ipsi ; faciem tamen avertit non sustinens fulgorem nimium. *Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum.* Gradum faciamus hinc ad alium collem non sentibus horridum ; sed beatissimæ Christi Domini pulchritudinis conspicuum theatrum. Ibi non solus Moyses in faciem respexit Christi sui solaribus radiis effulgentem (quòd non mirum cùm non præpediretur mole corporea) sed Elias, imò tres Apostoli carne mortali degentes, in divinissimi luminis pompam oculos defixerunt. De tribus ait S. Lucas : *evigilantes viderunt majestatem ejus.* Eliam similiter eundem splendorem vidisse quis dubitabit. Exurgit ecce difficultas. Ubi non solari fulgore, sed igneo tantum scintillat rubus, non audet Moyses aciem figere ? Cùm verò divina Christi facies resplendet Phœbeo nitore

Exod. 3. 5.

Ibid. 6.

Luc. 9. 32.

(*resplenduit*

Matth. 17. 2. (*resplenduit facies ejus sicut Sol*) Apostoli palpebras intendunt ad lumina vibrantem? Luminaris majoris ratione utentis conditio hæc est: oculis nempe se præbere facilem intuentium; minoris non ita. Transfigurationis monte Dominus erat omnium qui rutilus clarebat; in Horeb non Deus peculiariter aderat, sed angelus, quamvis eo quòd legatus esset Altissimi, Deus nominetur. *In Hebræo*, ait Lira, *habetur: apparuit ei angelus Domini. Angelus enim ille apparebat & loquebatur in persona Dei, & ideo aliquando angelus, aliquando Dominus nominatur.* Creatura reverentiam ut conciliaret, difficili sui conspectu majestatem ostentat: *ne appropies.... non enim audebat aspicere:* visum ecce denegavit sui. Deus autem etiam oculis excusso vix somno trepidantibus obvium propalavit fulgorem: *evigilantes* &c. Sequantur vellem hujusmodi benignitatem justi scientes quoniam cunctis extant debitores, ut erudiant *plurimos.* Multò minùs magnum se probat qui nulli prodest. *Luminare quippe*, ait Chrysostomus, *quandiu seipsum tantummodo illuminat, luminare profectò non est.*

Lira in Exod. 3. 2.

Chrysost. to. 5. l. 3. adversus vitupera. vitæ monast. 50.

Qui autem indocti sunt. Ad litteram hoc accipi notavi pro impiis, juxta Salomonis usitatam phrasim. Et mehercle, *nihil tam stultos homines facit sicut malitia, nihil sapientiores reddit quàm virtus*, ut ait Chrysostomus. At, proh dolor: de perverso valdè sæculi more venditatur astutia tanquam ingenium, cùm sit fatua nimis. Nec enim versutiæ veram, sed fictam sapientiam parere valent.

Ex astutiis non prodit vera sapientia.

Chrysost. to. 3. hom. 40. in Joan.

Coram Pharaone quàm diversimodè se gesserunt Aaron & Magi, vidisti? Projecit Aaron virgam, palamque versa fuit in colubrum. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in colubrum.* Malefici deinceps Aaronem sunt imitati, sed arcanè per nescio quas magicas artes. *Vocavit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Nihil hoc loco dubium occurrit: indubiè namque thesi nostræ favet. Quid significat hic serpens Aaronicus? Ex Origene dato pridem sapientiam. *Serpens verò*, ait, *pro sapientiâ vel prudentiâ poni solet.* Quid maleficorum virgæ denotant? Juxta Interlinearem, *astutias mundi.* Deinde utrum serpentes Magorum extiterint veri, Caietanus, Abul. Liran. à Lapi. quibus patrocinatur Augustinus, affirmant. Verumtamen sententia probabilis fictos asserit, cùm Justin. Rupert. Nysse. Tertullianoque dicente: *solent dæmones phantasmata præstare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumveniunt: sed Moysis veritas mendacium eorum devoravit.* Idem existimat S. Prosper. *Virga*, inquit, *quam manu Moyses portabat, coram Pharaone projecta, effecta est serpens. Magi quoque Pharaonis ut divinâ potentiâ superarentur, talia signa facere permissi, projicientes virgas suas, etiam ipsæ serpentum species ostenderunt.* Et cur non permisit Deus ut dæmon incantatoribus mediis veros produceret ibi dracones? Nonne sic Moysaicus vinceret serpens gloriosiùs, si nempe non præstigia vana, sed veros devoraret serpentes? Mysterium attende. Virgæ maleficorum (ut prædixi) figurabant astutias mundi; serpens autem sapientiâ. Non valebant vafritiæ veram parere prudentiam, nec reipsâ virgæ Magorum in serpentes mutari. Sæculum tamen, apud quod ferè nihil est quod non adulteretur, fecit invaluisse vulgò quòd sagacitas dolosa consilium senile gignere putetur; cùm potiùs mentem rectè providam comitetur simplicitas columbina: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Examina, precor, totam hominum sapientiam: & videbis quàm facilè decipiantur. Quid putaret ille qui de sacco Benjamin scyphum Josephi videret extrahi? nonne de furto damnaret? Quid is qui pallium Joseph cerneret in manu calumniantis fœminæ relictum, illo fugiente? an excusaret eum ab intentato adulterio? Nec tamen hic adulter: nec prior latro. Falluntur oculi: quidni mentiatur phantasia sibi? Remus apparet in aquâ fractus, cùm sit integer: columba simplicissimum animal coloribus nos fallit, quos non habet: nubes cortina Solis putatur, cùm longissimè distet: Lunæ videmus inesse maculas & eludimur, partes enim solidiores, non autem nævi sunt. Sique visu fraudamur, quibus non fallaciis erga multa, quæ videri nequeunt, subesse putamus? Etiam de nobis ipsis persæpe sentimus falsò. Assumpsisse putabat iter Isaac ut sacrificio patris adesset: & quidem ferebatur ut mactaretur. Petrus non dubitabat se potius mortem subiturum, quàm negaret Magistrum; ac negavit miserrimè ter. Sualus ibat ut persequeretur Ecclesiam; nesciebatque se duci ad viam, in qua factus est ex hoste defensor. Ecce quàm parum de seipsis agnoscant homines: quod præcipuè verum est de peccatorum nocte cæcutientibus: de his namque dicitur: *indocti sunt.*

Exod. 7. 10.

Ibi n. 11. & 12.

Matth. 10. 16.

Quàm facilè decipiamur

In cordis. Lectio Septuaginta nomen, *cordis*, omisit, & habet sic: *insipientes autem in eo stare morientur.* Nec ideo diminuta versio hæc est: quia semel quod pronuntiatur egestas, cordis esse pauperiem supponitur: nam si non ad cor inopia perveniat, vera non est.

51. *Si pauperies non pervenit ad cor, vera egestas non est.* Lect. Sept.

Audi Siracidem. *Conclude eleemosynam in corde pauperis.* Putabas dicturum: repone stipem in manu mendici? vel in ore? Non ita loquitur; sed *in corde*, inquit: qua de causa nisi quia corde moratur egestas? Tam de corporis, quàm de spiritus ope locus intelligi valet: Interlinearis quippe verbo, *eleemosynam*, ait: *corporalem spiritualem.* De quavis loquamur, verum est corda miseriam pati: nam si de temporalium defectu sermo sit, notum est, & sapientum calculis comprobatum, pauperem non esse cui multa desunt, sed qui plura cupit. Igitur quamdiu cupiditas corda non vexat, propriè paupertas illa non est, sed tantùm bonorum absentia: quorum nulla jactura putabitur, si tanquam tui dominus despicis quæ nostra non sunt, & nihil amisisse credis, & si multa dimittas. *Qui se habet nihil perdidit*, inquit Seneca. Si verò de spiritualibus inani loquaris, dicam: pone quòd inculpabiliter sanctitatis

Eccli. 29. 15.

Interli. Prov. 10. 22.

Sen. epist. 42.

Orig. ho. 4. in Exod.

Interli. in Exod. 7. 22.

Tertull. l. d. anima.

S. Prosp. l. d. promiss. & prædic. p. 1. c. 35.

tatis heros omnibus iis deſtituatur quibus in terris largiente cæleſti liberalitate ſolent amici Dei abundare: dummodo cor non ſit vacuum præſentiâ Dilecti (dum, inquam, culpa gravis ipſum non depauperat) dives adhuc eſt: etenim dicet prout amator ille Dei, quem ſic loquentem introducit Auguſti: *quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, & ſe mihi det.* Qui ſceleribus inquinantur, ij ſanè pauperrimi, quia degunt *in cordis egeſtate.*

S. Aug. to. 8. Enarr. 2. in pſal. 26.

52. Mundus quid niſi ventus?

Egeſtate. Pende quàm diverſim judicet utraque ſapientia, divina ſcili. ac humana. Divina computat malos inter egenos; humana totius reputat orbis dominos: dum videt exleges, quibus pro ratione voluntas, gaudiis, & pompis exultantes, auro gemmiſque fulgidos. Sed quid omnia iſta, ne credas eos in cordis penuria degere? Dominatur, eſto, ſuperbia potens univerſo toti: aërea opulentia dicenda hæc eſt: nam quid aliud mundus præter ventos? Hinc efflat quibuſdam Zephyrus amœnè, illinc furit adverſus alios urens Aquilo: tollit aliquos ad ſydera Notus; multos ad tartara præcipitat Eurus. Ventum proindè S. Bernardus appellat ſæculum diſertiſſimè: *tribus*, ait, *maligniſſimis, & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, carni, diabolo, & mundo.* Sic vocavit quod expertus eſt flatibus componi.

S. Bern. ſer. 3. in Vigil. Nat. Dom.

Poſtquam per varia portenta reos Deus præmonuerit de mundi fine, miniſtros tandem ſuos deſtinabit ut judicandos comparere faciant coram diſtrictiſſimo judice. *Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis à ſummo terræ uſque ad ſummum cæli.* Exponit Beda: *à quatuor ventis, à quatuor mundi climatibus dicit.* Ecce mundi quatuor partes dicuntur venti quatuor à Dei Filio! Nunc pervium eſt cuique penſiculatiùs hujuſmodi lugubrem philoſophiam tractanti ratiocinari ſic. Quod in partes diviſum diffluit in aquas, non aliud quam aqua vocandum: quod ſciſſum diſſipatur in ignes, ignis eſt: ergo ſimiliter, id cujus partes venti ſunt, quid erit niſi ventus? Ex evangelico textu, quatuor mundi partes, & quadruplex ventus exiſtunt ſynonima: ſæculum igitur merè credatur aura tenuis. Unde quid proderit orbis dominatu potiri ſuperbos, ut prædivites habeantur apud eum, qui res medullitus introſpexerit? Etiam hi nobiles hiſtriones (prout alij) tranſigunt vitam *in cordis egeſtate.*

Marc. 13. 27.

Beda in Marc. ibi. l. 4. c. 42.

53. Præmii loco habe laborem quo lucraris animas.

Morientur. Mortem comminatur impiis pro ſupplicio. Minimè tamen ei cujus labia *eruditunt plurimos*, lego præmium hoc loco deſignari: fortaſſis eo quòd non mediocriter ipſo labore muneretur qui meſſem animarum colligit ſedulus. Ut enim ex D. Dionyſio Doctor angelicus ait: *nihil dignius in officio hominum, quàm Dei cooperatorem fieri.* Munus divina largitate dignum eſt, ſi tibi donavit quod animas elucreris.

S. Tho. ex D. Diony.

Semel tantum legimus Dominum fuiſſe hoſpitio receptum apud Zachæum. Ei tamen in hujus humanitatis præmium Filius Dei benigna liberalitate plura dona contulit, adeo quod ipſe dixerit: *quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* Ad mare Galilææ vocavit Simonem & Andream, ut ipſius veſtigia ſequerentur: & ipſi quàm celeriter omnibus relictis evangelicæ militiæ ſub tanto duce dedere nomen: *venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continò relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Audis quodnam ſtipendium tyronibus polliceatur? Homines Evangelici verbi retibus expiſcaturos promittit. Relinquebant ipſi cuncta: nec tamen ampliora ſpondet omnia generosè dimittentibus ut ſequantur vocantem? Zachæum, qui ſua non reliquit, Dominus remunerat adeò magnificenter? Non parcè tu putes cum Apoſtolis egiſſe Redemptorem: pollicitatus etenim fuit ſe facturum quod animas traherent ad vitæ portum ex fluctibus mundi: *faciam* &c. Cooperatores Dei conſtituere decreverat eos: hoc erat nobile præmium cuncta relinquentibus æquum. Imperfectus: *manifeſtum eſt quòd tunc non Apoſtolicum cupierunt honorem, ſed quæſtum Apoſtolici operis & laboris. Sciebant enim quàm pretioſa eſt anima hominis, quàm grata eſt apud Deum ſalus ipſius, quanta merces eſt hominem ædificare ſecundùm Deum, concupierunt, & ſequuti ſunt.* Hoc loco Salomon de præmio conferendo tacet erudienti proximos ad ſalutem. Silet quidem ſapienter; cùm tamen de impiorum ſupplicio non reticuerit, ſed eis comminatus dixerit: *in cordis egeſtate morientur.*

Matth. 4. 19. 20.

Chryſoſt. ho. 7. in Matth. operis imperfecti.

FLOS XXIII.

Benedictio Domini divites facit, nec ſociabitur eis afflictio.

APERITUR.

1. RO litterali verſiculi commentario duplex occurrit quæſtiuncula ſolvenda breviter. Inquirit prima, ſermo-ne ſit de temporaneis divitiis, an de ſpiritualibus? Lira de animæ opibus exponit litteram, ſecutus Interlinearem: quæ de virtutum opulentiâ, necnon de cunctorum ubertate bonorum, quâ juſti potientur in cælo commentatur hæc verba, fortaſſis myſticè. Hujus ratio expoſitionis aſſignari poteſt, quia divites facere tribuitur hîc benedictioni divinæ, tanquam aliquid ei peculiare, ſicut inſinuat originaria Lectio: *benedictio Domini ipſa ditat?* pronomen, *ipſa* non eſt ibi otioſum, ſed reddit hunc ſenſum: ipſa benedictio Dei, & non aliud, ideſt non ſæculum, vel poteſtas humana, divites conſtituit mortales. Atverò ſi de mundanis facultatibus loqueretur, Deo non appropriaret illas conferre: nam & rapinæ dites faciunt. Pro parte verùm oppoſita, quæ videtur litteralior, ſtat quod Salomonis temporibus crebriùs Deus, pro carnali populo, de materialibus gazis, quam de theſauris inſenſibilibus agebat: unde ſumit à frequentioribus argumentum ſatis validum hæc expoſitio: juxta quam, ſi textus explicetur de virtutibus,

Liran. in Prov. 10. 22.

Lect. Hebr.

moralis est sensus, si verò de gloriæ donis, anagogicus.

2. Secundò quæritur an hæc sententia reddat sensum formalem (ut philosophicè loquar) vel causalem? hoc est: utrum benedictio Dei dicatur hoc loco divites eo modo facere, sicut ipsa fortunarum possessio per semetipsam ditat; seu potiùs asseratur homines replere, velut regis potestas abundare facit magnates, aut providus pater gnatos charissimos? Utraque interpretatio verosimilis est: sed pro litteræ rigore secunda plus arridet. Nitor in eo quòd expositio prima non valde congruit posteriori versus parti: quis enim dicet benedictionem Dei esse formalem depulsionem afflictionum, ad eum modum quo lux expulsio tenebrarum est? Cùmque utplurimùm soleat postrema pars dogmatis in textu nostro sensum prioris aperire, stat assignata ratio.

Valet itaque sententia tota quasi diceret: divina protectio ditat hominem; non quòd excludantur industria, meritaque: sed ut significetur Deum esse præcipuam causam ejus augmenti quod homines experiuntur: sic fiet ut careat dives angoribus, quibus patent malè parta, pejúsque servata bona. Pro secundo hemistichio sensum attulit Caietanus docens per hæc verba, *& non sociabitur eis afflictio*, indicari quòd à Deo collatis beneficiis non adjicietur dolor, quo Dominum sui dati pœniteat. Fortè nixus est Purpuratus interpres Lectioni Hebr. quæ sic habet: *& non adjiciet dolorem secum*, quam sic exscripsit Caietanus: *& non junget dolorem suũ*: cùmque illud, *suum*, vel, *secum*, indifferens videatur ut appellet suprà divites, aut accommodetur Deo, non judico interpretationem Caietan. probabilitate destitui: quidquid in cõtrarium perpetuò severiùs dicat à Lapide.

Caieta.

Lect. Hebr.

Cornel. à Lap. in Prov. 10. 22.

3. *Benedictio* nomen complexum est ex benè ac dictio: significare solitat precatio boni quæ fit alteri. Hîc pro Dei favore sumitur quem opere præstat: nam divina locutio sic est mutabilitatis expers ut æquivaleat operi. Appositè Caietanus in illud Gen. 35. *benedixitque ei dicens non vocaberis* &c. ait: *& memento quod Dei benedicere tantæ est vis, ut sit etiam benefacere.* De hoc suprà flo. 7. de lib. 3. Expositioni præfatæ variis in locis modus loquendi sacræ Paginæ favet. Apud Jeremiam: *nunquid mihi difficile erit omne verbum?* Et apud Ezechielem: *loquar verbum, & faciam illud.* Gabriel angelus: *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quàm aliter humanæ vocis personat Echo! Tam longè distat ut homines operibus æquivalentia verba depromant ore, quod potius eò minus agent, quò plus loquentur. Fortè mens hæc Salomoni, dum ait: *in omni opere erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Non solitum est in locis plenis Echo sonum referre, sed in vacuo: unde poëticè, ne dicam falsò locutus est qui dixit

Gen. 35. 9. 10.

Caietan. ad eum locum.

Jerem. 32. 27.

Ezech. 12. 25.

Luc. 1. 37.

Prov. 14. 23.

Horat. in art.

Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Nomen, *Benedictio*, construitur (utinam & grammatica nos doceat ne solæcismum committamus in opere) cùm dativo casu, qui tribuitur non alteri personæ præter eam cui benedicitur. Hinc meminisse velim eos quorum benevolentia prodest aliis, ut tantùm illis quibus favent, beneficium patefaciant: aliter benedicentes non benedicunt, & audient Martialis dicterium:

Crede mihi quamvis ingentia Posthume dones
Authoris pereunt garrulitate sui. Martial. 5. epigr.

Domini. Singulari numero dicitur. Memoriam refrica pronuntiati Veritatis divinæ, quæ dixit: *nemo potest duobus dominis servire.* Nec ideo putandum te fore ditiorem si temerarius audeas apparenter exhibere ministerium Deo simul & sæculo: hujus enim stipendia fraus, & spes inanis. *Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aëra cædere. Certè frustra curris.* Igitur opulentior non eris ex eo quòd mercedem cupiens duplicem, te mancipes duobus heris. *Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse*, scribit Hugo. Imò licet erga te sortem beneficentissimam experiaris, neutiquam dives effectus es: cùm enim serviliter vivas, dominium non acquiris. Quod more servi degant qui sæculo præstant famulatum, heu quàm verum: sicut enim Dei servitus ingenua; sic mundi libertas captivitatis jugum. Ad illud Prodigi: *fac me sicut unum de mercenariis*, belle Chrysologus: *& hoc petit quia qui penes extraneum servam servat libertatem, penes patrem credit sibi futuram liberam servitutem.*

Matth. 6. 24.

Chrysost. to. 2. hom. 77. in Matth.

Hugo l. de claust. ani.

Luc. 15. 19.

Chrysol. ser. 2.

Divites. Quam sapienti stylo Augustinus Deum vocavit manum! *Totus*, ait, *manus est quia omnia operatur.* Hinc videas qualiter sit ampla Dei manus: cùm ille qui nullis finibus clauditur, totus manus esse dicatur. Ejus benedictione dignis providere donum de necessariis foret satis, nec enim amplius avent. Sed coarctari non patiens insuper eos ditescere vult. Hæc largitas eundem commovit ut naturæ nostræ non dedignatus indigentiam voluerit humano plasmati perpetuo nexu colligari. *Jesus Christus pauper est de nostro; de suo dives: qui ideo indigam humanitatis assumpsit naturam, ut abundantiæ suæ nos participes faceret.* Ita Cassiodorus.

4. S. Aug. to. 8. in ps. 120.

Cassiod. in ps. 39.

Facit. Non dixit: protegit, ne securitatem nocivam ex hâc sententiâ conciperent qui Deo favente possident bona quæ sunt apud mortales in pretio. Quamvis invicta potentia tueatur abundantiam fœlicem, nusquam tamen fortunarum (citra peculiarem providentiam) tuta fides. *Nemo autem securus est in his bonis quæ potest invitus amittere*, dixit expensus jam Augustinus. Quænam erit stabilitas in terrenis, ubi nec divitiæ cælestes periculis immunes putandæ sunt? *Nemo securus debet esse in vita ista, quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.* Si spiritualia, quæ pati nequeunt ab homine, nullusque nisi nobis volentibus auferet, ita periclitantur: quid erit in sensibilibus bonis, quorum conditio dissimilis est adeo?

S. Aug. to. 1. l. 2. d. lib. arbit. c. 14.

Idem l. 10. cõfess. c. 32.

5. *Nec sociabitur eis.* Contractum societatis lepidè plus quàm solidè notavit hoc loco Salazar. Ait eos qui per nefas assequuntur copias,

Salaz. in Prov. 10. 22. n. 176.

pias, pactum inire cum afflictionibus : proindéque partem lucrorum à cruciatibus auferri, dum frui suis quæstibus non sinunt illos. Minus acutè dicam, per illud, *sociabitur*, denotari quàm velociter mœrores quærant fortunatum, & socij fœlicitatibus ingerant se : non tantùm ut citò voluptatem faciant expirare ; sed etiam ut manente gaudio, melli fella misceant. Et, quod pejus est, illis ingemiscentibus, qui beati reputantur, vulgò non creditur.

Ovidius 4. Pont. 10. *Quam miser est qui fert asperiora fide !*

Afflictio. Politicorum notissimus aphorismus est summam Reipublicæ prosperitatem nutare, nec differri nimis quod infœliciter declinet. Etiam sors hominis (qui Rempublicam imitatur œconomiâ privatâ) semel ut supremum census ingentis fastigium tetigit, se minatur mox præceps ituram. Timor hujusce ruinæ maximum est divitis cruciamentum. Non unius tantum afflictionis dolor illum contorquet, qui contra fas acquirit opes. Anxius lucrandi pungit ardor : custodiendi vigil sollicitudo somnos excutit : &, quod caput est, conscientiæ torror instat. Et hinc oritur quòd frequenter ipsa *fortuna superexcellens impedit fœlicitatem* ; nec enim aurei lecti mollities quietem reddit ei faciliorem, qui sub propriæ fortunæ pondere gemit.

Aristo. l. 7. Ethic.

Tibull. l. 3. Elegi. *Non opibus mentes hominũ curæque levantur.* Ærumnosam trahunt illi vitam : præterit vix hora, qua non anxietatis aliquod signum edant : ficta namque lætitia brevi perit : *nemo enim potest*, ait Seneca, *personam diu ferre : ficta citò in naturam suam recidunt.*

Sen. l. 1. d. Clemẽt. c. 1.

DELIBATIO I.

E Dei manu veræ divitiæ ; non è sortis rota, mundive promissis.

6. A Deste quotquot vel tenaces quæsiti lucri defosso turpiter incubatis auro, vel quorum pectora sollicitat sitibunda cumulandi cupido. En occurrit suavissima ditescendi via : quin amore tabescatis habendi, protinus ditabimini. Nosse cupitis quænam sit illa ? *Benedictio Domini divites facit.* Non vobis afferet veras opes mundi largitas promissis locuples, quæ toties capessere prohibent somnos, atque dant perjucunda vigilibus insomnia. De benevolentia vos, omni fictione longè posità replebit. Ne sequamini ductum appetitus, ut inter mentitos, & solidos thesauros dijudicetis : cæcus est ille : luminibus orbam voluntatem ducere non valet, quin præcipitet. Quid non erroris timendum erit cæco de nummis audenti judicium ferre ? Vitæ quidem caduca bona picturata sunt : quid enim amplius possidet qui pertranst in imagine ? *Imago figuras, non res, habet, sic & præsens vita.* Sed cum phantasiæ nimium fidamus, quæ discursus leges ignorat : apprehensionibus tota scena peragitur, & in hac theatrali pompa, regiam induit personam potens numisma.

Theodore. in c. 2. Dani.

Horat. *Et genus & formam regina pecunia donat.*

Non aurum solij majestatem præripuit, quod tot raptores quasi metuens pallet : sed nos id superbo throno locamus, & opinio super capita vehit quod natura sub pedibus condiderat. Terræ fœtus argentum & aurum : imò, quia vitâ caret, inter plures minus nobilis est. Sed colore mutato matrem non agnoscit. *Aurum & argentum nomine terræ est rubra & alba : quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam.* Sic aureè Bernardus relatus superius. Ne quæso veritati mæstissimæ vertas faciem. Clamat idem S. Doctor ab illa refugienti : *filij Adam genus avarum & ambitiosum audite : quid vobis cum terrenis divitiis & gloria temporali : quæ nec veræ, nec vestræ sunt ?* Patris melliflui verba postrema pensita : *nec veræ, nec vestræ.* Utque cernas quàm optimo jure rideat opum inanitatem : sæculi mendacium in subjecta materia latiùs expendam hoc utens dilemmate. Divitiarum congeriem vel tibi placida fortuna projecit ; vel meritorum sudans industria fodit. Si primum, aliena fur invasisti. Si secundum, nihil te prorsus accepisse reputa. Jam utrumque firmo dictum.

S. Bern. ser. 4. Adven. Idem ibi.

A fortunatis initium sumam : ut vel sic festinans, eos adhuc inveniam ægritudine sua (jacentes dicam, elatosve ?) solent enim dicto velociùs evanescere. Tumentem facultatum ambitioso fastu similem turri, quâ thesaurus conditur ; sanè dixetim. Non quidem domina possidet arx quos gazarum cumulos claudit ; dominium est penes illum qui non agnoscitur à propugnaculo servante non habitas, & potius depositas, pecunias. Haud aliter mendicus inter argentea pondera (dives, inquam, inexpletus) tenacibus oculis bonorum clausuræ sibi commissæ custos. Aliena tuetur : alteri namque sunt hæc eadem repromissa, cui, licet ignarus, illa servat. *Tuum non est quod tecum ferre non potes.* Verba sunt D. Antonij Olyssip. Itaque verè possumus autumare, illum qui sorte locupletior micat, non suis frui ; sed bonis ejus, qui sequitur possessoris potiri. Illorum quòd sors obtulit, non fœlix Dominus est, sed alter dominatur.

7. *Sorte dives possidet alienum.*

S. Antoni. Olyssip. ser. Dom. 11. post Trini.

Geminatum filium protulit amico partu Rebecca. Nascendi primatum Esau natura concessit frustra : nam prout Lipomanus ait, *primogenitura jure & ordinatione divina erat ipsius Jacob ; quod ex matris revelatione creditur cognovisse : unde suam intelligitur vexationem redemisse, revocando prudenter ad se, quod sibi ex gratia Dei competebat, licet revera ab altero occuparetur.* Rem probavit exitus. Notissima est historia : nec superfluis narrationibus vellem paginas & lectores onerare, *scientibus enim legem loquar.* Exiguo Jacob pretio majoratum rei vindicavit à fratre : nec ipsum decepisse putandus est, sed quod suum erat recuperasse : cùm illum textus ipse laudet versutiarum expertem. *Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* Rupertus : *nec enim fratrem suum fraude circumvenit, simplex namque erat.* Et qua ratione divitiarum jus potius Jacobo, quam fratri largita est divitiarum altitudo Providentia Dei ? an quia

Lipom. in Gen. 25. 31.

Roman. 7. 1.

Rupert. l. 7. c. 6. in Gen.

nequam Esau futurus erat ? an ut superexcellens Altissimi dominium superare naturam nosceremus ? quidquid horum fuerit, in Caimo comperitur utraque ratio : nam improbus extitit, imò plurium iniquorum ænigma, prout insinuat Glossa dicens ? *alij terrenam civitatem, & mortiferas delicias sunt amaturi, & quantum in se est ambitione possessuri, quos significat Cain, qui interpretatur possessio.* Concinit S. Ambrosius. *Per Cain parricidalis populus intelligitur Judæorum.* Non tamen à Deo privatus est possessionibus in signum supremæ potestatis : quinimò sic earum obtinuit majestatem, ut rusticum pertæsus incolatum, primam construxerit urbem. *Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit & peperit Henoch : & ædificavit civitatem* &c. Quid amplius promeruit Caimus, quàm Esau ? Fratricida primus quomodo fluxas tenuit divitias ? Bona per industriam parta fuerunt ista ; non verò dona sortis erant : aliter contigit in Esau. Cain non ideo possidebat sua quia primogenitus : sed quia coluit agros : *& Cain agricola* ; Esau verò jure majoratus (si naturæ stylum spectes) idcirco dives erat, quia fortuna dante prior ex utero matris in lucem editus est. Quod ergo Caimo dederat laboriosa solertia, proprium ejus dici poterat ; quod autem Esau per nativitatis festinantioris fortunatam sortem adeptus erat, velut alienum est : id restituat Jacobo, qui proindè lentis edulio primogenituram emendo, *suam intelligitur vexationem redemisse.* Suadebis-ne tibi, non tuum esse quod sors obtulit ?

Gloss. in c. 4. Gen.

S. Ambr. to. 1. l. de Paradi. c. 2.

Gen. 4. 17.

8. *Discrimini proprium exponit qui ambit aliena.*

Itaque ne sortis desiderium præcordiis alas : nec enim tot sumptus prudenter facis ut alterius creditum custodias, nomine solo tuum : aliter, quærentis aliena pœnam subibis, vitâ comite. Supplicium hoc docet experientia : sed M. Gregorium audi. *Omnipotenti confidimus quia hi qui aliena appetunt, etiam suis citiùs privantur.* Sua mali palàm discrimini committunt, dum quærunt non sua.

D. Greg M. to. 2. l. 7. epistolar. c. 3. indict. 1.

Arphaxad Medorum rege devicto superbiit Nabuchodonosor, ita ut ad quamplures provincias legatos miserit arrogantiæ suæ testes. Quid illi denuntiaverint sacer textus conticet : at *ipso silentio monstratur superbum regem tributa & subjectionem postulasse*, inquit ad litteram insignis eruditionis biblicæ magister Celada. Addit aliorsum aureus Lacerdæ calamus : *quidquid petiisset Nabuchodonosor ; ex communi repulsa, insolentissimum fuit, legibusque & animis inimicum.* Indignatione commotus ipse *juravit per thronum & regnum suum quòd defenderet se de omnibus regionibus his :* ubi verbum, *defenderet*, sumendum est prout Latinè sonat juxta Hugonem Cardin. *dicit quod defenderet se de omnibus, quasi omnes vellent pugnare contra ipsum.* Defensio supponit aggressorem : neminem adhuc lego contra Nabuchodonosorem insurgere : jam de propria defensione cogitat ? Prudenter. Ille per legatos quærebat aliena : oportuit quamprimùm curare contueri possessa : exponit propria qui ambit aliena. Vide flo. 5. n. 15.

Celada in Judith. ad c. 1. n. 10.

Lacerd. ibidem in com. litter.

Judith 1. 12.

Hug. Card. in Judith 16.

Putabam prædicti periculi metu perterreri cunctos, ne quis alterius bonis inhiaret : sed hydropisis anhelans quod cupiunt, prævalet affectui complectenti quod possident. Sat est alienum esse bonum, ut commoveat appetitum. Esto multis dominetur arbitrium : unum desit alterius dominio possessum, sibique denegatum : in hoc solo delectatur cupiditas : illud unicè placet inter cætera. Sic de scelesto rege cum renuit manducare mœrore pressus, eò quòd ei tradere noluerit Naboth vineam suam (ad versionem Septuaginta, qui legunt *& non manducavit panem suum*, ubi vulgatus habet : *& non comedit panem*) ait S. Ambrosius : *non manducavit suum, quoniam quærebat alienum.* Sprevit refertam dapibus mensam, qui alieni pani avidus inhiabat.

9. *Alienũ plus placet multi. possidenti.*

Lect. Sept. 3. Reg. 21. 4.

S. Ambr. l. d. Nabut. c. 4. in prin. to. 1.

Hæreditarius est à Protogenitrice morbus hic. Paradisæo dominabatur horto : subdiderat ipsius libito Creator cunctas arbores fructiferas, ut esui servirent : *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem Semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui ut sint vobis in escam :* nullam tamen ex paradisi lignis Hevæ placuisse lego, nisi pomi noxialis arborem. De cæteris comedere se passa est : *de fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur :* at vetitum complacuit mirum in modum. *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Deessent in voluptatis loco pulcherrima frondibus, decoraque fructibus arbusta ? Quid inter reliqua vetitum habuit lignum, ut Hevæ peculiariter arrideret ? Alienum erat quia prohibitum fuit à Summo Domino. Unde perdoctus dixit Arriaga, *probabilissimum esse illud fuisse peccatum contra justitiam, quia erat usus rei alienæ invito domino.* Consonat Rupertus : qui nomine B. Virginis Mariæ sic de Primogenita loquitur : *illa invitavit virum suum ad comedendum pomum non suum, pomum alienum, pomum interdictum.* Aliis tanquam propriis uti poterat Mater viventium, quæ dederat Orbis Conditor : *dedi vobis.... universa ligna* &c. Hæc minus accepta fuerunt ei, quàm interitûs feraces rami : quippe quorum fructus non suos Virago cernens ibi, jucundissimos putavit, & quamvis gratos fuisse fatear, delitescebat in eis venenum. *Alienum nobis, nostrum plus aliis placet.* Ita Seneca. Transivit ad posteros hæc ægritudo judicij : quâ, licet nobismetipsis valdè complaceamus, possessa despicimus, aliorumque bona vesanâ sitis ardet. Quamvis attamen votorum compos fiat qui non suorum cupidus est, non ideo fient propria, quæ conditione sunt aliena : nam sortis est commodare, non elargiri. Neminem igitur fortuna ditat : *sed benedictio Domini divites facit.*

Gen. 1. 29.

Ibi c. 3. 2.

Ibi n. 6.

Arria. to. 2. tra. d. oper. 6. dierum disp. 44. sect. 3. n. 9.

Rup. l. 4. in Cant.

Sen. in Proy.

10. *Mũdus cum donum præbet jam ter debuerat idem.*

Transi nunc ad alteram partem propositi dilemmatis initio delibationis hujus. Vel (inquiebam) de terræ visceribus, operosa meritorum eruis anxietudine quod in bonis computas. Et sic dicam, te nihil è mundi manibus extraxisse : non enim donatur quod emitur laborum pretio. Quid ergo spe delusus obsequia dicas atroci, fereque libertatis ereptori

ereptori tyranno? Humanarum actionum fax præambula ſpes dici valet. Incipientes nutrit affectus, adultos promovet, maturos conſummat: *Nam in omni re, aut actu ſive corporali, ſive ſpirituali, agendi virtus ſpes eſt præmij futuri.* Verba ſunt Chryſoſt. Quapropter ſæculum cupiens æmulari Deum, qui propoſita munerum expectatione conſtanti, ſuis tædia militibus tollens, animos injicit eis, & alios qui hoſtilia ſequuntur vexilla, benignus allicit ut ad ſe transfugiant. Similiter mundus, inquam, eximias mercedes pollicitatur iis qui tyrannicæ (potius dicam ſervituti, quam pulverulentæ militiæ) dedere nomen. Sed heu: *multi fatigantur expectare veracem, & non erubeſcunt amare mendacem*, inquit, Auguſtinus. Dei ſponſionibus nec fidem negant, nec omnino ſervant; & ſæculi fallacibus dictis nimiùm creduli, cum ſimulatore callido pacta feriunt, ex quibus comperiunt ſero poſtea dolore feriri: tunc inſpiciunt quàm doctus fallere promiſſor ille ſit, cùm ipſius datæ fidei fabuloſum commentum aperitur. Non dicam ex fructibus arborem eos dignoſcere, ſed ex foliis & umbra: nam

Vt mundus, ſic ſunt mundi promiſſa: quod ipſe
Promittit fictū eſt, fictus ut ipſe quoque eſt.

Præter alia momenta, quibus hujuſmodi fictionis veritatem non ſemel invitis obtrudimus, hoc accipe modo. Quàm ſit mundus in reddendis præmiis tardus, clamant quotquot vel principum limina fatigant, aut martialis tubæ clangorem ſectantur, ſeu præſumptione ſegni vecorditer illuſi, nil ſollicitant; expectant univerſa. Meminiſti ſapiens effatum Senecæ: *qui tardè fecit, diu noluit.* Adjice aliud ejuſdem æque certum: *Beneficium nunquam datur niſi à volente.* Conſequentiam ex his præmiſſis erue. Serus, ideoque nolens, mundus largitur dona ſua: nullo munere proinde ſolet aſſeclas afficere. Potiùs creditorem infidum puta, quàm regiè munificum: utpote qui, cùm ſemel donat, jam idipſum bis, imò ter, debuerat recipienti.

Conſule Davidem experientiis inſtructum. A paſcuis ad movortia vocabat eum jam ſcintillans bellicus ardor. Tendit ad caſtra complens juſſa paterna. Duellum offerebat Iſraeli Philiſthæus, humana moles, Hebræorum terror. Audivit Betlehemites adoleſcens magnificum referri Saulis promiſſum, qui pluribus munerare decreverat Goliæ percuſſorem: inter quæ longius eminebat affinitas regia. *Virum ergo qui percuſſerit eum ditabit rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei &c.* Ille tamen potius honoris Divini zelo, quàm præmij cupiditate ductus, coram Saule ſuſcipit inire certamen, quod aggreſſus perfecit fœliciter: nec tamen ideo Regis filiam mox accepit in victoriæ pretium. Bella gerere pergit: & ejuſdem ſtrenuitate fideli coactus rex iterum filiam ipſi repromittit: *Ecce filia mea major Merob, ipſam dabo tibi uxorem:* en jam ſecundò Saul gnatam debebat Davidi. Putas ne duplici debito ſtatim ſatisfeciſſe? *Factum eſt autem tempus cum deberet dari Merob filia Saul David: data eſt Hadrieli Molathitæ uxor.* Tandem ſpondit illi tertiò donare genitam, ſi Philiſthæos occideret centum. Quo facinore perpetrato (& amplius) in hujus obſequij nobile ſtipendium accepit Michol regiam prolem in conjugem. *Et percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut eſſet gener ejus.* Et neſcio, an præterea inſuper alio titulo debuerit Saul filiam Davidi, ratione ſcili, aliorum centum forſan occiſorum ut acciperet Merob: quod non aſſero quia non exprimitur in textu. Saltem fatendum, trium promiſſionum onere gravatum Saulem donaſſe Davidi promiſſam affinitatem. Imo Saul impudenter faſſus eſt donaturum ſe duplici debito unicum præmium. *Dixitque Saul ad David: in duabus rebus gener meus eris hodie.* Interlinearis exponit: *una eſt res quod Gigantem proſtravit, altera ſi centum præputia Allophylorum deferret.* Tertiam tacuit ſponſionem (*ipſam dabo tibi uxorem:*) ſed ex textu patet jam tertiò debuiſſe, prius quàm traderet filiam ingratiſſimus Princeps. Hæc eſt mundi militia. Quàm aliter cum eodem bellatore ſuo Deus fidiſſimus remunerator ſe habuit! Vnicè Davidi promiſiſſe fuit ſatis: *Semel juravi in Sancto meo, ſi David mentiar: ſemen ejus in æternum manebit.* Deum ſpopondiſſe tantùm ſemel ſufficit, mundanæ potentiæ nec iteratæ promiſſioni credas: nam triplicabit ſponſionem priuſquam adimpleat. Et hæc eſt turgida ſæculi magnificentia, qua ſuis clientibus aureos colles daturum ſe præconatur? Extenuat leviſſima dona, dum verbo tenus augere ſollicitat illa: nam repetita muneris promiſſio datum imminuit, utpote quod pluribus debitis extinguendis par non eſt.

Quæ mundus amatoribus propinat ſuis futilia ſunt quia citò pereunt, leviora quia debentur iteratò: ſed inaniſſima, quia nimiùm ſonant. De ſæcularia bona concupientibus ait Ambroſius: *intus inania, foris ſpecioſa ſectantur:* inanitate ipsâ, concepto æëre fit ſonus, qui toto reboat æthere, præſertim dum plenis, ut aiunt, buccis magna donaturum obſtringit ſe, dans quam non habet fidem. Illiberalis eſt proprium hoc; *perfecta autem eſt liberalitas ubi ſilentio quis tegit opus ſuum*, inquit idem ſanctus Doctor. Et ut à majori ad minus argumentum conficiam, linquo ficta promiſſa: veniamus ad veras hominum pollicitationes. Etiam in his paſſim reperies quod exaggerationem adhibet qui tibi nihil omnino confert; qui maxima tribuit, hyperboles omittit operans plurimùm ſub taciturnitate.

Jamjam levandus Elias per turbinem in cælum, offert Eliſæo quidquid eligat: *Poſtula quodvis ut faciā tibi antequam tollar à te. Dixitque Eliſeus: obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. Qui reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti.* Attendiſti quam pro dignitate verbis amplificet Elias diſcipulo ſpiritum quem ille recipere cogitabat? Hinc ad initia lactantis Eccleſiæ pertranſeamus. Cum Jeroſolymis audiſſent Apoſtoli Samaritanos verbum Dei ſuſcepiſſe, *miſerunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum veniſſent oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum....*

Chryſoſt. hom. 42. in Matth. in oper. imperf.

S. Aug. to. 10. ſer. 23. d. verb. Apoſtol.

Jacob. Billi. antholo. ſacr.

Sen. l. 1. d. benef. c. 1.

Idem ibi l. c. 19.

1. Reg. 17. 25.

Ibi. c. 18 17.

Ibi. n. 19.

Ibi. n. 27.

Ibi. n. 28.

Interli. ibi.

Pſ. 88. 36.

11. *Exaggerat qui minus operatur; ſi-let qui plus donat.* S. Amb. to. 3. l. 5. in Luc. c. 7.

Idem to. 4. l. 2. de offi. c. 30.

4. Reg. 2. 9. 10.

Act. 8. 14. 15. 17.

Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum. Ecce facillimè tribuebant Altiſſimi donum Dei; nec priùs dicebant: ô mortales pretioſiſſima vobis attulimus donaria, munus arduum: accipite mirabilem rem. Nihil horum dixerunt. Elias autem dictis extollit ſpiritus poſtulati largitionem, dicens: *rem difficilem* &c. Prophetæ rei difficultatem aſſeveranter amplificat? Petrus & Joannes infinitè majorem Spiritum ſola manuum impoſitione taciti donant? Nil miror: iſti verè donabant, & multò ſublimiùs: nam poteſtas Apoſtolis collata

Chryſoſt. to. 3. hom. 18. in Act.

fuit largiendi Spiritum ſanctum. *Hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat*, inquit Chryſoſt. Elias tribuendi ſpiritum ſuum poteſtate carebat (ut ex ipſius reſponſione: *rem difficilem poſtulaſti*, colligit Lira: *quia*, inquit, *talis gratia non poteſt dari niſi à Deo immediatè*:) proindè ſi rigoroſè loquamur, non ipſe contulit ſed potius Deus Eliſeo quod poſtulaverat. Igitur vates cùm nihil prorſus daret, exaggerationis uſus eſt pompâ, ne Deus putaretur is qui mox erat exaltandus in æthera. Apoſtoli contra, qui non duplicem creatum, ſed Spiritum diviniſſimum elargiti ſunt, nec verbum addebant, ſed manu ſi enti rem tantæ molis operabantur. Expertis crede. Qui minus tibi donaverit utetur hyperbolico ſtrepitu. Ideo mundana fraus dum te pellicere vult, grandia loquitur.

12. *Palam fatetur mundus punire ſe virtutem.*

At vigila cautus: merita quippe ſæculum non munerat opibus, quod potiùs benè geſta ſupplicio ſolet afficere. Parum foret benemeritos fraudare promiſſis, niſi puniret acerbè. Nec alio quæſito colore plectit nonnunquam inſontes; ob rectè facta mulctat. Sic de Neronis temporibus refertur à Sue-

Sueton. c. 37.

ton. *crimen erat publicum omnibus virtus:* & ſimiliter de imperio Caligulæ Tacitus fatur:

Tacit. l. 1. ann.

ob virtutem certiſſimum exitium. Necnon de

S. Cypri. epiſ. 2.

ſuis deplorabat annis D. Cyprianus: *eſſe jam inter nocentes innoxium, crimen eſt.* Odit mundus virtutum radios, quia malè agit, nec ſcit odium tegere: rem ſibi tam exoſam in ipſius conſpectu exercere ſuperbus delictum judicat. Ut ejus nutui obſecundare nolentes animadvertat, ſæpe non prætendit falſum crimen; ſed apertè contra virtutis opera ſententiam pronuntiat inverecundè.

Holofernes Aſſyriorum dux, poſtquam legatos à diverſarum gentium principibus miſſos pacem flagitantes excepit: audiens filios Iſraël neutiquam deditionem parare; ſed potius ad pugnam bellica præſidia moliri, nimio furore correptus eſt. Convocato militarium procerum concilio, diſquiſivit eorum vires, & quiſnam apud eos belli teneat regimen ſciſcitatur. Adhæc, dux Ammonitarum Achior aperuit illius plebis antiquam progeniem, enarravit patrata in ejus gratiam Dei mirabilia: monuitque ne temerè contra illos belligeraretur: liberrimè proteſtatus, quòd ſi pro tunc Hebræorum Deus iis propter crimen aliquod infenſus non eſſet, Iſraëlitico gladio caſurus foret exercitus. Irati ſunt, cùm hæc audiſſent Magnates: necnon & indignatus Holofernes hoc adverſus

Judith 6. 2. 3.

Achiorem judicium tulit: *quoniam prophetaſti nobis dicens, quod gens Iſraël defendatur à Deo ſuo, ut oſtendam tibi quoniam non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor. . . . Aſſyriorum gladio interibis.* Timebam Holofernem qui ſui regis adulabatur ita ſuperbiæ ſicut illa verba teſtantur, dicturum ſe capitis Achiorem damnare, quia divinam Imperatoris majeſtatem læſit auſu temerario: vel ſaltem quòd alio quovis delicti prætextu condemnaret Ammonitarum ducem. Audis quid cauſæ moverit iniquum judicem, ut mortis reum decernat? *quoniam*, inquit, *prophetaſti nobis.* Duplex virtutis opus damnatur ſic: nam Achior & conſiliarij munus egit rectiſſimi poſthabito diſplicendi metu: verique Dei conſuluit honori: quamvis etenim Achior Ethnicus eſſet, attamen vel Hebraici populi Deum illius tantummodò peculiarem putabat: ſolummodòve cæli Deum, ut innuit doctiſſimus Lacerda: *Deum cæli nuncupat quem colit Hebræus. Id Ethnicis inſederat.* Imò colligitur ex ipſo textu ducem Ammonitarum honorem veri Dei tuitum fuiſſe: dixit enim ei Judith: *Deus Iſraël cui tu teſtimonium dediſti quòd ulciſcatur ſe de inimicis ſuis* &c. Duplicem itaque ſub nomine prophetiæ barbarus neſcienter virtutem ſignificavit, qui de hac neque verba facere ſciebat. Prophetiam punit? rectè facta caſtigat? Hæc eſt impudentia tyrannidis. Nullo palliata nomine crudelitas, in ipſum, quod execratur, virtuoſum opus quandoque manifeſtè ferre ſententiam affirmat. Et qui cernis apud ſæculum puniri virtutes, meritis expectas divitias elucrari? Ne fruſtranèe labores: Deo potius eodem gladio militia, diraberis ipſius benevolentia, *quia benedictio Domini divites facit.*

Lacer. in c. 5. Judith n. 12.

Judith 13. 27.

DELIBATIO II.

Non ſæculo, ſed potius Deo ſpes noſtra committenda.

13. *Deus vult quod in ipſo fidamus, omiſſis auxiliis mundi.*

INter præcipua Dei nomina, unum eſt quo demonſtratur quàm ardenter optet hominum cordibus excipi, longè pulſis inde creaturarum idolis: non fert aliud quippiam (ut notavi ſuprà) dilectione ſibi præferri vel exæquari. *Dominus Zelotes nomen ejus, Deus eſt æmulator.* Nec putes Deum ſolummodo pro divino cultu non alteri præbendo zelotypum agere. Plurimi ſunt amoris noſtri fructus, quos uni ſibi reſervat Creator. Reliquis nunc omiſſis, unicum ſub textus noſtri cortice latentem animadverte, ſcili. amantem confidentiam. Ut ipſi, non alij, fidamus percupit, fidus amator. *Sicut* (S. Baſilius loquitur) *nulli alii nos præter quàm ſoli Deo cultum tribuere par eſt: ſic etiam neque ullâ in aliâ re ſpem noſtram conſtituere debemus, quàm in Deo omnium rerum Domino.* Scio vix inveniri tam deſperatæ ſalutis improbum, ut ſpem Deo nixam penitus abjiciat: multos tamen circumſpicies, qui Deo, ſimul & ſæculo, ſpes committunt ſuas. Tam impoſſibile judicandum eſt hoc quod ipſi præſumentes audent, quàm duplici domino conjunctim obſequi. *Sicut nemo poteſt duobus dominis ſervire,*

Exod. 34. 14.

S. Baſil. orat. 20.

Orig. to. 2. hom. 5. in pſ. 36.

vire, ita nemo potest in duobus dominis sperare. Sic Origenes.

Luxit perseveranter Jacobus ementitam Josephi mortem. Hic à fratribus venditus ducitur in Ægyptum, & falsi criminis coram domino suo reus mittitur in carcerem: donec à Pharaone tanquam somniorum præscius interpres vocatur ad aulam, & ut venturæ fami sedulus occurreret præficitur. Esurie coactus, & rei totius ignarus genitor, alimentum quæsiturus, illùc filios mittit semel ac iterum. Tandem potentem isti novere fratrem: qui per eos adduci monet parentem, ne panis inopiâ pressus degeret qui tanquam gubernatoris pater, Ægypti valebat opibus frui. Renuntiant illi Jacobo superstitem dilectum, quem ut anhelus videat accingitur viæ grandævus Heros. Venit ad puteum juramenti: mactatisque Deo victimis, audivit
Gen.46.3.4. ejus vocem in hæc verba: *ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descendam tecum illuc; & ego inde adducam te revertentem: Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Commentatur
Rup.l.9. in Gen. c.15. doctè Rupertus. *Timenti igitur consolatio divina fiduciam subministrat noli timere, inquiens:* & infrà. *Summa consolationis hæc est, Joseph quoque ponet manum super oculos tuos.* Duo, præter alia, latent hoc loco mysteria. Primò ne prætereas circunstantiam temporis, quo ad Jacobum illa dicta sunt. Secundò quædam advertas ibi deesse videri, quæ à Deo nunc ei dicenda putabam. Quoad primum. Cùm lachrymis ora rigabat senex, tunc ipsum Deus non alloquitur, ut putatæ geniti mortis mendacium aperiat, certiorque fiat gaudij quod ex gnati præsentia concepturus erat? Cùm luctus abiit, voce Dei recreatur? Quoad secundum. Nihil aliud præstiturus fuerat Josephus patri, quàm ipsius emortui claudere oculos? cur cætera tacentur? Utrique dubio solutio sit. Pergebat fidens potestati dilectionique prolis parens:
Gen.45.10. 11. ille namque per fratres mandaverat: *eris que juxta me. . . . ibique te pascam* &c. Deo di-
Malach.1.3. lectus erat Jacob (*& dilexi Iacob*) nolebat zelotes Dominus ut in Josepho collocaret spem: soli Deo niti cupiebat ejus fiduciam. Protectorem se pollicetur, & ne putaret protectionis hujusmodi socium admittere Josephum erga Jacob, illi non ait à filio pascendum. Tacet cuncta quæ dilecto parenti gnatus præstitit; & ejus tantum obsequij meminit, quod in oculis Jacob peragendum erat post obitum: ut sciret nemini præter ipsum Dominum spes committere suas. En quomodo sibi Deus complacet in eo quòd firmam in ipso confidentiam servemus.

14. *Quidquid occurrat, cui beneficiũ acceptum referamus: creatura potius quàm Deo nos id fatebimur debere. Sen. Chrysost. to. 1. hom. 2. in Gen.*

Hominum tamen rebellis conditio, creaturarum se mancipans obsequelæ, recusat spes offerre Deo. Ab illis potius quàm à Conditore se beneficia consecutos agnoscent: ut seipsos tradant pereuntibus dominis, & ita servitutem excutiant citò: *beneficium enim accipere, libertatem vendere est*, ut judicavit Seneca. Quærit Chrysostomus: *cujus gratia dic, quæso, cælum clarum & absolutum creavit, terram autem deformem effecit?* Et infrà sic respondet: *ideo ut ne homines ob usus necessitatem plus quàm dignum est eam venerarentur, ostendit primùm rudem, & absque forma & inexpolitam, ut ne beneficia terræ telluris naturæ imputes, sed ei tribuas, qui illam ex nihilo ut esset creavit, propter hoc ait, terra autem erat invisibilis, & inculta.* Ea cepit oblivio Dei hominem, ut matri communi, quam pedibus conculcat, libentiùs dona referret quàm Deo, quem veritatis vi coactus reveretur. Adde quod esto miraculosè Dominus humanæ subveniat indigentiæ, curat ipsius providentia mortalibus ab oculis auferre totum cui posset illud beneficium tribui: ne potius id creaturæ quàm Deo se debuisse fateantur.

Post mortem Achab prævaricatus est Moabitarum rex fœdus, ex quô certam pecorum summam Israëlitidum regi persolvere debuerat. Ille superbiam ut confringeret, debitumque recuperaret, armatâ manu processit adversus Moab, secum habens in auxiliis Edom & Juda. Exurebantur præ laticum inopiâ exercitus: & cum sæpiùs accidat ut monarcharum sitim populi non valeant placare; hîc econtrariò subditorum ardorem anhelum Principes curaverunt extinguere: quod ut exequerentur Elisæum consuluere. Tunc propheta, canente Psalte, facto super eum Domini verbo ait: *hæc dicit Dominus:* 4. Reg. 3. 16. 17. *facite alveum torrentis hujus fossas & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum neque pluviam: & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & jumenta vestra.* Facto deinde mane mirabiliter abundaverunt aquæ, *propheta*, in- Raban. apud
quit Rabanus, *populo siti fatigato per miracu-* Gloss. ibi.
lum consuluit. Hujus unicam circunstantiam expendo. Oportuit ut populus nec ventum audiret, nec pluviam cerneret cùm Deus arentibus eorum palatis undam parabat? Opportunum censuit vates ita fieri. Si frementis auræ fragor auribus eorum strideret, dicerent Hebræi vento se debere pluviales aquas: & si conspicerent cadentem à nubibus imbrem, nequaquam prodigio contigisse putarent. Commentatur Sanctius. *Erit igitur* Sanctius in
prodigium à divina manu. Ut Altissimo, non 4. Reg. ibid.
causis naturalibus se teneri credant, nec pluviam videant, nec ventum excipiant aure. Vereor minimè Dei munus agnituros, esto quòd aliud occurreret, cui donum debuisse profiterentur. Parum dissimile puto desumptum à vento & pluvia exemplum, ut ingratitudinem ploremus non se credentium potentiæ Dei; sed in homine fiduciam locantium: quid enim Adamides nisi præterlabens aqua? *quasi aquæ dilabimur in terram* 2. Reg. 14. 14.
quæ non revertuntur: quid vento similius humanâ, licet formidabili, potentiâ. *Horri-* Habac. 1. 7. 9.
bilis & terribilis est. . . . omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens. Simile de vento pluviaque non vereor iis applicuisse, de quibus dici posset illud: *maledictus homo* Jerem. 17. 5.
qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.

Quid experientiis opus tibi, si ratione duceris, ne baculo nitaris harundineo, scili. hominum auxilio: qui, dum tibi manum porrigere credis, eam potius extendunt ut quicquam recipiant, quam ut opem ferant? 15. *Dum expectat à te vel cacus nomen tuum agnoscet ac genui?*

Solius

aliter nec benè oculato notus eris.

Solius qui bonorum noſtrûm non eget, *benedictio Domini divites facit*, abſque ſpe lucri favens exorantibus. In iſtum conjice vota: ſinceram huic dica fidem: & poſtquam cupita poſſederis (*nam tum Deus memoriâ hominum maximè elabitur, cùm beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ intelligentiæ debent.*) Hominum oblivionem ne credas apud eos poſſe fiduciam reperiendæ gratitudinis abſque diſcrimine deponi. Aquæ ſimillimi ſunt: ſi fidelitatem eorum præſtolaris quos muneribus ligas, in aquis fruſtra ſcribis nomen tuum. Dum tanquam benefactorem ſuum te quæſierit vel cæcus, perſonam tuam noſcet ex nomine; poſtquam ceſſavit ſpei radius, etſi polleat viſu, nomen ignorabit, faciemque dignoſcere neſcibit. Expectationis oculus acumine lynceo gaudet, quod ſatis probat in eo quod abſentia bona prævidet. Gratitudinis acies lippitudinem patitur ortam ex eo quod palpebris clauſis diu valdè manet in tenebris, & cæcutire ſolet qui diutinâ luminum clauſurâ hebetavit uſum videndi. Cæcum appellamus amorem utilitatis propriæ; tamen ab eo ductus non ignorat eum à quo pendere ſe meminit, ejuſque præclarum genus; alium verò neu cæcutientem, qui jam ab ejuſdem recepit manu quod expetebat, genus, facies, nomenque latet benefici.

Lactant. Firmi. d. Divin. inſt. l. 2. c. 1.

Juxta civitatem Jericho plus tunc veritati clauſam, quàm olim bellicæ Joſuë manui circumcluſam, aderat qui veritas eſt. Mendicabat ſecus viam quidam oculorum orbatus officio: & lumen ſibi concedi cupiens *clamavit, dicens: Ieſu fili David miſerere mei.* Adeamus hinc Jeroſolymitanam porticum, ubi languebat ferè quadragenarius annorum ægrotus. Is jubente Domino ſalutem recuperans grabatum ſuſtulit quo jacebat. Occurrunt Judæi malo zelo ducti circa religionem, diei feſti (ſabbatum enim erat cum lectulum ferebat iſte) interrogaverunt quis eſſet, cujus monitu bajulabat ſtratum. An eis æger ſanus jam factus quidquam reſponderit in textu non legitur. Solummodo te meminiſſe velim hæc verba. *Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet.* Conferre juvat utrumque locum. Morbidus hic, quamvis oculatus eſſet, Jeſum nequaquam noverat? cæco Dominus ex nomine fuit agnitus? & filium David non ignoravit? Expectatio cernit acutiùs quàm gratitudo. Viſum ſibi reſtituendum ſperabat excæcatus: quidni ſciret quis eſſet à quo munus tantum præſtolabatur? Vellet iis vocibus illum tenere ne ſe præteriret ejus indigentem benevolentia: *quia pedibus*, ait Imperf. *eum ſequi non poterant, voce tenebant dicentes: miſerere nobis Domine.* Alter, ſanitate jam reſtituta, nec nomen ipſius, nedum genus & proavos agnoſcebat. Neſcio an energia ſit hæc in Erici notatione: *jam ſalvatus erat, ſed adhuc Salvatorem ſuum ignorabat.* Hic eſt hominum uſitatiſſimus error. Eorum te conſecras officioſo miniſterio, quorum largitate reputas compenſandum quidquid miſer pretioſi temporis inſumis. Falleris, ah, demens. Evolabit ſpes fructu vacua. Dei vocibus utinam præbens aures, potius ejus cultui dies illos dicares, & experireris quàm irrefragabiliter verum ſit: *benedictio Domini divites facit.*

Luc. 18. 38.

Joan. 5. 13.

Chryſoſt. in oper. imperf. hom. 4. duobus cæcis.

Ericus ad id Evang. fer. 6. poſt Domi. 1. quadra.

Scire diligis quid lucrifaciat is qui mundi quæſtum expectans, ejus ambit munera? Deſperantis dolores. *De Creatore*, ait M. Gregorius, *deſperaſſe fuerat ſpem in creatura poſuiſſe.* Deſperatio quidem hyperbole cruciatum ſolitat eſſe. *Peccatum cum deſperatione certa mors*: verba ſunt Auguſtini. An hæc illi mens, judicet alter. Time ſæculo credere ſpem tuam: nam hujus comes deſperatio.

16. *Spê in creaturis locatâ deſperatio comitatur.* D. Greg. M. to. 1. l. 22. mor. c. 1. S. Aug. to. 8. in pſ. 50.

De Gentilibus ita mihi pronuntiare viſus eſt Apoſtolus: *deſperantes*, inquit, *ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Scio avaritiam hic annuente Hieronymo, ſumi pro ſiti, ſeu cupiditate libidinis. Nihilominùs improbabile non eſt accipi valere pro divitiarum febri. Exponit ibi Lira: *per quam illicitè acquiritur pecunia.* Avarus, qui præſentibus frui neſciens totus inhiat acquirendis, deſperat? Imò quia falſæ ſpei ſomnio, quod mundus offert, confidens ipſe delirat, ſpem comitatur deſperatio: *deſperantes* &c. Si phantaſiam conſulis, expectatio eſt; ſi cruciamenta prudens examinas, deſperabili plagâ feritur qui ſpem veram perdidit, falsâque nititur: quomodo enim poterit eſſe cordis laſſi fulcrum ſpes eadem, quæ pungit acriter, lancinatque ſævè præcordia, ſpatium quieti non tribuens?

Ad Epheſ. 4. 19. Hiero. to. 9. expo. ad Epheſ. ibi. Liran. ibid.

Sola ſervorum Dei (cujus *benedictio Domini divites facit*) ſpes cor humanum dulciſſimo ſomni vigilantis pabulo nutrit blandè. Fateor, in virtutis arduo tyrocinio, timorem ſpei ſocium vix quieſcere; provectis attamen contingit aliter. *Caterum ſi paulatim*, ait Bernardus, *per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, & proficere ſpes: cùm demum ad hoc ventum fuerit ut totis viribus exurgens charitas in adjutorium ſpei foras mittat timorem: nonne ejuſmodi anima ſingulariter in ſpe conſtituta videbitur: ac proindè etiam in pace in idipſum dormire jam & requieſcere?* Parum foret ſolummodo in pace quieſcere Deo militantem: de hac enim militia, paceque, dici poſſet quod bellicæ politicæ magiſter aliorſum docuit aiens: *qui deſiderat pacem præparet bellum.* Admirabilius eſt quod juſtus quieſcat ſuper ipſam ſpem, cujus eſt animam torquere. Sed iſta ſunt gratiæ mirabilia cui natura cedit, ſic ut idipſum quod ſolet cruciare, Dei amicis requiem præbeat. Si Deum tuo jugiter habeas in conſpectu, requieſcere tibi licebit in ſpe.

17. *Si Deum tuo jugiter in conſpectu habeas, in ſpe quieſces.* S. Bern. ſer. 51. in Cant. Veget. l. 3. in prolog.

Dixit homo ſecundùm cor Dei: *caro mea requieſcet in ſpe.* Licetque de Chriſto Domino accipiantur ab interpretibus illa verba: non improbabiliter de ſe locutum vatem dici poteſt inſimul hoc verſiculo. *Verùm cùm*, ait Janſenius, *aptiſſimè in Davidem quadrent: non abſurdè quidam etiam in hoc pſalmo Davidem de ſe loquentem intelligunt.* Adde Lorinum: *quamquam*, inquit, *neque contradico nonnulla ipſimet Davidi propriè convenire, & ad litteram*: & infrà: *in ſpe ſoli juſti requieſcunt.* Scio de ſpe futuræ gloriæ in Davidicis verbis agi, quæ defunctorum animas Deo gratas non deſerit. Non omnimodè tamen

Pſal. 15. 9. Janſen. in pſal. ibi. Lorin. ibi. dem.

tamen veriſimilitudine deſtituitur quod etiam de ſpe juſti dum vita manet poſſit intelligi textus : nam illi quieti motivum aſſignat Pſalmographus, quod ibidem lætitiæ cauſam dixerat. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea : inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.* Cùmque de gaudio præſentis vitæ loquatur, etiam de ſpe vitæ comite non inopportunè verſus accipi valet. Quo poſito conferamus nunc eundem ſibi Davidem alibi dicentem : *laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ : defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum.* Quamvis hic pſalmus litteraliter de Chriſto Domino ſumatur: *forſitan & ad David*, ait ibi Titelman. *quatenus Chriſti typus erat ſecundùm litteram poſſit applicari in tribulationibus graviſſimis conſtitutum.* O quantis ærumnis moleſtam hic dixit ſe ſpem ſervare, qui alibi ſibi quieſcendum in ſpe confidebat! Defectum patiuntur oculi, raucedinem guttur : clamavit quaſi ſpei non ſuſtinens angores? Metire temporum diſtantias. Nunc de ſe cum peccatis jacuerat, verba facit, ut ex illo collige : *delicta mea à te non ſunt abſcondita*; priori verò pſalmo, de ſeipſo dum legem Dei ſollicitus cuſtodiebat idem loquebatur : dixerat enim : *providebam Dominum in conſpectu meo ſemper.* Inde fiebat ut in ſpe requieſcere poſſet. *Propter hoc.... caro mea requieſcet in ſpe.* In ſpebus inveniet quietem qui Deum non ab oculis objecerit unquam.

pſal. 15 9.

pſ. 68. 4.

Titelm. in pſ. ibi.

Ibi n. 6.

Pſ. 15. 8.

18. *Spes in Deo locata vicem poſſeſſionis obtinet.* S. Hiero. apud Lorin. in pſ. 15. 9.

Sed quare putas? Dicam. Quia ſpes in Deo locata vicem poſſeſſionis obtinet. Davidem adhuc ne deſeras. Ubi vulgata Lectio habet : *caro mea requieſcet in ſpe*, S. Hieronymus legit : *caro mea habebit in ſpe.* Quies potius habenti convenit, quàm expectanti. Proindè myſterium ſubodoratus maximus ille Scripturis exponendis Doctor, habentem vocavit, quietè ſperantem. Opulentus eſt is qui ſpe fruitur Deo commiſſa, quæ firmitate, ſplendoreque dici poteſt adamantina. *Spes*, ait Climacus, *eſt indubitatus ante theſaurum theſaurus. Hæc laborum requies.* Properat munificentia divina ſuis largiſſimè propitia : nec patitur moras temporis volaturientis. Abſentia bona cæleſtia proſpicit ſpei luminibus homo; ſed ipſe jam expectatione tenere videtur quod expectat : quaſi foret idem ſpe quærere cælum, ac poſſeſſione ingredi.

S. Joan. Climac. in ſcala parad. grad. 30. poſt medium.

Sacri Baptiſtæ panegyrim Chriſtus Dominus amici, vociſque ſuæ, digniſſimus orator, hac exornavit laude. *A diebus autem Ioannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quænam ſit iſta vis, & à quibus inferatur, explicat Ambroſius dum ait : *vim facimus Domino non compellendo, ſed flendo.* Si divinus Magiſter hâc pœnitentiæ vi rapi veniam peccatorum diceret, nulli veritas hæc pateret ſcrupulo. At cælorum regnum, cujus clauſæ fores neminem (ut eſt certiſſimum) antequam Redemptor illac aſcenderet, admiſerunt, quomodo rapiebatur à diebus Joannis Baptiſtæ mediis peccatorum lachrymis? Nonne vides quòd Præcurſor, dum ad pœnitentiam provocaret, ſpem regni cæleſtis poſſidendi faciebat eos concipere? Cùm igitur expectare cœperunt interventu Baptiſtæ, pœnitentiæque, peccatores aditum cæli : feſtina ſpes ipſos, antequam in illud ingrederentur, introduxit : quaſi fœlici metamorphoſi tranſmutaretur in poſſeſſionem expectatio. Quamvis de cæleſtibus theſauris nequicquam aliud præter ſpem tibi videaris accepiſſe, qua benedictione Domini fulcitur, opulentiam tuam agnoſce : non vulgares opes inveniſti : *benedictio Domini divites facit.*

Matth. 11. 12.

S. Ambr. to. 5. ſer. 15.

Aſt id eſt hominum erga præſentia faſtidium, eaque circa diſtantia cupido, quòd forſan ideo ſpes Deo credere ſuas nolint, quia ſi Domino committant expectationem, videtur adeſſe bonum expectatum; nec niſi longè poſita placent viliſſimis colofibus depicta; dum autem ſæculo confidunt, ſperati boni movet appetitum abſentia. Ideirco tot floſculorum ſuorum avidos mundus fallit, & pauciſſimos videmus illos colligere flores qui ſunt fructus honoris & honeſtatis. Trahit plus oculos mortalium deceptoria pulchritudo mundarum ſperum; quidquid proclamet revocare cupiens præcipites D. Bernardus dicens : *ut quid cunctamur abjicere omninò ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias, & huic uni tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei, tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhærere?* Huic interrogationi reſponſum adhibere quis audebit? Hoc unum adjiciam : quòd tunc obſequimur facillimè Deo vocanti, cùm illuſoriæ ſpes in veraces & mæſtas experientias deſierunt. Antea quandiu florebant allexerantque vilia lucra : cùm veriſſimum ſit illud Auguſtini : *quòd expectatur cum cupiditate amittitur cum dolore :* arduum nimis videbatur ſpem deponere ſæcularem. Chriſti ducis veſtigiis inſiſtere, dum ſpes viget bonis temporalibus implicita, res equidem haud inter vulgaria facta numeranda; cùm verò damna cernimus eſſe laborum fructus, ac ſpes temporanea marceſcit, faciliùs ad majora vocamur.

15. *Dum viget ſpes temporalis, arduè videtur Chriſtum ſequi.*

S. Bern. ſer. 9. in pſ. Qui habitat.

S. Aug. to. 8. in pſ. 9.

Juxta mare Galileæ vidit Simonem Redemptor Andræamque germanum : & ad ſui diſcipulatus fortunatiſſimum contubernium vocavit eos, promiſſo tamen præmio non mediocri : *venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Liberale ſic extitit hujuſmodi promiſſum, quòd miretur Chryſoſtomus, illos tantæ rei credidiſſe ſponſioni. *Illos maximè admiror : quia cum nondum ſignum aliquod factum fuiſſe vidiſſent, tam firmiter promiſſionis magnitudinem crediderunt.* Ita Chryſoſtomus. Inde progreſſus ultra Dominus duos alios fratres nullo propoſito præmio vocavit ad munus idem. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua : & vocavit eos.* Cuique ſe mox offert dubitatio. Hi ſecundò vocati nec minus pauperes erant, nec invitabantur ad ſuaviora. Cur ergo relicturis pauperculam ſupellectilem, imò parenti valedicturis, nihil pollicetur Dei Filius, qui Simoni, & Andreæ (de quibus genitorem liquiſſe non legimus) repromiſit rem adeo magnam? Piſcatores erat utrique; ſed impar fuit vocationis eorum

Matth. 4. 19.

Chryſoſt. to. 2. hom. 14. in Matth.

Matth. 4. 21.

occasio. Priores duo rete mittebant in pis-
Ibi c.3.18. cium capturam, cùm Dominum vocantem audiverũt: *vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare*; alij verò non ita: sed tempore quô divinum hortatum acceperunt, erant *reficientes retia sua*. Retium isti sciſſarum damna dum cernerent, intermiserant spem lucri: nullâ promissione fuerat opus ut adducerentur ij quibus præ oculis erat quod pauperie suadente dolerent. Germani priores capturæ piscium dantes operam, rete scili. in aquas demittendo, spem temporalis fortunæ pectore fovebant: difficile quidem ipsis erat obsequi vocanti Deo: ne renuerent, oportuit illici magnitudine promissi præmij. Fallor nisi mens ista sit Chrysostomo circa Petri, fratrisque, fidem ac obedientiam: *perpende verò fidem & obedientiam vocatorum, siquidem in medio ipsius operis constituti (scitis quam avida res sit piscatio) cùm illum audissent jubentem, nihil distulerunt.* Quid aliud exercent qui mundialibus irretiunrur, quàm retia solerter in æquor mittere, spe capiendi vel hanc vel illam sui laboris mercedem, quam piscantur avidissimè? Dum audiunt isti monentem quod *benedictio Domini divites facit*, utinam præmij magnitudine trahantur: difficulter enim tendicula relinquunt.

Chrysos. proximè sup.

DELIBATIO III.

Divini amoris effusa liberalitas.

20. *Dum ligare Deũ volunt mortales, ostendit à nemine teneri ne beneficiat.*

QUod in amore nostro cæcitas, hoc in dilectione Dei præstat magnanimitas. Neuter affectus amat inopiam dilecti partim solũmodo sublevare. Benedictio Domini hoc loco pro ejus favore, seu benevolẽtiâ ponitur. De amore divino dicitur hîc, non quòd hominum subveniat inopiæ; sed quod eos ditet. Quid non offeret ipsis ille fidus amans, qui seipsum impertiri non recusat omnia continentem? Quomodò, si Deum possideas, non diteſces? Quonam indigebis cunctis in eo potitus? *Deus*, Augustinus ait, *tibi totum est: si esuris panis tibi est: si sitieris, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est, quia incorruptibilis manet: si nudus es, immortalitatis vestis tibi est, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem* &c. Hæc omnia imò plura, largiri paratus est Deus cuicumque velit, eundem possidendo consequi. Paupertatis tamen suæ peramantes, donorum flumen respuunt, cisternis hærentes lutosis, ac dissipatis. Inde fit, ut plurimùm, quòd in eorum utilitatem pronas veluti ligent Dei manus: qui non equidem nostræ gratitudinis egens, illam expetit; sed vellet ad fontem aquas reverti, qui fluerent iterum. *Siquidem*, inquit Bernardus, *etiam fluminis aqua, si stare cœpit, & ipsa putrescet, & inundatione facta, superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nihil augetur ingrato: sed & quod acceperat vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori.* Hoc fateor accidere frequenter. Nemo tamen ibit inficias aliter sæpe divinæ munificentiæ victoriam decantari. Nostram æmulatur ingratitudinem amor Dei. Ea quidem cæca, & ipsismet beneficij laqueis, quia pede calcat illos, præpeditur. Quandoque non patitur Dominus; ut hominum judiciis appareat quod illaqueata passio luminibus carens prævalet amori divino, qui liber est, ac lynceo pollet acumine. Ipsissima temporis horâ, quâ mortales Omnipotentem audent ingrati ligare, tunc ipse beneficum se præbens, probat neminem sibi, ne benefaciat injicere vincula.

S.Aug.to.9. tract.13. in Joan.

S.Bern.ser. 1.in capite jejunij.

Cæco proditore ducatum præbente gehennalis cohors ad hortum Jesum innocentissimum comprehensura furens accedit. Obvius occurrit Agnus lupis, eosque voce prosternit. *Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Deinceps illis ait: *si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Utrumque sanè mirabile cuncta potentis opus. Accipe Chrysostomum. *Quid ergo eos continuit? Nemo alius quàm quæ eos retrorsum projecerat potentia: quod Evangelista non eorum mentis, sed supernæ virtutis fuisse signficat inquiens, ut sermo impleretur quem dixit: non perdidi ex eis quemquam.* Mitissime Redemptor: nonne ibidem horam istam, velut alienam à te computari significasti? *hæc est hora vestra* &c. quid ergo nunc uteris omnipotentiâ tuâ? Vinciendus erat. Unde ne putaretur ingratitudine hominum ad benefaciendum jam ligatam benevolentiam, tam hostium, quàm suorum curam egit ibidem. Inimicis ostendit miraculum quo possent converti; discipulorum verò consuluit incolumitati. Redi ad Chrysostomum. *O dementiam: verbo eos prostravit, nec conversi sunt. . . . cùm ostenderit primùm quibus facilè amoveri debebant, & tamen in proposito perstitissent: & minimè jam possent excusari, tunc se tradidit, inquiens: si ergo me quæritis, sinite hos abire, ad ultimam usque horam suam in eos benignitatem præ se ferens.* Tunc igitur cum hominum ingrata sævitia Benefactorem divinum vinculis adstringere procaciter audebat (*comprehenderunt Iesum & ligaverunt eum*) insinuare voluit se ut beneficeret expeditissimum. In ipso loco nexuum ac tempore, benevolentia fuit ligaminibus exors. Feriebat utique Servatorem ingratitudo: sed novum non est quòd liberalitatis divinæ thesaurus instrumentis eisdem, quibus accepit vulnus, aperiatur. Ignoras clavos crucis ex D. Bernar. clavos? *Clavis referans clavus penetrans factus est mihi ut videam voluntatem Domini.* De lancea similiter loquitur Chrysostomus. *Lancea tanquam clave in arcam injecta dedisti pretium ex paterno thesauro.* Cui crudelitatis arma claves fuere ærarium referantes inexhaustum: etiam ingratitudinis tela provocare videntur ipsum, ut largiùs emittat munera, quamvis illa detinere velit adversa manus pro bono malum reddens.

Joan.8. 6. Ibi n.8. Chrysos. to. 3.hom.82.in Joan. Luc.22.53. Chrysos. proximè sup. S.Bern. ser. 61.in Cant. Chrysos. in ps.14. in princ.

21. *Magnanimus quandoque non metitur*

Quomodò non superaret beneficiis rebellionẽ ille qui persæpe non ad recipiẽtis mensuram; sed prout manum decet divinam largitur

donum ex accipiēte sed ex seipso.

gitur munera ? Hinc est quòd cum tenuitatis nostræ fines excedat longissimè seque dona largiens attendat, stet Ambrosij dictum : *plena semper & redundantia sunt divina beneficia.* Nisi sic verum foret, quomodò seipsum nobis toties donaret immensus ? De Alexandro fertur donavisse cuidam civitatem. Is tanti doni mole gravatus rejiciebat illud : excusansque palliatam ingratitudinem, dicebat humili fortunæ, quam sortitus erat, non convenire præcelsum adeo munus. Reposuit Alexander : non quæro quid te oporteat accipere ; sed quod me dare deceat. Arctari non patitur largitatem suam ab accepturi parvitate magnanimus. Donum ex seipso metitur.

S. Ambr. to. 3. l. 10. in Luc. c. 1.

Rogavit Elisæus Eliam paulò priusquàm raperetur igneo curru, duplicem ut spiritum acciperet. Agnovit supplicationis difficultatem Elias, & illam fassus est dicens : *Rem difficilem postulasti :* Sed tandem expetitum recepit assecla : *requievit spiritus Eliæ super Eliseum.* Quæro. Arduum putat Magister quod flagitat Elisæus ? Dicturum putabam : ne plusquam discipuli spititum velis : obtinebo tuum augeri cælitus ; meum tibi potens impertiri non sum. Nequaquam sic locutus est : non enim sustinebat eximia circa dilectum liberalitas, ut beneficium ad mensuram discipuli conferret ; donum voluit ex seipso metiri. Quod ut præstaret, non spiritum solum Elisei crescere curavit ; sed suum ad Eliseum pertransire. Quod vates egit, fecisse Deum puta : nam Salvatoris umbra fuit ille. *Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam* &c. Deus igitur quem ad umbrat Elias, nostræ vilitatis conscius, ne semper huic suæ manus accommodans magnitudinem, liberalitatis pelagum perpetuò reduceret ad angustias : aliquando bonum præstat homini, non ei par ; sed proportionem cum dante servans, quasi sibi donaret, non hominibus. Ad hunc modum Augustinus dixit : *misericordia dicitur : quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam, ut peccata nobis omnia dimitteret, & vitam æternam promitteret.*

4. Reg. 2. 10.

Ibi n. 15.

S. Bern. ser. 3. d. Ascens.

S. Aug. to. 8. in ps. 60.

22.

Deus ne plus dives datis quam possessis ?

Quasi tribueret, inquam, sibimetipsi Deus nos bonis cumulat. Ne citò percurras oculis dictum Doctoris melliflui. *Nostros profectus suos fructus deputat.* De Deo loquitur S. Doctor. Fons nisi copias aquarum fundat, nunquam flumen erit : expendens ditescit. Deus equidem fontale Principium est, cui repugnat augmentum. Sed ita nostri follicitus donaria multiplicat, ut putetur non tam illo quod possidet esse divitem, quam eo quod tribuit.

S. Bern. ser. 63. in Cant.

Ad Ephe. 2. 4.

Ad Ephesios Apostolus memorat quomodo reis veniam Deus præbuerit : *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis convivificavit nos* &c. Deum divitem fateor : sed quomodò potiùs misericordiæ quam potestati divitias ejus Paulus tribuat ignoro. Quid est esse ditem, nisi dominium rerum plurimarum obtinere ? Quid est dominium ? Facultas utendi re pro libito. Potestas hæc nonne propriè reducitur ad omnipotentiam in Deo ? Dicat Gentium Doctor : Deus qui dives est in omnipotentia. Non frustra dixit potiùs : qui dives est in misericordia : nam per omnipotentiam Deus habet cuncta intra sui posse sphæram immetatam : & quid est habere intra potestatis fines nisi possidere ? Cùmque Deus non tam possidendo, quàm donando videatur abundare, non ait Apostolus Deum divitem in Omnipotentia. At verò per misericordiam Deus veniam & mille alia tribuit immerentibus. Donis itaque suis ditari putatur Deus. Ideo dicitur : *qui dives est in misericordia.* Favet cogitatui Chrysostomus. *Deus autem in remittendis debitis maximè ditescit : nam opulentia Dei hominum incolumitas est.* O Deum naturâ beneficum ! Ne Salomon exprimat qui sint illi quos *benedictio Domini divites facit*, ut nobis dubitare liceat, an etiam ipse Deus ex sua in homines profusa benedictione dives fiat.

Chrysost. hom. in parab. decem millium talent.

23.

Amor divinus non judicat possidere quod non adhuc omnibus effert ? S. Bern. epist. 12.

Hoc unum certè non dubito, scili. adeo divinum amorem in largitatis officia propensum, ut id quod adhuc non omnibus obtulit, se non computet possidere. (Loquimur more nostro.) Rationem hujus exigis ? *Non expectatur ratio, ubi affectio trahit,* inquit Bernardus : non quod expers rationis divinus amor sit ; sapientissimus est : sed ipse sibi ratio qui vera sapientia.

Joan. 16. 14.

Verba Redemptoris cùm de Spiritu sancto mittendo loqueretur ad Apostolos ostendunt quod prædixi. Positus in vitæ mortisque confinio Dei Filius discipulos venturo dolori ferendo Paracliti promissione muniebat. Addidit sententiam in paucis difficilem. *De meo accipiet & annuntiabit vobis.* Quidnam sit illud quod accepturum à Verbo divinum Flamen affirmat Veritas, dubium satis est : cùm à Christo Domino nec ut Deo Spiritus sanctus aliquid accipiat in tempore. Per illud intelligunt scientiam & voluntatem Dei Chrysost. & Euthym. Divinitatem interpretantur Dydimus & Nazianzenus. Concinit S. Hilarius, dicens : *& interrogo utrum idipsum sit à Filio accipere quod à Patre procedere ? Quod si nil differre creditur inter accipere à Filio, & à Patre procedere : certè idipsum atque unum esse existimabitur à Filio accipere, quod sit accipere à Patre.* Augescit per solutiones difficultas. Divinitatem, scientiam &c. accepit ab æterno Spiritus sanctus à Patre simulque Filio. Locuturus igitur videbatur Christus Dominus de præterito, dicens : de meo accepit. Quod jam Paraclitus habet, quomodò recipiet ? Quid habuisse refert ei qui amor est, & non adhuc suam deitatem, aliaque bona cunctis offerebat ? Quodammodò (si dicere fas est) Divinitatem sibi visus fuit accepisse, cùm in die Pentecostes omni humanæ creaturæ sese obtulit, juxta dictum Athanasij jam aliorsum alibi datum : *Spiritus verò Sanctus super Apostolos veniens, & super omnem carnem effusus* &c. Amoris proprietas est nihil sibi reputare proprium nisi dilectis deferat. Cúmque dilapsus in Apostolos divinus exhibuerit seipsum Spiritus verè donum cunctis : quandiù non hoc suæ liberalitatis clarum testimonium præbuerat, nihil adhuc possidere, sed accepturum fore videbatur.

D. Hilar. l. 8. d. Trin.

S. Athan. q. 49.

De meo accipiet. Quod nunc de amore divino dixi, Filio Patris animarum eximio dilectori libens accommoda: ne liberè dictum judices, Christum Dominum ex ipsa largitione quâ dona diffundit in homines, se quasi ditiorem factum velut æstimare.

24. *Post homines terga dantes pergit Christus Dominus invitans beneficiis.* Chrysost. to. 5. hom. 48. ad popul.

Hujusce veritatis aliud signum tibi præbeo notissimum. Quærit mortales benignissimus Dominus, offerens quæ nos inofficiosa rusticitate recusamus. Ad temporalia transfugimus perfidè, nec ille desistit: insequitur fugitantes. Et non asseram ipsi ferè videri emolumenta nostra ceu propria lucra? *Vocantem aversati sumus, & undique nos attrahentem, nec ita nos punivit, sed accurrit ipse, & fugientes cohibuit, & excussi sumus, & ad diabolum resiluimus, & nec ita recessit.* Non dedignatur post homines ipsi terga vertentes pergere: quomodo namque pudebit victoriam prosequi? Ne ducem laudes quòd vicerit hostem, nisi fugientes ad extremam usque fortunam sequatur sciens uti fœlicitate partâ. Deus noster Dominus exercituum in aciem venit, vidit, vicit beneficiis ingratos. Oportuit quòd etiam post eos dorsa dantes iverit offerens munera lubentissimè, quasi triumphum consummans.

1. Corint. 10. 4. Lect. Syri.

De petra quadam ex quâ lympham pro levanda siti populus hausit Hebræorum, post eos venisse novimus, oblito naturali pondere. Juxta saltem probabilem expositionem intelligenda sunt ita verba D. Pauli: *bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Favet Syriaca, dum legit: *bibebant de petra spirituali, quæ cùm ipsis veniebat.* Quid opus erat ut saxum Deus contra nativam gravitatem cogeret peregrinari post Hebræos? an ut lapidis obedientia lapideam illorum duritiem confunderet? Jam effundens aquas hoc præstiterat Deo parens: an ut benefacti memoria jugis apud eosdem permaneret? Ad hoc satis fuisset præcipere quod ex aqua miraculosa partem deferrent; sicut jussit ex mannâ servari: an ut Israëlitæ ad manum haberent eundem saxeum fontem ex quo potum educeret Moyses, quoties postularet undam? Et fortè deficerent silices, qui munus idem fretis potentiâ Dei ministrarent? Quid igitur est quod Israëlitidum turmas insequitur hæc petra? Christum Dominum referebat: *Petra autem erat Christus:* cujus amantissima pietas nunquam exhausta, postquam largissimè gratiarũ fluenta profudit, præbentibus tergum iterum donorum fontem offert: beneficiis invitans immemores accepti, fugam capessentes, & veluti contemptores accipiendi muneris, post eos it. Perbellè S. Ambrosius: *umbra in petra, quæ aquam fluxit & populum sequebatur. Nonne umbra erat aqua de Petra quasi sanguis ex Christo, qui fugientes se populos sequebatur ut biberent & non sitirent, redimerentur, & non perirent.* O Præclaram Servatoris munificentissimi victoriam, quam exultabundus perficit fugientibus instans!

Ad Cor. proximè sup.

S. Ambr. to. 2. in ps. 38.

25. *Deus videtur solummodò suâ dicere quâ benefacit horã.*

Is est Incarnato Deo benefaciendi piissimus ardor, ut quamvis omnium arbiter atque factor dici temporum debeat, solius ejus temporis tanquam sui videatur habere rationem quo bona confert. Verè dixit Anonimus: *is autem ille fuit dies festus quo passione sua redemit mundum.* Nam cum festos dies peculiari jure sibi Deus vendicet, lux quæ propter summum beneficium nobis in ea collatum dicta est festiva Domino, ipsius propriissima dicenda venit: ac similiter omnes in quibus insigne donum aliquod hominibus Dei manus affert. Plausu communi receptum est illud imperatoris Titi dictum: *diem perdidi:* quod protulit cùm vidisset in eo se nullum donavisse munus. Avara liberalitas hæc, si Deo conferatur, judicanda: nam diem computaret integrum tanquam suum Romanus monarcha, si vel unicum beneficium largitus esset illo durante. Deus autem per singulas horas videtur secum inire ratiocinia, & solummodò suam dicere, quâ benefacit horam.

Quidã Anonimus sub nomine S. Aug. to. 4. q. 78. novi testam.

Ad nuptias in Cana Galileæ vocatur Ecclesiæ Sponsus: adfuit purissima Genitrix, hymenæi gaudiis interesse non dedignata. Non adhuc ad extremum fuerat convivium perductum, cùm vini defectus largitatem Spõnsi devenustabat, & exposuit ludibrio convivarum. Id sciens Mater piissima voluit occurrere pudori: gnati potentiam, necessitatis manifestatione coram non ignaro facta, misericorditer implorans. Petitioni dilectissimæ Virginis non extemplò Dominus annuit; sed in hæc verba reposuit: *quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Quî fieri potest ut universi Dominatori sit hora non sua? hæc ipsa, qua sic loquebatur, propria non adhuc erat? quid ei deesse potuit, ut hora Dei vocaretur ab eo? Benefacere. Nondum præbebat egentibus donum: ideo non adhuc horam dicebat suam. Prodest huic expositioni libenter Euthymius. *Nondum adest*, inquit, *tempus meum ad edendum quod quæris miraculum: tunc autem aderit, cùm hi quibus opus est miraculo, cognoverint quod talia possim operari, & ipsi me fuerint deprecati.* Ab ipsis indigentibus expectabat orari Servator: & cùm exoratus elargiretur beneficium, tunc horam numeraret ut suam. Quàm aliter sedentes pro vanitatis aëreo tribunali! cùm egenorum postulationibus premuntur, horâ se carere causantur, quam suam appellare queant. Non sic miserorum Summus Parens. Inest peculiare gaudium amori divino, cùm vel impertitur minima quæ postulamus: vel solâ miseratione motus in homines dona supereffluit. Utrovis operetur stylo, rem affectus Dei putat exequi gratissimam sibi, dum *benedictio Domini divites facit.*

Joann. 2. 4.

Euthym. ibi.

DELIBATIO IV.

Justorum gaudia sub ærumnis latent.

26. *Stat in justo simul cum lachrymis gaudium.*

Nec sociabitur eis afflictio. Eos quibus benefica Domini manus opes confert magnificenter, Salomon tacitè sic opponit, quorundam sorti: qui doloribus diuturnis comparant brevi transeuntia: nec minoris, si velint anxietudine custodienda, tandemque velint nolint, æquali derelinquenda crucia-

tu.

tu. Omnia breviter præſtrinxit S. Proſper his verbis: *divitiæ, quas qui habere volunt ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine curâ non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt.* Longè contingit aliàs illis quos ditat beneficentiæ Divinæ provida ſollicitudo. Textus ideo noſter ait: *nec ſociabitur eis afflictio.* Verùm qui ſacras à limine ſalutaverit hiſtorias, mox dubitabit quomodo valeat hoc ſtare cum Jacobi, Joſephi, Davidis anxietatibus. Hos equidem bonis Deus replevit abundè: ſed audi Jacobum: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali:* & antea dum apud Laban congregaret poſſeſſiones à Deo tranſlatas in Jacobum, quot ærumnas paſſus ille ſit, non ignoras: *die noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.* De Joſepho ſcis, quod *humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam ejus:* de David ſcriptum eſſe noſti: *mortuus eſt in ſenectute bona, plenus dierum, divitiis & gloria:* ſed ideò ne laborum expers? ipſum lege. *Pauper ſum ego & in laboribus à juventute mea &c.* Ergo quo pronunciat ingenio Sapiens de illis quos Deus bonorum affluentiis fœlicitat: non ſociabitur eis afflictio? ſciebat unumquemque noſtrûm, eoquòd & perituris addictus, & cœleſtium ſit candidatus, homini æquivalere duplici, ſecundùm illud Apoſtoli: *ſed licet is qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem.* Eſto fleat igitur externus homo, non tollit hoc interni lætitiam: imo ipſas lachrymas tanquam alimentum guſtat non inſuaviter: *luctu enim ſuo*, ait M. Gregorius, *anima paſcitur cùm ad ſuperna gaudia flendo ſublevatur, & intus quidem doloris ſui gemitum tolerat, ſed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lachrymas emanat.* ſtatuamus igitur juſtum poſſe dum exterius plorat, intus lætari.

Scribens ad Romanos Paulus monet ipſos ut mæſtis exhibeant ſe cum lachrymarum diſpendio ſodales. *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Optime: ſed quomodo ſibi conſtans eſt magiſter idem cum ad Philippenſes inquit: *Gaudete in Domino ſemper.* Quamvis non eiſdemmet data diſcipulis; ejuſdem tamen præceptoris doctrina cohærenter procedat oportet, ne docentem levitatis accuſet. Romanos docet ut interdum lachrymentur? Philippenſibus ut nunquam non exultent? Valent-ne flere gaudentes? certè poterunt imitatores illius Domini, etiam dum crucem ſubiit, gaudium quod beatitudinem comitatur non interrumpentis. Madidis oculis forinſecus lamentantur, & profuſis gaudiis interius hilareſcunt. Adeſt S. Baſilius. *Apoſtolus præſcribit & nobis ut unà cum flentibus & ipſi fleamus.* Et infra: *obiecerit quiſpiam: quonam pacto hæc concinunt Apoſtolicæ ſententiæ; ſemper gaudete?* tandem ſolvit difficultatem, inquiens: *unde Sanctorum lamenta, lachrymæque proſiliunt à fervore charitatis, qua toti erga Deum flagrant. Oculis enim cordis in eum indivisè conjectis quem diligunt, lætitiam ſibi adhuc accumulant, dumque moderantur & regunt quæ ad conſervos ſuos attinent in peccatis deprehenſos lugent.* Stat ergo juſti cum lamentis gaudium.

S. Proſp. l. 2. de vita contemp. c. 13.

Gen. 47. 9.

Ibi c. 31. 40.

Pſ. 104. 18.

1. Paralip. 29. 28.

Pſ. 87. 16.

2. Cor. 4. 16.

Grego. M. l. 5. mor. c. 7. tom. 1.

Ad Roman. 12. 15.

Ad Philipp. 4. 4.

D. Baſil. hom. 9. inter var. de gratiarum actio.

Et præſertim ideo ſolet in corde recto dolor cum gaudio miſceri: quia Dei amicis mos eſt dicere, ac opere comprobare quod Apoſtolus ad Corinthios aiebat: *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Vulgariter amat excipiens dura tanquam labores: vulneratum ſe fatetur qui dolet, ac victoris vulnus triumphi gloriam nonnihil deprimit. Altius evolat affectus dum patientiæ contubernalis adeſt exultatio de rubo colligens roſas, ex cruciatibus voluptatem: *Vbi autem amor eſt, labor non eſt, ſed ſapor.* Ita D. Bernardus. Amoris hyperbolen invenit qui tormentum voluntariè ſubiit eo gaudens.

27. *Amoris eſt hyperbole tormento gaudere.*

2. Corint. 7. 4.

S. Bern. ſer. 85. in Cant.

Exemplum ab amore prophano mutuabor: nihil enim eſt apud amatores impuros, quod non elaboratum ex meliori metallo, Dei dilectores exequantur. Dinam Jacobi filiam veſana dilectione ſaucius deperibat Sichem. Nuptiis cupiens Princeps reſarcire quod præceps commiſerat erratum: ejus fratres alloquens ipſam ſibi poſtulavit uxorem, ſpondens quidquid peterent accepturos: *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam: quod petieritis.* Reſponderunt fratres Dinæ, non niſi circumciſionis ritum amplectatur ipſe cunctique maſculi, poſſe fieri quod in conjugem traderent ſororem: *nec diſtulit adoleſcens*, ait ſacer Textus, *quin ſtatim quod petebatur impleret: amabat enim puellam valde.* Quod attinet ad promiſſam dotem, nec verbum amplius illum ſuper hujuſcemodi dixiſſe legimus. Indignum ſanè regiâ tum principis, tum amoris magnificentiâ videtur munera diſtuliſſe. Circumciſionem ſolam accelerat? dona procraſtinat. exiſtimavit acceleratione munerum (quæ certè non cruciaret liberalem) non egere, ut exhibitione operis probatio appareret affectus: cum efficaciori teſtimonio declararet ardentiſſimum erga Dinam pectus: nempe gaudium indicans de vulnere. Is erat Principis dilectionis ardor, qualem verba textus exprimunt. *Et conglutinata eſt anima ejus cum ea*: commentatur Lipomanus: *nimia ergo amoris ejus vehementia his verbis exprimitur.* Hujus amoris veritatem cupiebat apud fratres Dinæ palam oſtendere Sichem ut ſic de incendij nimietate raptum puellæ quadamtenus excuſaret, ac ſimul eos ad conſenſum fœderi nuptiali præſtandum induceret. Quânam fortiori probatione cauſam ſuam tueretur affectuoſa voluntas, niſi feſtina circumciſionis executione convinceret, ſe dolore gaudere illo, tanquam oblato medio ad peroptatum finem? Properat adoleſcens, non ad munerum largitionem quæ munificum non torquet; ſed ad ſanguinem fundendum ſpontè: quò ſic appareat vulnus illud ſibi fore voluptuoſum inſtrumentum ut bono tanto denique perfruatur. Si cunctaretur, & circumciſionem demum opere compleret, non de cruciatu gaudium inſinuaret; ſed fortitudinem ſolam, quâ non tam flagrantem, ut oportebat amorem Dinæ teſtaretur: nam vehemens dilectio tunc flammis erumpit celſioribus,

Gen. 34. 12.

Ibi n. 19.

Ibi n. 3. Lipom. in Cate. ibi.

fioribus, cùm non solùm fortiter, sed prædulciter, pati deligit.

28. *Amoris victoria tormentis gloriari.*

Ne putes ideo minori strenuitate pugnam susceipere cor illud, cui jucundæ medullitus inhæsere sagittæ. An quia telis & sanguine gaudet, suavia tenerum quærere judicabitur, & enervem? Imò naturam viribus ita superat: malorum namque duritiem vertit in bona sua: venena transformat in mella: procellosum æquor pede terit ut pratum. Amoris victoria non est armorum vi suos adversarios dolores proterere; sed potius ita sustinere libens ut ipsis de tormentis gloriari sciat.

Cùm libertatis Assertor humanæ comprehendi jussus est ab eis, qui tenebantur compedibus ipsis, quos venerat misericorditer confringere: Petrus impatiens illius audaciæ, districto gladio Magistrum tueri voluit. Joan.18.11. Qui dixit illi *mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi pater non bibam illum?* Cur mortem appellet calicem docuit relatus à D.Thoma Theophylus: *in eo autem*, inquit, *quod ipsam calicem dicit, quam sibi grata, & acceptabilis pro salute mortalium mors videatur edisserit.* Duo restant adhuc inquirenda. Ad mortis calicem propinandum, & Patris voluntas, & hominum sævitia confluxerunt: non quidem inita societate, sed simultate neu casuali. Si ab hominibus datum calicem istum Dominus asseveret, duo præstavisset: Petrum scili. excusaret significans eum nequaquam Paterno decreto contraire; sed humanam impietatem reprimere voluisse. Necnon si loqueretur ita Redemptor, Patris voluntatem de sua passione silens: proprium clariùs testaretur amorem, innuens quòd licet Æterni Parentis non intercederet jussio, solaque hominum crudelitas mortem decerneret ipsi, non minùs alacriter eam obiret. Cur non ait: calicem quem dedit mihi cæca ingratitudo? Deinde: semel quòd Paterni præcepti mentionem fieri judicavit opportunum, judicem compellet, non Patrem: nam judiciarium potius videtur munus jubere quòd morte reatus nostros expiaret hominum Fidejussor. Et ait: *quem dedit mihi Pater?* Priorem nodum sic dissolve. Mors prout ab hominibus inflicta scelus erat: nec Filius Dei valebat de crucifigentium peccato gloriari. Mors eadem ut fuerat à Patre jussa, prorsus omni culpâ caruit, imò sanctissimè præcepta extitit. In hoc sensu, nempe tanquam calicem à Summo Genitore donatum expendit passionem Christus Dominus, ut quiret in egregiam patientiæ palmam de cruce gloriari. Petrum edocuit non se cupere gladio victoriam consequi, sed præcelsiori stylo: scili. gloriam de cruciatuum perpessione capiendo, utpote quos Pater in ipsius Christi futuram exaltationem decreverat. Hinc ad posterius dubiolum, festinus accedo, non moras tracturus, jam enim solutiones debes Ruperto præfixæ veritati non inopportunam: *dedit, inquam, illi ut pater, non ut judex: ideſt amore non ira.* Sic Rupertus. Ut mortem veluti deliciarum calicem hauriret, non à judice adversus hominum debita commotum indignatione justissima datum affirmat; sed à Paterno amore meditatur fuisse profectam sententiam interitus: ut sic dum fortitudo patitur vincat amor, & accipiat exornatam hilaritate lauream, cùm perjucundum æstimat quod patitur. Ad Christi Ducis exemplum, *recti corde gloriantur in tribulationibus: nam non est magnum gloriari in gaudiis; rectus corde etiam in tribulatione gloriatur.* Ita S.Augustinus. Quantùm velit crudelitas justi sustineant, semper de illis verum est: *nec sociabitur eis afflictio.* Vide infrà n.37.

Theophylus in cate. D. Thom.

Rup.l.13. in Joann.c.18.

S.Aug.to.8. enarr.2. in Ps. 31.

DELIBATIO V.

Dolores quidam militantium sæculo.

29. *Peculiariter angitur patientia per id quod amaverat antea; nunc incipit execrari.*

DUm benedictione Dei opulentos affliction carere pronuntiat Salomon, tacitè notat se diversimodè sentire de mundi turbido gurgite remigantibus. *Neque fluctus unquam deerunt mari, neque avari iracundia & mœror deesse potuerunt.* Verba sunt D.Joannis Clim. Æquore mundi mersos torquet spes, metus angit, vulnerat invidia, ligat avaritia, suspendit elatio: de fortunæque mobilitate queruntur immeritò: nam sub ipsa prosperitatis aura, tempestatum experiuntur infortunia, sic ut verè dixerit Augustinus: *sæculi homines infœliciter fœlices sunt.* Eorum cæteris anxietudinibus omissis, unica sufficeret ambitio, ut omnes eorum glorias turbaret, ac redderet molestissimas. *O ambitio*, exclamat Bernardus, *ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places?* Nullus huic interrogationi quidquam audebit respondere: non quod erroris pudor verba supprimat; sed quia crescit anxietas ex laborum punctionibus ita ut lancinatos querelas edere non sinat vulnerum causa, erga quam adeo afficiebantur. Hic tamen amor cùm non fuerit verus, dolores non emollit; quin potiùs incrementat dum illud quod isti dilexere, tædij motivum nunc est. Inter alia tormenta peculiariter angitur patiens per hoc quod avebat priùs; & nunc incipit execrari.

S.Joan.Climac.in scal. grad.16.

S.Aug.to.8. in ps.107.

D.Bern.l.3. de consid.

Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Sic Jobus. Et infrà: *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* En hîc amaritudines appropriat oculis; priori verò loco verbis accommodat amarorem. Disparitatem istam luber examinare lentiùs. At priùs aliqua jacienda sunt fundamenta. Primò notandum amaritudinem, de qua priori loco, referri ad tædium vitæ. Sic exponit Lira: *Loquar in amar. ani. meæ propter tædium mansionis in hac miseria.* Secundò adverte Jobum quamvis esset justus, loqui tamen hic in persona generis humani. *Dicat itaque beatus Job*, ait M. Gregorius, *ex sua, dicat ex voce humani generis: auferat à me virgam* &c. Et infrà. *Sed cum menti nostræ ejus dulcedinis amor accenditur, omne desiderium præsentis vitæ levigatur, in tædium delectatio vertitur, atque hanc cum mœrore mens tolerat, cui victa prius reprobo amore*

Job.10.1.

Ibi c.17.2.

Liran. in Job.10.1.

D.Greg.M. to.1.l.9. mor.c.22.

amore serviebat : unde & aptè subditur : tædet animam meam vitæ meæ &c. Ultimò supponenda est expositio S. Doctoris ejusdem ad illud : *in amaritudinibus* &c. quæ commentatur ita : *culpam non feci, & flagella suscepi.* His prætermissis. Quærebam cur priori loco verbis accommodatur amaritudo : *loquar in amaritudine* ; posteriori verò constituitur in oculis. Existimo rationem diversitatis esse, quod in oculis non sentimus amara, sed in ore. Cùm ex persona generis humani loqueretur Job de tædio mortalis vitæ, quam dilexerat : oris amaritudinem insinuat, loquelam dicens amaram, ut se dolere testetur nimis : est enim acerbus dolor ille, quem tibi fastidium rei movet amatæ quondam. De flagellis non sic loquitur, quia minus cruciabant. Amat sæculi mancipium vitam quam ad rotam ligatus miserè volvit. *Nil acerbiùs cruciat, nil molestius inquietat, nihil tamen apud mortales celebrius negotiis ejus,* ait S. Bernardus loquens de ambitione. Sed si paulisper ex mundi fluctibus erexerit homo caput, & lassitudo moverit nauseam laboriosæ valdè servituris : amarum fit ei valdè quod usque tunc ardenter prosequebatur amore stultissimo. *Multum quidem vexat hominem cum relinquitur amor mundi;* sed crede quod non minus torquet antequam relinquatur. Sapienter dixit Cancellarius Parisiensis : *mercator & stultus amator martyres sunt diaboli.*

Idem ibi l. 13. c. 10.

D. Bern. l. 3. d. consid.

Bed. in Cât. l. 6. c. 7.

Gerson. p. 4. ser. Domi. 4. Adven.

30. *Durissimum est cruciatū sustinere, nec ejus commodum lucrari.* Jerem. 12. 13.

Peccatorum semina solent hos fructus germinare : nam si spinæ peccata sunt, & si triticum seminanti nascuntur sæpe tribuli (*seminaverunt triticum, & spinas messuerunt:*) quid mirum quòd exoriantur spineta disseminantibus iniquitates ? Imò peccator dicitur committere terræ cruciatus dum peccat, eosque metere, si prosperitatem in malefactis experitur. Appositè Doctor Olyssipo. *dolores seminat qui perversè agit : metit qui in eis prosperatur.* Nimiùm distant cælestes agricolæ, terrenique, messis tempore. Dum terræ semina mandant simillimi sunt : utrique dolores tellure pectoris recondunt ; postea justus gloriam demetit ; improbus pœnam. Miserrimum est quòd mundo fideliter obsecutus laborem subeat, & hujus emolumenta non colligat. Detentus carcere solatium accipit dum naufragium audit narrari : compedes enim ab undarum rabie reddidere securum. Æger lecti molestias minus indolebit, si meminerit quòd per eum belli vitaverit certa, seu potius incertiora pericula. Vix, inquam, assignabis malum, in quo non aliquid boni lateat, *& adversorum casuum aciem & ardorem lucrum obtundit*, inquit Heliodorus. Hoc tamen impatientissimè quisque sustinebit : scili. quòd mali sufferat incommoda, nec ejus potiatur utilitate : is etenim dolorem patitur integrum, dum laboris fructu privatur, & illius acerbitatem experitur. Rem durissimam !

S. Anton. Olyssip. ser. Dom. 15. post Trinit.

Heliod. l. 2.

Imminebat Hebraici populi clades Babylonica : delictis quippe divinæ justitiæ severitas exasperata diu, quos ut filios lactaverat, in manus tradidit hostium. Ad plebem igitur in sermone Domini loquebatur Jeremias : *quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste : qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima ejus salva & vivens.* Optimum equidem consilium præbet vates. At quæro cur non & ipse transfugit ad Chaldæos ? & non accidet ipsi quod eodem capite mox narratur : nam tanquam adversarius populi missus est in locum : *submiserunt Jeremiam funibus in lacum* &c. Suadere conatur ut profugiant vitæ consulentes ; & ipse non eadem via sibi prospicit ? Immani mærore premeretur Jeremias, si deserens suos, morari vellet apud Chaldæos. Minus mæsta foret cæteris transmigratio, quàm prophetæ : illi namque ferrent absentiæ malum, reciperentque bonum ejusdem : hoc est, de contribulibus, & amicis, vel saltem de patrio solo vexarentur desiderio ; sed eversionem dilectæ civitatis non cernerent oculis. Jeremias autem (cùm vatibus latêre non soleant quæ distant, ad eorumque spectant munus) non ignoraret, quamvis absens, quæ Jerusalem invasione hostili perpeteretur : ac ista doleret. Inhumanum quid esset peregrinationis malo confici, nec ejus commoditate (gentis nempe suæ gemituum ignoratione) frui. Tribulationum utilitates hæ sunt : merita congregare, corpus domuisse, experientiis corroborari &c. Nihil horum colligit mundo mancipatus ex afflictionum suarum agricolturâ laboriosâ nimis. *Id quod turpe est*, inquit Ambrosius, *non potest esse utile ; neque rursus id quod honestum est, inutile.* O fœliciter infœlices !

Jerem. 38. 2.

Ibi n. 6.

S. Ambr. to. 4. l. 3. d. offici. c. 14.

Colunt, inquam, desudantes mortales mundi agrum sterilem, adeò ut plurimis angoribus emant quòd ab iis non auferatur suum. Sed *hæc mali dum* (verbis utar Gregorij M.) *pro mundo tolerant, leve putant* &c. Quomodo prudens ab eo ditari præstolaberis, qui litibus eges ne tuo spolieris, & hoc ipsum doloris pretio mercaris ? Indebitum Dei donum sæpiùs nullo sumptu consequêris. Econtrà quod justitiæ titulo tuum est, cruciatuum expensis conservabis, si manum imploraveris mortalem.

31. *Indebitum sæpe consequeris à Deo nullo sumptu ; ab homine verò accipias cruciatuum expensis ut cõserves tuum.* D. Greg. M. to. 1. l. 7. mo. ra. c. 9.

Postulavit à Domino Salomon sapientiam ut commissos regeret sibi populos. Dubito quidem an istam deposceret, si perveniisset ad ætatem nostram, quâ mundus jam decrepita senectute delirat : nam coram insanis commorari velle sapientem, quid aliud est nisi concupiscere lapidum imbrem ? Poscenti benignè Deus indulsit petitam prudentiam, quam in duarum fœminarum litigio celebri primùm exercuit. Communi sub tecto mulieres geminæ morabantur. Singulæ gnatum edidere : quarum altera dormiens oppressit proprium, & ut jacturam repararet, sub silentio noctis rapuit alienum. Alia furtum agnovit facto mane. Viventem filium affirmat utraque suum. Defertur ab eis ad regem causa, brevi quidem proponenda, nec testium diutina inquisitione gravis molestissimè : nam ex litigantibus quælibet non alios valebat producere testes, nisi lachrymas & verba : neutra satis fidam probationem suppeditarent : nam etiam lachrymæ testes oculares non sunt cordis, quamvis & ab eo manent, & per oculos. Instabat utraque :

quid

quid ageret judex ? Justitiæ gladio dissidium simul & puerum perire jubet : ut sic ex naturæ intimis eruat indicia quibus veram possit dignoscere matrem. Renuit vera mater, cedit adversariæ : totis namque viscеribus indoluit filium dilaniari. Tunc istam declarat Salomon veram genitricem, proindeque infantem adjudicat ei. Hæc est illa sapientia quam ad judicia Deus contulit Salomoni ? Ex conjectura doloris quô vera mater conturbatur sententiam pronuntiat? (*commota sunt quippe viscera ejus super filio suo.*) Cur non Deum exorat rex ut ipsi veritatem adaperiat ? Certè munus fuit cælitus datum illam invenisse : *nobile*, inquit S. Ambrosius, *illud Salomonis judicium, & fraudem in ipsis cogitationibus occultis, & pietatem in maternis viscеribus deprehendit, utique per Spiritus sancti munus emicuit.* Preces igitur fundat Salomon ut divinitus in hujusmodi judicanda lite doceatur : nam sapientiæ facta concessio non cogebat Deum ut regem sic dirigeret, quòd in hac re non erraret. Sapientissimus erat Adam, & errorem admisit quo totum perdidit orbem. Saltem prudens Monarcha temporis majus insumat spatium in excogitando suaviori medio pro detegenda vera parente ; nec istius feriat animam gladio quem imperat afferri. Vide. In rei veritatem collimare donum Dei erat nequaquam debitum Salomoni : hoc munus accepit iste neque temporis, nec precum sumptibus ; sed omninò gratis. Puellus autem de rigore justitiæ debebatur matri : non tulit hæc illum gratiosè ; sed magno stetit victoria causæ : *commota sunt quippe* &c. Dei beneficium accipies gratuitò: nam ut ait Chrysostomus, *liberalitate certat, & ante petitionem prædicat & coronat.* Ab hominum verò manibus, non dicam donaria sic non consequêris : ut non spolieris bonis tuis, id anxietatum pretio mercaberis. Qui sic vendunt, neminem verè ditant. Si veram quæris opulentiam, sola *benedictio Domini divites facit: nec sociabitur eis afflictio.*

3. Reg. 3. 26.

S. Ambr. to. 4. l. 3. de Spiri. S. c. 8.

Chrysost. to. 1. hom. 34. in Gen.

DELIBATIO VI.

Justus ambit cælestia : tribulationibus gaudet ; sed fragilitas pugnam execratur internam.

32. *Anima sitis augetur cælestium sumpto potu.* Glos. interli. ad Prover. 10. 22. Liran. ibi.

GNomen istam de bonis temporaneis ad litteram exposui : ad mores de spiritualibus gazis accipi valet. Glossa interlin. verbo, *divites*, ait hoc loco : *hîc virtutibus : in futuro omnibus bonis.* Concinit Lira : *divites facit*, *spiritualibus divitiis.* Commovebat scrupulum qualiter sensus moralis cohæreat litteræ, si hæc de divitiis intelligatur, quas Veritas divina fallaces aperuit ; & sub eodem verbo, *divites*, recondatur copia bonorum spiritus, quæ sola ditescere faciunt hominem. Hæsitationem deposui meditans inter utraque bona duplicem analogiam. Opum furiosa libido possessis accenditur. Non minus augetur cælestium sitis accepto gratiæ ac virtutum imbre. Divitiis non satiari cupidos nota cunctis ægritudo. Naturæ rationali pabulum sunt illæ disconveniens : quomodo saturabitur homo alimento sibi minimè connaturali ? Tempestivè Bernardus. *Sola fames alitur cibo innaturali, & dico pleniùs exempli gratia unum sumens è multis quæ humana vanitas concupiscit. Non prius satiabuntur corda hominum auro, quàm aurâ corpora satientur.* Hinc ad spiritualem famem transi ; dummodò non quæras omnimodam in exemplo similitudinem. Naturalis, fateor, animæ cibus est cælestis. Attamen, sicut panis non ori, sed auribus, applicatus famelicum non saturabit : sic per auditum (hoc est fide magistrâ) dum gustat cælestia justus nequaquam satur fiet ; imò panis hujus approximatio novum erit irritamentum esuriei. *Gustum* (addit Bernardus) *justitiæ vel exiguum studeat experiri, ut eo ipso desideret amplius.* Divino percepto munere, crescit erga munificentissimum Dominum amor humanus, cujus alæ desideria sunt : & sicut avium pennæ, dum ipsæ adolescunt, simul cum eis augentur : sic ex beneficiis quibus impinguatur anima, dum incrementa sumit amor, necnon & ipsius alæ, desideria scili. ampliantur. A D. Bern. ne recedas. *Sed*, inquit, *gustus ille nihil aliud est quàm irritamentum desiderij, & incentivum amoris, sicut scriptum est : qui edunt me adhuc esurient* &c. Sitit anima ; potuque sumpto sitis excrescit.

S. Bern. ser. ad Cleri. d. persecu. sustinenda c. 12.

Idem ibi.

Idem ser. 23. d. omnibus 55.

33.

Sponsus Canticorum, postquam frivolis excusationibus repulsus declinavit, ab sponsa quæritur amanter. Obvias adjuravit illa filias Jerusalem, ut si Dilectus occurrat, ei suum, quo flagrat erga ipsum, annuntient desiderium. *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Ex D. Thoma hæc est sponsæ mens. *Adjurat*, inquit, *ergo Sponsa filias Jerusalem ut nuntient Sponso quia amore languet. Tunc enim anima fidelis amore languet cùm fideles alios desiderantes Deum, pro se deprecatur ut suum desiderium Christo insinuent, eique nuntient suo amore illam teneri.* Videbitur fortè non accommodum languoris nomen tam pro amore, quàm pro desiderio, quo prosequitur anima Deum. Languor enim vires enervat, gustum inficit, mentem obnubilat. Amor Dei penitus econtrariò se habet: nam Deum amantis robur augescit ; nec amara fastidit : & illustratur mente. Desideria similiter animos injiciunt, labores & insipida quæque mellea reddunt, necnon acuunt intellectum. Igitur ne languere se dicat anima quæ amore ac desiderio flagrat. O quam ingeniosè languoris metaphoram selegit. Sanus quantumlibet sitiat ardenter, aquæ primo vel secundo calice restinguet ardorem, ægrotus autem si flumen exhauriat, & morbum augebit & sitim. Verè languet amans Deum ; *mala autem salus est cordis, quæ dolorem hujus vulneris nescit ; cùm verò anhelare jam in cælesti desiderio, & sentire vulnus amoris cœperit, fit anima salubrior ex vulnere, quæ prius ægrotabat ex salute.* Verba M. Gregorij sunt. Hic ergo fœlix æger fontem cupit inexhaustum. Demus quòd larga desuper irrigetur undâ:

Cant. 5. 8.

S. Thom. in Cant. ibi.

D. Greg. M. to. 2. ho. 15. in Ezechi.

undâ: accrescent affectui flammæ, renovabuntur desiderio pennæ: salutifer, inquam, ille morbus, & sitis augebuntur potu. Appositè significat sponsa desiderium, amoremque suum sub languentis allegoria. Hoc quisque nostrum non experitur: quia in hujuscemodi fortunis ille solus desiderat serio, qui possidet: fac aliquid adipiscaris de cælestibus, & statim dices utens verbis Hieronymi: *nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo: quantò plus bibero, tantò plus sitio.* Aptissima est igitur divitis vox ut virtutibus effulgens accipiatur sub illa, dum textus noster ait: *benedictio Domini divites facit.*

S. Hiero. to. 2. epist. cõtra Pelag. ad Ctesiphontem med.

Duplicem fui pollicitus inter divitem ac justum similitudinem: jam do posteriorem. Socium avara odit opulentia: & mendicitate quâdam, cumulandi cupido nihil de cumulo dividi patitur, nec in domesticos. Ita; sed aliter, sancta scili. ambitione, semper judicio suo justus inops est, & (si dicere fas) avarum imitatur piè. Hoc est: si possent corporei sensus bonis potiri spiritualibus: ipsos, quamvis tam domesticos in sui thesauri participium justus non admitteret. *Fastidit quippe sancta mens omnia quæ per corpus sentit, & in illa spiritalia tota transmutari concupiscit*, inquit M. Gregorius. Et hinc, fit quod assueta fastidire quæ sensibus percipit anima, illorum tædet eam. (Et *quàm quieta & pacifica esset anima, si in humano corpore à Deo illuminata sine sensibus viveret: vel potius, si à sensibus istis voluntariè alienata eis uti despiceret*) ait S. Thom. à Villano. Si daretur oculis frui cælestibus donis, nollet anima palpebris commune reddere bonum sibi peculiariter dilectum: sic erga Deum zelotypo inflammatur amore.

34. *Non admitteret anima sensus ad participationem cælestiũ, si possent ab illis percipi.*

D. Greg. M. to. 2. expos. in 1. Cant.

S. Thom. à Villano. ser. fer. 6. post Dom. 3. Quad.

In templum Sanctissimæ Virgo portavit puerum Deum, scriptæ legis, quo minimè tenebatur, obsecundans præscripto. Exceptus est ulnis grandævi Simeonis infans, & gaudium senex occludere non valens, prorupit in hæc verba: *Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum* &c. Quod mortem expetat non mirum: nam *homo iste justus & timoratus*: sanctorumque frequens est amor carcere corporeo dissolvi; ad patriam pervenire velle, paceque peroptatâ frui concupiscere solent. Preme nihilominùs rationem illam, quam suo mortis desiderio Simeon adhibuit: *quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Imò quia vidisti fœlix annosus desiderium collium æternorum, orare debueras, ut diutiùs protenderentur spatia vitæ, quò tanti boni præsentiâ longum per tempus oculos pasceres. Nunc dissolvi cupis iturus illuc ubi cum Christo dilecto non eris? Prudentissimè senior obtulit orationem istã: & rationem quâ niteretur excogitavit optimam, quasi diceret: oculis, quibus toties fallitur humana mens, fidere nollem, ut animæ subministrarent in fruitione hujus à me tandiù desideratæ fœlicitatis. Ambit sanctè spiritus hanc totam exhaurire sortem: istius partem non concedit visui. Ideo quia vidi, jam videre amplius nollem: sed intellectus aspectu solo gaudente, luminibusque per

Luc. 2. 29. 30.

Ibi n. 25.

mortis imperium clausis, hoc lumine perfrui cupio. Favet S. Amadeus. *Simeon accipiens in ulnis suis expectatum Iesum, precabatur suî corporis dissolutionem: quò liberiùs effracto mortali domicilio, prægustata dulcedine frueretur.* Sciebat prudens quàm sint oculi mendaces animæ servi: nollet servorum nequam tractari manibus thesaurum suum, nec eorum ali ministerio spiritum: liberum optat hunc à corporis ergastulo, ut fœliciùs bonis verè suis utatur.

S. Amad. d. laud. B. Mariæ.

Hæc est animæ circa suas divitias velut avara custodia totius criminis hostis. Ex diversis valdè causis prodeunt effectus pluspuàm similes: ambitio, inquam, sancta ex Dei amore pullulat; avaritia verò scelesta ex dilectione terrena erumpit. Ut istam Deus pertæsam habet: sic illam in suis amatoribus optat. Nollet cor amans facilè quiescere, nec spiritualis fœlicitatis partem solummodo vestigare. Integrè possidere sollicitet amator Deum: *Deus enim non habet partes: sed ubique totus est*, ait S. Antonius Olyssip. Subdola videtur humilitas, ingratitudinisque nonnullam suspicionem patiens, illa quâ Supremi Regis munificentiam arctaret, dicens de tanto munere sibi satis fore partem. Totum quærat, ne partim appareat ingratus amor, dum possessione minori contentus dilector innuit non se toto pectore gratis ignibus possideri.

35. *Qui totum possidere Deum valet, ne partim consequi sollicitet.*

S. Anton. Olyssip. ser. Dom. 13. post Trin.

Demortuo jam Authore vitæ, cupiens Joseph discipulus occultus Domini sacrosanctum corpus terræ commendare, petiit à Præside sibi donari, & obtinuit. *Pilatus jussit reddi corpus.* Sepultum postea sacratissimum cadaver in sepulchro Magdalena quæsivit ut aromatibus condiret, nec invenit: *tulerunt Dominum meum.* Jam diu saucia valdè Magdalena telo dilectionis ardentissima spirabat incendia. Joseph meticulosus antea, nunc primùm audet cordis affectum retegere. *Post hæc autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) ut tolleret corpus Iesu.* Nihilominus fortunatior fuit in votorum adimpletione Joseph? Magdalena frustratur desiderio? Paulisper immorare mentis nisu: videbis fœliciorem extitisse Josepho mulierem: nec enim illa de qua Dominus asseverat: *dilexit multùm:* quæ Simonis convivio verita non fuit fundere lachrymas amoris in Dei Filium indices, minori sorte fuerat muneranda, quàm Josephus qui suam erga Christum Dominum dilectionem latebris usque modò texit. Ergo qua de causa putas à Deo permissum fuisse ut corpus Dominicum acciperet ille; quod Magdalenæ videtur negatum? Eadem ratio dubitandi fuit in causa. Parum foret remunerantis Dei magnificentiæ, necnon dilectæ votis, Christi Salvatoris partem (cadaver, inquam, sanctissimum) inveniſſe: nam peccatricis amor dilectioni discipuli præferendus erat. Statim eidem totus Christus exhibere se decreverat. Ideo quia vellet ipsam integrè dilecto potiri, noluit solum reperiſſe cadaver: exivit è sepulchro citiùs, quàm illuc Magdalena, quantumvis manicaret pervenerit. *O quam insciа facti mulier prophetat,*

Matth. 27. 58.

Ioan. 20. 13.

Ioan. 19. 38.

Luc. 7. 47.

S. Thom. à

Villano. ser. d. Resurrec.

inquit S. Thom. à Villano. *ipse eum tenet, ipse quod quæris corpus arripuit : repete ut reddat. Neque tibi tale ut requiris reddat, sed quem mortuum requiris, vivum ostendat.* Magdalenæ fervido affectui non cadaver solùm animâ destitutum congruebat, sed integra divinitatis arca. Josephus, qui metu suum fœdaverat amorem, non adeo benemeritus erat ut ipsi non dimidiatum sufficeret munus : cadaver divinum deferat, & hoc ei satis. Igitur exemplo Magdalenæ statuamus Deum sui dilectoribus ambitionem piissimam inesse velle, quâ non partim adipisci Creatorem tantùm sollicitent, sed totum anhelo pectore vestigent.

36. *Pluris facit Deus ut credatur velle se, quam posse benefacere.*

Dominus ita se gerens gloriam perquirit qua ipsius emicat celsitudo majestatis. Quid etenim est in quo Deus amplius clareat, quàm indoles infinitè munifica, quâ permotus nos veluti cogit ne simus in desideriis cælestibus parci ? Duplici video splendescere radio Dei beneficentissimam naturam : potestate scili. ac donandi affectu. Quid illustrius, posse, an velle ? Dicerem pluris ab ipso æstimari, quòd agnoscamus ejus erga nos propitiam voluntatem, quam ipsius illimitatam potentiam : quippe voluntatis benignitas, amoris decus est, infinitudo verò potestatis magnitudinis testimonium : & nonne quæ dilectionem condecorant præferre credemus eum, qui majestatem exinanivit ut amori cederet ? An non dominium ille sibi, & Conditoris omnipotentiam veluti silens reservat, beneficumque se totum exhibet ipse tibi ? Apud Bernardum legisti : *quod beneficus est, tibi est : quod Dominus ac creator, sibi.* Dominatum in seipso claudit ; & benefactoris pompam explicat palam. Itaque sollicitiùs curat noscamus beneficentiam donationi promptam, quàm virtutem ejus, executioni potentem.

S. Bern. ser. 16. in Cant.

Adorabat Christum Dominum infectus lepra miser, dicens : *Domine si vis potes me mundare.* Tunc nullâ factâ morâ, *extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens : volo. Mundare.* Non sola velocitas in operatione miraculi venit hoc loco notanda : sed verbum illud : *volo*, quod videtur ibi superfluere : nam effectus ostenderet voluntatem, etsi non illam verbo pronuntiasset. Imò (quod non latuit Chrysostomum) *tot signa & talia operatus, nunquam hoc verbo usus refertur.* Ex prodigiis unum eligam, quod accidit, postquam Dominus è monte descendit, ubi coram paucis testibus gloriæ suæ pompam aperuit. Lunatici pater filio salutem à Domino poposcit. Illum jubet ad se Redemptor afferri. Tunc parens iterum flagitat pueri sanitatem : *si quid potes adjuva nos misertus nostri.* Non statim curatus est ille, nisi post genitoris lachrymas. *Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat : credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.* Utrumque miraculum eadem manus, dissimili tamen stylo utens operatur. Leproso dicitur : *Volo :* quia prædixerat ille : *si vis* ; patri verò Lunatici non dixit : possum ; quamvis hîc ille dubium aperuerit de potentia ? *si quid potes :* illi ocyùs quam isti benefactorem se præbet omnium communis medicus ? Advertis jam, ut reor, leprosum de benignitate Dominica, pro dono sanitatis conferendo sibi, dubitasse. *Ignarus hic leprosus erat an eum Dominus mundare dignaretur*, ait Simon Cassi. Alter non de pietate dubius erat, sed hæsitabat circa potentiam : dicebat enim : *si quid potes* &c. De voluntate benefaciendi non passus est apud leprosum dubitationem per spatium aliquod manere : hanc statim, & celerrima curatione, ac prolato præter morem verbo *volo* Dei Filius abstulit. Ambiguitatem de virtute curandi lunaticum Omnipotens minus curavit (*non enim agnovit Christum omnia posse, sed dubitando locutus est*, dixit Carthusianus de patre Lunatici :) hæsitantem non statim opere docuit, nec omnipotentiam verbo aperuit dicens : possum : imò portentum distulit parvipendens quòd hominis illius de sua potestate mens hæreret : quasi plùs de miseratione quâ volebat subvenire divinus penderet honos ; & minus de viribus omnipotentiæ Dei Filius honestaretur. Duas nobis veritates inculcat Spiritus sanctus dum calamo Salomonis ait : *benedictio Domini divites facit :* Altissimi scili. potestatem quâ prævalet : necnon clementiam, quâ vult hominibus effundere dona frequenter : hæc tamen præ illâ obtinet apud homines divinam splendescere majestatem.

Simon Cassi. l. 1. c. 11.

Dionys. Carthus. in c. 9. Marc. art. 9.

37. *Gaudet afflictionibus qui per eas alieno debita solvit amori.*

Nunc pro secunda versiculi parte : *nec sociabitur eis afflictio*, anceps eram quo sensu neget sapiens anxietates ab iis, quos Deus bonorum spiritualium thesauro replevit, sustineri. Contrarium probare videtur experientia. *Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus videtur habere, tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus.* Vel de internis loquatur Guerricus, vel de cæteris : copioso satis impetitur adversitatum agmine qui de cælestibus dives est. Qua ratione Salomon ait : *nec sociabitur eis afflictio* ? Quia gaudij cujusdam dulcedine fruuntur ipsi : quæ cunctas à creaturis ortas amaritudines absorbet, non minus quam lux solis corporum minutissimas umbras. Deo potiuntur, ut mortalis vita patitur : hic est eorum gaudium. Inde fit quod summè lætentur, quamvis in tribulationes incidant multiplices. Quinpotius ex istis voluptatem capiunt eximiam. *Istud maximum gaudium est, tali & Apostoli gaudebant, gaudium lucrum afferens, quod à vinculis, quod à flagellis, quod à persecutionibus, quod ab oblocutionibus, quod à mœstis omnibus habet principium, & radicem, & occasionem.* Ad hæc. Virtutum opifex, cùm dura suffert experitur quantum Deus ipsius constantiæ fidat : cernit se ad imitationem Christi Ducis admissum, qui proposito sibi gaudio crucem elegit : advertit se Deo per tribulationes aliquatenus debita solvere. Sicut persolvens ea quæ non debuit, vix potest non angi : sic is qui patiens amore Dei aliqualiter solutionem redonat, gaudet cum afflictatur. Vide sup. à n. 26.

Guerr. Abb. ser. d. SS. Scripturarũ utilitate.

Chrysost. to. 3. hom. 16. in Act.

Irrigabat Princeps Apostolorum tenera primitivæ quondam Ecclesiæ sedulus arbusta, sic ad eos per litteras effatus : *communicantes Christi passionibus gaudete.* Quid edoces Summæ Veritatis Vicarie ? passiones-ne sunt,

1. Petri 4. 13.

Matth. 8. 2. 3.

Chrysost. to. 2. hom. 26. in Matth.

Marc. 9. 21.

Ibi n. 23.

sunt, an gaudia, quæ discipulos tuos habere supponis cum Christo communia? si dolores voluptatem nominas, eo quòd patientium amor eas molliat: ne tormenta Redemptoris modo sub nomine passionum commemores: quippe cujus affectus potuit incendio fervidissimo sic illas excoquere, ut ad sui naturam suavissimam eas transmutaret. Si verò quia Dominus insons passus est, non potuit non calamus gaudia vocare quæ subiit immanissima tormenta: sectatores etiam Filij Dei mundus gratis conterit. Et docuit Lira te de martyribus loqui, commentatus ita citata verba: *per tolerantiam martyrij.* Quo stylo Magistri cruciatus nomine passionum vocas; qui eosdem prout ab imitatoribus participatos, posse munus agere voluptatum credis, aiens: *communicantes Christi passionibus gaudete?* Non difficile scrupulum pacabit istum qui adverterit, quàm longè præcedat Salvatoris amor etiam ejus vestigij insistentes amantissimè. Durissima toleravit ille solvens quæ non debuerat amori Paterno: quia Pater non pro ipso pertulit similia: & insuper dilectionem erga Filium, hic amore, milleque virtutibus aliis ad æqualitatem persolverat Parenti: cessabat itaque præcipua ratio, quæ mœrores in delicias transformat: nempe satis per eas facere debito dilectionis alterius. Passiones istæ fuere, non gaudia: *Christi passionibus.* At verò justi licet per Domini gressus iter conficiant exhaurientes malorum anxietudines quibus hinc & inde jactantur: ita paulatim pendere satagunt illius amori, qui pro ipsis non similia, sed longè crudeliora subiit. Sanctus Cyprianus. *Gaudere nos & exultare voluit in persecutionibus Dominus.... humilitatis & patientiæ magister, ut quod fieri docuit prior faceret, & quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur.* Afflictionibus ergo quibus Redemptori compensamus debita quoad valemus, discipulos merito suadebat lætari Petrus: nam illæ verè gaudia sunt, nec sociabitur eis afflictio.

Liran. ibi.

S. Cypri. to. 1. epist. 56. ad Thibaritanos.

38. *Qui truces vitiorum facies amplexatur, si resipiscat, pugnare quandoque nolliet.*

Hoc de tribulationibus externis dictum, non minus de internis verum habet: Idcirco nunc ex sactis id probare supersedeo. Hoc tantùm ad finem non prætermittam: scili. cor. humanum etiam in hoc inscrutabile videri, quòd nec ejus robur fragilitati congruit ejusdem, nec illius ignavia cum ipsius temeritate cohæret. Clariùs dicam: dum sæculi fluctibus homines innatant, infractis lacertis vires exerunt, nihil ab eis asperum, nihil intolerabile reputatur; cùm tamen sit experientia compertum illud Augustini: *in omni opere malo labor est.* Insurgat intestinus hostis: urgeat singulari certamine tentatio: heu, quoties ingeminantur suspiria! quàm Deum precamur enixè, non ut adjuvet, sed ut auferat cruciamenti causam!

S. Aug. to. 8. in ps. 139.

Extra veritatis viam degebat Saulus: &, quod pejus est, sub colore virtutis ardebat odij flammis: nam paternarum traditionum æmulator acerrimus depopulare properabat Ecclesiæ nascentis novella virgulta, crudelitatis incendio: *spirans minarum & cædis in discipulos Domini*: ubi Glossa: *spirat in modum ignis.* Ita proprij furoris turbine quatiebatur, ut vitam ageret ille terrerrimam: ideo ipsi Dominus *durum est tibi contra stimulum calcitrare*; nullam tamen ex hujusmodi ratione dura vivendi molestiam ipse capiebat. Idem Saulus, posteaquàm in Paulum versus est, ne vanæ gloriæ deluderetur extollentiâ, stimulo carnis flagellabatur (hoc est carnali tentatione fuit oppugnatus, juxta expositionem Aug. Hiero. Bed. S. Tho. & aliorum) cui ne succumberet, divinæ gratiæ viribus roboratus pugnabat. Quid tamen egisse putas heroem sanctitatis, ut bello darentur induciæ hoste fugato? *Ter*, ait Paulus, *Dominum rogavi ut discederet à me.* Idem valet illud, *ter*, ac multoties juxta Chrysostomum ibi dicentem: *hoc est sæpe numero.* Et infra notat animi apostolici dejectionem loquens ad Paulum Dei nomine: *ægro dejectoque es animo?* & Theodoretus ibidem: *ostendit naturæ imbecillitatem. Oravi enim, inquit, ut liberarer à tentationibus.* Eia magister militum Evangelicus: hæc est illa resignata voluntas: *Domine quid me vis facere?* Antea dum sæviebas, ignem spirabas, quin doleres de flammarum corrosione voraci? nunc ad cogitationis coactus internum certamen ingemiscis? Non victoriam postulas; sed inimici recessum? O fragilem humanæ mortalitatis conditionem! ut malè operetur homo nihil terribile credet; ut pro virtute pugnet, citò delassatur. Vix percipit sceleratus quot subsit oneribus, quot ictibus feriatur per invia vitæ nequam exerrans. Demus quod meliora tandem sapiat: ecce jam cuncta sibi difficillima judicat, & anxio pectore gemiscit.

Act. 9. 5.

2. Cor. 12. 8.

Chrysost. to. 4. hom. 26 in 2. ad Cor.

Theodor. in 2. ad Cor. 12. 8.

Act. 9. 6.

DELIBATIO VII.

Paupertatis voluntariæ Deo se committentis encomia.

39. *Paupertas voluntaria ditior quàm thesauri.* Sen. epist. 10.

PRo pauperibus verba parumper facturus, non egredior terminos textus, in quo de divitibus agitur: *benedictio Domini divites facit*: nam de spontaneâ nunc egestate sermo nobis erit, & *cui cum paupertate benè convenit, dives est*, ut Seneca judicavit. Humani supetat judicij metas expendere quanta Deus nostro commisit arbitrio. Inter plura, quibus immorari non vacat, magnum judico donum, quòd malorum quorumdam naturam sic transvertere possimus, ut in bonorum conditionem transformentur. Inter hæc non vilem obtinet locum paupertas: hanc si oderis, ignobilis est, infausta, jejuna, mœsta: imò semel dicam cum prisco vate

Plaut. in Rud.

Omnibus modis qui pauperes sunt homines miseri vivunt.

Hæc est inopiæ summa infœlicitas? velis illam & fœlix est, quia jam paupertas non erit: dummodo non segnitie regaris; sed imitandi voto Dominum, qui cùm dives esset, egenus factus est. *O dives paupertas*, exclamat Guerricus Abbas, *ô locuples nuditas, si tamen Christiana, & voluntaria!* Abundat omnibus egestas divinæ se credens providentiæ, quin divitiarum opprimatur onere: nam pauperes istos *benedictio Domini divi-*

Guer. Abb. ser. 1. de Epiph.

tes facit, nec sociabitur eis afflictio. Quinimò juxta Chrysostomum, *nihil opulentius eo qui paupertatem sponte diligit.* Paupertas igitur voluntaria thesauros longè superat.

Chrysost. to. 4. hom. 18. in epist. ad Hebr.

Paulo ante verba tetigi Pauli, quæ nunc morosiùs expendenda sunt. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* Dicturum expectabam: ut illius opibus vos divites rederemini: quid est quod inopiâ ditari homines asseverat? & scribens ad Ephesios, Christi divitias appellat investigabiles: quasi diceret: more thesaurorum reconditas? *in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi.* Claudit ne suas Dominus gazas? non equidem bonorum copias avarus condit, sed profert, ut hominem ditescere faciat, illud quod extrinsecùs nuditas; intrinsecùs verò thesaurus est: scili. paupertatem Dominicam, quæ, utpotè voluntaria, pretiosis fortunis cunctis abundantior est. Per hanc divites redduntur homines, quæ tamen investigabilis dici potest, quia latet sub gestate summa. O patrimonium inexhaustum imitatorum Christi! *Ille*, ait pridem datus Ambrosius, *locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cælestibus mansiones. Qui cum dives esset, propter vos pauper factus est ut illius inopia vos ditaremini. Meum ergo paupertas illius patrimonium est.* Posset utique Deus, quin fieret egenus, hominum saluti sic providisse, ut nos divitiis suis inveniremur dites: nam & cùm jam pauper non est, nobis eas offert in cælesti patria. Sed aliud est amicis dona conferre; aliud verò pretio servos à captivitate redimere: pluris constat redemptio, quàm convivium. Insinuare volens itaque Filius Dei suam paupertatem (quia voluntaria est) quasi abundantiorem suo thesauro: ut amicis convivium exhibeat in Empyreo suas producit opes ipse dives; ut autem redimeret eosdem, factus egenus, paupertate propriâ tanquam pretio usus est.

2. Cor. 8. 9.

Ad Ephes. 3. 8.

S. Ambr. t. 3. l. 2. in Luc. c. 2.

40. *Paupertas nota fuit quâ Deus in terris agnoscereturi.*

Vidisti prædivitem ultroneam pauperiem? Nunc quia facultatibus potestas vinculari solet, eandem ostendam præpotentem. *Nudus monachus mundi totius est dominus. Deo enim curam sui credidit, & per fidem omnes possidet servos. Non dicet homini necessitatem suam, sed quæ afferuntur quasi de manu Domini suscipiet.* Egestas hæc hostes animæ proculcat, fortunæ vices irrider altior sæculo, & curarum invasionibus impenetrabilis est. Hoc, si dubitas, ideo non intueris, quia corpore pauperes, non spiritu passim obvios habes. *Videmus*, inquit Bernardus, *autem pauperes aliquos qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur, & tristes, utpote reges, & reges cæli.* Non reges ait simpliciter, sed reges cæli, ne solis temporaneis Principibus æquari putes: hos enim obsident extranei simul ac domestici hostes, & sortis vicissitudini subsunt maximè. Pauperem nec hostis invadit ut spoliet, nec adulator blanditur verbis ut surripiat: rotamque despicit illam, quæ mobilior aurâ rebus humanis jocatur continuè. Imò Supremum cæli Regem ex paupertate dignoscere facilius est, quàm cùm non indiget: & hinc judica regni cælestis cohæredes illos qui lubenter amplectuntur inopiam.

S. Joan. Clim. in scal. grad. 7.

S. Bern. ser. 4. Advent.

Vigilias gregum custodientibus angelus nuntiat summum Pastorem adveniſſe, qui dispersas oves colligeret. Nec tamen tunc intellexisse narrat Lucas ipsos angelicæ legationis veritatem. Ad præsepe Bethlehemiticum pergunt, & historiographus tunc ait eos agnovisse dictum ab angelo. *Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.* Quid vidisse profuit ut noscerent? Salvatorem communem natum refert Dei nuntius, quem regem futurum ex Isaia noverant Hebræi: *factus est principatus super humerum ejus.* Et fortassis rudes homines temporaliter ipsum regnaturum putabant, cùm & hoc existimaverint docti. Quid ergo in stabulo cernunt, quod ipsis puellum istum notificat Messiam? ubi purpuræ, satellitium, & alia majestatis indicia? Glorioſum vidit eundem Saulus: nec tamen statim agnovit quamvis doctissimus esset in lege, prophetisque, sed ab eo sisitatus est, dicens: *quis es Domine?* Confer Dei Filium ipsimet: vide quàm aliter à persecutore visus fuerit, & aliàs à pastoribus inventus. Saulo non sub nuditate delitescens apparuit, sed amictus lumine sicut vestimento: proinde paulisper ignoratur ab illo, cùm inopiæ signo spontaneæ non patefit. In Bethlehemitici tugurij vilitate facillimè pastoribus innotuit hunc verum esse Messiam regem. Sed quare nisi quia pauperrimis tectum involucris conspexerunt? *invenietis infantem pannis involutum:* quasi viles panni munus purpuræ melius agerent, ut Monarchæ cælorum majestas patesceret, quàm si Tyrio susciperetur ostro. *Nam & ipsi panni*, tempestivè dixit Bernardus, *divitiæ nostræ sunt. Pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpurâ, & glorioſius hoc præsepe auratis regum soliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi.* Ab exemplari pauperum transi ad ejusdem asseclas. Nobilior Christi pauperies; non major: nam unum & aliud nihil, si cuncta desint, magis & minus non recipit. Inopia Domini, quia spontanea, regium extitit insigne: famulorum ejus itidem amata, & quæsita rerum angustia, regnat imperterrita.

Luc. 2. 17.

Isai. 9. 6.

Act. 9. 5.

Luc. 2. 12.

S. Bern. ser. 4 vigil. Nat. Dom.

Terror, inquam exulat ab eo qui spiritu pauper. *Semper enim*, ait S. Laurentius Just. *tuta est Christiana paupertas, nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere.* Divina protectio vigilanter istorum pauperum bono providere dignatur, & jugiter. Cunctis indigentibus Deus paterna soilicitudine misericorditer subvenire solet: attamen voluntariis pauperibus opitulari non desistit quotidianâ curâ.

41. *Voluntariis pauperibus Deus adest peculiariter quotidianè.* S. Laur. Just. in lign. vitæ c. 2. d. paupertate.

Locum versabimus iterum, quem aliorsum delibatione superiori jam expendebam. Prohibuit Elias nubibus imbres. Et facto ad eum verbo Domini recessit ad torrentem Carith, ubi corvorum divinitus alebatur ministerio. *Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.* Parciùs cum Elia, quàm cum vidua Sarephtana Dominus

3. Reg. 17. 6.

egisse

egisse videtur. Exsiccatus est torrens, qui prophetam potabat. Surgit ille cælitus dato jussu, vaditque in Sarephtam civitatem: ad cujus portam obviæ postulat viduæ panem & aquam. Cùmque respondisset illa sibi pauxillum farinæ tantùm & olei superesse, ut sibi, filioque suo, mortem per aliquale tempus arceret: dixit Elias de Omnipotentis misericordiâ confisus: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.* Largissimos aperuit inopi fœminæ divina clementia fontes? Eliæ non sic? Corvorum rostro quid posset maximum deferri? Non fuisse nimium, satis patet ex eo quòd bis quotidie cogebantur afferre alimoniam. An plus vidua Deo placita? Nequaquam: sed illa pauperiem patiebatur invita: semel ergo tantùm Omnipotens illius miseriam sublevavit. At Elias quia regi non veritus in faciem liberè loqui recessit ad solitudinem; spontaneam sustinebat penuriam. Huic non solummodò semel, sed plusquam quotidianâ providentiâ subveniri congruum fuit. Potuit ille victum quærere; sed tunc noluit: perpetuam proindè merebatur Dei sollicitudinem egestatis amator. *Eliæ quoque sancto panis*, inquit Ambrosius, *ad victum deerat si quæreretur, sed non videbatur deesse quia non quærebatur. Itaque diuturno corvorum obsequio mane panis, caro ad vesperam deferebatur. Nunquid ideo minus beatus quia pauper erat sibi? Minimè.* O beatam sortem libentis paupertatis: quæ divino conspectui sic placet, ut oculos ab ea dimovere non sinat pietas, quantumvis immensitas & omniscientia permitterent! Utique protector est sperantium in se. *Consolamini igitur consolamini qui in sordibus paupertatis enutrimini, quia vobiscum est Deus in paupertate.* Sic D. Laurentius Justinia.

Ibi n. 14.

S. Ambr. to. 4 l. 2. d. offic. c. 4.

D. Laur. Just. proximè supr.

42. *Dimidiatim terrena linquens non sequetur vestigia Christi.*

Verùm ne reputet quisque satis ad hoc ut sub ista peculiari protectione Dei constituatur homo, sufficere quòd utcùmque deserat ex parte bona temporalia; operæpretium est eis penitus valedicere, si ad illius admitti cupis consortia, qui dum in terris degeret, ubi caput reclinaret non habuit. *Frequens nobis* (verbis Ambrosij loquar) *sermo est de fugiendo sæculo: atque utinam quàm facilis sermo, tam cautus & sollicitus effectus.* Facilis, inquam, sermo, sed arduum nimis opus. Propterea toties inveniuntur quidam semipauperes spiritu, qui pedem alterum è terra levant. *Qui fugit sæculum volat*, inquit idem S. Doctor: & non nisi utroque pede sublato de terra solent alites evolare. *Pes autem animæ est amor*, ait Augustinus: & alibi datus: *Ascendit volando, qui ascendit amando.* Pedes ambos id est integrum amorem à terrenis leva, si volare cupis. Vestigia Filij Dei non sequêris dimidiatim relinquens terrea.

S. Amb. to. 1. l. d. fuga sæculi c. 1.

Idem ibi c. 5.

S. Aug. to. 8. in ps. 9. Idem ibi in ps. 121.

Examinabam sollicitus quid obstitit Zachæo ne Christi fieret Apostolus. Etenim piissimo Dominum affectu prosequi visus est: cùm præcurrerit in arborem, ut ipsius aspectu frueretur, & jussus descenderit, eumque gaudenti benevolentiâ domo fœlix exceperit. Imò dubitandi rationem aliam Chrysologus offert, cùm Redemptorem sic introducit loquentem cum eo: *descende ergo ut deponas tantæ frandis onera, pondera cupiditatis, usurarum molem, magisterium publicani, exactionis crudelissimæ principatum, expeditius intres pauperis scholam, discipulatum misericordiæ.* Si Christus Dominus eâ mente vocat Zachæum, ut ipsius frequentet gymnasium, cur non eum Apostolis annumerat? Apostolorum erat cuncta reliquisse, quò sequerentur Magistrum: *reliquimus omnia: & secuti sumus te*; Zachæus non omnia; sed partem dimittere audebat: *dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Apostoli sub tanti Præceptoris protectione peculiari degebant: ad quam ut admittatur amicus Dei, non sat est semispernere mundana: volatu egemus ut cælestia prendamus, quod non præstabit nisi qui prorsus omnia libens abjecerit. *Nihil sibi retineat, nihil suis, ne modicum fermentum totam massam corrumpat.* Ita S. Bernardus.

Chrysol. ser. 54.

Matth. 19. 27.

Luc. 19. 8.

D. Bern. in declama. sup. Ecce nos.

DELIBATIO VIII.

Materia tituli præcedentis D. Caietani præconio viam aperit.

43. *Amoris donaria gratiora Deo, quàm potestatis.*

UT emolliatur difficultas iis, qui se suaque Deo sacrare desiderant: ac ut ita super eos illa *benedictio Domini*, quæ *divites facit*, descendat: recogitare congruentissimum existimo quanti Deus facere soleat hujusmodi sacrum libamen: utpote quod amoris hostia; non potestatis, est. *Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur*, ait M. Gregorius. Humanæ potentiæ donaria, quamvis deponat superbiam, minus attamen Deo grata sunt illis, quæ consecrat amor: nam si ab authore donum æstimatur, quis dubitat affectum plùs Deo placere quàm hominum potestatem? Exinde manet dilectionis oblata majoris à Deo fieri muneribus potentium.

D. Greg. M. to. 1. l. 22. mor. c. 8.

Curiosè quærunt interpretes, quid actum sit de auro, quod recens nato Domino litavere Magi. D. Bonaventuræ sententia hæc est; *Zelans Virgo pro paupertate, & intelligens filij voluntatem, tam intus docentis, quàm foris ostendentis (quia vultum fortè avertebat ab auro, & vilipendebat) totum infra paucos dies pauperibus erogavit.* Habes secundùm Bonavent. B. Dei Matrem aurum quod Magi Filio dicaverant, in pauperum alimenta dispersisse. Suspicari quinimò possumus, eodem S. Doctore duce, Virginis Unigenitum aurum illud spreviſſe, Deiparamque sanctissimam ut morem gereret gnato distribuisse in egenorum opem. Hoc, & amplius, credam de Principe quem paupertatis amatorem constituit benignitas, & sectatorem posuit amor. Difficultas, quæ nunc incidit in mentem, oritur ab eo quod scribitur apud Matthæum de Magdalena. *Cùm autem Iesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Vidisti quam à seipso discors operetur Dei Filius in vitæ primordiis, ac in

S. Bonaven. in medita. c. 9.

Matth. 26. 6. 7.

ejusdem exitu propemodùm positus? In Mariæ brachiis, in pauperes effusâ magnificentiâ tacitus aurum suadet Genitrici distribuere pro miserorum stipe? In domo Simonis leprosi verò Magdalenæ factum probat: nec sibi fuisse futurum gratius affirmat, si pretium illius unguenti dispergeretur inopibus: Marc.14.7. *semper enim pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere* &c. Magorum auro faciem fortassis avertebat divinus puer; unguentum autem super caput suum collocari sinit? Non accipientis inconstantia fuit in causa; sed offerentium dispar conditio. Aureum pondus obtulit Orientalium potestas; unguentum verò Magdalenæ dilectio: Dionysius Carthusianus Christi nomine loquens: Dyonis. Carthus. in c. 26. Matth. arti. 41. *opus enim bonum operata est in me, quia infundendo unguentum super me non perdidit illud, sed religiosissimè fecit ex charitate & devotione.* Potenti manu libatum, ut suspicor, despexit puellus aurum; dilectionis munus idem postea supra caput deponi passus est, paulò priùs quàm pateretur, quasi re gratissima pectoris anxij fluctus minuens. Sic intelligere licet, humanæ magnitudinis vota non tam ipsi jucunda, quam largitiones ab amore delatæ.

44. *Ubi voluntaria paupertas, ibi spiritus duplex.*

Hinc est obvium arbitrari quantùm acceptior victima Deo sit ea quam sacris admovet aris ille, qui sæculi possessionibus abdicatis, etiam spem acquirendi mactat ut soli famuletur Altissimo. Sic virtutum paradisum supremi Principis voluptati, mille floribus conserit pulchro germine. Quod ut præstet, vitiorum radices evellit, cùm temporaneis quæstibus valedicit. Nam si, prout Chrysostomus autumat, *divitiarum sequela est luxuria, ira intemperans, furor injustus, arrogantia superba:* opibus ultrò projectis oppositas virtutes amplecti minus operosum erit, ut natanti facilius est scindere fessis ulnis æquor, si pecuniæ pondus abjiciat quam servabat. *Quanto pondere se alleviat qui nihil habere amat!* Affirmare non vereor Aristotelem erasse dicentem: *impossibile est indigentem operari bona.* Philosopho vatem oppono: qui non poëticè loquitur hâc de re, sed tragicè:

Chrysost. to. 5. l. Quod nemo lædi-tur nisi &c.

D. Anton. Olyssip. ser. Dom. 18. post Trinit.

Arist. 1. Ethi.

Sen. in Thyest. act. 3.

Humi jacentem scelera non intrant casam.

Paupertatis voluntariæ certum habeo peroptimam esse industriam, ut Altissimo ædificet urbem quam jucundius inhabitet, ac harmoniam componat, qua divinæ demulceantur aures, necnon ut hominem parvo sumptu doceat artem benè vivendi. Hoc ita sentio ductus Apulei verbis. *Paupertas autem prisca apud sæcula omnium civitatum conditrix, omnium artium temperatrix, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ musica:* quæ quidem ad paupertatem spontè susceptam non invitè poteris transferre: nec enim spiritus vulgaris indicium est pauperies volita. Quin potiùs eodem signo paupertas denotatur, & spiritus duplex.

Lucius Apul. l. 1. d. mag.

Priusquam igneus currus ab Elisæo divideret Eliam, precatur discipulus à præceptore duplicatum spiritum. Responsum accepit à magistro quod acciperet illum si videret ascendentem. Vidit, ac recepit quod expetierat. Sed accidit ut cùm in ætheream regionem elevaretur Elias, ipsius pallium ceciderit, quod Eliseus piè sustulit in amoris pignus. *Et levavit pallium Eliæ quod ceciderat ei:* & notat Lira sic accidisse ut in signum spiritus accepti cooperiretur Eliseus illo: *ut Eliseus ipso operiretur in signum quòd spiritus Eliæ requiescebat super eum.* Benè: sed cur Elias non prius dixit se vestem discipulo donare? Arbitror hoc tacuisse ne pallium illud Eliseus dicere valeret suum. Inopiam elegerat assecla, ut palam testatus est facto, cùm *relictis bobus cucurrit post Eliam.* Et infrà: *tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.* Eandem egestatem sibi gratam probavit, dum abeunte magistro, propria tegmina disrupit: *apprehenditque vestimenta, & scidit illa in duas partes:* non enim conveniens erat ut duplex haberet pallium Eliseus: ideo perrumpere vestes monitus à Domino fuit interiùs, ut amictum cadentem acciperet magistri. Cardinalis Hugo: *scidit præ dolore absentiæ magistri sui, vel ut indueretur veste Eliæ quam dimiserat ei.* Super conscissa indumenta, vel his abjectis, pallium alienum satis exprimebat egestatis amorem: ut enim illud erat duplicati spiritus indicium, ita spiritu pauperem sub eo delitescere denuntiabat. Ubi voluntaria paupertas, ibi spiritus duplex. Quidnî per virtutis ardua pennato studio transcendant super mundanarum nubium altitudinem spirituales inopes, quos *benedictio Domini divites facit?*

4. Reg. 2. 13.

Liran. ibi.

3. Reg. 19. 20. 21.

4. Reg. 2. 12.

Hugo Card. in 4. Reg. 2.

45. *Plusquā humanum videtur egemè non postulare auxilium.*

Hæc dum litteris mandarem, occurrebat solemnitas illius ditissimi paupertatis amatoris, qui divinæ providentiæ conferens immortale decus, mundo renuntiantibus exemplar fuit commune sed singulare: S. Scili. Caietani, qui ab ore Christi Regis excipiens corde novam vivendi rationem, illam sibi, suisque præscripsit alumnis à D. Matthęo jam conscriptam. *Nolite ergo solliciti esse dicentes quid manducabimus* &c. Ecce via quâ cælum ascendit Caietanus; ne dicam cælestia tenuit in terris. Sæculi potentibus hanc pauperiem cupientibus moderari sic obnixus est quasi divitias rapere suas volentibus. Obstabat piè Comes Opidanus huic austeritati sanctissimæ suadere nitens ut pro monasterio quod erexerat ipse, moderatos redditus admitteret: domum fundatori dereliquit impatiens possessionum. Episcopo Verorensi, qui paternâ pietate cœnobium Caietani fovebat eleemosynis abundè, repugnavit. Itaque necessitas ipsi voluptas erat: & præcipua cura nullam de temporalibus omnino suscipere. O vitæ normam plusquam humanam! Vix accidere valet, ut non de terreno pulvere vel religiosa corda sordescant. Sed *non talis profecto animus inopis est, inopis dico ultro ac sponte sua, sed fulget ille quidem ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa, nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis, sed vivit angelica vita.* Verba furatus sum ex Chrysostomo, nec pœniter. Preme illud, *angelica vita*, ut credas plusquàm humanum esse indigere sic libenter, ut auxilium non postulet egens.

Matth. 6. 31.

Chrysost. to. 2. hom. 48. in Matth.

Fœdera

Fœdera conciliaturus amicitiæ inter Deum & homines Princeps pacis, indicare cupiens id sibi primis in votis esse, nempe transmutare mortales in Dei filios, qui hostes erant: contraria nimis inter se dissita jungi permisit: innocentia damnatur summa, gaudium tristatur Angelorum, vulneratur hominum salus: & priusquàm tandem orbis moriatur vita, sitivit fons: è cruce namque pendens
Joan. 19. 28. *ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio.* Quamvis hæc sitis vera naturalisque fuerit: nemo tamen dubitat illam, sicut & cætera tormenta fuisse Domino voluntaria. Quid ergo remedium postulat ejus; cum pro doloribus, quos in cruce ferebat, auxilium nequaquam flagitaverit? attende. Clavorum & spinarum cruciatus ad egestatem non spectabant; sitis autem maximè. Quia verò futurum erat ut hæretici quidam veram Servatoris humanitatem fuisse negarent, ipse remedium inopiæ postulavit, ut verus homo crederetur.

D. Thom. in c. 19. Joan. lect. 5. *Per hoc*, ait S. Thomas, *verò quod dicit, Sitio, ostendit mortem suam esse veram, non phantasticam.* Egere quippe, supprimereque penuriam corde, vix humanum quid est. Inde certè divina pene Caietani virtus enitet: quod sibi suisque præcepit divinæ providentiæ fidem tam validam ut opis levamen quærere nollent, quantumvis id cuncta suadens moneret indigentia.

46. *Excellentius est aliena mala sibi propria reddere, quàm gaudere de suis.*

Illud memoriæ traditur nunquam satis laudatum: quod adhuc puer egenis cupiens eleemosynas largiri, petens acquirebat quò levaret eorum pauperiem. Nescio sane quid mirabilius: necessitati-ne suæ non providere mendicans: an ut miseros pasceret postulare stipem? Utrumque maximum detexit paupertatis amorem: sed primum demitor amplius: nam sibi nolens prospicere, probavit amare quod patiebatur: & Sanctis solet dilectio laborum familiaris esse. Pro cibandis pauperibus emendicatio quærere quo succurrat iisdem, hoc fuit aliorum pauperiem velut ambire. Istud largitatis culmen est præcelsum, aliorum egestatis cruciatum reddere proprium.

D. Greg. M. to. 1. l. 20. mor. c. 26. *Unde scire necesse est quia ille perfectè tribuit, qui cum eo quod afflicto porrigit afflicti quoque in se animum sumit: ut prius in se dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius per ministerium concurrat.* Sic M. Gregorius: & infrà: *& tunc plena est cordis nostri compassio, cum malum inopiæ proximo suscipere non metuimus, ut illum à passione liberemus.* Excellit equidem tribulationibus gaudens: multò tamen sublimiùs est aliena mala sibi propria reddere, quàm gaudere suis.

Ad Galat. 6. 14. Exemplar Apostolici viri profero gentium Apostolum. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, scripsit ille. Deerat-ne Paulo sua crux, qui dixit ibidem: *mihi mundus crucifixus est & ego mundo?* cur non in cruce propria se gloriari pronuntiat? quia minus erat de sua gaudio perfundi: cum spes remunerationis faciat eam
S. Aug. to. 8. in ps. 127. dulcescere, secundùm illud Augustini: *modò nos ipsi labores nostri jucundant, & lætos nos faciunt de spe.* Celsius fastigium tenere Pauli meditabatur amor. Ipsam Domini crucem sollicitabat sibi: quinimò fixus perstabat in eâ: *Christo confixus sum cruci:* & cum eò perveniisset, ut aliena tormenta tanquam sua pati sibi videretur, de hoc singulariter gloriabatur: *mihi autem absit &c.* ubi Ambrosius Catharinus: *hinc vera gloria videlicet in cruce Domini Iesu, dum cum illo compatimur &c.* Crux mehercle paupertas est: nam licet verum sit quod in cruce dominica thesaurus invenitur (ait enim Aug. alludens ad præcitata Magistri gentium verba: *dixit in cruce: ubi mundi philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit*) attamen ibi pependit paupertatis exemplar Filius Dei. *Christus*, inquit Hugo Card. *illa tria in cruce sustinuit: nudus enim pependit in cruce. In nuditate paupertas, in suspensione amaritudo, in cruce vilitas ostenditur.* Antequam crucem egestatis propriæ ascenderet Caietanus alienam appropriavit sibi, fœliciter laborans ambitione quâdam egendi: noverat enim quod humano auxilio destitutos *Benedictio Domini divites facit &c.*

Ad Galat. 2. 19. Amb. Cath. episc. Minoriensis ibi. S. Aug. to. 10. ser. 20. d. ver. Apost. Hug. Card. com. in ep. ad Gala. 6. 14.

DELIBATIO IX.

De munificentia Dei: sortis infœlicibus donis & plagis: deque compassione diligentis.

SPicas aliquot nunc quæ deciderunt à metentis manibus collige. *Benedictio* hîc ponitur pro Dei erga suos amore, seu benevolentia. Non dixit: omnipotentia Domini divites facit: quia dicto velocior est in opitulando Summus benefactor: & ut exprimatur celeritas, non erat munificentia tribuenda potestati, sed amori. Adest equidem humano generi benefica Dei virtus: at ejus amor non tantùm adstare cupit; sed volat ut prosit abunde. *Alas* (incertus inquit S. Hieronimus) *Deus dicitur habere pro eo quod more avis, electos suos tanquam pullos sub se collegit &c.* Alas, inquam, non assumit omnipotentia, sed sibi jungit amor.

47. *Benefactura Dei potestas adest: sed amor volat.*

Incertus S. Hier. to. 4. in ep. d. iis quæ Deo in sacra pagina tribuantur.

Ad fluenta Jordanis baptizandus à Joanne Dei Filius accedit, ut certamen humilitatis iniret: necnon & prædicationem Evangelicam auspicaretur incorruptam, cum semetipsum constitueret super aquas, & veritatem esse declararet ita. Vox æterni Parentis insonuit, quâ non solum Christum Dominum Filium asseruit: sed quod per eum salutem generis humani pararet Pater expressit. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ubi lira: *id est in quo voluntas mea complebitur de salute generis humani.* Divinus etiam non defuit Spiritus: & licet pro Redemptoris innocentiâ tuendâ (qui baptismum suscipiens personam tunc agebat peccatoris) principaliter advenetit: nobis tamen ibi Spiritum sanctum mediante Christo Domino fuisse donatum in posterum videtur Cyrillus Alex. sensisse. *Postquam autem factus est pauper qui erat dives, unigenitus inquam, & nobiscum ut homo esse cœpit, & proprium sibi Spiritum ut adventitium accepit, mansit super eum, ut in nobis quoque in posterum habitet.* His prænotatis, animo versabam cur invisibiliter

Matth. 3. 17. Liran. ibi. S. Cyrill. Alex. in cap. 2. Ioel.

biliter adfuerit Pater, semel quod fuerat emissurus vocem. Sub forma visibili divinum Flamen apparet? nec veretur Genitor ne verba perperam intelligentes aures humanæ reputent Christum Dominum ab Spiritu sancto genitum, qui sub columbæ specie latuit? potius induat pennas æternus Parens: apposita quippe valdè foret apparitio, quâ sic ostenderetur columbam genuisse innocentem. Spiritui sancto congruit pennigera vestis? Et maximè: quia pennæ sunt instrumenta volatui: Spiritus verò S. ex vi processionis æternæ dilectio dicitur; Patri potestas appropriari solet. Aderit hominibus Deus ut Omnipotens: velare tamen, ut sic sumptus, recusat, ne præsentiâ putetur ad operationem indigere qui loco præsentissimus omni reperitur. Nihilominùs Paraclitus Amor pennatâ velocitate properat, ut benefaciendi protestetur ardorem. Alitis utens remigio Christum quæsivit, & mansit super eum. Amoris itaque benevolentia velox est quæ dicitur in textu nostro, *benedictio.*

48. *Deus nobis claret gloriosiùs beneficium conferens uberius.* D. Greg. Nazi. orat. 26.

Domini. Majestatis nomine Salomon utitur, cùm divinæ benignitatis profusissimam in homines conditionem proponit. Deus *cùm multis nominibus admirabilis nobis & suspiciendus occurrat, nihil tamen tam proprium habet, quàm omnes beneficiis afficere.* Sic Gregorius Nazian. Titulo præclarissimo significari debuit eximius benefactor, dum illius donorum recolitur ubertas. Lux est ille: proindeque tantò plus irradiat, quantò se diffundit latiùs in aliorum commoda quid refert stellarum sit multa magnitudo? parvulæ nobis videntur scintillæ, quia longè positæ nostros in usus avarè fulgorem dispertiunt; cùm tamen econtrariò terræ molem admiratione prosequamur: quia communis mater est, ac tunc pulchrescit, cùm pro mortalium egestate supplendâ fructus nunc promittit, nunc edit. Ut Phœbus hominum commoditati meliùs inserviret, illum quarto cælo Conditor locavit: si verò thronum ejus, qui præest cunctis astris, poneret altiorem stellis, idem sanè planetarum princeps foret; sed quantùm nostris lucris abesset, tantùm suis fulgoribus detraheret: longius enim positus minor appareret: ibi rutilat fulgentior, ubi adest utilior. A typo ad veritatem ascende. Sol est Omnipotens: tunc humanis obtutibus claret glorioſiùs, cùm beneficium confert uberius.

In repromissionis terras pergens Hebræa turba ciborum desiderio flagrans vilissimam admisit ingratitudinem. De suamet sorte querelas emittens ab Ægypto ascendisse dolebat. Frequentiùs ex bonis eruimus querimonias, quàm in malis motiva quæstuum reperimus: nam quia nec bona quæ sint vera, nec mala quæ meritò deflenda noscimus: facilius est errorem admittere sub umbra veritatis, & sic de propriâ fœlicitate dolere; quàm scopum casualiter attingere, hoc est, mala deplorare. Queruloſis Deus ex Omnipotentiæ penu copiam alitum, & panis annonam cælestis contulit. (Quomodo persolvet obsequia, qui sic respondet injuriis?) Moyses autem & Aaron ut subministrarent populo spem utriusque miraculi citò futuri, dixerunt: *Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & manè videbitis gloriam Domini:* commentatur inibi Cornel. à Lapi. *quia vespere Deus dabit vobis coturnices, & mane manna, uti patet vers. 12. & 13. per quod agnoscetis Dei gloriam, ideſt, glorioſam potentiam, & providentiam.* Manna gloriam Dei jactitat? coturnicum turmæ omnipotentiam non æquè commendant? Specialùs divinæ laudi materiam suppeditabat avium ostentum: nam de illis minimè dubitarunt; de mannâ verò nonnihil hæserunt, priusquàm datum perciperent munus. *Quod cùm vidissent filij Israël, dixerunt adinvicem: Manhu? quod significat: quid est hoc? ignorabant enim quid esset.* Nihilominùs hic divinæ gloriæ jubar cernis extitisse majus quàm id quod ex avium prodigio nituit? *mane videbitis gloriam ejus,* dicitur de manna, non ita de coturnicibus: qua de causâ? Quia Dei manus multò largiori providit abundantiâ plebi per escam cælitus datam, quàm per volucres: has enim semel tantùm accepere; mannâ verò per quamplurium annorum spatium aliti sunt: & insuper volatilium ferculum erat unicum; manna pluribus æquivaluit: *panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Tunc itaque divina commendata gloria fuit, cùm liberaliùs in egenos extenta manus est: *mane* &c. Voce majestatem personante Deum sapiens hîc exprimit ubi divitiarum incidit sermo, quas effundit in homines *benedictio Domini.*

Exod. 16. 6. 7.

Corn. à Lap. ibi.

Exod. 16. 15.

Sap. 16. 20.

Divites. Non tantùm dixit benedictione hac satiari desideria, vel spem expleri, seu pauperiem tolli; sed affirmat homines ditari. Refertur amoris divini liberalitas hoc loco. Si de potentiæ largitionibus ageret, forsan aliter loqueretur, asserens eorum indigentiis providisse: nam eo ipso quia potest omnia Deus non cuncta quæ valet operatur. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Multum enim valere tibi soli supererat semper.* Cùm Deus prout Omnipotens ita se gerere soleat; diversimodè valdè quatenus amans operatur: non in mensura dilecto donat. Cùm prohibet apponit metam, quam transilire non liceat; cum verò largitur, nullum sibi præscribit limitem. *Hinc fuit*, ait S. Bern. *quod non modo in pondere & mensura & numero condidit universa: sed & protinus ipsi homini modum præscripsit: mandatum contulit dicens: ex omni ligno paradisi comedes de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Leviſsimum planè mandatum: & larga omnino mensura.* Terminum sibi non præfigit amantissimus Dominus in tribuendo, cùm se se gerit prout hominum dilector: sed numerum quasi nescius, amatis progerminat beneficia.

49. *Non in mensura donat Deus quaternus amantes.*

Sapi. 11. 21. 22.

S. Bern. ser. 2. d. Circumci.

Mente volutabam, quàm, ad speciem, parcè sponsa Dilecti similitudinem per arboris expresserit ænigma. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dolectus meus inter filios.* Æquiparet Soli Sponsum; non arbori: nec enim radices ille jecit in terris: *pertransiit benefaciendo*, cursumque suum Solis more

Cant. 2. 3.

Act. 10. 38.

termi

terminavit occasu. Lignum appellat idoneâ
D. Greg. M. in Cant. 2. 3. valdè metaphorâ. *Meritò ergo per malum Christus, per silvestria vero ligna cæteri homines figurantur: quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus invenimus: in ejus verbis & exemplis animas nostras fructu suavi, & salubri reficimus.* Sol in mensura, sub numero certo dierum illuminat orbem: nec illi datum est vel diem hybernum longiorem efficere, vel annum augere: definitis quippe lineis ejus officium clauditur. Arbori nec certus numerus fructuum præfixus est, nec umbræ magnitudo præfinitis limitibus coërcetur, nam juxta positionem Solis mensurabitur. Ligno confertur pro Sponsæ donandis fructibus Dominus: nam cum ex amore largitur, nec numerum observat, nec mensurâ coarctatur. Non solùm exulare facit inopiam: sed suos munerum reddit cumulo *divites.*

30. *Ex dono sortis infortunium sex uno munere Dei sequitur aliud.* *Facit.* Præcesserat amor sub verbo *benedictio:* non poterat non subsequi mox opus: nam de amore divino sermo est. De manu Dei munus (qualis est ejus dilectio ultra merita) pignus est alterius, cùm econversò de manibus fortunæ beneficium sit infausti casus origo. Etiam de homine benefico dicitur sufficiens ei motivum esse pro secundâ largitione; quòd primam exercuerit. *Cui initio ratio non fuisset præstandi, aliquid ei præstamus ob hoc quia præstitimus.* Sen. l. 4. d. benef. c. 15. Fortiori fundamento credendum est hoc de largitore, cui præcipua donandi ratio ipsemet sibi. Quod cum ita sit: unum Dei donum subsequitur alterum; sicut sortis munus infortunium parit.

Flagellavit Pharaonem Dominus plagis maximis, eo quod Hebræorum populum ab injusta servitute dimittere nolebat. Obstinatum denique punivit occidens primogenitos, inter quos & Regis filius natu major mortem obiit: *percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti à primogenito Pharaonis* &c. Et quare non potius occidit Pharaonem rebellem? Fortè respondebis: quia voluit parentem in genito punire, ut acerbiori supplicio sic afficeretur. Ita quidem suspicor: sed cur non omnes occisi sunt gnati Pharaonis? quid peccavit in subjectâ materiâ senior filius? Dicam ad utrumque dubiolum quid sentiam. Non pater occiditur in palatio, quia cessasset illo mortuo superba sua contentio contra Deum, dimitteretur populus, nec illum tunc insequerentur Ægyptij: proindè non eam victoriam Israël assequeretur, quam vidit mare rubrum. Libertatis donum decreverat concedere Dominus plebi dilectæ non ergo munus hoc accipiendum erat, quin statim aliud annecteretur, nempe de Pharaone reportandus absque pugnâ triumphus. Nunc ad secundum quæsitum. Solus prior ex filiis Regis Ægypti moritur; non fratres: quia soli huic fortuna beneficium primogenituræ, cui sceptrum addicebatur concesserat. Ex dono sortis infœlicitas est sequela; sed à Dei benefacto quodam promanat aliud. Suis Deus beneficus favet in summè diligendo: sed ex hoc aliud prodit beneficentiæ opus. Quos diligit, *benedictio Domini divites facit.*

Exod. 12. 29.

Nec sociabitur. Dixerat paræmiarum sacer scriptor benedictionem Domini divites constituere. Nunc prope nihilum videtur addere, cùm asseverat non eos afflictionibus quati permissurum esse fidelissimum eorum protectorem: nam illum, cui bona confert affluenter, quid mirum est ab anxietatibus eximat? Medullitus rem vestiga, saniùs judicabis. Ideo quia donis replet suos Deus, præstat eisdem beneficium non vulgare, pressuras avertens præveniendo. Hæ si divitiarum lætitiam subsequerentur, incrementum de præcedenti gaudio reciperent. Post serenum Solem tetrior est atris excussa nubibus tempestas: acutiùs penetrat spina manum quæ prendiderat rosam: nam vel florem projicere dolor cogit, vel ad ejus pulchritudinem non attendere. Demum expertus dixit Boëtius: *in omni adversitate fortunæ infœlicissimum genus infortunij est fuisse fœlicem.* 31. *Miserabilius patitur post fœlicitatem dolens, quàm plagam reciens unam post aliam.* Boët. l. 2. d. Consolat. prosa 4.

Problema controverti fateor apud eruditos: nempe quid sæviùs indoleat, unus post alium ictus; an lamentum, quod extrema grati risus occupat? Pro parte priori stat quod unitæ doloris vires duplicis fortiùs oppugnant corda; si gaudium tribulationem præit, contrarij reliquiis hæc repercussa minuitur. Dolor primus non alleviat secundum: lætitiæ præcedentis memoria præsentem videtur mitigare cruciatum. Videtur, inquam; sed aliter se res habet. O ter infœlicem qui post sortem experitur miseriam. Unum post aliud malum non tam fortiter impetit obfirmatum experientiâ pectus: sicut enim unda non auget undam cui supervenit; sed frangitur ejus occursu: non aliter multoties ærumna quædam alterius illiditur congressu. Non ignoras ex M. Basilio mala fluctibus assimilari. *Et sanè,* inquit, *mala, quæ alia super alia excitantur, perinde ac fluctus quidam perpetuantur.* S. Basil. orat. 12. in initium Prover. ex var. Aliter contingit ei qui blandis assuetus incidit in dura. Memoriam ne præteriti gaudij vocabit in auxilium? à tortore pietatem rogabit? est quidem illa recordatio fletibus opposita: sed unum ex altero contrarium roboratur antiperisthasi quâdam: idcirco tormentum augetur immaniter per eam: nam teste Cassiodoro, *malorum omnium probatur extremum, cum inde detrimenta suscipimus, unde credebantur auxilia provenire.* Cassiod. in epis. Fortunæ percussio prior quandoque secundæ sustinendæ confirmat; ejus benigna manus ad ipsius verbera ferenda cor emollit. Maneat igitur miserabilius pati eum qui post fœlicitatem contorquetur, illo cujus præcordia post unam plagam vulneravit altera.

Obstupebam Dei priusquàm homo fieret humanissimam pietatem, legens ad rubum descendisse, ut oppressum ab Ægyptiis populum erueret à comprimentium jugo: & *sciens dolorem ejus descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum,* ubi Interlinearis ad illud, *sciens,* ait: *compatiendo, præsentialiter liberando.* Exod. 3. 8. Hic Deum benignitas impulit ut succurreret, imò compateretur? Et quare non in carcere posito Josepho, cujus virtutum prata divino amori erant in deliciis, apparuit in Ægypto Dominus, ut eriperet insontem? Minoribus hujus præcordia vulneribus transverberari dicemus, quàm

ejus postea stirpem ? Audi Psalmistam, qui nobis ansam præbet ut oppositum censeamus, nam Josephi dolorem expressit acerbissimâ phrasi : *ferrum pertransiit animam ejus* ; posterorum vexamina sub odij, dolique, nominibus enarravit ibidem : *convertit cor eorum ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.* Hæc tamen nihil obstant ne Joseph in Ægypto minus dira passum dicamus, quàm sub novo Pharaone plebem, de qua Philo Deum loquentem introducens ad Moysem : *jam dudum, inquit, me miseret oppressorum intolerandis injuriis.* Quâ ratione ductus id affirmem percontaris ? Dicam. Filiorum Israël quassationem præcesserat eorum fœlicitas. *Filij Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleverunt terram.* Ex hâc eorum prosperitate orta sunt eis mala, dixit enim rex : *ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum* &c. Miseratione dignissimi fuerant eorum gemitus, quos præteritæ fœlicitatis memoria, simul cum ferociæ præsentis anxietate cruciabat. Josepho dissimiliter accidit : nam ejus mala nectebantur catenatâ serie. Ab odio fratrum venditio : de venditione servitus : è servitute calumnia : tandem ex calumniâ carceratio provenerunt. Mitiùs quàm posteri discruciabatur is, cujus pectora tam iteratæ fecerunt obdurescere tunsiones. Apparitione Dei non oportuit angores ipsius mitigari ; maximè tamen Israelitarum antea fortunatorum suspiriis permotus comparuit Moysi pro vix tolerabili sublevandâ miseriâ. Feritur atroci vulnere qui post jucunditatem ingemiscit. Proinde ij quos *benedictio Domini divites facit*, miserrimè vexarentur, si non provideret benigna manus protectionem validissimam, ob quam eis afflictio nec prævalebit *nec sociabitur.*

Ps. 104. 18. Exod. 1. 7. 9. 10.

52. *Amor jubet proprium fieri dolorem quem dilectus patitur.*

Eis afflictio. Singulari numero de afflictione loquitur ; ferentes eam supponit plures. Liceat pro fraternæ charitatis laude paululum à rigore litteræ deflectere. Justorum quisque dolores alienos excipit, ac si cunctis infligeretur unica percussio. Hæc lex est amoris mutui, qui viget in iisdem : nam ut Chrysologus ait, *verus amor est fecisse suas angustiati angustias.* Ideo qui dixit : fortis est ut mors dilectio, verum quidem asseruit, sed plus alleverare potuit. Valet mors cruciatus inferre, sed unicuique proprios dividit : præsertim quia nihil aliud ipsamet, quam disjunctio, seu divisio quædam est. Amor cum sit unio, planctum dilecti jubet amantis esse.

Chrysolo. ser. 14.

Ps. 37. n. 18.

Dolor meus in conspectu meo semper. De quo dolore Psalmographus agat hic, enucleandum prius est. Liranus ibi, ad illud *dolor meus*, commentatur : *quia scio meruisse pro peccato adulterij cum Bethsabea, & homicidii Uriæ.* Et quid supplicij meruit hisce criminibus ? Puto quòd trium filiorum necem, quo triplici clavo cor Davidis crucifixum est amore carnifice. De pueri adulterini obitu patet ex textu, per eum fuisse flagellatum parentem : *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Deinde citato psalmo loqui de cæde Amnonis Davidem author est apud glossam Theodoretus. *De peccato mentionem fecit, & de pœna inflicta ob expiationem, ut Amnonis cædes* &c. Similiter de Absalone idem colligo ex eo quòd psalmus iste compositus fuit à Davide post numerationem populi quam præcesserat mors Absalom : proindeque *dolor meus*, ad mortem Absalomi referri potest etiam. Nunc sic meditabar. Dolorem istum non in corde fixum asserit ; sed ob oculos positum ? *in conspectu meo.* Suspicabar ita locutum ut sibi non tam Sermonem esse de sui cordis anxietate, quàm de cruciatibus quos ipsis tribus filiis mors attulit. Nec enim dolor qui latebat in parentis pectore, tam propriè dici poterat ejus oculis aspici : *dolor meus in conspectu meo :* filiorum igitur, qui mortui fuerant, erat angor iste. Difficultas urget : quo stylo David eum vocat suum ? *dolor meus.* In hoc hæsitas ? an ignoras quòd amor dilecti mœrorem, alienum verè, præcipit fieri diligentis proprium ? In conspectu genitoris versabantur mortis anxietudines, quas non ille, sed geniti, passi sunt, quia reipsâ fuerant alienæ ; tamen illas David nominat sic : *dolor meus :* quia diligebat valdè, filiorumque mala reddebat amoris ingenio sua. Se se mutuò perfectè justi dilectione prosequuntur. Idcirco licet eorum pluraliter mentio facta sit (*nec sociabitur eis* ;) tamen quia dum patiuntur, dolor est omnibus unus, numero singulari dicitur, *afflictio.*

Theodo. apud Gloss. in ps. 37. 18.

FLOS XXIV.

Quasi per risum stultus operatur scelus : sapientia autem est viro prudentia.

APERITUR.

GERMANUS apophtegmatis propositi sensus pendet ex triplici quæstione : prima utrum particula, *quasi*, accipienda sit ut nota veritatis ? prout exponi solet illud Joannis : *gloriam quasi Unigeniti à Patre* ; an verò sumenda tanquam denotans ibi similitudinem ? & idem valebit atque, ad instar : quæ frequentior est illius vocis acceptio sermone vulgari. Secunda petit contineat-ne versus contrapositionem inter stultum & sapientem ; vel tantùm de utroque divisim sermo sit, quin appositio notetur ? Tertia : sumitur stultus hîc pro nequam ? seu pro nesciente ? Similis dubitatio fieri potest de sapiente. Ab hac tertiâ sumam initium, quæ brevius expeditur, eò quòd in hoc libro sæpissimè Salomon stulti nomine significet improbum, & sapientem vocet justum.

1.

Joan. 1. 14.

2. Ad secundam quæstionem asserendum existimo, quòd hîc à Salomone contrapositio formatur inter justum & impium : nam particula sic denotat, *autem*, quæ solet esse adversativa, in his effatis : adeo quòd cum voluit

voluit Paremiastes alio sensu proferre adverbium, *autem*: id satis expresserit. Sic dixerat suprà: *qui nititur mendaciis hic pascit*
Prov. 10. 4. *ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes.* Ne vox, *autem*, vim haberet adversantem, posita sunt nomina, *idem*, &, *ipse*.

Ad primam quæstionem probabilius est, *quasi*, exponendum tanquam notam similitudinis. Ducor ex Hebræa lectione quia originaria est: *quasi ridere est stulto facere scelus.*
Lect. Hebr. Prov. 11. 23. Hæc apertè videntur indicare quandam assimilationem inter operari nequitiam, & ridere. His præmonitis.

3. Prima expositio est ut sit sensus: temerè stultus malum exequitur, sicut in cachinnos leviter dissolvitur; sapiens autem omnia maturè, destinatoque consilio tractat. Non placet: quia non est adeò peculiariter addicta risui nescientis temeritas, ut idem valeat: operari per risum, ac ridere leviter per mentis inconstantiam: præsertim quia filij hu-
Luc. 16. 8. jus sæculi prudentiores *filiis lucis in generatione sua sunt.* Imò risus iniqui sæpe dolos tegit, quos non temerè, sed multâ cum deliberatione machinatur. Nec obstat quod ex Hebræo dicitur verti posse pro, *scelus*, cogitationem: quo videtur significari stultum quidquid cogitat operari non maturè. Nam cogitationem sumimus hic in malam partem, ad istam enim determinatur per particulam, *stultus*. Deinde temeritas ubinam significatur? vel expositio de temeritate in quo juvatur ab Hebraica lectione? Minùs arridet interpretatio prædicta, si non de solo scelere prima pars accipiatur, sed ut valeat: omnia temerè stultus agit. Verba satis determinantur ad solum scelus.

Secunda expositio Hugonis Card. est verosimilis: fatuus gaudens & cum risu multo perpetrat scelus. Hinc facilè poterit interpretari quisque posteriora verba sic: sapiens autem ab hujusmodi gaudiis abhorret, vel quia comitantur delicta, vel quia si quandoque peccat graviter, non risu celebrat lapsum, sed fragilitatem agnoscit mœstus adhuc ante pœnitentiam. Ideo fortè dicitur
Eccli. 30. 24. apud Siracidem: *congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longè repelle à te.* Insuper cum viæ sæculi sint adeo laboriosæ, ut ipsos impios hoc non lateat (juxta illud?
Sap. 5. 7. *ambulavimus vias difficiles:*) cùm fortè sapiens declinavit ad mundi vitam, vix poterit non de lassitudine mœrorem concipere, quoadusque perveniat in gaudia Domini:
D. Greg. M. to. 1. l. 8. mor. c. 31. *os quippe justorum tunc risu replebitur* (ait M. Gregor.) *cùm eorum corda finitis peregrinationum fletibus, æternæ lætitiæ exultatione satiabuntur.* Et infrà. *Risus enim nunc corporis de lascivia dissolutionis: nam risus cordis tunc de lætitia nascetur securitatis.* Non cæteris hanc expositionem præfero, ne velut notam similitudinis non accipiam illud, *quasi*. Rejici potest similiter alia ratio interpretandi affinis præcedenti: nempe: tempus, quo se dedit impius gaudiis, aprissimum est ad vitia; sapiens ut ista devitet, illa fugit.

4. Tertiò probabiliter exponitur sic: homo scelestus tegit subdolè risu mala quæ molitur, & exequitur: vel: ille proximo damnum vel injuriam infert & affirmat postea ludendo fecisse. Non valdè placuit: & quia non utitur voce quasi tanquam nota similitudinis: tum quia secundam partem huc aptare difficile, semel quòd in hac paræmia contrapositionem agnoscimus. Qui tamen sic exposuerit, posterioribus verbis hunc sensum inesse dicet: sapiens autem cavet dolos risu tectos, vel frivolâ excusatione ludum fingentis dissimulatum malum; prudentiaque munitus consulit sibi. Favet huic expositioni versio Chaldaica: *quando ridet stultus* Vers. Chald. *operatur scelus: & sapientia est viro prudenti.* Necnon Septuaginta: *in risu insipiens agit* Lect. Sept. *mala: & sapientia viro parit prudentiam.* Hâc nisi careret Amnon Davidis filius, non sub specie convivij fieret mortis esca. Extruxit Absalom convivium, splendidæ lætitiæ signis contegens odij flammas, quô fratris mortem intendebat: *cùm temulentus fuerit* 2. Reg. 13. *Amnon vino, & dixero vobis: percutite eum,* 28. *& interficite: nolite timere.* Periit imprudens Amnon. David evasit Saulis iras nolens assidere mensæ regis perfidi, quàm si adiret, fortè neci daretur: *vacuusque apparuit locus* Ibi c. 20. *David.* Hæc est prudentiæ fœlix exitus; illud 25. autem voluntariæ stultitiæ supplicium.

Quartò non deest qui textum interpretetur ita: justo leve (idest non mœstum, nec nimis onerosum) est amplecti virtutis opera, sicut impio scelera committere facile quid est. Displicet: non enim risus aptè significat operis facilitatem. 5.

Genuinus ergo litteræ sensus est quem aperuere Jansenius, Caietanus, & Lira: scili. Jansen. Caieta. & Lira. iniquus ita ruit in flagitia, quasi res esset nullius momenti criminibus inquinari: ac si jocus risu meritò foret excipiendus provocare Dei vindictam. Aliter procedit justus: qui cùm sit sapiens, prudenter expendit opportuna saluti. Solent qui præcipites feruntur per sæculi vias delicta parvipendere, post dorsumque projicere. Miseris heu tandem adveniet dies, cùm in conspectu cujusque ponentur abominationes illius. Ideo prudenter consulit Anonymus dicens: *reum te con-* Ex incerto D. Aug. to. 9. l. d. util. agē. pœnit. *stituito ante te, noli te ponere post te, ne Deus te ponat ante te.* O si positus coram te videres animæ tuæ cicatrices: quàm vigil clamaret internus monitor conscientia: *miserere animæ* Eccli. 30. *tuæ placens Deo.* Id ego mirabile (seu meliùs 24. miserabile) dicam: quod anima corporis vulnera doleat: quæ verè sua non sunt; sed hostis fœderati; (cùm sciamus verissimum esse illud Isidori: *adversa corporis remedia sunt* S. Isido. Hispal. l. 3. d. sum. bo. c. 3. *animæ*) peccata verò quæ feriunt illam, nihili facit. Ignorat-ne quisquam spiritum corporeo præstare figuli vasculo? *Anima,* D. Aug. to. inquit August. *est utique corpore melior: etsi* 5. l. 9. d. civit. Dei c. 9. *vitiosa sit & infirma, melior certè corpore etiam sanissimo.* Et qui sic de illis quæ corporis attinent valetudinem saragis, animam putrescere finis ulceribus fœdam? Scito quòd *anima quoties peccat, toties vulneratur,* in- Orig. quit Origenes. Vide quæ dicam delibat. 1. à n. 8.

Quasi per risum. Aliam similitudinem adjicio quæ subesse videtur iisdem verbis: videlicet: ad instar eorum quæ risu digna sunt (ideoque risus vulgò solent vocari) quibus- 6.

dam puerilibus rebus capitur impius, ut noxam admittat. Nihil frequentius, nec verius, quam æqualem somnio dicere vitam, ac prosperitates illius. Apologus aptissimus est: quia somnians, utplurimùm, ridiculis occupatissima laborat phantasiâ. Sic passim videbis inanibus desudantes in vigiliâ. De hoc alibi. Nunc sufficiat omnia ista, quæ mundanorum delirantium inquinant, & præpediunt mentes, nihil aliud præter aranearum telas dicere. *Sicut enim aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, sic neque anima sæcularis, neque homo animalis, gratiam poterit Spiritus sancti suscipere. Nihil enim differunt ab illis staminibus cogitationes nostræ, solo visu habentes consistentiam*, ait Chrysostomus.

Chryso. to. 4. hom. 34. in ep. ad Hebr.

Stultus. Frequenter in hoc libro stulti nomine sugillatur qui degit contra regulas rationis. Addo phrasi peculiariter accommodâ vocari stultum qui veluti per jocum, inter scelera tempus dissipat à Deo concessum: necnon ridiculis bonis impendens curam vivit pueriliter. *Adhuc enim non pueritia: in nobis: sed quod gravius est, puerilitas remanet & hoc quidem pejus est quòd authoritatem habemus senum, vitia vero puerorum: nec puerorum tantùm, sed etiam infantium.* Ita Seneca. Propriissimè vocatur hæc stulta jocositas: nam quid stultius decrepito ludenti circa limina mortis infantiliter: quasi sub initiis vitæ floreret ipsi tenera juventus? *Quid est autem turpius* (quærit idem Seneca) quam senex vivere incipiens?

Sen. in ep. 4.

Operatur. Hoc verbum sonat actionem positivam: sed extendendum non dubites ad omissiones, necnon ad ipsam otiositatem, quæ quidem talis est ut S. Laurentius Justi. de illa dicat: *hoc etenim modo otiari Deo & hominibus odibilem reddit. A tali namque torpore & otio cuncti cavere debent, & potissimum servi Dei. Nam mens quæ sic otiatur, de se emittere non cessat inutiles cogitationes terrenas, & pernicioſas.* Inter enormia crimina reperies otium. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus*; nec mireris quia solet otium plurima germinare flagitia: *multam enim malitiam docuit otiositas.*

S. Laur. Just. l. d. disc. pl. & perfect. monast. conversat. c. 14.

Ezech. 16. 49.

Eccli. 33. 29.

Scelus rigorosè loquendo significat facinus atrox. Frequenter quò graviora delinquit homo, tunc minori de remedio sollicitudine movetur. Qui minùs grave delictum commisit facilè diluendum apud sæcularem judicem per dierum paucorum carcerem: non in custodia suum statuit domicilium, ac proinde quotidianam exhibet curam pro libertate consequenda, rogat, urget, angitur. At qui scit è catenis difficillimè solvendum, hic veteranus incola custodiæ, somno, aleæ, risuique vacat, egressionis oblivione conceptâ. Non aliter vitiorum antro conclusus: eò minus exitum sollicitat, imò tunc ampliùs jocis, & risu tempora fallit, quò majoribus debitis pressus jacet. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit.* Difficillimæ curationis est ægritudo jam in morem versa: nam *peccatum mortale habet conditiones febris*, ut ait S. Vincentius Ferrar.

Prov. 18. 3. S. Vincent. Ferrar. ser. 1. ser. 5. post Dom. 3. Quadr.

Sapientia autem. Quid sit sapienita prolixè disquirere possem: attamen pro cunctis Augustinum do nunc dicentem: *sapientia est in contemplatione æternorum scientia verò in occupatione temporalium.* Hæc de sapientiâ verâ: nam si de aliâ loquamur, vix diffiniri poterit, quamdiù non inter diversas hominum sententias convenerint eorum ingenia, ut statuant in quo illa sita sit: nam quidam in astutia operandi: alij potius in eloquenti sermone: multi verò in cavillatione verborum: nonnulli tandem in cerebro suo consistere sapientiam opinantur. Ex his *puto multos potuisse ad sapientiam pervenire, nisi putassent se perveniſſe.* Verba sunt Cordubensis. Quia tamen sollicitat nemo quod possidere jactat, ideò de pluribus dici posset quòd Apostolus de quibusdam vanarum cogitationum vento delusis aiebat: *dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.*

D. Aug. lib. 12. de Trin. ca. 14. to. 3.

Sen. l. d. tranquil. animi. c. 1.

Roman. 1. 22.

Est viro. Sicut hoc nomen consideratum secundùm partem vegetativam non omnibus convenit, sed eis qui pervenerunt ad virilem ætatem: ita si vox eadem pro rationali portione spectetur, iis tantummodo convenit, qui verè sapientes dici valent. Idcirco forsan Ecclesiasticus vocavit hominem Josephum. *Joseph qui natus est homo*: de hoc enim pronuntiavit Pharao: *nunquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero?* Et præsertim congruit nomen hominis virtutibus exornato: *quia nemo injustus est homo*, ut inquit Philo Hebr.

Eccli. 49. 17.

Gen. 41. 39.

Philo to. 1. l. d. Abrah.

Prudentia. Multiplex esse prudentiæ solet acceptio: primò latissimè, prout ex Tullio est rerum bonarum ac malarum scientia: & ut sic non est virtus, quia comprehendit prudentiam quæ vocatur carnis. Secundò minus latè prout ex Macrobio virtus est dirigens ad normam rationis universa. Tertiò strictiùs ex D. Thoma pro illâ prudentia, qua consiliamus, judicamus, & præcipimus quæ ad bonum finem totius vitæ humanæ pertinent: & solis bonis convenit. Quartò pressiùs ex D. Antonio, quatenus versatur circa humana tantùm, ait enim: *prudentia est in humanis rebus, sapientia in divinis.* Ex his acceptionibus tertia videtur convenire textui.

Tull. l. 2. Rhetor.

D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 3.

S. Anton. Olyssip. ser. Domi. post Trinit.

DELIBATIO I.

Desipiunt mali putantes damnum criminum ludicrum. De peccatorum plagis & onere.

CUm in theologiæ studio versarer studiosè: palestræque viderem oracula sibi mutuò diffidentia in statuendo quid sit illud quod peccatum appellamus, dicere solebam: etiam in hoc sensu dicere Psaltes potuisset: *delicta quis intelligit?* Et illis qui divinitatis arcana, pro mortali capacitate subtiliter expendunt, difficillimum est agnoscere quid agat homo cum peccat. Ferè cuncti mortales putant nihili faciendum quod peccaverint, cùm veniæ locus datur, & moriendi tempus differtur. Si cuilibet sceleri mox adjiceretur

8. *Malum culpæ cruciat ampliùs quàm pœna.*

Psal. 18. 13.

jiceretur temporanea vindicta, de supplicio
Cic. Att. 11. gemiscerent. Attamen dignius est ut pro crimine gemitus edant, quàm pro quibusque mundialium dolorum flagellis: nam ut vel Tullius novit, *peccati dolor & maximus & æternus est*. De aliis malis verè profertur nullum esse diuturnum, si grande. Refert Seneca dixisse quendam ex Epicuri schola:
Apud Sen. epist. 30. *Nullum enim dolorem longum esse qui magnus est*. Citra culpam, cætera quæ dolemus non sunt mala simpliciter (scholasticorum terminis utar) peccatum verò maximè: nam aliter dolores in Dei Filio locum non haberent: in quo, cum sit infinitè bonus, malum quod simpliciter, & absolutè sit tale, stare nequit: & econtra posset peccatum admittere (quod absit) is qui nostras infirmitates dedignatus non est. Præterea. Plus cruciat quod à dilecto pateris. Cumque nemo tibi charior sit, quàm tu ipse: peccato quo te vulnerasti, crudelius angeris, quo Siculi majus non invenere tyranni tormentum: nisi lethargo premeris adeò quòd insensibili stupore cruciatum evadis. Numera tot millia martyrum: sciscitare cur ignes, equuleos, gladios, & alia innumera pertulerit: respondebunt omnes: quia cum vel erat Dominus Deus lædendus, vel amittenda vita, dixi libens ad crudelitatis
Dani. 13. 23. ministros: *melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini*: & certè quàm sapienter elegerunt ne succumberent crimini, tot sæva perpeti:
S. Ambr. to. 2. observa. 1. in Michæ. *nullus enim*, ut Ambrosius ait, *maior est dolor, quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam.*

Postquam reductus à captivitate populus Dei, calamitate doctus, legem Domini meditari nec transgredi cupiebat, dixerunt Esdræ ut afferret librum legis: quem è supereminenti gradu cum legeret ille, plebs obortis lachrymis excipiebat corde simul & au-
2. Esdr. 8. 9. re pronâ. *Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.* Retrocedamus paululum in eâdem historiâ. Priusquam Nehemias ex Babylone commigraret ad Jerusalem reædificaturus urbem, exinde viri quidam ad Susis castrum, quò tunc Nehemias immorabatur, advenére. Quos interrogavit idem quomodo Judæi haberent se, qui manserant in provincia sua residui ex transmigratione.
Ibi c. 1. 3. Responderunt ipsi: *qui remanserunt, & relicti sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt*; non tamen legimus eos ibidem sic afflictos flevisse. Quid hoc? dum verba legis audiret ploravit postea populus omnis? antea qui magnâ vexabantur afflictione, minimè fletu leniebant angustias animi? Dispar fuit utriusque doloris motivum. Priùs Hebræi de captivitate remanentes, ob destructionem civitatis afflictabantur: quod cùm esset malum pœnæ, vel non ciebat eorum lachrymas, vel non tam copiosas, ut istarum faciendam esse mentionem nuntia mœstissima narrantes æquum duxerint. At vero cùm liber ab Esdra legeretur, dolebat ideo populus, *quia percipiebat*, inquit Lira, *se legem transgressum fuisse in multis.* Maximam plorandi materiam peccata præ cæteris malis
Lira, ad 1. 2. Esd. c. 8. 9. rectè consideranti suppeditant.

9 Præponderat Et ista sibi damna peccator infert quasi ridens! leve putat quod animam gravitatis expertem detrudit ad abyssum? *Neque ullum gravius est onus*, ait Ambrosius, *quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curvat usque ad terram, ne se erigere possit.* Flammam quia regione superiori centrum quærit, vix pondus aliquod, ne sursum contendat, detinere valet, nisi restinguat. Anima centrum in cœlestibus agnoscit, & peccati mole tenetur? Non potest non summè gravitare onus istud. Quod ut æquâ lance trutinemus, hinc statue summos dolores, illinc scelera: & maior apparebit delictorum, quàm eximij cruciatus gravitas.

onus culpæ gravissimis doloribus.
S. Ambr. prò eximè sup.

De Christo Domino scribit Petrus: *qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum:* ubi Lorinus ait: *itaque pertulit, non tam pati, quàm portare significat: quamvis onus grave, quale peccatorum, gestari absque labore ac perpessione non potest.* Favet lectio Syriaca: *& bajulavit omnia peccata nostra, eaque sustulit in corpore suo ad crucem.* Quærerem ab Apostolorum Principe cur volens quantum servatori debeamus aperire ponderis allegoriâ, non potiùs dixit pertulisse flagella, spinas, clavos, opprobria, crucisque mortem? Nonne gravissimis anxietatibus in passione sua pro nobis oppressus est Dei Filius? est ita quòd ex D. Thoma dolor ejus fuerit maximus intensivè comparatione facta cum iis quos homines passi sunt? Hanc Apostolus commendet fortitudinem, scili; quâ tot ac tanta sustinuit de peccatorum gravi mole charitatis vim exaggerat? Ita: nam licet acerbissimæ fuerint anxietudines, & nullus tulerit paria: tamen præponderat his omnibus criminum fascis onerosus. Illud bajulavisse Dominum (*peccata nostra ipse pertulit*) laboriosissimum extitit mediatoris officium. Tu qui ducem sub tuo pondere fatiscentem contemplaris, nec digito moves onus importabile fere? Risu dissolveris?

1. Petri 2. 24. Lorin. ibi.
Lect. Syri.

Vis ut hujusmodi stupiditatis detegam radices? Origenem audi, qui non dubitat energumeno peccatorem, & amenti componere, quibus indomitus furor sensũ abstulit. *Sicut*, ait, *hi qui vel dæmone repleti, vel mente alienati sunt, non sentiunt si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent, ita & nos, vel cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus.* Ecce quò descenderit intellectus qui voluntati commisit sui principatus habenas: amentiam vel crapulam incurrit miser. Parum est si morbo, qui sanâ mente contingit, similem dixerimus peccati languorem: nam infirmi plerumque norunt seipsos destitutos jacere sanitate; delinquens ægritudinem suam non agnoscit nisi valetudini restitutus. D. Hieronymus: *Et per Isaiam: quando conversus ingemueris, tunc salvus eris, & scies ubi fueris. Scire non possumus ægrotationis mala, nisi cùm sanitas fuerit consecuta.* Emerge de fluctibus: & postquam peccatum deseruerit, tunc senties quàm grave pondus illud erat, quod mersus undis pene supra te gravitare non experiebaris: onus istud verè librabis cum sanus factus fueris.

10 *Onus peccati non sentit homo nisi postquam sanus factus est.*
Orig. hom. 8. in c. 13. & 14. Num.

S. Hier. to. 1. ep. 46. ad Rusti. post prin.

Duplex (ut ita loquar) miraculum domi-

nicum ad invicem componere juvat : alterum, quo victa fuit morbi vis in piscinæ porticu : aliud, quod licet inter Christi Domini mirabilia non annumeretur, tamen prodigij loco habendum, scili. cùm vendentes ejecit è templo : de quo, facto, dixit Hieroni. *mihi autem inter omnia signa quæ Dominus fecit, hoc videtur mirabilius esse.* Illud disquirendum nunc est, quod ægro jussit ut lectum ipse tolleret : *surge tolle grabatum tuum & ambula.* Nummulariis non præcepit ut à domo Domini mensas humeris auferrent, sed propria manu subvertit illas : *& mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit.* Languido quem sanaverat imponit ferre grabatum ? Videtur sic beneficium Dominus gravare, seu minuere. Opportunius fortè judicabit aliquis, ut nummulariis injungeret scapulis tollere mensas in pœnam irreverentiæ quam templo intulerant : cur non ita factum ? Aperi moralem sub littera sensum. Vide quid significet lectus, quid ambulatio morbidi, quid mensæ. Per grabatum crimina denotari Hugo Card. insinuat : *surge à peccatis recedendo : tolle grabatum tuum, delectationem peccati in onus pœnitentiæ apertè convertendo.* Consonat M. Gregorius, & iter paralytici exponit ad rem nostram tempestivè satis. *Quid ergo est dicere tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam : nisi porta tentationes carnis, in quibus hactenus jacuisti, ac revertere ad conscientiam tuam, ut videas quæ feceris.* Mensas ad certum peccati genus refert S. Paulinus, quamvis an de casu relato à D. Matthæo, an de alio apud Joannem loquatur, incertum mihi sit. *Expedit autem nobis* (inquit ille) *ut etiam ædificatum cordis nostri templum sæpe Dominus Jesus revisat veniens in flagello timoris sui, & ejiciat de nobis mensas nummulariorum, & venditores boum vel columbarum : ne quod avaritiæ commercium animus noster exerceat* &c. His præjactis cuique pervium est utriusque loci mysterium. Grabati, seu delicti pondus (*ut videas quæ feceris*) quale sit non judicabis, nisi prius à peccato sanus factus. Ei qui surrexerat à scelere, quo jacuerat, imponitur congruentissimè lectum quò priùs ægrotaverat : nam tunc onus perfectè sentiet, cùm ab eo jam liber ambulat expeditè. Ad litteram nummularij sacrilegium non deposuerant. Unde frustra mensas dorso ferre juberentur : nec enim peccati sentirent onus æquè summersi perseverantes iniquitatis gurgite. *Grave onus iniquitas* (ait Bern.) quod non fidâ lance ponderat, nisi qui deposuit. Quia flagitio premitur, ideo *quasi per risum* impius *operatur scelus* : nec formidabile pavet spectrum.

Idem to. 9. in c. 21. Matth.

Joan. 5. 8.

Matth. 21. 12.

Hugo Card. in c. 5. Joan.

D. Greg. M. to. 2. ho. 12. in Ezech.

S. Paulin. ep. 12. ad Sever.

S. Bern. ser. 15. in ps. qui habitat.

11. *A peccato fugiendū hostes non paventi.* Tull. epist. fam. 5. Chrysost. to. 3. hom. 55. in Joan. Idem to. 2. hom. 33. in Matth.

Sed quid horrore dignius lethali noxâ ? Ciceronem audi : *præter culpam & peccatum homini nihil potest accidere quod sit horribile, atque pertimescendum.* Concinit plusquam Tulliana facundia. *Itaque ut mala hujus vitæ, mala non sunt, ita neque bona, sed peccatum duntaxat malum.* Pertimescit hostem, qui sollicitat labem ? O amentiam ! Quisnam est vitio crudelior adversarius ? *magnus enim dæmon peccatum est*, juxta Chrysost. Nefas meliori jure formidandum erat : nam cætera, si Deum pertimescas, non metues. *Homo te odit, Deum time ; diabolus impugnat, Deum time*, consulit Augustinus insinuans Dei timorem adversus ea, quæ pavere solemus, præsentaneum remedium esse, ne timore corripiamur. Ast piaculi pavorem neque sic depelles : imò quò plus Dei veritus fueris ultricem æquitatem, amplius eum lædere perhorresces. Quid aufert hostis ? vitam si prævalet ? Privabit ne Deo te, quamvis atrocissima sit inimicitia ? Nequibit. Facultates diripiet, famam denigrabit, gaudium tollet. Pone quod in conspectu regis gratissimus esse meruisti : quodque tunc impugnatus à duobus adversariis es : quorum alter maculavit, sciditque vestem ; alius te præcipitavit à principis gratia. Quis ne sæviùs te læsit ? Responso non eget interrogatio. Applica qui potes : & crede quod à peccato refugiendum est etiam ad inimicorum sævitiam non pallenti.

Aug. to. 8. ser. 2. in ps. 32.

Fortunæ suæ judicio, fratribus apud genitorem Joseph antelatus, necnon somniorum sorte præsagâ futuri materiam submini-strante, patuit odio livorique simul eorum quos ipsi consociaverat natura. Cogitaverunt illum vitâ privare feroces. Attamen commotus innocentis miseratione Ruben, *dicebat : non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem.* Insontem nudaverunt, & in cisternam misêre, quin ille conaretur fugere fraternam impietatem. Posthàc, mutato consilio, vendiderunt eundem Ismaëlitis : qui ductus in Ægyptum addictus est servituti Putipharis. Tandem ejus lasciva domina deperivit adolescentem, ac trahere sæpe cupivit in stuprum. Quod cùm ille recusasset, occasionem adultera nacta fuit : hujus crinem, pariter & Josephi pallium tenuit. Is relicto vestimento perfugit ocyter. *Qui relicto in manu ejus pallio fugit & egressus est foras.* Quàm sui dissimilis ! Cùm fortitudinis victoriam peragit castitas, aufugit victor ? Dum germanorum invidentiæ cedit mitissimus, persistebat immotus ? Sapienter utique : nam illos experiebatur hostes. *Videntes autem fratres ejus quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Adversariorum non est conatus evadere manus impias. Cùm pellicebatur ad crimen, trepidavit culpam : ideo quæfivit fugæ præsidium. *Sicut columba*, inquit Chrysostomus, *aquilæ damnum effugit, ita & justus ab illius manibus effugit.* Cernis amplius tremiscendum ad criminis periculum quàm ad vitæ discrimina ? Qui vereris infestum, animadverte cruentam phalangem adversari tibi post reatum. Et quid mirum, si temetipsum hostiliter petis qui deliquisti ? *Peccatum*, ait Cancellarius Parisiensis, *constituit hominem tyrannum & latronem erga Deum, imò erga universum mundum, quoniam peccatum offendit Dominum universi mundi, & per hoc offendit omne id quod sibi subjectum est, & omne quod amat.... ideo etiam omnia erunt contra peccatores, imò & ipsemet peccator contra se erit.* Grandem provocat homo per scelus exercitum ! Unius trepidas insultum ? & non tremiscis tot adversantium tela ?

Gen. 37. 22.

Ibi c. 39. 12.

Ibid. c. 37. 4.

Chrysost. to. 1. hom. 44. in Gen.

Gerson. p. 4. ser. 1. in die Palmar. circa med.

Sed

12. Delicto moritur homo.

Sed age nunc: esto sic impavidum te consuetudo reddiderit, ut in alteram mutatus naturam, tam numerosum non reformides militem: an mortem non extimescis? Ad illius memoriam te percelli metu credo. Nosti hominem quolibet gravi crimine mori? Timor culpæ tuos occupet artus, nec excipias risu seria. *Peccatum*, inquit S. Basilius, *mors est animæ alioqui immortalis.* Hoc brevi discursu convincere pronum est. Deus est vita justorum: cum lethaliter peccantes amittimus: ergo morimur. Sic meditabatur funebrem, sed utilem, philosophiam Chrysologus cum dixit: *quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine anima corpus non vivit, non vivit anima sine Christo: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis* &c. De mortui circunstantias peccator errato suo sepultus refert; & adhuc inficiabitur nos vitam exhalare cum facinus audemus?

D. Basil. hom. mart. Jul. 5. ex var. ad finem.

Chrysolo. ser. 19.

Eccle. 7. 18. *Ne impiè agas multum: & noli esse stultus ne moriaris in tempore non tuo.* Hæc Salomon: ubi stultum pro nocenti sumit, ut ex prioribus verbis colligitur: *ne impiè* &c. Sed nonne stat ultima sua cuique dies irrefragabilis, ultra, vel citra quam non occurrit mors ulli? Quo igitur ingenio suadet ne tempore non suo vir sons emoriatur? Quia sensit hominem per animæ luem obire vitâ comite. Cùmque sic mortem acceleret malus, hoc vocavit sapiens interire non suo tempore. Post emensa quamplurium annorum spatia, senectutis gravatus languore molestissimo, finire vitam refugit homo; delicta verò, quibus in juventutis flore occumbit immaturus, non horret: imò *quasi per risum stultus operatur scelus.*

13. Peccator secum defert gehennæ mortem.

S. Thom. à Villano. ser. 2. Dom. 2. Quadr.

Peccator secum defert gehennæ mortem secundam: quid ergo miraris asserentem expirare mortales per delictum interitu primo? *O tormentum malitiæ importabile, quam malè miseras animas torques: alter infernus est anima impij.* Sic D. Thom. à Villano. Hoc egregiè fatebitur qui nonnullas tartati proprietates perpenderit. Hujus proprium est nunquam dicere satis, quantumvis innumeros absorbeat: juxta illud Sapientis: *infernus & perditio nunquam implentur.* Haud aliter malefactum neutiquam saturatur, sed in alia mille pondere suo provolvit spontaneos. Igneus carcer perpetuus, ad falsam & seram commovet pœnitentiam, ut in die judicij fore tradidit Spiritus S. *pœnitentiam agentes, & præ angustiâ spiritus gementes:* hanc tamen qualemcumque pœnitudinem correctio nulla sequitur, ut notavit S. Fulgentius dicens: *quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet: quia etsi erit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis.* Sic multorum experientia testante, peccatum quando committitur, sæpe movet genus quoddam tædij (propter circumsepientes rosam spinas) quod nullatenus emendationem suadet, imò nec sceleris interruptionem. Apud inferos ignis, frigus, ac tenebræ fœderantur in damnatorum pœnam: ita ut nec flammas temperet gelu, nec incendium illuminet caliginem. Ita crimen timoris imperfecti radix est: quo licet peccator gelascens tremiscat; non ideo minus concupiscentiis exardet, nec harum igne tetra nox ejus aliquantulum clarescit. Maneat ergo quod homo peccatis deditus, infernus est.

Prov. 27. 20.

Sap. 5. 3.

D. Fulg. l. d. fide ad Pet. c. 3.

Finalé judicium describitur à D. Joanne: punitioque reproborum prædicitur. *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* Ignis hic est gehenna: quomodo ergo tartarus mittitur in flammas? Aquilino calamo sacer usus est visionum cælestium contemplator: quò sic insinuaret peccatorem gehennalia tormenta deferre secum ad inferos, eò quòd peccato suo comitatus illuc præcipitetur. *Per infernum autem intelliguntur peccatores damnati*, ait ibi Liranus ad litteram. Consonat Beda ibidem: *subjecit quomodo & mors, & infernus missi sunt in stagnum ignis. Diabolum dicit & suos* &c. Et ne putes nimium quod peccatum antro stygio coæquaverim: non deest qui pejus averno putaverit delictum. Ex Anselmo sic refert Gerson: *hoc modo sensit Anselmus, cùm dixit quod si infernus esset ex una parte, & peccatum ex altera, malle sese in infernum dejicere, quàm peccato se dedere.* Et adhuc legens ista, *quasi per risum stultus operatur scelus?*

Apocal. 20. 14.

Liran. ibi.

Beda in Apocal. ibid. l. 3. c. 20.

Gerson proximè supra.

DELIBATIO II.

Reprehenduntur qui negotia salutis procrastinant, ac de bonitate divina superbè præsumunt.

14. Dies solam computata partem, quâ Deo tergà non das.

NE lapidei videantur ij qui ruptis habenis per vitiorum invia ruunt, præfatæ doctrinæ, cùm eorum surdis auribus inculcatur, audent reponere tempus vitæ quamvis fruitioni sit brevissimum, dolori de peccatis, qui peragitur in ictu oculi, satis longum esse. Addunt clementiam Dei culparum innumerabilium congeriem superare plusquam infinities: proindeque parcius ista quæ diximus exaggeranda, ne desperationem simplicibus ingerant. Hæc, vel similia prætendens nonnemo segniter proponit corde toto jussa divina sequi.

Jacob. Bili. in anthol. Sacr.

Sed tamen in vitiis hæret miser atque senescit:
Nec, quæ mente frequens parturit illa parit.

Istos, qui temporis longitudinem pro turpi corrigendâ vitâ sibi superesse mentiuntur, sic Augustinus urget: *quandiù cras cras? Observa ultimum cras, quia ignoras quod sit ultimum cras.* Attendere monet postremum quod nescimus fortassis ut nulla sit futura dies, quam non suspicemur extremam. Prolixum tibi restare tempus deceptus præsumis: oblitus illam vitæ partem neu computandam, quæ vitiis insumitur, secundum illud tritum Gregor. M. *dies verò vita justi, & nox accipitur*

D. Aug. to. 8. in ps. 101.

D. Greg. M.

to.2.ho.21. in Evang. *pitur vita peccatoris.* In horologio, cui sol designat horas, non computantur illæ, quas atra caligo tenet. Sic in hominis vitâ, dies quos vitio dicat, ne supputes : nam solari horologio similis est quisque nostrum, cujus umbra, seu vita cursum perficit, ne dicam volatum. *Horologium Achaz,* ait S. Antonius, *est cor humile pœnitentis, quia conversus à via sua mala, apprehendit fortitudinem perseverantiæ, ut apprehendat bravium gloriæ. In hoc sunt, vel debent esse decem gradus humilitatis : per quos Sol in animam gratiâ Dei illuminatam debet descendere, & iterum regradare.* Sicut ergo in solaribus vitæ nostræ monitoribus mutis eæ tantummodò numerantur horæ, quas illuminat Phœbus : ita mortalis id solum temporis computet singulis diebus, quô Deo conjungitur. Hunc si deserat, sol abiit : cessat horas numerare, quasi fuerit ultima, cùm Deum reliquit.

S. Anton. ser. Dom. 8. post Trinit.

Joan. 16. 32. Divinus Magister ad Apostolos in cœnaculo, tempore jam passionis instante, dixit : *Ecce venit hora & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Alibi diverso locutus fuerat styli genere. Marc. 2. 20. Scisitantibus à Domino quare discipuli ejus non jejunarent : respondit post alia sic. *Venient autem dies cùm auferetur ab eis Sponsus : & tunc jejunabunt in illis diebus.* En dies vocat illud tempus quo fuerant Apostoli Præceptoris absentiam dolituri. Nec tamen diem appellavit illum quo discipuli dispersi fuerunt, hostium impellente metu ; sed eum vocavit horam : *ecce venit hora :* quodnam latet in hac disparitate mysterium ? Ad rem nostram sic pensitabam. Aliud est Domini faciem abscondi nobis ; aliud verò Deum derelinqui. Post Ascensionem, quantumvis indolerent Apostoli Dominici vultus orbati salutari lætitiâ : tamen poterant computare dies integros (*venient autem dies*) quia non illi tunc Magistrum dereliquerunt ; sed nubes illum ab oculis abstulerat. At in passionis vestibulo, cùm deseruere Dei Filium, ex illa hora cæteras recensere vix quibant, nam Domino terga dederant. Igitur ut possemus hoc suspicari, non dixit Sapientia Patris venisse diem quo derelicturi fuerant eundem : ne putaretur adhuc post fugam restare discipulis ex ipsa die tempus aliquod computatione dignum. Potiùs locutus est sic : venit hora : quasi vocanda sit ultima nobis illa quâ Deum linquimus ; & subsequentes amissas judicare debeamus. Valedicit Altissimo Peccator ; & adhuc pro restaurandâ jacturâ, sibi longa concessa putat spatia ? Enumerat ille dies, & prodigit annos !

15. *Non tam operosum est non peccare, quàm resurgere.* Nollem ut severitas doctrinæ fidem, quam sollicitat, fascinaret. Mitiùs nunc ratiocinabor. Do quòd peccatori longissimum tempus vitæ superfit. An ideò licebit ei, qui *quasi per risum* scelera multiplicat, asserere superbissimæ desidiæ phrasi, remedium pro spiritus maculis diluendis, à se, cùm libuerit, brevissimo facilique negotio quærendum ? Evenit frequenter ut hora denegetur ei qui prodigè dissipavit annorum series. Cùm assuetudinis pravæ rumpere vincula non evalet, hostibus miserrimè traditur. *Qui cum judicante Deo,* ait S. Greg. Pa. *in malitiæ suæ cæcitate relinquitur, quasi intra semetipsum clauditur, ne evadendi locum inveniat, quem invenire minimè meretur. Nam sæpe nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, sed quia eorundem actuum pondere premuntur, in malæ consuetudinis carcere inclusi à semetipsis exire non possunt.* Isti qui facilitate putatâ delusi difficilem conversionem suam reddunt, si tentatione vexentur assiduâ, fatebuntur arduam rem esse victoriam consequi. Captivumque sub peccati jugo libertatem assequi, nullius negotij putant opus. Falluntur sanè. Mediis flammis positum gravis tentatio perurgeat : difficile reor ; sed non tam operosum illam subigere, quam est à vitiorum pelago ad littus emergere. D. Greg. M. to. 1. l. 11. mor. c. 5.

Psaltes coronatus Deum allocutus aiebat : *Deus meus illumina tenebras meas. Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Quamvis de tentatione Psalmographus agat : tamen sermonem facit de se lapso proponitque non solùm exire de peccati cœno ; sed tentationi posthàc non succumbere. Tenebras illas exponit Augustinus ita : *nos enim peccatis nostris tenebræ sumus.* Ille murus peccata sunt, à quibus egredi rex pœnitens decernebat. Unde Cassiodorus apud Gloss. *diruere non penitus potest homo, sed ope Dei transit murum, obstaculum peccatorum.* Humiliter attamen exprimens animi votum, non ait se murum illum propriis viribus diruturum fore, nec tentationem iterum labendi proculcaturum fortitudine propriâ ; sed omnia se posse per Dei adjutorium profitetur dicens : *in te eripiar.... in Deo meo transgrediar.* Multò diversimodè (cùm nihilo minus tunc humilis esset) dicentem audio Davidem : *proba me Domine, & tenta me.* Quod agat de tentatione peccandi Liran. indicat alibi, dicens : *tentari non est malum, sed est virtutis exercitium, si tentationi viriliter resistatur : propter quod in persona viri perfecti dicitur ps. 25. A. proba me Domine & tenta me.* Tentationem David à Deo postulat, quasi pericula provocans ? & in alio psalmo tam demissè fatur ut cuncta Deo tribuat ? non se victurum ait : sed eripiendum ? non inquit fore rupturum peccati vallum ? Sed ait : *in te eripiar* &c. quid hoc putas nisi quod existimavit difficilius amissam restaurare gratiam, ac emendationem seriò decernere ; quàm resistere ne laberetur. Cùm certamen invitare videtur David, innocentem se præsupponit : ait enim eodem psalmo : *ego in innocentia mea ingressus sum.* Minus laboriosum est quòd innocès divitias animæ suæ servet à discrimine. Dum autem de se loquitur in statu peccati constituto (*illumina tenebras meas*) non adeo strenuis verbis utitur : auxiliis aliis ereptionem remittit : *eripiar....* in Deo meo transgrediar. O ne decipiaris inani fiduciâ, quâ sic despias, ut rem æstimes momenti levis à delictorum resurgere sepulchro. Ps. 17. 29. 30. D. Aug. to. 8. in ps. 17. Cassiod. apud Gloss. in ps. 17. Ps. 25. 2. Liran. ad 1. Cor. 10. 13. Ps. 25. 1.

16. *Dùterga dat homo Deo, sagittis impetit illum.* Hæc pro illis dicta sint, quorum hallucinata mens tempus adhuc sibi superesse confingit, & sic animæ suæ medicinam protelant.

Nunc

Nunc sermonem convertamus ad eos qui acediam sacro velo tegentes, misericordiæ Dei laudantes inexhaustum æquor, ei se committere protestantur conscientiæ vulnera, cùm nullam interim de sanitate consequenda curam admittant. Istos puto nihil minus, quàm Dei clementiam cupere. *Sed dicis*, ait Chrysosto. *quis est homo, qui non desiderat misericordiam Dei? Tu qui permanes in peccato. Desiderare autem misericordiam Dei est converti ad Deum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram ejus.* Imò nisi justitiam diligas, misericordiam non amas. Qui cùm Ansel. Bonav. Nazian. Ambr. & Ambulens. dixerit pedes Christi Domini fuisse confixos in cruce clavo unico, meditari posset quòd cùm ex Dominicis pedibus unus judicium Dei, alter verò miserationem designet, si alius fixus est super alium, misericordiæ pedem nemo valebit osculari, qui retraxerit oculos à justitiæ pede. Appositè Bernar. *alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius judicii in barathrum desperationis præcipitat, & misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Pietatem divinam præ oculis habes, dum æquitatis meminisse tædet? Satis dubito. Crebrò te sollicitat auxiliis illa: nec durum sentis contra stimulum calcitrare. Necnon ipsi Domino durissimum est hoc: nam cùm terga das ipsi, petis eundum sagittis.

Chrysol. in imperf. hom. 46. in Matt.

D. Ber. ser. 6. in Cant.

Filii Ephrem intendentes & mittentes arcum conversi sunt in die belli: commentatur Liran. *intendentes, ideſt, tendentes arcum, & mittentes sagittas ex eo.* Sub nomine filiorum Ephrem, vel intelliguntur omnes Hebræi, ut vult Bellarm. ibi: *filii Ephrem, ideſt Israëlitæ*; vel ut Lorinus insinuat, agitur de decem tribubus: quæ defecerunt à cultu veri Numinis, duce Jeroboam, qui fuit Ephratæus. At qui dici potest sagittas emisisse; cùm asserat dedisse terga? sic enim exponunt illud *conversi sunt* Euthymius, & Niceph. *dederunt terga fugientes.* Non difficile res tota componetur, si dicamus Deum ab homine sagittari, dum fugiens cum divinâ mansuetudine decertat. Ex humanioribus litteris lucem accipiet hujusmodi meditatio. Parthis mos erat hoste conspecto habenas vertere, seque dare fugæ; sed insimul retrò missis lævum super humerum arcubus inimicum sagittare. Unde illud:

Psal. 77. 9.

Liran. ibi.

Bellarm. & Lorin. in psal. ibid.

Euthym. & Niceph.

Martia gens Parthi telis arcúque potentes,
Pugnantes versa post sua terga manu.

Ad instar illorum bella gerit peccator cum Dei clementiâ, vocantem fugit, & pariter adversus eum intendit acres arcus, & spicula vibrat.

17. Dei patientiâ plus cõmovet somnus aliquorum, quã quòd ipsum deserant.

Objicit forsan aliquis nequaquam se cunctando contra Deum hostiliter agere; sed meliori tempori conversionem suam reservare prudenter: cùm scili. provectioris ætatis maturitas constantem, seriamque docuerit emendutionem: Deique miserentis esse, non hominis currentis, mutare cor, quod ipse Dominus præstabit facillimè cùm voluerit. Aliter video de nutrimento corporali sollicitum: non hoc Dei providentiæ remittis; & cùm de spiritus alimento moneris, nec pedem in salutis negotio moves, & animam jejunam tabescere finis oblivione? An putas quòd animæ tuæ cibus non est memoria futuri? Climacum audi: *sicut impossibile est qui esurit non recordetur panis, ita fieri non potest ut qui salvari cupit, exitus sui, extremique judicii obliviscatur.* Omnia Deo linquis, & negas eum per hanc inertiam offendi? Te discrimini committis, qui non tuus es: tuique Dominum per hoc lædi non credis? Imò plus ejus patientiam commoveri puto per somnum eorum qui Deo relinquunt universa, quàm per eorundem ingratitudinem, si Deum postea derelinquere non vereantur.

S. Joã. Clim. in scal. grad. 27.

Tres Apostoli, quos Dei Filius mœroris comites intimos elegit, somnum cœpêre priùs & postea fugam: attamen reprehendi lego non hanc, sed illum: *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Dignius ne fuit increpatione magistri discipulos dare membra sopori, quam hostibus terga? dormientes objurgat; non fugientes? Prudentissimè quidem, & ad nostram eruditionem opportunè. Monuerat ibidem divinus Præceptor, ut cùm ipso vigilarent: *vigilate mecum:* exponit Interlinearis: *à somno infidelitatis & torpore mentis:* & Origenes commentatur: *vos adduxi ut collaboretis mecum in vigiliis & orationibus.* Discipuli dormientes Dei Filio totum remittebant: ille vigilabat: ipse preces fundebat. Apostoli nec orationem exercuerunt, neque restitere sopori. Dominicam plus hoc patientiam vulneraviſſe videtur, quàm eorum fugam. Istam igitur non corripuit, sed somnum. Potentiam Dei laudamus, qu. si velit, poterit in ictu oculi morum nostrorum fœlicem incipere, consummareque metamorphosim. Divinæ gratiæ fatemur efficaciam, cujus exempla non excidunt è memoria. At nihil de peculio nostri cordis ad hujusmodi opus contribuere deliberamus. Vereor ne (loquar humano corde) divina misericordia veluti delassata quiescat à sollicitudine, quâ nos usque modò quærit frequenter per abrupta quæque. Chrysostomus Deum introducit cum homine loquentem sic: *volo enim te misereri, sed vires misericordiæ faciendæ non habeo. Incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea, quasi iam lassata, à proposito suo defecit.*

Matth. 26. 40.

Ibi n. 38. Interli. & Orig. ad eum locum.

Chrysos. in imperf. hom. 46. in Matt.

Dei est, inquiunt, auxilium efficax præbere cùm placuerit. Et nonne nobis incumbit vocationibus quibus nos jugiter suscitat assensum reponere? Ignoras illud vulgare: qualis vita, finis ita? *Semper homo*, ait Chrysolo. *bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit.* Hujusmodi homines crastinos etiam Ethnicus increpat aiens: *non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit?* Scio nonnullos per specialissimam Dei providentiam, post ferè totius viræ scelera, morti proximos, ab orci penè faucibus ereptos, ad vitæ callem reductos esse. Tamen extraordinarium hoc extitisse non inficiaberis. Quo fundamento speras tibi præter communia media singulari via subveniendum? Vide quid illi diviti responderit Abrahamus. Fratrum suorum inter

18. *Pro salute ne quæras media singularia.*

Chrysol. ser. 125.

Sen. l. d. brevit. vitæ c. 4.

incendia memor ille qui sui vixerat immemor inter delicias, petiit ut Lazarus ad eos
Luc.16.29. mitteretur salutaria monita daturus. *Et ait illi Abraham: habent Moysen & prophetas: audiant illos.* Quasi diceret: quid tu pro fratribus postulas extraordinaria? si velint salvi fieri, communibus instrumentis utantur: audiant Moysen & Prophetas, id est eorum libros. quàm plures frequenter à Deo rogant, ut unicam ipsis concedat salutis horam; cùm tamen vanis insumant millia dierum, de
2.Cor.6.2. quorum singulis dici posset eisdem: *ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Verè pœnitentem impetraturum culparum veniam certum est: at resipiscentiam differenti daturum in vitæ mortisque perturbato confinio motionem infallibiliter profuturam, incertissimum est. Dubia ne quæras; tene viam, licet parum tritam, tamen indubitatam. Ne singularis fortunæ spe freti, media cuique pervia dimittamus: nam & pro salute corporea consequenda, foret indiscreta præsumptio.

In piscinæ porticu rogavit ægrum celeIoan.5.7. berrimum nostra salus an vellet sanam. *Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Quomodo responsum hoc, & interrogatio cohærent? non quærit cur non adhuc salutem fuerit consecutus; sed an sanari cupiat. Reponat: volo: nam etsi percontantis virtutem non agnoscebat: poterat jam suspicari de sciscitante, quòd forte medelam citra miraculum ei offerebat. Quâ mente
Caier. ad eum locum. respondet se hominem non habere? *Non audet languidus*, ait Caietanus, *explicitè petere à Iesu, ut velit sibi opem ferre mittendo eum in piscinam, seu natatoriam; sed tacitè hoc petit, manifestando id quô indiget, scili. quòd indiget homine mittente ipsum in natatoriam.* Et adeo parvo beneficio (secludamus ignotam circumstantiam personæ Filij Dei) contentum insinuat se morbidus, nempe quòd ipsum Christus mittat in aquas tempestive? quare non à Domino sciscitatur, dicens: an qui de sanitatis desiderio meo moves quæstionem, nosti medicamen, quô prolixum adeo morbum à me depellam? quia coram remedio communi positus (juxta piscinam scili.) non erat cur uni sibi cuperet medicinam singularem. Sed heu. Ille quare saluti non restitueretur assignavit causam: *non habeo hominem*; nos miseri, quid circa latentes ægritudines dicemus habentes hominem, qui Deus est. Obliviscitur ista, qui *quasi per risum stultus operatur scelus:* & sibi mederi tardans, auget languores, monita subsannat, lethalia devorat lætissimè, velut si nulli periculo subesset. Ei non venit in mentem il-
Prov.1.26. lud ipsius Dei minax dictum: *ego quoque in interitu vestro ridebo.*

DELIBATIO III.

De iis qui lætantur cum malè fecerint: ubi nonnihil adversus bacchanaliorum insaniam.

MIranda seu miseranda potius est affectuum nostrorum pugna, quam init adversus Dei amorem humana voluntas. Deus gaudet per dona sua mille modis cum homine morari, homini verò id est in deliciis, quô Deum amittit. Nihil inest homini quod Altissimus in semetipso meliùs non claudat: & nihilominus festum celebrare videtur diem, cum ad pectoris ostium pulsanti recluditur janua. Nullum rationalibus advenit pejus infortunium, quàm divinæ perutilis amicitiæ jactura: nihilominus cum hostiliter Deum lædunt, exiliunt ingenti dulcedine perfusi. Hæc hujusmodi causa malorum, quod servos tanquam dominos (corporeos, inquam, sensus, qui nobis ad ministerium dati sunt) istam nostri cordis rempublicam, spatio brevem, regimine difficilem, homo patitur moderari. Animæ, non sensibus, cõgruebat jurisdictio hæc: sed, ut S. Ambrosius ait, *in vanum accepit animam suam qui sæcularia struit, ædificat corporalia:* &, quod pejus est, sic in cassum, ut quasi se putent animâ carere. Qui superbiunt aliàs ventosissimè, naturæ suæ dignitatem non agnoscunt. *Magnum & venerandum est rationale hoc animal & maximè quando in virtutis viam contendit*, ait Chrysost. Excellentia tota sumitur ab anima; nam cætera limus. Se despicit infimè qui suam nescit animam: plures autem reperies, quos illam putabis ignorare. *An non*, inquit Bern. *seipsos nescire videntur qui sic dediti sunt carni & sanguini, ac si omnino nihil aliud, quàm carnem solùm se esse reputent, sic jam vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorent animas se habere?* cùm enim tunc solummodo putent se vivere, cum sensuum fruuntur oblectamentis, & anima dicatur id quo vivimus: vix aliam possidere putant animam, nisi sensus.

19 *Quidam ita se habent, &c si sensus locum animæ tenerent.*

S. Ambr. to. 1. l. d. bono mortis c. 7.

Chrysost. to. 1. hom. 19. in Gen.

D. Bern. ser. 10. in ps. Qui habit.

Paverat Israelem cælitus dato cibo Dominus: idemque beneficium adhuc profluebat è divinæ largitatis manu: quod equidem vocis locum habebat, quâ fieret manifestum quàm impensè diligeret Omnipotens populum illum, sed multis hæc erat vox clamantis in deserto. Concepere tædium de pane mirabili, dixeruntque: *anima nostra jam nau-* Num.21.5. *seat super cibo isto levissimo.* Quidnam sibi vult exquisitus hic loquendi modus? cibus ille non animam, sed corpus, alebat; & nausea tribuitur animæ? Aptioribus verbis rem viderentur exprimere, si dixissent: gustus noster fastidit quotidianum hoc alimentum: spiritus nauseam experiebatur oris loco? Nauseabat equidem gustus: at illi de sensu tacent, & animæ fastidium exprimunt: quasi pro hujusmodi hominibus idem valeat: nauseat gustus, atque: nauseat anima: velut si non aliam haberent animam nisi sensum.

Verùm

20. *Peccatorum gaudia credas ululatus oportet, ne velis eis associari.*

Verum enimverò qui voluptatibus & appetitui sic lenocinantur ut spiritu se vix noscant intus ali, nonnullam erroris excusationem prætendere valent; non quæ culpam tollat, sed quæ radicem huius ignorantiæ demonstret. Rationis lumine ducti sciunt omnes in hoc minori mundo spiritum clavum tenere; cætera subservire. Quid mirum anima rationalis propria pene lateat eos, qui sensibus illam subesse vident? *In voluptate, præstantissima quidem nostri pars obtemperat, imperat autem abjectissima*, scribit Chrysostomus. Et de hoc gaudet qui *quasi per risum stultus operatur scelus?* id est (juxta commentarium Hugonis de quo n. 3.) gaudens perpetrat crimen? ô miserrimam voluptatem, quam ex cantu suo percipit captivus ad catenarum sonum.

Chrysost. to. 4. hom. 39. in 1. ad Cor.

Asperius nihil humili cum surgit in altum, dixit poëta: *in vulgo tyrannis nasci solet*, inquit Dyonis. Halic. Vilissimi sunt appetitus: cùm semel hominis regimen adipiscuntur, tyrannico jugo premunt eos qui sibi colla subdunt. O quàm faciliùs, & fœliciùs homo portaret suave Dei pondus! Voluptuosos ululare sub onere crede: ne te decipiant exultantium choreæ, velisque socius eis collætari.

Dyon. Halicar.

In monte versabatur Moyses. Populus insanè concitatus cultum Deo sacrum idolo vovit aureo libens: & post epularum lautitiam ludebant. Voces populares audierunt Moyses & Josue fidissimus ipsius comes: at non æqualem sonitum auribus excepit uterque. Moyses visus est audire modulantes; Josue verò pugnæ fremitum. *Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysem: ululatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.* Deceptus est Iosue: nullum enim ibi prælium, nisi cum Dei patientia; verè Moyses audivit: læti namque ducebant choros, ut postea testata fuit ocularis experientia. *Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros.* Nec sine speciali providentia Dei credam fuisse permissam ejusmodi Josue deceptionem: cum videam ipsum natu minorem sonitu fuisse delusum; seniorem verò Moysem non ita. Suspicor nutu divino lætum cantantium echo sublatum ne perveniret ad aures Josue; sed illius loco strepitum horrisonum præliantium immissum ejus auditui: quia cùm non ita maturæ tunc fuerit ætatis ut Moyses: aliquale suberat periculum, ne si cantantes audiret, melodia demulceretur, & iniquæ lætitiæ se sodalem exhiberet. Audiat Josue potiùs ululatum bellicum, qui mæstissimus est, ut eo terreatur. Peccatoris gaudia credas ululatus congruum est, ne velis ei sociari. Velut victores exultant captâ prædâ, sic miseri congaudent: dum quisque *per risum stultus operatur scelus*: fatuus, inquam, nam captus laqueo, velut consecutus victoriam tripudiat. *Et tu*, scripsit S. Hieroni. *frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos futurus præda carpis? Inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi Deus esse pro Christo, compellit libido, ut habitantem in me Spiritum S. fugem, ut templum ejus violem, persequitur me, inquam, hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes, & ego infœlix victorem me putabo dum capior?* Benè (inquis) at ista dixit Hieronimus, cujus ego spiritu careo. Audi sapientem igitur fidei lumine destitutum: & pudeat Christi pane cœlesti nutritum diligere quod Ethnicus despiciebat. *Voluptates* (ait Seneca suum ad Lucillum) *præcipue exturba, & invisissimas habe: latronum more, quos Philetas Ægipti vocant: in hoc nos amplectuntur ut strangulent.* Habes ecce absque spiritu Hieronimi despectus voluptatum: quo posito mox ille non difficulter reputantur adversariæ.

Exod. 32. 17. 18.

Ibi n. 19.

D. Hiero. to. 1. ep. 1. ad Heliod. ante med.

Sen. ep. 51.

21 *Anima hostibus ut morigereris Deum lædere vix excusabile.*

Hinc ergo conjice fere inexcusabiliter delinquere illum, qui ut voluptati morigeretur Deum contemnit. Crasse desipiunt qui ad amicorum sectandam vivendi licentiam, Dei clementiam peccatis insectantur: quantò plus exerrant qui hostē (voluptatē scili.) præferunt Deo, quô quis nobis amicior? excusaret ne seipsum; an potiùs accusatorem ageret apud incorruptibilem judicem, qui diceret: Domine te ad modicum dereliqui, ut cum dæmone paululum versarer? Apage dicis? Et non reputas quemcumque voluptati se tradentem, cum Satana familiariter agere? A Chrysostomo sine te doceri. *Profecto*, ait, *quisquis voluptatibus servit, cum dæmonibus habet familiaritatem &c.* Et quis audebit excusationem offerre Deo dicens: cum adversario communi sum confabulatus, & illius ducatum secutus? Insipiens foret ista reorum defensio.

Chrysost. to. 5. l. 2. d. orando Deū.

Proponens Rupertus quæstionem illam, quæ doctores in varias abire coëgit sententias: quomodo scili. Heva non obstupuerit serpentem audiens humano more sermocinantem secum, ait sic: *Mater viventium Heva prima felle huius nequitiæ intrinsecùs amaricata est, quando in illa facundiam male diserti temporis, quasi divinam diabolici spiritus sapientiam mirata, & stultè venerata est.* Et quamvis, ut inquit D. Thom. *Heva non dijudicavit utrum bonus esset spiritus, an malus, toto animo, & aviditate tam magnificis ejus promissis intenta.* Nihilominus post peccatum agnovisse non dubito quod fuerit à diabolo decepta. Cur ergo dum ejus culpæ motivum ab ea Deus humano more quæreret, quare scili. virum invitaverit ad transgressionem donans de fructu vetito, non dixit: diabolus me fefellit? sed ait: *serpens decepit me, & comedi.* Simile dubium occurrit in excusatione Protoplasti: *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Non adducar ut credam Adamum nesciviſse dæmonem fuisse mali causam ipsum instigantem ad peccatum per Hevam: quod ita factum à diabolo notavit Augustinus dicēs: *in muliere verò quia rationalis erat.... non est ipse locutus, sed persuasio ejus &c.* Sciebat Adam serpentibus, ut aliis brutis denegatam loquelam: nam si hoc noverat Heva, & nos in statu miseriæ non ignoramus, quo fundamento dicemus id latuisse Adamum ante peccatum, vel istius peccando veritatis perdidisse notitiam. Deinde *satis probabile*

Rup. l. 3. in Gen. c. 3.

D. Thom. in 2. sent. dist. 21.

Gen. 3. 13.

Ibi. n. 12.

S. Aug. l. 11. d. Gene. c. 27. tom. 3.

Perer.in Gē. l.5. disp.1. q.4.n.35. A Lapi.in c. 3.Gen.n.5. §.dico quarto.

est, ait Pererius, *non latuisse Adamum horribilem illum angelorum casum:* & proindè quia, ut apud Corneli. à Lapi. docent S. Ignat. Iren.Hilar.Epiph. Ambr.& August. Adamus à serpente per Hevam promissa referentem deceptus est, concluditur potuisse Protoparentem, cùm à Summo examinaretur Judice, dicere potius : diabolus mihi per mulierem imposuit, ejusque fallaciis allectus deliqui. Non ita lego. Sed quare ? sufficiat utrique dubiolo solutio eadem. Adversarius erat humani generis dæmon : ideo rei facti parentes nostri, non ei fidem adhibitam opponunt supplicio pro excusatione delicti : nam frivola nimis foret ista : valeret enim idem atque dicere : Domine te dereliquimus amicum & parentem, ut inimici persuasionem sequeremur. Hæc stultissima quidem esset reorum defensio. Ideo Adamus peccasse dixit sequendo fœminam, quæ non oderat ipsum ; mulier ait comedisse ductam verbis prolatis à serpente, quæ non est odij capax. *Mala illa, inquit, bestia hunc nobis lapsum attulit.* Sic Hevæ nomine Chrysostomus. Et cùm voluptas hostiliter inferat hominibus damna, credis excusari lætanter delinquentes, ad æternam perniciem, quasi ad epulas, invitatos ?

Chrysost.to. 1.hom.17.in c.3. Gen.

22. *Augetur peccatum per hoc quod gaudio celebretur à peccante.* D. Aug.to. 4.l.2.d.ser. Domini in monte ad finem.

Imò crimen auget exultatio quam de injuria Dei concipis cùm gaudens peccas, *quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere.* Verba sunt Augustini. Infirmitas nostra solet quadamtenùs levigare scelera. Dum alacri animo nefas admittis, non fragilitatis lapsus est utplurimùm ; sed malitiæ quærentis ultroneè ruinam. Graviter igitur hæc circumstantia flagitium exaggerat: quòd nempe gaudij signis offensæ Dei plaudere petulanter non timeas.

Exod.32.4.

Cæca (paulò priùs aliorsum expensa) Hebræorum protervia, quâ in seditionem versi contra Deum, cujus experti fuerant munificentiam peramantem, vitulum coluere, non unico die peracta est. Primùm Aaraoni suggesserunt ut eis efformaret conflatiles deos : utque vitulum conspexêre, dixerunt : *Hi sunt dii tui Israël*, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Tunc ædificatum est altare, ac præconis voce solemnitas indicta pro sequenti

Ibi n.6.

die, quâ *obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexeruns ludere.* Non tamen legimus priori die (quando scili. Israëlitæ nomine divino donaverunt idolum) Deum indignationis aliquod signum dedisse. Postea verò (in die nempe quô sunt oblatæ victimæ

Ibi n.10.

falso numini) tunc ait ad Moysem : *dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Utrumque scelus erat læsæ majestatis divinæ : scili. asserere deos opus manuum fabrefactum, & huic sacrificia dicare. Cur Deus non iratum se denuntiat, cùm adscripserunt aureo figmento divinitatem ? sed postquam ei sacra libamina solemniter immolarunt? Quia post holocautomatum oblationem, peccatum lautis epulis, & festivo plausu concelebraverunt. *Sedit populus manducare & bibere ; & surrexerunt ludere.* Non se continuit clemens Dominus, quin gravitatem, quam sceleri gaudium adauxit, palam fecerit indignatione sua. Injuriam irrogas Deo : & rides ! Fortè si peccati damna agnoscens utcumque, mæsto vultu culpam in hospitium admitteres, non immane scelus hoc diceretur, sed lapsus fragilis. At cùm peccando voluntas exultat, fœdissimum inest malum ei qui *quasi per risum stultus operatur scelus : nihil enim est fœdius risu irrisione dignissimo*, prout ait Augustinus aliorsum.

D.Aug.to.1. l.1. contra Academicos c.5.tom.1.

Ex hac doctrina proclive tibi remanet expendere, quàm execranda fuerint olim Bacchanalia, seu infernalia tripudia : quorum ex vestigiis, quæ non adhuc omnino deleta video, intelligere cuique licet iis diebus imperavisse luxum detestabilem omnigenâ turpitudine fœdum : adeò quòd hanc lætitiam, utentibus ratione pudendam, Spiritus S. per Salomonis os vocaverit insaniam : *insaniæ plenas vigilias habentes :* ubi Jansenius : *notat autem Bacchanaliorum ceremonias.* Insania, necnon aliquid amplius dici potest inopia mentis illa, quæ non tantum animæ vulnera non sentit, sed exultat cum vulneratur. In spiritualibus morbis, *qui expertes doloris sunt*, ait S. Ambrosius, *non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis.* Sic se habent ij qui lætabundo corde venenum ebibunt : nam *Deum inhonorant*, inquit Basilius, *& in peccatis morti se dant, quorum vicem mœrere, ac gemere convenit.* Miseri qui *lachrymarum causas* (utar phrasi M. Gregorij) *tripudiande peragunt.* Et meditare quânam tempestate per vitiorum semitas volutentur : cùm adest introitus Quadragesimæ sacræ : cùm Deus ad pœnitentiam vocat, abeunt ad exitiales, infamesque noxas. Hoc sonat misericordiæ Dei contemptum, quem gravissimè ferre solet ille.

23. *Tempore quo Deus votat homines ad pœnitentiā, grave scelus ad vitia currere.*

Sap.14.23. Jansen. ibi.

S.Ambr.to. 2. in ps.50. n.6.

S.Basil.to.2. in regul.brev. vior. animadvers.31. D.Greg.M. to.1.l.20. moral.c.16.

Evangelico vati Dominus manifestavit quondam se neutiquam Israëlitico populo peccatum quoddam fore dimissurum. *Si dimittatur iniquitas hæc vobis, donec moriamini dicit Dominus Deus exercituum :* quod juxta Card. Hugonem *aposiopisis est q. d. non dimittetur.* Si textum breviter oculis perlustres, invenies crimen illud fuisse gulam : *comedamus, & bibamus : cras enim moriemur.* Et adeo detestandum gulæ crimen est ? Deformior extat idololatriæ labes : & nihilominus eam dimittere Dominus pollicitus est apud eundem Isaiam. *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob : & iste omnis fructus ut auferatur peccatum ejus, cùm posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci, & delubra.* Quomodo minatur non dimissurum fore gulam, qui læsæ majestatis crimini spondet veniam? Culpam specie minus gravem, ita ex aggravanti circunstātiâ crescere posse quod æquet, imò superet, aliam superioris ordinis, docet bona Theologorum sententia in tractatu de peccatis. Circumstantia temporis gulam, de qua propheta, nimis deformiter execrandam reddebat scili. quod cùm Deus ad peccata deflenda vocaret peccatores illos, ipsi luxuriosè festiveque dapibus incumberent. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad Calvitium, & ad cingulum saxi : & ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum : comedamus*

Isai.22.14.

Hugo Card. in Isai. ibi.

Isai.22.13.

Ibi c.27.9.

Ibi c.22.12. 13.

&

& bibamus : cras enim moriemur. Meritò Deus totum exerebat justitiæ gladium, dicens : si dimittetur &c. quasi diceret : ego ad medelam præteritorum criminum illos invitabo (*per prædicatores*, exponit Hugo Card.) & ipsi pietatem istam rependent addentes crimina criminibus : nullâ veniâ dignum facinus hoc est. Ad religiosissimos quadragesimales Ecclesiæ dies à Dei clementiâ convocamur cùm *quasi per risum stultus operatur scelus.* Facessant à Christiana plebe gentilitatis reliquiæ; potius *fundamus lachrymas* (Chrysostomum recolo) *multam voluptatem seminantes, & non rideamus risum, qui nobis stridorem dentium generet.*

Hugo Card. in Isai. ibi.

Chrysost. to. 4. hom. 14. in epist. ad Philip. c. 4.

DELIBATIO IV.

Tempus quod voluptatibus insumitur, valdè accommodum est sceleribus patrandis.

24. *Voluptuosus dies aptior sceleri.*

OS aureum iterum adversus voluptatem personat : aurum imitatur quod potiùs est utile, quàm sono jucundum. *Semper*, ait, *voluptas Deo non placet :* non enim potest summæ bonitati placere criminum occasio. Delicias flagitiis viam aperire quis dubitabit animadvertens illas esse januas mortis ex Augustini doctrina dicentis : *exaltatur homo ab omnibus pravis cupiditatibus, quæ sunt portæ mortis, quia per illas itur ad mortem.* Voluptuosus dies immani piaculo committendo proportionatus est; si tempora fuerint mæsta, forsitan vel scelestissimus frænabitur.

Chrysost. to. 2. hom. 2. ex variis in Marc.

S. Aug. to. 8. in ps. 5.

Eliam duplicem (antiquiorem scili. & Baptistam) in faciem restitisse duobus nequitiæ monstris lego. Alter Achabum non timuit; alius reprehendit Herodem. Præcursor tandem occidi jussus est; non sic Elias. *Ne illum quidem Achab alterum mulieris mancipium est imitatus Herodes, qui tunc habebat Jezabel magistrum multorum deorum cultus, sicut nunc hic Herodiadem libidinis, & intemperantiæ.* Sic Andreas Ierosol. Et mehercle non minori libertate ad Achab locutus est Elias, quàm ad Herodem Joannes. Thesbites dixit Achabo: *vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Terra siccitate laborabat, cùm Elias ante regem eundem stetit imperterritus, & protulit hæc : *non ego turbavi Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* Insuper & postea publicè interfecit prophetas Baal, cui Achab posuerat aram : & non interficitur à rege ? Jubetur occidi Baptista, ne lasciva puella repulsam suæ petitionis patiatur ? *Ecce quid pariunt totis noctibus protracta convivia :* verba sunt Chrysologi. Tempus erat valdè congruens impio sceleri : cùm scili. *Herodes natalis sui canam facit* &c. necnon oculos procacia pavit saltantis puellæ : *cùmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi.* Nactus opportunam occasionem dæmon qua scili. voluptatibus obcæcatus erat impius Herodes, occidi curavit Baptistam. Cùm autem ad Achab locutus est Elias idololatriæ scelus coram exprobrans, dumque occidit pseudovates Baalis, clauso cælo premebantur cuncti : mæstitiæ tempora hæc erant, non tam ad scelus accommodata. Nil mirum quòd Achabi manus evadat Elias ; conviviique tempore vita Joannis tradatur saltatrici. Da voluptuosum : dabo impium.

Andr. Ierosol. orat. in festo decollat.

3. Reg. 17. 1.

Ibi c. 18. 18.

Chrysolo. ser. 164.

Marc. 6. 21.

Ibi n. 22.

Qua de causa voluptas provocet in delicta, quæris : nil apertius est. Excæcat mentem. *Hoc est peccatum naturæ, quod fumus oculis*, inquit Chrysologus. Cæcum non interroges quare cadat. Redeat supra datus aliorsum Chrysostomus. *In voluptate præstantissima quidem pars nostri servit*, imperat autem abjectissima, illa excæcatur undique, ut cæca vincitur. Cætera crimina dum exequimur, non videmus ; voluptate verò cum illicimur cæcutimus. Nonvidens latius patet quàm cæcus. Quidam claudit oculos, alius avertit, alter obducit manum. Nullus ex his cæcitatem patitur, sed tantum qui oculorum lumine deseritur. Ex peccatoribus quisque non cernit ; maximè proprium tamen est illius, quem pellexit voluptas, visu spoliari.

25. *Voluptas excæcat.* Chrysolo. ser. 11.

Chrysost. to. 4. ho. 39. in 1. ad Corinr.

Abominationes populi Jerusalem Ezechiel objicere jubetur Hebræis, & sacerdotum narrare delicta, quorum erat unum neglectio Sabbatorum, *& à Sabbatis meis averterunt oculos suos :* exponit Maldonatus: *idest neglexerunt Sabbati observationem.* Non solum de omissione quâ sacerdotes in Sabbato laborantem populum connivebant; sed etiam de fractione Sabbatorum per servile opus ab eisdem sacerdotibus actum intelligi textus potest. Utrumque tamen simul sumptum crimen sacerdotum, non æquat unum ex delictis quorum priùs eodem capite facta mentio fuerat : ubi tamen delinquentes adeò fœde non dicit per vatem Dominus avertisse oculos à turpitudine flagitij, nec à lege Dei vetante, vel à supplicio quod promerebantur; sed ait : *unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefarie ; frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.* Cur istos non dixit amovisse oculos ? Quia carebant eis : cùm libidinosæ passionis forent servi, luminum acie viduabantur : utque non videat orbatus visu, paret superfluum esse declinare palpebras. Delicioso veneno inhians trahit sine luce vitam.

Ezech. 22. 26.

Maldon. in Ezech. ibi.

Ezech. 22. 11.

Hærebit nonnemo dum ista legit, dicens: qua ratione cæcutientem credam, quos lynceo visu pollere cerno, ut cupiditatum suarum possessionem consequantur, & servent illæsam ? Adhuc tu sic arguens nescis genus cæcitatis esse videre quæ non sunt, vel quæ videnda non erant ? *Duæ species cæcitatis facilè concurrunt*, ait Tertullianus, *ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt :* & S. Antonius loquens de illis, qui de nobilis patriæ, vel illustris prosapiæ sorte superbiunt affirmat obcæcari videndo. *Omnis homo, si ad saculum oculum convertat, erit cæcus à nativitate.* Cæcitatis est aliquando species intueri.

26. *Aliquando visus ipse genus est cæcitatis.*

Tertull. ic apolog. c. 10.

S. Anton. Olyssipo. ser. fer. 4. hebdo. 4. Quadrag.

Prædixerat Isaias, quòd cum advenisset

desideratissima plenitudò temporis, qua Deus Unigenitum in tuguria nostra misit, ut generis humani ruinas repararet : perpetuam noctem patientibus erant restituenda lumina : quod ad litteram de spirituali simul accipe visu. *Tunc aperientur oculi cæcorum :* commentatur Lira, dicens de hujusmodi miraculis : *& fuerunt facta spiritualiter in illuminatione infidelium fidem recipiendo.* Concinit Interline. ibid. verbo Oculi : *exteriores, & interiores.* Nil scrupuli occurreret in hoc Evangelici Præcentoris oraculo, nisi verba Christi Domini offendissem, quibus aliquantùm difficilis intellectu redditur Isaias. *Ego,* ait Magister divinus, *in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Bone Deus ? Qui lux es quomodo venisti lumine privare quemquam ? hoc est illud ? *aperientur oculi cæcorum* ? Videbant aliqui nimis, quod cæcutientium aliud genus est. A pluribus nocivis homines avertere suasit oculos candor lucis æternæ, pulchritudine alliciens eos. Et sic obcæcando reseravit palpebras eorum qui vivendo excæcabantur, nimiâ oculorum acie in cæcitatem versâ. *Itaque cæcus putari debet quisquis multoculus est*, inquit Nyssenus. Lyncibus istis non invideas perspicaciam nocivam. Ut concupiscentias venentur, nec dissita spatia, nec interjecti parietes obsunt ; Quid tamen exinde capiunt nisi feras, quas propriis alunt sumptibus, ut earum lacerentur unguibus ? Sed melius dicam non feras illos hâc venatione capere ; sed ut capiantur ipsi, quærere laqueos, quos ornamenta putant, infœlices nexus, auratos equidem, sed non ideo minùs graves : ut enim piè, necnon eleganter ait Augustinus, *vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Ecce quid prodest perspicacibus oculis concupiscentiæ pollere : nihil aliud quàm floribus tectas catenas alacriter vestigare.

Isai. 35. 5.

Liran. ibi.

Joan. 9. 39.

D. Greg. Nyssen. orat. 8. in Cant.

S. Aug. to. 2. epist. 59. ad Licentium.

27. *Solus credit sensibus qui veritatem execratur.* S. Thom. à Villano. ser. fer. 6. post Dom. 3. Quadrag.

Sensibus credit amor : puer tandem, qui levis corde fallaciis adhibet facilè fidem. *Si Platoni credimus, nihil est quod hominem magis infatuet, & à verâ sapientiâ alienet, quàm corporalium sensuum nimia curiositas,* dixit S. Thomas à Villano. Vel potiùs asserendum ideò terrenis deditum amorem falli, quia vult : nam solus ille sensibus credit, qui mendacium amat ; veritatem execratur. Oculis & auribus tuis credis ut judices ? Decipi vis : odisti verum.

Injecit oculos in Josephum libidine furens ejus domina Putipharis uxor : & postquàm sæpe frustra pudicitiam ejus tentavit petulanter : accidit ut die quadam insons adolescens domi quidquam operis absque arbitris faceret. Illa tunc apprehensâ laciniâ vestimenti urget ad libidinem juvenem pudicum : novo genere victoriæ blandum superans hostem aufugit victor, & reliquit spolia triumphator. Versus est in odium impurus amor (unumquodque facile convertitur in sibi simile) accusat intentati adulterij castissimum : & ostendit in testimonium servatæ conjugalis fidei Josephi pallium. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum*, accusationem obtulit, & *his auditis dominus, & nimiùm credulus verbis conjugis, iratus est valdè, tradiditque Joseph in carcerem.* Notat Cornelius à Lapi. quod *non advertit homo zelotypus hanc ipsam vestem indicium esse violentiæ à muliere profectæ, & innocentiæ, ac reverentiæ Josephi.* Auribus, quæ perceperunt uxoris verba, Putiphar fidem exhibet. Sed cur adeo credulus, ut vestem quæ detegebat veritatem, acceperit in falsitatis confirmationem ? Intererat ipsius ut verum foret quòd noluerit conjux adulterari. Veritas erat in oppositum : sed extabat execrabilis marito. Ficta castitas Ægyptiæ honori conveniebat Putipharis : hoc ille mendacio gaudebat ; amara foret ei veritas adversa. Ideo quia deceptionem istam amavit, oculis credidit quibus aspexit vestem, & auribus excipientibus mendacia verba. Qui rationem submittit sensibus, decipi diligit : sensus enim utpote servi dyscoli fraudum sunt fabricatores, & veracitatis adversarij.

Ibi n. 19. & 20.

A Lapi. in Gen. ibi.

Hoc adeo verum est, ut cùm Deus vult animæ veritatem aliquam salutarem instillare, quæ voluptati adversatur ; observet quandoque ne sensus eam percipiant : quasi januæ dolis admittendis assuetæ, non sint aptæ pro veritatis ingressu.

28. *Aliquando veritatem persuasurus Deus expetit ligari sensus.*

Peregrinabatur Abraham in Geraris cum Sara uxore, cujus pulchritudo cùm latêre non posset, mittente rege delata est ad illum Hebræa, nesciebat enim quod Abrahami consors esset. Misertus ejus ignorantiæ Dominus apparuit regi dormienti, & increpavit eum. *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi : en morieris propter mulierem quam tulisti :* & postea subdit. *Nunc ergo redde viro suo uxorem.* Per somnium rex objurgatur ? Nonne timeri poterat ne putaret insomnium esse naturale, proindéque tanquam phantasiæ vanam illusionem irrideret ? Cainum reprehendit Supremus Judex non dormientem sed vigilem : quid ergo ? mitiùs agitur cum regibus in tribunali divino ? Dices regem hoc fecisse corde simplici. Fateor. Attamen semel quod admonitione divina terretur, quare non hoc factum est in vigilia ? Quia cùm eximia pulchritudo mulieris allexisset ipsum, voluptati contrariabatur veritas, quam Deus ei volebat inculcare : scili. quod esset aliena fœmina, suoque tradere viro deberet illam. *Eripere eum volens ab iniquitate*, ait Chrysostomus, *dedit menti ejus scientiam, & occulta manifestavit multumque metum auxit interminando mortem.* Oportuit ut expectaretur somnus, quo ligati jacerent sensus, ne si per eos ingrederetur veritas non grata, illorum ingenio malo adulteraretur. Tempestivè Lipomanus ad hunc locum. *Per somnia autem alloquitur naturæ mysterio utens, cùm scili. sensus vacant, ut tunc sint capaciores visionum.* Cain licet peccaverit in Abel nece : nulla tamen fuit in hoc pellectus voluptate, cui oporteret verbis Deum contradicere. Idcirco vigilans hic reprehenditur, ille verò dormiens, ne sensibus impediretur medicina. Hi sunt actionum tuarum duces, quibus totum

Gen. 20. 3.

Ibi n. 7.

Chrysost. to. 1. hom. 45. in Gen.

Lipom. in cate. ad c. 20. Gen.

tùm interioris reipublicæ judicium fidis, falsi testes, corrupti judices. Benè consulit Bernardus. *Claude feneſtras morti : obſera aditus : foramina obſtrue diligenter : & ſic demum non ſubeuntibus novis ſordes poteris expurgare vetuſtas*, Rationem desume, si placet, ex eodem paulò ante. *Sed nec parum illi ex hâc conſideratione doloris accedit : cùm per feneſtras proprias mors iſta deprehenditur introiſſe. Multa ſiquidem admiſiſſe videtur petulantia oculorum : multa pruritus aurium : multa quoque olfaciendi, guſtandi, tangendique voluptas.* Igitur quando sensus (mortis ostia) recreas oblectamentis : velut ad Sirenarum cantum obdormit ratio. Unde fit quòd accommodum est peccatis exequendis tempus istud quo gaudio vano perfunderis. Et hoc (juxta expositionem quam tetigi n. 3. fine) voluit Salomon dicens : *quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus.*

D. Bern. ſer. de perſecut. Juſtin. c. 6. & 7.

DELIBATIO V.

Virtus prudentes reddit homines circa præterita, præſentia & futura.

29. *Juſtus potius meminit infœlicitatis præteritæ quàm præſentis fortunæ.*

Sapientia autem eſt viro prudentia. Vertêre Septuaginta : *ſapientia viro parit prudentiam.* Opponit prudentiam justi levitati peccatoris, qui scelera rem nullius momenti putat. Justus rectæ rationis trutina solet æstimare cuncta. Hæc prudentia juxta expositionem, quæ ex lectione Septuag. habetur, partus est sapientiæ, ideſt virtutis. De prudentia loquens D. Antonius tripliciter dividit eam. *Carbunculus*, inquit ille, *qui fugat tenebras, eſt prudentia contra ignorantiam : quia, ut dixit Seneca, ipſa portat lucernam ante alias virtutes. Hujus tres ſunt partes : ſcili. memoria reſpectu præteriti, intelligentia reſpectu præſentis, & providentia reſpectu futuri.* Providentissimus Author naturæ duplicem indens homini memoriam, alteram intellectui sic adjunxit, ut iste memoriaque, non duæ, sed unica res dicantur : ut sic insinuetur quòd cùm erga præterita recordatio versetur, judicio quasi privatur quod præteritorum oblitum videtur orbari facultate rationalis reminiscentiæ. *Omnis ergo mens ſapiens*, inquit Ambrosius, *retrorſum ambulat, hoc eſt præterita ſpectat.* Et præsertim arduum est infœlicitatis retroactæ meminisse : cùm enim sit nobis exosa læva sors, illam abjicimus è mente, ne de malis exantlatis dolor præsentem prosperitatem imminuat. Et cùm ea de quibus rarò, vel nunquam, subit cogitatio, difficile sit memorari : sanctitatis proceres ardua tentantes, abjectæ fortunæ, quam olim passi sunt, reminisci sponte solent : ne superbia elati lapsu graviore ruant in scelus.

Lect. Septua.

S. Anton. Olyſſip. ſer. 2. d. martyribus.

S. Ambr. to. 1. l. d. Noë c. 31.

Postquam Josephi patriarchæ somnia fœlix comprobavit exitus, & sors faciem torvam deposuit : uxorem accepit regis electione fausta donatam. Ex illa duplicem genitum suscepit. Secundò natum appellavit Ephraim, ideſt, crescens : quam nominis impositionem inde motivum accepisse patet explicuit, quod in Ægypto Deus eum cumulaverit incrementis. *Nomen quoque ſecundi appellavit Ephraim dicens : creſcere me facit Deus in terra paupertatis meæ.* Fateor quòd in Ægypto Joseph paternæ domus bonis, imò libertate spoliatus vixerat antea ; sed modò cùm illa protulit verba, dives erat beneficio regis, qui sic eum evexerat, ut pollicitus fuerit illi dicens : *uno tantùm regni ſolio te præcedam.* Quæ major igitur est ratio cur Ægyptum vocet paupertatis terram suæ ; non autem potius fœlicitatis domicilium ? Ne fortassis aperiret aditum extollentiæ de prosperitatis pompa : voluit in filij nomine frequenter præ auribus habere, non præsentem fortunam, sed præteritam inopiam. Sic justi curant ne vilitatis anteactæ subrepat oblivio moribus valdè noxia. *Ecce quomodò*, ait inibi Lipomanus, *vir ſanctus, juxta Sapientis ſententiam, in die bonorum memor fuit malorum. Ecce quomodò cùm Pſalmiſta lætatus eſt pro diebus quibus humiliavit eum Deus, pro annis quibus vidit mala. Nomen uni filiorum oblivionem imponens, alteri augmentum, idque maximæ fœlicitatis ſuæ tempore.* Superbiam pavebat plusquam alij descensum : quapropter illius temporis reminisci cupiebat, quo despectus pauperiem passus est servitute cogente : *in terra paupertatis meæ.* Reminiscere prudens quæ post terga manent : & præsertim experientiis edocearis.

Gen. 41. 52. Ibi n. 46. Lipom. in cate. ad c. 41. Gen. n. 52.

30. *Experientia propria utilior eſt quàm alieni mali.*

Ars artium dici valet experimentum. Hanc doctrinam non tenet nisi qui præterita recolit. Non mirum appropriem nobile magisterij nomen ei cui debetur totius artis inventio :

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam ———— Manil. 1.

Dubitabam quænam sit utilior experientia : propria scili. an ex alienis eventibus desumpta ? Pro secunda stat, quod nos ad aliorum gesta, suppliciaque, vel præmia, sumus oculatiores ; cùm simus ad propria lippi. Nullus est oculus, qui maculam suam videat nisi in speculo (*utinam oculus qui omnia videt, ſe ipſum videret*, ait S. Antonius Olyssipo.) sic in alterius vita facilè capimus experimentalem scientiam, quâ doceamur quid vitandum ; quid agendum. Non sic nostra nos instruunt, quantumvis expertos diu. Nihilominus proprij capitis experimenta præferenda judico : nam si mala perpetiris plus doles ; & si pericula frustratis, amplius gaudes : ac fit inde ut altiùs imbibatur doctrina sic inculcata, quàm si de aliorum discriminibus atque doloribus colligeretur. Insuper : uniuscujusque peculiaris experientia vix fallitur, ut notat S. Laurentius Justin. *Equidem*, ait, *in hoc perlucido ſpeculo, & vita ſanctorum, perfecti viri frequenter ſe inſpiciunt, & pro conſequenda humilitate ſe illis diligenter æquiparant, opera ſua metiuntur in ipſis.... dijudicant ſacrarum eruditi magiſterio Scripturarum, & ſanctorum ipſorum excitatione irreprehenſibili, necnon experientiâ propriâ quæ nequaquam profectò falli poteſt, ſi abſque paſſione affectionis diſcernat.* Unde qui propriis nititur experientiis, etsi minori doctrina polleat, non decipitur mundialibus illecebris ; quibus

S. Anton. Olyſſip. ſer. Dom. 4. poſt Trini. fine.

S. Laur. Juſt. de humilitate c. 21. ad finem.

fortè

fortè multo sapientior illaqueatur alienis calamitatibus eruditus.

Demirabar, quod Jobo post ærumnarum alluvionem duplicata fœlicitas non suaserit ut à semita virtutis declinaret; cùm Salomonem bonorum affluentia pessundederit, adeò ut de illius æterna salute dubitetur. Præsertim admirationem adaugebat quòd Salomon multò scientior citra dubium extitit quàm
3. Reg 4.30. 31. Job. *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & erat sapientior cunctis hominibus:* attamen Jobus acceptam à Deo retribuente prosperitatem ad
Ibi c. 11.4. usque ultimum vitæ periodum inoffenso pede perduxit; Salomon non ita. *Cumque jam esset senex depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Nonne hic ille idem qui tot spiritualia documenta præbuit, quot in ejus libris legimus? quomodo desipuit corde qui sic præcellebat intellectu? Nimium pondus fructuum prostravit arborem. Fælicitatum cumulata nimis ubertas perdidit sapientem. Sic videtur sensisse M. Gregorius: nam Salomonis casum ex eo accidisse putat quod nullam tribulationem passus est ante lapsum. *Salomon, qui post tantam*
D. Greg. M. to. 1. 3. P. Pastora. admo. 27. fine. *sapientiam usque ad idololatriam cecidisse describitur, nihil in hoc mundo prius quàm caderet adversitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla, vel minima tribulationis disciplina custodivit.* Sed quæso: summe fœlix nesciebat vana cuncta? nullamque sortem stabilem, quamvis tetigisse videatur sydera? Quomodo sic hallucinatur? Quia mala non in seipso, sed in
Eccle. 4.1. aliis expertus est: *Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium &c.* Hæc in aliis animadvertit, sed in seipso, priusquam caderet nihil suscepit adversum: ideo non illi profuit aliena experientia: ne insipienter excæcaretur. Atverò, Job fortis vices in semetipso recepit: unde licet amissam fortunam in duplum recuperaverit, non eum dejecit hæc
Iob. 16.13. eximia prosperitas. Adhuc enim recordabatur quod antea deploraverat: *ego ille quondam opulentus repentè contritus sum.* Non frustra prætuli superiùs inter experimenta quæ fuerint unicuique propria: per hæc præcipuè solitum est hominem instrui, prudentiæque magistræ candidatum formari sapientem de transactorum casuum disciplinâ.

31. *Mundialia nihil sunt.* Nunc quòd ad præsentia spectat. In his etiam *sapientia*, hoc est, virtus, *parit viro prudentiam:* id est suadet quæ adsunt pertractare secundùm rationis regulas; non sicut vanè mentitur apprehensio. Præsentia voco temporanea bona, ut solito loquar apud homines idiomate: nam si veritatis austerum sequamur ductum, non dicemus adesse quæ tam breviter evanescunt, ut fere nunquam extare dicantur, sed vel fore vel fuisse. Testetur Au-
D. Aug. to. 8. in ps. 9. gustinus: *ne sperent in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi erit, & fuit.* Hoc & sapientes fidei lumine destituros non latuit: nam teste, qui refert illo-
Sene. epist. 88. rum dicta, Seneca; *Parmenides ait nihil esse in universum*: Zenon *ait nihil esse.* Videntur ne tibi nimis asseruisse? etiam in statera Dei posita quæ nos circumstant nihil sunt. Quomodo, ais, nihil esse percipiam? difficultatem fateor: quædam enim sunt ob maximam exiguitatem incomprehensibilia fere. *Comprehendere*, inquit Philosophus idem, *quemadmodum maxima, ita minima, difficile est.* Idem ibid.

Impij Balthazaris oculis objicitur in aulæ pariete scriptum fatale decretum: *Mane, Thecel, Phares.* Hac scriptura portendebatur sacrilegi regis punitio. Daniel advocatur ut interpretetur verba, quorum secundum exposuit hunc in modum: *appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Commentatur Dani. 5. 27. Alapide: *Quocirca Balthazar carens justitia & virtutibus, in statera Dei cum omni sua pompa & gloria appensus inventus est minus habens, id est levis & vanus.* Cohæret Dyonisius Carthus. ibidem: *Thecel significat appensum est regnum tuum.* Verùm si verbis textus rigorosiùs insistamus comparativa sunt: *minus habens.* Et invenire vellem cum quo fiat comparatio hæc. Statera constat duplici lance: positus in altera Balthazar, ejusque pompa, fuit. In alia verò quid? Puto quod omnia. Cum rebus universis ergo comparatione facta, rex & ejusdem gloria minus erat cunctis. Quid assignabit philosophia, quod sit minus rebus omnibus & singulis præterquam nihilum? Itaque tota mundialis bonorum congeries merum nihil est. Et sane: *mirandum, sed magis dolendum, quàm mirandum, quòd id quod nihil est, amari potest.* Addere posset adhuc mirabilius quod pro istius nihili conservatione spernatur Deus, qui omnia!
Cornel. à lapi. in Dan. ibi. Dyonis. Carthus. ibid. D. Bern. epist. 18. ad. Petrum Cardi.

32. *Postquam bona mundi transeunt agnoscuntur inania.* Ingrata veritas hæc est mentibus nostris appetituum febre languentibus. Sed tunc inanitatem rerum caducarum agnoscemus, cùm desierint apparere; ne dicam: postquam non fuerint. Duplici facie mundus nobis proponitur: anterior est personata; illa verò quæ manet à tergo, perspicitur detecta. Dum te sollicitat, venientis larvâ deciperis; postquam dorsa vertit, ex discooperto vultu præpostero noscis quàm futilia sectabaris. *Quisquis enim adhuc visibilia appetit, peregrinationis suæ malum non intelligit*, scribit M. Gregorius. Et alibi dixit: *quantò mundus ad extremitatem ducitur, tantò nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur.* Blanditur sæculum risu tibi nunc: & sic ridicula tegit vanitas. Avertet à te faciem, & cernes in eo nihil inveniri desiderabile.
D. Greg. M. to. 1. l. 34. mora. c. 3. Idem to. 2. hom. 26. in Ezechi.

Evangelistarum Aquila suos ad alumnos ita monet: *mundus transit & concupiscentia ejus.* Nonnullus opponet apici Theologorum, sic: transeunte mundanâ fælicitate, fortiùs videtur exardere cupiditas ejus: nam *gratissima sunt poma cùm fugiunt.* Et amissa vehementius cupiuntur. Eccur non ais manere post fragilium bonorum transitum concupiscentiam illorum? Quia postquam pertransiere, tunc serò videmus ea nihil esse: cumque nihilum desiderari non valeat, ideò simul cum bonisquæ disparuere, cessavit cupiditas: *mundus transit* &c. Antea quandiu primam faciem mundus offerebat, coram idolo tuo prosternebaris: & si oculos terræ coæquans pronus, figmentum illud quidnam verè sit non intuebaris; cùm destructum fuerit simulacrum, tunc noscès illud ita quòd nomen ei proprium imponere valeas.
1. Ioan. 2. 17. in epist. Sene. 12.

Dantur

33. *Idola quædã, sunt quæ non agnoscuntur nisi post eorum destructionem.* 4.Reg.18. 4.

Dantur idola quædam, quorum entitatem non probè scias, nisi destruantur. Eximius pietate rex Ezechias inter alia virtutis opera, quibus Deo placuit, æneum serpentem, quem adorabant Hebræi, delevit: *confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan.* Volve totam veteris testamenti paginam: non invenies unquam nomine proprio appellatum serpentem hunc ante regis Ezechiæ tempora. Ne mireris: illud prius erat numen fictum: & quædam sunt idola, quæ dum coluntur, ignorantur; solus qui destruxerit ea sic penetrabit judicio quid sint ut nomen proprium eis valeat applicuisse: Gloss. ord. ibi. *cõfregitque serpentem....vocavitque nomen ejus Nohestan:* ubi Glossa ord. ad verbum *Nohestan: quod interpretatur æs eorum, ut quem illi pro numine colebant, in dictis, ejus metallum eum esse; non Deum agnoscerent.* Haud aliter accidit sæpe cuique, dum creaturas brevi destruendas adorat.

34. *Ad ventura solus attendit justus.* Terent. in Adelph. 3,4.

Spontaneâ mente versabis quæ de præsentibus dixi, si futura prospicias. Et hoc erit acumen veræ sapientiæ signum: nam

Illud est sapere, non quod ante pedes modò est
Videre, sed etiam illa quæ futura sunt
Prospicere ——————

Stultus ille, qui quasi per risum operatur scelus, de transitoriis tantùm judicat dum videntur adesse: divertit oculos ab anteactis: ad futura non attendit. Aliter is qui verè sapientis nomine decoratur. S.Ambr.to.1. l. d. Noë c.81. *Insipiens præsentia tantummodò videt, quæ in oculis sunt, futura non respicit, præterita non cogitat. Sapiens autem & præterita recordatur, & futura considerat.* Repetat D. Ambrosius. De prætetitis jam nonnihil dixi: nunc de futuris addo, solos ad ea mentis aciem intendere justos, ut ventura perpendant caute; peccatores nequaquam.

Vidit per somnium Joseph se à Sole, Luna, & stellis undecim adorari. Tunc ingenua quâdam sinceritate rem fratribus retulit odij seminarium. Illos judicium de somnio isto non legimus tulisse; pater autem quid sibi Gen.37.10, 11. vellet insomnium pensitabat: *quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? Invidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat.* Notavit Lipoman. hîc diversimodè se gessisse fratres Joseph, ac Jacobum in hac re: nam Jacob *conjectans,* Chrysost.to. 1.hom.61. in Gen. ait Chrysosto. *à Deo revelationem ei factam observabat verbum.* Germani nequaquam ad id quod visione dicta præindicabatur, animum apposuere. *Cogitabat* (inquit Lipom. Lipom. in cate. ad c. 37. Gen. de Jacobo) *tamen secum prudens & sapiens jam secundò idem revelatum non esse contemnendum, verùm providentiæ Dei se suaque committebat. Non sic autem fratres Ioseph.* Quare nisi quia filij peccatores; Jacob vir justus erat: hic prudens ad futura jecit intellectuales oculos; ipsi minimè. De venturis ille solus cogitat qui præsentium non irretitur blandimentis.

35. *Vita velut unicus dies computetur.*

Hic futurorum prospectus, maximè circa ea quæ post mortem credimus obventura proficuus, non ad mortis confinia differendus: cùm vitæ nostræ spatia brevi claudantur & incerto fine certissimè: ita ut etiam Seneca dixerit aliorsum ad Luçillum: *singulos* Sene. epist. 101. *dies singulas vitas puta.* Philosophus eâ mente sic monuit, ut vita in se ipsam colligeretur præcisis expectationibus vanissimis. Hoc ipsum nobis cogitandum est, ut sciamus vitam dimetiri nostram. Hoc videtur exemplo suo docuisse Dei Filius.

Temporum, inquam, Dominus, semel quod vitam assumpsit mortalem, totum triginta trium annorum incolatum, quo super terram traxit moras: veluti diem unicum ad eruditionem nostram computaverit. Fallitur qui plures numerat vitæ dies. *Abraham* (ait Joan.8.56. Judæis Dominus) *pater vester exultavit ut videret diem meum.* Controvertitur inter Biblicos inrerpretes quid nomine diei significetur. Ex Maldona.& Burgens. quorum sententiam approbat Silveira, dies pro integro Silv.to.4 in tempore vitæ sumitur, quo Dei Filius habi- Evang.l.6. tavit in nobis. Ecce diei singularis appella- c.17. n.122. tione triginta trium annorum vita designatur! Vide quàm aliter locutus fuerit Jacob ad Pharaonem. *Dies peregrinationis meæ* Gen.47.9. *centum triginta annorum sunt.* Ecce dies & annos plurimos Dei amicus annumerat; rerum Dominus unam solummodo computabat diem ut suam! *diem meum.* Disparitas est manifesta. Parce Jacobo, qui tunc læta sorte fruebatur de restaurato chari Josephi conspectu: quod gaudium ad mortem usque producere sperabat: *lætus moriar, qui* Ibi c.46.30. *vidi faciem tuam.* Non finit lætitia tam exactè meditari quàm fermè nihil sint nostræ vitæ fines. Christus Dominus, quamvis non polleret infinita sapientia: tamen hanc brevitatem dijudicaret exactissimè nullo præpeditus lenocinio: quia jugiter in laboribus versatus est: *in vita passivam,* inquit Bernar. S.Bern.ser. *habuit actionem, & in morte passionem acti-* 3. fer.4. Hebdo. S. *vam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Proindè memor ero quandiù fuero laborum illorum, quos pertulit in prædicando: fatigationum in discurrendo: tentationum in jejunando: vigiliarum in orando: lachrymarum in compatiendo.* Inter hæc degentem non poterat latere vitæ brevitas. An non & tota vita veri Christiani crux est? S.Thom.à Villano. *teste Augustino, tota vita Christiani, si* S.Thom. à *secundùm Evangelium vivit, crux est.* Uni- Villano. ser. cum ergo diem in vivendi curriculo ad sum- Dõ.3.Adv. mum computa, nam & Dei Filius dixit: diem meum: inspice, & fac secundùm exemplar: isti crede; non autem desiderio vitæ, quod in causa est, ut illa nunc se brevem, nunc prolixam exhibeat. *Vera omnino sententia fratres,* S.Bern.ser.1. ait Bernardus: *quoniam tentatio est vita ho-* d.diversi.initio. *minis super terram. Siquidem fallax est.... modò enim se brevem esse causatur, modò simulat longiorem.* Ne credas hoc secundum, quod gaudio mens turbata profert; priori parti potiùs fidem adhibe, quam fortè dolor extorsit: nec enim tam facilè decipitur qui cruciatur: & dicito cum Pelusiota: *umbra,* Isido.Pelus. *& insomnium, & fumus, ut quidvis eorum, quæ* l.2.epist.175. *quàm ocyssimè avolant, hominum vita meritò appellata est.*

DELIBATIO VI.

Imperfectio humani gaudij : adulatoris miseria : peccandi celeritas, & proclivitas. cautela fraudis: ignorantia sui : judicium de se.

36. *Gaudium de temporaneis imperfectum.*

VBi & apices mysteriis non vacant, quomodo verbum erit sine doctrina ? Textum denuo versemus : & in illo adverbio *quasi*, statim occurret, forsan imperfectionis notam esse : nam de mundanis gaudiis agitur, quæ non perfectè; sed quasi gaudia sunt.

S. Aug. to 8. enarr. 2. in ps. 48.

S. Augustinus. *Itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt & cor claudunt, transit quasi eorum, & venit verum ipsorum. Quasi ipsorum fœlicitas est sæculi, verum ipsorum pœna est.* Imperfecta semper lætitia quæ de creatis concipitur ; perfecta quæ contingit largiente Deo.

Propter Dei verbum se persecutionem pati

Jerem. 20. 15.

dolens Jeremias maledixit diei suo. *Maledictus vir qui annuntiavit patri meo dicens : natus est tibi puer masculus : & quasi gaudio lætificavit eum* Postea Deus per eundem promittens Israël à captivitate reducere, dixit

Ibi c. 31. 13.

& convertam luctum eorum in gaudium &c. Prius gaudium non pronuntiatur sine addito minuente ; sed illud vocat Jeremias : quasi lætitiam : *& quasi gaudio lætificavit eum* ? Ita : quia de creatura conceptum non poterat non imperfectione notari. Ad litteram

Hug. Card. in Jerem. 20. 15.

Cardi. Hugo: *dicitur quasi: quia illud gaudium versum est in tristitiam :* & in expositione mystica : *& quasi gaudio lætificavit eum, quia gaudium vanum est non verum.* Cùm agitur de lætificando populo per ipsius Dei manum exultatione, quæ de benevolentiâ divinâ oritura erat : non additur, quasi, sed absque minuente nota dicitur : *in gaudium.* Themate præfixo Salomon de gaudiis agebat submini-

37. *Nefas magnũ sceleribus alienis innodari.*

stratis à creatura : hæc autem non sunt consummatè lætitiæ, sed *quasi.*

Per risum. Ex pluribus ridendi modis, quos adducit hoc loco à Lapi. eligo duos, ut examinem quisnam pejor. Alter est subsannatio, quâ parvipenditur alterius dictum, vel factum : alius arrisio, scili. quô ridendo blandimur. Impij utroque ridendi genere utuntur : nam irridentes monita consulentium, exemplaque justorum : & adulantes aliis, ipsorum iniquitatibus arridentes. Quid putas deterius ? Risum adulatoris ampliùs execror.

S. Thom. à Villano. fe. d. Visita. Virh.

Væ palpantibus vitia, qui fucatum liniunt parietem sine temperamento, ut non appareat peccati macula, & gravius invalescat &c. Ita S. Thomas à Villano. Meritò væ dicit istis : miserrimum namque sicut & nefas magnum est alienis innodari sceleribus.

Rogabat Jessæus Psaltes Deum, dicens :

Ps. 18. 14.

ab alienis parce servo tuo. Quod juxta expositionem Augustini de peccati verè alienis

S. Aug. to. 8. in ps. 18.

accipe. *Neque enim*, ait, *alienis capitur qui est mundus à suis.* Et Liranus loquens de

Liran. ibid.

Principibus & Prælatis, ait ibi : *delictum enim alterius transit ad aliquem propter suam negligentiam quando negligit eos corrigere.* Non caret energia, quòd alienorum criminum sibi veniam postulet : *parce* ; suorum verò munditiem tantùm quærat : *ab occultis meis munda me :* nam licet ibidem indulgentia simul involvatur : attamen petitio veniæ majorem de offenso Numine formidinem indicat : pariter & amplius de istis, quæ aliena vocantur, dolorem insinuat. Meritissimè quidem plus David anxiabatur de iis, quæ cum aliena delicta forent, ipsius propria facta sunt : Maximâ namque pœnitudine dignum est, ac miseriarum exaggeratio, peccatis aliorum lutescere. Qui delictis alienis arridet, lapsibus aliorum lutulentus remanet fœdè nimis : ac in morem speculi, sicut alterius risum in se transfert, sic & nævos. Non cursim pertranseas apologum speculi cum de assentatoribus incidit sermo : nam isti sunt potentium specula, in quibus complacere sibi solent. Bellè Gerson. *Adulator mendax est veluti joculator & musicus diaboli, qui semper notas suas, & volunt tem ad voluntatem audientium & chorisantium convertit, quantumcumque labantur, aut devient & est veluti speculum, quod arridet ridentes, & plorat cum plorantibus.* Si lutum adhæreat faciei, lutea respondet in speculo macula : sic illis qui malefactis improborum arrident, solet accidere : ideoque operantur scelera *per risum.*

Gerson p. 4. ser. d. Annuntia.

38. *Aptiora sunt ut noverint altissima, diligentium corda.*

Stultus. Quoties apud Salomonem occurrit peccator sub fatui vocabulo : in mentem revoco prudentiam filiorum sæculi, quam experientia novit, & sacræ litteræ fatentur. Ubi est illud Ecclesiastici ? *Qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.* & Isaiæ ad Babylonem : *sapientia tua & scientia tua hæc decepit te.* Nullâ tamen hujusmodi sapientium injuriâ, stulti dicuntur impij : nam semel atque divini amoris flamma non accenditur in eis, in tenebris sunt. Mentium nostrarum fax est amor Dei : quâ si careamus, totum caligine repletur. *In contemplatione etenim*, ait M. Greg. *mentem si amor non excitat, temporis sui torpor obscurat : si timor non aggravat, sensus hanc per inania ad nebulam erroris levat.* Et si de illis qui ad contemplationis apicem aspirant, hæc pronuntiat magnus Pater : quid affirmare possumus de iis, quorum conversatio non in cælis, sed in cœnis est ? Polleant esto fœlicissima spiritus acie, stultescent, nisi corde sciant. Si naturam attendas, proprium est intellectuum cognoscere ; si experientiam consulas, aptiora corda sunt ut noscant.

Eccli. 19 20. Isai. 47. 10.

S. Greg. M. to. 1. l. 6 mota. c. 17.

Expetebat coronatus Videns accipere intellectum à Deo, ut nosset ejus legem. *Da mihi intellectum ut sciam testimonia tua.* Alibi Deus loquens de plebe sua reducenda per ipsius clementiam è captivitate Babylonica, sic per Jeremiam promisit : *dabo eis cor ut sciant me* &c. David ut sciat cupit intellectum ? Deus Hebræis ad sciendum repromisit corda ? Utique : nam David supplicem libellum offerebat Deo juxta naturæ leges : nec enim erat cur miracula peteret. Cùmque natura cognitionem oculis intellectualibus commiserit : ideo non cor postulavit, qui sedes amoris est ; sed intellectum flagitabat : præsertim, quia cognitio legis, de qua tunc

Ps. 118. 125. Jerem. 24. 7.

agebat,

agebat, non adeo præaltam requirit indaginem, sicut agnitio Dei : quæ quidem difficilior est, & cujus meminit per Jeremiam Dominus. Proindè licet ad cognoscendum Altissimum promissa fuerint Israëlitis corda *(dabo eis cor ut sciant me)* ab eo qui regulas naturæ pro libito valet prætergredi ; tamen David ut legem Domini calleret, quod facilius est, non supra naturæ ordinem expetiit corde scire quô residet amor ; sed mente sapere desideravit. Aptiora sunt ut altissima penetrent ignita dilectione corda, quam ingenia multo acumine præpollentia. Ob hujus flammæ defectum tenebrescit peccator : ideoque dicitur *stultus.*

39. *A cogitatione ad linguam, ab ore ad opus it scelus quàm celeriter,*

Operatur. Non omnia scelera deveniunt ad opus : dantur enim & crimina mentis & oris : sub illo tamen verbo, *operatur*, comprehenduntur cuncta : quasi synonima sint cogitare, loqui, & operari. Adeo præcox est hominum in delinquendo velocitas, ut à cogitatione ad linguam, ab ore ad manum festinè valdè transeatur. Ideò ferè sunt idem cogitare, fari, exequi. Celeritatis hujus causa est animi promptitudo ad malum : cui nulla penè difficultas obviat, quæ non superetur strenuè. *Nos autem peccata*, ait S. Basil. *velociter quidem promptoque animo admittimus.* Et hinc est quod operum loco tam cogitatio, quàm loquela computantur.

D. Basil. Magn. hom. 11. in siccitate longè ante me. inter var. Thren. 3. 61. 62. 63. 64.

Ita stylus habet lachrymarum Vatis. *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me ; labia insurgentium mihi & meditationes eorum adversum me tota die. Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide ; ego sum psalmus eorum. Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum suarum.* Quæritur de cogitationibus adversantium propheta, necnon etiam de gladio linguæ. Sed cùm à Deo vindictam sollicitat, opera rogat eorum puniri ? *Reddes.... juxta opera* &c. Operum nomine clausit cogitationes & verba : quia tam velox hominum in patrando crimine pernicitas extat : ut velut idem sint meditatio, voces, & executio. Similiter hoc loco non solùm intellige facta : sed perperam cogitata, dictaque, sub verbo *operatur.*

40. *Unum peccatum sequitur mox aliud.*

Scelus. In singulari loquitur : ideo fortè quia is qui degit sic tanquam res pili floccive facienda sit committere nefaria, dicere solet : quidne hoc præter unum peccatum ? Fallitur : nam vix est qui semel tantùm peccet juxta dictum Gregorij. *Peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit.* Simul atque peccatum ad internam domum introduxeris, en aliud in foribus adest ut ingrediatur.

D. Greg. M. to. 1. l. 25. moral. c. 9.

Antequam polluerat se Cain homicidio fraterno invidiæ flammis exardescebat adversus eum : ac vultum demittens iniquitatis onere pressus, mœrebat. Tunc Dominus ad eum : *quarè iratus es ? & cur concidit facies tua ? nonne si benè egeris recipies : sin autem malè statim in foribus peccatum aderit ?* Quid sit in foribus peccatum adesse non omnes pariter explicant. Hugonis Cardi. modò sequar expositionem : qui de peccato futuro exponit illa Dei verba. *Peccatum enim in foribus est ut intret post malam cogitationem occasio parata peccandi, quam meritò malæ voluntatis homo meretur.* Et infrà : *peccatum verò quod est in foribus ut exeat, prava voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat.* Nonne peccatum Cainus in corde nutriebat ? *iratusque est Cain vehementer.* Cur non ait illi Deus : iniquitas aderit domi, si malè operatus fueris ? Quia non de priori peccato, sed potius de subsequenti loquebatur : nec enim solitum est unico se quemquam inquinare flagitio : semel quòd malè fuerit operatus ; non semel delinquit : aliud statim delictum jamjam præ foribus est ut ingrediatur. Qui parvipendit crimina fortassis hoc ignorat, sed crassè : proindeque nihili ducit unum amplius adjicere *scelus.*

Gen. 4. 5.

Hugo Card. ibi.

Gen. 4. 6. 7.

Sapientia. Ut scias quid sub hoc nomine lateat, memento quòd nemo sapiens nisi sciat à falso cavere ne decipiatur. Quid refert naturæ secreta rimari, syderum cursus metiri, rerum divinarum veritates altiores investigare, si erga illa, quæ tua peculiariùs interfunt, mendaciorum coloribus deluderis ? *est enim sapiens cui quæque res sapiunt prout sunt*, ut Bernardus ait. Etiam sapientissimo satagendum ne fraude circumveniatur. A Deo supplex orabat Salomon dicens : *vanitatem & verba mendacia longè fac à me.* Otiosa videbitur nonnemini petitio hæc : is ipse à Deo audiit : *dedi tibi cor sapiens & intelligens, intantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Nunc igitur quid amplius per illa verba rogat : *vanitatem* &c. Dissident expositores. Quidam quos non improbat Cornelius à Lapi. per vanitatem accipiunt vanas opiniones, errores, & hæreses, quasi ab iis præservari optet Sapiens. Favet Glossa ibi : *obsecrans ne vanitatem sæculi unquam vel verba mendacia veritati præponat Scripturarum.* Hugo Card. ibid. inquit : *verba mendacia, idest adulationes, vel falsas sacræ Scripturæ interpretationes.* Utquid hoc petit Sapientissimus ? Ut erudiremur quàm oporteat à falsitate sollicitos cavere mortales, quamvis eximiâ polleant, omnigenâque doctrinâ : si enim præter veritatum cognitionem à falsis absimus, hæc erit vera *sapientia.*

41. *Etiam sapientissimo satagendum ne fraude circumveniatur.*

D. Bern. ser. 13. de divers.

Prov. 30. 8.

3. Reg. 3. 12.

Gloss. ad Prov. 30. 8.

Hugo Card. ibid.

Est autem viro. Virum appellavit non casu : nam cùm plures ista verba legentes, de seipsis illa fuisse dicta putent, ac superbientes despiciant alios : hominum conditionem eruditos non exuisse monet vocans prudentes consueto nomine humano. Duplicem superbiæ gradum solemus discernere : primus est seipsos minimè nosse : secundus alienam excellentiam non percipere. Quid quæso pejus ? Primum anteferre delibero : quia si, Augustino docente, *hæc tota scientia magna hominis scire quia ipse nihil est per se, & quoniam quidquid est ex Deo est* : totam scientiam ignoratione sui perdidisse, summa cæcitas est, ac proinde superbia maxima.

42. *Seipsum non agnoscere major est superbia, quàm alienas excellentias quærere.*

S. Aug. to. 8. in ps. 70.

De filiorum Israël turgido fastu loquens ad litteram Isaias denigrat elationem nomine fumi : *convolvetur superbia fumi :* ubi à Lapi. *eorum superbia instar fumi dissipabitur :* & Pinto ibidem : *aspicis hic impiorum gloriam & superbiam fumo comparari.* Quid superbiæ cum fumo ? Aptius videbatur emble-

Isai. 9. 18. A Lap. & fr. Hector Pint. ibi.

ma nubes, quoniam sublimiùs elevatur, & quia solis, cui debet celsitudinem, radios audet obnubilare. Attamen ut Spiritus sanctus per vatem exaggeraret amplius Israëlicam elationem, non eam assimilat nubi: quia hæc non tegit visui nostro nos ipsos: sed alienam præcellentiam, scili. fulgorem planetarum, cælique smaragdinum nitorem. Æquiparavit propheta ventosam nimis arrogantiam fumo, qui luminibus admotus excæcat ita quod nec seipsum quisque cernat. Nubes ab origine sua longè posita se fert in astra nimiùm tumescens: hoc non tantæ materies admirationi. Stolidius multò quòd, cùm prope nos ipsos,& præ oculis habeamus lutum,quod vilissima fuit nostræ plasmationis matrix, vesana mens nostra

Baptista Mãtua.l.d.calamit. temporum.

Se superum genus esse putat, veterumque deorum
Semen, & à magno se jactat Apolline natam.

41. *Judicare de se difficiles de alieno crimine facilè.*

Prudentia. Duplex est hujus pars: alia proprias actiones moderatur; altera de alienis fert judicium.Secundæ satis imprudenter se credunt incumbere complures: at hæc minimè prudentia dicatur: præsertim quia de rebus suis nihil cogitantes aliorum facta examinare gestiunt. Adversus istos invehitur

Chrysos. to. 1.hom.28.in Gen.

Chrysostomus in hæc verba: *cognosce teipsum & tua delicta, nullus est qui vetet, sic enim & peccata tua emendabis. Quod si relictis rebus tuis sedes ad judicandum alios majores te, tibi ipsi colligere peccatorum sarcinas non sentis?* Infinitus penè judicum istorum numerus occurrit; vix est qui æquam facilè ferat in causa propria sententiam.Et si quando contingit rectè contra se judicare deliberat plurimo cum animi cruciatu, difficultate pressus; dum alienum autem dijudicat factum, nullo negotio decernit celerrimè. Velut illi qui præcoci manu fructus eos intempestivè carpunt, qui palato nimis arridents; & cæteros in quibus asperitatem verè primo experiuntur, seriùs colligunt postquam excedunt maturitatem: ita de alienis judicium præpropere, facileque ferunt, eò quòd sit hoc eisdem suave. Cùm de seipsis judicandum illis est, amaricari solet veritas: velut expectant quod maturetur: ideo valdè serum proferunt judicium.

Bis Dei nutu lego supplicium denuntiatum fuisse prophetali voce Jessæo Monarchæ: à Nathan ob adulterium Bethsabee, ac homicidium Uriæ: à Gad propter numerationem populi. Dei nomine locutus est uterque; sed non æquali stylo. Gad perspicuè; Nathan per circumloquium legatione sua functi sunt. Nathan,inquam, quasi delictum ulterius deferret ad judicium, proposuit parabolam de divite,qui tulerat ovem pauperis ut cibaret peregrinum: & quin postularet à rege vates ut illi diviti mulctam decerneret, sententiam mox David tulit, interrumpens,

2 Reg 12.4. 5. 6.

ut reor,verba vatis fortasse. *Tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini, qui venerat ad se. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum* &c. Postea jussit numerari populum rex idem: quâ superbiâ læsus Dominus per Gad ipsi flagella mittit ut eligat, & non tam citò responsum præbuit: imò suspicor vatem urgere Davidem ut deliberet. *Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam, ei qui me misit sermonem.* Deliberationem suam ille protulit: sed post anxietatem non modicam quam fassus est dicens: *coarctor nimis.* Tam velociter ad Nathan? adeo segniter ad prophetam Gad rex verba reposuit? Ratio est in promptu. Nathan in alieno capite causam exposuit, ut sententiam David pronuntiaret: de alienis sentire facillimum. Celeritas non latuit Sanctium ibi. *Perculit statim regis animum sceleris improbitas, & ex offenso animo erupit statim, quasi vibratum è nube fulmen,horribile judicium* &c. Gad nullo velamine tectum objecit negotium ipsius Davidis: de propriis non ita proclive solet esse judicium. Ex utraque judicandi ratione matura (de propriis, inquam, & alienis) componitur *prudentia.*

Ibi c.24.13.

Ibi n.24.

Sanct. in 2. Reg.12.4.

FLOS XXV.

Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis dabitur.

APERITUR.

PRo vero sensu textus investigando quærendum inprimis est, an sit duplex in hac sententia Salomonis antithesis: altera scili. quæ verbis exprimitur; altera quæ sub eis lateat, hoc est, quod timet justus non ei accidet; quod iniquus desiderat denegabitur illi. Sic subintelligendum litteraliter asserunt Cornel. uterque. Tamen hoc eorum placitum non mihi valdè solidum visum est. Si nobis ita licet exponere: similiter in pluribus aliis effingemus alterum tacitum sensum, & ferè novam latentem Scripturam addemus verbis textus. Illud solum igitur effatum, quod titulo manet expressum, hîc intelligo. Pleraque sunt, quæ solus timet impius: & ista dicuntur ventura fore super ipsum. Sic & multa reperies, quæ solus cupit justus: & hæc eis donanda promittuntur. Timet,inquam,scelestus fortunarum jacturam, potentum aversionem, charorum necem, maledicorum linguas, hostium offensas. Ista super eum venient; non supra justum, qui nihil horum pavet: nam sortis bona sibi commodata novit, ut restituat successori: potentum faciem non sollicitat: dilectos dum falce mortis auferuntur, præmitti credit potiùs quàm deperdi: maledicentium voces non majoris facit, quàm vacuis montium cavernis elisum echo: nullos inimicos numerat præter eos, quos valemus reddere nostri pavidos (scili. dæmones) & illos qui nobis nocere nequeunt nisi velimus, nempe vitia. Uno verbo dicam: quia justus Deum timet, nihil pavet, quod inter humana computetur. Ideo consulebat S.Augustinus,

A Lapide & Janse. hîc.

S. Aug. to. 8 in ps. 63. guſtinus, inquiès: *quod ſupra homines eſt time, & homines te non terrebunt: mortem ſempiternam time, & præſentem non curabis.* Similiter extant permulta quæ juſti deſiderium commovent; peccatoris verò nequaquam: & ut Caſſiod. l. 4. epiſ. 25. Caſſiodorus ait, *in qualitate deſiderij poteſt mens honeſta cognoſci.* Cupit, inquam, juſtus laboribus exerceri, virtutibus ditari, vitæ peregrinationem finiri, & ſimilia quorum tædet iniquum: hujus namque vota feruntur aliorſum. De utriuſque pectoris ardoribus judicabit ſint-ne laudabiles vituperiove digni, qui attenderit cujus offerantur conſpectui: nam ſi Deo præſententur fere cuncti recti ſunt: idcirco forte dicebat David: Pſ. 37. 10. 2. *Domine ante te omne deſiderium meum.*

Quod timet impius. Nomine impij accipit Gloſſa interlinearis eum qui peccat ſcienter: nam hic eſt inſigniter nequam: & D. Greg. M. to. 1. l. 12. moral. c. 21. *apertus damnationis teſtis eſt ipſe timor iniquitatis, quia & timetur quod agitur, & tamen malum non vincitur quod timetur.* Verba ſunt M. Gregorij. Præſumptione capitur is qui ſcienter delinquit: majorique proinde ſupplicio dignus eſt. Optimo jure diſciplinâ ſeveriori caſtigari pertimeſcat, eò quòd ſic peccans aditum obſeravit pœnitentiæ, ne tam citò corde admittatur peccati deteſtatio. Idem 3. p. Paſtoral. admonit. 33. *Admonendi ſunt*, ait idem S. Doctor, *qui in culpa ex conſilio ligantur, quatenus provida conſideratione perpendant, quia dum mala ex judicio faciunt, diſtrictius contra ſe judicium accendunt, ut tantò eos durior ſententia feriat, quantò illos in culpa arctiùs vincula deliberationis ligant. Citius fortaſſe delicta pœnitendo abluerent, ſi in his ſola præcipitatione cecidiſſent. Nam tardiùs peccatum ſolvitur, quod per conſilium ſolidatur.*

Veniat ſuper eum. Non è regione gladium venturum ſupponit; ſed potius deſuper: ut ſic inſinuetur peccatorem non cernere flagellum, niſi cum jamjam imminet capiti: Quinimo ſæpe nec tunc ſuſpicit illud: quia ſomno ſopitus non niſi poſt ictum animadS. Aug. to. 8. in pſ. 75. vertit ſe flagellari. *Modo dormiunt*, inquit Auguſtinus, *& iratum non ſentiunt, ſed ut dormirent iratus eſt. Modo quod dormientes non ſentiunt, & in fine ſentiunt: apparebit enim judex vivorum & mortuorum.* Ideo de ſupplicio quod timet impius non eſt cur dicatur veniet contra eum, quia palpebris clauſis illud non intuetur; ſed cùm ſupra caput experitur enſem, tunc eum obſervat.

3. *Deſiderium.* Sumitur pro deſiderato. Quæſtio fieri poterat an de amore temporalium, an verò de cæleſtium ſiti ſermo ſit. Nec dubito de bonis animæ præſertim agi: neque video cur hinc excludamus licitum affectum eorum quæ pro finibus rectis conſequendis neceſſaria ſunt.

Suum. Ne putes illud, *ſuum*, ſuperabundare: quoſdam enim reperies deſideriis flagrantes alienis: & ſunt ij qui ſerviunt adulationi: quorum ſic miſeriam flebat lepidè Seneca. Sen. l. d. brevit. vitæ. c. 19. *Omnium quidem*, ait, *occupatorum conditio miſera eſt: eorum tamen miſerrima, qui ne ſuis quidem occupationibus laborant: ad alienum dormiunt ſomnum, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odiſſe, res omnium liberrimas, jubentur.*

Juſtis. Deſiderium in ſingulari dixerat; cùm pluraliter de juſtis agat. Nihil refert hoc: nec timendum quòd, cùm idem ſit præcipuum juſto cuilibet votum, non omnibus res amata ſufficiat. Unicum eſt ſummum bonum quod enixè cupiunt, & à multis poſſeſſum non imminuitur. Non ita mundanorum deſideriis accidit: quibus cum verè dicat Stoicus: *punctum eſt iſtud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſponitis:* ideo Idem, l. nat. q. in præfa. quia ſinguli anhelant univerſa, non ſufficit omnibus quod expetunt. Inde fit quod neminem audiamus dicentem: ſatis eſt; imo poſt Occeanum epotum ſiti perurgentur. Horum cuivis verbis Chryſoſtomi clamare poſ- Chryſoſ. ſemus: *quid ad iſta, quæ abjectiſſima ſunt, to. 4. hom. inhias? quandiu inops eris? quandiu pau- 11. in ep. per eſſe perſiſtes? In cælum aciem intende.* 1. ad Timo.

Dabitur De beatitudine patriæ cùm hic præcipua mentio habeatur: attamen dicitur donata; quamvis illa divinæ juſtitiæ lege abſque argento comparetur ab illis qui rationis uſum attigere. Pretioſiſſima fœlicitas ea tanti valet, ut empta ſudorum (imo diutini Martyrij) pretio comparata, gratis accepta videri poſſit. Ne tamen excidat è mente quod venundari ſolet bonorum operum nummis, prout cuique conditio ſua permittit. Ipſam rex emit ante Dei pedes mittens coronam, quâ redimitur eius caput; venditur éadem gloria ſolitario abnegatione rerum quas apud ſæculum habere poſſet: emitur à ſervo, à Domino à paupere, à divite: ſed à ſingulis juxta facultates. Venditor non exigit à te pluſquam valeas: trade quod habes, & appendiſti ſufficiens. Appoſitè Auguſtinus: *venalis eſt vita æterna, eme ſi vis, nec multùm exæſtues de re magna propter pretij magnitudinem: tantum valet quantum habes.* S. Aug. to. 10. ſer. 64. d. verbis Domi.

DELIBATIO I.

Expenditur univerſale judicium, quod timet impius, *& quaſi* deſiderium ſuum juſtis *eſt.*

4. QUid ſit illud quod impius timet non expreſſit in præſentiarum Salomõ: ideò diverſis patet locus expoſitionibus. In primis ad verbum, *timet*, ait Gloſſ. ordi, *timet impius videre diſtrictum judicem:* & con- Gloſſ. ordini Prov. 10. cinit Interlin. ibi: *diſtrictio judicij.* Quam 24. Interli. ibi; interpretationem dum verſarem, adnotabam probabile quod idipſum hoc loco dicitur impio materia timoris, & juſto deſiderij. Sumo conjecturam ex eo quod inter unam & alteram hujus pronuntiati partem non interijcitur adverſativa particula, ſicut aliàs in hoc ſcribendi genere Salomoni ſæpe mos eſt. Apud S. Proſperum, in diem judicij ſpem juſtorum dicitur f rri. *Securi igitur* S. Proſp. *diem judicij expectant, quibus in cruce Domi-* l. 1. d. pro- *ni gloriantibus mundus eis crucifixus eſt, &* miſſ. & præ- *ipſi mundo.* Hæc animum induxere, ut nunc dict. c. 16.

quædam de formidabilis judicij die proponerem : quamvis enim horrenda illa cataſtrophe metum inijciens quemlibet facundum etiam, reddat mutum : ſæpe tam proficuus pavor augetur dum iſta calamo depingimus. Picta dixi : nam quantumlibet rem verbis amplificemus : attamen ſi futuro univerſali examini comparentur hæc, ab eo diſtare, quaſi coloribus expreſſam imaginem ab ipſo figurato, probè noſti : niſi ex illis es, qui ſimilia dicta putant hyperbolicè, & ut Chryſoſtomus inquit, *quæ de futuro judicio dicta ſunt, fabulas arbitrantur, & minas illas riſus ducunt.*

Chyſoſ. to. 4. hom. 9. in 1. ad. Cor.

In ſolemnis triumphi die, quo Senatus Romani decreto, militum conſenſu, populique ſuffragio ſubactis hoſtibus, fauſtâ pompâ clarus, alacrium pugnatorum cinctus agminibus, mæſta præeunte vinctorum turbâ lauriger efferebatur : ipſius, inquam, diei mane ſummo : quânam putas animi promptitudine milites in acie mavortij Herois fortunati ſocios, quietem reliquiſſe ? Quâ verò cordis anxietate reſiſtente, vinctis à tergo manibus hoſtes, eodem tempore, ſuæ captivitatis carcerem, licet inviſum, deſeruiſſe credas, ut in publicis illis honoribus multo cùm dedecore ducerentur ? Liceat parva componere magnis. Victor ſuperatis adverſariis Princeps pacis pompâ celebri, multoque circumſeptus ducum & militum agmine detriumphaturus adveniet : cateniſque ſimul colligati pertrahentur ij, qui Domino exercituum rebelles pugnare contra ipſum veriti non ſunt. Beatis diem judicij fore letiſſimam, noverunt jampridem ipſi : tum quia coronam tandiu peroptatam accipient in ea ſolemniùs : tum quia laborum ſodali, corpori ſcili; reuniti gaudebunt quòd hoſtem in amicitiam numquam finiendam receperint : tum, & præſertim quia Divinæ gloriæ jubar tunc ſplendeſcet coram totius orbis concilio. Amicis ergo judicij dies parum abeſt ut nimiùm abeſſe putetur præ deſiderio : ſed *deſiderium ſuum juſtis dabitur.* Dei hoſtibus econtrario valde properare videbitur præ timore : nihilominus *quod timet impius veniet ſuper eum.*

5. Dies judicij juſto videtur morari ; malo verò feſtinare.

Apoſtolorum Princeps agens de mundi fine, vocavit illum tempus reſtitutionis : forte quia reſtitutio juxta Theologorum doctrinam, nihil aliud eſt, quàm reductio ad æqualitatem ſublatam per damnum infflictum, vel acceptionem alienæ rei : & quæ modò plorantur à tot læſis inæqualitates, reſarcientur in magni judicij die. *Jeſum Chriſtum*, inquit Petrus, *quem oportet quidem cælum ſuſcipere uſque in tempora reſtitutionis omnium :* commentatur Liranus : *reſtitutionis omnium, ideſt extremi judicij, in quo omnia reducentur ad ſtatum ordinatiſſimum ſecundùm lineam Divinæ juſtitiæ.* Sed adhuc in illo nomine reſtitutionis emphaſim altiùs latêre putabam, quam ſic expono. Reſtitutionis ejuſdem tempus creditori videtur ſerò venire ; debitori verò citò perveniſſe. Prior dies computat velut annos ; poſterior velocitatem ſubterlabentis horæ miratur : unuſquiſque pro ſuo, vel timore, vel deſiderio de temporum decurſu judicat. Sic erga judicij finalis diem ſe gerent cæleſtis Jeroſolymæ cives, & infernalis cuſtodiæ triſtes incolæ : hi cùm ferali tubâ vocati aſcenderint, citò adventaſſe credent lucem illam, quam in umbrâ mortis poſiti reformidabant ; illi verò fere putabunt ſeram illuxiſſe diem, quam ſummopere cupiebant. Meritò reſtitutioni judicium æquiparatur : *uſque in tempora reſtitutionis.* Ad illud pſalmi : *Deus manifeſte veniet*, ait S. Hieronymus : *in die judicij Deus manifeſte veniet.... ignis in conſpectu ejus ardebit. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat enim & exurit. Gaudeant juſti, quia illuminantur ex eo. Timeant peccatores, quia exurendi ſunt ab eo.* Et idem alibi : *ſicut enim impietas magni Dei reformidat adventum, ita pietas illum præſtolatur.*

Act. 3. 20. 21.

Liran. ibi.

S. Hieto. to. 8. in pſ. 49.

Idem. to 9. l. in epiſ. ad. Titum, c. 2.

O quàm atrociter præſtolatione torquebuntur impij diem pertimeſcentes extremam! Spem deſiderati boni corda torquere norunt omnes ; attamen complacentia rei quæ in votis eſt, dolorem iſtum valde lenit. Hoc levamine caret expectatio mali quod timetur. Sui metipſe tortor, judex & accuſator, metus eſt : nulloque minuitur medicamento anxietas rei miſerrimi, qui damnationem ſuam pavore accelerat. Quin potius Cicero dixit : *plus in metuendo eſt mali, quam in eo ipſo quod timetur.* Expectato judicio ſi conferas gehennam, dicam impium plus illo, quàm incendio cruciari : nam uſtionem patitur ab igne ; angore venturi examinis torquetur à ſeipſo. Cùm acerbior ſit quiſque ſuimet ipſe vindex : ideo malos ampliusexpectatione judicij vexari puto, quam gehennali fornace.

6. Expectatio judicij peccatoribus terribilior quàm damnatis flamma.

Tull. A Terqu. fam. l. 6.

Denuntians Apoſtolus quiſnam ſit peccati fructus, duo Hebræis aſſignat. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia : terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Per hunc ignem accipit Lira eum quô damnati cremandi ſunt in æternum : *quæ conſumptura eſt*, inquit, *adverſarios eos æternaliter cruciando.* Non ideo tamen Paulus hunc ignem terribilem dixit ; expectationem verò judicij Divini maxime. Quidni dixerim hanc eſſe flammis gehennalibus horribiliorem ?

Ad Hebræ. 10. 26. 27.

Liran. ibi.

Vtinam hæc, quæ nos adeo terret, medicina ſit anceps & gelida formido. Rationali menti poteſtas ineſt futura coram propriis oculis ad nutum ſiſtendi, cum libet. Quandiu differtur dies iræ, nonnihil de illa meditemur : proderit enim præſentem putaviſſe lucem, quæ cordis noſtri penetralia tunc palam revelabit ; nunc autem dum cogitatione verſatur, ad recti ſemitam ducet. Summus cauſarum Arbiter poſtquam advenerit hora cunctis arcana, *mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna :* Sed ut affirmat S. Remigius vox Archangeli tuba eſt : *hæc autem*, ait ille, *tuba non revera corporea eſt intelligenda, ſed archangelica vox.* Longiſſime differre videtur utrerque ſonus : nam claſſicum horriſono clangore crepat ; vox autem angeli ſuaviſſime recreat ut plurimùm : angelica verba tuba dicuntur ?

7. Cali vox perſonat multis diverſi modè.

Matth. 24. 31.

D. Remig. ad eum locum.

Exiſtimo

Existimo quòd hujusmodi sonitus pectoribus audientium ita se conformet, ut pro eorum duritie, seu lenitate, diversum strepitum edat: raucum scili. Quasi belligeræ tubæ stridorem audiet malus, & aperiet serus aures ad id *quod timet impius*; dulcisonam, velut modulantis angeli vocem percipient ij de quibus hic dicitur *desiderium suum justis dabitur*. Cum gaudens antris personat echo loquax, juxta nemoris, rupisve situm, frustra geminat fracta verba loquentis hæc inanis imago. Sic Archangelus ad judicium avocans melos erit amœnum cæli civibus; orco vinctis quasi funesta buccina reboabit. Hæc est vocum cælestium indoles: insonant secundùm audientium dispositionem; alteris quidem sic; aliis multum aliter.

Cum jam Dominicæ passionis prælium appropinquaret, Assertor lib rtatis humanæ Patrem orabat ut nomen suum claritate
Joan. 12. 28. donaret. *Venit ergo vox de cælo: & clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: angelus ei locutus est.* Cernis quàm diversum tulere de unica voce judicium qui aderant in eâdem circiter distantiâ! Quid angelo atque tonitruo? an non fuit articulata vox? Et
Chrysost. to. 3. hom. 66. in Joan. resonat more tonitrûs? Audi Chrysostomum: *nunquid manifesta & clara fuit vox? Fuit sane. Verùm crassior turba erat, & terrenis dedita, & parum attendens, & alij sonum tantùm, alij vocem articulatam audierunt, sed non intellexerunt.* Carnales fragorem putaverunt nubis fractæ, nam eorum cor nubila tenent; alij qui fœliciter emersérant ad lucem, mitique pectore cælitus delapsam excepere vocem, reputaverunt angelicam. Juxta inæquales dispositiones intonat variè cælestis vox hominibus, quamvis unica multis emittatur. De tuba ferali quæ totius universi coget cœtum ante thronum, sic
Idem, to. 2. hom. 77. in Matth. puto, ducente Chrysostomo. *Erit autem tubarum sonus ad exsuscitationem, ad gaudium; ad exprimendum rerum stuporem, ad dolorem eorum qui relinquuntur.*

8. *Vt lætam spem beatitudinis concipias, nunc te statue ad sinistram Dei.* Matth. 13. 49. Postea quam evocata confluet undique tota progenies Adamidum ad theatrum *exibunt angeli & separabunt malos de medio justorum*: plurimos à sinistris Divini Iudicis venturi statuent; plures constituent in parte dextra. O quot nunc putantur dexterâ potituri, qui ad sinistram detrudentur! *Quantorum sperata pudicitia in die iudicii dehonestabitur!* Quod his verbis de castitate pu-
S. Hiero. to. 3. ad Fabiolam ep. 2. de veste sacerd. fin. tata dixit Hieronymus, de aliis virtutibus meditare. Quàm permulti, qui nunc inculpatam viam sectari videntur, tunc eo quòd perseverare non curaverint, perditissimis addicendi sunt! Non spem tibi dissuadeo meliorem; sed fiduciam superbam. Vt hilari præstolatione dexteræ Dei vitalis peregrinationis labores allevies, ad sinistram Divinam te nunc profundâ cogitatione siste ut, filiali timore concepto detesteris crimina, quibus potes ibidem in die judicij coactus inveniri.

Ps. 15. 8. 9. *Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commovear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.* Præmittendus Liran. qui hujus initio psalmi sic habet: *secundùm se ipsum litteralem psalmus iste loquitur de resurrectione Christi, & eius exaltatione ad dexteram Dei. Licet autem moraliter posset exponi de quolibet Christiano, qui est de numero electorum, videtur tamen mihi exponendus magis propriè de corpore Christi mistico accepto pro Ecclesia de Gentibus collecta.* Liran. ad hunc ps. in princi. Deinde notandum spem de quâ citato versiculo, non solùm esse illam quâ post requiem corporis in sepulchro gaudet anima de resurrectione gloriosa: sed eam quam ligata modò corpori fovet erga cælestia. Et ne libere dictum judices hoc placitum, niti potest in eo quod ipsi corpori tribuitur etiam spes: *caro mea requiescet in spe*: spem autem caro sepulta non habet, cum sit rationis & sensus expers: ac proinde non incongruè textus de spe quam justus alit dum vita manet, accipi valet. His positis. Juvat inquirere quomodo qui Deum providus in conspectu suo habere curabat, eum à dextris meditatur: *à dextris est mihi.* Prudenter David cujuslibet electi nomine loquens Deum sibi à dextris adstare cogitat, ut sic ad sinistram Domini positum se perpendat, & anticipatâ meditatione constitutus damnatorum loco, perhorrescat. Et quid inde lucri? Plurimum equidem. Illinc namque nascitur quod lætitiâ perfuso cordi spes insit adeo placida, ut in hâc quiescere possit à vitæ molestiis: *propter hoc lætatum est cor* &c. Timeant sinistram etiam illi qui nunc dextro calle pergere seipsos experiuntur: & pareant ne post male nixam confidentiam, tunc illam deponant, cùm fere clausa fuerit janua. Incerto nunc viæ termino carpimus iter: sed *satis delicate nobiscum agitur, quando in potest[ate] nostra datur qualiter judicemur*, inquit optime S. Eligius. S. Eligius

9. *Durum est experiri adversum id unde sperari posset benignitas.* Facta separatione inter hœdos & agnos, tunc, vel paulo priùs apparebit crux præfulgens. *Crux enim*, ait Chrysosto. *Sole fulgentior videbitur.* Quamvis hæc verba sonent ipsam crucem appariturum esse, quâ Salus mundi pependit: incertum hoc est: asseverant etenim S. Anselmus, D. Antonin. & S. Thom. non ipsam fore, sed aliam ex aëre compactam crucem de qua dicitur: *parebit signum Filij hominis.* Crux est spei nostræ constans anchora, sed væ nobis quid ad judicij diem reservamus hanc tenére ne perire contingat. Aërea tunc temporis erit confidentia sicut juxta prædictos Patres, crux in luce postrema videbitur ex aëre. Chrysost. to. 2. hom. 77. in Matth. Matth. 24. 30.

Ad crucis conspectum *plangent omnes tribus terræ*, inquit ipse Dominus. Et usque tunc non defluebant lachrymæ? ut apparuit lachrymantium solamen, crux nempe, tunc incipient lamenta? Non immerito: quia crux accusatoris vice fungetur: ac durissimũ est adversum tibi pati quod expectabas præsidium. *Tunc plãgent omnes tribus terræ. Tunc lugebit omne genus, infidelium videlicet. Hi quidem quod Deum crucifixerint, illi autem, quòd Christianos punierint: rursum isti quod nõ crediderint. Neque enim alia est eis opus accusatione* Ibid. Euthym. in cum locum.

fatione præter crucem. Hæc Euthymius. Quòd nos accusaturæ sint dæmonum turmæ, necnon & quæ perperam dileximus, non adeò acerbum: quid enim ab hostibus, vel manifestis, vel occultis, expectabas? At accusatorem pati crucem quisnam sustinebit? crucem, inquam, naufragorum tabulam! infirmantium baculum! dimicantium lanceam! Durum supplicium delinquentibus est ut experiantur id sibi contrariari, quod ipsis fuerat ante refugium.

Isai. 5. 25. Apud Isaiam proponitur indignatio Domini sic adversùs Hebræos. *Ideo iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes.* Cùm legerem furorem Domini, montiumque conturbationem, invenire putabam inter hæc fulgorum coruscationes, vibrationem fulminum, ignitas pluvias, gladios, jacula, sagittas. Video præfatis verbis de sola manu Domini mentionem fieri. Sed ne majus quæras, quam ipsa manu Dei cædi eos: apud quam, si justi forent, benignam protectionis umbram reperire valerent, juxta illud ejusdem vatis *in umbra manus suæ protexit me.* Sagittæ, jacula, gladij, flammæ, fulgura, fulminaque, nulli præstant obumbrationis auxilium: minus grave judico istis feriri, quàm divina manu, quæ solet umbraculo dilectos protegere. *Extendit manum suam* &c. Spei nostræ fulcrum, optimæ umbræ arbos crux est: hanc accusatricem experientur in judicio peccatores, in gravem delictorum pœnam. Et, si quod malus non timet (scili. Sanctissima Crux) anxios tunc reddet sceleratos: quid erit cogita: cùm id, *quod timet impius veniet super eum.*

Ibi c. 49. 2.

DELIBATIO II.

Ad finem perducitur extremi judicij meditatio.

10. *A facie irati Dei quàm trepidet reus culpæ!*

PRæmisso nostræ salutis vexillo, triumphator victrici radiorum pompâ coruscans, læto Sanctorum exercitu stipatus Dei Filius orbem dijudicaturus accedet. Ad cujus faciem iratam impij tremiscent. Ecce *quod timet impius veniet super eum. Nam si quis est,* ait Chrysostomus, *qui sensu ac mente præditus est: is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quàm adverso Deo stare.* Adeo exanguem terrorem incutit improbo Dei facies visibilis irata, ut extra se velut positus, fatuo similis operetur.

Chrysost. to. 4 hom. 5. in c. 3 ad Roma.

Gen. 3. 8. Meministi quid fecerit Adam, alioquin valdè sapiens. *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei* &c. Quærunt interpretes utrum Adam putaverit se posse latêre Deum ubique præsentem, & omniscium. Rupertus ait. *Nam iste vetus homo longe alio sensu abscondit se à facie Domini Dei, malè de oculis omnia videntis sentiens.* Hoc sibi persuasit absurdum Adamus ita sapiens, ut quæstio sit inter Theologos an excesserit Salomonem? Timorem credo mentis organa velut interturbavisse; nixus Augustini dicto. *Et absconderunt se Adam & mulier ejus à facie Domini in medio ligno, quod est in paradiso. Cùm Deus avertit intrinsecùs faciem suam, & fit homo conturbatus, non miremur hæc fieri, quæ similia sunt dementiæ per nimium pudorem, ac timorem.* Et quid fuit in causa ut Protoplastum tantus caperet metus? Visibilis assumpta facies judicis Dei, quam iratam videre non sustinebat rei pavor: nec enim Protoparenti visibiliter apparuisse Deum corporali & humana figura cum sententiam protulit adversus eum, ignoras. *In specie*, ait Caietanus, *sensibilis hominis apparuisse Deum describitur, ex eo quòd describitur tum loquens, tum ambulans, tanquam ad refrigerium percipiendum ex aura diei, tum formidatur corporaliter ab Adam, & Heva absondentibus se.* Non à flagello dixit Moyses aufugisse malos servos Domini, sed à facie? quid reprobis accidet in die judicij cùm faciem severitate minacem viderint judicantis offensi? *Fugiebat Adam ut absconderetur ab eo post unius utique pomi vetiti gustum: quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus?* Sic Bernardus. Præsumimus modò; tunc nihil præsumptionis perseverabit: sed unicuique serò nimis apparebit quid illi profuerint somnia sua.

opere 6. dierum disp. 7. n. 17.

D. Aug. to. 3. l. 11. d. Gen. ad litt. ca. 33.

Caietan. in Gen. 3.

S. Bern. ser. in illud l. Job: in 6. tribulationibus &c.

11. *Gravior culpa delinquētiū post vulnera Domini.*

Faciem judicij indignati declinare cupient in illa die mali? *levius æstimantes absorberi voragine inferni, quam sustinere vultum Dei irati.* Jam foliorum tegmen (ut Adam quondam) quærere non licebit. Ad summum fulgorem divinæ majestatis perculsos demittent oculos: & sic, velint nolint, offendent Redemptoris vulnera sacrosancta: quæ quidem ora tunc erunt ut exprobrent ingratitudinem: jam non ad ingressum patentes januæ. Lumina claudere non sinet improbos pavor, qui maximè vigil, & rerum scrutator solet esse. Videre autem mitissimi nunc; sed illa die severissimi, Domini plagas, quarum fructum perdidere volentes, erit eis vix tolerabile malum. *Prima enim*, ait Eusebius, *erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum.* Hujusmodi, prout reor, decretum & ipsi damnandi proferent contra se. Rem inauditam; sed veram, quòd judex in causâ propriâ validum judicium ferat. Jus, inquam, sibimetipsis dicent, illi præsertim, qui post Dominicam Passionem deliquere, suorum scelerum gravitatem damnantes. Circunstantia quippe dicenda pondus augens delicti, quod in Deum pro te vulneratum peccaveris.

Guerri. Abb. ser. 4. d. S. Benedic. prope fin.

Euseb. hom. 4. ad monach.

Negat correptus pavore ter Petrus Magistrum: dubitat semel de resurrectione Thomas: non tamen illum, sed hunc video Domini reprehensione feriri. Præteritur à Salvatore crimen triplex? & increpatur unicum? *noli esse incredulus.* Præponderasse judico circunstantiam quandam in peccato dubitantis Apostoli, ne Servatoris evaderet objurgationem. Petrus negavit antequam sui Principis amor quinque vulneribus insigniretur in prælio; Thomas autem post manuum, pedum, ac lateris apertionem offensam

Joan. 20. 27.

Rup. l. 3. in Gen. c. 12.

Videri potest Arriaga de

sam intulit amantissimo Præceptori : non erat cur non coram aliis increduli notâ fugillaretur. Hæc suorum criminum qualitas non latebit eos qui post redemptionem lapsi sunt : & hinc augebitur dolor ex omissione remedij non mediocriter.

12. *Pudor maximum supplicium.* S.Ephr.l.4. d. pœnit. c. 4.

Cùm tandem sederit in solio Supremus Arbiter, aperientur conscientiarum libri, & manifesta erunt abscondita cordis nostri. *Formidabiles libri*, ait S. Ephrem, *in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, & verba, & quæcumque egimus in hac vita ; nec solum actus, sed & cogitationes, & intentiones cordis.* Vel de conscientiis loquatur magnus Pater, vel de scientiâ Dei, perinde est ad malorum confusionem, semel quòd ea, quæ nunc tecta sunt involucris, in adeo solemni theatro cunctis palam fient. *Quid tunc nobis miseris fiet*, Chrysostomus inquit, *cùm omnia orbi universo palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata omnium oculis subjicientur ?* Illa die falsum erit effatum Demosthenis : *rubor virtutis color est* : nam pudore afficientur improbi : & quæ posset cùm vita manebat culpis obstare verecundia, tunc erit irreparabile supplicium. Verè dixit Ambrosius de castissima Danielica matrona : *tacebat in periculis Susanna, & gravius verecundiæ quàm vitæ damnum putabat.*

Chrysost.to. 4.hom.5. in ep.ad Roman.

Demosth.d. Republ.

S.Ambr.to. 4.l.1. d.offic.c.19.

Et ne de sola innocentia putes hoc verificari, lege de sceleratissima civitate Jerusalem dicentem Dominum per Jeremiam : *defecit anima ejus : occidit ei Sol cum adhuc esset dies : confusa est, & erubuit.* Supra defectum animæ vide quid addat quasi majus : *confusa est & erubuit.* Orationis lex postulat, ut cùm doloris motiva numerantur, à minori procedamus ad maximum : non enim congruè superadditur id quod inferius est. Quonam ordine styli Spiritus S. instillat verba Dei vati ? Divino sanè : quippe quô denotatur confusionem erubescentis aliquid esse defectum animæ superans : *defecit anima ejus.... erubuit.* Malorum in die judicij, propter noxarum apertam notorietatem, pudor illos vexabit adeo quòd S. Basilius dixerit : *gravior quàm tenebræ, quàm ignis æternus, erit ille pudor.*

Jerem.15.9.

S.Basil.orat. 23.

13. *Cupit-ne Deus nostra nescire scelera, si fieri posset ?*

Post librorum apertionem, Rex tremendæ majestatis, omni clementiâ sepositâ, incipiet rationem ponere cùm bonis ac malis famulis, usque ad novissimum quadrantem. Illic exigetur à nobis quid lucrati simus ex usu rationis ? ex ingenij acumine, beneficiis, tribulationibus &c. Imò cum anni singuli 8760. horas contineant, de omnibus ratio reddenda est. Et mirabar quod ita minutatim ab ipsis reis disquisiturus sit quid ad ista respondeant cuncta noscens. Inquirendo profitebitur, se adhuc illa furoris die servare desiderium quoddam nesciendi culpas hominum : cùmque nescientis proprium sit interrogare, delinquentes velut examinabit, quasi reatus eorum ignorasset.

Marc. 11. 13.

Apud Marcum Evangelistam sic narratur de Christo Domino. *Cumque vidisset à longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in ea.* Inveniens illam fructu vacuam, arefecit : quo prodigio vulgò notum est aliquid signari de peccatorum supplicio : *esuriens in sicu fructum quærit, cuius nondum tempus esse novit, & tamen eam perpetua sterilitate damnavit, ut ostenderet plebem Judæorum propter folia, idest verba justitiæ, quæ habebat sine fructu, idest bono opere, non posse salvari, sed scindi, & in ignem mitti.* Latebat-ne Dei Filium quod lignum illud fructu careret ? Neutiquam. Utquid examinaturus accedit folia ? Mysticum persequere sensum. Hominum aliquorum supplicium figurabatur hic, qui bonorum operum fructibus expertes reperiendi sunt, ideoque vindictæ divinæ suberunt. De sterilitate hâc tanquam nihil scire cupiens, ad modum se gessit prorsus ignorantis. Adhuc etiam inter illius terribilis diei vindices iras hoc pietatis vestigium relucebit.

Cate. D.Th. ex Beda in Marc. ibi.

14. *Vellet-ne Deus ut sententia sua contra scelestos invalida foret ?*

Nec demireris me clementiam in die pavendi judicij quod exhorrescunt etiam sanctissimi, vestigare ausum. Judicium quidem erit sine misericordia ; Judex tamen divinus immisericors esse nequit : non enim deponere potest rem tam sibi propriam, ut peccatorum ultio videatur ab ipso velut aliena, seu à nobis desumpta ; miseratio verò non sic. Audi S. Bernar. *Nam quod indicat & condemnat, nos eum quodammodo cogimus : ut longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animadversio procedere videatur.* Et post pauca : *sed eò magis quod miserendi causam & originem sumat ex proprio ; judicandi vel ulciscendi magis ex nostro.* Unde affirmare ausim Deum ita judicaturum delinquentes, ut vellet in seipso judicis officium impedire, sententiamque damnationis (fieri si posset) validitate carentem proferre.

D.Bern. ser. 5. natal. Domi.

Minaciter Deus per Malachiam sic locutus est. *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris* &c. quæ verba de judicio finali S. Augustinus accipit, dum ait : *& ero testis velox. Testem se dicit futurum, quia in judicio suo non egebit testibus. Eumque velocem, sive quia repente venturus est, eritque judicium ipso inopinato eius adventu celerrimum, quod tardissimum putabatur* &c. Quî stare potest, ut judicis, testisque munere simul fungatur Deus ? In causis judicialibus humanis, qui testis est, arbiter insimul esse non valet ; ne sententia nullius existat valoris. Hoc prudentiæ dictaminibus valdè conforme deficiet in æquissimo tribunali ? Ratio dubitandi solvit nodum. Ita Deus per vatem de postremo judicio prædixit ; quia sic ejus benignitas illam severitatem cupit æquitate salvâ devitare, ut si fieri posset sententiam adversus impios nullificaret.

Malach. 3. 5.

S.Aug.to.5. l.20.d.civit. Dei c.26. fine.

Facit tex in c.Dilecto.d testi. & c. Forus de verb.sig. & c. nullus 1. & 2.4.q.4.

15. *Si times judicium Dei, cura quod plus paveas.*

Hæc est miserationum Domini clemens humanitas, cui tunc præripiet locum justitia ; nunc verò, dum patet janua, non solis brachiis expansis, sed insuper comminatione futuræ districtionis invitat. Ex ulnis in cruce pectus offerentibus veniæ spem erimus : nobis fiduciæ satis superque. Vellem ut qui metum fatemur extremi diei, postularemus adhuc à Domino formidinem. Nunquam putet quisque sibi multum horroris inesse : plus expetat salubris pavoris.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis Ps.118.120.

enim tuis timui. Timebat judicium, & orabat sibi concedi timorem? S. Prosper ad hunc locum. *Si jam timuit, vel timebat, cur adhuc ut à timore suo Deus crucifigeret carnes ejus orabat, nisi quia addi sibi volebat timorem, qui sufficeret mortificandis concupiscentiis, affectibusque carnalibus?* Putabam quod ex timore judicii Dei, quem David erat expertus, gradum faceret ad flagitandum spei augmentum quâ timorem levius ferret, ac à desperatione longius abesset. Non spem hoc expetit loco, sed timorem, quia spei satis habere credebat; metum verò de judiciorum Dei acerbitate, licet agnosceret non sibi deesse, tamen avebat incrementari. Nihilominus timorem frustraneum, seu malum cave, de quo dicitur hîc: *quod timet impius veniet super eum.* Sceleratus etiam diem judicii pavet; sed forsan ait: liberiùs peccarem, si non esset futura sententia pœnalis. Justorum potius æmulare metum, qui delicti suadet horrorem: & sic paulatim fiet ut sis unus ex iis, de quibus dicitur: *desiderium suum justis dabitur.*

S. Prosp. in ps. 118. ibi.

DELIBATIO III.

Damnatur nimius pavor mortis.

16. *Non formidat mortem qui jugiter meminit illius.*

PLura sunt de quibus verum habet sententia quæ lucubrationibus nostris pro nunc thematis locum obtinet. Inter illa numeratur & mors, quam utcumque *timet impius.* Eam plurium supputatione facta malorum Cornelius à Lapi. hic expressit, ubi post alia dixit: *carcer denique ac mors ipsa: hæc enim omnia scelus meretur.* Et in secunda versiculi parte, desiderium justorum ad mortem fertur juxta Gloss. interlin. quæ verbo *Desiderium*, id explicat utens voto Pauli: *cupio dissolvi & esse cum Christo.* Habes igitur hoc loco nimium pavorem obitus proprium esse iniqui; non verò justi. Conscientiæ rectæ disparitas diversum parit de morte judicium. *Quod si terribilis apud viventes æstimatur*, ait Ambrosius, *non mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, qua unusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit.* Justus ait: *quis me liberabit de corpore mortis hujus? Educ de custodia animam meam.* Peccator econtrà gaudet ergastulo mortali: quia cùm sit mortis æternæ reus, exeuntem de carcere manent immortales cruciatus. Illud stupeo, quòd cum adeo pueriliter contremiscat interitum, hujus vix ei subeat recordatio. Sed existima quod ideo pavet sepulchrum, quia memoriam sepelivit illius: quod à contrario sensu colligitur ex illo Senecæ: *mortem ut nunquam timeas semper cogita:* nam cùm malum etiam torqueat dum apprehenditur mente, frequenter agit præludia mortis qui jugiter meditatur eam: & quò pluries cogitatione vitam agis, eò minus tibi restat cum expiraveris perficiendum: proindeque fiet inde quòd mori non paveseat lethum cadere non sinens è mente.

A Lapi. Prover. 10. 24.

Gloss. interli. ibid.

S. Ambr. to. 1. l. de bono mort. c. 8.

Ad Rom. 7. 24. Ps. 141. 8.

Sen. epist. 30. fine.

Lazarum redivivum, divinitatis Christi Domini testem de medio tollere decreverunt Judæi. *Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibunt ex Judæis, & credebant in Jesum.* Et mirabar quod Redemptor, cujus beneficio surrexit ille, neutiquam Lazarum de Judæorum sæva deliberatione monuerit. Diligebat-ne plus Jacobum Rebecca? Davidem Jonathas? Minimè: nam dilectiones illorum motivis nitebantur humanis, amorem Dei erga justum æquare non poterant. Et scimus Rebeccam dixisse Jacobo: *ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.* Jonathas indicavit Saulis iram Davidi. *Et indicavit Jonathas David dicens: quærit Saul pater meus occidere te:* &c. Cur non similiter Christus Dominus Lazaro, quem amici titulo decoraverat (*Lazarus amicus noster*) ut Judæorum declinet crudelitatem, denuntiat mentem ipsorum? Quia frustranea foret monitio hæc: non enim Lazarus fugâ vel aliter sibi caveret, quamvis admoneretur de capitis discrimine. Periculum vitat qui pavet. Mortem qui semel fuerat expertus, non credam, quòd non continuè memoriâ versaret eandem: non ergo metueret ipsam, nam solus illam pertimescit, qui non recordatur. Cùmque metus mortis eum non cogeret ut se collocaret in tuto, non declinaret interfectores. Ad quid igitur Dominus frustranèe hortaretur amicum de vitæ periculo? Davidi, Jacoboque non tam frequens inerat occasio reminiscendi mortem, utpote qui non adhuc fuerant hospites monumenti, sicut verè Lazarus extitit. Qui funus assiduè volutat in animo, reddit illud amicum auxilio conversationis frequentissimæ: multas namque non timendi causas aperit quæ latent vitæ dilectores insanos.

Joan. 12. 10. 11.

Gen. 27. 42.

1. Reg. 19. 2.

Joan. 11. 11.

17. *Mors non pavenda nimis, quia vita est aliena.*

Plurima sunt, nec inania, motiva non horrendi vitæ clausulam. Mors ista, quæso, quam ut malorum summum pertimescimus, quandiu durat? Unico instanti. Post illud momentum à quo pendet æternitas, jam nex abiit, non remanet qui moriatur homo; cadaver autem, & anima, nequaquam Libitinæ juri subsunt: illud scili. quia vitâ caret, spiritus autem quia mortalis non est. Ante durius fatale punctum obitus non advenit, sed ejus nuntij dolores. Igitur ne credas magnum hominis malum quod nemo per duo patitur instantia. Quam dicrtè potius istiusmodi tremorem ad criminum fugam transferremus. Isthæc longè plus formidanda, quibus anima perit immortalis; non autem obitus, culparum terminus prædilectus ei qui peccatum prosequitur odio. *Mortem*, inquit Nazianzenus, *& peccati præsciscionem homo lucratur, ne malum immortale sit.* Et quidem cùm vita nostra fortunæ ludo similis videatur, in qua sors dextra mors est, quâ lucramur; & læva peccatum quo bona verè nostra deperdimus, quæro: cur timet lucrum qui jacturam non reformidat? Expende quam fœdam ingratitudinis notam sibimet inurat ille qui mortem odit. Quid est mors? Restitutio debiti: nam, ut ait Tertullianus, *vita est mutuum à mortalitate acceptum.* Nonne dices adminus ingratum quem videris rei mutuatæ solutionem recusare? Si non mutuo datam;

S. Greg. Nazi. orat. 38.

Tertull. l. 4. de carne Christi.

datam, sed nostram possideremus vitam: neu mirarer utiquam de finis humano timore: verùm cum dissolutio mortalis compaginis verè sit alieni solutio, quòd hanc reformidemus, æquum non est: nihil enim perdit qui linquit illud cujus dominio caret.

Ut occidi non vererentur edocebat quondam Præceptor Divinus parvulum discipulorum gregem: *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Bone Deus! Eccur non pavebunt mortem discipuli, si vitæ, neciſque Dominus eam perhorruisti? *cœpit pavere,* Marcus ait. S. Joannes Damascenus: *habuit mortis timorem naturalem & tristitiam, est enim timor naturalis anima volente dividi à corpore.* Apostoli non metuent occisionem? Imo quia non erant illi vitæ suæ domini lethum pavescere non debuerant. Timeat vitæ Dominator Dei Filius amittere quod suum; discipuli ne recusent alienum restituere: *nolite timere* &c. Favere videbitur fortasse Beda, cùm expendens Apostolorum Principis animositatem, simul & Christi Domini pavorem, dixit: *timet Christus cum Petrus non timeat, Christus timet, Petrus dicit animam meam pro te ponam, Christus dicit anima mea turbatur. Vtrumque verum est & plenum utrumque ratione, quia ille qui est inferior non timet, & ille qui est superior gerit timentis affectum.* Potius videbatur inferiori convenire timorem; sed quia tanta superioritas est Redemptoris, ut supremo vitæ dominio potiatur: ideo metu concutitur non inani; cum imminet jactura vitæ verè suæ. O qui formidine percelleris ad folij casum, jam volare putans, ut te amputet, inexorabilem falcem: de alieno formidas quasi de tuo? Vitæ creditur vix usus tibi: dominium penes Deum est. *Tota ista vita, & omnia quibus uteris in ea, sic tibi debent esse tanquam stabulum viatori, non tanquam domus habitatori:* Sic monet Augustinus: huic fidem adhibe; non autem Senecæ dicenti: *omnia, mi Lucilli, aliena sunt; tempus tantùm nostrum est.*

Matth. 10. 28.

Marc. 14. 33.

S. Joan. Damasc. l. 3. de fide. c. 23.

Beda in c. 14. Marc. l. 4. cap. 43.

S. Aug. to. 8. in ps. 30.

Sene. ep. 1.

18. *Miserias experitus vitæ, dies omnes transactos putat.*

Aliud accipe metus illius nimij præsentaneum sane remedium. Hiccine delicatuli sui dilectores, qui sic infantiliter larvis terrentur, ignorant à primo nativitatis gressu mori cœpisse? Quid ergo contremiscunt refugientes absolvere quod per partes jam à suis primordiis quisque subit? Secundus vitæ dies primo successit perdito: pars ecce vitæ dempta (seu pars mortis) in auspiciis vivendi numeratur. *Vnde*, inquit Augustinus: *ex quo homo cœpit esse in hoc corpore, in morte est.* Igitur si forsan experientiis de vitæ miserabili sorte doctus ejus inanem vilitatem agnoscis, te jam demortuum puta, licet adhuc vitâ fungaris.

S. Aug. to. 5. l. 13. de civit. Dei. c. 10.

Ezechiæ regi triste vaticinatus est Isaïas: *hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives.* Lacrymarum tamen potu medicatus convaluit, & Altissimo grates cantico persolvit, cujus hoc est initium: *ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* En Ezechias cum se jamjam demetendum cerneret mortis ictu, judicavit in dimidio dierum vitæ suæ finalem exitum accelerari sibi, consequenterque cæteram vitæ dimidietatem sibi præscindi. Commentatur ibi Dyonisius Carthusian: *ideſt media parte temporis quô vivere potui circiter consumptâ.* Transi nunc ad Jobū: *Dies mei transierunt* aiebat ille. Quàm diversimode sentiunt ambo! Job, qui non erat cur se morti proximum censeret infallibiliter, emortuum se reputat asseverans transivisse dies ipsius? Ezechias, qui Dei præcone denuntiante noverat appropinquare sibi jam extremam periodum, sic vitam computat ut in curriculi mortalis dimidio se repositum credat? Diversæ plurimùm utriusque sorti distantiam styli tribue. Job ex prosperitatis culmine devolutus ad miseriarum infimum, exilitatem vitæ hujus agnoscebat apprimè. Non sic Ezechias: quapropter hic vitæ metiebatur annos, ut alteram vitæ partem sibi restare crediderit antequam sententiæ denuntiationem audivisset; econtra Jobus qui futilem per laborum experientiam noverat hominis flatum, se cunctos transegisse dies reputabat: *dies mei transierunt.*

Dionis. Carthus. in Isaï. ibi.

Iob. 17. 11.

Ibi. n. 10.

19. *Quod in vita putatur abesse, quandoque juxta nos est.*

Desipimus longe mortem distare putantes: in viâ brevi nihil prolixum. Vt funestam veritatem hujusmodi convincam à D. Hieronimo sumam initium arguendi. *Inter eum, qui decem vixit annis, & illum qui mille, postquam idem vitæ finis advenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est.* Nunc ita syllogismum conficio. In ejusdem hominis vitâ non plus intercedit spatij à nativitate ad mortem, quàm ab interitu ad ortum: atqui, juxta S. Hieronymum, si mutuò conferatur duplex vita, quarum altera decimum, alia verò millesimum attigisset annum, factâ computatione ab extremis ad initia, sunt æquales, quia *transactum omne tantumdem est*; similiter si numeremus earundem vitarum spatia, sumentes exordium, putandum æquè vixisse ambos, eum scili. qui mille, ac illum qui decem supputavit annos. Vtraque vita conscisa fuit: nam ut ait Gregorius M. *parum est quidquid finitur.* Syllogismum promisi: ac ut videas quàm festinet velocitas dierum, arguam (si adhuc stamus logicis regulis) in FESTINO. Nulla vita longa ex initio ad finem, brevis est si computetur ab interitu ad exitum: sed vita tua est angusta si numeretur à morte ad nativitatem: ergo éadem non est longa si perpendatur ab exortu ad funus. Concludit-ne Syllogismus te brevi concludendum? Figuram agnosce, ac vitam audies dicentem: FESTINO. Dum ætas floresci, nos à ludente delusi voluptate somniamus remotam stare mortem. Quàm sæpe fallimur! Dicat ingeniosus adolescens cum Philosopho: *si plus vivere non possum hæc est mea senectus.* Vix invenies, nisi apparenter in mortali vita longe vel prope: quod positum comimus, aut eminus videas, perinde judicandum in re tam pusilla: sæpe quod abesse putatur, juxta te manet: dedoce visum.

S. Hiero. to. 1. in epita. Nepotiani ad Heliodorum. ep. 3.

D. Greg. M. to. 1. l. 7. mora. c. 14.

Sen. in epis.

In imagine pertransit homo, Psalmographus ait. Fateor non exprimere loquatur-ne de similitudine coloribus expressa; vel illa,

Ps. 38. 7.

quam sculptor efformat. Pro priori sto: nam posterior effigies coloribus non indiget superadditis; vita verò nostra quid præter pulchrè mixtos colores exhibet? Origeni fortè sic placuit: nam postea quàm & hunc locum, & illum versavit, ubi David habet: *imaginem ipsorum ad nihilum rediges*, inquit ille: *scrutari debemus actus nostros, & nosmetipsos probare in illo opere, & in illo sermone, utrum cælestis, an terrena imago, in anima nostra depingitur.* Ergo in utroque loco de imagine picta censuit sermonem esse. Et quid peculiare picturæ inest ad pertranseuntis vitæ lusum exprimendum? *in imagine pertransit homo.* Dicam. Vides tabulam, in qua varia collocatione dispositā multa coëgit penicillus in unum. Procul cernis urbis ostium; proximamque tibi vides arborem secus viam, per quam incedunt viatores. Horum quidam parum videtur itineris confeciſſe; alter jamjam appropriat januæ. Si manu tabellam tetigeris: nihil horum longe abest; omnia prope sunt: nec janua distat, nec viator hic plusquam ille viæ superavit. Manus est experientia, tabula vita: fac ut oculi dediscant quod edocent: experire si placet (imo quamvis displiceat) videbis in exiguæ vitæ picturato calle neu terminum, seu januam, quò properas, abesse.

Ps. 72. 20.

Orig. to. 2. hom. 2. in ps. 38.

20. *Quandoque mortis discrimen plus urget juniorem.*

Imò potius addam accidere non semel quod morti vicinior est is qui minùs vixit, quàm alter qui diu vitam protraxit. Vitæ primordia vocare solemus ætatis florem. Imo dixit Gregorius M. *homo etenim more floris procedit ex occulto, & subitò apparet in publico: qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum.* In eodem virgulto fructus pendet ac flos: hic hodie natus; ille multis abhinc diebus ortus est. Nihilominus citius decidit flos, quam fructus cadat. Festinat quandoque teneriori vitæ velocior interitus: & majus discrimen est recenti plantulæ, quam adultæ valde.

D. Greg. M. to. 1. l. 11. mora. c. 26.

Cùm propter difficultatem partus Benjamin, genitrix ejus Rachel periclitari cœpisset, dixit ei obstetrix: *noli timere quia & hunc habebis filium.* Exponit Lira: *quando enim puer vivus nascitur, minus periculum imminet matri.* Iuxta hujusmodi commentarium, prædicta mulieris verba valent idem ac si diceret: crede te supervicturam: nam si puerulus à discrimine moriendi tutus evadet, necnon & effugies tu mortis ictum imminentem. Paululum à littera deflectamus ad moralia. Diserte quidem Racheli mulier eadem poterat animos addere dicens: infans periculum declinabit: igitur etiā tu supervives: nam puelli cujus vita flos est quique sub initiis vivendi funeris aleam subit, majus extat discrimen. Qui oculis conniventibus invitus hæc mæstissima perlustras: etsi vegeto corpore polleas, ipsi ne fidas; imo finem tuum prudenter mentis oculis ita perpetim apprehende, quod ad illum te jam pervenisse putes: & *considera quam pulchra res sit consummare vitam ante mortem, deinde expectare securum reliquam temporis sui partem.*

Gen. 35. 17. Liran. ibi.

Sen. epist. 32.

DELIBATIO IV.

Suadetur mortis amor.

21. *Mors justo donum Dei.*

MVlta priscos buccis crepātibus persuasisse nosti sapientes, ut hominibus, qui ab illorum labiis pendebant, suaderent mortem inter naturæ bona computandam. Cæcos fateor extitisse ductum cæcis offerentes; non tamen veritate destituta credas eorum doctrinæ monita. Minime potest non boni plurimum inducere mors: utpote quæ plurimo dolorum agmini præcludit ingressum. Hoc in eis præsertim verum habet, quorum pretiosus exitus: ipsis enim fœlicitatis æternæ aditus est hic patens ad quietem dubiæ sortis rotā immunem. *O quam beati*, ait S. Bernadus, *mortui qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu ut requiescant jam à laboribus suis. Non solum autem, sed & succedit iucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem.* Iustus obitu suo transit è carcere ad regnum, ab exilio ad patriam, è tenebris ad lucem, ex bello ad pacem, de fluctibus ad portum, à sudoribus ad requiem, ex periculis ad immunitatem, à planctu ad gaudia. Cur non affirmem justo mortem inter Dei beneficia connumerari?

S. Bern. ep. 105.

Confossus lanceis exhalavit superbum spiritum Absalom in prælio quod sanguinis & rationis legibus inobediens adversùs parentem susceperat. Genitor vindictæ nescius de illius nece conceptum dolorem vocibus egerebat sic: *quis mihi tribuat ut ego moriar pro te* &c. Non illum ita dixisse lego, 33. cum Jonathæ mortem rescivit, cui tamen addictissimus erat gratitudinis amorisque nexu. Rogare cupiebam Davidem cur non optavit etiam Jonathæ mortem in proprium transferre caput anticipatiò: exoptat pro Absalone mori? non ita pro Jonatha? Præmittendum est solutioni quòd Jonathas justus erat; Absalom occubuit in scelere suo. De Jonatha dixit Eusebius. *Quantus concentus virtutum Jonathæ nostro? Quanta omnium laudum & gloriæ concordia? ut nihil magnanimitati ejus modestia detraheret: nihil prudentiæ simplicitas: nihil majestati comitas: nihil fortitudini diffidentia sui. Nullo vitiorum confinio eius virtutes sunt læsæ, quæ plaga infestare maximas solet virtutes.* De Absalone verò lege Theodoretum. *Accedit quod tanquam pius, luxit eum qui non poterat amplius curari per pœnitentiam.* Hujus itaque mortem, utpote supplicium, peroptabat David in semet suscipere; non sic obitum Jonathæ, cujus decessus beneficium Dei fuit, eoquòd justus esset: proindeque dilectionis jura non expleret David, si Jonathæ concessum Dei munus ipse præripere sibi desideraſſet. *Non Psalmistam audis dicentem: convertere anima mea in requem tuam, quia Dominus beneficit tibi? Rem istam Deus beneficium nuncupat, & tu*

2. Reg. 18.

Euseb. Nicremb. 6. stroma. c. 16.

Theodoret. q. 6. apud. gloss. in 2. Reg. 18.

Chrysost. to. 5. hom. 69. populum.

tu luges? quid feciſſes amplius, ſi defuncti hoſtis & inimicus fuiſſes? Trutina Chryſoſtomi aurum, abundat enim, datque libens.

22. *Innocentis obitus vitæ ſimilis.* S.Bern. proximè ſup.

Eſt, inquam exitus juſti divinæ beneficentiæ donum: quippe tunc ſecundam, & fœliciorem, vitam ſortitur, quam nihil eorum, quæ nos adeo premunt, interturbat. *Moritur quidem juſtus, ſed ſecurè: quippe cujus mors ut præſentis eſt exitus vitæ, ita introitus melioris.* Hæc D.Bernardus. Inſontis obitus vitæ quamſimilis eſt.

Phariſæi ſuadente livore, calumniam Domini molientes poſtulabant ab eo ſignum, cùm tot miraculis ab eodem patratis fidem negaverint. Objurgavit aſtutos mitiſſimus Redemptor: ſed reſurrectionis ſuæ ſignum in typo Jonæ repromiſit eis donandum: *ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit Filius hominis in corde terræ.* Chryſoſtomus terræ cor intellexit Dominicum ſepulchrum: *non enim ait in terra, ſed in corde terræ, ut ſepulchrum denotet.* Qua ratione Jonas vivus in utero piſcis potuit imago dici Salvatoris qui mortuus condebatur in tumulo? Innocens eſt, imò cunctorum innocentium exemplar ille qui vati confertur. Vivebat Propheta clauſus in carcere vivente; defunctus intra monumenti latebras deliteſcebat Redemptor: aptiſſimè tamen utriuſque ſimilitudo notatur: nam inculpabili vita functus Dominus viventi Jonæ ſimillimus jacuit. Innocentis mors vitæ conditionibus gaudet. Merito quidem eſt exitus inter damna poſtremum *quod timet impius*; ille verò dicitur juſtis *deſiderium.*

Matth.12. 40.

Chryſoſt.to. 1.hom.44.in Matth.

23. *Poſt mortem lux rationalis clarius micat.*

Non tantùm vitæ parilis eſt juſti fatum: ſed inſuper multo ſplendore nitens irradiat. Quanquam peregrinus in hoc exilio plurimùm refulſerit, multò plùs coruſcat poſtea: detecto namque mortalitatis velo radios explicat, quos inter deficientes umbras olim obnubilabat. Quid eſt hic tranſitorius fulgor, ſi componatur æternùm permanſuro? *Longè autem præſentibus præſtant, ac potiora ſunt ea quæ expectantur, atque ſperantur, quantum differt ſpica à grano unde enaſcitur. Præſens vita proportionem habet atque aſſimilatur ad granum: futura verò vita per pulchritudinem ſpicæ oſtenditur.* Nonne vita hominis umbra? Hoc ſanè lippis & videntibus, piis, inquam, & malis notum eſt: nam & Davidem audio dicentem in pœnitentis perſona: *dies mei ſicut umbra declinaverunt:* & perditorum hæc apud Sapientem vox eſt: *umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum.* Cùm vita finitur evaneſcit umbra, fugataque caligine lux ſplendidior micat.

S.Greg.Nyſſen.orat.cõſolat. in funere Pulcheriæ.

Pſ.101.12.

Sapi.2.5.

Ex conſortio ſermonis Domini Moyſis facies rutilabat: ſed pro majeſtate coram hominibus concilianda, penè fruſtra: nam *operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos*, ne timore perculſi fugam arriperent. Ad transfigurationis Dominicæ theatrum vocatus adeſt idem; nec tamen apparuit velata facie: quantumvis refulſerit ibidem, ut ſatis expreſſit D.Lucas: *erant autem Moyſes & Elias viſi in majeſtate.* Tertullianus. *Tradidit Pater Filio diſcipulos novos, oſtenſis priùs cum illo Moyſi & Elia in claritatis prærogativa.* Et quare non hîc tecto vultu Moyſes viſus eſt, ne timorem diſcipulis incutiat fulgor? Fortè nullo tegeretur ſatis lux iſta velamine: majorem namque ſuſpicor eâ, qua vivens enituit: aliter in divini jubaris præſentia nequam ſplendeſceret, obſcurat enim lumen fulgidius luminare minus. Et quare nunc ſplendidior irradiat vates? Mortuus erat: nam Abulenſi teſte, minimè revixit, ut coram transfigurato Domino compareret. *Non ſurrexit*, Toſtatus inquit, *ſed corpus accepit ex aëre.* Rationales faces poſtquam depoſuere corporis lychnum, & umbram vitæ noſtræ declinarunt, clarius emicant. Quidni ſit mors *deſiderium ſuum juſtis*? & contra ſit illud præcipuè *quod timet impius*?

Exod.34.35.

Luc.9.30.

Tertull. l.4. contra Marcion. c.22.

Abul. in c. 17.Matth.

24. *Vita mortis peragit munus.* S.Hiero.to. 1. in epita. Nepotia. ad Heliodo.

Et præſertim juſto mors in votis eſt ideo, quia probè ſcit vitam, quam gerimus, funeris imaginem vivam dici poſſe, Non iſtud exhorreſcimus, quia quotidianum: *quotidie morimur*, inquit Hieronymus, & ab aſſuetis nulla paſſio. Igitur vita noſtra mortis peragit munus.

Quam ſapienter hoc Jobus expendebat cum dixit: *& ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Quærerem ab iſto fortitudinis culmine: inter vitæ dies, & antrum funerale, nonne mediat obitus? Qui degebat ut afflictaretur doloribus, dicat: ſola mihi ſupereſt mors, poſt quam reſtat monumentum: non ait mortem ſubſequi poſt lucis mortalis fruitionem, ſed tumulum? O profundè, prudenterque dictum! Loquitur hæc ille cujus ab oculis non excidebat lutum plaſmationis noſtræ, præſtante memoriæ ſubſidium illâ teſtâ, quâ *ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Sic fatur, inquam, ac ſi dixiſſet apertiùs: vita mea exequitur mortis officia. Propterea ut ad ſepulchrum ferar, morte non indigeo: vultis audire quid mihi deſit ex demortui circumſtantiis? Dicam: *ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum.* Aſtipulatur M. Gregorius dicens: *ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum, qui enim conſiderat qualis erit in morte, ſemper fit timidus in operatione; atque unde in oculis ſuis jam quaſi non vivit, inde veraciter in oculis ſui Conditoris vivit.* Novi quam difficulter addiſcatur hæc auribus ingrata doctrina. Sed quæſo, quid nos eſſe putamus? Non de Ada tantum, ſed etiam de ſtirpe tota verum habet veritatis infallibile dictum: *pulvis es.* Ulterius inquiro: quid eſt vita? *Memento quia ventus eſt vita mea*, dixit Job? & licet per ventum Caietanus accipiat animam, alij verò reſpirationem quâ vitam alimus; Lira tamen ibi ventum prout vulgò ſonat intelligit, ait quippe: *ventus enim tranſiens deficit & non revertitur idem numero.* Vento, ſimulque pulveri, vita noſtra ſimilis? Igitur ut aura pulverem diſpergit, ſic nos ipſa vita diſſipare convincitur. Improbo dum mortem pavet dici poſſet: quod times intus habes: mori perhorreſcis, & vitam perditè diligis? *Vivere noluit qui mori non vult.* Exitum ſecurè juſtus expetit; *timor autem mortis*, ait Climacus, *peccatorum quæ nullâ pœnitentia deleverit certum argumentum eſt.*

Job 17. 1.

Ibi c.2. 8.

S.Greg. M. to.1. l.13. moral.c.10.

Gen.3.19.

Job 7. 7.

Liran. ibi.

Sen.epiſ.30. S.Joan.Climac. in ſcala grad.6.

DELIBATIO V.

De timore imperfecto.

VElut umbræ, sic & sceleris comes pavor est. Barbarè tyrannidi se tradidit quicumque deliquit, veroque Regi perfidus extitit: hunc quia veritus non est, à quo diligitur, postea tyrannum patitur quem amat: lucem odit, & in tenebris ambulans ad motum folij trepidat. *Neque hoc dumtaxat*, inquit Chrysostomus, *nobis dum sub impia vitiorum tyrannide vivimus molestum est, verùm etiam illud quod formidine propterea angimur, & veluti per obscuram noctem iter faciunt, ut nihil metuendum sit, metu tamen concutiuntur: sic qui scelus aliquod admittunt, etsi nemo id videat, nemo reprehendat, omnia tamen formidant* &c. Non amplius miror formidinem istam peccatoris, quàm si nudum cernerem frigore rigescentem: nam peccatum & nuditas est (juxta illud Apocalypsis: *& nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus.* Et mox: *ut locupleS fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ:*) necnon frigori simile dicendum: flamma namque deest charitatis, ac divini Solis radij spissa nube teguntur. *Iniquitas frigori comparatur*, ait M. Gregorius: & non qualecumque gelu, sed mortale, per culpam experimur: nam *peccatum mors est, & mori comparatur*, inquit Origè. Denique ut videas quàm sit individuus delicti socius timor: vide quàm statim post originariam labem primus peccator metuerit, ne vel saltem unicus delinquens immunis foret à metu. *Timui eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Commentatur Theodorus: *timui propter transgressionem: abscondi me propter nuditatem.* Sequitur pavor lapsum.

Chrysost. to. 3. hom. 4. in Joan.

Apocal. 3. 17. 18.

S. Greg. M. to. 1. l. 16. mora. c. 27.

Orig. to. 1. hom. 15. in Gen.

Gen. 3. 10. Theodorus apud Lipom. in cate. ad c. 3. Gen.

23. *Securitas peccatoris periculo vacare vix potest.* S. Joan. Climac. in scal. grad. 20.

Delicti reum in tuto constitue, prout malueris undique munitum: adhuc periclitatur. Nullus peccans discriminis exors: illamet securitas quam sortitur periculum admittit. *Qui verus servus est Domini proprium solumque Dominum timebit; qui autem eum necdum metuit, umbram suam sæpius extimuit.* Sic D. Joan. Climac. Isti nunquam erit omninò tuta fiducia, quantumlibet protectione custodiatur non mendaci.

Cain sævus mortis janitor à Supremo judice de homicidio convenitur, & convincitur. In crudelitatis dignum supplicium denuntiatur futurus esse maledictus, vagusque super terram. Ille veniam desperans recurrit ad quærimoniæ levamen inutile: se causatur à quocumque obvio fore occidendum. *Dixitque ei Dominus: nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur. Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.* Occasione tamen ex illis verbis Lamechi sumptâ: *quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*, dubitant interpretes an Lamech occiderit Caimum? Negant Theodore. Bergens. & Oleaster. Sed sto cùm affirmantibus Raban. Lir. Abul. Caiet. Lipom. & Perer. nam verba Dei non occidendum Cain repromittentis explicantur facilè de occisione voluntaria; qualis non fuit illa quâ periit frater iniquus. Pro cæteris do Rupertum & Hieron. hic ad Pontificem Lusitanum, ait: *Lamech, qui septimus ab Adamo fuit, non sponte (ut in quodam Hebræo volumine scribitur) interfecit Cain.* Rupertus autem, inquit: *Cain, quintus de posteris ipsius occidit scilicet Lamech.* Et hæc est illa Dei providentia, quæ in sui dispositione non fallitur? *Posuitque Dominus* &c. En occiditur à Lamecho, quamvis à Deo protegeretur secundus homo? Ad litteram solutionem dubij jam insinuavi; nunc ad mores. Longè abest à fallaciâ, deceptioneque Dei verbum. Sub protectione sua Dominus recepit Cainum: sed quam putas ei præstitit securitatem, nisi eam cujus peccator capax est? Vix fieri potest ut flagitiosus ab omni casu sit immunis: illo signo Dei nequaquam obstante, suberat occisioni fratricida. Comitatur anceps rerum exitus fiducias mortalium: *fingatur aliquis tam benigno sydere, tam propitiâ fortunâ, tam denique favente Deo, iter hoc ingressus, ut nihil ei possit asperum, molestumque contingere: rem impossibilem, & inauditam sæculis fingi jubeo, nec ideò tamen, quamvis periculum absit, aberit metus.* Hucusque Petrarcha.

S. Hiero. to. 3. epist. 2. ad Damasc. q. 1. Rup. l. 4. in Gen. c. 11.

Petrach. l. 4. epist. rer. familiar. ad Jacobum Mess.

26. *Metus, periculum, damnumque sunt concolores.*

Quamvis periculum absit, non aberit metus, ait Petrarcha: nec tamen ideo putes illum nobis contrarium. Prædiximus enim veris, non autem existimatis discriminibus in hujus mundi via peregrinum quemlibet circumcingi. Nunc videbitur quod relatus morum instructor supponit quandoque metui, sed non adesse periculum: attamen crede non inanem utplurimùm esse timorem: *nunquid non tentatio est vita humana super terram sine ullo intersitio?* inquit Augustinus. Licet malum frustretur; adest mali Vicarius, imago-ve, timor. Concolores dici possunt metus, damnum, & periculum.

S. Aug. to. 1. l. 10. conf. c. 28.

Cùm David esset in præsidio, & castra Philistinorum in Bethlehem posita: vel ut suorum experiretur fortitudinem, vel ut anxietatem desiderij verbis dispergens mitigaret aliquantulum, dixit: *O si quis mihi daret potum de cisterna quæ est in Bethlehem juxta portam!* Regiæ siti præstare cupientes obsequium (ne dicam regalis benevolentiæ sitibundi) tres irruperunt fortissimi per hostium phalanges, ad cisternamque pervenientes hauserunt aquam, & obtulerunt libenter domino suo. Noluit ille vel summis labiis aquam libare; sed obtulit eam Altissimo, dicens: *num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Quid asseris piissime? non sanguinem tibi propinant isti, sed lympham è cisterna Bethlehemiticâ: nonne à cruore discernis latices? unda est, & sanguinem liquorem vocas? Quasi colorem cruentum aquæ judicavit inesse rex: quia potuit illorum trium vulneribus emi. Non quidem sic res accidit; sed extitit periculosa: & ejusdem sanguinolenti coloris putavit esse damnum periculum & metum. Cùm, nisi suorum robur fœliciter evasisset,

2. Reg. 23. 15.

Ibi n. 17.

evasisset, sanguineum foret illud facinus, liquor visus est rubeus penè quia percussionis alea fuisse negari non poterat in eo. S. Ambrosius. *Cognoscens quod periculo alieno aqua sibi eadem constitisset, profudit illam Domino ne sanguinem illorum, qui eam detulerant, bibere videretur.*

S. Ambr. to. 1. l. 1. Jacob & vit. beat. c. 1.

27. *Periculum pecuniâ comparamus.* Orig. l. d. singulari. Cleric. post initium.

Nihilominus cæcutimus adeo crassè, ut non tantum discrimina vitare non curemus; sed insuper ea diligamus. *Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat*, ait Orig. Parum est hoc: insuper & periculum pecuniâ nostrâ comparamus. Multis in spiritus discriminibus accidit quòd Jonæ circa periculum vitæ.

Præcepit vati Dominus ut Ninivitis imminens annuntiaret supplicium, cupiens eos ad pœnitentiam commovere formidine pœnæ. Prophetæ displicuit legatio: noverat enim clementiam Dei pronam ad veniam, quâ judicabat frustraneum reddendum prædicationis laborem: quinimò se mendacij notam fore subiturum. Molestum prophetiæ munus hoc recusat, & fugam capit descendens in Joppen, ubi navem conscendit, ut iret in Tharsis. Mysterio non vacat in textu narrari quod vates pretium transfretationis

Jonæ 1. 3. persolverit ante quam vela daret ventis. *Invenit navem euntem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descendit in eam ut iret cum eis* &c. Exorta est procella: mittuntur sortes ut mali causa pateret. Cecidit supra fugitivum sors, & examini subfuit ille: crimenque fassus, contra se dixit sententiam ut in mare demergeretur. Inter hæc solùm nunc meditor calami sacri minutissimum stylum: nec enim referre præteriit scriptor, quod navim data mercede profugus ascenderit: *dedit naulum.* Quid hoc, ut scribatur inter tanta? Ut videas quod cum posset Jonas obedire jubenti Deo, nec tempestatis periculum subire, neque pecuniam insumere, potiùs elegit sumptibus suis periclitari, quàm gratis obsequi Domino. Theophylactum nobis opitulari puto.

Theophylac. in com. apud Gloss. in 1. Jonæ. *Per mare fugam adornat, ratus quamcelerrimè sese à ministerio prophetiæ erga Ninivitas liberandum. Dedit autem & navigationis mercedem, & ne vel hinc, si non daret, esset quod remoraretur eum quo minus fugeret. Omnia namque facilia videbantur, patriæ privatio, maris pericula, mercedisque abjectio, modò à gravi & molesta prophetandi functione illa, eripi queat.* Insinuat his Theophylact. quod si præcepto Dei morigeraretur vates, non ei per mare, sed terrâ carpendum fuerat iter ad Niniven. Ancipitem æquoris elegit viam in Tharsis, pretioque discrimen lubens emit.

Senec. ep. 42. Idipsum pluribus evenire solet frequenter: (nos tamen *ea sola putamus emi pro quibus pecuniam solvimus, & gratuita vocamus pro quibus nos ipsos impendimus.*) Summis, inquam, pretiis nobis pericula paramus. Quid excusationis ad hæc prætendet, dum emit *quod timet impius?*

DELIBATIO VI.

Desiderium suum justis dabitur qui carcere purgatorio luunt acerbissimas culparum pœnas.

CUm de nullo qui terris peregrinantur, certitudinem habeamus infallibilē quod sit justus; inter illos autem, qui detinentur expiatricibus flammis, nemo non amicus Dei certò credatur: opportunum judico, dum textum versamus, in quo sermo fit de complendo justorum desiderio, cruciatus animarum expendere, quæ beatitudinem præstolantur in illo carcere: metiri namque licet hos ex fervore voti quo feruntur in cælestis patriæ possessionem summè fœlicem:

28. *Durum est augeri dolorē ab illo, à quo levandū fore sperabas.*

Dionys. Carthus. in collo. de judicio animarū art. 14. *quantò enim aliquid plus desideratur, tantò ejus absentia est molestior, & quia affectus quo desideratur summum bonum, post hanc vitam in animabus sanctis est intensior quoniam corporis mole non retardatur, & etiam quoniam tempus, seu terminus fruendi summo bono jam advenisset, nisi aliquid impediret, ideo de tardatione maximè dolent.* Hæc Dionysius Carthus. & quidem optimè: nam ardens desiderium est in causa ut intellectus quærat cogitationem amati boni pro doloris levamine. Hæc ipsa meditatio tortor est, ideo terribilior, quia tanquam auxiliatrix ab afflicto sollicitatur. Durum etenim est ut ab illo dolor tuus augeatur, à quo sperabas alleviandum fore.

Filius Jeroboam regis ægrotabat: qui paterno ductus amore suasit uxori quòd habitu mutato pergeret in Silo, consuleretque vatem Ahiam de languoris eventu futuro. Se dissimulans Regina premebat ostium, cùm ad eam dixi propheta: *ingredere uxor Ieroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.* Multos lego divinitus illuminatos infœlicia denuntiasse; nullus tamen ex ipsis dixit se durum nuntium, sicut Ahias. Mortem Davidi Nathan: pestem, gladium, vel famem Gad eidem regi, Samuel Sauli jacturam sceptri. Hi non sunt duri nuntij? Ahias maximè? Dices forsan, tenerrimam Reginæ dilectionem erga gnatum ægrotantem sic illis verbis prophetæ: *morietur puer*, ictam fuisse, quod se nuntiare dura tacere noluerit Ahias. Esto ita sit, Davidem recolamus. Infirmabatur puerulus, quem ex adulterio susceperit. Jejunio, lachrymis, orationeque pulsavit cæli fores in vanum. Cùm itaque mortuum intellexisset infantulum, quæsivit à servis: *num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est* Nec tamen præmiserunt: domine triste nuntium deferimus ad te coacti; propheta verò mœstissima fore matri significavit de pueri morte verba? Quid mirum, si genitrix dolens pro chari pignoris morbo requisivit Ahian in anxietatis medelam, si fortè sanandum prædiceret. Nec David à servis suis, aut à vatibus, nec Saul à Samuele, remedium afflictionis expectaverant, cùm ab eis audiverunt infausta. Horum corda non fixit adeo

3. Reg. 14. 6.

Ibi n. 12.

2. Reg. 12. 19.

altè

alte sagitta. Ahias, quem dolorosa mater quæsierat in anxietudinis levamen, hic eam prænuntiata morte geniti validè sauciavit. Hic sanè fuit illi *durus nuntius*. Durissimum est ut ab eo dolor tuus incrementa sumat, à quo levandum expectabas. Ecce prima radix, unde quàm acerrime torqueantur animæ purgatorij deducas. Vt incendia mitigent, cogitationem ad amantissimum Dominum, cujus fruitionem accelerant flammæ, libenter convertunt: sed heu! quò diutiùs & perfectiùs de summe dilecto cogitant, eò plùs cruciantur. Iis accommodari valet quod aliorsum Gregorius Nyss. *Anima, cujus natura sursum fertur, terrenis absoluta cupiditatibus, ardentior in dies fit, velociùsque pertranſit, ad sublimiora semper conscendens. Nam cum nihil sibi sit impedimento per se ipsam ad naturam boni fertur.*

S. Greg. Nyssen. d. vita Moysis.

29. *Præcipuum paupertatis malum est agnescere illam.*

Hinc secundam erue rationem pro eodem instituto. Maximâ, inquiebam, fælices animæ conflictantur angustiâ: quia bonum, quod ipsis abest, optime noscunt, quod nos ignoramus ita ut Augustinus fateatur: *facilius tamen dicere possumus in illa vita æterna quid ibi non sit, quam quid ibi sit.* Ideo non angimur incomparabili fælicitate carentes. Imo generatim loquamur: nemo dolet egestatem quæ latet illum. Circumspice confusam sæculi varietatem, plurimos quæ videbis egenos, qui sensu abundant suo. Hic repletur: sed ubi quiescat non habet: nam curis pungitur inter molles culcitras: en quietis indigum. Ille nullis copiis hydropisim satians, adhuc post exhaustum æquor sitit: ecce gaudio vacuus. Quidam tribulationes quas patitur deplorat nimiùm earum pretium ignorans: iste pauperrimus corde. Alij non à Deo, sed ab hominibus postulantes auxilia laborant inopia sperum. Nonnulli suimet plurimùm amantes, intellectus egestatem detegunt. Plurimi sic superbientes, quasi non ex luto Adami traxerint originem, egent memoriâ. Tandem, ex pauperibus his & similibus, nullus eleemosynam quærit, quia paupertate non opprimitur ignotâ sibi quisquam. Quin potiùs præcipuum indigentiæ malum (seu alterius afflictionis) non est eam pati, sed ipsam intueri.

S. Aug. to. 9. l. 1. d. simbo. ad cathecu. c. 11.

Trenor. 31. vers. Chald. Gloss. ordi. ibi.

Ego vir videns paupertatem meam: legit Chaldæus: *afflictionem.* De seipso loquitur Jeremias: ait enim Gloss. ibi: *Jeremias non minus deplorat populi ruinam quàm angustiam propriam.* Putabam dicturum: ego vir qui patior paupertatem, sustineo afflictionem. Novi quod hîc synonima sunt videre, ac perpeti. Cornelius à Lap. Commentatur: *ego Jeremias hujus cladis communis, qua cum civibus meis involutus sum, non modicam partem video, ideſt experior & sustineo.* Satis foret hoc ut suspicaremur in cognitione mali sitam esse amaritudinem ejus. Adijce quod minus extolleret lamenti sui causam propheta, si assereret pati. Præcipuum in afflictione, paupertateque non est eam sufferre, sed illam cernere: nam si pauperiem ignoraret, minime sustineret. Judica sit ne sapor hic in Ruperto ibidem. *Non dixit ego vir pauper: parum enim dixisset. Nam verè omnis homo pauper est. Omnis homo in primo parente pauper est, gloria sua spoliatus gloria Dei denudatus est. Sed non omnis homo videt, non omnis homo intelligit hanc ipsam paupertatem suam.* Quæcumque purgans anima perfectius omnibus, qui sæculi caligine confundimur, penetrat quantam divitiarum affluentiam deperdat singulis diebus, quibus regni cælestis adeptio differtur: & cognitionis hujus claritas earum transverberat oculos. S. Bernardi verbis utar: *merito sponsa illò suspirat, meritò inhiat loco pascuæ, simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis, sed stuporis. Nam & me miserum heu longe agentem, & de longe salutantem.*

Rup. in Thren. c. 59.

S. Bern. ser. 33. in Cant.

30. *Valde cruciat quod ratio jubeat medicinam doloris omittere.*

Vnicum vel saltem insignius medicamen desiderij quod non valemus explere, solet esse voto fruſtraneo supersedére. Sic voluntaria redditur carentia boni cupiti: nec nimis atrox est malum quod à patiente volitum; etsi non amatum. Animas quæ traditæ contorquentur ignibus expiatoriis, non sinit amor triste remedium istud sibi quærere. Nam Deum desiderant, quem summa dilectione prosequuntur. Deponent illæ ne desiderium tale? Nec omnia potest amor. An valebit lapis pondere subsistere, ne quærat centrum? Hâc utor similitudine: *sicut enim pondus defert lapidem in centrum, ita quoque amor defert animam in centrum suum quod Deus est*, inquit Valentin. Antistes. Valde patientiæ lancinat vires, quod te non mediocriter indolentem cogat ratio medicinam cruciatus omittere.

S. Thom. a villano. ser. 2. Dom. 17. post. Pent.

Filius Dei sermone celeberrimo apud Matthæum ait. *Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.* Juxta Chrysosto. de pœnitentibus locutus est: inquit enim: *lugentes beatos dixit, non simpliciter suorum amissionem lugentes, sed eos qui compuncti sunt, quique sua mala lugent, & delicta sua animo revolvunt, aut etiam aliena.* Concinit glosa ordi. ibi: *luctus pro peccatis, vel pro desiderio cælesti consolationem meretur, & non alius.* Accedunt Nyssen. Remig. Alber. M. D. Thom.: qui locum exponunt de iis qui gloriæ dilationem lamentantur præ illius desiderio, dilectione Dei præcordiis incensis, afflictisque tædio vitæ. Quapropter adnotabam D. Magistrum inter cæteras beatitudines numeravisse paupertatem spiritus; nec tamen hujusmodi pauperibus consolationem similiter atque pœnitentibus pollicitum fuisse. Fortè nonnemo existimaret, potius inopibus consolationem, quâ levetur egestas à Deo donandam, quàm delicta flentibus, quia solatia pauperiei non imminuunt meritum ejus qui egenus est spiritu; atverò pœnitentis lachrymas extergere, doloremque propulsare, videtur in meritorum damnum cedere: nam cessante per solamen cordis anxietate, quadamtenus intermitteretur patientia. Oppositio nihilominus Divinus Concionator utitur stilo: sed quare? qui solandos promisit pœnitentes, cur non ita loquitur de spiritu pauperibus? Quia illorum præ istis anxietudo major est. Cur? inquis

Matth. 5. 5.

Chrysos. to. 4. hom. 14. in ep. ad. Philip.

Gloss. ordin. 5. Matth. n. 5.

A lap. in Thre. ibi.

inquis. Quia indigus afflictionem suam imminuit, desiderium, bonorum quibus caret non admittens: de acquirendo minimè cogitans, voluntario defectu bonorum patitur mitiùs. At pœnitens desideria ne ponet queis fertur in amicitiæ divinæ restitutionē; carentiam tanti boni volet? Nequaquam. Non igitur adeo miseratione dignus est spiritu mendicus, ut lachrymarū flumine scelera diluens: *ipsi consolabuntur.* Hinc facillimè conjicias qualiter amarè gemebundæ sint animæ flammivomam custodiam incolentes. Earum inter alios angor est præ cæteris acutus absentia possessionis Dei quem diligunt, in cujus faciem desiderant prospicere. Desiderium istud abjicere non patitur amor: imò vix de alio bono cogitatum permittit. Specialissimè de ipsis dici valet quod incertus Augustinus asseruit de quovis amatore Dei *anima quam tangit amor Dei nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat dicens: sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Inde collige quantùm illas anxiè premat flebile *desiderium suum.*

S. Aug. incertus in anima. c. 20. tom. 9.

31. *Desiderium bonum adversans rationi valde torquet, si neutrum ladis.*

Istius ardoris de fruitione Dei prosequar fella. Non equidem est inter ejus amarores extremus ille qui nascitur ex eo quòd cùm sit bona cupiditas hæc; tamen ratio contrariatur ipsi: quia cùm nil coinquinatum intret cælestem Jerusalem, oportet expurgari prius animas fœliciter anxias. Novum certamen! ratio virtusque pugnant! votum videndi Deum virtus est: ad amorem spectat, quem Theologi vocant concupiscentiæ circa Divinam bonitatem. Omnis actus virtuosus conformis rationi est; sola cupido prædicta bellum civile gerit cum amica ratione? ô quam rigidum & lachrymabile prælium! Aliter accidit improbo, qui desideriorum furore proterit rationem, ac proinde caret istiusmodi conflictu. Non sic justus: pluries nam aliud ratio dictat; aliò cor citra culpam trahitur. Si rationem cedere coëgit, vulnus excipiet oculis animæ; si proculcaverit desiderium, ictum corde sustinebit: & utramque vitare Charybdim perarduum est. Idcirco bonum desiderium tanquam vassallus obediens rationi, cùm cernit illam sibi adversam (quæ quidem in hac rationali republica tenet sceptra, peculiares angustias experitur. *Philosophorum*, ait Cancellarius Parisiens *concordat sententia quod se regere maximum est imperium. Et quis illic rex sub Deo statutus est? Vtique ratio libera.* Præfato desiderio inest cum rege litigium! O rem cuique fideli subdito nimis terribilem.

Gers. 2. p. tract. d. considerationibus.

Audi militem strenuissimum, quantùm sub isto marte gemuerit ancipiti,: Paulus, inquam, qui nec persecutionibus neque mortis metui cessit unquam, desiderabat expleto vitæ cursu, Christi Domini beatâ præsentiâ frui. Obstabat discipulorum profectus, qui præceptoris indigebat ministerio. Quid putas in hac lite passum evangelicæ militiæ ducem? Lege quid ille fateatur ad Philippenses: *quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Exponit S. Anselmus: *ignoro quid eligam, mori scili. an vivere.* Memini Saulum quondam ad nascentis Ecclesiæ tenerrima virgulta proterenda, mirâ dexteritate usum. *Videre licet*, ait Chrysost. *desiderium ac ardorem, quomodo legitimè operatus est: nam accedit ad Principem, petit epistolas, &c.* Vides quàm expeditè nunc egit, Perge ulterius ad viam Damasci. Cùm Divina transformatione mutatus est in virum alterum, etiam deliberavit citò: non rei novitate prepeditus mox ait: *Domine quid me vis facere?* En & Saulus contrà Deum ferox, contra stimulum rebellis, omnia proculcans viam carpit: & Paulus pro Deo meliorem tramitem eligit indubius. Postea, cùm jam luce plurima donatus erat, quam semitam potius amplectatur ignorare concedit? an scili. mortem flagitet ut beatitudine perfruatur ocyùs; an terrarum incolatu diutiùs morari diligat, quò spirituali stirpi de necessariis alimentis provideat? Hic fluctuabat egregiè fortis athleta meritissime quidem. Antea cum Ecclesiæ tyrones insequebatur siti cruoris ardens, rationem spernens atterebat: istam vincebat malum desiderium, quin egeret pugna. Deinde cùm fuit conversus, è contrariò ratio desiderium illud prostravit, finemque dedit certamen inter utrumque. Ast contentio, de quâ scribit Philippensibus, ita dictamen rectum, & votum Pauli miscebat in arma, quod Apostoli cor vellet nec boni cupiditate cedere, nec judicij legi contravenire. Anhelus expetebat frui Deo: concupiscentiam istam sanctam abjicere nollet. Ediversò suadebat intellectus æquum esse quod is qui fuerat cælitus quæsitus ut ejus anima fieret salva: necnon & ipse Christo Domino gratus animas ei lucraretur. Ita monentem rationem contemnere non congruebat; nec desiderium de beatitudine sedare pium. Pacem inter ambo quomodo conciliaret? Ecce duellum quo sapiens & multùm divinitus illustratus bellator laborabat in incerto, coarctatus præcordiis. Ad animas antro pœnali fœliciter addictas modò transeamus. Ipsas ratio docet æquissimum quod peccatorum debitas pœnas Divinæ justitiæ dare non recusent; amor autem desideria fovet ardentissima de sibi dilecti Sponsi videnda facie. Neque rationem lædet honestissimus amor; nec virtuosum desiderium lædere vellet recta ratio: en pugnam vix placabilem.

S. Anselm. to. 2. com. in ep. ad Philip. ibi.

Chrysost. to. 3. hom. 14. in acta.

Act. 9. 6.

Ad. Philip. 1. 22. 23. 24.

32. *Desiderium plus cruciat eum cui bonum cupitum debetur*

Scio quòd beatitudinis amore, utcumque; flagrat quisque nostrum: nec tamen experimur acerbum illum conflictum. Non ideo putes leve quod animæ commissæ purgatricibus incendiis patiuntur per summæ fœlicitatis ardorem. Nos peccatorum labibus impurissimè fœdi, quandoque levamus ad cælestia mentis aciem; nullatenus tamen, vel saltem non graviter, dolemus quod possessio regni differatur: quia cùm nobis nequaquam superna fœlicitas debita sit, non eam efficaciter appetimus. Ad illud psalmi: *quis est homo qui vult vitam?* ait Chrysostomus: *quomodo dicunt volo, perseverantes in malo?* Inde animæ justæ

Ps. 33. 13. Chrysost. to. 1. hom. in ps. 33. post. 5 principi.

cum jure meritorio sibi debitam noverint coronam, eam efficacissimè votis quærunt, ideoque summè vexantur. Cui bonum quod avet indebitum est, caret bono adhuc non suo: quidni pungat eum anxietudo minus? Ii vero qui jus ad rem concupitam acquisivit, illam sibi deesse quæritur ingemiscens.

Ad Philip. 1. 23. Verba Pauli, quæ prius versabam, denuo perpendam. *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi.* Angebatur Apostolus eo quod præsentia Dilecti sibi procrastinaretur. Memini Moysem repulsam fuisse passum? cum Divinæ faciei conspectum postulavisset: nec tamen ideo vel unico verbo, saltemve suspirio, dolere testatus est. Quare non similiter Paulus tacuit? Quia plus Moyse de gloriæ dilatione conflictabatur: huic enim visio Dei, dum vita manebat indebita certè: (de Moyse loquor nam probabile judicandum illum visionem essentiæ Divinæ petiisse, quod tenet S. Thom.) justis enim etsi virtutibus excellant, non permissum est Deo frui pro vita mortali. At verò Pauli desideria tendebant in futuræ vitæ beatitudinem, quæ jam pro meritis illis debebatur. *Reposita est mihi corona justitiæ:* nil mirum quòd cùm negatum sibi Moyses fuerit expertus beneficium, sileat; Paulusque verbis aperiat cordis angustiam, quam de spei suæ protelatione concepit. *Habet enim*, commentatur Ambrosius, *desiderium excedere, & cum Christo esse, multò melius æstimans ut jam præsens sit apud Deum, ut exoptatis & promissis fruatur: quidni coarctaretur?* Animabus, quæ tanquam aurum in fornace perpoliuntur, applicabis facilè, ut earum desideria dicto plus mæsta pietati tuæ persuadeas.

D. Thom. com. in 2. ad Cor. c. 12. lect. 1.

2. ad Timo. 4. 8.

S. Ambr. to. 3. com. in ep. ad Philip. c. 1. 23.

33. *Deligenti Deum possessionis æternitas velut una dies; brevis dilatio millia dierum.*

Nec existima tormentis minoribus illas affici, quæ jam in proximo sunt ad cælestem paradisum transmigraturæ: *tam enim dulcis est Dominus Iesus gustantibus eum*, sic loquitur Bern. *tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia materia doloris maxima sit.* Afflictionem inter & fœlicitatem sua quædam est antiperisthasis: quò viciniùs appropiat sors, eò magis tormentum recrudescit. Idcirco dixit Gilbertus: *nemo quod ardenter quærit non anxiè caret; tantòque cumulatiore angustiâ, si vicinâ spe, jamque apprehensurâ fraudatur.* Accedit quod animæ diligenti Deum brevis dierum numerus quibus possessio boni tanti differtur, pro millibus computatur, & econtra fruitionis æternitas unica lux dici valet.

S. Bern. ser. infra. Oct. Epipha.

Gilb. in 7. Cant.

Ps. 83. 11. *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Ex Bellarm. ad litteram de gloriâ perpetuò mansurâ prolata sunt hæc verba: ait enim initio psalmi: *hæc vox est hominis pij peregrinantis ad patriam.* Et infra: *subjungit tantam esse cælestis patriæ fœlicitatem, ut optabilius sit unum diem tantùm ibi manere, quàm mille diebus alibi.* Favet Augustinus dicens: *quamquam & alio sensu possit intelligi ut millia dierum in temporis mutabilitate intelligantur; unius autem diei nomine incommutabilitas æternitatis vocetur.* Nihilominus difficultas pungit: breves dies hominis sunt; & hi vocantur millia dierum? Æternitas numerum quemque dierum excedit longissimè, nihilominus appellatur dies una? Ex Dilecti sui amore, quo anima exardet, metienda est brevitas ista, longitudove. Dilectores Dei perfruentur amato per durationis immensum spatium nullo fine claudendum; tamen dilectioni velut unica dies computatur æternitas tota. Econtrario, per mortalis vitæ circumcisum stadium expectant amatores Altissimi prædicta sorte potiri. Quamvis angusta sit usura vitæ; nihilominus expectationi millia dierum sunt. Ideo dicebam animarum in purgatorio de possessione Dei votum eò plùs exequi tortoris munus, *si vicina spe, jamque apprehensura* per aliquod tempus fraudantur: cum, inquam, jamjam *desiderium suum justis dabitur.*

Pl. Bellarm. in psal. ibi. n. 1. & 10.

S. August. to. 1. l. 3. de libero arbitrio. c. 4.

DELIBATIO VII.

Peccatoris lætitia tristis. Metuentis crudelitas. Dei clementia. Pœna manu propriâ. Dei fruendi desideria excitantur à possessione imperfecta.

34. *Sub hilari facie mœror impij non attenditur; sola sed gaudia.*

QUam subdolo, milleque punctionibus exposita degit lætitia mundialis! Versu præcedenti Salomon introduxit impium risui deditum; jam nobis illum proponit pertimescentem: *quod timet* &c. Sicut justis per fletus crystallum cor ostendunt hilare (*quasi tristes, semper autem gaudentes*) ita mali sub lætâ facie condunt gemitus. *Quomodo enim*, ait Chrysostom. *qui secundùm mundum gaudet, in divitiis, in deliciis, in gloria, atque potentiâ gaudet: qui verò secundùm Deum in ignominia propter eum, in paupertate, in jejunio, in modestia. Et hæc revera sunt quæ veram faciunt lætitiam: quoniam illæ lætitiæ tantum nomen habent, cùm omnia sint in tristitia.* Miscentur gaudiis lamenta, risus vix tegit cordis vulnera. *Quasi per risum* &c. immediatè priùs dixerat Paræmiastes; & statim formidine concuti supponit cùm addit: *quod timet impius* &c. Illud in hac re nunc advertere libet, quòd etiam improbo conjunctissimus non ejus numerat angores; computat sola gaudia. Temporaneâ majestate sublimis vix lætatur exteriùs, quin mente doleat. Quamvis attamen afflictionis vim ore depromat, ab aliis attenditur ad lætitiam; non ad mœrorem: & hoc in illomet, qui diligit eum, reperietur: quid erit in reliquis?

2. Cor. 6. 10.

Chrysost. to. 5. hom. 54. ad pop.

Diligebat-ne Jonathas patrem Saulem? Nihil dubito, quia paucis verbis admonens Davidem ut sibi consuleret: ter vocavit Saulem parentem. *Quærit Saul pater meus occidere te.... stabo juxta patrem meum.... loquar de te ad patrem meum:* si non amaret Jonathas genitorem, non tam crebrò patrem diceret suum in ejus absentiâ, sed regem. Repetitio nominis prædicti dilectionis filialis non exiguæ probatio vehemens

1. Reg. 19. 2. 3.

judicari

judicari poteſt. Cùm igitur ipſe cauſam Davidis ageret coram Saule, cupiens illius adversùs inſontem amicum iras placare: in memoriam reduxit genitori Goliæ cædem forſan oblivioni traditam, quâ de rege, ac
Ibi n. 5. Republicâ David fuerat meritus optimè. *Percuſſit Philiſthæum, & fecit Dominus ſalutem magnam univerſo Iſraeli: vidiſti & lætatus es.* Recole duelli ſacram hiſtoriam: leges iratum Saulem, exultantes mulieres; nequa-
Ibi c.18.8. quam verò regem. *Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte.... quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?* Pertimuit quòd populares plauſus vires ita ſumerent ut corona deferretur Davidi. Timor hic non poterat non Saulem nimium cruciare. De hoc non meminit Jonathas? De lætitia maximè, quam ex victoria rex concepit. *Vidiſti & lætatus es.* Ita frequenter evenit Summatibus. Horum gaudia numerantur exactè; latentis doloris nec filius compatitur: multi plaudunt riſui labiorum; in corde ſolus ipſe nequam fert *quod timet.*

35. *Impius.* Nomen iſtud videtur amplius
Metus in ſæviendo excedit crudelitatem. quàm peccator ſonare, de quo alibi: non qualemcumque ſignificat culpæ reum, ſed peſſimum: vel ſaltem non vulgaria committentem piacula. S.Fulgentius. *Hoc tamen dicimus quia non omnis iniquus eſt impius, licet omnis impius ſit iniquus.* At (inquis) de timido Salomon loquitur: & iſti non audent ſumma facinora patrare. Falleris; imò nihil metu reperies audentius ad exitia. Sæviſſimus eſt pavor: *plerumque* (ait Cæſar) *in ſummo periculo, timor miſericordiam non recipit.* Idipſum flagitium quod exequi recuſat crudelitas, metus perficiet.

S.Fulgent.d. remi.pecc.l. 1.c.16.fin.

Cæſ.l.7.d. bello civili.

Sævitiam ſuam ſatis inſinuavit Pilatus, cùm innocentiam noſcens Domini, Judæis dixit ut eum authoritate propriâ crucifigerent: *accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.* Inſtabant illi:
Ibi n. 7. *ſecundùm legem debet mori:* non tamen ab ejus crudelitate obtinebant Chriſti mortem,
Ibi n. 12. quam ſitiebat odium; imo *quærebat Pilatus dimittere eum.* Vide quàm aſtutè moliti ſunt ingenium quo cædem intentam conficerent Pilati manibus. Ad hujus metum cauſam avocant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Quaſi dicerent: Pilatus recuſat occidere quem dicit innoxium? Timor exequetur quod ille refugit: *Majorem*, ait Auguſtinus, *timorem ſe ingerere putarunt Judæi Pilato terrendo de Cæſare, ut occideret Chriſtum, quàm ſuperius ubi dixerunt: nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.* Quandiu Judæi rogaverunt crudelitatem Pilati, dilata eſt Redemptoris mors: imò illius dimiſſionem judex cogitabat iniquus. Poſtea cùm eidem de inconfidentiæ nota Cæſariſque offenſa timorem incuſſerunt, putaverunt cito peragendum nefas à Pilato metuente. Nec eos fefellit induſtria. Metus perſæpe ferociam in ſanguinolentiâ præcellit, & quod illa veretur, ipſe perficit. Ideo cùm de formidine textus loquitur, non tantùm peccatorem dixit improbo timore plenum, ſed egregium nequam. Hoc valet vox *impius,*

Joan.19.6.

S.Aug.to.9. trac.116. in Joan.

36. *Veniet.* Dilationem denotat ſupplicij verbum iſtud: quæ non ſignificatur in ſecundâ parte verſiculi, dum agitur de remunerando juſto, ſecundùm explicationem quam ex Lectione Vatabli colligo: *juſtis verò datur quod cupiunt.* Exhinc ſuſpicabar Deum punitioni delictorum operam dare veluti coactam. Flagitiorum animadverſioni (noſtro loquendi more liceat uti) quaſi renititur divinus amor; quantumvis hanc juſtitia poſtulet. Erga juſtos beneficentiæ libens annuit affectus, quin reluctetur juſtitia. S.Baſilius. *Vitam itaque Deus cuique propria voluntate tribuit; iram verò ſibi quiſque theſaurizat in die iræ* &c. Hujuſmodi verborum antitheſis mentem ſancti Doctoris oſtendit eſſe quòd ira Dei quaſi vim patiens erumpit.

Deus punit quaſi vim ſibi faciens?

Lect.Vata. Prov.10.24.

S.Baſil.to.1. hom.7. in pſ. 29.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima: devorabitque terram cum germine ſuo. Exponit Procopius. *Cæterùm in his verbis perpendatur extrema per gentem Romanam facta internecio, qua terra eorum eſt vaſtata, ac inflammata, & montium fundamenta, ſeu radices igne ſunt abſumptæ.* Putabam prædictam everſionem, diris adeo Romanorum ferociis executioni datam hoſtilique rabie, deſcribendam aptius fore, ſi prænuntietur ſic: ignis tartareus aſcendet me jubente ut ſumat pœnas. Igitur quare non ſurſum incendia; ſed potius deorſum exarſura præmonuit? Ignis in loquendo mutavit ſtylum Deus horribile comminatus flagellum: quia naturale ignibus eſt aſcendere; deorſum violenter propellitur flamma. Utque judices Deum quodammodo ſibimet ingerere violentiam dum punit, citatis verbis præmittit non aſcenſuras faces; ſed potius deſcenſuros eſſe rogos: *ardebit uſque ad inferni noviſſima.* Hinc ortum habet in plectendis criminibus divina cunctatio: ſed *quod timet impius veniet.*

Deut.32. 22.

Procop.ſup. eum locum.

37. *Super eum.* Modus iſte loquendi clariſſimè denuntiat impium non propriâ; ſed alienâ manu caſtigari. Frequenter ſic accidere fateor. At quandoque non ita: ſed ipſemet ſibi tortor eſt, ut à ſe pœnam repoſcat impietatis. Et non ideo tunc mitiùs agitur cum delinquente: nam, ut ait Salvianus, *nos adverſum nos omnia facimus. Nihil eſt in nobis crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus.* Minimè quidem nos habemus odio; ſed ex eo ipſo quia nimis dilectores noſtri ſumus, ideò quando ſic evenit, nos multò ſævius hoſte percutimus. Finge tibi regem decernere quòd læſæ majeſtatis reus occidatur ab ſponſa, vel filia ſummopere dilectis. Acrius tormentum iſtud foret Phalaridis tauro. Nullus amor ſponſæ, gnatæve, dilectioni propriæ valet æquiparari. Durior cæteris mulcta eſt itaque illa, quam Deus tibi manu tua decrevit infligendam.

Durior pœna inflicta per delinquentis manum.

Salvian.l.3. d. Provi.

Rarum adeò non denigrari humanæ fumo poteſtatis etiam Deo dilectos: ut Saul ſceptro, vitaque privatus fuerit in pœnam: illemet qui ſolium Iſraëlitici regni pro meritis aſcendens, eâ pollebat innocentiâ, quòd unius anni puero comparetur. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet:* exponit datus Rupertus: *ſic enim erat innocens quando regnare cœpit, ſicut filius unius anni eſt.*

1.Reg.13.1.

Rup. in 1. Re.l.1.c.19.

In ultimo tandem prælio, quod cum Philisthinis commisit, simul cum tribus genitis periit. Attamen hostes occiderunt gnatos; non verò Saulem. Parcitur an iniquo regi? mors ei differtur? Servatur ad acerbiorem cædem illius vita; cùm prole blandiùs agitur, isti quippe solum in parentis punitionem obierunt. *Saul*, ait Rabanus, *malè agendo acquisivit ut unà cum filiis periret.* Ut minorem severitatem geniti divinam experirentur, ab inimicis necantur; Saul autem qui rigidiori supplicio dignus erat, non à Philisthiim, sed occiditur à seipso. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.* Horrendè cæditur à Deo sceleratus, cùm proprio feritur ense; lenior erit peccati vindicta, dum id, quod ab alio *timet impius veniet super eum.*

Raban. apud Gloss. in 1. Re. c. 31.

1. Reg. 31. 4.

38. *Deus ne videtur immẽsitati detrahere, ut justus fruens cupiat!* Incertus Aug. to. 1. l. d. Substit. dilectionis.

Desiderium suum. In singulari loquitur, quia justi desiderant unicè Deo potiri; de cæteris, quæ mali sollicitant, & fugiunt, nec metu neque desiderio afficiuntur. *Hæc igitur est cordis nostri requies, cùm in amore Dei per desiderium figitur, nec ultra quidquam appetit; sed in eo quod tenet, quadam fœlici securitate requiescit.* En habes justum, prout mortalis vita patitur, Deum tenere. Quâ ratione desiderat igitur adhuc eundem? Flammæ genium inest amori? stat simul & volat. Hoc Dei oculis ita gratum est, ut immensitati suæ nonnihil, ad speciem, videatur detrahere, quò desiderium, simul & ipsius fruitio valeant in eodem pectore conjungi.

Jerem. 23. 23.

Per Jeremiam dixit quondam omnium Dominus. *Putas ne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longè?* Quidam apud Maldonatum ad hunc locum, sic exponunt: *an prope ego sum & non longè: idest, an non ego ubique sum* &c. Imò quia Deus ubique adest, non facilè percipies quo sensu longè positum se dicat. Variè possemus nodum solvere: sed ad præsens institutum hæc aperitur via. Possessio rei dilectæ perficitur ejus præsentiâ; desiderium non nisi de illis, quæ absunt, vel abesse putantur, dari valet. *Desiderium*, inquit Angelicus Doctor, *differt ab amore, quia desiderium est de bono non habito, sed amor est de bono absolutè.* Ut ergo justus in in Deo, quem per gratiam possidet, complaceat ut præsenti; simulque desideret eundem (ne fœlicitate cadat per torporem) se, quamvis per immensitatem ubivis intimum, longè diffitum Dominus proponit: ut præsenti fruantur; & pariter quasi distantem cupiant. Deus itaque rectorum licet possessio sit, nihilominus est *desiderium suum.*

D. Thom. 1. 2. q. 2. art. 1.

39. *Cælestiũ experiẽtia promovet eorum vota.*

Justis dabitur. Quare non potius ait: justis donabitur fruitio quam appetunt? Non sine mysterij pondere dictum est: *desiderium suum justis dabitur:* nam quidquid è cælestibus bonis in terris confertur justo, satiat, ita ut moveat amplius acquirenti cupiditatem: proinde cum eorum possessio tribuitur ei, novum accipit erga spiritus bona votum: *augent enim spiritales deliciæ desiderium in mente, dum satiant, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur quod avidius ametur.*

D. Greg. M. to. 2. ho. 36. in Evan.

Testari videtur hanc veritatem satis experta Canticorum Sponsa. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Arbor cujus hic mentio fit, Christus Dominus est, exponente sic eodem Gregorio. *Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus per fidem existit: quam si mens nostra dignè diligit, & instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros & utiles gignit: quos dum mens avidè comedit, omnes mundi voluptates, præ ejus dulcedine postponit.* Sed quare sponsa non dixit hujusmodi fructus dulces cordi suo; Sed gutturi? nonne præcordiis gustantur? Ita quidem: sed hæc dulcedo cordium excitat vota: quasi non ad pectus descendisset alimentum, & in gutture sisteretur, ut locus fieret aviditati noviter comedendi. Hæc est cælestium bonorum indoles, cùm temporaliter prælibantur: famem accendunt; quantumlibet amantem saturent.

Cant. 2. 3. D. Greg. M. to. 2. com. in Cant. ibi.

FLOS XXVI.

Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum.

APERITUR.

1. INterpretes aliqui duplicem adhibent expositionem isti versiculo, quia versioni Septuaginta (quæ in præsenti dissidet à vulgata) fortè plus æquo deferunt. Vulgata continet similitudines duas: alteram inter impium ac tempestatem: aliam inter justum & solidum fundamentum. Lectio Septuaginta neutram comparationem exprimit: sed tantum justum contraponit improbo, quòd ille stet, inque fœlicitatem perpetuam transferatur; hic autem evanescat ingruente compressus turbine: *prætereunte procella deletur impius: justus autem inde declinans servatur in sæculum.* Standum Vulgatæ, quæ unicam recipit expositionem, & omittenda Lectio Septuaginta. Scio Tenam docere, quod probabiliter sustineri potest editionem Sept. quæ nunc extat, exceptâ supputatione annorum ubi Vulgatæ contradicit, in reliquis esse authenticam, & regulam fidei secundùm se, licet careat Ecclesiæ approbatione: cui doctrinæ favet Lusitanus Macedo. Sed inprimis quomodo hæc stent cum decreto Pontificio, quod habetur in regula 3. Indicis Romani, quâ de veteris testamenti versionibus, præter Vulgatam, interdicitur, ne illis utamur tanquam sacro textu, penitus ignoro. Deinde Tena loquens de lectione Hebraica resolvit quod in rebus fidei, ac morum (& ego dicerem eadem ratione de rebus omnibus idem) si contradicere reperiantur Vulgata, & Hebræa: hanc esse corrigendam per illam, & non econtrà: quia ex diffinitione Triden. fide sanctum est Vulgatam esse authenticam; Hebræam verò talem esse tenetur probabiliter de hac quæ nunc extat: nam regula juxta quam aliquid emendatur,

L. Cl. Sept. Prov. 10. 25.

Tena in Isagoge. l. 1. diffic. 5. sect. 5. conclu. 2.

Macedo. l. d. clavibus Petri.

emendatur, certior eſſe debet eo in quo fit correctio. Idipſum applica verſioni Septuag. Proinde impreſentiarum illam omitto, quia cum vulgatâ non cohæret.

Juxta lectionem igitur noſtram fieri quæſtio poterit, an hoc verſiculo vita nequam æquiparetur tempeſtati; ſeu tantum elata fælicitas iniqui? ſimiliter utrùm proſperitas juſti fundamento ſempiterno comparetur; vel ejuſdem vitæ curſus? Ratio dubitandi patet. Juſti vita nequaquam æterna eſt: igitur de illa non agitur in poſteriori parte, quâ dicitur: *juſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum:* ac pariter de priori videtur dicendum, ut hemiſtichium utrumque reſpondeat ex æquo mutuè. Pro contrario ſenſu dicet aliquis, illa verba: *non erit impius*, ægrè poſſe de mali potentiâ, facultatibus, & pompâ ſumi; ſed ad ejus perſonam referri: nam ſi non loqueretur Salomon hoc ſenſu, diceret: impij ſuperbia non erit. Vnam & alteram interpretationem judico probabilem: ſed illam præfero; quæ de ſceleſti fortunâ, elatione, apparatuque horriſono textum intelligit, ex ratione data proxime. Eſt aptiſſima inter mundana ſortis bona, tempeſtatemque analogia: vita namque mare: quæ turbant illam, quid niſi procellæ dicenda ſunt?

Jacob. Billus in authol. ſacr.

Vita mari eſt ſimilis, namque ut mare vita procellas.
Hæc habet, & ventos naufragiumque frequens
Nil ſtabile in vita, nec in æquore cernitur umquam:

Juſtus, fatemur, inhabitat æquor idem: ſed morem turris inter medios gurgites immotæ conſtans exprimit, quam venti perflant ſed non commovent, fluctus quatiunt, ſed non impellunt.

3. Pagni. Salæ. in Prov. 10.25. *Tempeſtas.* Vox Hebræa huic reſpondens ſecundùm Pagninum ſignificat ventum valde frigidum & violentum: ex interpetre perdocto Salazar, nubem, aut nimbum. Elige cui malis fidem adhibere, ſed quidquid ex his præferendum judices, ſemper partem pro toto, ideſt vel nubem ſeu ventum pro tota tempeſtate quæ nubilis flaminibuſque ſolet coaleſcere, dixerim accipiendam eſſe.

Non erit. Comformiter ad expoſitionem quam elegi numero ſuperiori: non de morte, ſeu deſitione ſimpliciter, hæc intelligo verba; ſed tantùm ſecundùm quid exponenda puto, ſcili: pro ſortis amiſſione: ſuperbus etenim cum abjicitur de fortunæ culmine, vel pellitur à deliciarum lecto, velut periiſſe credi poteſt. Sic Nabuchodonoſor non adhuc vita privandus, ex throno deponendus ad tempus, aſſimilatur arbori quæ ſuccidítur apud prophetam Danielem. Sic etiam prodigi ad infimam paupertatem projectio, dicitur à genitore mors: *mortuus erat & revixit.* Luc. 15. 32.

Impius. Gloſſ. Ordi. necnon Interlinearis, verbum hoc limitant ad perſecutores Eccleſiæ: ſed ſicut in poſteriore dogmatis parte ſermo fit de juſtis univerſim, ita priori de hominibus iniquis generaliter agitur hic.

Juſtus autem. Cohærenter ad ſupra dicta mentionem exiſtimo nunc haberi de probo dum vita manet: fruſtraneum quippe videretur aſſerere, quòd juſti fælicitas in cælo ſolida ſit. Favet lectio Vatabli: *juſtus verò permanebit in vita, ſicut fundamentum mundi perſeverat.* Nec obſtat vox illa, *ſempiternum*: quia cum Scriptura crebro dicat æternum quod diu permanet, quamvis tandem finiatur: phraſis à juſto non diſcordat. Simili ſtylo terra Chanaan Jacobo danda dicta fuit & ſemini ejus in æternam poſſeſſionem: *daboque tibi terram hanc, & ſemini tuo poſt te, in poſſionem ſempiternam.* Similiter de templo Salomonis Deum dixiſſe legimus: *Sanctificavi domum hanc quam ædificaſti, ut ponerem nomem meum ibi in ſempiternum* &c. Lect. vatab. Prov. 10.25. Gen. 48. 4. 3. Reg. 9 3

Quaſi fundamentum ſempiternum. Dupliciter hoc exponi poteſt: primò ut ſit illud, *quaſi*, nota ſimilitudinis. ſecundò ſic ut accipiatur tanquam ſignum aſſertionis. In priori ſenſu juſtus aſſeritur compar ſolidiſſimo domus prudenter ædificatæ, vel urbis munitæ fundamento. Juxta poſteriorem ipſe rectus dicitur fundamentum ſibi: *juſtus ipſe ſibi caſtrum eſt*, dixit Ambroſius. Et merito ſic aſſeverari poteſt: quia non opibus, potentia, vel Principum gratiâ nititur; ſed præſumptione pia de veracitate Dei, qui ſuos protegit incomprehenſibili providentia. S. Ambr. to. 2. expo. in pſ. 38. n. 2.

DELIBATIO I.

Fama ſceleſti ſimilis eſt fragori tempeſtatis.

IMpij caduca deſcribitur proſperitas in tempeſtatis ænigmate: *quaſi tempeſtas* &c. Illud med andum in procella citiùs occurrit quòd longiùs poſiti percipiunt: nempe ſonitus. Hunc ſi famam intelligis vulgarem, aëreoque ſtrepitu perſonantem, ad mentem loqueris M. Gregorii alibi: cujus verba licet aliorſum prolata vide infra n. 9. vaſa vacua ſonum reddunt igentem: ſic virtutibus inanis reſonat plauſu fere communi. Ad illud pſal. *non movebor à generatione in generationem ſine malo*, dixit Auguſtinus: *ideſt fama mea, & nomen meum de hac generatione in generationem poſterorum non tranſiet, niſi artibus malis adipiſcar tam excelſum principatum, de quo poſteri tacere non poſſint. Animus enim perditus eſt expers bonarum artium, atque à juſtitiæ lumine alienus, malis artibus ſibi adjutorium molitur ad famam tam diuturnam, ut apud poſteros etiam celebretur. Et qui non poſſunt bene innoteſcere, cupiunt vel male de ſe homines loqui, dummodo nomen eorum latiſſime pervageturr.* 4. *Magnus erit, & famoſus qui nequam.* Pſ. 9. 27. D. Aug. to. 8. ibi.

Idiomate ſæculi dicuntur magni qui violentiis, aliiſque criminibus turbinem imitantur atrum. *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis, poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Exponit Caietanus: *deſcribuntur autem gigantes à gigantibus geniti, tum à robore* Gen. 6. 4. Cajetan. ad eum loc.

bore corporali, tum à fama æterna, dum dicitur: isti sunt potentes à sæculo viri famosi. Quæstio est an hi verè fuerint gigantæa corporis mole præditi. Negare videtur Chrysostomus: *gigantes hic*, ait, *à Scriptura dici opinor robustos corpore.* Statura non eminebant monstrosa? cur ergo gigantes appellantur? Morum ferocia magnitudinis peperit nomenclaturam, quasi sint apud homines (quorum se fragilitati citra falsitatem sacer textus accommodat) synonima gigas & iniquus. Qui feroces, ac invalidæ plebis oppressores per potentiam sunt, iidem sunt *viri famosi.* Unde pro cadentibus sive gigantibus violentos interpretatus est Symmachus. Lipomanus autem ait: *gigantes igitur hujusmodi post omnia latrocinia & violentias, aggrediebantur filias hominum libidine corrupti turpissima, filiosque genuerunt sibi robustos, violentos, feroces, hominum oppressores. Ex immanibus flagitiis suis nomen sibi parantes perpetuum* &c. Da sceleribus infamem, eritque super æthera notus, re pusillus, nomine maximus.

Chrysost. to. 2. hom. 22. in Gen.

Lipom. in cate. Gen. 6.

5. *Etsi congruat impio latere, reboabic ejus fama.*

Imo quamvis impio convenientissimum sit ad intentum sibi finem consequendum latere: neutiquam valebit abscondi; sed ejus famæ rumor longissimè personabit: nam ipsum de quo peccator erubescit collaudatur. S. Ambrosius. *Sapientia carnis istius retusa cælestibus imperatis in suis criminibus erubescit.... Opulentus in divitiis laudatur, luxuriosus in conviviis, scortator in nocte, potens in hac vita quæ habet noctes.* En cùm latere sit opportunum peccatori, delicti reboat clangor.

S. Ambr. to. 2. expos. in ps. 43.

Non è ratione; sed ab experientia comprobabo dictum. Sic expertus est populus Judæ, vaticinatusque fuit Jerem. loquens enim de terrifico minis exercitu, quo Nabuchodonosor Ierosolymam vastavit, duo profert, quæ prima facie præ se ferunt antinomiam non mediocrem. Et subitaneum fore prænuntiat ejus adventum, dicens: *filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.* Et paulo priùs nomine plebis ejusdem propheta dixerat de Assyriorum acie: *Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ:* commentatur ibi Lira: *loquitur Jeremias ex persona populi Judæ.* Statim cietur scrupulus: qui repente venturus erat, quomodo fieri poterat ut famâ notus esset? Sed parumper sustine quandiu meditor apud Isaiam quæ de Rege potentiori, scilicet exercituum Domino cum advênit in terras, non pacem mittere, sed gladium, prædicta leguntur apud alium vatem. *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.* Quæ verba de Christo Domino commentator canonicus Matthæus explicat. *Ut adimpleretur*, ait, *quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem.... neque audiet aliquis in plateis vocem ejus:* Expectatissimus Messias, qui minimè timebat hostes, adamavit silentium! Assyrij quorum intererat silenter advenire, quò civitatem repentina cæde vastarent impunè, non valuere latenter viam carpere, quin eorum fama perveniret a aures Judæ! *Audivimus famam ejus.* Utriusque textus vatis, ni fallor tacitè rationem insinuat qua scrupulum deponas. De Messia dixit vates Evangelicus Dei nomine locutus: *complacuit sibi in illo anima mea:* & infrà. *Non erit tristis neque turbulentus.* Is in quo Pater sibi complacuit, sanctitatis norma, virtutum exemplar, latebat ignotus: infans opertus pannis, adolescens inter fabrilia instrumenta, vir in pauperie summa, tandem in passionis ignominia. De Assyriis verò dicitur crudelitate vitiari: sed statim subjungitur quàm longè productum edituri forent sonitum: quasi atrocitas impia famigerationis matrix esse denotetur: *ecce populus venit.... crudelis est & non miserebitur. Vox ejus quasi mare sonabit:* unde fama de qua legitur: *audivimus famam ejus*, est de ipsâ crudelitate notitia publica: *audivimus famam q. d.* ait à Lapide, *solo rumore & fama adventus & ferocitatis Chaldæorum perculsi, & penè exanimati sumus.* Et Maldonatus ibidem: *idest sola auditione crudelitatis ejus exanimati sumus.* Mirè concinit textui nostro similitudo maris, ut videas frequens esse malorum crudelitati famam, veluti procellæ fragorem adsociari. O quam disertè Salomon impij potius horrisonum, quam præclarum Echo, tempestatis ænigmate depinxit, inquiens: *quasi tempestas* &c.

Isai. 42. 2.

Matt. 12. 17.

Isai. 41. 1. & 4.

Jerem. 6. 22. 23.

A Lapi. in Jerem. 6. 24.

Maldo. ibid. n. 26.

6. *Nihil prodest iniquo nomē pulchrum.*

Nihil de turbinis hujus, seu mobilis famæ duratione præmiserat Ecclesiastes: & jam de transitu, seu illius extinctione monet? Sic effatur prudentissimus Israëlis Monarcha, ut insinuet quàm parum famigerato valeat prodesse, quod tam pernici volatu disparet. *Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit*, dixit Sophar. sæpius experimur eundem, qui volitabat heri per ora populi, hodie oblivionis condi sepulchro, præsertim si ab oculis exulet: nam *colit mundus præsentes, absentes nescit*, ut ait Gerson. Et esto quod solito longiùs protrahatur clamorosum decus illud, ad summum insculpitur epitaphio, nec ultra producitur. *Laus cum vita præterit*, ait M. Gregor. *& humanus favor in judicio non subsistit.* Scio quorundam nomen post fata supervivere, licet pessimi fuerint moribus. Age, demus famam alas deponere, stabilemque perennare: quid hoc? Frequenter mera nomina sunt, nec tibi nomen conferunt: non es melior si laudaris: *nec sanè fama*, dixit Bernardus, *valebit vendicare virtuti quod esse vitium convicerit conscientia. Erit quidem virtus contenta candore conscientiæ, ubi sequi non poterit odor famæ, cæterum odor famæ nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris.* Quid prodest iniquo decorari nomine pulchro? nonne diabolus apud Apostolum vocatur Deus hujus sæculi? *Deus*, inquit, *hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*, ubi Gloss. *vel Deus sæculi superbia, vel ingluvies, vel diabolus princeps mundi, qui sæcularibus principatur.* Ecce nomen sanctissimum spiritui pessimo nihil sanctitatis adducit. Hominum nomenclatura sæpissimè discordat ab eis quibus contigit, ut passim videre licet.

Jerem. 6. 26.

Ibi n. 24.

Liran. ibi.

Job 20. 4. 5.

Gerson 3. p. epis. d. convers. & perseverantia.

D. Greg. M. to. 1. l. 8. mor. a. c. 27.

S. Bern. ser. 71. in Cant.

2. Cor. 4. 4.

Gloss. Ord. ibi.

Davidis filius, qui adversus parentem

nova

nova bella gerere non eſt veritus, nomen accepit Abſalom quod interpretatur : *pater pacis*, qui potius dici debuerat : bellum patris. Alter ejuſdem regis natus, qui ſororem Thamar quia ſpecioſa plurimum amavit fœdè, ac ægritudinis per cibum accuratiorem levandæ prætextu vocatam violavit infideliter, dictus Amnon fuit, quod valet idem atque : *fidelis*. Propheta quæ fugit à facie Domini, vel Ninivitarum reconciliationem ægrè ferens, vel propriæ famæ conſulens animo ſatis duplici, Jonas appellatus eſt, quod ſonat : *columba*. Dynaſta potens apud Syros, qui lepræ curationem obtinuit ab Eliſeo, nomine formoſus extitit : Naaman quippe redditur Latinè : *pulcher*. Sic non proficiunt inſignia nominis quod opere dehoneſtas. *Non decet ex nominis ſignificatione de moribus judicare*, proloquitur Demoſthenes. Demoſth.

7. *Nomen illuſtre, ſi velint homines, vertitur in probrum.* Ariſtot. l. 1. d. interpret. c. 1.

Imo ſæpe nominum decus inconſtantia mundialis ita verſat, ut eodem, ſi placet, abjiciat nomine, quo ſublevare poſſet. *Nullum nomen naturâ conſtat*, ſcripſit Ariſtoteles. Parum firma ſunt quæcumque tranſeunt : at nihil mutabilius eo quod ab opinione pendet humana. Crede non ſolam voluntatem hominis inconſtantem : æqualiter inſtabilem ejus intellectum puta. Quamvis non hic, ſed illa, polleat libertate ; judicium tamen humanum appetitu mobilius eſt : hic enim propterea nunc odit quod amaverat, quia novum proponitur illi motivum. Sed intellectus ut mutet ſententiam nihil novi præſtolatur ab aliquo proponente : ſi deſit quod moveat, ipſemet fingit quod arrideat, & hoc ſomnio ductus judicat pro libito. Illuſtre nimis nomen, ſi placuerit homini, vertetur in contumeliam.

Nonne decorum ſatis erat nomen Jacob ? Ex eo quòd plantam fratris tenuit ille ſic dictus eſt. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu : & idcirco appellavit eum Iacob.* Quæ pedis apprehenſio præcellentiam fratris minoris erga majorem præſignabat ex mente Chryſoſtomi, quem dabimus aliorſum flore præſenti delibat. ſ. n. 28. Ecce nobile nomen erat Jacob ; attamen hoc idem ex ore fratris Eſau prolatum fuit velut germani, quem oderat, opprobrium, quaſi valeret idem atque fallax, ſeu verſipellis fraudator. Dixit etenim, poſtquam comperit Jacobum paternam benedictionem præripuiſſe : *juſtè vocatum eſt nomen ejus Iacob : ſupplantavit enim me en altera vice.* Ut contumelioſum conjicit frater in alterum Jacobi nomen quod verè præ ſe ferebat honorem : imo & oportuit ut ei angelus, vel fortè Deus ipſe nomen commutaret in aliud, ne Jacob appellatio tanquam infamis acciperetur à vulgo, ſicque Jacobus dedecus pateretur maximum. *Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël* &c. Hominum arbitrio ſubeſt nominis decus. Præcelſus eſt regis titulus : hunc tamen in opprobrium Chriſti Domini juſſit Pilatus cruci præfigi. De nomine quid gloriaris ? cùm ferè nullum ſit quod, ſi volet mundi libitum, non ſit facillimè vertendum ad infamiam.

Gen. 25. 25. Ibi c. 26. 36. Ibi c. 32. 28.

8. *Peccator ſonitum, edens aperit defectus proprios.*

Verumenimverò quin hominum judicio decernatur (dictis addo) inſigne famoſumque peccatoris agnomen quo reſonat, probrum eſt ejuſdem : nam per id quod ſignificat, detegit quod honorato deeſt.

Solus honor meritò qui datur ille datur. Parcè loquitur Seneca dum ait : *cito ignominia fit ſuperbi gloria* : ſupponere namque videtur priùs illum gloriari ; & poſtea gloriam in labem verti. Potius dicerem cujuſque impij ſplendorem quo celebris exultat, eum nequaquam inſignire, ſed illius defectus propalare : qui fortè laterent, niſi tam longè lateque faceret apparatu ſuo reſonare clamoribus æther. De illis qui ad memoriæ ſuæ immortalitatem ædificant, dixit Chryſoſtomus : *igitur hoc non eſt memoriam aſſequi ; ſed perpetuis obiici criminibus, & etiam poſt mortem infamari.* De cæteris idem aſſerere poſſemus : nam experientia compertum eſt eum cui virtus deeſt, ſonitu ſuo nævos proprios aperire nolentem. Iuven. ſat. 14. Sen. in Prov. Chryſoſt. to. 1. hom. 30. in Gen.

Gentium Doctor, ut inſinuet charitatem virtutum eſſe vitam : quæ ſi abſit, quantumvis magiſter mira paſſim eructet, quidquid perſonet emortuum eſt, ait : *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Liran. ibi : *ſonus enim talium quantumcumque ſit diſertus, non tamen eſt vivus.* Fateor in hoc aſſimilari ſonum cymbali vocibus doctoris, qui charitate deſtituitur, quod ſonus ejus vivens non eſt : attamen diſſidet valdè ille fragor à verbis humanis. Fortaſſis non deeſſet qui judicaret aptiorem ſimilitudinem, ſi cum echo verba præceptoris nequam Apoſtolus conferret : etenim echo vocem imitatur humanam, etiamque vivens non eſt. Cur omiſit hoc emblema ; potiuſque cymbali crepitum elegit ? Puto, quia licet inane ſit echo, vacuitatem ſuam tegit, & ita quod audientem fallat ; cymbalum autem ſi fractum ſit, ſtatim cum ſonat vitium ſuum cunctis patefacit. Haud aliter ille qui orbatus amore Dei, projectus extra ipſius amicitiam, jacet : ſtrepit voce more cymbali, nam fragilitatem ſuam revelat ipſe clamor. Illi fama conciliat infames notas, *quaſi tempeſtas*, quæ matis undas, quas putares cryſtallinas inficit, facitque luteas. 1. Cor. 13. 1. Liran. ibi.

9. *Miſerior deceptus ab adulatore, quàm preſſus ab hoſte.*

Duplicem adhuc circumſtantiam tempeſtatis famigerationi peccatoris adapto. Procella, inquam, iis qui ex littore conſpectant, commiſerationem ſuadet, metumque movet. Quoad primum. Laudum popularium flatus jam pridem turbini M. Gregorius duxit æquiparandos, qui bonos velut arbores radicem agentes avellit, quid erit impio, qui terrenum navigat æquor, ubi nullus radices figere valet ? *Cùm autem neque intelligentia, neque operatio, corrumpit, ſed excreſcente magnitudine, dum favor laudantium ſequitur atque ab ſtatu ſuo benè operantis animum evertit : linguarum ventos arbor pertulit, & omne quod in ea robuſtum creverat, tempeſtas fama radicitus evulſit.* Non auderem leniſſimam popularis Favonij auram dicere tempeſtatem niſi prius in tanto doctore relata perlegiſſem. Si dum ſtrident venti quatiuntur annoſæ quercus, & incerto furori cedentes ruunt : quid patietur miſera cymba fragilis & erratica, Gre. M. to. 1. l. 22. mor. c. 5.

tica, sæcularibus aquis immersa? impius, inquam, Laudum Aquilone jactatus, potiùs quàm jactabundus. Calamitosa plus est eorum conditio, qui turbidum istud mare secant excæcati, cum falsis efferuntur præconiis quàm postea dum infælicitatis tempore concutiuntur ictibus hostium: hi namque percutientes lædunt sensum, & relinquunt illæsam rationem; blanditiæ verò sentientes aliter quàm præconantur, decipiunt miserandos. Hoc rationalem hominis portionem vulnerat: quæ cum sit nobilior, teneriori misericordiâ digna dicenda. Philonem audi. *Quid igitur aliquis mente sanus diceret? nonne inimicos magis quàm amicos, & vituperatores magis quàm laudatores, etiamsi dragmata integra encomiorum accipiant?* Hucusque Philo: quibus addo: minùs ætrumnosus est qui ab inimicopremitur, quàm si ab adulatore fallitur.

Philo. hebr. to. 1. l. d migrat. Abrah.

Videns Evangelicus de populi sui cæcitate condolens inquit: *Populе meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Commentatur ibi Cornelius à Lapi: *monet populum ex siuceræ compassionis affectu, ut agnoscat se decipi à suis scribis.* Post pauca vates orationem deflectit adversus ejusdem populi oppressores, eos interrogans quare sic se gerant: quasi volens eorum obviare tyrannidi. Attamen hoc non suo, sed nomine Dei profert. *Quare atteritis populum meum & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?* Vel utrumque videbatur proferendum ab Isaïa nomine proprio; vel neutrum. Quare cum deceptionem accusat, loquitur prophera? dum crudelitatem frænare cupit, non ex propriis fatur; sed autumat hæc à Deo dici? Fortè quia plus misertus est de circumventione plebis, quàm de vulneribus ejusdem. Ideo hæc divinæ remittit justitiæ more humano rem examinanti (*quare atteritis populum* &c.): quasi de hoc vates non adeò fuerit cordis dolore tactus, ut statim remedium offerat ipse doctrinæ suæ. Eorum autem, qui falsis laudibus Hebræos dementabant, non potuit idem non detegere fraudes: nomine suo monet, eosque populum suum nominat miserantis affectu: *Populе meus* &c: plus condolens de hoc quòd vanarum laudum fallaciæ fidem haberent, quàm quòd tyrannicis oneribus commolirentur. Justus, qui virtutis portu sedet, de malis compatitur seriò, cùm illorum encomia perstrepunt quasi tempestas. Sævitia quam videmus executam in alieno capite, quâdam arcana vi suadente dolorem extorquet. Inficiaberis laudationem impiis oblatam sævam esse? *Vide oro*, dixit Gerson, *quemadmodum crudelior altera non est impietas, quàm dum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Et infra ibidem. *Et heu jam (inquit misericordia) nedum jam non aperitur iniquitas per prophetas, prælatos scili. doctores, & confessores; sed justificatur, sed attollitur, & defenditur etiam in medio templi.* Vidisti non liberè dictum quod iniquus præconiis evectus misericordia dignus est?

Isaï. 3. 12.

A lapi. ibi.

Ibi. n. 15.

Gers. p. 1. Ser. in die Purif. in Concil. Constanti.

Nunc ad secundum. Ceu qui cernitè ripâ naufragantem puppim non tantùm condolet, sed naturaliter commovetur ad pavorem: sic ille qui discrimen scelerati fœlicis recogitat, non tantummodò pietate, sed timore quatitur, si lucem præstante flamma charitatis eum intuetur inter laudum fumos elatum. Nam ut M. Gregorius de justo sub ænigmate scribit arboris: *Si autem valenti robore jam ad alta se sublevat, valde formidandum est ne hanc admotæ laudis ventus gravior radicitus evellat.* Flagitiosos à similibus tantùm celebrari solitum est: sontium autem laudatoriæ voces timendæ sunt potius quàm exoptandæ. Bellè S. Hiero. haud certus *non eorum laudibus delectemur, qui non alios quàm sibi similes laudant.* Nil facilius delectationem sedat (de remediis loquor humanis) quàm formido: ne delecteris prædictis, éadem pave. Merito quidem plus est pertimescendum à discolis efferri laudibus, quàm ab adversario tribulatione comprimi.

10. *Plus time malorum laudem, quàm tribulationibus opprimi.*

D. Greg. M. proxime sup.

Incertus S. Hiero. to. 4. epist. ad Occeanum. 2. d. ferendis opprobriis.

Oravit regius Psaltes Deum ne sineret se peccatorum laudationibus deliniri. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Commentatur D. Prosper: *intima, inquit, conscientiæ meæ non oblectet falsa laudatio: quoniam argui me malo quàm decipi.* Insuper addit vates, sibi non cessandum ab orando circa rem hujusmodi. *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum:* exponit Lorinus: *sensus verò tunc erit adeo se abhorrere ab adulatoribus, & à communicatione cum improbis, ut non cesset orare, ne vel particeps sit eorum quæ ipsis placent, & antea vocata sunt electa eorum: vel* &c. Retrocede, quæso, ad ps. 38. ubi legitur: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis* &c. Iniquum expertus adversarium, non hic orasse dixit, sed tacuisse! cum autem de laudibus improborum agit, rogat obnixè ne contingat ipsis ejus animum demulceri? Jure optimo plus timendum existimavit à scelestis laudari, quàm ab hoste peti. *Libentius præterea*, inquit S. Basilius, *aliquis aspexerit iratum amantem, quàm adulantem adversarium.* Cùm audieris mundi fluctibus ad astra vehi nequissimos, non fælicitati vertendum putes; minimè fortunæ lenis aura hæc est, sed *quasi tempestas.*

Pf. 140. 5.

S. Prosp. in ps. 140. ibi.

Pf. proxim. super n. 6.

Lorin. ibi.

Pf. 38. 2. 3.

DELIBATIO II.

Quàm brevi duret impij magnitudo.

PRæcipuum est in priore parte versiculi quem præ manibus habemus, admonere quàm brevi fugiat gloria sæculi hoc enim valet illud *quasi tempestas transiens* &c. Quæ veritas, quantumvis fores ei claudat vanitas: tam intimè se nostris ingerit mentibus: ut nec Satan, cui mille fallendi sunt artes, queat istiusmodi brevitatem contegere dolis. Plura Dei Filio promisit ille; si cadens adorasset

11. *Ocyus peribit cui contigit adorari.*

adoraſſet eundem: non tamen horum fugacitatem curavit abſcondere; imò ſatis expreſſit eam, cum in momento Salvatori celer oſtendit regna mundi. *In momento enim*, ait S. Ambroſius, *cuncta illa præcreunt; & ſæpe honor ſæculi abiit antequam venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cum ipſa diuturna non ſint ſæcula? Docemur hic inanis ambitionis flabra deſpicere, quod omnis dignitas ſæcularis diabolicæ ſubjaceat poteſtati, ad uſum fragilis, & inanis ad fructum.* Flabra vocat ambitionem ideſt hujus materiam: quidquid, inquam, venit mundanæ gloriæ nomine; quam vento ſimilem tranſire monet Ambroſius, ac Salomon adſtipulatur, dum ait: *quaſi tempeſtas tranſiens* &c. Divino pene cultu fruuntur illi quos extulit turbo fortunæ. Sed neſcio qualiter adorationem durationem præſcindat adorati. *Qui heri in tribunali ſedebat ſublimis, qui præcones habebat voce magnifica clamantes, & multos præcurſores, & circa forum inſequentes, hodie vilis, & abjectus, & omnibus illis ſpoliatus, & nudus inſtar pulveris excuſſi, & undæ præterfluentis, ſe habet.* Ita Chryſoſtomus. Experientiis ne refragetur ambitio. Velociùs perit illud cui cõtigit coli.

S. Abr. to. 3. l. 4. in Luc. c. 4.

Chryſoſt. to. 4. hom. 7. in c. 3. ad Coloſſ.

Noſti citò redactum in pulverem vitulum quem formavit Aaron. Hodie prodivit ab igne; cras ad flammas regreſſus eſt, & comminutus. Eccur non poſt delinquentium cædem ſervatum fuit idolum in vindictæ memoriam? Memini virgam quæ miraculosè fronduit, ut ſedaret audaciam tumultus in poſterum adverſus Aaronicum ſacerdotium, conſervatam juſſu Dei: *refer* (inquit ad Moyſem Dominus) *virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, ut ſervetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël.* Servatur virga? conteritur aurum? Quidni, ſi non virgam adoravere; ſed vitulum? Perit citiùs id quod immeritò venerabunda reveretur cæcitas. Vitulum quamvis ex Auguſtino ſignificaverit impios omnes: tamen ſi per alium mihi liceret, dicerem, eorum coram quibus mundus genuflectit ænigma fuiſſe: tũ quia ſimulacro fuit impenſa clamoroſa celebritas: tum quia non integer vitulus, ſed caput erat, ut aſſeruerunt Cypria. Ambr. Hiero. Lactant. & Auguſt. cujus accipe verba. *Hoc fecit Moyſes in illo capite vituli. Caput vituli magnum ſacramentum. Caput enim vituli corpus erat impiorum.* Capitum, hoc eſt magnatum ſæculi, cur non putaverim emblema caput? Iſtis quos adoratione proſequuntur ſpes ac metus, conciſior eſt ſortis uſura: hodie cælo tenus efferuntur; craſtina luce depreſſi diſparent.

Exod. 17. 10.

S. Aug. to. 8. in pſ. 61.

12. *Humanæ gloriæ ſedes infirmis fulcitur fundamentis.*

Ratio eſt in promptu: *ſine pedibus dicunt eſſe fortunam*, ait Curtius, proindeque ſtabiles radices non agit, quantumvis floreat, & fructus edat. Non ideo tantum verum hoc eſt quia ſeipſam continere non valet fœlicitas (*vacua enim ſunt univerſa quæ cernimus, & quæ infirmis radicibus poſita*, inquit Cyprianus, *ſoliditatis ſuæ vim nequeant ſuſtinere*) ſed quia præcelſæ gloriæ pondus ab alienis manibus pendet: quæ cum ſibimet ſecuritatem ſtabilire nequeant, nec etiam fortunati pompam tutari ſufficiunt. *Da conſilium utile.* (inquit Seneca) *Quæris quid fœlici præſtare poſſis? Effice ne fœlicitati ſuæ credat: ſciat illam multis, & fidis manibus continendam.* Manibus, inquam, alienis eget gloriæ male fulta ſedes: illæ verò nullo nixæ corpore ſolido thronum ægrè poterunt obfirmare citra diſcrimen ruinæ.

Curt. l. 7. Cypri. l. de laud. martyrij.

Sen. lib. 6. de benef. c. 33.

Fabricari juſſit rex Salomon ex ebore ſolium, pulcherrimum artis opus auroque prædives. Vna & altera manus tenebat ſedile majeſtatis; nullum tamen erat corpus à quo prodirent manus iſtæ; ſed juxta illas hinc, & illinc adſtabat leo: *duæ manus hinc, atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas.* Ne feſtinus prætereas quod ſubſellium non ſuper Leonum dorſa vel capita nitebatur: ſed manibus, quæ nullius corporis erant, fulciri narrat hiſtoria. Forſan id abſque acumine factum? Non credam. Nequaquam leonina fortitudo ſuſtentat humanæ poteſtatis magnificam & micantem ſellam. Quibus ergo ſuffulcitur ſtabilimentis? Manibus ex nullo corpore vim accipientibus: quæ cum ſeipſas tenere non valeant: quomodo fœlicitatem alienam à ruina tuebuntur? Vario metallorum genere cæca, licet prudens antiquitas idola conſtruxit. Solius fortunæ ſtatuam ex vitro fertur effinxiſſe: quo ſic doceret proſperitatem, non quia fulget ideo ſolidam; ſed potius vitream reputandam. O quot hujuſmodi clariſſimas imagines, velut cryſtallum vidimus in fragmenta diſſipari! nec ideo quiſque fragmen quoddam exinde ſibi ſumit, ut ſpeculum in eo reperiat, quô ſuam cominus inſpiciat fragilitatem. *Fœlices qui alieno caſu potius quàm proprio humanæ fragilitatis infirma addiſcunt, & ad humilitatis gratiam proficiunt.* Hæc Ricardus à S. Victore.

3. Reg. 10. 19

Ric. à S. Vict. 1. p. l. 2. d. eruditione interioris hominis c. 31.

Nonnemo dixit in fortunæ ſcala (qua neſcio arte conſtructâ) plures inveniri gradus dum aſcenditur, quàm pro deſcenſu. Melius diceret è ſortis culmine vix ullum eſſe qui pedibus demittat ſeipſum gradatim; fere cuncti ruunt: ideo velociùs diſperditur, quàm aſtruitur celſitudo. Magnitudinis apicem induſtria ſic molitur, ut citò ſcindatur in partes. Providentiæ cæleſtis nutus hic eſt, ne ſempiterna putetur ſublimitas, & ſic invalidos tyrannice premat potens formidinis expers. D. Auguſt. expendens illud Pſal. 36. *Et quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus*, ait: *Quis eſt locus ejus? quo nunc habet poteſtatem, habet divitias, habet quendam ordinem ſuum in rebus humanis, & multi ei obſequuntur, ut jubeat & audiatur.* Si faſtigium ad quod evehitur fortunatus permaneret in ævum, ipſe ruinam prorſus oblitus intolerabiliter ſuperbiret: oportuit ejus conditionis eſſe thronos, ut citiſſimè diſpergantur in fruſta.

13. *Throni citò diſſipantur.*

Pſ. 36. 36. S. Auguſt. to. 8. in pſ. 36. 36.

Volens Altiſſimus domum Achab regis perdere, necnon Jezabelem horrendo punire ſupplicio, regnum Iſraëliticum detulit ad Jehu per manum cujuſdam de filiis prophetarum: qui monitus ab Eliſeo perrexit in Ramoth, inventumque Iehu advocavit ſeorſum, & in cubiculo, more ſolito fundens oleum, illum in Dei nomine regem unxit

Israël : aperuit ostium , ac aufugit. Egresso Jehu scisciantur principes exercitus quid rei accidisset. Cùmque narrasset idem quod sibi nihil tale cogitanti recenter evenerat, cupientes (ut mos est aulicis) novi regis gratiam captare festinanter , ex humeris pallia singuli detraxerunt , glomerataque simul omnia per modum erexere solij , supra quod
4 Reg.9.13. fuit constitutus rex novellus. *Festinaverunt itaque , & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius , in similitudinem tribunalis , & cecinerunt tubâ , atque dixerunt : Regnavit Jehu.* Res mira ! Tam celeriter oportebat solium recens inaugurato regi præparari , quòd è palliis compactum fuerit suggestum regiæ majestatis ? Imo de vestibus alienis elevari , quid indecens videri posset regnantem. Prudenter actum est: & fortè non sine peculiari Numinis directione. Cernat Jehu quemnam verticem conscendat. Non ex marmore , quod æternitatis æmulatur constantiam , nec ex ligno, vel saltem lateritia materia , quæ per aliqua temporum spatia starent , fabrefacta fuit regalis cathedra: ne crederet longissimè perduraturum sibi sceptrum ; sed caducum bonum sibi videat obtigisse. Scandit brevi dissolvendum tribunal : nam principum quisque post hujusmodi functionem peractam (sic est credibile) pallium suum resumpsit ut iret exinde : dissipatumque ita est quod pede terebat cacumen. Opportunum fuit hoc vidisse recens creatum monarcham , ne insolesceret inopinato diademate : teste namque
S.Greg.Nazian.orat.d. vitæ itineribus. Nazianzeno, *dignitatum fastus mera sunt insomnia.*

14. *Humana gloria perit velut cogitatio.* Plura sunt quæ circumstant gloriæ mortalis apparatum : divitiæ nempe , gaudium, adulatio , spes , terror alienus , & amicorum turbæ. Pollicetur hæc omnia custodire potestas ; sed heu quam fallax ! In ictu oculi
S.Ambr.to. 1.l.d.Joseph c.6. desinit potentia velocior flatu : nam *omnis potentia sæculi somnium , non veritas est.* Demiraris in mancipio vanitatis ornamentorum fastum , famæ strepitum , clientum famulatum , bonorum copiam. Quandiu manebunt ista ? Dum solet mentis cogitatus evanescere. Scito cunctum illum stridorem aëra replentem evanescere quasi cogitatio pertransire solet.

Grandævus, & strenuus Mathathias , moribundus hortabatur filios , dicens : *Et à*
1.Machab. 2. 62. 63. *verbis viri peccatoris ne timueritis : quia gloria ejus stercus & vermis est : hodie extollitur, & cras non invenietur : quia conversus est in terram suam , & cogitatio eius periit.* Posteriora verba preme , ut mysterium elicias. Cùm per mortis ictum in terram decidit sæculi potens , interit homo : cur ergo dixit perire cogitationem ? Quia totum quô tumescit nequam evolat , ita pernicibus alis , ut humana cogitatio solitat. Quamvis à satellitio quod proximè notabam sortem putaverit ille sustinendam, experitur omnino mendacem spem suam vanitas.

15. *Hominis quò plus viribus prævalet celsitudo , citius fertur in profundum.* Unum hoc addo : scili. quòd eò magis nutat humana celsitudo , quò sublimius elevatur : perflant fortius altissima venti. Sanè *cuncta mortalium incerta, quantòque plus adeptus sis , tantò te magis in lubrico* &c. dixit optimè Tacitus. Cohæret Seneca. *Omne enim quod fortuito evenit instabile est : quò altius surrexit, vergit pronius in occasum.* Potestas, & cætera quæ magnitudinem circumstant, sunt vires, quibus illa quantò major est, tantò plus fertur præceps ad ima. Tacit. l.1. annal. Sene. l. d. brevit. vitæ c.17.

Similis describitur Sennacherib rex, ejusque gloria flumini : *propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum & omnem gloriam eius:* sic apud Isaiam. Quare non potius mari simillimum asseruit potentissimum, superbumque monarcham, cujus armata manus Judam vastatura prædicebatur ? Quia maris elatio neutiquam ipsimet æquori præparat ruinam; fluvij nimium autem incrementum est in causa ut velociùs projiciat semetipsum in maris profundum ; & etiam nomen deperdat. Quò plures augentur aquæ , fortiùs, & copiosiùs intumescentes , eò citiùs tendunt ad fretum. Sic humana gloria tunc præcipitantior fluit ad infima , quò validiorem concipit virtutem. Fortè dices hæc verificari non de quavis fortuna, sed tantùm de valdè superexcedente. Nemini videtur se plurimùm conscendisse : *Vide quisquis hæc audis vel legis* (monet Ricard. à S.Victo.) *si fortè altitudo tua est magna : vide , inquam , & diligenter attende , ne fortè sit & nimia.* Quod proximè dixi de prosperâ sorte videmus in flatuum stridenti furore : docente novimus experientiâ maris horridum & minacem æstum tantò breviùs finiri,quantò diriùs furit. Sapienter ait Salomon : *quasi tempestas transiens* &c. Isai.8.v.7. Ricar. à S. Vict.1.p.l.1. d.eruditione interi.hominis c.14.

DELIBATIO III.

Adversus inanem superbiæ turbinem.

CUm exponerem præsens theorema , notavi quòd voci , *tempestas* , respondet Hebræa significans ventum. Hinc occasione sumpta, superbiæ ventus quasi rabies hyberna mihi visus est , quâ misera navis iniqui naufragium patitur. Sic à flamine sublevatos affirmat Gregorius M. eos qui transitoriis successibus exultant. *Quia enim* , ait , *Sancta Ecclesia , cunctis in honore est , infirmi quique in ea qui transitoriis successibus lætantur , quo nisi super ventum positi videntur elevati?* Imò non unico flatu movetur , sed multis impellitur undique tumidus. *Si enim*, ait S.Doctor idem , *cor fluxum cujuslibet perversi cogitamus , quid aliud quam in vento positam aquæ superficiem cernimus ? nunc namque illum aura superbiæ impellit, nunc aura luxuriæ , nunc aura invidiæ,nunc aura fallaciæ pertrahit.* Forsan ideo S.Pontifex à superbia præcitatis verbis initium cepit:quia hoc Euro semel desæviente,quassata cordis humani ratis quoquoversum trudetur facillimè. Nulla melior ars ut homo flectatur ad quodvis flagitium , quàm si prius fastu commoveatur : si tumuerit altos admittens corde spiritus nimis,pronum erit quodlibet ei suadere piaculum.

16. *Quem extulerit superbia facilè impelles ad immania scelera.* D.Greg.M. to.1. l.20. mora. c.24. Idem ibi l. 16. mora. c.25.

Darij temporibus , aulæ proceres exagitabat

bat livor contra Danielis benemeriti sortem: ruinam ejus moliti sunt: sed vidè quid adinvenerunt. Suadere curarunt regi quod sibi divinos arrogaret honores: dixerunt illi namque: *consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus & satrapæ, senatores & judices, ut decretum imperatorium exeat & edictum: ut omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo & homine, usque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum. Nunc itaque rex confirma, sententiam, & scribe decretum* &c. Dan. 6. 7. 8. Mens ipsis erat quam aperuit eventus: Danielem scili. eò quòd quem Deum colebat oraret, deferre tanquam transgressorem legis, ut feris pabulum daretur. Quæro: quid necesse fuit ad hoc ut vatem capitali sententiâ plecti facerent, per ambagem inauditi decreti sumere propositi sui principia? Facillimum duplici falso teste (velut alterum Naboth, pudicamve Susannam) prophetam læsæ majestatis reum probare supplicio puniendum extremo? cur non hac viâ, sed prædictâ procedunt? Quia difficillimum erat Darium trahere ad sapientis insontis necem, qui regio corde locum obtinuerat, prout colligitur ex eo quòd tradito leonibus Daniele, *abiit rex in domum suam, & dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo.* Violenter à Dario sententiam contra Danielem istos impetravisse Rupertus notavit. *Attamen prævaluerunt, sententiamque extorserunt principes isti ab invito rege suo: ut mitteretur Daniel in lacum leonum.* Rup. l. 1. in Dan. c. 11. Difficultas hæc in Susanna & Naboth cessabat: istis per falsos testes paratum fuit malum; atverò ut ab amico rege mors infligeretur Danieli, stratagemate opus erat. Igitur suasere Dario sibi tanquam Deo petitiones deberi, quas homines offerunt Numini, quasi dicerent mox atque regem superbiæ Zephyro quati fecerimus: ipsum ad quodcumque scelus trahemus pro libito nostro, quantumvis ille dilectione prosequatur Danielem. Nobis opitulari videtur Maldonatus ibi: *hæc lex maximè videbatur regis authoritatem commendare, eumque quodammodo Deum facere, quò facilius illi persuadere possent.* Maldon. in 6. Dan. n, 7. Sic flabra superba prævalent ut ad Syrtes propellant passim navem, quæ rationis gubernaculo renuit obedire: non aliter atque dum salo furit hyems. *Quasi tempestas* &c.

17. *Periculosius ambitione, superbiave rotari, quàm adversitate concuti.*

Urget scrupulus. Dum tumescunt agitati fluctus, non fruitur navis aurâ secundâ; sed adverso jactatur Euro. Non sic impius: cui placidus molliter spirat Favonius, posito furore subsidunt stagnantes undæ, jacetque sine murmure pontus. Et hæc (ut creditur quasi beatitudo) nullis concitata minis: hæc, inquam, est *quasi tempestas?* Hallucinatur humanum de more suo judicium. Periculosior est pacata serenitas flante gloriæ mundanæ spiritu, quàm nubilis temporibus fremitu spumante. *Infœlix est, & nimium periculosa præsumptio: multi enim putant se vincere cum victi sunt.* Victores imaginatio depingit plures, ab hosteque tutos, proindeque ruina reperit incautos; quam, si commoverentur adversis, illi sedulò præcaverent. Accedit aliud ejusdem pronuntiati momentum. Plus, inquam, in ancipiti ponit hominem blandus vanitatis Notus, quàm afflictionum furibundus Aquilo. Nam ventus obsistens navi, spirat unâ tantum ex parte; superbum verò mille flatuum agmina petunt hinc & inde: *nam cùm cæteros contemnat, ut majori dignus honore videatur, maximè omnium ipse despicitur. Ridiculi enim, & omnium inimici sunt.* Chrysost. to. 2. ho. 66. in Matth. Hoc fundamento nixus putabam periclo minaciori conflictari eum qui vanitate circumagitur, quàm si spiraminibus infœlicitatis agitetur.

Posteaquàm turbas fame pressas lauto excepit Omnipotentia convivio, dimisit Apostolos Dominus cogens ut naviculæ subsidio trans fretum præcederent Magistrum. Quarta jam numerabatur vigilia noctis, cum adversante quassata flamine cymba jactatur. Adest vortices pede terens Dei Filius. Voluit ab eis declinare, quin ipsis ferret opem. *Et videns eos laborantes in remigando* (*erat enim ventus contrarius eis*) *& circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos.* Marc. 6. 48. Equidem valdè mirandum cogitationem istam in amantissimi, cunctaque potentis corde locum inveniisse, nempe discipulis procelloso aquarum furore lassatis non auxiliari: maximè si mysticum sensum attendamus: dixit quippe Gallicanus: *hoc significatur quod post Christi Ascensionem sancta Ecclesia in hoc mundo multa adversa esset passura.* Euseb. Gallic. homi. in Sabb. post cineres. Fateor illa verba: *volebat præterire eos*, explicari posse ut valeant: habuit se ad modum volentis. Nihilominus attamen est probabile saltem, quod verè Dominus voluit prætergredi sic ut eos in afflictione derelinqueret ad tempus? *ut ad horam*, inquit Beda, *turbati & paventes; sed continuò liberati, amplius ereptionis suæ miraculũ sluperent* &c. Beda in Marcum l. 2. c. 28. Pertranseamus & nos ad aliud Redemptoris gestum. Cùm filiorum Zebedæi mater primas gnatis postulatura sedes accessit: non leviter judicare possumus apud condiscipulorum pectora latuisse desiderium primatus. Id collegit ex repulsa duorum fratrum Nazianzeni germanus D. Cæsarius ad illud: *non est meum* &c. *per illos*, inquit, *reliquos castigans, & accensum in ipsis absurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis.* S. Cæsarius dial. 3. Quod cùm ita sit, incidit in mentem quod non nisi consultissimè statim divinus Magister accersivit indignatos decem Apostolos de duobus fratribus, ut eos humilitatem doceret exemplo sui, scintillas ambitionis extinguens, ne surgeret incendium. Jesus autsus autem vocavit eos ad se, & ait: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister:* Matth. 20. 25. 26. &c. Nunc ascivit discipulos? *vocavit eos ad se*; ambulans verò supra mare *volebat præterire eos*? Non quidem hoc loco minor erat Christi Servatoris charitas; alibi tamen periclitabantur miseriùs: tunc vocavit illos ut subveniret iisdem. Super fluctus autem despiciens aleam vitæ mortalis, transire cogitavit. Utrobique ventus: apud Marcum

Ang. to. 9. l. de honestate mulierum. c. 2.

Evangelistam repugnans : *erat enim ventus contrarius eis :* quo præsignabatur afflictio, quæ tanto minora comminatur, ut misericordiæ viscera Præceptoris non adeo labore suorum tangi soleat. Apud Matthæum vanus corda perflabat aër, quem ut compesceret Filius Dei, non est moratus : imò vocavit eos ad se, periculosius putans illos ambitionis & superbiæ ventosa dementia circumrotari, quàm vicicitudine sortis inimicæ commoveri. Nihil igitur obest quòd ambitiosus turgescens non credat quidquam pati : aura, quam benignam reputant, est ipsis *quasi tempestas.*

18. *Vanitas cogit superbũ exequi, quod ab alio crudelitas.*

Hujusmodi veritatis apertum signum est : quòd, sicut dum fremit pelagus carina tangit modò sydera ; nunc tartara petit : sic excussus arrogantiâ suamet impellente, sustollitur, & statim deprimitur. Quin potius D. Augustinus inquit de superbis loquens ad illud Ps. *sicut unus de principibus cadetis : per elationem animi, sicut unus ex principibus, ideſt diabolus, non extollemini, sed cadetis* &c. Examina saltem depressionem visibilem superbientis, quam fert à semetipso. Quid non vile tumentia pectora cogit ambitio ? *ut dominetur*, ait Ambrosius, *aliis prius servit, curvatur obsequio, ut honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit remissior.* Superbissimi domini captivus non experitur adeo grave collo jugum, ut illi qui gloriolæ tradidere corda. *Neque enim*, Chrysost. inquit, *fieri potest ut homo mancipium gloriæ non sit omnium servus, imo omnibus servis abjectior, neque enim talia nostris imperamus servis, qualia illa his, qui ab ipsa capti sunt, turpia, fœda, confusionisque plenissima, & loqui, & facere, & perpeti jubet* &c. Et ipsos hoc non latuit Ethnicos ; & solos fugit eos, qui dum vita manet palpebras mentis occludunt, aperientes illas, cùm claudendi corporeas perenni somno tempus adest. *Quosdam*, ait Seneca, *cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio ipsos laboraſſe in titulum sepulchri.* Metire quousque tyrannis præcipitet eos quos odit : ac dicam æque vilia jubere superbiam illis quos inflat.

Ps. 81. 7. S. Aug. to. 8. in ps. 81. ibi.

S. Ambr. l. 4. in Luc. c. 4. to. 3.

Chrysost. to. 4. hom. 2. in ep. ad Titũ.

Sen. l. d. brevit. vitæ c. 19. juxta fin.

Post Josephi mortem odio habitus Israël fuit durissimâque servitute compressus : ad conficiendos lateres compellebatur : *oderantque filios Israël Ægyptii & affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris.* Cernis quòd sæva dominatio coëgerit Hebræos ad opus lateritium ? Historias si volveris retrò sacras, invenies non minùs olim egisse vanum hominum tumorem, quàm jussit postea Pharaonis crudelitas Jacobææ proli. *Dixitque alter ad proximum suum venite faciamus lateres, & coquamus eos igni.* Quantum isti laboraverint non præteriit Chrysostomus. *Descendit, inquit, Dominus Deus ut videret civitatem ac turrim eorum. Vide misericordiæ excellentiam : permisit illos laboribus sese affligere, ut rerum experientia præceptoris loco illis esset.* Ad æquipar opificium compulit istos vanitas propria, Hebræosque ferocitas aliena. Non amplius misereturque sui fastosus, quam abjectissimo captivo condolet ferus dominator. Quod oppressor Israëlis à stirpe Jacobi durum & sordidum exigebat opus ; hoc ipsum commendavit Noemi posteris gloriæ demens cupido. Cuncti perverso tendentes tramite sequuntur horum vestigia. Lege M. Gregorium. *Ad construendum autem spiritalis Babyloniæ ædificium perversi omnes exemplum illius antiquæ Babel imitantur. Cuius civitatis, ut inquit Scriptura, authores pro saxis lateres, & pro cæmento bitumen habuerunt.* Hi quamvis evolent cogitationum pennis, tamen seipsos ad infima quæque detrudunt, sic per falsæ humilitatis vias cupientes exaltari, non minùs protriti fastu suo quàm si proculcarentur ab hero truculento.

Exod. 1. 13. 14.

Gen. 11. 3.

Chrysost. to. 1. hom. 30. in Gen.

S. Greg. M. to. 2. exposi. Pſ. 4. pœnit.

Imò quamvis Deus potenti brachio disperdens arrogantes, eos obruat validè : parum abest ut dicere possim eum qui sublata colla gerit, à seipso plus abjici, quàm à divina manu projiceretur.

19. *Superbus abjicit plus se, quam eum deprimeret omnipotentia sola ?*

Deo gravida festinat Virgo Genitrix ad montana Judææ : salutat cognatam, & ab ipsâ vicissim benedicta prorumpit in Dei laudes exultans. *Fecit potentiam*, inquit, *in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui.* Lira docuit propheticas esse voces istas Deiparæ : *loquitur*, ait ille, *hic Virgo de futuro per modum præteriti propter certitudinem eventus suæ prophetiæ.* Et si quæras ulterius de quibus turgidis ibi sermo sit, est probabile dæmonum ruinam vaticinari Sapientiæ parentem. S. Augustinus ad eum locum. *Ipsi enim superbi sunt quos despexit ejiciens eos foras à cordibus hominum : atque spolia eorum dirumpens per illam quæ prius in hominibus principabatur virtutem dissipavit : & hoc in brachio suo, ideſt, per humilitatem filii diabolum vicit.* Solum dubito quare non ait Maria Dominum dispersisse spiritus tartareos in brachio suo ? sed *mente cordis sui* ? hoc est ipsorum dæmonum secundùm interpretationem quam offert Lectio Syriaca : *dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum.* Ita loquitur, quasi diceret, Deum ut communes & malignos adversarios magis deprimeret, ipsorum propriis cogitationibus usum fuisse tanquam aptissimis instrumentis, ut sic daretur intelligi, vanè turgescentem à nemine despici plus quàm à semetipso. Et certè fateberis hoc in Satana, si rectè perpendas quam humilia sustineat ille non humilis : nam ut se vel coli, vel saltem rogari videat, nihil turpe seu fœdum respuit ad sagarum, similiumque, nutum, cùm sit nobilissimus naturæ conditione spiritus. Eum ita superbia trudit. *Jucundum iudicium* (ait Bernardus loquens de diabolo) *ut superbus ille humilium malleator : eisdem ipsis fabricet coronas, personas impugnando omnes, & omnibus succumbendo.*

Luc. 1. 51.

Lira. ibi.

S. Aug. to. 9. exposi. Magnificat. vers. 6.

Lect. Syr. Luc. 1. 51.

S. Bern. ser. 17. in Cant.

Ad finem quæro : quid esse putas despectius in eo cui mens insolenter inanis ? an quod sponte procumbit ad ima ? Potiùs dicam : gloriolæ famulus ad nihilum redigitur cùm ad superna conscendit. Ad illud psalmi : *deiecisti eos dum allevarentur*, inquit S. Grego. M. *quia pravi quique dum temporali honore suffulti, foris videntur surgere, intus cadunt. Allevatio ergo ipsa ruina est, quia dum gloria*

20. *Elevatione premitur impius.*

Ps. 72. 18. D. Greg. M. to. 2. l. 1. ep. indictione 9. c. 5.

gloriâ falsâ subnixi sunt, à gloriâ verâ evacuantur. Minus conteretur hoc evanidum figmentum, si cunctorum calcaretur pedibus.

Hebræorum delictis provocatus aiebat olim Deus per Isaiam : *isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Interlinearis ibi verbo, *ardens :* addit : *in eis.* Exardebit in sceleratis illis flamma ? Ergo cinis erunt, & non fumus ? Aptius exprimendo supplicio postremo fumus quam cinis est : quippe hic plantis premi solet, ille verò ascendens evanescit. Improborum gravior pœna dejici dum allevantur quàm in cinerem comminui proculcatos. *Fumus quippe* (scripsit aliorsum Gregorius M.) *ascendendo deficit, & sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit cùm peccatoris vitam præsens fœlicitas comitatur, quia unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit.* Ecce, licet à fumo sumptum ænigma non obscurum superbi. Tenebrosâ velocitate surgit ad excelsa more fumi ; sed ipsomet ascensu disparet, ac dum putatur inter sydera ponere nidum ; tunc subitò *quasi tempestas transiens non erit.*

Isai. 65. 5. Interlin. ibi.

D. Greg. M. proximè sup.

DELIBATIO IV.

Iusti fœlicitas nequaquam similis est superbæ sorti.

11. *Beneméritũ fœlicitas non mutat.*

SUb titulo præcedenti vidisti similem furentibus undis prosperitatem quâ levatur inaniter impius. Non erit abs re nunc de justi fœlicitate dicere, quò perspicias quàm aliter ista se gerat. Etiam in hoc sensu manet vera secunda textus nostri positio : *justus autem quasi fundamentum sempiternum.* Non abnuo quod etiam justi sors aura dicenda : velut attamen hæc non impellit arcem, ita nec illa mutat rectum. Hanc proborum in prosperis firmitatem, lapides expendens onychinos à dextris & sinistris, in superhumerali summi sacerdotis collocatos, quibus insculpta erant nomina duodecim filiorum Jacob, expressit acutè Arnoldus. *Ideo*, inquit, *à dextris & à sinistris locantur, quia fundatos vel scriptos in petra, nec altum concutit, nec profundum : quia per arma justitiæ in prosperis & in adversis gradiuntur invicti.* Stare loco solet eodem benemeritus, licet extollente blando Favonio contingat ascendisse.

Arnold. trac. d. ultimis.

Exemplum accipe Mardochæum Estheris patruum. Ignotus adhuc antequam illa regium acciperet consortium, *deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur.* Regina Vasthi respuitur : ad regale thronum vocatur Esther. Adhuc nihilominus *Mardochæus manebat ad ianuam regis.* Palatij duo janitores moliti sunt Monarchæ necem. Rescivit hoc Mardochæus, & reginâ mediante detulit ad regem : in cujus fidelitatis munerationem indutus purpurâ, diademate redimitus, equo vectus, & à magnatum summo decoris hujus præcone ductus, fœliciter enituit splendore publico. Sed quem putas locum sibi delegit post ista Mardochæus ? Textum adi. *Reversusque est Mardochæus ad ianuam palatij.* Quare non intrat Mardochæus ad regem, ut grates offerat pro insoliti honoris cumulo ? Ne forte mutatus amicâ putaretur. Antea, cùm vix è nomine cognitus erat, solebat esse januarum incola : scili. primùm ad fores domus, quâ regiæ servabantur virgines, deinde ad ostium regalis aulæ. Nunc postquàm diadema capite circumtulit, ut non fœlicitatis vi putaretur commotus, revertitur ad locum pristinum. *Reversus &c.* Benemeritum non inflat incertus aër : idcirco dum fortunatus exultat, ipsum capit adhuc locus idem quo morabatur antea cùm delitescebat ignoratus : ibique sistit fixâ stabilitate nixus, *quasi fundamentum sempiternum.*

Esth. 2. 11.

Ibi n. 19.

Ibi c. 13. 12.

Et mehercle rem conficit arduam qui dum prosperitas arridet rationis dictamina sectatur : nam, ut ait August. *magnæ virtutis est cùm fœlicitate luctari ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subvertat fœlicitas : magnæ, inquam, virtutis cùm fœlicitate luctari : magnæ fœlicitatis est à fœlicitate non vinci.* Non semel dixisse putavit satis Augustinus veritatem plurimis ingratam. Virtus neu sortis filia, si contingat in prosperitatis descendere contubernium, novercalia experitur odia non à veneno tuta vitiorum. *Noverca virtutis prosperitas*, dixit Chrysologus, *bajulis suis sic applaudit ut noceat, & infœlici successu sic fortunatis obsequitur, ut in fine perniciem operetur : convivit suis ab initio propinans dulcia, & cùm inebriati fuerint, lethale virus miscet.* Secundâ sorte gaudentem hinc decipere curant assentatorum cantilenæ, illinc excæcat inanitatis fumus, aliunde gaudiorum lenocinia trahunt in præceps. O ter miserum, ut semel fœlix dicatur ! Unica restat inter densa nubila rationis lucernula, quam ne ventus extinguat, divinâ protectione nimis opus est. Majori sapientia fortunatus indiget, ut æquore placido prudentiæ gubernacula teneat, quàm alter adversitatum procelloso mari jactatus continuè.

22. *Majori sapientiâ fortunatus eget, quàm fœlicitate pressus.* S. Aug. to. 10. ser. 13. d. verbis Domini.

Chrysolo. l. 1. d. nug. curial.

Dubitabam cur non potius Davidi quàm Salomoni Deus contulerit sapientiam. Ille de post fœtantes assumptus ad sceptrum, videbatur amplius egere politicæ documentis, quàm Salomon in aula nutritus regia, paternisque doctus exemplis. Hunc erudit æterna Sapientia ? Ita judicavit congruum : nam Ecclesiastes fœliciſſimè transegit mortalis vitæ stadium, ut è regum chronico licet colligere. David autem patria profugus, odio habitus, invidiæ telis petitus, filiorum nece mœstus posset non semel dicere : *in laboribus à iuventute mea.* Satis igitur istum edocuit adversitas. At Salomonem oportuit miraculosâ prudentiâ præveniri, ne citiùs illum dementaret prosperitas. Et proh dolor : neque sic ad finem rationis tenuit normas. Vel exinde nosce difficillimum actionum esse regimen dum sors blanditur. Unde Abbas Theodorus apud Cassianum : *facilius tamen quis elidi potest prosperis, quàm adversis.* Res commendanda sæculis est justus, qui prosperis potitus adhuc stat *quasi fundamentum sempiternum.*

Ps. 87. 16.

Theodorus Abb. apud Cassian. in colla. PP. coll. 6. c. 9.

23. *Ne fortis ingrediaris penetralia vel time lapsum.*

Et qua ratione credis insontem deludere temporalium inconstantiam ? Duplici via Prior est quod risum benigni vultus mundi malefidum cognoscens non sedet in caducis, nec utrumque pedem figit ubi casus amicè constituit eum ; sed tanquam volaturiens ales, pendulâ vigilantiâ sollicitus cavet laqueos. O vos, quibus anceps fors adest serena facie, *discite* (verbis utor Ambrosij) *in hoc mundo supra mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior.* Ille solus aliquantulum stare faciet sæculi rotam, qui sistens gradum ad fœlicitatis januam, non curaverit ulterius ingredi ; aliter decidet quamvis meritorum præsidio nixus.

S. Ambr. to. 4 l. 3. d. vitg. ad finem.

Prudentiam Danielis in fruendo prosperitate sua, paulo priùs expendi n. 21. Vide quid addam. Prophetæ virtutem probe nosti : ea fuit ut livor non nisi virtutem invenire loco sceleris in eo potuerit, ut ipsum perderet. Floruit ille Nabuchodonosoris ætate : cum enim regis exponeret somnium, accepit in præmium veritatis honorem non exiguum. *Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit : ei & constituit eum principem* &c. Nec tamen tunc temporis ei quidquam accidit mali. Post hác alio tenente Monarcha Babylonica sceptra, Daniel, quia pro vero Deo pugnaverat, facta seditione postulatur detrudendus in lacum leonum. Quid est hoc ? solita mobilitas rerum ? & an primùm non etiam fors instabilis erat ? Odium-ne fuit in causa ruinæ ? & fortè priùs aula carebat hujusmodi peste ? Quomodo igitur Daniel expers utroque tempore culpæ fortunam illæsam servavit antea ? postea corruit præceps ? Rem ut penitiùs noscas adi textum : videbis vatem priori tempore non ausum nimis intrò gradi quò vocabat eum sua placida fors : ad januam gradum stitit : *ipse autem Daniel erat in foribus regis.* Alio regnante Principe, non sic se habuit ; sed introgressus, tota, ut aiunt, manu fœlicitatem prendere visus est : nam textus inquit : *erat autem Daniel conviva regis, & honoratus super omnes amicos ejus.* Pinto ibi : *hoc est regi familiaris, qui in ejus intima consuetudine versebatur.* Quid venturum existimari poterat ipsi, nisi ruinam lamentabilem ? Quandiu regales ad fores manebat quasi timens ingredi, inconstanti levitate non obstante quæ curiis frequens est, ille stetit fœliciter ; postquam autem non solùm introire, sed ad regis mensam considere fuit ausus, cecidit in lacum futurus bestiis alimentum nisi manus Omnipotens obstitisset. Qui vereris exitus infœlices, pave nimis faustos ingressus. Hoc est ingenium quô benemeritus clavum in axe figit amicæ fœlicitatis : nempe flante nimiùm vento recolligere vela.

Dani. 2. 48.

Ibi. n. 49.

Dani. 14. 1.

Fr. Hect. Pinto in Dan. ibi.

24. *Iustus fortunæ scalam descendit numerans gradus. Impius non sic.*

Secunda pro flebili pernicie divertenda visitur industria justi, quòd scit, cùm fuerit opportunum, descendere : proindeque non repentinè labitur. Ast impius descensum vel odit, vel nescit : & cùm perpetuò nequeat stare cadit. Mundani degunt in tenebris : vix queunt gressus figere, quin dum altiùs ferri contendunt, se dent præcipites ; justus cui semita lux est, novit scalæ finem : gradus numerat, sensimque se demittit, non procidit.

Invidiæ jussu David exulabat : quod infortunium fidâ Jonathæ levabat amicitiâ. Hunc adit profugus, & innocentiam testatur suam occisionis periculo vicinam valde. Reposuit Princeps Davidem nequaquam patris imperio necandum : nec enim id ipso nesciente credebat exequendum. David attamen timorem, quô perculsus erat, iterum explicuit aiens. *Quinimò vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantùm (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur.* Animadvertas quæso stylum, quô significavit ad extrema sibi ventum esse. Quasi per gradus descendisse ac paulatim ita ut quot restarent numuraverit, notavit jam deesse unicum : *uno (ut ita dicam) gradu* &c. Transi nunc ad ejusdem verba Davidis, cum psaltis agit munus. De inimicis suis loquens ait : *cadent subtus pedes meos.* Hi præcipites collabentur ? David autem gradatin descendit ad necem ? Iustus erat hic ; illi verò nequam. De fœlicitatis culmine Iessæus heros (ex plausu, inquam populari, favoreque regio) ad fugam & mortis pavorem delapsus est : sed per gradus animo sic tranquillo, quod eos numerare valuit ; aliter nesciret unum solummodò restare : *unico* &c. Hostes ipsius absimiliter experturi fuerant humanæ gloriæ vices : non, inquam, pacatè delabentes ; potiùs repentina præcipitatione ruituri. Temporalia bona stabelire nostrum non est : tandem excelsa quæque fient ima. Solum nobis datur (ut plurimùm) quòd priùs quàm oporteat procumbere, prudenter illabaris : & sic aliquatenus deludes incertam conditionem, & certissimam sæculi fugacis. Sed ô nimia cupidine cæci ! quorum terreæ gravitati cum sit ascensio violenta, descensusque naturæ congruat : hic eis difficillimus ; ille tantum in votis est. *O abusio filiorum Adam* (exclamat Mellitus Doctor) *quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficillius descendunt parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos.* Pulvis nisi flatu fineret extolli, foret immunis à cadendo : nam vilitate sua subterfugeret lapsum, cui nascuntur obnoxia candida ligustra, quibus præcelsa nativitas annuntiat casum. *Nulla adversitas dejicit, quem prosperitas nulla corrumpit.* Sphæram suam ne levatus ab aurâ pulviculus deserat, lachrymarum aquis coaguletur ut non feratur in altum : & sic, prout fieri valet in mortalitatis exilio, stabit immotus.

1. Reg. 20. 3.

Ps. 17. 39.

D. Bern. ser. 2. d. Ascens.

D. Greg. M. to. 1. l. 20. mor. c. 24.

25. *Glorioſius promereri contemptu fœlicitatis, quam adversi patientia.*

Cui placuerit hoc eligere quod prædixi, lucrum assequetur non vulgare : meritum scili. ex fœlicitate fœnerabitur, quod ratum. Descendens, inquam, altitudinem superbam contemnet : itaque humilitatis callem tenebit prædiviti negotio. Sumptibus infortunij virtutis comparare lauream non adeò mirandum : quia nihil aliud hoc est quam rosam ex roseto carpere : nihil miraculi flores ubi passim nascuntur legere.

Ex

Ex fortunâ divitias eruere meritorum, hoc mirabilius : nam sic ex funo poma decerpuntur , ac thesaurus eruitur ex aëre. Certè rem miram , quia *vix* , ait S. Antoninus, *aliquis invenitur in prosperitate constitutus , qui bene eâ utatur.* Stet igitur multò glorioſius esse per despectum fœlicitatis , quam per solam adversorum tolerantiam præmia gestorum adipisci.

S. Antonin. p. 4 tit. 3. c. 7. §. 7.

Sub diro Pharaonis imperio premebatur Hæbræorum populus. Extinguere parans ille plebis invisæ prolem , jussit masculos in flumen projici. Natus est ea tempestate Moyses : quem celare cupiens genitrix jam nequibat : ideo fiscellâ clausum exposuit ad ripam. Descendens filia Pharaonis vidit puellum qui vagitu flagitabat opem. Illa tenerrimæ calamitatis misertа jussit ut à nutrice lactaretur , & ex uberibus reductum adoptavit , nomenque imposuit ei : *quem illa adoptavit in locum filij , vocavitque nomen ejus dicens : quia de aqua tuli eum.* Ipse postea filiationis illius nobilem titulum rejecit. Refert Apostolus ad Hebræos. *Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis , magis eligens affligi cum populo Dei , quam temporalis peccati habere jucunditatem , majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum , improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* De Moysis electione nihil pronunc disquiro. Divinam , si fas est , providentiam sciscitari vellem cur ita decreverit. Quid Moysis interventu meditatur exequi ? Redemptionem dilectæ plebis ? An id tanquam nepos Pharaonis obtenturus erat post annorum seriem ab avo ? Nequaquam. Utquid ergo permittit eum à filia regis adoptari ? Nonne congruentius esset ut in paterna domo Deo protegente delitescens , afflictiones populi, quarum tandem particeps fieri fuerat electurus , ab infantiâ mox experiretur , ut ampliùs pro suorum liberatione misericordem experientia redderet diuturnior? Credo sic divinitus provisum , quò Moyses illustriùs virtute ditaretur. Si ab incunabulis infœlix patienter cum suis contribulibus ferret ille tyrannidis jugum , ex adversitatibus meritum , velut ex virgulto florem caperet. Hoc minus clarum esset pro tanto Heroë. Sed Ægyptiæ Principis adoptionem sortiri quam postea contemneret , oppressioni delicias aulicas monente charitate præferens : id fuit ex aura fortunæ legere virtutis margaritas. Hoc sane glorioſius. *Moyses noluit rex esse cum posset* , ait Ambrosius, *Sed opprobrium Christi thesauris Ægypti arbitratus est præferendum : & fugiendo potentiam potentior factus est, factus est enim in Deum regi Pharaoni.* Hàc itur ad astra sublimiori tramite : dum scili. justus faventem aspernatur flatum sæcularis pompæ ; statque humilitatis basi constanter solidâ locatus , *quasi fundamentum sempiternum.*

Exod. 2. 10.

Ad. Hebr. 11. 24. 25. 26.

S. Ambr. to. 2. Oct. 8. in Ps. 118.

DELIBATIO V.

Iustus quasi ædificij fundamentum pedibus teritur : sed nihilominus prodest iis qui ei sunt oneri.

26. *obsistere ne alius pro te vindictam sumat quam glorioſum.*

SAlomonis præfixa verba , *justus autem quasi fundamentum sempiternum* , commentatur Corneli. à Lapi. sic : *impius quidem in oculis & ore hominum est : justus verò sub humo latet infossus ; ut parietis infima pars contemnitur , opprimitur.* Divinus posset Spiritus alia similitudine per Sapientem oppressiones justorum exprimere : non casu delegit absconditum ænigma: fundamentum ædificij quippe sic premitur , ut lapidibus opprimentibus prosit , quatenus obstat ruinæ , nam illo deficiente , domus corrueret. Iustus non qualitercumque sustinet se prementium onera gravissima: sed illorum eversioni sedulus obsistit , vindictam avertens quæ cælitus imminebat. Ulcisci nolle , cum valeas , magnum est equidem : sed non maximum inter virtutis heroica : nam ut malum pro malo non reddas , pudor quandoque satis est vilissimæ inter passiones humanas. Ultra pergit macte animi generosa proles Altissimi : quam ultionem ab altero partes offensi peragente metuere delinquens poterat , curat læsus avertere. Præcellentissimum quidem cordis ingenui decus est , si vindicem Dei manum avertere satagat , ne puniantur ii , quorum offensas toleravit : fere nihil est præstantius.

A Lapi. in Prov. 10. 25.

Miratur, & admiratores convocat S. Bernardus expendens patientiam , qua Dominus Iesus cruci confixus pro inimicis deprecatus est. *Vide* , ait , *nunc opera Domini quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est , spinis coronatus , clavis confossus ; affixus patibulo , opprobriis saturatus: omnium tamen dolorum immemor : ignosce , ait illis.* Sed non minus mihi demirandum quòd cum inimicorum venia non solius esset Patris æterni , sed etiam Filij , qui sustinebat sævos ingratitudinis ictus : non Redemptorem audiamus in cruce dicententem : eis remitto quod adversus me peccarunt. Paternam sollicitat illis indulgentiam ? suam reticet ? Occurrit solutio triplex : alteram num. 29. statim dabimus , & infra delibat. 3. n. 21. flor. sequenti aliam adjicere licebit : nunc ad rem nostram dicerem ita se gerere voluisse Christum Dominum ut probaret opere quantus honor emergat ex hoc quod offensus vindictam ab alio sumendam gratiâ sui clemens amoveat. Si diceret Assertor , hostibus ignosco: cum de reatu culpæ verba hæc accipienda forent , Deum se publice fatus ita monstraret : solus quippe Deus authoritate propriâ condonat scelera : rogans Patrem dissimulavit æqualitatem quâ potitur ex natura cum eo communi : nam adeò glorioſum censuit ultioni Paternæ manus , pro injuriis dilecto Filio inflictis , à crucifixoribus desumendæ obsistere , quòd non

S. Bern. ser. fer. 4. Hebdom. major.

non dubitaverit pro gloria ista consequenda Deitatem suam tegere oratione supplici. Diceret forsan infidelis : hic homo Deus non est , qui pro dimissione culparum preces effundit. Huic temerario judicio veritus non fuit exponere seipsum Filius Dei , dummodo lucraretur honorem dimanantem ex patientia quâ voluit gladium ultionis ab illis arcere. Qui Servatoris vestigia sequi gloriaris,

S. Aug. to. 9. tract. 1. in 1. Joan.

si tu didiceris orare pro inimicis tuis, ambulas viam Domini. Non parum fateor obtinuisse illum , qui cùm possit vindicari manu propriâ, renuit : sed multò plus peragis tu si alterum inhibes ne sumat vice tui pœnas ab offensore. Sic videtur existimare Nyssenus, Davidem cùm pepercit Sauli dormienti laudans in hæc verba :

S. Greg. Nyssen. in tit. ps. 58.

non solum continuit propriam manum properantem fortassis ut iræ indulgeret , & obsequeretur , sed & armigerum jamjam ad trucidandum Saulem festinantem (percutiam eum , inquit, & secunda vice opus non erit) abducit ab illo impetu , adjectâ insigni illâ , & ubique decantatâ voce : ne disperdas eum qui nos disperdere tanto conatu molitur. Justi munus est opprimentium se obviare cladi : *quasi fundamentum* domus, quod cæterorum lapidum pondere compressum , eis præbet sustentaculum ne ruant.

27. *Illustrius hosti benefacere , quam tantum vindictam nolle.*

Ulterius adhuc victoriam persequitur inclytam justi charitas. Non solum alienæ manus vindictam rejicit : insuper de suo benefacit offensori. Parcè locutus victoriam dixi facinus istud heroicum. *Ultra fœlicitatem constat esse victoriæ inimicum salvum fecisse.* Quod injuriam constanter feras, probat viribus ut sustineas te pollere : cùm lædenti benefacis,non tantummodò suffers percussionem : sed corde prævales malum in bono superans. (Utor Apostoli phrasi dicentis : *vince in bono malum.*) Cùmque multò strenuiùs prælietur qui retundit inimici gladium , quàm qui solùm valuit scuto lanceam excipere : maneat, illustrius esse infesto benefacere quam tantummodò vindictam nolle.

S. Valeria. hom. 13. ad illud Apost. Si esurierit &c.

Rom. 12. 21.

Viam carpens in Jerusalem, transiturus Dominus erat per Samaritanos : qui propterea noluerunt eum recipere. Hoc tam ægrè tulerunt Jacobus & Joannes, ut Magistro dixerint :

Luc. 9. 54.

Domine vis dicimus ut ignis descendat de cælo & cõsumat illos? Et adverte quod si petiissent descenderet utique flamma:

S. Ambr. to. 3. l. 6. in Luc. c. 9. Ibi n. 55. & 56.

ad sermonem suum ignis de cælo descenderet, quoniam filij sunt tonitrui. Sic Ambrosius. Quid illis mitissimus Agnus? *Increpavit illos dicens : nescitis cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere , sed salvare.* Nonne congruentius foret , ut intus corda movens impediret Servator discipulorum de vindicta desiderium ; quam istud permittere, ac objurgare postea ? Illi juxta Bedam peccaverunt :

Bed. l. 3. in Luc. c. 41.

reprehendit in eis Dominus non exemplum prophetæ sancti , sed ignorantiam vindicandi , quæ adhuc erat in rudibus , animadvertens eos non amore correptionem , sed odio desiderare vindictam. Obviam eat igitur Salvator culpæ ; non postmodum corripiat illos. Voluit errorem sinere : quia si obesset huic intus illuminans : viderent illi quidem Christum Dominum se non de Samaritanis ulciscí ; minimè tamen eis pro injuriâ beneficium à Clementissimo rependi cognoscerent. Ut ergo pro inurbanâ quam recepit offensâ benefacientem deprehenderent , linquuntur in vindicandæ culpæ ardorem verbis depromptum prorumpere:quem Redemptor detinuit , & indè proventuro Samariæ damno restitit benefactor. Hoc insinuandum discipulis existimavit , clarius esse pro gloriâ sua capessenda : scili. offensori bonum reddere pro malo ; non verò tantùm non reposcere pœnam. Hunc sequitur ductum perfectus vir dum læditur : absconditur & proteritur plantis ; attamen opitulatur eis qui sunt ipsi gravissimum pondus. Gerit se *quasi fundamentum* ædis , quod totam quâ gravatur molem, tenet ut non collabascat.

28. *Nomen tibi paratur ab humilitate circa hostem.*

Proculcari dixi consultò justum , abdique: nequaquam tamen deprimi credas ejus honorem per hoc quòd humillimè seipsum ad pedes inimici projiciat ille ; quinimò victricia nomina sumet inde. Qui prævalet adversario bellator hominem vicit non odium:qui verò supplex ad ejusdem vestigia se demittit , extinguit ignem citra discrimen. Nimia quæ nos angit in subjecta materia cura nominis , hîc quiescat : ex humilitate quippe infenso exhibita redditur illustrior , qui seipsum vincendo superat illum.

Chrysost. to. 1. hom. 3. d. David & Saule.

De nunquam in hac re laudato satis Davide , ad Saulem submissè loquente , cùm potuerit ultionem repetere , dixit Chrysostomus : *quemadmodum nec David dum ejicitur , dum in exilium agitur , dum usque ad vitæ discrimen insidiis appetitur , quicquam acerbi passus est : quin potius tum hoste suo factus est illustrior , honorabiliorque , tum cæteris omnibus amabilior , idque non hominibus tantùm , sed ipsi etiam Deo : quid enim detrimenti cepit sanctus ille , cùm tam multa perpeteretur à Saule ? An non in hodiernum usque diem canitur illustris in terra , illustris in cælo ?* Quidni si loquebatur ad illum, à quo sibi parabatur malum tam demissus, ut verba sequentia testantur. *Quem persequeris rex Israël ? Quem persequeris ? canem* 1. Reg. 24. 15. *mortuum , & pulicem unum.* Similiter infrà : *quia egressus est rex Israël ut quærat pulicem* Ibi c. 26. 20. *unum* &c. Insolitè persecutori prosternens animum quomodo non illustrissimus redderetur ? Scitò non à certamine , sed à prostratione parari divinitus nomen.

Gen. 15. 22.

Gemino fœtu gravidæ Rebeccæ *collidebantur in utero parvuli*, velut si contenderent de primatu. Tempore ortus egressi prius Esau plantam nascens alter manu tenebat : quod vincentis priorem , vel saltem eum fatigantis erat signum ex Chrysostomo dicente :

Chrysost. to. 1. hom. 40. in Gen.

quasi jam & ab initio monstret Deus quod prædicebatur : major serviet minori, dicit enim : tenebat manu calcaneum Esau , id quod erat signum defatigantis eum qui fortis videbatur. Illud nunc examinandum quod Jacobi nomen ex eo quòd manu pedem fratris tenens illum veluti vicerit, desumptum est : *plantam* Gen. 25. 25. *fratris tenebat manu , & idcirco appellavit eum Jacob.* An clariori nomenclatura non insigniretur,si de pugnaci fortitudine,(quam præ se ferre visus est in utero , dum collidebantur gemini) diceretur *Andreas* , idest fortissimus,

fortissimus, vel *Siba*, quod valet exercitus? Minimè: quia manum admovere alieno pedi dejectionis indicium frequenter est voluntariæ. Ideo Sunamitis ut humiliter Elisæum pro gnati demortui suscitatione precaretur, 4.Reg.4.27. *apprehendit pedes ejus.* Ita piæ mulieres, ut redivivum Dominum summâ, prout par fuerat, demissione colerent, Matth.28.9. *accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.* Ex hoc ergo gestu qui denotare solet humilitatem, Jacobo partum nomen est: *plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Jacob.* Et adhuc tu lege nobilitatis ad Sen.l.3.d.ira c.32. ulciscendum te cogi affirmas? Falleris: *non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare: ita injurias injuriis. Illic vinci turpe est; hîc vincere.* Ita Seneca.

29. *Gloriosius actualiter offendenti parcere.*

Decorus adeo fulget ille qui benignitatem rependens lædenti, vulnus excipit indulgentiâ, simultatem amplectitur dilectione, quòd (si licet audere) videatur ipsius Dei clementiæ nonnihil anteire. Deus peccato non solet veniam concedere quandiu committitur actu; sed postquam factum desiit, & reatus mansit. At homo qui dilectionis apicem tetigit, hostem diligens, remittit noxam ei etiam à quo percutitur actualiter: S.Laur.Just. l.d.casto cōnub.c.18. *optimum namque vindictæ genus est culpam ignoscere.... hoc supernæ Deitatis opus est, quo quotidie innumerabiliter injuriis lacessitur & sustinet: blasphematur, & non irascitur. Hoc Evangelicæ quoque perfectionis est* &c. Verba sunt Patriarchæ Veneri. Crede majus esse decus clementiæ non superabilis actuali offensori dimittere, quam pœnitenti parcere.

Quærebam proximè supra n.26. quare crucifixus piissimus Redemptor non dixerit se confixoribus indulgere, sed pro illis rogaverit Parentem. Secundam solutionem huc remisi: quæ patebit amplius dum augeo difficultatem dubioli. Peccaverat nimis Magdalena, diligebatque valdè: nec tamen cum lachrymas fudit secus pedes ejus, Dominus pro illa preces obtulit Patri? pro crucifigentibus orat? pro Magdalena minimè? huic Luc.7.48. labes remittere se dixit? *Remittuntur tibi peccata.* Illis autem non ait condonare malefactum; sed remissionem flagitat à Genitore? Æquum fuit quòd ita se gereret qui Joan.8.49. 50. non suam, sed Patris quærebat gloriam: *sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam.* Ij pro quibus Dei Filius orationem prædictam Luc.23.34. obtulit in cruce (*Pater dimitte illis*) erant in actuali peccato, sicut sequentia verba manifestant, quibus de præsenti loquitur: *non enim sciunt quid faciunt.* Magdalena jam non actu peccabat; imò præterita crimina deflebat. Ampliorem Patri gloriam relicturus, non se peccantibus actu Judæis parcere pronuntiavit, quod illustrius est: hoc Paternæ remisit pietati; sibique sumpsit quod minus elucet, scili. Magdalenæ jam pœnitenti, imò valdè amanti criminum conferre condonationem. Cernis quam longè veritas absit à mundialis ingenuitatis iniquâ lege: quæ jubet acceptam injuriam ultione sæva purgare ne deperdas honorem? Si decus vindices acquirunt, iras in hostem communem verte qui hominem dyscolum veluti lapidem vel jaculum in te misit. Saxum tu mordes? telum frangis? Oportet vulnerare dæmonem proximi dilectione; fratri ne succenseas. Consulebat ita Basilius olim: *ad homicidam diabolum, qui istum impulit ut te injuriis lacessisset impetum transfer: fratri verò condole:* hoc erit stemma tuæ nobilitatis: nam flectitur aurum, nec percussum resonat nimis; testa, quâvis percussione receptâ fragorem edit. Nobilem te gloriaris: nec pudet pro injuria pretium accipere, scili. ultionem, quæ vilior est, quam pecunia, cùm sit peccatum, quo nihil vilius? S.Basil.hom. 9.ex variis contra irascentes ad finem.

Esto verum foret vindicta læsum honorem resarciri, necnon ultione supersedentem aspernandum velut inhonoratum: quæso: nonne pro lucranda potentiorum gratia multa libenter pateris inhonora? & pro inimico placando recusas paululum in conspectu ejus humiliari? Qui potentis affectum venatur, nihil abjectum respuit: nam, ut ait Chrysologus, *ambitio est quædam simia charitatis: charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis.* Hostis iram submissione confringere, victoria sit: principum benevolentiam adoratione mercari, non vincere, sed vinciri potius est. Cur non dicam, prudenter operantem se demittere plùs ut inimicum placet, quam ut regis humanitatem aucupetur.

30. *Prudens humiliatur plùs ut hostem placet, quàm ut regi placeat.*

Chrysolo. ser.

Certior tandem factus Jacob de fortuna dilecti sibi gnati Josephi, perrexit in Ægyptum: ab eoque ad Pharaonem introductus, principem semel ac iterum salutat: nempe cùm ingressus est, necnon antequam egrederetur. Neutro tamen tempore legimus adoravisse regem: cùm hoc moris esset apud Ægyptios, ita quod fratres Josephum adhuc ignotum adoraverint: *Cùm adorassent eum fratres sui:* & iterum post: *& adoraverunt proni in terram.* Non sic egisse scribitur Jacobum coram Pharaone, sed illi benedixisse, quod adorationem non significat. *Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad regem, & statuit coram eo: qui benedicens illi* &c. textus ait. Deinde claudit: *& benedicto rege, egressus est foras.* Recole, precor quâ ratione se habuerit Jacob è Mesopotamia rediens erga fratrem Esau, qui venit in illius occursum. *Et ipse prodiens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.* Septeno fratrem excipit cultu? Pharaonem semel non adorat? Prudentissimè: nam Esau putabat hostem, illumque mitigare cupiebat: dixerat quippe Deum orans: *erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo:* & infrà: *placabo illum muneribus,* & pro corde illius emolliendo, septies adorare non renuit, ut superet ipsum. Appositè Lipomanus ibi: *vincendus frater erat, id commodè charitate & beneficentia posse fieri sperabatur. Cœpit ergo eum à remotis adorare.* Adstipulatur Chrysostomus: *& adoravit super terram, inquit, septies, donec appropiavit ad fratrem suum: provocans & per gestus, & per adorationem, fratrem in sui benevolentiam: id quod & factum est.* Satis antelucano exemplo Christianam edocuit Patriarcha disciplinam quæ plus ambit adversi cordis furorem sedare, quam potentium benignos

Gen.42.6. Ibi c.43.26. Ibi c.47.7. Ibi n. 10. Ibi c.43.3. Ibi c.32.11. Ibi n. 20. Lipom. in catc. sup. Gen. ad c. 33. n.3. Chrysost. to. 1.hom.58.in Gen.

vultus promereri. Quæ magnatum gratiam captat, eorum strata sub pedibus humilitas fallax est; quæ dissimulat offensam, vera demissio animi extat. Audi Olyssiponensem Patavinum. *Et sicut cor non potest pati dolorem vel infirmitatem, sic vera humilitas istud non potest pati: scili. dolere de illata injuria.* Quantumvis igitur justus *quasi fundamentum* conteratur: attamen de ruinâ se vexantium non cogitans insigne sibi conciliat sempiternum.

S. Antoni. Olyssip. ser. 2. Dom. 3. post Pascha.

DELIBATIO VI.

Justus quasi fundamentum latet, ita ut se deprimat ipsum.

31. *Virtutis heros mittit se sub aliorum pedibus.*

TItulo præcedenti justi humilitatem extulimus, quâ dum à malevolentia supprimitur aliorum, invulnerabili constantiâ beneficus hosti, lapideam fundamentorum soliditatem refert, quæ parietum opprimentium onera portat, & eorum prohibet ruinas. Insistentes nunc eidem ænigmati quod verba textus offerunt, *justus autem quasi fundamentum*: ad alium, & non quidem postremum demissionis gradum, quò descendit hæc, ascendamus. Novere sanctitatis proceres quòd inter eos micans asseverat Doctor Seraphicus. *Si humilitas corrumpitur, cæterarum virtutum fabrica dissipatur.* Hunc itaque primarium lapidem jacit perfectus vir manu propria, ne contingat minus firmum in spiritualibus ædificium inveniri, si humiliatione sui per alios facta contentus; hanc velut alienam minoris faciat. Non ab alio proteri virtus est, nisi semetipsum abjiciat qui pedibus calcatur. *Ita ergo*, inquit Bernar. *non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat exaltabitur: utique ob meritum voluntatis. Esto enim quod humilitatis materia per alium ministratur: verbi gratia, probra, damna, supplicia, non tamen idcirco rectè ab alio quam à semetipso humiliatus ille dicetur: qui illa omnia tacitâ & latâ conscientiâ, causâ Dei subeunda decreverit.* Quod cùm ita compertum habeat virtutis athleta, non alterius libertati linquit ut ipsum conculcet, sed aliorum sub gressibus ipsemet se mittere solet.

S. Antoni. Olyssip. proxim. sup.

S. Bern. ser. 34 in Cant.

Exemplar in hac re se præbet Unigenitus Dei: *ego sum* (dixit ad Thomam) *via veritas & vita.* Alibi se Dominus ostium nominavisse memini. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit salvabitur.* An satis non erat quò se mediatorem ostenderet ad salutem, vocavisse januam per quam ingrederentur salvandi? quo fine se viam esse pro iisdem addidit? Judico sic locutum voluntariam profiteri volentem cordis humilitatem, nonque sola humiliatione ab aliis tolerata contentum. Portam ingrediens non illam necessariò calce terit; sed liberum est ei vel sublevatâ plantâ pertransire, vel limen calcaneo terere. Aliter se habet via: qui per illam perrexerit, vel eam proculcabit, vel ambulare desistet. Ut igitur designaret humilium dux se præcordiis demissionem amplecti, proindeque non alterius libertati committere illam: non solum se vestibulum, sed callem dicere voluit. S. August. ad eum locum. *Via Christus humilis Christus, veritas Christus, & vita, excelsus & Deus. Si ambules in humili pervenies ad excelsum.* Imitare quà præit fidelis ductor: nam si descendit Altissimus; simus quid prosternere te cunctaris? Esto etiam tu ipse via tibi: via, inquam, erit in te humilitas, quam atterendam offeres, si verè submissus extas. Quod suadeatur præfatis Domini verbis humilitatem veluti viam habere, insinuare visus est aliquatenus Bernardus. *Proponit itaque Dominus nobis viæ laborem: laboris mercedem. Ego sum (inquit) via veritas & vita. Viam dicit humilitatem quæ ducit ad veritatem.* Hâc si non tendis, qua via pergas ignoro: vel certè cum eodem Bernar. Licebit asserere: *ubi nulla est via, totum est via. Sic est vita exposita vitiis, latissimos habens hinc inde terminos.*

S. Aug. to. 10. ser. 54. d. ver. Domi.

S. Bern. in præfat. ad trac. d. grad. humi.

Idem ser. d. fallacia vitæ.

32. *Nunquam justus abjectioni sua dicit: satis.*

Hoc sanè de via quæ ducit ad mortem dictum non ambigis, quia veluti multiplex est. Econtrà dextrum iter unicum appellabo humilitatem; non quod alias dari virtutes inficiemur, sed quod istæ sint flores in semita consiti, libita verò dejectio unicus trames dicendus, quia solus cunctorum sub pede sternitur illac itinerantium. Quod cùm gloriæ Principes apprime teneant, cernentes ad finem optatum se nondum perveniisse, plus indies hujus itineris conficiunt: hoc est, magis ac magis in eo proficientes descendere satagunt: nunquam abjectioni propriæ dicunt: sufficit.

Samaritanæ salutem sitiens, aquam ab ea postulavit ille qui postea dixit: *si quis sitit veniat ad me, & bibat.* Repulsam passus insinuavit aquam vivam illi se donaturum, si petiisset ab eo: quam cum non mente perciperet obcæcata culpis fœmina, pauliſper mysterium aperiens Dominus ait: *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Per aquam hujusmodi non solam gratiam, sed virtutes accipio Cardinali Toleto favente, qui ait ibi: *simul ergo complectamur tertiam & quartam expositionem, & sensus perfectus erit. Aqua enim viva Spiritus S. est, qui fit in accipientibus fons aquæ, nempe gratiæ, & donorum, ac virtutum mirabilium.* Inter has humilitati nomen undæ magis aptatur, quia sicut aqua terram vendicat centrum, quod libens amplectitur. Videbatur potiùs virtutes arboribus quia radices agunt, vel mari quod nunquam exsiccatur, æquiparandas: aquæ fontanæ dicuntur similes? Optima quidem analogia: nam fluctus marini, quamvis repetitis æstibus retrocedant ut crescant, attamen huic descensui præfixus est limes: arbores etiam licet radices mittant, quendam terminum non excedunt, & ultra nequaquam illabuntur. At vero fontalis aquæ torrens nunquam dilabendo sistet, nisi vel consumatur, vel ab obstaculo vim sustineat. Sic humilitas, & reliquæ virtutes illi tanquam basi fultæ. Submitti avent anhelo desiderio, sic ut nunquam satis desiliisse putent.

Joan. 7. 37.

Ibi c. 4. 13. 14.

Toletus in Joan. ibi.

Quod adeò verum est ut ipsis insensibilibus creaturis postponere semetipsum justus non

33. *Insensibilibus*

humilis postponit se.

non dubitet. Ne aliena superbi humiliationem ejus exequente contigat humili, propter quod execretur culpam, odisse quod sustinet: eis posthaberi gestit, quæ superbiæ sunt, imò sensus, exortes.

De illis quæ in ultima orbis periodo accident instruebat Divinus Præceptor discipulos, ut in eis Ecclesiam ad tandem ventura præmuniret. Ait igitur eis: *ab arbore autem fici discite parabolam* &c, quod non sine quadam verosimilitudine valet explicari sic: doctrinam ex arbore fico, tanquam ex muto magistro recipite. Necnon & alibi ad lilia remisit eos, ut exinde providentiam Dei condiscerent. *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* Si auditores arbore floribusque pro instructione sua indigebant: an non arbor Christus Dominus est? Sic Bernard: *arbor ipse est & planta cœlestis.* Et insuper ejus opera liliorum simillima. *Omnia quæ ipsius sunt, lilia sunt*, dixit S. Doctor. Igitur sufficiat quòd ab ipso Domino discant; ad arborem & lilia mittit eosdem? Suspicor voluisse ut insensatorum accipientes magisterium iis humiliter subijcerent se; juxta illud oris Domini proverbium: *non est discipulus super magistrum.* Non multa humilitate fuerat opus ut Filio Dei naturali tanquam veritatis magistro subderentur; se verò rebus sensu carentibus, præ animi demissione postponere, præcellens erat virtutis opus. Candent super terram lilia, foliorum pompam arbor explicat; *justus autem, quasi fundamentum*, sub tellure se condit.

Matth. 24. 32.

Ibic. 6. 28.

S. Bern. ser. d. S. Benedic.

Idem. ser. 70. in Canti.

Matth. 10. 24.

34. *Plus humiliat se qui diligit unde lateat, quam se agnoscens ne superbiat.*

Quamvis ad arboris emblema devenerimus, & multa sint, quæ ab illa discere valet vir perfectus, non tamen putes humilitatem exemplo ligni doceri, quantumvis illud radices in ima producat, ita ut quo amplius istæ descendunt, eò plus ramis exaltetur. Pro humilitate non est aptum arboris exemplar. Omitto plura quibus discordat: unum adnotare libet. Arbor statim atque per hyemis absentiam sibi licuit, signa præbet quibus ejus excellentia noscatur: nam ea statim turgescit in gemmas, per frondes ac flosculos patere facit quàm nobilis ac frugifera sit. Non ita se gerit humilis: quinimo consultò curat ansam exhibere ne cognoscatur. Quod neque florescere sollicitet, nec foliis excipere ventum, satis erat ut humilitatem non desereret: attamen hoc parum justus reputat, utpote sine quo nihil magnum poterit exequi: nam teste D. Gregorio M. *tunc solum bene agere magna nitimur, cum ea quæ agimus pandere ad ostensionem vitamus.* Ideo progreditur ultra virtutum dilector: non solùm non superbit, sed sollicitat ignorari. Hoc majus est præ illo sanctitatis fastigium. Se perperam agnoscens cùm gloriam quærit propriam fur est: illa namque Deo debetur, & hanc suffuratur qui verbis à Deo totum fatetur accepisse; animo verò gloriolam captat. *Quod si dicat quis* inquit S. Bernard. *absit, agnosco gratiâ Dei sum id quod sum; studeat autem captare gloriolam pro gratia quam accepit: nonne fur est & latro? Audiat qui hujusmodi est. Ex ore tuo te judico serve nequam. Quid nequius usurepante sibi gloriam Domini sui?* Igitur qui seipsum introspiciens non superbit, quid magnum confecit? Non surripit alienum. Exiguum est hoc. Qui verò quærit viam quà lateat ejus excellentia, dimittit proprium scili. aliorum existimationem ipsi debitam: istud exaggeratius esse facinus humilitatis minime renuas.

D. Greg. M. to. 2. l. 5. in 1. Reg. c. 14.

S. Bern. ser. 84. in Cant.

Audi quo stylo Paulus Dominicam extollat submissionem. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Non deerit qui putet crucem nequaquam extitisse profundissimum gradum quò descendit Sol justitiæ: tum quia Redemptor in eâ se dixit exaltandum: *si exaltatus fuero à terra*, exponente D. Thoma dum assignat crucis motivum deligendæ, *quia sic mors est per modum exaltationis. Unde & Dominus dicit: si exaltatus fuero:* tum etiam quia in cruce mortuus tot operatus est mirabilia, tum demum quia hujus necis decretum à tota Trinitate manavit: & quæ magna demissio est Salvatorem obedire sibi? Majorem forsan abjectionem voluntariam continere videbuntur illa Domini verba: *Pater major me est:* nam quòd Verbum æquale Patri non dubitavit depromere labiis inæqualitatem (cum tacere posset hanc immunis ab umbra superbiæ) maxima judicari potest humilis corde submissio. Sed non ita deliberes: Apostoli judicio tuum cohærere facito. Crucis patibulo citra dubium Dei Filius abjecit seipsum, quàm dum Parentis majoritatem quatenus homo passus est: nam istam asseverare, quid aliud fuit quàm humanitatis erga Genitorem nosse minoritatem, nec alienum accipere (sumeret utique si minorem se Parente prout homo, negaret.) Cruce patibulatus eam subiit mortem, quæ cum sceleratis deberetur, innocentissimi personam abscondebat, ita quod ex eo capite multis agnitus non fuerit. Sed ideò sic permisit occidi, quia protunc humiliter abscondi cupiebat. *Propterea* (dixit Chrysost.) *etiam inter duos latrones cruci affixus est, ut éadem de se ipso, ac de illis existimatio esset, atque impleretur quod dictum est: & cum iniquis deputatus est.* Hàc ergo Paulus humiliationem spontaneam Assertoris extollat; non autem ex eo quòd se minorem Patre secundùm naturam pronuntiet humanam, cùm aliàs ex Divina sit compar eidem: sed ex hoc quòd in patibulo crucis usque tunc infami, quæ fierit excellentiæ suæ velamentum.

Ad Philipp. 2. 8.

Ioan 12. 32.

D. Thom. in Ioan. c. 12. lect. 6.

Ioan. 14. 28.

Chrysost. to. 4. hom. 7. in ep. ad Philip.

35. *A vanæ gloriæ periculo nec sanctitatis Heroes immunes.*

Ad instar hujus exemplaris, ejus affectæ sese componere satagunt. Occasiones latendi solerter detegunt: norunt enim discrimine quanto nutet spiritus dum aliorum opinione sustollitur: & animæ suæ parcit divitans communem perfectorum scopulum vanam gloriam. *Solus qui vere humilis est*, scripsit Bernard. *parcit animæ suæ: qui ne putetur quod non est, semper quantùm in se est vult nesciri quod est. Grande revera periculum, audire quemquam de se supra quam sentit in se.* Neque cedri Libani sunt ab hoc tuti vanitatis flatu.

S. Bern. ep. 87.

Ut ex discipulis duos instrueret Præcursor de vero Messia jam terrarum incola, mit-

tit illos ad eum, quæsituros nomine suo sitne quem venturum expectarunt sæcula, collesque desideraverunt æterni. Tunc Dominus coram eis plura patravit mirabilia : *in ipsa autem hora multos curavit à languoribus* &c. Postea responso accepto abierunt legati: post quorum discessum Dominus ad turbas Joannem prædicare cœpit. *Et cum discessissent nuntij Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas.* Bone Deus, qui gloriam tuam non quæris, internuntios Baptistæ non vis audire magistri laudes ? Quod prodigia tua conspiciant illi non recusas ? præconiis effers Joannem apud turbas ? ejus alumni cur etiam ista non audient ? Quia cum erga Præcursorem afficerentur, fere certum est quod ad illum deferrent quidquid gloriosum de Voce clamantis in deserto diceret Salvator audientibus ipsis. *Salvator*, inquit Dyonisius Carthus. *laudat Ioannem, non in præsentia discipulorum suorum, ne illis vel Ioanni videatur adulari, quoniam certum fuit quod discipuli Ioannis referrent ei quidqud à Christo audissent.* Turbæ non sic familiares erant Baptistæ, quod ei similiter audita renuntiaturas credibile sit. Laudavit igitur apud eas, absentibus duobus discipulis, ne per hos ad Joannem transmissa laudationis ejus notitia, virtutis Heroem exponeret vanissimæ gloriæ discrimini. Hoc vitare solitus erat Joannes, ut Jordanis testantur littora. Et licet, quia vocis munus obibat, latêre vix potuerit ; attamen qui se nihil præter vocem dixit, abdere cupiebat seipsum, ut humilitatis ingenio foret Evangelicæ legi *quasi fundamentum.*

Luc. 7. 21.

Ibi, n. 24.

Dyonis. Carthus. in c. 11. Matth. art. 21.

36. *Illustrius crescere descensu quàm ascendendo tangere summa.*

Hæc à justis amata descensio (dicere fas est ?) cum sit vera, nonnihil fallaciæ, quâ decipit eos, continere videtur immixtum : nam cum suadet illis ut se deprimant, ipsos eâdem exaltat depressione. *Vis ibi esse ubi est excelsus ? Esto humilis ubi & ille humilis fuit.* Sic monet Augustinus. Non frustra homines in sacris invenies aquis assimilari : *omnes morimur & quasi aquæ dilabimur :* & alibi *: aquæ quas vidisti ubi meretrix sedet populi sunt.* Experientia docet latices in eâdem spatij mensura ferri sursum, quâ priùs descendunt : sic & homo. Numeravit humilitatis gradus pœnitenti D. Antonius Olyssipo. & adjecit. *Per istos decem gradus debet anima pœnitentis ascendere. & descendere. Quantùm enim descendit, tantùm ascendit.* Concinit Chrysostomus. *Quemadmodum enim in aqua fit, quæ tantò altiùs ascendit, quantò illam quisquam ad ima deduxerit, ita habet & animi humilitas.* Per modum scandentis in auras attolli, hoc etiam trunco datur ; at verò descensumet evadere in fastigium, solaris gradiendi modus est : Sol etenim tunc pro nobis ascendit, cum penes antipodas conditur undis. Contrariis mediis obtinuisse finem excellentius est. Unde credere te non dubito illustrius fore per descensum incrementa capessere, quam ascendendo tangere summa.

S. Aug. to. 8. in. Ps. 126.

2. Reg. 14. 14.

Apoca. 17 15.

S. Antoni. Olyssip. ser. Dom. 8. post. Trini.

Chrysos. to. 4 hom. 11. in ep. ad. Ephes.

Prænuntiavit Evangelicus vates de Christo Domino sic : *ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.*

Isai. 53. 2.

Priùs virgulto, quàm radici confert Salvatorem ? an satis non foret similem ascendenti plantæ prædicere ? Quid addidit cùm de radice junxit similitudinem ? Adjecit nobiliorem scandendi modum, & à minori ad majus in illo duplici processit emblemate. Non tam quid magnum est Dei Filium in ascendendo virgultum imitari : hoc enim sursum pullulando fit altius; radix non ascensione crescit ; sed vergens in profundum dilatatur. Hoc est insignioris augmenti genus, infima scili. petendo augeri. *Ut radix* (ait Augustin. ad præfatum Isaiæ vaticinium) *quia non ei aspectus neque decor. Passus est, humiliatus est, consputus est, non habebat speciem, homo apparebat cum Deus esset.* Illa nihilominus humilitatis via, quam sectatus est Filius Dei, majestatem plurimam conciliavit eidem. Sic tenens Domini vestigia sibimet ædificat *quasi fundamentum sempiternum.*

S. Aug. to. 10. hom. 36. in lib. 50. homiliarum.

DELIBATIO VII.

Etiam sibimetipsi justus proprias excellentias contegit.

37. *Apex humilitatis non est despicere proprias excellentias: sed nescire.* Matth. 7. 24.

SPiritualis domus pariter est vir probus fundamentum & habitator. Primum insinuat hic textus noster : *justus autem quasi fundamentum.* Secundum colligitur ex illo Christi Servatoris : *omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.* Fundamentum ædificij non solos extraneos latet, sed ipsum habitatorem. Humilis perfecte non tantum abdit spectatoribus fulgoris radios : etiam sibimet abscondit splendorem suum. Rem plane satis arduam perficit : quam non exequitur, nisi Divina manu peculiariter protegatur. Humilitas ideo vocari potest quædam protectio Divina. S. Ioannem Climac. accipe. *Humilitas est protectio Divina, ex qua fit ut recta facta nostra non videamus.* Rectè quidem : nam Dei specialissimum opus est illa sapiens ignorantia, qua se nescit humile judicium. Difficillimum dicunt omnes agnoscere quemque vilitatem suam : plus tamen arduum judico proprium jubar ignorare. Qui se recte novit, potius ille noluit volare, quam descenderit ; qui verò nescit illud quô rutilat, hic ad inferiorem seipso gradum illabitur. Hæc erit igitur laudabilior humilitas tua : non quidem solum nosse quod te supprimit ; sed ignorare quod extollit.

S. Ioan. Cli. in scala grad. 30.

Etiam sacrum Apostolici collegij cælum penetravit ambitionis facula : cogitatio scili. illa, quisnam eorum videretur esse major. Tunc Dominus occurrere festinavit incendio aquam doctrinæ adhibens, quam similitudine parvuli reddidit magis perviam *Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum, & dixit : amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Fortè deerant exempla humilium, quibus uteretur

Matth. 17. 27.

uteretur divinus Magister ? & parvulo similes fieri consulere fuit opus ? cur non ait : assimilamini Abrahæ, qui mecum loquens
Gen.18.27. amicè, tamen dicebat : *quia semel cœpi loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis* :
Matth.3.11. vel Baptistæ qui de me dixit : *qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare.* Peculiare quiddam in puello reperitur, ex quo perfectissimam humilitatem hoc ænigmate delineavit incarnata Sapientia. Puer excellentias proprias ignorat : si ducit ex principibus ortum, latet illum suamet nobilitas : si clarus ingenio præproperè scintillat, se minimè novit acumine pollere : si hæreditatis amplæ sorte præpotens natus est, fortunæ pulchram faciem dignoscere non callet. Hoc est humilitatis veræ centrum, propriam celsitudinem ignorare. Minus profunda est (licet necessaria nimis) animi demissio, quâ filius Adæ terrigenæ seipsum limum agnoscit, qui verè pulvis est, ut Abrahamus : vel qua sicut Baptista, Deo compositus abjectissimum se reputat : id enim tantum erit veritatem fateri, quòd in justo res plena miraculo non est. Ut ergo Dominus insinuaret, præter hoc fore discipulis ultra progrediendum, statuit in humilitatis exemplum, non sanctitate magnos, sed ætate parvulum. Meritò S. Basilius aiebat : *puerorum mores imitamini, morum simplicitatem assumite ; nulla illis de dignitate vox ; illi primas non ambiunt, hac ægritudine non laboraut, non norunt efflorescentem nobilitatem, non super divitiis elatione vana gloriantur.* Sed ô quam virili fortitudine humanum cor indiget ut puerilem conditionem in hoc imitetur ?
S.Basil.ora. 18.

38. *Justus putat se minui cum augetur,*

Enimverò perfectam diligens abjectionem, ita propriam ardet nihileitatem, ut quasi parum foret excellentiæ suæ crementa nescire, putet imminui se dum augetur. Virtutes juxta Siracidem flores, pariterque fructus verè sunt : *flores mei fructus :* sic enim intelligi posse verba hæc insinuat idem textus per ea quæ sequuntur statim, quasi vellet explicare flores dicens : *ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* Solent utplurimùm arborum flosculi tunc marcescere, cùm fructus progerminant. Sic virtus (quæ simul flos & fructus est) insimul diminutionem capit & augmentum : accrescit fruticans reapsè ; justus attamen putat extenuari se cùm adaugetur ejus celsitudo : ipsius judicio, augmentum gloriæ, imminutio est.
Eccli.24.23.
Ibi n.24.

Audi rem certè miram : hominem scilicet qui major quam esset haberi potuit, & noluit. Præcursor, inquam, Verbi, cùm à discipulis innueretur ipsi lucem Christi Domini cœpisse clarescere, totus erat in exponendo tenellis mentibus se nequaquam Solem esse, tantùmque munus obire syderis matutini, quod abscondi necesse fuerat ascendente Sole. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Et quando ne crevit Messias ; & diminutus est Joannes ? Augustinum audi : *iste minutus est in capite, ille crevit in cruce.* Et iterum alibi : *nam Joannes capite minuitur, Christus in cruce exaltatus est, ut & ibi appareret quid est, illum oportet crescere me autem minui : hoc est, illum oportet exaltari, me autem humiliari.* Qui dici potest decrevisse Baptistam adeo triumphali morte ? De hac Petrus Chrysologus : *non hic Joannes, sed mors magis tali morte succubuit :* & infrà : *nam tota germina serpentis antiqui iste noster Joannes interemit, & effusione sui sanguinis extinxit occisus.* Et iterum idem S. Doctor Herodem objurgans. *Ecce,* inquit, *eo die quo finisti tuum, ille sibi natalem cælitus conquisivit : quia quando tuus ortus mersit in finem, tunc illius finis ortus est in natalem. Justus enim tunc inchoat vivere, cùm pro Christo meretur occidi : transfertur ista morte vita martyris, non aufertur : morte magis claruit qui ob hoc mortuus est ut viveret in æternum. Ecce tu jaces in morte : Joannes vivit occisus.* Ista cùm veracissimè dicta sint, nonnullam opponunt Baptistæ verbis difficultatem, quibus morte se minuendum asseveravit. Sed cùm hoc Joannis asserto componere Chrysologi doctrinam pronum erit. Sermo aureus de alio factus est, Baptista verò de se loquebatur. Præcursoris in morte sublimitatem noverunt multi ; sed ignorabat ille. Solent ita perfecti : non satis profundas in humilitatis valle jeciisse putant radices, despicientes in se quod possident : altiùs descendunt, & nesciunt quod tenent. O insciiam disertissimam ! utpotè quâ declinantur virtutis discrimina, tutusque tenetur vitæ callis humilitas. Visui tuo nusquam fidas, & multo minùs cum ad te lumina converteris : sed non proprius aspectus impossibilis erit si fastu depositio sit spirituali domui *justus quasi fundamentum* : ac proindè minimè suo versetur in conspectu, velut ædificij fundamina, quæ luminibus ipsius habitatoris operiuntur.
Chrysolog. ser.173.
Idem ser. 174.

39. *Mirabile quod operibus propriis aliquis detrahere conetur splendorem.*

Parum est abdi justum prout suprà monebam : deperit ille pedibus teri, nam sic itur ad astra. Non ascendendo conscenditur ad cælestia. *Unde miro,* inquit Gregorius M. *& diverso modo res agitur, ut humiles cælum petant, dum se inferius dejiciunt : superbi infima appetant, dum despiciendo cæteros quasi in altioribus extolluntur. Isti dum se despiciunt, cælestibus junguntur : illi dum se erigunt à superioribus dividuntur* : mihi tamen adhuc mirabilius est quòd justus virtutem suam parvipendat, & juxta Domini monitum se dicat inutilem servum, quantumvis exactè servet mandata. Magnum equidem humilitatis opus ; vera tamen illa non erit nisi cæteras virtutes ad nihilum redigat opinione sua. *Ille solus humilitatem animi verè consecutus est, qui sibi ipsi persuasit quantumlibet peregerit, nihil se magnum gessisse, qui nec ad finem pervenisse arbitratur.* Ita Chrysos. Quasi parum foret humilitati subjicere voluntatis dominium, etiam judicium intellectus captivatur in ejus obsequium. Quod ille seipsum contemnat qui odit animam suam ut perenniter custodiat eam, laudabile certè, non tamen admiratione plurimâ dignum : abjicitur sæpe quod non amatur. Virtutes autem proprias, quas impensissimè diligit rectus, non magnificere, præcipuus humilium labor est. Non ita magnum puto naturæ legibus per miraculorum exhibitionem contraire : majus existimo propriis detrahere
S.Greg. M. to.1.l.32. mora. c.7.
Chrysos.to. 4.hom 2.in epist.ad Philemo.

trahere gestis excellentiæ nitorem: nam prodigia superant naturam, quæ cedit omnipotentiæ: maximè tamen cujusque factorum obnubilationi per ipsum authorem exequendæ proprius obsistit amor, qui nimis potens. Paululum abest ut asseram vel ipsum Deum incarnatum admiratione moveri de seipso, quia facem præferens dum terras incoleret, multum splendoris detraxisse quondam suis operibus visus est.

In patria sua (ut moris habetur) contemptui subjacuit rerum Dominus: & quod noti essent illi sanguine juncti vertebatur in
Marc. 6. 5. 6. dedecus. Mox addit Marcus Evangelista: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.* Satis implexa sunt hæc ultima verba: sed illa sic explicat doctus Maldonatus, ut admiratio non supra defectum fidei cadat, sed
Maldonat. in Marc. ibi. supra illud, *non poterat. Suspicor*, ait ille, *hæc verba, propter incredulitatem eorum, non esse conjungenda cùm proximo verbo, mirabatur; sed cùm præcedentibus, & non poterat ibi virtutem ullam facere: ut verbum, mirabatur, parenthesi legatur, sensusque sit: & non poterat ibi virtutem ullam facere propter incredulitatem eorum, ideoque mirabatur.* Et quomodo potuit accidere quod omnia sciens
De hoc Suar. to. 1. in 3. p. q. 15. art. 8. in cō. Vasq. ib. disp. 61. cap. 1. Pet. Hurt. disp. 68. d. incar. Lugo d. incarna. disp. 22. sect. 4. Arriag. ibi disp. 40. sect. 5. miraretur? Hoc scholasticè Theologi componunt ita ut vel illa dicatur propria, vel impropria tantùm admiratio; non tamen defectum scientiæ in Christo Domino arguat, seu omnimodam novitatem respectu collectionis omnium scientiarum Christi. Explicatur hoc duplici via: primò ut indicet admiratio novitatem rei sumptæ respectivè solùm ad scientiam experimentalem Redemptoris; non autem absolutè. Secundò si dicamus fuisse admirationem ortam ex cognitione rei quæ sit magna respectu habito ad alios; non autem ad Filium Dei. Hoc modo miramur de multis quæ jam novimus, ut de artificio aquæ ascendentis &c. Utcùmque Servatoris admiratio, de qua textus agit, explicetur, illud ex ea colligere licet, nempe rem Christi Domini judicio singularem fuisse, quod propter contribulium suorum incredulitatem Omnipotentiæ splendorem inibi contraxerit. Nusquam leges Redemptorem de miraculorum operatione suâ fuisse miratum; hîc vides admirari de omissione quorundam. Non sine magno rationis momento sic se gessit: quia tunc potestati suæ (ad speciem) aliquantulum dempsisse visus est claritudinis: & ita ut Marcus rem exprimere volens non dixerit noluisse prodigia patrare plura; sed non potuisse: quamvis Domini potentiam in nullo minutam ipse, necnon & nos agnoscamus. Admirationem non vulgarem postulabat res adeò humano captui, moribusque nova: scili. suamet opera minuere, propriamque tegere claritatem, dum permittebatur hominum judicium sic hallucinari quod omnipotentiam ab aliena fide pendere crederent. Hoc imitari, justo, prout valet, in votis est.

40. *Humilis propriam virtutem commendat.*

Imitatur, inquam, humilis exemplum Summi Præceptoris, opera sua temnens, quantumlibet egregia. Attamen redditur arduus valdè contemptus hîc, non à superbia, philautiâve, sed à virtutis amore. Quomodo virtutem despiciet suam qui totis illam præcordiis amplectitur, & regnis, opibusque præponit? Attende quid meditetur humilitas argumentosa. Captivat intellectum amantis, ut piissima facta propria judicet velut scelera: quo posito, facillimum est ea despicere. *Id profectò erit*, dixit S. Joannes Clim. *altissimæ humilitatis argumentum, culpas quæ ititem non adsint in quibusdam rebus vilitatis causâ vel gratiâ confingere.* Quid ergo si non in quibusdam aliis rebus peccatum piè fingatur; sed in ipso virtutum exercitio? Ad hunc verticem pertingit abjectionis amator, non sanctitati quidem injurius, potiùsque sibi cautus, propriæ virtutis opus computat in delictis. *putat inter delicta.* S. Joā. Clim. in scal. grad 25.

Vir secundùm cor Dei alloquens Dominum dixit: *quousque irasceris super orationem servi tui?* Exponit ibi S. August. *Irasceberis in orationem inimici tui, adhuc irasceris in orationem servi tui? Convertisti nos, agnovimus, & adhuc irasceris in orationem servi tui?* Deus orationem suadet inspirans, promovet juvans, præmioque munerat: cùmque iratus placetur ipsâ, manifestum est illam ei placere. Vates regius quærat, si juvat, Deum quousque adversus illum indignatus erit; ast contra suam orationem Deum irasci vix percipio. Adverte præaltum demissi pectoris culmen, quo volavit, non alarum auxilio, sed vacuitatis propriæ levitate Davidis humilitas. Orabat ille: nollet attamen ut sua sibimet vanè complaceret oratio: deliberat venire per execrationem ad ejus contemptum: inter peccata numerat preces proprias ex alicujus circumstantiæ defectu, Deumque propter hunc illis iratum putat: *quousque* &c. S. Hieronym. *conscientia delicti putat etiam ab oratione irasci.* Memoria præteriti criminis optima submissionis radix est: quæ propriæ benefacta suadet aspernari. Proindè ne sit impossibile contemni virtutis exercitium ab illo, cui quæcumque virtus erat in deliciis, culpas verò detestabatur prudens pariterque pius, noxæ colorem apprehendit mente David in oratione sua. Hæc est rara, sed antiqua metamorphosis, quâ novam induit formam virtutis vultus ut ab ipsomet à quo deperitur, habeatur despectui. pf. 79. 5. S. Aug. to. 8. in pf. 79. 5. S. Hiero. to. 8. in pf. 79. 5.

41. *Humilitatem abscondit pius ostentationis velamine.*

Ad finem adjice quare se gerat ita justus: ad quem collimat scopum, dum rectè facta sua regit sibimetipsi larvâ reatus? Cupit humilitatem exercere quin dignoscatur. Omnis qui noverit eum contemptum præterire suum opus honestum sub criminis titulo, non laudabit animi demissionem; cùm peccatum proprium sæpe fateantur superbi. Ut itaque humilitatem abscondat, non quasi pusillam aspernatur suæ virtutis lucem; potiùs tanquam tenebras fastidit, ne de voluntaria suimet abjectione clarus effulgeat. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari: gaudet contemptu sui: hoc solo sanè, sed piè superbus, quòd laudes contemnit.* Hæc D. Bernar. Non sine divini Magistri ductu hâc tendunt sancti. Etiam sanctitatis prototypo, qui à discrimine tutissimus, curæ fuit non tantum seipsum, sed humilitatem suam recondere. S. Bern. ser. 16. in Cant.

Advertebat

Adventabat paſſionis tempeſtas: & præſcius Dei Filius per eam ſe glorioſius exaltandum à Patre: ab humillimo ſervorum officio, lotione ſcili. pedum, exaltationem ſuam eſt auſpicatus. Nihilominus poſt hujuſmodi functionem peractam, ſe coram diſcipulis magiſtrum, dominumque diſertis verbis expreſſit. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim.* Inſtabat hora tenebrarum; & nunc radios explicat Sol divinus! ſervile munus exequitur; & nomenclaturam Domini ſibi congruere tunc aſſeverat! infrà pedes alumnorum paulò prius poſitus; jam ſe præceptorem profitetur dicturus mox: *non eſt ſervus major domino ſuo: neque Apoſtolus major eſt eo, qui miſit illum?* Nonne dixerat alibi: *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum?* Reſpondeo fruens Auguſtini dicto ſuper eum locum: *quantumcumque ſe laudet, non ſe extollit excelſus, nec poteſt rectè dici arrogans Deus. Nobis namque expedit eum noſſe, non illi.* Nomen Domini prolatum ore proprio, non verbum, ſed velum ſubmiſſionis eſt. Ut ſumma humilitas antecelleret ſibi, ſeipſam humiliavit latens: quòd ut præſtaret junxit majeſtatis, excellentiæque titulos lotioni pedum. Si ergo ego lavi pedes veſtros Dominus, & magiſter: ut hæc propriis labiis expreſſio celſitudinis facta, demiſſi cordis foret velamen: quia majoritatem ſuam quaſi tuebatur qui minimus haberi geſtiebat. Firmant conjecturam ejuſdem verba Domini, quibus inſinuavit diſplicere Petri modeſtiam renuentis plantas Magiſtri manibus abluendas permittere. *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et potuit humilitas Apoſtoli Redemptori non arridere? Non illa, ſed ejus imprudens manifeſtatio fuit injucunda. Potuit Simon corde ſuo profiteri ſe nequaquam dignum, quod palmis, in quas dederat omnia Conditor, ejus diluerentur ſordes, & ſimul tacere faſſus ignorare myſterium, veſtigia committens profundo pelvis, licet brevi, pelago. Si hac ratione ſe habuiſſet, humilitatem abſconderet: quam propalare quandoque non congruit: ſecuriùs latet ac illuſtriùs. Si daretur aſtrum quod abſcondi faceret Solem, argueretur illud eximio ſplendore micare, quia tegeret Phœbum, qui celare ſolet reliqua lumina. Haud aliter: cùm munus humilitatis extet virtutum cæterarum contegere fulgorem, ter maximè reſplendebit juſtus, qui luminari ſuo demiſſionem propriam occuluerit omnia recondentem. Nec ideo putetur iſtam non clareſcere. Potius inde ſplendidiùs nitet: nam tunc ea virtus nomen accipit cùm abſque nomine deliteſcit: ut enim Climacus ait: *humilitas eſt animi gratia ſine nomine, ſolos apud eos nomen habens qui illius experimentum cœperunt.* Sed agnomina libens amittat ut rem ſervet: ergo lateat juſtus *quaſi fundamentum.* Vide flor. 15. n. 18.

Joan. 13. 13.

Ibi n. 16.

Luc. 6. 40.

S. Aug. to. 9. tract. 58. in Joan.

Joan. 13. 8.

S. Joã. Clim. in ſcal. grad. 25.

DELIBATIO VIII.

Sors inconſtans & brevis: ruina illius vel æqualis morti, vel durior. Peccata Chriſtianorum quam gravia! Iuſtorum concordia, & protectio. Suadetur oratio. Laudatur perſeverantia.

Sors amica lubrica; fortè ſiſteret adverſa. 42.

Quaſi tempeſtas. Procellæ ſimilem dixi ſupra fortunam ex fragore, brevitateque. Nunc ſimilitudinem alia ratione firmabimus. Quantumlibet ſit valida puppis, & non longè remotam à portu quatiat illam ſævus turbo; minimè tamen anchoræ tenaci fiſa ſubſiſtet quamdiu furit æquor, ſed toto jactata mari, fluctuum ſequitur mobile vulgus. Ita fœlicitate potitus, non ſtabilitatem promittenti velut unco ferreo credat. Inconſtantiæ proſpera ſors affinis eſt: Boëtius experimentis eruditus addidit: *ſi manere incipit fors eſſe deſiſtit.* Forſitan ſi læva ſors foret radices ageret facillimè; ſecunda verò non ſic: magnis laborum ſumptibus irrigata non ſtabit: velut arbor ſuper aquam fruſtra conſeritur.

Boët. l. 2. d. conſol. proſa 1.

Hæc inter alia ut Ezechiel plangeret monitum accepit à Domino. *Mater tua quaſi vinea in ſanguine tuo ſuper aquam plantata eſt*: & infrà: *& ventus urens ſiccavit fructum ejus: marcuerunt, & arefactæ ſunt virgæ roboris ejus: ignis comedit eam: & nunc tranſplantata eſt in deſertum, in terra invia & ſitienti.* Sub vineæ ſimilitudine de Jeruſalem ſermo hic eſt, ita ut ad tempora proſperitatis referantur priora verba, *quaſi vinea* &c. poſteriora verò ad miſerabiſſimæ deſertionis ætatem. De primo S. Hieronymus: *legimus Ieruſalem pulchræ mulieri comparatam, & rurſum leænæ, quæ in cubili ſuo leones nutrierit: ſic nunc viti, vel vineæ pulcherrimæ comparatur* &c. De ſecundo Theodoretus dixit: *urbs omnino deſerta fuit, imò omnis Judæa. Idcirco ait, & nunc plantaverunt eam in deſerto.* Cùm diruitur, in terra tunc plantatur? *tranſplantata eſt in deſertum*; cùm autem pompam explicatura civitas eadem poſita eſt velut vinea, non ſolo fertili committitur, ſed aquæ? *ſuper aquam plantata eſt*: tranſplantata irrigatione non eget? *in terra ſitienti*; prima pubertas illius conſtat ſanguine? *in ſanguine tuo* &c. Dividere ſortis oportet utriuſque diverſa tempora. Prænotavi loqui prophetam prioribus verbis de civitatis ridentis fortuna: tunc eam ſuper aquas meditatur ut ſecundas res indicet minimè tutas eſſe: quia ſicut vinea *ſuper aquam* fibras non figeret ullas, dato quòd fatuus ibi vites ordine poneret: ita proſperitas, licet *in ſanguine*, ſummo nempe ſudorum pretio radicari videatur, fruſtra laborat ingenio, velut in aqua ſerens arbuſta ratione maleſanus. Quod enim aquis ideſt hominibus nixum eſt, ventus concutit. Proindè ſapienter dicitur de Ieruſalem, cùm fuerat inſtabiliter fortunata:

Ezech. 19. 10. 12. 13.

S. Hiero. to. 5. in Ezech. ibi. lib. 6.

Theodor. in Ezech. ibi. ſec. 7.

fortunata : *super aquam plantata est.* Commentatur ibi Liranus : *idest super populum Juda fluidum sicut aquæ.* Postea fatur Ezechiel de lachrymabili civitatis ejusdem clade. Calamitas hæc stetit radicitus obfirmata! ideo tunc non ad aliud mare dicitur mutatam Jerusalem; sed ad terram, quæ licet aquarum inopiâ laborans, non ideo infortuniorum spinas marcescere sinet. *Transplatata est in desertum* &c. Fortunæ rota dum cœno mergitur stat aliquando; cum super aëra tollitur sisti nescit : *quasi tempestas* in pelago, quæ dum æstuat, nullus ratem ferreus dens continebit.

Lira in Ezech. c. 14. 10.

43. *Sæculi felicitas præterisse dicatur cum incipit.*

Hanc sententiam auditui non parum acerbam; sed verissimam, insinuat iterum sequens vox, *transiens.* Non dixit : procellas surgens, vel perdurans : nam prosperitatis tempestas favens dici non valet permanens quidquam: non stat; sed perpetuò transit. *Omnia ergo bona sæculi hujus, & universus mortalium labor incerto navium cursui comparatur quod citò peritura sint.* De impij blanda sorte verificari solitat fluxa mobilitas. Perennat justus *quasi fundamentum sempiternum.* Caduca prosperitas iniqui, dum incipit, jam prius desiit esse.

S. Hiero. to. 5. l. 7. in Isai. ad. c. 23.

Merito vir secundùm cor Dei appellatus est David : utpote qui Domino, quantùm patitur mortalitas, ita per Divinam providentiam similis factus est, ut sicut adversus Deum insurrexit similitudo ejus homo : sic ille contra se suas imagines, hoc est, Filios expertus fuerit. Imprimis Absalom currus, & equites, præparat : corda populi sollicitat ambitiosè : non dedignatur oscula plurium ad urbem regiam venientium : ac tandem voti reddendi quæsito colore pergit in Hebron, ducentis viris causam viæ nescientibus comitatus, & ad buccinæ clangorem proclamatus est rex : sic enim ad universas tribus missum fuerat : *statim ut audieritis clangorem buccinæ dicite : regnavit Absalom in Hebron.* Audis de præterito loquentia verba? Primò tunc inaugurabatur ille regali pompa : nec tamen quisque dixit: regnat Absalom. Similiter secundus natu post Absalom Adonias fratris forsan imitatus perfidiam, immolatis victimis (ne pietatis deesset prima facies) regni juxta fontem Rogel dedicavit auspicia. Nathan loquens ad Bethsabee matrem Salomonis, factumque narrans, non usus est verbo de præsenti; sed quasi jam intrusus rex descendisset à solio, regnavisse nuntiat : *num audisti quod regnaverit Adonias* &c. Animadverte quam alia phrasi mentio fiat de regno Salomonis. Jubente Davide perductus est in Gihon, ibique per sacerdotem Sadoc inunctus est ad sceptrum, & festivis acclamationibus personuit civitas : quas dum referret Adoniæ Jonathas filius Abiathar, adjecit : *sed Salomon sedet super solium regni.* quam disparia germanorum initia! Absalonis, Adoniæque regni ortus, non quasi præsens, imo velut anteactus profertur. *Regnavit Absalom* &c. *quod regnaverit Adonias*; & Salomonicus thronus de præsenti pronuntiatur! *Sedet super solium.* Non hæc absque cælesti nutu pro eruditione mortalium. Absalonis, Adoniæque fœlicitas mendacium erat superbiæ, theatri figmentum inane quod eorum pepigit ambitio fabularum artifex. Commentum istud regium incipiebat, & jam perierat. Salomonis autem diadema cælitus datum, ac stabile factum est : prædixerat enim ante ipsius natalem propheta Dei nomine : *suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.* Non aurâ sæculi transeuntis fuerat in alto locatus: quidni dissideret à mundialis inconstantiæ ludibriis? Horum pompa sic fugit, ut nunquam statu consistentiæ potiatur. *Id quoque quod tenetur per manus exit*, inquit Seneca. Sub ethnicis umbris lux ipsa judicij prudens experientiis fulta docuit, quod hujusmodi bonorum possessio non firma cuique; *sed transiens.*

1. Reg. 15. 10.

3. Reg. 1. 11.

Ibi. n. 46.

2. Reg. 7. 12.

Sen. ep. 101.

44. *Morti similis est humana gloria ruina.*

Non erit, hoc est à fastigio proruet impius : ruina vocatur non esse quoddam : mortis enim præludium est nimiæ fœlicitatis amissio. Curtè locutus est qui dixit : *gravis est casus è regno in servitium*; nisi forte cadere sumpsit pro emori : prout apud sacra frequenter dictum reperies. Et non libere casum ruentis mortemque similem asserimus, quia prout notat S. Isidorus Hispal; *cadaver nominatum à cadendo, quia jam stare non potest.* A sæculi culminibus præcipites compone cum vitafunctis, & invenies quamsimiles. Emortuum fugiunt amici : rodunt vermes qui dum viveret accedere non auderent, obliviscuntur obstricti beneficiis, ejusque diripiuntur sæpe bona : fere cunctis est horrori, quia mortui fætor alios de obitu proprio commonefacit. Non absimiliter évenit iis quorum fugax quievit Zephyrus, cujus blandimento se beatos putabant. Statim atque vel sæculi tyrannis vel ipsa bonorum conditio sepelevit quem dejecit : ij qui circumstabant agentes amicitiæ scenam, disparuere : qui dum potestate radiabat, vix audebant appropinquare fulgenti, nunc vermium similes corrodunt eundem : minus alij sævi tacent, ac oblivioni tradidere debita : nonnulli ad ea quæ fortunatus antea possederat inhiantes, alieno sibi putant infortunio jus parari pro illorum hæreditate capienda : fere tandem omnes, cum alterius memorantes ruinam, prævideant suam, pavent ad infœlicis memoriam, nedum ad conspectum declinabunt facies. Optimo jure de casu potentis dici valet : vixerat & mortuus est.

Salust. d. bello Jugurth.

S. Isid. Hisp. l. 11. ethymo. c. 2.

Apud Isaïam legis quid sit humana gloriosa tot ingenia sapientissima dementans. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* En potestas, divitiæ ac similia semivigilantium phantasmata floris paradigmate depinguntur : quod rei significatæ minus aptari videtur, quam si avi similem volanti diceret : flos quippe radices mittit. Hic vento movetur quidem; sed ut plurimùm non eradicatur; atverò sæcularis gloriæ plantula firmaminibus caret quæ tempestas evellat. Aliti forte similiorem affirmares volanti, quæ super aëra libratur, nec subsistit. Cur apud vatem gloria mundi non volatui confertur volucris, sed floris pulchritudini? Quia propheta loquebatur respiciens

Isaï. 40. 6.

Ibi. n. 7. piciens ad lapſum glorioſi : *exſiccatum eſt fœnum & cecidit flos.* Dum volitat pennata cohors, nulla mors ei contigit quamvis deſcendat ; ſuperbus autem cum decidit, mortuo ſimilis manet. Æquiparetur ergo floreo germini, cui prorſus idem eſt delabentem areſcere, ac vitam (qualiſqualis ea eſt) amittere ; ut ſcias interitui ſimilem vanitatis humanæ prolapſionem.

45. *Morte durior falcis lapſus.* Petrar. d. remed. proſp. fortu. dial. 91. Imo dicam adhuc morte dirius eſt potestate fruenti corrurere de vertice, quàm vitam commutare morte. Miſeria, quam non præceſſit fœlicitas, vix lachrymis digna. *Nec quemquam*, ait Petrarcha, *facile plane miſerum videbis, qui non valde fœlix habitus fuerit.* Igitur antonomaſticè miſer eſt, qui prius beatus credebatur Morienti ſi dicas æqualem eum qui de temporalium apice procumbit, non valde propriè depinxiſti perniciem ejus: obitu funeſtius eſt magnatis præcipitium.

In jus adminiſtrantes injuſtè juſtiſſimus David inſurgit, ac minatur illis exitium dicens : *vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis.* Quæ verba Chriſtopolitanus Epiſcopus accipit quaſi per os Davidicum Redemptor comminetur Iudæis : *cadetis, & non ſolum à dignitate ſacerdotali, & veſtra terrena civitate Jeruſalem, ſed etiam* &c, Dicendi lex jubet ut à minori conſcendamus ad majus: frigidiſſime materiam ſubjectam perſequitur qui deſcendendo procedit, veluti ſi diceres: perdidit Judas æternam ſalutem, vitam, & pecuniam : nam lector poſt id quod oculis perluſtravit, expectat aliquid majus, & ſi cogatur à majori ad minus dilabi, expectatio illuſa nauſeat. Dixerat Pſalmographus : *moriemini* : putabam additurum : & in gehennam præcipitabimini. Non ita loquitur; ſed ait : *& ſicut unus de principibus cadetis* An non minuitur oratio, cum poſt mortem profert caſum ? Neutiquam : non enim de quocumque ſermo lapſu ; ſed meminit proximis verbis ruinæ principum : quæ non morte ſuavior ; quinimo nec crudeliùs angit. Igitur Salomon non dictum nimis exaggeravit, cum decidentem impium explicuit per verba ſonantia fatum ejuſdem, ſcili. *non erit.*

Ualent. a in pſ. ibi.

46. *Gravius eſt Chriſtiani delictum.* Interlin. Prover. 10. 25. *Impius* : Commentatur Interlinearis: *Eccleſiæ perſecutor.* Fortaſſis nonnemo dum in iſtam expoſitionem incidit, exultat quod nomen impij approprietur Eccleſiæ hoſtibus à quo delicto longe abſumus. Ne tu per fidem effugiſſe putes impietatis nævum, ſi quod credis non exhibes opere. Pejus hoc eſt quam Eccleſiam inſectari. S. Auguſtinus : *qui ſunt inimici Eccleſiæ ? Pagani, Judæi : omnibus pejus vivunt mali Chriſtiani.*

S. Aug. to. 8. in. pſ. 30.

Augebantur indies naſcentis Eccleſiæ germina. Calenti adhuc Filij Dei ſanguine rigata corda ſic fervidè veſtigia Redemptoris arripiebant, ut bona quibus fruebantur in pecuniæ ſummam redacta projicerent ad pedes Apoſtolorum. Accidit ut Ananias quidam volens Deo ſervire ſimul & mammonæ, agro divendito, fraudaverit ejus pretium, & partem ſolam adduceret offerens, quaſi traderet integrum nummorum cumulum. In pœnam avaræ perfidiæ vitâ privatus eſt. *Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expiravit.* Heus maxime Paſtor, vicarius Agni : gladio reguntur oves? Hæc eſt illa manſuetudo quam docuit opere Magiſter ? Dices, Ananiam capitis reum eo quod mentitus Deo fuerit. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Bene. Sed nonne meminiſti Iudam etiam Deo mentitum, cum oſculo pacis dedit bello ſignum ? ideo-ne fulmine ſtatim percuſſus à Domino ? Cur ſic ſubitò necas Ananiam diſcipulus Præceptoris, qui protunc Judæ ſupplicium diſtulit, ac tibi juſſit ut enſem conderes in vaginа ? quare tantopere zelo nunc exardeſcis ? Quia Judas non credebat Redemporem Deum ; Ananias verò maxime. Puniatur ſubitanea morte qui fidelis erat & deliquit ; non ſimiliter mulctetur incredulus. Ananias, inquam, fidem habuit : quia niſi Chriſti Domini Divinitatem crederet, ad fidelium cœtum non curaret admitti. Iudam credit S. Hieronymus infidelem. *Miſer Judas, & tamen non miſerabilis, eâdem infidelitate, quâ Magiſtrum & Dominum tradidit, putabat ſigna quæ Salvatorem viderat facientem, non majeſtate Divina ; ſed magicis artibus facta.* Minus ergo ſeverè cum Juda, qui fide carens Dominum vendidit, actum eſt quàm cum Anania, qui fidem habens, eam non opere complevit. Quamvis in textu noſtro nomen, *impius*, juxta præfatam expoſitionem tribuatur ſolis Eccleſiæ perſecutoribus : non ideo minùs malus exiſtimetur fidelis cujus opera deviant à tramite recto.

Ibi. n. 4.

S. Hiero. to. 9. in. c. 26. Matth.

47. *Juſtorum concordia.* *Juſtus autem.* In ſingulari loquitur, forſan ut concordiam inter bonos inſinuet : nam licet pacem iniquorum etiam videamus, hæc ad malum tãtummodo peragendum initur ſocietas. Nunc de juſtorum ad invicem amico nexu dicendum nobis erit. Sciunt illi quod niſi concordem ſervent affectum; Deus in eis non dignatur manſionem facere. *Deus paucis eſt, & diſſidentibus non cohabitat.* Unionem illam præſtat charitas : quæ cùm ſit flamma ſegregat eterogenea, & omogenea congregat : ideo dividit à criminibus (quæ nobis extranea ſunt) ac bonas mentes coagulat in unum. *Charitas eſt mors criminum .... concordia mentium, ſocietas electorum*, ait Caſſiodo. Quæ uni tertio, ſcili. Deo cohærent, hæc ſunt quæ non pugnant inter ſe. Mutuus verus amor rectè vivendi ſupponit diſciplinam : quaſi perfecte ſola copulentur corda, quæ Divinæ legis eodem ſub jugo colligantur.

S. Thom. a villano. ſer. 1. Pent.

Caſſiod. ſup. pſ.

Sic monebat ſuos Dei Filius : *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, quaſi non aliud eis intimaret juſſum, niſi dilectionis reciprocæ. Scio per hoc indicari virtutes in charitate radicatas eſſe : ideoque mandata reducuntur ad illam. Sed hoc videbatur de charitatis actu erga Deum verificari : non enim offendet in ullo conditorem qui perfectiſſimè dilexerit eundem. At præjactis verbis non de hac dilectione mentio fit ; ſolum agitur de amore proximi : *ut diligatis invicem* : cur ergo de cæte-

Ioan. 15. 12.

ris tacet mandatis? & *quamvis pluraliter dixerit præcepta mea* (Caietani verbis utor) *omnia tamen ad unum redegit dicendo. Hoc est præceptum* &c. Quia supervacaneum duxit reliquorum observationem commendare, ubi de mutuæ dilectionis agebat unitate: nam semel atque pacis alternæ vinculo necterentur, signum erat hoc, ex quo posset argui eos omnia præscripta legis ad unguem complere: non enim tranquillum fœdus est nisi justorum cœtui. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Magnus itaque Principis pacifici recensetur exercitus, quasi vir unus: *justus autem.*

Caietan. ad cum locum.

Isai. 48. 22.

48. *Sancti sinistram Dei tenent ne puniat.* Chrysost. to. 5. l. 2 d orãdo Deum post med.

Quasi fundamentum: Hebraicè leges: *justus verò ut fundamentum mundi.* Testatur experientia Sanctorum precibus universum fulciri. *Age*, Chrysostomus loquitur, *jam & illud exponamus vobis, quàm multis sanctis datum sit deprecationis præsidio servare non solum gentes ac civitates, verùm etiam orbem universum.* Et hoc valida manu præstant, quod tanquam difficillimam rem asseveret S. Ambro. fieri non posse repelli simul preces eorum. *Impossibile est ut multorum preces non impetrent.* Piissimus namque Dominus qui dixit olim dilecto: *dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos*, non dedignatur ita justitiæ manum tradere charis, ut eam quodammodò tenere ne puniat, visum sit.

S. Amb. to. 3 in ep. ad Ro. c. 15.

Exod. 32. 10.

Non longè positus à mortis confinio dixit Moyses ad populum: *In dextera ejus ignea lex. Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Qui dextrâ legem collocavit, sinistram sanctis reliquisse videtur. Sed nonne dextera locus electorum? Quid ergo siniſtrâ constitutos ait Deo familiares; Quia sic suppliciorum comminationem veluti continere videntur. Meministi læva Dei quid significet: docuit ad alium textum Bernardus. *Ergo quia per dexterum, & sinistrum adversa solent atque prospera designari: videtur mihi hoc loco intelligi posse lævam quidem verbi, comminationem supplicij: dexteram verò regni promissionem.* Ut ergo lævam, ideſt punitionis minas detineant, in sinistra locati sunt sancti: quorum utique precatio Dei flagella frequenter amovet.

Deut. 33. 2. 3.

S. Bern. ser. 51. in Cant.

49. *In causâ cõmuni non impetrat oratio unius, dormientibus aliis.*

Opportunum erit animadvertere modò, quod licet minimè de justorum protectione diffidamus: æquum tamen non est ut totum eorum precibus committatur, quin simul oremus, qui peccando provocavimus cæleste Numen ad vindictam. Quantum in causâ communi debeat fieri cunctorum oratio, collige à S. Vincentio Ferrar. *Hîc habemus doctrinam quomodò totus populus debet orare pro suo prælato in tribulatione posito.... talis oratio multùm placet Deo, quia tangit totam communitatem eorum malum* &c. Oratione placatur divinæ Justitiæ gladius, Omnipotentiæ advocantur auxilia: rogationibus neque brachium prævalet inimicum ut obsistat, nec divinum deest ut protegat: precanti scutum est, ac ensis officium exequitur in hostem. Proindè cùm deprecandi motivum cunctos attinet, rationis æquitas non sustinebit ut aliis dormientibus, alter oret, vel istius rogatus alioquin acceptissimus non exaudietur.

S. Vincent. Ferrar. q. 3. ser. D. Petri ad vincula.

Quænam excogitari potest efficacior obsecratio, quam Christi Servatoris ad Patrem se nunquam non exoravisse quod petiit, clarè testatus est: *ego autem sciebam quia semper me audis*, legimus tamen apud hortum Gethsemani Dominum ad æternum Parentem non semel orasse: nec ignoramus fine suo caruisse preces. Fateor inefficaces illas præ Filij Dei erga nos dilectione; nihilominus humanitati sacrosanctæ inerat verè desiderium non patiendi, quod expletum non est, quamvis rogaverit. Quare putas? Multa dicunt plurimi. Scis Christum Dominum secum tres Apostolos adduxisse ut cùm eo simul orarent: *vos autem quasi firmiores* (inquit Salvatoris nomine loquens Origenes) *adduxi ut collaboretis mecum in vigiliis & orationibus.* Magister instabat fundens vota; illi dormiebant. Una cunctis erat precandi causa: oportebat omnes deprecationibus incumberent, quod Apostoli non præstiterunt. Ideo scopum non attigit petitio potentissima: quo sic doceremur sub calamitate communi congruum non esse quod obsecrante uno, dedantur cæteri somno. Fortè Redemptor idcirco negligentiam permisit illam, quia non erat efficax desiderium declinandi calicis. Completur fortunatè precationum ardor, cùm & peccatores timor Dei prosternit misericordiam flagitans: & mentes elevat justorum divinus amor, ut cæli fores pulsent. *Non igitur*, Chrysostomus inquit, *quasi oscitantes & desides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam orationes Sanctorum: sed tunc profectò cùm nos quoque idipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus.* Ita si fiat, justus erit orbi *quasi fundamentum.*

Joan. 11. 42.

Orig. ho. 35. in Matth.

Chrysost. to. 2. hom. 5. in Matth.

Sempiternum. Cùm præcipua fœlicitas amicorum Dei, dum peritura vita manet, sit virtus: & inter illam atque fortunam impij formetur ex oppositis membris thesis nostra: diuturnitas ista quæ per nomen, *sempiternum*, explicatur, saltem in sensu morali de virtute sumi potest constanti. Peculiariter hîc elucet omnipotens Dei manus, scili. in donanda perseverantia. Quæstio potest institui quidnam potius divinam commendet potentiam è sæculo ad Christi sequelam extrahere hominem; an in itinere cœpto custodire ne deflectat? Pro secundo standum: quia dum ad Sanctitatis initia vocamur, ingratitudini mundiali valedicere suademur: ingrato dare terga difficultatum suprema non est. Postquàm spiritualia gustavimus, & agitur de constantia, resistit humana mutabilitas quæ derelictioni viæ sæcularis non obstabat. *Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est quod adeptus es posse servare.... nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo servat.* Deo nihil arduum: sed (idiomate nostro liceat uti) difficilius videtur aliquem stabilire ne deficiat, quàm è sæculo trahere ne pereat.

50. *Difficilius videtur stabilire justum ne deficiat quàm hominem à sæculo trahere ne pereat.*

S. Cypri. ep. 7. tom. 1.

Instante jam passionis tempore dixit ad Petrum Dominus: *rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Tantæ molis erat Simonis perseverantia, quòd pro consecutione hujus necesse fuerit Dei Filium à cujus nutu pendent

Luc. 22. 32.

dent universa, rogantis munus obire? cùm autem vocavit eundem retia cymbamque relicturum, non oravit Patrem ut ejus moveret præcordia? Putabam esse plus arduum initium capere viæ quæ ducit ad vitam; quàm sub Redemptoris umbra jam diu commoranti persistere: præsertim cùm nosset Apostolus optimè quòd si relinqueret Præceptorem, non erat ei quò tenderet, ut melioribus frueretur patrociniis: *Domine ad quem ibimus?* Animus adeo stabilis egebat ut valida manu Brachium summi Regis contineret in cœptis eum qui jam non erat in ipsius disciplina tyro? & solventem è littore pedem (qui posset retibus illaqueari) ut vocantem Dominum sequeretur, nequaquam traxit orationis potentiâ? Neutiquam: nam linquere mundi fallacias, & ad Christum, qui veritas est, properare, non adeo laborioſum extat, sicut humana suadet fragilitas. Atverò stabilitas heroibus etiam provectis operosa sic est, ut Servator, qui poterat illam conferre, tamen ad probandam hujus doni sublimitatem, illud Petro postulaverit à Genitore. Beda in eum locum. *Ne gloriarentur undecim Apostoli, suisve viribus tribuerent, quòd soli penè inter tot millia Iudæorum dicerentur in tentationibus permansisse cùm Domino, ostendit & eos, si non juvantis se Domini opitulatione protecti, eadem procella cùm cæteris potuisse conteri.* Præcelsum, inquam, perseverantia divinæ manus beneficium est. Verè de illa Bernardus. *Prorsus absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium.* Imò audet ibidem S. Doctor asserere: *de perseverantiâ, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus.*

Joan. 6. 69.

Beda in Luc. l. 6. c. 42.

S. Bern. ep. 119.

FLOS XXVII.

Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.

APERITUR.

1. IPSA textus multa planities altiorem reddit ejus indaginem. Sonant hæc verba rem quotidianam, & adeo manibus tractabilem, ut ex hac ipsa ratione minimè videantur intelligenda secundum corticem: *id enim agendum ut non verbis serviamus, sed sensibus*, ait Seneca. Si tantum syllabarum sonum attendisti, credis asseverare Sapientem, quod servus piger similis est aceto, & fumo, in molestia quam præbet hero suo. Propositio hæc videtur omnino disconvenire stylo, & scopo Salomonis in hoc libro, cujus materia sunt vitia virtutesque propositæ modo parabolico, prout notatur à Thena. Similiter Genebrar. de Salomone inquit: *scripsit proverbia ubi sanctæ vitæ documenta dat.* Favet Hieronym. dicens: *ex quo manifestum est & proverbiorum librum non ut simplices arbitrantur, potentia habere præcepta: sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altiùs perscrutandum.* Placet Rodolphus affirmans hîc sensum litteralem esse quid latens in parabola servi. Meritò quidem: nam hic est sensus intentus ibi primò ab Spiritu S. Suppono quippe contra Liram parabolas habere sensum litteralem: & hunc non esse quem verba sonant in significatione propria (verbi gratia ligna regem elegisse) sed in translatitia, prout ex Abulensi docet Arriaga, licet more suo quæstionem hanc appellet de nomine.

Sen. ep. 9.

Thena l. 2. Isago. diff. 7. sec. 5. Genebrar. l. 1. chronolo. pag. 112. S. Hiero. in c. 11. Eccle.

Rodolph. in Prov. c. 10. 26.

Arria. to. 1. in 1. p. disp. 1. n. 54.

2. Quidnam sit autem quod sub parabola servi pigri hoc loco recondatur: puto esse quod Glossa notat utraque: nam quidquid sit utrum earum authores in sensu mystico, an vero in litterali sint locuti, verosimile reor in illis contineri valdè aptam expositionem. *Acetum*, ait Glossa ordinaria, *quod à vino degenerat, & fumus qui ab igne ascendens evanescit, hi sunt qui ab Ecclesiastica suavitate & claritate, per superbiam, vel socordiam, recedunt, & etiam verbis impugnant.* Multò magis placet Interlin. quia loquitur universalius exponens vocem, *piger: sic catholicus*, ait, *malè vivens.* Concinit versio Septuaginta: *sicut uva acerba dentibus noxia est, & fumus oculis: sic iniquitas his qui ea utuntur.* Solum difficile manet secundùm hanc interpretationem aperire quid significent illa verba: *his qui miserunt eum.* Conformiter ad prædicta dici potest, per hos qui miserunt intelligi dominos, qui tyrannicè dominantur peccatori, scili. mundus, & appetitus: quippe sæculo pluries improbus ipse molestus est: imo & appetitui suo tandem peccator idem tædium commovet: nam si *unusquisque peccatis suis cæditur*: quidni toties à semet cæsus displiceat sibi? De cæteris verò creaturis ait seipsum reprehendens Doctor ipse: *cùm enim peccando à te recederem, non solum iram tuam promerui, sed & omnem creaturam adversum me excitavi: nam si servus cujusque à domino suo recederet, non solum dominum ipsum exacerbaret, sed & totam ejus familiam justissimè irritaret.* Denique notandum quòd sub servo pigro potest accipi homo secundum partem sensitivam, & sub his qui miserunt eum idem secundùm portionem rationalem, simul cùm potentiis quæ spectant ad rationalitatem: nam anima nostra prout rationis capax exercet dominium in isto qui parvus dicitur mundus & fortè major altero dici posset, cùm alius non satiet hominem adhuc majora capientem. Utinam hoc dominatu pars rationalis æquitate servata semper uteretur. Sed proh dolor: *animus noster modò rex est, modò tyrannus.* Senecam legisti. Si corpus (quia tam experiris prævalere) dubitas an rectè servus appelletur, an potius regni socius: redi ad Augustinum. *Sic enim factum est, accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, corpus servum habens, supra se Conditorem, infra se quod sub illo conditum est. In medio quodam loco rationalis anima constituta legem accepit,*

Aug. to. 8. in Psal. 57.

Incertus Aug. to. 9. l. d. dilig. Deo.

Sene. epis. 114.

D Aug. to. 8. in ps. 145.

hærere superiori, regere inferiorem, regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliori. Traditur ab inferiore, deseruit ergo meliorem, non potest regere quod regebat, quia regi noluit à quo regebatur. Hæc dixerim cùm bona interpretum venia, quos video satis diversa tendere via. Non tamen inficior posse per istos mittentes accipi secundo sensu litterali eos quorum subest curæ piger iniquus.

3. *Sicut acetum.* Aceti qualitates, ut fertur, dentibus valdè proficuæ sunt; iis tamen dolorem ingerunt. Rarò malus invenietur in quo non reperias quidquam boni. *Non potest malus tam malus esse, sed evenit, ut & aliquid habeat boni; neque bonus esse bonus omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.* Ita Chrysost.

Chrysost. to. 5. hom. 26. ad popu.

Dentibus. Sub allegoriâ servi peccatorem accipiendum prædixi. S. Ambrosius. *Servit igitur peccator formidini, servit etiam cupiditati, servit avaritiæ, servit libidini, servit malitiæ, servit iracundiæ, & videtur sibi liber. Sed magis servit, quam si sub tyrannis positus.* De pluribus dominiis hic apud S. Doctorem fit mentio. Dictis insistens ad illos dominos, quos notavi regredior, ut eis aptem ænigma dentium: scili. appetitum, & mundum, necnon hominis animum quatenus rationalis est, quos dixi supra sub dominorum parabolâ posse accipi hoc loco. Istis omnibus congruit dentium similitudo. Gustantes acetum, ideſt peccatum (à cujus asperitate dicitur acetum peccator hic) fastidiunt cibos utiles. Sic acetum dentibus movet nauseam, hoc est appetitui, &c. injucunda sunt quæ spiritum concernunt. Sed ideo spirituales epulæ fastidiuntur, quia sensuum judicio committimus eas: non illæ sensus alimenta sunt; sed cordis. *Sic & sermonem divinæ exhortationis*, inquit Bernardus, *& promissionum ejus consolationem, & orantium lachrymas panes cordis esse solus ille ignorat, cujus jam aruit cor, pro eo quod suum ipsius panem comedere sit oblitus.*

S. Amb. to. 2. in ps. 104.

S. Bern. ser. 3. in ramis Palm.

Fumus. Quamvis in peccatore sit extinctus, vel nunquam fuerit accensus, ignis ille quem Salvator venit injicere terris; non tamen absque flammâ fumus ibi: *quia duo sunt ignes, cupiditatis scili. & charitatis, & unus de parte Dei, alter de parte diaboli: unus devorans omnia mala, alter universa bona consumens: consideret unusquisque conscientiam suam, & si in se videt ignem cupiditatis ardere, cùm Dei adjutorio festinet extinguere.* Verba sunt August.

S. Aug. tom. 10. 255. de temp.

4. *Oculis.* Domini qui sub ænigmate mittentium servum hic designantur, sunt, ut paulò ante monui mundus & appetitus. Hi quamvis non videant, comparantur oculis quia sunt clarissimi tanquam lumina sua misero servo. Quid mirum tyrannos diligat qui proprias exosculatur catenas? *O amarum servitium, ô diabolicam potestatem: hic omnium affectuum molestissimus est, cùm tantis malis devincti gaudemus, & catenas libenter amplectimur, & tenebrarum carcerem habitantes, in lucem prodire nolumus, sed malis inhæremus, malis oblectamur.* Hæc S. Joannes Chrysost. Istorum Seneca miseretur dicens: *mala sua, quod malorum ultimum est, amant.*

Chrysost. to. 3. hom. 58. in Joan.

Sen. ep. 39.

Sic piger. Veluti synonima sunt piger, & nequam? Sic familiaris est perperam degenti socordia. Imò & ij quibus illucescere radius incipit cælestis, & oculos per desiderium resipiendi cœperunt aperire, pigritantes volutantur, cùm jam hora est de somno surgere. *Multos enim sæpe videmus vitam quidem sanctæ conversationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modò irruentes casus, modò futura adversa formidare. Qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur. De quibus benè per Salomonem dicitur: iter pigrorum quasi spes spinarum.* Hucusque M. Gregorius.

S. Greg. M. to. 1. l. 30. moral. c. 12.

His qui miserunt eum. De multis loquitur mittentibus. Et potest homo duobus, imò pluribus dominis pariter servire? Hoc unum scio: quod multiplex est vitiorum dominatio, prout expendit Augustinus, cùm dixit: *malus autem etiam si regnet, servus est: nec unius hominis, sed quod est gravius, tot dominorum, quot vitiorum.*

S. Aug. to. 5. l. 4. d. civi. Dei c. 3. fine.

DELIBATIO I.

Sub dentium, & oculorum metaphora concionatorum documenta quædam.

5. *Timetur veritatis assertio.*

INterlinearis Glossa, necnon Ordinaria sententiam, quam lucubratione contrectamus, verbi Dei oratoribus aptant. Ordinaria sic: *oculi quippe & dentes prædicatores sunt.* Similiter Interlinearis Verbo, *dentibus*, addit: *prædicatoribus.* Et verbo, *oculis*, commentatur: *idem qui dentes.* Sub una & altera similitudine nonnulla sacris Evangelij præconibus admonere juvat: nec enim dedignabuntur qui mores informant quid sibi moneatur à Spiritu S. pro sui muneris exercitio reminisci: quamvis gracilem tenuitatis nostræ vocem audire cogantur. Non ideo latices odit arbor quia rustica manu rigatur.

Gloss. ord. & interlin. Prov. 10. 26.

Dentium soliditas constantiam innuit, quâ pollere debent sacri declamatores: ita ut nec spei mellea dulcedo; neque timoris amaritudo moveat ipsos: prout dentibus inest radicibus nixa durities, quam nec exacerbant amara, neque dulcia deliniunt. Sic apud sæculi potentes imperterriti stant, velut coram inermibus.

Nec speres aliquid, nec extimescas:
Exarmaveris impotentis iram:
At quisquis trepidus pavet, vel optat,
Quod non sit stabilis, suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, quâ valeat trahi catenam.

Boët. l. 1. d. consol. metr. 4.

Rapuit me suaviter modulans plectrum Boëtij. Metus & spei meminit ibi. De timore priùs agam qui plures agitat. Veritatem summopere diligimus. Vix tamen est qui pro ea periculum subire non renuat, nam durissimum apprehenditur odia per exhibitionem veri spontè mercari.

Non tunc dixit Petro Dominus: noli timere, cùm prænuntiavit martyrij agonem ad mare Tiberiadis: *alius te cinget, & ducet quò*

Joan. 21.

quò tu non vis; sed prædicationis Evangelicæ munus acturum prædicens. *Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.* Non etenim leve certamen subiturus erat qui pro veritate pugnans, multorum animos experturus erat infestos. Oportet Dei ministros venena despicere quæ non bibunt: *spiritalia enim tractantem, & cælestia continentem decet humanæ nequitiæ despicere monita, & animo sublimi & excelso istiusmodi malevolentiæ tanquam nullius opinari.* Hæc D. Hilarius. Fatetur experientia quòd veritatis assertor amicos deperdit, quæ jactura quidem est non modica: sed istorum, qui verum execrantur, amicitia vera nequit esse, nam quæ de mendacio nascetur, fallax erit. *Nollem te habere contra veritatem amicum* (sic ad quendam scripsit Bernardus) *si tamen perstistis, verum te amicum proba: & da operam quomodo & ipse amicus sis veritatis. Tunc demum verè erunt amicitiæ, si veritatis fuerint fœderatæ consortio.*

Luc. 5. 10.

S. Hilar. in psl. 14.

S. Bern. ep. 78. fine.

61 *Veritatis asserendæ difficultas.*

Nihilominus, cùm ratione minimè regatur humana fragilitas, permanet veritatis asserendæ coram sæculi potestatibus arduitas formidabilis. Et ita ut plus difficultatis appareat in vera loquendo, quam in ferendo sæva: nam patiens ferociæ superat gladios; veridicus autem proculcat metus. Cùmque timor supereminet reliquarum afflictionum cumulo, fit inde quòd egeat auxilio minori qui pectus objicit armis, quàm si coram dynastis ingrata veritas ab eo proferenda sit.

Hortabatur discipulos ad fortiter dimicandum postea Dominus exercituum, qui gladium venit mittere in terram, ut exinde nos dirigeret in viam pacis. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Existimabam dicturum: ne paveatis: nam divinus Spiritus intra vos residens, cùm sit ignis, corda fovebit ut strenuè resistant hostibus, eosque detriumphent. Nil tale hoc loco legi. Memini tamen; ibi sic eos monuisse paulo priùs. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Non dixit divinum Flamen in Apostolis restiturum occisoribus; sed locuturum coram potentibus? Ita; nonque frustra: colligere namque valemus hinc discipulos amplius indiguisse valido Sacrosancti Spiritus munimine, ut in eorum pectoribus latens vires augeret pro veritatis elocutione, quàm ut illorum cordibus insidens mortem oppugnarent nervosè. *Inter turbas autem & reges insanientes, suum promittit robur, ne timeamus. Nostrum est enim confiteri: sapienter autem respondere, Dei.* Sic Theophylactus ibi. Hic est in veritatis assertione multis metuendus Herculeus labor: nam, ut August. ait, *vera dicentes solent persecutionem pati.*

Matth. 10. 28.

Ibi n. 19. & 20.

Theophylac. in Matth. 10. 20.

S. Aug. to. 4. l. 1. d. serm. Domi. in monte.

7. *Timorem & spem abjiciat qui veritatē ex officio profatur.*

Nec tantum absit oportet metus in eo cujus est munus vera proferre; sed etiam spes ab illo debet exulare, ne sperati boni subornatus illecebrâ taceat quod effari debuerat. Si veritatem soli supprimerent quorum claudit ora timor; ab aliis qui potentem non metuunt, sed utcùmque amant, eam expectaret: sed *ô infœlix*, exclamat S. Petr. Dami. *& deceptioni semper obnoxium humanæ fastigium dignitatis.* A quibusdam præpotens decipitur ne pereant; ab aliis autem ut assequantur. Nil refert abscedat unus pavor ab eo qui principum conspectu verba depromit. Non adhuc verax erit nisi spem acquirendi munera projiciat. Recolamus expensa nuperrimè verba Domini.

S. Pet. Dami. opusc. 58. in procem.

Pollicetur ibi Filius Dei S. Spiritus illapsum in Apostolorum pectora. Rebar congruentius fore quod in corda tyrannorum descenderet emolliturus lapides illos fons vivus. Quare non sic repromittit futurum? Quia magis opportunus in discipulorum, quam in potentum præcordia descensus divini Spiritus erat. Nam inimicorum pectoribus adesse non sufficeret ut ab Apostolis possideretur; istorum autem cordibus admissus teneretur ab eis, & sic fruerentur dono Dei Altissimi quo nihil majus. Convenientissimum fuit ut cùm prædicanda veritas ab eis erat, potirentur ipsi tanto munere: præsertim ut eo ditati nulla bona expectarent à sæculo; sed spe hâc omnino carentes, liberrimè vera personare pergerent. Ad hostes eorum si adventurum scirent Spiritum Deum ad hoc ut fons consopiret ignem, concuperent, fateor, animos horrore pulso. Neu satis esset non metuere. Operæpretium erat nec ab homine quicquam expectare. Quod ut facilius eis contingeret, summum accepere beneficium, scili. Spiritum sanctum in eis loquentem: quo prædivites facti, cuncta possent caduca despicere, ac proindè spei mundiali valedicentes apostolica libertate vitia ferire. Sciebant Evangelici muneris laborem nequaquam à duplici rege mutua bella gerente, muneranda simul: à Deo scili. ac à vanitate. Hujus præmia si expeterent, illius donaria penitus amitterent. *Quisquis namque ideo prædicat ut hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede se privat,* inquit M. Grego. sicut enim duplici domino valet obsequi nemo, sic nec easdem operas utrique vendere.

D. Greg. M. to. 2. ho. 17. in Evang.

8. *Prædicator neque favore, nec opprobriis hominū cōmoveatur.*

Spe, timoreque, posthabitis, quasi sanus à duplici dolore minister Evangelicus dentium imitabitur soliditatem: & garrulos contemnet obloquentes, jactans in eos illud poëtæ

——— *Quid dentem dente juvabit*
Rodere? ———

Martial. l. 13.

Amarum atque dulce dentes utrumque tangit; neutrum nihilominus eis voluptatem, vel amarorem parit. Illis assimiletur qui panem verbi Dei frangit auditoribus. *Nos oportet neque vulgaribus laudibus intumescere, neque probris animum despondere, si quando ea intempestivè erumpere videas.* Ita Chrysostomus. Nec sanctitatis culmen ascendisse requiritur, ut hominum opprobria, necnon & laudes asperneris. Quâdam prudenti libertate perfectè frui sufficit, simulque rectè perpendere quanti valeant judicantium perperam voces. Liber, inquam eris cùm negleXeris ora populi: *nam certè*, dixit S. Doctor idem, *quot homines in populo sunt, tot vinculis constringitur, tot dominis subjicitur qui vulgi laude gaudet.* Cùm tibi videris extolli,

Chrysost. to. 5. l. 5. d. Sacerdotio.

dem to. 1. hom. 41. in Matth.

complecteris infamiam : nam improborum animi non nisi similibus delectantur. *Quis enim*, ait Seneca, *placere potest populo, cui placet virtus? Malis artibus popularis favor quæritur : simile te illis facias oportet : non probabunt nisi agnoverint.* Æstimanda hominum judicia, non ad numerum, sed ad ad pondus Præconia sonant? Vituperia sunt, quia solent execranda laudari. Calumniæ stridٍent? Encomia puta : quia frequens est rectè facta percuti linguæ flagello. Dicam igitur verbis nostri Lusitani Thaumaturgi : *quid tibi & hominis linguæ, quæ laudenda damnat, damnanda laudat?* Rem claudamus asserentes lapideam seu potius adamantinam soliditatem decere illum qui pro virtutibus adversus nequitiam, loquendi provinciam suscepit.

Sen. ep. 29.

S. Anton. Olyssip. tel. Dom. 3. post. Epiph.

Id Ezechieli dedisse testatus Dominus est cùm ad Israël mitteretur ut ejus dura corda prædicationis verbo coleret. *Ut adamantem, & ut silicem dedi faciem tuam : ne timeas eos* &c. Quare non potius assimilavit luci vatem qui per eum tenebras Israëlis illuminari cupiebat? Quia lux nec ab hominibus percutitur, nec ab iisdem in pretio habetur; adamas verò magni fit : silexque feritur : sed ita ut nec à silice chalybis ictus, nec ab adamante nobilium appretiatio sentiatur. Ita Deus Ezechielem hominum laudibus, & contemptibus insensibilem desiderabat. Appositè Gregorius. *Sed si rectè sapimus, & ad eos à quibus nos honorari conspicimus; & ad eos à quibus nos despici videmus, auctoritatem exhortationis, vel increpationis sumimus : ut nec illorum humilitatem debeamus erubescere, nec illorum superbiam formidare. Dicatur ergo : dedi faciem tuam ut adamantem, id est si ab auditoribus honoraris : dedi faciem tuam & silicem, si ab auditoribus conculcaris atque despiceris : nec per illatum honorem refrenetur lingua ex verecundia, nec per despectũ taceat ex infirmitate.* Aptissima quidem veritatis præconibus est utraque similitudo : nec enim adamas percipit quàm appretietur; nec desinet lucere quamvis in tenebrosum projiciatur angulum, imo ibi radiat splendidiùs. Haud aliter silex nec ferientis manum dolet; neque luce gaudet propriâ. Dicet aliquis etiam silicem saltem dum repetitò percutitur, igniculos mittere : proinde non mirum si luteus; non autem saxeus, homo propter importunitatem percutientis excandescat. Respondeo. Missus ignis è lapide non exurit percussorem, sed illuminat, & adurit fomitem. Sic veri declamator fomites vitiorum cremet scintillans cum despectus feritur; at non tundentem lædat; imo lucem illi subministret : igni quippe simile verbum Dei est. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus* &c. Hæc de supra dato dentium emblemate, quibus dogma nostrum æquat sacros ecclesiastes : *sicut acetum dentibus* &c.

Ezech. 3. 9.

D. Greg. M. to. 2. hom. 10. in Ezechi.

Jerem. 23. 29.

Nunc per oculos videndum quâ de causa prædicatores intelligantur hoc loco : *& fumus oculis* : existimo propterea dictum, quia sicut in oculis festuca levissima quid magnũ est : ita quod alioquin levissimum erat, reputatur grandis nævus in verbi Dei ministris, quibus potissimum convenit quod Salvianus de omnibus Christianis affirmat. *Perfectæ & sincerissimæ sanctitatis*, ait, *volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari, scili. ut quã pura est pupilla oculi tã pura esset Christiani hominis vita.* Si de quolibet Christiano legimus hæc quid sentiendum de sacerdotibus? Consulatur Bernardus, & responsum dabit : *inter sæculares nugæ, nugæ sunt : in ore sacerdotis blasphemiæ.* Si de sacerdotibus ista credis : quid putas de religiosis. Audi S. Doctorem : *sed quò nitidiores manus, eò gravius quoque minor in eis nævus offendit : & sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat. Nobis ad immunditiam minima qualibet inobedientia sufficit : nec jam nævus est, sed gravis macula.* Hæc de religionis jugum tollentibus prolata potiori jure de virtutes persuadere curantibus, ac à vitiis deterrere, verum habet. In his, inquam, fœdum scelus est quod in aliis pulvis foret levissimus.

Salvia. l. 3. d. provid.

D. Bern. l. 2. d. consid. prope fin.

Idem ser. d. triplici custodia.

Cum discipulos Dominus instrueret ad Evangelizandum, dixit eis : *& quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros : exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.* Quidnam significet pulvis ille, non una commentatorum sententia. Rabanus ait : *pedes discipulorum ipsum opus incessumque prædicationis signant. Pulvis verò quo aspergunter, terrenæ levitas est cognitionis* &c. Origenes inquit : *extergendo ergo pulverem pedum in eos quodammodo dicunt : pulvis peccatorum vestrorum merito veniet super vos.* Vellem duas istas expositiones in concordiam reducere. Vult altera significari gravia scelera per hujusmodi pulverem; prior autem levem terrenæ cogitationis aspersinem designari docet. Putas utramque posse convenire? Facillime. Pedibus evangelizantium congruit speciositas, juxta illud *quam pulchri supra montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem : annuntiantis bonum, prædicantis salutem* &c. Incessus prædicationis, seu operariorum salutis conditio tam est naturæ veluti cristallinæ, quod pulvis in eis æquetur gravissimo peccatorum ponderi. Si quid in se sit expendas, levitas dicenda; si quibus in pedibus hæreat notaveris, onus est simile gravissimis aliorum delictis. Ideo licet circa prædictum vatis oraculum, An stet utraque simul expositio pulveris judica : tamen ansam præbui tibi ut disquiras utrum ambæ possint conjungi : scili. quæ propè nihil, & quæ multum criminis per pulverem innui docet. Animarum quærentes lucra sunt oculi : tenuis palea morbus illis est.

Matth. 10. 14.

Raban. apud cate. D. Thom. ibi.

Origen. apud cate. D. Thom. ad. Luc. 10.

Isai. 52. 7.

Postremò non prætercundum concionatores hic non linguæ, sed oculis æquiparari : *& fumus oculis* : quia lingua medetur verbo; sed cum infirmo non infirmatur : nescit commisereri; lumina quodam humanitatis innato sensu flenti collacrymantur : & valde proficuum est quòd verbo monens, de aliorum ægritudinibus compassione tangatur. Imo quid Augustinus hortetur attende. *Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus*

10. *Majus charitatis opus flendo mollire corda, quàm docendo.*

S. Aug. to. 4. l. 2. de t.

9. *Levis macula in viris Evangelicis, grandis nævus est.*

Domi. in monte. *nerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non obiurgemus, sed tamen congemiscamus.* Plus urget M. Gregorius: existimavi quippe licet eâdem infirmitate careant prædicantes, non posse auditores ad viam salutis, nisi flendo revocare. Ad illa verba Dei: *incurvantur ad*

Job. 39. 3. D. Greg. M. *fœtum, & rugitus emittunt*, ait S. Pontif. *Rugiunt quippe dum per incurvationem suam in conversatione lucis auditorum animas gignunt: quia ab æternis nos supplicitis removere nisi flendo & dolendo non possunt. Prædicatores enim sancti nunc in lachrymis seminant, ut segetem postmodum gaudiorum metant.* Et citra dubium excellentius charitatis opus est corda hominum ad pœnitentiam lacrymis emollire, quàm doctrinâ suadere.

2. Cor. 2. 4. Paulus dilectionem quâ persequebatur Corinthios extulit. *Nam ex multa*, inquit ille, *tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas: non ut contristemini: sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* An scribuntur fletus? Nec per aquam nec in aquis fit epistola: quænam est hæc phrasis? *scripsi vobis per multas lachrymas.* Cupiebat eximium erga ipsos affectum aperire: *ut sciatis quam charitatem* &c. quod ut exhiberet, non doctrinæ sollicitudine sed lachrymarum copiâ probat quatenus diligat. Ad illud: *scripsi*

Lira. ibi. *vobis*, addidit Lira: *revocans ad pœnitentiam.* Peccatum ignis est: & extinguendo incendium prosunt etiam aquæ vicinæ domus, quas miseratione commotus proximus, necnon sibi cavens ministrat. Igitur opportunè sub oculorum analogia de prædicatoribus agitur in textu nostro.

DELIBATIO II.

Sicut acetum, sic & peccator degener est à nobilitate, ingenio, & fortitudine pristinâ.

11. *Qui peccat redditur ignobilis.* VElut acetum nil est præter vinum quod à perfectione sua degeneravit: sic male vivens catholicus (qui per acetum subintelligitur juxta dicta n. 2.) ab omnibus quæ hominẽ honestant degener habetur apud bene sentientes. Tria sunt in humanis quæ generosum quemque decorant: nobilitas, ingenium & fortitudo: ex primo namque reverentiam, ex secundo admirationem, ex tertio majestatem lucratur. Ab horum omnium possessione decidit iniquus, ut patebit per singula. Majorum claritatem nec despicio cum eo qui dixit: *ego autem præter virtutem*

Phalar. in epist. ad Axioch. *nullam agnosco nobilitatem*: nec illam virtutibus carentem puto super astra locandam, nam.

Horat. l. 4. Od. 4. *Decorant bene nata culpæ.*

S. Ambr. to. 1. l. d. Naboth. c. 13. Melius Ambrosius. *Quid te jactas de nobilitate prosapiæ? Soletis & canum vestrorum origines, sicut divitum recensere, soletis & equorũ vestrorum nobilitatem, sicut consulum prædicare: sed nihil istud currentem juvat: non datur nobilitati palma; sed cursui. Deformiar est victus, in quo & nobilitas generis periclitatur.* Sed heu: *indigna posteritas laudes antiqui generis abnegat*, dixit Cassiodorus. Hoc sacri, prophanique sapientes communi calculo comprobant: sed quia resistunt potenter inermi veritati, qui grandi foliorum pompâ, fructibus vacui, palmites passim turgescunt, eo quòd proceras per ulmos descendant, idipsum dicto Siracidis comprobemus. Cassiod. l. 3. epist.

Laudans ille priscarum ætatum viros, devenit ad Salomonem: sed ne reus adulationis appareret, ejus lapsum non tacuit *dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum* &c. Illud *profanasti*, sic ex Græca lectione Cornelius exposuit: *ideſt pollusisti* &c. & statim addit: *semen tuum ideſt filios tuos.* Adde Jansenium ibi: *magnam dedisti maculam, nec tibi tantùm nocuisti; sed etiam profanasti, violasti, & contaminasti semen tuum.* Quod gloriam suam peccando maculaverit Salomon, nulli difficile. Nam ei præcipuum decus à sapientia, quam ruens dehonestavit nimis. At non ita pervium est quomodò notam inusserit posteritati suæ cum deliquit: an ibi secundum originale crimen inventum? Nequaquam: sed cum à nobilitate per scelera defecerit, stirpem ignobilitavit, quia parentis dedecus ad filium transmittitur. Non obstitit sceptrum ne reatu nobilitas Monarchæ degeneraverit. Et superbiâ tumens inclitis genitoribus ortus; moribusque vilis, jactat majorum stemmata? Eccli. 47. 22. A Lapi. ibi. Jansen. ibid.

12. *Nobilitas cum virtuti sociatur nobilem perfecte reddit.* Tres numerat nobilitates Nazianzenus: *nobilitatis triplex genus est.* Primam ponit in eo quod originem à Deo Conditore traximus. Secundo loco numerat eam, quæ à conspicuo sanguine proficiscitur. Tertiò proponit eam quæ à virtute nascitur. De prima non agimus: in hac enim omnes convenimus, & nullus de majoritate gaudet, ubi non est minor quem antecellat. Tertiam statim à sacris ostendam. De secunda si verba feceris, consulerem, ut exprimas te loqui de nobilitate proavis edita: nam si loquamur absolutè sine addito, dixit poëta: D. Greg. Nazian. orat. 26. med.

Nobilitas sola est atque unica virtus. Iuvenal. satyr. 8.

Ego mitiùs dicerem: nobilitas est cum majorum ingenuitate conjunctus virtutum splendor. Optime quicumque dixit: *ille clarus, ille sublimis, ille sit nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam servare se putet, si dedignetur servire vitiis* &c. Preme illud, *integram*, quasi dimidiata judicetur nobilitas, quæ prodit ex laude solâ progenitorum. Peccatum est adeo vile coram æstimatoribus æquis, ut Seneca relatus à D. Antonio dixerit: *si scirem deos ignoscituros, & homines ignoraturos, nollem peccare propter peccati vilitatem.* Quid Ethnicus censeret, si nosset quid sit filiationem Dei amittere, diabolo præstare obedientiam. Hac se fœdæ turpitudinis abjectione deprimit improbus, proinde nec diadema regium proderit, ut sit integra nobilitate clarus. Incertus. sub nomine Hieronimi to. 4. ep. ad Demetri. longe post, me. Sen. relatus à D. Anto. Olissipo. ser. 9. d. apostolo.

Nisi res ita se haberet, non utique Salomon diceret: *beata terra cujus rex nobilis est:* Eccle. 10. 17.

Lorin. ibi

est : commentatur Liranus : *moribus & genere.* De splendidis moribus accepisse textum non miror. Id mihi dubium valde, quomodò de generis nobilitate egerit ibi : fierine potest ut aliquis regium teneat solium,& adhuc nobilis non sit ? Novi reperiri multos apud antiquitatis thesauros ex infima plebe sublatos ad regale fastigium. Non inficiaberis tamen illos , quibuscumque parentibus prognati fuerint , incepisse nobiles esse statim quod majestatis insigni potiebantur. Ut quid ergo quasi notabilem sortis vicem , non omnique datam reipublicæ fœlicitatem , commendat Ecclesiastes , regem sortiri nobilem ? inveniuntur & reges plebei ? Non quidem numero pauci , nec opibus aut viribus destituti : scili. illi quos præclarissimos purpura foris ostendit ; sed intus delicta probant inglorios.

Lorin. in. Eccle. 10. 22.

Lorinus ad eum locum. *Hinc intelligitur nobilitatem ex virtute æstimari.* Adeo descisciunt ab egregiis majoribus iniqui , sicut à vino quam suavi deflexit *acetum.*

13. *Excellit justus ingenio.*

Prout ab avita generis ingenuitate : sic etiam ab ingenij nobili fastigio peccator excidit , insipientibus quam similis , ne dicam omnibus pejor factus. *Nihil tam stultos homines facit sicut malitia , nihil sapientiores reddit quam virtus : etenim gratos, benignos , mites , humanos , mansuetos , lenes , efficit. Quid ita affectis prudentius ? Fons , mater , radix sapientiæ virtus : non secus ac malitia omnis ex stultitia oritur* &c. Ista Chrysostomus : ei crede potius quam fallaci mundanorum normæ , juxta quam ingeniosior qui deterior. Nullum est peccatum quod rationi non adversetur. Et sicut qui scribit vel pingit frequenter contra regulas artis , quamtumvis peritissimus in eâ fuerit , paulatim dediscit eam : sic homo quia contra præscriptum intellectus identidem operatur , sensim deperdit rationale.

Chrysost. to. 3. hom. 40. in Ioan.

S. Aug. to. 9. tract 18. sup. Ioan.

Faveat Augustinus. *Si vivit homo secundùm carnẽ pecoribus comparatur : si vivit secundùm spiritum angelis sociatur.* Priorem partem expendimus alibi : secundam ex Divinis oraculis firmo. Excellit, inquam, justus ingenio.

Jerem. 31. 34.

Deum auscultà loquentem per os Jeremiæ. Prænuntians fœliciſſima legis gratiæ tempora vates, dixit. *Et non docebit ultra vir proximum suum , & vir fratrem suum , dicens : cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum , ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum , & peccati eorum non memorabor amplius* Ad litteram ex A Lapide , cui consonat Maldonatus , hic agitur de novæ legis ætate : quando non jam sub figurarum involucris , & prophetarum ænigmatibus Deus innotescit. Idipsum tamen est non leviter meditandum. An Deus modò minus effugit hominis captum ? nonne idem qui prius erat ? Nunc passim agnoscitur mysterium Trinitatis quod vix raris olim notum erat. Sacramentorum fides naturalem notitiam valde supergreditur. Deum credere simul hominem , necnon & mortuum , acies naturæ difficulter percipit : ut hæc attingat eget sublimi volatu. Quâ de causa facilius Israëlis filios novi testamenti beatissimis temporibus agnituros facile Dominum ipse pollicetur ? Quia Dei gratiam consecuturi erant : quâ semel adeptâ, ingenium floret , eminet , excellit.

Hugo Card. ibi. *Ideo ergo dicit quòd ultra non docebit vir proximum suum , quia de omnibus docet unctio.* Alludit Purpuratus ad illud Joannis : *non necesse habetis ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus* &c. Textum attende Jeremiæ : rationem subdit namque Dominus aiens : *quia propitiabor iniquitati eorum* &c : nam semel quòd remittitur peccatum , gratia sanctificans animam , defert secum virtutes ad intellectum spectantes : nec ornatum accipit voluntas , quin mens exornetur. His omnibus nudatus jacebat dum peccati fæce volutabatur despicatissimus interioribus oculis peccator.

Hugo. Card. in Jerem. ibi.

1. Ioan. 2. 27.

Adeo vera sunt hæc , ut asseverare possimus eundem qui dum criminis vinculis illaqueabatur , etiam addiscendi fuerat incapax; posteaDivinæ gratiæ redditum exercere posse magistri munus. *Contemptibilis prorsus agnoscitur esse doctrina , quam minime laudabilis vita decorat.... Compungatur igitur , & à propria temeritate desiliat , quisquis ante quietis portum navigare , atque sine remigio virtutum vela prædicationis ostentare voluerit. Equidem superbiæ detentus vento , ignominiæ collidetur in scopulos , eritque inanis gloriæ speculum , qui seipsum erudiendo humiliter potuerat esse virtutum.* Hucusque Præsul Venetianus. Tempore non eget Dominus temporum ut opera perficiat , quibus impedit operam. Quandiu tenebræ præmunt æthera piceo pondere , vel perspicax acies capax non est ut admotis coloribus perfruatur ; semel ac illucescit , jam qui prius videre nequibat valet alteri ducatum præbere. Sic in spiritualibus accidit. Illemet qui discipuli tenere locum insufficiens intellectu indigebat ut addiscceret ; à peccato post emersus alios doctrinâ poterit imbuere salutari.

14. *Qui magister esse valet justus, manet Si labatur ineptus ut discat,* S. Laurent. Iust. l. d. vit. solit. c. 7.

Da mihi intellectum & discam mandata tua , aiebat olim David loquens de semetipso , juxta expositionem quorundam nomine suppresso penes Liram ad initium psalmi hujus. Quasi orbus esset intellectu , petit hunc vates à Deo sibi conferri : etiam addiscendo se fatetur ineptum , qui sic postulat. Transi nunc ad eundem alibi dicentem : *redde mihi lætitiam salutaris tui ; & spiritu principali confirma me. Docebo iniquos tuas :* Hic sese offert ad magisterium ? illic rudem agnoscit pro discipulatu ? modo præceptorem agere non recusat ? *Docebo* , qui priori psalmo petit intellectum ut adoceri valeat ? *da mihi intellectum & discam* &c. Vide fallat ne mentem cogitatio. Licet David justus esset : attamen , ut sanctis mos est , de se tanquam peccatore loquebatur cum postularet intellectum. Nitor in eo quòd post paucos versiculos audies Davidem flagitare Dei misericordiam ut vivat : *veniant mihi miserationes tuæ & vivam* : cumque familiare sit justis gratiam Dei antonomasticè vitam vocare , videtur hoc loco precem fundere pro Dei misericordiâ

Ps. 118. 73.

Ps. 50. 14 15.

Ps. 118. 77.

cordia remissivâ peccati. Fortè mens hæc Genebrardo fuit ad illud : *veniant mihi* &c. ait namque : *mortuum se existimat divina benevolentia privatus, ideo ut reviviscat per divinam benignitatem precatur.* Dum igitur de se tanquam peccatore agit, sic se reputat insipientem, ut nec mandata Dei perdiscere queat nisi Dominus ei conferat intellectum : *da mihi* &c. At cùm audiit pœnitens rex ipse dicentem Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum :* à delictis mundatum se credens, ingenij sui novit præstantiam, & eâ nixus alios edocere parabat. *Docebo* &c. *Pollicetur enim*, ait Genebrar. *in beneficij agnitionem se daturum operam, ut suo exemplo alij ad resipiscentiam perducantur.* Hic ille qui rogavit alibi quasi judicio carens : *da mihi intellectum* ? Audi, quæso, Aquitanensem : licet enim asserat Filium Dei psalmi 118. præcitatis verbis petere per os Davidis Ecclesiæ suæ, non sibi : tamen adhuc prodest in dictorum robur. *Nunquid* (ait ille) *ita condita est humana natura ut careat intellectu ? Quid igitur sibi dari postulat quod accepit, nisi quod peccati vitio ipsum primitus rationale corruptum est, & gratiæ munere formandum est ? non enim sufficit naturæ quod ei remansit, nisi recipiat à reparatore quod perdidit.* Quantùm ergo doctor eum qui discendo non est aptus, præcellit acumine : sic justus iniquum : hic etsi Mercurio sapientior, post lapsum tamen Arcadicum germen erit, Coræbo stultior, Melitide stupidior.

Geneb. in psal. ibi.

1. Reg. 12. 13.

Geneb. ad psal. 50. n. 15.

S. Prosp. ad psal. 118. 73.

15. *Peccato deficit robur hominis.*

Defecit necnon ab strenuo robore qui deliquit : non enim se tantùm fragilibus dedidit inimicis : insuper ab ipsa fragilitate victus & vinctus est. Lascivum prostravere colores : avari manus ligavit quod fugit eundem : superbum fumus occidit : invidus impugnante nullo cecidit suimet hostis ipse. Neque cæteri ferociore depugnantur marte : nam imbellis est quisquis cùm Deo bella gerit : *talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent*, ait Chrysostomus.

Chrysost. ho. 8. ad popu. to. 5.

Erat-ne terror Philistinorum Samson ? Meditare quam enervis facta sit Herois ex peccato fortitudo. Multo priùs quàm à Deo linqueretur hostium vindictæ, abiit in Gazam ad meretricem, cujus domo nocte mansit ejus fœdo captus amore. Philisthæi cives cùm rumor percrebuisset Samsonem in eorum urbe tunc hospitari, custodes ad portam civitatis adhibuerunt, & sic illius insidiabantur vitæ. Quid ille ? se præstolantibusne fecit obvium dimicaturus ? vel saltem expectavit ortum solis ut exiret, despectui habens eos qui ejus inhiabant sanguini ? Minimè ; imò somnum interrupit, quasi proprio capiti metuens, & intempestâ nocte consurgens. *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis, & inde consurgens apprehendit ambas portæ fores cùm postibus suis & serâ, impositasque humeris suis portavit ad radicem montis, qui respicit Hebron.* Facinus istud potius corporis quàm animi vires probare dignoscitur. Quòd enim portæ civitatis fores ille foras exportaverit robustum ostendit, quòd verò quia commorabatur hostili regione, dormiendi horas intercideret, & umbris protectus ex urbe festinaverit exire, fugientis est ; non strenui. Sic se gessit leonum terror, qui maxilla pro gladio virorum percussit copiam ? O, ne mireris : meretricia dilectione Samson apud Gazam enervatus est. Peccavit ? en jam à pristinâ fortitudine degenerem cernis. Non itaque minùs proprio stylo componitur impius aceto : nam hoc liquor generosus erat olim ; postea sibi dissimilis factus est.

Judic. 16. 3.

DELIBATIO III.

Qualis Dei gloria sit relaxare crimina : quam peccator in quærenda venia piger velut fumus obnubilat.

16. AD fumi nunc ænigma lentiùs perpendùm festino. Per illud ex dictis n. 2. signatur iniquus : *& fumus oculis.* Aptissimè. Veluti fuliginem, extollit suamet levitas malum : denigrat societas adhærentem : dispergitque flatus inanis impium. Inter has analogias fumi cùm sceleste, non hæc prætereunda, scili. quod lucem obnubilat supernam. Equidem *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Attamen, si more nostro loquamur, ipsius Domini gloriam vecordiâ suâ peccator obfuscare quodammodò videtur : dum piger, & ignem gratiæ accendi non patiens in seipso (velut fumus qui non concipit ignem) inspirationes divinas contemnit : & lucem, quam Deus parcendo splendidiùs manifestat, nobis quâdam tegit caligine. Nonnihil adstipulatur hîc Salazar. *Jam verò (si ita libuerit) poteris hoc etiam testimonio uti adversus hominem pigrum, & Dei mandata, vel inspirationes, præsocordia morantem, qui Deo (si licet dicere) bilem movet.* Neque putes indecenter affirmari quod à scelerato nostris oculis atrâ fumi nube condatur Dei majestas : nam *sicut per sanctos Deus ostenditur in hoc mundo, sic per iniquos homines Deus obscuratur.*

1. Joan. 1. 5.

Salaz. ad c. 10. Prov. n. 26.

Chrysost. in opere imperf. ho. 14. in Matth.

Enimverò quantâ claritudine fulgeat divinæ misericordiæ jubar, cùm peccatorum tenebras per offensæ veniam dissipat, notissima cunctis veritas est. *Licet* (inquit Patavina lux) *cuncta opera Conditoris sint ejus divinitatis & excellentiæ ostensiva, quia, Sap. 13. à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter potest Creator horum videri : illud tamen quod ejus excellentem præsidentiam manifestat est misericordia. Ratio autem est quia quando res in se ipsa non potest videri, oportet quod ex sua proprietate cognoscatur.... nunc autem visa est divina proprietas, quæ omnes alias antecedit. Deus cui proprium est misereri & parcere, cantat Ecclesia.* O Theologi aciem cælitus edoctam ! ô novam de constitutivo Dei sententiam ! Alij desudent ut statuant, quantùm ad nostrum attinet captum, illud esse Deo peculiarissimum scili. quod à semetipso sit : alij quod rationalis

17. *Peculiaris gloria Dei solvere vincula delictorum.*

D. Aeton. Olyssip. ser. fer. 4. post Dom. 1. Quadrag.

perfectiſſimè : nonnulli quòd intelligens in exercitio. Antonij judicio viſa eſt inter omnes divinas perfectiones hæc propriiſſima, nempe quòd peccantibus dimittat. Hæc eſt peculiaris gloria Tonantis, relaxare noxas.

Iſai.42.8. Per Iſaiam Dominus ait : *gloriam meam alteri non dabo :* & ut videtur Interlinearis innuere tacitè, loquitur æternus Pater, ſed ita ut excipiat Unigenitum : *præter te cui daturus ſum*, inquit de Chriſto Domino. Similiter Hugo Cardi. ibid. *alteri non dabo : alteri intellige in ſubſtantia ; non in perſona.* Bone Deus ! Et hæc eſt illa tua effuſa liberalitas, ex qua donandam à te gloriam promittis ore vatis ejuſdem ? *Dabo in Sion ſalutem & in Iſraël gloriam meam.* Quid Pſaltes aſſeverat: *gratiam & gloriam dabit Dominus* ? Non quamcumque ; ſed peculiarem gloriam Deum credo ſibi reſervaſſe, quam ſignificat prioribus verbis Iſaiæ. Quam exiſtimas? Eam quæ de remiſſione peccatorum dimanat. Nitor in eo quòd ejuſdem verba Dei præceſſerint apud Iſaiam Redemptorem deſtinantis ad homines eruendos à peccatis : nam in 42. capite de Meſſia ſermo eſt, juxta expoſitionem quæ habetur apud Matthæum. *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium : ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.* Illud, *vinctum*, commentatur Interlin. *funibus peccatorum :* & verbo, *carceris*, exponit : *peccati.* De hac igitur gloria ſunt accipienda ſequentia verba: *gloriam meam* &c. quaſi dicat : non niſi Filio meo in carne venturo concedam ut authoritate propriâ condonet crimina: hoc enim ſingulariſſimum decus eſt mihi, delictis indulgentiam præbere. *Summa Dei gloria eſt miſericordiam impertiri*, ait Theophylac. Eam igitur gloriam (videor audire dicentem Dominum per prophetam) quam de captivorum iſtiuſmodi liberatione capio, & Filio meo communicare decrevi homini futuro, nemini quidem impertiar alteri : hæc mea ſingulariſſimè appelletur ? *gloriam meam alteri non dabo.*

Gloſſ. interlin. & Cardin. Hugo ibi.

Iſai.46.13.

Pſ.83. 12.

Iſai.42.n.6. & 7.

Interli.ibi.

Theophylac. in c.9. ep. ad Roma.

18. *Cùm audaciùs adverſus Deum ſurrexere flagitia ; dimittens refulſit ampliùs.*

Vides qualiter de remiſſione peccatorum conferenda gloriabatur Altiſſimus olim ? Adhuc poſtquam naſci dignatus eſt ad culparum deſtructionem factus homo, plus majeſtatem divinam offenſarum dimiſſione clarefcere Deus inſinuat. Plus illum, poſtquam aſſumpſit immortalitatem læſere crimina : nam priùs extrinſecus eum attingebant ; poſtea vitam eripuerunt, honoremque denigrare ſunt auſa. Cùm ſub malefactoris titulo benefacere miſeris velut impulit erga reos compaſſio, tunc adverſus vitam decuſque Filij Dei ſcelera conſurrexerunt impia. *O charitas* (exclamat Bernardus agens de amore Filij Dei crucifixi) *patiens, ſed & compatiens. Charitas patiens eſt : ſufficit. Charitas benigna eſt, cumulus eſt. Noli vinci à malo : charitas abundans : ſed vince in bono malum : ſuperabundans eſt. Non enim ſola patientia, ſed & benignitas Dei ad pœnitentiam Iudæos adduxit* &c. Ad impietatis menſuram diffuſa eſt immenſa pietas : majus, inquam, tunc reputavit Omniporens honoris incrementum ſui relaxationem concedere labum, quando petulantiùs ipſum læſere crimina ; quam fuerat antea dum non ad ſanguinem uſque læſio pervenire potuit.

S. Bern. ſer. 3. ſet. 4. Hebdom. major.

Ad rubum ſpinis horridum inconſumptis, flammâ non vorace coruſcum, deſcendit olim Dominus, ut eriperet de ſervitute Pharaonis charam ſibi ſtirpem Abrahæ. Quid rubus deſignat? quid ſpinæ adumbrant ? Magnus Gregorius adſit. *Et quid rubus ille niſi Iudaicum populum deſignavit, peccatorum ſuorum ſpinis obſitum?* Ecce Dei plantæ conculcabant hominum peccata : quô miſerantis inſinuatur clementia, quæ ſub pedibus (ut aiunt) mittit offenſas,& quodammodò thronus ex calcatis denotatur ſceleribus conſtructus, ut gloriam Dei, quam è ſua miſeratione capit, obiter expendas. Pergere nunc libet ad prætorium Pilati. Militari licentiæ traditus innocentiſſimus Agnus quamvis à ludentibus, veraciter attamen, ſpinis coronatus eſt : ac regem ſunt ignoranter faſſi. *Licet*, ait Bernardus, *irriſione coronent, ignorantes tamen & irridentes coronatum regem fatentur.* Hujus laureæ ſpinis peccata ſignificari ne dubites, audi Tertullianum. *Chriſtus Jeſus quale, oro te ſertum pro utroque ſexu ſubiit ? Ex ſpinis opinor & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantiâ obtundens.* An cernis quàm diſtet Horeb à Calvaria ? vel potius quæram : audis quantò divinæ clementiæ torrens profluat ſeipſo veluti major tranſiliens colles ! Utrobique majeſtatis fulgori ſerviit umbra peccati: ſed alibi ſolij more ſternitur pedibus rubi ſpinetum peccata denotans ; poſt verò capiti circumponuntur vepres mundi culparum ænigma : *milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti ejus* : ô inexhauſtum pietatis Oceanum ! Tunc exundare videtur amplius, cùm procella furit ſævior. Antiquitus non cruentabant iniquitates humanæ Deum carnis expertem. Cùm lædebant minus, tunc per eorum veniam ſibi thronum de calcatis miſeriis parabat majeſtas. Poſtea cùm tempora ſic immutata ſunt, quòd ſacris temporibus perforatis rivos diffluere ſanguinis coëgerit ſpina culpas exprimens : tunc illa majori celſitudinis fulgori ſubminiſtravit materiam, provocans remiſſionem de miſerîâ reorum. Non jam ſuggeſtum eſt aculeus ; aſcendit ut caput redimiat, ornamentoque inter imperialia præcipuè condecorer. Cùm audaciùs & atrociùs contra Deum ſurrexere delicta, magis dimiſſione reſplenduit Conditoris claritas : nam Dei Filius *clarificatum Patrem ſuum eſſe dicit, quoniam ineffabilis ejus bonitas atque miſericordia nota omnibus coronam quaſi gloriæ illi attulit*, Hæc D. Cyrillus Alex.

D. Greg. M. to. 2. hom. 7. in Ezechi.

D. Bern. ſer. de Paſſ.

Tertul. l. d. corona mili. c. 14.

Ioan. 19. 2.

S. Cyrill. Alex. l. 10. in Ioan. c. 19.

19. *Integra peccatorum venia plena Dei corona.*

Verſemus iterum Dominicam ſpinarum coronam, ut ex ea medicinales floſculos colligamus. In illa cernere pronum eſt quàm glorioſa ſit peccatorum venia Deo. Memini ſæpe diuque plurimorum piis cogitationibus examinari ſolitum, cur jamjam extremum vitæ ſpiritum exhalaturus in cruce Dominus inclinaverit caput. Nunc meditabar diadema prædictum (quod verè ſacroſancti capitis extitit ornamentum regale) Redemptorem voluiſſe

luisse non integrum apparere quandiu vita manebat; sed post mortem capite demisso. Vivens antea Dominus erecto vertice tegebat regiæ coronæ dimidium, quod versùs crucis lignum erat; posthàc submissâ fronte totum rubricati serti circulum detectum optavit. Cur? Præmittam Firmiani verba: *corona spinea capiti ejus imposita id declarat fore ut divinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circumstans in orbe populus.* Priusquam expiraret vita nostra Dominus, non omnimoda culparum indulgentia concessa fuerat peccantibus: proindè non plenè clarescebat adhuc illa gloria Dei, quæ de reatuum condonatione manat. Postquàm per obitum redemptio fuit ad coronidem perducta; decus istud enituit integrum. Consummata proindè nostrâ reconciliatione per mortem Salvatoris, tunc appareat corona totaliter: cùm scili. plenaria cunctarum iniquitatum indulta fuit absolutio. Ante quàm Servator obiret petierat à Patre quòd hostibus ignosceret suis: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Petiit, inquam, & obtinuit: ait quippe S. Hieronymus: *impetravit quod petierat, multaque statim de Judæis millia crediderunt, & usque ad quadragesimum secundum annum datum est tempus pœnitentiæ.* Igitur aspiciatur dimidia Dei laurea, quandiu est adhuc dimidiata venia, soli nempe cuidam portioni concessa mortalium, scili. Redemptoris homicidis. Cùm autem expirans implevit passione meritorum cumulum Dominus, tunc non pro una vel altera natione, sed pro cunctis Adæ posteris assecutus est condonationis gratiam: imò capitis inclinatio misericordiæ signum extitit peccatis impensæ. *Caput*, ait S. Laurentius Justi. *dum passionum ludibria, & mortis supplicia pro hominibus pertulit Mediator, liquefecit ad misericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam.* Certè non pro unico populo, sed pro cunctorum miseratione peractum est hoc. Ergo cùm tandem plenissimè fuit obtenta noxarum venia, tunc Dei regium insigne demissione capitis offertur conspiciendum ex integro: quasi pro clementiæ mensurâ, divinæ coronæ magnitudo sit metienda.

Lactant. Firmi. l. 4. d. vera (ap. c. 26. med.

Luc. 23. 34.

S. Hiero. to. 3. ep. ad Hedibiam. q. 8. ad finem.

S. Laur. Just. l. d. triumph. Cagone c. 20.

20. *Quò graviora dimittit eò Deus plus gloriatur.*

O nullis finibus circumscriptum Dei miserationis pelagum! Quò plures naufragi salutis appellunt portum, plus nomen ejus distenditur? Quinimò dicam: tunc major divinæ sublimitati conciliatur gloria, cùm graviora crimina solvit. Velut medici decus non de levibus morbis, sed magis de pene desperata sumitur ægritudine: sic divinæ clementiæ fulgescit honos cùm lethalium ulcerum pestilens virus aufert, & sanitati restituit immedicabilem ferè. Parum abest ut Augustinus parvam Dei misericordiam nominet, cùm peccatis minùs gravibus parcet: ait enim ad illa verba Davidica pœnitentibus quotidiana. *Clamat: miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant parvam misericordiam tuam qui nesciendo peccaverunt.* An duplex in Deo misericordia reperitur, alia major alterâ? Minimè, sed éadem nunc plùs, nunc minus refulget, juxta peccatorum gravitatem, quibus compassionem impendere dignatur. Et eò Dominus amplius gloriari solet de condonatione criminum, quò magis ipsum læsere noxæ.

D. Aug. to. 8. in ps. 50.

Deliquit bis David: scili. vitam eripiens Uriæ, ipsiusque fœdans adulterio conjugem. Peccavit Apostolorum Princeps negatione trina. Regi denuntiata fuit per Nathan indulgentia cœlitus concessa: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; Petro cùm per angelum Deus revelare potuerit ejus lachrymas impetrasse restaurationem amicitiæ, nil tale notum fecit læsus Magister. Cur ita? Quia congruum fuerat ut illi tantùm peccatori fieret offensarum dimissio apertiùs, ex quâ submministraretur splendidior Dei gloriæ lux. Reticeatur absolutio Petri: palam Davidi fiat, & sacro textu scribatur vatis reconciliatio: hæc enim præ illa fuit illustrior ideo quia David atrocius Apostolo videtur lapsus. Teste Suario Granatensi timore corruit Simon: quæ circumstantia non modicè peccatum alleviat. Quin potiùs ex D. Cyrillo Alexand. Petri negationes ab amore Filij Dei ortum habuere quatenus ideo se discipulum inficiatus est, quia timuit ne si fateretur, cogerent eum satellites à Magistro divelli. *Ex amore*, ait, *igitur decidit, & pietatis causa negasse videtur, non rectæ quidem, nec exquisita ratione probatæ: sed quæ tamen adesse cùm Christo, & videre illum faciebat: quod maximè Petrus optabat.* Si verò Davidis trutinemus piacula, inveniemus adulterium quod inter peccata quæ justitiam lædunt excellentem obtinet locum, & homicidium quod in eâdem peccatorum serie præcipuum est, additâ utrique circumstantiâ gravissimâ, quam explicuit propheta dicens: *quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini* &c. Fœdiùs itaqu peccavit Hebræus Monarcha Petro: proindè celsius erat divinæ miserationis opus adulterum absolvere, quàm discipulum. Hujus idcirco premitur silentio venia, tanquam ea minus ad miseratoris gloriam profuerit. Regis autem à culpæ vinculis emissio apertè denuntianda fuerat per Dei ministrum: utpotè quæ tantò clariori luce donaverit majestatem Clementissimi, quò profundioribus è tenebris reus emerserat condonato debito liber.

Suar. d. myster. vit. Ch. disp. 35. sect. 5.

S. Cyrill. Alex. l. 11. in Joan. c. 41.

2. Reg. 12. 13.

2. Reg. 12. 14.

Hinc facilè conjicies quanti faciat Deus gloriam, quam de remissis criminibus lucratur. S. Ambrosius: *Patris gaudium nostrorum redemptio peccatorum est. Et hic quidem si ad Patrem referas, quia hostia pro peccatis Filius est, delectatur Pater reditu peccatoris, supra delectatur Filius inventa ove.* Mecum adi Calvariam: aurem penè morientis Domini verbis accommoda, & audies dicentem: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Jam delibatione 5. floris præcedentis n. 26. necnon ibid. n. 29. hæc versavi, & proximè suprà n. 19. ad eadem verba nonnihil dedimus. Vide nunc quid ultra meditari te vellem. Illud occurrit, aliis prætermissis, in hujusmodi petitione mysterium. Quare non tanquam justitiæ debitum postulans interpellat Patrem Fidejussor hominum pro concedenda ex passionis meritis indulgentia illa?

21. *Remissio peccatorum quâ gloriosa Deo.*

S. Amb. to. 3. l. 7. in Luc. c. 15.

Luc. 23. 34.

sed veluti gratuitò donandam à Summo Parente rogat ? Notavit Arnoldus quod *sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus, cum dare posset quod petebat, & potestativè hoc propria contineret authoritas, supplicantis tamen pro tempore personam exhibuit.* An veniam istam non sanguinis emerat pretio ? judicem vel regem appellet Patrem, ut eam intelligamus tanquam de justitiæ rigore debitam exigere ; Patrem nunc vocat ? Reor sic voluisse quanti faceret gloriam ex peccatorum donatione captam edocere. Quasi (more nostro dicam) non sibi soli fidens in re singulariter magna, noluit remissionem illam ut jure suo debitam flagitare ; sed quasi donum gratuitum rogavit : tanquàm si dubitare posset an valeret assequi tantum gloriæ suæ culmen, quantum extitit humanis reatibus indulgere. Ideo non ut à judice vel rege, sed ut à Genitore poscit, quasi securiorem eligeret amoris viam. Caietan. *docet modo exemplo orans pro crucifixoribus : & tanto affectu pro illis orat, ut Paternum imploret amorem. Nam captandam de illorum reconciliatione gloriam sic aliis donis præferebat, ut quamvis ex meritis empta sibi deberetur, illam tamen quasi gratis dandam reputaret, ideoque à paterna dilectione illam flagitavit dicens : Pater* &c.

Arnold. Carnot. tract. d. sept. verbis Dom.

Caietan. in Luc. sup. proximè.

22. *Offensarum patientiam præfert Deus omnipotentiæ laudi.*

Ea Dei est in voluntariis morbis ægros effusa charitas, ut propriæ majestatis existimationi præferre non dubitet gaudium ex reatuum nostrorum sanatione proveniens. *Deus magis se voluit patrem esse hominum quam Dominum*, ait Chrysost. Et si cupis hujusce veritatis apertissima signa, Tertullianum consule. *Sustinens*, inquit, *ingratissimas nationes, ludibria artiũ, & opera manuũ suarũ adorantes, nomen, familiam ipsius, persequentes, luxuriam, avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie insolescentem : ut sua sibi patientia detrahat : plures enim Dominum idcirco non credunt, quia sæculo iratum tandiu nesciunt :* &c. Omnipotentiæ, fateor, prodigia sublimitatem divinam commendant, attamen patientiæ decus pluris facit Redemptor, quam potentiæ mirabilia. De tolerantiâ loquor quam in ferendis hominum erratis exercet. Illius laudem claritati mirabilium antefert : nam dum sustinet lædentes, vincit eos qui sunt ausi resistere ; cùm autem operatur portenta naturam superat quæ cedit Creatori.

Chrysost. to. 2. hom. 42. ex vari. in Matth.

Tertull. l. d. patient.

Postquam Salvator mundi triumphali pompâ comitatus introivit Jerosolymam, docebat in templo, cùm accedentes ad eum principes sacerdotum, & seniores populi sciscitati sunt : *in qua potestate hæc facis ?* idest miracula hæc : sic enim ad litteram exponit hujusmodi quæsitum D. Paschasius. Tunc Dominus nolens responsum indignis præbere, alia quæstione illorum obstruxit ora : cui si non satisfacerent, nec ipse responsurus esset interrogato. *Respondens Iesus dixit eis : interrogabo vos & ego unum sermonem : quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.* Cùm illi reposuissent nescire, Servator addidit : *Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.* Unde quare Dei Filius loco responsionis quæsitum

Matth. 21. 23.

Ibi n. 24.

Ibi n. 27.

Chrysost. to. 2. hom 39. oppr. imperf. in Matth.

adhibuerit, dixit Chrysostomus : *non ut respondentes audiant, sed ut impediti non interrogent : quia ipse præceperat : nolite sanctum dare canibus.* Alibi lego non interrogatum Dominum aperuisse pessimis auditoribus quali potestate frueretur obeundi mortem : *potestatem habendo ponendi eam*, idest animam. De potentiâ patrandi mirabilia tacet apud ab eo quærentes ? de potestate moriendi loquitur coram non interrogantibus ? Non leviter suspicor Filium Dei pluris habere quod valeat illa scelera, quæ tempore passionis agmine facto irruerunt in ipsius tolerantiæ clypeum, sustinere, quàm quòd prævalere posset naturæ patrans mirabilia. De hac virtute rogatus en silet ? De altera quin disquirerent eloquitur ? Ita, quia per moriendi facultatem venia criminum descendit ad miseros. Ecce quàm Deo perillustris additur fulgor ex eo quòd peccantium tenebras dispergat indulgendo. Hunc splendorem peccator, renuens ad lucem properare, pigrâ tarditate se præsumptione sustollens, velut obnubilat : ipse namque *sicut fumus.*

Joan. 10. 18.

DELIBATIO IV.

Triplici ratione fumo congruenter æquiparantur mali.

23. CUm sit humana mens quædam Sapientiæ divinæ participata scintilla, secundùm quam nostrum quisque dicitur ad imaginem & similitudinem Factoris conditus : nunquam satis mirari me puto quantùm à divino dissideat hominis judicium in æstimando quid sit homo. Is apud semetipsum vilescit, si rectè sapit ; & hic Deo pretiosissimus est. Econverso qui sibi magnus, Deo minimus reputatur. *Tantò ergo fit quisque vilior Deo, quantò pretiosior sibi : tantò pretiosior Deo, quantò propter eum vilior sibi : quia humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Hæc S. Gregorius M. Iniquus hoc loco fumo confertur, cui duo sunt, futilitas & elevatio. Utrumvis in homine flagitioso invenies : nam æstimatione propriâ sustollitur in æthera ; judicio Dei nihil est præter inanem, atque tetrum vaporem à vitiorum flammis ascendentem. Fumo tria insunt : oculos illachrymari cogit : & alios fortassis obcæcat : necnon rebus candidis nævum inurit. Hæc tria solet nefarius erga cæteros exequi : nam quosdam opprimens fletum extorquet ; quosdam verò sibi malo socians exemplo cæcutire docet : aliorum tandem famam turpiter denigrat. Ad primum faciamus gradum.

D. Greg. M. to. 1. l. 18. mora. c. 20.

Vide quàm sint nihil fœlicitas & infortunia : nam si entia positivè contraria forent, nequaquam propria fors ex alterius adversitatibus conflaretur. Alibi adversus invidos notabam aliena bona connumerari solere inter præcipuos eorum dolores. Nunc ad illos converto sermonem, qui desideriorũ brachia sine termino ad ultimos orbis fines distendunt : quorum fors ex aliorum miseriis vel componitur, vel exornatur. *Novum*, ait Salvianus, *& inæstimabile nunc in pluribus malum*

Superbus coram Deo res tenuissima.

Salvian. l. 5. d. provid.

malum eſt: parum alicui eſt ſi ipſe ſit fœlix, niſi alter fuerit infelix. O quam funeſta lætitia, quæ de gemitibus alienis, & gaudio ſuo concentum pangit! Tunc aliqui ſe magnos æſtimant, cum pedibus terunt impotes: elevantur quaſi fumeæ nubes, & ſpectantium, quos proculcant, lumina provocant ad planctus. At iſti coram Altiſſimo priuſquàm ruant, in ipſo, inquam, ſuperbiæ culmine, jam res tenuiſſima nuncupantur.

Ad Moabitas loquitur videns Evangelicus, ut Hebræos timore Sennacherib fugientes protegant interim, & vaticinatur excidium, quod narratur in Regum hiſtoria peractum à cæleſti milite. *Habitabunt apud te profugi mei: Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris: finitus eſt enim pulvis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram.* Cõmentatur A Lapide: *ne te ô Moab excuſes ab excipiendo profugos Hebræos, dicendo te metuere Sennacherib, aut quem alium eorum hoſtem, & vaſtatorem, quia is brevi finietur & evaneſcet quaſi pulvis.* Clariùs ad rem noſtram indigitat myſterium Luſitanus interpres. *Quibus verbis interitum Sennacheribi, ejuſque admirabilem cladem prædicit. Tu verò altâ mente perpende, quam vili rei comparetur rex ille illuſtriſſimus, qui orbem terrebat. Pulvis appellatur ille qui ſuperbia elatus regibus imperabat.* Hujus commentatoris monitu ductus expendam illa verba: *finitus eſt enim pulvis.* Dicendum putabam ut everſio Monarchæ prænuntiaretur: in pulverem eſt redactus: ita namque illa regnorum ſuperbiâ turgentium imago, ſtatua ſcili. quam vidit per inſomnium Nabuchodonoſor, lapidis jactu corruens, in minutiſſimas partes conſciſſa dicitur evanuiſſe. *Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento: nulluſque locus inventus eſt eis.* *Quare* non ſimiliter loquitur Iſaias de regis Aſſyriorum potentia? Quia ſi dicetet illum redigendum in pulvillos, denotaret ipſum aliud præter pulverem eſſe quando pertremiſcere faciens terram conculcabat eam: at ſicut qui diceret finita eſt pecunia, ſatis exprimeret ibi nummos extitiſſe priuſquam finirentur: ſic dicens de Sennacherib: *finitus eſt enim pulvis*: inſinuat eum fuiſſe pulverem ante quam finis adveniret. Superbus erat: quid amplius in conſpectu Dei judicandum ſperabas? ſtatua Danielis, fateor exprimebat ſuperbos; verâ tamen ſuperbia carebat, cum fuerit mera phantaſiæ artificis imago: & ſicut pictura Creſi non eſt dives, nec effigies prudentiſſimi Salomonis eſt ſapiens, ita neque ſimulacrum elatorum ſtatua ſuperbiebat. Omnis igitur humani ſupercilij vanitas, vel pulviſculus, vel *ſicut fumus eſt Deo judice.*

Isai. 16. 4.

A Lapi. in Isai. ibi.

Fr. Hect. Pinto. in Isai. ibid.

Dani. 2. 35.

24.

Quò bufillanimior fortunatus potens, eò ſævior.

Nec his obijcias improprium videri fumi nomen pro iis qui timorem incutiunt, ruinaſque minantur, & majora dictis exequuntur: nam & vapor terræmotum pariens horrorem commovet, urbes evertit. Alieno damno ſæpe valent plurimum ij qui prope nihil ſunt. Exiſtimas etiam in ædificiis rationalibus, magnum & ſuperbum ſynonima eſſe? Falleris. *Magnum, inquam intereſt inter ſublimen animum & ſuperbum*, ait Seneca. Imo quò puſillior animus eſt, eò ſævior, ſi ad fortunæ culmen aſcendat ubi alios lædere queat.

Sen. l. 1. de ira. c. 15.

Jeruſalem & Juda minabatur everſionem Dominus per Iſaiam. Et inter alia quæ ut pœnitentiam ſuaderet prædicebat, effæminatorum dominio ſubdendos minitabatur. *Et dabo pueros principes eorum, & effæminati dominabuntur eis.* Putabam potius minaciter dicturum: dabo gigantes feroces reges eorum, & indomiti, ferinaque tyrannide terribles principabuntur illis. Minis urget populos? & effæminatos dominos promittit? quid ab eo timendum, qui degenerat à virili robore? Valde pavenda peſtis hæc eſt. Niſi conſcenderent iſti dominationis thronum, velut abjectio plebis deſpicerentur; at ſtarim quòd faſtigium tenent, efferatos, barbarâque truculentiâ diros experieris. Rupertus ad alia capitis ejuſdem n. 12. verba quæ paulò infra poſita concernunt idem vaticinium: *nec enim*, ait, *pro viris ille vos computare dignatur, ſed pro mulieribus, quoniam fluitis voluptatibus, & propter voluptates explendas ſic avare rapitis ut nihil ſit intolerabilius.* Vix enim tolerari valet ſævities ejus, qui cum viri nomine dignus non eſſet, emerſit in altum: inanis eſt, & vento ſævæ ſortis expoſitus; attamen præpotens ut alios fletibus faciat rigare frontem, *ſicut fumus oculis.*

Isai. 3. 4.

Rup. l. 1. in Isai. c. 13.

Secunda fumi proprietas eſt viſum excæcare ſi cominus accedas. Homo nequam ſocios exoculat, ſeu quod pejus eſt, retentis oculis facit ut videntes non cernant, ſicut ſolemus per offuſam noctis caliginem: *tenebræ autem mundi dicuntur homines iniqui*, ait Chryſoſtomus: quid mirum cæcos reddant alios? Non ſolam qui male agit odit lucem: etiam cernentes odio habet, ne ſicut à fulgore, ſic ab iſtis arguantur opera ejus. Idcirco facit hallucinari quos valet exemplo trahere in nequitiam.

25. *Malus vitinos oculos cæcutire facit.*

Chryſoſ. to. 2. hom. 14. operis imperf. in Mat.

Feceruntque ſibi conflatile de argento ſuo, quaſi ſimilitudinem idolorum; factura artificum totum eſt: his ipſi dicunt: immolate homines vitulos adorantes. Idcirco erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens, ſicut pulvis turbine raptus ex area &c. De hæreticis magiſtris exponit Hieronymus ibi: *præcipiuntque diſcipulis ſuis, ut & ipſi immolent homines: hoc eſt furentur de Eccleſia Dei: & introducant ad hæreticos.* Vel de illis, vel de aliis textus exponatur, dubitarem cur dum agitur de punitione ipſorum, non potius aſſimilati ſunt pulveri quieſcenti, qui pedibus calcatur, ſed ei qui rapitur vento? Forte quia terra pulverulenta ſubterpoſita plantis nullius lumina ſubintrans palpebras claudere facit. Cum verò rapitur flatu, cæcis perſimiles reddit vicinos. Haud aliter mali: meritò proinde non pulveri quieto, ſed agitato per turbinem comparantur: non enim agunt perperam, quin alij contagioſa fœditate commaculentur, quod neſcio an inſinuent illa verba textus: *his ipſi dicunt: immolate:* quaſi ſocios advocantes in flagitium.

Hos. 13. 2. 3.

S. Hiero. to. 6. l. 3. in Oſeam. c. 13.

26. *Mente cæcus non recipiet visum si nolit.*

Insuper nota, vel pulveris, vel fumi, sequaris emblema, prope stantibus oculis non illam nisi voluntariam obcæcationem ingerere. Ad pulviſculum namque volitantem, fuliginemve luminibus circumfusam, solemus palpebras occludere: sed quæ profundior cæcitas, quam spontanea? *Qui verò*, inquit Origenes, *extra ista sunt, quique ad comparationem cæcorum, & eorum qui in tenebris sunt multò pejores sunt. Hi sunt qui ideo non vident, quia oculos sponte clauserant.* Pejores, inquam, inter cæcos isti, quia Divinæ largitati ne visum restituat videntur obstare: nec enim ex hujusmodi cæcis alicui nisi volenti redonat usum oculorum: *liberalis namque est Deus* ait S. Cyrillus Ieroſolymi. *& pronus ad beneficentiam: expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem* Existimo sane minus difficulter auditum recuperari ab eo qui spiritualibus monitis obsurduerat (hic enim clamoribus obtundetur experientiæ) quàm visum ab eo qui ultro caret acie mentis. Duo conferamus invicem Christi Servatoris prodigia.

Orige. hom. 6. in Isaï.

S. Cyrill. Ieroſolym. præfat. ad cateches.

Transeunte Domino mendicabat cæcus, & fide magistrâ doctus postulavit misericordiã ab eo. Stetit Redemptor (nec enim cursim benefacit qui numerat in gaudiis dona sua) curavit miserum adduci ad se priusquam curaretur, & interrogavit eum dicens: *Quid tibi vis faciam?* Repoſuit ille: *Rabboni, ut videam. Iesus autem ait illi: vade fides tua te Salvum fecit. Et confestim vidit.* Supervacaneum prima facie forsan putares à cæco, qui jam petierat misericordiam authori prodigiorum sibi satis noto, sciscitari quid vellet ut faceret ipsi. Quid nunc exoptaret à Domino concedi, nisi luminum sibi restitui usuram? Fortè dices Dei Filium cupivisse quòd iterum peteret miserationem ut beneficium promereretur. Esto fuerit hæc mens Divini medici, quare non ita se gessit dum sanavit Malchum ictum à Petro? Linquamus corticem, reperies mysterii nucleum. Quid cæcus? quid Malchus figurant? De cæco Beda: *dum igitur Conditor noster appropinquat Jerico, cæcus ad lumen redit, quia dum Divinitas defectum nostræ carnis suscipit, humanum genus lumen quod amiserat recipit.* Habemus hic ergo cæcitatem voluntariam sub velamento litteræ. Malchus ex Hieronymo Judæos veritati claudentes aurem videtur designare: *populus Iudaicus*, inquit, *dexteram perdidit aurem.* Spirituali monitori claudentes auriculas non est cur interrogentur an velint auditum restaurare: nam cuncta clamitant & velint nolint, clamores excipient aliquando. Qui verò libenter cæcus est, lumen extinxit, oportet velit cernere, ut sanetur. Meritò cæcũ Dominus interrogavit, ut pateret non curaviſse nisi volentem. Tempestivè Euthymius hic: *interrogavit eum, ne quis putaret quod aliud accipere volenti aliud daret.* Non igitur contemnenda cæcitas, quæ ex societate malorum contrahitur: hæc enim est oculorum, non amissio; sed ultronea occlusio, ut accidere solet cum dispergitur fumus: nam peccator socius est *sicut fumus oculis.*

Marc. 10. 51. 52.

Beda in Luc. l. 5. c. 76.

Hiero. to. 9. in 26. Matt.

Euthym. in Evang. Marc. 10.

Tertia fumi conditio est non quidem nigra sed alba denigrare. Sic utplurimum impij candidos insontium mores verborum fuligine solent obfuscare, non alia de causa nisi quia candent. *Sunt enim*, ait Augustinus; *multi male viventes Christiani, inter quos qui voluerit bene vivere, & inter ebriosos sobrius esse, & inter luxuriosos castus, patitur insultatores ipsos Christianos, & patitur verba aspera.* Quinimo ferentes ægrè justorum illustre nomen, illud maculare non verentur: & quod turpius est, objicientes falsa non mentiuntur, quia non eunt contra mentem, quæ sentit quod labia proferunt: nam præceps in judicia ruit aëreo quolibet indicio nixa. Et observare debuissent ij qui temerariis innocentium reorum sententiis magnam sibi parant ingenij perspicacis, & Socraticæ prudentiæ nomenclaturam, etiam in iis quæ corporeis oculis obversantur, latere sæpe fraudis periculum. *Nam & oculus ejus error & fraus est, quia fallitur visus.... non otiosè dictum est: oculi tui recta videant, & lingua tua non loquatur perversa. Quod non esset dictum nisi frequenter errarent.* Sic Ambrosius. Temerariam censuram vocant aliqui disertorum culpam; sed potius dicerem ignorantiam ingeniosam: satis namque stultum est grave crimen quod nullum edit fructum committere. Oculi duo testes indivisi sunt: sed fere numquam ad judicio documenta præbenda cohærent: quia de solis coloribus judicant rerum substantias. Vitrea quædam sunt inspicilia colorata, quibus utens omnia cernit illo imbuta colore. Non hic rebus inest sed vitro. Sic ingenia quorundam per sui affectus crystallum inspiciunt: & quo vestitur ille colore, hunc rei quam vident appingunt. Vnde fit ut cum erga justum afficiantur pessime, se videre putent in illo crimina quibus caret: ibi delicta vident, ubi non adsunt.

27. *Quam facile decipitur judicium fidens oculis.*

S. Aug. to. 8. in ps. 49.

S. Ambr. to. 1. l. d. bono mort. c. 9.

Ibi delicta videmus ubi non insunt.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, inquit Psaltes. Prius remittit noxas, postea cooperit illas? quomodò poterit operiri quod jam non est? *Non sic intelligas peccata cooperta quasi ibi sint*, monet Augustinus. Igitur quâ ratione teguntur post veniam? Adoperiuntur, ne videantur ubi non sunt. Dum peccatis reus fœdabatur non egebat abscondi: nam ipsa fœditate placebat consimilibus. Postquam surrexit & vitiorum exuit lepram, tunc iniqui cernere somniant in eo maculas, quarum expers albicat: nam ut Basilius ait, *oculus vitiatus multa non videt eorum quæ sunt, & multa esse putat, quæ non sunt.* Obscura non fœdat fumeus vapor; candentia offuscat Homo nequam, *sicut fumus.*

Ps. 31. n. 1.

S. Aug. to. 8. in ps. 31. ibi.

S. Basil. to. 2. ep. 75. post med. ad Neocæsarien.

DELIBATIO V.

Increpatur peccatoris in quærenda ſalute pigra tarditas.

28. *Tarditas hominis in reſpondēdo vocanti Deo.*

VIx tam ſtupida mens reperitur, ut non ſæpe, licet per inſtans, ad patriam ſuſpirium emittat. Vel enim flagellis monita ceſſat à delitio : vel eorum qui diligit fugaci vilitate conſpecta, ſummi boni meminit, in quo ſolo quieſcet. Inſtat pulſans auxilium, ſollicitat, urget : attamen rarus eſt qui Deo

Joan. 5. 6. quærenti : *vis ſanus fieri* ? ſine mora reſpondeat : volo. Ille diuturnus & patiens incola piſcinæ hoc unicum verbum non invenit citò ; ſed plurium ambagine velleitatem, potius quam voluntatem, explicuit ;

Ibi n. 7. dicens : *Domine hominem non habeo.* Tetigi locum obiter, quem non dubitas ad ſpiritualem ſanitatem myſticè reſpicere. *Sanatus*, ait M. Greg. *hoc portat, ubi infirmus*

D. Greg. M. to. 1. l. 23. mora. c. 15. *jacuerat, quia divino adjutorio ereptus à vitiis, ejuſdem carnis contumelias poſtmodum tolerat.* O quam paſſim reperies ita per indirectum reſponſum occurrentes Deo ſciſcitanti velint ne conſequi ſanitatem ! nullus

S. Thom. à Villano. ſer. fer. 6. poſt Dom. 1. Quadra. ex his ait : volo. *Aliqui reſpondent volem. Hi ſunt qui ſanari cupiunt, ſed vitia & peccata non deſerunt*, ait S. Thomas à Villano. Volentes nolunt iſti quod amant : præſumunt quod licet ad cordis oſtium pulſanti Deo recludere nolint, facillimum ipſis quoque tempore futurum erit aperire cùm libuerit. Proteſtantur deſiderio flagrare, ne Deus ab eis diſcedat ; occaſionem tamen deſertioni miniſtrant : quaſi dicerent : pronunc januam non reſero : ſed cur non Dominus miſericors expectabit ut velim ?

Sibi ſuadent homines Deũ expectaturũ quoad ipſi velint. Sub nocturno ſilentio Sponſæ valvis adſtans qui ſemper vigil excubat, flagitavit aditum : ſed fruſtra nam frivolis excuſationibus non benè ſegnitiem colorans, recuſavit annuere poſtulanti. Pertranſiit inde Sponſus, & illa jam excuſsâ libenter ignaviâ, ſurgit, aperit, exit, & quæritat eundem, qui

Cantic. 5. 5. 6. nuper ab illâ repulſam expertus erat : *ſurrexi ut aperirem dilecto meo.... Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo : & ille declinaverat atque tranſierat.* Sponſum non inveniſſe doluit amarè, ſicut per verba quæ dedit ad filias

Ibi n. 8. Jeruſalem ſatis liquet. *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi invenerītis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Imò & ipſo per tenebras exitu è domo, ſponſa teſtata eſt quantum de abſentia Dilecti doluerit. *Commota* (Sanctius ad hunc locum) *graviter*

Sanct. in Cant. 5. n. 11. *ſponſa inopinato Dilecti diſceſſu, conſcientia culpæ & amoris impatiens, egreditur domo, neque indecorum putat nocturnum exitum ob talem cauſam.* Inopinus fuit Sponſi abſceſſus ei quæ denegavit ingreſſum ? Patefacere renuit ipſa fores, & Sponſum adhuc ibi ſe reperturam opinabatur ? Sic accidit non uni animæ, ſed frequenter. Pulſat manus divina pectoris veſtibulum. Deſidioſa reſpondet voluntas differens aperire ſinum cordis : exiſtimanſque Dominum tandiu perſeveraturum ad januam, quoad ipſa velit introducere Dilectum, etſi procraſtinet ſine termino. Fallitur : nam, ut Origenes ait : *patientiæ ejus, & ſuſtentationis certa menſura eſt.* Ro-

Orig. in ep. ad Roman. gat qui præcipere poteſt : quid moraris ? infœlicitatem ipſa tarditate vocas ? *Rogat majeſtas ut accipias & aperias. Aperi mihi ſoror mea, ſponſa mea, columba mea. Quanta perverſitas, quanta cæcitas nolle aperire, nolle hoſpitari.* Sic ad præfatum locum Antiſtes

S. Thom. à Villano. ſer. Dom. 4. Advent. Valentinus.

Et merito cæcitatem dixit S. Præſul, inertem in tardanda converſione deſidiam : nec enim fieri valet, ut ſi plenè videremus diſcrimen quod in iſta, de rebus ad animam ſpectantibus ignavia latet, quidquam ſpatij cunctaremur, niſi rationis uſum perdidiſſe contingeret : nam, ut minora pericula belli pertractans ait Procopius, *in promptum velle apertumque diſcrimen irruere, cùm liceat extra periculum conſiſtendo ſervari, dementia eſt.* Ipſa in ſpiritualibus mora denotat homines minimè noſſe cui pateat aleæ noſtra ſalus. Quanta laboramus in Carybdi ! Sed miſeris contegunt undæ ſyrtes. *Sol, Luna, ſtellæ, mare, terra, arbores, herbæ, bruta, & in his apes, formicæ, conchæ, denique lacertæ, tempeſtatem præſentiunt ; Solus homo ſua mala non præſentit, neque proſpicit.* Hæc Plinius attendens labores temporaneos : quorum ſummus, damno ſi ſpirituali minimo comparetur, nihili ducendus eſt. Nihilominus, ut à minoribus ad majora fiat validius argumentum, ad temporalia revertar, ut oſtendam qualiter cæcutiant oculi mortales ad præſens periculum, & excidat è memoriâ diſcrimen.

29. *Si diſcrimen cerneret homo, non cunctaretur evadere.*

Procop. d. bello Goth. l. 2.

Plin. l. 8. c. ultim.

Inſtabat ignea Sodomorum cataſtrophe, cùm ſub humana figura Lotus exceperat monitores angelos. Illi cives peſſimi turpitudinis infandæ rei vallarunt ejus domum, cogere volentes eundem ut libidini ſuæ traderet hoſpites. Tunc temporis *egreſſus ad eos Lot, poſt tergum occludens oſtium, ait : Nolite quæſo fratres mei* &c. Vim nihilominus facientibus adhuc Sodomitis, angeli fecerunt Lot intro regredi. *Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot, clauſeruntque oſtium.* Quæro : ignorabant angeli exitum Lot ad concives fore fruſtraneum ? utquid permittunt egrediatur ad eos ſi poſt pauca nihil exequentem reducturi ſunt ad propriam domum ? Ut ſuiſmet ipſe videat oculis quos inter nefandos periculosè poſitus degat. *Simul quod hoſpitum manibus revocatus eſt ſanctus Lot in domum, demonſtratur immemor periculi*, dixit S. Ambroſ. Igitur exeat, & cominus videat diſcrimen, ut ſic morari non cupiat ubi tutus non erat. O ſi quiſque noſtrum lentius è vicino inſpiceret quantis hinc inde periculis habitet circumſeptus, quam feſtinus evadere tentaret ! Vix tamen eſt qui ad iſta non ſit manu tentans chaos tenebroſum. Vides hanc erga vitam perituram concernentia lippitudinem ? Aſcende ſuperius cum Ruperto. *Lot quaſi non ſatis intelligeret quod dicebatur, cùm percelleretur nuntio inſtantis periculi, dormitantes oculos, & amore divitiarum preſſos avertebat*

Gen. 19. 6. 7.

Ibi n. 10.

S. Amb. to. 1. l. 1. d. Abraham c. 6.

Rup. l. 6. in Gen. c. 10.

avertebat à lumine præsenti. Sic persæpe is, qui jam cælestia novit, cui per Evangelium Christi revelata est ira Dei, jamque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi, & à concupiscentia sua illectus dissimulat auditas & bene sibi cognitas futuri judicij minas &c. Facillime transivimus à temporalibus ad cælestia: multo quippe major est circa ista hominum acedia torpescens. Facilius humanæ credi potest industriæ quòd malum imminens temporarium devitet quam quòd sedulò Deum quærat. Mox hujus pronuntiati rationem duplicem adjiciam: nunc illud unico S. Paginæ testimonio stabiliam.

Stellarum cultores per sydus ad sui cultum adducere voluit is, cui vel oppositа media præscriptis finibus inservire non renuunt. Illo duce pervenerunt Jerosolymam: ubi moniti sunt ab Herode quòd inventa de puero recens nato sibi postea renuntiarent. Abeunt illi. Post adorationem exhibitam, & oblata munera, ne redirent ad Idumæum regem per angelum instructi regressi sunt regionem suam. Quærunt commentatores, an iterum astro ducente patriam reversi fuerint. Evangeliorum Lusitanus illustrator negat, eo quòd Magi non, ut antea, quò viam facturi essent ignorabant: supervacaneumque proinde foret luce monstrari quâ eundum illis esset ad plagas ipsis notissimas. Et accedit quod si stella ducerentur, non erat cur Divinum reciperent in tenebris monitum ne remearent ad Herodem: *responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Huic placito favet S. Maximus dicens: *nam qui stella duce venerant in Judæam, in patriam suam æterni solis illuminati radiis reverterunt.* Hoc posito mens erat invenire quanam de causa sic Divinâ regente providentiâ res acciderit, ut adventantibus Magis præiret micans viæ ductrix; non vero duceret eosdem in patriam: quamtumvis necessaria non foret ipsis. Iuniorem Tobiam etiam redeuntem comitatus est angelus: quare non astrum similiter Orientis accolas? Existimo cæleste lumen illud, aliumve ductorem, omnino superfluum fuisse dum reverterentur ij, qui venientes indiguerunt duce: nam prùs Deum quærebant; postea periculum declinabant. *Herodes videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde*, & sicut irâ concitus innocentium sanguinem bibit: sic potuit Magos insequi donec inveniret ac perderet illos. Discrimen certè aderat; aliter non eorum laudaret Episcopus Bulgariæ fortitudinem, dicens: *oraculo igitur accepto, & apparitione à Deo habita, imposuerunt Herodi, & non timuerunt ne forte se insectaretur, sed confisi sunt virtute nati, verique testes fuerunt.* Ut in tuto se collocarent; satis superque gnavi, ducatu non indigebant. Venientes Bethleem aloqui sapientissimi nesciebant quærere Deum. Proficuus erit Chrysologus. *Apud Magos in culpa, erat ignorantia, non voluntas: & erat in crimine non studium sed error. Quærere Deum & nescire quærere, necessitas magis est quam reatus. Fuit ergo pium, ut & Deus invenire se quærentibus daret, & culpam deputaret errori.* Ut ergo docerentur inquirere Deum eguere radio magistro, quibus ut vitarent imminens ab Herode malum non opus erat ductore. Hoc est hominum ingenium: ut vitæ fragili consulant vias optime conficiunt; ut Dominum inquirant & semitam ignorant.

Silv. to. 1. l. 2. c. 4. q. 40. n. 147.

Matt. 2. 12.

S. Mar. hom. 2. in Epiph. fine.

Matth. 2. 16.

Theophilac. in Matth. 2. 12.

Chrysolo. ser. 157.

Hujus ratio prior est, quòd nequaquam adhuc tenent illi Deum: quomodo requirent ipsum, quin prius comperiant? Cætera sollicitantur ut haberi contingat; summum bonum aliter: imo nisi prius id invenias, non investigabis. Ita docuit me Bernardus. *Bonus es Domine animæ quærenti te. Quid ergo invenienti? sed enim in hoc est mirum: quod nemo te querere valet nisi qui prius invenerit. Vis igitur inveniri ut quæraris: quæri ut inveniaris.* Dilectionis quâ Deus perquiritur præmium est eundem nanciscì: cumque Divina munificentia retributionem præmittat meritis non semel, prius ad remunerationem reperitur, quam, ut par est indagetur ad meritum. Ut par est, dixi, quia non inficior multos Deum indiserte quæritare priusquàm deprehendant. Illud tantùm asserо non exactè rationabiliter exquiri Deum, nisi jam repertum.

30. *Non bene Deum quærit nisi qui jam reperivit.*

S. Bern. tract. d. diligendo Deo. §. Non enim.

Magdalena post sepulturam Domini, venit ad monumentum exhibitura sui affectus officia per aromatum dispendia. Statim ac vidit sublatum lapidem (vel quin cerneret angelum & audiret, ut est verosimile, approbatque Toletus; vel, ut Silveiræ placuit ab angelo dicta verba non capiens) cucurrit ad Petrum & Ioannem, aitque illis: *tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Quid intenderit hâc tristis nuntij delatione Magdalena, proposuit Interlin. ibi: *cucurrit nuntiare discipulis, ut aut secum quærerent, aut secum dolerent.* Certe nimius amoris fervor velut expers consilij nunc visus est (*ex nimio ardore*, ait ibidem éadem Glossa) nam Apostolos adhuc de passionis procella perterritos adit ut Magistrum sollicitent à cujus latere non multos abhinc dies pavidi satis discesserant. Quomodo auderent illi de crucifixo percontari? ut apertè se discipulos ejus faterentur? quare non horti custodem compellat ut ipse notum sibi faciat, an quid factum sit ibi circa sepultum noverit? nescivit perscrutari Dominum? Ita credo: quia non adhuc invenerat. Progredere in eodem Joanis textu. Magdalenæ triumphator apparet Filius Dei: jam illa modum indagandi Præceptorem fuit prudenter adepta: nam putans cum hortulano loqui, petiit ab illo quod se redderet certiorem an cadaver illud abstulerint inde. *Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; & ego eum tollam.* Docta quidem extitit in hoc interius ab eadem Sapientia Patris Magdalena. Favet M. Gregorius. *Maria ergo quia vocatur ex nomine recognoscit authorem: atque eum protinus Rabboni, id est Magistrum vocat: quia & ipse erat qui quærebatur exterius, & ipse qui eam interius, ut quæreret docebat.*

Toletus ad c. 20. Ioan. annot. 3. Silveir. to. 5. l. 9. c. 2. expos. 1. Ioan. 20. 2.

Interli. ibi.

Ibi. n. 15.

D. Greg. M to. 2. hom. 25. in Evang.

docebat. Bene igitur optatum rimata nunc eſt finem, dicens: *ſi tu* &c. Et quare neſciebat antea dare operam inquſitioni dilecti? Quia tunc non adhuc invenerat eum; poſthac maxime: utpote quæ cum illo quamvis ignorans loquebatur, & jam ſuus eô potiebatur amor, ut inſinuat S. Doctor proxime. *Sed quia amabat & dubitabat, videbat & non agnoſcebat, eumque illi & amor oſtenderat, & dubietas abſcondebat.* Apprehendebat jam Filium Dei Magdadalenæ dilectio: quid mirum quod eum tunc temporis veſtigare ſciverit. Prius ignoranter ſe habuit. Nam & hoc reprehendit angelus vel in ejus abſentia, vel coram dicens: *quid quæritis viventem cum mortuis?* Beda *nolite (inquiunt) cum mortuis, hoc eſt in monumento, qui locus eſt proprie mortuorum, quærere eum, qui ad vitam jam reſurrexit à mortuis.* Quæ cum ita ſint, ideo nos qui ad vitanda temporalia diſcrimina viribus & artibus prævalemus; ut ad omnium Dominum nos conferamus nec viam ſcimus, quia non adhuc conſecuti ſumus eundem.

Idem. ibi.

Luc. 24. 5.

Beda. l. d. in Luc. c. 95.

32. *Stimulat amplius ficti mali metus, quam veræ fœlicitatis amor.*

Secunda ratio aſſerti proxime num. 30. poſiti hæc eſt. Vitæ damna ſunt frequenter ſomnia; Deus autem verum bonum, imo veritas eſt. Inſomniorum ſpectra nos adeo terrefaciunt ut mirâ dexteritate curemus præcavere quod per ea portendi putamus. Aſſecutio boni veri non adeo movet aſſuetos diu abſque illius poſſeſſione degere. Stimulat amplius ficti mali timor; multò minùs urget veræ fœlicitatis amor.

Poſtquam pluries à Deo flagellatus, tandem reſipiſcens Pharao dimiſit Hebræos, quos dirâ ſervitute premebat. Ultima fuerat plaga, quam ſenſit Ægyptus ob regis indomitam obſtinationem, cædes primogenitorum. Hac ita fuere perterriti, quod ipſi cogebant Ægyptii ut inde feſtinarent exire citò. *Urgebantque Ægyptij populum de terra exire velociter.* Mirum equidem eſt quòd major de hac egreſſione ſollicitudo tenuerit Ægypios quàm Hebræos. Iſti ſerviebant èxhibentes duriſſimum famulatum; illi dominabantur eis; & tamen Hebræi non urgent pro dimiſſione celeri; ſed potius vice mutata cogunt eos Egyptij ut ocyùs egrediantur? Admirari licet; non verò rem novam aſſerere patiar eam quæ hujus diſparitatis radix eſt: nempe quod Iſraël ad verum bonum adipiſcendum (libertatem ſcili.) iter agere cupiebat: ideo tam ſegniter ſe habuit, ut oportuerit Ægyptios inſtare pro exitu. Iſti autem per egreſſum plebis fictum damnum deſiderabant evadere: putaverunt enim quod niſi populus eggrederetur velociter, perirent cuncti. *Urgebant.... dicentes: omnes moriemur.* Timor iſte quidem vanus erat; nam dixerat Moyſes in nomine Domini morituros primogenitos; reliquorum non prædixit obitum. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum.* Fictitium igitur erat cæterorum interitus diſcrimen, quod pavebant dicentes: *omnes moriemur.* Nihilominus acceleratiores egreſſionem populi ſatagunt, quàm Iſraëlitæ: ſolet namque voluntas humana plùs vaniſſime periculi mentiti formidine, quam extantis fortunæ dilectione moveri. Cum vitæ mala ſomnia ſint æternarum comparatione fœlicitatum, quemque territant, ut quà datur effugium terga det velocitate ſummâ; perpetua verò tractamus inerter, quia vera ſunt. Ideo S. Cyprianus virgines monebat ut ſcirent *bona illa eſſe, quæ ſunt ſpiritalia divina cœleſtia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiſcum apud Deum perpetuâ poſſeſſione permaneant. Cæterum, quæcumque terrana ſunt in ſæculo accepta, & hic cum ſæculo remanſura, tam contemni debent quam mundus ipſe contemnitur.* Familiaris attamen ſic eſt in ſpiritualibus homini deſidia, quod Salomon in hac paræmia, verbo, *piger*, ut ſynonimo catholici male viventis uſus eſt.

Exod. 12. 33.

Ibi. c. 11. 5.

S. Cyprian. tract. d. diſcipli. & habit. virginum. ante med.

DELIBATIO VI.

In ſpiritualibus piger pretioſum tempus irreparabiliter perdit.

33. *In Deo ſerviendo nec abeat hora vacua.*

INſequamur adhuc pigrum in ſalute quærenda, quem reprehendit in præſenti gnome Sapiens. *ſic piger his* &c. Etſi non aliunde noſſem vitam nobis mutuò datam, ex hoc id colligerem quòd prodiga manu diſſipetur: mutuata quippe liberaliſſimi diſpergimus. Tempus ideo prodigimus quia commodato recipimus, nec reſtitutionem timemus: nam impoſſibilis eſt cum neque ſemel tranſactum redire queat nec aliâ re compenſari. *Nullum temporis pretium: re omnium pretioſiſſimâ luditur*, ait Seneca: & audemus vel minimam diei partem vane diſperdere? ô: ſaltem prodigalitati paupertas obviet, nam temporum inops valde quiſque noſtrum. *Ecce*, inquit M. Gregor. *hunc diem ipſum de quo loquimur, ad inducias converſionis accepimus.* Quid ergo deſes in craſtinum differs te Divino mancipare famulatui? In re tantâ nec horulam in vacuum tranſire permittendum ſuadet ratio, Divinaque ſic inſinuant oracula.

Sen. l. d. brevitate vitæ c. 8.

D. Greg. M. to. 2. hom. 12. in Evang.

In deſerto Sinaï anno altero egreſſionis filiorum Iſraël ex Egypto præcepit Moyſi Deus ut numeraretur omne maſculini à viginti annis. *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſraël per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quidquid ſexus eſt maſculini à vigeſimo anno & ſupra, omnium virorum fortium ex Iſraël, & numerabitis eos per turmas ſuas tu & Aaron.* Et cur non ab anteriori computantur ætate? *Quia ab hoc anno ætas bellatorum incipit*, ait A Lapide in hunc locum: unde infra denuo à conſimilibus annis jubentur Iſraëlitæ numerari: *numerate omnem ſummam filiorum Iſraël à viginti annis & ſupra:* ſtatimque rationem proxime datam ex Cornelio textus inſinuat: *cunctos qui poſſunt ad bella procedere.* Quò videtur ibi reſpexiſſe Rupertus, dum ait: *Poſt hæc iterum numerantur filij Iſraël jubente Domino, itidem à viginti annis & ſupra, per domos & cognationes*

Num. 1. 2. 3.

A Lapi. in 1. Num. ibi.

Num. 26. 2.

Rup. l. 2. c. 29. in Num. 26.

ſuas cuncti qui poſſent ad bella procedere. Sed non me fugit quod eodem capite 26. refertur numerationem Leviticæ tribus à primo ætatis menſe factam. *Fuerunt que omnes qui numerati ſunt viginti tria millia generis maſculini ab uno menſe & ſupra.* Difficile videtur invenire hujus tam præproperè recenſionis finem. Aliarum tribuum nullus numeratur maſculus priuſquam vigeſimum numeret annum, vel fortè niſi cum inceperit eum ? & hoc ex eo quia cum recenſerentur ad bella, videretur otioſum quod illorum ratio haberetur priuſquam viribus ad bellandum pollerent ? Et Levitarum computatio fit ut inſerviant tabernaculi myſteriis. Quid ergo proderunt ſacro miniſterio puelluli non amplius quàm unius menſis vitæ poſſeſſione fruentes ? Quare tam præcoci curâ ſeparantur ? Reſpondet Mariana: *aliæ tribus numerantur à viginti annis, Levitica ab uno menſe, quod Deo dicati à primâ ætate ſunt inſtituendi, ſeparandique ab aliis.* Non dubito : ſed hoc videbatur exequendum ab uſu rationis : tunc enim eſſent inſtitutionis capaces, ut & periculi, quod per ſeparationem vitaretur. Ab uno menſe quid mali fugere, quid inſtitui poſſunt in bono Levitæ ? jubeantur ad numerum reduci à ſeptennio. Non ita congruum erat, ne vel diem, vel horam abire ſineretur, quin Deo dicati forent. Uſui rationis non eſt à à naturâ præfixum certum inſtans quibuſdam citiùs ; aliis tardiùs évenit. Ne contingeret quod facta numeratione poſt exercitium facultatis rationalis, aliquod ſpatium temporis pertranſirent Levitæ, quò ſe Deo ſeparatos non meminerint : à menſe primo vitæ computentur, ac Divino ſegregati cultui ſint : ut cum primùm illuxerit ratio, ſe noſcentes Deo mancipatos eſſe, mox ad ipſum erigant mentes, & horam non prætermittant, quin uti Majeſtatis altiſſimæ famuli fideliter ei miniſtrare decernant.

Num. 26. 62.

Mariana ad Numer. 3. 22.

Hinc ad majora gradum fac : & vide quam ſit res accuratioris providentiæ vigiliis digna, corde potiùſquam corpore Dei obſequio conſecrari. Levitæ corporali præſentiâ miniſtraturi ſeponebantur antelucanâ ſollicitudine, à menſe, inquam, ætatis uno. Quantò plus æquum erat ut nos à vitiis dividi, ad virtutumque ſacra, citiſſimè properaremus! Fugit pueritia, marcet adoleſcentia, tranſit juventus, ætaſque virilis jam declinat : & adhuc modos invenimus differendi ſine modo negotium ſalutis. Reprehendebat ſeipſum Auguſtinus in hac re dicens : *differens dicebam modò, ecce modò, ſine paululum ; ſed modò & modò non habebat modum.* Vitæ breviſſimum eſſe periodum ignorat nemo : ſed non ideo putes parvipendendam jacturam ejus quam inter vitia conteris. Tempus namque mortalis incolatus ut per gratiam & amorem Deo fruaris, eſt inſtar puncti ; ſed ut exules ab eo, longiſſimum reputa: Vide quid amittas.

34. *Vita brevis eſt ut fruaris Deo per amorem; longa ut peccatis diſſipes.*

S. Aug. to. 1. l. 9. conf. c. 3.

Ad Jeruſalem Deus per Ezechielem dicebat olim : *& ecce tempus tuum, tempus amantium.* Increpabat ſcelera civitatis ; quorum ſingula contemptum virtualem Dei, & interpretativam quandam velleitatem ne detur Deus (ut Theologi docent) involvebant : *fili hominis notas fac Ieruſalem abominationes ſuas :* & amantibus æquiparat ſceleratam urbem ? Acuto ſic illam feriebat gladio. Memento quid amantibus peculiare ſit cum tempora metiuntur. Ut præſentiâ dilecti potiantur, longiſſima dierum, vel annorum ſpatia reputant ictum oculi ; non tamen palpebræ, ſed languentis cordis ictus hic eſt. Dum ab eodem contingit abeſſe, vel temporis quadrans judicatur æternitas. Amantium ætati ſimilis eſt noſtra, ſi ſpiritualiter menſuretur in hoc quod eſt à Deo exulem degere ; vel ipſum complecti. Vt reſipiſcas, & per merita ſatisfactioneſque fœlicior factus, perdita reſtaures inter amplexus Dei, breves dies hominis extant. Ut per vitiorum tribulos voluteris profugus à facie Domini dilecti, vel inſtans unicum eſt quaſi ſæculum. Ne vitæ brevitatem cauſetur qui tam profuſè diruit annos. Imo dicam : vix quid ſentiat de vita ſua vecors agnoſcitur : nam ut voluptatibus ad ſatietatem ingurgitet appetitum, ait ideo ſic immorari quia *exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ* ; ſi verò moneatur ut ad meliorem frugem ſe recipiat, multum ſibi adhuc ſupereſſe putat.

Ezechi. 16. 8. 2.

Sap. 2. 1.

Riſu, lachrymis-ne, digniorem affirmem ignoro fatuam ſuperbiam quâ tempus ad nutum demetiri præſumimus, eo quòd noſtrum audiamus vocari. Ætatem dividimus finem vitæ neſcientes. Initia demit amentia quædam : media ſpatia inſumimus inter incipiendi propoſita, quaſi poſſemus deſignare curriculo mortali terminos. Sapienter quemdam S. Baſilius admonebat ſic : *Ne velis dicere : donec viget ætas mea, carnis concupiſcentiam exercebo, & poſtremò in ſenectute malorum meorum pœnitentiam agam. Noli ſic cogitare, cum neſcias qua die moriturus ſis ; quis enim novit hominum diem exitus ſui* ? Si nobis propriæ vitæ limes notus eſſet ; non demirarer aliquantùm nos animæ negotia differre, mortis ignoto die cunctamur?

35. *Cur morabitur in Deo quærendo qui neſcit quandiu ſupervivet.*

S. Baſil. to. 2. in admon. ad filium ſpiritualem.

Quàm ſolliciti Deum quæſiere Magi ! Quàm tardus ad ipſum greſſus direxit grandævus, in quo Spiritus S. morabatur, Simeon ! Decimâ tertiâ poſt Chriſtum natum die Sapientes adoraviſſe illum tenet communis Eccleſiæ traditio. Divique Matthæi loquendi modus inſinuat, mox ut Redemptor natus eſt, illos arripuiſſe viam. *Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis : ecce Magi ab Oriente venerunt.* Nullas in itinere traxiſſe moras inde convincitur quòd itinera ſatis prolixa tam parvo dierum numero confecere : nam Chryſoſtomus illos ex Arabia, Hilarius ex Æthiopia, S. Maximus ex Chaldæa, Abul. ex Meſopotamia, credunt adveniſſe. Vidiſti quam ſatagentes Meſſiam perquiſierint *Magi alienum genus à Deo, & à teſtamento gens peregrina* ? ut loquitur D. Baſilius. Non adeo feſtinum cerno Simeonem; cum timoratus Evangeliſtæ nobiliter inſigniatur claro teſtimonio. Viſurum ſe noverat ille Redemptorem. Quare non poſtulavit ut ipſa Nativitatis nocte cum paſtoribus

Matth. 2. 1.

S. Baſil. hom. 21. d. Chriſti generat. inter. var. poſt. med.

bus advocaretur ? Expectat ut Dominator Dominus ad templum ſuum veniat poſt quadrageſimum diem ? Meritò divinitùs de tarditate moneri Timotheus meditatur. *Spiritus S. reſponſum exhibiturus ſtatim præſto fuit, Simeonemque ejuſmodi oratione excitavit : ſurge ſenex quid dormis ? tempus quo oraculum expleri debet jam adeſt : matura citò.* Sed quia ſacri textus præconio laudatur, ignaviam detenuiſſe longævum, non credo gemiſcentem pro bono communi Redemptionis. Igitur quare nuntiam præſtolatur inſpirationem uſque ad Purificationis lucem ? Magique velociores accinguntur itineri ? Quia nihil iſti noverant de vitæ ſuæ fine. Non eſt cur moroſus pigret quærere Deum neſciens quandiu ſupervivet. Simeon autem *reſponſum acceperat à Spiritu S. non viſurum ſe mortem niſi prius videret Chriſtum Domini.* Dum non videbat annoſus Heros natum Salvatorem, adhuc ſibi reſtare ſpatia vitæ credere valebat. Eſto quòd hic non feſtinet ; alij qui ſimile non acceperant oraculum, cur tardarent inquirere Deum ? Non patitur res tanti ponderis molimina tarda. Sed heu : quam frequenter in hâc re mens noſtra fallitur ! *Nihil enim ita decipit humanum genus, quàm dum ignorant ſpatia vitæ ſuæ, longiorem ſibi ſæculi hujus poſſeſſionem repromittunt.*

Timoth. Presbi. Jeroſo. orat. d. Simeone.

Luc. 2. 26.

S. Hiero. to. 3. expoſ. pſ. 89. ad Cyprian. ante finem.

36. *Tempus hoſtem experiri, quod ferè cunctis medetur, durum eſt.*

Et accidit quòd cùm tempori ſe credant homines, quaſi ab illius prudenti conſilio docendi, ejuſque auxilio potenti juvandi ſint ut aliquando tandem ſuſcitati per experientias de negotio ſalutis agant ; econtrariò potius per temporis decurſum putreſcunt ulcera, medicinaque redditur difficilior. *Jam factum in conſuetudinem vertitur, & impletur illud mortis quatriduum, & quaſi quædam fit deſperatio, ut dicatur : jam fœtet, quatriduanus enim eſt.* Sic ille qui potuit Alexandrinum Cyrillum ſupplere. Lamentabile quidem eſt malum, quod à tempore communi medico venit. Vix reperitur damnum cui non tempora ferant medelam : injuriarum vulnus oblivione ſanat, deſiderij flammas fœlicitate compeſcit, bonorum jacturas meliori ſorte reſtaurat. Peculiariter dolendum quod à tempore tibi paretur malum ; cùm tot ab eo ſanitates promanent.

Clicthov. in ſupple. Cyrilli Alexand. in Ioan. l. 7. c. 23.

Ore Jeremiæ gemitus edens aiebat Jeruſalem, ut quàm ſevero fuerit percuſſa flagello ſignificaret : *abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei : vocavit adverſum me tempus ut contereret electos meos.* Videbatur potius dicturam : vocavit adverſus me hoſtes, ut contererer. Sed quid lachrymabilius ? ab inimico dirui penitus, à quo certè non aliud expectandum ? an à tempore ſuper cujus baculum ſpes inclinata recumbit humana ? Secundum verè miſerabilius : quia magis feriunt inopina jacula, quæ jacit is ad cujus præſidium confugiebas. Moraliter textum aptè Liranus expoſuit ad materiam ſubjectam, quaſi dicant ij qui deceſſerunt in peccato : *vocavit adverſum me tempus in quo malè operatus ſum, cùm tamen mihi datum fuiſſet ad benè operandum.* O quàm validum experitur adverſarium qui ſpatia vivendi, quibus poſſet operari rectè contemnit ! ſic demoliuntur uſque ad radicem ſpiritualia bona, diruitur quidquid ſpes ædificaverat, ſpoliaturque cunctis cor deſidioſum ab inimico tempore. Vel ſaltem fatere peccatorem circa ſalutem quærendam procraſtinantem infeſtiſſimum ſibi. *Ipſe ſibi ergo eſt pernicioſiſſimus inimicus : quiſquis malè vivens, vitam non mutat antequam finiat.*

Thren. 1. 15.

Liran. ibi.

S. Fulg. l. 2. de remiſſ. peccat. c. 6. fine.

Forſitan his inertibus accidet ; ut cùm jam congruum tempus evanuerit, fruſtra velint quod nunc ſocordes omittunt, & verbis Chryſoſtomi dicatur de illis : *pœnitentiam volunt agere, cùm jam pœnitentiæ locus non eſt.* Juſto Dei judicio fiet ut ſibi tunc horam putent adveniſſe, cùm non invenient.

37. *In die judicij tempus adveniet rebus quas nunc procraſtinamus.* Chryſoſt. to. 2. hom. 52. in Matth. in opere imperf. Eccle. 3. 17.

Dicto ſuppetias ferat Eccleſiaſtes. *Juſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Poſt judicij diem nec ſolis curſus metietur horas, nec niſi pœnarum, aut beatitudinis, æternitas erit. Quo ſtylo tunc univerſorum tempus futurum eſſe dixit Salomon ? Sic loquitur, quia rebus nonnullis quas nunc protelamus, tunc intempeſtivè tempus adveniet ut ſint, non ut proſint. Tunc odium deponendi amor inutilis : famam reſarciendi votum ineſficax, pœnitentia criminum ſera nimis, aliaque plurima hujuſmodi aderunt. Hæc niſi nunc tempore accepto dilexeris, & opere compleveris ; aliquando jam ultra tempora dolebis quod fueris in re maxima *ſic piger.*

DELIBATIO VII.

Iniquo placet pejor : ejus proficua ſocietas nociva. De fœlicitate ac infortunio, beneficentia in hoſtem, impœnitentia hominis, & patientiâ Dei.

Sicut acetum. Quamvis aliud nihil ſit quàm corruptus liquor, & quò magis acceſſit, eò plus corruptionis pati certum ſit : attamen tantò melius appellatur, quantò reperitur acrius. Etiam in hâc minutiſſima circumſtantiâ peccator aceto ſimillimus eſt, quia tunc amplius multorum arridet paleto quanto moribus corruptiſſimus eſt : *omnes mores peſſimi erroribus delectantur alienis*, ait Ambroſius : & hinc oritur quod *apud pleroſque innocentia pro ignavia, & culpa pro laude habetur.* Quippe cùm propriam excuſare nequitiam deſiderent, non in ſeipſis eam laudant, ne manifeſtam hypocriſis noram inurentibus cunctis in caſſum laborent ; ſed alterius malefacta commendant, ut minus pateat ſuſpicionibus mendacij quod in aliorum laudationem aſſeverant. Hoc ſic inverecundè ſolet iniquus exequi ut jam non ei ſemper aliorum crimina placeant ; ſed cùm graviora ſunt, ipſorum gratiam tum & præconium conſequantur.

38. *Quando pejor eſt malus tunc placet iniquo.*

S. Amb. to 1. l. d. Noë c. 30. Idem ibi c. 22.

David ab ingratâ necnon invidâ Saulis hoſtilitate profugus, bis apud Ziphæos latitavit, & ab iiſdem ſemel ac iterum prodi-

tus est livido regi. Non iste se gessit pariter utrobique circa renuntiantes illi Davidis latibulum. Primum respondit eis : *benedicti vos à Domino quia doluistis vicem meam :* ubi Sanctius : laudat illos Saül. Postea non similiter ; sed textus ait : *venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes : Ecce David absconditus est in colle Hachila quæ est ex adverso solitudinis. Et surrexit Saul,& descendit* &c. Priori loco Saul verbis extollit prodentes ipsi Davidem , gratumque se illis exhibet ? *benedicti* &c. posteriori minimè ? Credibile puto Ziphæos antea potius complacuisse impio regi , quia pejus operati sunt quam postea : nam posthàc detulere solum ad Saulem quonam loco David latitaret; ante non tantum aperuerunt ubi recondereretur ; sed operam suam obtulere quò traderent illum in manus persequentis. Cùm iniquiùs egerunt, arrisere plus regi nequam: *nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis. Dixitque Saul : benedicti vos à Domino quia doluistis vicem meam.* Si vix ea quæ oderunt cuncti & pudore castigant,peccata vitamus : quomodo ea quæ virtutum falso nomine decorantur fugiemus ? Impudentia flagitiosorum , virtutis venerabile nomen adulterans , id vitiis adscribit. Sic misericordiæ titulo Ziphæorum traditionem Saul honestabat : *doluistis vicem meam.* Hinc metuenda nimis instat moribus pernicies : fœda sunt crimina ; sed multoties lenocinantur mutuatâ facie pulchrâ. *Unde dicit S. Isidorus* (sic refert D. Antonius Olyssipo.) *quod vitia virtutum speciem præferunt. Unde perniciosius suos sectatores decipiunt , quia sub velamine virtutis teguntur.*

1. Reg. 23. 21.

Ibi c. 26. 1. 2.

Ibi c. 23. 20. 21.

S. Anton. Olyssip. ser. Dom. 3. post Pascha.

39. *Peccator bona sua non tecum dividet , quin etiam contagium.*

Dentibus. Acetum dentium incolumitati proficuum esse promittunt medici. Sapiens intendit non utilitatem ejusdem , sed acrimoniam proponere , velut amaroris ænigma, qui vel ex pigri servi tarditate dominis provenit(si commentemur ita) vel ex inerti peccatore sub delictorum pondere stertente nascitur aliis. Aptius videbatur facienda mentio linguæ ; non verò dentium : cùm non isti, sed illa , sentiat acrem aceti saporem. Reor id consultò sic à Paræmiaste dictum , sicut habetur in textu : quia cùm acetum dentibus prosit , ac simul stridorem quendam ipsis causare soleat : prodest eis , & simul nocet. Exhinc ascendas velim , ac videas hominem iniquum ita se habere : hoc est ferè nunquam alicui utilem esse , quin eidem spirituale nocumentum afferat. Non te bonorum suorum participem reddet impius, quin & scelera tecum dividat : nam sicut in bonis , ita necnon in malis amicorum omnia sunt communia. *Revera* , inquit S. Basilius , *noxiæ sunt amicitiæ quæ cùm malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ hujus lex & vis , ut per similitudinem malitiam conjunctis indat.* Peccati contagio inquinantur quæcumque possidet malus. Ex his dum quidquam acceperis,ægritudinem ipsius eandem contrahes , quâ infirmatur ille.

S. Basil. to. 1. ho. 8. ex varius. Quod Deus nō est &c. ad finē.

Apud Syros Dynasta Naaman ægrotabat leprâ. Cùm serviret famulatui conjugis ejus Hebræa puella denuntiavit dominæ prophetam adesse in patriâ suâ , quem si conveniret illius herus assequeretur procul dubio sanitatem. Hujusce dicti conscius Naaman illud ad Syriæ regem detulit : à quo litteris acceptis ad regem Israël perrexit quæsiturus lepræ medelam. (O miseram præpotentium servitutem ! Nec sanitatem sollicitare fuit ausus , nisi priùs facultatem & litteras quasi salutem decernentes acciperet à domino suo ?) Rem novit Eliseus , & honori Dei sic intelligens congruere , Naamanum ad se venire curavit : in Jordane septies lavari consuluit : quibus peractis à leprâ mundatus , coram vate Dei veri divinitatem se fateri professus est. Noluit ab eo propheta muneris quidquam accipere. Quod ut vidit Giezi , qui ministrabat ipsi, cupiditate fœdâ præceps avaritiæ cucurrit post magnatem Syrum : & falsò sub Elizei nomine talentum argenti petiit , & vestes duplices ab eo. Plus accepit quàm postulaverat : in domum intulit , ac dissimulans quod factum fuerat, apparuit coram propheta. Quem cum latere non potuerit vilis amor lucri , quo Giezi vesanus exarserat , eum increpavit , ac tandem addidit : *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo , usque in sempiternum.* Animadvertis quod non alia lepra quam ipsius Naaman punitur Giezi ? *Lepra Naaman adhærebit tibi.* Et quare non altera ? Bellè Sanctius : *acceptum à leproso Syro argentum & vestes , quasi totam illam pestilentem luem imbibissent , illam in infidelem mendacis servi corpus importarunt.* Quid Naaman allegoricè referat audi ex D. Isidoro Hispal. *Naaman Syrus significat populum ex gentibus maculis delictorum pollutum , atque à Christo per sacramentum baptismi purificatum.* Quid autem denotet Giezi dabit S. Prosper. *Giezi hæreticorum figuram ostendit.* Adde meditationem Ambrosij : *omnes cupidi , omnes avari , Giezi lepram cùm divitiis suis possident.* Aperi sub littera mysterium. Cùm peccator unus alteri munera donat , ista contagio solent infici. Eâdem Naamani leprâ fuit correptus Giezi: nec enim delinquentum accipies dona , quin per ea serpat in te morbus illorum. Ægritudinis prædictæ mysticum intellectum Glossa collegit ex Aug. Raban. & Eucher. sic : *quamvis per potentiam regni ac rerum abundantiam dominari videretur : tamen per errorem idololatriæ lepra fœdus apparuit.* Mysticè igitur ille morbus est animæ. Cave ab impio benefactore , nam per ejus donaria, tanquam in fomite , pestilens transmittetur in te lues : non proderit,quin & noceat,*sicut acetum dentibus.*

4. Reg. 5. 27.

Sanct. in 4. Reg. ibi.

S. Isido. Hisp. in allegoris veteris testam.

S. Prosp. l. d. promis. & prædict. p. 2. c. 31. fine.

S. Amb. to. 3. l. 4. in Luc. c. 4.

Gloss. ordi. in 4 Reg. 5.

40. *Deus fœlicitatem dehonestavit , ac honorem contulit infortunio.*

Et fumus Fuligine designatur opportunè sceleratus : nam turget , ac in aëra fertur nullis elevatus alis. *Erigitur in altum fumus , & in globum tumidum pergit , quanto magis attollitur , tantò ampliùs intumescit ,* inquit August. ad illud psalmi : *deficientes quemadmodum fumus deficient.* Appositum est fumus emblema nefarij , quem fœlicitas effert in sidera , quin meritorum indigeat pennis. Ast non minus tenebrosus fumus & aëreus est , quia levatur in superna. Imo peccator ideo ad superiora tollitur , quia phantasma nullius ponderis est.

S. Aug. to. 8. in ps. 36.

Ascen

Aſcendunt levia ſuapte naturâ ; deſcendunt ea quæ gravitant : idcirco perditi moribus paſſim vocantur ad ſumma; benemeriti ruunt & conculcantur. Cauſaris ne Dei providentiam, quæ tam inordinatæ connivet inæqualitati ? Ne Deum de his expoſtules. Ut infortunia condecoret, & fœlicitatem inhoneſtet, ſic permittit ſapientiſſimâ ſanctitate non læſâ. Proxime dicti duo fines Domino præcipuæ curæ ſunt, inter plura quibus media providet peculiari manu pro ſalute conſequenda. Sæculi dolus eſt, ne ab ærumnis edoceamur, harum exaggerare truces larvas, ut ab ipſis territi vitemus veritatis magiſtras. Econtra ſciens nos facillimè fœlicitatibus illudi, pulcherrimos earum vultus exornat mirifice, quò ſic ad mendacij laqueos trahat volentes. Deus cupiens mundo contraria vota perficere ſua : ne trepidemus ad amica nobis infortunia, honoravit ea ; ne præcipites ad ſortem involemus, affecit illam dedecore non parvô.

Perſæpe dubitaſti forſan quare Dei Filius regis nomen declinavit poſt quinque panum opiparam & miraculoſam deſerti menſam, quod ipſi turbæ grataner offerre decreverant. *Cum cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Eundem regis titulum video Dominum crucifixum acceptaſſe libenter : nam licet neſciens Pilatus illum ſcripſerit & deleri noluerit ; attamen regiam præ ſe ferebat majeſtatem, juxta illud Ambroſij : *merito ſupra crucem titulus : quia non humani corporis, ſed Divinæ poteſtatis eſt regnum quod habet Chriſtus.* Si quæris qua de cauſa regalem nomenclaturam non reſpuit in Calvaria, qui renuit à turbis eandem conferri, adi M. Gregorium, & reponet ſic : *rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum ſponte pervenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroſæ mortis appetit : ut membra ejus videlicet diſcerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adverſa diligere, proſpera formidando declinare :* &c. Itaque regis appellatio ſi per acclamationem populi voveretur Domino, vocari poterat fortunæ donum : quid enim aliud eſt vulgi clamoribus evehi ? Si munus hoc acceptaret ille qui natura ſua, & ex hæreditate paterna Rex regum erat, honoraret fœlicitatem : nam diademati decus afferret qui majori coronâ potitus illam tantò minorem non dedignaretur. Noluit veritatis Magiſter honeſtare ſortem. Diem expectavit quo regis cognomen vocari potuit infœlicitas, ut pote quod tanquam infamis occiſionis cauſa culpabilis impingebatur innocenti. Ut condecoraret infortunium iſtud, tunc accepit & permiſit ſuper caput collocari titulum regalem quem alibi detrectaverat. Hanc expendens fugam dixit puratus Hugo : *Chriſtus fugit gloriam in exemplum, ſcili. ut nos ſimiliter faciamus. Matth.* 10. *Si vos perſecuti fuerint in una civitate fugite in aliam. Quia eligi in regem, vel in prælatum perſecutio eſt.* Quis crederet? Antea nil tale ſuſpicabamur : ſed poſtquam Summa Veritas præripuit ſe fugâ ne coronam plebs offerret, dedecus inuſſit laureæ ſicut perſecutio dici poſſit ad eam quæri. *Ea enim bona, quæ homines in hoc triſti ſæculo & extollunt, & magni faciunt, apud Deum pro nihilo reputantur*, ait S. Thomas à Villano. Oculos tuos dediſcere ſine quæ olim didicere. Suſpicis aſcendentem fumum? diſperſio eſt ; non elevatio. Applica fortunato nequam : ille *ſicut fumus.*

Oculis. Per hos nihil vetat accipiamus juſtos : iſtis namque ; non autem iniquis moleſti ſolent eſſe mali *ſicut fumus oculis*, de quo plura ſupra delibat. 4. n. 23. & 24. Recte Salomon in oculis juſti ſic locavit impios nocentes iiſdem : quippe fontes à virtutis aſſeclâ diliguntur innixè. Sciſcitaberis quare luminibus approprietur hæc dilectio ? Quia ſunt intellectus emblema : ſapientiæque nota non vulgaris eſt hoſtem amore proſequi, ſeu in oculis collocare. Athenis olim ad philoſophiæ muſæum non admittebantur ij qui receptas injurias abnuerent condonare : quaſi foret inimicorum dilectio ſignum ingenij ſubtilitate pollentis pro doctrinæ captu. Stultum putat mundus eum qui cum valeat non ſumit ab infenſo vindictam. Deſipit, ut ſolitat. Quin potius *in hoc bruta & feras antecellimus, quod poſſumus, ſi volumus congruum in nobis conſervare ordinem, & magnam in proximos concordiam declarare.* Ita Chryſoſtomus. Ad ſapientiam ſpecialiter attinet bonum pro malo reddere iis qui tuum læſerunt audaciter honorem, eos dilectione proſequi, beneficiis cumulare.

Vetus myſteriorum radix eſt illa quæſtio numquam ſatis diſcuſſa : nempe cur ex Divinis perſonis non prima vel tertia carnem aſſumpſerit ut redimeret hominem. Placet nunc illa ſolutio ſcili. quod genus humanum peccando exhibuit ſe Dei hoſtem. Ad Sapientiam igitur, ad Filium, inquam pertinebat inimico benefacere, quod ſapientiæ peculiariſſimum eſt inſigne. Accedit quod originaria noxa, præ cæteris perſonis in Verbum Æternum aliquali ſingularitate videtur auſiſſe: nam ſimilitudinem cum Deo per viam ſcientiæ Protoparens appetiit, & Filij propria eſt ſimilitudo, quæ hac ratione habetur. Vult ex Caietano notior ſententia Theologorum ideo Verbum Dei ſolum eſſe Filium, quia procedens per actum intellectus imbibit ſimilitudinem Patris. Peculiariùs igitur quam patrem & Spiritum S. primæva culpa læſit Verbum. Quod ideo bonum reddidit pro injuriâ quâ ipſum petierunt in Adâ mortales. Patrocinetur Bernardus. *Revera enim principes noſtri Adam & Heva, principia noſtræ propaginis : inobedientes & ſocij furum : qui quod Filij Dei eſt; ſerpentis, imo diaboli per ſerpentem conſilio ſubripere tentant. Nec diſſimulat injuriam Filij Pater* : & infra : *ecce propter me angelos perdidit multos, homines univerſos. Ergo ut ſciant quia & ego diligo Patrem : per me recipiat quos quodammodò propter me amiſiſſe videtur. Si propter me tempeſtas hæc orta eſt (ait Jonas) tollite me : & mittite in mare.* Sapientiæ proprium eſt lædenti non ſolùm parcere, ſed beneficum ſe præbere.

S. Thom. à Villano. ſer. 1. Dom. 17. poſt Pente.

41. *Ad ſapientiam ſpectat inimicis benefacere.*

Joan. 6. 15.

S. Ambr. to. 3. l. 10. in Luc. c. 23.

S. Greg. M. to. 1. l. ep. paſtor. c. 3.

Hugo Card. ad Joan. 6. 15.

Chryſoſ. hom. 4. in Gen. to. 1.

S. Bern. ſer. 1. d. Advent.

42. *Hostium dilectio probat sapientium.* D. Greg. M. to. 1. l. 22. mora. c. 7.

Sic suadet vetus adversariorum amor, qui sane sapientis est. Nervosè M. Gregorius offensarum patientiam vocavit magisterium. *Nam sunt nonnulla quæ in ipsa quoque familiarium conversatione corripi nequeunt sine culpa corrigentis: atque ideo cum vel corrigentem inquinant, omnimodo hæc agentem gravant, magna magisterij arte dissimulanda sunt, ipsaque hac dissimulatione toleranda.* Magisterij signum, opus artis magnum, est affectus in adversantem: ingeniosa quippe dilectio probatur, quæ cor alienum verè pravum emollit, ac ex infesto mutat in sodalem. Qui bene afficitur in adversos charitate suadente, se convincit sapientiâ plenum, si non ad humanas inhumanitatis leges attendat cor tuum, sed ad rationis præscripta judicium componas.

Discipulorum apostalico cœtui Divinus Magister sic fatus est in passionis vestibulo: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et ut Cardinali Toleto placuit, non ad solos Apostolos verba limitanda sunt; sed ad mutuam inter omnes Christiades charitatem extendenda, ex quibus nonnulli sunt alterutrum aversi. *Confirmat*, inquit, *hæc oratio nostram expositionem ut de mutua inter Christianos charitate seu dilectione sit sermo.* Hoc præjacto fundamento, quæres cur non potius ait: in hoc universi conspicient quod Filij mei estis? Quia Verbum incarnatum Sapientia est. Geniti non solent imitari paternam scientiam sic ut à parente plurimum ingenioso non possit non oriri gnatus ingenio doctrinaque pollens. Discipulus autem, si non solo nomine sed re munus exequitur suum, disciplinam sic imbibit præceptoris, quòd in eo reluceat eruditio docentis. Ut ergo noveris ad sapientiam spectare dilectionem erga cordibus alienos, discipulatus notam appellavit amorem hujusmodi: quia per eum elucet prudentia mentis, quæ docet peccatoris tumentem animum in ipsis constituere luminibus; quamvis ille ciens insontis fletus, huic sit *sicut fumus oculis.*

Joan. 13. 35.

Tolet. in Joan. ibi.

34. *Nimis offendit Altissimum qui vocanti ad pœnitentiam resistit.* S. Hier. to. 1. epist. 46. ad Rustic. post prin. & prope med.

Sic piger. Cum plurima constituant malignum vitia, de sola pigritiâ quâ torpet in rebus animæ, sumit hoc loco nomen: quasi hæc tarditas emineat inter cætera crimina tanquam approximans desperationi. *Nihil tam offendit Deum, quam desperatione meliorum hærere prioribus*, ait S. Hieronymus: & infra: *ô clementia Dei, ô nostra duritia, dum & post tanta scelera nos provocat ad salutem. Et nec sic quidem volumus ad meliora converti.* Merito S. Doctor exclamat misericordiam inexhaustam demiratus, cum tamen de illa duritie nimium læsam negari non valeat Dei majestatem.

Dominum per Jeremiam loquentem audi ad Jerusalem. *Tu reliquisti me, dicit Dominus, retrorsum abiisti: & extendam manum meam super te, & interficiam te:* &c. An non enormiter peccaverat etiam civitas illa Segor cui jamjam igne delendæ pepercit facile judex æquissimus, nullâ expectatâ pœnitentiâ, solis motus amici precibus, & non importunis? *etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro quâ locutus es.* Jerusalem sic minatur occisionem, ut neminem ad misericordiam pro illa flectendam asseveret? *Quis enim miserebitur tui Jerusalem?* Quænam ista delictorum gravitas erat? Circumstantia obstinationis, quâ rogantem Deum spreverat, nimis auxit reatus. *interficiam te: laboravi rogans.* Verba Dei sunt ibidem. Exponit Maldonatus: *idest fatigatus sum rogans te & toties invitans ad pœnitentiam.* Favet S. Hieronymus. *Quod autem intulit laboravi rogatus, sive rogans, duplicem habet sensum: quod jam defecerit Deus crebrò eis ignoscendo, & lassus sit semper eos provocans ad salutem* &c. Quidni mucro Domini totus in urbem educeretur, quæ segnis Divinam veluti contorquebat patientiam rogantem? Hic malorum apex: in scelere permansio tabescentis animæ.

Gen. 19. 21.

Jerem. 15. 5.

Maldonat. in Jerem. ibi.

S. Hier. to. 5. l. 13. in Jerem. c. 15.

44. *Movet lachrymas expendere Deum offerentem peccatori reconciliationem.*

His qui miserunt eum. Sub allegoriâ servum expectantis pigrum notavi sumi posse Deum qui perditum ad pœnitentiam opperitur ut inveniat. Nunc addo vix fieri posse quòd non liquefiat in fletus qui prout par est mente versaverit infractam Dei tolerantiam quâ placido sinu Patris excepturus reum, ipsi velut offert amicitiam, ut ejus reconciliationem amplectatur homo, si velit. *Tu autem Domine*, ait Præses Valentinus, *benignus & pius non vi sed sponte in propria recipi domo vis. Aperi, inquit, soror mea.... aperi mihi terra sicca & arida, terra sterilis, ut rore meo inebrieris, & imbribus meis perfundaris, & fœcunderis, non ego egeo habitaculo tuo, sed tu potiùs indiges rore meo. Noli à te expellere ubertatem tuam, ut bene tibi sit.* Ecce quasi Dominus obsecrãs invitat creaturam sibi servam despoticè, cùm pœnitentia nostra non indigeat: sed ita fortis & patiens in hominum rebellione sustinenda jugiter, ut quasi dicere videatur: si ad amicitiam non dedignaris meam redire sto ad ostium donec velis flecti. Quod erit adamantinum pectus ad istam clementissimi Domini sustinentiam invictam non rigans ora planctu?

S. Thom. à Villano ser. d. S. Maria Magdal.

Deliquit Petrus negatione triplici: nec tamen flevit nisi postquam piissimi Jesu tactus fuit oculis electus lapis in Ecclesiæ fundamentum: *conversus Dominus respexit Petrum .... Et egressus foras Petrus flevit amarè.* Quæstio est an solo interiori visu respexerit Præceptor naufragum Apostolorum Principem; an etiam luminibus? Pro secundo stare videtur Theophylactus. *Admirari autem decet Domini misericordiam, quod & cum ligatus esset, & abduceretur, non neglexit discipulum, sed conversus vidit Petrum sicut alius Evangelista dicit, & aspectu opprobrat ei infirmitatem, & ad pœnitentiam ac lachrymas excitat.* Eccur non verbis mitissimus Agnus Simoni persuadet ut lavet fletu maculas? ut amicitiam collapsam redintegret Respexisse satis? Et super; nam sic taciturnitate significabat se non cogere tanquam judicem, ut qualem posset satisfactionem injuriarum dolendo ac plangendo solveret, sed expectare patienter, ut si velit, & cum libuerit interruptum fœdus amoris

Luc. 22. 61. 62.

Theophylac. in Joan. c. 18.

ris consolidare, in pectus amantissimum, à quo delinquendo ecciderat, se recipiat. Sic dum servus piger & fugitivus vel saltem in redeundo morosus, domum quam reliquerat non regreditur, aliquoties accidit *his qui miserunt eum*

FLOS XXVIII.

Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur.

APERITUR.

1. PRo textus enucleandâ veritate dubium prius occurrit, an timor Domini sumatur pro illo virtutis actu, quo Dei majestatem seu filialiter aut serviliter pertimescimus; utrum verò pro tota virtutum collectione ponatur ibi timor. Hoc secundum probabilius. Hoc sensu timor variis in locis ex phrasi Scripturarum accipi
Luc.1. 50. sæpiùs assolet. *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*, dixit Virgo
Tob.2. 14. Sanctissima. *Immobilis in Dei timore permansit*, asseritur de Tobia, ideſt in virtutum se-
Josuë.22.25. quela constans, *Avertent filij vestri filios nostros à timore Domini*, dixerunt Rubenitæ: hoc est à divinæ legis custodia. Sic & Salo-
Prov.2.5. mon: *tunc intelliges timorem Domini* &c. Ratio cur potius metus Dei, quam aliud opus virtuosum, pro integro morum justi prato ponatur, obvia cuique apud Chrysostomum.
Chrysost.to. 5.ho.15.ad populum. *Propterea*, inquit, *qui non vivit in timore, rectè illum agere non est facile, sicut vicissim cùm timore viventem est difficile peccare.* Con-
S.Basil.ho. 9.in ps.33. ante med. sonat S.Basilius. *Quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant.* Poteris, exempli gratiâ, castus esse; criminibus aliis maculari; nequit autem ullus timoratus dici, nisi penitus labe gravi sit immunis.

2. Secunda jam dubitatio insurgit. Quamvis de timore Dei loquatur Salomon hoc loco pro cunctarum virtutum agmine: quisnam est ille timor, cui, tanquam omnium rectè factorum collectionis brevi synonimo, tribuitur dierum incrementum. Hoc jure meliori disquireretur, si diceremus textum agere de pavore Dei. Nihilominus adhuc post expositionem adductam locum vendicat quæstiuncula. De illo metu qui virtutum comes individuus est, & conflatur ex pluribus formidinibus, queis virtutes metuunt singulæ deviare à recto, sciscitor qualisnam sit: quoniam triplicem agnoscimus timorem ex D. Vincentio Ferr. qui ad illud Petri:
S.Vincent. Ferr.fer. 5. Dom.2.post Pascha. *subditi estote in omni timore*, ait: *nota in omni. Innuitur ergo quod sunt multi timores. Ego amore vestri quæsivi quot timores sint: & inveni quod sunt tres, in quibus Deo debemus subjici: & habebimus multa bona. Primus est timor naturalis, & iste est rigorosus. Secundus est timor filialis, & iste est gratiosius. Tertius est timor reverentialis, & iste est gloriosius.*

Hinc ad quæstionem supra positam dicet aliquis hîc agi de timore filiali, cùm cæteris nobilior sit: adeo quippe charitati reginæ virtutum affinis est ut potius videatur dicendus amor quam timor. Hoc fortè sensu dixit Ægyptius anachoretarum prototypus Antonius se non timere Deum. Refert id Climacus in hæc verba: *Tranquillitatem ostendit qui ait sensum Domini possideo. Hanc itidem insinuavit Ægyptius, qui se ait non timere Dominum.* Illi dicendi modo favet Carthusianus, qui verba Salomonis exponit de filiali timore dicens: *ideſt homo Deum filialiter timens, vitæ prolongationem meretur, & ad annos æternitatis præducitur. De quibus in psalmo habetur: annos æternos in mente habui. Vitamque gratiæ, & ipsas virtutes, quæ sunt dies cordis, timor Dei adducit ac auget.* Eâdem via tendit Interlin. ait enim verbo, *timor, amicalis.* Alij tamen exponentes hanc sententiam loquuntur indifferenter de timore Dei. Cùm quibus placet asserere dogma nostrum verificari de quocumque modo formidinis Dei: dummodò non solum culpis omnibus opponatur gravibus, sed meritorius extet: non etenim te latet dari metum quemdam quo pavetur Deus perversè tanquam peccatorum vindex.
Rup.l.3. in Gen. prop. fin. *Quam perversus*, ait Rupertus, *hic timor est qui non facti sui gerere pœnitudinem, sed solam pœnæ suæ se fatetur habere confusionem.* Similiter malus fuit ille timor quo trepidavit Saul, de quo D. Fulgentius: *non odivit quod fecerat, sed timuit quod nolebat.*
S.Joã.Clim. in scala paradisi grad. 29.
Diony.Carthus.in Prover.10.27.
S.Fulg.l.1.d. remiss. peccat.c.15.ad finem.

Prædicto itaque timore (seu potius omnium virtutum merito) Salomon ait justum à Deo consequi augmentum dierum. Restat examinandum de qua vita verba faciat. Carthusianus proximè tres annectit vitas nempe temporaneam, gratiæ, gloriæque. Sed existimo de sola prima litteram accipiendam, quia tantum hæc venit simpliciter & sine addito sub nomine dierum. De gratia potest id exponi sensu morali, sicut anagogicè de gloria. Sic melius cohærent hemistichium prius, & secundum. Nec enim breviatur æternitas impio vel gratia; sed potius caret istâ, non consequitur illam. Eò perituræ cæcutit amor vitæ, quod improbus per hujus comminatam jacturam aptius à vitiis deterreatur in præsenti, quàm si mortis animæ per hæc verba metus incuteretur.

3. Ad secundam versiculi partem nunc gradiamur: *& anni impiorum breviabuntur.* De quo genere mortis accipiendum est hoc? Vitam unicam & brevem gladius multiplex petit. Unus est interitus; plures pereundi modi. Jansenius hoc loco sumit verba primo de subitaneâ morte, quâ Deus noxios punit sæpissimè: Secundò pro nece quam ij sibimetipsis consciscunt per intemperantiam: tertiò quia vitam non adipiscuntur æternam: imò nec per honestam famam degunt post facta memoriis hominum traditi: nam & hoc est quoddam vivendi genus. *Immortalis* Sapi.4. 1. *est enim memoria illius.* Secundo pereundi modo addit Cornelius à Lapi. quod impij sese præcipites in discrimina dant, & sic finem advocant suum. Ista quidem probabilia cuncta sunt, solum illud Jansenij de vita famæ displicet penitus; nam tantummodò

metapho

metaphoricè venit nomine vitæ : nec video quo fundamento possimus asserere textum hâc metaphora litteraliter uti. Germanum reor sensum illum cui patrocinatur Salazar : scili. quod sicut justi vita perfecta est &, absoluta numeris omnibus, eo quòd sit non solum naturâ, sed opere rationalis ; vita sontium econtrariò propter quotidianas ægritudines animæ, diminuta, breviorque judicanda. Parabolæ hunc in modum expositæ respondet quoad priorem partem dictum ejusdem Sapientis : *consummatus in brevi explevit tempora multa.* Quoad sequentem verò cohæret illud malorum apud ipsum : *nos nati continuò desivimus esse.* Plus vixisse judicatur justus : ut enim pronuntiavit Orator : *virtutis quam ætatis cursus celerior.* Econversò nequissimis in ipso luxuriantis juventutis caduco flore

——obrepit non intellecta senectus.

Non est prætereundus hic Lira qui verba Salomonis : *& anni impiorum breviabuntur*, commentatur ita : *quia acquirunt sibi multos amicos, qui vitæ eorum insidiantur.* Nescio sanè utrum errore typographi pro inimicis amicos posuerit prælum (utinam hostes amicos appellare nunquam foret plusquam error calami) nam commentatoris indagare mentem non sinit ejus affectata brevitas. Si voluit quod verba sonant, litteræ deseruit rigorem, & ad moralia deflexit ; sed nimis verè locutus : nam iniquus, præsertim si potentiâ prævaleat, hostibus placitis, idest assentatoribus obsessus degit, qui spirituali vitæ parant insidias : ac pietatis imitantes falsò morem, ipsum jam demortuum sepeliunt : *qui enim*, ait Gregorius M. *peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum aggere abscondũt. Qui autem hoc faciunt sunt consanguinei & amici, de quibus dicit Dominus : inimici hominis domestici ejus.*

Salaz. in Prov. 10. 27.

Sapi. 4. 13.

Ibi c. 5. 13.

Tulli. Philip. 5.

Juven. sat. 9.

Liran. in Prov. 10. 27.

S. Greg. M. to. 1. l. 4. mo. c. 29.

5.

Timor. Cùm à metu soleat initium sumere virtutis militia : fortè putabis pavorem solis tyronibus congruere. Quinimò provectis in sanctitate pertimescendum est amplius duplici de causa. Prior est, quia cùm sint ditiores pavent plus in latrones incidere, qui plagis impositis abeant semivivo relicto, idest animâ defunctâ, corporeque vivente. *Et hæc sanctis causa est*, inquit S. Leo Papa, *tremendi atque metuendi : ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Secunda ratio est quia virtutis iter assimilatur navigationi. Mare scindimus incertissimum, frequentibusque procellis turbidum. Quidni timor vigilet dum finditur æquor ? præcipuè cùm jam perfectionis portum penè contingentes, ibidem circumpositos plus formidant scopulos ? *Sicut enim mercatores inter navigandum, etiamsi ventum propitium, & mare tranquillum nacti sint, necdum ad portum pervenerint, metuunt ne quo modo repente contrario vento excitato fluctibus æstuet mare, & navis periclitetur : sic & Christiani licet habeant in se flantem prosperum ventum S. Spiritus, adhuc tamen formidant ne ventus adversariæ potestatis insurgat : qui flet & tempestatem fluctusque moveat animis eorum.* Hucusque D. Macarius.

S. Leo ser. 8. de Epiph.

S. Macar. ho. 43. ante med.

Domini. Non ait horror æterni supplicij, vel mortis, aut similium : sed loquitur de solo timore Dei : nam inter omnia, quæ timeri possunt, præsertim pavendus est, ita ut Augustinus dixerit : *non timeamus nisi Deum.* Et certè si de temporariis damnis loquamur, qua ratione timenda sint, vel opposita bona diligenda, prorsus ignoro, *cùm nec malis bona prosint, sed noceant : nec bonis mala noceant, sed prosint magis*, uti Chrysostomus ait.

S. Aug. to. 8. enarr. 2. in Ps. 26.

Chrysost. to. 2. ho. 13. operis imperf. in Matth.

Apponet. Jansenius hic secundam adhibet expositionem, quasi hoc valeat : virtus præservabit justum à morte violentâ, quam per justitiæ ministros lex infligit malefactoribus. Non placet : nam planior sensus est si dicamus virtutem addere vitæ spatia per modum præmij : hoc enim frequentius est quam evasio à morte violenta, quam justus incurreret si malus esset. Accedit quod ætate scriptæ legis boni frequenter longævitate remunerabantur, juxta illud Exodi : *servietisque Domino Deo vestro.... numerum dierum tuorum implebo.* Ad quem locum Theodoretus ait : *Quemadmodum enim intempestivam mortem non obedientibus sibi Deus minatur, ita obedientibus sibi longam vitam pollicetur.*

Jansen. in Prov. 10. 27.

Exod. 23. 25. 26.

Theodoret. ad eum locum.

Dies. Longum vitæ significat incrementum ; nihilominus angusto dierum vocabulo clauditur, ne vitæ brevitas elabatur memoriâ. Nec tamen omnino credo justos oblivisci quàm sit consciissa nostræ peregrinationis ætas, cùm præ oculis jugiter habeant æternitatem, cui si longissimum comparetur quodque tempus, satis contractum reputabitur. Accipe testem patrem mendacij ; sed in hoc veridicum : fas est & ab hoste doceri. Dixit quondam (refert Hugo) diabolus : *si scires æternitatem, totum tempus à constitutione mundi unam horam reputares.* Mendaci hac vice crede.

Apud Hug. Card. in Ps. 89.

6.

Et anni. Vitæ nostræ hyeroglyphicum non minus aptum est annus, quam dies : hic in auroram, & mane, meridiem, vesperamque, velut in quatuor ætates dividitur. Et anni circulus primo vere juvenem refert, æstate virum, autumno senem, hyeme decrepitum pingit, juxta poëticum, sed plusquam Catonis effatum

Quid non in species secedere quatuor annum
Aspicis ætatis peragentẽ imitamina nostræ?

Impiorum. Hoc nomen plùs quàm peccator, sonat, ut alibi monui. Nunc do S. Isidorum Hispal. *omnis impius peccator, non tamen omnis peccator impius habendus est.* Attamen hîc sumitur pro quocumque peccatore. Sic insinuatur quod quantumvis eò malorum devenerit, ut impius, hoc est valdè sceleratus existat, adhuc illi prodesse poterit mortis memoria, quàm verba theorematis hujus inculcant. Ideo D. Basilius dixit : *si cogitaveris quod dissolvendus sis in terram, cessabit insana concupiscentia.* Et mox : *Memento qua sis natura, & irritabitur omnis ad malum impetus. Ista recordatio nobis ad quodvis peccatum cautio sit, & custodia.*

S. Isidor. Hisp. l. differ. lit. I. n. 298.

D. Basil. ho. 11. in Hexameron. post med.

Breviabuntur. Fateor accelerationem exitus hîc tanquam scelerum pœnam proponi ; sed nihilominus involvit aliquid beneficij : *lucrum enim & liberatio à supplicio est mors*

Idem homili. quod

Deus nō est author malorum, 8. cx var. post princi.

iis qui peccaverunt. Vel quia mors terminus est spatij quo demereri possumus, ac proindè majoribus januam claudit piaculis, ita dictum est : vel quoniam ipsa vita peccatoris locum supplicij tenet, unde ipsi conveniens

S. Aug. to. 2. ep. 121. ad Probam.

mors est : *neque enim*, ait Augustinus, *in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.*

DELIBATIO I.

Notantur aliqui prima facie timores Dei; sed intus vel peccata sunt, vel quid indifferens.

7. TImorem Dei rectæ semitæ diximus exordium. Proindè facillimum in hac re decipi vitæ melioris ponentem adhuc tyrocinium. Quamdiu non accesserit medullis flamma, quam Salvator accendi cupiebat, mille patet erroribus timor iste fugiens umbram, quin amoris radio ducatur. *Quia*

S. Greg. M. to. 1. l. 1. mora. c. 11.

sancta electorum Ecclesia simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat : cui tunc est funditus à malo recedere, cùm ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cùm vero adhuc timore bona agit, à malo penitus non recessit : &c. Verba sunt M. Gregorij cujus authoritate quiescentes majores nido pennas extendere cessent audaces quidam, in virtute sectanda tenelli, qui statim atque mediatiunculas dietim (fortassis ore tenus) perlegerunt : post confessionem generalem frigidè nimis exhibitam, sub debili satis proposito non peccandi, mox in abditissimos theologiæ mysticæ recessus & contemplationis apices intromitti somniant. De hoc iterum infra dicam flor. 32. n. 41. Cætera nunc linquo : solum de timore Dei quærerem (quia primus est paradisiacæ scalæ gradus) an se judicent ex animo timere Dominum. Respondet quisque ter & amplius Altissimum pertimescere : & cùm profert ista sibi fidens, parum abest ut exterius totis artubus contremiscat: sed ô quam sæpe vero timore Dei vacent qui se timoratos præsumunt, ac timendis ita non mediocriter patent periculis ! Necnon simulatio sanctitatis auctior est nequitia. *Levius est*, ait

S. Hiero. to. 5. l. 6. in Isai. c. 16. fine.

S. Hieronymus, *apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem.* Si fortè nosse diligis cujusnam culpæ sit reus hujusmodi simulator : multoties dixerim superbiam. *Superbia*

S. Joan. Climac. in scal. grad. 22. post med.

est animæ suprema inopia, dum illa divitias imaginatur, lucemque esse in tenebris existimat.

8. Periculosius est unicum peccatum simulato Dei timore tegere quàm in aperta scelera præcipitari.

Hæc igitur quæ de virtute sunt universaliter dicta, multò clariùs de falso timore Dei verificantur. Si quælibet hypocrisis elatione superbit : cùm tumidus vires nanciscì credat ingentes, timere nescit hypocrita, peccatumque fictione timoris ingeminat. Minori discrimini subjaceret, si præcipitem se daret in manifesta discrimina, quàm dum inobediens Deo mentitur ejus metum.

Ninivitarum flagitia Dei provocavere minas. Vindicta paratur, sed non sine clementiæ procrastinantis industriâ. Legatio committitur Jonæ ut civitatem, execrabilem petat, & in ea prædicet. Renuens propheta fugam cepit : ingruenteque tempestate projicitur in æquor ubi piscis alvo transvectus est in aridam. Ad Ninivem dirigitur inde : quam cùm fuisset ingressus dixit ille docente Domino : *adhuc quadraginta dies, & Nineve subvertetur.* Docente, inquam, Domino, quidquid enim asserat Origenes, id melius affirmat Sanctius dicens : *non dubium quin hæc verba Jonas acceperit à Domino : quomodo enim id asseverare tanto conatu posset ac toties, nisi Deum illius legationis ac nuntij habuisset authorem.* Præterea supponendum tempestatem, quâ punita fuit inobedientia Jonæ, non multò postea quàm navis è littore solvit surrexisse. Sic idem Sanctius : *excitatam arbitror tempestatem postquam aliquantulum navis à portu discesserat* : cui dicendi modo favet Chrysostomus : *cùm navim fuit ingressus turbantur maria, fluctus elevantur, & profundi pelagi arcana monstrantur.* Quibus positis dubium non leve præstò dubium est. Quare Deus tam properante manu plectit vatem, ut supplicium ejus ventorum celeritatem imitetur ? & Ninivitarum castigatio jussu Domini prædicatur ad quadragesimum diem differenda ? Quid præter unicam inobedientiam peccaverat Jonas ? nonne longè majora fuerant urbis infandæ facinora ? talia Theodoretus putavit, ut expendens verba Dei : *ascendit malitia ejus coram me,* sic exposuerit : *hoc est in tantam prolapsa est malitiam, ut patientia meæ fines transcenderit.* Quid ergo Deum tenuit, ut non citiùs flagelli remedio curaverit immanibus adeo delictis obviam ire; quinimò quadraginta dies adhuc spondeat patienter ? Quid impulit ut vatis fugæ mox ut portum reliquit occurreret ad servum fugacem reducendum ? Suspicor in majori discrimine constitutum Jonam judicatum fuisse à Domino, quam Ninivitas execrabiles : isti quippe palam peccaverunt ab hypocrisi valdè liberi : phrasis enim hæc, *ascendit malitia ejus coram me,* satis indicat peccata nullo tecta involucro. Non adeo periculosa res manifestum crimen, simile diurno latroni. Jonas peccaverat fugiens in Tharsis; tamen putabat se timere Dominum : & forsan timoris pallio tegere cupiebat noxam cùm dixit : *Dominum Deum cæli ego timeo.* Verus ille Dei metus non erat, aliter inobedientiæ aditum clauderet. Summo igitur versabatur in discrimine Jonas, utpotè peccator suomet judicio timoratus. Huic oportebat statim cælitus occurri terga danti, reducique ad præceptum Altissimi complendum. Detegamus faciem uni vel alteri fictitio timori.

Jonæ 3. 4.

Sanct. in Jonam c. 3.

Idem ad c. 1. Jonæ.

Chrysost. to. 1. hom. d. Jona.

Jonæ 1. 2.

Theodoret. in Jon. ibi.

Jon. 1. 9.

9. *Quandoque videtur timoratus qui fœdatur amore proprio.*

Exordiar ab eo quod reperitur frequentiùs : à pavore scili. irati Dei, tanquam æquissimi noxarum ultoris. An existimas hujusmodi terrorem semper exortem mendacij? Nonnunquam accidit ut non Dei formido sit ; sed affectus proprius. Virtutis florem putabas, latentem aspidem inveniisti. Adhuc sic metuens, amorem Dei nec à limine salutavit. *Si enim adhuc*, inquit Augustinus, *propter pœnam times Deum, nondum amas quem sic times : non bona desideras, sed mala*

S. Aug. to. 9. tract. 9. in c. Joan.

caves. Quem inveniſſe putabas Dei timore plenum, philautiæ nota dignum ſæpius deprehendes.

Regem Ezechiam perfectiſſimo Dei pavore tactum fortè crederes: lachrymas extorſit denuntiatio mortis, quâ ſic perculſus eſt; ut propheta dicente nomine Dei:
3.Reg.20.5. *& ecce ſanavi te, die tertio aſcendes templum Domini.* Ille præ horrore funeris, quaſi perturbata mente vix credens, poſtulavit
Ibi. n. 8. ſignum adimplendi oraculi. *Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: quod erit ſignum quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini?* Poſthàc peccavit rex idem cum theſauros, ac ſupellectilem regiam vanæ gloriæ captus amore legatis Babilonici regis oſtendit, de quo legitur: 2.Parali. 32. *ſed non juxta beneficia quæ acceperat retribuit, quia elevatum eſt cor ejus.* Venit ad eum vates, & minitatus eſt ventura mala pro ſuperbiæ pœna. Prædictioni rex ita videtur ſe pavidum exhibuiſſe, quòd jam non ſicut priùs fuerit auſus Divinæ ſententiæ revocationem flagitare; ſed probaverit
Iſai. 39. 8. ſupernum judicium dicens: *bonum verbum Domini quod locutus eſt.* Credis illum perfectè timentem? Vide quomodò tunc ſub facie timoris Dei amor proprius delituerit. Denuntiaverat Iſaias ex Ezechiæ ſtirpe deducendos captivos in Babylonem. Quid
Ibid. ille tunc? *Et dixit: Fiat tantum pax & veritas in diebus meis:* quaſi diceret: de hoc quod accidet poſteritati meæ parum curo, dummodò perducar illæſus ad vitæ finem. Dilectio ſui latebat ubi Divinum timorem exactiſſimum forſan exiſtimabas. Ezechiam reprehendit Hieronymus in hæc Verba:
S.Hiero. to. 5. l. 11. in Iſai. c.39. *debuit peccatum ſuum cum David confiteri & iram Dei removere à poſteris, aut compati cum Moyſe qui dicit: dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti. Quod quia non fecit propterea non reſpondet ei, ſed converſus ad populum dicit: Conſolamini* &c. Quidni confeſſionem peccati prætermitteret is qui tumens animo quamvis acceptans Dei ſententiam, ejus timore vero carebat, & amorem proprium aluit corde? Virtutum faſcinatio, ſcelerum ſentina, peſtis animæ, dilectio inordinata ſui.

10. *Amor proprius virtutis facie tectus pejora docet quàm diabolus.* S.Aug.to.8. pſ.122.n. 4. Placere Deo nequit ſuimet inſanus amator: *placeat*, inquit Auguſtinus, *tibi Deus, ut placeas tu illi, ſed tibi ille placere non poterit, niſi tu tibi diſplicueris.* Hem! tam arduus eſt Dei amor, ut ex difficillimâ diſplicentiâ pendeat, qualis eſt ea quam de ſe concipit quiſque! ô quàm raros Deus habet igitur amatores! Sed parum eſt ſi tantum aſſeram philautiam opponi dilectioni Dei: quin potius omnium virtutum perpetuus hoſtis eſt. Communem optimo jure dixeris inimicum totius boni: quamvis hæc nequiſſima perverſitas dæmoni ſoli vulgò ſoleat appropriari. Ne dubites amorem proprium contectum ſpecie virtutis diabolo pejora docere. Rationem adijcio. Satan appetitui noſtro non proponit amandam ipſam nequitiam, quia turpis hæc eſt; ſed objicit picturata bona quæ diligat. Amor autem proprius ipſam diligere malitiam ſuadet, quantumvis deformem. *Malitia fœda erat & amavi eam. Amavi perire, amavi defectum meum, non illud ad quod deficiebam, ſed ipſum defectum meum amavi.* Sic de ſe faſſus eſt Auguſtinus. Diabolicâ proinde nequior eſt diſciplinâ cæcus amor noſtrûm in ſuadendo mala. Idem to.1.l. 2. confeſ. c. 4.

Recuſas credere? Audi Gentium Præceptorem ad Timotheum: *erunt homines ſe ipſos amantes*: & poſtquam dilectionis propriæ multiplices & peſſimas enumeravit proles, conſulit hos dilectores evitandos. *Et hos devita.* Paululùm ad priorem epiſtolam tranſmiſſam eidem alumno retrocede. Vaticinatur Apoſtolus ibi quoſdam futuros homines peſſimos: nec tamen ut evitarentur monuit. *Spiritus autem manifeſte dicit quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum* &c. Iſtos execrandos adeò, non monet vitari oportere ab illis, qui degerent eorum temporibus? Paulus equidem non ad ſolum Timothei profectum ſcribebat iſta: nam paulò poſt ait. *Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu* &c. Non ignorabat hujus epiſtolæ doctrinam etiam ad illa noviſſima tempora perventuram. Igitur quare non ait: qui ſupervixerint ætate poſtremâ fugiant homines illos dæmonum diſcipulos, veluti peſtes: prout epiſtolâ ſecundâ Timotheum hortatur ut eos declinet quorum ibi mentio? Animadverte utriuſque loci diſſtantiam. In epiſtola priori ſermo de doctrinâ dæmoniorum eſt ad illos homines tranſmiſsâ: *attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*; in poſteriori loquebatur de ſuimet amatoribus, colorem virtutis præ ſe ferentibus: *erunt homines ſe ipſos amantes*: & poſt pauca: *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos divita*, inquit: putavit enim ab amore proprio iſtis docenda pejora, quæ ſocietatis contagio poſſent à diſcipulo contrahi, niſi fugeret; quàm ab ipſa doctrina dæmoniorum ſceleratiſſimis hominibus traditâ metui valeant. Et expende quanta pullulent ex mala radice peſſimi fructus: *erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti*, &c. Tot peccata ſequelas appoſuit, ut cætera linquam daturus Auguſtinum, & Angelicum, ne putes ibi meram ſcriptam ſucceſſionem criminum, & non potiùs cum amore proprio tanquam germina connecti. *Cum enim dixiſſet Apoſtolus* (ait Aug.) *erunt homines ſe ipſos amantes, adjunxit, erunt amatores pecuniæ, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, irreligioſi, ſine affectione immites &c. voluptatum amatores magis quam Dei. Hæc omnia mala ab eo velut fonte manantia, quod primum poſuit, ſe ipſos amantes.* Similiter loquitur Doctor Angelicus ad eum locum: *primò ponit iniquitatis radicem. Secundò diverſas ejus ſpecies. Radix autem totius iniquitatis eſt amor ſui ipſius.* Non deerit qui virtutis umbrâ deluſus dicat: quid ergo? Reprehenditur amor noſtri? Noſque diligere tenemur ipſos? Dubiolum ſolvunt Auguſtini

2.ad Tim. 3.2.
Ibi n. 5.
1. ad Timo. 4. 1.
Ibi. n.6.
2.ad. Tim. 3. 5.
Ibi. n. 2.
S.Aug. to.9 tract. 123. in Joan.
D. Thom. in ep. 2. ad Timo. c. 3. lect.1.

gustini verba de amore Dei & proprio sic loquentis, *cum verò ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo, magis diligit, qui propterea se non diligit, ut eum diligat de quo vivit.*

Aug. proxime sup.

11. *Superbia hypocrisim timoris Dei quærit ut lateat.*

Sub facie timoris Dei reconditum ignem amoris proprij vidimus. Nunc & superbiam aliquando vestitam eodem pallio dignosce. Cum delictum, ut sæpe dixi, latro sit animæ bona diripiens, mirum non est quòd alienis vestibus uti soleat: vel, quòd in idem recidit, virtutum se tegat paludamento: *vestes enim nostræ virtutes sunt*, ut S. Bernardus ait. Hinc fit quod passim apud homines *imitatur virtutem improbitas*, ait Cyrillus Jerosol. *& zizania contendit triticum videri.* Ut alia nunc omittam, solet superbia personam agere timoris Dei, cupiens vitare fœdam tyrannidis notam.

D. Bern. ser. 3. quadr.

Cyrill. Ierosol. catechel. 4.

Cum petulans Ægyptia castum sollicitasset Josephum, ipse resistentiæ munimen à gratitudine sumpsit, cum posset eam à timore Dei mutuare. *Bona quæ assecutus fuerat, repente memoriæ intulit, & malum quod se pulsabat evicit, quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit.* Hæc D. Gregorius M. En Josephus ut vinceret impudicam advocavit gratitudinem in auxilium, ac siluit de timore Dei. Postea cùm jam fortunæ rota stare loco nescia Proregem constituerat Egypti quem presserat antea: sistuntur coram ipso fratres ejus fame jubente. Quos ille velut ignotos examinat, imo suspicionem purgare cogit inconfidentiæ per adductionem Benjamini, Simeonemque præcipit ligari priusquam illos dimitteret qui jam trium dierum custodiam passi fuerant. Audiendum quibus verbis utatur. *Facite quæ dixi & vivetis: Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere:* &c. scio Joseph in hoc non peccavisse: nam per ea quibus fratres durè tractavit, illi *de peccato suo præterito dolere, ac pœnitere compellebantur. Joseph porrò in his omnibus, aliisque memoratis in hâc historia Mosis, divinitus agebatur & regebatur.* Sic Thomas Anglicus. Attamen plus Dei timorem ostendit Josephus dominæ suæ libidini reluctans, quam fratres affligens. Imò prima facie calumniam inferre visus est appellans exploratores, & veluti læsæ majestatis non leviter suspectos carceri mancipans. Eccur ait *Deum enim timeo*; quod non dixit cùm adulterium trepidavit? Quia coram fratribus, cum se ab eis permisit adorari, & ut reos criminis, cujus erant exortes, incarcerari fecit, induit superbiæ larvam, tyrannidisque theatralem personam: quam ut de sæculi more solito exornatam exhiberet, Dei timore se duci protulit: *Deum enim timeo.* Appositè Lipomanus: *Deum timere se dicit, ne gratis affligere & per injuriam videatur innoxios, & ne quid nimis, sed ad veritatis investigationem citius procedat.* Imitatus est superbos humillimus, qui prætendunt elationi suæ Divini timoris umbram.

S. Greg. M. to. 1. l. 30. mora c. 18.

Gen. 42. 18. 19.

Thom. Anglicus relatus à Lerer. in Gen.

Lipoman. cate. in Gen. 42 18.

12. *Quod videtur judicij*

Erit-ne saltem verus timor judicij finalis, ad cujus memoriam expavescimus. Nec semper. Aliquoties non metus est ille judicaturi; sed amor vitæ, seu famæ nimia cupiditas: aut fortè quid pejus. Ore tenus multi pavent venturi judicis majestatem: subque verbis pavorem significantibus latet scelus inexcusabile.

timor divini, nihil minus est aliquando quàm id quod sonat.

Instante jam die judicij terrorem illius insinuabunt plures Joanne teste: *& dicunt montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare?* Vides quàm tristè resonet judicij timoris Echo? Si cupis quid illis vocibus recondatur, & quàm longe disparatum à timore Dei sit, quin potiùs ei contrarium discernere: doctorem Aquinatem consule, sic exponentem. *Posset etiam intelligi de multis qui fidem tempore Antichristi deserent. ... qui æstimantes diem judicij instare, invocabunt auxilia dæmonum, ut eos ab ira judicis liberent, quos secuti sunt. Abscondite: idest abscondent, hoc est subsidium quærent in speluncis & petris, idest in refugio & defensione dæmonum.* Voces timorem Dei sonant, & exitiale subtus conditur venenum! Proh dolor. Multis accidit quòd se verum Domini tremorem habere putent, & eo careant; quod est res aleæ plena. Vis-ne signum quo probe dijudices tuus-ne Dei terror sit verax, an fucatus? Tradit Bernardus. *Convertatur proinde amor tuus ut nihil omnino deligas nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus: quia perversus est timor omnis quo metuis aliquid præter eum, & non propter eum.* Tene regulam sapientis magistri: formidoque tua similis erit ei de qua dicitur: *timor Domini apponet dies.*

Apocal. 6. 16. 17.

D. Thom. in Apoc. ibi.

S. Bern. ser. 2. in capite jeiun.

DELIBATIO II.

Errores quorundam imperfectè timentium Deum.

13.

Vitiata per originarium delictum natura jam non solis ægrotat morbis: ipsis ægritudo miscetur in medelis. Unus ex languoribus per noxam in Protoplasto contractam ad nos transmissus, error intellectus est. Medicinam timorem Dei esse cunctorum criminum sanandis ulceribus, nemini dubium. Sed heu mixta medicamento reperitur infirmitas: metus nempe divinus plurimo sæpius vitiatur errore.

Timorem Dei non in corde locant aliqui.

Primus illius pavoris defectus est quoad locum: non enim hæc formido corde residet; ibi quidem oportebat collocari: primò quia, prout vulgò creditur, cor ventura præsagire videtur, & proprium timentis est malis ita præcoquâ vigilantiâ præire, quòd ea vaticinari fere putari possit. Secundò quia comes horroris vigilia: ergo terror constituatur ubi rationales aguntur excubiæ, præcordiis nempe: nam ibidem residet mens. *Cor mentis quædam sedes est.* Tertio quia sapientiam timor Dei germinat: in cordibus habitet igitur iste, ubi floret illud germen: quippe *cor sapientiæ locus est,* asserente

S. Greg. Nyss. orat. 1. de Resurr. Chrysost. to.

2. hom. 38. oper. imperf. in Matth. 15. 19. asserente Chrysostomo. Quartò quoniam in corde nascitur hominis malum testante Veritate summa: *de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidæ, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Pluries trepidatio Dei hominibus inest, sed præcordia non tangit.

Eccli. 16. 19. 20. Siracides tremendam proponens Altissimi severitatem, ait: *montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor &c.* Commentatur Rabanus: *per montes enim & colles potentium persona demonstratur: & per fundamenta terræ consilia mentium humanarum. Hæc ergo ad intuitum Dei contremiscunt.* Quomodò stare possit hæc expositio cùm posterioribus verbis ejusdem textus non capio. *Et*, inquit, *in omnibus his insensatum est cor.* Ex phrasi Salomonis, quam Ecclesiasticus imitari solet, insensatum idem valet ac nequam, juxta illud: *pugnabit cùm illo orbis terrarum contra insensatos.* Qualiter autem fieri quibit, quod homo, simul Deum paveat, & cor ejus adhuc perseveret iniquum: nisi dicamus quòd timorem non in corde recondunt; sed in superficie pectoris amovibile facillimè collocare soliti sunt? *Cor hominis* (ait Cornelius à Lapi. nomine Siracidis fatus ad hunc locum) *non penetrat, nec pro dignitate æstimat, & ponderat ea quæ dixi de Dei efficaci inspectione, judicio, & vindicta. Unde ea, ut par est, non metuit, nec ejus offensam & peccatum exhorret, perinde ac si insensatum esset.* Cor itaque timore Dei vacuum est, quod oportebat ejus clavis transfigi ne deflecteret à recto. Metus extra positus in loco non suo moratur.

Raban. ad eum locum.

Sapi. 5. 21.

Cornel. à Lap. in Eccli. 16. proximè.

14. *Timoris fervor parum durat quia corde non habitat.* S. Isido. Hispal. l. 3. sentent. c. 24. Ideo fortassis adeò facile periit in homine Dei terror, quia cùm in corde sedem non habeat fictus est: & *quæ simulata sunt*, ait S. Isidorus Hispal. *diuturna esse non possunt.* Si crimina non abhorrens pertimescis futura supplicia, pavet intellectus; dum trepidas memoratus præterita flagella, tantum horret memoria, cor autem neutiquam. Ne quæras cur tam citò declinet ille timor qui visceribus non habitat.

Eccli. 17. 4. De Protoparente loquens Ecclesiasticus ait: *posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.* Non in medullis brutorum hominis metum Dominum pósuisse dixit. Aliter de timore divino locutus est apud Jeremiam Deus olim dicens; & *timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Nonne Deus patris & amici loco habendus erat? an non diligendus ex tota mente charitate perfecta quæ metum foras mittit? Animalia quidem nec hominis amicitiam capiunt, nec filiationem assequuntur. Quare dilectioni Dei miscebitur in humano corde timor? cur non aliam sortietur habitationem? econtra brutis, quæ non filialiter homini servient, eccur non invisceratur hominum timor? Quia pavor animantium erga homines non erat in ea perfectione, quâ cœpit, mansurus; imò brevi fuerat occasione culpæ minuendus. *Per peccatum* (ait inibi Cornelius à Lapi.) *accisus est hic animalium timor æquè ac dominium hominis in illa. Cùm enim homo inobediens fuit Deo, justo Dei judicio, & vindictâ, inobedientia sibi sensit pariter animalia.* Atverò timorem suum Deus volebat integerrimè permanere, sicut ex illis verbis colligere licet: *ut non recedant à me.* Ideo metus iste mittendus erat in corda: hæc est congrua timoris Dei sedes.

Jerem. 32. 40.

Corn. à Lap. in Eccli. 17.

15. *Timet ac non timet Deum qui solis oculis metuit illum.* Et utinam (quod paulò priùs gratis dedi) pretiosum timorem Domini servaret homo thesauro memoriæ, præteritas plagas non oblitus: vel prospiciens futuras eundem committeret intellectui. Frequentiùs contingit ut oculis, & auribus, hospitetur Dei pavor: hoc est: nec præterita memoramur, neque futura pavescimus; illa tantùm tremimus quæ mala præsentia sunt ita ut oculis, auribusve percipiantur. Tempestivè M. Gregorius. *Sunt plerique ita hebetes ut formidare nesciant, nisi quod corporaliter vident. Unde fit ut Deum non metuant, quem videre non possunt.* De illis qui solo visu timent, asseverari potest non metuere Deum. Et cum aliqua vitent peccata, non abs re loquetur qui asseruerit eos pavere; simul & non pavere Dominum.

D. Greg. M. to. 1. l. 15. mora. c. 15.

Revertamur ad Siracidem, & hauriamus plenissimos ejus doctrinæ latices. Agens de illo qui peccans in tenebris luxuriosâ correptus insaniâ, parietum & umbrarum patrocinio neminem se vereri posse credens, qui videtur à nullo, ait: *expellit à se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum.* Scio locum istum explicari solere de pugnâ timoris divini cùm humano. Sed nihil vetat præter illum sensum, probabiliter verba Siracidis exponere sic ut in homine, de quo ibi, pugnet metus Dei cùm ipsomet pavore, seque propellat ipsum. Is cujus eo loco fit mentio, licet perfectè Deum non metuat, aliquali tamen ipsius pavore concutitur: non enim textus ait illum asserere: Deus meum non puniet crimen sed: *delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Hoc est superbè de clementiâ Dei præsumere; non verò eum non timendum esse putare. Huic interpretationi solùm poterit obesse quòd videtur difficile timorem expellere semetipsum. In hoc nullatenus hæreas. Existima timorem verum expellere falsum. Et quare sic in isto se res habet homine? Quia Deum timet oculis; non corde, prout sequentia textus indigitant: *& oculi hominum timentes illum.* Igitur metuit & non metuit Altissimum qui terrorem ejus collocavit in oculis.

Eccli. 23. 27.

Ibid. n. 26.

16. *Pietatē Dei non meretur qui per oculos accepta monita non amplectitur.* Quamvis tamen imperfectus nimiùm sit pavor iste qui sola Dei flagella, quæ præsentia cernit, perhorret; cæteros metuendi causas præterit cæca temeritate præceps: nihilominus inexcusabilem reddit peccatorem, qui postquam per visum intrusa percepit horrescendi motiva, non emendationi sedulus incumbit; sed in peccato jacet. *Non habet veniæ locum qui delinquit admonitus,* ait Cassiodorus. Multò minus excusabilis erit si proprios oculos monitores habens non declinet à semita perditionis. Divinam demeretur pietatem qui per lumina territus non resipiscit: nullâ quippe tergiversatione

Cassiod. 4. variarum 29.

versatione valebit colorare tumorem animi.

Baltassar ebrietatem sacrilegio consocians, convivas exhilarare cupiens, vasa templi sacra profanis potationibus inservire jubens divinam irritavit iram. In eâdem horâ ferale decretum scribit cælitus missa manus, quod regem perterruit valdè. Pauca verba designabant irarum copiam: regnum Scili. completum esse Monarchæ, fastu vano tumidi: qui staterâ justâ fideliter appensus inventus est minus habens; divisumque imperium, ad Medos & Persas transiturum. Nec mora:
Daniel. 5. 30. statim gladius incepit eximi. *Eâdem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldæus.* Nonne mors hæc inflicta fuit ab illo moderatore
Sapi. 12. 19. supremo, de quo Sapiens ait: *judicans das locum in peccatis pœnitentiæ?* Quare tam citò vitam & pœnitendi spatia concluſit fastuoso regi? Peccaverat enormiter ejus parens, & huic tempora laxata sunt ut meliora
Dani. 4. 29. saperet: *septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Imò (ne longiùs abeamus) convivæ qui biberunt ad regis mensam in iisdem vasis, graviter peccaverunt. Cur non & ipsi festinâ morte pereunt? Quia, prout est probabile, solus Baltassar vidit articulos manus, quâ visione conterritus est; cæteri minimè con-
Hugo Card. in Dani. 5. tuiti fuerunt. *Dicitur autem quod rex solus visionem manus vidit: litteras tamen scriptas alij viderunt.* Sic Hugo Cardi. Unde rex, qui metuendi motivum percepit oculis, inexcusabilis erat. Nabuchodonosor aliter. Quamvis per somnium arboris fuerit edoctus de futuris, non tamen illam excepit intuitu corporeo. Non illum excuso; sed gnato minùs indignum veniâ judico. Baltassari, qui cùm cælestem aspexerit monitionem fatalia portendentem, neu pœnituit, non erat quare Deus inducias concederet ampliores. Dixi probabile quòd solus Baltassar manum viderit; non reliqui. Sic insinuat ipse textus,
Danie. 5. 5. cùm de solo rege narrat: *& rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Id placuit Lirano
Lira ibi. in hunc locum. *Hic non dicitur quod alij viderunt* (ait ille) *ex quo videtur quòd non erat ibi manus scribens secundum existentiam, quia talia communiter videntur ab omnibus assistentibus, sed solùm erat talis apparitio in oculis regis.* Duo Liranus asseruit: primum quòd solus viderit Baltassar: secundum quòd ibi verè non fuerit scribens manus. Utrumque rejiciunt Cornelius à Lapi. Sanctius, & Pererius in eum locum. Quidquid de secunda parte sit, priorem non satis impugnant. A Lapide nihil affert ex quo Liræ placitum respuamus: qui sanè conjecturam suam deducit ex textu dicente: *rex aspiciebat.* Sanctius arguit quia sapientes, qui postea scripturam legere non valuerunt, verba sunt intuiti. Non leviter insignis commentator conjicit; sed non convincit: nam potuit aperire sapientibus Deus quod celaverat optimatibus, ut aruspices nescientiam suam compressis labiis faterentur, & clarescceret inde postea Daniel. Fortior videtur ratio hæc: ad quid postquam textus retulit apparuisse digitos, adderet: *rex aspiciebat,* nisi solus intueretur ille? Pererius denique solùm adducit contra Liram, quod ejus opinio non exprimitur in Sacra Pagina. Respondeo: si foret expressum, non esset opinio, sed fide sanctum. Quod idem addit, scili. ideo de solo rege dictum aspexisse, quia solus ipse fuit in causa, cur manus à Deo mitteretur, non stat: nam etiam alij sacrilegi fuere: *biberunt in eis rex, & optimates ejus,* Ibi n. 3. & *uxores & concubinæ illius. Bibebant vinum,* 4. *& laudabant Deos suos.* Hæc dicta sint pro tuendâ probabilitate de quâ suprà. Nunc ad thematis nostri scopum revertar.

17. Adnotabam timorem Dei collocatum in visu & auditu. De palpebris jam vidisti: modò pro auribus nonnihil audies. In his Dei formidinem habere puto quosdam: qui cùm periculum sic instet è vicino, quod ferè cerni possit, veluti longè positum reputant audire veniens à longinquo. Loquuntur isti non absimiliter eis qui dicebant apud Ezechielem: *visio quam hic videt, in dies mul-* Ezechi. 12. *tos: & in tempora longa iste prophetat.* Istius- 27. modi præsumentes coërcendi sunt verbis Augustini. *Scio ego, & mecum omnis homo, qui paulò attentiùs consideraverit, neminem Deum timentem sub verbis eius non se corrigere, nisi qui putat quia plus habet vivere. Ipsa res est* S. Aug. to. *quæ multos occidit, cùm dicunt, cras, cras, &* 10. ser. 16. de *subito ostium clauditur.* Etiam in temporali- verbis Domi. bus vellem ut videas quantùm in hac re caligent mortales.

Quasi longè positum falsò putant homines quod timent.

Adi flebilem vatem: qui suscipiens personam Judæorum timentium hostiles incursus, ait eorum nomine. *Audivimus famam ejus,* Jerem. 6. 24. *dissolutæ sunt manus nostræ:* exponit Maldonat. ibidem: *idest solâ auditione crudelitatis* Maldon. in *ejus exanimati sumus.* Addit Propheta. *No-* Jerem. 6. ibi. *lite exire ad agros, & in via ne ambuletis:* Jerem. 6. 25. *quoniam gladius inimici pavor in circuitu.* Commentatur Maldon. *inducit Judæos lo-* Maldon. *quentes alios aliis, quemadmodum si hostes* ibid. *jam obsiderent civitatem.* Quomodò sibi cohærent ista? Jam gladius *in circuitu* vibratur? & adhuc res judicatur ex auditu rumoris? *Audivimus famam ejus.* Confusè valdè munia sensus exercent humani. Ut audiat, quasi procul dissitum, quod tremiscit homo, tunc aures admovet, cùm jam ferè patet oculis. Metum Dei flagellantis ille gestare dici valet in auriculis: utpote qui semper valdè remotum distare credit quod perhorret. Ab his omnibus manet apertus error primus perperam timentium Deum: quibus extra cor metus inhabitat: non est hic ille de quo promittitur in textu nostro? *timor Domini apponet dies.*

DELIBATIO III.

Errant alij circa timorem Dei diversimodè.

18. MAteriam persequar cœptam sub titulo præcedenti. Secundus error metuentium Dei severam animadversionem est ab eodem fugere: seu quò melius dicam, fugam desiderare. Viam sine termino dari ne-

quire docent philoſophi. Dum video creaturam fugitantem à Deo, qui præſens intimè replet omnia (parcant inconcuſſa dogmata philoſophiæ) non poſſum non objicere ſapientibus : en viam ſine termino : nam quò tendit qui Deum declinare cupit infeſtum? *Diſcedenti à Spiritu Dei nullus invenitur locus qui ejus præſentia & poteſtate ſit vacuus; nemo iram ejus fugit niſi qui ad iratum confugit.* Ne curſim libes energiam verborum Proſperi : non enim ait : niſi qui ad placatum Deum tendit; ſed : *niſi qui ad iratum confugit :* etenim Dominus etiam indignatus quærendus eſt. Miſerrimus qui fugam ab illo tentat; minus malum foret in gehennam detrudi.

S. Proſp. in pſ. 138. 7.

Guſtavit ex ligno vetito noxiale pomum ductas maleſuadæ fœminæ manu Protoplaſtus. Et cum Dei vocem audiſſet, quæſivit fugiens arborum leve præſidium. Tunc Deus ab eo percontatus eſt ubi eſſet. *Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei : ubi es.* Ad quæ verba ſic fatur Ambroſius Dei nomine : *ubi ergo es? hoc eſt : non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu. Quò te perduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas?* Belle. Sed video cecidiſſe diabolum graviore lapſu, cum ruerit ex altiori loco; nec tamen Dominus ab eo ſciſcitatus eſt ubi es angele nequam? quo te perduxit ſuperbia? Non ita loquitur quia minus miſerabiliter corruit Satan ac Adamus : ille quippe lapſus eſt in tartarum; primus autem parens diffugit à Deo : quod infortunatius eſt præ cuncta malorum congerie.

Gen. 3. 9.

S. Ambr. to. 1. l. d. paradiſ. c. 14.

19. *Nollet Deus ut affirmari poſſet perteruiſſe hominem.*

Ne tibi ſuadeas hoc nequaquam egredi concionatoriam exaggerationem : non hyperbole; ſolidiſſima veritas eſt. Malum Theologi dividunt in malum culpæ, ac malum pœnæ : primum vocant ſimpliciter malum, ideſt ſine addito explicante, vel minuente. Secundum vero nominant malum ſecundùm quid : ſcilicet quod tale propriè non dicitur, niſi voci huic aliquid addas. Ita Philoſophi dicunt picturam humanam eſſe hominem ſecundùm quid; vivum autem appellant hominem ſimpliciter. Ecce quam diſtet malum pœnæ à malo culpæ : non minus diſcordant, quam homo pictus à verò. Tormenta barathri mala pœnæ ſunt; à Deo fugere ſcelus eſt : quidni dicerem fugam iſtam eſſe miſerabiliorem averno? Scelus, inquam, eſt, & adeo peſſimum, quod velut honoris diſpendium ſui Divina clementia peculiariter execratur illud. *Decet quippe hoc Divinam majeſtatem & celſitudinem ut fugientes ad ſe non deſerat, & ſperantes in ſe non confundat, ſed protegat & defendat.* Nedum indecens erit Clementiſſimum ſi terrore dicatur obſtruere aditum ne pateat homini? Idcirco Deus nollet ut affirmari poſſet perteruiſſe hominem, quem impensè diligit, ita ut is ab eo profugerit mœrore confectus.

S. Thom. à Villano. ſer. 1. Dom. 1. Quadrag.

Antequam ſacros ad hujuſcemodi rem evolvamus annales præmittendum eſt quæſtionem inſtitui factæ-ne ſint in veteri teſtamento apparitiones Dei per angelum, qui perſonam gerebat Creatoris; an per ipſum Dominum immediate ſub aliqua ſpecie ſenſibili? Loquar nunc juxta poſteriorem partem, cui Tertull. Hilar. Ambr. & Chryſoſ. adſtipulantur. Hoc poſito quærendum cur Deus Adamo comparuerit in humana figura? Sic inſinuat modus loquendi ſacri textus : *deambulantis in paradiſo ad auram :* & expreſſe id affirmat Caietanus. *In ſpecie ſenſibilis,* inquit, *hominis apparuiſſe Deum deſcribitur, ex eo quòd deſcribitur tum loquens, tum ambulans tanquàm ad refrigerium percipiendum ex aurâ diei, tum formidatus corporaliter ab Adam, & Heva abſcondentibus ſe.* Non pariter in rubo ſe Moyſi Dominum revelaſſe memini : non hominis ibi forma; ſed ignis flamma viſa eſt. *Deus itaque hîc Moyſi nullam aliam ſui ſpeciem exhibuit niſi ignis.* Ita Cornelius à Lapi. diſparitatis hujus cauſam veſtiganti pervia fuit hæc : Moyſes in fugam ſe conjecturus non erat; Adamus verò maxime: *abſcondit ſe Adam & uxor ejus à facie Domini.* Igitur Deus adſtitit Protoparenti humanâ formâ, permittens ut putetur non à Deo; ſed à figura hominis irati diffugiſſe : quaſi vellet à ſe notam inclementiæ propulſare Dominus objecit humanam ſpeciem, quam paviſſe credent multi primum genitorem : & ita Deus à ſeveritatis nimiæ calumniâ ſeſe tueri voluit. Hæc in mundi primordiis quando longè Deus aberat, ut frater noſtrûm omnium per carnis aſſumptionem fieri dignaretur. Quantò fortiori ratione modò, cum homo factus exhibuit mortali conſpectui quod amarent facillimè, tamquam ſui generis prolem, nos formidine proſtratos nollet? Merito Chryſologus introducit loquentem Dei Filium ſic : *Videte, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa veſtra, veſtrum ſanguinem. Et ſi quod Dei eſt timetis quare vel quod veſtrum eſt non amatis? ſi Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem?* An ſtultum non eſt effugere clementer allicientem? Fugam iſtam in timore novitio, ſeu non perfecto, vocavi errorem ſecundum ordinem; nunc illum dicam inordinatum & nulli ſecundum.

Tertull. l. 2. contra Marcion. S. Hilar. l. 4. d. Trini. Chryſoſ. to. 3. in Act. 7. Gen. 38. Caietan. in Gen. ibi.

Cornel. à Lapid. in 3. Exod.

Gen. 3. 8.

Chryſolo. ſer. 108.

20. *Deum non pavet homo niſi quia vetetur petitionis repulſam.*

Tertium iſtius formidinis vitium eſt ſollummodò tunc timere Deum, cum temporales proventus ab eo poſtulamus. Vix aliquis virtutem amplectitur ipſam, ſæcularia præmia ſi deſint. Miſcetur inopportunè mundialis utilitas amori ſanctitatis. *Si autem habes,* inquit Auguſtinus, *intentionem ad vitam æternam, ſed ſurrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, ut attendas etiam quando facis opus bonum ut hic tibi aliquid retribuatur, miſcet ſe ſiniſtra operibus dexteræ, & hoc vetat Deus.* En Auguſtinus damnat temporaneorum affectum ſocium intentionis ad perpetuam fœlicitatem properantis. Quid ille diceret de ſollicitantibus unicè per virtutis meritum futillima bona? Communiter hoc ſolent homines : Deum non timent niſi quia vitæ commodum, quod ſinguli depoſcunt, expectant.

S. Aug. to. 8. in pſ. 120.

Suaſére Dario callidiſſimè ſubdoli adulatores quod præciperet ut nemo quidquam auderet intra dies triginta rogare quemcumque

que deum vel hominem nisi Darium. Daniel imperatorium decretum non curans orabat verum Dominum: quem dum observassent invidi contra latum editum precantem, detulerunt ad regem. Comprehenditur vates, & mittitur in lacum leonum. Quibus prophetam illæsum relinquentibus, & in delatores vindictâ per eos executioni data, princeps Babylonicus in admirationem prodigio raptus, in hunc modum populis universis rescripsit: *A me constitutum est decretum ut in universo imperio meo, & regno meo, tremiscant, & paveant Deum Danielis*: ubi Cornelius à Lapi: *hinc videtur Darius verè ad Deum fuisse conversus*: &c. si verum agnoscit Israëlis Deum imperator cur non derogat illi decreto quod statuerat prius? quare non præcipit ut petitiones offerantur Deo Danielis, quem jam novit cuncta potentem? Quia supervacaneum duxit hoc expressis verbis jubere. Nonne præcipiebat ut omnes Deum Israëliticum timerent? *tremiscant & paveant Deum Danielis*. Et quisnam paveret eum nisi speraret ab illo consequi postulata? Suis contremiscere Dominum jussit; de petitione mundanarum rerum siluit consultò: supponebat enim tanquàm indubium, nemini Deum fore timori, nisi priùs ab illo perituras fœlicitates postulans expectaret, quarum denegatio metum donantis persuaderet. Ita solent mortales; attamen exerrant à vero fine timoris, dum istum, quem pro spiritualibus lucris consuluisse debuerant, ad evanida trahere non pudeat.

Daniel. 6. 26.

A Lap. in. 6. Daniel. ibi.

21. *Spes nitatur in timore Dei; non contrario.* S. Bern. in ps. qui hab. ser. 15.

Non, inquam, timoris fundamentum sit spes; sed potiùs econtra præbeat expectatio virtuoso metui fulcimentum. Audiendus in hac re Bernardus. *Est autem*, inquit, *is ipse timor firmissima quidem materia spei: si quis prudenter advertat. Siquidem maximum Dei donum timor iste: & ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum.* Itaque consultissimum est ut neutiquam pavor in expectatione radices agat; sed econtrariò.

Prov. 14. 26.

Salomonem adeamus. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes.* Sententiam satis clausam adaperit Carthusianus. *Et filiis tuis, scili. Dei, seu filiis ejus, puta Divini timoris, erit spes efficax.* Et statim: *porro filij timoris vocantur qui valde intenti sunt ei, & enutriti in eo.* Affectus nostri, cum à nobis accipiant esse, nostramque referant imaginem, potius filij nostri dicendi videbantur quàm parentes. Quonam quæso stylo timoris filij dicuntur à Salomone quos appellamus timoratos? & mox ad quid agitur de horum spe? Ut credas quòd sicut non in filiorum spe pater suam collocat; sed potiùs in genitore gnati (à quo sperant multa dum permanet vita parentum, & posthàc prædivitem sortem hæreditatis): ita non timor, qui parens est, consistit nixus in spe justi; sed econversò rectorum præstolatio supra timoris fulcrum non inclinata, sed erecta recumbit. Invertit igitur affectuum suorum ordinem ille cui pro timoris adminiculo stat spes.

Dyonis. Carthus. in Prover. 14. ibi.

Quartus (ne dicam ultimus inter expertes ferè numero) committitur error ab iis, qui Gentibus assimilantur de quibus in historia Regum legitur: *Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes*: &c. Ita nonnulli pavent equidem Altissimum; sed vitiorum lutea simulchra non deserunt. Frustra conantur Deo placere per istam semivirtutem. *Impossibile est Deo fructificare & mundo, nequeunt hæc convenire simul.* Hæc S. Thomas à Villano. piè, sapienterque: nam vitium est virtutis expulsio; virtus autem vitio contradicit: hoc si diligas, illam penitus fugas: *cum enim* (verba sunt Ambrosij) *renuntiatur improbitati, statim accitur virtus, egressus enim malitiæ virtutis operatur ingressum, eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Hæc doctrina quam alibi jam inculcavi fl. 10. à n. 22. & fl. 16. à num. 42. ut quibusdam veluti dimidiatè piis fraudem qua semetipsos deludunt, aperirem: nunc denuo meditanda venit: sed ita quòd noscere te velim eam, quæ virtutibus universis communis est, in timore Dei peculiariter militare. Esto quòd reliquarum virtutum singulis non totus incumbas; timori non dimidium præbeas te servandum, sed integrum.

22. *Ad cæterà sufficit aliquando pars hominis, in timore Dei totus incumbat.* 4. Reg. 17. 41.

S. Thom. à Villano. ser. Dom. sexag.

S. Ambro. l. 1. d. Cain & Abel. c. 4.

Consulit Ecclesiasticus Spiritu sancto authore: *in tota anima tua time Dominum:* & post pauca: *propurga te cum brachiis.* Dionisius Carthusi. *ibi: purga te cum brachiis, idest cum bonis operibus.* Bona opera non brachiis videbantur assimilanda; sed potius gressibus: eo quòd virtus via sit quæ ducit ad vitam. Cur non hîc metaphora pedum, sed lacertorum textus utitur? Quia nostræ fragilitati se Spiritus S. accommodans permittit ut non totis artubus in via virtutis collaborent homines, utpote qui pro vitæ mortalis auxilio quærere plura suadet intredum infirmitas. Et quia pedes universos artus deferunt secum, non sic autem ulnæ: non plantis dixit hoc loco perge; sed: *propurga te cum brachiis.* Cum agit singulariter de timore Domini, non patitur hominis animum in hac re dimidiari. Proinde non contentus ut paveant integro corpore, monuit anima tota metui Deum. *In tota anima tua time Dominum.* Decipitur crassè qui per hemitimorem divinum se fidit à criminibus tutum: non de illo, sed verè de integro, tentationibusque vincendis integerrimo terrore Divinæ majestatis dictum accipe: *timor Domini apponet dies.*

Eccli. 7. 31. Ibi. n. 33.

Dyonis. Carth. ibi. ad n. 33.

DELIBATIO IV.

De triplici motivo timoris Dei.

23. *Beatus es si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro acceptâ gratiâ, amplius pro amissâ, longe plus pro recuperatâ.* Sic D. Bernardus. Tres istas excubias animæ nostræ congruit invigilare

S. Bern. ser. 54. in Cant.

re

re fortalitio. Penſita bellicum propugnaculum ad cujus latus ruina patet per incurſum facta hoſtilem, nondum reparata perfectè. Ad minus tres adhibentur cuſtodes perpetuò vigiles : primus ad clauſam januam, ſecundus ad perviam ruinam, tertius ad theſauri fores. Homo præſidium eſt militare : theſaurus anima repoſitas habens opes bello contra ſcelera gerendo : ruina criminis in voluntate pateſit adhuc non ita reſtaurata quòd non poſſit hoſtis ingredi : fores turris memoria ſunt beneficiorum Dei, quæ clauditur ingratitudini. Operæpretium eſt ut pro tuendo rationali munimento jugiter excubent ibidem tres metus : primus pro acceptâ gratiâ pervigilet in animæ arce, quâ gazæ condunt ur illæ : ſecundum ad voluntatis, & adhuc fatiſcentem, fracturam, ut pro gratiâ perditâ metuas : tertius inſomnis adſtet clauſis memoriæ foribus, quibus reſtauratæ beneficium amicitiæ cuſtoditur ab oblivione liberum, ne rapiatur ab impugnatore tanti muneris reminiſcentia.

Beneficierum Dei fructum potius ipſe vellet metũ, quam dilectionem quorundam.

Primus, inquam, timor ſit pro recepto gratiæ dono. Beneficia Dei quidem hominis debita ſunt quæ tum ſui magnitudine, tum ab excellentia donantis, adeo grandeſcunt, ut nullus ad æqualitatem ſolvendo ſit. Creditor non urget hominem importunus exactor ; attamen ea eſt largitionum congeries, ut juſtus ingemiſcat non valens acceptis reddere par. *Qui pecuniam mutuam ſumunt, ſi non habent unde reſtituant, ſed multo fœnore opprimantur, neque cibum capere, neque quietem poſſunt excruciati ſollicitudine, conſumptique vigiliis. Quomodò ergo juſtus non excrucietur, conſiderans non ſe in pecunia, ſed in morum actionibus eſſe debitorem ?* Hucuſque Chryſoſ. Sic benefactorum Dei, quibus juſtus cumulatur, extollit S. Doctor largitatem, ut ejuſdem timorem ſollicitum expendat. Quis crederet beneficâ Domini manu pavorem commoveri ? Putabam ſolam dilectionem illâ provocari : ſed nunc mihi ſuadeo Deum plùs de noſtrâ formidine quàm affectu ſatagere per bonorum ſuorum diſpendia. Illud Chriſti Domini *implete hydrias aqua*, myſticè D. Bernardus exponit inquiens : *Dicitur ergo miniſtris. Incutite metum, & ſpiritu timoris non tam vaſa quam corda replete : quia ut ad charitatem perveniant initiandi ſunt à timore : ut dicant & ipſi : A timore tuo concepimus Domine & parturivimus ſpiritum ſalutis.* Et quare terror prius concipitur ? Quia cùm nos hic à malo removeat, affectus verò Deo conjungat : cùmque mali fuga ſit præcipua pro vitandis periculis, Dominus per munera ſua plus curat quòd paveamus eum, quàm quòd ipſum dilectione gratâ proſequamur.

Chryſoſ. to. 5. l. 2. d. compunct. cord. ad finem.

Joan. 2. 7. S. Bern. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Epipha.

Congregatis in Sichem tribubus Iſraël, Joſuë Dei nomine rememoravit coram populo quanta divina liberalitas in eos contulerit per tot annorum ſeriem, uſque dum pollicitam regionem tradidit eis. Judicabam quòd ex his omnibus ad amorem Dei cohortaretur illos ? Non ita loquitur : ſed potius timorem extorquere conatur. *Dedique vobis terram in qua non laboraſtis, & urbes quas non ædificaſtis, ut habitaretis in eis : vineas & oliveta quæ non plantaſtis. Nunc ergo timete Dominum* &c. Poſt numerata beneficia quibus Deus Iſraëlem devinxerat, expectabam dicturum Joſuë : nunc ergo intelligite benefactorem tantum ſuper omnia diligendum. Infert ex donis metum quaſi legitimam ſequelam ? Loquebatur Conditoris vice dux æque ſtrenuus atque pius : & noverat Deum ampliorem de timore noſtro, quàm de parum nervoſo affectu curam agere : priùs enim ſtudendum eſt ut pertimeſcentes evitemus pericula.

Joſuë 24. 13. 14.

24. *Malum quod præceſſere bona durius angit.*

Metus itaque noſter opportuniſſimus eſt cùm gratiam accipimus : non ſolum quia Domino ſic morigeramur, ſed quoniam eâ tempeſtate quâ benevole tractamur, quidquid mali ſupervenerit longè terribilius eſt, quàm ſi non præceſſiſſent dona. Cùm patitur qui fœlix exultaverat antea, malis torquetur & bonis : malorum, inquam, tolerantiâ ; bonorum verò memoriâ : nam, ut Petrarcha dixit *ſæpe delectabilium mæſta recordatio eſt.* Enimverò quem Deus ob præviſa ſcelera decrevit acerbiùs punire, hunc priùs fœlicitat, ut poſtea duriùs multò ſentiat ictum. S. Zeno alloquens Iſraëlem ait : *manna de cælo guſtaſti, ut cùm eſſes ad egeſtatem poſtmodum devolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torquereris.* Cenſuit diſertiſſimus Antiſtes præmiſſi boni fortunâ ſubſequentem calamitatem incrementari.

Petrach. dialeg. 8. d. tempeſt. proſp. fortu.

S. Zeno ſer. 2. in Exod.

Ad Joſuë revertamur. Comminabatur Iſraëliticæ plebi : *Si dimiſeritis Dominum, & ſervieritis diis alienis, convertet ſe & affliget vos, atque ſubvertet, poſtquam vobis præſtiterit bona.* Trutinare te lentè vellem poſtrema verba : *poſtquam vobis præſtiterit bona.* Credo quòd ſi de collatis antea loqueretur, non de futuro diceret : *præſtiterit* ; ſed : præſtitit. Sole clarius puto ſic interpretandum textum. Nunc difficultas eminet. Poſtquam populus Dominum dimiſerit, ac idola coluerit, replebitur bonis ? Ita futurum erat, ut ſubſecuturæ cladis angor excreſceret dum in idololatriæ vindictam Deus priùs munera mitteret, poſtea flagra. *Affliget vos atque ſubvertet poſtquam vobis præſtiterit bona.* Penetrat acutiùs amaror guttura, quæ priùs guſtavere dulcia. Cùm igitur poſt accepti donarij lætiſſimam ſortem, damno cuipiam ſubjacere ſit moleſtiſſimum, prudens eſt ille metus, qui nos angit poſt acceptam à Deo gratiam.

Joſuë 24. 20.

25. *Plus peccatorem cædit manſuetudo quã ira Dei.*

Timendum etiam pro amiſsâ Dei gratiâ. Sique loquamur de illa quæ reddit homines Dei amicos : ô quam ingens metuendi cauſa eſt eam deperdidiſſe ! Protelatur ſupplicium poſtquam ex amicitia Domini cecidit homo : manet læſa, ſed intacta permanet patientia Dei : putatque miſer hujuſmodi benevolentiam non eſſe pertimeſcendam tanquam ultionem ? Melius eſſet ei ſi non tam benignè tractaretur homo ille. Miſericordiam Dei non omnes intelligunt ; licet cuncti diligant. *Intelligite fratres*, ait Auguſtinus, *miſericordiam Dei, quando caſtigat mundum, non vult damnare mundum.* Econtrariò verò contremiſcat reus cujus differtur punitio velut æger, cui deſperato nullum jam adhibetur medicamentum. *Hoc eſt terribile, hoc extremum,*

S. Aug. to. 10. ſer. 37. d. verb. Domi. fine.

Orig. to. 1.

hom.8. in c.20.Exod. *extremum, cùm jam non corripimur pro peccatis, cùm jam non corrigimur delinquentes. Tunc enim cùm exceſſerimus peccandi modum, Deus zelans avertit à nobis zelum ſuum, ut non iraſcatur amplius.* Plus peccatorem cædit manſuetudo quàm ira Dei.

Jerem. 25. 38. Deſcribit Jeremias iratum Dominum. *Dereliquit quaſi leo umbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Duo dixit vates: Deum dereliquiſſe terram, & deſtruxiſſe. Derelinquentem aſſimilavit leoni: dereliquit quaſi leo; deſolantem verò columbæ ſimilem ſupponit: *facta eſt terra in deſolationem à facie iræ columbæ.* Columba quidem animal imbelle; ſed leo belligerum. Quid ergo deſtructio Deo tribuitur habenti ſe velut columba? derelictio, quæ deſolatione minus malum eſt, adſcribitur eidem ſe gerenti ſicut leo? Motivum dubitandi ſimul erit & ratio decidendi. Columba manſuetiſſimus ales nulli pertimeſcendus; ferarum rex terrori ſolet eſſe, nec parcit reſiſtenti. Ut itaque cernas horribiliorem Dei manſuetudinem in delinquentes; quàm vindictam: Deus tunc vocatur columba cùm de graviori ſupplicio ſermo ſit: deſolatur columbinè mitis, qui derelinquit more leonis auſterus. Opportuniſſimè Gregorius M. *Furorem Domini iram columbæ nominavit: ut enim divinæ diſtrictionis vim imperturbabilem demonſtraret, & iram dixit & columbæ.* Sceleſtum exulem à ſe Deus patienter expectat ut reducat. Horreſcere clementiam vix poteris; vereor attamen inflictionem pœnæ differendam ad tribunal illud ubi judicium ſine miſericordiâ fiet ei qui noluit animæ ſuæ miſereri.

D.Greg.M. to.1. l.32. mora. c.7.

26. *Congruit pœnitenti non audere à tergo Domini accedere ad faciem.* Tertius pavor eſt pro reſtauratâ gratiâ. Tanquam ægrotus (non deſeram quam tetigi allegoriam) cujus licet aliqua deſiderio permittantur in ipſo morbi furore; tamen poſtquam convalere cœpit interdicuntur vel minima, ut non in ægritudinem reincidat: ſic etiam quamvis peccantis appetitui ſæpe non obſiſtamus; attamen poſt recuperatam ſalutem & parvula diſcrimina cavere conſultum eſt: recidiva quippe morbus periculoſiſſimus extat. Eruditè S. Fulgentius: *cùm cæleſtis medicina præceptis ſalutaribus æqualiter ſanis conſulat & infirmis: illis timorem juſtitiæ indicens, tanquàm ſalutis acceptæ cuſtodem: iſtis miſericordiæ beneficium pollicens, ut ſpei remedio ſublevati recipiant quam perdiderant ſoſpitatem. Timor enim juſtitiæ præcipitur ſanato, cui dicitur: ecce ſanus factus es, jam noli peccere, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ecce peccatis jacenti remedium aſſignatur ſpes ne labatur animo qui jam cecidit anima. Pœnitenti medicamen apponitur formido, ne ſuperbiat de conceſſa reatuum venia. *Non promittas*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *tibi periculoſam ſecuritatem de hoc quod peccata tua ſint tibi remiſſa, ſed metue inde.* Verumenimverò quamvis Deus in animam pœnitentem benevolos conjiciat oculos, ipſi congruit non audere, ſed pertimeſcere vel ipſius benigniſſimi conſpectum.

S.Fulgent.l. 1.d.remiſſ. pecca.c.10.

Dionyſ.Carthuſ.in c.4. Eccli.

Samuëlis tempore petiit Hebræa plebs regem cupiens in hoc reliquis aſſimilari nationibus. Dominus id permiſit, quamvis ab illis in hoc ſe deſpectum fuiſſe queſtus fuerit. Pœnituit facti poſtea populum, & ait ad Samuëlem: *Ora pro ſervis tuis ad Dominum Deum tuum ut non moriamur: addidimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis regem.* Vide quid ſuadeat pœnitentibus illis propheta: *verumtamen nolite recedere à tergo Domini.* Tergum quærant hortatur, & ibidem permanere monet? Sanè Deus peccata dolentibus convertit oculos juxta dictum per Jeremiam: *ponam oculos meos ſuper eos ad placandum*; dorſum autem vertit obſtinatis, prout oſtendunt verba Domini apud eundem: *dorſum & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum.* An conſulit Samuël ut eligant Iſraëlitæ poſt reſipiſcentiam, quem locum ille ſolis deſtinat quos oderit? Prudenter conſulebat Iſraëli timoratam humilitatem: ſciebat enim proficuum quod anima delicti cicatrice non adhuc perfectè ſana, tempore quo Deus in eam benignum conjicit intuitum, vereatur accedere coram facie cui terga dedit, ac trepidans quærat poſt Dominum ſeſe collocare perpetuò. *Nolite recedere à tergo Domini.* Patronum habeo magnum ad hunc locum. *In conſpectu quidem Domini, vel ante Dominum ſtare eſt teſtimonio bonæ conſcientiæ de amore Conditoris præſumere. Stant quidem in conſpectu ejus qui ex merito magnæ actionis de ſuperna Conditoris ſui gratia ſecuri ſunt. Peccatores autem cùm mala committunt, à facie Domini fugiunt, ſed cùm redire pœnitendo deliberant, quaſi poſt tergum Domini ſunt: quia & diſcedere longius nolunt, & tamen præſumere de Deo quaſi amici non poſſunt.* Prodeſt inſomnis timor ei qui nuper in delictorum lecto ſtertebat? Quos peſſundat ſomnus vigilia ſanat.

1. Reg.12. 19.

Ibi n.20.

Jerem.24.6.

Ibi c.18. 17

D.Greg.M. to.2.l.5. in 1.Reg.c.2.

Crede tunc plus te Deo gratum, cùm de teipſo diffidens pavidus cuncta vereris. Procul abſit ſuperbia quorundam qui vix emergunt ad ſalutis viam, cùm ſe præſumunt in ſolem figere lumina, cæterorumque vitam velut humi repentem aſpicere dedignantur. *Et noli de tuis gloriari virtutibus, ſed omnes tibi æſtima ſuperiores, minimum te omnium judica, inferiorem cunctis deputa. Tantò enim eris in Dei oculis pretioſior, quantò fueris in tuis oculis deſpectior.* Ita Ericus. Etſi alas in re virtutis aſſumpſeris, ne volatum præſumas ad montium, hoc eſt perfectorum, cacumina: lucraberis eâ diffidentiâ tui, quòd in manibus te collocare non dedignetur Omnipotens.

27. *Juſtus benevolentiùs tractatur de ſe diffidens.*

Ericus hom. in c.14.Luc.

Obtinuerunt cataclismi undæ terram per dies quinquaginta: donec miſertus Dominus viventium, quæ protexerat arca, ſpiritu miſſo imminuit aquas. Apparuerunt demum cacumina montium. Et poſt quadraginta dies aperiens Noë feneſtram duos dimiſit exploratores, corvum ſcili. necnon columbam. De priori non agam, quia non eſt regreſſus. De columba nonnihil dicam, *quæ cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus reverſa eſt ad eum in arcam:* & propriâ manu dignatus eſt illam introducere Noë: *extenditque manum, & apprehenſam intulit in*

Gen.8. 9.

Ibidem.

arcam. Transacta deinceps hebdomada misit ille rursus columbam eandem) non enim aliam fuisse nisi priorem insinuat ipse textus, & S. Isidorus Hispal. in comment. jam adducendus) quæ revertens attulit olivæ ramum; non tamen eam tunc Noë manibus intulit sicut priùs: licèt illa valde lætum protulerit nuntium ore muto viridia portans arboris folia. *Rursum dimisit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noë quòd cessassent aquæ super terram.* Quidnam promeruit amplius avis primùm, quod manu suâ benigne voluerit illam suscipere mundi novus Protoparens? Ramum ostendens ea Noëmum exhilaravisse non dubito; nec tamen pro nuntij mercede benignitatem experta fuit æqualem? Non immeritò factum, præsertim si spiritum sub littera latentem scrutari pergas. *Noë* (scribit S. Isidorus Hispal.) *qui interpretatur requies, similitudinem præfert Domini, in cujus Ecclesia requiescunt quicumque ab hujus sæculi excidio liberantur sicut in arca.* Si de columba quæris quid significet, eundem audi. *Quod columba emissa, non inventa requie reversa est, ostendit per navum testamentum requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam. Post quadraginta enim dies emissa est, qui numerus vitam quæ in hoc mundo agitur, significat. Denique post septem dies dimissa propter illam septenariam operationem spiritualem olivæ fructiferum surculum retulit:* &c. De cacuminibus montium præmitto nec non allegoriam ex Ruperto, quæ nobis ad integram loci hujus expensionem conferet. *Sed* inquit Rupertus, *dicit veridica Scriptura, quia jam imminutis aquis, jam apparentibus montium cacuminibus expectavit Noë dies quadraginta, & tunc dimisit corvum, illoque non redeunte emisit columbam. Magnum mysterium, & magnum verum veritatis præconium. Etenim postquam Dominus noster à mortuis resurrexit & opertos montes suos tristitia in lætitiam relevavit:* &c. Ecce per montes discipuli Domini designantur. His præjactis interrogatiunculam supra positam solvo sic. Columba, idest justus, quamvis montium, hoc est sanctitatis Heroum, discipulorum Salvatoris altitudinem sibi jam detectam cernat (apparuerant enim jam collium summa, cum primò columba prodiit, ut ex textu liquet) alis non carens eò pertingere non audet: ac de seipsa diffisam & revertentem, Deo per sui diffidentiam ita complacet, ut non dedignetur manu suâ benignus illam suscipere. Cum secundò veniens ramum decerpserat, jam non contenta fuit invenire ubi requiesceret pes ejus; ad olivæ superiora volans, quasi fructum carperet, folia detulit. Non eadem benevolentiâ potitur apud Noemum illa tunc (seu justus coram Deo) ne putet ipse jam suprema tetigisse, fructusque solidos decerpere, cum vix folia legit. Alas explicas in virtute sectanda: ne pennis fidas ausus te credere cœlo. Cave prudenter *ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata:* & sensim progredienti, quamvis die renatus fueris hesterno, *timor Domini apponet dies*, ac in tempore suo grandævus eris. Vide quæ dicam fl. 32. à n. 40.

Ibi. n. 10. & 11.

S. Isidor. Hispal. in allego. vete. testam.

Idem commen. in Gen. c. 7.

Ruper. l. 4. in Gen. c. 22.

DELIBATIO V.

Virtutis merito consequentur justi dies triplicis vitæ: nempe gratiæ, ac æternitatis.

28. *Sortis bona meritis acquisivissa gloriosum.*

LItteralem, & moralem, ac anagogicum sensum prioris partis versiculi (*timor Domini apponet dies*) eodem sub titulo colligam. *Timor Domini*, hoc est virtus, *apponet dies* eos, quibus noctes associantur: necnon illos qui tenebras peccatorum fugant, sed finem metuunt (scili. lucem gratiæ): insuper & luces absque nocte vel fine, idest æternitatem conciliabit justo. Quòd meritorum pretio gratiam & gloriam dabit Dominus non miror, quia vera bona sunt. At quòd vitam caducam augeat in virtutis præmium non possum non demirari, sciens quàm fallax bonum & fugax ea sit. Illâ, inquam, vitâ muneratur justus de qua Beda. *Hanc itaque vitam de qua scriptum est, nunquid non tentatio est vita humana super terram; in qua quotidie clamamus ad Deum, libera nos à malo, cogitur homo tolerare.* Heu quam funesta veritas! Non minus verè de vita pronuntiat Bernardus: *nemo quippe ex omnibus filiis Adæ sine labore hic vivit: nemo sine dolore.* Vitam (rursus mirabor) quàm brevitate conscisam, periculis perturbatam clamat experientia, quasi quid largissimo remuneratore dignum, accipit homo per spiritualis militiæ quotidiana prælia! velim advertas non idem esse meritis consequi bonum, & forte reperire. Hoc secundùm fere nihil est nisi pulchra mendacia; prius autem glorioſissimum: nam *virtus*, ut Bernardus ait, *gradus ad gloriam: virtus mater gloriæ est. Fallax gloria, vana est pulchritudo quam illa non parturivit.* Merita si desint, quid sunt aliud præter nomina temporaneæ fœlicitates: etiamsi recolamus illa quæ tanquam numina coluntur? *Quid est enim aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine?* Plurimum addit bono tuo præcedens meritum. Quod est adeò verum ut ipsa fœlicitas perpetua non melius exaggeretur, quàm si memineris illam solis benemeritis concedi. Fortassis de illa sic loquitur Augustinus: *verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno.* Proinde vitæ diuturnitatem (quæ fortunæ bonum vulgò dicitur) acquisivisse per merita magnum decus est. Qui forte consequitur ea quæ fors donare solet, excedit infœlices; qui verò meritis nanciscitur ejusdem generis bona, fœlicibus antecellit, quod majus est celsitudinis incrementum. Longe quid amplius est fortuita dona, reliquis obtingentia casu, pro meritis adipisci, quàm alia, quæ solent in præmium

Beda in c. 21. Joan.

S. Bern. ser. d. obedi. pati nr. & sapi.

Idem. ser. 1. d. S. Victore.

Salvian. l. 3. d. provid.

S. Aug. to. 5. l. 22. de civit. Dei. c. 30.

præmium conferri, virtutis industriâ lucrari.

Cum ad publicum duellum Goliath provocasset Hæbreos propriis viribus & eorum pavore simul obarmatus: inter alia spopondit Saül filiæ nuptias occidenti Gigantem. Suscepit David cum eo singulare certamen, monstrumque cecidit in Dei gloriam: nec tamen expetiit à rege matrimonium prommissum executioni dari. Quinimò eis qui de regio mandato suadere conabantur ei, ut gener fieri monarchæ non recusaret, ipse respondit: *num parum videtur vobis generum esse regis*? Imo potiùs eidem principi dixerat: *quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, ut fiam gener regis*? Humillimum se David in hujusmodi renitentiâ probavit. Attamen quærebam cur non ipsemet renuit etiam à Samuele in regem ungi? Parvulus quidem erat; sed quid faceret propheta non ignorabat. Cur ergo non recusat in humilitatis argumentum regale sceptrum? Quia regia corona quoties à Deo confertur immediate, donatur ex meritis. Unde non adeò demirandum fuit Davidem accepisse meritorum auxilio quod aliquibus contigit interventu virtutis mercari. Non horruit ergo conscendere majestatis culmen assumptus per Samuelem de post fœtantes. Atverò Principis affinem esse frequenter dat fortuna, quin attendat merita. Bonum igitur istud, quod erat de se munus à sorte manans, maximum gloriæ pondus involvebat si meriti patrocinio consequeretur David. Noverat ipse pro nuptiis extare se non indignum, ut Interlin. indicat ad illa verba: *quæ est vita mea*, dicens: *latenter dignum se insinuat*. Humilitate suadente renuebat gloriam affinitatis regiæ propter strenuitatem concedendæ, sciens amplissimam præcellentiæ hyperbolen esse quòd fortuita dona, quæ cæteris casualiter contingunt, aliquis in præmium consequatur. Vitæ longiora spatia numerare sortis bonum est ut plurimùm: ideo virtutum acquiri negotiatione putari debet honos præcelsus; quantumvis in se vita nostra sit miseriarum breve magnumque compendium.

1. Reg. 18. 23.

Ibi. n. 18.

Interlin. in 1. Reg. 18. 18.

29. *Benemeritus plus de obsequio præstando satagit quam de Præmio.*

Reliqua tamen adhuc solvenda manet alia dubitandi ratio priori non minus valida. Justum diutiùs vivere quid est nisi plus ejus beatitatem differri? & hoc in præmium appenditur ei? hos illi *timor Domini apponet dies*, quibus id summum cordis ejus desiderium crastinatur? Non læditur per hujus dilationis moram perfectorum amor erga cælestia: nam dum tardatur beatitudo pergunt inservire fideliter: & illis potius est cura humiliter obsequi Deo, quàm fœliciter consequi.

Herodes in lasciviæ catenis miserè positus, Joannem redarguentem libere conjecit in carcerem. Sicut attamen *verbum Dei non est alligatum*: ita neque Dei vocem premebant vincula ne munus obiret suum. Duos ex discipulis misit ad Servatorem dicens: *tu es qui venturus es, an alium expectamus*? Magis reconditum sensum istius legationis audiamus ab Hieronymo. *Est sensus: manda mihi quia ad infernum descensurus sum, utrum te & inferis debeam nuntiare, qui nuntiavi superis: an non conveniat Filio Dei ut gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es.* Imminet capiti Baptistæ gladius; & non interrogat de suamet gloria, sit ne statim adepturus illam, vel post parùm temporis, multùmve dierum? Quid scisciatur an sit concionaturus in Patrum domicilio? Si Domino placuerit, hoc illi committet. Ardebat Præcursoris affectus obsequia Dei Filio diuturniora præstare. Non de suæ beatitudinis initio percontatur; sed an prædicaturus Messiam ille sit apud incolas inferorum: quippe cum justus esset plus de ministeriis exhibendis curabat, quàm de consecutione præmiorum accelerandâ sollicitus erat. Procrastinatur equidem justo possessio Dei cum incrementatur vita: nihilominus istam (quia stadium athletis est ut cursum contendant) velut quid appretiatione multâ dignum accipit, dum eâ remuneratur à Domino: nec piget, cum interea famuletur eidem. Idcirco non parum larga manu Deus illi debita solvit, dum ipsi *Timor Domini apponet dies*, mortalis curriculi.

2. ad Timoth. 2. 9.

Matth. 14. 3.

S. Hiero. to. 9. com. in Matth. ibi.

30. *Plus ne gloriatur Deus Filius quod nascatur in corde nostro, quam in sinu Patris?*

Nunc ex litterâ gradiamur ad moralia. Subintelligitur hoc loco nomine dierum gratia justificans, quæ jubar est animæ. Videbatur appellenda tamen in singulari dies; non autem pluraliter: nam licet gratiis abundet amicus Dei pluribus, unica dicitur sanctificans, quæ dies nominari valet cùm per seipsam fuget peccati noctem. Non ultra dubitatio procedet, si animadverteris quisnam sol dies hujusmodi metiatur. Incarnatum Verbum est qui veluti lucifer in in cordibus hominum nascitur, & diem aperit: *donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris*: exponit Hugo Cardi. ibi: *lucifer, id est Christus qui in corde ejus oritur, qui fidem ejus custodit, & ipsum opere imitatur.* Favet huic doctrinæ S. Ambrosius. *Ubi autem* (ait ille) *secundùm altiorem rationem nascitur Christus nisi in corde tuo & in pectore tuo*? Et expressius alibi *Occuparverat enim totam diem noctium longitudo: nisi in ipsa dierum brevitate Christi refulsisset adventus, qui sicut ortu suo humani generis peccatorum tenebras discussit, ita & die nativitatis suæ caliginum tenebras amputavit: & uno eodemque ortu lucem pariter intulit hominibus & diebus.* Solem istum in æternitate semel tantùm natum scio: sæpissime tamen in præcordiis mortalibus oriri video: quò non unicum; sed multiplicem justis apponeret diem: *apponet dies.* Cur toties vult exoriri qui perpetuò gignitur semel ab Æterno Parente? Forte quia si prima facie rem apprehendamus, videtur plus gloriari quod in cordibus humanis enascatur, quam de nativatate citra principium in sinu Genitoris ante luciferum splendescente? Non audeo; sed Bernardum id suspicatum fuisse vereor. *Natus est ergo Christus* (inquit S. Doctor in hoc mysterio peculiariter mellifluus) *non modò ante hæc nostra tempora, sed ante tempora, universa.*

2. Petri. 1. 19.

Hugo Card. ibi.

S. Ambr. to. 3. l. 2. in Luc. c. 2.

Idem. to. 5. ser. 12. d. Nata. Dom.

S. Bern. ser. 6. vigil. Nativit.

Verum quidem illa nativitas posuit tenebras latibulum suum, imo verò magis lucem habitat inaccessibilem : latet in corde Patris in monte umbroso & condenso. Ut ergo aliquatenus innotesceret, natus est : & in tempore natus ex carne, natus in carne factum est Verbum caro. Non mirum erit si cui videatur à Dei Filio glorioſiorem haberi nativitatem quâ in pectoribus humanis oritur, quam originem qua prodit ex æterni Patris utero.

Joan. 8. 19. Malignè Phariſæi quæſierunt à Domino ubinam Parens ejus eſſet. *Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus ? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.* Commentatur Auguſtinus. *Ergo quia me non nostis, ideo vobis Patrem meum non ostendo.* S. Aug. to. 9. tract. 27. in Joan. Ecce Phariſæis interrogantibus non aperuit Patrem ſuum. Deinde paulò priùs quàm paſſionis pelagum tranſnataret, poſtulavit ab eo Philippus ut ſibi commilitonibuſque Parentem ſuum palàm faceret : neque tamen divinus Magiſter poſtulatis annuit ; imò potiùs omnes reprehendit dicens : Joan. 14. 9. *Tanto tempore vobiscum sum & non cognovistis me ?* Vide quod non amicis, non hoſtibus Genitorem Dominus manifeſtare voluit ; cùm tamen illam generationem, quâ naſcitur in hominum cordibus, explicuerit ultrò nullo rogante. Loquente ad turbas Redemptore verba ſalutis ecce mater ejus piiſſima, necnon ſecundùm carnem propinqui ſtabant foris quærentes eum alloqui. Eorum deſiderium per nuntiatorem ſuperfluum ſatis defertur ad Filium : qui non deſpiciens genitricem, noſtræ doctrinæ viam parans, reſponſum protulit ad modum ignorantis illam. Matth. 12. 48. 49. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei ? Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea & fratres mei.* Verba ſunt maximi facientis propinquitatem ſpiritualem quam cum diſcipulis contraxerat, juxta Bedam. Beda hom. fer. 4. poſt Domi. 1. Quadrag. *Spiritalem*, ait, *propinquitatem, carnis prætulit consanguinitati.* Et quænam eſt illa ſpiritus conjunctio ? De fraternitate modo non quæro : maternitatem explicet Gregorius Pa. S. Greg. M. to. 2. hom. 3. in Evang. *Qui Christi soror*, inquit, *& frater est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit.* Nota quæſo Chriſtus ubi naſcatur per hujuſce matris parturitionem : in cordibus humanis utique. Bone Deus ! de maternitate hâc nec auditores tui quærunt, nec fortè quidquam percipient. Eſto fateaſis illam : cur tam apertè ſpiritalem parentem demonſtras eis tuam ? *extendens manum in discipulos* &c. & rogatus à Philippo, necnon interrogatus à Phariſæis, nec his ubi ſit Pater æternus, nec Apoſtolo quiſnam ſit, ediſſerere vis ? An quia plus gloriæ tibi proveniebat ex ortu quô per diſcipulorum partus eras in pectoribus hominum naſciturus, quàm ex æternâ proceſſione, quâ in ſplendoribus initio & menſurâ carentibus, ab ore Patris prodiviſti ? Hoc unum ſcio quod Sol poſt nubila, quamvis eâdem luce fulgeat lætioribus radiis exortum deaurat ſuum, quàm niſi caligo non præcederet. Quantùm fuere priùs opacæ, tetræ, ſqualidæque tenebræ in pœnitentis interiori domo, tantùm clareſcit divini ſolis irradiatio, quæ lachrymarum ſurgit ab undis. Non ergo tantùm ſemel, ſed perſæpe vellet hujuſmodi pulchram auroram. Ideo gratiam quæ ſanctificat animam, cùm de juſto loquitur, non unicum diem, ſed plures appellat inſinuans cupere quòd ſibi multiplicentur ortus iſti.

Vel dic gratiam juſtificantem vocari pluraliter *dies :* quia nollet Sol divinus in corde noſtro naſci moraturus ibi per unicum ſolùm diem. Cùm ſit cordis humani Dominus offenditur ab eo qui nonvult eum plus inhabitare pectore ſuo quam luce una : læditur inquam graviter, cernens in domo propriâ ſe velut moleſtum hoſpitem curſim admitti. Non pro tam brevi ſpatio vitæ, Dominum in te velis amantiſſimum exoriri. 31. *Ne per unicam tantum diem velis divinum ſolem in pectore tuo naſci.*

In mutuas laudes effuſus amor inter Canticorum ſponſos hæc verba dedit. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* D. Thomas ibi : *nunc Sponsa laudata à Sponso vicem ei reddit, & dicit qualis quoque sit ipse.* Nonnihil ruſticitatis adhuc pati videtur Sponſa de vinearum cuſtodiâ : nam Sponſus ejus pulchritudinem aſſimilat flori blandiſſimo ; illa verò Sponſi venuſtam ſpeciem trunco æquiparat ; *sicut malus.* Cur non illum floſculo ſimilem dicit, qui verè *flos campi & lilium convallium ?* Quia nativitatem divini Sponſi cupiebat in ſeipſa experiri : nam ideo tacitè nomine filij eum appellat, quod vocabulum eſt naſcentium : *inter filios.* Floris ætas unicus dies ; arboris duratio longius producitur : & nollet Sponſa Deum in ejus pectore tam parcè manſurum germinari ſicut floribus accidit. Adde quòd floſculus umbrâ ſuâ ſedem non offert ; arbos autem ſub umbraculo ſedentem contegit : & (ut Sanctius ad hunc locum dixit) *respondere videtur Sponsa Sponsi sive mandato sive voto :* qui nollet ut ſtantes ad eum accederemus velut mox aliò migraturi ; ſed tanquam ſub arboris umbrâ moram trahentes. Adi textum. *Sicut malus* &c. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi :* Audique Rupertum (licet de Beata Virgine loquatur, adhuc proderit.). *Non steti ad horam sub umbrâ, ut interdum paterer carnis æstum, interdum haberem refrigerium, sed continuò sedi, quia semper pacem habui, jugiter sub umbra illius quievi.* Ad quietem pacificam Sanctiſſimæ Dei Genitricis pervenire non poſſe nos fateor : attamen inconſtantiam frænare cordis ex Dei auxilio valemus atque tenemur. Nobis *timor Domini apponet dies* cùm non viatoris more Solem cordibus noſtris viam facientibus naſci peroptaverimus ; quinimò quando ſedentes in virtutum prato, radiis ejus frui dilexerimus abſque occaſu. Extra domum naſcitur Chriſtus ; & nihilominus in Bethlehem natum ſcimus, quæ domus interpretatur ut ſcias in te nequaquam naſciturum, ſi veluti via ſis, ac ideo tranſitum, & non amplius ei præbeas ; domus eſſe debes ut amet in te naſci. *Nimirum*, ait S. Bernardus, *in verbo quod procedit de ore Dei vivit homo : vivit in Christo : vivit in eo Christus. Ibi oritur : ibi apparet : nec omninò amat cor titubans, aut vacillans*

Cant. 2. 2. 3. S. Thom. in 2. Cant. ibi. Cant. 2. 1. Sanct. ad hunc locum. Cant. 2. 3. Rup. l. 1. in Cant. propè fin. S. Bern. ſer. 6. vigi. Nativi.

vacillans: sed stabile & confirmatum. Si quis murmurat, si quis hæsitat, si quis nutat, si quis cogitat revolvi in lutum, redire ad vomitum, deserere votum, mutare propositum suum, non est Bethlehem iste, non est domus panis. Fruere pietate Bernardi, nam ad tertiam tituli partem festino.

32. *phrasi temporaliū Deus utitur cum nobis inculcat æterna.*

Anagogicè tandem expositi verba nostræ paræmiæ: timor Domini apponet dies, idest fœlicem æternitatem. Scrupulosus aliquis urget: quomodo beatitudo, quæ fine curet, sub dierum nomine venire quit? Ut sub specie temporaneâ (nostro auditui quæ solitat esse grata) nobis proponantur æternùm permansura bona. Humano captui stylum accommodat Spiritus divinus author Scripturarum, ut omnes illæ penè testantur. *Nam quia nihil Sole clarius novimus videre, ideo non solum Domini, sed & sanctorum gloria in resurrectione, solis aspectui comparatur.* Sic & beata justorum retributio nominatur cœna, sedes, torrens, domus, corona, fructusque ligni. Operæpretium judicavit sapientia Dei per phrases temporalium æterna mortalibus inculcare, quorum puerilis mens illa sola, quæ ludicra sunt, ex nomine cognoscit.

Beda hom. in Dom. 2. Quadra.

Plurimos vidit Joannes in Apocalypsi stantes ante thronum stolis albis candidos; non candidatos: utpote qui jam prendiderant manibus palmas, quas in tribulationum stadio promeruerant. Evangelista quendam ex grandævis, qui throno Summi Regis aderant, sibi dicentem de illis audivit: *hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus*: &c. In cælesti curia servire pergunt beati? Servitutis præteritæ fruuntur inibi præmio: cùm enim quæ Filius accepit à Patre nota faciat eis per visionem beatificam & extra, jam non ibi servos nominat, sed amicos. Quô igitur ait stylo longævus ille: *serviunt ei*? Deinde: nox in cælesti Jerusalem inveniri non valet, cùm ibi diei præsit Sol ille qui nescit occasum: *nox enim non erit illic*, scripsit idem calamus. Quomodo veteranus ait: *serviunt* &c. Ut per idioma rerum sublunarium explicaret perennitatis gaudia. Beda ibi: *& serviunt ei die ac nocte in templo ejus. More nostro loquens, æternitatem significat.* Non facile nisi hâc via capimus æterna temporaneis alligati. Nil te moveat quod textus noster anagogico sensu de beatitudinis æternitate sub nomine dierum loquatur dum legimus: *timor Domini apponet dies.*

Apoca. 7. 14. 15.

Ibi c. 21. 25.

Beda l. 1. in Apoc. c. 7. prope fin.

DELIBATIO VI.

De ignorantia & oblivione brevi perventuri finis: Odio, & causâ naturali mortis, ac tædio vitæ.

33. *Justus vitæ brevitatem*

AD posterius præsentis parabolæ dimidium procedo. *Et anni impiorum breviabuntur.* Justi vitam appellavit proximè *dies*; nunc peccatorum tempus vocat annos? Longius-ne solent isti super terram incolatum protrahere? Conformem se Spiritus divinus regens calamum Salomonis exhibuit utrisque, justis & impiis. Horum vivendi cursum dixit annos, quia ipsorum judicio non tam breve, si nonnullos excipiamus. Justorum peregrinationem dierum vocabulo designavit, ut ad eorum ingenium loqueretur, qui solent decurtatum valdè judicare mortalitatis callem. *Viri sancti*, ait S. Gregorius Pa. *præsentis vitæ dies nihil esse conspiciunt, dum illuminatæ mentis oculos in considerationem æternitatis defigunt.* Nimius forem si de brevitate vitæ quid Sancti senserint syllabum texerem: do tamen aliquorum sententias. Chrysostomus. *Quod autem est somnium ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imo infinitò minus.* Petrus Damianus. *Sed hæc humanæ vitæ varietas momentaneâ temporum brevitate concluditur: ut & elati quique diutius de sua prosperitate non gaudeant: & inglorij suæ dejectionis incommodum festinanter evadant.* Gregorius Nyss. *an non vides quam brevis ævi, quàm præcipitis fati vita humana sit?* Hæc vel similia justi de vitæ periodo censent: quia cùm æternitatem perpetuò cogitent sine carentem, ætas, quæ termino clauditur, ab eis contractissima reputatur.

fatetur; peccator non omnis.

S. Greg. M. to. 1. l. 8. mo. ra. c. 10.

Chrysos. to. 5. hom. 20. ad pop.

S. Petr. Dami. l. 7. epis. 5.

S. Greg. Nyss. orat. in 6. ps. d. octa.

David quondam pressus dolore non mediocri dixit: *quoniam defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus. Infirmata est in paupertate virtus mea.* Hîc vitam nominat annos: *anni mei*, alio verò psalmo vocat eandem appellatione dierum: *& numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Quænam hujusce diversitatis causa duxit calamum tam dispariter, ut eandem vitam nunc dies compellet; nunc annos? Ex dissimilibus utriusque psalmi contextibus rationem colligo sic loquentis. In priore, vel de se tanquam delinquente loquitur, vel personam peccatoris cujuslibet agebat. Attendas illud: *infirmata est in paupertate virtus mea*: ubi Lorinus ait: *paupertatem Hieronymus non dixit, sed iniquitatem.* Posteriore psalmo de se tanquam justo psaltes verba facit: præmiserat enim: *dixi custodiam vias meas*: commentatur idem Lorinus: *generalior placet cùm cæteris authoribus acceptio viarum pro omni vitæ degendæ ratione in cogitatis, dictis, factis.* Sapienter mutavit stylum. Solet peccator aliter quàm justus de vita censere: judicant hîc acciſam; ille plerumque diuturnam. Rationem cur adversùs experientiam sons vivendi limites longissimè protendi putet, jam subjicio.

Ps. 30. 11.

Ps. 38. 5.

Lorin. in Ps. 30. 12.

Ps. 38. 2. Lorin. ibi.

Mortis oblivio tota ratio hujus deceptionis est. *Qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.* Econtrariò ij qui se morituros non meminerunt, immorantur præsentibus futurorum obliti, moraque trahere se posse longas existimant. Dilectam præ oculis vitam habere non desinunt; sed ab exitu convertunt lumina: nam vivendi cupido pavorem nimium finis parturit: ideo recurrimus ad hujus oblivionem, ceu vitæ præsidium. Exeramus à vero: *mors animæ oblivio* dixit sen-

34. *Terminum vitæ cupimus oblivisci.*

S. Hiero. to. 2. epis. ad Cypr. ad finem.

S. Bern. in sentent.

tentiosè Bernardus. Ea tamen est cæca vitæ dilectio, quod solius ejus pulchra luce capti, mortem exulare faciamus ex memoria.

Ægrotavit ad mortem rex Ezechias. Adit ejus conspectum vates Evangelicus & illi annuntiat obitum. Lachrymarum refugium sibi consuluit rex: quibus commota pietas Dei per Isaiam quindecim annorum promisit inducias, donavitque sanitatem sic ut die tertia templum foret conscensurus: *& ecce sanavi te: die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos.* Ille vel superni promissi dubius vel confirmari miraculo cupiens Dei promissionem, ait ad prophetam: *Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?* Tria Deus per Videntem pollicitus fuerat salutem, celeritatem istius: necnon vitæ per annos quindecim augmentum. De primo secundoque signum postulat? de tertio tacet? De hoc siluit equidem ne certum annorum numerum, quo vita claudenda erat, revocans in memoriam, reminiscereturmortis quam oderat, sicut vitam diligebat. Salutis & ascensus in templum, quantumvis mentio fieret, non hæc ad recordationem cogebat sepulchri. Solertissimè fugiunt istam amatores vitæ.

4. Reg. 20. 5. 6.

Ibi. n. 8.

33. *Mors amore digna sic ut non possimus ei solvere ad æqualitatem.*

Mehercle vix capio quî fieri valeat ut mortem oblivioni tradamus, incrementa vitæ memoriâ tenaci retinentes. Sed jam hujus oblivionis duplicem radicem adducam: utinam præscindantur. Prima est mortis odium: sicut enim ars memoriæ dilectio; sic odio habens lethæis non indiget poculis. Malorum proprium est mortem odisse: quippe qui radices in terræ visceribus figentes difficile patiuntur avelli. *An non attenditis*, inquit S. Thomas à Villano. *radicatorum in terra quam difficilis, quam violenta, quam tristis & amara sit avulsio?* Possemus ab istis rogare quid in morte dignum invenerint execratione? Audiant Augustinum: *mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit, neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem* Concinit Chrysostomus: *ingemisce cum Paulo, non propter mortem; sed propter præsentem vitam.* Similiter Ambrosius. *Tertia mors media sit, nam & bona justi videtur, & plerisque metuenda, quæ cum absolvat omnes, paucos delectat. Sed hoc non est mortis vitium, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quàm voluptatis est.* Hinc fit ut mortem, quâ terretur peccator justorum quidam expectent, alij & insuper desiderent: nam & huc ascendet qui scala Climaci fuerit usus. *Probatus*, inquit *ille quidem est qui mortem diebus singulis expectat: sed ille sane sanctus qui hanc horis singulis desiderat.* Nosti pomum apud nostrates quidem saluberrimum; sed in Perside venenosum. Fructus equidem arboris prohibitæ mors est: qui habitantibus Babylonem pestifer; civibus autem Jerusalem salutifer. Appositè Cyprianus: *mortalitas ista ut Judæis & Gentilibus, & Christi hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est.* Et alibi. *Si mortem possemus evadere, meritò mortem timeremus. Porro autem cum mortalem mori necesse sit, amplectamur occasionem de Divina promissione & dignatione venientem, & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis.* Crede mortem amore dignam, & non qualicumque; sed tanquàm beneficam, talique dono, quod ei non poteris æquale reddere.

S. Thom. à Villano. ser. 1. d. Ascens.

S. Aug. to. 5. l. 1. d. civit. Dei. c. 11.

Chrysost. to. 5. hom. 5. quod mors non timenda. &c.

S. Ambr. to. 1. l. d. bono mortis. c. 2.

S. Joan. Climac. in scala grad. 5.

S. Cypri. to. 2. l. d. mortalit. circa. medi.

Idem to. 1. epist. 56. ad Thibarita.

Patientiæ columna stabilis post innumerarum calamitatum quasi mortuam; semper tamen superstitem, tolerantiam: dum quas patiebatur miserias mente revolveret, cogitatione sepulchra petens, vermes & putredinem testatur allocutum se fuisse. Quid ille dixerit versemus paulisper. *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus.* Uetmes appellet esto sorores: quia nos & illi communi matre, nempe terrâ, sumus progeniti. Sed cur eos vocat genitricem, putredinemque parentem; cum verum sit genitores conferre nato esse; putredinem autem & sepulturæ vermiculos destruere cadaver? Saniem & vermes pro morte sumit hoc loco Iobus; illam sororis nomine condecorare satis esset ut ab eo diligi crederemus. At quia sorores non omnes beneficæ fratribus extant; nullus verò pater vel mater est cui genitus plurimum non debeat (*quoniam nisi per illos natus non fuisses*:) ideo non sibi sufficecere putavit quòd mortem expresserit sororis nomine. Adde quod juxta effatum Aristotelis, *diis, parentibus, & magistris, non potest reddi* æquivalens. Sic morti debitores ita sumus ut æquipollenter ei solvere non possimus. Et ne libere dictum calumnieris quòd mortis dilectionem Job hujusmodi verbis detexerit, scito jam hoc placuisse commentatori optimo. *Ut ostendat mortem* (scribit Pineda in eum locum) *sibi in votis esse, cunctis illam amicitiæ & necessitudinis nominibus compellat.* Et iterum: *pertinere hoc loco sororis nomen ad amoris significationem non dubito.* Et hanc odio habemus? Legi potest fl. 25. à n. 16.

Iob. 17. 14.

Eccli. 7. 30.

Aristot. 9. ethi. in princip.

Pineda in eum locum.

36. *Nativitas causa mortis est.*

Secunda radix oblivij tam nocivi hæc est scili. quòd mortis causam intra nos morari non attendimus: nam ea solum quæ nobismetipsis habitant facilius memori mente retinemus quàm extrinsecus, advenientia. Quia semper velut ab hostili manu, vel morbi vel sortis, vel hominis venientem credimus exitum nostrum, habemus illum odio. Desipimus: nam sufficientissima nobis inest ab intrinseco mortis origo. Fuit qui præ malencholia se putaverit vitreum, & existimatus est insanus. Iure meliori vesanum dicerem eum qui se non vitro plùs fragilem reputaverit: quamvis enim vita, vitrumque nomine parum distent; illa tamen præit fragilitate suâ: nec enim tenue crystallum sine alieno impulsu cadet: nec ex natura sua nullo dissipante frangetur. Hominis autem vita fugit etiam nemine persequente. Unde Augustinus: *quid fragilius vase vitreo? & tamen servatur & durat per sæcula: nos ergo fragiliores & infirmiores sumus.* Adde rationem quia vitri substantia

S. Aug. to. 10. ser. 1. d. Verb. Domi.

non

Just.Lipſ.in cent.miſcel. 5.ep.86. non enaſcitur ; nos autem nati ſumus , & *cui naſci contigit , reſtat mori* , ut Lipſius dixit. Inſenſibilis & ſatis nobilis eſt Sol ; umbra verò volatilis & inanis. Hæc deficit manè primo ; non tamen affirmat aliquis mori tenebras. De Sole pronuntiamus emori cùm occidit, & in æquore ſepeliri : cur niſi quia naſcitur iſte ; caligo minimè ? Repetat Lipſius *cui naſci contigit , reſtat mori.* Quantò veriùs noſtra nativitas dicetur mortis fons, qui vitam ſortiti ſumus , cujus expers eſt luminare magnum ? Cùm interimus , viventium peragimus officium , quod nobis in ortu commiſſum eſt. *Tu neſcis unum eſſe ex vitæ officiis & mori* ? percontatur Seneca , & aſſeverare poſſet quod interrogat.

Sene.ep.77.

Notum eſt quomodo Deus primum creaverit hominem. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ , & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Dubitabam quare non divina Sapientia proviserit ut ſecundus Adam Chriſtus Dei Filius conſimili creatione produceretur à ſolo Deo. Fortè ſi fieret ita , non tanta hominum copia dubitaret de verâ divinitate Servatoris , in eo nixa quod ex fœmina ſit natus. Ex Dei manibus prodit qui mundum peſſundedit ? emittitur ex vulva qui perditum reſtaurat ? Sic oportuit. Nec Adamus naſcatur , neque lucem Chriſtus abſque nativitate videat : quippe hunc , quia morituru terras adveniebat, naſci congruum fuerat , ut naturalem mortis cauſam ſecum deferret ejus vita mortalis. Adamus non oriatur , quia immunis à morte cœpit quando conditus eſt : proindeque non militat in eo ratio par : nam *Deus creavit hominem inexterminabilem , ideſt impaſſibilem & immortalem , niſi peccaret* , ut commentatur inibi Dionyſius Carthuſ. Nativitate caruit Protoparens quia creatus fuit necis exors ; Redemptor quia mortem ſubiturus deſcenderat , ortum habuit funeris cauſam nativam.

Gen.2.7.

Sap.2.23.

Dionyſ. Carth. in Sap.2. ibi.

37.

Experientiis edoctus cogendus erat, ſi ad vitam revocaretur.

Qui prout oportet perpenderit iſta,ſimultatem obitus in tædium vitæ commutabit. Introſpiciens enim ſeipſum , & experientiæ luce vitam dijudicans , hanc exiſtimabit infauſtam , ærumnoſam , & miſeram. De Salomone Davideque loquens dixit Gregorius Nyſſenus : *cùm arcanorum bonorum , quæ incorporea vita propoſita ſunt , deſiderio tenerentur , calamitatis & infortunij loco habebant eam , quæ in carne tranſigitur,vitam.* Si hæc putabant qui corporis carcere morabantur adhuc : quid judicaſſe credis de mortali vitâ illos qui ſemel exuerunt mortalitatem ? Qui vitæ miſerias expertus coronidem ipſi fœlicem impoſuit , ad ſecundam vitam , ſi daretur , non niſi coactus veniret , ſemel quòd amicitiam Dei obtinuit , & moriendo collocavit in tuto.

S. Greg. Nyſſen. orat.conſola. in fine. Pulcheriæ.

Tres mortuos Redemptorem ſuſcitaſſe legimus apud textus Evangelicos : tamen Lazarum ſolum ſcimus ad vitam rediviſſe præpeditum vinculis. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus inſtitis :* forſan ideo quia de cæteris neſcimus an amicitiam Dei conſecuti fuerint ; de Lazaro verò Dominus ipſe dixit. *Lazarus amicus noſter* : & amicorum Dei proprium eſt ex ærumnis vitæ præſentis hujus contemptum diſcere , ita ut ſi ad eam revocentur, oporteat eos veluti ligatos funibus trahi. Non ſic impij , qui magni facientes gracilis umbræ tranſitum , non tanquam fugacem deſpiciunt , ſed ut manſuram diu ſiſtere præſumunt : & ideo vocitant annos illam quæ vix dierum nomine digna. Salomon ne prætendant illi, prout ſolent, non intelligere quæ non placent , eorum phraſim uſurpans ait : *& anni impiorum breviabuntur.*

Joann.11. 44.

Ibi n.11.

DELIBATIO VII.

Prodigit impius annos multipliciter.

38.

ANni impiorum breviabuntur. Ad litteram dixi hoc idem valere quaſi Sapiens aſſereret ægritudinibus animæ vita nequam brevior fit. Ut ſolet corporalibus perpetuò morbis afflictus queri de ſorte ſuâ, quod languorum importunitas vitam ei circumciderit : ſic & ſi loquamur de ſpiritus ægrotatione : nam & per iſtas vita corporis conſciſſa fit nimis. Quare niſi quia prodigus illam diſſipat iniquus per partes ? Priorem juventutis culpabiles ignorantiæ præſcindunt : ſecundam ſpes inanes evolare faciunt : abſumitur mille ſceleribus tertia ; & relinquitur ad ſummum Deo poſtrema tunc meliora ſapiens, cùm jam ſenſuum vigor hebetatur ne ſapiat mundus illis.

Juventus in primis fumoſis turgeſcit vanitatibus : & licet ingenium ſcintillet , ab erroribus , qui culpa non vacant , ſe non explicat. *Sicut ignis in lignis viridibus ſuffocatur : ita ſapientia in adoleſcentia tentationibus & libidine impedita non explicat ſuum fulgorem.* Accedit quòd in adoleſcentiæ flore nullus ex arbore iſta recenti capit fructum : proindeque vitæ pars illa deperditur , juxta dictum Senecæ : *non ſibi vivit qui nemini.* Ne computentur in vitæ ſpatiis tempora neſcientis.

Ætas ignorantia vitâ non eſt. S.Hiero. epiſ.ad Nepoti. to.1. poſt princi. Sen.ep.56.

Jobum arguens Baldad Suhites , obiter veritatem protulit moraliſſimam in hæc verba : *Heſterni quippe ſumus , & ignoramus, quoniam ſicut umbra dies noſtri ſunt ſuper terram.* Ex his verbis priora : *heſterni quippe ſumus , & ignoramus* , dividenda eſſe à poſterioribus : *quoniam ſicut* &c. tenet ibi Titelman. & Pineda ; ſed non ita viſum eſt vulgato interpreti , cùm ea nullo ſigno ſecernat. Unde placet oppoſitum : quo poſito licet inquirere quomodo nectatur ignorare quòd vita ſit umbra , cùm hoc quod eſt illam heſternam eſſe. Putarem ſic explicari poſſe hujuſcemodi ſententiam. Ignoravimus hucuſque miſeræ conditionis vitam gerere nos ; & nunc jam ſcimus quod *ſicut umbra dies noſtri ſunt :* & cùm ignorare qualem ſortiti ſimus vivendi ſortem , ac reliquas inſcitias hanc ſequentes admittere, perinde ſit atque non adhuc vivere : judico nos ab heſterno die , quo mentis aperuimus oculos, degere cœpiſſe : prius enim, dum ſcili. ignorabamus multa nimis , non hactenus vixeramus.

Job 8. 9.

ramus. *Heſterni quippe ſumus.* Sic in ipſo ætatis veſtibulo ferè cunctis accidere ſolet. Neſcientiis involuti primarum ætatum anni minimè ſupputentur in vitalis curriculi menſurâ: quandiu non agnoſcit homo qualiter miſeranda fruatur vita, quia hoc neſciens, illâ non perfruitur. Jam vides qua ratione brevientur uſque ad virilia tempora mortales anni.

39. *Spei tempore vita circumciditur.*

Poſt ignorantias cùm jam in conſummatæ fortitudinis aditu poſitus homo ſe, nec non & reliqua, cernere incipit: minus jam cæcutiens, tunc ſpebus vela pandit, quô nihil interim viæ marinæ carpit: quomodò namque ventus qui navim circumrotat impellet eam ut in curſu navigationis cuiquam proficiat? Præſertim quia ſperanti multiplices adſunt quatientes eum venti; non unicus: & non ab eâdem orâ perflant. Nulla puppis per æquorea vada fertur ad littora dum ſimul quaſſatur auſtris oppoſitis. Qui ſperat non pergit; ſed pendet juxta Petrarcham: apud quem gaudio dicenti: ſperare delectabile eſt, reſpondit ratio: *ergo & pendere & affici & torqueri, ſpes eſt, & longi ſupplicij longa ſpes eſt* &c. Anchora ſpei eſt hyeroglificum: & nulla ratis fretum ſecat anchoris tenaciter colligata. Nec ideo putes firmam ſpem ſæculi, quod navigantis iter prohibeat: nec enim ſtabilis eſſe valet quæ fluxis inhæſit. *Quaſi in aquis enim defluentibus fundamentum ponere eſt, in rebus labentibus ſpei fiduciam velle ſolidare.* Itaque nec ulterius progredi, nec ſtabiliter vivere ſinit ſpes. Demus hanc non dici mortem: vitæ vocabo diſpendium. Nihil inter viventia brevius quam flos degit: ideo refert ænigma expectationis floſculus. Inde conjice ſperando ſenium præcipitari ut minus vivas. Quos expectans computas annos, vitæ non niſi dies quidam numerantur.

Petrach. d. remed. proſp. fortu. dial. 109.

S. Greg. M. to. 1. l. 22. c. 1.

Notiſſima eſt Jacobi diligentis Rachelem hiſtoria (nec ſoleo in iis quæ obvia ſunt lectorem fatigare, gaudens quod alloqui doctos jam Dei miſerantis beneficio ſim conſecutus.) Fœdus inivit cùm Laban illam ſibi daturum in uxorem ſi ejus famulitio per ſeptem annorum curricula ſeſe muniparet. Demum nuptiarum tempus advenit claudicante greſſu: tunc Labanus callida fraude Liam pro Rachele tradidit ei. Simulatione ſerò detecta Jacob ad perfidum ſocerum querelam interpoſuit: cui frivolam objiciens hic excuſationem, novum obtulit pactum ſecundi ſeptennij pro dilecta Rachele. Jacobus explevit iſtud potitus amoris quàm laboris pretio. De prioribus annis textus ait: *& videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Non ita de poſterioribus fatur. Declinaverat ne, quæſo Rachelis amor? Neutiquam ſed in anteriori ſeptennio ſpem nutriebat amator; in ſequenti fruebatur poſſeſſione dilectæ. *Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit ſerviens apud eum ſeptem annis aliis.* Hi ſeptem poſtremò numerum augent annorum, quia fœliciter jucundavit eos concupiti boni fruitio. Primos verò quos occupavit ſpes, ab ea decurtati ſunt, ac veluti dies tantum remanſerunt, indigni longiori nomine: videbantur illi pauci dies. Myſticè gloſſa vitam deſignari temporalem credit per ſeptennem Jacobi ſervitutem: *ſervitus Jacob ſeptem annorum pro duabus uxoribus præſentis vitæ tempus ſignat:* ſique viſum eſt Iſraëli moram ſeptem annorum eſſe quaſi tranſeuntes brevî dies: hic videre licet parcè vivere laqueatos floridâ ſpei catenâ. Hujuſmodi etiam deceptione *anni impiorum breviabuntur.*

Gen. 29. 20.

Ibi n. 20.

Gloſſa ordi. in c. 29. Gē.

40. *Tempus quod inſumitur in peccando, perditur.*

Ne prolixus agam de brevitate vitæ dimitto cæteras ævi noſtri partes percurrere: ad hoc trilemma rem totam cogo. Vel homo perperam operatur; vel rectè, vel nihil agit. Primus atque tertius vitam diſperdunt, ſolus vitam ſervat ſecundus. Tria dixi: ſtabiliam ſingula. Doctrinæ viam aperiat Angelicus Doctor: *contingit quandoque quod aliquis per magnum tempus vitæ vivit in peccato, & hoc eſt tempus perditum.* Nimis verè dictum: quia ſicut mortuus, qui poſt aliquot annos ad vitam reduceretur, ſepulchri tempora non computaret inter vitæ ſpatia: ſic & peccator dum vitam quæ tranſit menſurat, illud tempus demat quo jacet in ſcelere: hoc namque mors eſt. *Vita in deliciis agens, quoniam non eſt ex fide, & mors eſt, & umbra mortis.* Quod legis de vita voluptatibus immersâ, de cæteris peccatis non minus crede. Quamdiu delinquis, tamdiu temporis jacturam facis.

S. Thom. ep. ad Epheſ. c. 5. lect. 6.

S. Bern. ſer. 58. in Cant.

Loquens de Deo Siracides ait: *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.* Hæreo in hâc ſecundâ parte. Quot ſcimus Deo permittente diutiſſimè plurimum nefas admiſiſſe? quantum ſpatij Deus totum orbem expectavit ad pœnitentiam dum fabricaretur arca Noëmi? quam longâ patientiâ detinuit Sodomorum ignem? his & innumeris aliis, nonne permiſit flagitiorum tempus? Minimè tempora dediſſe dicas iſtis: quia hoc illi peccando non accepere, ſed ſtultis prodigalitatibus amiſerunt: facinora namque ſunt horarum diſpendia. Sic planum eſt intelligere quo pacto *anni impiorum breviabuntur.*

Eccli. 15. 21.

41. *Otioſitas mortuum reddit.*

Nefariè degentibus otioſos annecto nam & ipſi nihil agentes malè agunt: ſeu, quò meliùs dicam, vitam egit opere vacuus, & quia fungi noluit illâ, vitâ functus eſt. *Mihi enim qui nihil agit eſſe omninò non videtur.* Et ſi prout quidam ſolent, in propoſito benè operandi ſegnes diſſimulant, aſſeri de iſtis poteſt quod Seneca, *non vivunt ſed victuri ſunt.* Emortua certè vita nihil agentis eſt *vita ſine fructu gravior mors*, ait Bernardus. In vite fructifera viridique, ſi palmes aliquis fructum non edit ſiccitate prohibente, mortuus eſt ſecundùm rigorem philoſophicum. Vitis Chriſtus Dei Filius eſt fructus edens; nos palmites: quorum ſi quis non fructificat aridus torpore, vitâ cecidit inertiæ venenum bibens.

Cic. l. 2. d. Natu. Deorum.

Sen. epiſ. 45.

S. Bern ſer. 26. in Cant.

Sapientis doctrinam legimus: *deſideria occidunt pigrum.* Quid morti cùm deſideriis? Vide quæ ſequuntur *noluerunt enim quidquam manus ejus operari: tota die concupiſcit & deſiderat.* Totus in deſiderando tempus conterens, vecorditer conſumit ſpatia: dicatur occiſus quia turpi ſe quieri, velut ignavæ

Prov. 21. 25.

Ibi & n. 26.

ignavæ morti dedidit. Vel desidiosè vivant igitur mali, vel nequiter operentur, sic vel sic *anni impiorum breviabuntur.*

Illi tantùm verè vita potiuntur, qui rectâ virtutis viâ gressus dirigunt. In his amicabiliùs uniuntur corpus & anima, nec dissident ad opera bona exequenda: & quid est vita nisi corporis & animæ unio? Altiùs rationem istam elevemus. Lucem præferat S. Prosper dicens: *ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.* Ergo Deus velut animæ præstat officium justo. Quilibet amicus Dei conjungitur ipsi per unionem affectivam. Hujus conservatio pendet à fuga criminum. Quapropter concludamus illum servare vitam qui Dei tuetur amicitiam; qui autem Dominum dimisit, animam deposuisse dicas. Non tantùm spirituali vitâ fungitur qui noxia propulsat quæ placent; sed corporeæ vitæ stabilitatem quodammodò consequitur, & in eandem quasi dominium acquirit. *Quando,* ait Hieronymus *in bono opere tempus consumimus, emimus illud & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem de divitiis & sollicitudinibus, quas Evangelium spinas nuncupat, cogitans potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus quod in diebus malis est, quodammodò immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri.* Nunc sic arguam. Dies futuri sæculi sunt stabiles: assequimur bene operantes ut caducæ tempus mortalitatis numeretur cum ævo non perituro: igitur vitanti peccata quasi non pertransit vita, sed perstat immota, velut si mensuraretur æternitate.

S. Prosp. ex Aug. sentent. 167.

S. Hierom. to. 9. l. 3. in c. 5. ad. Ephes.

Eccli. 4. 23.

Consulamus Ecclesiasticum: *fili conserva tempus, & devita à malo.* Quo ingenio fieri potest ut conservemus tempora? Juxta philosophos entia successiva non persistunt nisi per instans, vel partem statim desinentem, ut alia succedat. Inter hujusmodi tempus numeratur: & secundùm varia philosophiæ placita, vel constat ex punctis quorum præsens unicum est; præterita velit quisque nolit, periére, sicut hoc adventu sequentis desinet; vel ex partibus incertis, (quæ mihi nunquam doctrina placuit; sed omniâ fert ætas: nunc aptissimam judico pro moribus ut asseram incertis componi rem incertissimam) quæ certis aliis nescio qualiter miscentur, ita ut nec incertas apprehendere, neque certas detinere valeas. Ergo quâ poterimus arte conservare tempus? Lege sequentia verba: *& devita à malo.* Secunda pars explicat primam. Valet idem ac si dixerit Siracides: conservare tempus te moneo: & scito id fieri execrando crimina. Quia mali de hoc non curant, volat eis irrevocabile tempus. *Impiis,* (ait Cornelius à Lapid. ad præcitatum locum) *vita fugit, tempus vadit velut vapor, umbra, fumus, nubes &c. At pij jubentur tenere servareque tempus: quod præstant cum in tempore, æternitatis opera faciunt.* Idcirco manet quòd virtutis & vitij non æquâ, sed æquissimâ sorte, justo quidem *timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur.*

A Lapi. in Eccli. 4. in 61.

DELIBATIO VIII.

Timor virtutum radix misceatur fiduciæ. Vita decrescens umbra, quasi vita non est (licet illam præferamus animæ) quia timore mortis afflictatur.

41. *Timor virtutum radix.*

Timor. Quamquam admonuerim litteraliter hac voce subintelligi virtutum cunctarum suavissimam catenam, utpote auream: tamen haud modò præteribo quòd unus pro cæteris bonis actibus exprimatur hoc loco timor Dei. Patet ideo Salomonem ita loqui quia radix universi boni dicendus est: non tantùm eo quòd *ex timore unumquodque vitium premitur*, ut M. Gregorius dixit; sed quia solus hic ad totius innocentiæ custodiam sat est secundum S. Cyprianum. *Sit tantum timor innocentiæ custos*, ait S. Doctor. Et quamvis omnes virtutes antecedat fides; tamen & ipsius fidei fundamentum timor est. *Fundamentum & firmamentum spei & fidei esse timorem.* Inquit idem Cyprianus. Origo sanctitatis igitur Dei timor est.

S. Greg. to. 1. l. 1. mora. 1. c. 11.

S. Cypr. to. 1. epist. 2. ad Donat.

Idem. to. 2. l. 3. testimo. ad Quinum. n. 20.

Apud Evangelij Præcentorem ita legis. *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem.* Timendus utique Deus est; sed quâ ratione timor appelletur non capio: præsertim cum pavor fuget; Deus autem nos vocet. Unum est, aliis omissis, in quo valde conveniunt Deus & timor: quòd scili. ex utroque fonte manant crystallini affluentiarum spiritualium latices: à Deo tanquàm principio; à timore velut instrumentum. Cumque Deus ac timor in hoc simillimi sint, ideo Dominus terror appellatur. Præfatis verbis asseritur Deum futurum sanctitatis originem Hebræis: quô meliùs insigniretur nomine quam pavoris, qui virtutum est seminarium? *Timor Domini fons vitæ,* ait S. Bernardus. Ideo pro toto Spiritus recti grato per synecdochen ponitur *hic timor.*

Isai. 8. 13. 14.

S. Bern. ser. 1. Domit. 2. post Epipha.

43.

Domini. Licet non de solo filiali timore textum explicuerim, eum tamen haud excluſi. Manet adhuc igitur quæstoni locus quomodo scili. timor iste vocetur *timor Domini*, cum dominationi respondeat servitus, & filialis timor non servi, sed filij sit affectus. Voluit Spiritus S. amorem atque formidinem sociare, ne confidens ille nimiùm amet periculum; hic verò corda terrens, ea debiliter. *Ergo* (monet Augustinus) *sic time Dominum ut speres in misericordia ejus.* Duo vitanda sunt extrema: desperatio, & præsumptio: inter hæc medio tutissimus ibis. Sapienter D. Fulgentius. *Ac per hoc nec sub spe remissionis debet aliquis peccare securus: nec peccatorum suorum considerans multitudinem remanere catena desperationis obstrictus.* Nec igitur Dei timor fiduciam tollat, neque metum ex-

S. Aug. to. 3. in ps. 146.

S. Fulgen. epist. 7. ad. venanti. c. 6.

pellat confidentia. Neutrum nimis, & proderit utrumque.

Vidit Joannes in Apocalypsi Redemptoris imaginem, cujus ex ore prodibat ensis; *de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Commentatur S. Thomas ibi: *ideſt prædicans comminabatur ſententiam judicii, quæ ſicut gladius ſeparabit malos à bonis.* Gladij locus vel eſt vagina vel manus: ore protulit enſem? Prudentiſſimè: nam in manu Dei mucronem valde paveret homo; reconditum in tegmine ſuo deſpiceret ſuperbè. Ne vel præſumptio ſibi fidat impeterrita, vel timor cadat vibrantis percitus irâ: neque manu coruſcans; nec etiam clauſus apparuit cuſpis; ſed labiis prodiens. Attemperetur confidentia terrore. Hoc loco ne filialis timor degeneret in elationem, recordari nos cogit textus Dei ſervitutis cui correſpondet nomen *Domini.*

Apocal. 1. 16.

S. Thom. ibi. in comm.

44. *Vita progrediens ſimilis eſt umbræ decreſcenti.*

Apponet. Vita noſtra, ſi Deum coluerimus, dicitur hic augenda cælitus virtutis ope. Sane illa hujuſmodi ſatis eget augmento: nam ſi relinquatur ſibi, ſuſpicor dici poſſe non augeri, quamvis creſcat ætas; quia non greſſum ulteriùs movet, quin æqualiter ſimul retrocedat. Moraliſſime S. Iſidorus Hiſpal: *Vita enim præſens, quia ipſis ſuis incrementis deficit brevis eſt, ſuo enim augmento perit, dum id quod videtur in futuro proficere, in præterito deficit.* Et poſt pauca: *Quod diu in hac vita vivitur quæritur utrum augmentum, an rectius detrimentum dicatur. Sed quomodò poſſit recte dici augmentum quod per dimenſiones ætatum ad mortis tendit detrimentum?* Jamjam illuceſcente die declinant umbræ, juxta illud ſponſæ Canticorum: *donec aſpiret dies & inclinentur umbræ.* Vita noſtra ſimillima nocti, prout luce clarius oſtendunt circumfuſæ tenebræ: tunc dies orietur cum iſtæ per mortem diſparuerint. Mors in januis cuique noſtrûm adventat: igitur vita hominis umbra decreſcens.

S. Iſidor. Hiſpal. l. 3. ſentent. c. 65.

Cant. 2. 17.

Miſſus eſt vates Evangelicus ad ægrotantem Ezechiam, ut ei denuntiaret inſtans funus: utpote qui jam perſonâ ſuâ functus erat in orbis theatro. Cernens ille trâditurum regale ſceptrum in mortis manus, effudit lachrymas quibus Dei benignitas commota non modicè protelavit ejus annos: & ſanitatem contulit eò velociter, ut die tertiâ templum aſcenſurum fore promiſerit Dei vice propheta. Hinc ad ſalutis futuræ ſignum obtulit unum ex duobus mirabile, vel ut aſcenderet linea decem gradibus in horologio ſolari: vel ut per totidem illa deſcenderet. Elegit ſecundum rejecto primo. Sed quare prætulit poſterius miraculum; an quia facile? Sic ille dixit. At inſuper aliud motivum tacuiſſe non dubito: ſcili. quia magis proportionatum rei, quam firmari prodigio cupiebat, judicavit eſſe umbræ deſcenſum. Ingeniosè delegit hoc portentum rex: pro vitæ ſcili. incremento ſignificando voluit umbram deſcendentem: *ut quomodò Sol reverteretur ad exordium ſui: ita Ezechiæ vita ad evolutos redeat annos.* Sic D. Hieronymus. Bene. Sed quare non potius aſcendit ſubito cunctas percurrens lineas umbra? Sic enim ſe in gyrum protendens, mox initium horologij, ſeu diei teneret. Quia minorem haberet ita proportionem cum ſignificato ſuo ſignum, cum vitâ ſcili. Ezechiæ monitrix umbra. Dices regem non revocaſſe tranſactum tempus; novos illi conceſſos divinitus annos. Scio: ſed vita cum longiora percurrit ſpatia, creſcendo pariter decreſcit. *Tunc quoque cum creſcimus vita decreſcit*, ut intellexit Ethnicus. Retrocedenti ſimilis eſt umbræ: indiget ut extrinſecùs augeatur. Amplificationem *timor Domini apponet.*

8. Hiero. to. 5. l. 11. in Iſai. c. 38.

Sene. epiſ. 24.

45. *Anima ſe poſitam reputat in umbra, quandiu luce non ſatiatur.*

Dies, hoc eſt tempus vitæ. Nihilominus ij qui mentis oculum in Divini ſolis radiis figentes nihil terrenum cernunt apertis oculis, durante die ſe poſitos in tenebris dum vita manet credunt. *Dies vero tunc aſpirabit, & umbræ inclinabuntur, quando vita æterna apparebit, & præſens vita finietur. Hic quippe nox eſt; ibi vero dies erit.* Etſi jubaris increati fulgoribus anima colluſtretur; in umbra ſedere putat quandiu perfecte fruendi tanto bono deſideria non ſatiantur.

S. Greg. M. to. 2. in Cant. c. 2.

Dixit ſponſa Canticorum poſtquam Dilectum de præcellentiâ laudavit egregiâ: *ſub umbra illius quem deſideraveram ſedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Dilectum immediatè priùs compellaverat arborem: *ſicut malus inter ligna ſilvarum, ſic dilectus meus inter filios.* Sub ejus umbracula conſtitiſſe protectam affirmat: & hæſitabam quî fieri potuit ut ſponſi Dei reperiſſet umbram, cum verus ipſe fulgentiſſimuſque ſol exiſtat. Caliginem quam præbet quatenus arbor; nonne diſſipat ille ſicut luminare magnum? Clareſcit equidem ſponſa de tanti ſplendoris conturbernio: ſed quia deſideria potiendi (*quem deſideraveram*) in vita mortali non explentur integrè, quia ſolam futurorum conſequebatur adumbrationem: dum tantùm in ænigmate ſummum adipiſcitur bonum exiſtimat in tenebroſo tegmine ſe degere; non ad lucem. Faveat S. Bernardus: *unde ait & fructus ejus dulcis gutturi meo, guſtum contemplationis ſignificans, quem obtinuerat per amorem ſuaviter ſublevata. Ad iſtud in umbra, quia per ſpeculum & in ænigmate.* Iterum audi S. Doctorem: *ita nos quoque reſpectu futuri ſæculi in quadam interim veritatis umbra vivere non negabit: niſi qui non acquieſcit Apoſtolo dicenti: ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Cum facie ad faciem torrente voluptatis anima potata fuerit diem ſibi credet illuxiſſe, latentem interea ſeipſam aſſerit in umbra, quamvis tempore fruatur quod vocamus vulgo *dies.*

Can. 2. 3.

S. Bernar. ſer. 48. in Cant.

Idem. ibi. ſer. 31.

Et anni. Neque dum antea de juſti vita loquitur hîc Salomon: nec modò cum jam de impiis agit, utitur nomine vitæ; ſed primam dies nominat, annos autem ſecundam. Neutram cenſuit dignam vitali nomine. Prudenter dixit S. Baſilius: *Igitur nunc quidem in vita non ſumus, ſed in morte. Idcirco rogavit Paulus dicens: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sane cum ſit ad mortem damnata, parum abeſt ut vita dici nequeat. *Omne humanum genus, quodque eſt,*

46. Vita damnata neci mors eſt.

S. Baſil hom. in pſ. 33.

Sen. in epiſ. 71.

eſt, quodque erit, morte damnatum eſt : & ferè non vivit qui jam adjudicatus neci.

Impoſuit Conditor Adæ mandatum ne de ligno ſcientiæ boni ac mali manducaret, addens, comminationem pœnæ : *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Adam Hevæ ſuaſione ductus miſerè tranſgreſſus eſt præceptum : nec tamen eâdem die quâ peccavit, finiit mortalem factam vitam. Quid ? An mutavit ſententiam judex æquiſſimus ? Lex diem præſcribebat morti, quam elegiſſet homo pro delicto. Peccat hodie Protoplaſtus : & poſt pluſquam nongentos annos obit ? Crede mortuum Adamum eâdem luce qua fregit impoſitam ſibi legem : nam ex tunc damnatus ad mortem cœpit eſſe : nec vera, ſi rigorosè loquamur, vita dici valet quâ detinetur (ne dicam vivit) is qui mortis reus eſt. Caietanum lege. *Nec intelligitur quod in die comeſtionis actualiter moreretur, ſed quod neceſſitatem moriendi incurreret.* Et hoc eſt emori ? Non ergo vimus ? En vitæ initia mors poſſidet. *Vitæ hujus principium mortis exordium eſt.* Inverte cunas, & cernes tumulum : vitam revolve mente, mortem deteges ſub vitæ nomine ad monumenti carcerem condemnatæ. Et juſtus & impius tanquam Adamides fati damnationem incurrerunt : neuter potitur vitâ ; ſed utriuſque tempus aliud à Salomone ſortitur hoc loco vocabulum : pro juſti peregrinatione dixit *apponet dies* ; pro incolatu iniqui : *& anni.*

Gen. 2. 17.

Caiet. ad eũ locum.

S. Ambro. to. 4. l. 2. d. vocatione gent. c. 8.

47. *Plus de vita quàm de animâ ſollicitus peccator.*

Impiorum. Genitivus caſus dominium denotat, non verum ; ſed putatum. Hemiſtichium prius de juſto agens non ſimiliter ſonat : non enim ait : dies juſti ; ſed abſolutè, *dies* ; quia proprium eſt peccantis dominum ſe temporis reri : vel ad minus ita operari quaſi foret hoc ſibi perſuaſum. Hinc oritur quòd majori ſollicitudine curamus de vitæ cuſtodia quàm de animæ ſalute. An ideo ſic nos gerimus quia fragilitas ipſa vitæ (non aliter atque vitro) pretium ejus auget ? bona verò perpetua quia ſolidiſſima, parvi facimus ? An quia vitam illæſam ſervare difficillimum tot inter hoſtes ? Animæ autem reſipiſcentia (ſuppoſita gratia Dei, quæ præſtò adeſt) valdè facilis ? Non ultra quæramus quâ nitatur ratione quod penitus eſt contra hujus præſcriptum. Sit ſatis deplorare quod vix intelligere valemus. Hoc quod ſupra dedimus tu memento : quod ſcili. *tota iſta vita, & omnia quibus uteris in ea, ſic tibi debent eſſe tanquam ſtabulum viatori ; non tanquam domus habitatori.* Non ego ſic hortor ; ſed Auguſtinus. Et quamvis domus dicenda forent hæc, incongruum eſſet quòd habitatorem occideres, ac habitationis ornatui feſtivo totus invigilares. Caro quam ſic foves (animam ſi ab eâ ſepares cogitatu) ſterilis eſt : ſpiritus exulans à Deo (citra mortem ſponſo viduatus) indiget extremè. *Iniquus ergo ſterilem paſcit, & viduæ benefacere negligit : quia carnis deſideriis ſerviens, curam animæ, vitamque contemnit. Tota namque intentione, omnique ſtudio cogitat quomodo ſine ullis neceſſitatibus caro moritura ſubſiſtat, & curare animæ vitam deſpicit, quæ vel in morte, vel in beatitudine procul dubiò in perpetuum vivit.* Iſta B. Gregor. Pap. ne reponas, hæc tantùm accidere ſceleratiſſimis ; de quolibet peccatore (proh dolor) experientiâ notum, priùs de vitæ incolumitate, quàm de animæ ſuæ medela ſatagere.

S. Aug. to. 8. in pſ. 34.

S. Greg. M. to. 1. l. 17. mora. c. 3.

Recole quid evenerit Apoſtolorum Principi nocte quâ ſibimet apparuit adeo diſſimilis, ut liceat in pulcherrimo Eccleſiæ matris oculo nævos invenire. Poſt negationes, maculas expiaturus quas contraxerat, *egreſſus foras flevit amarè.* Exiſtimabam in ipſo loco delicti ploraturum, ad hoc ut publica ſatisfactione deleret reatus notorios : quid fugit jam pœnitens Petrus ? Diſcrimen, cupiens ne lachrymis proditus comprehendatur à Judæis. Chryſoſtomus. *A Chriſto autem in memoriam delicti redactus, ne lachrymis proderetur, non eſt palam auſus, ſed exivit foras, & flevit amarè.* Recordatio pungit : & non ſtatim dolor extorquet fletus : Egreditur ut priùs vitam in tuto collocet : ac poſtea per ſalutares undas animæ vulneratæ curationi manum admovit. Mortalium hæc eſt de immortalitate ſollicitudo ſegnis, quâ æternùm permanſuræ vitæ caducam opere præferimus, non ignari quod nunc *in regione umbræ mortis ſumus, abſcondita eſt vita noſtra, non libera : erit enim libera in regione vivorum. Ibi ergo vivit anima noſtra, ubi nihil mortale, nihil infirmum amicta ſit, nihil debitum pœnæ.* Sic D. Ambroſius.

Matth. 26.

Chryſoſ. to. 2. hom. 86. in Matth.

S. Ambr. to. 2. in pſ. 118. octo. 22.

Breviabuntur. Non obitum ſignificat vox hæc improviſum : ſenſim ad funus, providente Deo, mali tendent : utplurimùm non repentino gladio cadent. Sic illos prolixus timor ſui deceſſus plùs torquet morte feſtinâ. *Nemo tam timidus eſt, ut malit ſemper pendere, quàm ſemel cadere,* Rationem duplicem adjiciam Senecæ dicto, prima eſt (quam aliorſum proſequebar alibi) quia mortis falx non animam ferit ; ſed vinculum diſrumpit, quo ligatur corpori ; timor autem ſpiritum cædit. *Unde dicit B. Aug. quod timor Dei eſt quidam carnifex in anima.* Sic refert S. Antonius Olyſſip. Secunda ratio ſit ex Ambroſij doctrina : ſcili. quòd mors eſt quorundam dolorum ſtabilis meta ; metus autem nobis multiplicat mortes. *Mors enim*, ait S. Doctor, *una eſt in ſeceſſione animæ & corporis, & in fine iſtius vitæ : quæ ſimul ut venit, omnes corporis dolores auferre ; non augere, conſuevit. Metus verò, qui hanc vitam viventibus frequenter ingruunt, mæſtitiæ, dolores, gemitus, diverſique cruciatus plurimas etiam mortes generi humano inferunt, ut iſta mors remedium eſſe videatur non pœna.* Terribilior ergo morte pavor necis.

48. *Metus mortis plus angit nece.*

Sene. epiſ. 22.

D. Aug. apud S. Anton. Olyſſip. ſer. 1. d. uno confe.

S. Ambr. to. 1. l. d. Cain c. 10.

Elias per ſacrificij mirabilem abſumptionem coram populo, Dei zelatus honorem, pſeudoprophetis Baal interfectis, aſcendit in verticem Carmeli : cùmque pluvia, quam terra diu hianti ſitiebat ore plurimo, jam-jam properaret, jubet hoc denuntiari regi Achab : & ipſum in curru ſuo properantem præcedens vates venit in Jeſrahel. Reſcivit impia Jezabel quæ peregerat Elias : & miſit nuntium ad prophetam, dicens : *Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis.* Stultè quidem hâc vice crudelitas vi-

3. Reg. 19. 2.

detur ſe geſſiſſe. Vult illum occidere ; monetque ? An non aufugiet ? Sic accidit. *Abiit quocumque eum ferebat voluntas.* Quid hæc leæna ſic intendit ? Sileat, & inviſum tollere de medio curet : quo fine ducitur, cùm certiorem Eliam reddit de morte quam decreverat eidem ? Æſtimavit diriorem gladio metum : ac proindè timorem voluit incutere vati, quò ſævius cruciaretur, quantumvis evaderet interitum. *Timuit ergo Elias* & adeo pavoris tormento cor illius angebatur, ut mortem quaſi viam flagitaverit, quà ſe tanta liberaret ab ærumna : *petivit anima ſuæ ut moreretur.* Ut igitur metuentes improbi vexentur acerbiùs, non (ſi frequenter accidentia loquamur) ſubitaneè peribunt, ſed ut locus diuturnæ formidini detur, illorum anni *breviabuntur.*

Ibi n. 3.

Ibi n. 4.

FLOS XXIX.

Expectatio juſtorum lætitia: ſpes autem impiorum peribit.

APERITUR.

1. PRIMA hujus gnomæ pars quatuor expoſitiones (quod legerim) aſſecuta eſt apud interpretes: prior quam præfero cæteris eſt ita ut valeat idem atque dicere : expectatio juſtorum optatum videt finem : ac proindè lætitia coronatur, quæ provenit ex adeptione boni expectati. Non ſic ſpes iniquorum, quæ perit, quin deſideratum nanciſcatur. Sic Janſenius & Salazar in hunc locum. Placuit hæc interpretatio, quia ſic valdè proportionatè ſibi mutuò reſpondent utraque ſententiæ pars. Et quamvis non ſola ſpes cauſa meritoria ſit fœlicis exitus, quem juſtus avet, attamen multum in hac re tribuendum eſt expectationi : quæ cùm Dei providentiam, dilectionemque tacitè commendet, ipſi valdè commendabilis eſt juxta illud S. Bernardi Deum alloquentis ita : *Sola nimirum ſpes apud te miſerationis obtinet locum.*

Janſen. & Salaz. in Prov. 10. 28.

S. Bern. ſer. 3. d. Annũti.

2. Cardinalis Hugo tres inſuper adducit ſenſus : quorum primum & ſecundum probabiles judico. Tertius verò diſplicet omnino. Primò ſic exponi poteſt : quod juſtus expectat, æterna ſcili. beatitudo, lætitia eſt. Confirmari videtur ex Bernardo dicente aliorſum: *convenientiùs ſiquidem ſpes noſtra dicitur quod ſperamus* &c. & ſtatim ibidem : *perfecta charitas ſolum ſitit quod ſummum eſt, tota deſiderij vehementia clamat : quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram ? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Unde cùm juſtus Dei ſolam fruitionem anhelo pectore concupiſcat, Deuſque ſit gaudij fons ? poſito quòd ſpes noſtra vocetur id quod ſperamus, ideo dicitur hîc expectationem juſtorum eſſe lætitiam. Favet Dionyſius Carthuſ. qui commentatur ita : *ideſt æternam præſtolantur jucunditatem à Domino.* Non prætuli reliquis acceptionem iſtam: quia non video fundamentum convincens quare textum limitemus ad ſpem gloriæ. Nec D. Bernardus, nec ullus negabit quamplures dari ſpes rectas extra illam quâ ſperatur Deus poſſidendus. Laudabilis fuit ſpes, juxta quam Jacob vovit : *ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me* &c. necnon ea quam ſignificavit Abraham dicens : *Domine Deus quid dabis mihi ? ego vadam abſque liberis :* ſimiliter de ſpe necandi Goliam, quam David concepit fiſus auxilio Domini : *erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi unus ex eis.* Etiam bona temporalia juſtiſſimè à juſto ſperata, vocari poſſunt læta. Sed potiſſimùm obtinet locum fœlicitas æterna : non ſolùm quia ſuperexcellit cætera ; ſed quia differtur poſt vitæ finem : & multò plùs iis qui purgatoriâ flammarum indigent expiatione : nam, ut ait S. Proſper

Idem ſer. 9. in pſ. Qui habitat.

Gen. 28. 20.

Ibi c. 15. 2.

1. Reg. 17. 36.

Gratior eſt fructus quem ſpes productior edit
Ultro objectorum vilius eſt pretium.

S. Proſp. in Epigram. d. divin. Scripturu.

Secundum addit intellectum textui Purpuratus idem, & eſt hujuſmodi. Ipſiſſima ſpes quam juſtus alit corde, lætificat illum per ſemetipſum. Hoc approbant Carthuſ. & à Lapi. quod quidem ſatis eſt veroſimile : quia licet ſpes & gaudium ſint actus ex objecto & modo tendendi plurimùm diſſiti : tamen ſpes virtuoſa tam ſibi habet annexam ſuavitatem, ut hæc videatur cùm ea identificari. *Bona opera ſpem generant, ideſt gaudium ſpirituale*, dixit Chryſoſtomus, velut ſynonima ſint illa duo. *Et ipſa* (inquit hoc loco Dionyſius Carthuſ.) *eorum expectatio eſt conſolatoria & jucunda, ſicut ait Apoſtolus : ſpe gaudentes.* Ex hâc dicendi ratione duo pronum eſt meditari : primum quòd licet ſpes quæ differtur ſit anxia quantum eſt de ſe ; tamen cælitus data ſic dulcoratur ut lætificet : ſecundum quod his verbis expreſſit S. Bernardus : *Si expectatio juſtorum lætitia, & tanta lætitia, ut omne quod deſideratur in ſæculo non valeat ei comparari: ipſum quod expectatur quid erit ?* Tertius ſenſus additur præfatæ ſententiæ : ſcili. beatitudo expectat juſtos. Hic certè non eget impugnatore.

Hugo Card. in Prov. 10. 28.

Chryſoſt. to. 2. hom. 15. operis imperfecti in Matth.

Dionyſ. Carthuſ. in Prover. 10. 28.

S. Bern. ſer. 4. in pſ. Qui habitat.

3.

Extrema pars ejuſdem verſiculi cohærenter ad ſuprapoſita debet explicari. Juxta ſenſum, quem veroſimiliorem duxi, dictum eſt idem valere ac ſpes impiorum non ſortiri quod expetunt. Carthuſianus ibi : *ideſt privatur effectu* : & eſt interpretatio plana valdè. Juxta ſecundam expoſitionem ſic redditur : ſpes impiorum definunt in funeſta. Hoc illis contingit, quia ſpes iſta nititur meritis propriis, & corruit nixa debillimo fundamento. *Periculoſa habitatio eorum qui in meritis ſuis ſperant. Periculoſa, quia ruinoſa.* Secundò quia figitur in potentia caduca, fidelitate hominum, dilectione perfidi ſæculi, quô nihil ſtabile reperitur, ut piè monuit Chryſoſtomus. *Nunquid in rebus humanis conſiſtit aliquid ; an non potiùs omnium præterfluentium curſum imitantur omnia, ſimul atque apparuerunt, citiùs nos quàm umbræ relinquunt ?* Juxta duos probabiles intellectus quos retuli textus accipi valet. Ad primum accommodatur ſic : Spes improborum tragico fine claudetur. Unde non erit ſecundùm iſtum

Dionyſ. Carthuſ. in Prover. 10. 28.

S. Bern. proximè ſup. ſer. 8.

Chryſoſt. to. 1. hom. 4. in viſionem Iſai. 6.

istum dicendi modum contrapositio inter ea quæ justus & iniquus expectant, sed inter utriusque spei eventum. Hoc fateor esse, parum rigori litteræ congruum sed probabilitate non vacat : & intelligi potest de spebus gloriæ quibus nequissimi non carent.

Idem. to. 3. prolo. in Ioan. *Neminem*, ait Chrysostomus, *novi qui in præsentia ad cælum evolare nollet.* A sæculo temporaria, simul & à Deo coronam præstolantur impudenter isti. Accedit quod expectatio noxij timore destituta degenerat : proinde flos ille flacescit, quoniam *in cassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat*, inquit M. Gregorius. Et persertim peribit hæc expectatio quia præsumptuosa nimis fallit sontes qui temerariè cupiunt & hic & in patria beati reperiri.

D. Greg. M. to. 1. l. 33. mora. c. 11.

S. Hiero. to. 1. epist. 34. ad Iulian. prope finem. *Difficile*, Hieronymus, ait, *imo impossibile est ut & præsentibus quis & futuris bonis fruatur, & ut hic ventrem & ibi mentem repleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit & in cælo & in terra appareat gloriosus.* Alteri partis prioris acceptioni, quæ ipsam spem gaudium vocant, ægrius aptari reliquum paræmtæ poterit, nisi dicas enucleari valere sic : Spes impij peribit, hoc est erit mæsta, prout accidit pereuntibus. Tamen hîc involvitur libertatis nonnihil: ideo minor est hujus interpetrationis probabilitas.

4.

Expectatio differt à spe, quòd illa dicit moram; spes verò potest significare tam instantaneam, quam & morosam. Verum est quod sera torquet : *sed nihil longum quod finem habet*, ait S. Hiero.

Idem. to. 5. in Ierc. l. 1.

Justorum. Quamvis hi sint plures; unica præstolatio cunctorum : quia eundem ad finem referunt omnia singuli. Propterea de multis agens rectis, de spe textus loquitur singulariter : ut insinuet ad singularis illius fœlicitatis assecutionem, quâ nihil majus, ordinanda cuncta fugacia bona, quibus nunc detinentur humana vota : donec eò perfectionis deveniatur, ut verificetur illud S. Cypriani. *Nihil appetere jam, nihil desiderare de sæculo potest, qui sæculo major est.*

S. Cypri. to. 1. epist. 2.

Lætitia. Optatis hilarescit justus : at sæpe clauditur in corde gaudium, & luget exterius. Id qua ratione stare possit vix percipimus inexperti : nam *caro*, inquit Anonimus, *non habet oculos ad videndum qualiter inter lachrymas Deus gaudia infundat cordialia.*

Anonim.

Et spes impiorum. O quam solitat anxia miseros peccatores divexare spes evanida! Vacua, inquam, pro fine consequendo; non pro deprimendis cordibus immani pondere : propter quod naufragij potius causa quàm remedium periculis obsistens dicatur anchoræ simile. Quàm lepidè pia moralis occurrit Augustini lux! *naufragium fugis; & plumbum amplecteris.* Ita possemus exprobrare nonnullis : heus tu : ponderosam complecteris anchoram, & per illam emergere tentas à gurgite, quam non figes in profundo; sed ipsi locum tenaciter inter brachia præbes.

S. Aug. to 8. in. ps. 51.

S. Bern. ser. 3. de Annun. *Peribit* : & utinam citiùs periisset, si fortè spes hæc est illa, de qua S. Bernardus : *est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus.* Diabolicum est inventum ex medicaminibus conficere venena. Satan de spe toxicum excogitavit, scili. superbam securitatem, virtutis pestilens virus, ad lætitiam expectationis amicorum Dei fidenter aspirans, & subdolâ quiete cuncta perdens. Absistat inertia turpis; adsit exultatio trepidans. Bernardi verbis utar, ut rem aperiam, & expositionem litteralem claudam : *exultate, inquam, sed adhuc interim cum tremore. lætos vos esse volo, sed nondum securos.*

Idem ser. 3. in. ps. Qui habit.

DELIBATIO I.

Spes electorum jucunda.

1. *Deo fidens putet non abesse fœlicem eventum.*

NOn *solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur ei non valeat comparari.* Bernardum audis experientiâ magistrâ, & ratione duce sic loquentem. Duo sunt ex quibus oritur mæstitia spei mortalium comes indivisa : mora scili. ac incertitudo. Ab eâ tamen, quam virtutis athleta pectore fovet, utrumque abest eò quòd in Deo collocetur secundùm prudentiæ regulas : proinde suavis est valde. Quoàd tarditatem. Salomon ipse loquens de sperantis afflictione dirâ, causam insinuat cur ita vexet, aiens : *spes quæ differtur affligit animam.* Exinde possumus inferre quòd nisi procrastinetur non cruciat, quin potiùs exhilarat animos injiciens & memori mente retineri faciens dilectum bonum. In Dei manibus oculos anima velut ancilla figit in manu dominæ, quæ non largiter sed ocyssimè, profusa votum complet indigentium, nec illos trahit cunctatio. *Non est tardus ad remunerandum Dominus* : & citatus, & magnificus adest. Sæculi potentes ab indigis longissimè distant : ideò dona differuntur expectanti nimium : necnon ad istum conscissa perveniunt. Velut æstivo tempore fons ebulliens in apice collis, procul posito sitienti populo multiplicis plantæ parcè diffundit lympham : quæ per montis juga sterilia descendens absorbetur latenter ab eis, quo fit ut vallis inopia tardè rigetur, ac avarè. Haud aliàs regum largitas verè prosperitatis perpetuo fungens, ab inopum spe prolixâ dividitur intercapedine. Descendit beneficentia regalis : & subdole majorum sitis eam suffuratur, nec ad pauperes plantulas nisi parcissimè seraque devenit aliquando tandem, si fortassis unquam. Non ita regum Rex qui non longè manet ab unoquoque nostrum, sed intus. Belle S. Anselmus ad illud Apostoli : *Dominus enim prope est*, ait sic : *Dominus prope est paratus dare quidquid opus est vobis in spiritualibus & corporalibus. Et ideo sollicitudinem vani timoris abjicite.* Divinam juxta nos munificentiam esse credimus : boni fruitionem differendam ne vereamur. Hanc distare judicet confidens in homine, quantumvis probo; qui verò fiduciam in Deo locavit, desideratum non procul esse putet; sed jam properare.

S. Barn. ser. d. S. Benedic. prope finem.

Prover. 13. 12.

S. Ambros. to. 1. l. 1. d. Abrah. c. 3.

Ad Philipp. 4. 5.

S. Anselm. to 2. in epist. ad Philip. c. 4.

Postquam Dei plebs igne mirabili vidit absumptum Eliæ sacrificium, idolatræ rejecto Baal Deum agnovere. Pseudoprophetas obstinatos ultione severâ mulctavit. Et pluviam usque tunc prohibitam de cælo mittendam agnoscens, regi Achab rem aperuit: *Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluviæ est. Ascendit Achab, ut comederet & biberet* &c. Jam sonat auribus prophetæ pluvialis aqua? Claret ex ipso textu qualis mora inter illa verba vatis, & pluviæ descensum, intercesserit. Ascendit rex ut comederet; Elias verò conscendens Carmeli verticem pronus in terram posuit faciem inter genua. Deinde puero suo jussit ut iret, ac prospiceret contra mare: illumque reversum denuo misit, & non semel ivit: ac tandem post apparitionem nubeculæ præcepit ut regi denuntiaret quod jungat currum, descendatque ne occupetur ab imbre. Cunctatur Achab, contenebrantur cæli, ventus furit, ac denique grandis præcipitatur nimbus. Textum consule, non aliter invenies accidisse. Quî fieri valuit ut Elias tantò perceperit auribus antea fluentes desuper latices? *sonus multæ pluviæ est.* Lira difficultatem solvere cupiens auxit eandem: nam commentatur sic: *ideſt imminet de propinquo, quia pluvia facit sonitum in cadendo, & quantò grossior & densior, tantò fit sonitus major.* Eccur audit Thesbites anticipatò pluviam strepitum? rex non ita? quinimò admonitus non festinat, sed tempus terit? *Cùmque se verteret huc atque illuc:* ubi Sanctius ait: *Verumtamen placet magis communis sententia; quæ hæc de Achab accipit, qui cùm fuisset ab Elia maturè per famulum admonitus, ut sunt regum tarda molimina, & illorum incessus impediti, dum alia atque alia aut meditantur aut curant, aut etiam quia non satis sibi persuaserat instare pluviam extractum est aliquantulum temporis.* Imber tunc sonat cùm decidit; & vates antequam delabatur illius percepit aure sonos! Si loquitur ita quia propinquus adventabat ut prolaberetur: quare non similiter auditum à rege textus narrat? cur ille cunctatur se in currum statim recipere? Achab nubium fluenta non adeo mox ruitura putavit, quia hujus boni spem in vate collocaverat, qui soli prophetæ cælestis irrigationis defectum videbatur attribuere, dixit enim: *tu ne es ille qui conturbas Israël?* Spes in homine constituta non tam celeriter matureſcit. Elias in Deo sperabat idem, nam Dominus pollicitus fuerat dicens: *Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.* Vates igitur propiorem existimabat nimbum, & ita ut ejus magnum audire visus fuerit murmur; cùm adhuc post hæc rex econtrariò tardaret iter: quasi diutiùs expectandum crederet qui non à Domino, sed ab humano libito pluviales aquarum copias præstolabatur. Segnitiem Dei piissima liberalitas nescit.

3.Reg.18. 41.42.

Liran. ad hunc locum.

3.Reg.18. 45.

Sancti. in 3. Reg. ibi.

3.Reg.18. 17.

Ibi n. 1.

6. *Spes cùm plenda citò lætitiam affert ante fruitionem.*

Semel atque moras ab spei complemento secludimus, jam præit possessioni gaudium. Expectationis in torquendo minister solet esse tempus. Reliqua dum emoriuntur agonizant; spes autem etiam tunc angitur cùm diu vivit: & adeò quòd eadem voce frequenter significamus pati ac sperare, velut synonima: vocamus utrumque: sustinere: imò difficillimum inter ea quæ tolerantur extat præstolatio morosa. *Nihil tam difficile quam differre gaudia*, censuit Quintilianus. Excellit gratâ jucunditate munus quod festinat; sicut anhelantis anxietate productâ, devenustatur quod pigrescit. *Major est muneris gratia quò minus diu pependit. Est enim bonarum etiam rerum sollicita expectatio*, inquit Seneca: & adeo gratiosius ita donum, ut priusquam prendatur manu corda permulceat hilaritas, cùm citra dilationem potiundum bonum scit qui desiderio spem associavit.

Quintili. de. ca. 1.

Senec. l. 2. d. benefi. c. 5.

Parabolicè hunc in modum Magister divinus alloquitur discipulos: *Simile est regnum cælorum thesauro absconditio in agro: quem qui invênit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit.* Nunc ab ipso parabolæ cortice non progrediar. Videtur immaturè gavisus homo iste. Incertum adhuc erat an thesauro (vel ejus parte media) potiturus esset: jam de illo gaudet? Nonne poterat agri dominus illum vendere nolle? an non accidere valebat ut quandiu suorum venditionem exequitur, ac emptionem agri perficit, alius opes easdem inveniret ac furaretur? Utrovis modo frustrata manerent inventoris vota. Perge mecum ad c. 19. ipsius historiographi. Venit ad Præceptorem summum adolescens, & scisciatur quid à se faciendum foret ut vitam æternam assequeretur. Post opportunam responsionem Dominus addidit priorem perfectionis regulam, ut ad Evangelicam viam quærendam invitaret eundem: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis:* &c. Mœrorem istum compone cùm gaudio reperientis conditas gazas. Hic de non certo gavisus est merè temporali bono? Juvenis tristatur cùm divitiarum cælestium firmat spem irrefragabilis promissio? Differebatur harum possessio; non enim dum vita maneret, sed post fata, ditandum spopondit Redemptor. Emere cupiens agrum sperabat se brevî possessurum quod sors obtulerat. Ideo mox iste gaudet; quippe dum spes properat expleri, gaudium antevertit possessionis tempora. Quâ de causâ, licet utplurimùm sperantium cruciatus viscera transadigat; nihilominus *expectatio justorum lætitia.*

Matth. 19. 21.22.

Secunda ratio quæ spes humanas mæstificat est incertitudo consequendi. Longiùs hæc exulat fœliciter ab expectatione quam justus divinæ commisit providentiæ. Boëtius: *nec frustra sunt in Deo posita spes, precesque; quæ cùm rectæ sint, inefficaces esse non possunt.* Hinc fit ut hilaritate profundatur sperans: nam quid gratius, quàm sine ullâ hæsitatione credere te quod aves, possessurum? Hoc ita verum est, ut singularem lætitiæ diffinitionem descripserit quidam: quasi hæc unica sit in terris exultatio, de quâ nunc agimus. *Lætitia*, inquit, *est erectio quædam atque elatio animæ sperantis se absque ulla*

7. *Petens à Deo firmet adeo spem, quasi rem debitam postularet.* Boët. d. consolat. l. 5. prof. 6. fine.

Ficin. de voluptate c. 10.

ulla dubitatione quod petierit possessurum. Lætissima ergo spes quæ cælum suspicit : nam fertur indubitanter in desiderata sic ut velut rem debitam exigat quod postulat.

Joan. 16. 24. Paulò ante postremam vitæ clausulam dixit Apostolis humanissimè Redemptor : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite & accipietis :* idest in nomine meo postulate : nam per antecedentia verba explicantur ita posteriora. Beda ibi : *ideſt hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum: & accipietis.* Putabam dicturum esse: jam ne flagitetis : ego vobis quod concupiscitis conferam. Ut rogent in ejus nomine commonet ? Ita : quia si petitionibus omissis præstolarentur ab eo cuncta, reciperent illa tanquam indebita, fuissent etenim dona, nonque verè donatur debitum. Suadere Dominus intendebat eis tam firmiter posse quidquid amavissent ab omnipotentia expectare, tanquam si Pater ad id largiendum teneretur. Non ait vobis donabo : sed petite meo nomine. *In nomine autem meo addidit, ut mediatorem se & collargitorem ostendat.* Ita S. Cyrillus Alexand. Unde se gessit Filius Dei quasi diceret : poscite mei nomine, quia cùm ego pariter atque Pater largitor omnium sim, & nemo donet alienum, quod meum exigitis, ac proinde quod mihi debetur ; necnon & vobis utpotè potestatem habentibus deposcendi meo nomine. Sic velim spes vestra non titubaret, velut rem debitam ab eo quærens, qui solutor fidelissimus non esse minimè valet. *Ergo cùm quid petimus quod causæ huic sine dubio cooperetur, fidenter tanquam in nomine Jesu petentes nos accepturos speremus.* Hæc Rupertus.

Beda in Joan. ibi.

S. Cyrill. Alex. l. 11. in Joan. c. 7.

Rup. l. 12. in Joan. c. 16.

8. *Pluris Deus facit haberi largè benesicum, quàm ut unicum Deum coli.*

Objiciet fortasse nonnullus, indecens videri quòd majestas Altissimi nobis debuisse putetur quod ab eo sollicitamus obtinere. Ne verearis præ nimiâ confidentiâ lædere quem oras. Hoc amat ipse : quòd scili. quasi justitiæ rigore nobis obligetur, sit conveniendus ab hominum supplicationibus : hoc enim illimitatam indolem beneficam commendat, cujus fidem ipsi divinitatis existimationi præponere videtur cunctorum Dominus. Et ratio hujus est, quia majestas conciliat metum ; liberalitas amorem : Deus autem se metui minus diligit, plus de nostro sollicitus amore. Ad illud Pauli : *obsecro vos per misericordiam Dei*, ait Chrysologus : *Rogat Paulus, imo per Paulum rogat Deus : quia plus amari vult quam timeri. Rogat Deus, quia non tam Dominus esse vult quàm Pater.* Creatura quælibet, si juxtà Deum pensetur, nihil est : unde ejus adorationes pro tanto Deo ferè nihilum obsequij sunt ; amor verò creatus cùm audeat hominem quasi transformare in amatum, dignior est divino conspectu. Pluris itaque Conditor facit se largè munificum haberi, quàm ut unicum Deum coli.

Ad Rom. 12. 1.

Chrysol. ser. 108.

Bis deliquit Aaron : primò conficiens idolum aureum, cui luminibus orbati cultum exhibuere Judæi : secundo cùm dubium admisit an de petra Dominus educturus esset aquas pro sedanda populi siti. Propter secundum reatum punitus est morte per decretum peculiare : *pergat, inquit Aaron ad populos suos : non enim intrabit terram quam dedi filiis Israël, eo quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis.* Pro confectione vituli, cùm idolatræ gladio fuerint animadversi, evasit Aaron operis nefarij temerarius author. *Non tamen Aaron percussus est : parcitur ei ut in melius commutetur.* Sic Interlinearis : cùm tamen verum sit illum reliquis graviùs peccavisse. *Non meretur,* ait Caietanus, *tanta blasphemia Aaron excusationem. Insanivit enim & ipse multò magis quam alij.* Qui pepercit nunc Aaroni, quare illum privat alibi vita ? Quia de magnificentiæ divinæ benignitate dubitavit ibidem; circa vitulum autem crimen læsæ majestatis infinitæ commisit. Non modò sed postea nece mulctetur, ut videat pluris Deum facere se profusè munificum existimari, quàm divinis honoribus unicè fideliter affici. Non ergo formides ab eô sic orare quod exoptas: velut foret obstrictus ad præstandum concupita.

Num. 20. 24. Interli. Caietan. in Exod. c. 32.

Eò divina circa nos pietas excellit, ut gratitudinem non ambiens permittat illud quod ultro confert videri non utcumque debitum, sed quasi nobis insitum naturâ nostrâ. Ignoro possit-ne altiùs conscendere Dei largitatis erga mortales hyperbole. Sciens quòd sollicitare grates devenustat beneficium: cùm etiam cognoscat illud quòd naturaliter congenitum est accipienti, minùs deberi collatori Deo, quia possidentis quasi jus explevit : finit Omnipotens ut amicis largita dona judicentur ipsorum naturæ consentanea. Æquiparantur Phœbo sancti : an quia Sol de suo splendet ? Vide an ita liceat suspicari. *Lux enim Solis est propria, plena, fixa. Lux Lunæ econtrariò, aliena, vacua, & varia. Simili modo est in peccatore & justo. Lux enim justi propria est, de suo lucet* &c. Ita Valentiæ Archipræsul. Ipsa utique dona Dei alæ sunt quibus perfe i sublevantur : & quid mirum pennæ videantur innatæ volantibus.

9. *Deus permittit videantur dona sua insita nobis à naturâ.*

S. Thom. à Villano. ser. 1. d. S. August.

Adeamus Ezechielem. Vidit ille triumphalem divinæ gloriæ quadrigam quatuor mysticis animalibus tractam, singuli quorum exornabantur alis ; non tamen omnes vocantur aquilæ, sed unicum ; cæteri dicuntur homo, bos, leo. Quod aquila visa fuerit alata, non mirandum. Sed bovi, leoni, & homini alæ insunt ? *duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum :* ubi quivis adnotabit quòd unumquodque alas animal habebat, sed tantum aquilinæ videntur à naturâ datæ. Mysticum intellectum attendamus prælucente M. Gregorio. *Igitur quoniam justus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis leo, per contemplationem verò efficitur aquila, rectè per hoc sancta animalia significari unusquisque perfectus potest.* Ornatu pennigero virtutes designantur juxta S. Doctorem. *Qua in re*, inquit, *hoc patenter indicatur, quia & pennas alias ad alterum tendebant, & tamen duabus alis corpus proprium velabant. Quid est hoc nisi quia sic debemus virtutes quas accepimus aliis impendere, ut ea in quibus peccavimus, non desinamus cautè cogitare* &c. Itaque rectus quilibet in se veritatem exprimens quatuor illorum

Ezech. 1 11.

D. Greg. M. to. 2. hom. 4. in Ezech.

Idem ibi hom. 7.

illorum animalium, quandiu fortitudine, mortificatione, ac ratione tantùm gressus dirigit super terram, non adhuc in sublimia contemplationis avolans, non sibi naturales vendicat alas; verè sunt adscititiæ. Cùm perfectæ virtutis attigit culmina: cùm jam similis aliti Jovis est, naturam licet factis excedat, virtutes velut insitas eidem videri Deus permittit in ipsorum gloriam, sicut regina volucrum suaptè naturâ concessis utitur instrumentis ut avolet. A tam magnifico Domino, qui sua dona distribuit sponte quasi juris debito naturalis annecterentur possidentibus, ora jugiter, & expecta confidenter: ac ipsa spe non adhuc ad finem perducta cor tuum exhilarabitur: nam *expectatio justorum lætitia.*

DELIBATIO II.

Expectatio justorum Crucis Dominicæ fulcro nixa, securitate lætificat.

10. *Lætius vives in umbra crucis, quàm sub protectione Dei.*

SPem sanctorum ideo lætitiam nominari dixi litteram versans, quia fœlicem indubitatumque videt exitum. Flos hic marcescit minimè; sed in fructum desinit gratissimum, quia optimæ plantæ germen est, scili. sanctissimæ Crucis. De ista piè meditatur Au-

S. Aug. to. 8. in ps. 103. gustinus in hæc verba: *Erat latitudo in qua porrectæ sunt manus, longitudo à terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo innexo ligno sursum quod eminet; profundum ubi fixa erat crux, & ibi omnes spes vitæ nostræ:* &c. Profundo crucis inserere videtur Ecclesiæ lumen præclarissimum spem humanam: ut ibi radices agat tam firmas quòd salutiferæ arboris validissimis fibris innodentur. Ac ne liberè dictum censeas lignum pœnale progerminare lætitiam, Ber-

S. Bern. ser. 1. d. S. Andr. nardum audi monentem: *si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat,* &c. Ex ramorum foliis legebantur olim corollæ in lætitiæ symbolum. Ex ligno Crucis lego apud Chrysostomum nobis coronam imponendam; seu quò verius dicam, ipsam nobis

Chrysost. to. 2. hom. 55. in Matth. Crucem esse lauream. *Nemo igitur pudeat horum salutis nostræ symbolorum atque signorum; sed veluti coronam, sic læto animo Crucem Christi circumferamus: omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur,* &c. Non à sola Cruce mihi lætitiam pullulare jam dicam, sed ab ipsa Crucis umbra, quamvis non soleant nisi nigra umbracula pandere aliarum arborum rami. Nobis, qui flores fœni sumus, consultum est sub hujus tegmine virgulti, potius quàm ad apertum Solem, consistere. Salubre quidem est & amœnum sic ut divini luminaris placidè rigores mitigaverit, & Ecclesiæ plantulas vice lucis ejusdem nutriverit. O jucundissimum recubitum sub sacrosancti ligni tegumento! Hilariorem reddet Crucis opacum tegumen, quam te protegentis manus Omnipotentiæ.

Rationem hujus pronuntiati subjiciam postmodùm. Nunc audi regium Psaltem. *Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* En dexterâ Dei collocatus non in hac, nec in ejus protectione dixit exultasse; in eo tamen quòd alarum velamento divinarum contegatur exulturum profitetur. Extensæ velantes alæ Crux dominica sunt brachia Salvatoris extendens. Hugo Cardinal. ibi: *vel alæ Domini sunt brachia in Cruce extensa.* In manu dextera quidem potentia Dei, protectionis robur denotatur. Lorinus ibidem. *Significatur quòd adhærere quærentem Deo, Deus ipse sibi conjungit, ac veluti prehendens manu adjungit sibi, & sustentat potenti dextera sua.* In alis protensis forma crucis exhibetur: & forsan majus exultationis motivum ex pennarum, quæ Crucem figurant, velamento collegit Psalmographus, quam ex ipsâ Dei manu validissimè protectrice.

Ps. 62. 8. 9. Hugo Card. in ps. 61. Lorin. ibid.

11. *Utrumque brachium Crucis vocari valet dextrum.*

Sed jam interrogas cur ita? Pervia cuique ratio hujus est. Justus in manu dextera Dei locatus oculos conjicit in lævam, in quâ, prout alibi notavi, comminatio supplicij: & gaudium, quod à dextra capit, metus imminuit. At in Crucis umbra positus nihil ibi sinistrum cernit; Utrumque illius cornu dextrum est: nam per sinistrum quidvis, ut supra dedi ex Bernardo, adversitates indicantur; Crux autem est ipsa fœlicitas, & sorti nihil miscetur infortunatum, sicut & albedo ne quicquam nigredinis involvit. *Tu sancta Crux peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, desperatorum securitas, infortunatorum fœlicitas.* Hæc Rabanus. Accedit quòd uno Crucis & altero bracbio prostravit hostes humanæ salutis Assertor, erexit lapsos: quæ sunt dextræ; non verò sinistræ, munia. Ligni salutaris ergo brachia dextra sunt ambo.

Raban. d. laud. Cruc.

Appropinquabat Jacobo dierum irrecusabilis meta. Quod fortè veritus Joseph invisurus eum pergit secum assumptis duobus gnatis Ephraim & Manasse. Hos pater dispositi, seniorem ad avi dextram, & alium ad sinistram. Commutavit prudens Jacob manus, & imposuit supra juniorem dexteram; ac in capite frattis lævam, benedictionemque impertitus est eis. *Qui extendens manum dexteram posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus. Benedixitque Iacob filiis Ioseph, & ait* &c. Etiam Jacobo dicere Manasses valebat quod ad illius parentem Isaacum dixerat olim querulus frater Esau: *benedic etiam & mihi pater mi*: nam sinister locus maledicti potius quam benedicti situs est. Potuit qui utrumque benedictione donare decreverat, benedicere primò Ephraim, & postea Manasse, dextræ successivè applicans utrumque nepotem: Uni sinistram præbet, ac benedicit ei? Figuram Crucis in Jacobi lacertis adnota, nullamque manum ejus dicendam sinistram credes. S. Isidorus. *Jacob cancellatis manibus Crucis mysterium præfigurans, translata in minorem dexterâ, majori sinistram figuraliter superposuit. Sicque Crucis similitudo super capita eorum denotata, Iudæis scandalum,*

Gen. 48. 14. 15. Ibi c. 17. 14. S. Isidor. Hispal. in Gen. c. 30.

ſcandalum, Chriſtianis futuram gloriam præſignavit &c. Concinit Damaſcenus. *Jacob adorans ſummitatem virgæ alternatis cancellatiſque manibus filios Joſeph benedicens, ſignum Crucis manifeſtiſſime deſcripſit.* Ecce Crucis umbra, quâ nihil ſiniſtrum, cujus utrumque brachium ligni dextrum eſt. Nè triſtetur Ioſeph de Manaſſe patris ad lævam poſito: nam etſi littera ſiniſtram dicit, myſterium dexteram promittit in eádem. Non veretur idcirco juſti ſpes in cruce firmata quòd marceat jucunditas cordis: quia ibi dextra ſunt omnia: ideo expectatio juſtorum lætitia imperturbata eſt, eò progerminata ligno.

S. Ioan. Damaſc. l. 4. d. fide. c. 12.

12. *Si cruci adhæreas facile conſequêris quod expectas.* 1. Ioan. 5. 6.

His adde certitudinem ſpei à cruce manantis. Irrigatum *non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine*, lignum Filij Dei nullum edit floſculum, qui vel rapiatur vento, vel fructu vacuus langueſcat. Hoc terræ mandavit arbuſtum gratia, non verò natura: plantæ quas humectat hortulanus tempori nimis obediunt, nec ſemper florum producunt ſpes, & harum plurimæ redduntur ab eò prorſus inanes. At floſculi expectantium votorum, à ſtirpe ſacra iſta gemmantes, ut omni tempeſtate reperies, ita nullâ cadent. Expectatio tua non langueat, ſi Crucis radicibus hæres. Magno indiget auxilio qui deſerit iſtas, ut aſſequatur animæ ſalubria dona; ſi verò ſub Crucis arbore manſeris, minori precum diſpendio ſpiritualia munera conſequêris.

Mirabar quod in Calvariæ monte Dominus pro perſecutoribus; non pro Adamo legatur expreſſis verbis rogaviſſe. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Nonne congruum potius foret interpellare Genitorem cunctis audientibus pro Adamo qui non ſibi ſoli nocuit; ſed univerſo toti? Non indigebat oratione Protoplaſtus adeo ſicut hoſtes: quia ſub arbore Crucis humatus Adamus erat, mortuiſque brachiis, viva tamen ſpe, radices illius velut amplectebatur. Hæc ratio non militabat pro inimicis. De Adami ſepultura hæc fertur opinio, quam refert Origenes dicens: *venit ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt ubi crucifixus eſt Chriſtus*, &c. Adde S. Epiphanium. *Mirari licet de eo qui novit, velut etiam in libris reperimus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Golgotha crucifixum eſſe, & non alibi quam ubi corpus Adam jacebat.* Non indigebat ergo pro expectationis exitu fœlici Protoparens tam exquiſito Mediatoris interventu: quò nempe doloribus transfixus, & fere agonizans, pro eo ſupplicationem ſpecialiter effunderet ad Patrem. Facilis eſt venia poſiti peccatoris in umbra Crucis, & non ſolius Adami, ſed cujuſque omnium qui ſubter ejus alas obumbrantur. *Nulli infirmorum*, ait S. Leo, *Crucis eſt negata victoria.* Et ratio patet, quia clauſam paradiſi januam non arduum nimis eſt aperire illum qui clavem poſſidet. Et quam tu putas clavem paradiſiacam? Damaſcenum accipe iterum. *Per nullum enim aliud mors primi parentis deſtructa eſt, primi parentis peccatum ſolutum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, virtus nobis contemnendi præſentia, mortemque ipſam, elargita, ad antiquam beatitudinem regreſſio reparata, portæ paradiſi patefactæ, natura noſtra in dextris Dei ſedens, filij Dei & hæredes facti, niſi per Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et licèt claves non miſericordiæ, ſed potentiæ ſoleant emblema referre; hoc tamen illis convenit quæ non aperiendi ſolum, ſed etiam claudendi munus agunt. Domini Crux non ex iſtis eſt: nam & cæleſtem aulam; & quinque januas templi Deitatis (corporis nempe ſacratiſſimi Redemptoris) pandit ſic, ut has apertas viderint Apoſtoli poſt reædificationem templi deſtructi (reſurrectionem ſcili.) quin apertione ſecundâ fuerit opus. Cæleſtis autem Jeroſolimæ valvas ita reſeravit, ut dicatur de illis: *portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* O miſericordiæ clavem, quæ aperis & nemo claudit! O ſpei noſtræ firmamentum ſtabile!

Luc. 23. 34.

Orig. tract. 35. in. Matt.

S. Epipha. to. 3. l. 1. hær. 46.

S. Leo. Pa. ſer. 13. d. Paſſio.

S. Ioan. Damaſc. l. 4. d. fide. c. 12.

Apocal. 21. 25.

13. *Videtur obedire Deus ei qui patrocinium Crucis advocat.* S. Leo. Pa. ſer. 5. d. Paſſ.

Redeat iterum S. Leo, & repetat quod pro Cruce dixerat. *Chriſtianæ igitur ſpei, dilectiſſimi, vera ratio & principalis cauſa Crux Chriſti eſt.* Quid audes Beatiſſime? Nonne Deus principalis cauſa ſpei eſt? Utique: ſed ita ut ſe præcipuam eſſe cauſam diſſimulet in Crucis gloriam. Sic ſe gerit cum eo qui Crucis auxilium vel in umbra fideliter implorat, ut petenti non annuere ſed obedire videatur.

Joſue 20. 14.

Lucem abunde præſtabit hujuſcemodi cogitatui ſol tempore Joſue cælo conſiſtens: quippe *non fuit antea nec poſtea tam longa dies obediente Domino voci hominis.* Inierat urbs Gabaon cum Hebræorum populo fœdus amicum: quod graviter adeo tulerunt quinque reges Amorrhæorum, ut obſidio preſſerint Gabaonitas, quò tanquam hoſtium ſuorum fœderatos oppugnarent. Obſeſſi poſtularunt ab inclito duce juvamen: qui Deo favente percuſſit obſeſſores, & fugavit in ore gladij, pugnante necnon cælo, jactâ de ſurſum immani grandinis copia. Sed quia diei ſpatium defuturum victoriæ conſummandæ veritus eſt, precibus imperio ſimilibus coegit ſtare ſolem: & hæ eſt illa obedientia de qua textus: *obediente Domino voci hominis.* Ezechiæ regis tempore memini retroceſſiſſe luminare magnum ad hoc ut ex retrorſum veniente umbrâ ſanitatem ſibi conferendam intelligeret Iſraëlis Moderator. *Et reverſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat.* Nec tamen ibi ſimiliter additur obediſſe Dominum Iſaiæ, ſicut de Joſue prius dictum lego. Quænam diſpar ſtyli ratio? Licet eam textus reticeat, illam dedit Ambroſius, nempe quia tunc panſis brachiis bellicus Heros Crucem præindicavit, hoc de Iſaia non legitur. *Expanſis juſtorum manibus*, ait Ambroſius, *precationem ſimul atque inſuperabile Crucis trophæum ſignificantibus, ſol ſiſtebatur, luna retinebatur.* Ubi Crucis umbra per veluti ſympathiam Solem ſtare fecit: ibi Dominus obediens poſtulanti deſcribitur: quaſi namque ſatis non foret petita concedere, morem Deus induit obſequentis ei, qui patrocinio Crucis fultus

Iſai. 38. 8.

S. Ambro.

auxiliatorem invocat ipsum. O ter fœlicem spem, quæ rerum omnium Dominum sibi vendicat morigerantem!

14. *Ultra spem consequitur nixus Cruce.*

Expectationem superat per viam S. Crucis adveniens beneficium. Reliqui fructices edunt uno, vel ad summum duplici tempore poma. Crucis è ramis quoque tempore fructus colliges. En vincitur spes. *Nullum est lignum quod omni tempore fructificet, nisi Crux quam gestant fideles, qui rigantur aqua Ecclesiastici fluminis, & reddunt fructum perpetuum omni tempore.* Ultra spem fruitur desiderabili bono suo, qui supra Crucis fundamentum erigit vota, quærens eandem ut pulchræ sortis mediatricem.

Incertus sub nomine Augustini to. 6. hom. 12. in Apocal.

Zachæus non sola statura pusillus præsciens Christum Dominum illàc transiturum, currens ascendit in arborem. Suspiciens vocat eum Redemptor, ut à ligno descendat: & in domum ejus ultroneus hospes invitat se, non invitatus: *Zachæe festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Nunc ad ea quæ apud Joannem leguntur veniamus. Non multis ante passionem temporibus Andreas & Philippus denuntiaverunt Magistro gentiles adesse quosdam, qui videndi eum desiderio tenebantur. Respondit Filius Dei tantùm doctrinam præbens; non tamen legimus utrum benignum sese illis exhibuerit, qui vultum ipsius cupiebant. Ad minus certum est, quòd non eos in domo eorum, vel hospitio quæsierit, sicut Zachæi habitationem adiit. Gentilis erat hic? Etiam & illi. Non dedignatur Zachæum ille, qui se non pariter humanum præbuit Gentilibus prædictis? Cur ita visum concessit, insuper & mansionis honorem, ei qui tantùm videre cupiebat? Quia Cruce pro mediatrice usus est Zachæus, ut expectatione suâ non frustraretur: ideo sortitus fuit ultra spem. Sycomorus Crucem præsignavit, insinuante Beda:

Luc. 19. 5.

Beda. l. 5. in Luc. c. 77.

ficus fatua dicitur: & eadem Dominica Crux quæ credentes alit ut ficus ab incredulis irridetur ut fatua. Gentiles, non Crucem, vel in figura; sed Philippum elegerunt mediatorem ut ostenderet eis Jesum. Ad summum compotes voti sui facti fuere, nec amplius. Zachæus verò qui stipite sacro spes inseruit suas: cum videre solùm Dominum concupiverit, hospitem domi suæ recepit, ac laudatorem habuit: *in domo tua oportet me manere. . . . eo quod & ipse filius sit Abrahæ.* Sperantium in sæculo próvenit agonia præsertim ex eo quòd ferè numquam integrè consequuntur quod ardent. Cum igitur non solummodò fortunatum, sed auctum crementis, finem assequatur præstolatio justi nixa Cruce Dominica, ideo *expectatio justorum lætitia:* quinimò desperatis etiam salutem Crux affert: ut enim lignum triumphale vincat omne, spem etiam superat. *Salutifera Crux per quam genus humanum liberatum est, & per quam desperabundis undique salus annuntiatur.* Ita S. Nilus.

Luc. 19. 5. 9.

S. Nilus ep. ad Olimp. relata in 7. Sino. act. 4.

DELIBATIO III.

Expectationis cruciatus, non obstante lætitia, justorum præcordia torquet.

NIhil putetur obesse quæ de spei gaudio dicta sunt, ne illam dicamus animæ tortorem: nam quamvis expectatio justorum lætitia; hoc ideò verum habet, quia (ut statim persequar) ex doloribus eruere jucunditatem potens est amor. Non tamen hoc tollit quod è Cruce flos emissus (expectatio nempe nostra) sequatur arboris naturam, & intime cruciet. In hominis auxilio posita spes, & crux, vocabulo designantur eodem. *Considera* (inquit Origenes) *ne forte & illud quod scriptum est: maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, sic debeat intelligi quomodo & illud quod alibi dictum est: maledictus à Deo qui spem habet in homine.* Hæc nobiliori titulo de spe gloriæ verificari possunt: nam quod in caducâ præstat incertitudinis anxietas; in virtuosâ fortiùs exequitur dilectionis flamma. Secundùm partem rationalem est equidem *expectatio justorum lætitia* mentium rectarum; attamen illas constringit in parte sensetiva premens. *Justus igitur vir*, inquit S. Grego. Pap. *quia impleri desiderium suum appetit, non differri, humiliter dicit: non de pœnis innocentum rideat, ac si diceret: vota nostra libenter accipiens ultra non differat, sed ostendendo exhibeat eum qui nos in sua expectatione castigat.* Hem! spes gloriæ supplicium est! & virtus! Imo Cruci Dominicæ valde similis, quia patibulum voluntarium est.

15. *Spes gloriæ simillima Cruci.*

Orig. to. 1. hom. 2. in c. 1. Gen.

S. Greg. M. to. 1. l. 8. mora. c. 15.

Opponebat sese scribens ad Galatas Paulus iis qui scandalum Crucis, de cujus nomine confundebantur, vitare satagebant. Ea phrenesis hominum est, ut venena quærentes, remedia fugiant. E contrariò Magister Gentium gloriationem suam in Cruce Redemptoris, & non ultra, neque citra statuisse profitetur. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quomodo stent hæc Apostoli verba cum illis quibus ad Romanos ait: *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*, vix novi: nisi dicam spem gloriæ, Dominique lignum paria tantopere, quòd is qui tantùm in arbore salutis asseverat se gloriari velle, non sibi contrarius extet, cum in expectatione beatitudinis gloriam experiri fatetur: nam etiam spes gloriæ sustinet crucifixos. Sicut ex palma non producitur oliva: ita spes à Cruce pullulans crux est.

Ad Galat. 6. 64.

Ad. Roman. 5. 2.

16. *Spei simul & desiderij gladius anxiè cædit.*

Præcipuus Crucis hujus angor ex eo conflatur quod spei associetur absentis dilecti desiderium. Comites individui sunt affectus hujusmodi. *Spes*, inquit Nissenus, *interim movetur, dum non licet frui atque potiri iis rebus quæ sperantur.* In absentia nullus ignorat votorum amaritudinem

S. Grego. Niss. disp. d. anima & resurrec. post med.

quæ ſpei amarori mixta propinat fellea pocula
S. Bern. ſer. 51. in Cant. ſitienti dilectum. *Cùm præſto eſt quod amatur,* ait Bernar. *viget amor : languet cùm abeſt. Quod non eſt aliud quam tædium quoddam impatientis deſiderij : quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis abſentem quem amat : dum totus in expectatione , quantamlibet feſtinationem reputat tarditatem.* Perito in arte ſua credendum eſt Bernardo : nec erit unde cuique dubium ſit plus eos vexari qui peroptant potiri bono quod expectant; quàm ſi penitus ignorarent quid ſibi deſiderandum , quidve foret expetendum.

Opinio eſt D. Auguſtini Aſſertorem humanæ ſalutis poſtquam in Patris manus tradidit ſpiritum ad Purgatorij carcerem deſcendiſſe , ac exinde aliquot animas liberaſſe:
S. Aug. to. 2. ep. 99. ad Evodi. ante med. *Nulla cauſa occurrit* , inquit S. Doctor , *cur illò credatur veniſſe Salvator , niſi ut ab eiſdem doloribus ſalvos faceret :* & poſtea ſubdit : *fuiſſe tamen Chriſtum apud inferos , & in eorum doloribus conſtitutis hoc beneficium præſtitiſſe non dubito.* Hac veritate poſita, ſolummodò pungit dubiolum iſtud. Erant eo triduo diſcipuli ſatis anxij deſideriis Magiſtri demortui , quin ullum eorum levamen occurreret præterquam in memoriam reducere noviter doloris motiva : nempe quod viderant , quod perſpexerant , quod audierant de dilecto. Quare non Dominus amicos iſtos inviſit ſpiritu comparens eis priuſquam ſurgeret è tumulo. Non quæro cur non velocius reſurrexerit : nam ut verbo ſuo non deficeret, ſic oportuit Chriſtum immorari ſepulchro : ſed inquiro curnam ejus anima , ſicut in cuſtodia vinctis adſtitit, non etiam Apoſtolos metu jubente clauſos lætificavit præſentiâ ſuâ ? Quia plùs pietatem Domini commoverunt animæ traditæ flammis expiantibus : hæ quippe deſiderio ſpeque torquebantur Deum videndi qui duplex affectus mucro biceps dicendus eſt. Apoſtoli per ignorantiæ privilegium immunes erant ab hujus enſis ictu. Illuxerat jam tertia dies, & adhuc de reſurrectione Domini Joannes
Ioan. 20. & Petrus nihil noverant. *Nondum enim ſciebant Scripturam , quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Quod iſti neſciebant , latuiſſe alios veroſimile eſt : ignari manebant quid ipſis in materia ſubjecta foret cupiendum & expectandum : proinde non tantus eos dolor divexabat , ut non poſſet pietas Præceptoris tardare greſſum : feſtinantiùs adſit Aſſertor ignium acolis , qui deſiderantes , ac opperientes affligebantur multipliciter.

17. *Spes amplius cruciat quã deſperatio.* Fateor ſævum eſſe deſperantis agonem, ſed dirior adhuc eſt expectationis tortura. *Nihil æque amarum quam diu pendêre. Æquiore quidam animo ferunt præſcindi ſpem ſuam , quam trahi.* Non fallitur Ethnicus prudens : nam fiducia levamen offerens amica facie , corda gladio tranſverberat perfidè; non ſic deſperatio pectus hoſtiliter oppugnans. Et cùm ſit longè terribilior hoſtis amicitiam ſimulans, quàm aperto marte decertans : ideo ſpem ſervans infœlix quaſſatur ampliùs, quàm ſi amitteret eandem.

Spiritus ſanctus ore Salomonico prænuntiat quoſdam in die judicij preces oblaturos
Prov. 1. 28. Deo fore ; nec tamen exaudiendas. *Tunc invocabunt me , & non exaudiam :* ubi Gloſſ. ord. *Poteſt hæc tota correctio ſapientiæ de omnibus reprobis generaliter accipi quod in die judicij clament ad Dominum , januam regni ſibi aperiri poſtulantes , nec audientur.* Conſonat Dionyſius Cart. *poſt mortem,* ait, *quoque in particulari aut generali judicio , non patet precum aut veniæ locus.* Ubi habet Vulgata ; *non exaudiam* , Lectio Hebraica inquit : *non reſpondebo.* Putabam potius reſponſurum : neſcio vos ; nullum eis præbebit ille reſponſum ? Prudenter ſanè, quò ſic ſpes adhuc eorum frivola perſeverare ſinatur , quam ſi deperderent audita repulſa, minus conflictarentur. Deſperarent utique ſi funeſtè vox illis declamaret à Deo neſciri ; nulla reſponſione adhibita , credi poteſt quod iterum & amplius invocabunt præſumente fiduciâ. Hæc expectationis diuturnitas plùs eos conficiet, quàm diffidentia. Ne tam citò jubeantur ab invocatione cœpta cadere , ſpe macerentur eorum præcordia.

Gloſſ. ord. ibi. Diony. Cart. ibid. Lect. Heb. ibi.

Video rigidum cenſorem nobis inſultare, quod proximè datus locus de ſpe ſceleratorũ procedat ; textus autem quem dilucidamus de juſto loquatur. Ne reprehendas feſtinus : non enim quia recta ſpes ideo mitior : ab Sponſo Canticorum charitas excellens æquiparatur inferorum rogo : *fortis eſt ut mors dilectio , dura ſicut infernus æmulatio :* non igitur indecens eſt quod illorum ſimilitudine , qui damnandi ſunt iræ die , rectorum ſpes perpendamus. Et ſi rogas quomodo læta poſſit hæc appellari , quæ velut ſagitta penetrat intima : conſule quos amoris experientia docuit , quam facile ſit huic artifici dolores in gaudia mirabili metamorphoſi tranſmutare. Quinimò prout Auguſtinus teſtatur , *duleiores ſunt lachrymæ orantium , quam gaudia theatrorum.* Difficillimum exiſtimabas dolorem experiri ſuavem, dulceſque fletus ? Amor ipſe nonne vulnus & voluptas eſt ? Origenes. *Illa anima dicitur eſſe vulnerata charitatis , quæ amore Dei ſaucia diurnis deſideriis , nocturniſque ſuſpirat , aliud loqui non poteſt , audire aliud quid non vult, cogitare aliud neſcit , deſiderare aliud præter ipſum, vel ſperare quid non habet. Anima quæ in tam fœlici ægritudine conſtituta eſt , dicit optimè : vulneratæ charitatis ego ſum , & ab illo vulnus accepi de quo Iſaias ait. Poſuit me Dominus quaſi ſagittam electam.* En amor ægritudo vulnuſque dicitur ; cùm tamen illo nihil ſuavius diffitendum non ſit. Et ut faciliùs credas amorem Dei ſolere jucundas anxietudines reddere , hoc in dilectione humanâ rectâ , ſi vehementior fuerit , videas inveniri.

18. *Amor ſi vehementior, vertit in gaudia dolores.*

Cant. 8. 6.

S. Aug. to. 8. in pſ. 107.

Orig. expoſ. 2. in Cant. hom. 3.

Fictam Joſephi mortem Jacob indoluit : & omni conſolatione rejecta dicebat : *Deſcendam ad filium meum lugens.* Mutata ſorte, decurrentibus annis , ad conſpectum chari Joſeph proregis Ægypti perlatus Jacob ait: *jam lætus moriar , quia vidi faciem tuam , & ſuperſtitem te relinquo.* Cernis verborum antinomiam ? Priùs cùm ad gnatum putabat ſe perrecturum poſt obitum , lachrymis profluentibus mortem præſtolabatur amantiſſimus parens ? & cùm decedendo relicturum ſe credit genitum præchariſſimum , non de

Gen. 37. 35.

absentia tristatur futura ? sed inquit : *lætus moriar* ? Sapientissimè grandævus diversimodè locutus fuit. Erga Josephum non adeo vigebat amor Jacobi cùm deploravit tanquam vita functum, quàm dum faciem ejus revisit : solent namque fervidiùs amari bona restaurata quàm perdita. Itaque dum effervescebat flamma, Jacob de morte loquebatur velut molestissima: *descendam ad filium meum lugens.* At quando volavit excelsiùs amoris incendium, cruciatus mortis in gaudia transmutatus est : idcirco de transitu, quasi de suavi discessu dixit : *Iam lætus moriar.* Amor equidem suffert jacula patienter quandiu minori pollet robore ; si pervenerit ad perfectionis apicem, quæ alioquin toleraret, suscipiet exultans.

19. *Spem Deus alleviat, quin merito fraudet.*

Sic erga spem se gerit amor. Tormentum ista sanè mediocriter amanti ; si vires ampliores exerit affectus, eadem expectatiò transit in lætitiam : hac tamen lege, quod nec jucunditas meritum doloris perdat, nec amaritudinem permanere sinat. Ignis ex aliàs insuavibus, & spinosis fructibus conficit alimenta, sic ut suavia reddantur, ac simul nutriant. Dolores quidem sensui sunt ingrati ; nihilominus ad ignes decoquuntur amoris ita quod alant, & recreent. Allegoriam ne despicias, nam cibo comparatur meritum juxta illud : *non est apud inferos invenire cibum* : ubi Cornelius à Lap. *cibus significat hic merita bonorum operum.* Quo posito fruere Augustino. *Et ut noveritis fratres quia manducatur labor iste, in superiore psalmo audistis dictum superbis : surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris : iste est labor fructuum panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis. Nisi autem haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret cùm tanta suavitate.* Dolores igitur, qui sunt animæ cibi, suaves è Deo reddi solent pœnalitate servata, ne vel acerbitas deterreat infirmos, vel nimia suavitas præmio defraudet. Meritum non minuatur expectantis : attamen spei cruciamentum allevietur.

Eccli. 14. 17. A Lapi. ibi.

S. Aug. to. 8. in ps. 107.

E sponsæ foribus Dilectus declinavit, ut illius tepiditatem, quâ renuit ostium pandere, puniret. Resipuit illa : surgit, aperit, quærit : sed frustra, donec inveniri dignatus est ille qui ut fructuosiùs reperiatur abest aliquando consultò. Paulò post sic Sponsus fatur ad eam : *averte oculos tuos à me.* Bone Deus ! qui videri renuis, cur te diutius non subtraxisti ? Memini Absalonem dixisse dum negarerur patris conspectus, melius illi fore si abesset, quàm postquam aderat ipse non intueri genitorem : *melius mihi erat ibi esse, obsecro ergo ut videam faciem regis :* & sanè longè aberat à perfecta dilectione Absalom erga patrem. Ingratus filius dolet non videre parentem ; gratissimus amator ab Sponsa contuendus non erat ? Glossa viam aperit solutioni, verba Sponsi exponens ita : *non à desiderio cognoscendi desistas.* Optimè. Sed urgeo : si jam Sponsus adest, ad quid persisteret Sponsa desiderans ? si desiderantem cupiebat, seipsum abdat, ut ea optet eundem. Apparet quærenti ? & oculos prohibet in ipsum defigi, ut apperat aspicere ? Ita quidem. Nec merito vacet spes ; nec patientiam obruat ejus angor : ut leviùs ferat expectationem videndi Sponsum, inveniat illum dilecta fœliciter ; sed ut spes maneat in augmentum præmij, lumina vertat, avensque dilecti visione frui patiatur, ac per tolerantiam istius tortoris non parum lucretur. Emolumentum spirituale non cesset expectantis ; attamen spei cruciatio temperetur. Suavem sine præmiorum dispendio reddere spem nostram curat summa providentia largitoris divini : nam si Crux illa non esset, non lucrifaceret quæ oculus non vidit ; & adeo magnam jacturam faciens non esset *expectatio justorum lætitia.*

Cant. 6. 4.

2. Reg. 14. 32.

Gloss. in Cant. 6. 4.

DELIBATIO IV.

Exponitur textus juxta versionem Septuaginta : immoratur justis lætitia.

QUam inæquali sorte gaudent ij qui Deo militant, & qui mundo. Istis arridet fors ut irrideat ; illis affert Dei fidelitas gaudium quod perennet. Mundanorum læti dies manè habent quô radiant, & vesperum quô declinant ; justorum non ita, quia diem eis metitur Sol, qui nescit occasum. *Præsens vita ludus est*, ait Chrysostomus, *futura non est ludicra.* Ludi gaudium instabile ; mansuræ vitæ constans exultatio : nec ignoras quod præcedenti flore n. 40. ex Hieronymo retuli, nempe justi dies ad vitam perpetuam spectare. Proindè lætus horum fulgor umbris exors jugiter exhilarat. Et non sine magno rationis momento probi constanter gaudent (*gaudete in Domino semper*) sciunt etenim Deum simul cùm dono securitatem conferre possessionis, ut verum sit, & inviolata lege sancitum quod nemo spoliabit quem Deus ditaverit. *Nunc*, ait S. Cyprian. *cùm Deo loquere, nunc Deus tecum : ille te præceptis suis instruat, ille disponat : quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet.* Quandiu beneficium Dei securum non est, adhuc non videtur divinum ; cùm stabilitatem nanciscitur, Dei esse donum patescit.

20. *Non videtur esse beneficiũ Dei quod adhuc non apparet securum.*

Chrysost. to. 5. hom. 47. ad popul.

Ad Philip. 4. 4.

S. Cypria. to. 1. ep. 2. ad Donat. n. 10.

Carcere detentus dormiebat Petrus, cùm adstitit angelus, refulsit lumen, percussus excitatur Apostolus. Monet cælestis nuntius illum ut se præcingat, & sequatur eundem. Complet monita Simon : pergit incorporea ducis vestigia premens : & adhuc gratias Deo non agit. Pertransierunt ambo primam & secundam custodiam, devenerunt ad portam ferream, quæ spontè pervia facta salvum permisit abire Principem Apostolorum : nec tamen usque tunc vel unicum verbum ille protulit, quô demonstraret se nosse Dei beneficium. Processit quousque discedente comite, postmodum egit grates, dicens : *nunc scio verè quia misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis* &c. ubi Lorinus ait : *sibi gratulantis, & Deo gratias agentis verba sunt hæc.* Tam serò gratitudinem Petrus exhibet ? in hac re mora levis

Act. 12. 11.

Lorin. in act. ibi.

magnâ reprehensione digna : quare cunctatur ? Hoc dum aliorsum alibi meditarer superius flo. 17. n. 41. promisi D. Petrum à culpa hoc loco vendicare : proinde nonnihil ibi dictis addo. Usque tunc nesciebat ille utrum somnium esset quod experiebatur, an res verè gesta : & quandiu securus non erat de munere libertatis, hoc tanquam divinæ manus donarium revereri non audebat. S. Joannes Chrysost. exponit illud *nunc* ita : Chrysost. to. 3. hom. 26. in acta. *nunc cognovi, inquit, non tunc.... postquam liberavit, tunc sentire facit.* Adde Liran. Liran. in Act. c. 12. n. 15. *tum percepit quod non erat somnium* : & concinit ipse textus : *& nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum : existimabat autem se visum videre.* Quandiu dubitabat an verè foret secura data libertas ; an somniata, fileat Petrus : non enim videtur esse donum Dei quod adhuc stabilitatem secum deferre Petrus ignorabat. Quæ à divina beneficentia peculiariter manant, constantia sunt, ideoque percepta ex illorum adeptione immoratur justi lætitia.

21. *Plus debes assecuranti spem, quam donanti.*

Enimverò splendescit adeò de permanentiæ circumstantiâ donum quodlibet, ut plus debere te judicare possis creditori tuo, cùm ab eo assecurationem impetras accepti ; quàm primùm cùm fuit impertitus hoc idem. Rationem insinuant verba S. Bernardi : S. Bernar. ep. 129. *tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet : nec beneficium gratiam.* Dum subest amittendi periculo, tota fœlicitas nutat, & metu consternata minuitur : proindeque possumus asseverare novo divinitus affici dono fœlicem, qui de concesso bono tutus constituitur. Hac fortè de causa dixit S. Thomas à Villano. S. Thom. à Villano. ser. d. partu Virgin. *Verumtamen pius ac misericors Dominus, qui dignatus est nobis exhibere ingentia beneficia, ipse dignatus est ea quoque manifestare. Duplicatum beneficium: & quia dedit, & quia revelavit.* Revelatio præstat infallibilitatem rei dictæ, proindè securitatem præbet. Jure optimo secundum beneficium appelletur ; nisi fortè velis vocari primum. Et quidem judico minimè falli putantem se plus debere pro spei assecuratione, quam pro spe metipsa.

Bis juravit uxori suæ Bethsabee David Salomonem ejus filium fore conscensurum regni solium. De priori juramento non legimus illam egisse grates, quamvis in ejus gratiam fuerit emissum : quinimò non stylo grati animi de hoc jurejurando locuta fuit ; 3. Reg. 1. 17. 18. sed velut exigens rem debitam : *tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.* Secundò juravit rex adimpleturum fore prius juramentum : & Bethsabee tunc signa devicti Ibi n. 31. animi gestu verbisque obtulit. *Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem dicens : Vivat dominus meus David in æternum.* Et quid ampliùs habuit secundum quam primum sacramentum fidei regiæ, ut secundum extorserit ab ea gratitudinem ; non ita primum ? Credo quòd priori juramento sceptri spem recepit à Salomone possidendi ; posteriori verò hujusce spei securitate potita fuit, cùm per istud rex vinculo religionis iterato seipsum religaverit. Eâ de causâ gratam vicem persolvit adorans, quasi diceret : plus tibi nunc profiteor me debitricem, cùm spem quam conceperam, & Adonias proditoriè regnum ambiens turbaverat, firmiter stabilire dignatus es.

22. *Dona Dei quietem humanam non turbant.*

Hinc ad expectantes munera Dei gradum facito. Timoribus expedita, curis libera, spes illa est quæ cælitus demittitur. Quidnì sit *expectatio justorum lætitia*, metu depositio ? Fateor quandoque suos in corde recto (ne peregrinationem diligat) inquietudinum fluctus identidem cieri : attamen *interdum in summo silentio, serenitate ac pace quiescit anima : ut sola spiritali voluptate, indicibili oblectatione, atque incolumitate perfruatur*, inquit S. Macarius. Tunc anima dicere valet gestiens lætitiâ, verbis Hugonis utens fidenter : *sic comedo, bibo, & dormio securus, quasi jam transierim diem mortis, & evaserim diem judicij, & tormenta inferni : sic ludo & rideo, quasi jam regnem tecum in regno tuo.* Absit præsumptio segnis ; id tantum est animus inculcare quod spiritualia diligere oblectamenta cupientibus addat stimulos. Noverint mortales voluptatem eis promitti cælitus imperturbatam, nec molestam, sed quietis amicam:

S. Macar. hom. 18.

Hug. l. 3. de anim.

Pro Hebræorum annonâ providentia Dei manna de cælo per annorum prolixa spatia perpluere dietim curavit ; sed ita ut in sabbato non descenderet : *in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur.* Et qua de causa ? Die illa, quæ Domino dicata, rebar abundantiùs mittendum panem cælestem, cùm Deo peculiariter sua dicatur lux illa qua se nobis beneficum exhibet, de quo alibi. Singulis manna diebus reliquis grandinat ? soloque sabbato deficit ? Requiei dies hæc erat : *requies Domini sanctificata est Domino cras :* &c. dixit inibi Moyses. *Manna verò figura quædam erat universalis Dei liberalitatis loco arrhæ hominibus concessa.* Sic D. Cyrill. Alex. divina largitas non venditur inquietudinis pretio. Noluit ergo Dominus ut quietem perturbaret sollicitudo quærendi cæleste pabulum. Dona Dei humanam requiem non interturbant. Ea voluptas quam de spe nobis divinitus data concipimus, cùm nullis anxietatibus hujus firmitas agitetur, perfectè jucunda, jucundissimè consummata, consummatéque fœlix est.

Exod. 16. 26.

Ibi n. 23.

S. Cyrill. Alex. in Joan. l. 3. c. 34.

23. *Unicum bonum stabile præstat duobus inconstantibus.* Petrarch. dial. 108. d. remed. pro sp. fortu.

Idcirco magni fieri debent munera Conditoris, præ sæculi xeniis. Hæc enim, si te putas in tuto locatum, erronèe possidentur, si formidas periculosè potiris. Neutro modo te fortunatum dicam : *nulla enim cùm errore, nulla sine securitate fœlicitas.* Rationis fideli staterâ trutinemus unicum bonum periculis vacans, cùm duplici discriminibus obnoxio: si rem benè perpendimus, invenietur illud quamvis unum duobus istis præponderare. Mox è ratione firmabo dictum : nunc excitato brevi dubio comprobabitur. Lazarus & Joannes adsunt ambo Redemptoris amici, ut quid eis acciderit libremus.

Lazarus, inquam Dei amicitiæ titulo condecoratus est ipsius ore : *Lazarus amicus*

noſter: necnon & Joannes hoc honore dignus eſt habitus : quem etſi pronuntiaverit ipſemet de ſe loquens, omnis tamen ſiniſtræ ſuſpicionis expers eſt : non enim veritatis vox mentitur vel decipit: *amicus autem Sponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* Inæqualiter ſe geſſiſſe video cum utroque Dominum. Occidit Lazarum ægritudo; ſuſcitavit omnipotentia. Necavit Baptiſtam aliena luxuriæ febris in Herodis exardens pectore: nec ad vitam reduxit eum Omnipotens. An Lazarum prætulit? Abſit. Lazarus à Dei Filio non dicitur amicus meus, ſed *noſter*; Præcurſor amicus peculiariter nominatur: *amicus autem Sponſi* &c. Et qui Lazarum revocavit ad lucem, ſinit manere Joannem in mortis clauſtro? Quin potius quia Redemptori charior hic erat, iſtum liquit in Patrum limbo qui Magdalenæ fratrem vocavit è tumulo. Nam reſurrectio juſto quid eſt niſi quietem cum bello, ideſt vitâ, commutare? Fateor ſimul cum vitâ decus acquirere illum, qui propterea ſuſcitatur à ſomno mortis quia Deo placet (magnus enim honos eſt acceptum ei eſſe, qui ſolis in electis complacet.) Nihilominus vita decuſque, dona ſunt inſtabilia. De vitâ patet experientiâ: de honore ſcis pendere permanentiam ejus à linguis hominum: in quibus, velut ad voraces flammas, candor obfuſcatur facillimè. Quies autem quam tunc temporis in limbo juſti conſequebantur, Dei munus erat perturbationis exors. Illa requie fruebantur Ioannes & Lazarus. Hic, eo quòd minus diligatur, accipiat fragile bonum vitam, ac decus apud homines nequaquam immobile: ſic enim oportet ut ſororum lachrymis fiat ſatis; licet amittat manſionem quietam, quâ potitur inter Patriarchas tutiſſimus. Non ita contingat Joanni, quia Servatori dilectior eſt: limbi ſtatione tranquilla fungatur quæ eligibilior eſt honore flatuque mortali ſimul ſumptis: præſtat enim donum conſtans unicum duobus, quæ timore mutilantur illa deperdendi.

Ibi. c. 3. 29.

24. *Timor licet à vento ſit ortus, mutilat fœlicitatem.*

Rationem prædictæ veritatis aſſignare pollicitus fui, jamque proximè libavi. Timor hæc eſt: qui cum gaudio prælia gerit ſtrenuus ideo quia fugax, & viribus deſtitutus. Mutilam reddit ſortem, adeò quòd Tertullianus dixerit: *recto ordine prius metus tollatur, quam gaudium infundatur.* Senſiſſe videtur quod ſi pariter ambo corde morentur, potius pavor exultationem evacuabit, quàm jucunditas formidinem compeſcet. Scio frequenter vento ſimilari quod horremus; voluptatem flammæ: quæ ſi rationi ſit conformis, illuminat; ſi minime, cor exurit. Repetat judicium in hac re ſuum Plutarchus. *Ut flamma excitata vento major eſt ac vehementior, ſed parum durabilis ac conſtans, ſic vehemens cupiditas ob metum adjunctum incertam habet voluptatem.* Fortè meliùs diceret: certum voluptatis finem: quia timor quamvis flatum habeat pro motivo ſortem detruncat.

Tertull.

Plutarch. in morali.

Greſſu libero majeſtas incarnati Verbi proculcabat undas: quarum furor ita cum ſemetipſo confligebat, quod velut ſi rationales eſſent, videretur eas de primatu certare, cupientes hæc & illa nulli ex æqualibus cedere locum ad hoc ut quamprimùm benigniſſimi Domini pedibus ſubſtraturæ provolverentur cryſtalli thronum. Parum diſtabat à Magiſtro Petrus fragili cymba ſuſtinens procellæ rabiem inanem, fluctuumque tumorem ſpumosè ſuperbum (Et in aquis elatio ventus eſt? Quid erit in homine, ubi non metaphoricè turget?) Viderunt diſcipuli: quaſi ſpectrum perhorruére. Hæc eſt affectuum tranſmutatio humanorum: pavemus quod amare debueramus, & econtrariò. Allocutus eſt Servator illos, ut fiduciâ ſublevarentur. Apoſtolorum Coriphæus reliquis amantior, nec ſola Domini voce contentus, nec moram remigij patiens, quamvis alij navigio vecti properaverint ad Jeſum, facultatem petiit ambulandi ſuper aquas, ut pervenire citiùs ei daretur, & obtinuit. Verùm quò mortales noverint ſe plerumque poſtulare quod ipſis non expedire neſciunt, accidit quod flante vehementi aurâ timuit, & mergi cœpit. *Et deſcendens Petrus de navicula, ambulabat ſuper aquam ut veniret ad Ieſum. Videns verò ventum validum timuit, & cum cœpiſſet mergi clamavit* &c. Metum Apoſtoli ſupra flor. 5. num. 7. jam expendi prout admiſſum à Petro; nunc reſtat eundem librare ut permiſſum à Domino. An ad hoc ut pavore conſterneretur, poteſtatem gradiendi ſuper aquas Petro contulit Aſſertor? Minus concuteretur cor ejuſdem diſcipuli repulſa petitionis quàm naufragij metu. Benignæ largitati ſuæ nonnihil ad ſpeciem detraxiſſe videtur Dominus, cum ſic brevî duraturam elargitus eſt facultatem. Sed fallitur ſuſpicio: non equidem in hoc ſuæ liberalitatis gloriam dedecoravit ille qui totus vocatur Dei Patris manus: imò noſtris mentibus ita commendavit myſterium. Quomodo non conceſſum Petro largiter beneficium fieret mutilum, ſi timori locum in pectore ceſſit? qui licet à venti flatu veniat, potens eſt fruitionem doni cujuſlibet amputare? metus fortunam ſuccidit. Nomine Divini Præceptoris ad Simonem D. Maximus habet ita: *dum cunctaris & dubitas, iter quod ingreſſus fueras perdidiſti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, ut non eâ fide, quâ venire cœperas pervenires? Intellige ergo quia in mari credulitas te portabat, perfidia ſubmergebat.* Pulchrè quidem, & eruditione Maximus: ac etſi perfidiæ caſum tribuat, cum radicem habuerit iſta formidinem, de timore nobis agentibus proficuus eſt S. Pater: ut orationem claudamus inde conjicientes eâ ſolum integrè teneri quæ pavor non faſcinat. Unum ex his bonis eſt ſpes juſti, planta radicibus altis ventorum ſpiritus deludens: & libera trepidationibus venuſtiſſime floreſcit, ut verum ſit: *expectatio juſtorum lætitia.*

Matth. 14. 29. 30.

S. Maxi. hom. ult. hyem.

DELIBATIO

DELIBATIO V.

Spei caducæ privatione flagellantur iniqui duriſſimè.

25. *Deſperatio plures cruciatus antecellit.*

Spes autem impiorum peribit. Oppoſita rectorum præſtolationi hæc eſt. Non illam tamen funeſtam Salomon appellat, quamvis priorem vocaverit lætitiam: nam ſolent de ſpe ſua ſpeciosè fraudulenta peccatores exultare: ſed iſta ſiletur hilaritas: *nam illi ſibi videntur gaudere; non eſt autem gaudere, impiis dicit non homo ſed Dominus.* Verba ſunt Auguſtini. Agnoſcebat Salomon quòd etiam ſpei gaudia prima luctus occupat, quem ut malis denuntiet, flendi cauſam aperit, nempe deſperationem futuram: *ſpes autem impiorum peribit.* O tormentum par mortis ictui: quinimo gehennæ ſimile: ſicut Iſidorus de aliquo deſperationis genere docet inquiens: *peccare, ad mortem pertinet; deſperare verò in infernum deſcendere.* Multiplicis alterius mali perverſorum capitibus impendentis comminatione poſſet illos deterrere Salomon à delictis: putavit attamen ſpei præſciſionem inter imminentes dolores eminere: utpote qui ſævus cruciatus, nec præſenti gaudio, nec futuro, concedit oblectari cor: actualem namque lætitiam ſecum non patitur, quia mæſtus nimis: & venturum tollit ab oculis vaticinans quod afflictabit. Igitur deſperatio pluribus tormentis confœderatis anteit in affligendo miſeros.

S. Aug. to. 8. in pſ. 96.

S. Iſid. Hiſpa. l. 2. ſent. c. 14.

Cum Deus Moyſi clementiſſimus apparuit in rubo, teſtatus eſt ſe liberaturum ab ergaſtulo diro plebem deſcendiſſe: *& ſciens dolorem ejus, deſcendi, ut liberem eum de manibus Ægyptorum* &c. Poſt multam formidoloſi legati renitentiam obtinuit benignitas, vicitque timiditatem ejus contentioſam. Duo continebat commiſſa fideli ſervo legatio. Primum nuntiare populo, Dei patrum ſuorum pietatem commotam erga illos, ab Ægyptiacis oppreſſionibus eos eruere velle: ſecundum adire Pharaonem quò dimiſſionem Iſraëlis obtineat. Sed illud primum juſſit exequi priùs quàm ſecundum prout ex textu liquet; cujus ordinem, loquente Deo ne prætereas. *Vade & congrega ſeniores Iſraël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob, dicens: viſitans viſitavi vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto: & dixi ut educam vos de afflictione* &c: & poſt pauca: *ingredieriſque tu & ſeniores Iſraël ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos: ibimus viam trium dierum* &c. Domine Deus, nonne verbis expreſiſti quem finem hæc ad ſpinetum deſcenſio tua præ ſe ferat? ſcilicet liberationem Jocabeæ prolis à tyrannide? *deſcendi ut liberem* &c. ut eripiantur illi parum prodeſt quòd ſciant quid Omnipotens intendat, & quòd ſenioribus comitatus Moyſes coram Ægyptio monarcha ſiſtat ſe: quippe non aliter quàm per manum validam populum dimiſſurus eſt. Moyſi dic ut ante omnia regem interpellet, ac ſatis erit innoteſcat Hebræis poſtea quid pro illorum redemptione peragatur. Priùs dirigitur ad plebem, quàm ad Pharaonem Dei nuntius? Nec fruſtra: nam Iſraëlitæ deſperebant ex tam durâ ſervitute unquam emergere. Hoc ex eo colligo, quòd oppreſſi pondere laboris clamaverunt, quin vel à Deo peterent ut ad eorum auxilium feſtinaret, vel aliqua verba ſpem indicantia proferrent: ſimpliciter enim textus ait: *& ingemiſcentes filij Iraël propter opera vociferati ſunt.* Igitur prius occurrendum fuerat eorum deſperationi, quàm ipſorum captivitati. Primum ad Hebræos pergat Moyſes, ut ſpem concipiant ſcientes Dei manum erga ipſos beneficam adeſſe jam ut illos redimat à ſervitute: poſt hæc adibit Pharaonem acturus de libertate populi, quam intendit. Deſperatio primitus erat auferenda, quæ pluribus cordis anxietudinibus præcellit. Dignum eſt ſupplicium ſpei eradicatio graviſſimis etiam delictis: quam ſapiens comminatur, dicens: *ſpes autem* &c.

Exod. 3. 5.

Ibi. n. 16. & 17.

Ibi n. 18.

Ibi. c. 2. 23.

26. *Expectationem abſcindi plus dolet quàm poſſeſſione privari.*

Punitio eſt, inquam, hæc horrenda genuſque miſerabile pœnæ, adeò quod tolerabilius judicem poſſeſſione ſpoliari; quam à ſpe cadere. Juxta D. Laurentium Juſtinianum ſpes anchoræ ſimul, & columnæ ſimilis eſt. *Spes* ait, *eſt quaſi columna quæ totum ſpirituale ædificium ſuſtentat, quâ deficiente ædificium corruit ac in barathrum deſperationis concidit. Eſt etiam anchora animæ eam ſervans ne à procellis tentationum irrumpatur.* An non plus navi nocet qui rudentem anchoræ ſecat, quam ventus à portu propellens eam ad gurgitem? Nonne majus damnum infert ædificio proſternens columnam, quam ſupellectilem ibi clauſam deripiens: Cum itaque ſpes columna ſit & anchora, feritur acerbiùs qui deturbatur ab illa, quàm ſi poſſeſſis orbetur: & præſertim quia mentis oculi ſunt adeò corporeis diſſimiles ut eis illa quæ proſpiciunt à longe per expectationis opticum tubum, videantur majora quam ſi tactu cominus examinentur. Inde fit ut poſſeſſum adimi bonum doleat minus; præſtolationem verò deludi plus angat, quia per hujus amiſſionem deperduntur quæ diſtant.

S. Laur. Juſti. in l. vit. c. 2. d. ſpe.

Duplicem genitorem legimus à filiis graviter offenſum, & gnatos dediſſe pœnas. Torum paternum maculavit Ruben: Cham indecore Noemum irriſit. Hunc minus illo deliquiſſe manifeſtum eſt: nihilominus Ruben minori videtur ſubfuiſſe mulctæ: nam ut Chamus flagellaretur maledixit Noë genito ejus Chanaan, dicens: *maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* S. Ambro. *qua ratione*, inquit, *cum filius Cham peccaverit, non ipſum, ſed filium ejus pater ſervituti addixit. Et fortaſſe ideo quòd pater plus afficitur injuriis filij ſui, maxime quarum ipſe reus, & auctor exiſtat.* Habes parentis contra Chamum ſententiam. Vide nunc Ruben à Jacobo punitum. *Effuſus*

Gen. 9. 25.

S. Ambro. to. 1. l. d. Noë c. 32.

es

Gen. 49. 4. *es sicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Quamvis inter benedictiones Jacob hæc verba legamus; illa continent futurorum prophetiam, & reprehenſionem, juxta D. Ambroſium, licet illam ad myſticum ſenſum deflectat. *Nonne redargui magis quam benedici videtur Ruben? Et ideo prophetia magis quam benedictio eſt. Prophetia enim annuntiatio futurorum eſt, benedictio autem ſanctificationis, & gratiarum votiva collatio*; & ſecundum Theodoretum continent imprecationem verba illa Jacob in pœnam delicti, *Accuſat ergo*, inquit, *inſolentiam atque audaciam Ruben, eique ob perpetratum ſcelus paucitatem filiorum, ac poſteritatis imprecatur.* Cham, qui non adeo fœdam commiſit offenſam, punitur per filii ſervitutem? Ruben cujus turpior culpa leviùs flagellatur? Sat eſt quòd non creſcat. Exiſtimo quòd Ruben majores per hanc imprecationem luit pœnas, ut pote qui per illam à ſpe creſcendi cecidit. Cham non ab ſpe ſed à poſſeſſione deturbatus fuit in genito: libertatis, inquam, nobilitatem poſſidebat, qua ſpoliandus erat in filio. Mitiùs cum illo agitur; Ruben ſeveriorem experitur patrem graviùs ejus impietate læſum: quippe ſpem reſecari dolet ampliùs, quàm poſſeſſionem auferri.

S. Ambr. to. 1. l. d. bened. Patriar. c. 2.

Theodore. apud cate. Lipom. in c. 49. Gene.

Sique tunc marcet ſpes cum jam proximus aderat optatus finis: ô quantò plus anxium pectus doloris gladius pervadit! Ex doctrina S. Iſidori Hiſpal. onus eſt ſpes (*ſuperior autem & inferior mola eſt ſpes & timor*): & juxta Phyſicos quò propriùs ad metam corpus grave fertur deorſum, eò majori tendit impetu: proindeque ſi detineatur, major ei violentia fit. Sic ſpes, quæ, dum fere jam ad terminum concupitum perveniebat, impeditur ne ſortem conſummet ſuam, excruciatur acerrimè.

27. *Expectationem amittere prope terminum, anxietas maxima.* S. Iſido. Hiſp. c. 10. Deutero.

In pœnam diffidentiæ Deus Moyſem ab ingreſſu prohibuit terræ jam diu repromiſſæ. Num. 20. 12. *Dixitque Dominus ad Moyſem & Aaron: quia non credidiſtis mihi ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Nec tamen ideo ſpem abjecit Moyſes illuc ingrediendi, putans diſpenſationem obtenturum; aliter non à Domino peteret ut regionem, quam tam prolixo labore quæſierat intrare liceret. Deut. 3. 24. 25. *Domine Deus* (ait Moyſes) *tu cœpiſti oſtendere ſervo tuo magnitudinem tuam... Tranſibo igitur & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem iſtum egregium & Libanum.* Commentatur Liranus: *ex hoc enim quòd Moyſes ex Deo adjutorio duos reges debellaverat, & terram eorum diſtribuerat, ut prædictum eſt, opinatus fuit quòd verbum Domini ſibi dictum Num. 20. ſcili. quod non intraret terram promiſſionis, non eſſet verbum ſententiæ diffinitivæ, ſed magis comminationis, quod frequenter retractatur.* Igitur ingrediendi terram Hebræis pollicitam aliqualem ſervabat ſpem: quam tamen penitus depoſuiſſe credo, cùm ad verba Moyſis Deut. 3. 26. 27. iratus Dominus reſpondit: *ſufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Aſcende cacumen Phaſgæ, & oculos tuos circumfer... nec enim tranſibis Jordanem iſtum.* Lira. *Moyſes vidit oculis corporalibus totam terram promiſſionis.* Nunc Deus Moyſi, cum jam adeò prope deſiderabilem regionem dux Iſraëlis erat, ut illam conſpicere totam valeret, eum à ſpe dejicit illam adintrandi? Quare non ſtatim ut fidei hæſitatione diliquit, ſpe omnimodè privavit hac Moyſem ad aquas? Quia longiùs multò diſtabat protunc à deſiderij ſui fine; poſthàc verò proximiùs appropinquabat expectationis hujus termino: proindeque, ut acerbior foret vindicta nunc ſpes ejus deletur, cum approximabat bono deſiderato: quia ſpem abjicere, cùm jam ad ejus metam fere ventum erat, anxietas eſt maxima: quâ terret malos Eccleſiaſtes dicens: *ſpes autem impiorum peribit.*

Liran. ibi.

Liran. ibi.

Dictis oppones: hanc expectationis abſciſſionem non de omni verificari nequam. Multi ſunt qui de melioranda vita non curant, & ſpem firmant in Domino: peribit & iſta? Ne dubites. Quid refert uſurpare phraſim ſcientium quod in ſolo Deo ſperandum; cum aliud corde meditaris, aliud ore profers? Votum quod prætendis in Deo firmum adeſſe tibi, facie quidem cælum petit; ſed radices adhuc in terræ viſcera miſit: prævalebit radix, ut cor tuum ad ima trahat. Spes quæ ſe non attollit à pulvere, non pertinget ad cœleſtia: levetur è luto, quærat aperto æthere altiora: nec radicibus terrena prendat.

28. *Spes cœleſtium ne rapiat in terra.*

Edocens diſcipulos D. Magiſter, quomodo ſe totos Divinæ providentiæ ſollicitudini committerent, fiduciam ingerere curavit exemplo. *Reſpicite*, inquit, *volatilia cæli quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater meus cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Similitudo hæc, ſi primo nos aſpectu ſinamus duci, non videtur ad unguem proportionata ſubjectæ materiæ. Cupiebat enim Dominus Apoſtolis ut curas temporales deponerent ſuadere: cumque parentem haberent de illorum incolumitate apprimè ſolicitum, ejus manibus traderent ſemetipſos, nihil ſibi providere curantes, omnia Deo relinquentes. Paſſim contuemur aves nidificare providè, quærere pabula, tranſvolare maria, & pro ſuo modulo ſatagentes inveſtigare quod opportunum ſibi natura docuit. Diſcipulis Aſſertoris non ita degendum erat, ſi conſilium illud perfectionis evangelicæ, quod eis præbebat, amplecti vellent. Aptius videretur emblema viris perfectis offerendum ad plenæ reſignationis normam quælibet arbor. Sic poterat aliter parabolâ commonere. Reſpicite arbores, quæ pro nutritione ac augmento nihil de ſuo curant: Pater cæleſtis eas fovet ſole, pluviis irrigat, & inſuper exornat annua veſte. Qua ratione motus elegit potius avium, quam arborum ænigma? Dicerem ideo ſic locutum, quia ligna quamvis ramorum foliis videantur petere ſumma; tamen radicibus terram quaſi quibuſdam brachiis fortiter amplexantur. Dei Filius nolebat aſſeclas ita ſuos pro virtute contendere. Cælum reſpicere, ſimul & lutea complecti, hoc non eſt Deo niti; ſed

Matth. 6. 26.

sed in fimo radicari. Volucres aliter se gerunt: cælestia quæritant, ita ut à terra subleventur alis: & adeo quòd cælicolarum titulo decorantur: *volatilia cæli.* Rupertus ad eum locum. *Si passeres esse cupitis, si relictis omnibus, hunc magistrum sequi vultis, domus ejus præcedet volatum vestrum clamans ad ligna campi, dicens ad cedros libani, præcipiens potentibus & divitibus hujus sæculi: Expandite ramos vestros, & suscipite passeres istos.... quid ergo de esca vestra solliciti estis* &c.? Intendebat alumnis Redemptor inculcare suis, ut in terrenorum despectu, non arborum, sed avium, similitudinem tenerent: non sola foliorum pompa versus æthera frondentes; & pulverulenta bona radicitus amantes; sed potiùs omnino derelicto solo, confidenter ausi se credere cœlo. Crede, sic itur ad astra. Sique diverso tramite putas ad vitam ingredi licere, dicetur etiam tibi: *cor ingrediens duas vias non habebit successus.* Tempestivè S. Archiepiscopus Valentinus: *Quod si duabus viis in eandem civitatem eundum non est, quàm stultum est velle uno & eodem itinere oppositas civitates adire: sicut multi sæcularium faciunt, qui sic vias cœlestis Jerusalem ambulare cupiunt, ut terrenæ Babylonis itinera non relinquant.* Et post pauca: *verè semita justi recta est, impii autem in circuitu ambulant semper euntes, & nunquam proficientes.* Quid ergo prodest horum confidentia, quam Domino testantur commisisse? Vide, si placet quæ de semivirtuosis dixi flo. 10. numero. 23. & sequentibus.

Rup. l. 6. in Matth. c. 6.

Eccli. 3. 28.

S. Thom. à Villano. ser. d. S. Adelesm.

29. *Spes nec solo nitatur alieno; nec alterius gratitudine tantùm.* Orig. to. 2. hom. 4. in ps. 34.

Eidem objectioni factæ numero præcedenti secundum juvat adhibere responsum. Spes ista peccatorum in sola dilectione Dei nititur, quâ prosequitur mortales; & oportuit simul propriis meritis eam stabiliri. *Sperans*, ait Origenes, *autem in Domino non sis otiosus, sed bonitatem faciens, spera in eo.* Ut fiducia persistat immota, nec affectu solo niti debet illius à quo bonum expectas: nec ejusdem sola gratitudine fulciri. Quæ solùm alieno firmatur amore degenerat in præsumptionem; quæ verò solis incumbit meritis negotiationem redolet, ac proinde non perfectè diligentis est: languescet facilè. Ut ergo neutro pede labascat, neque solo amore alieno sustentetur, nec unicè gratitudine suffulciatur alterius.

Assueri temporibus, cùm jam pro Vasthi regnaret Esther: Hebræi ejus inhabitantes imperium ad mortem damnati fuerant ex regis decreto, quod Amani supremi administri sollicitaverat odium. Mardochæus reginæ patruus ignotus adhuc Estheri nuntiari fecit populi Domini discrimen adesse: cui ut obstaret, eam coram Assuero suadere conatur ut appareat pro salute suæ gentis deprecatura. Denique supplicationem illa sic interposuit per manus amoris illius oblatam, quô se diligi noverat à conjuge: *Si inveni gratiam in oculis tuis ô rex, & si tibi placet dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro*, &c. Nec tamen hic ejus quievit sollicitudo. Insuper aperuit monarchæ se vinculo consanguinitatis Mardorchæo conjunctam. *Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.* Et animadvertebat rex illum eundem esse Mardochæum, cui Aman crucem paraverat, & cujus beneficio vitam suam à proditoribus incolumem tutatus est: sic enim ante monuerat Assuerum ejus eunuchus Harbona dicens: *en lignum quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege stat in domo Aman.* Ab Esthere libenter quærerem, ad quid se fatetur Mardochæo consanguineam? Vel cum primùm cœpit pro Judæis eloqui, debuetat aperire statim, vel nunquam, propinquitatem sanguinis, quam etsi diademate fulgens agnoscebat, de hac usque modo tacuerat; & nunc id manifestat? Ut cœptum consummet plebis negotium, satis est quod amorem sponsi patronum habeat: *si inveni gratiam in oculis tuis.* Si fortè voluit Assuerum recordari quod interveniente Mardochæo vitam servare valuit: ipsi rem totam committat: ille regem pro suomet populo supplex & sollicitus exoret. Neutrum fortsim putavit satis ut spem liberandæ gentis regina stabiliret, nec alieno tantum amori confidit (Assueri scili. erga consortem) neque solius Mardochæi merito. Noverat ea dilectionem haud infallibiliter in regio corde morari: nec etiam decuit sponsam tanquam ex gratitudine debitum petere quod percupiebat. Alterius res altera poscat opem: sponsalis, inquam, fiducia merito Mardochæi juvetur: hunc sibi patruum detegat Assuero, ut hujus erga regni sociam affectum cum gratitudine quam debuit Mardochæo jungens, indubiè clemens ipse petitionem Estheris exaudiat. Sic spem roborare curavit illa: disce hinc stabilem reddere aliam quæ majoris ponderis extat. Qui spem cælo tuam fixisse totus affirmas, de amore Dei erga teipsum incertus es, obsequia junge: Divina gratificationis fidelitate confirmabis expectantem animum: nisi namque sit constans, non erit *expectatio justorum lætitia* propter inconstantiam: *spes autem impiorum peribit* nequaquam hoc pacto corroborata.

Esth. 7. 3.

Ibi. c. 8. 1.

Ibi. c. 7. 9.

DELIBATIO VI.

Spes impiorum peribit in homine posita.

ANchora, si tenaci dente mordeat lutum, quamvis mille colligetur funibus, firma non erit. Sic spes illa maledicta confidens in homine, quem vere luteum, si non obliviscaris originem, fateri non pigeat. Quamvis ille potentiâ prævaleat, amicitiamque tuam profiteatur, eumque liges plurimis obsequiorum vinculis, vana erit spes tua fragillimis reclinata. *Speras in aliquo amico potente, observas vanitatem* Sic Augustinus. Quantò meliùs totam in Deum fiduciam dirigeres quantumlibet graviter offensum, quàm in hominem, quem fidum reputas amicum. *Utilior est homini Deus iratus quam homo propitius*, ait Chry-

30. *Pene mors est spem in homine collocatam frustrari.*

S. Aug. to. 8. expos. 1. in ps. 30.

Chrysos. to. 2. hom. 42.

in Matth. operis imperfect.

ſoſtomus. Scio familiare hominibus eſſe reſpondere quod ſpes in amico firmata non tollat aliam altioris ordinis quæ Deum reſpicit. Reponat Origenes: *Sicut nemo poteſt duobus dominis ſervire, ita nemo poteſt in duobus dominis ſperare.* Non illa ſic ſpes dicenda, quam in Deo te poſuiſſe credis, deſiderium eſt inane ſuſtollens fruſtra mentis oculos: fidere ſolis & infirmis valde te miſereor ſpebus humanis. Cum inſtant pericula videor mihi timebundum proſpectare velut hominem, qui ad amnis ripam cadens, jam pene ſuffocatur in undis: oculos non autem brachia, jacit in arborem: & quia non occurrit aliud, radices debiles valde manibus apprehendit: hoc eſt lumina tantummodo tendens in Deum, confidit in auxilio fragili mortalium. Faveat apologo S. Bernardus. *Quibus aſſimilabimus homines generationis hujus: aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus conſolationibus avelli ſepararique non poſſe? Profecto ſimiles ſunt his, qui ſubmerſi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere: nec ulla ratione deſerere quod primum occurrerit manibus quidquid ſit illud: licet tale ſit aliquid quod omnino prodeſſe non poſſit: ut ſunt radices herbarum, cæteraque ſimilia.* Fere morientibus non immeritò conferuntur ij qui ſpem ſuam futilibus hominum opitulationibus adniti facientes, ab ea decidunt: nam quaſi mors eſt ſpem in homine ſtatutam fraudari.

Origen. to. 2. hom. 5. in pſ. 36.

S. Bern. ſer. 1. d. Advent.

Pſ. 40. 10. *Etenim homo pacis meæ in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem. Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me:* &c. Vel ſuo, vel alieno loquatur nomine David, ſibi videtur contrarius. Inprimis de mortuo videtur agere, cum reſurrectionem poſtulet. Econtrariò quòd ipſe, quicumque ſit, qui reſuſcitationem expetit, hanc poſtulet, ſignum viventis eſt: & ſic ex lectione colgitur Chaldaica: *fac me ſurgere ab infirmitate mea.* Sic rem compono. Vivit ille quidem, ſeu vita frui ſupponebatur, qui loquitur inibi: ſed mortuo ſimilis eo quòd hominem, in quo ſperaverat, expertus fuerit infidum: *etenim homo* &c. nam par interituri dici poteſt ſpem in homine conſtitutam fruſtrari.

Verſ. Chal. da. ibi.

31. *Quidam cum te indigent introducunt ſe domi tuæ; ſi eis egeas, foris te manere compellent.*

Hoc genere mortis haud noſtrum eſt mori ſemel; ſed identidem. Frequenter offenduntur hujuſmodi vitafuncti, vivendi fungentes aurâ: nec illos ab ſpei ſuæ monumento ſuſcitabis, quantumvis experientiæ vocibus utaris. Illa ſevera quidem, ſed vera magiſtra clamat: ne gratos expectes futuros quos advocat neceſſitas; fugat infortunium: negotiatores iſti ſunt: nundinâ peractâ diſcedent. *Tolle ſpem quæſtus, & ſtatim deſinet eſſe amicus. Unde quidam dixit: non eſt perſonæ, ſed proſperitatis amicus, quem fortuna tenet dulcis, acerbæ fugat.* Experiéris quòd aliqui ſi tuo forſan indiguerint patrocinio, ſponte, nec vocati domi tuæ ſeipſos introducent; aſt ſi poſtea contingat ut eorum favore tu pro facilioribus egeas, compellent ut extra maneas. Cum ſic tibi contigerit, dices hæc: eſt noſtrorum temporum conditio miſera, quibus abolitum funditus eſt illud amicitiæ ſanctum & & venerabile nomen. Senecæ verbis utens occurram: *hominum ſunt iſta non temporum.* Cupis noſſe quam inolitum ſit malum inordinatio hæc? Attende pauliſper.

Author. l. d. amicit. inter opera Aug. to. 4.

Sen. epiſ. 97.

Recolamus quid acciderit tempore quo dux à Sole clarus expugnavit Jerico. Duos miſit ille milites, ut ſolerter ignoti vires urbis explorarent, ipſumque de hac re facerent certiorem. Pergentes, in domo Raab hoſpitati ſunt. Innotuit res hoſtibus, domum adeunt: quâ Raab, periculo ſe viriliter exponens, eos tutatur, ac veritate decipiens, inde jam perſuaſit abiiſſe. Captâ civitate, juſſu ducis ejuſdem, ipſimet exploratores inter confuſos plebis luctus quærentes protectricem, eduxerunt eam: & ſimul cum univerſa cognatione illius, conſtituerunt extra caſtrorum Iſraël manſionem. *Ingreſſique juvenes eduxerunt Raab & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem ac cognationem illius, & extra caſtra Iſraël manere fecerunt.* Hoc lucratus eſt Raab fidelitate ſua? Hoſpitalitatem exhibuit, ſecretum cuſtodiit, diſcrimini ſeſe objecit pro iis qui ne caperentur ab Jerichuntinis, quieverunt in ejus domo, & abſconditi latuére. Credebam in medio caſtrorum (ne dicam in corde) collocandam fore pro tanto beneficio Raab: & ejicitur extra caſtra? Sic moris eſt apud homines nunc ſicut heri & nudius tertius. Dum proficuus eis eſſe potueris, pulſabunt oſtium tuum quin advocentur, ſeque laribus ingerent humaniſſimi. Neceſſitate finitâ, mutatâ ſorte, ſi eorum expetieris opem: non in corde, non intra fores, non juxta ſeipſos, ſed omnino extra domicilia ſua te projicient ingratiſſimi. *Qui heri adulabantur, qui blandiebantur, qui manus exoſculabantur: hodie repente comperti ſunt eſſe lupi, abjectiſque perſonis facti ſunt omnibus accuſatoribus acerbiores.* Ita Chryſoſ. idemque memori mente plurium ſcribit experientia.

Ioſue 9. 23.

Chryſoſ. to. 5. hom. 14. de avaritia.

32. *Utilitas putata quid præſtet.*

Inſuper addam. Ut hominibus placeas non opus eſt veram utilitatem à te conſequantur. Suæmet illuſio phantaſiæ ſufficit, ut ipſis arrideas, quandiu eis utilis putaris. Econtra, vel ſine fictione indigens, ad auxilium eorum confuge, ſeu neceſſitati veræ jungas apparentem, & miſeratione digniſſimam, non ſolum placidam benevolentiam non expierieris piè, ſed omnino deſpectui habendus es.

Rex David erat, quamvis non adhuc poſſeſſionem regni fuiſſet adeptus: & nihilominus has viciſſitudines temporum expertus fuit. Saulis iras declinans bis ad Gethæorum regem transfugit; ſed inæqualis eum excepit eventus. Primùm cum ad conſpectum Achis veniſſet, ipſi dixerunt Philiſtæi hunc eſſe, de quo decem percuſſiſſe millia concinebatur olim per choros. Et cum plauſus iſte cladem Philiſthinorum revocaret in mentem, pertimuit qui devenerat in eorum regionem neceſſitate compellente. Quid tunc Jeſſæus bellator egit ut vitam ſervaret incolumem? Inſanum ſe-

met

met simulavit. Pietate dignum erat quod homo strenuissimus non solum ad hostium civitatem se recipere cogeretur ab iniqua fortuna: sed quod (ut videbatur) ægritudinem pateretur, quæ rationis impotem redderet: Vice compassionis contemptum
1. Reg. 21. 14. 15. reperit. *Et ait Achis ad servos suos: vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?* Abiit inde prudentissimus amens: & post multa, non adhuc à Saulis insectatione tutus, iterum adit regem Achis; cujus munere datum est ei ut maneret in urbe Siceleg. Exinde suis commilitonibus validè stipatus; prædas agebat hostili sæpius incursu, percutiens, & spolians Hebræorum adversarios quas tamen victorias non ab istis reportatas existimabat Achis, sed à populo Israël, quem putabat à Davide cædi rex in ejus gratiam. Accidit ut Gethæus rex ad bellum procederet, ac in agmine postremo cum ipso Achis incederent David & viri ejus. Displicuit hoc principalibus Philisthinorum ipsisque suadentibus veluti suspectus de inconfidentia penes magnates dimissus est ut
Ibi. c. 29. 9. abiret. *Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: non ascendet nobiscum in prælium.* Audis quam benigne tractetur nunc à Gethæorum rege David! quàm humaniter aperiat illi se metuentem quasi, vel compulsum à dynastis, eum expellere! quàm gratis verbis utatur ipsum vocans angelum Dei! Meministi quam superbè cum illo rex egerit idem antea dum insanire putabat? Sibimet Achis diversus extitit, quia non utroque tempore se David pariter habuit erga illius emolumenta. Priùs omnimode fuerat inutilis ei: quid enim prodesset qui personam agebat furentis? tunc ergo despectus est ab ipso. Posthàc prædas capiens, quas in obsequium sui putabat Gethæus Princeps ab Israële sumptas, spoliorum partem offerebat illi, regalem benevolentiam captaturus, ut author
Sanct. ad c. 27. l. 1. Reg. n. 9. est Sanctius: *Veniebat ad Achis*, inquit, *ut quid esset ab illo tentatum, peractumque referret: tum ut illi aliquid impertiretur è præda, quo illius gratiam & benevolentiam conservaret.* Utilis erat? Quid mirum foret si vocaretur archangelorum princeps, nedum angelus Dei. Demus quòd cessaret lucrum,
Sen. ep. 9. displiceret angelus: *qui enim utilitatis causâ assumptus est, tandiu placebit, quandiu utilis fuerit*, ait Seneca.

33. *Homo terga dabit adhuc spe lucri durante.* Non multum asseveravit Cordubensis: etiam priusquàm desinas esse proficuus, terga tibi dabit ingratus, qui sui commodi gratia socium obtulit se. Non te, sed commoditatem propriam corde quærit absentem: istam vestigabit à tuo latere discedens, cui videtur adhærere; sed adest corpus animo vacuum sine miraculo. Et cum post præcordia soleant oculi rendere, faciem luminaque vertit ad locum ubi germinabit spes fœliciter, & à te præstolatus actualiter auxilium, post dorsum te relinquet.

Apud Matthæum princeps unus efflagitabat filiæ demortuæ vitam à Christo Domino reparari. Ut ejus domum veniat precatur ad imponendam cadaveri manum, è cujus imperio reviviscat. Et quamvis hoc detrahere videretur omnipotentiæ quasi præsentiam requireret corpoream, non renuit viam qui pro nobis viator fieri dignatus est. Accingitur itineri, principe comite, præeunte: *sed veni impone manum tuam super eam & vivet. Et surgens Jesus: sequebatur eum.* Apud Marcum habes: *Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa.* Turba sequebatur & pater præibat? Ut solet esse plebecula prodigiorum curiosa spectatrix, mirabile judico sic parum festinavisse, quòd non Dominus præcederet, sed ejus vestigia premat. Econversò princeps qui cælestem accersivit medicum, & cum eo pergit (*abiit cum illo*) non eum sequitur? vel saltem ad ejus latus comitatur? sed anteriùs capit inurbanus viam? Hic est malefidus hominum amor proprius. Licet à te commodum expectent non eorum rapit oculos liberalitas tua; sed eorum commoditas. A Domino sperabat ille parens gnatæ suscitationem: attamen simul non in Dominum; sed in domum, ubi contingere sibi sortem expetebat conjiciens lumina, dabat Divino medico posteriora: *surgens Jesus sequebatur eum.* Plus ingratitudo poterat ut ante beneficium divideret à largitore postulantem, quàm desiderium ut ejus conspectui alligaret eundem. Aderat; & corde remotus erat, quia non benefactorem amabat; sed benefactum. Noverint ij, quorum replet sinus dona sua catervatim proijciens fortuna cæca, eosdem qui eorum lumina terunt, simul præcordiis dorsa præbere, longissimèque distare, si non ad manuum vicinitatem; sed animi discordiam, spatium interpositum fideliter mensi fuerimus. Ideo dixit Ambros. *Frequenter divites sine amicis sunt.* Imprudens eris valde si per externa signa scrutari te confidas eorum pectora: nam ut ait Petrarcha, *nulla merces difficilior cognitu quam homo.* si falli renuis, id tantum crede quod illi sibimetipsis amici verè intimi (non dicam: intimè veri) sunt ac non amplius. *Nolite ergo credere* (monet S. Hieronymus) *in amicis, ideſt his hominibus, qui de amicitiis sectantur lucra. . . . delicata est amicitia quæ amicorum fœlicitates & divitias sequitur: isti seipsos tantùm diligunt.* Vulgò dicitur affectum simulantes quæstuosè tandiu permanere, quandiu spes illorum non expletur. Verum est hoc, sed alij sunt, quorum fucata dilectio prius expirat, quàm emolumenti vota compleantur.

Matth. 9. 18. 19. Marc. 5. 24. S. Ambr. to. 4. l. 3. d. off. c. 16. Petrar. d. re. me prosp. fort. dial. 50. S. Hiero. to. 6. com. in Mich. l. 2. c. 7.

34. *Eadem manu ladit simul homo, quâ recipit.* Quin potius dicam: eò properat ingratus, ut non solum eodem tempore, sed ipsâ manu qua proprium donum apprehendit, lædat eum à quo fatetur illud provenire. Non patitur ingratitudo tardare gressum, dum beneficium desinat: ignorat præsens idipsum, velut nostrorum luminum acies quæ valde prope junguntur palpebris non cernens. Basilio similitudinem debes: *Quemadmodùm*, inquit, *oculi quæ* D. Basil.

apud Antonium monachum. *nimium prope admota sunt, non cernunt, sed justam requirunt distantiam. Ita & ingratorum animi præteritam gratiam sentire videntur cum boni ab eis alienantur.* Adde tamen quod aliquoties homo noscens quod accipit fœlix, simul infert injuriam. Plus veritas urget. Ipsissima doni acceptio contumelia nonnunquam est.

Nudatur flos ille campi, cujus beneficio versicoloribus induuntur vestibus prati flores: qui operit cœlum nubibus, indumento spoliatus exponitur ludibrio: qui exornat arbores, cum sit immarcescibile vitæ lignum, tegumento exuitur à Calvariæ gehennalibus ministris. Exteriorem Domini vestem in quatuor partes divisere, quarum singulas acceperunt singuli. Sic intelligit Lusitanus Interpres illud Ioannis: *Milites ergo cum crucifixissent eum acceperunt vestimenta ejus (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam.* Et ad quid proficua valebant illis esse fragmenta vestis? Respondeo ex Procopio. *Ob eam causam inter se contendebant milites singuli cupientes eâ divisâ habere partem, quasi utilis foret, non ad induendum; sed quia vis quædam medica in ipsa esset.* Ecce milites insimul manu eâdem inferebant injuriam, & accipiebant commodum: lædebant quippe Dominum spoliantes vestibus, & exinde prendebant utilitatem. Pluries nil distat à commoditate accipientis offensa ipsius à quo manat commoditas. Et adhuc erit qui suas homini committat spes? Hæc in Deo stabunt, *spes autem impiorum peribit.*

Silveir. to 5. lib. 8. cap. 14. Joa. 19. 23.

Procop. in c. 28. Gen.

DELIBATIO VII.

Spes impiorum peribit fortunæ volubilitate firmari cupiens.

35. *Una fœlicitas ut plurimùm non invenitur post aliam.*

SIc aliqui sortem experti sunt propitiam ut ex præteritis fœlicitatibus futuras audeant sibi polliceri. Errant pessimi conjectores. Imo post meridiem declinat quæque, licet fulgidissima lux ad occasum. S. Bern. expendens vicinum passioni Domini triumphum ait: *Opportunè itaque processioni passio conjuncta est, ut discamus in nulla lætitia hujus sæculi habere fiduciam: scientes quoniam extrema gaudij luctus occupat. Propterea non simus stulti ut occidat nos prosperitas nostra.* Adminus quasi certâ lege sequitur infortunium lætitiam. S. Vinc. Ferrar. *In magnis conviviis & nuptiis comedendo, bibendo, & ridendo statim, sequitur aliquid de aliqua re vel tristitiâ.* Flos non germinat florem: sic neque sors parit sortem. *Quænam sæcularium* ait, Chrysost. *quæso voluptatum utilitas? Hodie sunt cras elabuntur: hodie flos pulcherrimus, cras aridus pulvis.* Proinde fortunæ munus nequaquam spondet aliud: una post aliam sors neu subsequitur.

S. Bern. ser. 2. in Dom. Pal.

S. Vinc. Ferrar. p. 3. ser. 3. d. Nat. B. Mariæ.

Chrysost. tom. 3. ho. 43. in Joan.

Posteaquam vicissitudine temporum lusu jactatus Joseph emersit ad præfecturam: necessitate compulsos vidit coram se fratres non semel. Ac præmissa severitatis figura, quam diutius ferre non potuit amor, personatam faciem depositi, eundemque se aperuit esse qui venditus ab iis fuerat olim. Curans providere genitori bis urget accedere germanos ad patrem: *festinate & ascendite ad Patrem* &c. festinate & *adducite eum ad me.* Quare non Jacob, accepto fœlici nuntio de gnato superstite dixit filiis: festinanter descendamus ad Josephum? Quia usque tunc infœlix credidit ad fœlicitatem se transiturum Ægypti. Ioseph autem festinationem supradictam suadens, visus est dubitasse timentem ne priùs excederet è vita senex quàm illo frueretur filialis ipsius amor. Hujus timoris indicium est admiratio, quam significant illa verba Proregis: *adhuc pater meus vivit?* sapienter metuit Josephus ne mors dilectissimi sibi patris impediret funesta gaudium ex illius conspectu capiendum, peramantique genito desideratissimum. Cùm enim sortem possideret Josephus, merito hæsitavit an sequeretur alia sibi. Proinde fratres accelerat quasi dubius an consecuturus esset post fœlicitatem priorem secundam ex visa patris facie.

Gen. 45. 9. & 13.

Ibi. n. 3.

36. *Post primam fœlicitatem dubita de secunda.*

Dubitandi de nova sorte prudentibus præbet ansam fuisse jam prius fœlices. Ex priori fortunæ ridentis beneficio sumis impudenter animos ut iterum experiaris an secundò permaneat illa tibi secunda. *Non est sapius fortuna tentanda*, dixit Cæsar. Idemque minus expertus, at sapientior dixerat Xenophon: *fortuna sapius minimè est tentanda egregio perpetrato opere.* Navigantes quando nimium hodie, propitiumque Favonium flare cernunt; mane pigrum futurum timent auræ defectu pontum. Sic & qui sæculi fluctibus navita se commisit: quid enim mundus nisi mare? *Mare*, inquit Beda, *à meando dicitur, eò quòd semper accedat, & recedat, significat, ut dictum est, mundum qui crescit nascendo, decrescit moriendo, elevatur in prosperis, dejicitur in adversis.* Experientiis destitutus non pavebit: nec ideo statim vocandus temerarius. Cui verò prosperè semel contigit, aleam subire denuo verebitur, licet strenuus.

Cæs. l. 4.

Xenoph.

Beda hom. 2. in festo S. Andr.

Israëlem provocavit gigas ut miles egrederetur ad singulare certamen. Non potuit non hoc innotescere principi Jonathæ, cum textus dicat: *Audiens autem Saul, & omnes Israëlitæ sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant & metuebant nimis.* A Bethlehemiticis pascuis ad castra pastor & adolescens advenit, qui non temerè, sed strenuè monomachiam cum gigante pro Dei gloria, Reipublicæque bono suscepit. An erat Jonathas imbellis? Fortes creantur fortibus. Certamen istud subire detrectat? offertque seipsum David, qui non valet armatus incedere? Inexperti animositas hæc est: istis pronum experiri primò sortem suam. Bellum, & ejus varias vices ignorabat juvenis mappalibus assuetus. At Jonathas jam adversùs Philisthæos fœlicissimam assecutus fuerat diem: cum armigero tantum comite ad hostium stationem transivit, multosque stravit. *Et facta est plaga prima, quâ percussit Jonathas & armiger ejus, quasi viginti virorum*

1. Reg. 17. 11.

Ibi. c. 14. 14.

rum in media parte jugeri, quàm par boum in die arare consuevit. Et sciens quod ex primo exitu fortunato non potest secundus conjici, cautus dissimulat, duellum non suscipit. Lucem non lux insequitur, sed noctis umbra: sortem subsequi non solitat alia: ne spem ex anteacta prosperitate capias de futuris.

37. *Discrimina comitantur celsitudinem.*

Quò celsiùs fortuna tua transvolavit, eò patet amplius ventorum flatibus: nam levia suspicimus tunc fortiùs ab spiritu vago propelli, cum levantur magis in sublime. Præcelsi putantur à ruina semoti; sed falsò. Distant quidem ab imo; non ab excidio.

S. Greg. M. to. 1. l. 17. mora. c. 5. *Carnalis gloria* (scribit M. Gregor.) *dum nitet cadit, dum apud se extollitur, repentino interrupta fine terminatur: sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur; sed casu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, sed repente in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit, sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluviis excitatæ, ab intimis statim prodeunt, sed eò celerius diruptæ pereunt, quo inflatæ citius extenduntur. Cumque excrescunt ut appareant, crescendo peragunt ne subsistant.* Longiusculè transcripsi, quia nolui tibi quidquam ex tam pulchra, licet mæsta, periodo suffurari. Multiplicat moralis doctrinæ Pater similitudines: quasi nulla seorsim adæquet fortunæ faventis fugacitatem. Bullæ, fumique, pende metaphoras: quorum singula quo plus extolluntur, festinantiùs pereunt. Ita sublimioribus instat certius periculum. Non lilium, sed arborem, succindit securis: non glebam, sed turrim, fulmina feriunt. Sunt itaque celsitudinis comites aleæ. Mirandum nequaquam id est repetitis ænigmatibus obvium.

Iob. 7. 1. Titelman. in Iob. ibi. *Militia est vita hominis super terram.* Exponit ibi Titelman. *simillimum quid esse militiæ: utpote quæ plena sit periculis multis.* Nunquid non & irrationalia gerunt bella sua? quis eorum caret adversario? parvuli majorum voracitate pereunt: eorum nex recreat hominem: illorum vita dissipatur facilius elementorum vi quàm humana: sola dicitur hominis vita militia? Hæc est supereminentium conditio: periculosiùs persistunt: incertior est illorum duratio. Animantia subsunt homini, dixit enim universorum Conditor olim: Gen. 1. 26. *præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.* Licet hæc præcellentia fuerit per culpam diminuta; nihilominus & naturalis major nobilitas mansit, & brutorum subordinatio non denegatur lapso. Hominis ergo vita qui reliquis præcellit in terra degentibus, militiæ nomine dignissima fuit, quia plurimis periculis obnoxia. Altitudo metipsa quamvis deficerent fulminea tela, satis & super turribus est infirmo fundamento nixis, ut corruant. *Suis contenta viribus* (ait Seneca de fortuna loquens) *invenit pericula sine authore:* & infra: *cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi fœlicitas invenit.* Anchoram spei quomodò sic jecisse licebit, ut in fortunæ volubili rotâ puppim tenaciter figat unco rostro?

38. *Si præfulges para te prælio.*

Quid prodest fœlicitatem summo vertice fulgere? Dignitatem conscendisti? sedem tenes inquietissimam. Hinc hostes impetent, illinc adulatio: aliquorum judex; coram pluribus reus: multorum sequelâ potius obsessus, quàm condecoratus vives. *Tecum illud etiam versa, quot inimicis, quot accusatoribus, quot assentatoribus, qui in dignitatibus est obsideatur.* Ita Chrysostomus. Populari plausu pelleris ad astra? O te miserum, si movéris fastosâ gloriâ laudis. Resonat forum præconio tui? Strepitus militaris est: auxiliares instrue copias ut teipsum tuearis. *Approbatio enim vulgi* (Chrysost. ibidem) *quantò clariorem quempiam facit tantò majoribus curis, sollicitudine, atque periculis vexat.* Vel igitur majorum præsidio, vel minorum eveharis obsequio, quæ nubes præterire videtur sors, & planetarum habitacula pulsare, Martis experitur bellicas vicissitudines: nam & celsa, necnon difficilia simili vocabulo dicimus ardua. Fidem ne præbeas oppositum suadenti gaudio. Mente firmiter statuas velim, quòd semel atque spectatorum acies fulgore perstringis, in acie tibi pugnandum est, exercitum ordina.

Chrysost. to. 2. hom. 41. in Matth.

Idem. ibi.

Dicitur de Canticorum sponsa: *quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Exercitui & luminari magno quæ societas? Huic initia vitæ humanæ tribuuntur; illi verò multarum finis. Pulcherrimus coruscat planetarum princeps; horrisonè funestus extat armorum fulgor: ille celebratur avium cantu; hic funerum lamentis contristatur, ululat pallescit. Quô eloquentiæ genere Sponsa proponitur simul & Soli similis & exercitui? Prior similitudo sequentis ratio est. Qui solem ipsum lumine refert exercitui par esse non dubitet: nam semel quòd splendore primas præripuit reliquis, periculosissimam adinvénit sortem: belligerandum ei jugiter est, ita ut nulla detur quies martialibus instrumentis: perpetuò vigilet *castrorum acies ordinata:* Umbræ non fugiunt, sed oppugnant luces rationales. Dato quòd philosophia docet asseverans lucem carere contrariis: negabit-ne contradictoria? Si lucere datum: & cum infestissimo caliginum agmine bellari commissum est: accingere pugnæ.

Cant. 6. 9.

39. *Præcellentior periclitatur amplius.*

Scito quod licet Spiritus S. doceat pecuniæ obedire cuncta; non attamen illa jubebit exulare discrimina: utinam ea non augeret. Mundialis potestas haud aliter quamvis plurimis timori sit, non idcirco vacat à metu. *An tu* (quærit S. Cyprianus) *vel illos putas tutos, illos saltem inter honorum insulas & opes largas, stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Major illis, quàm cæteris metus est: tam ille timere cogitur quam timetur.* Quin potius addam: is qui pluribus præcellit subli-

S. Cypri. to. 1. ep. 2. ad Donat.

Sen. ep. 91.

mi locatus in faſtigio, non ſolum plus illis periclitatur : ſed manu quâ ſortem reddere ſatagit ſecuram, pectus detegit hoſtium ictibus.

Vis exemplum ad litteram ? Attende pugnantem fortiſſimum Joſuë Dominici populi ſupremum ducem, adverſus incolas urbis Hai. Majorem ille ratus victoriam, ſi ſtratagemate quàm ſuorum cæde compararetur : ne ſcili. calamitas potius eſſet quàm triumphus : quinquies mille viros ad occidentalem plagam poſuit in cautis inſidiis. Reliquus exercitus in valle ſtabat, quem rex Haitarum expugnare feſtinans exiit ab urbe ſtipatus armatorum auxilio. Ceſſit loco ſimulans fugam Iſraël : hoſtis inſequitur eos ignorans tacitos à tergo manentes inſidiatores : tunc Deus ad Joſuë : *Leva clypeum qui in manu tua eſt contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Quod quidem ideo præcepiſſe videtur Dominus, ut ſic cohortes inſidiis poſitæ cognoſcerent adeſſe tempus quô deberent è latebris exire, ad civitatem occupandam, quam deſeruerat inimicus. *Joſuë clypeo ſe ab adverſariis tuebatur* (inquit concionatorum ingenioſiſſimus magiſter Naxera) *quem in ſublime extollere juſſit Deus, ut videre poſſent qui rem ſpeculabantur de inſidiis.* Eſto ita ſit, duplex adhuc ſcrupulus diſſolvendus. Prior eſt : quâ de causâ potiùs lævam cùm pelta, quam dexteram obarmatam gladio ſuſtulit in altum daturus militi ſignum ? Poſterior eſt : ad quid perſeveravit extenta ſurſum ducis manus per totum ſpatium quô perduravit conflictus ? *Joſuë verò non contraxit manum, quam in ſublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.* Utrilibet quæſtiunculæ ſolutio ſit unica. Voluit exercituum Dominus Joſuam docere quàm ſpecialiter illum hîc protexerit omnipotentia, ne ſuperbiret de propriâ dexteritate. Gladium ſi levaret ille, tegere poſſet ſcuto ſeipſum ; non ita verò clypeo ſublevato. Aperiat ita pectus, ut norit, à quo diſcrimine tunc evaſerit, non brevi, ſed longo ſpatio temporis, relinquens manûs elevatione pectus inerme. Militum quiſque dum pugna fureret, ſe munichat ; ſolus Joſuë, quia populi tenebat principatum, hoſtilibus telis expoſitus, elatâ parmâ ſuberat ictuum diſcrimini. Hoc eſt maximorum onus : pluſquam turba caſibus infauſtis objici. *Omne quod hîc eminet plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudet.* Incautus erit ſtultiſſimè, qui ſpem fortunæ ſuæ credens, ideo ſe tutò poſſe reputet ignavo dedere ſopori, quia de fœlicibus experientiis roboratur animus. Dormiet ille, ſortiſque mutabilitas in ſua permanebit inquietudine : tandem expergefient iniqui ſerò, *ſpes autem impiorum peribit.*

Joſuë 8. 18.

Naxera to. 1. in Joſuë expoſit. liter. c. 8. ad n. 38.

S. Greg. M. to. 1. l. 31. c. 2. relatus in c. Nervi. diſt. 13.

DELIBATIO VIII.

Deſideramus timenda ; metuimus deſideranda. Meritorum excellentiæ. Animæ remedium. Peccatum ex ignorantia. Aliena faciliùs noſcuntur.

AD exordium effati Salomonici denuo revertar, ut ſingula verba librem. *Expectatio.* Vox hæc indifferens creditur ad metum, deſiderium, & ſpem. Pro metu ſumitur à Cicerone dicente: *de C. Grachi autem tribunatu quid expectem non libet augurari.* Pro deſiderio Terentius eam uſurpat : *expecto quid velis :* vulgò ſonat ſpem, ac ſimiliter apud Tullium ſupra : *ne expectemus quidem dum rogemus.* S. Iſidorus Hiſpal. ait : *expectamus & bona, & mala ; ſperamus autem tantum bona.* Spes itaque determinatum nomen eſt ad bonam partem ; expectatio vel mali vel boni dici poteſt. Æquivocatio iſta quæ in voce contingit, & ultra ſenſus non tranſit juxta philoſophos, horum pace, ducenteque philoſophiæ magiſtrâ experientiâ, reperitur etiam in voluntate noſtra. Quàm iſta crebro patitur expectationis æquivocam doloſitatem, bicipitemque fallaciam ! Expectantur ut bona, quæ poſſent expectari ut mala, ſeu (clarius dicam) pertimeſci. Erratur in delectu facillimè : ſunt quippe multa perutilia commixta nocivis. *Multis ac variis rebus nobis ad uſum propoſitis, quibus afficitur, quæque appetit natura, multa nobis opus eſt ſcientia, ut nobis in ejuſmodi eſculentis diſcernamus, quid nutriat, quid noceat, ne id quod loco cibi ab anima aſſumi videtur, pro vita mortem nobis & peſtem efficiat.* Hæc Gregorius Nyſſen. Imò verſa vice, multoties fugimus profutura. Conjunxit utrumque Auguſtinus errorem ſapienter. *In hac ipſa vita multa poſſunt nobis proſpera videri, quæ adverſa ſunt, & adverſa quæ proſpera.* Hac inſtructus doctrinâ, cordis noſtri deflebam ignorantias : cui ſcili. timenda placent, & fœlicia metui ſunt. Cùm gaudere foret æquiſſimum, pavet : quod perhorrendum erat, hoc deſiderat inſcium futuri.

40. *Deſideramus timenda ; metuimus deſideranda.* Cic. d. amici. Terent. in Andria.

S. Iſido. Hiſp. l. differ. rent. litt. S.

S. Greg. Nyſſen. l. d. beat. orat. 4.

S. Aug. to. 4. in expoſ. quarundam propoſ. ex ep. ad Rom. poſt med.

Carcere detentus in pœnam innocentiæ Joſeph, talem apud cuſtodiæ principem invenit gratiam, ut univerſos vinctos ei commiſerit. Inter hos conjecti fuerant regis aulici duo. Videre ſinguli ſomnia præſaga futurorum : ſed prior viſum enarravit pincernarum præpoſitus, quô fœlix prænuntiabatur exitus ad regis conſpectum. Nihilominus mæſtum ex læto, ſed ignorato ſomnio fuiſſe legimus iſtum, quandiu res illi per Joſephum non patuit : *ad quos cùm introiſſet Joſeph mane, & vidiſſet eos triſtes, ſciſcitatus eſt eos dicens: Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra ? Qui reſponderunt : Somnium vidimus & non eſt qui interpretetur nobis.* Animadvertis pincernam mœrore preſſum propter id quod concupiſcere debuerat, ſomnium

Gen. 40. 6. 7. 8.

somnium scili. liberationem, ac restitutionem sui muneris præsignans ? Progredere ulterius, & oppositam deceptionem in socio reperies. Audivit magister pistorum quod prudenter somnium Josephus exposuisset illud. Ecce gestit scire quid significet suum. Desideravit sanè quod metuendum foret, si nosset ferale signum violentæ mortis phantasiæ suæ cælitus missum. *His auditis princeps panificum, ratus & suum sibi somnium boni aliquid præsignare, narrat ei somnij visionem*, ait Chrysost. En palam cordis humani, dum cupit, vel metuit, æquivocationem exemplum confirmat. Magister pistorum, cui somnium suum portendebat infame capitaleque supplicium, desiderio captus est agnoscendi quid in somnio suo præindicaretur. Et quidem interpretatio pavenda nimis erat, cùm tragica valdè fuerit mortis prænuntiatio. Econtrà pincernæ regij, dum ignoraret quid visio nocturna sibi promitteret, facies concidit præ tristitiâ quam de viso cepit, quod certè gaudij debuerat esse materia, quia faustum fœlixque præmonebat. Pudet; sed juvat, hoc nos latere quod Seneca scivit, dixit enim : *omnia nobis fecimus tenebras, nihil videmus, nec quid noceat, nec quid expediat.*

Chrysost. to. 1. hom. 63. in Gen.

Sen. epist. 110.

41. *Pluris facit justus quod meritis adipiscitur.*

Justorum dicitur hæc expectatio, de qua textus. Hæsitabam cur non potius eos vocavit electos quam justos. Et conjiciebam justi nomenclaturam longè plus honoris eis conferre, quam electi nomen : electio namque (de prima loquor, quæ discernit prædestinatos à reprobis) Dei munus extitit absque meritis illorum concessum. Atverò justitia (ex qua justi vox ethymologiam sumit) virtutem generaliter sumptam significat : proindeque decorum nomen justi meritorum fructus est. Hoc ergo censendum præcellentius illo. Deus quantumvis in donis elargiendis profusissima utatur magnificentia, quandoque meriti confert occasionem dilecto, ne gratis id accepisse videatur quod ipsi donandum voluit : agnovit etenim per meritorum interventum hoc ipsum possideri. *Bonorum enim laborum nobilis fructus est : & quantò plura certamina, tantò præcellentior corona.* Sic gestorum basi dona superimposita sumunt honoris incrementum.

S. Ambro. to. 3. in procem. l. 1. in Luc.

In ipso virtutis Prototypo Christo Domino, ni fallor ostendam, plus eo Patris munere condecorari, quod in meritorum præmium obtinuit ; minoris autem facere quod non promeruit ; sed gratis datum obtigit.

Scisciatur Apostolorum Primas, quid eis collaturus esset, qui relictis omnibus ejus vestigia fuerant secuti : & in hæc verba Dominus responsum præbuit ei, Petro sociisque dicens : *Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.* Controversia est inter sacros commentatores, quonam sensu verificetur Apostolos judicaturos in die Domini. Quidam aiunt hoc idem valere, atque suo exemplo condemnare, ad modum quo dicitur de regina Saba damnaturam esse Judæos. Nonnulli volunt intelligi quasi non aliud valeat hic judicare, quàm approbare sententiam supremi Judicis. Ita D. Thom. Alia sententia est Ricardi asserentis judicare idem esse ibi atque cognoscere sententiæ à Christo Domino promulgandæ causas, easque oculis aliorum ingerere. Maldonatus verò sentit judicaturos tanquam doctores ac testes. Nunc sequar quod Apostoli vera judiciaria potestate delegata judicaturi sunt postremo die. Huic opinioni favet Glossa ord. loco citato dicens : *qui reliquerunt omnia & secuti sunt Dominum hi judices erunt : qui licitè habentes rectè usi sunt, judicabuntur.* Necnon Beda, qui dixit : *non tantum vitam ipse percipiet, sed etiam de vita aliorum cum Domino judicabit.* Tandem huic placito D. Bernar. patrocinatur : *hæc enim est*, ait, *perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoque salvandis præeminere authoritate judiciariæ potestatis, ut juxta illud psalmi, sedeant supra domum David.* Hoc posito libet inquirere, qua de causa Dominus Apostolis hoc loco potiùs in præmium repromisit judicandi potestatem, quàm beatitudinem cælestem : cùm non solùm hæc multò majus bonum sit, sed per æternitatem duraturum; quod non habet Apostolorum authoritas judicativa, quæ peractâ functione lucis extremæ, eo quòd jam usui esse non possit, expirabit. Alicui fortasse videbitur ideo sic egisse Christum Dominum, quia pluris faciebat suam, ut judex, majestatem, quam propriæ beatitudinis possessionem : hanc enim, ut communiter dicitur à Theologis, non ex meritis accepit ; sed tanquam debitam aliunde ; atverò potestatem judicandi, quamvis in actu primo, seu in radice consideratam, habuerit simili titulo quo visionem beatificam ; tamen quoad usum, & actualem possessionem, pretio meritorum comparaturus erat. Sæpe quod in se pretiosius est, nihilominus ob aliquam circumstantiam non adeo magni fit, sicut aliud quod in se minus est nobile, sed aliquâ ratione suadente charius redditur possidenti. Plurimum valuit apud Israëlis regem aqua de cisterna Bethlehem; vilipendebat Esther diadema regium. Et quia loco nunc ista non vacat expendere, fruamur exemplo magis accommodo. Principem egregia facinora ponamus in acie coram rege peregisse. Debetur ei regnum hæreditario jure; sed in præmium bellicæ strenuitatis accipit à genitore annulum, quo diplomata signet utens potestate regiâ. Nonne plus gaudebit isto dono, quam ex eo quòd gnatus monarchæ sit ? Quare nisi quia glorioſius est quod meriti manibus apprehenditur ?

Matth. 19. 28.

Gloss. ord. ibi.

Bed. hom. in idem Evang.

S. Bern. ser. in Evan. Ecce nos.

Videri potest Suar. to. 2. in 3 p. disp. 52. sect. 1. fine.

Lætitia. Et quam prudens gaudium est illud quo justus afficitur : utpote quod mérito favoreque nixum neutra claudicat ex parte ? Cruciatur benemeritus, fateor, si benè gesta sua videat omnino destitui mercede. *Grave nimis est ut fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur injustum*, ait Cassiodorus : & præsertim, cùm cernat animi sui vires per despectum potentiorum

42. *Ex merito favoreque fors integra componitur.*

Cassio. in epist.

tiorum quodammodò minui pro similibus patrandis : nam *sanè maximorum plerumque animorum vis hebetatur, cùm nec honoribus hi extollantur, nec digna factis recipiunt præmia.* Sic Agath. Econtrario dum fœlix ignavus coronatur, illuditur : tunc enim plus ejus indignitas patefit : quippe *quemadmodum imperiti artifices*, inquit Plutarchus, *cùm statuis exiguis magnas subdunt bases, magis conspicuam reddunt illarum exiguitatem : ita fortuna si pusillo animo munus amplum addat, indicat & arguit magis animi humilitatem.* Ut ergo neque defectus meritorum dedecus pariat, nec remuneratione vacuatus labor contorqueat, utroque pede stabiliatur fœlicitas, merito scili. ac favore. Vide suprà fl. 12. n. 7. Nonnihil adjiciam.

Agath. l. 5. initio.

Plutar. in moral.

Elias æquissimo contra peccantes efferveſcebat zelo, sed plusquam divinæ misericordiæ congruebat : idcirco levatus è sæculo rapitur igneo curru, servandus ad posteriora tempora mundi, cùm justitia Dei etiam judicabit justitias. Priusquam ferretur in æthera, dixit adstanti discipulo quid ante discessum vellet ab eo fieri sibi. Petiit ille magistri spiritum. Cui postulationi sic annuit Elias : *si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti : si autem non videris, non erit.* Et quid refert videatur Elias vel non ab Elisæo pro consecutione spiritus? Larga manu præceptor offert alumno quidquid optaverit : *postula quod vis ut faciam tibi*; & nunc manum eandem contrahit insinuans negaturum se quod ille flagitat, si non viderit ascendentem ? Antequàm dubium solvam præmittendum quod actus iste videndi Eliam involvit meritum Elisæi. Patronus erit Bernardus dicens : *duplicavit enim spiritum visio abeuntis : cùm evidenter raptus in cœlum universa pariter ejus desideria secum tulit : ut inciperet ipse quoque jam sapere quæ sursum sunt : non quæ super terram.* Sapienter igitur providit Elias, ut nec discipulus absque merito fœlicitatem adipisceretur, quia foret indecorum; nec òculos ad ipsum peramanter extolleret absque præmij spe. Foret, inquam, non decorum sine conditione, *si videris me*, spiritum statim accipere magistri : nam amoris esset ignominia manere cùm abiret præceptor, si jam Eliæ spiritu pollens, in aëra levare se valuisset Elisæus, ut illum comitaretur. Econversò si luminum elevationi munus expetitum non adjiceretur, extaret sævi doloris causa præ cordis amantissimi desiderio repulsa hæc. Itaque ne vel probrum patiatur Elisæus, vel dolorem, vates abiturus adjunxit merito donum : hoc est erectioni palpebrarum spiritum conferendum, ut ex utroque fors integra fieret Elisæo. Solius justi proprium gaudere plenè, cujus meritoriis operibus, simulque benevolentiâ Dei pitiitur ejus *lætitia.*

4. Reg 2. 10.

Ibi n. 9.

S. Bern. ser. 5. d. Ascen.

43. *Pro remedio animæ quærendo vel reflĕt plures vel pauci dies, tantumdem est.*

Spes autem. Juxta Dionysium Carthusianum hîc agitur de spe, quam alit impius, inani consequendæ gloriæ post ferè totum vitiis deditum vitæ spatium. Ab hac spe cadet ille periturâ tandem. *Ideſt* (commentatur Carthu.) *Privatur effectu, seu bono sperato. Nam & sine virtuosis actibus salvari confidunt, & frequenter sperant in hac vita diu subsistere, prosperari, & suis concupiscentiis deservire, tandemque ante finem vitæ pœnitentiam agere : & tamen subito auferuntur,* &c. Incipiente gravi languore pavet æger ne fortè sit lethalis. At ingraveſcente morbo deveniens in phreneſim, se benè valere contentiosus affirmat, respuitque medicamina. Sic & anima peccatrix *miserando modo fit quotidie tantò securior, quantò pejor, cumque unde sit lapsa non meminit, & supplicia secura non metuit, quantum lugenda sit, nescit.* Memini sæpius per totum hoc opusculum inertiam eorum, qui divinæ miserationi præsumptuosè fidentes, in extremam vitæ periodum reservant à somnij sui lethargo surgere, cùm ferè jam claudentur ultimo lumina somno : *sed quod modo diximus, id iterum repetere non erit inutile :* verbis utor S. Cyrilli Alex. Utinam repetitus clamor stertentem suscitet ut sibi prospiciat. Qui vociferantis experientiæ per os dispereuntium negligunt ululatus; adminus audiant canentem.

Thu. in Prov. 10. 28.

S. Greg. M. to. 1. l. 9. mora. c. 34.

S. Cyril. Alex. l. 4. in Joan. c. 24.

Crastina qui differt meliorem in tempora vitam
Quis rectè hunc dicat consuluisse sibi?
An qui promisit veniam si crimina plangas
Crastina promisit tempora certa tibi?

Jacob. Bill. in anthol. sacra.

Et ne multus videar in doctrina tam iterata, hoc unum dicam, scili. in hoc quod est pœnitentiæ quærere subsidium, perinde quidem esse quòd multi, vel pauciſſimi, dies concessi fuerint pœnitendo.

Postquam evomuit Jonam piscis in aridam, obediens ille secundo mandato Domini tendere perrexit Niniven. *Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius : & clamavit, & dixit : Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Septuaginia legunt : *tres dies :* & S. Athanasius ait : *quî quæso factum ut cùm dixisset, adhuc tres dies & Ninive subvertetur, non impleverit sermonem ?* Unde provenerit hæc lectionum diversitas non examino : quia respondeo libentiùs, in iis quæ statim oportet exequi, scili. in animæ quærendo remedio, vel datum sit spatium quadraginta, vel trium dierum, tantumdem judicandum esse. Frustra dilatione futurâ vitæ recumbit in corde nequam aërea *spe.*

Jonæ 3. 4.

Lect. Sept. ibi. S. Athan. ser. d. Pass. & Cruce post princ.

44. *Peccatum ex ignorantia commissum curatur difficilius.*

Impiorum. Vox ista, prout alibi notavi sonat adeò detestandum peccatorem, ut non dubitem quamplurimos dum eam legunt putare secum rem non esse : cùm tamen pro quovis peccatore sumatur hîc. O quam periculosum est animæ venenum latens ipsum quem perimit. Imò non solum toxicum, sed febris quælibet, si præcordiis delitescat, plus discriminis affert. *Peccatum est febris*, ait S. Ambrosius, *eo quod ignitæ sint cupiditates, quod ignem in ossibus animæ & corporis implicant, mentem animumque pertentant. Vehementior est animi quam corporis febris.* Malignæ qualitatis etiam febris est animæ, quam non agnoscis cùm sis animæ tuæ medicus. Hoc est malorum spiritualium summum : ignorare noxas quibus fœdaris, quin per ignorantium excuseris. *Haberque ipsa in primis otiositas malum hoc gravissimum quod qui*

S. Ambro. to. 3. l. 4. in Luc. c. 47.

Chryſost. to. 4. hom. 11. in ep. ad Rom.

qui in illam collapsi fuerint, eos nec dignoscere quidem sinit propriæ perniciei magnitudinem. Ita Chrysostomus. Duplici modo nesciri potest peccatum ab authore suo, vel quia deliquit ex nescientia culpabili : vel quia scienter peccans, postea maculas contractas elatus in superbiam non percipit. Utrovis modo contingat, à Deo postula ut à peccato, quod se tibi celat, emundet animam tuam: hæc noxa pellitur ægrius.

Ps. 18. 13. Psaltes regius ait : *ab occultis meis munda me* : & juxta Bellarminum loquitur de sceleribus quæ vocantur ex ignorantia. *Ubi*

Bellar. in ps. ibi, (verba sunt Cardinalis) *opponit ignorantiam intelligentiæ, demonstrare volens esse difficillimum cavere peccata, quæ ex ignorantia committuntur, & tamen quia vere peccata sunt, & caveri potuerunt, addit orationem, ab occultis meis munda me.* Attamen etiam explicari, potest de secundo modo nesciendi peccata: scili. post factum, & ex superbia.

S. Aug. to. 8. in ps. 35. Favet Augustinus. *Satage humilis fieri in Deo, & non valde cures quid tibi dicatur. Hinc est quod alibi dicitur : ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo. Quid est ab occultis meis ? Non veniat mihi pes superbiæ.* Vel in primo, vel in posteriori sensu verba Davidis exponantur : scire vellem quare specialiter vates oraverit ut mundaretur à criminibus abditis. Parvo sumptu dubium tolletur è medio. Putavit ille prudentissimus plus nocere delicta latentia peccatorem : cum enim remedium non sollicitetur ignorato morbo, serpit venenosa lues. Fœlices qui suimet accusatores piissimi se moneri putant, dum audiunt reprobari spem *impiorum.*

45. *Noscuntur faciliùs aliena.* *Peribit.* Dum legimus perituram spem sceleratorum, oculos in ea quæ aliis imminent jacimus : & cernimus acutè quid huic & illi futurum, ingenio fere prophetali. Etiam aliena somnia quid portendant novit homo ; de propriis ignorat quid præsignent.

Josephus in domo genitoris morabatur cum de futura sorte sua duplex insomnium vidit præsagum. Suspicor illum nesciviſſe quid visa promitterent : nam si nosset, nequaquam ea fratribus indicasset, ne livoris odiique fomitem offerret. Favere videtur

Rup. l. 8. in Gen. 21. aliquantulum Rupertus. *Et hoc,* ait, *rectè dictum est quia accidit, neque enim studio quicquam horum dixit, ideſt non in conscientia ejus fuit, quod hujusce somnij relatio seminarium fieret majoris odij.* Lipomanum adde. *Hortatur igitur primum fratres natu*

Lipoman. cate. in Gen. 37. *majores Joseph minor juvenili instinctu, nesciens quid futurum esset, ut somnium audirent suum.* Vides fugere Josephum somniorum quæ viderat mysterium ? Transi nunc ad Ægypti carcerem, & invenies illum insomnia conieciſſe prudenter aulicorum ; quinimo ad hoc munus offerre semetipsum.

Gen. 40. 8. *Nunquid non Dei est interpretatio : referte mihi quid videritis.* Accede ad palatium Pharaonis : ipsiusque nocturnas imagines bonum Reipublicæ concernentes detexisse

Ibi c. 41. 25. leges eundem. *Somnium regis unum est : quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni.* An obscuriora fuere quæ Ioseph contuitus est figurali specie ? Quid sibi velint hæc præterit illum ? vinctorum, regisque prudens commentatur simulacra soporis ? Aliena fuerant. De futuris notitiam subministrabant quæ non ei sed aliis obventura. Cognitu facilius hoc est. Atverò propria quæ venturorum se manentium ingerebant agnitionem, plus arduum dignoscere. De proximorum eventibus quæ loco ac tempore distant præmeditamur ; novissima nostra non providemus. Belle Gregorius M. *Nec nos sicut proximum, nec proximum conspicimus sicut nos.* Opportunius esset ut nostras incorrupti judicaremus causas nobis commissas ; aliorum vitam dijudicare nostrum non est. *Vis judex esse, cognosce te ipsum,* consulit brevi salubriter Chrysos. crede recta monenti : nec speres quidquam scire, quandiu tui fueris ignarus ; vel spes tua *peribit.*

S. Grego. M. to. 2. hom. 4. in Ezech.

Chrysos. to. hom. 28. in Gen.

FLOS XXX.

Fortitudo simplicis via Domini: Et pavor his, qui operantur malum.

APERITUR.

PRo genuinâ textus intelligentiâ venit examinandum primò quid sit illa via quæ justo, seu sine duplici corde rectò incedenti, fortitudinem præbere dicitur in prima parte proverbij. Tres dicendi sunt modi. Primus est si credamus viam hîc significare legem Dei. Secundus erit si per viam intelligamus timorem Domini. Sic videtur Septuaginta interpretibus placuisse, qui legunt ita : *munitio Sancti timor Domini.* Tertius exponet viam, ideſt conscientiam rectam. Adde quartum, si pro via Deum sumamus, qui de se dixit: *ego sum via.* Quintus esse poterit si virtutem accipiamus generatim nomine viæ, utpote quæ tanquam semita ducit ad vitam.

Vers. Sept.

Ioan. 14. 6.

Pro hac ultima expositone judicium fero, quia sic ex diametro pugnat prius hemistichium cum posteriore, quô dicitur operari malum esse causam pavoris iniquorum : *& pavor his qui operantur malum.* Accedit quod nihil hanc interpretationem oppugnat ex iis, quæ possunt objici contra priores. Adversus primam est, quòd lex potius homines justos contremiscere cogit, quàm roborat illos. Unde Paulus veterem legem appellavit hoc satis horribili nomine : *ministratio damnationis* : & ad Romanos, inquit: *lex enim iram operatur.* Et quamvis utroque loco Magister gentium loquatur de illa quæ lex timoris fuit : ex ratione quâ dictum Apostoli nititur utrumque, tamen ostenditur quòd rectos præcepta commovent ad terrorem. Lex antiqua ministratrio damnationis vocatur, quia minabatur condemnationem : & nunquid non damnatur qui legem gratiæ non custodit ?

2. Cor. 3. 9. Ad Rom. 4. 15.

Scripta dicitur iram operari, ſed ex ratione quam textus aſſignat. *Ubi enim non eſt lex; nec prævaricatio.* Ad cæteras leges hoc applicari valere perſpicuum eſt. Addi poteſt quod lex non præbet vires ut obſervetur; virtutes verò maxime: quia vel ſunt habitus à Deo infuſi, qui dant poſſe bene agere, vel ſunt acquiſiti, qui donant operari facilè: nam per multiplices actus *mos longo tempore confirmatus vim quodammodo obtinet naturæ*, verba ſunt Baſilij M. unde per actuum repetitionem qua generantur virtutes habituales, natura licet fragillima veluti duplicatur. *Conſuetudinis magna vis eſt*, dixit Cicero. Quod ſi (proh dolor) de vitiis hoc verum docet experientia: non illorum tantum proprium extat: etiam *benefacere ex conſuetudine in naturam vertitur.* Ita Salluſtius.

S. Baſil. in regul. fuſ. diſputa. c. 6.

Tull. 2. Tuſcul.

Salluſt. in Iugur.

2. Acceptio ſecunda, quæ juxta lectionem Septuaginta per viam Dei timorem intelligit, vel procedit de timore prout ſignificat virtutum collectionem, eo ſenſu, quô juſtum dicimus timoratum: & ſic iſta ſententia coincidit cum eâ quam ſumus amplexi: vel de timore proùt eſt ſpecialis virtus à cæteris disjuncta: & ſic impugnatur quia unica virtus reliquis amotis non vocatur via ducens ad ſalutem, ſed pars ejus.

Interpetratio tertia de conſcientia (ſi non ſumit illam pro virtute generaliter, quo pacto ſtat pro noſtra ſentiendi ratione) non placet: nam hæc proprie non eſt, via, ſed lumen ad gradiendum. *Syntheresis*, inquit Vives, *nominatur quaſi conſervatio: D. Hieronymo eſt conſcientia: Baſilio naturale judicatorium: Damaſcenus lucem mentis noſtræ vocat.*

Ludovi. Vives l. 2. d. anim.

Expoſitio quarta, quæ ſub nomine viæ Deum ait ſignificari, placeret, ſi textus abſolutè diceret: via. Cum tamen legamus: *via Domini*: germana mihi non apparuit: nec enim Deus in ſcriptura dicitur via Domini, ſed via ſine addito. Ex his omnibus à ſufficienti partium numeratione concluditur, hoc loco Domini viam idem eſſe quod virtutum aggregatum, iſtæ namque ducunt ad finem, Deum nempe. Sic viæ deferre ſolent ad terminum. A via qui declinat incidit in ſpineta; deflectens à virtutibus implicatur in vitiorum ſentibus; quantumvis punctiones non ſentiat.

3. Diſquirendum ſecundò pro verſiculi parte altera, quinam caſus nominativus orationem iſtam regat: *& pavor his qui operantur malum.* Dicet aliquis ibi ſubintelligi hæc verba: via mala eſt: & iſtam dici pavorem incutere perperàm operantibus. Ita formatur antinomia quædam inter ſiniſtrum iter, & callem rectum: hic enim roborat; illud infirmat. Non eſt hoc improbabile. Sed cum habeamus expreſſa duo nominativa, fruſtranèe recurrimus ad tacitum. Veroſimile judico nominativum oratiunculæ hujus eſſe, *pavor*, atque ſubintelligi verbum, *eſt*: ita ut ſit ſenſus: metus ineſt operantibus malum. Veriſſima quidem ſententia: nam reatus delicti generat formidinem. Ideo loquens nomine Davidis ait Chryſoſ. *conſcientiam peccati mei timeo formidinis matrem.* Poſt primævum delictum primus timor exortus eſt: *timui eo quod nudus eſſem* &c.

Chryſoſ. to. 1. hom. 1. in pſ. 50.

Gen. 3. 10.

Attamen ut meliore nexu dogmatis hujus partes copulentur, probabiliùs aſſero quòd *via Domini* nominativum etiam agit pro ſecunda: quæ ſic valet: virtutes hominibus improbis horrori ſunt: harum namque florentiſſimas plantas quaſi rubos putant: vel, ut melius dicam ceu gigantes armatos paveſcunt in tenebris ambulantes. Hujuſcemodi pavore concuti non dubito; nec metuunt monſtra vitiorum. Mellifluus Doctor dixit: *nigra ſunt vitia, virtus candida eſt*: arrident nigreſcentia; timentur alba. Pejus eſt quòd non tantum iniqui virtutem reformidant; ſed metuendam prædicant & crudelitatis infamant. Deſpiciat hujuſmodi pueriles metus viæ Domini tiro: *neque enim iſti ſunt audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe volunt.* Sic rhetoricæ Princeps, non figuratè ſed verè.

S. Bern. ſer. 71. in Cant.

Tull. l. d. amicitia in princip.

Fortitudo. Itaque virtus univerſim accepta dicitur, *fortitudo*, quia ſolitum eſt hanc juſto conciliari per virtutum auxiliares copias. Lectio Syriaca vertit: *roborat perfectos via Domini.* Hoc indigitat aliqualiter ethymon virtutis: quia docente Cicerone, *virtus ex viro appellata eſt: viri autem propria maxime eſt fortitudo.* Habet ſimilia Lactantius Firmi. *vir dicitur eo quòd major vis in eo quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.* Adjice D. Ambroſium: *harum generationum quædam fœmineæ ſunt malitia, petulantia, luxuries intemperantia, impudicitia, & alia hujuſmodi vitia, quibus animæ noſtræ quædam enervatur virilitas. Maſculinæ ſunt caſtitas, patientia, prudentia, temperantia fortitudo, juſtitia, quibus mens noſtra, & caro ipſa firmatur, & ad obeunda impigrè munia virtutis erigitur.* Infra proſequar ad mores quàm ſit maſcula virtus: interim Ambroſio fruere.

4.

Lect. Syria.

Tull. Tuſcul. l. 2.

Lactan. Firm. d. opifi. Dei, c. 12. fine.

S. Ambro. to. 1. l. d. Cain c. 10. fine.

Simplicis. Qui per Salomonem loquitur Spiritus S. viatorem conficientem iter ſemitâ rectâ compellat ſimplicem ut laudet. Ita colligitur ex verſione Syriaca proxime ſuprà, qua pro, *ſimplicis*, habemus *perfectos.* Eodem vocabulo ſimplices irriſoriè ſolent homines infandi vocare quos vident ſuis operibus contrarios. Unica vox ipſamet ore humano prolata ſubſannatio eſt; à Deo verò manans honorem tribuit. Verba ſunt aquæ ſimilia: quæ naſcitur ex creta, reperitur amara; dulcis autem valde quæ de cælo pluit. Uxor Jobi tanquam convitium dixit in illum: *adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Et Spiritus S. Scripturarum author, honoris causâ ſimplicem dicit eundem: *& erat vir ille ſimplex & rectus.* Ita de ſimilibus aliis. Perfectionis eſt ſynonima ſimplicitas; & à mundanis irridetur. *Bene itaque juſti ſimplicitas & lampas eſſe dicitur, & contempta. Lampas quia interiùs lucet, & contempta quia exteriùs non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria reſplendet decoris. Lucet ergo & deſpicitur qui flagrans virtutibus, abjectus æſtimatur. Mentes quippe carnalium penſare*

Aliquando quod ex ore humano profectum eſt; à Divino titulus eſt honorificus.

Iob. 2. 9.

Ibi c. 1. 1.

S. Greg. M. to. 1. l. 10. mora. c. 17.

penſare bona non valent niſi quæ carnaliter vident. Sententiosè pariterque pulchrè loquitur ita D. Gregorius Pa.

Via. Unica eſt ad ſalutem ; multiplex autem quæ ducit ad perditionem : hæc in varios dividitur anfractus ; de illa verò dici
S. Bern. ſer. 43. ex parvis. poteſt verbis D. Bernardi : *via regia , fratres , nec ad dexteram declinat , nec ad ſiniſtram.* Ideo callis iniquorum vocabitur merito ſaxoſus , dubius , & invius , quô ſolet nomine ſignificari ſolitudo: nam optime *deſerto mundus hic comparari videtur , adhuc incultus : adhuc ſterilis , adhuc infœcundus,* ait , Ambroſius. Per hanc ſemitam potius agitur præceps , quàm graditur impius ; juſtus verò tramite plano,quamvis parum trito peregrinatur. Ad Bernardum redi. *Vos autem* , inquit ille , *tam fœlici facilitate , quàm facili fœlicitate viam iſtam non ſolum itis ſed curritis , quia exonerati eſtis , & accincti , nihil ponderis ſuper dorſa portantes. Non ſic aliqui non ſic , qui quadrigas & quadrigalia onera pertrahentes , montis circuitum ambire decernunt,& plerumque per devexa montis præcipitantur , ut vix finem inveniant viæ ſuæ.*

S. Ambro. to. 3. l. 5. in Luc. c. 7.

S. Bernard. ſer. de quadrud. debito. in princi.

Domini dicitur via juſti : hoc eſt virtus: quò ſic meminerimus eam peculiariter ſub Dei dominio contineri : quippe cujus nec initium à nobiſmetipſis habemus : Hoc profiteamur, & munus offerimus Deo. Ad illud Exodi : *ut tollant mihi primitias* , ait Beda , *& nos primitias Domino tollimus bonorum noſtrorum , quando ſi quid boni agimus totum hoc Divinæ gratiæ tribuimus veraciter, & ex intimo corde profitentes , quòd ne initium quidem bonæ actionis aut cogitationis , niſi à Domino poſſimus habere.*

Exod. 25. 2. Beda in Exod. ibi.

5. *Et pavor.* Timoris improbotum tacentur hoc loco motiva. Quatuor , aliis omiſſis, pavet impius, ſcili. homines , mortem , Deum, & ſeipſum. De primo dixit Chryſoſtomus ad illud Geneſis : *tunica filij tui* &c. *ſed ita ſe habet humana natura ; imo ita ſe habet multorum deſidia , ut humanum timorem , & præſentis vitæ confuſionem maximi faciat : in mente autem non verſet terribile illud tribunal , & intolerabilem pœnam.* De ſecundo S. Ambroſius loquens de metu Cain : *angustæ mentis homo præſentem mortem veretur, perpetuam negligit , & Divinum judicium non reformidat.* De tertio quam falſus timor ſit audi M. Gregorium. *Cum enim ex peccato præſens pœna metuitur , & amiſſa Dei facies non amatur , timor ex tumore eſt non ex humilitate. Superbit quippe qui peccatum , ſi liceat non puniri , non deſerit.* De quarto metu , quo ſcili. morſus conſcientæ trepidatur , pronuntiat Seneca : *nullum conſcium peccatorum tuorum magis timueris , quam temetipſum : alium enim potes effugere , te autem nunquam* : & concinit Seneca tragicus.

Gen. 37. 32. Chryſoſ. to. 1 hom. 61. in Gen.

S. Ambr. to. 1. l. d. Cain & Abel. c. 6.

D. Greg. M. to. 1. l. 4. mora. c. 25. n. 28.

Sen. d. morib.

Sen. trag. in Hypoli.

Quid pœna præſens conſcia mentis pavor
Animuſque culpa plenus , & ſemet timens ?

His qui. Suppreſſo nomine , quaſi nullo dignus , deprimit Salomon ſceleſtos. Neutiquam ipſis injuriam irrogat : nam, ut Ambroſius ait , *ſervile eſt omne peccatum , libera eſt innocentia.* Et infra. *Servit igitur ac miſeram quidem ſervitutem , qui ipſe ſibi dominos facit , ipſe vult habere quos timeat. Nihil enim tam ſpeciale ſervitutis eſt, quam ſemper timere. Ille verò in quavis conditione ſervitij ſemper liber, qui mundi rumore non capitur , avaritiæ vinculis non tenetur , metu criminis non alligatur : qui ſecurus ſpectat præſentia , quem futura non terrent.*

S. Ambr. to. 1. l. d. Ioſeph. c. 4.

Operantur. Mali ad ſummum incipiunt Deum imperfectiſſimè pavere , cùm eorum nequitia prodit in opus (*qui operantur*) quaſi non & intima cordis penetralia rimetur Omniſcius. *Sic omnia* , inquit S. Baſilius , *tanquam in oculis illius agere debemus & cogitare. Hac enim ratione & perpetuus in nobis timor permanebit odio habens iniquitatem* &c.

S. Baſil. in regul. brevior. in reſp. ad. 5. interr.

Malum. Pluribus vocabulis peccatum ſolet nominari : ſed energia ſingulari vocatur *malum* : quippe quod reſpectivum eſt , & anſam præbet inquirendi cui noceat omne crimen. Audi S. Auguſtinum. *Perſpicite : nemo malus non ſibi priùs nolet.* Et infra : *malitia autem procedit ex te & quem prius vaſtat niſi te.*

S. Aug. tom. 8. in. pſ. 34.

DELIBATIO I.

De fortitudine juſtorum.

6. *Labores ne præſumas eligere.*

VIæ noſtræ Dux invictiſſimus Dei Filius , de ſuæ Crucis fructu , quem aſcendendo fuerat apprehenſurus , loquens dicebat olim ſe omnia tracturum poſtquam in ligno fuiſſet exaltatus. Et ſicut ad patientiæ ſocietatem ſuos vocavit athletas,ita etiam ad victoriæ communionem admittere non dubitat. Subegit corda Salvator : mortem, peccatum , infernumque protrivit. Ipſius aſſeclæ (demptis cordibus , quæ ſoli Deo reſervantur) cætera proculcant imperterriti. Mira ſane fortitudo militum pacifici Principis:quæ cædit inermis hoſtem , nuda pugnat , & ſe tueri neſcia fugat inimicas phalanges. *Fortes* , inquit Ambroſius , *qui non comitatu & legionibus ſuccincti , communem cum multis victoriam , ſed nuda virtute animi ſingularem retulerunt triumphum.* In hoc etiam diſtant ſpiritualis & ſæcularis militia , quod apud iſtam , ſi bellum ſit aggreſſivum , electioni pugnatorum liberum eſt cum hoc potius hoſte , quàm cum illo præliari ; non ſic in ſpiritus præliis. Plura certamina ſunt : reliqua modò ſeponamus ; de illo ſolum agam , quô juſtus ab ærumnis oppugnatur , & pene conteritur. Nullus eligit quam aſcendat crucem : ſua contingit unicuique. Laborum non illis optio datur , quia medicamenta non ſeligit infirmus ; hoc ad medicum attinet. Tribulationes medicamenta credito. *Mundi attritio* (verba ſunt prudentiſſima Idiotæ) *correctio & tribulatio , quamvis ſenſualitati & carni ſit medicina amara, tamen animæ & ſpiritui eſt utilis & proficua , medicinalis & fructuoſa.* Non ſolent artis Appollineæ profeſſores

S. Ambro. to. 4. l. 1. d. offic. c. 35.

Idiota l. 2. d. contemp. c. 14.

feſſores ad arbitrium ægri præbere pharmaca; ſed ad neceſſitatis regulas. Et ſi forſan ut principi, vel delicatulo, morem ſtultè gerant, ejus appetitui obedientes medicinam eligere ſinunt eiſdem: accidit ut ægrotus medelæ cujuſdam tædium fugiens, aliam ſumat, quæ ſit amarior ei quia nociva. Sic in calamitatibus evenit aliquando, ſcili. ut acerbiores frequenter, ſi nobis res committitur deligamus. *Eſt qui declinat aliquos, ſed incidit proculdubio in graviores. In labore, inquit, hominum non ſunt, & cùm hominibus non flagellabuntur. Non tamen continuò in labore non ſunt, aut minimè flagellantur.* Ita S. Bernardus. Æquum eſt ut ut quæ patitur quiſque diſcernere non curet, ſed abſque delectu, quævis ei à ſuperna providentia diſtribuantur, acceptare non recuſet.

S. Bern. ſer. d. obed. patien. & ſapi.

Verſemus iterum verba Job aliò nuper emedullata. *Putredini dixi: pater meus es; mater mea, & ſoror mea, vermibus.* Quæſtio vertitur inter commentatores de qua putredine loquatur: quia de tribus dubitari poteſt. Prior eſt illa de qua nati ſumus, non minùs quam vermes, qui etiam ex materia putri naſcuntur: ideoque nobiſcum videntur habere communem genitorem, & fratrum loco numerandi. Secunda, ſanies, quam ſedens in ſterquilinio teſtâ radebat patiens. Tertia tabes in quam poſt funus apud ſepulchrum erat ejus corpus tandem reſolvendum. Ex Olympiod. quem refert, licet non ſequatur Pineda ſuper hunc locum, placet modus interpretandi ſecundus. *Putredo quam in meipſo cerno, non vitæ, ſed mortis certiſſimæ initium eſt.* Sic Olymp. loquens in perſona Jobi. Si, quæſo, vult aperire Job patientiæ ſuæ ſtrenuitatem, quæ ſuſtinere non contenta cruciatus inſomnes, & non intermiſſos, inſuper & eoſdem proſequebatur amore: cur non ait: putredini, vermibuſque dixi: vos amici mei, quod propriiſſimum diligentis nomen eſt? tortores illos experitur; & parentes ac fratres appellat? Diſertè ſatis: nam quiſque ſolet optionem amicorum facere; non autem genitores, vel germanos accipere hos præ illis ad libitum conceditur ulli. Fratres nominet Jobus incommoda quæ patitur: ſic videre pervium eſt à tolerante non electionem illorum arrogandam ſibi. Novit Providentia vigil Altiſſimi quid juſtis congruat: is prælia diſtribuit, in quibus fortitudo libens exerceatur.

Job 17.14.

Olymp. apud Pined. in Job ibi.

7. *Ad impoſſibile curſum virtus contendit.*

Robur Dei bellatorum, de duplici (præter laborum preſſuras) difficultate clareſcit. Superat virtutis ardua: necnon cùm ipſa Domini ſui dilectione contendit. Virtutis clivus non ſenticoſus eſt, ſed prælatum fateor. Attamen tam lacertoſo vigore perfecti pollent: ut etiam ultra poſſibile protendere brachia videantur. Sciunt quod non ſolitat metiri quid valeat amor: ſeipſos cupiunt excedere: nam propriam non egreditur ſphæram qui non ulteriora viribus conatur. Concupiſcunt affectus velut ambitionem piiſſimam explere, quæ dicere ſolita non eſt: ſatis, cùm ſit flamma. Plurima quidem juſtorum fortitudo detriumphat: ſed Plato dixit: *vincere autem ſe ipſum omnium victoriarum prima & optima.* Unde propriiſſimè nomen fortitudinis vendicat, cùm ſuperat ſe juſtus: nam tunc pugnat æquali marte: nemo ſibi extat inæqualis. *Et revera,* ſcribit Ambroſius, *ea jure fortitudo vocatur, quando unuſquiſque ſe ipſum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non adverſis perturbatur, non extollitur ſecundis* &c. Illam ſui victoriam non tantùm in iis quæ præcipiuntur, vel ſub conſilio ſunt adipiſci contendit: ſed etiam in eis quæ vires ſibi conceſſas excedunt: quia virtutis Heros dicere poterit quod in perſona Sponſæ Canticorum ad Sponſi divini ſodales aiebat Mellifluus Pater: *deſiderio feror, non ratione. Ne quæſo cauſemini præſumptionem ubi affectio urget.* Hinc fit ut poſſibilitatis metas audeat curſu tranſilire velle.

Plato l. d. leg.

S. Ambr. to. 4. l. 1. d. offi. c. 36.

S. Bern. ſer. 9. in Cant. in Princ.

Sedenti ad oſtium tabernaculi ſui quondam Abrahamo tres occurrerunt angeli: quos ipſe non agnoſcens adhuc excepit hoſpitio, licet ante diſceſſum ſpiritus intellexerit eſſe. *Abraham*, commentatur à Lap. *cùm hiſce tribus agendo ex ſplendore, ſermone, majeſtate, aliiſque ſignis, atque ex Dei inſtinctu agnovit non eſſe homines, ſed angelos.* Et infrà. *Unde patet Abrahamum id cognoviſſe, non poſtquam ab eo diſceſſit & evanuit angelus verſ. ultimo, ut volunt aliqui, ſed ante.* Quibus poſitis, orta fuit exhinc mihi ſuſpicio non inanis, quod Abraham, dum ſterni menſam, & cibaria coram eis apponi curavit, aliquatenus dubitabat an eſſent homines; angelive. Nam fulgorem facie relucentem quis dubitet ſtatim percepiſſe, necnon loquendi majeſtatem? non enim cibum offerenti, vel gratias agunt, vel excuſationem urbanam, ut moris eſt, humiliter prætendunt; ſed quadam veluti dominationis phraſi dixerunt: *Fac ut locutus es.* Idem dubium videtur roborari ex eo quod Abrahamus non ad menſam cùm eis aſſidere fuit auſus: *Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe vero ſtabat juxta eos ſub arbore.* Si conjectura quidquam valet, quærere licet: quomodo cibare vult Abrahamus angelos? Quorum dixit unus apud Tobiam ut ſe non egere materiali cibo probaret: *ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.* Mirare verba Gloſſæ hic, ne liberè me calumnieris à proprio ingeniolo ferri. *Ad hoſpitalitatis officia revertitur, quæ etiam angelis exhiberi poſſunt, cùm ex elementis corpoream formam aſſumunt: quod Abraham intelligens Deitatem in unitate adorabat, & diſpenſationi angelicæ in forma viſibili miniſtrabat.* Hem! ſciens & prudens alimenta materialia ſpiritibus qui nutritionis indigentiâ ſunt immunes obtulit Abraham? Fieri nequit ut cibetur carens vi nutritiva: ſed virtutis Dynaſta poſſibilibus non quieſcens, ad impoſſibile tendebat magnanimus. Ita ſecum ipſa pugnat fortitudo poſſe geſtiens ultra potentiam.

A Lapi. ad c. 18. Gen.

Gen. 18. 5.

Ibi n. 8.

Tob. 12. 19.

Gloſſ. Ord. ad c. 18. Gen.

8. *Conatur juſtus amorem Dei ſuperare.*

Et quaſi non foret inter palmas illuſtrior illa, quam de ſemetipſo quilibet reportat, adhuc accingitur novo trophæo. Divinum amorem

amorem vincere parat is cui datum eſt eundem vincire. Nec veretur amantiſſimum hac piâ nimis audaciâ lædere : de quo dixit Ambroſius : *omnino ſe ille exinanivit ut nos repleret* : ſcit enim Dominum gloriam ſuperandi noſtros affectus non ambire : nam *gratis dilexit ingratos, quæſivit errantes, pœnitentes ſuſcipit, fovet amantes. Planè amor Chriſti totus delectabilis eſt.* Ita S. Laurentius Juſtin. Hoc Dei dilectoribus injicit animos ut ab eo palmam referre contendant amore.

S.Amb.to.2. in pſ. 48.

S.Lau.Juſti. in faſci. amo. c.7.

Poſt negationes conjecit Dominus oculos in Petrum : nec tamen Petrus lumina direxit in Magiſtrum. E Cruce Dei Filius aſpexit in Joannem. *Cùm vidiſſet ergo Jeſus matrem & diſcipulum ſtantem quem diligebat* ; neque tamen diſcipulus in Jeſum ſuſpexit. In die triumphalis Aſcenſionis aliter evenit. Conſcendit orbes ſyderum : & interpoſita nube, nihilominus in Præceptorem ſuum oculorum aciem intendebant Apoſtoli : nam poſtquam Dominus diſparuit adhuc in cæleſtia conſpiciebant. *Vident hoc præſentes Apoſtoli, & paulatim ſemetipſum ad ſuperna tollentem pectore pavidi, mente confuſi, oculis trepidi, conſequuntur*, dixit Auguſtinus. Ordinem textus adverte : *nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cùmque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri* &c. An abſentiæ ſagitta, nempe deſiderium, pectora diriùs tranſverberabat eorum, quàm ex doloribus afflictiſſimi Salvatoris orta compaſſio ? Quare qui viſum in Chriſti facie crucifixi non juſſit haurire ſolatium, protendit oculos in ipſum poſtquam abiit in cælum ? cur Petrus ut teſtaretur ſe negantem non abjeciſſe dilectionem, non terendit palpebras in Dilectum ? Potiùs in triumphatorem Simon intuetur ? Forſan ideo ſic Apoſtoli, quia diſceſſionis Chriſti Domini luce peroptaverunt ejus excedere quadantenùs affectum. In paſſione, ſi reſpicerent in ipſum, par pari redderent (cùm & ille Petrum reſpexerit corporaliter, ac Joannem viderit) parumque foret hoc diligentibus impensè. Poſt victricem aſcenſum, cùm jam in Apoſtolos non jaciebat corporea lumina Dominus, tunc ipſi cupientes ejus amori, ſi fieri poſſet anteire, ſtabant aſpicientes adhuc : imò lachrymis profuſi, prout S. docuit Bernardus. *Et ille quidem*, ait, *illis plorantibus elevatus in cælum Spiritum S. miſit* : necnon ſuſpiria non defuerunt. S. Doctor ibidem. *Nonne tibi videtur Elias aſcendentis Domini ſignare perſonam, Eliſæus verò chorum Apoſtolicum in Aſcenſione Chriſti anxiè ſuſpirantem ?* An ſimiliter lachrymabatur, vel gemitus edebat Redemptor ? Minimè : quinpotius quampluribus lætitiæ ſignis die fauſtiſſima potitus eſt illâ. *Nempe in hoc die tota civitas cæleſtis Ieruſalem roſis coronata eſt, reſperſa odoribus, floribus redimita, ornata monilibus, decorata gemmis, auro depicta, & circumquaque ſepta cantoribus, adeo ut per omnes vicos & plateas atque ſuper ipſius muros dulciſonæ laudantium perſtreperent voces. Tantus ſiquidem exultationis in eâdem effundebatur ſonus, ut etiam diſcipulorum Chriſti corda compleret. Quam ob rem pro tam inſolito prodigio, & inſueto jubilationis gaudio admirantes ſtupebant.* Verba ſunt Patriarchæ Veneti. Compone modo utramque dilectionem : alteram diſcipulorum remanentium : aliam Salvatoris abeuntis. Illa ſuſpiriis & fletibus (quaſi diceremus per ignem & aquam) profitebatur quàm validus eſſet Apoſtolorum affectus ; iſta verò celeberrimos inter ſingularis & communis exultationis plauſus abſceſſus dolorem non diſſimulabat ; ſed abeſſe prorſus oſtendebat. Devicit-ne diſcipulorum amor Præceptoris charitatem ? Non audeo pronuntiare judicium : tantummodò videri dicam Apoſtolos ad iſtiuſmodi victoriam fuiſſe conatos.

Ioan. 19.26.

S.Aug.to.10. ſer.178. d. tempor.

Acto.1. 9. 10.

Silv. te.5. l.8. c. 8. n. 68.

S.Bern.ſer. 3.d.Aſcenſ.

S.Laur.Juſtin. ſer. d. Aſcenſ.

9. *Gloria Dei eſt à dilecto ſponte vinci.*

Operæpretium erit addere, quòd ſi quando juſtum Deus amantiſſimè ſinit de ipſo conſequi triumphum : hoc in Domini peculiarem gloriam cedit : nam victus clareſcit amor, & eligit ad ſpeciem imminuere majeſtatem, ne quid minus incendij videatur exardere. De reſponſione data matri filiorum Zebedæi loquens Ambroſius ait : *noluit his quos diligeret, videri quod peterent denegaſſe. Sanctus & bonus Dominus, qui mallet aliquid diſſimulare de jure, quàm de charitate deponere.* Glorioſius eſt Deo ſuperari à dilecto, quàm debellare conſtanter hoſtes.

S.Amb.to.4. l.9. d. fide c. 2.

Duo prælia narrantur eximia præ multis in ſacro textu : prius inter Deum & Jacobum, quod refertur in Geneſi : ſecundum inter angelos & draconem, de quo ſcribit Joannes. Ex primo victor evaſit Iſraël, & angelum verè ſuperavit prout legis apud Ozeam : *invaluit ad angelum.* Sed hunc memini dixiſſe quod fuerit Deus tunc victus à Jacobo : *quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis* &c. quibus verbis non tantùm ſignificatur Jacob ſtrenuè auſum certamen aggredi, ſed victorem extitiſſe. Unde Rupertus. *Tam longa colluctatio fuit fortiſſimi victoris Iacob & Dei victi.* In Apocalypſi verò non Deus aſſeritur vincens ; id tribuitur angelis. *Et factum eſt prælium magnum in cælo. Michael, & angeli ejus præliabantur cùm dracone, & draco pugnabat & angeli ejus : & non valuerunt* &c. cùm tamen ſoleant hiſtoriographi tribuere victorias regibus, quas eorum exercitus aſſequuntur, quamvis illi non deſcenderint ad bellum. Quo pacto non Deo, ſed angelis appropriat Pathmæus hiſtoricus triumphum ? & colluctator angelus non ſibi, ſed Altiſſimo adſcribit fuiſſe victum à luctante mortali ? Dilectus erat pugil cùm Domino certans : *Iacob dilexi :* & adeo glorioſum eſt amanti ſponte ſuperari ab amato, quod non ſibi arrogaverit angelus ultrò ceſſiſſe palmam in certamine ; ſed potius Deum ſuperatum aſſeruerit, quia voluntariam dediſſe victoriam femur emarceſcens teſtatur ut notavit curiosè Theodoretus dicens : *ne verò hac de victoria ſuperbiret, putans ſe Deum viciſſe, femoris contactu ſpontaneam de ſe victoriam præbuiſſe declaravit.* Aliter ſe res habuit in angelico bello, ubi non cùm Domino, ſed cùm inimicis ejus Michaël ac ſocij decertarunt. Duellum Jacobi nonnullam in ſtadio virtutis bellantium prætulit umbram. Adſtipuletur Ambroſius. *Quid eſt enim luctari*

Ozee 12.4.

Gen.32.28.

Rup. l.8. in Gen. c.6.

Apoca.12. 7. 8.

Ad Rom.9. 15.

Theodore. apud caten. Lipom. in Gen.

S.Amb.to.1.

I. d. Iacob. 2. c. 6. *cùm Deo, niſi virtutis ſuſcipere certamen, & cum ſuperiore congredi, potioremque cæteris imitatorem fieri Dei?* Conjicias itaque, ſi dicta quidquam proſunt, Divini amoris gaudium eſſe non vulgare, quòd in virtutum acie bella gerens, ita fœlici marte depugnet, ut ab eo conetur obtinere trophæum.

10. *Fortitudo comitem habeat cautelam.*

Hic eſt martius vigor ſub Divinæ legis vexillo militantium: qui tamen hic dicitur à Salomone: *fortitudo ſimplicis.* Non ideo putes comitem huic deeſſe prudentiam, & incautas eſſe hujuſmodi columbas. Imo ſummâ pariter utitur cautelâ, fragillimam ſe reputans fortitudo. Strenuitatem ſic definit Ariſtoteles: *fortitudo eſt mediocritas in metu & confidentia.* Non niſi vigilando moderamur fiduciam, timendoque minuimus iſtam: unde fortitudinis etiam eſt metuere. Macrobius id inſinuat inquiens: *fortitudo eſt virtus quæ animum ſuper periculi metum agit, nihilque niſi turpia timet.* Sit ergo ſtrenuitas conſtans, ut nec igni cedat, neque tempori; ſitque ſimul cauta velut ſi vitrea foret.

Ariſtot. 1. l. 3. Ethi.

Macrob.

Apoca. 21. 18.

Rup. l. 12. in Apoca. c. 21.

De myſtica Jeruſalem dixit in Apocalypſi Joannes: *Ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.* Hoc exponi poteſt de his qui adhuc in vita mortali degentes operibus præfulgent. *Addens*, inquit, ibi Rupertus, *aurum illud ſic fore mundum ut ſimile ſit vitro mundo, quia ſæcularis quoque vitæ nonnulli ſunt ſummis compti virtutibus, quod & puritate mentis, & radio fulgent operis.* Sed quid auro & vitro commune, ut una & altera ſimilitudo aptentur eidem? Multum intereſt quidem inter utriuſque ſplendorem: ſed ex unius & alterius diſtantibus valde proprietatibus conſurgit unum virtutis emblema: nam velut aurum deludit flammæ voracitatem, imo tempore non abſumitur: ſic illa nec ignibus impugnantium, neque tempori cedit. Vitro nihilominus aſſimilatur, quia velut ſi fragillima foret, ſic ſolerti cautela congruit cuſtodiri. Robori juſti cuſtos adſit prudentia: non enim excluditur hæc ubi virtus compellatur *fortitudo ſimplicis.*

DELIBATIO II.

Præconiis, licet imparibus Martyrum ſanctorum celebratur fortitudo.

PRædicet fortiſſimorum Chriſti regis militum ſtrenuitatem, qui vix ab humano ingenio quantum ſatis æſtimari poſſe novit, Cyprianus. Iteret pulchram pro eorum laude periodum, qua dixit: *martyrij inæſtimabilis gloria, infinita menſura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæſtimabilis titulus, triumphus immenſus.* Cur inappretiabilis ab hominum tenui mente ſit gloria martyrum, rationem offero: quia ſcili. difficultate non non vacat eorum exponere vincendi modum; qui ſævitiam tyrannorum cæſi cecîdere, percuſſerunt occiſi. *impoſſibile*, inquit S. Zeno, *eſt ejus æſtimare virtutem, cujus vinci victoria eſt.* Quicumque vitam pro Dei honore profuderunt, dicere valent verbis Tertulliani: *vincimus cum occidimur.* Rarum ovationis genus! Aſt ideo multiplex quia ſingulare credatur. Ex quinque laureolis unam cerno coaleſcere cujuſlibet martyris lauream. Vicerunt enim dolores, mortem, tyrannidem, diabolum, & ſemetipſos. Nunc ſingula proſequar.

S. Cypr. d. laud. martyr. prope. fin.

S. Zeno. ſer. d. patien.

Tertull. in. apolo. adverſus gentes.

Tormenta ſubegerunt præpotenter martyres, *fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus. Victa ſunt in eis omnia crudelitatis ingenia, & quod ira perſecutoris invenerat, patientiæ fortitudo ſuperavit.* Sic Theophilus. Hoc peregit quivis eorum dupici ratione: primò quatenus dolores ipſos coegerunt ſuos, ut hoſtilem deponentes impetum, eorundem corda martyrum tuerentur ab ictu, quem tenebrarum Princeps illis infligere cupiebat. Dæmon, inquam, Dei ſolitus æmulari ſtylum, eò quòd perantiquum ei ſit honores Divinos ambire: ſciens omnium Dominum ſuper omnia noſtra quærere ſollicitè cor hominis (quia *nihil humano corde ſublimius*, ut ait Hugo, *nihil nobilius nihilque Deo ſimilius reperitur; qua propter nihil aliud quærit à te niſi cor tuum.*) ipſe audet præripere cor noſtrum, & quod nequit blanditiis demulcendo trahere, hoſtiliter expugnare curat. Ad cor patientis dirigitur præſertim pondus totum prælij; quia teſte Chryſoſtomo, *corde corrupto, quæ utilitas in reliquo corpore?* Accidit nihilominus ut cor illud protegat ipſe labor.

11. *Corda patientium proteguntur ipſo labore.*

Theophilus Alex. ep. 3. Paſch.

Hugo. l. 1. d. anim.

Chryſoſt. to. 5. hom. 8. d. pœnit.

Prophetavit Jeremias dicens: *dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Et quamvis Lira Maldon. Rupertuſque ſumant ſcutum in malam partem; nihil tamen vetat in bonam accipi ſic ut ſignificet protectionem vel protegentem. Sic Pinto Luſitan. dicens: *Cum igitur ſcutum, ſive clypeus in bonam accipiatur partem aliis in locis, cur in hoc non poterit eandem admittere acceptionem.* Verum eſt quod author ad Chriſti Domini labores locum vatis flectit. Attamen prophetiam intelligo nullâ violentiâ de iis qui cum ſint puri homines, tamen in ſuſtinendo pluſquam humani videntur. Nec obſtat quòd non dixerit propheta: laborem illorum; ſed *laborem tuum*: huic enim objectioni ſatisfit ex verbis præcitati commentatoris ibi: *non quod labor ſit Dei, ſed à Deo inflictus.* Non erit igitur abs re ſic locum interpetrari, quaſi Jeremias Deum alloquens vaticinetur ita: dabis à te permiſſos labores patienter ſuſtinentibus, qui tanquam ſcutum corda protegant eorum, ne per impatientiam, vel ſimili vulnere, tartareo percutiantur ab hoſte. Eximiæ dexteritatis eſt non ſolum adverſaria plantis arma conculcare: ſed in proprium auxilium illa vertere.

Fr. Hect. Pint. in Thren. 16.

Idem. proxim. ſup.

Secunda triumphatorum in bello Domini laus, & non mediocris eſt, quod ipſamet inſtrumenta bellica tortorum de manibus rapta, martyrum inſignia ſunt quibus eorum ſplendeſcit majeſtas. Non illud tantùm

12. *Certus de victoria coronatur antè quam vincat.*

tùm aſſero, quod oculis intuemur in ſacris picturis : ubi Stephanum illuſtrat Lapidum congeries, Laurentium ferrea crates, Sebaſtianum ſagittæ : ſed adhuc in arena, quandiu ſæviebat pugna, judico tormenta munus egiſſe victricium ſignorum, quibus illuſtrabatur eorum tolerantia. *Luctæ*, ait Chryſoſt. *atque certamina jucunditatis haud paulò plus habent, quàm vel ipſa præmia.* Nam qui de victoria certus præliatur, antequam certamen finem accipiat, ornamentis inſigniri triumphalibus valet.

Chryſoſ.to. 4.hom.9.in ep.ad Rom.

Hoc in martyrum capite meditemur. Vidit in Apocalypſi Joannes equitem, quo Princeps pacis Dei Filius adumbrabatur, ut annotavit Liran. *Et vidi : & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Ubi Lira : *qui ſedebat ſuper eum, ſcili. Chriſtus.* Ad ſigilli ſequentis apertionem ait : *Et exivit alius equus rufus : & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut ſumeret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.* Commentatur idem : *qui ſedebat ſuper eum, ſcili. Nero.* Diſcernis utriuſque figuræ diſparitatem. Priori data eſt corona, quantumvis ad pugnam prodiverit ; poſteriori traditus eſt gladius ; diadema tacetur, licet coronatæ peſtis, Neronis inquam, ænigma ſit. An plurima non ſuperavit Nero ? nonne lauream Romani geſtavit imperij draco rationalis ille ? Quare non imagini monarchæ hujus imponitur ſertum ? maximè verò Servatoris umbræ, qui tamen in terris neutiquam vixit regio more ; ſed venit miniſtrare ? Quia licet uterque (ſcili. Chriſtus Dominus, & Nero) belligeraverint, & viciſſent : non poterat Imperator certus de triumpho ſigna conferre ; Salvator autem certo certius noverat ſe devicturum cùm deſcendit in pulverem : hac enim de cauſa longè prius quàm humanitatem aſſumeret Verbum, per Oſeam comminabatur excidium ipſi morti : *ero mors tua ô mors : morſus tuus ero inferne :* ſic exponente M. Gregorio : *non enim ab inferno rediens Dominus, electos ſimul & reprobos traxit, ſed illa inde omnia ſuſtulit, quæ ſibi inhæſiſſe præſcivit. Unde etiam per Oſee prophetam dicit : ero mors tua ô mors, ero morſus tuus inferne. Quod enim occidimus agimus ut penitus non ſit. Ex eo enim quod mordemus, partem abſtrahimus, partemqae relinquimus. Quia ergo in electis ſuis funditus Dominus occidit mortem, mors mortis extitit.* Chriſtus Dominus itaque cujus erat indubitata victoria, cùm exiret ad pugnam ut vinceret, coronatur. *Data eſt ei corona* ; Neroni gladius confertur ; non laurea, qui dubitare potuit eventum fœlicem. Propterea ſtrenuiſſimi fidei pugnatores ovabant in ſtadio, quia divino fretus auxilio quiſque ſuum exordiebatur conflictum, hoſtilibus telis inſignitus. Adeo gloriosè tormenta ſuperarunt.

Apocal.6.2.

Lira ibi.

Apocal.6.4.

Lira ibid.

Oſee 13.14.

D.Greg.to. 1.l.12.moral. c.8.

13. *Mortis victor inter vivētes numeretur mortuus.* S. Cyprian.

Mortem pariter ſtravere martyres. Hoc expetientia docuit Cyprianum : ſed jam veritatis hujuſce priùs non ignarum : dixerat quippe : *Pœna illic ſubigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, ſed optatur ; quæ ſcili. immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ aternitate qui vicerit honoretur.* Non ævo mortem vinci pronuntiat ; ſed illâ munerari reportatam de morte moriendo victoriam. Solent qui vita functi ſunt oblivioni tradi, vel ingratitudine, vel metu mortis ita ſuadente. Martyrum interitus non infert oblivia ; ſed eorum ſolemnem recordationem excitat. Igitur viventes reputa, quos necdum ſepelivit oblivio : quamvis enim cum morte conflixerint cadentes, eam ita calcarunt, quod inter vivos annumerari poſſunt.

to.1.ep.18. n.20.

Etiam in hoc imitantur illi ſuum præcedens & vocans exemplar, ſcili. Verbum incarnatum. Piæ mulieres, quamvis ad ſepulchrum Domini properaverint antelucana feſtinatione, ſuæ dilectionis deſideratum non invenere pignus. Angeli ſic illas affati ſunt : *quid quæritis viventem cum mortuis ?* Luc.24.5. Viventem-ne quærebant illæ ; ſepultumve ? Dominus utique jam in vivis erat ; ſed fœminæ, cùm hoc neſcirent, non vivum quærebant : imò dixerunt ad invicem : *quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti ?* Marc.16.3. Patet eas tantum cogitaſſe de cadavere Domini. Quonam ingenio videntur cæleſtes nuntij ſupponere quod iſtæ vivum Redemptorem inquirant ? Angelico ſanè : quia cùm ij noſſent ipſorum Principem ita debellaſſe necem, ut adhuc Magiſtri communis viveret memoria : de ſepulto quaſi de vita fruente loqui potuiſſe mulieres credidit. Chriſti Ducis mors exaltatio fuit. Quid ergo mirum quòd apud mulieres (niſi obſtaret ignorantia) mortuus & vivens credi valeret ? mortuus quia verè vitam obiit ; vivens quia mortem ſubjugavit emoriens. Ita martyrum ductor ſupremus triumphum de morte peregit : ſic ejus milites, quamvis non æquali veſtigio. Dixit attamen ipſe : *qui credit in me opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Joan.14.12.

Tyrannidem necnon divinæ gloriæ propugnatores acerrimi domaverunt victrici pede. Inermes utique ; ſed non inerti brachio cecîderunt ferociam quæ cecidit validiſſimis invita cedens. *Machabæi pueri....* inquit Ambroſius, *ſine armis vicerunt, ... defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt martyres.* Robur eorum jure demiramur optimo, qui tormentorum tolerantiâ tyrannos contorquere valuerunt, & hoſtes, quin ſe tuerentur, ipsâ patientiâ ſunt aggreſſi fœliciter. *Quid denique*, Theodoretus ait, *fortius eis ſit qui multa variaque certamina ſubeuntes, animi conſtantiâ eos vicerunt, à quibus acerrimè torquebantur ? Hi ſunt igitur verè hominum duces, principes, pugnatores* &c. Et ubinam inſtrumenta martialia ; quibus inſtructi deſcenderunt in aciem ? Non deeſt Catharinæ gladius, non Stephano Lapides, quibus hoſtem expugnarent glorioſiſſimè : nam, ut Chryſologus notavit, *hoſtem proprio mucrone turbare ſingulare eſt inſigne virtutis.* Et priùs dixerat Seneca : *bis interimitur qui ſuis armis perit.* Adminus lethalis eſt ſemper ictus propriis exceptus armis : nam cor penetrat vulnus iſtud. Enſis alienus aperit nunc iſtum, nunc illum

14. *Feritur in corde qui proprio cædi-tur gladio.* S.Ambr.to. 4.l.1.d.offic. c.41.

Theodore. l.8.d.martyr.

Chryſol.ſer. 2.d.Epiph.

Senec. in Prover.

illum vulneri locum. Qui verò proprio cæditur gladio, corde feritur.

Duplicem Pſalmographi textum verſare juvat. Invehitur adverſus peccatores, monens Divinam in eos vindictam ſuperventuram niſi reſipiſcant: *niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit.* In alio poſtea pſalmo David inquit: *gladius eorum intret in corda ipſorum*: ubi ſic Bellarm. *eſt prædictio potius quam imprecatio.* Nunc præcordiorum latebras pervaſurum fore minatur mucronem? antea neque pectus, nec alium deſignat ictui locum? Non caſu loqui ſic eum puto. Prius de gladio Dei ſermo fuerat: *gladium ſuum*, de quo, ac ſi nullam certam peteret partem, aſſeruit vibrandum in ſceleſtos. Bellar. ibi: *gladium agitabit cædendo, atque ita ſplendere eum faciet.* Poſteriori pſalmo prædicit malos enſemet ſuo vulnerandos: & quia cum quis propriis icitur armis, vulnus excipit corde (quod acerbius eſt) ideo dixit: *gladius eorum* &c. Cum ergo tyrannidem ejus framea percuſſerint inclyti morte majores, clareſcunt exhinc eorum palmæ.

Pſ. 7. 13.

Pſ. 39. 15.

Bellarm. in pſ. 36.

Bellar. in pſ. 7.

15. *Glorioſior eſt corona quæ potiri in oculis hoſtium.*

Dæmonem inſuper expugnaverunt illi qui ſanguine fuſo ſancivere fidem. Ipſe namque ducens tyrannorum feroces turmas cóciditillius doloris lanceâ tranſverberatus, quem ex eorum ſpectabili ſorte concepit. Hoc eleganter expreſſit S. Gregori. Nyſſ. loquens de ſacro quadraginta Martyrum certamine. *Quàm pulchrum igitur tunc intuentibus erat ſpectaculum! pulchrum, inquam, iis qui pulchra atque præclara contueri volunt: pulchrum angelis: pulchrum ſupramundanis virtutibus: acerbum verò dæmonibus* &c. Quin potiùs Auguſtinus adnotat loquens de S. Vincentij pugna perilluſtri quòd acerbius martyre Satan eo prælio cruciabatur. *Magis diabolus non victo Vincentio, quam Vincentius perſequente diabolo torquebatur.* Cernebant gehennales adverſarij quemlibet ex bellatoribus Chriſti ovantem diademate regio coronari: & quod vincentes ita percuterent ſpirituales oculos odientium, accreſcebat laureæ ſplendori: etenim glorioſior eſt corona quæ ſpectantibus inimicis imponitur capiti; quàm ſi carens oppugnatore quis fœliciter coronaretur.

S. Greg. Nyſſ. orat. 2. d. SS. 40. Martyr.

S. Aug. to. 10. ſer. 1. d. S. Vinc.

Repudiata propter inobedientiam regina Vaſthi levata fuit ad ſolium Eſther non ſine providentiâ Numinis. Attamen inſigne majeſtatis, quod ſupra caput ſolemnioribus diebus ipſa collocabat, execrabatur. *Tu ſcis neceſſitatem meam quod abominer ſignum ſuperbiæ & glorie meæ quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſter illud quaſi pannum menſtruatæ*, &c. Deinde poſtquam Amani contra Hebræos diræ machinæ incaſſum abierunt, ac regina Mardochæum ſibi ſanguinis neceſſitudine conjunctum aperuit regi, ſacer textus narrat Mardochæum geſtaviſſe coronam: nec iſtam abominandam putavit, quamvis ab eádem poteſtate collata fuerit, quæ ad thronum levavit Eſtherem. *Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrédiens fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, corononam auream portans in capite*, &c. An non & Mardochæus deteſtabatur incircumciſos & dona ferentes? Reginæ diſplicebat majeſtas, quam acceperat ab Aſſuero; Mardochæus nequaquam abominatur ſplendorem quem ipſi detulit idem? Quid amplius in corona ſua Mardochæus detexit honoris, ut illam non abhorreret? quid minus invenit Eſther in diademate regali, ut id averſaretur? Non ſine rationis pondere ducor ut exiſtimem glorioſiùs Mardochæum quam Eſtherem frontis decus accepiſſe conſpicuum: nam regina, cum præfata verba protulit, carebat hoſtibus: non enim adhuc gentiles eam ad populum Iſraëlitidum pertinere noverant: & laurea quam non conſpicit adverſarius, minùs coruſcat, quantumlibet gemmis diteſcat. Mardochæus autem omnibus qui barbaræ feritatis Amani fautores fuerant, placere non potuit: præcipuè cum Iſraëlitarum cædem, quam Aſſueri manu decreverat Aman, in hujus perniciem eſſe converſam agnoſcerent, & ipſorum capitibus imminere: nam *imperavit rex ut convenirent Iudæos per ſingulas civitates, & in unum præciperent congregari, ut ſtarent pro animabus ſuis, & omnes inimicos ſuos cum coniugibus ac liberis & univerſis domibus interficerent atque delerent*, &c. Ultionem hanc odij fomitem ſubminiſtraſſe veroſimillimum eſt. In conſpectu proinde poſitus inimicorum Mardochæus auro tempora circumdabat: quidni ſummâ dignam appretiatione putaret gloriam cujus fulgor in adverſantium oculos evibrabat radios, ne dicam fulmina? Coram his, qui fortunatum odio proſequuntur, ſublimitate potiri, duplicat excellentiam ccelſitudinis, eique ſuperaddit ingens incrementum. Ita crede cum perpenderis purpuratos Chriſtianæ militiæ proceres, contuente Satana cinctos fuiſſe præfulgidis corollis, quas tenerrimo pollice contexuerunt angeli.

Eſther. 14. 16.

Ibi. c. 8. 15.

Ibi. n. 11.

16. *Victoria ſine gladio lætior.*

Amorem denique proprium ſuperare datum eſt iis, qui pro dilectione Dei tuenda poſuerunt animas. Charitas eorum in ſemetipſos extincta certe non eſt: nam Auguſtinus dixit: *neſcio enim quo inexplicabili modo quiſquis ſe ipſum, non Deum, amat, non ſe amat: ut quiſquis Deum, non ſe ipſum, amat, ipſe ſe amat.* Diſcernas oportet duplicem amorem proprium: quendam rectum; alium damnabilem. Hunc vicit nobilis phalanx eorum qui pro Chriſti nomine cruorem effundentes paradiſum Eccleſiæ militantis irrigarunt, & peperere ſibi decus immortale: quamvis enim robore non vulgari vigeat propria dilectio; tamen *dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis*, ait S. Gregorius M. inſignis hic eſt in paucis triumphus, quo ſternitur philautia: quia charitas non vulnerat hanc (cum & iſta ſit vulnus) ſed abſque cæde fugat. Docent illi qui tradidere calomo res bellicas incruenta cæteris anteire trophæa. Sic Jovius: *ea plena, veraque victoria exiſtimanda eſt quæ ducis ingenio atque artibus, magis quam quæ aperta virtute atque audaciâ militum comparatur.* Non immeritò ſic aſſeruiſſe

S. Aug. to. 9. tract. 123. in Ioan.

D. Greg. M. to. 2. hom. 14. in Ezech.

Paul. Iovi. l. 13. hiſto.

ruisse placuit : nam si prælium cùm hoste committis, & retulisti palmam, ejus arma deviciſti non autem fortitudinem, quam pugnans decoravit ille. Si verò citra pugnam ovasti, non tantum arma sed cor ejusdem subegisti, cùm is bellum declinans, tecum non sit ausus contendere. Clarior itaque vincendi modus est si non evaginasti gladium.

Postquam Pharao cùm exercitu Jacobæam gentem insequens aquis fuit submersus, cecinit Moyses & filij Israël carmen
Exo.15. 1. hoc Domino : *Cantemus Domino : gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.* Audis Moysen gratum ? Vide quam dispari gressu Josuë subrogatus in regimine secutus fuerit eundem : non minori fœlicitate potitus eam nequaquam reddidit carmine celebrem. Fuit ille victricibus lauris dives. *Hi sunt reges Terræ, quos*
Josu.12.7. *percussit Josuë & filij Israël, trans Jordanem* &c. Et postquam textus reges numerat, claudit periodum sic : *omnes reges triginta unus.* Unicum viderat monarcham tumulatum aquarum pondere Moyses:& hanc
Ibi n.24. publico sortem cantico prædicavit ? Josuë debellatis uno supra triginta regibus non concentu personare facit exercituum Domini laudes ? Quid hoc ? nisi dicas id inter utrumque discriminis esse quòd in mari rubro non Israëlitæ bellaverunt, sed fluctus agmine facto ; non certamine perierunt hostes ; fugam inierunt manum Dei validam
Exo.14.14. agnoscentes. *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis*, prædixerat Moyses : & hoc invitò deprehenderunt Ægyptij, dixere quippe : *Fugiamus Israëlem : Dominus enim pu-*
Ibi n.25. *gnat pro eis contra nos.* Nec sunt falsi : nam
Ibi n.27. *involvit eos Dominus in mediis fluctibus.* Et cùm adeò gratis hujusmodi victoriam fuerit adeptus, ideo putavit eam insigniorem, cantionisque festivæ plausu dignam. Josuë non ita de tot victoriis judicavit, cùm eas justo pretio sudoris martialis emerit. Dilectionem sui non bello, sed amore prosternere contigit iis qui pro Dei causa vitam exponere non dubitarunt. O claram ter & ampliùs eorum sortem ? Placet illa ne tibi ? Sine tyranno martyrium invenies meriti non me-
D.Greg.M. to.2.ho.35. in Evan. diocris : aggredere, coronaberis. *Itaque* (Gregorius M. fatur) *esse martyres possumus etiam si nullo percutientium ferro trucidemur. Mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est : ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cognitione.* Sique forsan tam infœlix es, ut nullus te prosequatur odio, neque patientiæ materiam offerat, en alia patiendi via, quam
Chrysost.to. 4.hom.12.in ep.ad Hebr. demonstrat Chrysostomus : *cùm enim liceat deliciosè & optimè degere, & eligatur laboriosa vita & amara mortificansque corpus, nonne holocaustoma est ? Mortifica ergo corpus tuum, & crucifige, & accipies tu hujus martyrij coronam.*

DELIBATIO III.

Duplicantur Sanctorum prudentissimæ simplicitatis laudes.

17. *Contemptus morte durior,*

FOrtitudo *simplicis* idem valet ac robur herois in spiritualibus, prout ad litteram, favente Syriaca translatione, monui. Sed qualiter credemus fortem illum qui despicitur ab insano sæculo tanquam fatuus ? Imò quia contemptum imperturbatus suffert, validus nimis est qui vilipenditur hebetis cognomine. Reputas vecordem perfectorum simplicitatem ? Falleris : nam illa de laboribus orta sudorem non recusat. A Climaco
S.Joã.Clim. in scalà gra.24. doceare. *Bona quidem est ac beata illa simplicitas, quæ quibusdam inest naturaliter : longè tamen illa beatior & excellentior ; quæ laboribus & sudoribus ex malitia traducta est vel fuerit. Nam illa quidem à varietate multiplici, ac perturbationibus protegitur atque illæsa servatur ; hæc verò altissimæ humilitatis & mansuetudinis genitrix & altrix est.* Hæc ergo quæ dicitur apud mendax idioma sæcularium fatuitas, à justis diligitur ; despicitur à mundanis. Sed an vulgaris fortitudinis est subsannationem superare ? Lege D. Ambro. *vivere & mori naturæ fun-*
S.Ambr.to. 5. ep.24. *ctio : ludibrio esse probro ducitur.* Cùm enim honor ad animam spectet (corpus quippe non est illius capax, eo quòd ad animæ servitutem fuerit ortum) despectus vulnerat spiritum ; mors autem neutiquam. Quare non dicam apud ingenuos acerbius funere contemni ?

Postquam panes & gladium ab Achimelech David accepisset, ad Gethæorum regem se contulit : sed fama, quæ profugos comitari solet, eum latere cupientem detexit apud aulicos in memoriam reducens cantionem illam livoris adversus Davidem seminarium, quam mulieres præcinebant, postposito Saule revertenti de monomachia gigantis. Pertimuit ille se inter hostes agnitum audiens. Ne de vita periclitaretur *im-*
1.Reg.21. 13. *mutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.* Per istam fatuitatis fictionem existimat se David à discrimine tutum ? Sic meritò censuit, quasi diceret : Philisthæi, apud quos nunc immorari cogit me Saulis furor, hostilibus me prosequuntur cordibus. Majus ex duobus malis eligendum ipsi decernent ut me lædant. Scio quid agam : fatuum simulabo, quò me despiciendi occasionem nacti vitæ meæ parcant, quasi deliberantes ita : Subsannemus illum, nec interficere curemus, nam despectus morte cessaret per oblivionis auxilium. Atverò viventem contemni morte durius est. Cùmque dira sufferre decus fortitudinis invictæ sit : ejus gloria singularis est pedibus terere contemptum.

18. *Despici pretio æstimabilis res dici potest.*

Heroicum tantopere virtutis facinus est abjectionem hominum non solummodo pati ; sed amare : quod etiam apud Ethnicos

Sen.d.mo-rib. beatitudinis promeruerit nomen. *Nondum fœlix es ſi non te turba deriſerit. Si beatus vis eſſe, cogita hoc, primum contemnere & ab aliis contemni.* Ferè Chriſtiana magnanimitate locutus eſt : hæc enim à Deo præmia partim experta, & expectans partim, dicere ſolet utens Bernardi verbis : *Si Deus nobiſcum quis contra nos ?... Poſtremo ſi ille glorificat, quiſnam alius inglorium faciet ? ſi ille glorificat quis humiliabit ?* Et quaſi parum foret juſtum per aliorum contemptum abjici quin cadat, inſuper exinde ſurgit altiùs. Opituletur idem S. Doctor alibi de Sponſæ nigredine loquens : *& eſt*, inquit, *perſecutionis* (ſubintellige nigredo) *quæ etiam pro ſummo ornamento habetur : ſi quidem ſuſcipiatur pro juſtitia & veritate. Unde eſt illud : ibant gaudentes diſcipuli à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* En ab ornatiſſimo doctore contumelia habetur ornamenti loco. Tam verum id cenſeo, quod penè dicam abjectionem dignam eſſe ut illam pecunia mercemur. Difficile tibi hoc ? Fateor ; ſed præceſſit exemplum in fortium prototypo Chriſto Dei Filio.

D.Bern.ſer. 17. in pſ. Qui habi.

Idem ſer.28. in Cant.

In urbem Capharnaum cùm veniſſet divinus Magiſter coronâ ſequente diſcipulorum : acceſſerunt ad Petrum exactores tributi. Prout ſolent hujuſmodi farinæ homines, delictum potius requirebant ut puniretur, quam ſolutionem ut quieſcerent. Non dixerunt Apoſtolo : tuum admone præceptorem ut ſolvat ; ſed velut effractam legem calumniantes, culpam ſupponunt dicentes : *Magiſter veſter non ſolvit didrachma ?* Prævenit Apoſtolorum Principem Dominus : & immunitatem ſuam inſinuans brevi ſimilitudine, tandem Petro ſic injungit hujuſmodi rem : *vade ad mare, & mitte hamum : & eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle : & aperto ore ejus invenies ſtaterem : illum ſumens da eis pro me & te.* Bone Deus ? adhuc illi non urgent : quid properas ? Abjecta res equidem eſt ſolvere tributum ; ſed hanc abjectionem adamabat ſic, ut illam quaſi videretur emere voluiſſe propriis expenſis. Pecuniam parari miraculoſam juſſit, ut contemptum illum veluti mercaretur. Ex doctrina Gregorij Nazian. ſolutio tributi pertinet ad ſervi formam. *Ipſe didrachma dat pro tributo quoniam pro nobis homo factus eſt, & ſervi formam aſſumpſit.* Nec diſſimiliter S. Hieronymus dicens ? *oſtenditur autem ſimilitudo carnis, dum eodem & Dominus & ſervus pretio liberantur.* Pecuniam in exemplum noſtrum Dominus expendit : cùm ſciret in iſta ſolutione computandum tanquam unum de plebe : quò ſic agnoſceremus humiliationem ab aliorum deſpectione venientem eſſe pretio æſtimabilem. Qui tanti Magiſtri ductu regiam ſanctæ Crucis viam tenent ſperni diligunt, & gloriolam fugiunt.

Matth.17. 23.

Ib. n.26.

D. Gregorius Nazian. orat.6.

S.Hiero.to. 9. com. in Matth. c. 17.

19.

Sed quam verum eſt illud quod reperitur apud Livium : *Spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* Quamvis, etiam ſumptibus propriis juſti negligi cupiant, nihil proficiunt ne ſe demittentes creſcant more lignorum radices agentium. Avent nihili fieri ; ſed inde plus decorantur. Omnia linquet virtutis aſſecla ; ſed honorem derelinquere non valet : potiùs commutat in melius : quia mundanum aſpernatus, hujus vice decus lucratur ſolidum.

Tit.Liv.de. ca.1.l.2. *Honor nõ relinquitur pro Deo ſed commutatur.*

Poſtquàm reſponſum adhibens Petro Chriſtus Dominus, Apoſtolis repromiſit ſedes in univerſalis judicij tribunali : ne putaretur ſolis amicis præmia polliceri, addidit : *& omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Qui ſigillatim numerat bona, quæ divina dilectione faucij projicere ſolent ne graventur oneribus in itinere cœpto : neſcio cùr omiſerit honorem, qui non parvum pondus eſt pro recta via carpenda. Quare non addidit inter cætera : vel depoſuerit propter me decus ? Ne laboremus inquirendo rem apertiſſimam. Vix fieri valet, ut omittatur honos : hic namque mutatur in celſiorem cum vili ducitur. Nummum pro dulci fructu puer tradit ; non tamen dicitur argentum perdere, ſed commutare. Mundialem hominum gloriam reſpuunt perfecti viri ; ſed propriè non dicuntur nomen dimittere, ſed permutare. Deſpectui habentur ſimplicitatis amatores ; ſed ipſo nomine, *ſimplicis*, condecorantur, ſicut in præſentiarum videre eſt. Dicam uſurpans verba Senecæ : *plerumque boni inepti & inertes vocantur : mihi contingat iſte deriſus.*

Matth.19. 29.

Sen.epiſ.76.

20.

Juſtus videtur docere poſſe quod ignorat.

Non utcumque vocabulum, *ſimplicis*, honorat : ſed ita quod apud cordatos ille diſertiſſimus habendus qui pollet columbina ſimplicitate. *Sic ergo poſſibile*, inquit Origenes, *eſt in iis quæ ad Deum pertinent eſſe ſapientem : in iis quæ ad ſæculum pertinent eſſe inſipientem.* Et ratio prioris partis obvia pateſcit : nam illi quorum deridetur ſincerus candor, humiliantur à ſuperbis, & anguntur paſſim. Experientia priùs, poſtea verò S. Greg. M. docuit, vexationibus, ac depreſſione cælitus intellectum illuſtrari. *Veritatis lumen, quod elatis, occupatiſque mentibus abſconditur, afflictis, humiliatiſque revelatur.* Parum abeſt ne aſſerere valeamus animam Dei amore correptam, quamvis aliqua neſciat, docere poſſe quod ignorat.

Orig.l.10.in epiſ. ad Rom.

S.Greg.M. to.1. l.27. mora. c.7. n. 11.

Paradoxum explicet Sponſa Canticorum. Exit è domo, quæritat, nec invenit illa Dilectum. Occurrunt filiæ Jeruſalem, quas adjurat committens eis ut cordis quem patitur languorem annuntient Sponſo, ſi fortè contingat illum reperire. Reponunt ipſe duplicem interrogationem. Quærunt prius ab eadem qualiſnam ſit ejus dilectus. Hoc non me valdè movit : nam filiæ Jeruſalem ſignificant eos qui non multum de Domino cognoverunt. *Adoleſcentulæ*, ait Gloſſa, *jam ad aliquam cognitionem permotæ, ad famulos Dei, quos angelicam in terris vitam agere credunt, devotè veniunt.* Lentius libranda venit poſterior ſciſcitatio quæ refertur ad finem capitis. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum ?* Vel deſipuiſſe videbuntur ita rogantes ; vel decipere Sponſam, dum ſub ſpecie condolentium irridentis more loquuntur. Certè quemquam percontari quod

Gloſſ.ord.in Cant. 5.

Cant.5.17.

ipſe

ipſe neſcire faſſus eſt, vel inſcitiam petentis denotat, vel deriſionem interrogati. Ibi. n. 8. Sponſa dixerat ipſis ibidem : *Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Satis indicabant hæc verba Sponſam protunc prorſus præteriſſe locum ubi deſideratus latebat: Quid ab illa quærunt ubi ſit ? Rogaverunt ab Sponſa hoc ipſum, cujus erat ignara : nam animæ ſanctæ ſapiens ignorantia quit magiſtri munus obire, licet quæſtio fiat de iis quæ fugiunt eam.

21. *Velut expers intellectus eſt qui malitiâ fœdatur.* Viceverſa contingit aberrantibus à tramite vero : nam cæcitas mentis & cordis ægritudo nunquam non copulantur : nunc illa naſcitur ex iſta, nunc econverſò. *Sciendum eſt*, ait Magnus, *quòd aliquando priùs* S. Greg. M. to. 1. l. 7. mora. c. 13. in princ. *oculus intellectus obtunditur, & poſtmodùm captus animus per exteriora deſideria vagatur : ut cæca mens quo ducitur neſciat, & carnis ſuæ illecebris ſeſe libenter ſubdat. Aliquando verò prius deſideria carnis ebulliunt & poſt longum uſum illiciti operis, oculum cordis claudunt.* Seu accidat uno, ſeu altero modo, rationis obcæcatio, miſerum eſt quòd arbitrij rationalis uſus vetitum quærens, rationem fere deperdat. Quaſi deſtitutus intellectu ſit qui perperam judicat : malitiâ cordis conatur ſupplere defectum, & munus exequitur mentis.

Dum eſſet in urb Capharnaum Servator, & quidam afferentes paralyticum non poſſent illum per oſtium domus introducere, præ turba : ſubmiſerunt per tectum, & in conſpectu Domini ſiſti curarunt ut curaretur. Sciens divinus Medicus ægrotum non unicâ paralyſi corporis laborare, majori malo citiùs occurrens, priùs animam in peccatis jacentem erexit: & poſtea nervorum compagem reſolutam conſolidavit : de quo jam alibi nonnulla dedi. Nunc tantummodò libet malevolorum calumniam notulâ quâdem ſugillare. Circumſtantium aliqui verba Domini damnavere tanquam blaſphema. Quos ipſe redarguens dixit : *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris* ? Matth. 9. 4. Putares dicturum : quid in mentibus malum judicatis ? Cordium, non mentium vocabulo fuit uſus : ipſi namque verſipelles intellectu velut orbabantur, & cor loco judicij quid putandum examinabat. Hujuſcemodi ſunt qui derident ſanctam ſimplicitatem ; ſed fruſtra : nam illa probo nomen confert non vulgare. Textus noſter ait : *fortitudo ſimplicis*, & cum dicere poſſet : robur herois, potiùs de ſimplicitate nomenclaturam compoſuit honorificam.

DELIBATIO IV.

Peccatoris pavor & inertia.

22. *Robuſtior eſt ſanctitas in bellis, quàm ſtrenuitas peccatrix.* DIximus de juſti vigore ſupra. Nexus doctrinæ poſtulat ut de malorum militate nunc verba faciam. Verbis Eliphaz utar ut initium ſumam. Sonitus terroris ſemper in auribus illius : & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Vulgarius nota veritas hæc eſt ; quam ut exemplis egeat. Virtus equidem ſtrenua, nequitia verò pavida. Sapienter Ambroſius: *non eſt igitur mediocris, nec diſcreta à cæteris animi* S. Ambr. to. 4. l. 1. d. offic. c. 39. *fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat, ſed quæ ſola defendat ornamenta virtutum omnium, & judicia cuſtodiat, & quæ inexpiabili prælio adverſus omnia vitia decernat invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adverſus voluptates, dura adverſus illecebras, quibus aurem deferre neſciat, nec (ut dicitur) ave dicat, pecuniam negligat* &c. Hæ ſunt præſtantiores hominis vires. Ponamus hinc martialibus exercitiis obfirmatum animum ; ſed virtutibns inermem ; ſtatuamus illinc armaturâ ſpirituali munitum pectus naturaliter imbelle: hoc non perhorreſcet quod ille pavet.

Exemplum ſuppeditant Judith & Achior, ſi conferantur ad invicem poſt victoriam interventu brachij fœminei partam. Truncavit illa capite Holofernem Aſſyrij ducem exercitus, & cum ancilla de caſtris exiens, ad Bethuliam reverſa fuit, caput inimicum, victoriæ funeſtum, lætiſſimumque ſpolium reportans. Concurrunt ad eam cives : quos eminentiori conſtituta loco breviter affatur, dictorumque factura fidem profert ex pera ducis caput, & coram univerſis patefacit. Vocato deinceps Achiori (ſcili. illi qui non mediocriter auſus loqui, fuerat in Bethuliam relegatus ab Holoferne) cadaveris caput ipſa demonſtrat. *Videns autem Achior caput Holofernis, an-* Judith. 13. 29. *guſtiatus præ pavore cecidit in faciem ſuam ſuper terram, & æſtuavit anima ejus.* Hem ! & hic eſt Ammonitarum ductor mavortius, qui belli dura tractare ſolebat ? Iudith, in qua ſexus animos emollit, ad horrendam non expaveſcit ſpectri faciem ? Achior cadit exanimis ? Res n llatenus mira. Achioris robur ſanctitate n auxiliatricem non habebat: erat inter Dei populi hoſtes namque pugnans injuſto marte : & ſtrenuita illa quæ, non, ut adamantino ſcuto, vir ute coronatur, enervis eſt. Verùm Juditha ſancta fœmina, probatiſſimæque perfectionis extitit Heroina : *ora pro nobis quoniam mu-* Ibi. c. 8. 29. *lier ſancta es, & timens Deum.* Impavidis ideo, licet muliebribus oculis, jam non dicam vidit Holofernis demortui caput, & cadaver truncum ſanguineam evomens animam : quia multo plus fuit arrepto pugione fixum ictum certò collimare, nequaquam tremulâ, quamvis tenerâ manu. Sic virilis eſt ſanctitas ; atque trepida pallet iniquitas ; licet arma virumque canat.

23. *Vires emollit qui ad peccatum provocat.* Pavens formidine concutitur qui ſcelere polluit animum : nam loricam virtutis exuens deponit vires : vel ut meliùs dicam ſpoliatur eis. Ferociſſimum culpa ſe gerit hoſtem : cæteri namque te cædunt ; non debilitant ; at qui te præcipitat in criminis foveam, penitus debilem reddit. Idcirco de pulchritudine loquens Origenes ſub nomine prophetæ Balaam, quem ſupponit conſuluiſſe Balac Iſraëlitarum inimico regi, quòd fœminarum ſpeciem objiceret oculis eorum, ut illos debellaret ; ait : *forma vincit armatos : ferrum pulchritudo captivat :* Orig. to. 1. hom. 10. in Num.

vincentur ſpecie qui non vincuntur prælio. Aliorum erit hoſtium, ſi prævaluerint, oculos eruere peccanti; ſed frangere vires, ad eum ſpectat, cujus occaſione delinquis.

Fortitudine cælitus data valebat Samſon in Philiſthinorum ſtragem, quam non ſemel peregerat. Evénit ut adamaret fœminam, laſciveque diverſaretur apud eam. Quæ ſuis ut contribulibus morem gereret, fœmineæque dilectioni pecuniæ lenocinaretur, ab eo ſubdola quæſivit in quo ſitum eſſet maximum illius robur; & qualiter poſſet enervari. Poſt longam tergiverſationem, defeſſus importunitate, retexit arcanum obſervantiæ Nazarenæ. Perfidè Philiſtheos illa vocat intendens crines occaſionis captare ne lucrum deperderet, capilloſque radere Samſonis, ut ſic ab ipſo fortitudo recederet. Non Philiſthæis injunxit ut ſecum adducerent ſj tonſorem, ſed ipſa vocari fecit à quo ſpoliaretur capillitio deceptus miſerè Samſon. *At illa dormire eum fecit*
Iudic.16.19. *ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus* &c. Quo peracto comprehenditur ab hoſtibus, & oculorum lumine privatur. *Quem cum apprehendiſſent Philiſthiim,*
Ibi. n. 21. *ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Plus quam ab ea poſtulaverant Philiſthæi Dalilam executioni dediſſe notabam. Illi dixerunt ad eam: *diſce*
Ibid. n. 5. *ab illo in quo habeat tantam fortitudinem:* ipſa verò non tantùm hoc didicit, ſed capillos fecit abſcindi tonſore adducto. Cur non Philiſthæis hoc reliquit? Quia Dalila fuerat occaſio peccandi Samſoni: trucior hoſtis erat ipſa, quam Allophyli. Pertinuit ad iſtos eruere vincti pugnatoris lumina; ſed vires illius emollire munus erat ejuſdem, quæ ſtrenuum virum ad crimen pellexerat eloquio pulchritudinis. Dalila ex Iſidoro Hiſpal. carnem ſignificat: huic apta quæ diximus, & invenies pluſquam vera. *Caro*
S. Iſido. Hiſpal. comin. l. Iudic. 8. *autem*, inquit S. Doctor, *quaſi in typo mulieris accipitur. Si enim mulieri, ideſt carni noſtræ, blandiente libidine, vel aliis malis operibus conſenſerimus, gratia ſpiritus quæ Nazarai crine ſignificatur nudati, expoliamur atque decipimur.* Caro igitur, in qua multorum latet illecebra criminum, fragiles nos reddit. Qui cedunt huic, timidiſſimi nullo perſequente cuncta verentur.

24. *Parum obeſt claudere malis oſtia.* Tit. Liv. decad. 1. l. 8. Contremiſcit artubus totis reus. An ideo putas eripere ſeipſum, in tutoque locare? Quinimo *fugiendo ferme in media fata ruitur*, ut ſcribit Livius. Quis in ipſo procellæ furore, niſi mente deluſus, ſolidam ſibi ſecuritatem pollicebitur? Nullus valet ſorti ſuæ de malorum immunitate gratulari: *pauper & dives, ſeruus & dominus, de-*
Innocen. d. vilit. conditi. humanæ. *nique bonus & malus, omnes mundanis cruciatibus affliguntur*, ait Innocentius. Ergo ne quis inter ingruentia bella pacem præſumet ſuperbus? Si providus remedia quæris, auxiliaque paras, mitigatur dolor, cedit hoſtis, mors differtur; ſed horum nullum per dilationem auferetur: mala namque pennata ſunt: parumque refert januas timidus claudas: nam ſi fores non pateant, feneſtræ præbebunt aditum iiſdem.

Aſcendit mors per feneſtras noſtras, in- Ierem. 9. 21. *greſſa eſt domos noſtras, diſperdere parvulos de foris, invenes de plateis.* Sic ad mulieres Jeremias in ſermone Domini. Hærebam ad ſtylum vatis. Mors venit occiſura juvenes in platea? Quid oportuit igitur ingredi per feneſtras? obſervet quouſque exeant: ibique ſicut adoleſcentes, ita cæteros falce demetet. Fruſtraneum putavit expectare quod egrederentur: nam ſic ab ea ſe tutari conantur, ut oſtium perpetuò claudant venturo tandem interitui: proinde caſſum foret illorum egreſſionem præſtolari. Nihilominus licet valvas occludant: ipſa cùm alas explicet, non eget patente limine, feneſtras advolat. Opportunè Liranus inibi: *q.* Lira. ibi. *d. nihil valebit claudere oſtia vel portas contra Chaldæos, quia aſcendunt & intrabunt per feneſtras ad interficiendum juvenes & parvulos.* Volat mors, & adhuc ocyùs evolant mala, quæ citius morte contingunt. Omnibus his cum ſeram objicis accuratiſſime clauſam, cuſtode timore multo, non ſic devitabis quod horreſcis nimium.

25. *Læditur Deus immoderato timore mali.* Non præſumptionem conſulo: ſed immoderatum diſſuadeo timorem: utpote qui Dei auxiliatoris aliqualis injuria eſt: nam diffidentiæ ſynonimâ conſanguinitate nectitur. Rupertus ad illud Joël. 2. *noli timere terra*, inquit: *quod dicit: noli timere idem eſt ac ſi dicat: noli diffidere.* Ita- Rup. l. 1. in Ioël. c. 2. n. 21. que ſicut diffidentia de protectione Dei culpâ non vacat: ita lædit eundem formidatio non prudens.

Chriſtus Dominus ut oſtenderet quam ſit morti ſimilis nativitas humana moriens & naſcens deſertionem paſſus eſt. Priorem in ſtabulo Bethlehemitico moratus mutâ prætériit patientiâ; de poſteriori verò queſtus eſt priuſquàm accideret, inquiens ad ſuos: Ioan. 16. 32. *ecce venit hora, & jam venit, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis.* Mitiſſime Jeſu: quid novi fiet ſi te derelinquant homines? Naſceris & ſtatim quæſitus vix à paſtoribus, deſereris ab iiſdem. *& reverſi ſunt paſtores.* E longin- Luc. 2. 20. quis adventant Magi: ſed poſt adorationem non multum adfuerunt Regi nato: *reverſi* Matth. 2. 12. *ſunt in regionem ſuam.* Utroſque nullus increpat quòd tam citò terga dederint? Apoſtoli facto citiùs obiurgantur de futuro? Satis anticipata reprehenſio Divinum Præceptorem inſinuat de hac diſcipulorum ingratitudine dolentem valde. Sed nonne metus imminuebat culpam? Neſcio an adauxerit. Adhærebant Domino curam eorum ita peramanter gerenti, ut ſibi totum periculum vendicaret. Quâ providentiâ ſuppoſita, pavor diffidentiam ſonabat: unde Servatoris lædebanat affectum. Paſtoribus & Magis non inanis fuit metus. Illi de grege ſolliciti: unde ait Euthymius *reverſi ſunt ad gregem ſuum.* Magi monito Euthym. in Evang. Luc. 2. cæleſti, quo ne redirent ad Herodem fuerunt inſtructi ſævitiam ejus pertimeſcere tacite docti ſunt. Quidni tolleretur metus eorum? At Apoſtolici collegij pavor, quô deſtituit Magiſtrum, pluſquam panicus fuit.

Nonne

Nonne Dominus is erat qui postmodum ad
Joan. 18. 8. comprehendentes dixit: *sinite hos abire?* Ex-
S. Cyrill. Alex. l. 11. in Joan. c. 34. ponit S. Cyrillus Alex. *semovit igitur à periculo illo discipulos, non ignorans ad se solum certamen illud & opus salutis nostræ pertinere*: & infrà: *qui tam paucorum in tali tempore curam habuit, quomodo igitur innumerabiles fideles non proteget? putandum igitur est imaginem omnium illos tenuisse.* Nostra res agitur. Dei præsidium agnoscamus, ne sollicitudo viliter in trepidationem degeneret.

26. *Sufficit ne timeas quòd pavere nolis.*

Statim atque sedulus expenderit quisque nostrûm quàm sint multa magnaque divinæ providentiæ media, quibus Altissimus nos ad mansuram fœlicitatem perducere conatur: vix erit qui pavefactus concidat. Genij puerilis inopiâ multoties umbras exhorremus inanes. *Infantes sumus*, ait S. Thom. à Villano. *& parvuli in hac vita, omnia perturbant nos, omnia nos consternant, & deterrent, & sæpius puerorum more formidamus timore ubi non est timor.* Patrem novimus Deum, cujus est filiorum bonis invigilare. Si fortè non adhuc experientia tersit oculos, percipiamus adminus lucem Bernardi. *Vigilat*, inquit, *super nos indefessus, & pervigil singularis clementiæ oculus, non dormit neque dormitat qui custodit Israël. Id quidem necesse: non enim dormit neque dormitat qui impugnat Israël.* Quid ergo plusquam infantili metu passim horremus ad crepitum folij? Suspicor ideo nos pavere quia volumus. Post divinæ dilectionis erga homines tot ostenta, ferè sufficit quòd timere nolis, ut non timeas.

S. Thom. à Villano. ser. in expeditione adver. Turc.

S. Bern. ser. 11. in psal. Qui habit.

Orabat Zacharias ante Joannis ortum, cùm denuntiaturus hujusmodi gaudium angelus adest, ac timori verba hæc opposuit:
Luc. 1. 13. *ne timeas Zacharia.* Non ita loquitur paranimphus alter ad pastores nocte natalis Do-
Ibi c. 2. 10. minici. *Et dixit illis angelus: nolite timere.* Ne parvipendas quàm sit stylus dissimilis. Angelus est qui loquitur. Sed quare non similiter utrobique? Quia nondum Baptista nato, licet pro sua plebe Deus plura jam patravisset prodigia; tamen pro toto collectim orbe, non tam dilucidè suum demonstraverat cordis affectum, sicuti natilitio Salvatoris die, quando jam incarnatio peracta, cœptumque redemptionis opus erat. Tunc ergo quando panderat se plenè divina pietas de mortalium cunctorum remedio sollicita, solus metueret qui vellet; ne paverent, satis nolle fuisset. Ideo supernus internuntius rusticis ait *nolite timere*; Zachariæ verò non simili phrasi monitum de formidine pellenda legimus datum. Conscientiam depurget nefarius, occasiones fugiat lubricus, spiritus hostibus obedientiam deneget piger ocyùs: velit, inquam, divinoque brachio fultus ad nullius pavebit occursum; aliter arundo gracilis ad quamcumque levissimam tremiscet auram destituta virtute, quam exercitamenta virtuosa cordibus præstant, & hîc appellatur *fortitudo.*

DELIBATIO V.

Quam paveant homines virtutem sectari,

27. *Etiam virtutis difficultatem superatam pavet homo.*

ET *pavor his qui operantur malum.* Exponenda venit altera theorematis pars: quæ secundùm interpretationem, quam dum litteram expromerem duxi præferendam, valet idem atque dicere: via Domini, hoc est, semita virtutum, pavetur ab eis qui malè agunt. Vide quæ dicta sunt fl. 16. n. 57. Odium timori dicitur affine: vix aliquid oderis quod non pertimescas. Splendet justorum callis: abominantur improbi lucem: proindè formidant splendorem in tenebris positi. Dulcedinis fons Deus est; illi tamen (ut non sano contingere solet palato) insuavem judicant. *Ipsi ergo*, inquit Augustinus, *amaricaverunt Deum, qui peccando in eam ægritudinem devenerunt, ut cibum veritatis, quô sanè animæ gaudent, tanquam fel eum sustinere non possint.* Jam non mirabor quòd saporem virtutis ingratum experiantur sibi, qui suavitatis universæ fontale principium putant amarulentum. Portio rationalis in homine dignitate prior; sensitiva tamen in trahenda voluptate fortior. Accommoda rationi virtus est: ideoque non vitiato judicio placet. Nihilominus in ea sensus amaritudinem comminiscitur ut voluntatem ab illa deterreat. Sed monet Os aureum. *Si jugum aut onus audiendo formidas nimium, atque perhorrescis, non naturæ rerum hujusmodi timorem; sed ignaviæ totum attribuas.* Hæc aliam quàm revera sit mentitur virtutem: nam, ut verbis loquar Philonis, *virtus res mitis, benigna, socialis*; & vecordia pingit eam ferocem, torvam, austeram. Non in hac sed in ipsam detestantibus, hæc asperitas invenitur. Cùm Augustino valemus asserere: *dixerunt durus est hic sermo. Ipsi erant duri; non sermo.* Ista similiaque delirorum dicta virtutem sic infamant, ut eam diligens & consummare cupiens, ad hujusmodi putatam duritiem tremefiat. Plus trepidat homo pro virtutis exercitio difficultatem jam dudum ab ipso devictam, quam si casus offerret mortis imminens periculum.

S. Aug. to. 8. in ps. 5.

Chrysost. to. 2. ho. 39. in Matth.

Philo Heb. l. d. congress. su quæren. erud. gratia. ante med. tom. 1.

S. Aug. to. 8. in ps. 98.

Cùm discipulis naviculam conscendit divinus Magister. Turbine quatitur æquor, fluctibus operitur ferè cymba, dormiente Domino. Neutiquam deperdidere fiduciam; sed Præceptorem suscitant aientes: *Domine salva nos, perimus.* Alibi discipulos invenies meticulosos adeò quòd penè de sua fœlicitate futura diffidere visi sunt. Dixit ad eos Christus Dominus perdifficile divitem salvari. *Auditis autem his discipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse?* Et ne putes illos tantum expavisse discrimen divitum, S. Hilarius insinuat etiam pro se timuisse. *Discipuli admirabantur, & metuunt: dicentes neminem posse salvari.* Utrobique, fateor, veriti sunt: ampliùs tamen posteriori loco: nam cùm tempestas

Matth. 8. 25.

Ibi c. 19. 25.

S. Hilar. Can. 20. in Matth.

graſſaretur, ad maris terræque Moderatorem flagitantes opem recurrunt. Dum verò de ſalute locupletum ancipiti quid Filius Dei proferret audierunt, ſtatuêre penitus impoſſibile quemquam ſalvari : *Quis ergo poterit ſalvus eſſe ?* ita ut Summus Doctor aſſeverare coactus fuerit omnia poſſe Deum. *Aſpiciens autem Ieſus dixit illis : Apud homines hoc impoſſibile eſt : apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Iſtos duos terrores me penſitantem potiſſimùm ad examen eorum vocabat, quòd (ut poſt pauca refertur ibidem) Petrus optimè noverat omnia reliquiſſe commilitones, ut paupertatis amatorem ſequerentur. *Tunc reſpondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia.* De opulentis agitur, affirmatque difficillimè ſalvari poſſe Redemptor ob eum, quem refugiunt, in dimittendis facultatibus dolorem. Chriſti Servatoris aſſeclas hoc minimè tangebat qui jam ſæculo renuntiaverant: quid ergo timent difficultatem quam ſubegerant? cur non hîc in Magiſtri protectione collocant fiduciam, ſicut priùs egerant ingruente procellâ ? Non erat abſque materia formidinis una. Primùm de vita periclitari ſe putabant : & quantumvis mors horrori ſit, ac immineat periculum, non ſolet adeo metui, quòd non plus paveatur virtutis arduitas. Agebatur ſecundo loco de relinquendis fortunis. Res quidem erat non facilis : hanc diſcipuli ſuperaverant : & adhuc *metuunt dicentes neminem poſſe ſalvari.* Magis homo reformidat in virtutis opere quod jam proculcavit, quam ſi conſtituatur in lethi periculo jamjam inſtanti.

Matth.19. 25.

Ibi n.26.

Ibid.n.27.

28. *Minus quam virtutem aggredi paveret homo mortes plures ſi darentur.* Hierocles l. d.juſti.

Addam ulterius. Etiamſi plures objicerentur mortes, non tam perterrefacerent, quam prima virtutis facies. O quam deſipit humanus timor ! *Eſt autem timiditas corruptio legitimi judicij de rebus metuendis aut non metuendis, aut ignorantia terribilium, non terribilium, & neutrorum,* inquit Hierocles.

Strenuè Paulus ad Corinthios refert quanta pro Dei gloria pati ſit auſus, ita ut non ſemel morti pectus expoſuerit obvium : *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter :* attamen iſtum repetitum necis occurſum non horrebat : ſic enim ex ipſius verbis colligo : *niſi quod Spiritus ſanctus per omnes civitates mihi proteſtatur, dicens : quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor* &c. Memini quod olim, cùm nihil horribile viderit Saulus pertimuit; & quomodo nunc ſumpſerit animos ad tantò majora vix pervium eſt lentiùs diſquirenti. Pergebat in Damaſcum, Eccleſiam, ejuſque Sponſum inſequens. Proſternitur à Filio Dei : quem cùm ipſe fuiſſet intuitus, perculſus timore propriam voluntatem reſignat in manus ejuſdem. *Et tremens, ac ſtupens dixit : Domine quid me vis facere ?* Paraphraſim addit Lira: *q. d. ex nunc paratus ſum tibi in omnibus obedire.* Aderat utrobique Paulo divinæ gratiæ manus auxiliatrix; ſed non æqualem ejus lego fortitudinem. Cernit humaniſſimum Dominum, qui velut offert ei pacem : *Saule Saule, quid me perſequeris ?* & contremiſcit ? poſtea ſævè toties oppugnatus ita quòd mortem, quæ ſemel unicuique decreta, viderit pluries geminatam, non horreſcit ? Idem Saulus erat; ſed nimis diſpar timoris motivum. Cùm fulgore proſtratur viam virtutis aggredi mox deliberat : ideo *tremens* coram ſummâ benignitate formidat. Ad funeris iteratum conſpectum audet egregiè. Præfert infirmitas horrores virtutis effictos : potius eos, quam gladios & fata pertimeſcit.

2.Cor.11. 23.

Acto.20.23. 24.

Ibi c.9.6.

Liran.ibi.

Act.9. 4.

Timor iſte plurimum detrahit laudabilibus factis : nam lætitiam opera bona venuſtantem obnubilare, quinimò tollere, ſolet. Hilarem datorem in quocumque benè operandi genere diligit Deus : & ratio ſuadet quòd virtus lætum extat opus. *Eſt namque magnopere lætandum, cùm tibi tenui quodam & perexiguo pretio cælum vendicas.* Ita de ſublevatione pauperis loquens D. Athanaſius : quæ tamen cuicumque operi virtuoſo congruunt : nullum enim eſt quod vocari nequeat eleemoſyna facta ſaltem ipſimet operanti, juxta illud : *miſerere animæ tuæ placens Deo.* Prudens exultationis cauſa virtus eſt. Et inſuper ab hilaritate operantis novum illa mutuatur ſplendorem, de quo Bernardus. *Et eſt candor quem ſibi induit is qui miſeretur in hilaritate. Etenim ſi intuearis illum quem propheta depingit jucundum hominem qui miſeretur & commodat, nonne is tibi videbitur de ipſa animi jucunditate induiſſe candorem quendam pietatis vultui & operi ſuo ?* Econtra ſi mærens in via virtutis ambulas, perdis operam, juxta illud Auguſtini? *ſi panem dederis triſtis, & panem & meritum perdidiſti.* Quæ cùm ita ſint, & videamus aliquos, dum in ſæculi tenebris degunt, ore canoro dulce modulari melos; mox autem ut reſipiſcunt plumbeo jugiter concidere vultu: non poſſum non monere quàm diſpliceat hoc Altiſſimo.

29. *Lætus antea, poſtea ſi mæſtus offertur Deo, non ei placet.* S.Athan.ad Rom.12.

Eccli. 30. 24.

S.Bern.ſer. 71.in Cant.

A ſacrificiis legis antiquæ cygnus arcebatur utpote qui una eſt inter aves immundas, quæ vitandæ numerantur in Levitico. *Hæc ſunt quæ de avibus comedere non debetis & vitanda ſunt vobis. Aquilam & griphem.... & cygnum* &c. Nulli dubium eſt quòd, cùm non de avibus, ſed hominibus cura Deo ſit ſpecialis, aliquid per excluſionem cygni Deus intenderit ſignare ſpirituali documento proficiens. An cygni candor, ejuſque ſuavis harmonia non poterat ænigma referre ſacrificij Deo gratiſſimi, quô voluntas offertur pura cùm rationis dictaminibus concentum edens ? Propter quem defectum repellitur ales hic ab altari ? Noſti volucrem hujuſmodi jam morti proximam (ſi naturalia narrantibus arcana credimus) aëra cantu mulcere ſuavius, quaſi plantis, & paludibus valedicat. Si traheretur hæc ad immolandum : cùm de morte ſua nihil tunc noſſet (& quia neſcit adulari ſolitudinis incola) minimè caneret; ſed potiùs quia ſe doleret apprehenſam, triſtis Deo ſiſteretur. Utque denotari ſciremus diſplicere ſummo rerum Domino contriſtata donaria; cùm extra ſacra nimis exultemus : noluit cygnum inter oblationes acceptas divinæ majeſtati recenſeri. Introito in exultatione viam Domini, ſi cupis illius beneplacitum lucrari.

Levit.11. 13 8.

Si

30. *Nisi totum te virtuti committas, durabis duram.* Orig. to. 1. hom. 6. in c. 1. Iosu.

Si limen adhuc pede teris, virtutem refugit mortalis fragilitas; assuetudine fere vertetur in naturam. *Obducimur autem cicatrice cum jam nova instituta absque difficultate complemus, & in usum nobis vertitur, quod priùs quasi insolitum difficile videbatur: & tunc vere jam sanari dicimur, cum vitiis carentes, virtutes novo usu vertimus in naturam.* Verba sunt Origenis: quibus emblemate cicatricis non abs re utitur, cum amore Dei cor antea rebelle doleat sagittari; posthàc non dolorem sentiat; sed gaudium. Arcta quidem vitæ semita, sed ideo præsertim quia nunc illam quærimus; nunc ab ipsa deviamus: at si pedem in ea fixeris utrumque, difficultas levigabitur.

Hac via componitur facillime duplex incarnatæ Sapientiæ dogma. Primum scribit Matthæus. *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam* &c. Secundum habetur apud eundem. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Patet antithesis. Virtutis exercitium, prout via est & porta cæli, coarctatur angustiis? ut verò jugum sine pondere vel acerbitate fertur? quæ discriminis causa? S. Joannes Chrysost. *Quomodo autem in superioribus dicebat angustam esse januam, & arduam tribulationibus viam? Quando videlicet desidia, quando ignavia dissolutus es. Nam quando quæ dicta sunt perfeceris, leve tunc erit onus: quapropter magnitudine retributionis etiam nunc leve appellatur.* Et infra: *si accinctus & præparatus eris, & nulla desidia effœminatus, cuncta tibi facilia, levissimaque videbuntur.* Neque viam, nec ostium terens firmat utrumque simul pedem: nunc sistit gressum; nunc levat eundem, quod aliqualis inconstantiæ, vel tyrocinij videtur emblema. Qui jugo colla submittit, se totum oneri tradit. Suave propterea reperit illud: hoc enim virtutis proprium est: si leviter eam tenes, gravitat; si totis artubus collaboras, nihil ponderis in ea senties. Faveat Beda. *Et si ergo semitas æquitatis, cum ingredi cœperis, arctæ videntur tibi; cum tamen eas ingressus fueris, non arctabuntur gressus mentis tuæ, sed quod Dominus ait, jugum suave & onus leve reperies.* Hoc docuit ille, probabitque fœliciter experientia.

Matth. 7. 14.

Ibid. c. 11. 30.

S. Ioan. Chrysost. to. 2. hom. 39. in Matth.

Beda in c. 4. Prov. lib. 1.

31. *Opera bona secum deferunt novum desiderium operandi bene.* S. Greg. M. to. 2. hom. 36. in Evan.

Et sic invenies illud effatum, quod in hac re duce M. Gregorio pronuntiant fere cuncti. *Augent enim* (recolo S. Doctorem) *spirituales deliciæ desiderium in mente dum satiant, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur quod avidiùs ametur.* Idipsum de virtutibus crede: istæ namque sunt inter spiritales delicias, ac proinde saturitas illarum generat appetitum. Desiderium prudenter operandi nunquam vellet ab operibus desistere bonis. Scit justus quòd nisi pergat ultra, facilè retrocedet: unde quodlibet ascendat sanctitatis fastigium, ibi gradum invenit ut altiora petat. *Quidquid ante finem fuerit, gradus est quò ad fastigium salutis ascenditur, non terminus, quò jam culminis summa teneatur.* Doctrina Cypriani hæc est: quâ nixus asserere non dubito quod omnis qui bonum cupit opus, desideria bene agendi simul desiderat.

S. Cypri. l. d. unitate Eccle. tom. 2. ante fin.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore, inquit Psaltes. Preme verba postrema: in omni tempore. Qui semper desideriis fertur, nunquam perveniisse gaudet. David, Augustino teste, jam voti, de quo sermo nunc est, factus compos fuerat. *Concupivit anima mea desiderare, dixerat, & non, concupiscit, jam enim pervenerat ad id quod ante concupiverat*, dixit Augustinus, qui depromit ibidem quid per justificationes designetur. *Justificationes autem facta sunt justa, opera justitiæ.* Dubij solutio nec ad tantam lucem clarescit adhuc. Perpetuò se profitetur concupiscere virtutes exequi? Ergo nunquam actus ipsos optat rectos. Peroptabat sane: sed qui sanctè gesta vult executioni dare, nova desideria quærit: nam ubicumque pervenit gradum scalæ reperit; non sede quiescit. Ascenditur amoris flamma gressu perflata: pondus quod additur alæ sunt. Optima similitudine hoc expressit Bernardus. *Quæro in rebus si quid forte huic exoneranti oneri simile inveniam: & occurrit mihi de pennis avium, quod utcumque coaptem: quæ quodam videlicet singulari modo & corpulentiorem reddunt substantiam & agiliorem: Mirum opus naturæ. Unde grossescit materia, inde sarcina levigatur: & quantum crescit in massa, tantum decrescit in pondere: hoc plene in pennis Christi oneris exprimit similitudinem quod & ipse ferunt à quibus feruntur.* Hinc oritur quod faciliùs pergitur, quo diutius iter in re virtutis fit, nec vires hebetat onus assumptum; sed alit, & promovet. Omnia prædicta velut figmenta spernunt ij qui vias ambulant difficiles, & pavent ingredi salutis tramitem quem putant asperrimum. Audiant consulentem Chrysostomum. *Quod si post hæc omnia vehementer ardua difficiliaque tibi virtus videtur, veniat tibi in mentem quantò difficilior vitiositas est: quod ipse occultiùs significat cum antequam de jugo suo aliquid dixerit, venite ad me omnes exclamaverit, qui laboratis & onerati estis.* Ita Chrysostomus. Suam horrent illi minime sarcinam; sola via Domini *pavor est his qui operantur malum.*

Ps. 118. 20.

S. Aug. tom. 8. ser. 8. in Ps. 118.

S. Bern. ep. 72.

Chrysost. to. 2. hom. 39. in Matth.

DELIBATIO VI.

Robur inculpabilis conscientiæ, timiditasque sceleratæ.

32. *Bona conscientia depellit metum.*

INter alias interpretrationes, quarum supra memini ad illa verba: *fortitudo simplicis via Domini*, quædam ex iis quas omisi, sumit per viam Domini probam conscientiam. Et mehercle propriæ conscientiæ, si culpâ vacat; strenuitas invicta dici valet. *Fortitudo tua fiducia fidelis conscietniæ*, ait S. Bernard. Plura sunt quibus humanus timor arceri potest: sed potissimùm

S. Bern. l. 3. d. consider.

ſimùm conſcientia uniucujuſque neſcia labis omnem omnino depellit metum, roboratque juſti cor inter medios mundi fluctus.

Corrupit omnis caro viam ſuam, ſic ut diluvio puniendum judicaverit orbem rerum Dominus. Placuerat ei Noemus: quem ut à cataclyſi faceret immunem, arcæ præſidium parare juſſit: & inſuper dixit ad illum: *ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi juſtum coram me in generatione hac.* Nunc opportunum laudandi Noemi tempus eſt? cum Deus adversùs reliquam Adamidum prolem æquiſſimas conceperat iras? Finita diluvij cataſtrophe Noë Deo ſuper altare dicavit holocauſta: nec tamen gratum ſe Dominus promens eum de juſtitia tunc temporis collaudavit. Quorſum prædicat juſtum antea? præſertim cum non aliis hoc notum fecerit; ſed ipſi tantum Noëmo dixerit: *te enim vidi juſtum.* Pateſcit myſterium non difficulter. Homo neſcit an extet odio vel amore dignus Dei. Naufragium inſtabat horribile univerſi: quod in mediis undis poſito Patriarchæ terrorem aliquem incuteret, niſi divinitus certior fieret ſe ſtolâ ſanctitatis inductum. Hoc ipſi reveletur: & conſcientia pellet inculpata pavorem. Poſt diluvium certus erat Noë non ultra delendam aquis univerſam carnem: non fuit cur ſimilem orbis everſionem pertimeſceret. Idcirco non potiùs tunc declaratur ei, quam priùs, ejuſdem juſtitia; pateſit hæc ipſi ante inundationem horrificam, ut juſtus à ſe metum faceret exulare fretus innoxiæ robore conſcientiæ. Hæc eſt juſti fortalitium: hic murus aheneus erit.

Gen. 7. 1.

33. *Propriæ conſcientiæ bonum teſtimonium prodeſt ad ferendas calumnias.*

Ex multis, quibus impeti ſolet jaculis inſons, nullum terribilius eſſe linguæ telo non ſemel in ſuperioribus dixi. Nunc iſti veneno remedium præſentiſſimum offero. Expertem conſcientiæ lethali remorſu te ſerva, ſic hominum ſubſannabis judicia. *Senti de Auguſtino quidquid libet: ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.* Sic adverſùs quendam S. Doctor.

S. Aug. to. 6. l. contra Secundin. c. 1.

Calumniæ patuerunt Joſeph ac David, Ille quamvis titulo malefactoris in carcerem ſit miſſus, non tamen Deum precatur ut opprobrium ejus extinguat. David, quem apprehendere non valuit Saul, poſtulavit à Deo contra calumniantes adjutorium: *redime me à calumniis hominum.* An patientior Davide Joſephus? Ad omniſciam ſpectat juſtitiam eos ad trutinam revocare. Hoc unum ſcio, quòd cum David adverſus calumnias implorabat auxilium, culpæ ſibi conſcius erat: eodem quippe pſalmo dixit *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.* S Hilar. ibi: *quia & peccati ſui dolorem ante reipſa jam ſcripſerit, tunc cum Nathan propheta arguente crimen ſuum recognovit, & flevit: nunc quoque non deſinit veræ pœnitentiæ lachrymis facti veteris crimen abluere dicens: exitus aquarum tranſierunt oculi mei: fontes ſcili. lachrymarum ſuarum, fontes fluminum eſſe tranſgreſſos.* Itaque redarguente conſcientiâ terrebant illum calumniæ: *redime me à calumniis hominum.* Commentatur S. Proſper: *tu, inquit, age infuſo ſpiritu tuo ne me calumniæ hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis ad ſua malefacta traducant.* Atvero Joſeph in carcere ſe profeſſus eſt innoxium: *innocens in lacum miſſus ſum:* proindeque deridere poterat calumniatores præſidio conſcientiæ mundæ fultus. Ingratus domino ſuo, perfiduſque ſervus, ac adulter, animo ſaltem, habebatur: Sed noverat illud quod poſtea melleo deprompſit Ambroſius ore: *bene ſibi conſcius falſis non debet moveri convitiis, nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe convitio, quam in ſuo teſtimonio* Hoc igitur clypeo tectus illæſum ſe tuebatur ab obloquentium jactibus.

Pſ. 118. n. 134.

Ibi. n. 136.

S. Hilar. in pſ. 118.

S. Proſp. ibid.

Gen. 40. 15.

S. Amb. to. 4. l. 2. d. offi. c. 5.

34. *Imo linguas facit obmutescere.*

Non tantùm ſcuti munus adverſùs calumnias exequitur conſcientia noxis exors: etiam adverſùs oblocutores jacula retorquet, illorum labia muta reddens. S. Ambroſium recolamus. *Abundat enim*, ait, *ſibi locuples teſtis conſcientiæ, fugat etiam mala & opprobria.* O heroicam pectoris innocui ſtrenuitatem! linguæ flammas quæ difficillimè ſolent extingui, domat nullo diligentiæ ſumptu. Videat calumniator tibi propriæ conſcientiæ favere teſtimonium, & os claudet iniquum.

S. Amb. to. 5. ep. ad Conſtantin.

Dæmon accepta facultate furendi contra Jobum, ſuſpicor tres inſtigaſſe ſub amicitiæ pallio perſecutores, ut ejus patientiam acerbe dictis hoſtilibus vulnerarent. Quievére tandem ora trium: ſed quare? Conſule textum. *Omiſerunt autem tres viri iſti reſpondere Iob, eò quòd juſtus ſibi videretur.* Quæſtio eſt, quem tacendi ratio hæc deſignet pronomine, *ſibi*: ad Jobum ne referatur; an potiùs ad viros de quibus narratur ſiluiſſe. Prior dicendi modus improbabilis non eſt. Favet Hebræa lectio: *eo quod ipſe juſtus in oculis ſui ipſius.* Unde ait ibi doctus Pineda: *Sed ex Hebræo commodiori ſenſu tollitur ambiguitas; eſt enim reciprocum ſingularis numeri, ut ad Iobi judicium de ſe ipſo referatur* &c. Non longe graditur D. Thom. quatenus inquit: *ex hoc quod Iob ſibi juſtus videbatur commotus fuit* &c. Unde tacitè ſenſiſſe videtur motivum idem aſſignandum illi ſilentio, de quo præfatis verbis: *omiſerunt* &c. Quis hoc ſanus crederet, niſi textus referret ſacer? Jobum calumniantur: & poſtea labia concludunt ex eo quòd is, quem dictis impetebant, ſe putabat inſontem? Inde timebam quod excandeſcerent ipſi nunc; & hoc ex capite reticent? O conſcientiæ manum illibatæ validiſſimam, quæ potuit impetum cohibere linguæ! Parum eſt quod teſtem dicas incorruptum rectorum de ſeipſis intemeratum judicium: inſuper & & judicem pro tribunali jus dicentem vocabo: nec enim teſti adducto pro defenſione reorum actor obedit, ſed judici. Nil mirum quòd imperterritus innocens mendacia rideat, quibus ejus invaditur fama: conſcientia, quæ *via Domini* dici valet, *fortitudo ſimplicis* eſt. Hæc pro juſtis.

Iob. 32. 1.

Lect. Heb.

Pineda in Iob. ibi.

S. Thom. in 32. Iob. Lect. 1.

35. Ex oppoſitis unum lucem accipit ab alio.

Poſtquam

Conscientiæ judicium an horribilius divino?

Postquam dixi de robore justi; nunc metum peccatoris ex conscientiæ clamoribus ortum perpendam. Conscientia delinquentis duplici titulo pavor est his qui operantur malum: & quia terribilis judex, & quia sævum supplicium peccantis. Ad judicij divini memoriam optimo jure contremiscimus: at ignoro sit-ne horribilius accusantis interni monitoris tribunal: quid enim magis terribile quàm eundem sortiri judicem, qui personam accusatoris in eâdem causâ gerit? *Incorruptus judex*, ait Chrysost. *conscientia cùm adversùs hominem exurgit clara voce clamat & accusat.* En accusator sedet ut sententiam proferat, non ut quiescat à movenda lite. Tremendum nimis est Dei judicium; sed non deerit qui plus judicem conscientiam trepidat.

Chrysost. to. 5. hom. 27. in Gen.

Evangelista Joannes charitatem erga proximos discipulis commendans opere monstrandam, ait quòd operantes ita dum steterint ante tribunal Dei, suadebunt cordibus suis se recta gessisse. Hoc sonare videntur illa verba: *in hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.* Legitur apud Augustinum: *& coram ipso persuademus cordi nostro.* Quid est: *in conspectu ejus*, nisi coram Deo tanquam judice? Patronum eligo Lorinum ibi. *Et quod hac sua tali actione probabile capit experimentum, piè sibi polliceri potest je dignas Dei conspectu cogitationes & voluntates habere; atque pacato tranquilloque animo stare posse ante tribunal Dei, erit conscientia confidente ac secura coram Deo.* Ex his omnibus habes juxta dilectum discipulum dilectionisque magistrum, quod posito conscientiæ propriæ de vita recta fido testimonio, possumus, licet ante divinæ majestatis pavendum solium constituti, suadere cordibus nostris nos benè operatos fuisse. Quæro quo fine suadebimus cordi nostro quod ipsum non latet? Si datur suadere scienti, melius foret preces ad Supremum regem fundentes, nostra (qualiacumque sint) opera sana proponere, quam cordi. Quorsum huic potius persuadentes, tanquam rei judicem interpellantes, loquemur de laudabiliter gestis? Timorem arguit stylus, quô prosequimur pectoris nostri sententiam ab inexorabili judice (conscientia scili.) proferendam: utpote qui non, ut Deus, tribuit spatium, ac misericordiam pollicetur; sed mox atque peccas, nullâ clementiâ utens pronuntiat judiciale decretum. Horrescis unam iræ diem: non multum demirabor si longè plus paveas punientem sine temporis intermissione conscientiam: cujus vocibus licet obsurdescere cupias, tamen *reus animus nunquam securus est.*

1. Joan. 1. 19.

S. Aug. to. 9. tract. 6. in 1. Joan.

Lorin. in primâ Ioan. 3. 19.

S. Isidor. Hisp. l. 2. solilo. c. 11.

Etsi levi supplicio reos afficeret conscientia sceleris, immitis foret ultrix, ob ictuum frequentiam plurimam, simul ac nullam tergiversationis datam spem. His tamen rationibus omissis, gravissimam decernit peccatori conscientia mulctam: ipsam nempe remorsionem de commisso. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum*, ait Augustinus. Æquipollet multiplici flagello tormentum incusantis conscientiæ. Fraternam primò videre cædem orbis cunabula. Perfido livore suadente Cain enecavit Abelum, quia Deo gratum agnovit. Apud invidum velut offensa reputatur meliora sortiri. Illum benignè Deus non dedignatur alloqui post fratris necem: cùmque fateri crimen recusaret, noxam objicit in faciem: & maledicto ferit, necnon exilio, sterilitateque terræ punit fratricidam. Ipse desperans veniam, questus est de justissima sententia, quasi foret atrociter in eum prolata: præsertim quia putavit à quolibet obvio se occidendum: *omnis igitur qui invenerit me occidet me.* Exposuit Cornelius à Lapi. ex Hieronymo: *quia ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatu quisque eum me esse intelliget qui mereatur interfici.* Adde Chrysostomum: *insuper & hoc quod sciunt omnes tuâmet gratiâ destitutum, si quis vult occidere, ut ad cædem meam prosiliat armabit.* Tunc dixit ei Dominus: *nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur.* Sanè plus peccavit Cainus quam delinqueret qui eum vita privaret: nam hic neci traderet homicidam; ille verò necavit innocentem. Fratris occisor semel punitus fuit; & hujus percussor septuplicato puniretur? Et æquissimè: hunc enim conscientia non torqueret: putarer enim per ignorantiam (licet culpabilem) se justè Cain occidisse (*eum me esse intelliget qui mereatur interfici*) & ubi non lancinat cor accusatrix conscientia, valdè minuitur pœna facinoris, ac proindè septies oportuit illam à Deo multiplicari. Non ita de Cain dicere valemus, qui noverat gravitatem fratricidij: *major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Quamvis igitur semel tantùm flagellatus fuerit: si tamen attendas ad supplicium torquentis conscientiæ, hoc excedit illud quod minatur Deus ei qui mortem intulerit Caino, licet id septuplicatum vocetur. Appositè S. Hieronymus loquens ad Cain Dei nomine: *conscientia tua igne torqueberis.* At ignis hic proficere poterit ut æternum vitent qui perperam agunt: nam tandem confugient ad Salvatoris fontes ut flammas illas extinguat, si tormentum istud odio habeatur sancto, sitque *pavor his qui operantur malum.*

Gen. 4. 14.

Ex D. Hier. to. 3. ep. 2. ad Damas. Cornel. à Lap. ibi. Chrysost. to. 1. hom. 19. in Gen.

Gen. 4. 15.

Ibi n. 13.

S. Hiero ad Damas. proximè sup. q. 1.

DELIBATIO VII.

Iustus audax ad melius, integer & constans. A sæculo te non retrahet qui tradidit. De pace malorum: pœnitentiâ festinâ, vitiorumque nexu.

37. *Iustus accingitur ad melius.*

SPicilegium solitum restat sacri textus ductu perficiendum. *Fortitudo.* Ei qui gradiens in via Domini premit hujus vestigia, duo strenuitatis piæ præstanda munia sunt. Primum despicere temporalia. Secundum ad coronidem perducere spiritus negotia. S. Ambrosius. *In duobus generibus fortitudo*

S. Amb. to 4.

36. *Conscientiæ remorsus æquipollet multiplici supplicio.*

S. Aug. to. 8. in ps. 45.

l. 1. d. offi. c. 36. *ſpectatur animi. Primo ut externa corporis pro minimis habeat; & quaſi ſuperflua deſpicienda magis quam expetenda ducat. Secundo ut ea quæ ſumma ſunt, omneſque res, in quibus honeſtas, & illud πρέπον cernitur, præclara animi intentione uſque ad effectum perſequatur.* De temporalium contemptu alibi non pauca ſparſim dicta memini. Hic de progreſſu ſpirituali nonnihil addam. Iter illud quò tendimus ad patriam, cæteris eſt diſſimile plurimùm. Viarum defatigatio vigorem itinerantis minuit; in virtutis autem ſemita labor ipſe vires adauget, ut ſemper ad ulteriora contendat. Nunquam putat juſtus attigiſſe metam. Experientia docuit

S. Bern. ep. 253. Bernardum ut aſſereret: *nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam.* Opportunè fami ſitique Doctor eximius ardorem ſpiritualiter proficiendi putavit ſimilem: nam eſuries & lympharum ardens cupido quotidiano indigent remedio: nec ſemel hauſtu, paneque ſat eſt placaviſſe. Sic

Jacob. Bill. in antho. ſacr. virtutum inexplebilis amor:

Semper enim ſanctis ſupereſt quo creſcere poſſint,
Et perfectorum gloria principium eſt.

Minimè ſolent recti ſibi complacere dicentes jam ſat itineris eſſe confectum, nunc mitiùs agendum ſecumipſis. Inſufficiens putant quod ſufficit: audent majora quàm ſit neceſſe peragere: ſegnitiem æſtimant ſi non plus debito perficiant.

Paſtor Eccleſiæ ſummus exemplum præbet ex munere ſuo. Poſt reportatum à morte generosè trophæum armis ejuſdem, apparuit in Tiberiadis littore Dominus diſcipulis: inter quos erat Apoſtolorum Anteſignanus, & prædilectus Evangeliſta. Magiſtrum juſtitiæ ſolem prior vidit aquilino Joannes intuitu, nuntiavitque Petro. Hic ut ad Filium Dei perveniret, ſe commiſit

Joan. 21 7, 8. undis; ope remigij cæteri venere. *Simon Petrus, cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli navigio venerunt.* Quidnam Petro nunc injecit animos, ut

Ibi n. 8. rem prima facie ſuperfluam auderet? (*non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis.*) Nonne ſatis fuiſſet Petro ſimul cùm aliis condiſcipulis navigantem adventare? Credo quòd ſic. Attamen expertus erat, quòd abhinc non tempore multo, quia non ultra quòd ſufficiebat perrexit, miſerè lapſus eſt. Sat, inquam, erat à longè Dominum ſequi nocte Paſſionis: quoniam tamen

Luc. 22. 54. S. Amb. to. 3. l. 10. in Luc. c. 21. *ſequebatur à longè*, ideo cecidit: *neque enim negare potuiſſet, ſi Chriſto proximus adhæſiſſet*, inquit Ambroſius. Non ſimiliter accidet mihi modò, non ſic, ait Petrus. Ut obſequium Præceptori debitum exequerer, non ultra debueram præterquamquòd cymba commeare fruiturus ejus præſentiâ. Hoc reliqui præſtabunt; ego ſcindens aquas perveniendum citius decerno. *Non vidiſſe contentus, impatiens deſiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reverentiæ, ubi Dominum vidit in littore, veſte ſe texit, ſerum æſtimat, ſi cùm cæteris navigio perveniret.* Segnem ſe putat, niſi feſtinet: erubeſcit curſum qui volare poteſt amor. Non minora ſed maxima ſuadet *fortitudo.*

Idem ibi c. 24.

Simplicis. Hoc ſub nomine deſignatur vir perfectus. Unde habet Lectio Tigurina: *via Domini integro robur eſt.* Ecce rectum diligens appellatur integer, quaſi tenentes viam quæ ducit ad mortem, non plenè, ſed quaſi dimidiati ſint homines. Ipſi autem non ita de ſe judicant: ſed an propriam cognitionem attigerint? 38. *Velut non integri homines qui vitiātur ſcelere.* Lect. Tigur.

Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur. Ita Paulus ad Theſſalonicenſes. Exponit S. Thom. ibi: *per omnia, ideſt, ut ſitis totaliter ſancti.* Expreſſiùs à Lapide ibidem: *totam gratiam & integritatem, quam ſorte accepiſtis in baptiſmo, conſervate uſque ad diem judicij, ut talem, & tam integrum ſpiritum, animam, & corpus, Chriſto judici reddatis, & exhibeatis, qualem ab eo in baptiſmo accepiſtis.* Vera & indubitata philoſophia ſpiritui partes negat. Quo pacto rogat Apoſtolus ut integritas animæ Theſſalonicenſibus detur? Quia mutila videtur illius anima, qui vitiis deditus non homo ſimpliciter eſt, ſed ſecundùm quid. Tempeſtivè S. Hieronymum adibis, & audies dicentem ad hunc Apoſtoli gentium locum. *Corpus integrum eſt, ſi ſingulorum membrorum utatur officiis, verbi gratia, ſi operetur manus, pes ambulet, oculus videat, audiat auris, & omnia membra ſecundùm virtutem producant actus ſuos. . . Integrum etiam corpus eſt tenens caput, ex quo omne corpus connexum, atque compactum accepit augmentum in ædificationem corporis Chriſti. . . . Juxta hunc modum, & animæ integritas conſervanda eſt, quæ dicere poteſt: benedic anima mea Dominum, qui ſanat omnes infirmitates tuas.* Sicut igitur pede truncatus vel brachio non integer eſt: ita qui vitio deformis aliquo non homo totus eſt; ſed cùm addito minuente. Origenes. *Homo in honore poſitus non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus. Iſte non eſt homo, homo jumentum. Generatio viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Talis non eſt homo homo, ſed ſerpens homo.* Solus igitur humanus ab omni parte qui perfectionis tenet ſemitam.

1. ad Theſſalon. 5. 23. S. Thom. ibi Lect. 2. A Lapide ibidem; S. Hiero. to. 3. epiſ. 4. ad Hedibiam. q. 12. Orig. ho. 13. in c. 24. Ezech.

Via. Hac voce dixi virtutem accipi aptâ ſanè metaphorâ: nam ſicut via ſtationi locus non eſt, ſed iterfaciendo: ſic & virtus non quietis eſt negotium, ſed itineris. *Non habemus hic manentem civitatem*, ait S. Bernardus, *nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas. Si attendas ſtare, ruas neceſſe eſt. Minimè pro certo eſt bonus qui melior eſſe non vult. Et ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam deſinis eſſe bonus.* De ſanitate ferunt medici, quod ſtare neſcit: vel augetur, vel minuitur. Virtus equidem ſalus eſt animæ; ſicut vitium ægritudo. Si non ſumit incrementa, mox infirmatur. 39. *In virtute ſiſtere cecidiſſe eſt.* S. Bern. ep. 91.

Vates Monarcha dixit olim: *ſicut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.* Inveſtigandum eſt de quibus loquatur. Lorinus Pſ. 126. 4.

Lorin. ibi. nus ait mystice: *filios excussorum licet peculiariter appellare filios Apostolorum, quotquot eos imitantur in excussione, ut sint excussi ab omnibus externis bonis per voluntariam paupertatem; ab omnibus honoribus per humilitatem & obedientiam* &c. Favet S. Hilarius ibi: *vel Apostoli, Ecclesiæque Doctores de excussis per impietatem suam in maledictum gentibus crediderint, idcirco ait: tanquam sagittæ in manu potentis ita filij excussorum.* Similiter Episcopus Christopoli. *scili. Apostoli & Doctores & discipuli.* Generalius loquitur Bellarminus. *Declarat*, inquit, *his verbis propheta potentiam filiorum Christi qui sunt ejus hæreditas & merces, ac dicit fore potentissimos, quales sunt sagittæ in manu viri robustissimi.* Et quid justis cum spiculis pennatis commune? Ista feriunt; ij cæduntur: volant illa; hi repunt humi, vel à propria humilitate, vel ab impia manu depressi: in quo justus quæso confertur sagittis? Dicam. Arundines bellicæ, nec non & virtutes, amoris arma sunt. Illæ si pellente arcu projiciantur in altum, impulsu finito, non in aëre pendulæ manent, sed mox atque non ascendunt, incipiunt cadere. Sic & virtus desistere corruisse fuit: est via non otio, sed gressui serviens. Hæc tantùm ad præsens inter viam & virtutem disparitas est; quod in via qui gradum cohibere voluerit, non ideo cadet; in ea verò quæ ducit ad vitam res aliter se habet; cessatio lapsus est.

S Hil. in. ps. 126.

Valentia & Bellarm. in p. 126.

40. *Quasi societas Dei & hominis in onere legis ferendæ dicenda est.* S. Leo Pa. ser. 8. d. Epiphan.

Domini. Nos per hunc tramitem gradimur. Quo potius ingenio dicitur hæc via Dominini, quam nostra? Ut indicetur nobiscum ambulare cunctorum Dominum, ita ut non nisi cum ipso inita societate carpamus iter. *Quis illic*, ait S. Leo Pa. *non præsentem intelligat majestatem, ubi veram videt apparere virtutem? quæ utique sine Deo nulla est, nec proprietatem obtinet dignitatis, nisi spiritu sui vegetetur auctoris.* Adjice quòd si nos oneri supponimus humerum, Deus (ut nostro modulo rem explicemus) humerum eidem subjicit alterum.

Sophon. 3. 8. 9.

Dominum audi loquentem per sophoniam: *in igne Zeli mei devorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum ut invocent omnes in nomine Domini; & serviant ei humero uno.* De lege Dei agitur quam postea Divinus Magister vocavit jugum: & unico portandam prædicit humero? Nil mirabile dictu vel factu. Creatura Dominusque sic ad portationem Divinæ legis associantur, ut Deus veluti supponat humerum alterum oneri tollendo, cum homo servit eidem ferendo ponderi *humero uno.* Et nostra via quidem est, & insimul *via Domini.*

41. *Non à sæculo te retrahet qui te tradidit illi.*

S. Thom. à Villano. ser. 2. d. S. Ægidio.

Et pavor. Juxta expositionem probabilem supra n. 3. relatam, insinuatur hoc loco timor ille culpæ vindex, quô solet impius fugere nemine persequente. Non irrationalis hic pavor est, quamvis fructu vacuus abeat: nam horribile quid est Deum habere hostem. *Malitiæ*, dixit S. Thom. à Villano. *malum enim & amarum nimis est Deum habere inimicum.* Ignorant-ne hoc scelesti? Multis præ oculis veritas hæc est: quibus proinde verbis ejusdem S. Præsulis dicere possemus: *si non vis amare Deum propter Deum, ama jam ipsum, vel propter te ipsum.* Fortassis existimaret inexpertus quisque nullum ad salutem efficacius medium amore proprio: nam à perditionis præcipitio dilectio qua nos ipsos prosequimur, quare non deflectere faciet ne pereamus? Tacent ad quæstionem istam cuncti. Sed nunc satisfaciam. Non hominem sui retrahit affectus à malo: quia non à sæculo te removebit, qui teipsum tradidit ei: nequaquam faciet ut mundo valedicas qui te illum quærere suasit.

Idem. ser. Dom. 17. post Pente.

Loco fratris, monitu genitricis, benedictionem Isaac præripuit Iacob primogenito Esau. Excandescit iste, minaturque post fata genitoris necem germani. Jacobum amabat impensiùs Rebecca mater: sollicita suadet illi quod fraternam (quæ forte sævior est) declinet iram ad Labanum se conferens: & addit eam fore pòst eundem revocaturam ad parentum domum opportuno tempore. *Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ feceris in eum: postea mittam, & adducam te inde huc.* Consule textum, non invenies quod Rebeca postea miserit ut filium reduceret. An locorum distantiâ refriguit maternus amor? quare non promissum adimplevit advocans gnatum ab avunculi domo? Litteram omitte: perquire mysterium. Laban mundi retulit ænigma. S. Isidorus Hispal. *potest etiam per Laban mundus hic exprimi.* Rebeca genito suasit ut mundo se crederet, qui per Labanum figuratur? Non illamet Iacobum adductura erat exinde, licet hoc pollicita fuerit. Nequaquam curabit ut sæculo terga vertas, qui te apud ipsum consuluit morari. *Nisi per Christum non itur ad Christum*, ait S. Leo Pa. Mundanis fraudibus te proprius dedidit amor? non hic ipse te discrimen extremæ perditionis devitare monebit. Inutilis est ergo *pavor his qui operantur malum* ortus ab affectione sui, quæ cæca ducit excæcatus.

Gen. 27. 43. 44. 35.

S. Isidor. Hisp. in Gen. c. 26.

S. Leo Pa. ser. 16. d. passione.

42. *Pax iniquorum fallax.*

His. Pluraliter loquitur de malis: & unico sub nomine brevi comprehendit omnes. Ita fortasse Spiritus S. insinuat iniquorum ad invicem unionem nomine tenus. Vera pax hæc non est, cum non descendat ab ejus authore; sæculi donum extat: ideoque ficta, dolisque referta. *Quod non habet in se mundus, suis non valet præstare cultoribus: fraudibus cum sit plenus, & livoribus agitatus atque omnium iniquitatum veneno refertus pacem quomodo tribuere potest? Ab authore pacis, pacis fuerant condonanda encænia.* Verba sunt Venetiarum Præsulis. Cum videris perditorum concordiam, dolosam crede: pictura est, de qua non judicant mundiales, quia luminibus orbi. Mendacium est quod pax putatur.

S. Laur. Iustin in fasci. amo. c. 7.

Legis apud Isaiam: *non est pax impiis dicit Dominus.* An Evangelium ab Evangelico

Isai. 48. 22.

Joan. 14. 27. vate dissidet? Imò consonant apprimè. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ita Redemptor alloquebatur discipulos ad vitæ mortalis confinia positus. Ecce mundum pacem donare supponit. Quî stare valet hoc simul cum Dei asserto apud Isaiam? *non est pax impiis.* Facillimè componuntur. Pacificat utique mundus; non tamen illi pacem

Tolet. in Joan. ibi. possident, quia vera non est hæc, sed mentita. Doctissimè Toletus exponens præfata verba Christi Domini: *mundus enim nudis verbis & aliquando fictis, & quam ipse non habet, neque sua est, dat: at ego non sic, sed cælestem & meam* &c. Nervosius idem S. Laurentius Justin. dato loco. *Hinc clarè colligitur quod inter sceleſtos & injustos nequaquam perfecta amicitia reperitur. Non enim habent simul vitia unitatem, prorsus majori ex parte inter se divisa noscuntur, dum grave bellum contra suum commovent possessorem. Hoc prepheta sua authoritate confirmat: non est (inquit) pax impio. Ex hoc evidentissima ratione colligitur quod si quod in vita hac perfectæ unitatis invenitur vinculum, atque mutuæ pacis bonum, penes illos esse cognoscitur, qui Christi dilectione junguntur.* Doctoris disertissimi sententiæ nec quicquam decerpsisse licuit, nec addere prodest. In electorum commodum permittit hunc fontium dissensum providentia summa, quò fœlicius istorum superentur insultus: nam, teste magistro politices, *nihil præstare majus fortuna potest, quam hostium discordiam.*

S. Laurent. Justin. proxim. sup.

Tacit. de mor. Germano.

43. *Verè pœnitēs & citò, candet quasi nō deliquisset.*

Qui operantur. De præsenti fatur. An & similis pavor non inest iis qui quondam operati sunt mala; nunc autem jam dudum pœnituere? Neutiquam: pœnitentiæ namque pharmaco perditam justitiam restaurare meruerunt, quasi nunquam ægritudinis timiditatem experti fuissent. *Sic omnia tolluntur ulcera, sicut vento pulvis excitatus vehementi*, ait Chrysost. Pœnitentium timor indiscretus & humanus (de quo nunc ago) cur adhuc præcordia premeret? an quia peccavere quondam? Audeo dicere, quod si festinantes resipuere, sic divino beneplacito restitutos candescere, ut ferè possimus asserere nunquam deliquisse.

Chrysost. to. 5. hom. 34. ad pop.

Eccli. 49. 5. Ecclesiasticus memorans varias antiquæ legis Heroes, addit: *Præter David, & Ezechiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt.* Hærebam in quærenda hujus loci expositione germana: nam difficultate non vacat quomodo verè proferri potuit non peccavisse Davidem, quem scimus adulterio pollutum & homicidio. Ad rem nostram

Gloss. ordi. ibi. commentatur opportunissimè Glossa: *hi tres comparatione aliorum non dicuntur peccasse. Quod enim peccaverunt, condigna pœnitentia deleverunt.* Consonat Jansenius ibi: *dicendum ergo primum, quòd etsi David peccasse legatur & graviter, tamen etiam legitur ejus peccatum esse remissum, unde pro non commisso habendum est.* Pœnitentiæ lixivium sic delet peccati nævos, ut pristinum restaurans nitorem, præstet ut videri possit nunquam fœdè maculatum fuisse pœnitentem. Ergo-ne timidus pavebit qui jam timoratus? Imprudens ille *pavor his qui operantur malum*

Jansen. in Eccli. 49. 5. inest; non eis qui detestantur anteacta mala.

Malum. Multitudo scelerum singulari nomine signatur? & moralissimè: quò tibi suadeas non unum sine alio crimen penè unquam reperiri. Non illa sociantur amicabiliter; sed alligantur miserè: nam & communis eorum paupertas facit inire quandam societatis imaginem: & adjicitur quod spinæ sunt: nullibi nasci videbis unicam. S. Macarius. *Vitia dependent unum ab altero, odium ab ira, ira à superbia, superbia à vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas à duritia cordis, duritia cordis à negligentia, negligentia ab ignavia, ignavia ab acedia, acedia ab impatientia, impatientia à voluptate, & reliqua vitiorum membra invicem dependentia.* Ecce catenam quam trahit iniquus; vel, ut potius dicam, funis quo trahitur ille. Multis conflatur nexibus vitiorum, quorum singula cæteris concatenantur.

44. *Vitia vitiis catenantur.*

S. Macar. hom. 40.

Testimonium de Filio Dei carne vestito protulit in hæc verba Joannes: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Nonne sustulit cuncta? Quis dubitat? Sed cùm delicta sint colligata mutuò, satis est asseratur auferre peccatum, quò sic omnia tollere prorsus intelligamus. Non absimiliter hoc loco pro tota vitiorum congerie ponitur locutione singulari *malum.*

Joan. 1. 29.

FLOS XXXI.

Justus in æternum non commovebitur: impij autem non habitabunt super terram.

APERITUR.

1. IN litteræ superficie tota difficultas est utramque versûs istius partem aptare vicissim. Ex pluribus primæ, quæ circumferuntur, interpretationibus eligenda huic scopo congruentior. Prima sic habet: justus immotus permanebit in adversis usque vitæ finem. Secunda: permanebit illæsus in tentationibus. Ita Dionysius Carthus. Tertia: manebit per æternitatem, qua post fata potiturus est. Ita Salazar. Quarta, quæ mihi probabilior videtur, est: justus fœliciter & securè bonis temporalibus potietur. Hanc tenet à Lapide, comprobat Salazar. Istam reliquis præfero quia secundùm illam germanior connexio reperitur inter verba textus: nam illud: *imptj autem* &c satis clarè patet valere quasi diceret impios non diu terræ bonis fruituros. Proindè priora denotant aliter contingere justis. Quamvis terrena parvifaciant; etiam in his à Deo munerantur. *Misericors enim Dominus quando nos videt despicere præsentia, etiam ipsa largius suppeditat*, ait Chrysost. Et si quæris qua ratione moveatur divina largitas ut præmij loco donet amicis quæ despectui habent, accipe optimam ex D. Gregorio M.

Dionys. Carthus. in Prover. 10. 30. Salaz. ibidem.

A Lapi. ibi.

Chrysost. to. 1. hom. 35. in Gen.

Omnipotens

Omnipotens ergo Deus largiendo terrena, suadet ad cœlestia, ut percipiens quod videret, sperare disceret quod minimè videbat. Loquitur de populo Judaico, sed omnis accommoda ratio est. Verba illa : *in æternum* extendit à Lapide ad posteros justi. Non placet in hoc, quia liberum. Sæpe sumi solet æternitas in Sacra pagina pro diuturnitate : non aliter hic. Unde claudi potest sensus intra justi vitam.

2. Dionys. Carthus. proxim. sup.

His positis impugnandus est Carthusianus, quatenus per *terram* intelligit cælum beatorum secundum phrasim Davidis, qui vocat Empyreum terram viventium. Appellatione terræ absolutè non venit cælum ; sed cùm addito *viventium*, vel alio simili. Sensus ergo secundæ partis est quem insinuavi, scili. impij citò bona temporalia deperdent. Totus eorum splendor sublunaris est, ac inconstantia simillima Lunæ. De hac loquens

S. Basil. in Exam. ho. 6.

D. Basilius : *Ratio porro quædam inenarrabilis est sapientis opificis variæ hujus alterationis figurarum. Aut enim ut nobis evidens exemplum naturæ nostræ exhiberet, quod nihil humanarum rerum stabile est* &c.

Justus, idest numeris omnibus absolutus in spiritualibus : nam, ut alibi latius dictum est, cujusque virtutis defectu nomen justi penitus amittitur : & nisi cunctis floreas, nullam perfectè possidere credas : quia fœdere mutuo vinciuntur.

S. Macar. hom. 40.

Hoc sciunt electi, dixit S. Macarius, *virtutes omnes inter se colligatas esse : ita quam enim catena quædam spiritalis, una dependet ab altera.* Non valdè miror sic loqui S. Patrem, cùm non absimilia legantur apud Gentilem.

Sen. epist. 34.

Non est, inquit Seneca, *hujusmodi animus in recto cujus acta discordant.*

In æternum. Quamvis æternitatis vocabulo Salomon loquatur de temporali vita diuturna, minimè tamen excidat è memoria tua diutinum valdè tempus ab ævo longissimè distare : multoque brevior est vita si fœlix,

Plin. junior.

juxta Plinium dicentem : *tantò brevius omne quantò fœlicius tempus.*

Lect. Hebr.

Non commovebitur. Hebræa sic habent : *non nutabit.* Nutare propriè significat minari casum : sed noster interpres vertit *non commovebitur*, quod ampliùs videtur sonare. In his rationalibus ædificiis non multum à nutatione distat ruina : vix movetur periculum : jam evertitur machina :

Plutar. in Cleome.

solet fortuna levi momento res maximas decernere. Qui summo residet excelsus fastigio, cùm primò quatitur mox ruitura moles, vellet prius descendere, quam daretur in præceps. Sed heu ! locus descensioni minimè fit.

Sen. d. brevit. c. 4. fine.

Cupiunt interim, ait Seneca, *ex illo fastigio suo, si tutò liceat, descendere. Nam ut nihil extra lacessat, aut quatiat ; in se ipsa fortuna ruit.*

3.

Impij autem. Quamvis ex doctrina jam notata non quilibet peccator soleat impius rigorosè vocari ; nunc pro quovis nomen illud accipias. Et ratio sit quia pietatem lædit omnis peccans postquam Deus homo factus est.

S. Isidor. Hispal. l. differ. tit. P. n. 419.

Pietas inter devinctos sanguine exhibetur, ait S. Isidorus Hispal. Impius ergo est in lege gratiæ qui fratrem graviter offendit, scili. Christum Dominum, cujus nomine locutus Chrysost. inquit : *Volui frater vester fieri, carni propter vos & sanguini communicavi :* imò non tantum frater, sed verè pater est plusquam carnales genitores, juxta illud Isaiæ, Deus. *Tu enim pater noster, & Abraham nescivit nos* &c. Ut impius dicitur qui parentes offensis petit, nominentur impij quicumque Dominum lethaliter peccando quasi vulnerant.

Chryso. to. 5. hom. 61. ad popu.

Isai. 63. 16.

Non habitabunt. Nec ideo tamen quia de solis iniquis hoc asseritur, putent alii se possidere manentem in hoc sæculo civitatem. In cælesti Regia mansiones multæ sunt ; in hoc hoc exilio nulla. Aliud tibi si sanæ mentis es non suadeas : *an non extremæ dementiæ sit terrena pro stabilibus fixisque ducere ?* Ita Chrysost. nomine Jobi loquens.

Chryso. ho. 14. d. avaritia. fine to. 3.

Super terram : & certè dicere posset hîc : super aquas : nam ut nuper admonebam, fluida sunt omnia quæ potitur improbus. Fruere Augustino. *Dixit : fœlix sum, attendat si non fluat illa fœlicitas, si potes certus esse de illa quia manet in æternum, si autem non est certus & videt effluere unde gaudet : fluvius Babylonis est, sedeat super, & fleat.* Imò non solum amnis fluiditati, sed vento, qui tenuior, & mobilior est, æquatur caducitas rerum temporalium. S. Fulgentius. *Quirebus hujus sæculi inhæret, vento inhæret, formidinem & contumeliam captat.*

S. Aug. to. 8. in ps. 136.

S. Fulgent. ep. 6. ad Theodorũ.

DELIBATIO I.

De constantia in adversis.

4.

COnformiter ad primam acceptionem notatam n. 1. quam, licet non prætulerim, non improbavi, hæc verba : *justus in æternum non commovebitur*, redduntur sic : justum nusquam adversa perturbabunt. Non tantùm quia protectione divina tanquam scuto circumdatus tela persequentium deludet ; sed quia virtus ipsamet illi munimen præbet invictum. *Ubi enim sapientia, ibi virtus est animi, ibi constantia & fortitudo.* Sic dixit Ambrosius. Animo nequaquam perterritus amicus Dei pacifica tranquillitate fruitur, & ad missilia fortunæ sævientis, vix amplius movetur, quam domo residens ad grandinem tectis illisam. Novit solere Deum flagellare filios amantissimos : ac gaudet se receptum in eorum numerum agnoscere, tribulationum signo fœlicitatem istam auspicatus. Rationem hanc ex D. Petro Dami. colli-

S. Ambr. to. 2. ps. 104. in princ.

ge. *Non igitur immerito gaudet, qui in sanctæ conversationis itinere constitutus, dum se flagellis considerat ultoribus cingi, in sortem filiorum Dei se non ambigit adoptari.*

S. Per. Dam. l. 8. ep. 13.

5.

Gaudio perfusus robur in dies accipit justus dum tribulatur, quia credit se parari putatione, velut palmitem, ut floreat. Is qui posthàc efflorescet : nunc cæditur : alternantur gaudij doloriſque vices. *Sicut cytharædus neque nervum intendit ut non abrumpat : neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat : sic & Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundùm suam prudentiam utrumque faciens.* Hæc

Fert ictum ille quem Deus præparat sorti. Chryso. to. 5. hom. 4. ad popu.

S. Isido. Hisp. l. 3. sent. c. 62. ex Chrysos. Accedit ipsa molestiarum inconstantia. *Omnes vitæ hujus tribulationes aquis comparantur prætereuntibus: propterea quia si quid in hac vita tribulationis acciderit; non stat; sed celeriter transit.* Hucusque S. Isidorus Hispal. Itaque duplici ratione, scili. quia Deus non sinit mala temporanea diutius (ut plurimùm) torquere justum quem diligit impensissime: necnon quia *omne quod venit stare non potest*, ut idem S. Isidorus loquitur. Ex uno & altero capite fit quod ei acccidat infœlicitas, qui sortem postmodum inveniet: ferat ictus qui mox referet gaudia.

Idem. l. 1. synonim. ante med.

Intempestæ silentio noctis Canticorum Sponsa, ut suam in Sponso non aperiendâ januâ rusticitatem expiaret utcumque, prodivit è domo requirens eundem. Custodes urbis habuit obvios, qui percutientes ipsam præterierunt. Mox occurrunt filiæ Hierusalem; non tamen similem inurbanitatem à custodibus murorum fuerunt expertæ: licet verosimile videatur etiam istas in eos offendisse, cum non multò post Sponsæ percussionem adfuerint ipsi dolenti. *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum. Adjuro vos filiæ Jerusalem.* &c. Contra Sponsam illi sic immites ut eam cecîderint? erga cæteras fœminas ita benigni, quod nihil tale sint ausi? Non frustra contigit. Filiæ Jerusalem Dilectum reperturæ non fuerant; Sponsa verò maxime. Non illæ; sed ista vulneratur, quæ Sponsi præsentia fœliciter statim fuerat perfruitura. Gaudeat ipsa de percussione, quæ sortis lætissimæ præsagium est. Si Gilberto credis, prædicta verba: *percusserunt me* &c. SS. Martyribus aptata, non dolentium, sed exultantium sunt voces. *Iucundum plane mihi videtur* (ait ad hunc locum Gilbertus) *ex præsentis occasione verbi, martyrum inter tot vexationum & mortis genera charitatem indefessam recolere, quomodo passiones corporis passione intrinseca temperabant amoris: nam si ad illos hunc locum referas, non est querela sed gloriæ vox ista quâ dicunt: percusserunt me vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Hilarescunt ampliùs quo plùs patiuntur dilectores Dei scientes, cruciatus quibus vexantur, gaudij sacrum omen esse.

Canti. 5. 7. 8.

Gilber. ser. 45. in Cant.

6. *Ille coronatur illustrius qui de manu hostis accipit diadema.*

Quinimo non sola futura dolor præsens ominatur gaudia; sed ipse tanquam fortunatissimum donum putandus est. *Ipsa mors martyrum præmium vitæ est*, inquit Ambros. Vel potius dic ex ipsius Antistitis mente passiones hæreditatem fuisse liberaliter à Domino relictam. S. Doctor introducit ad filios Zebedæi Christum dicentem: *donavi vobis victoriam passionis, hæreditatem crucis.* Frustanea redditur itaque mundi crudelitas bonis infligens atrociter nimis torsiones: *nihil enim mali* (testatur Augustinus) *patiuntur, quia jam possunt dicere, quod ille vir spiritualis exultat & prædicat Apostolus Paulus dicens, gloriamur in tribulationibus* &c Parum foret nihil ab iniquis mali pati justos dum tribulantur: addere juvat labores ipsos inter maximas fœlicitates numerari posse Deo vertente in justorum gloriam quod impij cogitaverunt in perniciem. *Unde miro modo fit* (Magn. Gregorium audis) *ut & quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit: quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, eius consilio militant etiam quæ ejus consilio repugnant. Hinc enim per Psalmistam dicitur: magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. Sic quippe ejus opera magna sunt, ut per omne quod ab hominibus agitur, ejus voluntas exquiratur. Nam sæpe inde perficitur unde repelli putabatur.*

S. Ambr. to. 4. l. d. fide Resur. §. Non ergo. Idem. ibi. l. 5. d. fide. c. 2.

S. Aug. to. 3. l. d. agone. Christiano c. 7.

S. Greg. M. to. 1. l. 6. moral. c. 12.

Ut clarius veritas hæc illustretur, altiùs illam eruamus. Notissima res cunctis extat gloriam, quæ provenit ab inimica manu, longe majorem. Auget hostis invictus quod execratur: ille diademate redimitur excelsius qui susceptt ab odiente coronam. statuamus hoc priùs ab exemplo Mardochæi, postea revertemur ad prædicta. Insomnis quadam nocte rex Assuerus coram se priorum temporum jussit annales perlegi. Cumque Mardochæi fidelitatem litteris mandatam audiverit ibidem, cupiens eam regali magnificentiâ munerare, consuluit Aman imperij sui dilectum administrum, quid sibi videretur honoris oportere conferri viro quem optabat rex condecorare. Amanus de se putans agi, largè, quasi consulens votis propriis, paravit honorem. Respondit hominem illum vestibus regiis indutum, equo vectum, diademate redimitum, per urbem deferendum, primo inter aulæ principes equum tenente, ac ante illum clamante: *sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Tunc ad illum Assuerus: *festina & sumpta stola & equo, fac ut locutus es Mardochæo Judæo.... Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in plateâ civitatis, & impositum equo præcedebat atque clamabat: Hoc honore condignus est,* &c. Non leve sese dubium nobis offert. Diligebat-ne assuerus Amanum? Fatetur ita rex: *tantam*, ait, *in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur.* Noverat illum exosos habere Iudæos? Oblivisci non potuit quod eorum necem sollicitaverit oblato quasi pretio, quod maximum simultatis indicium fuit: *decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Quorsum igitur Mardochæo, quem Judæum esse noverat, præcipit ab Aman publicos honores conferri? Sic torquere voluit istum? an non gloriosius foret, si Mardochæum coram se positum propria manu, circumstantibus curiæ proceribus coronaret? Minime: quia Mardochæum Assuerus amore prosequebatur, cui vitam debuerat: hunc odio habebat Amanus. Ab isto erat honorandus ille, quo splendidiùs effulgeret: nam ab hoste gratior venit honos. Favet Glossa loquens ibi de magistris Ecclesiæ. *His Aman specialis hostis populi Dei licet etiam invitus præbet obsequium; cum persecutores Ecclesiæ coguntur eidem Ecclesiæ reddere testimonium.* Peculiariter extollitur fœlicitas ab hoste manans. Ij quos premit atrox impiorum turba sic fulgent

Esth. 6. 9.

Ibi. n. 10. & 11.

Ibi. c. 16. 11.

Ibi. c. 3. 9.

Gloss. in Esth. c. 6.

ab

ab inimicis accepta luce, quamvis invitis. Unde cum agnoscant ipsi profutura sibi fore adversantium jacula, non pavent, sed ærumnis incrementatur fortitudo, quâ *justus in æternum non commovebitur.*

7. *Labores quærere mirabile fortitudinis opus.* S. Bern. ser. 79. in Cant.

Parum foret amatori strenuè pati metu pulso doloribusque spretis. Ultra pergit: nam libentissime sustinet quidquid impietas molitur. *Magna amoris potentia*, dixit Bernardus. Robur eximium nec semper totas exerit vires: nam sæpe ratione frænatur. Amor non sic: ejus namque vehementia quidquid illius conatibus objici poterat cogitare prohibet. *O amor præceps, vehemens flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis*, exclamat idem S. Doctor. Ex prædictis fit ut volens patiatur dilectio. Enimvero celsior patientiæ gradus est pati volentem. *In adversis, fratres* (verba sunt Chrysologi) *necessitas voluntati non potest comparari, aquiescere necessitatis est, velle virtutis. Volenti mors ipsa subjecta est, quia semper dominata est mors nolenti.* Quod laboribus terga vertere nolis mirabile fortitudinis opus non est; quod vero festinanter eos inquiras, hoc mirabilius.

Idem. ibi in princip.

Chrysos. ser. 110.

In suæ Passionis vesperiis comitatus Apostolis Redemptor ad Jerosolymam faciebat iter. Asserit Marcus, quod præcedente Jesu stupebant discipuli. *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos Jesus, & stupebant.* Sed quare stupor circumdederat eos? Reponet Lira: *stupebant ex hoc quod ita promptè & hilariter ibat ad locum passionis.* Ubi venit plenitudo temporis consummandæ redemptioni, spiritum emisit Author vitæ. Ioannes adderat: novere condiscipuli; nec tamen legimus illos admiratione prosecutos quòd Vita expiraverit? Minime: quia tunc pedes Crux detinebat ne mortem quæreret. At antea properabat Salvator ad patibulum. Non ita mirum quod strenuus patientiam exhibeat, neque tormento cedat: plus est quòd patiens ocyùs ad afflictiones pervenire concupiscens, quærat illas, & eligere demonstret.

Marc. 10. 32.

Liran. ibi.

8. *Amor strenuitate audacior.*

Hoc est fortitudinis decus immortale, non tantum fortiter pati, sed amanter. Robur non æquat amoris vim: audacior est quam strenuitas, dilectio. Emortuo conditori tota parentat natura. Scinduntur lapides, cordibus exprobrantes duritiem: terra tremiscit filiorum supplicium pavens: laceratur velum templi, jubens antiquæ legis umbras disparere: sepulchra reserantur, ut rupta mortis vincula contestentur. Adderat Centurio bellicæ cohortis dux, & expavit. *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde.* Ibidem adstitere mulieres; non tamen illas pertimuisse lego: *erant autem ibi mulieres multæ* &c. Fœmineum perstitit pectus impavidum! Horrore corripitur homo bellicus? militiæ dux! Non amabat. Robur amore destitutum quandoque metuit. Econverso mulieribus amor inerat absque vigore virili: sed stetit audacter inter portenta quia multus erat. *His ergo*, dixit Beda, *notis Jesu post depositum ejus cadaver ad sua remeantibus, sola mulieres quæ arctius amabant funus subsecutæ, quomodo poneretur inspicere cupiebant.* impensiorem erga Filium Dei testatur dilectionem foras missus timor: illa, plusquam solet strenuitas, ardua vigorosè petit, sed quæ bene viribus istis conveniunt. Ama Deum, & non pavebis horribillima.

Matth. 27. 54.

Ibi. n. 55.

Bed. hom. fer. 4. Palm.

Si te divinus non roboret amor: quamvis crucem sustineas coactus, nil tibi proderit ut Deo placeas. Imo Deus ipsi tibi crucis pondus non spontancè ferenti terga dabit.

9. *Deus Crucem spontaneè non ferenti terga dat.*

Quæstio est inter sacros interpretes an cum Simon quidam Cyrenensis, de quo S. Lucas, portavit crucem Domini, Redemptor cum illo simul eam tulerit. Sequamur nunc S. Leonem Pa. qui negat. *Simon quidam Cyreneus*, ait ille, *inventus est in quem lignum crucis transferretur à Domino.* Ut quid ergo post Jesum Simon ibat? *Imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Si patibulum simul ambo ferrent, mirum non foret quod à tergo Salvatoris graderetur socius ut pondus levaret. At semel onere detracto de Servatoris humero, quare non iste præcedebat, ut mortiferæ arboris (nos licet vivificantis) aspectus innocentissimum torqueret? Hoc ille sic fieri passus non est: voluit enim Simonis rusticitati posteriora vertere, qui violenter, non amore ductus portavit crucem: *imposuerunt illi.* Hominis patientia degeneravit amore vacua: coactaque vix tolerantia dici valet. Affectu solidari congruit illum, de quo dicatur: *justus in æternum non commovebitur.*

S. Leo Pa. ser. 8. de Pass.

Luc. 23. 26.

DELIBATIO II.

De perseverentia contra tentionum insultus.

10.

Militarem vitam laboriosissimam asserunt qui Martem sequuntur: & aliorum laudant quietem, quasi non unicuique nostrum sit vita militaris. Iugiter invigilandum ne insidiis pateas, & cadas prælio. *Quoniam contra atrocissimos hostes, & omni tergiversatione callidos bellum gerimus idcirco omni cautela & sollicitudine vigilare debemus, ut quòcumque tentaverint, munitos nos & præparatos inveniant:* &c. Verba sunt D. Ambrosij piè ac prudenter hortantis. Nec tamen projiciamus animos; sed stemus imperterriti duplici de causa. Prior est communis debilitas adversarij, qui nolentem superare non valet. *Debilis est hostis qui non potest vincere nisi volentem*, inquit apud S. Antonium D. Hieronymus. Impugnante dæmone vinceris quia non restitisti: nam, ut S. Gregorius M. ait, *antiquus hostis sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur.* Novum militiæ genus, in qua unius pugnatoris imbecillitas universum alterius robur est. Hanc rationem

S. Ambr. to. 3. in ep. ad Ephes. cap. 6.

D. Hiero. apud S. Anton. Olissipo. ser. 3. Dom. 1. Quadr.

S. Greg. M. to. 1. l. 5. mora. c. 17.

rationem linquo daturus alteram. *Iustus in æternum non commovebitur* diabolicis oppugnationibus petitus : quia Deus eum sollicitè protegere dignatur. S. Bernard. *Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas ejus, ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia.* Imò non tantum circummunit justum Dominus exercituum : sed intra eum adest, ut simul cum ipso pugnet auxiliator. Et sic munitus dæmonem pertimescet ? *Fortior est qui in nobis est, quam qui adversum nos est,* ait S. Laurentius Justin. Nec solummòdo viribus prævalet adjutor noster Dominus : sed etiam bellandi pro nobis cupidus est.

S.Bern.ser. 5.in ps. Qui habitat.

S.Laur.Just. in ligno vit. c.4. de patient.

Plus nostra quam sua bella gerere Dei Filius amat. Sic ex illo D. Cyrilli Alexan. colligo : *Christus autem magis nos quam se ipsum amavit.* Huic præmissæ junge aliam quasi per se notam : qui plus amat, sollicitiùs decertat pro amato. Igitur Deus fortiùs depugnat in præliis nostris, quam in propriis.

11. *Gloriosissimũ Deo communem in nobis vincere hostem.*

S. Cyrill. Alex.l.9. in Joan.c.23. Jacob.4.7.

Jacobus Apostolus ita scribit : *resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Quomodo fugam capesset ille dum nobiscum belligerat, qui singulare certamen cùm Dei Filio in solitudine commisit, nec tamen victus primò cessit ; imò postea tertiò superatus, quamvis recesserit, non aufugit ? Utrobique Dominus pugnat idem, scili. nunc in suis ; priùs in se : & in mortalibus, qui fragillimi sunt, adeò gloriosum est illi vincere Satanam, ut qui fugare noluit eum in eremo, cogere soleat, dum resistimus, ad fugam. S. Hieronymus attendens ad primæ tentationi datum responsum, ait : *Ideo autem sic respondit Dominus, quia propositum erat ei humilitate diabolum vincere non potentiâ.* Humilem se præbuit Omnipotens, cùm certamen sibi peculiare subiit adversus tartareum hostem: Atverò cùm intra nos ipse Dei Filius congreditur adversùs eundem, non utitur humilitate, sed omnipotentiâ confligit, expugnat, detriumphat. Vis æquâ lance librare quam inclyta sit illa victoria, quâ brachium Domini sternit principem tenebrarum, animas ab ejus unguibus eruens vel præservans ? Ponderat rectè Bernardus ; eum audi trophæum istud præferens illi quem Deus à Pharaone reportavit. *Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao, hic diabolus : ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia, & sæcularia desideria quæ militant adversus animam subruuntur. Illi in fluctibus, isti in fletibus. Marini illi, amari isti. Puto & nunc clamitare dæmonia, si fortè contingat incidere in talem animam : fugiamus Israëlem quia Dominus pugnat pro eo.*

S.Hiero.to. 9. in c.4. Matth.

S.Bern.ser. 39.in Cant.

12. *Tristatur justus plus de timore læsæ amicitiæ Dei, quam de magnæ gloriæ jactura.*

Itaque triumphum perillustrem de animæ Sponsæ hostibus consequi Deus optans : & sciens eò plus claresceret victoriam, quò minori fuit exposita periclo, metum satagit arcere, securitatemque justo confert, quapropter de illo dici queat : *in æternum non commovebitur.* Altissimus eximio dono cumulat amicum suum, cùm ab spirituali tutatur lapsu, multò plùs quam si donaret aliud quodcumque licet maximi faciendum : nam curæ probis ampliùs est ne Dei gratiæ jacturam faciant, quàm ne gaudium beatitudini simile perdant. Hoc justus amittens non contristabitur ; maximè verò si divinam (non dico læserit) sed offendere trepidaverit amicitiam. Petrum interroga : dictis adstipulabitur.

Post relictum potenter mortis hospitium Dei Filius adfuit piscantibus Apostolis : & veritatem præsentiæ suæ, tum captura piscium prodigiosè fœlici, tum societate prandij testatus est. Postquam prandissent interrogatur à Domino Petrus an illum reliquis enixiùs amaret. Nec semel ejus examinavit amorem, sed *dixit ei tertiò:* Joan.21.17. *Simon Ioannis amas me ? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertiò, amas me* ? Alibi credebam potius quàm hîc afficiendum Apostolum fuisse mœrore : cùm scili. abiit insperatò gloria, quam in transfigurationis colle putabat ipse diutius durururam : nec enim diceret : *Domine bonum est nos hîc esse*, nisi Matth.17.4. sic existimaret. Statim verò disparuisse gloriæ cælestis illud ænigma colligitur ex Luca. *Hæc autem illo loquente facta est nubes, &* Luc.9.34. *obumbravit eos : & timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta est de nube dicens, Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret vox, inventus est Iesus solus.* Nullus attamen ex tribus hanc historiam narrantibus affirmat contristatum fuisse Petrum. Nunc mæstitiâ non afficitur ; quantumvis eo nolente finem dederit gloria, quam diu protrahi desiderabat. Cùm autem divinus Magister eum repetitis interrogationibus ad amoris quæstionem vocat, veritus est ne fortè sic ei novam prænuntiaret omniscius Dominus ruinam, quâ rursus amicitiam illius amitteret. Hoc Simonem potius mæstum reddidit. Rationem offert Chrysostomus ejus nomine : *propterea contristatus sum, ne fortè me amare arbitratus non amem: ut antea cùm me fortem & constantem putarem, postmodum imbecillis deprehensus sum.* Chrysost.to. 3.hom.87.in Joan. In Thaboris vertice ratio cessabat ista : nec de jactura gloriæ mœrere visus est : longè namque sollicitior justus invigilat ne tentationi succumbat, quam ne gaudio maximo cogatur dicere vale. Hujus amissio spem venturæ gloriæ non labefactat, cujus expectatio hilaritatis pleniſſima radix est. Illam spem firmat securitas à Deo largita, qua non vanè credens nequaquam ut peccet commovendum, gaudet eximiè. Proficuus hîc erit S. Thomæ à Villano. periodus. *Lætitia spiritus sermones disponit. Sed unde aut qua ratione, & propter quod lætabitur ? Utique justè, & valdè justè, quia in æternum non commovebitur. An non plena jucunditatis causa certam spem habere de gloria ? Quis non lætetur in spe gloriæ filiorum Dei ? aut quod triste potest accidere ei qui post modicum sperat cùm Deo regnare, inter angelos sociari, fœlicitatis æternæ gaudia possidere ?* Excellens igitur Dei munus est amantem recti sic à defectione tueri constanter, ut dici queat : *in æternum non commovebitur.*

S.Thom. à Villano.ser. d.S.Ægidio.

13. *Vellet justus ita liberè diligere Deum*

Eximium, divinæ largitatis beneficium est perseverantia, quæ Dei protectionem conferentis ope stat immota. Illâ summo-

pere

ut amitteret non amandi potentiam.

pere justus exultat ovans. Vellet namque non tantum consistere ; sed etiam decidere non posse, conformiter ad Ambrosij dictum

S. Ambr. to. 3. in ep. 2. ad Corint.

fides vera non est si non sit perpetua sed possit deficere. Cupit esse in bono stabilis, ut ejus erga Deum dilectio non possit non esse : desiderat ita libere diligere, quòd amitteret non amandi potentiam.

Satis & super tritum brevitet versabo locum conversionis illius, quæ peccatrix audiebat in civitate ; sed jam pœnitens audire meruit : *dilexit multum.* Certissimum est Magdalenam adhuc amavisse de præsenti Dominum, cum hæc protulit ille verba. Non tamen Redemptor ait : diligit ; sed *quia dilexit.* Quo stylo dictum putas ? Ut insinuaret ejus amorem, quamvis adhuc manentem, privilegiis tamen præteritionis gaudere. Ad præteritum non datur potentia qua fieri possit ut non fuerit : & exardebat sic amor iste, quod ac si præteritus foret veluti desistendi vocari posset impotens. Liber quidem erat ; sed necessarium avens imitari, constantiam talem induerat, ut nesciam putari-ne valeat quòd non posse desistere percupiebat. Et cum hoc proprium sit rei præteritæ, Christus Dominus Magdalenæ desiderio morem gerens non de præsenti loquitur ; sed quasi transactum æstimat illius amorem, inquiens : *dilexit multum.*

Luc. 7. 47.

14. *Ad Crucis conspectum spiritualia discrimina cessant.*

Hujusmodi permanentiam Divina speciali protegente manu consequi datur sanctitate provectis. Tamen eandem aliâ viâ, quæ patet omnibus, adipisci cunctorum est. Quænam sit hæc, petis ? Unica ducens ad vitam regia semita sanctæ Crucis. Hoc si lignum amplexu valido teneas, quod vento non agitatur : etiamsi gehenna furiat, insultet orbis, & insidietur caro perfida, cor tuum *in æternum non commovebitur.* Si naviget absque salutari arbore ratis humana tentationibus quassata naufragabitur. *Sicut autem Ecclesia sine Cruce stare non potest, ita & sine arbore navis infirma est.* Econtra quandiu Cruci committis fortunam, uti navigium vela nexa malo pandit, sic inter sæculi fluctus ludes per varia discrimina rerum : nam *Crux est humilium tutio invicta, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio.* Hoc præsidio munitus quid formidabit Christianus hostes barathræis onustos catenis ? Cruci Rex orbis adstat, quem aëreæ tremunt potestates, qui simillimam flatui reddit eorum potentiam, atque dispergit. *Ad præsentiam regis isti quid sunt* (quærit Chrysologus agens de illis dæmonibus, quorum apud Marcum fit mentio c. 5.) *qui ut unum, & nec dum tyronem caperent, toto cohortis suæ agmine convenerunt ? ubi essent si vexillum ibi jam Crucis, si Christi signa vidissent ? Age Christiane, incede securus*, &c. En securitatem proclamat sermo S. Doctoris aureus, non in auro, sed in ligno. Corda quidem nostra lutea sunt : sed veluti solet arborum radicibus amicè complexa stabilis reddi terra, quæ alluvione corrueret : ita ligni vitæ, nempe Crucis amplexata radices terra cordium nostrorum persistit : ibi namque nos-

S. Ambr. to. 5. ser. 32. d. Cru.

Cassiod. sup. ps. 4.

Chrysol. ser. 17.

cit (in alieno capite (crucifigentium scili.) quàm fœda sit ingratitudo : quàm ut devitet, amorem depurare sollicitat mens humana. Proinde spirituale discrimen ad Crucis Dominicæ conspectum cessat.

Salvator peculiariter orasse pro Simone Petro quondam asseveravit. *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua.* Christi Domini dictum exponit Chrysostomus : *ego, inquit Christus, deprecatus sum pro te ut non deficiat fides tua : hoc enim ut vehementius eum tangeret dicebat, significans ejus casum multò pejorem esse casu discipulorum, ac ideo majori etiam patrocinio indigere.* Si quæras quid oraverit Assertor pro Simone, satisfaciet Euthymius : *rogavi, inquit, Patrem meum tanquam homo ne perdas tandem fidem tuam, quam in me habes, in tempore negationis.* Sic ille Filij Dei vice. Qua de causa Dominus ad Joannem similiter locutus non est ? Hujus in Calvariæ jugo majus erat periculum, ne timidus Magistrum desereret, quam Petri ne fidem abjiceret : nam à fide apostasia crimen est atrox, & proinde summe detestaretur Apostolus illud, ac longissime distaret à tanta labe. Joannes autem crucifixoribus adest : quorum ferociam pavere facillime potuit : & sic Præceptorem destituendi periculo maximo fuit expositus ipse juxta Crucem. Pro Joanne Mediator Dei & hominum peculiari prece non rogat ? pro Petro maxime ? Ita sane : quia Simon in atrio priusquam levaretur Crux in altum, subiit aleam ; Joannes verò coram sanctissimæ Crucis vicinâ stabat umbrâ : quæ pericula fugat, revocat fugientes. In horto se pedibus proripuit : non enim adhuc extabat Crucis Domini refugium ; in monte jam elato vexillo, miles, perstitit interritus : Crux etenim stabilitatem contulit, ne diverteret à dilecto.

Luc. 22. 32.

Chrysost. to. 2. hom. 83. in Matth.

Euthym. ad eum locum.

15. *In Crucis umbra latet fragilitatis remedium.*

Piissime de Cruce locutus ait S. Joannes Damasc. *ipsa jacentium erectio, stantium firmamentum, baculus debilium*, &c. Non sic mundani valent autumare de suis, quibus innituntur periculosè stipibus. Cruces isti mehercle sunt ; non tamen infirmitati levamentum. An non crucifigunt potestas, divitiæ, spes humana, similiaque plura ? Bacilli quidem, sed arundi nei sunt cruces ut contorqueant ; non ut muniant. Aliter experiri possumus, dummodo velimus, in sacrosancta Cruce Redemptoris : delitescit in hac imbecillitatis remedium.

S. Joann. Damasc. l. 4. de fide, c. 12.

Populum Pharaonica servitute pressum liberare volens Conditor universorum affatur, vel per angelum, vel per se Moysen, committens ei legationem pro hujusce modi negotio perficiendo. Recusat ille pastoritiæ deditus quieti curiam adire : tractare nimis ardua pavet. Denique Dominus designat illi socium Aaronem : & virgam ferre jubet. *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Et cur non potius virga traditur Aaroni, qui pro Moyse locuturus erat ? *ipse loquetur pro te ad populum :* Quia Moyses potius indigebat illa, quæ crucem referebat in umbra. *Virga Mosaica in similitudine Crucis mare percussit*, ait supra Damascenus. Egebat inquam sti-

Exod. 4. 17.

Ibi n. 16.

Damasc. prox. sup.

pite Crucis magis Moyſes quam Aaron : ille namque ; non autem iſte quandam timiditatem oſtendit : quippe dixit : *Quis ſum ego ut vadam ad Pharaonem* &c ? ac ſimilia, quibus infirmitatem animi ſatis indicavit, arduam refugiens provinciam. Non ita ſe geſſit frater. Statim atque recepit à Moyſe quid ſibi fuerat iniunctum, cœpit munus commiſſum exequi. Ita colligitur ex ipſo contextu. *Narravitque Moyſes Aaron omnia verba Domini quibus miſerat eum & ſigna quæ mandaverat. Veneruntque ſimul, & congregaverunt cunctos ſeniores filiorum Iſraël. Locutuſque eſt Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moyſen* &c, Crucis umbra plus Moyſes indigebat ut fragilitatem erigeret : eſt enim ipſa validiſſimum infirmorum ſuſtentaculum. Vide ſl. 29.delib.2.

Exod. 3. 11.

Ibi c. 4. 28. 29. 30.

16. *Infirmitatem à ſcelere conſtrictam expellit Crux.*

Et præſertim ſi de invaliditate loquamur, quam párere ſolitat culpa, medicamen opportuniſſimum affert huic malo vel umbra Crucis. Quod tollit morbi cauſam, hoc medetur ægritudini. Crux delicta ſuſtulit : unde criminum germina delet, inter quæ numeratur vecordia, ſeu virium pro difficilibus exequendis defectus. Expellitur iſte per ſignum Crucis : hoc utens reſtituitur vigori priſtino.

Samſon vidit hoc forte, quamvis luminibus orbatus. A perfida Philiſthæa traditus adverſariis, clauſus in carcere molebat qui laſciviam ſectatus irrationalibus parem ſe non dedignatus fuit. Ad templum denique Dagon ut ludum coram omnibus ageret ac pateretur, adductus eſt. Aderat plurima ſpectaculo turba feſtum de aliena calamitate diem celebrans. (quomodo crederent illum ſibi fore poſtremum, niſi poſt experientiam ?) A puero greſſus ejus regebantur, qui fuerat armato militi nuper terrori : dixit ei miſer velle ſe paululum ad columnas reclinare quibus domus incumbebat, ut aliquantùm quieſceret. Invocato Domino tunc, *apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus : alteramque earum dexterâ, & alteram lævâ tenens, ait : moriatur anima mea cum Philiſtim.... multòque plures interfecit moriens* &c. Non caſu factum credam quòd non potius ambobus brachiis unicam apprehenderit columnam, & poſtea ſimiliter aliam ; ſed ſimul utramque lacertos expandens concuſſerit. Meditabar cælitus diſpoſitum ſic, ut Crucis mediaret umbra, cum priſtinam fortitudinem recuperavit, illam depellens imbecillitatem, quam de luxuriæ contraxerat languore. Quod ibi ſalutiferi ſigni figura ſplendeat author eſt Auguſtinus : *In hoc*, ait, *imaginem Crucis attendite, expanſas enim manus quaſi duo ligna Crucis extendit, & adverſarios ſuos Samſon interemptos oppreſſit.* Vires amiſerat, quoniam admiſit crimen : & infirmitati dum ſequela culparum eſt, conſentaneum adhibet medicamentum Crucis typus. Multò faciliùs aſſequéris ut per eam ſanentur ſpiritus morbi : exangueque robur cordis redintegretur, Crucem igitur amplectere : ſic etenim hoſtes debellans, & vires adminiculo muniens, tam peccator quam juſtus *non commovebitur.*

Iudic. 16. 29. 30.

S. Aug. ſer. 107. de tempo.

DELIBATIO III.

Quo motivo ductus Deus aliquando temporalia donet in præmium dilecto ?

DUm litteram aperirem, illam expoſitionem prætuli, ſecundùm quam eadem verba : *juſtus in æternum non commovebitur*, valent : homo probus diutina fœlicitate potietur ſuper terram opitulante Deo. Nunc interpetrationem hanc ad mores perſequar. Quid juſto cum temporalibus bonis ut per hæc à Deo præmium expectare moneatur permanſurum ? Hic eſt ille toties in ſuperioribus inculcatus contemptus ? Vix dum SS. PP. evolveris, paginam invenies, in qua non hanc obviam habeas regulam : oportere ſcili. ſpernere mundialia, ut anheles æterna. Hinc audis Gregorium, illinc Baſilium, doctrina & exemplo ſuadentes idipſum. *Quos*, ait Gregorius M. *multa mundi implicamenta occupent habitationem cæleſtis patriæ non requirunt.* Non abſimiliter loquitur M. etiam Baſilius. *Fugiamus igitur quanta maxima celeritate id fieri poteſt, ne nos ipſos ultronei ſuffocemus.* Et infra : *priuſquam ad perfectum interitum perveniat graviora onera deponat, & antequam navis ſubmergatur mercium jacturam faciat.* Jam, ſi verba illa : *in æternum*, quæ diutiſſimam temporalium poſſeſſionem denotant, perpendamus, obviam ire videtur idem Baſilius alibi. *Magis poſſibile eſt ut aquam manu comprehenſam contineas, quàm ut divitias durabiliter conſerves.* Et S. Hieronymus notavit ſanctos ut cæleſtia petant volvi ſuper terram, quaſi diceret ſedem odiſſe ubi peregrinantur, & exilium patiuntur. *Vide quid dixit, ſancti lapides volvuntur ſuper terram, quoniam enim rotæ ſunt, propterea volvuntur ſuper terram, & ad altiora feſtinant.* Hæc aliaque permulta, paſſim reperies, quibus Doctores, & aſcetici magiſtri deſpectum, ac inconſtantiam temporalium ſuadere conantur, ut ſic amor ſummi boni puritatem ſuæ nobilitatis probet necnon opere confirmet. In præſenti cerno juſto proponi temporalia diutinè poſſidenda : hæccine curabit ille cujus converſatio in cælis eſt ? qui non habet hic manentem civitatem ; ſed futuram inquirit ? ſic degenerat virtus ? Nequaquam : quippe cum pro meritis à ſupremo largitore temporanea ſit acceptus, non dehoneſtatur per horum poſſeſſionem : hæc namque natura meritorum eſt, ut quod hac via quivis conſequitur, etſi poſſet alias eſſe dedecori, tamen ſi detur in præmium, honorem augeat.

17. *Quod aliàs poſſet eſſe dedecori, ſi præmio detur honorat.*

S. Greg. M. to. 1. l. 27. mora. c. 7.

S. Baſil. hom. 23. Ne rebus &c. inter. var. ante med.

Idem hom. 27. in. pſ. 61.

S. Hiero. to. 8. expoſ. pſ. 76. ad c. 9. Zacha.

Poſt lautam quinque panum in ſolitudine menſam, turbæ Chriſtum Dominum benefactorem ſuum regem inaugurare voluerunt.

luerunt. Declinavit Redemptor eorum vota.
Joan.6.15. *Jesus ergo cùm cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* In Cruce, nec unico verborum idiomate, titulus eminebat regem Christum prædicans, quem non ille recusavit; imò ne deleretur providit. Ne dubites majestatem ibi præ se tulisse regium
Bed.l.4.in Marc.c.15. nomen, accipe Bedam. *Qui apertè etiam quoniam rex simul & Pontifex est, cùm eximiam Patri carnis suæ hostiam in altari crucis offerret, regis quoque, qua præditus erat, dignitatem titulo prætendit.* Regale nomen impositum est Cruci tanquam mortis causa:
Matth.27. 37. *causam ipsius scriptam:* & non renuit accipere dedecus innocentiæ? Proclamandus erat à turbis rex gratitudinis ergo: majestatisque despicit oblationem? Dubium istud aliorsum jam solvisse memini: nunc ad præsens institutum. Optimè quidem ac dilucidè mysterium insinuavit. Populus non ad merita congruentia pro gerendo sceptro; sed ad panis beneficium attendebat; à Patre permissa fuit inscriptio ligni quo Salus pependit, in Unigeniti præmium. A plebis inconstantia fœlicitatem illam consequi, sanè Christo dedecorosum foret: putaretur enim eum non nisi pro mortalium libito regem. A Providentia Genitoris eandem nomenclaturam sortiri, gloriæ magnum fuit incrementum: licet namque Pilati decreto data fuerit ut innocentis calumnia (causa scili. mortis:) cùm tamen id tituli præcellentissimum decus, ab Altissimi destinatione per merita lucratus Redemptor sit: hoc ipsum quod foret infame de se, versum est in honorem. Sunt hæc meriti privilegia: supplicia transmutant in trophæa.

18. *Disponit providentia Dei ut sit meritoria bonorũ acceptio, quæ Deus confert.* S.Aug.to 2. ep.156. ad Probam.

Accedit quod summus orbis moderator amori promovere cupiens augmenta, quibus ditescat spiritualiter inde, quà decrescere posset: curat ut in accipiendo temporalia mereatur, ne quidquam sit quod illi non cooperetur in bonum. *Apostolus ait: scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Omnia inquit. Non solum ergo illa quæ appetuntur ut suavia, verùm etiam illa quæ ut molesta vitantur, quando alia sic sumimus ne capiamur, alia sic ferimus ne frangamur*, scribit Augustinus. Ad vitam quamvis unicus trames aperiatur; gressus non omnibus iidem. Bonorum possessiones, quas fugit eremita prosunt alteri per eleemosynas ad salutem in ipsa populorum frequentia. De hac cæli mercatura nonnihil infrà. Nunc de ipsa tantum acceptione Dei donorum sermo nobis erit, quam gaudet ipse Dominus videre meritoriam. Disponit ut promereatur in accipiendo qui largitori supremo placuit.

Declinans fratris iras peregrinabatur in Mesopotamiam Jacob: & obediens labori, somnoque, tradidit membra quieti. Comparuit illi Dominus innixus scalæ, ac inter
Gen.28.13. alia protulit ista: *terram in qua dormis tibi dabo.* Pauper tunc iter faciebat Jacobus: cur non statim Deus largitur; sed in futurum repromittit? Quia si de præsenti donaret, accipiens opus non exerceret meritorium in recipiendo; credens autem promissum adimplendum, meritum fidei cumulavit in acceptandâ promissione Domini. De hoc augmento sollicitus Conditor erat: non enim casu, sed proponens credentium exempla meminit ibi de Abraham, & Isaac, quos non divina fefellere pollicita: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac:* ubi Chrysostomus: *dicit: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac patris tui. Ego & patriarcham, & patrem tuum in tantam gloriam crescere feci. Ne igitur timeas, sed crede quod ego qui implevi illis suas promissiones, & te mea cura & providentia dignabor. Ne timeas, sed confide, & omni timore depulso crede his quæ à me dicuntur.* Ut ergo fide stabili credens acquirat meritum in ipsa beneficij susceptione Jacob, Deus ei promissionem, cujus veritati assentiatur offert in munus: gloriatur etenim quod ipso beneficio, dum ab amicis obtinetur, ad majora suadeatur divina manus. Ibi. Chrysost.to. 1.hom.54.in Gen.

19. *Fœlicitas major est illa quæ meritis parta.*

Nec judices ideo Dei donum defraudari per hoc quod cùm benemeritus assequitur illud, statim gratus rependat offerens hostiam virtutis ipsamet recipiente manu. Potius dicendum exinde largitionem divinam incrementari. Nescis tritum illud, scili. quod merita nostra Dei beneficia sunt? Auscultа D. Thomam à Villano. *Cùm enim merita nostra præmias, quid aliud quam dona tua præmias? nam meritum nostrum donum quoque tuum est.* Duplicatur itaque datum, si recipiendo merearis. Multo pluris faciendum quod per merita consequeris. Vulgo fortunatus appellatur is qui bonum sortitur quo fuerat indignus. Populare judicium hoc est à sapientibus irridendum: nam ut ait Seneca, *populi scita magnâ ex parte sapientes abrogant.* Idem solis radius adamantem perlustrat & vitrum: in hoc maculas detegit; illum verò stellæ similem declarat. Non indigno gratuleris de vitrea sorte lucis. Fœlicitas major est illa quæ meritis parta. S.Thom. à Villano.ser. 1.Dom.17. post Pent. Sen. in consola.ad Helviam c.5. fine.

Ad Thaboris apicem tendamus: nunc enim bonum erit nos illic esse. Pulchritudinem solis candori nivis associavit illuminans Dominus. Gaudens Petrus avebat ibi commorari: palamque gaudium suum professus est verbis illis: *Domine bonum est nos hîc esse.* Post resurrectionem Dei Filius prostravit Saulum; sed tam sublimiter evexit, ut non sit probabilitate destitutum, quòd in illo triduo, quod Damasci non manducans transegit, ad essentiæ divinæ visionem fuerit vocatus. Sic tacitè refert asserentes Lira. *Satis probabiliter dicunt aliqui quòd hanc excellentem visionem habuit in Damasco in illo triduo, in quo non vidit corporaliter.* Patrocinatur D. Thomas probabile dicens hoc ipsum. *Et ideo quidam dicunt satis probabiliter quod Apostolus has visiones habuit in illo triduo, quo post prostrationem suam à Domino stetit neque videns, neque manducans, neque bibens.* Adde rursus ex Doctore angelico. *Paulus verò dicitur raptus ad tertium cælum, quia sic fuit alienatus à sensibus, & sublimatus ab omnibus corporalibus, ut videret intelligibilia nuda & pura, eo modo quo vident angeli & anima separata: &, quod plus est, etiam ipsum Deum per essen-* Matth.17. 4. Liran.in ep. 2.ad Corint. c.12. S.Thom.ibi. dem. Idem ibi.

tiam, ut Augustinus expressè dicit. Ex his habes quàm verosimile sit Apostolum tunc vidisse Deum. Quantò minor fuerit Simonis fœlicitas in eo quòd transfigurationis adstiterit majestati, perspicuum est. Beda. *Quod si beatus Petrus glorificatam Christi humanitatem contemplatus tanto afficitur gaudio, ut nullatenus ab ejus intuitu velit secerni: quid putamus fratres charissimi esse beatitudinis, qui divinitatis ejus altitudinem videre meruerunt?* Non legis attamen gentium Doctorem de hac cælesti visione lætitiam ostendisse. Habuit, credo; sed non talem quam silentio premere non valuerit. Ea verò, quam de transfigurationis intuitu Princeps Apostolorum cepit, vix taceri potuit: in verba prorupit hilaritatis excessus, quæ notata sunt insipientiæ. Quænam inter utrumque diversa ratio dissimilitudinem peperit? Existima, si placet, ideo fuisse quia collegij vertex Apostolici propter merita; vas electionis adhuc illis destitutum fœlicitates, quas modò conferebam, tenuere. Sic statue pluris æstimanda quæ præmia sunt. Ut proindè justus beneficium Dei non vulgariter appretiet, dum accipit humiliter à Deo mundialia bona, cor donatori reservans, illustratur meritoriè sors ejus: ne timeat, cùm de temporalibus exponitur illud *justus in æternum non commovebitur.*

Beda hom. in Dom. 2. Quadrag.

20. *Perfectus vir ibi virtutem invenit, ubi alij præcipitium.*

Supra nonnihil in eleemosynæ laudem afferre pollicebar. Alibi multa dedi: modo sufficiat mirari quod cùm tot præcipites agat facultatum pondus: per istasmet gradum faciat justus ad pauperum spiritu retributionem. Chrysostomus. *Nescis quod non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quam propter ipsos impendentes, instituit?* Novum mercimoniæ genus est ipso dispendio lucrari. Sed plus adhuc moveor expendens quod pecunias, tot damnorum semina, spargens, utilitatem eleemosynarius demetat. Quid opes nisi vincula? *Laqueus est in auro, viscus in argento*, inquit Ambros. & prius hoc dixerat mille ruinarum fragor clamitans: sed etiam laquei bonis cooperantur ad gressum, viscus ad volatum. Tam verum est hoc, ut dicam perfectum virum ibi virtutem invenire, ubi alij præcipitium repererunt.

Chrysost. to. 5. hom. 36. ad popu.

S. Amb. to. 1. l. d. bono mor. c. 5.

Cecidit Lucifer quia Deo majestate similis esse concupivit: se, nosque perdidit Adamus, quia scientiam divinæ comparem optavit. Ecce barathri viæ. Contuere quid suadeat incarnata Sapientia discipulis. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Expositione difficilem reddidit locum Haymon dicens: *ad similitudinem ejus perfecti estote sicut ipse in sua natura perfectus est.* Et jam Dei similitudo, cujus cupiditas pessundedit orbem, persuadetur ut virtus? Hæc est divinæ gratiæ vis, ut ea quæ perniciem inferre valent, perutilia reddantur ad salutem. Appositè loquentem enuclea Rupertum. *Dictum hoc, estote ergo & vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus quantæ gratiæ sit ex opposito magis elucet: scili. ex eo quod serpens primis parentibus nostris dixit suadens transgredi præceptum, comedite & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Malam viam quasi ad perfectionem ille sibilando susurravit; bonam viam ad veram perfectionem iste demonstrando prædicavit. Estote, inquit perfecti.* Quà pereunt alij, justus exurgit. Et ne longius ab eleemosyna calamum posuisse me putes, consule Nazianzenum, an stipem largiendo queas ad instar Dei quodammodo teipsum habere. *Fac*, inquit ille, *calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* Cùm igitur etiam per spinas (vel divitias quod phrasi Dominica idem est) ad cælitum palatia fieri valeat iter: camelus ad foramen acus intrare contendat, omnia namque Deo possibilia, dummodo tamen onera peccatorum deponat. Et sic fœnere multo replebitur, donec æternitatis adeat januam, tandemque de illo celsiori sensu verificabitur: *justus in æternum* &c.

Matth. 5. 48.

Haym. in expos. Evag. ser. 6. post Cin.

Ruper. l. 5. in Matth. c. 5.

S. Greg. Nazian. orat. 16. longè post med.

DELIBATIO IV.

Immobilis ad mundi ventorum vim persistens justus non commovebitur.

21. NOn de procellæ furore, quo justus inter mundanos vortices concutitur, agendum. Quinimo potissimùm, quomodo Zephiris fœliciter impellentibus puppes, ille more turris obsistat, agere libet? sed obiter pauca tangam de adverso Aquilone. Loquatur prius Ethnicus quasi christianè. *Leve momentum in adventitiis rebus est, & quod in neutram partem magnas vires habeat: nec secunda sapientem evehunt, nec adversa demittunt.* Parum abfuit ut verbis nostri textus utens diceret: inter prosperos; & sinistros eventus, justus in æternum non commovebitur. Quosdam sæculum agitat honoris cupiditate: nonnullos dignitatum ambitione jactat: alios expectatione conscendendi majora pulsat: multos injurias faciendo quassat: plurimos largitione munerum frangere curat. Omnibus tamen his impulsibus obstat constanter is, qui diligens lucem inaccessibilem, universi tenebras odit recedentes, dicitque cum Bernardo: *est & mundus impulsor, quia in maligno positus est. Impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, idest consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi ne cadam.*

Sen. in consol. ad Helviam c. 5.

S. Bern. ser. 85. in Cant.

22. *Decus illud excellit quod sibi quisque confert.*

Verumenimverò, ne constantiæ fiducia transitione degeneri abeat in superbiam, ab illo flatu, quem honoris cupidinem cæcum appellamus, exordiar. Quatit ille cedros Libani fortiter & suaviter; non tamen disponit; sed omnia perdit. Aureo, prout assolet, stylo rem picturat Chrysost. dicens: *Quemadmodum sævi quidem venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut & arena cùm undis misceatur: sic & ambitio, & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt. Excæcat mentis intuitum præsertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere, volenti satis est facile, honorem autem à multis collatum despicere, multi laboris indiget* &c. Arduum fateor spernere decus: non quia magnum quid sit extrinsecùs

Chrysost. to. 5. hom. 43. ad popu. in princi.

ſecùs veniens; ſed quia reputatur maximum. Excellit honos quem ſibi confert quiſque; non quem alius donavit.

2. Petr. 1. 16. 17. 18. Scribens Petrus ad ſuæ doctrinæ diſcipulos aiebat: *Non enim doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam: ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum à magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Et hanc vocem nos audivimus* &c. Duplicis honoris mentio fit ab Apoſtolo: alterum vidit; alium auribus percepiſſe teſtatus eſt. Aſpexit, inquam, lucem: audivitque vocem. Loquens de fulgore vocavit illum Servatoris magnitudinem, ſpeculatores facti illius magnitudinis.

S. Thom. in 2. Petr. c. 1. 16. S. Thomas in hunc locum: *magnitudinis, ſcili. magnæ excellentiæ, & claritatis, quam in transfiguratione oſtendit.* Non ſic agit de voce paterna. Nonne vox Patris magnificavit Genitum? Quis inficiabitur? Attamen vox ab alio deſcendit; ſplendor prodivit ab intus. Hic Domino debitus erat, ut dos beatitudini, qua potiebatur annexus; vox autem non ita, ſed Redemptoris præconium erat dono receptum à Genitore tunc: *accipiens* &c. Meritiſſimè Petrus magnitudinem Chriſti Domini, non ex voce Parentis honorificâ, ſed ab ſplendore beato, dimenſus eſt: *ſpeculatores .... magnitudinis.* Unde ratione fortiori dici poſſet ad eos qui ſæculi venantur honores: quid atria ſollicitas? quid magnatum limina teris ſi benemereris, meritorum laureâ potius te ſplendide redimitum agnoſce: nam *gloriam beatius eſt habere quam quærere*, teſte Chryſolo. Cumque propriâ conſcientiâ prædicante, plurimum virtutis decus inſit juſto: per eum honorem, qui non aliud quam exiſtimatio multorum eſt, *non commovebitur.*

Chryſolog. ſer. 89.

23. *Suſtollitur ſedente digno thronus.*

Quandoque fortuna tandem oculos aperiens benemeritum ad faſtigia regiminum vocare parat: & ejus humilitatem fauſtu redderet evanidam, niſi propria cognitio ſolidaret illam. *Beata prorſus vera humilitas, quæ in ſui jugiter cognitione verſatur. Hæc profecto, ſi efferatur laudibus, ſi præſtet honoribus, ſi dignitatibus ſublimetur, nunquam à propriæ infirmitatis conſideratione refflectitur.* Validiſſimus eſt ardoris Auſter, qui pellit ad aſcenſum: annoſas quercus eradicat, niſi terræ centro radix adhæreat humilitatis. *Tolle*, inquit idem S. Doctor, *ab eo qui præſidet humilitatem, & domus illius fundamentum reperies in arena locatum, quod aquarum inundatione utique, aut ventorum inſufflatione quaſſatur.* Occurrunt paſſim qui ſanguine magni, meritis divites, optant fieri dignitatis majeſtate maximi: deſipiunt: non enim hàc aſcenditur ad principatum; deſcenditur ad paſtoris vigilias. *Quid eſt eſſe prælatum? Eſſe paſtorem, non dominum, non principem*, dixit præcelſus Antiſtes Valentinus. Non verebor autumare quòd benemeritus locum evehit quô ſedet; non viceverſa. Gemmæ auro ſolerter incluſæ non ideo nitent fulgentiùs; auri potius pallor de gemmæ radiis illuſtratur. Gemmam voco dignum; aurum verò dignitatem. Phœbi jubar adamantem attigit: ac licet videatur à ſole mutuare fulgorem, falſum eſt hoc: nam potiùs reflectens planetæ ſplendor claritatem propriam duplicat; adamanti nullam adjicit, quam non habeat. Bene geſtis condecorâtus adamas eſt: dignitas autem ad quam extollitur dici poteſt radius, juxta illud Theodorici apud Caſſiodorum: *exeunt à nobis dignitates relucentes quaſi à ſole radij.* Hæc inter dignum, & meritis inopem, dum ſolia tenent, diſparitas eſt, quòd thronus extollitur ſedente digno; indignus verò loco ſublimi ſedens elevatur.

S. Laurent. Juſtin. l. d. inſtitu. & regim. prælat. c. 14.

Idem ibi.

S. Thom. à Villano. ſer. Dom. 3. Advent.

Caſſiod. l. 6. ep. 23.

Vita functo Saule domum regebat ejus Abner: qui potentiâ fretus ingredi fuit auſus ad concubinam emortui regis. Hoc non latuit principem Isboſeth: qui cum arguiſſet eum, retulit hoc ſuperbum ſatis reſponſum: *& tu requiſiſti in me quod argueres pro muliere hodie? Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David ſuper Iſraël* &c. Expende ultima verba: non enim promiſit elevandum fore David, ſed thronum ejus. Aliter textus loquitur de Adonia ejus filio, cum ſceptrum præripere paternum geſtivit. *Adonias autem filius Aaggith elevabatur dicens: Ego regnabo.* Adonias extollitur; David minimè, ſed thronus ejus? Plurimùm diſtabat uterque: David quippe majeſtate digniſſimus; Adoniæ faſtigium nequaquam debebatur. Benemeriti locus excelſus aſcendit potiùs quàm poſſeſſor ejuſdem. Hæc ſi juſtus expendat, ambitione celſitudinis non commovebitur.

2. Reg. 3. 8. 9. 10.

3. Reg. 1. 5.

24. *Inſtar prodigij eſt quòd poſt fortunam colas virtutem.*

Diſcrimen iſtud quod plures mundanorum exagitat animos, tunc illis accidit, cum jam ex humili conſcenderunt ad primum fortunæ ſuæ gradum, Antea, cum infœlicitatis caligine deliteſcens ignorabatur, adeo mirum non eſt quod virtutem coleret nequam prælationis ardore deluſus. Poſtquam emerſit à cœno, putasne ſorte priori contentus quiſcet? *Quis honoris inſana cupidine captus ambitionis finem fecit aſſecutus ea quæ expetebat?* Ita Nyſſenus. Verum eſt quòd etiam non expertos amor culminis tangit: nam ut S. Laurent. Iuſtin. inquit, *vix reperitur qui non præeſſe deſideret.* Nihilominus frequentior eſt exaltationis proritus in eis qui jam celſa tenent. Unde ſi virtutem iſti diligant, & non melioris fortunæ quærendæ vias ſectentur iniquas, inſtar prodigij habendum eſt.

S. Greg. Nyſſ. l. d. beatitud. orat. 4.

S. Laurent. Iuſtin. d. vita ſolitar. c. 2.

Si Danielis perlegas hiſtoriam ab origine, non adeo magnum ejus occurret encomium, ſicut Darij temporibus. Priùs de vate refertur quidem propoſuiſſe non pollui cibos edentem regios: ac leguminibus abſtinentiæ motem geſſiſſe. Cum tamen Darius imperaret, ſic de Daniele ſermo divinus habet. *Unde principes & ſatrapæ quærebant occaſionem.... nullamque cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt eo quòd fidelis eſſet, & omnis culpa & ſuſpicio non inveniretur*

Dani. 6. 4.

riretur in eo. Semel & iterum testatur Spiritus S. Danielem insontem quasi quid meditatione multa mirandum, nec fortassis à dubio liberum, nisi repetita firmaretur assertione. Quare non statim historiæ vestibulo, cum ætate minor erat, & virtutem (quod in primo annorum flore perrarum est) sectabatur, non ejus pietas in Deum, aliæque virtutes ita laudantur, ut illius vitam inculpabilem fuisse tunc narretur? Quia prius inter alios palatij pueros ignotos latebat: nondum præfecturam acceperat: proindeque non stupendum nimis erat quòd illum ambitio non traheret ad pessimas proficiendi artes. Regnante Dario jam
Ibi. 1. 2. Daniel principatum obtinebat. *Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo: Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus*
Ibid. n. 3. *erat*: & additur: *Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum.* Quod autem spes altiùs ascendendi non infringeret ejus in bono constantiam, res mira! Bis asseratur, ut semel credi contingat: *nullamque causam* &c. Sic frequens est in eis quos evexit fortuna, libido præceps tendens ad majora: inter sic volantes rara volucris est ille de quo dici valeat: concupiscentiâ dignitatis ulterioris *non commovebitur.*

25. Movet alios (& fere cunctos) acceptæ injuriæ ventus urens. Ventus, inquam: nihil etenim aliud sunt contumeliosæ voces odientium, ut colligitur ex Augustino dicente: *à quo vento valido? A voce inimici,*
S. Aug. to. 8. in ps. 14. *& à tribulatione peccatoris.* Non aura quantumvis furiat, patientiam, quæ columnis munitur, movere quibit. Patiens vulgò putatur homuncio. Mendacia vulgi sunt hæc: imo potius, quia templum justus est, iisdem quibus roboratur, fulcris ornatus effulget:
Orig. to. 1. hom. 9. in Exod. *qui verò propter verbum Dei patitur, & fortiter fert, iste columnis argenteis decoratus est & munitus.* Sic Origenes loquens de tolerantia injuriæ. Sæcularis est doctrina honoris nævum deleri vindictâ. Potiùs hostem diligendo vindicias ages, & honos manebit illæsus apud sensatos: nam ut
S. Paulin. ep. 2. S. Paulinus docuit, *inimicum etiam diligere vindicta cœlestis est.* Sustinens illaram honori offensam, frustraneum reddis hostilem ictum, & insuper ad spiritualem tibi præfixum finem assequendum, illius uteris operâ malâ: sic tibi nolens inservit. Læsus taceas, & vindicaris.

Cæsus in faciem coram Pontifice mitissimus Agnus inter lupos, reposuit sic
Ioan. 18. 23. ferienti: *Si male locutus sum: testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Domini patientiam adhuc ista loquentis agnosco: sed exteriori specie, non summa tunc apparuit, cum cædentem reprehenderit. *Magno injuriæ crimine arguit*
S. Cyrill. Alex. l. 11. in Ioan. c. 47. *ministrum.* Cur non potius tacet qui conMatth. 5. 39. fulit: *sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram?* Non siluit, ne vindictam, quantumlibet cælestem, exequeretur. Sufferentiam Redemptoris, & creaturæ coæquales non patitur esse distantia personarum. Purus homo taciturnitate læsionem vindicet, nec-

non alterius oblatione maxillæ; quamvis neque sic Filius Dei se voluerit ulcisci.
Tertull. l. d. patien. c. 8. *Verberanti te, inquit, in faciem, etiam alteram genam obverte. Fatigetur improbitas patientiâ tuâ.... plus improbum cædis sustinendo.* Sic Tertullian. Vincitur ergo quem præcipitat in ultionem contumelia; superabit qui læsus *non commovebitur.*

Denique sortis faventis manu benigna 26. movetur qui donis ejus captus osculatur vincula. Quæ non vel adamantina pectora rumpet plena manus? *Habens enim, ut aiunt rustici, pugillum aureum frangis murum ferreum.* Sic scribebat de antipapa
S. Petr. Damiani. l. 1. ep. 21. quodam S. Petrus Damian. Quid accidet cordis humani vallo certe luteo? resistet projicienti, non tela, sed munera? Supra hominem, imo super orbem res videtur opum cupiditate non irretiri. *Quid dicis mi Eugeni?* (ad Pontificem maximum discipulum suum ait Bernardus) *nonne alterius sæculi res est, rediisse legatum de terra auri sine auro, transisse per terram argenti, & argentum nescisse: donum, inquam, quod poterat esse suspectum, illico rejecisse?* Humanum fere non est dona respuere: angelicæ naturæ nota videtur despectus munerum.

Humanum fere non est dona respuere.

S. Bern. l. 4. de consid.

Mittitur è cælo Raphaël ut seni Tobiæ restituat lumina: juniorem iter jussu patris agentem comitetur, & Saram à persequente dæmone liberet. Perrexit ille, socio quem putabat hominem ducente, negotium quod parens injunxerat ipsi, consummavit fœliciter: insuper uxorem angeli suasu duxit: eodem reducente comite domum paternam regressus est atque doctus ab eodem, genitorem suum lumen cœli videre fecit. Tot beneficiis ab angelo quem adhuc existimabant humanum viatorem, acceptis, uterque Tobias *tulerunt eum in par-* Tob. 12. 5. *tem: & rogare cæperunt ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant acceptam habere.* Non ille dignatus est oblatum accipere donarium; sed angelum se Domini detexit, & post pauca disparuit. Congruere potiùs videbatur ut gratitudinem Tobiæ magnificare testaretur accipiens donum: & postea, cum abire vellet, relinqueret. Quod spiritus his non egeat, parum officit: nam etiam esu, potuque, non indigens acceptaverat utrumque. *Videbar* Ibi. n. 14. *quidem vobiscum manducare & bibere*: &c. Cibos non dedignatur? & posthàc dona rejicit? Alimenta recepit, quibus non indiguerat, quandiu personam gerebat mortalem; cum verò se spiritum esse aperuit, despicere significavit munus, ut ex hoc angelus crederetur. Hominis vix est oblata contemnere: Angelicum referet stylum qui per ista *non commovebitur.* Quid pluribus admirabundus prosequar justi constantiam, qui largitione, spe, dignitate, injuriâ vel honore non agitatur? An non mercatoris ingenio parva contemnens, velut expendit modica, superabundanter lucraturus? *Non admiror* Chrysost. to. 3. hom. 7. in Act. *despicientes, sed eos qui non contemnunt.... Vestem accepturus regiam, dicis: quomodo contemnam pannosam?* Quam pulchrè, tam verè Chrysostomus protulit ista.

DE LIBATIO

DELIBATIO V.

Deus impiis comminatur ſupplicium plurima benignitate utens.

27. *Temporalem vitam pluris facimus quã æternam.*

INter Dei temporaneas glorias ita eminet ea quam nanciſcitur miſerans, ut, noſtro loquendi more, divinæ perfectiones velut aveant officium exequi miſericordiæ: Quinimò juſtitia clementiam videtur exercere. Minas intentat ne feriat: *Deus comminatur ut ſalvet.* Chryſoſ. inquit. Et preſſiùs urget rem Auguſtinus Deum ſic alloquens: *non miſereris niſi iraſcaris.* Ore Salomonis dum pœnas minitatur iniquo, miſericorditer iratum exhibet ſe, dicens: *impij autem non habitabunt ſuper terram.* Temporali flagello terret? Congruentius eſſe judicaret aliquis illos tartari metu perterrefacere. Mundialium amiſſionem comminatur? Et ſapienter: nam ſic eorum genio medelam offert accommodam: longè plus etenim tranſitoria perdere formidant illi, quam in æternum duratura. *Omnis hæc temporalis vindicta infirmos animos terret; ut enutritos ſub diſciplina eruditat, atque à ſempiternis & ineffabilibus ſuppliciis poſſit avertere: quia plus timent carnales homines quod in præſenti Deus vindicat, quam illud quod futurum minatur* Hæc Auguſtinus. Hæreditarius eſt error hic: ab Adamo ſumpſit originem, & ſimul cùm primæva labe traductum fuit ad poſteros.

Chryſoſ.to. 1.ſer.d.Gen. & interdic. arbor.

S.Aug.to.8. in pſ.59.

S.Aug.to.6. lib. contra Adimãtum. c.17. ante med.

Deliquit Protoparens manducans ex vetiti ligni fructu. Judex integerrimus adeſt: reus convenitur: pronuntiatur iſta ſententia delicti: *mal dicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Nec verbum de morte perpetua, quam Adamum ob culpam incurriſſe non inficiaberis. *Propterea comminatus Adamo Deus mortem, de ſecunda morte nihil dixit, quia occultam eſſe voluit.* Sic idem S. Doctor. Rebar exprimendam in ſententia lata præcipuam delinquentis pœnam: quæ gehennalis eſt cuicumque peccato gravi debita: nedum iſti, quod erat enormiſſimum ratione damni, quod intulit orbi. Sed tacetur æterna pœna, mentioque tantum fit laborioſæ vitæ, neciſque temporalis: nam vitiata per peccatum jam natura non tam exhorret ad æterna ſupplicia, quàm ad temporaria pallet. Hac ratione Deus in textu noſtro minas intentat, non barathræi carceris, & incendij ſempiternitatem prænuntiat; ſed fugacium bonorum finem. *Impij autem non habitabunt ſuper terram.*

Gen.3. 17. 18. 19.

S.Aug.to.5. l.13.d.civit. Dei c.23.

28. *De vita minus curandum, quam de ſpiritualibus.*

Aliam rationem cur Deus per Salomonem ita loquatur dabimus infrà. Nunc deploranda veſania, quæ magni ducens peritura brevi, ſine termino potiunda non curat. Etiam de mortali vitâ, quæ potiſſimum bonum eſt inter caduca, ſatagendum eſt minus quàm de ſpiritualibus donis.

Revertens è Meſopotamia Jacob luctam iniit cùm Dei Verbo, ſi credimus Theodoreto, Tertulliano, Juſtino martyri, Ambr. Hilar. & Chryſoſ. Noverat fratrem ſuum Eſau in occurſum ejus adventare: timuitque valdè illius iram, quamvis multo peracto jam tempore deferbuiſſet. Putabam petiturum à Dei Filio, cùm quo pugil decertat, ut ei adverſus germanum præſtet auxilium. Non hoc efflagitat: ſed benedictionem poposcit. *Non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Benedictionem quidem promiſerat illi Deus fallere neſcius: utquid illam exigit? Dominus ereptionem ab Eſau manibus non ſpoponderat hanc poſtulet protectionem Dei: de benedictione ſupervacaneum eſt ſupplicare. O: nihil ſuperfluum æſtimes in concernentibus animam: qualis erat benedictio ſecundùm Hilarij doctrinam. *Jacob in lucta es*, inquit, *poſt fidem poſtulatæ benedictionis, Iſraël es. Subditur quidem ſecundum carnem homo ad myſterium paſſionis in carne, Deum in carnis infirmitate non neſcis ad ſacramentum benedictionis in ſpiritu.* Adde Rupertum. *Itaque longo ductamine detentus eſt Deus, nec ante dimiſſus, donec benediceret Iacob, donec complerct benedictionem illam legiſlator dando benedictionem illam, in qua benedicerentur omnes gentes, ſicut primùm ad patrem multarum gentium Abraham locutus eſt. Tunc enim revera Deus benedixit Iacob quando de ſemine ejus Chriſtus carnem aſſumens antiquam maledictionem ſolvit, veramque benedictionem, ideſt gratiam ſancti Spiritus poſt paſſionem ſuam effudit.* Satagat Jacob de conſequendo munere, quod ſpirituale ad fœlicitatem attinebat; de vita verò, cui (prout ipſe putabat) obvij fratris imminebat gladius, non adeo ſit ſollicitus, ut in certaminis jam ſuperati ſpolium, ejus aſſecurationem exoptet. Stabilia præferre caducis docet rectorum prudentia: quam neſcientibus impiis, comminationem Spiritus ſanctus incutit circa temporalium jacturam, eis doctrinam aptans, ut magis terreat illos, dicens: *impij autem non habitabunt ſuper terram.*

Gen.32.26.

S.Hilar.l.5. d. Trinit.

Rup. l.3. in Gen. c.6.

29. *Secundarum rerum oblivio cito irrepit; adverſarum ſtabilis memoria.*

Alterum ſubjicio motivum quare Deus calamo Salomonis utens damna prædixerit in bonis illis, quæ ſtare non ſinit eorummet inconſtantia. Adverſitates prænuntiat: quarum occaſione recordentur accepta beneficia, perpendentes quam ſint obſtricti Deo differenti flagella. Poſt experientiam infortunij, nunquam iſtud oblivioni tradent, exindeque fiet quod eorum, quæ receperunt à divina beneficentia reminiſcantur. *Secundarum rerum oblivio cito irrepit, adverſarum verò memoria jugis ac ſtabilis eſt*, ait Chryſoſ. Ne donorum, quæ ſumma largitas diſtribuit ſceleſtis, obliviſcantur; adverſa, quæ non dilabuntur ex memori mente, prædicit, ut horum recordatione reminiſcentia debitorum excitetur.

Chryſoſ.to. 2.hom.54.in Matth.

Audacter ingrati contra Deum & Moyſen locuti ſunt Hebræi: quam inſolentiam ſerpentum diris morſibus luerunt aperuit oculos eorum dolor: ita ut Moyſi faterentur agnoviſſe

agnoviſſe reatum, & ab eò poſtulaverint quod pro illis funderet preces. Mitiſſima cùm ineſſet patientia Moyſi poſtulavit à Domino, & obtinuit: ac dictum fuit eidem: Num.21.8. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Minimè prætereundum eſt, quòd non aliud quicquam ex ære, niſi ſerpentem, juſſerit Deus effingere, cujus conſpectu ſanarentur. Quare non potius efformari præcipit ſolem, vel Cherub? coluber, quamvis æneus terrorem incutiet ictis à ſerpentibus. An inſtrumento Deus indigebat hoc ut vulneratis reſtitueretur ſalus? Neutiquam. Oportuit attamen Iſraëlitas accepiſſe per æreum anguem ſanitatis beneficium: ut annecteretur ſerpentina figura medio, quod attulit vulnerum remedium. Et quid potuit conferre connexio hæc? Memoriæ fuit ſubſidium, ne benefactum Domini traderetur oblivionis tumulo. Serpentes igniti jugiter ante mentis oculos obverſarentur eis: & hinc ad recordationem acceptæ medelæ facilè tranſirent. Adverſa monent ut fœlicitatum recordemur. Prudenter ſapientia Dei minatur malis quod poſſeſſa deperdent: ut occaſione damni, cujus reminiſci facillimum eſt, accepta redeant in memoriam. Ideo illis præmonetur: *impij autem non habitabunt ſuper terram.*

30. *Quam obſtringamur prædicentibus mala.*

Benigna comminatione Deus amorem teſtatur erga mortales, hujuſmodi monitis curans ut caveant. Iræ timor valdè proficuus humanæ ſocordiæ medicandæ: nam ex nimietate fiduciæ facile tranſitur ad ſuperbiam. Orig.l.7.in ep.ad Rom. *Quid ergo cauſæ dicemus quod Deus iram manifeſtat hominibus, & dulcedinem celat? Scit ſine dubio fragile eſſe hominum genus, & ad lapſum proclive per negligentiam: quibus expediat magis eſſe ſub metu iræ, quam ſpe benignitatis Dei, & dulcedinis relaxari*, ait Origenes. Plus (crede) comminanti punitionem debes, quam remedium conferenti: nam poſt vulnus medicamen, fateor, dolorem tollet præſentem; præteritum non potuit auferre. Sed præſcius docens futura mala, ſi caveas, immunem te reddit ab ictu ſufferendo. Unde amplius obſtringeris præſagienti ventura tibi, ut cautus evadas; quam induſtriam offerenti, ne poſtquam pateris, intereas.

In carcere latebat Joſephus exolvens falſi crimiuis immeritas pœnas: cùm tandem aulicus quidam recordatus non parum illi debuiſſe, monarchæ notificavit Ægyptio cupienti portenta nocturna referari ſibi, conjectorem in vinculis delitescere, cujus fidem jam duplex rei comprobaverat eventus. Adducitur Joſeph: arcana revelat, hortatur ut virum eligat induſtrium annonæ colligendæ præficiendum, cujus prudentiâ triticum populis venturam famem paſſuris diſpertiatur poſtea. Dixerat vix: & ſtatim à Pharaone Joſephus in id muneris eligitur, milleque regalibus beneficentiis effertur. Super univerſam Ægyptum præpoſuit illum: tradidit annulum poteſtatis inſigne, ſtolâ byſſinâ pulchrum, aureâ torque decorum, præcedente regium currum, quò vehebatur, præcone, genu flexo colendus, præpoſitus Ægypti proclamatur: induturque honorificum nomen ei, quod Ægyptiorum idiomate ſonat *Salvatorem mundi.* Tranſactis itaque ſeptem fertilitatis annis, plebs ad regem clamavit alimenta petens. Quid tunc rex? *Ite ad Joſeph: & quidquid ipſe vobis dixerit, facite.* Nomen antiquum tranſmutans aboleverat Ægyptius dominator: *vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi.* Et jam non Salvatorem, ſed Joſephum nominat? Exiſtimavit forſan meliori nomine dignum priùs cùm ſomnia detexit, quàm poſtea dum frumenta gentibus diſtribueret. Viſorum narrans myſteria, futuræ calamitati cautelam inſinuavit; aperiens horrea, præſenti medebatur fami. Priùs vocetur Salvator; poſthàc Joſephi nomen ſat eſt: quaſi plus deberet Ægyptus obſervare ventura docenti providâ ſollicitudine, quàm largienti fame preſſis alimoniam. De nomine loquens impoſito Joſeph à Pharaone S. Auguſtinus ait: *& impoſuit Pharao nomen Joſeph Pſotonphnech: hoc nomen interpretari dicitur occulta revelavit, ex illo utique quod ſomnia regi aperuit: Ægyptia verò lingua Salvatorem mundi perhibent appellatum iſto nomine.* Potuit rex nomen aliud illi donare deductum ex largitione frumenti; ſed potius nominandum voluit ex revelatione occultorum, qua monita cavendo præbuit. Videat ſceleratus aſcendens à minoribus ad majora, quantum Deo comminanti debeat.

Gen.41.45. Ibi n.55. S.Aug.to.4. in qq. ſup. Gen. l.1. q. 135.

31. *Velut violentiam inferūt ſibi ſupplicia Dei, cùm deſcendunt.*

Libret mente peccator immenſum clementiæ pondus, quò lente graditur juſtitia Dei, quaſi violentum ſibimet ſit punire ſontes. Præmittit eventuri notitiam flagelli, ne ſe quaſi coactum experiatur ad punitionem exequendam; ſed intercedente pœnitentia non evaginetur mucro. *Et nota* (monet S. Hieronymus) *quod clemens & benignus Deus ſemper futura prænuntiat, ne cogatur inferre ſupplicia.* Benigna Dei manus ita diligit exercere clementiam, ut cùm delictis hominum perurgentibus mulctat eos, ipſa Domini ſupplicia vim quodammodo pati videantur deſcendentia.

S.Hiero.to. 6. comm. in Amos l.1. in c. 3.

Inter plures Ægypti plagas quibus rebellis Pharao vapulavit, numeratur quædam cæteris non poſtrema: grando nempe lignum omne devaſtans. Hæc tamen igne comite ferebatur. *Dominus dedit tonitrua & grandinem ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Rem ſanè mirabilem. Vel ignem excedebat grando, vel grandinem flamma. Si primum, quare non extinguitur ignis? Si poſterius, cur non liqueſcit grando? Neutrum accidiſſe legimus, ut flores è ſpinis hoc eſt ſalubrem veritatem de alieno malo colligamus. Pugnabat cùm indurata nive flamma vorax, ut earum ſingulæ violentiam pati viderentur per ſocietatem, neutrâ vincente. Caſu putandum ita contigiſſe? Non inducar ut ſic exiſtimem. Quod in ipſiſmet ſuppliciis dixi, hoc in brachio judicis vindicantis meditari non auderem, niſi præeunte S. Hieronymo: ex cujus doctrina quandam ſuſpicabitur nonnemo vim punienti Deo noſtris à criminibus inferri. Ad Hieronymum:

Exod.9.23. 24.

ronymum : *ut faciat opera ſua*, inquit, *quæ ſunt opera amaritudinis : quando cogitur mutare clementiam, & pro dulci amarus efficitur.* Et ne textum deſeramus grando & ignis iram Dei ſignificant atteſtante Rupertо : *ira Dei*, ait ille, *quæ de cælo ſuper impietatem revelatur, quæ hic per grandinem & ignem deſignatur* &c. Non leviter admirationem Sapiens innuit hac de re, dicens ? *novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat* : ſed multò mirabilius quod univerſa potentis ira vim ſibimet facere, dum graſſabatur, viſa ſit. Ne huc deveniat, ſæpe minas anteire vult flagello. Sic in præſenti per Sapientem admonet inquiens : *impij autem* &c.

S. Hiero. to. 5. l. 8. in c. 28. Iſai.

Rup. l. 1. in Exod. c. 37.

Sapi. 16. 16. 17.

DELIBATIO VI.

Timor ſupplicij multis medetur malis.

PLurimum intereſt habeat-ne timor noſter ſociam philautiam ; Dei vel amorem. Si primam comitem vendicet, ægritudo credatur ; ſi poſteriorem, ſalubris eſt medicina. *Opus eſt ergo*, ait Auguſtinus, *ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas ſanitas.* Verum quidem eſt, quod non ſubitò, ſed ſua per ſpatia ſalus reſtituitur ægro : tamen à timore ſumitur curationis initium. *De timore autem Domini compunctio naſcitur ſalutaris, de compunctione cordis nuditas, & contemptus omnium facultatum*, inquit S. Laurentius Juſtin. Ultima verba me ducunt ut expendam timorem ultionis Divinæ medelam eſſe cordis. Ex illo metu naſcitur futilium rerum ſæculi deſpectio ? Non ita foret, niſi per eum ſanitas reſtitueretur cordi : nam hujus eſt morbus tranſitura dona magni facere, conformiter ad illud Auguſtini : *quæ vides bona putas, falleris, ſanus non es, nimia febre phreneticus factus es.* Febris juxta medicos accenditur in corde : hoc igitur ſanatur pharmaco timoris, dum iſto cogente relinquitur dilectio terrenorum. Nec difficilis erit hac via medicatio. Cogita pœnam criminis, & oculis in mundanorum deſideria non rapiêris.

32. *Cogita pœnam, & mundialium deſiderio non rapieris.*

S. Aug. to. 9. tract. 9. in primam Ioan.

S. Laur. Iuſtin. in ligno vit. c. 2. d. timore.

S. Aug. to. 8. in pſ. 39.

Poſt diuturnum ducendi populum, ac regiminis laborem improbum, tandem extremus dies appropinquabat, quo Moyſes in offenſæ commiſſæ vindictam poſiturus erat vitæ coronidem in excelſo colle. Ait illi Dominus : *aſcende in montem iſtum Abarim, id-eſt tranſitum, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Ierico : & vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Iſraël obtinendam, & morere in monte. Quem conſcendens jungêris populis tuis*, &c. Incongruum prima facie videbatur quod Moyſi denegans Deus terræ poſſeſſionem, præcipiat illam videre. An accidere non poſſet, ut amorem viſu concipiens pulcherrimæ regionis, illam habitare cupiens, voluntati Divinæ reniteretur, quæ tanto bono privare decreverat illum ? Aberat longe tunc ab hoc diſcrimine Moyſes : nam cum ſupplicium necis inflictum à Deo præ oculis haberet ibi, cor ejus minime deſiderio terræ lacte melleque manantis tangeretur. Optimum ſanandis cordibus antidotum pavor eſt punitionis, ne deſideriis irrationalibus febricitent.

Deutor. 32. 49. 50.

Curandum tamen (ſi curari vis) ut non ſolum viſu apprehendas intellectuali quod metuis ; oportet in præcordia mittas ; aliter priſtinæ ſanitati non te reſtituet formidinis amuletum. Mendacium rerum ſublunarium noſſe parum erit, ſi adhuc illorum affectu ſaucius pectore vulnus alis. Belle Nyſſenus ad illud pſalmi : *uſquequo gravi corde*, ait : *pronuntiat corde graves qui mendacium & vanitatem à veritate quidem interno ſcunt, ſed tamen diligunt id quod non ſubſiſtit, neglecto eo quod permanet.* Aliquibus evenit, ut velint, nolint pompæ ſæcularis inanitatem percipiant ; non ideo tamen deſiſtant adhuc, ſed ulterius ambientes ament eâdem falli : cordibus amplectuntur, quod mente nauſeant.

35. *Aliqui ſæculi pompam faſtidiunt intellectu ; amant corde.*

Pſ. 4. 3. S. Greg. Nyſſ. tract. 1. in pſ. c. 4.

Cum apud regem Aſſuerum Aman ageret adminiſtri totius imperij munus : omnes coram eo genuflectebant, ut regio decreto morigerarentur. Solus Mardochæus genuflexionem detrectabat religione tactus, ne ſcili. honorem Deo ſolitum exhiberi, magnati dicaret ſuperbiſſimo. Et ut moris eſt, quòd neſciens adulari credatur elatione ferri : hanc Mardochæi conſtantiam ſic Amanus ægrè tulit, ut dolorem ſuum palam faceret amicis : & poſt enarrationem ſuæ fœlicitatis adjiceret : *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum ſedentem ante fores regias.* An illi dolor oculos mentis deterſit, ut mundanæ gloriæ, qua potiebatur nihilitatem agnoſceret ? Fortaſſis ita fuit : nam aliquoties ipſi quos excæcavit fortuna, repente viſum recipiunt citra miraculum. Non audeo nimiùm, ſi ſuſpicor deſpexiſſe tunc faſtigium quod tenebat (quid mirum ſi à faſtidio diſſidet unica littera ?) docente anxietate : quæ pro contemptu mundi magiſtra nobilis extat. Optimam pro ſalubritate ſua potionem, licet amaram coactus eſt abſorbere. Parvo tamen tempore perſiſtit illud valetudinis exordium. Sequenti luce adſtabat aulæ, cum vocatus à rege introgreditur. Ab eo ſciſcitatur Aſſuerus, quid fieri congruat viro quem rex honorare deſiderat ? Reſpondit ille reputans Aſſuerum ſe denuò condecorare decreviſſe. *Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans quod nullum alium rex niſi ſe vellet honorare, reſpondit* &c. Memini quod idem Aman pridie faſſus eſt ſe cunctam gloriæ ſuæ magnitudinem pro nihilo ducere : *nihil me* &c. hodie ambit ulterius honorari ? Non ſibimet contrarius fuit. Heri ſe mente noviſſe protulit quàm ſit vana mundi figura ; ſed adhuc ægrotabat hodierno die, latente præcordiis morbo. *Cogitans autem in corde ſuo.* Operæ prætium igitur eſt, ut

Eſth. 5. 13.

Ibi c. 6. 6.

pro restinguenda febri, quâ laborat vanissimis deditus, cordi medicinam applicet: hæc timor est, qui non residet in facultate cognoscitiva; sed cordibus viget. Hujuscemodi medicatum salutare sed amarum, Deus per Salomonem adhibet ægris: *impij autem non habitabant super terram.*

34. *Quis nisi Deus expectaret pulsans cordis januam.*

Proh dolor: medenti morbidus obnititur. Credit supplicia sempiterna; sed non sibi metuit obventura, quasi dilatio præbere possit fiduciæ solidum fulcimentum. A vero deviant adeò, quòd potiùs ipsa mortis (quam gehenna sequetur) protelatio paveſci debuerit. *Unde necesse est*, inquit Gregorius M. *Ut cum nos diutiùs expectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora quasi damnationis argumenta timeamus, ne clementia judicis crescat supplicium peccatoris*, &c. Necesse est, ait S. Pontifex: & quam pede libero peccator necessitatem istam prætervolat! Longe positus à timore perditionis forsan appropinquantis, amori Dei novum crucis genus offert, quô scili. impassibilis crucifigitur clavo triplici, contemptu, ingratitudine, segnitie. Nihilominus amans instat: pulsansque Deus inhæret ostio, summam per hoc testatus dilectionis vim. Certe *nemo amator formæ*, ait Chrysost. *quamlibet insanus adversùs adamatam tanto conflagrat igni, quanto studio Deus nostram appetit salutem.* Hoc in eo potissimùm est videre, quòd quasi suum, non vera nostrum ageret negotium, ac si non cum servis res foret, sed cum coæqualibus: ita de propriâ salute quæritat oblitos, vocat, urget, clamat. *Vocantem* (audi rursus Chrysostomum) *aversati sumus, & undique nos attrahentem, nec ita nos punivit, sed accurrit ipse, & fugientes cohibuit, & excussi sumus, & ad diabolum resiluimus, & nec ita recessit* &c. Et post pauca: *sicut amatores ardentissimi, qui contemnuntur, circumibat omnibus occurrens* &c. Non potuit accommodatiùs exprimere S. Doctor animæ Sponsum de salute nostra satagentem. Gratiæ dona magnificus offert, & acceptare nolentes præstolatur ut velint. Liberalitatem suam Dominus quasi cogitur ad mensuram tarditatis nostræ coarctare: quod sane majus est quam pugno maria claudere. Cuncta vincit Divinus amor: at ex eo Divinitatem suam probat, quòd patienter ad cordis ostium stat donec aperire deliberes. Nisi Deus foret, non id sustineret.

S. Greg. M. to. 1. l. 17. mora. c. 4.

Chrysost. to. 1. epist. 5. ad Theodorum.

Idem. ibi hom. 48. ad popu.

Legis in Apocalypsi: *ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & apperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Juxta Interlin. ostium illud *cor clausum* est. Introitus vero fit *per gratiæ infusionem.* Concinit Beda. *Ostium quidem cordis tui* (Exponit Venerabilis) *exhortationis dexterâ pulso.* Ad Episcopum verò Philadelphiæ non dicitur ut ad humana pectora prædicando pulset, donec vertantur prava in directa, & aspera in vias planas. Potiùs ad eum sic scriptum est: *dedi coram te ostium apertum.* Exponit S. Thomas: *scili. corda hominum prius clausa.* Dominus ad cordis concluſi valvas perstat! Episcopo reseratum præparatur cor!

Apocal. 3. 20. Interli. ibi.

Beda in Apocal. c. 3. lib. 1.

Apocal. 3. 8. S. Thom. in Apocal. ibi.

Nonne stat ille ad ostium qui aperit & nemo claudit! quô stylo perhibetur Deum ad fores consistere donec recludantur? Divino quidem: solus enim Deus tantas patientiæ faceret expensas, ut ibi traheret moras pulsationem repetens, donec homo, si velit pessulum adaperiat: *ecce sto* &c. Hoc nulla sustinebit humana charitas. Conveniens fuit ut objiceretur porta patens homini daturo monita salutis, ne desisteret: *dedi coram te* &c. Et nota quòd quasi de propria voluptate potissimùm ageret, intraturum se pollicitus est, ut cum aperiente sumat cœnam; non dixit evocaturum ad Regiam suam, ad hoc ut lautissimè cibet illum qui aperuerit fores proprias. Appositè Doctor angelicus ibidem: *justus bene operans comedit: quia in operando lætatur, & Dominus convivatur cum eo, quando delectatur in ejus meritis. Bernardus super Cant. Cibus ejus pœnitentia mea, cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse.* Hæc D. Thomas. Quasi de suo tantum gaudio sollicitus, ita loquitur Deus nostra curans emolumenta: de tolerantiæque morâ dilectionem exaggerat.

Idem proxime sup.

35. *Clementia Divina videtur-ne ignorare iter quà veniat Dominus puniturus?*

Patiens adeo malorum redditor Dominus est, ut fere videri possit judicanti de prima tantum rerum facie, Deum nescire qua via puniturus accedat. *Bene autem docendo*, Chrysost. inquit, *& male vivēdo Deum instruis quomodo te debeat condemnare.* Notum est nihil non Deo notissimum. Sed tam diutine cunctatur priusquam puniat, ut iter videatur ignorare, quà supplicium veniat irrogaturus.

Chrysost. to. 2. hom. 43. op. imperf. in Matth.

Hyperboli parces postquam paulisper comtemplatus fueris qua ratione Deus olim (cum adhuc rigidiorem severus exercebat vindictam) se gesserit apud Abramum. Sedebat hic suis præ foribus, cum trium virorum specie. Deus apparuit eidem, sic docente Ambrosio. *Vide*, ait *primo fidei mysterium Deus illi apparuit & tres respexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt, nec sine Filio Patrem suscipit, nec sine Spiritu sancto Filium confitetur.* Apud itaque Patriarcham Dominus hospitatur, & denique se comitem jungit Abraham quasi viam insinuaret. *Cum ergo surrexissent inde viri direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur deducens eos.* Lipomanus ibi. *Abraham autem hospites deducebat, iter indicabat, comitabatur ne via errarent*, &c. Hem! In Deum non cadit ignorantia: quî fieri potuit ut de via doceretur qui vel Deus trinus & unus erat, vel saltem angeli tres figuram Domini gerentes? Attende quò pergebant, & ad quem finem. Interroga Chrysostomum: reponet: *Abituri illinc erant ad subvertenda Sodoma, comitatur eos Patriarcha, & deducit.* Viam quæ tendit ad eversionem, parum abest ut per non usum diuturnum videatur nescire piissimus. Ita puniturus immoratur, & clamantibus delictis festinare detrectat, ut quamvis nihil eum lateat nihilominus ad nescientis modum se nonnunquam habeat.

S. Ambr. to. 1. l. 1. d. Abrah. c. 5.

Gen. 18. 16. Lipom. in cate. ibi.

Chrysost. to. 1. hom. 42. in Gen.

Amat, & impensissime Dominus: cujus amoris hoc tandem signum expende: scilicet, quod, cum sit ille cui nullus resistere valet, eum quasi pudet si pulsanti velut

36. *Deū vocantem quasi pudet à nobis repelli.*

lut æneus obsistas. Clamat ut paveat iniquus ; & iste metum deponit. Non mediocris injuria divinæ majestatis hæc est : nam Tertullianus dixit : *timor autem hominis, Dei honor est.* Econversò proindè timoris defectus Dominum inhonorat : & potissimum, cùm cernat offensæ timorem hominibus non adesse, dum vocans repellitur, pudefacit (more nostro loquimur) illum datæ repulsæ.

Tertull. d. pœnit. c. 7.

Ad Sponsæ januam legisti sæpius in Canticis adstitisse Dominum postulantem ut sibi pessulum recluderet. Prætexuit ea frivolas aditum denegandi causas, ac despexit amantem. Declinavit Sponsus : *justè quidem*, dixit Præsul Valentinus, *cùm tam protervè & indignè fuerit ab ipsa despectus.* Meliori resumpto consilio prodiit è domo sponsa : tandem obvias habens filias Jerusalem ait ad illas : *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Per filias Jerusalem Dionysius Carthus. intelligit animas virtuti deditas : *filiæ Jerusalem, idest ô animæ virtuosæ Christi Sponsæ* Unde cùm rerum spiritualium ignaræ non essent : ex ipsa Sponsæ turbatione, necnon per noctem Deum quærentis anxietate suspicarentur eam perdidisse dilectum. Et cùm Deum nemo nisi volens perdat, culpam suam apud ipsas penè prodit : nec antea verita fuit illam committere : nec postea nimis curavit pavens abscondere. Non pudet hanc subire notam ? Dubij solutionem differo parumper, quandiu secundò quæro : & Sponsus qui justæ querelæ motivum poterat filiabus Jerusalem aperire : cur non eis obvius adest, & ingratitudinem Sponsæ causatur ? Quia velut puderet coram illis fateri se repulsum. Sponsa quæ timere potuit offensum, præsumptione quadam tangitur ut illum quæritet, quasi non læsisset : nec illi pudori fuit, quòd metu pulso, non pœnitentiam ipsi renuntiari postulaverit, sed amorem : *ut nuntietis ei quia amore langueo.* Dominus autem nollet ut certiores aliæ fierent animæ quod fuerit ab Sponsa contemptus. En quantum nos etiam illius vocationem abjicientes Deus diligat. In hujus amoris testimonium noxios advocat, dum à malo deterret, aiens per Sapientem : *impij autem non habitabunt super terram.*

S. Thom. à Villano. ser. 2. Dom. 17. post Pent.

Cant. 5. 8.

Dionys. Carthus. in Cat. ibi.

DELIBATIO VII.

Victoria illustrior prælia cogitat. Brevis lætus dies ; mæstus protrahitur. Cautela securi. Ingratitudinis malum Vitæ brevitas, ac terrenorum derelictio.

37. *Insignior victoria qua non deponis arma.*

Justus. Vox ista nomen honorificum est, quod amicis Dei tribui solet cùm terris immorantur. Sortiuntur appellationes alias, postquam supernam patriam redeunt. Non tamen ideo titulus ille, quo decertantes adhuc insigniuntur, eis minus decoris adducere credendus. Significat enim justitia prout generalis virtus est (à qua justus accipit etymologiam) prælium simul & victoriam : quod excellens triumphi genus est : Lauream nempe gladio sociare. Spiritualis militia non sicut illa, qua de nihilo certamen instruitur inter obarmatos igne ferroque : nam hoc de bello dixit Aristoteles : *bella gerimus ob eam causam ut in pace vivamus :* non sic in spirituali marte. Victor ovat, quin ensem vagina condat : perstat in acie post triumphum ; pacem futuræ vitæ reservat. *Pax*, ait Augustinus, *quid est ? Ubi nullum bellum est, ubi non est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est. Videte si jam ibi sumus, si non est conflictus cùm diabolo, videte si non omnes sancti, & fideles, cùm principe dæmoniorum luctantur. Luctantur cùm concupiscentiis suis, quibus ille suggerit peccata* &c. Imo quò celebriores palmas bellatores optimi reportarunt : quò spoliis onustiores evasere, pugnandum rentur vigilantiùs. Nec ideo putandum est trophæum dehonestari, quod adhuc pugnâ sit opus, nec adversarius desistat ; quin potiùs clarior victoria hæc est, qua non recedis ab arena, sed accingeris ad nova certamina subeunda.

Aristo. l. 10. Ethi. c. 7.

S. Aug. ro. 8. in ps. 84.

In solitudine cùm tartareo pugnavit hoste Dominus exercituum, illumque protrivit. Adsunt postea spiritus triumphatori cælites : & juxta S. Hieronymum, *angeli ministrant ut victoris dignitas comprobetur.* Aliam, & multò illustriorem, consecutus est pacis Princeps in Calvariæ monte de illomet inimico victoriam : nec tamen ei tunc angeli ministrarunt. Manibus angelicis videbatur deponendus è Cruce, terræque mandandus. Lazarum lego portatum à cælestibus incolis ad sinum Abrahæ ; Christo Regi nec exhibent comitatum dum sepelitur, ut nobili famulitio victoris occisi dignitas comprobetur ? Non tam clarus fuit Crucis vincendi modus, quàm dum tentatus à Satana Dei Filius. In Passionis torculari protrita fuit mors ita ut ulterius in Dominum ausa non sit : proculcata diaboli potestas : & sic ut non ultra descenderet cum Assertore novum in duellum. Tentationibus autem superatis dæmon discessit non in perpetuum, sed ad tempus, quo denuo bellum iniret. *Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* Euthym. *Quod autem additur, usque ad tempus, significat usque ad Judæorum insidias.* Vicetat ergo Christus Dominus non arma deponens : conflictibus adhuc servabatur durissimis ; nequaquam sicut in patibulo, quo vitam finemque dedit inceptis. Igitur in priori triumpho ministros habeat angelos, ut vincentis dignitas comprobetur : est enim præcellentissimum subigendi hostem genus coronam telo consociare.

S. Hiero. to. 9. comm. in Matth. c. 4.

Luc. 4. 13.

Euthym. in Evang. Dð. 1. Quadra.

In æternum. De temporibus adversis agitur hic, ut est probabile juxta quæ dicta manent delibat. 1. Quidni vocentur æternitas ? Accommodus nostræ fragilitati stylus est : prolixum putatur spatium dum patimur. *Homini fortunato brevis est vita ? infortunato longa.* Solis injuria hæc existimatio nostra videtur : cùm etenim Principis

38. *Brevis lætus dies ; mæstus prolixus.*

Apollon. apud Stob. ser. 110.

munus ille subeat : indecorum est quod non cunctis æqualem se dicamus exhibere : tribulatis, inquam longissimas horas metiri, compressis habenis, quibus currum gyrat ; fœlicibus verò celerrimo gressu, non axem rotare, sed alis uti sic ut momentaneos dies eis numerare faciat. Illusio fallacis vitæ quidem est : de qua Valentinus Antistes : S. Thom. à Villano. ser. funebri. *Siquis enim in gaudio & deliciis vitam agit bone, Deus, quanta se illi brevitate coarctat* &c. Et infra. *Hos igitur ita deludit vita fallax ; aliis econverso interminabilem, & longissimam se mentitur, & sicut vespertinam umbram, quæ sole occiduo ex parva protenditur in immensum, talem se solet ostendere tribulatis, & afflictis vitam agentibus in dolore.* Existimo tamen etiamsi omnis abscedat vitæ fallentis deceptio, veritati valde simile quòd anxietatum dies nimis protenditur ; & versa vice, gaudij lucem nescio quid mutilat, brevioremque reddit.

Adnotare pronum est, quòd Passionis Dominicæ diei tres abstulit horas Omnipotentia solem obnubilans. Luc. 23. 44. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam.* Eadem Resurrectionis diei miraculum addidit horas. Marc. 16. 2. Chrysologus alludens ad illud Marci *valde mane, una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole*, ductus hac luce dixit : Chrysol. ser. 82. *ergo sol, qui prater horam, ut Domino compateretur, abscesserat claritate, cum resurgeret Dominus, ante tempus occurrit : & qui ut, suo commoreretur authori, ipsam meridianam suam mortificaverat claritatem, ut consurgeret authori suo, evictis tenebris antelucanus erupit. Valde mane, quia tunc sol ut mane faceret, manicavit : & qui ante noctem fugerat, nunc ipse noctem prævenit fugaturus, ut reddat luci nox horas, quas terror dominicæ Passionis invaserat.* Verebar ne resurgente Domino radios abderet planetarum præses, Principis gloriæ splendori cedens ; & potius horis tot anticipavit ortum ! Econtra suspicabar fulgentius coruscaturum fore solem dum penderet in patibulo vita nostra, quo manifestiùs aspicerent homines ingratissimi quem confixere. Tamen aliter factum est : dies quippe quo tenebratum potestas furens posita fuit, cum totius extiterit doloris epilogus, longus nimis erat : truncatur per tres caliginis horas : & adhuc in minimis nequaquam numerandus, cum in eo negotium tantæ molis consummatum fuerit. Econtrario dies quo surrexit à tumulo Salvator, quia fuit lætitiæ totius ænigma, brevissimus judicari valebat. Unde opportunum extitit quòd per aliquot augeretur spatia, manicante sole. Fugit hilaris hora, tristisque moratur. Cum verosimiliter hic de calamitatum perpessione mentio fiat, non miror quod vitæ concisum tempus dicatur sempiternum : *justus autem in æternum* &c.

39. *Deus cautelam providet post donatam securitatem.* *Non commovebitur.* Deus homines rectos inter mundanas varietates contutatur, de quo in expositione litterali n. 1. In ipsa tamen securitate cautiores illos esse vellet. Ratioque suadet hoc, ita ut Seneca dixerit. *in ipsa securitate animus ad difficilia se præparet, & contra injuriam fortunæ inter beneficia firmetur.* Sen. in ep. 18. Credendum est periculum cum tranquillitas adesse putatur. Ad illud Apostoli : *cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*, ait S. Augustinus : *non dixit post quantum temporis hoc futurum sit : non quantum erit ætatis brevitas vel prolixitas, sed quantumlibet intervallum sit, spatiumque temporis : non tamen eis hoc veniet malum novissimum, nisi cum dixerint pax & securitas.* 1. ad Thess. 5. 3. S. Aug. to. 2. ep. 80. ad Hesych. Fateor hoc de fictâ securitate dici : vera nihilominus à Deo collata non rejicit cautelam : sub Dei protectione tibi posito cavendum adhuc est. Imo tunc specialius providens Divina te manus cautionem edocet, cum securitatem jam præstitit.

Exasperaverunt ita crimina Dei justitiam, ut severum dulvij flagellum promeruerint. Antequàm executioni daretur eversio, Dominus alloquitur Noëmum suo gratum conspectui : præcipit ut moliatur arcam, quâ cum suis, & simul animalium certo numero reservetur in mundi propaginem. Ingreditur Noë tandem arcam : & postea Dominum forinsecus illum conclusisse textus enarrat : *& inclusit eum Dominus de foris.* Gen. 7. 16. Mysterio non vacare puto circumstantiam occlusionis hujus. Qui poterat nutu fabricam erigere navigantis arcæ, quin ad hujusmodi laborem cogeret Noëmum, potius huic illius artificium committit ! & eam obserare non justo relinquit, sed sibi Deus ipse reservat ! Supra fl. 16. num. 36. dixi per angelorum clausam fuisse ministerium arcam Noëmiticam, & sic ad obedientiæ laudes usus fui loco citato. Nihil tamen prohibet asserere verosimile Dominum id præstitisse per se ipsum : quod forte placuit Caietano. Caietan. in c. 7. Gen. *Describitur* autem, inquit, *Deus claudens sub nomine Tetragrammaton, quia aptissime congruit danti esse actus claudendi.* Et quid isti conclusioni tam peculiare inest, ut non alia quàm Dei manu perficienda sit? Securus erat in arca sub Dei protectione Noëmus : oportuit non ipsius industriæ relinqui, ut in ipsa degens, nova cautione claudendi seram uteretur. Versio Chaldaica, ubi Vulgata : *inclusit* &c. habet sic : *& protexit Dominus super eum.* Vers. Chalda. Necnon Chrysostomus ibi dixit : *clausit Dominus forinsecus illius arcam ut doceat quod securum fecerit justum.* Chrysost. to. 1. hom. 25. in Gen. Dei brachio fuit adhibenda cautela jam tuto. Transi ad majora nunc. Per aquas diluvij figurantur sæculi fluctus animam quatientes secundùm S. Prosperum. *Quod verò quadraginta diebus & quadraginta noctibus diluvium factum est super terram, non tantum præteriti in hoc numero, quantum etiam præsentis temporis animarum diluvium ostendit quæ in scopulis sæculi, atque in gurgite flagitiorum, diversarumque voluntatum naufragiis fluctibus submerguntur.* S. Prosp. l. prædic. & promi. p. 1. c. 7. In hac ergo iniquitatum cataclysmo, quantumvis putes velut arcæ commissum te degere posse tranquillum : postulabis à Domino te de foris claudat ; aliter in ipsa tranquillitate peribis : nam, ut M. Gregorius asserit, *sæpe multis grave periculum* S. Greg. M.

to.1. l.20. mora. c.5. *periculum incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent.*

40. *Fœdius de linquit gratificari nolès dona Dei, quam si ea ignoraret voluntarius.*

Impij autem. Licet aliquando vocetur impius qui fidem læsit: ne tamen legens ista dicas: cùm fidem nunquam offenderim, non impius ego: non res mecum est. Pejor extat is qui fidem tenens illam operibus non exequitur. Cui enim dubium quòd reatus crescit multoties à dignitate delinquentis. Et sanè fideles digniores fide carentibus vocandi sunt. *Agnosce ô Christiane dignitatem tuam*, inquit S. Leo, cujus monito quidem obtemperamus, nescio an humiliter; scio quod infructuosè: nam oportebat exinde perpendere quam graviùs delinquamus iis, quibus veritas non illuxit: hi namque beneficia non agnoscunt; nos quidem haud latent; sed persolvere nolumus. Voluntaria nescientia debitorum quibus divina pietas homines devinxit, in intellectu consummatur, qui liber non est; ingratitudo non solventis perficitur in voluntate, quæ pollet arbitrio. Fœdius ergo delinquit is qui dona Dei persolvere non curat, quam si volens ignoraret illa.

S.Leo Pa.ser. 1.d.Nativi.

Pretio vili tradidit Judas Magistrum: postea veritatis Evangelicæ tyrones discipulos insequebatur Saulus. Permisit Redemptor perire Judam; non sivit diutius oberrare Saulum. Bone Deus! ex Apostolo fieri diabolum non impedis efficaciter; & ex persecutore providus efformas Apostolum? plus apud te pietatis obtinuit insecutor, quam socius? Ille dubium solvat, qui talem divinæ clementiæ dulcedinem expertus est: *misericordiam consecutus*, ait, *sum quia ignorans feci in incredulitate*: ubi S. Athanasius: *arguit se supplicio dignum: tametsi horum præcipuè Dominus misereatur, qui per ignorantiam deliquerunt.* Nesciebat qualia Dei Filio debebat Saulus beneficia. Minus graviter itaque peccavit, ideo misericordiam est assecutus. At Judas malo suo rescivit se dilectum à Christo Domino, nam audivit apertè: *amice ad quid venisti?* Æquissimè Dominus permisit Judam perditionis tradi barathro: quippe qui discipulus ejus cùm esset, lucem fidei (vel si fidem non habuit, lumen experientiæ) sequi noluit, ut gratitudine munus tantum compensaret. Impios in versiculo præsenti legis comminatione terreri. Ne quietus exultes, quod cùm non sis à fidei pietate alienus, impij nomen, si rigorosissimè loquamur, tibi non conveniat. Deterior est impio quivis nequiter dissipans vitam sub nomine Christiano.

1.ad Timo. 1. 13.

S. Atha. in ep.1.ad Timo. ibi.

Matth.26. 50.

41. *Vix aliquid præter solam nativitatem est vita hominis.*

Non habitabunt. Et verè super terram habitatio non datur; sed via. Quinimò tantum itineris exordium, & non aliud vita nostra dicenda est. *Vitæ hujus initium*, asseverat Ambrosius, *mortis exordium est, nec prius incipit augeri ætas nostra, quam minui. Cui si quid adjicitur spatij temporalis, non ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat.* Dulci propinat stylo S.Doctor amaram satis veritatem. Sed heu quam certa nimis! Vix aliquid præter meram nativitatem peregrinationis humanæ tempus dici potest.

S.Amb.to.4. l.2.d.vocat. gen. c.8.

De linguæ furore D. Jacobus agens, ait: *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna.* Quid, quæso est rota nativitatis? Explicat Beda. *Rotam autem dicit nativitatis nostræ incessabilem vitæ temporalis procursum, quo à die nativitatis usque ad mortem, velut semper currente rota curriculi incessanter agimur.* Idem valet itaque rotam nativitatis, ac dicere: rota vitæ? Synonima sunt vita & nativitas: quid amplius extensionis vendicat illa quam ista? Etsi vivant impij; non in terris moras trahent: *non habitabunt.*

Jacobi 3.6. Bed. in ep. Jacobi ibi.

Super terram. O utinam homines dum terram occupant viverent super illam: hoc est eam proculcarent, ut gressu libero pulsata relinqueretur facile tellus. An satius non est relinquere quod tandem perdere nequis? *Melius est*, inquit S. Hieronymus, *amittere quod velimus, nolimus, aliquando periturum est. Melius est sponte dimittere, quàm id amittere, pro quo omnia dimittenda sunt.* Perdidisse terrena quid meriti confert? Relinquere mundana hoc virtutis opus.

42. *Perdidisse terrena quid est? Oportet relinquere.*

S.Hiero.to. 1.epis.11.ad Geront. post med.

Sponsa Canticorum post ingratitudinem resipiscens exit è domo consulens nocturna silentia, si fortè notum faciant ubi Dilectus adsit. Custodibus obvia pallio spoliatur ab eis: & occurrentibus filiis Jerusalem, petit ab eis, ut si Sponsum invenerint, nuntient illi dilectionem quâ languet; non tamen dixit ut spoliationis querelam interponant apud eundem. Certè non leve damnum fuit ablatio velamenti de qua Sponsa: *tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*: sed tale quòd solus Deus poterat illud reparare: nam ad litteram significat bonorum Israëliticæ plebis depopulationem factam ab ingruentibus inimicis: ait quippe Liranus ad illa verba: *Spoliando me bonis meis*: & non curat nuntiari Sponsa Dilecto se dum eum quæreret, adeo graviter expoliatam? Pauca dereliquerat Petrus: & eidem Sponso libellum supplicem obtulit sic: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Plurimum differt ab Sponsa Princeps Apostolorum Sponsi tenens vices. Illa perdidit, iste dimisit. Quòd plurima perdiderit vulnerata quid meriti lucraretur per jacturam? Nonnulla reliquisse magnum fuit meritorum incrementum. Ut igitur linquas tibi curandum potius est, qui perdes invitus quod offerre non juvat: nec enim peccatores jugiter *habitabunt super terram.* S. Bernardi verbis impono clausulam. *Dixit enim Simon Petrus ad Jesum: ecce nos reliquimus omnia. Bene, optimè, & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit & concupiscentia ejus: relinquere hæc magis expedit quam relinqui.*

Cant.5.7. Lira ibi. Matth.19. 27. S.Bern. in declama. super Evang. ecce nos.

FLOS XXXII.

Os justi parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit.

APERITUR.

1. GENUINA litteræ pendet expensio à duplici dubio. Primum est, utrum in priori parte de sapientia sermo, quæ mentem exornat periti; vel de virtute sub nomine sapientiæ? Pro secundo facit quod apud Salomonem phrasis hæc invenitur frequentissimè. Accedit quod non dixit: os sapientis; sed: *os justi*, quòd insinuat sapientiam pro rectitudine sumi. Judico tamen oppositum. Sapientia, prout vox grammatica sonat, accipienda; non tamen intelligas de hac solitariè, seu abstractè (ut loquuntur philosophi) sed applicatè, in ordine ad informandos mores proximi. Mutuò se juvant virtus & sapientia: neutrius timeo querimoniam, pro quacumque sententiam feras in hac lite. Audi à sapiente sancto qualiter cohæreant. *Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur, & quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur.* S.Bern.ser. 85.in Cant.

2. Secundum adjicio dubiolum, utrum in eadem parte dogmatis agatur de sapientia, quam justus ore profert; an de illa quam generat in auditoribus? Pro secundo sensu stat glo. interl. ac favet Lectio Pagnini: *os justi propagavit sapientiam.* Sed obstat quod ita non tam accommodè nectitur utrumque dictum Salomonis: nam linguæ pravitas est quam profert ore malus; non quam audientibus mutuat per malum exemplum, vel consilium: igitur etiam sapientia, de qua textus, non est quæ per doctrinam, vel ratione simili nascitur in auditore justi: sed ea, quam ore docto propinat. Hoc est probabilius; oppositum probabile. Nec insolitū est per sapientiam accipi verba erudita labiis prolata. Sic in psal. *os meum loquetur sapientiam:* & Paulus ait: *sapientiam loquimur inter perfectos:* & Salomon ipse dixit suprà: *in labiis sapientis invenitur sapientia.* Igitur posita duplicis illius dubij solutione totum apophthegma claret. Ejus prior pars valet: justus dolore cordis tactus, nullique parcens industriæ, curat in aliis doctrinæ fructum in animarum lucra progerminare, more parturientis. De secunda parte versiculi statim. Nunc partus aptissimam similitudinem rumina. Prima hujus ratio est quod tempus oportet observare loquendi. Secunda quod similis evadit fœtus generanti. Tempus, inquam, parturitionis vel excedatur, vel præveniatur nimis, aborsus, aut imperfectio prolis timetur. Sic intempestivè doctrina mores imbuens, fructus non adducet ad maturitatem. *Discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora: ne aut cùm restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat: aut cùm loqui utiliter potest semetipsam pigrè restringat. Quod benè Psalmista considerans brevi postulatione complexus est dicens: pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Lect.Pagni. Ps.48. 4. 1.Cor.2.6. Prov.10.13. S.Greg.M. to.1.l.7.mo ra.c.ultimo fin.

Secunda ratio paritatis inter parturientem & spiritualem doctorem est, quod nullus dissimilem sibi partum edit: nam Aristotele teste filiatio sita est in similitudine cùm generante: nec enim feroces mitem progenerabunt accipitres columbam: neque magister alumnum parturiet improbus honestum: *neque sanctuarium*, ait Beda, *Domino, sed ruinam sibi ædificant, qui docere alios regulam, quam ipsi non didicerunt conantur.* 3. Beda d.tem. plo Salomō.

Ultima tandem inter partum & magisterium analogia est: quod sicut genitrix postquam peperit *jam non meminit pressuræ propter gaudium:* sic spiritualis Præceptor hilaritate summa perfunditur, cùm ejus ope quisquam nascitur ad rationis officia. Nam *si agricolam arbor*, scribit Seneca, *ad fructum deducta delectat; si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem; si alumnum suum nemo aliter intuetur, quam ut adolescentiam illius suam judicet; quid eveniſſe credis iis qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta subito vident?* Ex his, & aliis quæ omitto, patefit quam appositè magistrale munus in ordine ad virtutem exhibitum, cùm parturitione conferatur à Paræmiaste dicente: *os* &c. Joan.16.21. Sen.ep.34.

Secunda pars proverbij linguam rursus ferit nequam. *Lingua pravorum peribit.* Hæc verba limitat Salazar ad mendacem & fraudulentam. Sed contra: nam cùm priora verba: *parturiet sapientiam*, non ad unam vel aliam virtutem arctentur: non est cur posteriora minus latè sumantur, quàm patent loquelæ vitia: ista servit ferè cunctis. Non dissidet Lectio Hebræa: quæ ubi vulgata legunt: *pravorum*, habet: *perversitatum.* Nulla est nequitia, cujus non instrumentum valeat esse lingua: *qualis unusquisque est, talia dicit*, ait Philosophus. Examinandum est de quo pereundi genere sermo sit cùm dicitur: *lingua pravorum peribit.* Dionysius Carthus. exponit de perditione gehennæ. Non aliter videtur sentire Lira, cùm adduxerit in exemplum divitis avari linguam, qui tartareis ignibus cruciabatur: *ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Sed obstat quòd hoc loco ad litteram de lingua sermo est: & ante diem judicij (quibusdam exceptis) non corpora, sed animæ, puniuntur in tartaro: neque linguæ nomine sensu litterali venit anima damnata. Salazar locum interpretatur q. d. lingua iniqua merebitur, & ratio postulat, ut pereat, & abscindatur. Sed contra quia secundùm rigorem, quem expositio litteræ desiderat, non est idem perire ac mereri quod pereat. Dicerem sic interpretandum, *peribit*: hoc est, sub silentio mortis tacebit: tumulus enim facundos obmutescere facit. Et quanam alia via lingua silebit improba, nisi mors præceperit? *Inveniemus mortem finem esse peccati: ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior.* 4. Salaz.Prov. 10.31. Lect.Hebr. Aristo. l.4. Polit. Dionys.Carthus.& Lira in Prov.10. 31. Luc.16.24. S.Amb.to.1. l. d. bono mort.c.4.

Os justi. De linguæ bono hîc agit paræmia: nec enim solis addicta criminibus. Igni compar juxta D. Jacobum, qui non tantum exurit; sed fovet, illuminat. Ideo rogatus 5.

Anacharsis

Anacharsis quid esset in homine pessimum & optimum: respondit lingua.

Anacharsis apud Laërt. c. 9. lib. 1.

Parturiet. Vox Hebraica respondens huic, significat: fructificabit, vel propagâbit, vel progerminabit: ac proinde est indifferens ad florem & fructum. Noster autem interpres verbo *parturiet*, usus est, quod nequit ad florem accommodari: noluit cum de sapientia loquebatur usurpare phrasim caducæ pulchritudinis: eò quòd inter naturalia bona extrinsecùs advenientia, soli sapientiæ detur in æternum perdurare, juxta dictum Isocratis: *sola enim inter omnes possessiones sapientia immortalis est.*

Isocrat. ad Demoer.

Sapientiam. Non dixit: verba sapientiam significantia: quia non stat in multiloquio excellentia doctrinæ: imo sapientem dedecet quod indoctis mos est. *A rebus*, ait Seneca, *studium transferendum est ad verba. Hæc autem etiamsi aderunt, & poterunt sine ullo tuo labore decurrere; tamen temperanda sunt: nam quemadmodum sapienti viro incessus modestior convenit: ita oratio pressa non audax.*

Sene. ep. 40.

Lingua. In singulari de lingua loquitur; cùm statim sequatur plurale nomen: *pravorum*: sed ad malum omnes unica lingua loquuntur: *dicunt omnes: Crucifigatur:* ubi Euthymius: *omnes non turbæ solum, sed & principes sacerdotum & seniores.*

Matth. 27. 23. Euthy. ad eum locum.

Pravorum. Lectio habet originalis: *pravitatum*, vel: *perversitatum.* Multa nimis est perversitas linguæ. *Bella, doli, adulteria, corruptelæque omnes pene cessarent nisi lingua malum semen & spargeret, & foveret.* Ita Petrarcha. Quid non machinabitur mali, quæ sibimet nociva est? *Difficilis*, ait Cassiodorus, *res est, in lubrico faucium constitutam veritatis rigidæ tenere mensuram, cui si incautè frena laxentur, frequenter contra se loquitur.*

Petrar. dialo. 103. d. remed. advers. fortu.

Cassiod. in ps. Dixi custodiam. &c.

Peribit. Hebr. *excindetur*, vel *eradicabitur.* Linguæ perversæ peccata radices agunt (nam de corde prodeunt juxta illud Christi Domini: *quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:*) supplicium oportet ad ima pervenire pro delictis radicatis. Unde Psalmographus: *dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa: propterea Deus destruet te in finem: evellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.*

Matth. 15. 18.

Ps. 51. 6. 7.

DELIBATIO I.

Mirabilis Divinæ gratiæ sapientia, quæ lingua utens ad bona, conficit medelam ex veneno.

7. MIra valde gratiæ potens industria, quæ de venenis antidotos conficere sciens, etiam lingua novit uti pro finibus optimis assequendis. Patent supercælesti luminari corda verborum officinæ quas intrat, ut amaritudinem vertat in dulcedinem, sævitiam commutet in blanditiem. *Quemadmodum*, ait S. Macarius, *autem apis secreto favum conficit in alveo: sic & gratia dilectionem suam secreto in cordibus exercet: & quod amarum est mutat in dulce: quod autem asperum, in planum.* Cumque juxta proxime relatum Salvatoris assertum, de corde manent iniqua verba: gratia pervadens pectora linguam exinde flectit ad optima. Etiam gladio, quamvis mortis instrumento, bonis est usus. *Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma justitiæ.* Sic Ambrosius: & infra: *Affectus igitur non caro est author culpæ, caro autem voluntatis ministra.* Hæc linguæ humanæ juvabit aptare: non enim Deo resistit efficaciter volenti: quamvis D. Jacobus domari non posse dicat. *Non enim ait: linguam nullus domare potest, sed nullus hominum, ut cum domatur Dei adjutorio, Dei misericordia, Dei gratia fieri fateamur.* Verba sunt Augustini Apostolum exponentis. Verum quidem est & frequentissime supra deploratum, quod, ut S. Basilius adnotat, *vita nostra referta est linguæ delictis.* Attamen pessimo calamo dexteritas optimi scriptoris litteras pulcherrimas graphicè pingit? *Sicut calamus* (redeat idem S. Doctor) *instrumentum est delineandæ scripturæ accomodum, ipsum manu periti viri movente, ad eorum quæ scribenda sunt characteres exprimendos: sic lingua justi Spiritu sancto eam movente cordibus credentium verba inscribit vitæ æternæ, tincta quidem non atramento, sed spiritu Dei viventis.*

S. Ambr. to. 1. l. 1. d. Iacob. c. 3.

S. Aug. to. 7. l. d. natura & gratia, c. 15.

S. Basil. to. 1. hom. 9. in ps. 33. longe post med.

Idem in ps. 44. ho. 11. ante med.

8. *Nihil in homine pejus est ore.*

Et ut perspicere nobis liceat egregium supernæ providentiæ opus esse linguam permutare sic ut ex mucrone fiat clavis aurea cordium: non erit abs re præmittere quàm sit lingua humana res pessima. Sat pro multis Chrysostomi verba. *Undique nobis*, ait, *diabolus insidias parare consuevit: sed facilius lingua & ore peccante: nullum enim æquè congruum illi organum in ministerium illi est interitus atque peccati. Nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur.* Nihil igitur in homine pejus est ore, ubi lingua sedem obtinet.

Chrysost. to. 5. hom. 4 ex variis.

Ob stuprum violatæ sororis Absalom contra lascivum fratrem eò plus excanduit ira, quò minus eam signis exterioribus expressit: nam *si illatas molestias lingua tranquille diceret, à conscientia dolor emanaret: vulnera enim clausa plus cruciant.* Quæsita occasione fecit Absalom occidi Amnonem in convivio. Fama pernix detulit genitori Davidi triste nuntium, sed infideliter, ut solet: non enim solum incestuosum, sed omnes regis filios occisos testabatur. Tunc David scissis vestibus cadens, mæroris pondere se tacitè fassus est oppressum. Utque doloris immanitatem quadamtenus minueret Jonadab, dixit ei: *ne æstimet dominus mens rex, quod omnes pueri filij regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus ex die qua oppressit Thamar sororem ejus.* In ore ait posuisse fratrem quem ob incestum habebat odio? Non alium pestilentiorem locum invenit Spiritus sanctus in homine, quo locatum ab adversario diceret fratrem, quàm os ejus, infensissimus Amnoni, non ad pedes

S. Greg. M. to. 1. l. 7. mora. c. 15. prope fin.

2. Reg. 13. 32.

des abjecit, non post dorsum misit : sed, quod majus est, in ore posuit. Nihil in humano toto parvo mundo pejus est ore. Unde Petrarcha : *sic non solum in servo verum cernitur quod Satyricus ait : lingua mali pars pessima servi ; sed in plerisque etiam liberis, quibus nihil pejus dedit natura quam linguam.*

Petrarch. d. remed. adver. fortu. dialo. 103.

9. *Per Dei providentiã instrumẽto quo nequitia consummatur, consumitur.* Orig. to. 1. hom. 14. in c. 22. & 23. Num.

Sagitta lingua vocatur ; & vulnera sanat ? ignis est ; & corda rigat ? Vipera dicitur, & cæleste doctrinæ manna eructat ? O prodigium admiratione majus ! Dei genius est per contrarias vias media congruenter aptare præfixo fini : *ex quibus omnibus*, ait Origenes, *colligitur quia Deus non solum bonis utatur ad opus bonum, sed & malis.* Operante divina manu per specialem providentiam, instrumento quô nequitia consummatur, eodem consumitur : & quod inserviit iniquitati, servire cogitur virtuti.

Aberat Moyses : longiusque distabat à populo Dei timor. Versus in seditionem coëgit Aaron ut effingeret idolum, cui divinos offerrent honores. Aurum subministrant rei nefariæ, quod efformatum est in vitulum, ignis ope. *Dixi : quis vestrum habet aurum ? Tulerunt, & dederunt mihi, & projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Descendit Moyses è monte, quô fuerat cùm Domino moratus : & flammis tradidit idolum, atque combussit. *Arripiensque vitulum quem fecerant combussit, & contrivit usque ad pulverem.* Novum demoliendi auri genus ! An non aurum ab igne rutilat ? quomodo per flammam destruetur ? proterendo vitulo Moyses egebat incendio ? Minimè : sed quia destructio hæc Dei opus erat per Moysen tuentis honorem suum, opportunum fuit, ut sicut juvante flammâ conflatum est artefactum nequitiæ ; sic destructioni servientibus flammis proculcaretur : quò potentia Dei fulgeret, quæ mediis oppositis utens pro virtute pugnat contra scelus. Instrumentum lingua universæ iniquitatis est : ignique simillima ; hæc ipsa peccatum conterit, & expugnat idola, cùm salubrem doctrinam diffundit *os justi.*

Exod. 32. 24.

Ibi n. 20.

10. *Torquetur diabolus, si aliquam linguam contra se patiatur.*

Quàm turpiter exhinc Princeps tenebrarum confunditur ! Quam ægrè fert linguâ vinci recta loquentis ! Nullum diabolus telum plus reformidat, quàm justi linguam. Eo die quo Petri socrum febricitantem Salvator tactu manus restituit sanitati, vespere facto pluribus aliis mederi dignatus est : inter quos erant multi per dæmones oppressi. Hoc tamen inter horum ereptionem, & medicatum aliorum interfuit, quod ægrotos, ut ait S. Lucas, *singulis manus imponens, curabat eos.* Dæmoniacos, non manu, sed loquela detrahebat à potestate diaboli juxta Matthæum : *ejiciebat spiritus verbo.* Non casu credam accidisse, quod verba non potius ægritudinum fuerint medicamentum, quam tactus. Tangit ægros ut ut sanet, quin sermone utatur ? diabolo præcipit ore ; non manu compellit, ut abeat ? Hoc alibi pro laudibus B. Virginis meditatus fui : nunc ad mores dicam. Noverat Redemptor majorem Satanæ confusionem fore, si linguâ propelleretur : assueti namque gehennales incolæ humanam linguam nutui suo ad mala obsequentem experiri : vel unicam dolent nimiùm invenire, quæ possessiones ipsorum spoliet, eorumque tyrannidi resistat. Hoc perhibet sanâ disciplinâ mores imbuens *os justi.*

Luc. 4. 40.

Matth. 8. 16.

Præcellentissimum equidem charitatis opus est animas instruere de via quæ ducit ad patriam : quod enim majus amoris donum reperiri valet, quàm hominem, cui sempiterni parantur ergastuli vincula, reddere sceptro dignum in cælesti Regia conferendo ? Dignitas ad sortem præcipuum fœlicitatis decus est : nam indignus minimè splendore, quem non meretur effulget. *Claras enim suas maculas*, ait Cassiodorus, *reddunt, si illi, ad quos multi respiciunt, aliqua reprehensione sordescunt. Alioqui expedit non videri, quàm cunctorum irrisione signari.* Imo addere ausim : quod licet Dominus omnium sua potentia utens ultra communes leges, indignum gloriâ sempiternâ donasset, non adeo magno dono cumularet illum, sicut afficitur beneficio, cùm ex reo dignus beatitudine factus est.

11. *Dignum fœlicitate reddi res eâ major.*

Cassiod. l. 12. variarum ep. 2.

Colossenses ad gratitudinem cupiens hortari Paulus, motiva proponit gratias agendi : priori tamen loco reducit in memoriam quod per hæc verba significavit : *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Quænam sors est illa ? Beatitudo, sic exponente Lirano : *quia gratia baptismalis dignum facit hæreditate æterna, quæ habetur in clara Dei visione.* Si de gratitudine loquitur Apostolus : nonne majus homini beneficium fuit gloriæ collatio, quam infusio gratiæ ? Prima perpetua ; secunda deperditur quotidie : gratiâ potitus fruitur armis ut militet ; gloriâ ditatus, coronâ redimitur ut detriumphet. His nequaquam obstantibus, majus in genere beneficij puto gratiæ munus, quam gloriæ : nam gratia sanctificans dignitas ad gloriam est ; gloria verò, seclusâ dignitate ad illam, minus Dei fore donum videtur. *Deus verò* (ait ad hunc locum S. Athanasius) *& nos honore provexit, eosdemque ad promerendum idoneos fecit. Geminatur itaque honor, cùm ad munus accedit collata sufficientia.* Ideo non dixit Gentium Doctor : gratias agentes Deo, qui nos beatitudinis participes efficit ; sed : *qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* Dignum regno Dei peccatorem justus reddit, cùm præbet monita, quibus resipiscat. Magnum quid exequitur, dum sic se gerit *os justi.*

12. Ad Colossen. 1. 2.

Liran. ibi.

S. Athan. in ep. ad Colos. ibi.

DELIBATIO II.

Quid fructificet Deo justus, cùm salutis doctrinam ore profert.

VBi Vulgata legit : *os justi parturiet sapientiam*, habent sic Hebræa : *os justi fructificat sapientiam.* Et cui fructus editur ? Potissimùm Deo, cui tanquam vero Domino,

13. *Cor nostrum Deo veluti calum.* Lect. Hebr.

no, cordis humani terra germen emittit. Terram cor appellavi; sed nihilominus illud Conditori nostro veluti cælum est. Vide quantum Deo munus offerat os justi, cùm doctrinæ auro probatissimo exornatum cor auditoris exhibet majestati summæ. Peculiarem Dei habitationem cor humanum esse Nyssenus existimat, qui nomine Sponsæ Canticorum loquens, ait nonnihil addens: *cùm fide tandem dilectum reperi, neque dimittam amplius eum, fidei ansa retinens inventum, donec intra conclave meum pervenerit. Et omnino conclave illud cor est* &c. Minus parcè locutus est Origenes. *Dicit justo Deus*, inquit, *adhuc consistenti super terram, cælum es, & in cælum ibis: portat enim imaginem cælestis.* Quidni vocetur nomine cæli speciale Dei habitaculum?

S. Greg. Nyss. in Cant. orat. 6.

Orig. to. 2. ho. 2. in Ierem.

Apostolorum Princeps discipulos collaudat, quod prophetiis attendant. Quasi luci, & ait: *habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Quid significent hæc ultima verba percipies ductore Cyrillo Alex. qui apertè de Christo Domino spiritualiter in cordibus nostris oriente locum interpretatur. *Cæterum*, inquit, *lux & sapientia intelligatur Christus, qui fulsit in cordibus nostris, ut illustretur agnitio ejus. Eripuit enim nos Deus ac Pater, ut divinus Paulus inquit, ex potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ in lucem. Quin illum & sanctus quidam vocavit irradiationem, & Luciferum præterea. Dicit enim, donec dies irradiet, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, nominans nimirum diei irradiationem, & Luciferum orientem, illuminationem in spiritu per Christum.* Non leve dubium tamen locus recondit. Lucifer apud citata D. Petri verba sydus est antelucanum de quo cecinit quidam

1. Petri 1. 19.

S. Cyrill. Alex. l. 1. dialog. d. Trinit. paulò post princ.

Lucifer ut nitidos producit in æthere vultus
Clarior, & læto nuntiat ore diem.

Christus Dominus in spiritu nascitur corde nostro dum sumus in terris, astrum in cælis oritur. Quo ingenio Filius Dei nascens in præcordiis æquiparatur syderi, quod in cælis ortum sortitur? an poli nomine dignum æstimat cor hominis Deus? Tu cogita: ego namque non dubito.

14. *Cor instar omnium rerum Deo est.*

Parum est hoc dilectioni divinæ: volat in altiora Creatoris amor. Cordibus hominum sic inhæret, ut illorum singula Domino sint instar omnium rerum. Cæteris in creaturis Deus ideo non requiescit quia deesse videt illarum cuicumque multa. In homine quasi cuncta possideat, quietem reperit. *Fecit cælum, non lego quod requieverit: fecit terram, non lego quod requieverit: fecit solem, Lunam, & stellas, nec ibi lego quod requieverit; sed lego quod fecerit hominem, & tunc requievit habens cui peccata dimitteret.* Ita D. Ambros. Non miror quiescat in homine Deus, qui se credit in eo possidere prorsus universa, non equidem errante judicio; sed affectu suadente.

S. Amb. to. 1. l. 6. Hex. c. 10.

Ioan. 12. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* (*Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus.*) Theophylactus paulò aliter locum legit, & illam tractionem ad Dimam, Centurionem, & alios qui pectora percusserunt in Calvario trahit his verbis: *Et hoc, quod dicit Dominus, quando exaltatus fuero traham ad me omnes, nunc videtur consummatum. Exaltatus est in Cruce, traxit latronem, traxit Centurionem. Percusserunt autem & pectora Judæorum quidam* &c. Pungit scrupulus. Centurio, & alij, ante Christi Domini mortem in nullo fuerunt immutati. Examinemus quâ ratione completa fuerint hæc verba Servatoris eo vivente, jamque in Cruce levato. Per non modicum spatium temporis in ea pendebat Redemptor: & solum ad se traxerat latronem. Ergo quomodo verum est illud: *omnia traham*, nisi dicas instar universorum fuisse Dei Filio cor Dimæ? Sic maximi facit Monarcha supremus rem de se minimam: & hoc ei charum sistit holocaustum *os justi*, cùm in auditorum profectum laborans *fructificat sapientiam.*

Theophylact. in c. 23. Luc.

Neque minus hoc verum credas cùm Astissimo consecratur cor pœnitens, quod non multo priùs multis criminum, fœdisque valdè, maculis deforme divina bonitas execrabatur. Nam quamvis à dæmone antea possessum, gratiæ benedictione sacratur in Dei templum. *Cùm justificatur impius*, ait Augustinus, *ex impio fit justus, & ex possessione diaboli migrat in templum Dei.* Et fortasse vehementioribus desideriis erga pœnitentem divinus amor exardet, quàm circa insontem. Majori voluptati solet esse quod perditum restaurari contigit, quam si possideretur perenniter. Peccatorem Deus amiserat, utpote spiritualiter demortuum; innoxius ab ejus vestigiis nunquam recessit. Hunc à se quandoque patitur avelli; pœnitentem nollet derelinquere.

15. *Pœnitentem Deus relinquere nollet.*

S. Aug. to. 8. in ps. 7.

Expirat in Cruce Redemptor: limbumque SS. Patrum ejus anima sanctissima descendit. Eductos inde justos in Ascensionis die, velut in triumphi pompâ spolia nobilissima, secum detulit in cæli regiam. Adstipulatur dicto Theophylactus. *Tu autem admireris quomodò sicut rex quidam trophæa ex victoria referens, spolia opima secum abduxit, ita & Dominus quoniam fortior vas diaboli diripuit, secumque abstulit, & reducit ad primam hominis patriam, paradisum dico.* An Dimam evexit ad cælestia, cùm victor ascendit? Ne dubites: ipse namque descendente Domino repertus est in fœlici claustro mortis: extractus inde comitatum detulit ovanti. Esto Patriarchas equidem sanctissimos Dominus extulisset in empyreum ascendens, cur & latro recenter conversus eorum fortunam exæquat, remanente adhuc in terris dilecto discipulo agno inter lupos? Non hoc plùs amavit latro: expectet igitur: nec prius quàm Joannes amoris divini gemma, potiatur fœlicitate summâ. Sic erat in votis dilectioni Redemptoris: nempe citiùs ad se trahere conversum, quam innoxium. Patitur à se Joannem abesse diu, secum defert latronem, qui pœnituit, & conversione sua divinitatis exhibuit nobile testimonium: de quo dixit Chrysost. *latronis*

Theophylact. in c. 23. Luc.

Chrysost. to.

3. ſer. 1. d. Iatrone.

averſam mentem valuit commutare, ut ex omni parte ejus Divinitas ſentiretur. Hunc teſtem, non ſicut aliquos dimiſit in terris,

Act. 1. 8.

dicens inter cæteros Joanni: *eritis mihi teſtes in Ieruſalem* &c; ſed ad cælitum palatia tranſtulit, quaſi neſciens ab eo divelli. Hoc forte Dimas non haberet niſi peccaſſet: nec Divini triumphi gaudia ſic incrementaret, ſi juſtitiam prius inculpatè cuſtodiviſſet. Prodeſt Chryſologus ad illud genitoris prodigum filium recipientis: *cito profer te ſtolam primam.* S. Doctor: *Pater hic, qui in ſecundis eſſe non paſſus eſt peccatorem, plus de venia, quam de juſtitia gaudium vult habere.*

Chryſolog. ſerm. 3.

16. *Pœnitentes Deum angelis præfert.*

Si angelis innocentiam ſimilem attingeret homo: non ideo majoris fieret quam peccator lixivio doloris candidatus. Vulgare, fateor, illud eſt (ſed recolere non pigeat Dei clementiam non vulgarem) quod nunquam ſatis repetitum credo, cum memoria noſtrâ labatur facillimè: paſtorem ſcili. optimum, ut ovem perditam, ideſt hominem lapſum, inquireret, nonaginta novem, id-

S. Ambr. to. 3. l. 7. in Luc. c. 15.

eſt angelos reliquiſſe. *Dives igitur paſtor, cujus omnes nos centeſima portio ſumus, habet angelorum, habet archangelorum, dominationum, poteſtatum, thronorum, aliorumque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit.* Verba ſunt Ambroſij: quorum ductu ſatis tritam veritatem illam nona luce donemus. Meditemur inquam, Deum prætuliſſe choris angelicis eos qui pœnitentiæ pennis advolarunt quò non alæ Cherubicæ valent pertingere.

Ad myſteriorum arcanum enarratorem Dei Filius ait in Apocalypſi. *Qui vicerit*

Apocalyp. 3. 21.

dabo ei ſedere mecum in throno meo. Ipſomet homines collocat in throno ſuo, quorum nullus non fuit ejus hoſtis antea per culpam ſaltem primævam, Dominus ille,

Pſ. 109. 1.

cui dictum: *donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Clementiam dices Deo victore digniſſimam. At quare non ſimilem cum cherubinis, qui ſervi fideliſſimi ſunt benignitatem exercet? De his legimus

Pſ. 98. 1.

apud eundem vatem ſceptra gerentem: *qui ſedes ſuper Cherubim:* quæ verba de Salvatore Chriſtopolitanus interpretatur. *Et*

Valent. in pſ. 98. ibi.

converſus propheta ad Chriſtum dicit: ô Chriſte qui ſedes ſuper Cherubim ad dexteram Patris. Ex angelis volatile conſtruitur Dei ſolium? homines verò ſupra thronum Summi Regis elevantur? *Dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Non mihi diu deliberandum fuit, ut admirationem deponerem: cum ipſe textus inſinuet, ibi de pœnitentibus incidiſſe mentionem: nam præfata verba: *dabo* &c, alludunt ad Epiſcopum illum tepore torpentem, de quo paulo prius fuerat ſermo factus, cuique monitum erat ut pœ-

Apoc. 3. 19. Alcaz. in Apoca. 3. 21.

niteret: *pœnitentiam age.* Ideo Alcazar ad illud, *qui vicerit* &c. ait inibi: *Nihil autem potuit aptius promitti expellenti teporem, & ſuam infirmitatem agnoſcenti, quam pax illa ſpiritualis, quam à Chriſto participant, qui ei perfectè ſervire decernunt, & thronus ille quo fruuntur, & effectuum propriorum dominatio.* Reſipiſcentibus ergo promittitur Dei ſolio locandos; cum tamen ſpiritus nobiliſſimi nævo carentes, majeſtatis Divinæ thronus dicantur à M. Gregorio ad illud

3. Reg. 22. 19.

3. Reg. 22. *ſedentem ſupra ſolium*, qui ait: *quid ſolium Dei niſi angelicas poteſtates accipimus* &c?

S. Greg. M. to. 1. l. 2. mora. c. 15.

Habes ecce quàm faciat multi rerum Dominus inſtaurari ſibi domum ſceleris injuriâ collapſam: animam ſcili. proprij doloris, & medico auxilio ſacræ piſcinæ, reparari poſt ruinam. Tandem pro eodem inſtituto addam: ſi non impoſſibile foret Deum ſe majeſtate ſua expoliare, hanc deponeret, ut animæ pœnitentis hoſpitio frueretur.

17. *Si fieri poſſet Deus majeſtatem deponeret, ut pœnitentis corde recipe-retur.*

Ad Apocalyſim Joannis regredior duplicem locum ad invicem collaturus: quorum alterum numero præcedenti curſim tetigi. *Ego quos amo arguo & caſtigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age. Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Parum digne de ſe loqui videtur Dominus univerſorum. Invitat ſe Rex regum ut cum ſervulo cœnet in hujus domo? Aliter infra lego, ſed regiæ præcellentiæ conformius, cujus eſt pauperrimos alere humaniter. *Et dixit mihi, ſcribe, beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.* Utriuſque loci contextum animadverte, liquebit quo nitatur ſtyli diſſimilitudo: quare ſecundo loco Deus perhibeatur vocans homines ad cœnam; in primo verò ſemetipſum offerens ut cum homine cœnet. Prioribus verbis alluditur ad pœnitentes: dicitur enim: *pœnitentiam age.* Ideo quaſi majeſtate pauliſper depoſitâ cœnaturus cum eo Deus invitare ſe non dedignatur. *Et eſt ſenſus*, exponit Ruper: *illud quod hactenus corripiens te dixi ſimile eſt ſtanti ad oſtium cujuſpiam divitis, & pulſanti quatenus admiſſus hoſpitio cœnet cum illo de opibus intus repoſitis.* At verò ſequenti loco de juſtis ad cœnam convocatis nuptiarum ſermo eſt: *ibi namque* (commentatur idem Venerabilis Abbas) *tota cœna eſt amor, ubi uxor viro, ideſt anima conjungitur Deo, non ad horam, ſed æternaliter: quia hæc cœna nuptialis, hic amor conjugalis vita æterna eſt.* Hoc loco proinde, cum de juſtis agitur, invitans homines regali magnificentia vocat; alibi quaſi regio cultu depoſito, pulſat oſtium pœnitentis, ad inſtar pauperis, ut cibum accipiat. O magnam pietatis vim, quæ talia ſuadet infinities maximo! O gratiſſimum Deo noſtro diem, quem animarum ductor offeret illi, cum ad pœnitentiam vocans *os juſti parturiet ſapientiam.*

Apocalyp. 3. 19. 20.

Ibi. c. 19. 8. 9.

Rup. in Apoca. l. 2. c. 3. juxta finem.

Idem ibi. l. 10. ad. c. 19.

DELIBATIO III.

Magiſtrorum ſpiritualium labor expenditur.

18. *Vera dicere laborioſum etiam authoritate multa pollenti.*

OS *juſti parturiet ſapientiam*: commentatur Liranus: *alios docendo.* Parturientibus aſſimilat ſpiritum concernentis philoſophiæ præceptores: & eſt aptiſſima phraſis

Lira in Prov. 30. 31.

phrasis quâ necnon Apostolus fuit usus. *Filioli mei, quos iterum parturio :* non tantum quia magistri dum animas instruunt, viscéribus charitatis fovent alumnos amanter : sed quia simul ut isti vitam incipiant sese discriminibus objicere non pavent, in mortibus frequenter. Ad c. 39. Job Rupertus ait : *Proinde altius quod dixit est intuendum, ut dicamus in mysterio sub nomine horum animalium præfiguratos Apostolos, Apostolicos etiam viros, & omnes prædicatores veritatis qui in fortitudine fidei & patientiæ, velut in petris, per spiritum imbuentem eos verbum Evangelij vel perfecte in se formatum pariant vel doloribus persecutionum parturiant.* Ex his conjice quam impigrè Dei obsequio laborent qui magisterio spiritus addicti sunt. Et quis putas inter tot summus labor ? Veritatem proloqui. Multa sustinent in filiorum educatione parentes ; at majora pati solent instructores animarum. Auddi Chrysostomum. *Pater tam naturalibus quam externis legibus munitus, multa libertate principatu suo erga filium utitur, & si invitum erudierit, & percusserit, nemo est qui prohibeat, neque ipse filius respicere audebit. Sacerdotem verò multa gravat difficultas. Primùm quidem voluntariis præesse debet, & à quibus principatus sui gratiam referat. Hoc autem non potest statim contingere. Qui enim alios arguit & increpat, qualis tandem sit, amissa omnino gratia & exosus redditur. Eodem modo habebit & qui adhortatur alios, & admonet & ad bona provocat.*

Rup. l. 3. in Job. c. 8.

Chrysost. to. 4. hom. 10. in ep. 1. ad. Thess.

Invidia Saül adversus Davidem exarsit ob mulierum voces (ridicula sane causa) quæ sibi, dum præcinerent, eum audivit antepositisse in præmium devicti gigantis. Altera die correptus à dæmone rex agitabatur : sed tunc prophetasse textus narrat. *Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus suæ :* ubi Rupertus : *Nunc autem psallente David idem insanus prophetans & divinans alieno spiritu lanceam semel & iterum mittit putans quod configere posset cum pariete David.* Concinit Sanctius ibidem : *prophetasse*, inquit, *Saulem, ideest dixisse futuros rerum eventus à malo spiritu correptum, cum nihil aut sentiret, aut nosset, docent communiter omnes, Abulen. Hug. Caiet. Theodore. Lir.* Ex dictis habetur Saulem tunc temporis vera dixisse, quantumvis in eo pater mendacij loqueretur. Quæro cur à Deo spiritui maligno permittitur ut Saulem obsideat ? an ut eundem torqueat in pœnam ? Quis dubitat ? Ut quid ergo per eum loquitur ? Cogit eum vera dicere : nam licet regiâ majestate pollens ad eos verba faceret qui sibi tanquam domino subdebantur : tamen & istis vera fari laboriosa dicendi provincia est. Quomodo non arduum erit eos veritatibus imbuere animos, in quos nullo dicens fungitur dominio?

1. Reg. 18. 10.

Rup. l. 1. in 1. Regum. c. 7.

Sanct. in l. 1. Reg. ibi.

19. *Operosius negotium est reducere voluntatem, quam intellectum ad viam.*

Quæstionem pro hujusmodi confirmandâ doctrinâ libet excitari : quid-ne majorem postulet operam : trahere voluntatem ad lucis tramitem ; an radios diffundere, quibus mentis illuminetur cæcitas ? Pro voluntate, seu potius contra illam, facit quod nihil sævius, domatuque difficilius, voluntate propria. De hac dixit optime D. Laurentius Justin. pessima. *Hæc namque voluntas propria est quæ evertit rationis judicium, lites excitat, nutrit odia, pacem dirimit, naturæ vincula solvit, mutuæ dilectionis fœdera rumpit, contemnit leges, mandata transgreditur, & dissipat pariter quod Dei, quod gratiæ, quod honestatis, quod meriti, quod virtutis. Propria siquidem voluntate nil arbitrandum est esse deterius, nihilque illa homini pernicioſius.* Arduum quidem hoc verbo domuisse monstrum : plus multò quàm intellectum erudire. Hic namque videt ; illa cæcutit : videnti monstrare viam non adeo difficile ; cæco præbere visum, non cuicumque datur. Operosius ergo negotium est voluntatem alienam rationi subjicere, quàm intellectum ad veritatis viam reducere.

S. Laur. Justin. l. de obedi. c. 27.

Parabolicè verba Filius Dei more suo fecerat olim brevi, sed ponderis pleno, sermone dicens. Tunc Petrus pro dictorum intelligentiâ, supplicationem obtulit, ut involutam doctrinam eis aperiret. *Respondens autem Petrus dixit. Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit : Adhuc & vos sine intellectu estis.* Si veniam præbes audenti potius à te Magister summe scisciterer, cur adhuc Domine qui tribuis intellectum audienti, finis discipulos manere tandiu sine intellectu. Quare non eis hoc jam dudum præstitisti donum ? Quia totus eorum voluntatibus edomandis incumbebat, de mentium obsequela non tam sollicitus. His probari ni fallor videbitur magis arduum esse voluntatem ad bonum suadere, quam intellectum doctrinæ fulgore illuminare.

Matth. 15. 15. 16.

Durior nihilominus jure dicendus ut flectatur ille mundi parvuli princeps, qui necessariò juxta philosophos operatur, quàm arbitrium, quod flexibile, quia liberum. Nec obstat quòd cæcum sit : quia ducatum facilius admittit oculis orbatus ; illum superba rejicit mens quia visu gaudet. Vel rudes, vel docti sunt auditores. Si pingues : ô genus exitiale ? *neque verbis rudes erudiri possunt. Stultitia colligata est in corde pueri, ait Sapiens, sed virga disciplinæ fugabit illam. Virga dicit non verba.* Si verò scientes, ægrius accipiunt moneri. *Credite*, ait infra idem Gerson, *mihi amarissima est veritas : sed nescio quo pacto apud nullos eorum amplius quàm apud litteratos, qui sapientes sunt in oculis suis, apud quos vel admonitio charitativa, vel fraterna correctio, contumelioſæ & vindicandæ deputatur injuriæ.* Maneat itaque duriorem esse mentem, ut ad viam veritatis inflectas illam, quàm voluntatem aberrantem, ut manu ducas eam.

20. *Probabilius oppositum.*

Gers. 1. p. ep. ad studentes colleg. Navar. Parisi.

Triplici negatione Petrus dilecti Magistri vulneravit amorem. Sed oculis ejus intellectualibus, vel insuper corporeis, correptus Apostolus resipuit statim. *Conversus Dominus respexit Petrum.... Et egressus foras Petrus flevit amarè.* Quievit Passionis turbo : resurrexit è tumulo Christus : apparuit discipulis dum Thomas abesset. Asseverarunt illi vidisse Dominum : nec ideo

Luc. 22. 61. 62.

credidit. Comparuit ei Redemptor : nec satis fuit conspicere viventem ut respiscceret: oportuit sacra foramina clavorum ejus offerri manibus, ut fidei manus ille daret :

Joan.20.27. *infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam & mitte in latus meum: & noli esse incredulus sed fidelis.* Petrum non tantis reduxit sumptibus quam Thomam Præceptor amantissimus. Quanam de causa quæris ? Voluntas Petri trahenda erat; non intellectus : quippe qui fidem non deseruit. Thomas dubitabat : proinde mens ejus fluctuans erat solidanda. Intellectum vincere major virtutis divinæ fuit opera.

Euthym. in id Evang. *Venit*, ait Euthymius, *certiorem redditurus eum qui non credebat : & neque unum despicit, licet mente crassior esset cæteris.* Et crassa judicia doctor instruere, necnon voluntate rebelles mollire curat : quid in hoc munere laboriosius jam deliberavi : si renuis, dictum confirmas.

21. *Quod robur sit opus ut certes cum mentibus.*

Ego resolutionem insuper istam ut firmam, dictis addo majori fortitudine opus esse ut intellectus humanos oppugnes gladio Verbi Dei, quam ut scuto patientiæ crudelitatis ictus excipias : nam de istis gaudere licet; non sic de resistentiâ quam in mentibus experieris : & gaudium bellatori socius est optimus, labores levat, retundit vulnera, vires alit. Hoc deficiente commilitone, graviùs feruntur ærumnæ belli. Ratio

S.Aug.to.7. l.2. contra Gaudent.c. 14. hæc ex doctrina eruitur Augustini : *hæc*, inquit, *mala vestra, quæ vos in æternum interitum mittunt amarius nos persequuntur, quam illa quæ à vobis nostris corporibus, vel rebus, vel domibus, aut basilicis inferuntur : minùs persequimini cùm in nos sævitis, quàm cùm vos peritis. Denique in illa persecutione, qua in nos sævitis cum laude gaudemus ; in hac autem quâ vos peritis, si gavisi fuerimus, vobiscum perimus.* Quam rationem si lentiori trutinâ perpendamus, infertur maximum thesi nostræ robur : & concludam strenuitate indigere majori justum ut cùm intellectibus prælietur, quam ut cum hominum crudelitate decertet. Paulisper attende.

Prænuntiabat Apostolorum corda Filius Dei ad ventura certamina, quæ fidem testantes erant subituri. Dicebat eis inter alia.

Matth.10. 19. 20. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini ; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Apostolorum non tantummodo loqui munus erat : sed pro Dei honore pati. Potius dicturum Servatorem existimabam : ne terreamini : nam ictus in pectore vestro sustinebit ille qui cùm sit amor, fortis est & patiens : Spiritus inquam Patris residens in omnium vestrum cordibus tolerabit pro vobis dura ; de verbis tantum agit ? Non parum : imò plùs erat verbo mentes humanas devincere, quàm patientiâ tyrannorum ferocitatem debellare: hoc scutum propriis malis objicere, non indiget exercitij militaris tantâ dexteritate; quantâ cùm alienis judiciis confligere.

22. *Qui olim justus lapsus est reducitur difficilius.*

His adde : ac si, quod sæpe accidit, auditor ille quondam virtutis amator à cæli tramite deviavit ad præcipitia scelerum : plus adhuc laboris improbi qui hunc ad meliora vocat experietur : *quia* (Nyssenus loquitur) *infirma ad bonum est humana natura postea- quam semel per vitiositatem enervata est. Non enim ita facile à malo rursus ad bonum homo revertitur, ut à bono ad malum accessit.* Crederes eum, qui semel gustavit quàm suavis est Dominus, postea cibatum porcorum siliquis, ad manna reverti de facili ? Imò, si daretur, eligerem illum corripere, qui semper nequam extitit : verosimilius enim est operam in eo non perdendam.

S.Greg.Nyss. l.d.orat.ad illud fiat voluntas tua.

Peccaverunt David, & Achab : illum Nathan, hunc Elias objurgavit : ac pœnituit uterque. De Davide manifestum est hoc. *Peccavi Domino.* Achabi pœnitentiam docent contra Liram, Dionysium & Caietanum, S. Hieronymus ac Tertullianus : quorum hic ait : *proindè & Achab regem maritum Iezabel reum idololatriæ, & sanguinis Naburhæ, veniam meruisse homicidij, & sanguinis, pœnitentiæ nomine.* Hoc posito, conferam vates. Elias Achab increpavit liberrimè, nullo quæsito prætextu, vel umbrâ.

2.Reg. 12. 13.

Tartull.l.4. cont.Marci. c.10.

S. Gregorius M. *Elias protinus superbi regis stultitiam objurgationis liberâ authoritate percussit dicens : non ego turbavi* &c. Et adeo libertate velut Evangelicâ locutus est, ut vel se inimicum regis Achab asseruerit in hujus faciem, vel regem suum declaraverit hostem. *Et ait Achab ad Eliam : Num invenisti me inimicum tibi ? Qui dixit : Inveni* &c. Davidem nec elatum superbiâ, ne sævitiâ ferocem, priusquam Nathan corriperet, veluti metuens accedere facie discooperta, præmittit ovis parabolam : quamvis, juxta D. Basilium Deus illius pectus muniverit ne paveret, dicens prophetæ : *si regiam majestatem formidas, ego linguam tuam præpoliam.* Quid Nathan metu quatitur? Arduum sibi negotiũ incumbere vidit : illum scili. ad pœnitendum hortari qui fuerat justus, & ceciderat. De Achab sic loquitur sacer textus, ut credi possit nunquam fuisse non malum, ait enim: *& addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum.* Sceleratissimi non erat cur timeretur correptio ; Davidis autem maximè qui post adeptum sanctitatis gradum sublimem deliquit miserè. Similes huic resurrectiones operari verbo doctrinæ, res equidem dici valet molis maximæ : quam labore summo perficiet charitas, cùm *os justi parturiet sapientiam.*

S.Greg.M. to.1. l.7. mora.c.15.

3.Reg.21. 20.

S.Basil.orat. 17.

3.Reg.16. 33.

DELIBATIO IV.

Iusti dolor in ortu renascentis peccatoris memoriam refricans funeris ejus.

DOlorem sicut parturientis, ductu sapientiæ Salomonicæ meditabor mixtum gaudio : charitas quippe condolet in sepulchro resurgentis funebria versans oculis: & in hoc vestigia Servatoris imitatur ad

23.

Lazari

Lazari jamjam resurrecturi monumentum lachrymantis. Major nobis plorandi materies: nec enim de vitæ, sed animæ jacturâ peccatori compati postulat humanitas, quasi de nostro malo tristaremur. *Quoties* (monet S. Bernardus) *peccantem videris fratrem, continuo præcedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex te ipso.* Tanquam de malo proprio dixi condolendum peccatori: nec liberè dictum, sed patrocinante Chrysostomo, quatenus illius credit salutem periclitari qui nihil movetur de alienâ. *Saluti nostræ salutem proximorum adjiciamus, præsertim, cùm qui suâ contentus negligit alienam, nec suam quidem consequi potest.* Ita S. Doctor. Enimverò si prudenter mentis lance ponderes quàm dira proximus patiatur suimet sceleris tortus impietate, plurima numerabis compatiendi motiva: nam verè Martyr diaboli peccator est. Sic docuit S. Lusitanus. *Nota*, inquit Antonius, *quod martyres habet diabolus, sicut & Christns, de quibus holocaustum sibi facit in præsenti per culpam: & in futuro per pœnam. Sic enim olim tyranni martyres Domini diversimodè cruciabant, scili. quosdam suspendendo, alios submergendo, alios lapidando, alios decapitando. Ita modo diabolus variè cruciat spiritualiter peccatores.* Addere posset: suisque martyribus dæmon cultum festosque dies decernit, infamiâ gemitibusque luendos in æternum. Hæc proximorum tormenta computant justi velut sua: non alienas dicunt infœlicitates: & præsertim cùm in eis nonnulla vident semina virtutis jaci, nec rejici, nullatenus tamen fructificare. Origenes ad illud Apostoli: *infœlix ego homo* &c. inquit: *Exclamatio autem hæc ex persona est illius qui initia habet conversationis, cui voluntas adjacet boni, sed nondum in affectum venit ipsius, ut ipsum opere compleat. Hoc autem dicit Apostolus nomine malorum quorum peccata ut propria deflet Apostolus, eaque nominat sua, qui modus loquendi frequens est in sanctis.*

Chrysost. to. 1. hom. 60. in Matth.

S. Anton. Olyssip. ser. 6. d. Martyr.

Ad Rom. 7. 24. Orig. in ep. ad Rom. c. 7.

24. *Peccatum ipsum dolor est.*

Cùm peccatorem diaboli martyrem supra legeris, ne tantùm existimes peccati consequentiis eum à satana torqueri. Dolor est & ipsum crimen. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem*, ait de scelesto David. Novum sanè monstri genus! aliud parturit à conceptu diversum? Anxietatem concipit; & scelus parit? Adverte quæso synonima; non diversa, dolorem ac iniquitatem. Idem parturiit quod ante conceperat: quamvis dicat Psaltes: *concepit dolorem & peperit iniquitatem*: ubi Cardin. Berlar. *conceptio doloris est conceptio invidiæ, sive odij in proximum, quæ sunt semina malorum, & rectè conceptio invidiæ vel odij dicitur conceptio doloris, quia invidia & odium torquent* &c. Cruciatur ergo malus ipso delicti gladio, vel potius crimen anxietas est.

Ps. 7. 15.

Bellarm. in ps. 7. 15.

25. *Peccatum est morbus oculorum.*

Et non qualiscumque doloris genus appello peccatum; sed oculorum cruciamentum. O quam peracutè pungit, & graviter! Redi ad Psalmistam: audies dicentem: *oculi mei languerunt præ inopia.* Juxta Liram David loquitur de populo captivo apud Babylonem. Et hoc pauperibus malum addit infœlicitas? visu languere? Scio multis erui oculos à divitum superba tyrannide, sed oculorum defectus non languor solet appellari; cæcitas est. Animadverte de qua pauperie loquatur mysticè, sic hauries moralis doctrinæ nectareum succum. Lorinum consule: *in deteriorem*, ait, *partem sensus alius est traditum non egredi, cùm quod est in Threnis, circumædificat adversarius, præsertim diabolus adversùm nos, & ut non egrediamur aggravat compedem nostrum: ut, inquam, non egrediamur laborantes in oratione nostri, ac Dei, & abeamus post vestigia, quibus perducamur per investigationem ad notitiam utriusque, & ita oculi nostri, quod sequentia continent verba, langueant præ hâc inopiâ.* Igitur illa pauperies erat quæ diripit animæ bona, miserrimamque depauperat. Hæc dolorem luminum comitatur egestas. Ad hæc. Experientia docet naturali sympathiâ nos illachrymari, cùm alicujus languidos oculos inspicimus lentè. Peccatum languor visus est: videntem, nec prætereuntem, ad compassionem facile movet, ita ut aliena peccata loco persecutionum computet. Opportunè Augustinus. *Est ergo in hoc psalmo vox contribulatorum, & ideo utique martyrum inter passiones periclitantium, sed de suo capite præsumentium.... non quia tales nos persecutiones urgent quales ipsos urgebant, sed fortassè pejores in omnimodis generibus tantorum scandalorum.... neque enim Loth ille sanctus in Sodomis ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, aut dictum illi erat ut non ibi habitaret: persecutio ejus facta mala Sodomitarum erant.* Et infrà: *inter hæc gemimus, & hæc persecutio nostra est, si est in nobis charitas* &c. Quin potius nihil justis mæstius accidere potest quàm proximum in crimina labi. Propria mala dolorem, quamvis torqueant, ab eo non extorquebunt; aliena scelera fortiter angunt eundem.

Ps. 87. 10.

Lorin. in ps. 87. 10.

S. Aug. to. 8. præfat. in ps. 69.

Testis Apostolus gentium sit. De Judæorum obstinatione dolens ait ad Romanos: *testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis* &c. Non hærerem in his Pauli verbis, nisi prius legissem apud Salomonem: *non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Justus insigniter Apostolus erat: & mœror accidit ei? Utique: sed quo motivo? Non ex propriis malis, gloriabatur enim tribulationibus; sed ex alieno delicto: dolor hic erat ejus cordi continuus. Angelicus Doctor ibi: *imminet sapienti tristitia laudabilis de peccato proximi, sicut de peccato sui ipsius: unde Apostolus dicit 2. Cor. 12. & lugeam multos ex eis qui peccaverunt.* Amicorum Dei mos est ulcera spiritus aliena, plusquam vulnera sua dolere corporea.

Ad Rom. 9. 2. 3.

Prov. 12. 21.

S. Thom. in c. 9. ad Rom. lect. 1.

Augetur ex quadam non contemnenda circumstantia commiseratio justi de proximi culpâ: nempe quòd malum illud, quamvis omnium summum, peccator in cor suum admittens non sentit rationi valedicens. Uritur & stertit: hac ratione magis deflendus, quia visui, necnon & lachrymis oculos

26. *Compassione dignior qui malum nescit animæ suæ.*

S.Hiero.to. 1.ep.48. ad Sabinian.ante fin.

denegat. *Hoc plango quod te ipse non plangis, quod te non sentis mortuum, quod quasi gladiator paratus libitinæ in proprium funus ornaris.* Ita scribebat Hieronymus ad quendam in peccati carcere clausum libertatis clavibus. Paululum ante dicebam peccatum esse luminum ægritudinem: non solent oculi morbum cernere suum: nec peccator commissorum fœditatem agnoscere: *peccatis enim excæcatur cor*, ut ait S.Fulgentius. Ille

B.Fulgen. l. 1. d.remiss. peccati c.15.

majori compassione dignior, quem propria latet culpa.

Non multò prius disquirebam cur Dei Filius, qui Saulum persecutorem quærere dignatus est ut amicum redderet, præcipiti Judæ non obstiterit efficaciter ne periret. Ibi rationem subjeci: nunc aliam addere permitte. Judas, etsi non veram elicuit pœnitentiam, tamen peccatum suum recognovit: *peccavi tradens sanguinem justum:* in-

Matth.27. 4.

dignus erat specialiori miseratione, qui sui reatus conscius ad veri doloris remedium non confugit. Divinæ misericordiæ clementiâ dignissimus fuit Saulus, qui pro patriis legibus æmulatus persequebatur in servulis Christum ignorans crimen suum: *ignorans feci:* unde Bedæ calamo collectum ex Au-

1.ad Tim. 1.13.

Aug.to.10. ser.10. d. verb.Apost. apud Bed. to.3.ad ep. 1.ad Tim.1.

gustino legis loquente Pauli vice: *ideo enim misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit. Tanquam bonus medicus phreneticum patienter toleravit: sustinuit me ferientem: sed donavit mihi feriri pro se.* Ne te fugiat nomen phrenetici, qui solet ægrotare nec ægrum se credere. Sic utplurimum peccantibus mens læva suadet: languent ad mortem, neque morbum putant qui non angit corpus. Hos præ aliis miserabitur justus, & præcipuè curabit, cùm os ejus *parturiet sapientiam.*

27. *Ut mente videas claude corporis oculos.*

Ne quæso, doctor, & spiritualis pater frustraneâ miseratione tangatur de morbo proximi delinquentis. Manum admoveat curationi: simulque, prout peritis medicis mos est, causam ægritudinis illius indaget. Quamsæpe nascitur morbidæ hujus animæ cæcitas ex indiscreto luminum corporis usu. Videt illa per corporeas palpebras frequentissimè tenebras: ea scili. bona quæ tot lapsus, quot gressus habitantibus in umbræ mortis regione suadent, ideo caligat in luce. *O quantis*

S.Laur.Just. l.d.vita solita.c.7.

concupiscentiarum sagittis, ex inordinato oculorum aspectu, imprudentis transfigitur cor! transmittunt utique effrænati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines.... & terreni pulveris insufflatione rationalem caligant obtutum. Opportunissimum igitur consilium est claudere oculos ut videas. *Fœlix*

S.Barn.ser.1. d. Conver. S. Pauli.

cæcitas, quâ malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Fœliciissimum quidem, & unicum est mente vivendi medium, corporeos oculos obserare.

Sic videtur Ecclesiasticus consulere percipientibus aure verba hominum, à quibus cavere congruit ne subvertantur. *Cave tibi & attende diligenter auditui tuo: quoniam cùm subversione tua ambulas. Audiens verò illa quasi in somnis vide: & vigilabis.* De

Eccli. 13. 16. 17.

auditu sermo incidit? Videbatur ergo dicendum: velut in somnis audi: quid visui cum verbis, ut monitio sic fiat: *quasi in somnis vide?* Liceat mihi locum paululum præter communem expositionem ad mores interpretari. Cupiebat Siracides assignare viam ad hoc ut mentis oculi vigiles permanerent: *& vigilabis.* Huic fini convenientissimum judicavit ut claudantur corporis lumina: sic enim acies intellectualis vigil erit. Non dixit: velut in somnis audi, quia dormientis aures patescunt; palpebræ concluduntur: ideo potius ait: *quasi in somnis vide*, hoc est oculis clausis percipe: nam si obseres eos, judicio vigilantissimo pollebis: *& vigilabis.* Ast cùm peccatorem non uti remediis hujusmodi libenter oblatis experiatur justus: iste charitate flagrans torquebitur, & *parturiet sapientiam.*

DELIBATIO V.

Lingua perversa vapulat adhuc.

OPponit Salomon os rectum labiis pravis: putans adversùs ista nunquam satis dictum, quia non unicum lingua malum. Habet Hebraica Lectio. *Lingua pravitatum*, vel, *perversitatum.* Instar plurium videtur iniquitas oris. *Hoc igitur exemplo congruè dicit Apostolus: omnia siquidem ferarum genera in lingua reperiuntur. Ibi quippe est levitas volucrum, ibi ferocitas bestiarum, ibi fraus violenta serpentium.* Et quàm pestilens hoc virus est, quod immortalem enecat spiritum! S.Augustinus: *Nunc verò sequitur: inquietum malum plena veneno mortifero, utique nocentiore quam bestiarum atque serpentium. Nam illud carnem interficit, hoc verò animam.* Morte dirior lingua putanda: mors quippe plura peccata finit, possibilitatem eorum demens; atverò lingua multorum executioni cooperatur. *Os nostrum multis malis ministrat*, inquit Origenes. Accedit quod lingua necat animam; quod mors non valet. Addę, quia mors Deum quatenus Deus est attingere nequit; lingua verò quoties mentitur, toties quodammodo in Deum audet ex doctrina S. Laurentij Justin. (quid erit in majoribus?) *perdes, inquit, omnes qui loquuntur mendacium. Nec ab re, quantum enim in ipsis est, immortalem & æternam veritatem (quæ Deus est) destruere moliuntur.* Vita nostra ventus est Jobo testante: mors ergo quæ vitam cædit ventum percutit. Honor autem verus in anima sedem ponit: in anima proindè feritur qui lingua vulneratur. Minus demoliri dicendum est mortem quàm sit quod lingua destruit iniqua.

28. *Minus destruit mors quàm lingua.*

S.Petr.Dam. l.2. ep.18.

S.Aug.to.7. l.d.natur.& gra.c.15.

Orig.ho.1. in ps.38.

S.Laurent. Justin. l.d. vita solit. c. 4.

Spiritus sanctus calamo Siracidis ait: *plaga autem linguæ comminuet ossa.* Mortis ictus tantundem exequetur? Nequaquam falce percutiens cadaver integrum demetit: ossa committuntur sepulchro. Libitinâ ferocior lingua conterit ossium duritiem. Adstipulatur Beda: *valdè amara & cæteris pœnis corporalibus*

Eccli. 28. 21.

Beda l.1. in Job c.5.

corporalibus gravior pœna est procacem atque effrænatam audire linguam : sic enim ait. Flagelli plaga livorem facit : plaga autem linguæ comminuet ossa. Jure dicebam linguæ vulnus atrocius interitu.

29. *Aptiores amici quidam ad Calumniam.*

Nec à solis adversantibus hoc genus vulneris pertimescendum : potissimum ab illis vibratur hoc telum, quos vulgus nominat amicos, & melius diceret sodales : non enim cum perfidiâ stat amicitiæ nomen. A lingua pravorum te securum existimas forte si eos in amicabile recipias consortium ? Imo certiùs tunc periclitaberis. Ideo consulebat quidam ne detractor in amicum eligatur nisi prius emendetur. *Plaga dolosa est occulta detractio, plaga serpentis est & aspidis, mortifera. Salomon. Si mordeat serpens in silentio, nihil illo minus habet qui occulte detrahit. Quemcumque in hoc vitio assiduum inveneris cavendus tibi est ille, nec eligendus est in amicum donec sanetur.* Sensit Anonimus quod post amicitiæ colorem non ideo frænabitur viperina lingua. Quin aptior ad calúniandum judicari valet amicus, quâ hostis.

Author libri d. amicit. qui habetur inter opera Aug. to. 4.

Laudavit coram satana Deus Jobum. Ille contra justum invidia ferveſcens & odio, reposuit Jobi virtutem bonorum temporalium pretio veluti conductam, statim quòd amitteret opes, degeneraturam. Permisit ei Conditor, ut confundat mendacem, quòd Jobum spoliaret. Nec mora. Boum greges diripiunt Sabæi, camelorum armenta Chaldæis præda facta sunt : & notat ibi Titelmanus, quod utrosque dæmon instigavit ad rapinam. *Adverte autem,* inquit, *hoc loco quanta sit potestas improbi dæmonis, & quanta valeat à Deo permissus : qui intra brevissimi temporis spatium, & Sabæorum ex parte una, & Chaldæorum ex parte altera animos accendit : eosque à locis diversis, illos à dextris, hos à sinistris, ad viri sancti (qui in eorum medio habitabat) diripiendam substantiam adduxit.* Ecce dæmon Sabæos, Chaldæosque, protunc nihil tale curantes ad hostiliter expoliandum Iobum commovit. Eccur, quæso, non & illos tres amicos ejusdem, aliquo stratagemate utens transmutavit in hostes, ne remaneret istud patienti solatium, scili. quod tres illius amici pariter invisérent sedentem in sterquilinio ? *condixerant enim ut venientes pariter visitarent eum & consolarentur.* Augetur dubium ex eo quòd M. Gregorius docuit diabolum excitavisse tres illos amicos ut insignem patientiæ typum contumeliis afficerent. *Sed* ait, *antiquus hostis, quo valentius vincitur, eò adhuc ad insidias ardentius instigatur. Nam quia uxor increpata tacuit, protinus alios, increpandi ad contumelias surgerent excitavit.* Cùm ita sit quare non ad odium Iobi stimulavit eorum corda malignus, ut inimici facti contumelioſissimè Jobum verbo læderent ? Quia pro linguæ percussionibus amicus aliquoties accommodatior est, quàm adversarius. Amicitiæ titulo venerunt, ac suggerente diabolo linguas adversus justum exacuerunt sicut serpentis. *Lingua pravorum* in textu Hebraico dicitur *perversitatum.* Inter has numera proditionem : familiare namque fictis amicis detrahere proditoriè ; quod si forent hostes, fortassis non exequerentur, ne de illis diceretur muliebri more verbis pro jaculis uti.

Titelman. in c. 1. Job.

Iob. 2. 11.

S. Greg. M. to. 1. l. 3. mora. c. 8.

In hac amicorum hypocrisi, nisi præcaveas, experientia docebit, eos nec ut verbo te solentur amicitiæ munus exequi ; sed ut calumnientur vix continere se posse. Expressit Augustinus detractores emblemate disertissimo. *Nam*, inquit, *murmuratores omnes magnificè descripti sunt quodam loco Scripturarum : præcordia fatui sicut rota carri ? Quid est præcordia fatui sicut rota carri ? Fœnum portat & murmurat. Non enim potest rota carri quiescere, à murmure.* Rota non jugum portat ; sed post dorsa portantium silere non valens murmur edit. Oblocutor infortuniorum ponderi colla mittentium non sublevat onus ; sed obmurmurat positus à tergo, sic ut amore detractionis ardens, quasi tacere nequeat, eructet venenum.

30. *Amicus non loquitur ut soletur verbo ; vixque se continet in calumniando.* S. Aug. to. 8. in ps. 132.

Redeat ille triumviratus amicitiæ pallio tectus, calumniator Jobi. Tres condixerant solatium allaturos. Cumque pervenissent ad vilissimum locum illum, quò Jobum projecerat infœlicitas, manserunt ibidem, silentio verba prementes diebus aliquot. *Et sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum :* &c. Expleta dierum illorum taciturnitate, anditaque Job lamentatione patientissimâ, Eliphaz ex tribus unus ita profatus est : *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies ; sed conceptum sermonem tenere quis poterit ?* ubi D. Gregorius Pa. *Sunt namque alij qui & ad loquendum prava concipiunt, & à locutione sua nulla silentij gravitate refrænantur. . . . Eliphaz itaque ex quo sit ordine ostenditur, qui conceptum sermonem tenere se non posse testatur. Qua in re & illud innotuit quod se loquendo offensurum novit :* &c. Quæro : nonne hic & alij convenerant ut verbo solarentur amicum ? Ira suadent verba textus : *ut pariter* &c. & conticuere omnes ? conceptos valent pectore sepelire sermones ? & nunc ex istismet quidam ait : *conceptum sermonem tenere quis poterit ?* Offensurum se novit : & ut calumnians lædat prorumpit sic ut se continere quasi non quiverit ille, qui ut consolaretur afflictum, per tot dies nec verbulum emisit. Sic se gerere solet *lingua pravorum.*

Iob. 2. 13.

Ibi c. 4. 2.

S. Greg. M. to. 1. l. 5. mora. c. 11.

Ad hæc. Notandum valde quòd, cum ita gestiat lingua pravorum calumnias adversus insontem effutire, contra improbos nihil omnino profert. Sed quomodo calumniabitur sceleſtum iniquus ? Imo laudibus illi se prosequuntur ad invicem frequenter. Ad illud psalmi : *laudatur peccator* &c. Justinianus ait : *laudatur, inquam, sed ab iis qui solum ea quæ carnis sunt sapiunt, & qui invisibilia esse non credunt, atque alteram vitam esse negant : necnon & ab illis, qui futurorum æternorumque bonorum spe carent, tantummodò terrenis & visibilibus inhærentes. Hujusmodi profecto non possunt non laudare quod diligunt, quod quærunt, quod ambiunt, & quod finem suum* &c. Si flagitiosus non veretur præconiis efferre nefarium, mirandum nullatenus est quod illius famæ detrahere non audeat. Pluribus linguis calumnia

Pluribus linguis diffunditur calumnia justi ; de reo nihil vulgatur.

S. Laur. Just. l. 1. humil. c. 1.

personabit

personabit adversus labis expertem. Perditum verò nulla proferet.

Conscende Calvariam tres invenies patibulantes: hinc & illinc latrones, & medium innocentissimum Dominum. Suspice. Quid legis? Christi Domini solius Cruci titulum appositum; non aliis duabus. *Titulus super solam Christi Crucem*, ait Euthymius, *positus est*. Similiter Theophylactus. *Latronum enim cruces titulum non habebant*. Et Chrysostomus: *Nam latronum cruces titulum non habebant*. Mos erat Romanis affingere plexis capite scripto causam suæ punitionis: non solum ut justitiæ, non autem crudelitatis, gladio animadversos protestarentur: sed etiam ut alij deterriti caverent à similibus deliciis. Fures cruce plectuntur à Pilato; neque tamen illis mortis causam jubet inscribi supra capita? Tantùm Jesu Christi Cruci, linguisque multis impositam reperimus inscriptionem. *Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est rex Judæorum*. Erat calumnia? quidni pluribus linguis palam fieret? *Titulum autem quem dixit alius Evangelista, Matthæus dixit causam. Ascripserunt enim cujus gratia crucifixus esset, nempe ut rex Judæorum, & rerum novator. Illi regnum ascripserunt pro accusatione*. Hucusque Theophilactus. De latronibus verum criuam tacet iniquitas; adversùs innocentiam falsum delictum pluribus linguis dispergit ad nationes. Et licet nostri verba textus unicæ linguæ mentionem exhibeant: *lingua pravorum*: tamen quòd pravos reprehendit pluraliter, loquentium nequam pluralitatem, insinuat.

Euthym. in Matth.

Theophylac. in c. 19. Joan.

Chrysost. to. 3. hom. 82. in Ioan.

Luc. 23. 38.

Theophylac. in c. 27. Matth.

32. *Adversus calumniatores unicum remedium latére.*

E tot linguarum circumaccensis facibus flammas evomentibus eripi cui datur? Nemini. Dum toties in hoc opusculo sugillari vides linguas hominum: vereor ne postules ut remedium consulam qui deploro cædem, Antidotum non aliud pro hac peste novi, nisi latêre prudenter. Exemplum objicit Filius Dei. Post celeberrimam disputationem in templo Jerosolymitano cum Pharisæis habitam, quid illi contigerit, memorare.

Redemptorem lapidibus petere voluerunt illi, qui lapideis cordibus veritati resistentes ipsius divinitatem recusantes fateri, scandalizati sunt ex eo quòd Abrahamo se priorem asseruerit. *Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se & exivit de templo*. Non multum antea cum vellent in eum Servatoris hostes mittere manus, ministris apprehensionem commisere: sed frustra: nam isti dulcedine doctrinæ Domini capti, commissum exequi non auserunt. Sic insinuat Joannes. *Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus: venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo*. Inquirere licèt cur à ministris eum vincire cupientibus non se præripuit, qui lapides manibus tenentes, abdendo semetipsum, delusit? Qui neutrobique metuit, vincula non declinat; sed lapidum jactus? Non tam lapides vitavit, quam linguas. Apprehensionem Christi Domini cogitantes ministri non eum verbis impetierunt; Pharisæi maxime. Nec immeritò præfatam conjecturam suadeo mihi: nam S. Athanasius ait: *ictus autem calumniæ gravius quam lapides feriunt*. In templo calumniatoribus erat expositus, jam Samaritanum, dæmoniacumque vocaverant, & mendacij arguerant. Quonam ingenio vinceret ista nisi latendo? Alio prius in loco ncu cum linguis decertabat: nequaquam erat cur delitescere vellet. Hominum detractiones jugiter doles, & odisti latêre? Magistrum communem imitare. *Nemo ergo se contra acceptas contumelias erigat, nemo convitiis convitium reddat. Imitatione etenim Dei, glorioſius est injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare*. Sic D. Greg. Pa. Frustra bella paras, armaque providus adversus ignem (quid aliud lingua?) perpolita seligis. Latibulum tibi præsidio sit, atque fuga, nec parum confeciſſe te putes, dum hac via tanto malo te reddideris immunem.

Ioan. 8. 58. 59.

Ioan. 7. 44. 45. 46.

S. Athan. in Apolo.

S. Greg. M. to. 2. hom. 18. in Evang.

DELIBATIO VI.

Quædam adnumerantur linguæ perversæ supplicia.

PUniendos eos qui labiis delinquunt Salomon hic præmonet uno verbo: *lingua pravorum peribit*: sed non ideo putes unicâ pœnâ dignum detractorem: quia vitium est omni penitus excusatione destitutum. Ad illud: *murmurabant ergo Judæi de illo* &c. dixit Rupertus: *Hoc est peccatum illorum de quo excusationem non habent*. Et quamvis hoc de murmurantibus contra Deum dictum sit, extendi potest ad eos qui honori proximorum detrahunt: nam (ut idem Rupertus ait) *qui detrahit Deo, vel qui blasphemat Deum, & qui detrahit proximo, vel qui judicat proximum, proximi sunt*. Nonne flagellum semel ac iterum pati meretur qui (ut accidit fere semper) in hac re nullo reportato lucro prolabitur? Te diabolus emit in servitutem peccati, pretiumque non pendit? Vereor ne tu qui peris ipse tui venditi solvas æstimationem ter miser. De boum comparatione, quæ fuit frivola satis excusatio cujusdam ex illis qui noluerunt ad convivium venire, loquens D. Bernardus ait: *sed quid eum juga subiisse causamur? arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. Dignus est operarius mercede sua. Nam ut mercedem pro opere tribuat, inauditum*. Addere potes: & extremæ nequitiæ genus hoc est: nam vix Divina patientia sustinet absque fructu peccantem.

33. *Vix patientia sustinet peccantem sine lucro.*

Ioan. 6. 41. Rup. l. 6. in Ioan. c. 6.

Rup. l. 2. in Levit c. 28.

S. Bern. in declamat. sup. Evan. Ecce nos.

Sciebat Assertor venditionis contractum cum Judæis iniisse Judam, ut Præceptorem Divinum traderet. Ad mensam proditor accumbebat, nec illi Dominus ait quare me

me vendidiſti ? quid habes in me quærelæ? Deinceps in domo Pontificis à miniſtro cæditur in faciem : & ab iſto quæſivit exemplar manſuetudinis ita : *quid me cædis ?* quibus verbis (ut aliorſum ex D. Cyrillo Alex. ſupra dedi) Filij Dei facinus illud arguere cernis tolerantiam : *magno injuriæ crimine* (ſcribit S. Pater.) *arguit miniſtrum.* Cur non ſimiliter Judam reprehendit in mensâ venditionem exequi paratum ? Quia pecuniis ineſcatus deliquit. Hanc, licet peſſimam excuſationem pro tanto flagitio nonnihil alleviando cerno. Miniſtro ferociter alapam infligenti, quid à Pontifice datum eſt pro ſacrilegio ? Prorſus nihil. Ægræ mititas Divina peccatorem diſſimulat ſub nulla ſpecie utilitatis delinquentem. Vix invenies maledicum peccato ſuo quidquam elucrantem : gratis pereunt ideo non mediocri mulcta puniri pluſquàm æquum eſt.

Ioan. 18. 23.

S. Cyrill. Alex. l. 11. in Ioan. c. 47.

14. *Lingua nequam percutit ſe.*

Primum eorum quæ detractor ob ſcelus patitur, ipſius lingua eſt. Nullius feræ nocet venenum eidemipſi, niſi linguæ. Ad illud pſalmi : *gladius eorum intret in corda ipſorum*, Origenes ait : *ſermones quos inſpirante diabolo iniqui proferunt adverſus juſtos, ut trucident rectos corde, convertentur adverſus ipſos qui eos proferunt.* Tam execrabile Divino conſpectui crimen obmurmurantis eſt, ut ne vindicta diſtet ab errato, nefas ipſum punitio ſui ſit.

Pſ. 36. 15.

Orig. to. 2. hom. 3. in pſ. 36.

Lingua ſeipſam percutit maledica. *Custodite ergo vos à murmuratione quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ.* Sic conſulit Sapiens : nec dubito quin prudentiſſimè. Putabam tamen dicturum : parcite proximis. Hos detractio ferit : an etiam detrahentis linguam ? Et non leviter. *Ideſt linguas veſtras* (exponit ibi Dyoniſius Carthuſ.) *non polluatis, nec adſupplicia obligetis, obloquendo per eas. Per quæ enim quis peccat, per hæc & punitur :* Concordat expoſitio Cardi. Hugonis : *quia injuria & violentia fit ei, cum verba detractionis cogitet formare : facta eſt enim ad laudandum Deum, & proximum conſolandum.* Adde Liran. ibidem: *non lingua injuriatur cum ad detractionem proferendam applicatur.* Vitium detractionis inſinuatur hoc loco penitus inutile : *murmuratione quæ nihil prodeſt.* Cum itaque nulla propriæ utilitatis excuſatione minuatur ejus gravitas, non eſt cur amplius differenda ſit ejus pœna. Ipſamet labia cædunt ſe non leviter, cum alterius mordent honorem. Hoc eſt eorum, quæ dum vita manet ſupplicia patitur injurioſus, inter cuncta ſeverius : nam *quantò*) ut eſt Ambroſij ſententia) *tolerabilius eſt alieno gladio quam noſtro perire ?*

Sap. 1. 11.

Dyoniſ. Carthuſ. in Sapi. c. 1. ibi.

Hug. Card. ibid.

Lira ibid.

S. Ambr. to. 4. l. 1. d. Offic. c. 4.

35. *Morte durius ad laudandum cogi quem oderis.*

Secunda pœna petulantis oris eſt, ſic vices temporum tranſmutari, quòd bona loqui cogantur de iiſdem, de quibus antea detrahebant. Hoc improbis contingit non ſemel. Patientiæ perſeverantis fructus eſt, quòd tandem audiat ſui laudatores, quos paſſus eſt obloquentes. *Cum quiſque Chriſtianus* (Auguſtinus loquitur) *cœperit bene vivere, fervere bonis operibus, mundumque contemnere, in ipſa novitate operum ſuorum patitur reprehenſores, & contradictores frigidos Chriſtianos; ſi autem perſeveraverit & eos ſuperaverit perdurando, iidem ipſi jam obſequentur, qui antè increpabant. Tandiu enim corripiunt & perturbant, & vetant, quandiu ſibi cedi poſſe præſumunt. Si autem victi fuerint perſeverantia proficientium, convertunt ſe, & dicere incipiunt : magnus homo, ſanctus homo* &c. Ita Deus pro ſuis vindex adverſarios eorum ſubſternit pedibus. Nec parva ſic ab eis ultio ſumitur : morte namque funeſtius eſt quòd bene loqui de illo cogaris, adverſus quem antea verborum tela mittebas.

S. Aug. to. 10. ſer. 18. d. verb. Dom.

In Judæos Amani pectore ſupremi regis adminiſtri quondam exarſit odium. Totam perdere molitus eſt nationem. Sic voluit : ſic obtinuit ab Aſſuero, cui pro ratione voluntas Aman. Quandiu differebatur edicti feralis executio, loquens interceſſione reginæ contritus eſt, & Hebræi liberati ſunt. Inſuper ultio fuit eis conceſſa de hoſtibus : non ſolùm Aman, ſed alij plerique perierunt. Notare libet cur non eos occidere curaverint Iſraëlitæ, de quibus textus ait poſtea timentes Mardochæum extuliſſe Judæos ? *Nam & provinciarum judices, & duces, & procuratores, omniſque dignitas* &c. Cùm enim Hæbraicæ genti datum ab Aſſuero fuerit in vindictam intentæ cladis necare ſuos adverſarios : hæreo quare non iſtos è mèdio ſuſtulerunt, qui potentes inſinuantur, & qui adverſus Jacobæam prolem animo infenſos prius (& fortè adhuc poſtea) veroſimile credi valet ? Quia ſatis eis pro morte fuerat, quin potius nece durius, quòd favorabiliter de Judæis loquebantur metu coacti (*extollebant Judæos timore Mardochæi*) iiſmet qui (prout incredibile non eſt) antea morigerantes Amano de Iſraël filiis detraxiſſe non dubito. Suggerebant aliter odio plena corda : ſed torquebantur : inque detractionis pœnam compulſi fuerunt flagello timoris bona fari. Tormentum ſane priſca tyrannorum excedens inventa ! Parce dixit Salomon : *lingua pravorum peribit* : nam cruciatus de quo nuper dicebam plus eſt multò quam periſſe.

Eſth. 9. 1.

Ibid.

Alio quandoque verbere detractores feriuntur : quod non ſola morte, ſed gehenna terribilius ipſorum æſtimatione videtur. Quodnam putas hoc ? Silentium. Taciturnitate lingua nequam percutitur : & adeo fert acerbè premi ut ſileat, quòd ſupra barathri cruciamenta reputent punitionem iſtam.

36. *Lingua nequam fert ſilentiũ ægrius quam flammas inferni.*

Erubeſcant impij & deducantur in infernum : muta fiant labia doloſa. Quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia, & in abuſione. Nomine inferni ſumendum eſſe ibi damnatorum æternum carcerem ſuadent commentaria Valentiæ & Bellarmini. Ille verba trahit ad inflictas Judæis pœnas, dicens : *de ſecunda dicit deducantur in infernum in perpetuum cruciandi.* Cardinalis verò textum applicat Achitopheli, conſiliario ſcili. illi tam ſententiæ ſuæ peramanti, quòd ſe necaverit ſuſpendio videns Abſalonem conſilio ſuo non aquieſcere. *Laqueo*, ait Bellar. *ſe ſuſpendit, & ſic ad infernum deductus eſt impius, & muta facta*

Pſ. 30. 18 19.

Valent. in pſ. 30. ibi & Bellarm. ibid.

sunt labia dolosa. De quocumque verba præcitata credas accipienda, citra dubium est quòd adversus detractionem prolata sunt: quod patet ex eo quòd ibi dicitur: *labia dolosa quæ loquuntur adversus justum.* Obmurmuratori duo prædicit, vel imprecatur mala Psalmographus, scili. infernum & silentium. Rectus orationis ordo postulare videbatur, ut à minori ad majus ascenderet: dicturum sperabam sic: muta fiant labia dolosa, & ipse, vel ij detrudantur in tartarum. Non ita loquitur: sed prius de averno, quam de silendo meminit: quia tacere severius videtur animi supplicium detrahentis, quam orco tradi. Cassiodorus ad eum locum: *quæ hîc garrula sunt, dum non timent futurum judicium. Muta itaque fiant in pœnis, scili. in inferno.*

Cassiod. in ps. 30.

37. *An iniquæ linguæ parũ igne gehennæ cruciari.*

Hoc quod prædixi tribue malignitati detractorum, ardorique maledicentiam exercendi: qui silentij dolorem sic eorum phreneticis mentibus exaggerat. Illud tamen fateor, quòd si daretur ultra stygias flammas acerbior ignis, hunc illis addendum putarem ut exureretur maledicus. Nec adhuc puniretur ultra condignum: nam totus erebi rogus neutiquam sufficere videtur pro linguæ nocentis æquâ punitione.

Ps. 139. 11. Davidem recolamus. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos.* Chaldaicè legis: *cadent super illos carbones de cœlo: in ignem gehennæ præcipitet eos:* unde Lorin. ibi: *potest cum Paraphraste aliisque quos antea notavi, gehennæ perpetuus ignis hoc loco intelligi saltem sensu mystico, vel accommodatitio.* Quòd è cælo tunc demittendos affirmet carbones, cùm in infernum isti detrudentur, suadet contextura verborum quæ libramus, & confirmant quæ statim sequuntur: *virum injustum mala capient in interitu.* Quo præjacto, quærerem: cùm in perpetuam descendent fornacem mali, superflua videtur carbonum de cælo super illos decidentium congeries, quia satis ignium cocyto volvitur: utquid augetur de cælestibus? De pœna maledicorum sermo inciderat eo loci: *acuerunt linguas suas sicut serpentis*: & hujusmodi vindicando crimini vix totus caminus damnatorum sufficere videtur. Si Carthusiani sententiæ, de qua supra, stare vis: comminatur in thesi nostra Salomon æternam damnationem linguæ nequam, dum ait: *lingua pravorum peribit.* Sed non amplificatur nimis quantò sit oris vitium execrabile, cùm æternitas cruciatuum minimo debitum sit inter lethalia scelera.

Lect. Chalda. Lorin. in ps. 139. ibi.

Ps. 139. 12.

Ibi n. 4.

DELIBATIO VII.

Sapientia fulget dum communicatur. Peccator fur. Tyro virtutis ne properet nimis. Et nonnulla contra blandientes, detractores, & loquaces.

OS. Non in ore sapientia residet: sed in intellectu, corde, memoria, recondi- 38. *Sapientia ibi fulget ubi aliis fit communis.*
tur. De istis ergo videbatur dicendum quod hic de ore pronuntiatur. Os nihilominus peculiaris dici potest sapientiæ sedes, eo quòd sit instrumentum quo sapiens harum participes opum reddit quos instruit: & ibi splendet sapientiæ decus, ubi cæteris thesaurus ejusdem patefit. Luci conferens igneæ Philo sapientiam, quæ alias faces accendit absque diminutione sui, sic addidit: *Talis est natura etiam scientiæ: postquam enim discipulos & familiares peritos omnes reddidit, nihilo diminuitur: nonnunquam augetur etiam, sicut narrant de fontibus, qui frequentantur ab aquatoribus. Nam & hos fertur hoc modo dulciores fieri.* Ibi fulget itaque sapientiæ jubar, ubi diffunditur egenis.

Philo Hebr. to. 1. l. de gigant. ante medi.

In corde prudentis requiescit sapientia, inquit Paræmiastes: & infra lego apud eundem: *in facie prudentis lucet sapientia.* Quomodo hæc duo stare queant examinandum est: nec enim solet in vultu patere cor hominis, ad hoc ut quæ præcordiis morantur, in facie videre credamus. Ut illa Salomonis pronuntiata concilies, advertas oportet quantum dissideant. Prius de requie sapientiæ; posterius de fulgore hujus agit. Requiescendi sedes pro sapientia cor extat: *in corde* &c. coruscandi verò locus aptus est facies ubi labiis depromitur. Ideo dicitur *in facie prudentis lucet sapientia:* nec enim rutilaret si pectore jugiter delitesceret. Favet Beda locum posteriorem adaptans Christo Domino: *in facie quidem Domini Salvatoris lucebat sapientia divinitatis, quam in carne apparens, virtutum & doctrinæ testimonio demonstrabat.* Ecce quâ ratione scientia radiat: non visceribus clausa, sed ore vibrans. Sapientia de quâ Salomon idem in themate nostro, cùm sit pro moribus instituendis apta, & consequenter de virtutum dulcedine mutuetur plurimum, in corde justi moratur, cui quidquid virtuti cognatum, valdè cordi semper est. Attamen quia non pectus doctrinam distribuit, sed labia faciunt eam minus doctis communem: ideo quamvis juxta veritatem Evangelicam de cordibus cogitationes exeant, non dixit Ecclesiastes corde justum eructaturum fore doctrinam; sed ait: *os justi parturiet sapientiam.*

Prov. 14. 33.

Ibi c. 17. 24

Beda in c. 17. Prov. l. 2.

Justi. Justitia, prout virtus generalis, radix est ethymologica nominis hujus, *justi.* Nec sine moralis doctrinæ luce factum arbitror, ut collectio virtutum omnium appelletur

39. *Furi similis est quivis peccator.*

letur vocabulo, quo significatur virtus ea cujus munus est reddere cuique suum, & alieni usurpationem prohibere: nam quisquis in quacumque materia peccat lethaliter, fur est, utpote creaturâ contra voluntatem utens Domini sui. Patronus est S. Anselmus. *Sicut* inquit, *autem homo peccando rapit quod Dei est, ita Deus puniendo aufert quod hominis est.* Quid est furtum nisi rei alienæ contrectatio nolente domino? Cum delinquis mortaliter converteris ad bonum creâtum vetitum, ac tam eô, quàm voluntate propriâ (quæ vere sub Creatoris dominio manet) uteris dominatore renuente. Igitur furi similis est omnis delinquens.

S. Anſel. l. cur Deus homo c. 15.

Memorare quid apud Isaiam legeris. *Principes tui infideles socii furum.* Latrones principes isti vocantur juxta expositionem Sanctij. Notandus est sancti Hieronymi commentarius dicentis: *Principes autem Scribas & Pharisæos vocat, qui à Domino recedentes, imò veritatis semitam relinquentes perverso ambulaverunt itinere, & socij fuerunt proditoris furisque Iudæ.* Traditorem furem novimus; at scribæ necnon Pharisæi, quodnam latrocinij genus in Passione Christi Domini commiserunt? Sat est peccasse graviter, ut socij furum, hoc est latrones, dici queant. Cum igitur omnis flagitiosus latrocinij sit reus; econtra qui caret omni vitio nomen accipit quo significare solemus virtutem illam cujus est furta vetare, quamvis hic generaliter accipiatur vox *justi.*

Isai. 1. 23.

Sanct. ibi in paraph.

S. Hiero. to. 5. l. 1. in c. 1. Isai.

40. *Non congruit spirituali tyroni citò volare.*

Parturiet. Septuaginta vertunt: *os justi distillat sapientiam.* Verbum, *distillat*, explicat quomodo virtutis partus edi congruum sit: non immaturos, ne breviter degenerent; sed lentâ festinatione tempestivos. *Sicut enim*, dixit S. Ambrosius, *in germinibus herbarum atque lignorum, quæ terra producit, non una species, nec unum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur plenum autem decorem non statim ut eduntur accipiunt, sed certis, & ordinatis provehuntur augmentis: donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia sibi incrementa perveniant: ita & semina charismatum, plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod sunt futura nascuntur, nec facile reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio.* Aliter sibi datum cælitus quorundam superbia phantasia somniat. Statim atque pedem è terra levant, jam volaturiunt. Placet quòd alas assumant: sed vires augere curent; nec tam citò volare conveniens tyronibus est.

S. Ambro. to. 4. l. 2. d. vocat. Gen. c. 3. med.

Umbrarum Evangelij præco antelucanus vaticinans fœlicitatem spiritualem, quam prævidebat futuram, dixit: *assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Si fuerat ambulandum illis & currendum, frustraneum videtur assumpsisse pennas. Non equidem supervacuum. Accipient alas; non tamen statim audeant se credere cœlo: priùs ambulent, deinceps currant, & interim nutriant vires ut postea volent. Et quid inde nascetur emolumenti? Quod viam asperrimam carpentes *non deficient.* Videmus frequenter quosdam, qui mox atque concionem Evangelicam audierunt minis & formidine plenam lectioni spirituali per unam vel alteram horam incubuere: jam caput inlinant ne summo tangant sydera vertice. Oculos in cœlum tollimus dum hæc videmus, ut pro terris concesso tantæ virtutis ornamento gratias agamus: & cum lumina demittimus, jam sanctitas illa disparuit, & reditur ad vomitum. Quis fascinavit istos? Volaturire præcociter nimis volentibus accidit ut virtus avolaverit. Vide quæ delibavi ex fl. 28. n. 7. Duplex lego gigantum genus. Alij veritas; aliqui verò fabula. Priores non gigantæa proceritate monstrosi nati sunt; sed prius pueri, deinde juvenes, ac tandem evasere gigantes. Ij verò qui poëtarum figmenta fuerunt, in ipso nativitatis die totam obtinuere molem. Applica qui potes virtuti, quæ tam præproperè culmina tenens fabulosam se probat. Sæpe non adhuc renatus est peccator per pœnitentiam, & etiam super tecta contemplativus (ut ille putat) ascendit quærere Deum exardens; ab intiis exordiendum.

Isai. 40. 31.

Evenit istis quod paralytico illi, quem in civitate Capharnaum Dei Filius curare dignatus est. Domus in qua Redemptor aderat januam sic turba repleverat, ut non valentes qui portabant ægrum ad Christi Domini conspectum inferre per ostium, ascenderent supra tectum, & quantum fuit opus tegulis detractis, ægrotum simul cum lecto demiserint ante Redemptoris piissimos oculos. *Et cum non possent offerre eum illi præturba, nudaverunt tectum ubi erat, & patefacientes submiserunt grabatum* &c. Tunc Dominus ante omnia dimisit ei peccata, dicens: *dimittuntur tibi peccata tua.* Vides Adhuc delictorum veniam non obtinuerat? Et jam supra tecta Servatorem quærens efferri sinebat seipsum? Quot paralytico similes huic intueor? Adhuc scelerum vera confessio, non perfunctoria restat: jam per contemplativorum theologiam ascendentes mysticam, altissima petunt; & quod pejus, inde miserabiliùs ruunt. Heri jacebant non in lecto sed in luto qui præsumunt hodiè volatus aquilinos. *Nemo infima deserens repente fit summus*, inquit Moralium Doctor. Quapropter *os justi* non flumina sapientiæ statim omnia tyronibus effundit; sed fœtum quem parturiet, sensim alit, atque potius *distillat sapientiam*; nam, ut Seneca docet, *plurimum proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo.*

41. *Quidam adhuc non renati sunt per pœnitentiam, & jam alta petunt.*

Marc. 2. 4.

Ibi. n. 5.

S. Greg. M. to. 1. l. 22. mor. c. 14.

Sen. ep. 38.

Sapientiam. Ad litteram dixi hanc vocem accipiendam prout sonat, sed non improbabiliter ad mores pro virtute sumi potest. Et quidem virtus ac sapientia valde sunt affinia. *Cognata virtus sapientiæ est.* Sic D. Bernardus. Pluribus assimilatur utraque mutuo de quo fl. 1. n. 16. Nunc tantùm inter sapientiam & virtutem unicam similitudinem propono, quandiu dispergitur in audientium eruditionem. Præceptor imbuens discipulos tradit veritates, quas profitetur scientia, quamvis nonnullos ibi videat rudioris minervæ: nec ideo doctrinam pro-

42. *Perseveret spiritualis præceptor.*

S. Bern. ser. 85. in Cant.

pinare desinit : nam si tacuerit lapideam quorundam ruditatem pertæsus, ingeniosis nocebit. Sic & in virtutum schola magister non attendat quod in pluribus operam perdit : morum dissèminet regulas, quantumvis nec ubique fructum edat. Et certe quemadmodum qui agrum colunt, glebam aratro scindunt, semina deponunt, nihil quod suum est non faciunt; Dei autem providentiæ relinquunt proventurus ne sit inde fructus vel non : sic prædicantibus verbum Dei diligenter seminamdum est, utrum autem fructificatio sequatur, necne, quamvis optandum sit, Divinæ tamen gratiæ committendum. Etsi noscat ergo didascalicam tractans agriculturam perire multum seminis, haud opus execretur : Sed vestigia sequatur Dei, qui sic in unico germine spirituali complacet, ut ex hoc multam sollicitudinis jacturam compensari judicet.

Luc. 8. 5 6. *Exiit qui seminat seminare. . . . aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. . . . & aliud cecidit supra petram* &c. Seminator

Bed. l. 2. in Luc. c. 29. iste Deus est. Beda ibi : *satorem, quem nobis quærendum reliquit, nullum melius quam Filium Dei intelligere possumus.* &c. Et sciens hinc obdurescere lapides, illinc spinas agmen instruere, quid in spinetum, siliceve triticum spargit ? Noverat aliquod in terram bonam casurum, ac totum quod alibi perdidisset solvendum in optimo solo fructificatione centuplicata : nec putavit prudenter cessandum ab agro colendo propter frumenti dispersionem frustraneam in spinis

Chrysos. to. 2. hom. 45. in Matth. & lapidibus faciendam. Chrysos. *Quemadmodum agricola seminans non discernit campum ut in altera parte seminet, in altera verò minime, sed ubique projicit semina: eodem ipse modo Salvator noster non divitem, non pauperem, non ingeniosum, aut rudem, aut fortem, aut gnavum, aut diligentem, aut desidem; sed omnibus, quamvis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat.* Sic magister in scientiarum culturâ : sic etiam concionator in virtutum plantatione. Igitur & in hoc sapientia virtusque conveniunt, adeo ut eodem nomine gaudeant.

43. *Adulator dormientes fallit.* *Lingua.* Iuxta Hugonem hæc vox dicitur à lingendo : adderem quòd etiam à ligando. Nam adulatio laqueos floribus contegens ligat incautos. Imo non nisi dormientes vincire valet assentator. *Quisquis,*

S. Greg. M. to. 1. l. 18. mora. c. 4. ait, M. Greg. *ergo malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.* Jacentibus pulvillus offertur à blandiente quò dormiat : non enim ligabitur si vigilet. In hoc sane simillimi sunt murmurans & adulator: uterque veluti dormientes afficit, iste præconiis, ille vituperiis. Maledicus putat somno te deditum, clanculùmque susurrat ; adulator quasi sopitum illudit. In hoc & aliis quamsimiles invenio tigres & aspides, nempe detrahentem & adulantem.

Prov. 27. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens maledicenti similis erit*, ait Salomon. Locus hic alludit ad quandam priscorum consuetudinem : cum vel paupe-

res, vel aliquid à potentibus ambientes, ad eorum januam summo mane vociferantes, fausta precabantur, dicentes : Ave princeps liberalissime : Deus hunc diem tibi sospitet : vel similia præ foribus clamitabant manicantes. Hujusce moris meminit Seneca. *Quam multi hesterna crapula semisomnes & graves, illis miseris somnum suum rumpentibus, ut alienum expectent, vix allevatis labiis insusurratum millies nomen oscitatione superbissima reddent ?* Id solum vellem à Salomone : in quonam adulator, de quo textus, obtrectatoribus assimiletur, cum isti maledicant ; ille verò personet encomia. Ideo forsan ita loquitur sapiens quia uterque ferit, dormientibusque nocet. Idcirco eorum quivis de nocte consurgens operam præstat sceleri suo : nam si accederent interdiu, vigilantes invenirent, & lux frustraneam redderet eorum industriam. Sed non à feriendo sumpsit lingua vocabulum in odium deterioris vitij (nempe adulationis) à dulciter ligando, vel si potius velis à lingendo, vocatur *lingua.*

Sene. l. d. brevi. vit. c. 14.

44. *Obscurior qui nititur denigrare.* *Pravorum.* Cædamus iterum detractores, ut per quæ peccant illi torqueantur verbis in salutem. Solent eorum quidam obloqui bonis, ut ipsi virtutis amantes appareant: & sic de reliquorum denigratione candidari se putant novo picturæ genere : cùm alterius nigredo parere nequeat albedinem propriam. Istis accommodari poterit quod S. Prosper de frustranea quorundam industria crescendi : quâ decrescunt, in eos verso consilio suo, & in cassum evanescente viribus arte.

S. Prosp. carmi. d. ingratis.

Crescere quo cupiunt minuuntur : proficiendo
Deficiunt : surgendo cadunt : currendo recedunt.
Unde etenim varij frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur : quoniam sua, laudis amore
Non quæ sunt Christi, quærunt.

Sic eventus malo suo docet obstrepentibus linguis atque procacibus. Obscurare conantur alios, excogitantque defectus quos prodant, ad hoc ut pharisaico supercilio dicant sibi plaudentes : *non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri :* sed vacuè laborant : nam stellas nox caligine tetras reddere nitens, obscurior inde probatur.

Luc. 18. 11.

Dixit Jobus adversus infaustam suæ conceptionis noctem, doloris gladio silentij vincula disrumpens : *obtenebrentur stellæ caligine ejus.* Invehitur Job in illam noctem, & astris malè precatur ? de nocte questus erat illi ; de syderibus taceat : utquid eas vellet obtenebrari noctis funebri pallio ? Quia quò nox atrius velum expanderet ut margaritarum cælestium pulchritudinem tegeret : eò seipsam efficeret magis tetricam & lugubrem. Stellæ justi sunt hoc loco secundum Gregorium Pa. *Multi in tenebris vitæ præsentis, dum superiora de se exempla exhibent, astrorum more nobis desuper lucent*, &c. nox autem impiorum est umbra, docente ad eundem locum ipso Doctore

Iob. 3. 9.

D. Greg. M. to. 1. l. 4. mora. c. 22.

Idem ibi c.15. ctore S. *Quod ergo de hac nocte, ideſt antiquo hoſte, dicitur, dignum eſt ut ad corpus ejus ideſt ad iniquos quoſque derivetur.* Eccleſiæ firmamenti aſtra detractor veluti nox obtenebrare audet: ſed ipsâ ejus umbrâ, quam in eorum radios malignè ſpargit ut velet, ſeipſum dehoneſtat, ut nollet. Fruſtratur ſollicitudo, quâ ſuomet honori conſulere ſtudet hac via: quamvis enim ad virrutis opinionem aucupandam, piiſſimè perſonet, adhuc à ferè cunctis hæc dignoſcitur malitia, quâ ſerpit *lingua pravorum.*

45. *Quidam nihil ſunt niſi lingua.* *Peribit.* Ut ſapiens affirmet iſtos improbos perituros, hoc ipſum aſſerit de illorum lingua. Fortaſſis in quamplurimis homo linguaque ſynonima ſunt. Nabuchodonoſor ſtatuam effingi fecit auream, cui divinos cultus offerri juſſit barbarè. Sed audi quibus Daniel 3. 4. 5. verbis denuntiatum ſit regis decretum: *Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis: In hora, qua audieritis ſonitum.... cadentes adorate ſtatuam* &c. Nonne ſatis collectiva nomina præceſſerant, quæ cunctos imperio Nabuchodonoſoris degentes comprehenderet? neceſſarium fuit addere inſuper: *& linguis?* Linguæ colent ſimulacrum, vel homines? Homines qui linguæ nomine digni ſunt, eo quòd in eis præter Labia, cuncta nihil. Præſenti verſiculo, ut iſti comminatione terreantur, non ait Salomon: improbi perituri ſunt; ſed: *lingua pravorum peribit.*

FLOS XXXIII.

Labia juſti conſiderant placita: & os impiorum perverſa.

APERITUR.

1. POSSET hic Salomon anticipatò verbis uti Doctoris Gentium, cùm pluries linguæ præſcribi regulas, & Ad Philip. 3. 1. mala cavere ſuadeat. *Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Nunc iterum de linguæ difficillimo regimine verba non fruſtra facit. Præmittendam eſſe maturam expenſionem priuſquàm loquamur commonet, ac impios in hoc deficere notat. Duplex in præfixis nuper verbis continetur metalepſis: hoc eſt, figura per quam dictio aliud à propriâ ſignificatione, propter ea quæ præceſſerunt ſignificat. Sic verbum, *conſiderant* quia nomen anteceſſit, *labia*, quæ non conſiderationi, ſed locutioni miniſtrant, ſumitur pro conſideratò fari. Cornelius à Lapi. commentatur ibi: A Lapi. in c.10. Prover. n.32. *conſiderant, ideſt conſideratò proferunt.* Aliam in verbo, *perverſa*, diſcerne metalepſim: quia enim dixerat de juſtis: *conſiderant placita*; ſignificantur nomine perverſorum verba culpabiliter inconſiderata: quæ minimè placent audientibus, utpotè maligna.

2. Quærendum nunc eſt, inter quænam extrema formetur oppoſitio: an ſcili. inter duas conſiderationes, alteram juſti, qui recta meditatur; aliam impij qui perverſa deligit ut proferat? An verò potiùs inter meditationem, quâ juſtus examinat quæ dicenda ſunt; & inconſiderationem, quâ pro libito, nullo prius examine facto noxius verba projicit? Pro primo ſenſu ſtat Carthuſianus exponens ita: *ideſt conſiderant impij qualiter poſſint varia frivola & nociva effari: & ex induſtria evomunt talia.* Sic Dionyſius. Callidi ſub prudentiæ titulo mali mentem ad peſſima torquent: & ſub colore ſapienter operandi ſeligunt errores, & ore promunt imprudentiſſimè: *nec enim calliditas eſt prudentia; ſed ſimia prudentiæ*, ait Carolus Paſchalius: nec matura cogitatio naturam immutat eorum quæ pronuntianda ſunt. Si malum eſt quod loqueris, non illud vertes in bonum per hoc quod prius diu ſis meditatus hoc ipſum; imò pejus eligis hoc modo, juxta illud, quod loquens de mendacio S. Greg. M. ait: *nonnunquam pejus eſt mendacium meditari.* Carthuſ. in hunc locũ. Carol. Paſcha. l.d. virtu. & vitiis c.27. S. Greg. M. to.1. l.18. mora. c.1.

Secundo ſenſui, qui veroſimilior eſt, patrocinatur Janſenius applicans verbum, *conſiderant*, & juſto, & impiis: nam ille quæ oportet; iſti quæ diſconvenientia ſunt cogitatione verſant, dum loqui deliberant. Placet interpretatio: quia ſic magis elucet antitheſis inter utramque partem ſententiæ: nam liberum videtur aſſerere, quod in ſecunda parte lateant hæc verba: non examinant, cùm habeamus expreſſum verbum illud, *conſiderant*, quod poteſt & ſontibus aptari. Ubi habemus expreſſa quibus texatur orationis conſtructio, fruſtra, nullâ ratione cogente, recurrimus ad tacita.

Labia. Quamvis expoſitionem Cornelij 3. à Lapi. ſecutus, labia ſumpſerim prout ſonat vox iſta: non tamen eſt improbabile ſumi pro intellectu. Plures oris, mentiſque ſimilitudines annumerent alij; mihi ſatis hæc: ſicut os cui deficiunt alimenta, poſtulat illa: ſic intellectus: *auris ſapientium quærit doctrinam.* Prov.18.15.

Juſti. Caſus genitivus dominationis eſt: ſed ut homo pleno dicatur dominio labia poſſidere, ſumenda ſunt hæc in eo ſenſu quem paulò antè notabam ex à Lapide. Si namque labia pro intellectu accipias: hujus non integrè dominus quiſque dici valet, eò quòd mens in cogitando non perfectè nobis obediat: *magno quidem*, ait S. Greg. Pa. *ſtudio ſuperfluæ cogitationes amputandæ ſunt, ſed tamen amputari funditus nequaquam poſſunt.* O miſeram naturæ conditionem! Damna voluntas miniſtrat; mens verò remedia. Voluntatis pleniſſimo arbitrio gaudet homo, quo perit; mentis autem frequenter habenas flectere nequit ut ſanetur. S. Greg. M. to.2. l.5. moral. c.24.

Conſiderant. Hoc eſt unum ex potiſſimis rationalis nobilitatis privilegiis: conſideratio ſcili. eorum, quæ vel agenda ſunt, aut eloquenda. Et quàm proficua permultis finibus conſequendis eſt meditatio prudens! Ipſum fontem ſuum, ideſt mentem de qua oritur, purificat: regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat. Et præcipuè, quia labilis eſt uſus linguæ, loquelæ præmittendum eſt examen judicij. Hoc polleт inter animalia ſolus homo, quia ſolus ipſe loqui valet.

Quid considerandum sit non expressit hoc loco Salomon. Id ab Ambrosio disce. *Sapiens ut loquatur multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore.*

S. Amb. to. 4. l. 1. d. offi. c. 10. fine.

Placita, verba, inquam, placentia rectè judicantibus. Vix enim universis omnia valebis arridentia proferre licet Catonicè loquaris, ac Tullianicè: præsertim si apud æmulos verba facias, quorum crisis maligna judicat adeo corruptè, quòd nota criminis foret ab illis absolvi. *Quis est hominum sic cautus*, ait Cassiodorus, *ut si inter æmulos loquatur, nullum ejus verbum incurrat aliquam quæstionem?*

Cassiod. sup. ps. D xi custodiam &c.

4. *Et os.* Sicut supra, vox, *labia*, ita hîc nomen, *os*, duplicem accipit expositionem, aliam probabiliorem pro loquelæ janua, probabilem alteram pro mente impia. In secundo sensu notabis intellectum nequissimi hominis esse ori similem in hoc, quod ei qui diu comedere præ fastidio recusat, ita clauditur os, ut ferè nihil valeat deglutire: sic & qui per multa spatia temporum respuit alimenta doctrinæ postea dissuetudine lapideus redditur, &, ut Seneca loquitur, *desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia mores fiunt.*

Sen. in Prover.

Impiorum. Vocabulum istud synonimon aliquando solet esse crudelium. Non exerravit Salomon in eligenda voce, cùm de lingua nequam loquatur, quæ certè crudelissima est, ut in superioribus dixi nunquam satis. Accipe Chrysostomum. *Lingua æstimetur gladius in medio positus. Armetur adversus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur.*

Chrysost. to. 3. hom. 4. ad baptizandos.

Perversa. Nec semper iniqua loquitur defectu considerationis improbus, attamen aliquando peccatur in verbis absque delectu prolatis. De servientibus corpori valdè cautus, de illis quæ coinquinant animam, præceps in nociva ruit. Alij non sine consilio, sed electione pessima utentes deliberant pejora. His pestilens prudentiæ genus est: & non illa virtus; sed virus extat. De prudentia carnis ait generatim Augustinus: *Prudentia ista vitium est. Vis nosse quod est? Sapere secundum carnem mors est.*

S. Aug. to. 10. ser. 6. d. verb. Apostoli.

DELIBATIO I.

In loquendo prudens cautela suadetur.

5. *Majori cautione utere in affirmando, quam si ambulares pedibus super aquas.*

FRequens nimis est linguæ lapsus: frequentiori munitione indiget. Præcepta dicendi pueris inculcantur; sed nulla tacere docuit ars, rem difficillimam. *Complures vidi loquendo in peccatum incidisse, vix quempiam tacendo: ideoque tacere posse, quam loqui difficilius est.* Hæc Ambrosius: quam veritatem cùm non ignoraret S. Laurentius Justinianus, dixit: *Priusquam proferantur, diligenter examinanda sunt verba.* Paræmiastes labiorum discrimina præcavere suadens, curat hoc loco monere ne quid temerè proferat os tuum. Plura sunt in quibus incumbit cautioni specialiter habenas effrænis linguæ tenere. Seligo quinque, dimitto alia, quæ prudens considerat. Igitur lento gradu prudentia prævideat quid affirmes, quid laudes, quæ damnes, quid postules, & cui secreta committas. Eodem ordine breviter enucleare pergo cuncta sigillatim. Attende primò quid asseveres: ne sensibus nimis fidas, etenim servi sunt, quibus mos est invenire qualiter dominos fallant suos. *Fallax enim*, inquit S. Gregorius Thaumaturg. *& incertum rerum veritatis judicium sensus est, aditum per se ad profunditatem mentis & intelligentiæ præcludens.* Majori cautione utendum est in asseverando quòd nosti, quàm si per aquas ambulares.

S. Amb. to. 4. l. 1. d. offi. c. 2. S. Laur. Justi. tract. d. discip. & perfect. monasti. converſa. c. 15.

S. Greg. Thaumat. relatus à D. Gregor. Nyss. in ejus vita.

Post lautum deserti convivium turbis exhibitum, compulsi discesserunt à Domino discipuli. Cùm fluctibus in brevi navicula postea confligebant. Adest amantior magister suorum periculis præsentissimus. Illi putaverunt phantasma: Dominus eis aperuit sui notitiam, dicens: *Ego sum.* Cernens Petrus Dei Filium tenentem plantis undas, ardens nititur ad illum festinare pertæsus remigij moras. Hanc postulat à Servatore facultatem, inquiens: *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Hoc illi datum Redemptoris voce. Quia tamen dubitavit, dum fluctus vestigio premeret cœpit mergi, ac à Præceptore fuit objurgatus: *modicæ fidei quare dubitasti?* Et cur non similiter increpatur, cùm dubiis verbis locutus est circa veram Domini super aquas præsentiam? *Domine, si tu es* &c. Sanè Redemptor utrique veritati suam authoritatem interposuerat: sicut enim prodigio tribuens facultatem, asserere tacitè visus est nihil eventurum periculi Petro ambulanti liquidum per iter: sic testatus fuit se verè ibi adesse, dicens: *ego sum.* Dubitat Petrus an per lymphæum gradi campum valeret absque discrimine: dubitatioque verbo castigatur? Redemptoris præsentiam non asseverat Apostolus; imò potiùs more dubitantis ait: *Si tu es*; quamvis audisset: *ego sum*, & non reprehenditur? Ita sanè quia prudenter egit verbis dubiis loquens circa id quod sciebat. Adesse Christum Dominum quidem non hæsitabat. Sic Theophylactus. *Credit autem quod Jesus non solum ipse ambularet super aquas, sed & sibi daturus esset hoc*; & similiter Euthymius. *Potius tamen dicendum quod cùm vocem ejus percepisset supra modum gavisus est, & optabat ante alios ad eum accedere.* Nihilominus eligit verba cautus dubia, non assertoria, circa hoc quod certò noverat. Non increpandus in hoc, sed laudandus est. Quod corde credis, consultum est ore non citò proferre asseveranter.

Matth. 14. 27.

Ibi n. 28.

Ibi n. 31.

Theophylac. in Matth. c. 14. Euthym. ad eum locum.

6. *Oculis lauda ut examines veritatem.*

Attende secundo quid laudes. Inconstans humanæ voluntatis electio nimis est: fama nihil stabilire valet: futura sunt ignota. Deduc ex his omnibus consequentiam: ergo, inquam, ne sis in laudes effusus: nam forsan quod heri commendabas, cras abjicere coget, vel mundana varietas famosi plausus, aut inconstantia laudati, seu venturorum transmutatio. *Parcè laudandum est, cùm in laqueorum medio ambulemus, & ignoremus qualiter*

Dionys. Carthus. in Eccli. c. 11.

liter vitæ hujus ſiniemus curriculum, ait Dionyſius Carthuſ. Ne verba proferas igitur laudatoria : ſed oculis,quorum eſt examinare quod objicitur,laudes committe. Deus ipſe, quamvis impotens falli præbet exemplum.

Primo die mundi lumen Conditor verbis
Gen.1.3. edidit in lucem. *Dixitque Deus : Fiat lux. Et facta eſt lux.* Placuit hæc ipſi : non tamen textus narrat dixiſſe quòd pulchra ; ſed
Ibi n.4. quòd eſſet bona vidiſſe. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona :* &c. Laus equidem cognitio non eſt ; ſed cognitionis atteſtatio. Non ſolent oculi munus agere teſtium. Ut noſtro more loquatur Moyſes, non oculis Dei tribuat lucis laudem ; ſed ori. In eruditionem noſtram, Spiritu ſancto dictante, ſcripta ſunt hæc : ut ſic edoceremur, non verbo, ſed viſu laudare congruum, ſi fieri poſſet. Cùmque noſtra lumina commendare nequeant quod placet, potius tacendum. Optimè
S. Greg. Nyſſ. tract. d. hiſtor. ſex dierum. Nyſſenus. *Solius enim Dei re vera eſt videre quî fieri poſſit id quod tam bonum eſt : noſtræ verò naturæ inopia videt quidem id quod ſit : rationem verò qua ſit neque videre, neque laudare poteſt. Laus enim eſt earum rerum quæ cognoſcuntur, non earum quæ ignorantur. Vidit igitur, inquit, Deus lucem quod eſſet bona* &c. Adde, myſterio non vacare, quod minimè ſtatim atque cælum condidit Omnipotens, laudavit illud : quia nempe cum cæleſtes orbes efformavit, non adhuc lucem creaverat,cujus eſt munus oſtendere quæ ſub ſphæram viſibilem cadunt. Et quantumvis Deus neutiquam ſubjaceret deceptionis periculo, tamen pro doctrinæ moralis noſtræ diſciplinâ, noluit præconio cælum extollere quamdiu non patebat lucis miniſterio. (Scis humano ſtylo nos de Altiſſimo loqui.) Et audet amor, ambitio, timorque mortalium oculis orbati collaudare quidquam ?

7. *Cùm de aliis judicas, loquere quaſi neſciens, eſto quod ſcias.*

Attende tertiò quæ damnes. In miſeri perniciem rei vix eſt omni majorem exceptione teſtem invenire. Inſcrutabile cor hominis eſt : inde mala prodeunt & bona, ſed antequam foras exeant è domo, veſtem accipiunt. Indumentum judicas ; an quod ſub eo latet ? Hoc ſecundum prorſus ignoras ; illud
S. Baſil. hom. in aliquot Sacr. P. loca, dicta in Laiziſ. 21. inter varias. poſt princip. prius ne te decipiat. *Quid quæſo*, ait S. Baſilius, *ab externis probas homines ; præcordia verò, mentemque minimè curas ? Bel externè quidem æs habuit, lutum verò ſub ære fulgente abſconditum. Si illuſtres in vita videris, conſidera æs eſſe apparens ; intus cænoſa omnia. Contra verò quidam intus aurum habent exteriore teſta circundatum*, &c. Igitur examina maturè priuſquam de alienis cauſis deliberes. Fortè dicis:illum operari malè ſat novi. Eſto quòd ſcias, loquere quaſi neſciens.

Divini Spiritus amplectere conſilium :
Eccli.18.20. *ante judicium interroga teipſum :* ubi quamvis Carthuſianus aliò textum flectat : prodeſt
Dion. Carthuſ. ibi. ejus commentarius in ea verba, *ante judicium :* quæ ſic exponit : *ante quam judices proximos.* Et à quo iſcitabitur, ne perperam ferat ſententiam ? à ſeipſo ? ſi neſcit, quid poterit reſpondere cui fidat?ſi verò ſcit,quid petit ? Oportet utrumque munus agere? agnoſcentis, & ignorantis. Percontari proprium eſt inſcij ; cognoſcentibus convenit interrogari. Quærendum tibi eſt à teipſo priuſquàm judicium proferas,ut ex hoc probes ita prudentiæ regulis adverſus errores te munitum, ut in ipſis quæ non latent notitiam tuam, velut ignarum te prudentiſſimus exhibeas : rogaberis quia noviſti, ſimulque perquires quaſi te fugiat idem.

8. *In petitionibus erratur diverſimodè.*

Attende quartò quid poſtules : necnon à quo flagites : quonam tempore ; quali fine in his enim omnibus erratur facillimè. Et ſuas neceſſitas patitur leges : ne adagium vulgare ſumas in tota latitudine, quam verba ſignificare videntur. Inopiam ratio dirigat præceptis,ut viceverſa proximè dicta ſervet. Sed quia perſequi non valeo cuncta, monendum hîc tantummodò putavi, ſecundam ex illis quatuor circumſtantiis, diſertæ poſtulationis, quas annumerabam nuperrimè, obtineri difficiliùs. Quandoque idem qui delegit prudenter quid peteret, ne poſtularet inania : quando preces funderet, ne judicaretur inopportunus : & quare depoſceret, ne temeritatis notam incurreret ; in perſona decipitur, à qua deſideratum exigit: nam indigens, eum qui prior occurrit futurum benevolum putat mali ſui medicum : & vel fallitur, vel caſu collimavit in ſibi congruentem ſcopum.

Cadaver ſacroſanctum Filij Dei duo popoſcerunt ipſius amantiſſima corda. Magdalena ſcili. quæſivit ab eo quem putabat hortulanum. *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum dicito* Ioan.20.15.
mihi &c. & Joſeph ab Arimathea : *rogavit* Ibi c.19.38.
Pilatum Ioſeph &c. Illa minus prudenter elegit quid petendum : nam vivi requirebat cadaver : ignoravit finem, nam ut ſecuriùs id ſepeliret, inquirebat illud ; & nihil de reſurrectione ſciebat, quæ proficua ſic hominibus erat futura : tempuſque hoc poſtulandi neſciit, quia ſerò pervenit. (*Orto jam ſole.*) Marc.16.2.
In ſola perſona, cui ritè noſtræ petitiones offeruntur, non erravit. Sed hoc non prudenti deliberationi Magdalenæ ; ſed, ut ita dicam,fortunæ tribui poteſt: nec enim agnoverat quòd alloquebatur dilectum, *exiſtimans quod hortulanus eſſet.* Melius petitionem ſuam concinnavit Joſephus : nam quid, quando, & quo fine peteret egregiè decrevit. Adhuc tamen errorem commiſit in perſona cui petitionem obtulit. Quid rogaret prudentiſſimus elegit, nempe theſaurum omni pretio æſtimabilius : tempus obſervavit, ſcili. ante quam ab hoſtibus tolleretur : finem appoſuit optimum, nempe deponere de Cruce, ut honoraret quiete ſepulchri. Nihilominus in hoc erravit quòd à Pilato, qui dare non poterat quod ſuum non erat, ſupplicavit corpus Domini. Vix unquam vacant omni penitus errore verba flagitantis : plura ſimul animadvertenda ſunt. *Conſiderare nam-* S.Bern. in ſentent.
que debet is qui orat : & quid petit, & ipſum quem petit, & ſe ipſum qui petit.

9. *Senſim proce- de revelans arcana tua.*

Attende quintò cui ſecreta fidas. Rarò poſtquam ſedulus inveſtigaveris, invenies eum cui ſoli cor aperias, dum ei tantùm loqueris. Uni patefeciſti ? multis dictum crede.

Quod de quoque viro, & cui dicas, ſæpe videto. Horat. l.1. epiſ.19.
Percontatorem fugito : nam garrulus idem eſt :
Nec retinent patulæ cõmiſſa fideliter aures.

Dum

Dum aurea vigebat ætas, definitionem amici fuisse fertur: alter ego: secundùm quam tecum ipse versabas quod aperiebas dilecto. Modo cum jam lutea volvuntur sæcula, non cum singulari confers id quod soli detegis intimo. In hac re computatur unus pro mille: cum non multo post, quod ille retinere non valuit (quasi dolorem ex pectore loquacitate mitteret,) dispergat in plurimos. *Sermo donec apud unum manet, verè arcanus est & secretus: quod si ad alterum transierit, jam spargitur in famam.* Quæ cum ita sint, valde congruit in occultis committendis esse tardiloquum.

Plutarch. in moral.

Adhuc longe discrimen ut occideretur puer Deus ab Herode, satis aberat (*futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.*) & jam divinitus Joseph monetur ut cum eo fugiat in Ægyptum, *Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum*, &c. Non dixit accipies infantem, sed *accipe*: neque tamen adhuc erat in præsenti periculo, sed venturo: *futurum est enim* &c. Cernis quàm præmatura Josephus muniatur providentia; Aliter accidisse memini fluctuantis circa gravidæ Virginis ignorata mysteria. Non cum primùm hac de re venit in mentem cogitatio: non dum primò voluit dimittere Mariam, sed postquam consilium suæ voluntatis perplexo volutabat animo. Tardè nimis videtur Dei Filius honori matris consuluisse. Cur sic moratur? Ad fugam suadendam pernix adest paranymphus, ut Herodem non adhuc urgentem nutritius declinet? Ad Genitricis decus tutandum à suspicione sinistra, moras trahit internuntius? Hoc loco lege textum, & colliges tunc Josepho commissum arcanum Incarnationis: *quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:* & ut edoceremur in latentibus aperiendis non festinandum, expectat Æternus Pater (quamvis ab erroris periculo dissitus longissimè) quòd Joseph sui mæroris causam silentio premens, taciturnitatis prudentiam probet, necnon in Deipara non traducenda virtutem ostentet: ut sic angelis & hominibus appareat illum fuisse delectum sapientissime, non properanter ad reconditi negotij communionem. *Quare* (Rupertum lege) *timorem ejusmodi Deus illi evenire permisit? Quare non prævenit? Quare hunc ipsum angelum, quem tandem missurus erat, non misit antea, tunc scili. quando misit ad Virginem, quæ ei desponsata erat? videlicet ut tentaretur, & manifestum fieret tam sanctis angelis, quam nobis hominibus, de ipso quod esset justus, & talis quod digne sic deberet appellari, Joseph fili David.* Tu ergo quem etiam oculi proprij dormientes fallunt, quâ temeritate properas in recludendo pectore, vel irâ vel amore ductus ut plurimùm? Non hæc virtutis est simplicitas: ista quippe comitem habet serpentis prudentiam: nam *labia justi considerant* id est considerato proferunt.

Matth. 2. 13.

Matth. 2. n. 20.

Rup. l. 1. in Matth. c. 1.

DELIBATIO II.

Duo vitanda sunt in consideratione prudenti extrema opposita.

INterlinearis ad illa verba: *labia justi considerant placita*, paucis clausit multa, dicens: *nihil temerè.* Sed temeritas ista vitanda est sic ut in oppositam syrtem non incidas. Nec præcipitem, neque segnem, oportet esse qui prudentiæ normam ori suo præscribit. Utrumque D. Bernard. insinuat cum ait: *nunc verò ponenda nobis ori nostro custodia, & ostium circumstantiæ labiis: ut nec vitalem ædificationem clausura damnet æterna: nec lethalis pernicies liberum sortiatur egressum.* Circa loquendi petulantiam tripliciter partiamur quæ dicenda sunt. Vitare cupiens temerariæ damna loquelæ, nec auribus, nec oculis, nec proprio cordi fidat. Non auribus credat, inquam, in eis quæ potuerint oculis examinari. Verba cum profers, discerne palpebris an sine barbarismo contra veritatis ortographiam ore depingas.

10. *Oculis examina quid loquaris.* Interlin. Prov. 10. 32.

S. Bern. ser. d. triplici custodia.

De seipso loquitur David aiens: *Lingua mea calamus scribæ.* Genebrardus ibi: *vel scribam velociter scribentem, sive velocem, & expeditum se ipsum appellavit.* In quonam lingua calamo similis: cum hic sæculis, illa vero aëri verba pandat? Si prudens lingua sit: multum assimilatur calamo: quia nemo est qui ea quæ scribit non examinet oculis, ne deviet à recto. In loquendo par esto scriptori: dijudica luminibus ore proferenda si fieri possit, ne solæcismos contra Divinas leges in verbo committas, aut præsens affirmans alterius delictum quod præteritum est, seu infinito modo exaggerans quod ad optativum spectabat: & similia effutiens barbarè, hoc est peccaminosè. S. Ambrosius de lingua consulit sic: *Ad mensuram sermones proferat librâ examinatos justitiæ, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, & in verbis modus.* Sed quia sæpe loquimur de rebus, quæ visu corporeo dignosci nequeunt, doctrinam supra datam ad mentis aciem transferto, sequerè ductum Bernardi: *vigilemus*, inquit, *nihilominus super verba nostra: ne in eis vel offendere Deum, vel proximo nocere contingat.* Auribus ergo tuis ne facilè fidem exhibeas ut audita loquaris.

Ps. 44. 2.

Genebrar. in ps. ibi.

S. Ambr. to. 4. l. 1. d. offic. c. 3.

S. Bern. proxim. sup.

11. *Aurium custodia minor sollicitudo requiritur, quam linguæ claudendæ.*

Duplex agnosco discrimen in aure: primum scili. ne quod percipiunt emittant ore non prudenter: aliud ne claudere negligentes ostium à naturâ datum, indifferenter admittant illæ noxia cum profuturis. Ex his tamen prius periculum judico multo majus. *Nemo quod audierit tacebit: nemo quantum audierit loquetur*, scribit Seneca. Protulit hæc non absque magistrâ experientiâ: nec aliam rationem quæras. Ab auribus ad linguam pronius est iter, quàm sunt aurium januæ: istis claudendis minori sollicitudine indigemus, quam pro frænanda lingua.

Sen. in ep. 105.

Eccle

Eccli.28.28. Eccleſiaſticum libens conſule. *Sepi aures tuas ſpinis.... Et ori tuo facito oſtia & ſeras.* Quare non monuit ut auribus ſeras addas, quibus aditum obſirmemus ; Quia ne hâc ingrediantur nociva , ſufficiunt ſpinarum ſepta , quarum punctionibus cruentatus , malignâ dulcedine verborum non decipiaris. At ſemel quòd per aures datum eſt ingredi rem in corde claudendam : ſic eſt patens labiorum janua , ut congruum occludi ſit obice firmo. Et utinam ſatis : nam clauſtro frænum adjecet : *& frænos ori tuo rectos.* Chryſoſtomus. *& ſuadet multam ori adhibere cautelam dicens : fac ori tuo oſtium & ſeram. Non ut portas corpori faciamus , ſed ut non facile verba proferantur: & ad incongrua dicenda ſe lingua cum omni cautela contineat.* Quot machinis ab externis hoſtibus civitatem ſuam tuentur cives ! Quàm inerter homo ſpiritualis reipublicæ fores inter ſævos & aſſiduos inimicorum inſultus exponit pervios !

Ibi. n.29.

Chryſoſ.to. 5.hom.4. ad baptizandos.

12. *Ne lingua velocitatem imitetur oculorum.*

Oculis etiam ſæpiſſime fidendum non eſt ut ab eis edoctus loquaris : multa namque ſunt ex illorum ſpheram, *Si autem de Salvatore* (ſcribit S. Hieronymus) *dicitur : videns autem cogitationes eorum Ieſus , nulluſque poteſt videre cogitationes eorum , niſi ſolus Deus* &c. Etiam in quæ non egrediuntur ciliorum limites , quamvis examen viſui commiſerim , multa ſunt excipienda in quibus egegiè noſtra lumina falli ſolent : quia nimis feſtinant in deferendis nuntiis unde quædam trunca, nonnulla inverſa referunt. Itaque niſi mendacium diligis, eorum velocitatem ne comitetur lingua tua.

S. Hiero.to. 5.l.3.in Ierem. c.17.

Prov. 25. 8. *Quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgio cito.* Cornelius à Lap. ibi : *q. d. tu qui in lite teſtimonium apud judicem dicis , ea tantum depone quæ oculis tuis aſpexeris , & rurſus ex his quæ vidiſti ne quid celeriter & imparate in cauſa aliqua rogatus dixeris.* Videtur Siracides huic ſententiæ repugnare dum generatim loquens ait : *in omnibus operibus tuis eſto velox :* cum tamen idem à Lapide notaverit quam conformiter ſæpe loquantur unus & alter ſapiens. *Siracides valde imitatur Salomonem , præſertim ejus parabolas, ſive proverbia, tum quoad rem, tum quoad verba.* Qua ratione cohærent in præſenti ? Fecillime : nam ab univerſalii regula , quam Eccleſiaſticus docet , excipienda verborum prolatio : quæ ſi feſtinationem oculorum ſequatur præcipitem ſe dabit , & aliis etiam pariet ruinas. Igitur qui prudenti cupis electione librare verba , ratò credas oculis.

Cornel. à Lapi. ibi.

Eccli.31.27.

A Lap. Can. 3. ante com. in Eccleſiaſticum.

13. *Plus à corde noſtro nobis imminet deceptio, quam ab aliena lingua.*

Cujus ergo ducatum ſequemur in hoc mundo minori ? Cordis-ne proprij ? Nequaquam ; etſi millies audias vulgum dogmatizantem dicere : nihil fidelius unicuique ſuomet corde. Pluries hoc mentitur , quàm aliorum lingua : iſta quippe multoties nullam ex mentiendo capiens utilitatem , aliquando tacet , cor autem fere ſemper ut nos decipiat aliquo trahitur lenocinio : vel ſuavitate deſiderij , vel iræ furore , vel ſimilibus. Hinc fit ut mendacius cuique ſit cor ipſius , quàm alterius lingua deceptione mentiatur. Quandiu ſemel alios fallitos humanum , cor ejuſdem hominis mentientis eum ſeducit ſæpe.

Legimus apud Jeremiam dictum contra pſeudoprophetas : *uſquequo iſtud eſt in corde prophetarum vaticinantium mendacium , & prophetantium ſeductiones cordis ſui ?* Meditare verborum diſparem numerum. Pſeudovidentes iſti ſeipſos fallebant , necnon populum : ſed pro plebe mendacium notatur unicum in eis : *vaticinantium mendacium*; pro ſe verò multæ fuerant *ſeductiones* ? A quonam illi ſeducebantur ? A corde ſuo : *prophetantium ſeductiones cordis ſui.* Mendaciſſimum , unicuique cor proprium eſt : quandiu lingua proponit unum auditoribus mendacium ; cor eundem loquentem involvit erroribus mille. Et hoc eſt quod in proverbium abiit vulgo ? nihil proprio corde fidelius ? Ergo non iſti , non oculis , vel auribus confidens præceps verba des. Diſquire duce conſiderationis face quid ore proferendum. *Cuſtodiendo os ſuum , retinendo linguam ſuam , nec prius loquendo quam interroget , & expendat , atque examinet verba ſua , ſi dicendum hoc, ſi dicendum adverſus hunc , ſi tempus ſermonis ſit hujus , is profectò exercet modeſtiam* &c. Sic *labia juſti conſiderant.*

Ierem. 23. 26.

S. Amb.to. 4. l. 1. d. offici. c. 4.

Alterum reſtat extremum aliquantùm illuminare nempe ſegnitiem , ut vitandam agnoveris. Ne diligas nimiam in verbis præmeditandis moram , quæ ſub larga prudentiæ inertia eſt. Medio calle procedendum : neque perpetuò meditandum aberrandi nimio metu, nec ſubitò diſpergenda verba, nullo præmiſſo judicij pondere.

14. *Nec ſubito fundenda verba , nec perpetuò præmeditanda.*

Prov. 20. 5.

Legitur apud Salomonem : *ſicut aqua profunda , ſic conſilium in cordi viri* : ubi velut puteali aquæ , ſeu ſtagni comparatur profunditas mentis in conſiderando. Et iterum videbitur diſſidere Siracides à Salomone. Ille dixit : *conſilium illius ſicut fons vitæ permanet.* Dyoniſius Carthuſianus ibi : *rivulos namque doctrinæ & conſiliorum communicat aliis.* Ad locum verò Proverbiorum ait Cornelius à Lapi. *per conſilium accipias arcanas viri cordati cautique cogitationes, conſilia* , &c. Quibus commentariis præjactis , exurgit quæſtio , poſito quòd ut ſupra monui , doctrina Siracidis valde conſonet Salomoni. Aqua profunda , ſeu putei , ſeu ſtagni ſit , quidnam ſimilitudinis habet cum fonte ? Currit fontalis unda ; ſtagnans autem tranquillè quieſcit : quâ poterit ergo ratione conſilium tenere unam ſimilitudinem ex duabus prædictis , niſi rejiciamus aliam ? Sectare medium iter : difficultas diſparebit. Maturitatem feſtinationi conjunge : nec profunditas meditationis largitatem , quâ ſe fons communem reddit coarctet ; neque nimis exundans effuſio profunditatem tollat. Sic prudens attemperet conſilia. Velocitatem execretur nocivam : ſed vecordem habeat odio tarditatem : ne dicat ei tragicus

Eccli.21.16.

Dyoniſ. Carthuſ.ibi.

Cornel. à Lapi. in Prov. 20. 5.

Quid verba quæris ? veritas odit moras.

Sen.in ædi.

Quod adeo verum eſt ut ipſamet celeritas cordata ſapientiæ ſynonima dici valeat. *Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio quod non poteſt laudari niſi peractum.*

15. *Prudens velocitas eſt ſynonima ſapientiæ.*

Tacit. l.1. annal. Sic fatur optimè Tacitus. Præpeti gressu mentis opera sine præcipitatione peragentem, si vocaveris velocem, dixisti sapientem.

De sapientissimo Esdra profertur in sacro
1.Esd.7.6. textu : *ipse scriba velox in lege Moysi.* Credebam dicendum potiùs illum scribam doctum in Dominica lege : Quid in legis notitiâ præstabit esse velocem? Synonimon studiositatis est celeritas. Commentatur ibidem
Liran. ibi. Liranus. *Et ipse scriba velox in lege scili. Domini, ideſt studiosus debet esse in Scripturis veteris ac novi testamenti.* Proindè maneant extrema duo fugienda meditanti quid ore proferat : nec se det præcipitem ; neque somno tradat : in vigiliâ namque ; non stertendo, *labia justi considerant placita.*

DELIBATIO III.

Verba cordi cohæreant. Quinque solita mentiendi genera vitentur.

16. EIsdem Salomonicis verbis : *Labia justi considerant placita.* Caietanus hanc adhibet interpretationem : *Labia justi faciunt*
Caiet. *scire voluntatem.* Frigidam Cornelius à Lapide vocat : sed in ipso nec verbum quo rejiciatur invenire potui. Cardinalis versionem sub hoc titulo versare licet : cujus hic est sensus ; ni fallor imagine veri. Os justi detegit veritatem quam corde retinet : nec illam fucatis vel mendacibus verbis obnubilat ; sed candida sinceritate proponit. Quinque sunt præcipuè hominum genera, quibus vix ullus vera loquitur : scili. potentes, egeni, scelerati, dilecti, spiritualesque medici. Coram potestate valentibus mendacia machinatur adulatio : pressis egestate fictas prætendit excusationes avaritia : sceleſtorum crimina palpo, vel timidus laudat : charorum auribus blanda pro utilibus amor verba ministrat : &, quod pejus his omnibus est, spiritus languori medentibus falsa pro veris exponere suadet pudor. Hæc omnia solita brevitate prosequi vellem, quamvis materia longè supergrediatur opus.

17. Præmitto magnatum inopiam eis gratissi-
Plus est vera loqui potentibus, quam patrare mirabilia. mam : scili. veritatis defectum audiendæ. Concionantium, confessorum, ac præsulum, vel ambitione, vel timore fit ut illi pereant, nec soli : nam uterque muneri suo deest : alter nempe dum ostia claudit veritatis fulgori : alter quia clausam non pulsat januam.
S.Amb.to.5. epis.29. ad Theodo. Imp. *Non est imperiale libertatem dicendi negare, neque sacerdotale quid sentiat non dicere.* Sic D. Ambros. ad Monarcham. Priorem partem omitto : posteriori nunc insistam. Utinam illi quibus vera dicendi libertas incumbit, pulchritudine saltem hujus muneris alliciantur, ut metum deponant, & audiant monentem Cyrillum Alexand. *Patet*, ait, *quia*
S. Cyrill. Alex. l.10. in Joã. c.22. *omnis persecutio, omneque periculum pro prædicatione veritatis subeundum est. Et ut summatim atque breviter dicam absque formidine jubet Christus discipulis Evangelium orbi prædicare.* Persecutionis terrores ut hi vincant ad quos attinet, velim animadvertant quàm eximium opus conficiant, si vera dicere sæculi proceribus atque principibus non vereantur. Plus hoc esse crediderim quam prodigia patrare.

Spiritus sanctus ut laudet calamo Siracidis Eliam, doctrinæ, simul & mirabilium ejusdem honorificè meminit. De priori dixit : *verbum ipsius quasi facula ardebat* ; de Eccli.48.1. facultate verò miraculorum, quâ prohibuit imbres, ait : *verbo Domini continuit cælum.* Eccli.48.3. Illic vatis verba fulsisse legimus ; secundo vero loco non dicitur Eliam sermone suo detinuisse nimbos : potiùs asseritur præstitisse hoc verbo Domini? cùm tamen alibi narretur Thesbiten hæc protulisse : *vivit Domi-* 3.Reg.17.1. *nus. . . . si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Quænam styli tam disparis causa? Summis laudibus Eliam cupiebat efferre divinum Flamen : ei non tribuit quod æthereas continuerit aquas verbo suo : licet enim id miraculosum extiterit, non tam de miraculis, quàm de libertate doctrinæ commendandus erat. Zelus, quo nullius acceptans personam vera loquebatur, commendatio præcelsior ejus est : illum, & ardentem testatur infuisse verbo prophetæ, dicens : *verbum ipsius quasi facula ardebat.* Minora peragit qui naturæ leges per mirabilium dispensationes invertit ; ampliùs exequitur vera docens coram iis qui superba sæculari pompa non tenebras fugant, sed veritatis luminaria terrent.

Secundò corda verbis operiuntur coram 18.
Erga pauper verba pia sint conformia cordi. pauperibus. Videt opulentus inopem, qui tot oribus quot ulceribus ejus misericordiam implorat : pallore speculum mortalitatis quæ sibi cum eo communis est, objicit : gressusque fragilitate summâ trahit potiùs quam fugit. Heu miserum, dives utens verbo collachrymantis ait : quàm valido morbo debilitaris! Quid pateris? utinam ad manum haberem, quo tua levaretur inopia. Quàm dulciter amarus hic sermo, nec egestatem sublevans, neque morbidum fovens, opere vacuus, tegens fictâ suavitate cor durissimum! Tempestivè S.Gregorius Nyssen. *Quid ergo?* S. Greg. Nyss.orat. in illud: quatenus fecistis &c. *Utrum tantum satis est hoc ipsum ad id, ut ne quid in communem naturæ legem committere videatur, si quis deploret vitia incommodaque naturæ, & verbis morbum ornatè describat : earumque commemoratione rerum affectus commoveat? an aliquo nobis etiam facto opus sit, quo condolentiam erga tales & mutuum amorem demonstremus. Quod enim adumbrationes, primaque delineamenta in picturis sunt, ratione, atque respectu rerum ipsarum verarum, id verba sunt ab operibus disjuncta.* O tu qui laborantibus occurris ; & succurrere nescis : qui verbo tenus misereris, os cordi tuo perhibe conforme : ne quod loquela significat à pectore distet.

Misericordia & veritas te non deserant, Prov.3.3.
circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui : Dionysius Carthus. ibi : *id-* Dionys. Carth. in Prov. ibi. *est : indesinenter habe in te misericordiam atque justitiam, ita ut opera misericordiæ, tam spiritualia quam corporalia pro posse exerceas, & justitiam non omittas.* Quid est misericordiam applicare gutturi? Consule Interlinearum ibidem : *vox proximum juvet.* Quo Interli. ibi.

posito

poſito quæro. Qui vocem commiſeratione plenam ore profert, nonne fruſtra videtur poſtea deſcribere corde miſericordiam & veritatem? Non fruſtranèe ſcriptura conſulitur iſta. Ne miſericordia verbis evaneſcat; ſed verba quæ dixiſti maneant in corde tuo, ſcribantur inibi: non ſolum quia ſic labiis conforme ſe cor exhibebit, ſed ut promiſſum, dictumve, non abeat in oblivionem: imò ſicut fatus es, opere compleas. Citatus Carthuſianus eo loco ſuper illud: *tabulis cordis*, ait: *ideſt in capacitate, & latitudine mentis atque memoriæ tuæ.* Ratiocinia tecum ipſe ſcripto fideliter ſupputa, priuſquàm exigantur à Domino rationes de factis, vel omiſſis, expenſis, quæ tibi commiſit is à quo dona cuncta. Præcordia verax indigentibus aperi: ne mendaces divitias impensè adeo diligas, ut ſummæ veritatis legatos illudas.

Carthuſ. ibid.

19. *Debes reprehendenti plùs quàm honoranti.*

Tertiò ſit menti conformis in vitiorum objurgatione ſermo tuus: quantumvis tibi conjunctus peccator ſit. Ne credas eſſe diligentis palpare crimina dilecti. Quinimò charitas ingens proximi damnum iſtud avertere ſolet. Amicum ſe probat qui delinquentem corrigit. *Nam ſi quidem juſtè arguit amicus, agit ut peccatum corrigat; ſin abſque ratione & immeritò, jam laudanda eſt voluntas ejus, & probanda bona mentis intentio, agnoſcendumque & teſtandum amicitiæ beneficium; non enim reprehenderet niſi multum diligeret.* Ita Chryſoſtomus. Econtrario qui vitiorum laudat fœditatem, quæ te reddit non ſemel turpem, hoſti ſimillimus eſt. *Voce grandi proximo benedicit qui eum favore ſuperfluæ laudis extollit, vel malis videlicet actibus ejus contra juſtitiam favendo, vel bona plus juſto laudando. Sed hic maledicenti aſſimilatur, quia plurimum lædit eum, cui laudando, ſive in mala actione confidentiam tribuit, ſeu in opere recto ſimplicitatem puri cordis minuit.* Hæc Beda. Scito non vulgari debito vinctum fuiſſe te per eum, qui peccaturo tibi obſtitit. Plus hac increpatione debitorem te conſtituit, quàm ſi te major foret, ac pro dilectione tua majoritatem deponeret.

Chryſoſ. to. 3. hom. d. fer. repre. & converſ. Pauli.

Beda in Prov. l. 2. c. 24.

Ut amore proſequeretur Michol Davidem, velut oblita fuit ſe regis filiam. Illius conjugium renuebat ipſe: quamvis dilectionem, qua Michol exardebat erga ſe, non ignoraviſſe veroſimile ſit, ut colligitur ex Joſepho. *David*, ait, *Deum habens ubique ducem, quocumque veniſſet prævalebat, & optimè agebat, ita ut propter excellentiam fortitudinis, & populus eum, & filia regis virgo concupiſceret, amore ejus detenta, cunctiſque ita fieret manifeſta, ut hoc perduceretur ad patrem.* Quod noverant cuncti non potuit latere Davidem. Et ſe cum ſciret à ſupremi principis filia diligi, reſiſtit nuptiis? *Num parum videtur vobis generum eſſe regis?* Progrediamur ad ulteriores temporum viciſſitudines. Aufugiens David ingrati Saulis iras deliteſcebat in ſolitudine: cùm egeſtate compellente miſit ad ſuperbè ruſticum Nabal petens aliquod inopiæ levamen: cui ſatis inurbana barbarus homo reſponſa dedit. Accingitur vindictæ percuſſum injuriâ cor Davidis: quod propoſitum non leviter peccaminoſum fuiſſe ſtatuunt Caietan. & Abulenſ. Timuit marito ſuo malum Abigail: perrexit ut oblatis Davidi muneribus avaritiam Nabalis obliteraret, verbiſque placaret iratum: & utrumque peregit ſapienter ac fœliciter. Poſt non multum temporis mortuus eſt Nabal, David autem Abigail in uxorem accepit. Filiam Saulis detrectat? ruſtici viduam elegit? Supra fl. 4. n. 49. dixi gratum ſe verbis exhibuiſſe prudenti mulieri Davidem, quia duxit illum ad victoriam ſui. Sto dictis. Addo tamen: an non hæc exhibita verbo gratitudo ſatis? Quâ via meretur Abigail matrimonium, quod olim non obtinebat regiæ fœminæ Michol amor? Amplius matronæ debuit quæ prudentiſſimâ perſuaſione reſtitit ejus peccato (*benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie ne irem ad ſanguinem*) quàm genitæ regis, quæ non recuſavit inclinare parumper majeſtatem, ut Davidem amaret. *Placuit Davidi plurimis de cauſis Abigail*, inquit Sanctius, *& quod ſpecioſa eſſet ac liberali forma, quod eloquio prudens, & optima materfamilias, & quod illius opera manus ſuas ſervaſſet innoxias.* Hæc ultima verba multum ad rem noſtram ponderis addunt. Non minus quam ſceptri conſortio putavit compenſandam reprehenſionem verbis involutam, quâ ſolerter ipſum direxit Abigail. Michol verò diligens David eum affecit honore plurimo. Non ille tanti debitum iſtud fecit, ac increpationem ab uxore Nabal acceptam humaniter. Hujus ævi potentes non ſic: Sed odio rependunt objurganti; plurimumque donant affectum eos adulatoriè colenti. Quidni veritas vix unquam aperiatur eis? Abominantur eorum opera cuncti: quidam tacent: alij præconiis evehunt ſpiritus ulcerum graveolentem fragrantiam. Miſer eſt qui pavidus, ambitioſuſve, laudes comminiſcitur: neſcio miſerior-ne qui decipitur ab iſtiuſmodi leviſſimis arundinibus, & illorum foliis tegi ſe putat.

Joſeph. l. 6. antiq. c. 21.

1. Reg. 18. 23.

Ibi c. 25. 33.

Sanct. in c. 25. l. 1. Regum n. 39.

20. *Vix fieri poteſt ut amico pectus non reveles.*

Quartò mendacium viget apud amicorum quoſdam nomine tenus amicitiam colentes. Unaquæque virtus unam ridet ſimiam, quæ geſtit illius imitari perſonam. Sic ira fortitudinis, avaritia frugalitatis, ſuperbia modeſtiæ, ambitio humilitatis ſimiæ ſunt. Aſt amicitia non ab unico, ſed à pluribus vitiis imitatione depingitur. Omnium enim collectio dici poteſt adulatio, quæ ſe mentitur amicam, & credentem ferit. Ab affectu diſſidet illa nimis. *Habet vera amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam.* Sic D. Bernardus. Sed vix eſt qui veritatem præponat grato mendacio. Hæc eſt indoles amici verè dicti: de quo non tantùm proferre vellem nequaquam dilecto verbis obtegere cor: ſed quaſi non poſſe diverſimodè ſe gerere.

S. Bern. ep. 242.

Jonatam loquentem auſculta: *neque enim fieri poteſt, ut ſi certè cognovero completam eſſe patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.* Sic ad amiciſſimum Davidem quondam princeps aiebat, cùm hæſitantem de fide ſua certiorem ſatagebat efficere, nequaquam ſe quod à patre decretum fuiſſe noſſet adverſus Davidem, taciturum; ſed potiùs à ſe fidâ ſollicitudine renuntian-

1. Reg. 20. 9.

dum; ut evadere curet profugus impiam regis iram. Non ait: scito me facturum ita; sed asseverat aliter agere se non posse: *neque enim fieri potest, ut.... non renuntiem tibi.* Meditabar, non similiter locutum fuisse Jonatham, cum de regno sermonem egit, fassusque fuit se peroptimè novisse quod sceptro David erat potiturus, & Jonathas illi secundus fuerat numerandus: *& tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus.* Ibi. c. 23. c. 7. Ad hoc ut eadem phrasi; qua supra, nunc pro Davide certificando Jonatas uteretur in re tanti momenti, nescio cur non addidit: ero tibi secundus: nec enim fieri potest; ut ego leges amicitiæ, quas profiteor, transgrediens, & voluntati Divinæ reluctans, eripere tibi regnum Israël audeam conari. Non ista dixit. Sed quare; cum de revelationis amicâ fidelitate loquens asseruerit neutiquam alias habere posse? *Neque enim fieri potest* &c. Existimo valde longe distare duo hæc: scili referare dilecto fideliter intima cordis: ac ei cedere generosè quidquid ambire posses. Hoc secundum libere vult, & exequitur verus amoris legum custos; illud verò quasi non ultronea fiat electione, velut impellente pectoris flammâ præstat, quasi diligens non valeat non corde fari, quod est amatorum idioma. Et est qui simulet amicis? Te charum sibi confingunt isti pulchrâ facie dolos obvelantes. Ratio suprapositæ veritatis hæc esto. Non est aliud is quem veraciter in amici locum recepisti, quam cor tuum quoddam tibi superadditum: & sicut nemo cor suum decipere valet, sic & amicum fallere, si diligis, ferè nequibis. Amicus, inquam, veluti cor tuum est. Quod ut credas, Ionatham rursus audi: *Revelabo aurem tuam.* Ibi. c. 20. 13. Videbatur dicturus: revelabo cor meum. Novi hebraismum: hunc loquendi modum fateor significare verbis occultum aperire, ut Sanctius docet: sed liceat pro moribus meditari, quod quasi cor hujus amicorum exemplaris, Davidisque, forent una sub duplici nomine res, nil referebat dixisse, revelabo cor meum; vel polliceri sic: *Revelabo aurem tuam.* Cordi proprio nequibis quod nosti celare: similiter amato pectus ne velles: at memento prius maturè in ejus delectione deliberare. Sanct. ib. c. 9. n. 15.

21. *Pejus agit qui peccatum excusat, quàm si taceret.*

Ultimò: verbis aperienda mens est medico spirituali. O quantum discriminis in hac re silentia sacra regunt! Coscientiæ tribunal sacrosanctum numerat judicem, reum, accusatorem, ac testem nullus pro criminoso fuit institutus advocatus. Sæpissime pœnitentes invertunt judicium, & subeunt officium patroni seipsos excusantes. Pejus agit qui peccatum studiosè minuit, quàm si negaret.

Profectus Abraham de Mambre venit Geraram: timensque Saræ pulchritudinem rapturam procaces oculos ut ipsa raperetur à lascivis: cupiens dissimulare conjugem, appellavit sororem. Abimelech rex Geraræ desiderans illam ducere uxorem, jussit ut ad se duceretur: in quo sane peccavit non leviter, teste Cornelio, qui ait: *Adde fuisse aliquam formalem culpam in Abimelech, in eo quod Saram invitam abduxerit.* Deusque punivit eundem. Ad illud: *Ego scio* &c. inquit A lapide: *te innoxium ab adulterio sed non ab injuria, tulisti enim invitam pro tuo imperio* &c. supplicium constat ex textu n. 17. & 18. Abimelech inflictum. Certe gravius peccaverat Cain fratricidio, mitiusque punitus est à Domino: nam regi dictum est: *En morieris propter mulierem quam tulisti.* Caino verò cum se quereretur occidendum ab occurrente quoquam, Deus ait: *Nequaquam ita fiet* &c. Quare tam dementer judicatur fratricida; rex autem severe? Quia Cain non curavit excusare scelus: imo negavit interrogatus à Domino. Sed Abimelech excusationem peccato suo prætendit aiens putavisse quod illius viri soror esset. Lipomanus: *Attenuat peccatum suum tamquam carnali desiderio factum, & quod non cum injuriâ proximi, nec violenter abstulerat, sed consensu tacentis fratris. Sic levia ducunt reges delicta sua.* Non ergo mirum quod severior se Dominus gesserit in regem: quia minuere proprium crimen audens exacerbat iram clementissimi superbus. Quapropter apud vicem Dei gerentem confessarium *labia justi* non excusationes *considerant* sed *placita* Deo.

Alapid. in Gen. 20. 9.

Alap. ad Gen. 20. 6.

Gen. 20. 3.

Ibi. c. 4. 14.

Lipom. in Gen. 20. 5.

DELIBATIO IV.

Adulatores obiurgantur iterum.

Labia justi considerant placita. Vocem postremam commentatur Lira: *Deo & hominibus bonis.* Excludit ergo verba placentia malis, etenim frequenter non boni sunt quibus assentator avet complacere pessime. Fruere turpissimi adulatoris descriptione pulchra. *Adulator est amicus in obsequio, hostis in animo, compunctus in verbo, turpis in facto, latus ad prospera, fragilis ad adversa, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honesta.* O monstrum! istud exitiale portentum sub obsequij prætextu mendax ubique. Præsertim si pendeat homo, quamvis diligat, mentietur adulatoriè citra culpam. 22. *Amans adulabitur si ab amato pendeat.* Liran. in Prov. 10. 32. S. Laur. Justin. in lignovi. c. 2. d. pauperta.

Non parum negotij facessit interpretibus Jacob ab adulatione mendacioque liberare cum dixit fratri: *Sic enim vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei.* Chrysost. *Hoc magni obsequij gratia dictum est à justo, ut eum demulceret* &c. Memini Iacobum non sic locutum cum primùm vidit venustam Rachelis faciem. Coram Esau loquentem non damno mendacij quem liberat August. sed materialem ibi falsitatem agnosco: aliter non eum excusaret Interlinearis dicens: *Timore perturbatus hic loquitur.* Hinc assignabo disparitatem cur aliter se Jacobus habeat cum Esau & Rachele. Ab illo pendebat Jacob tanquam potente: sibique placabilem reddere cupiebat, ut ex Chrysostomo vidisti. Rachel filiafamilias erat

Gen. 33. 10. Chrysost. ho. 58. in Gen. tom. 2. D. Aug. to. 4. q. 105. in genes. Interlin. ad. c. 33. Gen. n. 10.

erat qua Jacob non indigebat. In fratris vultu hiſpido ſe Deum vidiſſe proferens blanditur ei; de Rachelis decora facie non ita loquitur. Timor perturbavit amorem fraternum, ſuaſitque falſum dicere blandiendo, ſimulque liberavit eum à culpa. Non ſatis erit diligere ut corde loquaris ei à quo pendére te noſti.

22. *Adulatio ſumit colorem gratitudinis.*

Solent aſſentatores adornare vitium hoc abjectiſſimum aureo velo gratitudinis, ut ſacratius aſylum quærentes judicium cunctorum fugiant. Frequentiſſimè ſcelera virtutum imagines induunt. Multi ſunt qui pro bonis pravas comprobant actiones, & virtutum honeſtant nominibus. S. Baſilius: *omni vitio per appoſitam virtutem blandiuntur.* Nunc de gratitudine ficta ſolummodo nobis agendum, ſub pulcherrima virtutis hujus facie latet ſæpe blanditiarum ſive ſyrenum peſtis.

Baſil. hom. 15. in pſal. 61. ante med.

Abſente Moyſe populus Hebræorum aureo vitulo cultum obtulit, à quo ducatum expectabat. *Fac nobis deos qui nos præcedant.* Poſtea dixerunt. *Hi ſunt dij tui Iſraël qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quare non potius inquiverunt: hi ſunt dij qui te præcedent; Quia ſi loquerentur ita, eorum adulatio ſimulacro facta tribueretur ſpei: quæ ſanè pallium virtutis non erat; ſed expectati beneficij cupiditas. Cajetanus adnotavit quod *volunt vitulum agnoſci, & coli ut Deum benefactorem etiam præteriti beneficij.* Potius hunc elegére mentiendi ſtylum, ut contegerent ſub ſpecioſa facie gratitudinis delictum ſatis enorme commixtum adulationi fœdiſſimæ. Specie recti celat aſſentatio fallax deformitatem ſuam.

Exod. 32. 1.

Ibi. n. 4.

Caieta. in Exod. ibi.

Unum (dimiſſis permultis) ineſt adulanti malum: ſcili. quod arduum erit cohibere illum, ne potentibus mendacia ſuggerat. Manſueta fera vocari ſolet; at in hoc ſatis ferox: quis continebit eam? Peſtis eſt ambitio qua ſtimulatur. *Ambitio,* inquit S. Bern. *ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex* &c. Et quis erit qui peſtem graſſantem detineat? igitur difficillimum eſt obſtare blandienti, ne mendaciter loquatur.

42. *Franabitur difficilè ne falsò loquatur adulator ambitioſus.*

S. Bern. ſer. 6. in pſ. Qui habitat.

Jonam & Balaam confer ad invicem. Ille Domini vates; iſte pſeudopropheta, ſicut cenſent Aug. Theodore. Ambro. & alij. Ad ariolum gehennæ miniſtrum angelus mittitur? Vocatus à rege Balac ibat amore lucri ductus, ut malediceret Iſraëli, moremque gereret ita regnanti. *Secuti viam Balaam ex Boſor, qui viam iniquitatis amavit,* interpetratur S. Thomas: *qui motus cupiditate ex certa malitia ivit ut malediceret populo Iſraël, quem ſciebat benedictum à Domino.* Et infra: *vel dicit mercedem iniquitatis: quia à rege honorari debebat, quem honorem tantum appetebat, quod ipſum voluntati Domini præponebat,* &c. Eunti comparuit angelus ut eum ab hoc itinere avertat. Tranſeamus ad Ionam. Fugit nolens adire Ninivem: deſcendit Ioppen ut navim conſcenderet: ac non ad eum angelus mittitur ut deſiſtat à fuga rebelli? Non erat cur tanto Deus uteretur legato pro Jona, quem non ferebat mendacis adulationis ardor, vel ambitionis viliſſimæ furor; ſed nimius veracitatis amor: ideo namque fugit, ne poſtea conceſſa Ninivitis venia, mendax exiſtimaretur prophetia de ſubverſione civitatis: *non item,* ait Theodoretus, *neſcius quod ſi reſipiſcerent Ninivitæ omnino Divinam miſericordiam aſſequerentur:* &c. Non ita Balaam, qui patris mendacij vates erat, & proinde regi Balac adulari decrevit, deque Domini populo contra mentem loqui, ductus cupidine lucri. Adulatorem ambitioſè mendacem ab inceptis prohibere difficile ſic eſt, ut oportuerit mitti cælitus angelum ad hoc munus. Jonam diſpendio minori Deus inhibuit ne perveniret fugitivus in Tharſis: imperavit vento, ſatque fuit ut ejus viam detineret.

2. Pet. 2. 15.

D. Thom. in ep. 2. Petr. 16.

Theodore. in c. 1. Jonæ.

Furit adulator: ignis enim eſt ambitio, quæ velut cum tormentum exploditur, ejus verba propulſat, magis quàm ſuadet. Ex eo ducitur ille quod experientia teſte novit blanditiis corda trahi; veridico ſermone ſimultates emi. Sed quantum delirat! *Aſſentationem clandeſtinas magis inimicitias, quam amicitias dici debere peſpicuum eſt.* Ita S. Hieron. & inſanum credo per hoſtilitatem cordium aucupationi dare operam. Nihilominus fortunatò contingit amenti: pectora venatur ſagittis: placent audientibus valde ſubdola blandimenta. Ægrotat humana mens: vel, ut proprius dicam pueraſcit in judicando. Infirmus noxiis delectatur: puer vilia præfert. Humanum judicium haud aliter adulatorias voces magni facere ſolet.

25. *Magni fit à multis adulatio.*

S. Hiero. to. 9. l. 2. in ep. ad. Galat. c. 4.

De laude per malum collata pronuntiavit hæc verba Pſalmographus: *oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Quid oleum, quid vero caput, hoc loco ſignificent, audi ex D. Proſpero. *Melior,* inquit *eſt ergo ſevera juſti miſericordia, quam blanda adulatio peccatoris, de qua dicitur: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Intima, inquit, conſcientiæ meæ non oblectet falſa laudatio.* In olei ænigmate non hæreo; tamen in eo quòd capitis nomine conſcientia deſignetur hæſitabam: nam caput omnibus patet, conſcientia ſoli Deo. Accommodatius videri poſſet, ſi David conſcientiam ſub nomine cordis proponeret inquiens: oleum autem peccatoris cor non impinguet meum. Novum non eſt conſcientiam nominari cor. Sic Joannes: *ſi cor noſtrum non reprehenderit nos:* & apud Job: *neque enim reprehendit me cor meum* &c. Quid ergo voluit regius vates in eo quod ſub emblemate capitis verba fecerit de conſcientia? Sic fatur, quia ſupra caput aſſerimus collocari quod maximi fit; non vero corde, quo morantur etiam quæ vilipendimus, & odio habemus, ut execratio eorum, atque odium maneat alta mente repoſtum. Et mala, quæ patimur, ſedem in præcordiis noſtris conſtituunt, juxta dictum Artaxerxis: *malum neſcio quod in corde tuo eſt.* Cum itaque habitaculum cordis humani tam iis quæ multi pendimus, quam illis quorum nos tædet, commune ſit; ea verò quæ habentur ut maxima dicantur impoſita capiti: Pſaltes egregius Iſraël, ut ſignificaret ſe non ſicut alios blandientia

Pſ. 140. 5.

S. Proſp. in pſ. 140. 5.

1. Ioan. 3. 21.

Iob. 27. 6.

2. Eſdræ. 2. 2.

verba plurimi pendere, dixit : *oleum autem peccatoris* &c.

26. *Quisquis placet potentibus habetur sanctus.*

Hic tenentibus in mundi theatro fastigia frequētissimus error est: scili. plurimâ veneratione prosequi hos quorum deceptoriis verbis objiciunt pectus inerme, quod pro longè positis extraneis hostibus repellendis, tot bellicis machinis providè munitur. Venerantur Dynastæ venditantes vanissimos circùm palatia fumos. Quod adeò verum est, ut isti mercentur dulci linguâ sanctitatis nomen. Sanctus existimatur qui placet potestate valentibus.

Eccli. 20. 30.

Qui verò placet magnatis effugiet iniquitatem. Non solet utplurimum sæcularis majestas probatæ virtutis homines admovere lateri. Quinimò non libenter audit eorumdem in reprehendendo libertatem, in operando rectitudinem. Igitur quâ luce commentabimur præjacta verba ? A peccato se diffugiendo proripit quicumque potentibus arridet ? Duplex fugæ modus est : alia vera ; simulata quædam : ut in martiali negotio sæpe contingit utentibus dolo bellico. Non reipsa crimina vitant illi quibus umbra cedrorum rationalium delicias offert, sed putantur à delictis exortes : umbraculo namque venerando tectis cultum veræ sanctitatis ad morigerationem majorum, vulgus exhibet. Sed si lux accedat, quidquid latet apparebit.

S. Aug. to. 5. l. 3. d. civit. Dei. c. 14.

Fallacia igitur tegmina, & deceptoriæ dealbationes auferantur à rebus, ut sincero inspiciantur examine : rursus dicam ex Augustino.

DELIBATIO V.

Os impij pervertit plurima.

27. *Serpentina lingua est quæ humilitatem tuam adulando pervertere vult.*

SEcundam postremæ Salomonici capitis hujus paræmiæ partem sic verterunt Septuaginta: *os autem impiorum pervertit.* Operæpretium credidi sub hoc titulo, qualia sint quæ potissimum lingua nequam destruere soleat, explicuisse. Pervertit itaque nefarium os primò humilitatem adulando : secundò patientiam injuriis lædendo : tertiò castitatem audientis turpiloquia : quartò detractionibus amicitiam : quinto (quod plus omnibus est, ideo non prosequor ultra) dispердit amicitiam cum Deo, quâ gaudebas. Nunc ad singula.

Iniquitatis proprium est alienæ humilitati, verborum tendiculis insidiari. Cùm enim ubi permanet spontanea demissio, scelus habeatur odio, quod sanè contemptus Dei vocatur : insuper cùm nequitia sibi timens amorem sollicitet justi, blanditur ei cupiens ut humilis esse desistat. Periculosus nimis ictus iste credatur, nam petit caput.

Chrysost. to. 2. hom. 48. in Matth.

Quid igitur caput virtutis est ? Humilitas certè, ait Chrysost. Accedit quod humilitate sublatâ, nulla virtuti via restat : ut colligitur ex Augustino dicente :

S. Aug. to. 2. ep. 56. ad Diosc.

Via est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas : & quoties interrogares hoc dicerem: non quod alia non sint præcepta quæ dicantur ; sed nisi humilitas omnia quæcumque benefacimus & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita quam intueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Quæ cùm plusquam vera sint, percutitur validè cujus humilitas verborum lenocinio sagittatur. Humanam induit speciem lingua quæ virtutem istam conatur auferre blandiloqua ; verè serpentina.

Dubitabam quare diabolus Hevam seducere parans, non formam assumpsit hominis ; potius usus est serpente Protogenitricem nostram allocuturus. *Serpens. . . . qui dixit ad mulierem* &c. Non ignoras collocutionem istam fuisse diaboli. S. Ambrosius. *Cùm dicit sapientiorem serpentem, intelligis quem loquebatur, ideſt illum adversarium nostrum, qui tamen habet hujus sapientiam mundi.* Sic divina permisit providentia dæmoni : cùm enim hostis promittens Deo similem scientiam nixus fuerit humilitatem pervertere matris viventium : non humana ; sed colubrina lingua congruebat uti, quò sic inde nobis hæc legentibus colligere pronum remanssisset, quàm sit inhumana linguæ malitia quæ assentatoriis machinis humilitatem alterius corrumpere tentat.

Gen. 3. 1.

S. Amb. to. 1. l. d. Paradi. c. 12.

Injurias etiam veluti fulmina jaciens patientiam exurit effrænis labiorum furor. Notum est illud M. Gregorij : *radix omnium, custosque virtutum patientia est.* Occiso custode fortalitium patet hosti : devictâ per contumelias patientiâ, nulla difficultas in eo quòd vitia, quæ latent ex insidiis, animam occupent, ac tyrannicè possideant. Si tolerantia ruat, corruet anima.

28. *Si patientia vincatur corruet anima.*

D. Greg. M. to. 2. ho. 35. in Evang.

Satan dolens quòd ore divino Jobus laudaretur, ejus virtutem venalem asseruit, existimans, necnon audens affirmare, quòd ille nisi facultates in timoris divini remunerationem possideat, recessurus foret à Domino. Tunc ei datum fuit ut justi bona diriperet, dummodò manum in eum non mitteret. Spoliandum curavit dæmon Jobum iis quibus largiter affluebat, etiam suæ posteritatis auferens pignora. Perstitit columna minimè declinans in blasphemiam, aliave scelera. Laudatur iterum à Domino coram diabolo Job : & illius intima verbis Dei justum extollentis cruciantur. Non veritus est asserere Jobum perseverare, quia non ejus personam, sed bona tantummodò tetigerat infœlicitas. Obtinuit permissionem ut corpus ejusdem percuteret ; non animam. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Nota quod animam non pro vita, sed pro spiritu multi sumunt, quibus favet idem Gregorius ad hunc locum. *Sicut ergo Dominus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ad adversario induci patiatur : ita adversarius servare animam dicitur, cùm hanc tentando superare prohibetur.* Ulcere pessimo, summisque doloribus affectum expertus est adversarius constantem, itaut neque verbo deliquerit : non tamen ideo lego quòd sævus hostis petierit à Domino, ut prohibitionem illam de anima sibi factam auferret, quam his verbis imposuerat : *verumtamen animam ejus serva.* Quare non postulavit

Job 2. 6.

D. Greg. M. to. 1. l. 3. mor. c. 3.

ſtulavit ut ſinatur inferre damnum ſpiritui Jobi? Quia credidit illius animam ſe perditurum ſtatim atque patientiam vinceret: quam ſuperaturum non deſperabat: ideo namque linguam reliquit intactam ut in blaſphema verba prorumperet impatienter.

Beda l.2. in Job c.2. Prodeſt Beda cum ait: *dentes, linguam, & labia, quæ ſunt vaſa verborum reſervat. Ex his enim forinſecus cordis promptuarium demonſtratur, dum nobis ſenſus intrinſecùs conſtitutos diſtinctionis ſuæ miniſterio proferunt. Hæc ergo, inquam, diabolus in eo reſervat, ut blaſphemiam prolatam ejus ore cognoſcat,* &c. Sciebat malignus quòd ubi primùm patientia labitur, anima perit: non opus eſſe judicavit flagitare Dei permiſſum ut in ſpiritualibus noceret qui ſufferentiam torquebat abundè, præcipuè contumeliis quas audiſſe patientiſſimè liquet ex textu. O diram linguæ feritatem, quæ jaculans articulatum aërem, ita pugnat, quaſi flammas evomeret! Patientiam exponit jacturæ, animamque gehennæ.

29. *Vix ab opere laſcivo diverſum quid eſt audire turpiloquia.* Turpiloquium nefarij corrumpit etiam & facilè, munditiei caſtiſſimæ nitorem. Crudelitatis alterum, nec anterioribus poſterius vulnus hoc eſt. Quid enim tyrannidi ſimilius excogitari valet, quam innocentium prata, liliis, inquam, albicantia pectora, comburere ſulphureis ignibus eructatis? Cavendum floribus eſt ab hac aura peſtilenti.

S.Baſil.l.d. vera virgin. longè ante medi. to.2. Monet S. Baſilius. *Quapropter maximè oportet virginem & oculorum & vocis blanditias corruptoriæ voluptatis medicamentum exiſtentes à propriis ſenſibus quam longiſſimè abigere, ita ut aures quidem intus temperanti ratiocinatione obturet* &c. Timenda præſertim hac in re præſumptio ſibi fidens. Fortè dicit pudicus: aliena verba quid timeam quæ ſatis execror? Exhorreſce, fuge, propera: non multum diſtat opus laſcivum tuum ab alterius obſcœnâ loquelâ. Tam in proprio diſcrimine verſaris cùm ſalax dictum auribus excipis, ut aliena libidinoſa locutio, tuum jam luxurioſum factum vocari queat.

Odio fratrum propellente ductus eſt amiſſa libertate Joſephus in Ægyptum. Ibi venditus, in obſequio domini ſui, munia ſervi peragebat fideliter: ſed ejus procax domina

S.Proſp.l.d. promi. & prædic.1.p. c.17. ſemel ei dominari contenta non eſt: *ardet amans, vulnus alit venis & cæco carpitur igni.* Sic depingit S. Proſper impudicam, non dedignatus uti Maronis phraſi. Proritat fœmina petulans cominùs inſontem ad luxum, longè poſitâ verecundiâ. Reſtitit Joſeph. Nunc ſola verba quibus reſiſtentiam iſtam textus enarrat, illuſtrare brevi meditatione cupio. *Nequaquam acquieſcens operi*

Gen.39.8. *nefario.* Rebar dicendum: nequaquam acquieſcens verbis nefariis: dixerat enim adultera: *dormi mecum:* ſed non ſine morali pondere dictum à Moyſe fuit: operi nefario. Tam proxima ſono verborum laſcivientium adeſt turpis operis ruina, quòd ferè ſint idem te percipere turpiloquium, ac libidinem exercere. Ut ergo referatur Joſephus diſſentiens fœdo ſermoni, ſcribitur operi nefario non acquieviſſe. Sunt affinia vox operaque circa rem tam lubricam: facillimè pervertit os impiorum illibata corda.

Detractio (quæ vulgarius linguæ vitium eſt) pervertere ſolet multa: ſed potiſſimùm amicitias, dum ſpargit zizania, quibus privat optimo bono ex iis quæ tellus profert, incautos. *Sine amicis omnis cogitatio eſſet tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, ſine quorum ſolatio vivere eſſet mori,* ait datus Caſſiodorus. Ex quibus conjice quàm nocivum ſit os, quod amicum tibi fidum auferre ſollicitat. Majus infligi damnum crediderim ab eo qui detrahit charum detrahendo, quàm ſi vitam ejus, qui dilecti deperdit affectum, de medio tolleret.

30. *Nimis feritur ille cui amicus tollitur per zizania.* Coſſiod. in epiſ.

Aberat è regia civitate David furorem Saulis declinans. Inquirit illum ad menſam ingratus rex: & accipit à Jonatha perrexiſſe Bethlehem, ut ſolemnitati cuidam ſuorum contribulium intereſſet. Excanduit irâ Saul, & principi Jonathæ præcipit ut mittat, & Davidem adducat morte puniendum. *Itaque jam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis eſt.* Et cur non alteri quàm genito ſuo, quem ſciebat diligere Davidem, commiſit nunc quòd eum quæreret ut ſibi ſiſteret? Quia forte ſi rex cuidam ex belli ducibus imperaret Davidis tunc interfectionem: non ideo per hoc eum amicitia Jonathæ ſpoliaret: iſta quippe foret adeo conſtans (& ita credibile cunctis) ut poſt funus Davidis permaneret ſuperſtes. Elegit amplius ei moliri malum. Non hoc loco vitam furore percitus eripere voluit, ſed amicum. Qua putas arte? Satis duplici. Primùm gnato jubet ut pro comprehenſione Davidis operam adhibeat, cupidus quòd ſciens hoc David Jonatham habeat infenſum, de hujus amore diffidens omnino. Inſuper & cor Jonathæ contra Davidem commovere curavit aſſeverans illi quòd nunquam regni ſtabili poſſeſſione ſit poriturus, niſi David ex vita diſcedat: *omnibus enim diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum.* En zizaniorum ſparſione amicitiam illam diſperdere curavit os iniquum, ſciens hoc inter plurima nocumenta majus omnibus illis quæ poſſet in Davidem ipſe meditari. Apud eos, qui Jonathæ Davidiſque fidelitate carent, amicitiæ vitrea pulchritudo periculum ſubit aëris flatu, quô verba format lingua tertia: unde vix accidit ut non perverſioni frequentiſſimè ſubjaceat.

1.Reg.20. 31. Ibid.

Ad finem capitis hujus reſervandum putavi quod caput eſt inter omnes pernicies, quas à lingua nequam adverſus proximos prodire docet experientia. Scindit mille modis illa, quam florere videt inter Deum & auditores pacem. Non perſequar ſingulos, ne ſim plurimus. Univerſim dicam nunc quod ab Origene accepi. *Morſus verbi venenati animam necat.* Propinquat cordi tam citò alienæ linguæ toxicum, ut locus detur hyperboli, quam ſubjicio. Plus, inquam, de verbis alterius, quam de propriis operibus malis, corda noſtra periclitantur.

31. *Lingua nequam periculoſiùs cor tuum pervertent, quàm opera mala propria.* Orig. l.3. in c.3. ad Rom.

Salomonis doctrina patrocinetur dicto: conſulit ut à nobis amoveamus os eorum qui prava loquuntur. *Remove à te os pravum:* hæc enim verba de lingua quam audi-

Prov.4.24.

mus;

mus ; non verò qua loquimur, exponunt Jansenius Rodolph. & Hug. Ibidem postea Sapiens, ut suadeat à pravis operibus abstinere dixit alia utens phrasi : *averte pedem tuum à malo.* Ubi Carthusianus : *averte pedem tuum à malo : ideſt affectum tuum compesce ab actu illicito.* Pedem à prohibito divertere satis erit ne cadas, in re ubi etiam oculi miserè labi solent ? cùm autem de aliena loquitur iniqua lingua, tunc insinuat oportere quod ea longè sit, ne audiatur ? Sanè si de noxiis factis propriis loquamur : aliquoties non timebis ne discrimen approximetur tibi, nisi gressu tuo quæras illud. Pluries oppositum continget si linguam audieris damnabilem. Non dissuadeo timorem in his quæ operaris ; magis attamen pavendum quandoque suspicor ab aliorum labiis, ne contagium adducant, quam à propriis actibus ne devient ab itinere dextro. Hæc sunt, & istis plura, detrimenta quæ solet auditoribus afferre labiis impius : cujus in materia subjecta perversitatem explicuit Ecclesiastes hoc loco dicens ; *& os impiorum perversa :* seu prout Septuaginta legunt : *os autem impiorum pervertit.*

Ibi n.27.

Dionys. Carthus. in Prov.4.27.

Lect. Sept.

DELIBATIO VI.

Os justi nulli noxium. Aliena verba. Propria secundò meditanda. Suavia pro veritate. Intellectus liberè constans. De malo Christiano, & linguæ nequam pudore.

32. *Lingua justi nulli noxia ; cunctis grata.*

VIx erit malum quo non possimus uti benè : cùm pro comperto habeamus in arbitrio nostro positum etiam linguam ad bona vertere. Illa cujus lues dicto citiùs inficit orbem per infamiam, virtutis columnas adulationis vento prosternit, urbes proditoriâ fraude circumvenit : hæc, inquam, in justo nulli nocet, ac simul universis arridet, veluti plectrum suave sonans, proindeque neminem lædens. *Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illiditur dentibus, & vocalem redit sonum.* Hæc S. Hieronymus. Justi os nulli noxium, cunctis gratum.

S. Hiero. to. 1. ep. 27. ad Eustoch.

Prov.10.20. *Argentum electum lingua justi*, pronuntiavit Paræmiastes. Et quid linguæ cùm argento ? Gratissimum est omnibus istud, ac de se nemini quidem nocivum : sic & lingua probi. Carthusianus ad proximè datum locum : *ideſt pretiosa, & instar optimi argenti à macula virorum pravorum immunis ac splendens per pulchram doctrinam, atque sonora loquendo salubriter.* Sicut ergo argentum omnibus est utile, nulli verò damnosum : ita & os justi cujus verba salutifera loquuntur *labia.*

Dionys. Carthus. in Prover. 10. ibi.

33. *Verbis alienis loquitur adulator.*

Justi. Ad litteram notavi casum genitivum dominij signum. Ne superfluum judices ista designari voce quod justus loquatur ore suo. Sunt alij qui labiis fantur alienis : non quod propriis careant ; sed quod mutuentur non sua : cùm enim polleant duplici corde, privilegio dolosis concesso, duplici linguâ necnon utuntur. S. Augustinus. *Dolus duplicat cor. Adulatio duplicat linguam* &c. Alienis verbis utitur adulator.

S. Aug. to. 1. l. 50. homiliarum, hom. 20.

Bello postquam detriumphavit rex Achab Syriæ regem : aliquot Syri clementiam victoris adversus fortunæ severitatem implorare decernunt : & necessitate in submissionem versâ, quasi devicti regis legatione fungerentur, ad victorem loqui cœperant vix : nomen regium tantum protulerant infœlicis monarchæ Syrij. Quod ut audivit Achab, ait : *si adhuc vivit frater meus est.* Hæc mox ut iidem auribus percepere, *festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt : frater tuus Benadab.* Adulatorium non te latet commentum. Non valdè priùs hostis erat ; nunc germanus appellatur ab eis quos infortunij dolor opprimebat ? Fratrem vocant, quia sic locutus fuerat Achab rex, cui placere cupiebant blanditiarum philtro. Non suis loquuntur verbis hi ; sed alienis : *rapuerunt verbum ex ore ejus.* Econtra, sicut sermone suo justus utitur semper : ita nunquam non sunt propria *labia justi.*

3. Reg. 20. 32. Ibi n. 33.

Considerant. Trutinare dicenda menti proprium est. Sed ut innuatur bis ad limam examinandum quod semel proferendum, consideration Salomon tribuit labiis. Ait ille quisquis author est operis quod inscribitur speculum monachorum, & habetur ad calcem operum D. Bernardi. *Si vocatur ad colloquium secundum regulam leniter & sine risu pauca verba, & rationabilia loquatur : & antequam ea proferat bis ad limam veniant quam semel ad linguam.* In ore ipso cum jam positum est verbum, puto revocandum illud ad examen.

32. *Secundò meditanda verba postquam descenderunt ad os.*

Anonymus.

Nescio an hac de causa legas apud Ezechielem : *dedi inaurem super os tuum.* Monile, seu inauris non solet in ore collocari : quid est hoc labiis additum ? Lusitanus Pinto sic exponit : *per monile super os silentium.* Tacere meditationi quidem est opportunum. Sed ubinam est auris ? in ore ? Non auris in ore sit ; sed illius officium, hoc est ponderare verba : *auris enim verba probat.* In labiis fiat examen istud iterum, de quo Salomon dicens : *labia justi considerant.*

Ezech. 16. 12.

Fr. Hect. Pint. in Ezechi. ibi.

Job 34. 3.

Placita : ideſt cunctis perjucunda. Dices an non permultis amara veritas, præsertim si proferatur ab eo, cui nemo reponere nequit ut ab oculo trabem prius amoveat ? Hæc justi candida & mitis indoles, potens in dulcedinem transmutare amarorem, ac efficere quod modestè mansueta doctrina riget ; non velut grandine sternat plantas. *O justi longanimitatem* (admiratur Chrysost. ad illud Gen. 19. *nolite quæso* &c.) *ô excellentem modestiam ! Hæc vera virtus est, ita mansuete alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare & insanientem castigare, cùm furore & austeritate hoc facit*, &c. In ipso, credideris ore justi verba de seipsis austera dulcescere.

35. *Veritas in ore justi dulcescit.*

Gen. 19. 7. Chrysost. to. 1. hom. 43. in Gen.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Apud D. Lorinum D. Basil. Chrysost.

Psal. 118. n. 103.

Chrysost. ac Theodo. sumunt hîc fauces prout sunt instrumenta vocis, & versiculum exponunt de dulcedine quæ percipitur in prolatione illorum de quibus ibi. Adde S. Ambrosium cohærentem huic placito. *Stillant mel labia prædicantis, quando collisa duris casibus, vel ruinis lapsæ animæ membra refoventur.* Et quid est quod suavitatem verbi spiritualis ibi sentiri legitur, ubi vox efformatur? Quia licet reprehensio, prohibitio, similiaque fragilitati humanæ satis amarescant; dulcia tamen ab ipso justo redduntur: qui sic blandis, charitateque plenis vocibus hæc attemperat, ut ex labiis prodeant, illæso rigore veritatis cunctis auditoribus *placita.*

S. Ambr. to. 2. in Ps. 118. octon. 13.

36. *Intellectus quodammodo utatur libertate constanti.*

Et os. Hoc pro intellectu sumi posse probabiliter monui. Quænam inter os & mentem similitudo? Hæc nunc occurrit obvia. Et aperitur os, & clauditur. Vellem ut hac fungeretur intellectus quasi libertate, suasque vendicaret feras, ad hoc ut erroribus fores obfirmaret, veritati panderet. Vellem, inquam, non ut in illum, suam trajiceret inconstantiam voluntas; sed ut quodam arbitrio constanti fungeretur. Sit ergo sapiens in amplectendâ veritate, velut constantissimè liber.

Eccli. 6. 25.

Scribit Ecclesiasticus: *injice pedem tuum in compedes illius.* Audiendus M. Gregorius ut hæc medullitus intelligas. *Sancti viri non incongruè impediti dicuntur; quia ligati vinculis disciplinæ Dei nequaquam ad ea quæ exteriora sunt vagantur: & quasi gressum operis immobiliter figunt, dum à conditoris desiderio nusquam discedunt. De his namque compedibus scriptum est: injice pedes tuos in compedes ejus*, &c. Si sapiens ad tenendam disciplinam vocat, & loquitur sub vinculorum ænigmate, ne declinet huc vel illuc homo: nonne satius erit, quod pes compedem expectet injiciendum à magistro, vel ab ipsa veritate? Potius liberè pedem in vincula conjecturus est is qui doctrinam diligit? Si de libertate curat electionis, de compedibus taceat. Vtrumque Siracides putavit jungendum in sapientiæ candidato: scili. Nexus, & libitum: arbitrium inquam proprium ne pueriliter veritates velut ex chartâ discere videatur: compedes verò, ne modò pedem levet, modò ponat in viâ veritatis. Sit intellectui quoddam libertatis constantis genus: & in hoc assimiletur ori, quod aperitur, & clauditur pro libito, sed non perpetuò mutat vices hujusmodi.

D. Greg. M. to. 2. in 5. Ps. pœnit. n. 21.

37. *Malus Christianus habet se quasi fidē non audiverit.*

Impiorum. Quamvis, ut alibi notavi, nonnunquam impius vocetur qui divinam læsit fidem: non semel vox ista cuicumque de peccatoribus applicatur. Et non impropriè: nullus enim graviter peccat, qui non sit persimilis vacantibus fide. Incertus Augustinus. *Ex sacramento enim unctionis hujus, & Christi, & Christianorum omnium, ideſt in Christo credentium, vocabulum descendit & nomen. Quod nomen ille frustra sortitur, qui minimè Christum imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen tibi usurpare alienum?* Nomenclatura Christiani quidem aliena dicatur ab eo qui malè agens paganismum imitatur. Si fidem operibus non tenes, perinde videtur ac si non adhuc eam auditu percepisses.

Incertus S. Aug. to. 9. l. 1. vit. Christian. c. 1.

Ad Ephesios gentium Doctor scribens ait: *vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis*, &c. Illud: *si tamen*, phrasis est quasi dubitantis. Commentatur S. Anselmus: *sed hac tamen conditione, si illum audistis: ideſt si prædicationem quæ de eo fit intellexistis.* Conditionaliter loquitur Apostolus, quasi nescius an Christum audierint Ephesij? *si tamen illum audistis*: dubitabat de fidelibus ad quos epistola dirigitur, an Jesum audivissent? Fidem sanè perceperant: sed absens Paulus dubius erat utrum rectè viverent: ideò hæsitare significavit an Christum audierint: nam idem est perperam degere, atque fidem Christi Jesu non adhuc audivisse. S. Anselmus ibidem. *Homo verò audit cum intelligit ad quid ratio ejus excitetur, & facit quod sibi divinitus suadetur.* Quantùmlibet verum sit eos vocari multoties impios qui fidem respuunt; cuivis peccatori tamen aptari potest nomen fide carentibus aliquoties dari solitum. Nullus est qui non claudatur hic peccator vocabulo *impiorum.*

Ad Ephes. 4. 20. 21.

S. Anselm. to. 2. com. in ep. ad Ep. ibi.

Idem ibi.

38. *Satis punitur calumniator in eo quod verba sua pateat iniqua fuisse.*

Perversas. Ut perfecta formaretur antinomia: videbatur in his extremis verbis dicendum: & os impiorum profert displiscentia; sicut antea dictum fuerat justum loqui placita. Sed licet illud non exprimatur, innui tacitè credendum est quòd improbus evomat verba cunctis ingrata, præter eos qui consimiliter ac ipse vitam perdunt. Vide quæ dicta sunt in expositione litterali n. 1. Nunc pro coronide subjicio maximum, sed æquissimum supplicium impiorum esse, quòd eorum verba cognoscantur iniquitate referta: nisi quippe jam perfrictæ frontis illi sint, pudore vapulabunt, qui non vulgariter corda torquet. *Vnde usque adeo confusio & verecundia humana pœna est, ut hæc præcipua sit hominis pœna, quatenus homo est: nam & jumenta flagellari, cruciari, occidi possunt, sed non verecundari.* Hæc ex Præsule Valentino. Patet qualisnam sit inter punitiones rubor. Vnde colligo durissimè flagellari malum cujus verba pallio prius adulationis tecta, vel obducto simili velo pulchra, pòst iniqua deteguntur esse.

S. Tom. à Villano. ser. 2. d. Judicio fin.

Statuæ Nabuchodonosor aureæ divinum exhiberi cultum imperavit: quod edictum Regis barbari tres illi celebres Hebræi contempserunt. Delati sunt ut majestatis contemptores ab eis qui tyranno blandiri cupiebant, & ad ignem damnati fuerunt. Evasere mirabiliter, posita loco ignis aurâ flante roris in medio fornacis. Non tamen in flammas acusatores, ut luerent pœnam talionis, injectos lego. Tempore Cyri missus est in lacum leonum Propheta Daniel, & servatus fuit illæsus. Viros autem illos qui vatem illuc proijci curaverunt, misit rex ut eisdem leonibus discerpendi traderentur. *Porrò illos qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum*, &c. Quare non utrobique similiter de accusatoribus iniquis actum est? Hic feris objiciuntur? alibi cur non similiter enecantur à rege? Fortè putavit Nabuchodonosor morti simillimum esse pudorem,

Daniel. 14. 41.

quo vexarentur (ut est verosimile) assentatores isti, quorum verba fuisse improba contra illos tres insontes demonstrabat ipsum fornacis miraculum. Sollicitantes addici leonibus Danialem, nihil adulatorium obtulere Cyro; deferentes ad Nabuchodonosor accusationem nolentium adorare statuam adulati sunt monarchæ: *Rex in æternum vive*: *tu rex posuisti decretum .... viri isti contempserunt rex decretum tuum*: posthàc

Ibid c. 3. 9. 10.
Ibid. n. 12.

eorum verba nequitiæ plena fuisse rei detexit eventus: per verecundiam satis durè vapularunt.

Sæpissimè hoc in opusculo defectus linguæ Salomone duce persecutus, libens taceo dicens cum D. Bernardo: *facio finem etiam ante finem*. Tu videris, quisquis ades Lector, hujus ne libelli vitia premere silentio congruentius tibi sit, quàm verbo castigare. Sed à te judicandus à monitionibus abstineo.

S. Bern. ser. 83. in Cant.

FINIS,

Altissimo, Virginique Matri, necnon Eremitarum Protoparenti Paulo sit laus in æternum & ultra.



OPERIS



OPERIS MEDVLLA
QVINQVE PARTES
CLAVDENS ET APERIENS.

Pars Prior *seriem titulorum* indigitat,
Secunda, *biblica testimonia*,
Tertia, *copiam pro concionibus*,
Quarta, *doctrinam SS. Patrum, & priscorum Sapientum*,
Quinta, *sententias è sacra scriptura confirmatas.*

Numerus Primus designat Flores, *Secundus* marginem, *Tertius* paginas.

SERIES TITVLORVM.

FLOS I. Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mæstitia est matris suæ, pag. 1

DELIB. 1. Quàm sollicitè Deus merita nostra curet augeri, nec justitiæ suæ parcens opinioni, p. 2

2. Supplicium per quæ quis peccat: quo præsertim dignus est qui Deo præfert creaturam, p. 5

3. Amor magister, & virtus sapiens: bonum ab intus veniens: aliena gratiora si à nobis promanarunt, p. 8

4. Amor erga dilecti crimina qualiter se gerat: dolor ex causa metiendus: adversa tantum nostra sunt: amans verò suus non est, p. 12

APPENDIX MARIANVS,
Pro gaudiis quibus Filius sapiens, imo Sapientia incarnata suam lætificavit Parentem, p. 15

DELIB. 5. Pro gaudio conceptionis immaculatæ Deiparentis, ibid.

6. Pro eodem sanctissimæ Virginis illibatè conceptæ gaudio adduntur nonnulla, p. 19

7. Sapientia Patris lætificavit Matrem, dum ab ea carnem assumpsit, p. 22

8. Filius sapiens, seu sapientia Patris, magnopere quod matrem elegerit Mariam exultat, p. 25

9. Purissimam Puerperam lætificavit Filius sapiens Unigenitus Dei suæ nativitatis gaudio, p. 28

10. Lætari facit Unigenitus Mariam cùm ad ejus preces flagella suspendit, p. 31

11. Exultat annuente Filio Deipara cùm pusillanimitati mortalium affert medelam. p. 34

12. Gaudium santissimæ Dei Genitricis ex nostrarum tribulationum quibus medicamen affert, victoriâ, p. 37

13. Materiem tituli prioris persequar, p. 39

14. Exhilaravit Sapientia incarnata Genitricem bonorum suorum thesauros ipsi dispertiendos committens, p. 43

15. Præcedentis materia tituli iprotelatur, p. 45

16. Sanctissimæ Virginis unigenitus lætificavit eam, invisens ipsam redivivus è tumulo, p. 48

17. Exultationem de resurrectione Filij promeruit dolorosa Mater per eximium in ejusdem passione dolorem ante depositionem Christi Domini è cruce, p. 51

18. De sanctissimæ Virginis cruciatu post Filium è cruce depositum, p. 55

19. Mariæ sanctissimæ solitudo, quâ resurgentis Christi Domini conspectum lucrata est quàm lætissimum, p. 57

20. Remedijs exasperabatur in solitudine tridui sanctissimæ Virginis dolor, p. 59

21. Pro gaudiis Assumptionis B. Mariæ, p. 62

FLOS II. Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit à morte, p. 66

DELIB. 1. Divitiarum inanitas, & exinde manans pauperum solatium, p. 67

2. Frustrantur divites ferè cunctis finibus, ad quos divitias prodesse putant, p. 70

3 Proderunt divitibus thesauri, si per manus pauperum in cælum transferantur, p. 72

4. Adhuc pro eleemosynâ dabimus nonnulla sub cælestis emblemate lucis, p. 75

5. Fines, quos deliquendo peccator sibi prætendit, frustrantur, p. 77

6. Homo non nisi præmio allectus obsequitur Altissimo; non ideo tamen reprehendendum quòd illo fine ductus militet Deo, p. 80

7. Nonnulla divitiarum mala: spei mendacium: eleemosynæ apex: mors in vita: & in peccato mors, p. 82

Series titulorum.

FLOS III. Non affliget Dominus fame animam justi, & insidias impiorum subvertet, p. 87
DELIB. 1. justus in tribulationibus quantùm, & quare gaudeat, p. 89
2. De præmio eleemosynæ, p. 92
3. Lachrymarum necessitas, utilitas, excellentia, & robur, p. 94
4. Dei clementia erga peccatores, p. 97
5. De tormento diutino : de providentia, largitateque divina : & de peccatoris anima, p. 99
6. Divitiæ vincula sunt : homo dæmone pejor : sed ejus malitiæ superandæ Deus adest, p. 103

APPENDICVLVS EVCHARISTICVS.

SPLENDIDA SOLIS MENSA UNO FERCULO SUAVITER OPIPARA, LAUTEQUE BREVIS.

Cui assident sex convivæ: intellectus, memoria, voluptas, desiderium, spes, ac dilectio convivantes ut vivant.

Convivio ministrant amantis Dei liberalitas, & ejudem Domini magnificè profusus amor, absconditi ut amplius clarescant. p. 106
7. Quemnam fructum reportet ex epulo sacro intellectus, conviva primus, ibid.
8. Memoria, conviva secundus, quantùm Eucharistiæ sacramento ineffabili debeat, recordatur, p. 110
9. Voluptas, conviva tertius, citra fastidium satiatur Eucharisticis deliciis, ita ut alias non expetat, p. 113
10. Desiderium, conviva quartus, ad epulas Eucharisticas considet, ut satietur insatiabiliter, p. 116
11. Spes, conviva quintus, à timoris jam societate divisa, ad sacrum convivium epulatur, p. 119
12. Amor, conviva sextus, alimento divinissimo nutritur, crescit, ac roboratur, p. 121
13. Ministrant epulantibus in domo Dei liberalitas, & amor ejusdem, p. 124
FLOS IV. Ejectatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat, p. 128
DELIB. 1. Industriæ divitis frustraneæ ; non autem necessitas ut Deus quæratur. Virtus dum non augetur, minuitur : & ipsa quandoque sibi præmium, p. 129
2. Mala paupertatis, p. 133
3. Bona paupertatis, p. 136
4. Reprehenditur otium, p. 139
5. De laboriosè delinquente : remedio perfido, supplicio ignoto, & otiosi nihileitate, ac ruinâ, p. 142
6. Opera metiuntur hominem. Nosse te majus est hostium victoriâ : beneficium tuum opinione propriâ minue : terrena non satiant. p. 146
FLOS V. Qui nititur mendaciis, hic pascit vētos : idem autem ipse sequitur aves volantes, p. 149
DELIB. 1. Instabilitas mundialium bonorum, p. 151
2. Quàm dispariter se gerant erga sæculum justus, & iniquus, p. 154
3. Spei famæque mendacia, p. 156
4. Adulantis mendacia, p. 159
5. Quam imbecillis dæmon sit hostis adversus obsistentes, p. 162
6. Solitudo nimia circa temporalia præpedit hominem, ne Deum quærat, p. 165
7. Mendax quasi nihil est : detegitur tamen facilè, nisi mentiatur sibi. Voluntatis sanitas, virtutis timor, & avaritia superbi expenduntur, p. 167
8. Magisterium experientiæ : desiderij vesana inquietudo, & errores, p. 170
FLOS VI. Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate, filius confusionis, p. 172
DELIB. 1. Prudentiâ nimis eget ille cui fortuna ridet, p. 175
2. Quæ Deus infligit supplicia nos aliquando munera putamus, beneficia verò non attendimus : qui non eorum possessione, sed spe, sic ducimur ut per istam labor minuatur, p. 177
3. Concordiæ fructus, p. 180
4. Carpitur nimius amor famæ, p. 183
5. Vita mortalis quàm fallax bonum, p. 186
6. Eleemosynæ fructus : virtutum nexus : docentis lucrum : virtus sibi præmium : gravitas peccati scientis & excusantis, p. 188
FLOS VII. Benedictio Domini super caput justi : os autem impiorum operit iniquitas, p. 191
DELIB. 1. Humana, divinaque politica dissident : sæculum prodigum, & parcum, de quo nullus quæritur, sed de Deo : qui sic amanter donat, quasi sibi daret, p. 192
2. De summâ benevolentiâ Deus gloriatur summoperè, p. 195
3. Deus benefaciendo loquitur, & innotescit : ejus potestas communicata relucet : dona integra offert : merita nostra augere cupit. Homo Deo parcus : & loquens operibus caret, p. 198
4. Facies fallax, lingua maledica : pœnitens excusator & mutus : dolor clausus quàm dirus, p. 202.
FLOS VIII. Memoria justi cum laudibus : & nomen impiorum putrescet, p. 206
DELIB. 1. Humanorum laudum inanitas, & quàm horribilem exitum habere soleat, p. 208
2. Miserrimè laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur, p. 211
3. Quomdo celebranda sit à nobis memoria justi cum laudibus, p. 214
4. Laudantur emortui : melius tamen est miriti præconium. Evita strepitum, donaque mundi furtiva, & præsertim crimen, vel unicum, p. 217
5. Peccator nihil : sed punitur ascensu, necnon dilatione pœnæ. De odio genito ex amore : comparaturque odium iniqui cum ejusdem affectu, p. 218
FLOS IX. Sapiens corde præcepta suscipit : stultus cœditur labiis, p. 221
DELIB. 1. Obedientiæ laudes, p. 223
2. Homo fingit laborem in præcepto; sed verum patitur in delicto, p. 225
3. Dei exacta remuneratio : amoris cognitio peracuta, p. 228
4. In legislatore damnatur legum multitudo, & defectus exempli. In doctore laudatur conversio peccatoris, p. 231
5. Remedijs obsistens, & uti non valens, eisque cruciatus patiens, miser est. Se præpedit impius filo quo ducitur. Vitij corrector immunis esse debet. Detractor se punit ipsum, p. 233
FLOS X. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit, p. 237

DELIB.

Series titulorum.

DELIB. 1. De fiducia in Deum & ejus mediocritate: simulque expenduntur metus damna, & imprudens timor sugillatur, p. 239
2. Cordis error: humilitatis securitas: temporalium fugacitas: mundi odium velut amor: spes capiendo inepta somno, cum sit operum stimulus, p. 243
15. Ita ut in plateas ejicerent infirmos & ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, &c. ibid. & fl.21.n.37.p.444
C.7. 22. Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, &c. fl.19.n.11.p.387
55. Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei, fl. 22. n. 24. p. 461
C. 8. 14. Miserunt ad eos Petrum, & Joannem, fl. 23. n. 11. p. 477
15. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum, ibid.
17. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, fl. 2.n.32.p.82
C. 9. 1. Spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, fl.23.n.38.p.491
4. Saule, Saule, quid me persequeris? fl. 9.n.24. p. 232. fl.30.n.28.p.630
5. Quis es Domine? fl. 23. n. 40. p.491
Ibi: Ego sum Jesus, fl. 18.n.14
Ibi: Durum est tibi contra stimulum calcitrare, fl.23.n.38.p.491
6. Et tremens, ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? fl. 12. n. 10. p.264.fl. 18. n.8. p. 369. fl. 23. n.38.p.491.fl.25.n.32.p.529.fl.30. n. 28. p. 630
7. Et ingredere, civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere, fl. 9. n. 24. p. 232. fl.18.n. 8.p.369
9. Et erat ibi tribus diebus non videns, fl. 12. n.10.p. 264.
17. Et imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via qua veniebat, ut videas, & implearis Spiritu sancto, ibid.
18. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit, ibid.
Ibi. Baptizatus est. fl.21.n.13.p.430
20. Et continuò in synagogis prædicabat Jesum, &c. ibid.
34. Et ait illi Petrus: Ænea sanat te Dominus Jesus Christus. fl. 12. n.6. p. 262
39. Et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas, fl .22.n.37.p.466
40. Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, ibid.
C.10. 2. Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper, fl. 3.n.10.p.92
4. Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, ibid.
38. Qui pertransiit benefaciendo sanando, &c. fl. 1. n. 4. p. 3. fl. 12.n.5.p.261.fl.23.n.49.p.497
C.12. 6. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem, fl.1.n.127. p. 61. fl. 5.n.41.p.171.fl.9.n.11.p.226.fl.16.n.29. p. 329
7. Et ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri excitavit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ, &c. fl. 5. n. 41.p.171. fl.17.n.41.p.359.fl.18.n.34.p. 382
9. Et nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum existimabat autem se visum videre, fl. 3. n. 8. p. 91. fl. 18. n.34.p.382
10. Discessit Angelus ab eo, fl. 18. n. 34.p. 382
11. Et Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè

verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, &c. fl. 3. n. 8. p.91.fl.18.n.34.p.382.fl.29.n.20.p. 604
22. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis, fl.8.n.4.p.209
C.13. 22. Inveni David Filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas, fl. 8.n. 23.p. 218
C.14. 10. Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos, fl.11.n.11.p.254
11. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi, ibid.
12. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare, ibid.
16. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra, fl.12.n.5.p.261
C.16. 16. Quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando, fl.2.n.28. p.80
17. Isti homines servi Dei excelsi sunt, &c. ibid.
18. Dolens autem Paulus, & conversus, spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea, ibid. & fl. 12. n.6.p. 262
25. Media autem nocte, Paulus & Silas orantes, laudabant Deum, fl. 3.n.8.p. 91
26. Aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt, ibid.
C.17. 27. Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum, fl.13.n.12. p.280
32. Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum, fl.3.n. 12.p.93
C.20. 23. Nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Jerosolymis me manent, fl.30.n.28. p.630
24. Sed nihil horum vereor, ibid.
C.23. 11. Assistens ei Dominus, ait: Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari, fl. 18. n.8. p. 369
C.26. 16. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum, &c. fl.22.n.32.p465.
24. Insanis Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt, fl. 11.n.7.p.252
25. Et Paulus: Non insanio (inquit) optime Feste, sed veritatis & sobrietatis verba loquor. ibid.

EPISTOLA AD ROMANOS.

C. 1. 22. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt, fl. 24.n. 7.p. 500
C. 4. 15. Lex enim iram operatur, fl. 30. n. 1.p. 617
C. 5. 2. Et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, fl. 29. n. 15. p.602,
8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundùm tempus, fl.11.n.4.p.251
9. Christus pro nobis mortuus est. ibid.
12. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum, mors, &c. fl. 15. n.11.p.308
17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, &c. fl.6.n.18.p.183
20. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, fl. 3.n.36. p.106
C. 6. 3. An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? fl.1.n.4.p.3
C. 7. 1. (Scientibus enim legem loquor) fl.23.n.7. p. 475
24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? fl.25.n.16.p.522.fl.32.n.23 p. 661
C. 8. 7. Sapientia carnis inimica est Deo, fl.13. n.18. p. 284
16. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Filij Dei, fl. 18.n.13. p. 372
17. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, fl.2.n.11.p.57. fl. 18. n. 13. p. 372
26. Nam quid oremus, sicut oportet nescimus: Indi. concion. ser. fer. 4. post Dom.2.Quadr.
34. Qui etiam interpellat pro nobis, fl.10.n.4. p. 240
C. 9. 1. Testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, fl. 32. n.25.p.661
2. Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, ibid.
3. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, &c. ibid.
13. Jacob dilexi, fl. 30. n. 9.p.621
C. 10. 16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaïas dicit: Domine quis credidit auditui nostro? fl.14.n.21.p.297
C.12. 1. Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, &c. fl. 29.n.8.p.599
15. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, fl. 23.n.26.p.485
21. Vince in bono malum, fl. 26.n.27.p.544
C.13. 1. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinatæ sunt, fl.9.n.4.p.222
2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, ibid.
4. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit, fl.3.n.22. p. 98
14. Sed induimini Dominum Jesum Christum, &c. fl. 22.n.12. p.454

EPISTOLA I. AD CORINTHIOS.

C. 1. 7. Ita ut nihil vobis desit in illa gratia, &c. fl. 13.n.12. p.285
11. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei: ab iis qui sunt Chloës, quia contentiones sunt inter vos, ibid
22. Placuit Deo per stultitiam prædicationis, salvos facere credentes, fl.6.n.5.p.176
27. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapienees, fl. 3. n. 19. p.96.fl.15. n. 13.p.309
C. 2. 16. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, fl.6.n.5.p.176. fl.32.n.2.p.654
9. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, &c. fl.1.n.91.p.44
C. 3. 19. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum, fl.15.n.14.p.310
C.4. 5. Et manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo, fl. 20. n. 21.p.409
14. Non ut confundam vos, hæc scribo, &c. fl. 13.n.21. p. 285
C. 10. 4. Petra autem erat Christus, &c. fl.11.n.18.p.257. fl. 23. n.24.p.484
31. Omnia in gloriam Dei facite, fl.3.n.41.p.110
C. 11. 1. Imitatores mei estote sicut & ego Christi, fl.17.n.53.p.364.fl.22.n.12.p.455

24. Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, fl. 3.n.41.p.110
25. Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem,&c. ibid.
26. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis &c. fl.3.n.71.p.126
C.13. 1. Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, fl.26. n. 8. p. 535
4. Charitas patiens eſt, &c. fl.13.n.10. p.279
12. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, fl. 19. n. 18. p. 391
C.14. 20. Fratres, nolite pueri effici ſenſibus,&c.fl.17. n.10. p.345
C.15. 41. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic eſt reſurrectio mortuorum, fl.21. n.43. p.447
49. Sicut portavimus imaginem terreni,portemus & imaginem cæleſtis, fl. 21. n.9. p.428
52. In ictu oculi, fl.16.n.38. p.333
57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum,fl.21. n.16.p.432
C.16. 1. De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, fl. 8.n. 3. p. 208

EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

C. 2. 4. Nam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas: non ut contriſtemini: ſed ut ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis, fl. 27. n. 10. p. 559
C.3. 9. Miniſterio damnationis &c. fl.30.n.1.p.617
14. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum, &c.Indi. concion. ſer. d. Veſtigiis Domi. fine.
15. Velamen poſitum eſt ſuper cor eorum, ibid.
C. 4. 4.Deus hujus ſæculi excœcavit mentes infidelium, &c. fl.26. n. 6. p.534
16. Sed licet is,qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem, fl.5.n.2.p.150. fl.23.n. 26.p. 485
C.5. 6. Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino: fl. 10.n.2.p.230.fl.22.n.37.p. 466
21. Eum, qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, fl. 1. n.105. p. 51
C.6. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, fl. 24.n.18. p. 506
10. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: fl.25.n. 34. p. 530
11. Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt,fl.13.n.21.p. 285, fl. 22. n. 3. p.451
14. Quæ ſocietas luci ad tenebras, fl. 8. n. 3. p. 208
15. Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Ibid.
16. Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? fl. 12.n. 11.p.265
Ibi. Vos enim eſtis templum Dei vivi, &c. fl. 8. n.21.p. 218
C. 7. 4. Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. fl. 23.n.27.p.485
C.8. 9. Scitis enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives, ut illius inopia vos divites eſſetis, fl. 16.n.12.p.321.fl. 17.n.47.p. 362
15. Qui multum, non abundavit: & qui modicum non minorarit, fl.2.n.5.p. 68
C. 9. 7. Hilarem enim datorem diligit Deus, fl.3.n.13. p. 94
3. Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, fl.2.n.17.p.75
C.10. 5. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, &c. fl. 9.n. 6. p. 224
C. 11. 23. In mortibus frequenter, fl.1.120.p. 58
C. 12. 8. Ter Dominum rogavi,ut diſcederet à me,fl.23. n.38.p.491
9. Sufficit tibi gratia mea.... Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti, fl.5.n.29.p.164
10. Placebo mihi in infirmitatibus meis,in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto, fl.11.9.p.252
11. Nihil ſum, fl.17.n.53.p.364
C.13. 8. Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate, fl.21.n.4.p.427

EPISTOLA AD GALATAS.

C. 2. 19. Chriſto conſixus ſum cruci fl.4.n.30.p.148 fl.15.n.14.p.310. fl.23.n.46.p. 495
20. Vivit verò in me Chriſtus, fl.4.n.30.p.148.fl. 15.n. 14.p.310
C.3. 9. Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham, fl.7.n. 1.p.191
C.4. 12. Eſtote ſicut ego,&c. fl.8.18.p.216
Ibi. Nihil me læſiſtis, ibid.
13.Scitis autem quia per infirmitatem carnis evãgelizavi vobis jam pridem, fl. 21. n. 13. p.430
16. Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis, fl.8.n. 18.p.216
19. Filioli mei,quos iterum parturio &c.fl.32. n. 18.p.659
C. 5. 19. Manifeſta ſunt autem opera carnis quæ ſunt fornicatio &c. fl.17. n.51. p. 363
22. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax,patientia, benignitas,&c. ibid.
C.6. 14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, fl.4.n.30.p.148. fl.23. n.46.p.495. fl.29.n.15.p.602
Ibi. Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, fl. 5.n.9.p.154.fl.15.n.14.p.310
17. Stigmata Domini Jeſu in corpore meo porto, fl.4.n.30. p.148

EPISTOLA AD EPHESIOS.

C.1. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti,&c. fl.7.n.1. p.191
17. Ut Deus, Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in agnitione ejus; fl.1. n. 13. p. 8.
18. Illuminatos oculos cordis veſtri,&c. ibid.
C.2. 4. Deus autem, qui dives eſt in miſericordia,propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, fl.23.n.22.p.483
Ibi. Et cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto,&c. ibid.
14. Ipſe enim eſt pax noſtra, &c. fl. 21. n. 16. p. 432
20. Super fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum,&c. fl.22.n.22.p.460
21. Omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, fl.9.n.7.p.224
C.3. 8. In Gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, &c. fl.23.n. 39. p.492
C.4. 19. Qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam, fl.23.n.16.p.489

20. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, fl. 33. n.37. p.681
21. Si tamen illum audiſtis,&c, ibid.
C.5. 6. Nemo vos ſeducat inanibus verbis, fl. 7. n. 24. p. 202
8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, fl. 21.n.51.p.450
C.6. 16 Sumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, fl.5.n.28.p.164

EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

C.1. 22. Et quid eligam ignoro. fl. 25. n. 31. p. 529.
23. Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius, ibid.& n. 32. p.530
24. Permanere autem in carne neceſſarium propter vos, fl. 25. n. 31. p.529
29. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini, fl. 18.n.6. p. 368
C.2. 7. Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, &c. fl. 3.n.70.p.126.fl.17.n.7.p.344
8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, fl.26.n.34.p. 547. & Indi. concion. ſer.de. Aſcenſ. n.6.
9. Nomen, quod eſt ſuper omne nomen: Indi. proximè ſup. n. eodem: & fl. 8. 2. p.207
16. Non in vacuum cucurri,&c. fl.21.n. 13.p.430
C.3. 1. Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium, fl. 33. n. 1. p. 669
8. Ut Chriſtum lucrifaciam,&c. fl.4. n.30.p.148.
C. 4. 1. Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, fl.8.n.14. p. 215. fl. 22. n. 12.p.455
4. Gaudete in Domino ſemper, fl.23.n.26.p.485. fl.29. n.20.p.604
5. Dominus prope eſt, fl.29.n.5.p.597

EPISTOLA AD COLLOSSENSES.

C. 1. 12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, fl.3. n. 12.p. 656

EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

C.5. 3. Cum enim dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, fl. 16. n. 33. p. 331
8. Induti loricam fidei & charitatis & galeam ſpem ſalutis, fl. 10. n.17.p. 245. fl.16.n.15.
22. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, fl. 30.n.38.p.634
23. Integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur, ibid.

EPISTOLA I. AD THIMOTHEUM.

C.1. 13. Sed miſericordiam Dei conſecutus ſum, fl.31. n. 40. p. 653
Ibi. Quia ignorans feci in incredulitate, ibid. & fl.32. n. 26.p. 662
8. Volo ergo viros orare in omni loco: levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione, fl.20.n. 36.p.416
C.4. 1. Spiritus autem manifeſtè dicet, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidem à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum,&c. fl.28. n. 10. p. 578
6. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Jeſu, ibid.
C.5. 20. Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant, fl.16.n.56.p.341

EPISTOLA II. AD THIMOTHEUM.

C.1. 3. Nocte ac die, fl.8.n.14.p.214
4. Deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, ut gaudio impleat, &c. ibid.
5. Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te &c. ibid.
C. 2. 9. Sed verbum Dei non eſt alligatum, fl. 21.n.13. p. 430. fl. 28.n. 29.p.587. & Indi. concion. ſer. Dom.2. Adv.
C.3. 2. Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti,&c.fl.28.n. 10.p.578
3. Sine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, &c. ibid.
5. Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita, ibid.
C.4. 8. Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, &c, fl. 25. n. 32. p.530

EPISTOLA AD HEBRÆOS.

C.1. 2. Diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, &c. fl. 18. n.13. p.372
4. Quantò differentius præ illis nomen hæreditavit, fl.8.n.2.p.207
C.4. 12. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, fl.2.n.42.p.87
C.6. 4. Impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, fl.14.n.12. p. 292
5. Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, ibid.
6. Et prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam, ibid.
Ibi. Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei &c. Indic. concion. ſer. depoſitionis corp. Dom. de Cruce.
C.9. 17. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt, fl.3 n.48.p.114
C.10. 26. Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia,&c. fl.25.n.6.p. 518
27. Terribilis autem quædam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios, ibid.
C.11. 4. Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, &c. fl.2.n.33.p.82
6. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit, fl. 2.n. 31.p. 81
19. Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, fl. 4.n. 7.p. 132
24. Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, fl. 20.n.24. p. 411fl. 26. n. 25. p.543
25. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, fl.26. n.25.p.543
26. Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem, ibid.
C.12. 1. Deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, &c. fl.2.n.23.p.77
2. Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, &c. fl.15.n.15.p.310
C.13. 14. Non enim habemus hîc manentem civitatem, &c. fl. 10. n.2.p.238

EPISTOLA JACOBI.

C. 2. 5. Audite fratres mei dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes, &c. fl. 16.n.55.p. 341
6. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, &c. fl.26.n.7. p. 318
10. Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat

offendat autem in uno, factus est omnium reus, fl. 18. n. 27. p. 379

C. 3. 6. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehenna, fl. 7. n. 30. p. 205. fl. 19. n. 35. p. 398. fl. 21. n. 47. p. 449. fl. 32. n. 41. p. 653.

C. 4. 3. Petitis, & non accipitis, fl. 1. n. 90. p. 43

7. Resistite autem diabolo, & fugiet à vobis, fl. 31. n. 11. p. 640

EPISTOLA I. PETRI.

C. 1. 3. Regeneravit nos in spem vivam, &c. fl. 7. n. 17.

C. 2. 5. Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, &c. Indi. Concion. ser. fer. 2. post Pascha, n. 12

18. Servi subditi estote in omni timore, &c. fl. 28. n. 2.

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, fl. 3. n. 7. p. 90. fl. 24. n. 9. p. 501

C. 4. 1. Cogitatione armamini, fl. 1. n. 15. p. 9

13. Communicantes Christi passionibus gaudete, &c. fl. 23. n. 37. p. 490

C. 5. 8. Quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens, &c. Indi. concio. fer. 2. post Pascha, n. 12

EPISTOLA II. PETRI.

C. 1. 17. Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, fl. 31. n. 22. p. 645

18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo, &c. ibid.

19. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceseat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, fl. 28. n. 30. p. 587. fl. 32. n. 13. p. 657

21. Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines, fl. 11. n. 5. p. 251

C. 2. 15. Derelinquentes rectam viam oraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit, fl. 15. n. 23. p. 314. fl. 33. n. 24. p. 677

EPISTOLA I. JOANNIS.

C. 1. 5. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, fl. 27. n. 16. p. 561

C. 2. 17. Et mundus transit, & concupiscentia ejus fl. 24. n. 31. p. 522

27. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, &c. fl. 27. n. 13. p. 560

C. 3. 12. Quoniam opera ejus maligna erant: fratris autem ejus, justa, fl. 1. n. 3. p. 2

19. In hoc cognoscimus quoniam ex veritate sumus: & in conspectu ejus suadebimus corda nostra, fl. 30. n. 35. p. 633

20. Si reprehenderit nos cor nostrum major est Deus corde nostro, fl. 3. p. 47. p. 113. fl. 21. n. 38. p. 444.

21. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: fl. 21. n. 38. p. 444. fl. 33. n. 25. p. 677

C. 4. 16. Deus Charitas est, fl. 13. n. 10. p. 179

Ibi. In Deo manet, &c. fl. 1. n. 15. p. 9

18. Sed perfecta charitas foras mittit timorem: fl. 1. n. 120. p. 58

C. 5. 6. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine, fl. 29. n. 12. p. 601

EPISTOLA II. JOANNIS.

6. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundùm mandata ejus, fl. 17. n. 50. p. 363

APOCALYPSIS.

C. 1. 16. Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, fl. 28. n. 43. p. 599

C. 3. 8. Dedi coram te ostium apertum, &c. fl. 31. n. 34. p. 650

15. Neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus, fl. 19. n. 44. p. 336

17. Et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, fl. 25. n. 24. p. 526

18. Ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ, &c. ibid.

19. Ego quos amo, arguo, & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age, fl. 32. n. 17. p. 658.

20. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit, vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum & cænabo cum illo, & ipse mecum, ibid. fl. 32. n. 34. p. 650

21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, fl. 32. n. 16. p. 658

C. 4. 10. Et mittebant coronas suas ante thronum, &c. fl. 2. n. 30. p. 81. fl. 3. n. 50. p. 115.

11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, fl. 3. n. 50. p. 115. & Ind. Concion. ser. d. Ascens. fine.

C. 5. 8. Ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, &c. fl. 3. n. 50. p. 116

9. Et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere librum, &c. ibid.

C. 6. 2. Et vidi: & ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret, fl. 22. n. 45. p. 470. fl. 30. n. 12. p. 623.

4. Et exivit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant, & datus, est ei gladius magnus, fl. 30. n. 12. p. 623

9. Vidi subtus altare animas interfectorum, propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant, &c. fl. 13. n. 24. p. 287

10. Et clamabant voce magna: Usquequò Domine, (sanctus & verus) non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra, ibid.

11. Et dictum est illis ut requiescerent adhuc, &c. ibid.

15. Et dicunt montibus, & petris, fl. 28. n. 12. p. 579

16. Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum ab ira Agni, ibid.

17. Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: & quis poterit stare, ibid.

C. 7. 14. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni, &c. fl. 28. n. 32. p. 589

15. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die ac nocte in templo ejus, ibid.

17. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Indic. concion. ser. de lachr. D. Pet. n. 11

C. 11. 13. Et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, fl. 8. n. 24. p. 219

C. 12. 1. Mulier amicta sola, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim,

cim, fl.1.n.87.p.41
4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & miſit eas in terram, ibid.
6. Et mulier fugit in ſolitudinem ubi habebat locum paratum &c. ibid
7. Et factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat,& Angeli ejus, fl.30. n.9.p.621
8. Et non valuerunt, &c. ibid.
13. Et poſtquam vidit draco quod projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, &c. fl.1. n. 87. p. 41
14. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ ut volaret in deſertum, &c. ibid
15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine, ibid.
C. 14. 3. Et nemo poterat dicere canticum niſi illa centum quadraginta quatuor millia, &c. fl.3. n. 36. p. 107
C. 17. 15. Aquæ, quas vidiſti ubi meretrix ſedet, populi ſunt, &c, fl.26.n36.p.548
C. 19. 9. Et dixit mihi: Scribe, fl.32.n.17.p.658
Ibi: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt, ibid.
C. 20. 14. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, fl.24.n.13.p.503
C. 21. 4. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor, &c. fl.16.n.31.p.330
6. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis: fl.12.n.14.p.267
10. Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo à Deo, fl.1.n.94. p. 45
12. Et habebat murum magnum & altum, habentem portas duodecim, &c. ibid.
18. Ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro, fl.30.n.10.p.622
24. Et reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem in illam. fl.17.n.22.p.351
25. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic, fl.1.n.94.p.45.fl.20.n.17. p.407. fl.21.n.43.p.447. fl.28.n.32.p.589
C. 22. 1. Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni, fl.1.n.91.p.44
16. Ego ſum radix & genus David,ſtella ſplendida, & matutina, fl. 1. n.62.p.30. fl.17.n. p. 344



LABOR INVTILIS.

EX CONTENTIS IN HOC VOLVMINE, PRÆTEREA Nonnullis additis, offertur

COPIA PRO CONCIONIBVS DE TEMPORE, Beatæ Virginis,

ET SANCTORVM SOLEMNITATIBVS,

ET

ALIIS ECCLESIASTICIS FUNCTIONIBUS.

PRO SERMONIBUS de Tempore.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

THEMA.

Arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo orbi. Luc. 21.

ARGVMENTVM.

Dies iræ.

1. Beda in 21. Luc. c. 88. juxta fin.

COMMENTATUR Beda: *Tunc itaque superveniente universo orbi timore & expectatione districti examinis, multi qui in hoc mundo florere videbantur, cum se sine fructu conspexerint arescent.* Quomodo judicium idem timebunt homines, & expectabunt? cùm ex D. Thoma expectatio sit motus spei, & hæc feratur in bonum; timor autem ex Tullio sit metus impendentis mali. Timebunt examen distinctum, improbi? sed boni confidenter expectabunt hoc ipsum, ita ut his morari videatur ultima dies, malis autem appareat festinata, fl. 25. n. 5. p. 518.

Arescentibus? an flores fœni tunc marcescent? Arefactio flosculis mors est: metus autem judicij, non dicam durior interitu, sed inferno terribilior, fl. 25. n. 6. p. 518.

2. Ab archangelo convocabuntur judicandi: cujus vox iniquis horrisona tuba, sed bonis quamsuavis. Vox cælestis una diversimode personat multis pro varia dispositione audientium. fl. 25. n. 7. p. 518. Hanc vocem paveamus dicentes cum Præsule Valentino: *in hoc judicio omnia terrent me, omnia me conturbant, neque sine timore nimio hujus tanti judicij valeo recordari.* Qui hæc audis dicito cum S. Bernar. *Si occultissimum judicem timent etiam magni: quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare?* Vel, si potius nunc vis gaudio quasi tutus florere: quam erit aliter, heu, tibi, *arescentibus hominibus*, &c.

3. S. Thom. à Villano. ser. 1. Dom. 1. Adv.

S. Bern. ser. 15. in Ps. Qui habitat.

Resurgemus: eritque sceleratis amarum revocari ad vitam, quam olim dilexere. Quàm est acerbum, si voluntas execratur quod amaverat antea, fl. 23. n. 29. p. 486. Arescant prata vitæ caducæ nunc, vel postea serò pigebit, *arescentibus hominibus, &c.* 4.

Suscitatos dividet angeli: non quidem ita ut separent nobiles ab ignobilibus, divites à pauperibus: nam *tunc evacuebuntur principatus sæculi, potestates principum, dignitates regiæ, pontificales infulæ, opiniones hominum, favores populorum, & omne quod altum atque decorum est: quoniam de solis operibus singulorum disceptatio fiet.* Segregabuntur itaque mali de medio justorum S. Thom. à Villano *Qui ergo in hac vita dexteram tenuerunt ibi lævam tenebunt & econtrariò.* Ut spem dextræ concipias, constitue te nunc ad sinistram, fassus hoc loco te dignum. fl. 25. n. 8. p. 518. Modo *præ timore & expectatione* cogita quod nolles, ut merearis quod velles. S. Laur. Just. d. contemp. mun. c. 16. S. Thom. à Villano. ser. 2. Dom. 1. Advent.

Parebit signum crucis, ad cujus conspectum fletus fiet. Durissimum est quod adversum experiaris id à quo sperari poterat amica protectio. fl. 25. n. 4. p. 519. Jam tunc non erit expectatio boni miseris; tabescent *præ timore*, &c. 6.

Terribilis conspicietur facies irata supremi judicis. S. Vincent. Ferrarien. *Quid facient tunc peccatores qui tot peccata fecerunt contra Deum? Tunc magis vellent esse in inferno, quam videre Deum.* Indignati Domini vultum quantum trepidat reus culpæ! fl. 25. n. 10. p. 510. S. Vinc. Ferr. ser. 1. Dom. 1. Adv. 7.

Etiam Salvatoris plagæ damnabunt reprobos. fl. 25. n. 11. p. 520. Aridè nunc vulnera Filij Dei cernunt, qui mundi fine penitus arescent *præ timore*, &c. 8.

Examen fiet criminum. An quasi nescirentur à Judice? scelera nostra Deus ignorare ne cupit? fl. 25. n. 13. p. 521. S. Augustin. *Non enim te vult percutere, qui tibi clamat: Observa.* Timorem & expectationem dequa textus, nunc anticipa fructuosè. 9. S. Aug. to. 10. ser. 38. d. Sanctis.

De pudore quo tunc urgebuntur impij. fl. 25. n. 10. p. 521. 10.

Minutissima ratio nobis reddenda. Necnon exigetur quid egerimus de miserationibus Domini, quas ille potius vellet ad optatum finem perducere, quam frustrari sic

ut

11. ut amorem in judicio abſcondat. Deus cum hominum dilectionem tegit, putat ſe honore privari, fl. 1. n. 6.p.4. Guerricus Abb. *De univerſis & ſingulis beneficiis ſuis exiget rationem qualiter eis uſi ſimus*, &c. Si ante judicium tabeſcent *præ timore & expectatione* : quid ad quæſtionem tractis accidet.

Guerri. Abb. d.4. noviſſimis art. 24.

Sententia proferetur ultima. Ne te rapiat dulcedo verbi, *Venite* : nam ejus echo ſonat, ite. Si paves ad hæc, plus de timore Dei tibi donari poſtula, fl. 25.n.15.p.521

DOMINICA II. ADVENTUS.

THEMA.

Joannes in vinculis Matth. 11.

ARGVMENTVM.

Præcurſor in carcere liber, Herodes in voluptate vinctus.

DUm loquitur S. Matthæus de Baptiſtæ diſcipulis, addidit : *ſuis* : cum eſſet manifeſtum non miſſurum diſcipulos alienos. Loquens autem de vinculis, non adjecit pariter, ſuis ? David ait : *Dirupiſti Domine vincula mea*, &c. Exponit Bellarminus : *docet ſervum ſe Domini eſſe, ſed ſervitute bona erutum autem à ſervitute mala.* Vincula peccatorum à Davide ſane deteſtata, vocat ille ſua, vincula ? Herodis, quæ diligit Baptiſta, non appellat ſua textus ? A Joanne vincula hæc velut erant aliena. Chryſoſt. *Corpore tenebatur in carcere, anima autem in cœlo, & quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille ſuſcipiebat pro beneficio.* Adde Cyprianum. *Dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam.* Aliter de peccatore Chryſoſt. *Atqui quovis ferro adamantino infractius eſt vinculum, quod à dæmone eſt.*

Pſal. 115.7. Bellarm. in pſ. ibi.

Chryſ. to.2. hom. 27. oper. imperf. in Matth.

S.Cypr.to.1. epiſt. 77. ad Nemeſian.

Chryſ.hom. 8. inc. 4. epiſt. ad Epheſ. to.4.

Mundus nec amare ſcit, nec odiſſe, fl.10.n.16.p.245. Ideo ab eo ligatur voluptate dilectus Herodes in purpura ; decoratur Joannes odio habitus in carcere.

Libertate potiebatur vinctus Præcurſor : nam ferè videtur quod ſolus juſtus dominus eſt animæ ſuæ, fl. 3. n.30 p.102. Animam laſcivus Rex Herodiadis poteſtati commiſerat ; non ita Joannes liberrimus *in vinculis*

Cuſtodiæ traditus fuerat Sponſi amicus propter impudicam, cujus nutui morem gerere cupiebat Herodes ; quamvis metueret Joannem. Peccator quaſi dominus operum ſuorum non eſt ? Juſtus propriis operationibus dominatur, fl. 17. n. 52. p. 364. *Joannes in vinculis.* Vox Dei non ligatur : ſicut *verbum Dei non eſt alligatum.*

2. ad Timoth. 2.9.

Multiplici titulo carceri mancipatur delinquens : primo tamquam ſervus fugitivus. D. Ambroſius de flagellis Redemptoris ait : *tam patiens Dominus, ut fugitivorum vinculis propriis manus, fugitivorum flagellis ſuum corpus offerret.* Sed homo fugit à Dei ſervitute ad aliam injuſtam & duriſſimam, fl.16.n.50.p.339. Juſtus erat Joannes, tyrannicè tamen oppreſſus adumbrat peccatorem. S. Vinc. Ferrar. *Ioannes incarceratus eſt quilibet Chriſtianus exiſtens in peccato mortali.*

S. Ambroſ. l.10.in Luc. c. 24. to. 3.

S. Vincent. Ferrar. ſer. 3. dom.3.Adv.

Secundò carceratur malus ut raptor alieni. Peccator ſimilis furi. fl. 32.n.39.p.666 Haymon Epiſcopus. *Beatus Joannes Baptiſta propter veritatem quam prædicabat, miſſus eſt ab Herode Tetrarcha in carcerem veluti latro.* Latrocinij pœna debebatur Herodi, qui rapuit fratris conſortem : & veluti fur, erat *Joannes in vinculis* !

Haymon Epiſc. in Evang. Dom. 2. Adv.

Tertiò congruunt ſonti vincula tamquam reo convicto producendo ad ſupplicium, ne conetur evadere. Deliciæ tenent hominem quaſi vinctum ad hoc ut falce mortis percutiatur ſecuriùs, fl.18.n.9.p.370. S. Antonius Olyſſip. *Herodes eſt mundus : Herodias eſt caro : Joannes, ſpiritus hominis : vincula vanitas & voluptas.* Et alibi. *Carcer eſt hic mundus.*

S. Anton. Olyſſip. dom.2.Adv. in princi. & Dom. 22. poſt Trinit.

Duo ſolent, inter alia, conſequi mala carceratos : nempe ſolitudo, & ſepoſitio ab iis quibus egent. Peccator degit ſolus, fl. 16.n.56. p. 341. Diſcipuli verò non deſeruere Baptiſtam, quamvis eſſet *Ioannes in vinculis.* Deindè homo nequam ſepoſitus eſt à Domino, cujus indigent univerſi, fl. 18. n. 37. p. 383. Et quid mirum, cum Deus omnia ſit, & peccator vere nihilum extet ? fl. 21.n.40.p.445. Non ita precurſor, ſic proximus Domino, quòd, aure perceperit ejus opera, cum eſſet *in vinculis.*

Alia de cauſa ligari permittitur noxius, ſcili. ut delirans. Peccata deliria ſunt, fl.10. n.20.p.247. Funibus vincitur, ſed ſanitati non reſtituitur. Potius eodem filo quo extrahi poſſet à labiryntho, ſeipſum præpedit, fl. 9. n. 29. p. 235. Alios deliros putat ipſe veſanus : & (quod amentium eſt peculiare) ſe nulla putat ægritudine premi. Mala ſua neſciens miſerabilior, fl. 32. n. 26. p. 661

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA.

Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt : cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti. Joann. 1.

ARGUMENTUM.

Scala humilitatis.

PEr hanc non aſcendes, niſi deſcendendo. Quare non conatur aſcendere Jacob per ſcalam quam vidit in ſomnis ? Quia, cum jaceret in terra deſcendere non valebat per illam. Ea Symbolum eſt humilitatis

Gen. 28.12.

militatis. S. Bernard. *in ſcala illa, quæ in typo humilitatis Iacob monſtrata eſt, Dominus innixus apparuit.*

S. Bernard. tract. d. grad. humilit. 5. locuturus. anre med.

Gradus 1. Quærere ab alio vilipendium. Virtutis heros non relinquit electioni alienæ quod ipſum conculcet. fl. 26. n. 31. p. 546. Verba legatorum: *quid ergo baptizas?* ignominioſa fuerant. S. Cyrill. Alex. *Baptiſtæ dignitatem negligentes apertè increpant dicentes: quid ergo baptizas?* & Præcurſor iſtis reſponſum præbet, ex quo fortè ſumpturi fuerant occaſionem, ut parvipenderent amplius eum?

1.

S. Cyrillus Alex. l. 1. in Joan. c. 25.

Gradus 2. Meminiſſe præteritæ abjectionis. Per iſtam fœlicitas attemperatur, fl. 19. n. 15. p. 389. Servus fuerat Joannes, & factus eſt amicus: non tamen ſervitutis priſtinæ fuit oblitus, qui de ſolutione corrigiæ (quod eſt officium ſervile) mentionem exhibuit. S. Auguſtinus ad illud: cujus non ſum dignus &c. *Quando autem nec ad hoc dignum ſe dicit verè plenus Spiritu ſancto erat, qui ſic ſervus Dominum agnovit, ex ſervo amicus fieri meruit.*

2.

S. Aug. to. 9. tract. 4. in Joan.

Gradus 3. Abſcondere ſapientiam. Humilem non pudebit dicere: neſcio, fl. 21. n. 33. p. 440. *Cujus ego non ſum dignus ut ſolvam ejus corrigiam, &c.* D. Gregor. M. *Ioannes itaque ſolvere corrigiam calceamenti ejus non valet, quia incarnationis ejus myſterium nec ipſe inveſtigare ſufficit, qui hoc per prophetiæ ſpiritum agnovit. Quid eſt ergo dicere, non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti ejus: niſi apertè & humiliter ſuam ignorantiam profiteri?*

3.

De Greg. M. to. 2. hom. 7. in Evang.

Gradus 4. Agnoſcere ſe. Sique te non agnoveris vix Deum cognoſces, fl. 19. n. 18. p. 391. Germanæ ſunt, & ſociantur in Joanne cognitio Dei: *Ipſe eſt:* & notitia ſui: *cujus ego non ſum dignus*, &c.

4.

Gradus 5. Dicere ſe inutilem. Hoc aſſerere de ſeipſo, præcelſus eſt virtutis actus, fl. 21. n. 37. p. 443. *Non ſum dignus*, &c. Qui ad obſequium iſtud minimum indignitatem ſuam fatebatur, ſe ad omnia tacitè dixit inutilem.

5.

Gradus 6. Credere ſe nihil. De ſe juſtus vellet affirmare ſine mendacio nihilum eſſe fl. 21. n. 37. p. 443. *Cujus non ſum dignus*, &c. Commentatur S. Thomas in Joann. *ex quo patet quòd Ioannes multum acceſſerat ad Dei cognitionem, inquantum ex cognitione infinitæ magnitudinis ſe totaliter vilipendebat, & nihil ſe eſſe dicebat.*

6.

S. Thom. in primũ Joan. lect. 3. §. Quaſi.

Gradus 7. Minuere operum ſuorum jubar. Mirabile hoc eſt, fl. 26. n. 39. p. 549 *Ipſe eſt qui*, &c. Theophylactus. *Continuè autem ponit hoc, qui poſt me venturus: oſtendens quod neque perfectum ſuum baptiſma.*

7.

Theophylac. in Joan. c. 1.

Gradus 8. Permittere ut apud alios virtus propria putetur fœdari peccato. fl. 17. n. 18. p. 349. Sentirent alij, de Baptiſta, cum audirent illum de ſeipſo tantam indignitatem fateri? *non ſum dignus ut ſolvam*, &c.

8.

Gradus 9. Reputare virtutem ſuam ſicut peccatum, fl. 26. n. 40. 550. Apud Deum ſolus peccator eſt indignus: an ſe reputabat Joannes reum dicens: *non ſum dignus.*

9.

Gradus 10. Humilitatem abſcondere, fl. 26. n. 41. p. 550. *Ipſe eſt qui* &c. S. Cyrillus Alex. ibi: *benignè valde propter ſalutem eorum reſpondet, ac invitos docet, in januis jam, imo verò etiam intra januas eſſe Chriſtum.*

10.

S. Cyrillus Alexand. in in Joan. a. 26.

Verba Præcurſoris prodibant ex humilitate, quam deſiderio docendi velabat.

Gradus 11. Humilitatem ex propoſito quæſitam: ſic exercere quòd videatur accidiſſe caſu, fl. 15. n. 18. p. 351. Indignitatem ſuam Joannes aperit quaſi caſucaliter, occaſione ſumpta ex interrogatione legatorum: *cujus non ſum dignus*, &c.

11.

Grad. 12. Immolare humilitatem cum oportuerit ſicut Joannes, qui ſe putans indigniſſimum ad hoc ut Meſſiæ deferret obſequium, eum honorifico teſtimonio commendavit: *ipſe eſt*, &c. fl. 16. n. 27. p. 328.

12.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

THEMA.

Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, & videbit omnis caro ſalutare Dei, Luc. 3.

ARGUMENTVM.

Cataſtrophe ſalutifera.

POſt conceptum de judicio timorem, & ab exemplo Herodis, ac Joannis, tædio ſumpto vinculorum ſpiritualium, amoreque libertatis: demiſſa ſcala humilitatis per quam educatur anima de cuſtodia: ſequetur, vultu Dei (quem repreſentatione mater Eccleſia præſtolatur annua) benigniter annuente, metamophorſis, quam dextra perficiet Excelſi contentam verbis illis: *omnis vallis*, &c. quibus commentarium ſubjicio.

Omnis: Cunctis Divina ſe largitas offert, ſed accommodè pro capacitate ſingulorum. Valli ſpondetur implendum, & monti complanandum, &c. fl. 21. n. 11. p. 428. S. Titus Boſtr. *Univerſam mortalium naturam Dei clementia & benignitate poſthac potituros oſtendere volens ſubjungit: & videbit omnis caro ſalutare Dei.*

1.

S. Tit. Boſtr. ad hoc Evang.

Vallis: Idem S. Titus ibi. *Propheta reſpondet: nihil vereare, ſi quidem omne illud quod virtutis curſum ante impediebat, per Chriſtum è medio ſubmovebitur & emmendabitur. Si qua profunda, & ob id tranſitu difficilis vallis occurrerit, ea ad ſuperficiem uſque implebitur*, &c. Sed ipſa profunditas, quam pro virtute deſcendere formidamus, planiſſima videretur ſi malo fine tenderemus, fl. 9. n. 12. p. 226. An non ipſe peccator imo valle jacet? S. Hieronymus: *in deſerta gentium multitudine: de qua ſupra legimus: lætare deſerta ſitiens: exultet ſolitudo: & floreat quaſi lilium: hæc enim deſerta erat notitia Dei: & ab*

Idem 161.

2.

S. Hieron. to. 5. l. 11. Iſai. c. 40.

ab idolis tenebatur humilis in confessione &c. En transformationem ter felicem.

Orig. hom. 11. in Luc. *Implebitur.* Origenes hic. *Quando verò venit Dominus Jesus,& misit Spiritum sanctũ vicarium suum,vallis omnis expleta est Expleta est autem operibus bonis,& fructibus Spiritus sancti.*

3. Trãsmutata est vanitas animæ peccatricis in virtutis divitias. fl.16.n.55.p.340.

Beda l.1. in 3.Luc.c.9. *Et omnis mons.* Beda *Quid hoc loco vallium nomine nisi humiles ? quid montium & collium, nisi superbi homines designantur* ? Evertitur superbia per Dei clementiam:nam superbus elevatione punitur, fl. 26. n. 20. p.540.Destruetur ergo salubriter illa tumentium altitudo.

4.

S.Tit.Bostr. sup. *Et collis.* S.Titus exponit motus sensuum: *Per montes itidem & colles, inconcinnos sensuum motus* &c. Si negotium agitur animarum, quid istis cum sensibus ? Aliqui sic vivunt ac si sensus in ipsis tenerent animæ locum. fl. 24.n.19.p.506. Quæ sensuum adversus rationem tumefactio dissolvetur ad sanitatem recuperandam.

5. *Humiliabitur.* Torquetur peccator in quo deliquit. fl.1. n.8. p.5. plurimos proculcavit : & ille proteretur ut eversus resipiscat.

S.Greg. M. hom.2.hom. 20. in Evang. *Et erunt prava.* S. Gregor. M. *Prava directa fiunt cum malorum corda per injustitiam detorta, ad justitiæ regulam diriguntur.* Et quam excellens opus est Omnipotentiæ peccatorem ad virtutis rectitudinem flectere. fl.12. n. 9.p. 264

7. *In directa.* Ex D.Gregor. proxime, corda nostra fiunt ad modum eorum quæ adhibita regula complanantur, detractâ quæ supereminebat in eis tortuositate. Sufficit lignum esse partim detortum, ne dicatur apte directum. Sat est unum, vel alterum delictum,ad cæterarum virtutum rectitudinem obliterandam. fl. 8.n. 23.p.218.Sic evertetur quidquid á virtutis rectitudine deflectere faciebat cor tumescens.

8.

Euthym.exposit. hujus Evang. *Et aspera.* Euthymius. *Obliqua sunt viæ, perversæ hominum, & asperæ viæ, opiniones ipsorum : hæc fient recta & plana ita ut per ea æquabiliter tendant ad Christum.* Præcipua viæ sanctitatis asperitas opinio est, & falsa : contra quam veritas docet virtutem non tam justo laboriosam, quàm scelesto crimen est. fl.9.n.11. p.225. S. August. *Ne progrederentur ad illicita compedes acceperunt, compedes sapientiæ, compedes verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea & non aurea? Ferrea sunt quandiu timent ; ament, & aurea erunt.*

9.

S.Aug.to.1. In ps.149.

In vias planas. Plana, sed non depressa dicitur via, quia per humilitatem illa non deprimitur, sed complanatur. S. Laur. Just. *Cernis ne quam sublimis,quam præcelsa,quam commẽdabilis est,quam diligenda sit humilitatis virtus, quæ possessorem suum efficit templum Dei* &c. Humilitatis excellentia mirabilis est.fl.4.n.13.p.136. Et ex eo quòd Verbum Dei fuerit amplexatus illam, clarebit quam sit alta planities : juxta quam normam destructi fructuosè montes coæquabuntur solo.

S.Laur.Just. l.de humi.c. 8.med.

10.

11. *Et videbit omnis caro.* Mirum fuit quod mortales oculis perciperent id quod eorum interest : nam cernere pervium est quod ad nos non attinet ; si autem interfit, non videamus quod positum est in conspectu. fl. 15.n.13.p.313. Apparente super terras illo qui mortales omnes illuminat, aliter se gerent oculi : munus agent fausti nuntij qui prius fenestræ mortis erant : *nam re verâ multis sæpe mortibus introeundi locus oculus extitit.*

S. Greg. Nyss. l. d. Orati. post. med.

12. *Salutare Dei*, hoc est Christum Dominum. Cur non dicitur videbit Omnipotentem ? Quia, *Salutare*, nomen est à beneficentiâ deductum : Deus autem pluris facit quod credatur velle, quam posse beneficere. fl. 23. n. 36. p. 490. Hac igitur benignitate præ oculis posita, quid non rebellium affectionum evertetur in melius? *Iquis tam superbus arrogans & inflatus, si bene attenderet Dei majestatem exinanitam, potentiam infirmatam, sapientiam balbutientem* ? Sic.D. Antonius Olyssip.

S. Ant. Olyss.ser.4. Adven.

VIGILIA NATIVITATIS.

THEMA.

Non erat eis locus in diversorio
Luc. 2.

ARGVMENTUM.

Domum nostram exornatam offeramus Deo ut nascatur in ea.

S. Maximus:*idcirco mystico refertur sermone non inveniri locum in diversorio, quia ingressus mundum Christus, fidem in qua possit requiescere non invenit.* Paremus ergo habitationem infantuli nativitati. S. Laurentius Justin. *Nunc itaque autem illius humilitatis diversorium spiritualiter para tuæ vilitatis fæno repletum.*

S. Maxim. hom. 2. d. Natali Domi.

Dividitur ædificium nostrum in tria cubicula : superiora sunt memoria, & intellectus : inferius autem cor : *domus enim nostra inferior cor nostrum est*,ait August.An opportunum erit sacro Natali Domini conclave memoriæ ? Minime : primò quia tantùm præterita capit ; beneficium autem Nativitatis Dominicæ debet velut præsens ante oculos, ut hodiernum, obversari.fl.3. n.44. p. 100. ubi reperies quæ de S. Eucharistia facilè flectuntur huc. Secundò quia in memoria moratur oblivio : proinde non secum patietur hæc beneficium tantum intra eosdem parietes admitti. Nec dicas vincendam à tam singulari beneficentia nostram ingratitudinem : nam quò majus est beneficium, eo faciliùs è memoria propellitur.fl.17.n.40. p. 359.

1. S.Aug. to.8. in ps. 100.

2.

Potiusne Deo nascituro congruit intellectus nostri sublime trielinium ? Nequaquam : est enim occupatum nimis. In eo congeritur quidquid agnoscimus. Creaturas inde prorsus expellere conveniens non est : quia nisi mente retineamus quid sint, non cavebimus nocivas. Cum iis verò Deum simul accipere hospitio non patitur zelus, ex quo Deus animæ nostræ zelatus dicitur. fl.

3.

16. n.42. p. 335. Ideo permisit ut non esset ei locus in diversorio : nam tunc temporis erat multitudine repletum. Quid erit ubi non tanquam hospes vult recipi ; sed quasi Dominus?

Igitur solum cor offeramus Virgini sanctissimæ, ut in eo nascatur Unigenitus. O quanti faciet hujus domunculæ supplicem oblationem Filius Dei? Sic de illa gaudebit, 4. quasi foret ei cælum cor hominis. fl. 32. n. 13. p. 656. Animadverte quàm sublimiter oporteat illud elevari: S. Ambr. to. 1. l. 8. in Luc. c. 18. *non enim in abjecto corde habitat Deus: sed sicut tradiderunt nobis prophetæ: Thronus virtutis exaltatus est* &c. Ita S. Ambrosius.

Cælum, inquam, dixi Domino cor nostrum, quia sicut in empyreo, sic & in amantis pectore, peculiariter Deus potentiam declarat: nam ex hoste amicum efficere, 5. magnum Dei opus extat. fl. 21. n. 32. p. 440

In ejusmodi corde nasci Deus magni pendit adeò, 6. quod videatur pluris hanc facere nativitatem, quam illam qua de Paterno corde fuit eructatum Verbum ante sæcula? fl. 28. n. 30. p. 586. S. Bernardus. S. Bern. ser. 6. sig. Nat. *Præoccupemus igitur faciem Domini in confessione, ut sanctificati pariter & parati inveniamur & nos Bethelehem Judæ, atque ita nascentem Dominum videre mereamur in nobis.*

Si tamen loco diversorij cor natali Domini præparas : oportet ne sit illud ex iis, quæ similia diversorio dici valent. Clemens Alexan. Clem. Alex. l. 2. Stroma. *Mihi quidem videtur cor non esse absimile diversorio : illud enim perforatur & effoditur & stercore sæpe repletur, cum homines se petulanter gerant, & locum nihil omnino curent, ut qui sit alienus. Eodem modo cor quoque, cum, quandiu nulla ejus cura geritur sit immundum, & multorum dæmonum habitaculum* &c. Diversorium non recipit dominos; accipit unius diei hospites. Non sic Deum suscipiamus nasciturum. fl. 28. n. 31. p. 488. Ideo permisit ut in domo quam nullus tamquam dominus ingreditur, non esset ei locus : non vult enim Dei Filius in transitu nasci. 7.

Vt cor mundes ac exornes tanto Regi, accende lumen amoris de silice duritiei, tuæ percussione contritionis eductum: & hac flammâ percipies quantus ille sit qui dignatur ingredi tantillos lares. Ama, & intueberis acutè. fl. 9. n. 20. p. 230. 8.

Projice, si quas inveneris, imagines ibidem eorum quæ tibi fuerant olim chara simulacra: nam quæ conventio Christi & Belial? Deum atque diabolum simul idem pectus non capit fl. 10. n. 23. p. 248 9.

Deinde, *cordis habitaculum mundandum est & virtutum tapetibus exornandum, bonarumque affectionum, & cogitationum vernantibus floribus undequaque spargendum.* S. Thom. à Villan. ser. 3. Dom. 17. post. Pent. Ita S. Thom. à Villano. Quoad primum. Tapetia strantur pedibus : ita virtutes propriæ contemnendæ, ut cor placeat ei qui humilis est corde, virtutum divinus Magister assimilat viæ, dicens: Matth. 7. 14. *quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam*, &c. Viam relinquit viator, virtutem secum defert justus, potiùs ergo floribus quos in via colligit peregrinus, videbatur virtus assimilanda. Sed nequaquam : nam iterfaciens complacet in floribus, & viam pede terit. Sic tu bene gesta despice tua. 10.

Flosculi deinde spargendi super pavimentum. Sed ne marcescant, oportet identidem renovari: quia virtus non proficiens decrescit. fl. 4. n. 5. p. 131. 11.

Non aliud moneo pro domunculæ parietibus ornandis: nam potius nudum cor Deus experit. Sed quid nos ei dicare possumus amplius? Domino cor nostrum instar omnium rerum. fl. 32. n. 14. p. 657.

NATIVITAS DOMINI.

THEMA.

Verbum caro factum est, & habitavit in nobis : & vidimus gloriam ejus
Ioann. 1.

ARGVMENTVM.

Pro depellendis tenebris nascitur Jesus Christus ut sol : pro restinguenda siti velut fons: pro spebus elevandis tamquam flos.

PRIMA PARS.

ORitur sol. S. Thom. à Villano. S. Thom. à Villano. ser. 1. in Nat. Domi. *Qualis ex purpureæ gremio auroræ, cum rutilans oritur sol, qualis radius, cum vitream penetrat fenestram, integramque relinquit : qualis stella fulgorem, aut vernans rosa placidum ex se mittit odorem, talis decora puella suo utero edidit Salvatorem.* Cum Phœbus exorirur, se tunc præbet conspiciendum cunctis : non ideo minor ejus fulgor. Deus & creatura in splendendo nimis dissident : illa de absconsione majestatem conciliat ; 1. Deus non ita. fl. 22. n. 49. p. 471.

Ut prudentem confidentiam aleret Verbum caro factum, se dejecit ad præsepe. Sed tunc Deus ostendit quisnam sit, cum dissimulat 2. celsitudinem, ut amorem demonstret. fl. 1. n. 5. p. 3. *Et habitavit* &c. Chrisostomus. *Idcirco habitavit in nobis, ut ad ipsum accedere, cum ipso loqui, & conversari audenter liceret.* Chrysost. to. 3. hom. 11. in Joan. post princip. Ac ne nos umbræ circunstantes prædirent incutientes metum, natus est more solis. Dices : cur voce carens nascitur? cur non potius nos alloquitur in præsepio! Ne voce Dei terrereris ut filius Adam. Curat undequàque lux divina metus fugare. fl. 21. n. 22. p. 435. 3.

Sanè post amoris pleniissimam nativitatem Domini, solus timebit qui volet metuere fl. 30. n. 26. p. 629. Nam ut filiales indueremus fiducias Verbum filius hominis factum est. 4. Euthymius. *Ad hoc siquidem Dei Filius homo factus est, ut homines filij Dei fierent.* Euthym. expos. in hoc Evang.

SECVNDA PARS.

Nascitur fons. S. Bernardus. *Fons nobis est*

S. Bern. ſer. 1. Nat. Domi. *eſt Chriſtus Dominus, unde lavemur, ſicut ſcriptum eſt: Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris. Veruntamen non iſte ſolus aquarum eſt uſus, nec tantum ſordes abluunt, ſed & ſitim extinguunt.*

Primò differt ab aliis fons iſte, quod cæteri terram copiis ditant ſuis, ille verò ſuis inopiis: quæ verè theſauris opulentiores. fl. 23. n.39. p. 491. *Verbum caro* &c. Omittit Joannes animam, quia in hanc non cadit paupertas, quam Deus dilexit ut nos dites efficeret. 5.

Differt Secundò quod alij fontes nec de nomine ſunt noti niſi redundent; ſed Verbum incarnatum per egeſtatem innotuit. fl. 23.n.40. p. 492. De Deo ante incarnationem 6.

S. Aug. to. 9. tract. 2. in Joann. prope fin. Auguſtinus ait: *gloriam ejus nemo poterat videre.* Sed poſtquam egenus factus eſt, *vidimus gloriam ejus.*

Tertiò diſſidet fons noſter in eo quòd licet extinguat ſitim amoris; non tamen eam quâ deſiderium exardet. fl. 1. n. 10. p.... Nam tegitur adhuc Divinitas, quia *Verbum caro factum eſt.* 7.

Si tot diſſimilitudines reperiuntur inter hunc & cæteros fontes: quomodo fons dicitur? In hoc ſimillimus reliquis, quòd iſti cum abundant, non expectant à ſitiente quæri, ſed profluunt veluti quæritantes quem recreent ſitibundum. Chriſtus Dominus beneficiis homines invitat, eos inſequens terga dantes. fl.23. n.24. p. 488. *Habitavit in nobis*: non ait vocavit nos, quia mortales quæſiturus venit, ſe cunctis offerens, & accipi cupiens. 8.

TERTIA PARS.

S. Hiero. to. 5. lib. 4. in Iſa. cap. 11. Egreditur flos. S. Hieronimus. *Nos autem virgam de radice Jeſſe Sanctam Mariam Virginem intelligamus: quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem, de qua & ſupra legimus: Ecce virgo concipiet & pariet filium: Et florem Dominum Salvatorem:* &c.

O quàm pulcher flos divinus prodit! Nihil in terris ultra, quod aveat reperit qui Deum vidit è terra Virgine progerminatum; niſi deſideret eundem perfectius poſſidere. Ideo Deus incarnatus flos & fructus eſt: ut cum poſſides eum tamquam Bethlehemiticum florem, ardeas eundem colligere quaſi ligni ſalubris fructum. Sic erit prope ſimul ac longe tibi: poſſeſſionem votis conjunges. fl. 25. n. 38. p. 532. Eſto necnon tu Deo floſculus & pomum S. Antonius Olyſſip. *Debemus eſſe in manu Dei tamquam flos, vel pomum, ad odorandum. De anima enim quaſi de pomo vel flore odor exit, & tota ipſius affectio, cogitatio & delectatio, in Deo quieſcit.* Quietem deſideras? Habita in eo qui *habitavit in nobis.* 9.

S. Anto. Oliſſip. Ser. 2. de omn. SS.

In prato Virgineo natum inveniſti florem? Rurſus quære: nam Deum bene requirit qui jam reperit. fl. 27. n. 30. p. 568. Et quamvis audias: *habitavit in nobis*, animadverte quod flos eſt, ac floſculis duratio brevis. Time ne manſionem apud te non faciat ille diuturnam: ſi tamen diligis, credes apud te manere tantùm Dilectum veluti florem, qui diei non tranſit metas. Amanti Deum ejus poſſeſſio diutina ſicut unus dies. fl.25.n.33.p.530. 10.

Ergo floris hujus inquiſitionem renova ſæpius: nam gaudet fieri novo titulo noſter. fl. 3.n.73. p. 127. Hoc ſatage, ſimulque cum illo renaſci: *quia in ejus nativitate nos omnes natos ſentimus ad vitam. Factus eſt enim homo, non ut ſibi viveret qui author eſt vitæ; ſed ut morte ſua vitam redimeret mortuorum.* Sic D. Maxim. 11.

S. Maxim. hom. 6. d. Nativ. Domi.

IN DIE CIRCUMCISIONIS.

THEMA.

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Luc. 2.

ARGUMENTUM.

Nomen Invictum
Excellens
Salutiferum
Venerandum
Sapiens

Quinque litteræ ſacratiſſimi nominis Jeſus inſinuant eſſe nomen invictum, excellens, ſapiens: *nomina enim imponuntur rebus ſecundum proprietatem earum.*

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 14. poſt. princi.

NOMEN INVICTVM.

INſuperabile, inquam, eſt. S. Vincentius Ferrar. *Contra omnia pericula eſt medela. Unde turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum currit juſtus & exaltabitur.* Proverb. 18. *Nomen Domini Jeſus. Vocatum eſt nomen ejus Ieſus.* Adversùs nomen iſtud non prævalet quòd ipſum Deum potuit apud mentes hominum errore deceptas fœdare. Bis, & ſæpius odium & invidia ſurrexerunt in Redemptorem. Primò volebant delere crucis titulum, & non valuere: *Quod ſcripſi ſcripſi.* Impetitur ſecundò Chriſti Domini fama, cum *pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum* &c. Et infra. *Et divulgatum eſt verbum iſtud.* Ecce perfecerunt quod aggreſſi ſunt contra veracitatem Filij Dei nunc? Cur non ſic in mutando titulo contigit pro ejuſdem veracitatis opprobrio? *Sed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum.* Quia ibi erat inſcriptum nomen potentiſſimum Jeſus, quod à nullo ſuperabitur. 1.

S. Vincent. Ferr. p. 3. ſer. in com. S. Pauli. Joann. 19. 22. Matth. 28. 12. 13. Ibi n. 15. Ioan. 19. 21.

Quamobrem ſi tentaris à diabolo, ſi ab omnibus hominibus oprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi ſupra vires blaſphemiæ, ſeu deſperationis, agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito, & repente lumen conſequeris & gratiam. Sic D. Laur. Juſtin. Et quam eſt læta victoria ſub præſidio ſanctiſſimi nominis parta! cum ſit exultatione plenior quæ citra gladium palma venit. fl.30.n.16.p.624. Jure optimo cum primum incipit Salvator diabolum ſanguinis effuſione proſternere, *vocatum eſt nomen ejus Ieſus.* 2.

S. Laur. Iuſt. ſer. d. Circumc. juxt. fin.

NOMEN

Copia pro concionibus.

NOMEN EXCELLENS.

S. Ber. ſer. 1. d. Circumc. S. Bern. *Circumciſio veritatem ſuſceptæ probat humanitatis : & nomen quod eſt ſuper omne nomen gloriam indicat majeſtatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ filius. Ieſus vocatur tamquam filius Dei.*

S. Bern. in ſen. to. 4. ſer. 48. Honorificum certè vocabulum : quia, ut S. Bernardinus ait, *nomen Ieſu ſignum eſt repræſentans omnia, quæ Deus undique fecit propter ſalutem humanæ naturæ.* Unde per hanc ſacratiſſimam vocem declaratur Deus beneficus : qui titulus excellentiam præ ſe fert eximiam. Dominus pluris facit ſe largè munificum haberi, quam ut unicum Deum
3. coli. fl. 29. n. 8. p. 598

Appellatio hæc ſacro-ſancta patientiam Domini demonſtrat, ut colligitur ex D. Bernardino proximè : Deus autem fulget præ-
4. cellentiùs de tolerantiæ titulo, quàm fortitudinis. fl. 16. n. 24. p. 326.

Et adeo, quod pluris facere videatur patiẽtiæ decus, quam Divinitatis fidem. fl. 16. n.
5. 25. p. 326. Ideo quamvis alia Redemptor ſibi vendicet nomina perilluſtria : tamen Jeſus quaſi peculiariter dicitur à D. Luca : *nomen ejus.*

NOMEN SALVTIFERVM.

S. Cyrill. Jeroſol. catech. 10. *Ieſus itaque apud Hebræos ſignificat Salvatorem : in lingua vero Græca, medicum ſonat: quandoquidem & corporum medicus eſt, & animarum curator.* Imo S. Bernardus ait

S. Bernard. ſer. 15. in Cant. *Hoc tibi electuarium habes ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli hujus, quod eſt Ieſus : ſalutiferum certe, quoque nulli unquam peſti tuæ inveniatur inefficax.*

6. O quàm facile remedium providit nobis Miſerator in prolatione ſyllabæ duplicis ! Piiſſimè quidem: nam ſi difficile quæſitu fo-
7. ret, multi non poſſent uti medicamine : miſerabiliorque fieret is qui medela nequiret frui, quam ſi careret illa. fl. 9. n. 27. p. 234

Adverte quod ægrotationibus animæ citius adhuc Jeſus occurrit, quam corporeis anxietudinibus. fl. 3. n. 28. p. 101. Ne differatur curatio. Jeſus eſt medicus, & medicina dicitur *nomen ejus*, ut ipſa vocatione medici, quin dilatio intercedat, jam præſto adſit medicamen.

NOMEN VENERANDVM.

Chryſol. ſer. 144. D. Petrus Chryſolo. *Quia in hoc nomine Deitatis tota adoratur majeſtas : omnes qui commorantur in cælis, univerſi qui habitant terram, cuncti qui in profundo tenentur inferni, huic proſternuntur nomini, hunc adorant. Audi Apoſtolum dicentem : Ut in nomine Ieſu omne genu flectatur* &c.

Nomen Jeſu ex D. Bernardino proxime
8. ſupra ſignificat ea quæ Salvator egit : & opera cujuſque ſunt genus ejus. fl. 20. n. 33. p. .... Proinde coniice quàm ſit hoc nomen illuſtre.

Adde quod indicatur eodem humilitas qua Deus pro noſtra ſalute ſe ſubjecit ho-
9. minum poteſtati, qui per peccatum hoſtes Dei manſerunt : & ab humilitate, quam exercet quis erga proprium adverſarium, paratur ei nomen inclitum. fl. 26. n. 28. p. 544. Hoc ergo eſt quod ſpecialiter *vocatum eſt nomen ejus.*

NOMEN SAPIENS.

Quanta per hanc unicam vocem addiſcere quibimus ! eſt quippe flamma lucem præbens. D. Bernardus. *Vnde putas in toto orbe tanta eſt tam ſubita fidei lux, niſi de prædicato Ieſu ? nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen ſuum.... Nunquid non ignem ſparſit, cum ait : in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula?* Cum igitut Jeſus nomen ſit dilectionis, compendioſum eſt & velox amoris magiſterium. Econtra : quod non amatur, neſcitur. Amans autem oculorum acie vel ſapientiſſimum antecellit. fl. 1. n. 13. p. 8. fl. 9. n. 20. p. 230.

S. Bern. ſer. 5. in Cant. 10. 11. 12.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

THEMA.

Obtulerunt ei munera aurum, thus & myrrham. Matth. 2.

ARGVMENTVM.

Celebrat comitia Rex regum in Bethlehem : bella pacemque tractat: leges & providet regno ſuo ſaluberrimas.

DE pace inter Deum & homines actum eſt primò : quam licet mortales recuſent, ex eo ipſo beneficium hoc illuſtrius eſt : quia ſcili. præſtatur invitis. fl. 22. n. 21. p. 461.

Sub aliquibus conditionibus pax iſta firmatur : Duo tantum expende. Prima quòd 1.
fugitivi revertantur vaſſalli : nam exules à naturali rege ſuo manere durum foret ; à Deo verò fugere miſerabilius eſt flammis tartari. fl. 28. n. 18. p. 582. Secunda conditio eſt ut univerſalis venia donetur criminoſis. 2.
Equidem ſi denegaretur, imminuta foret gloria Dei. fl. 27. n. 11. p. 563. Tertia conditio eſt ut amicitia ſic redintegretur quaſi 3.
nunquam fuerit læſa. fl. 30. n. 43. p. 636. S. Vincentius Ferrar. alludens ad aurum de quo textus, ait : *tales ſunt aurum purum propter pœnitentiam in hoc mundo factam.* Adde S. Ambroſium. *Hæc, inquam, illa eſt meretrix quæ poſtquam lota eſt, nihil ſe dicit feciſſe pravam.* Loquitur de Eccleſia congregata ex gentibus. Vide infra pro ſerm. de lachrym. D. Petri n. 1.

S. Vincen. Ferr. ſer. 4. d. Epiph. S. Ambroſ. to. 5. ſer. 42. fer. 6. poſt. Dom. 3. Quadr.

Quam benignus de pace cum ſervis audacibus Deus paciſcitur ! & ita quòd à quibus jacula ſuſtinuerat, acceptet dona. *Obtulerunt ei munera* &c. Videas an fortè dictis faveat Auguſtinus. *Iſraëlitæ, paſtores, Magi gentiles. Illi prope, iſti longe, utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerũt. Veniẽs quippe, ſicut Apoſtolus dici, evangelizavit pacẽ nobis, qui eramus longè, & pacem his qui prope.*

S. Aug. to. 10. ſer. 32. d. tempor.

BELLA

BELLA DECERNVNTVR.

Pax minime ſervari valet niſi fœderatorum debellentur hoſtes. Hi peccata ſunt: eorumque fautores diabolus mundus & caro. Contra quos indicto bello vocat milites Deus, & vix invenit aliquos, niſi plurimâ formidine vecordes, qui pro ſectandis nocivis temerarij. Metuimus putata diſcrimina; 4. cupimuſque vera, fl. 10. n. 9. p. 242. Sic & Herodes vanè metuit natum regem; econtra Magi non timebant Herodem, oportuitque moneri *reſponſo accepto*, &c. S. Maximus. *Turbatur rex, regno credo metuens ſuo, neſcius quia Chriſtus non veniebat regnum ejus invadere, ſed ſalvare*, &c.

S. Maximus hom. 4. de Epiph.

Ad militiam ſuam libentius admittit eos qui ab inimicorum acie transfugiunt ad caſtra Dei: quia per hos adverſarius peculiariter cæditur: nam ejus tormentum eſt non vulgare contemni ab iſtis qui eum dilexerunt olim, fl. 8. n. 7. p. 210. 5. Iſtiuſmodi milites Deus magni facit: nam ipſos ab inimico reportat velut ſpolia ſibi. S. Auguſtinus. *Debellaturus ſcilicet Chriſtus gladio ſpirituali per univerſum orbem regnum diaboli, hæc prima puer ſpolia dominationi idolatriæ detraxit.*

S. Aug. proxim. ſup.

Pro belli ſumptibus imponit ſubditis adeo ſuave tributum, quod per thus deſignari valet. Quid? Peritio. Hac unica Deus videtur diteſcere. Opulentior dici poteſt Dominus ex datis, quam ex acceptis, fl. 23. 6. n. 22. p. 483. *Obtulerunt munera.* Anonymus ſub nomine Emiſſeni loquitur ad beatam Virginem: *ſuſcipe prima munera filij tui, ſuſcipe tributa, quæ ei ſolvuntur*, &c. Thuris interpretationem exhibet Chryſoſtom. *Thus autem eſt oratio.*

Anonym. ſub nomine Emiſſen. hom. in Epiphan. Chryſoſt. to. 2. hom. 2. oper. imper. in Matth.

NOVÆ JUBENTUR CUDI monetæ.

Ad bellicas expenſas oportet monetam de novo cudi ex materia, quæ de ſe minus pretioſa fuerat, ſed accedente regio decreto par erit auro. In primis haberi voluit injurias veluti laudes. Et verè ſi pro Domino, vel pro veritate ferantur, præconia 7. ſunt, fl. 19. n. 29. p. 396. Decretum fuit quod tribulationes computentur inter dona Dei. 8. fl. 18. n. 33. p. 381. Statuit ut in ratiociniis exigendis ab illis qui ſummo Regi miniſtrant, deſideria tamquam opera pretium vindicarent. fl. 9. n. 16. p. 228 Obtulerunt pretioſa 9. dona Magi dites; offerat pauper deſideria: nihil enim legimus donaviſſe puello paſtores.

LEGES DENVO STATVTÆ.

10. Prima, quod ſit virtus nobilitatis perfectæ radix, fl. 27. n. 11. p. 559. Secunda, quòd exules curent in patriam remittere partem poſſeſſionum, aliter omnia perdant. De fructu eleemoſynæ vide, fl. 6. n. 29. p. 188. Obtulerunt ei munera aurum, &c. S. Thom. à Villan. *Aurum illi offert, qui temporales divitias, quas poſſidet, in toto vel in parte Deo dicat, vel pauperum uſibus tribuit.* 12. Tertia lex, ut illuſtris dicatur qui benefacit hoſti, fl. 26. n. 27. p. 544.

S. Thom. à Villan. ſer. de Epiphan.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

THEMA.

Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te, Luc. 2.

ARGUMENTUM.

Qui Deum perdidimus, jam ſurgamus, & circumeuntes civitatem quæramus quem utcumque diligit anima noſtra.

PUlſemus ad januas clauſas domus timoris humani: an erit ibi? Quidam illac incipiunt quæritare Deum; ſed fruſtra: nam ſæpè quod videtur Dei metus; nihil minus eſt quam ipſe, fl. 28. n. 12. p. 579. Proinde qui 1. ſolum timoris tempore ſe Deo committit, reſponſo divino dignus non eſt, fl. 5. n. 34. 2. p. 167. Non ait B. Virgo: timentes ne ab Herodis hærede necareris te quærebam; ſed dolentes quærebamus te. Vide quem timorem eligas: *eſt enim timor inutilis, triſtis, crudelis, qui veniam, quia non quærit, non conſequitur. Eſt ſiquidem timor pius, humilis, fructuoſus*, &c. Hæc S. Bern.

S. Bern. epiſt. 87.

Inquiramus ad turrim poteſtatis humanæ: Quæramus an Deus immoretur inibi. Occurret nobis veritas inde fugiens, ac dicet: non eſt hic: nam potentes Divinitatem ſibi arrogant, fl. 16. n. 44. p. 336. Et 3. neque totus orbis, nedum aula unica Deos duos capiet. Potentia mundialis potius eſt occaſio Deum perdendi, quam inſtrumentum reperiendi. S. Ambr. *Videtis igitur quod poteſtas hæc ſæcularis frequenter nihil profit, & plerumque obſit.* An Deipara pro Domino inveniendo, magiſtratus adiit, ut edictis juberent quòd redderet matri ſuæ puerum quicumque reperiſſet illum? Dolorem proprium imploravit: *dolentes*, &c.

S. Ambr. to. 1. apolog. poſter. pro David. c. 3.

Sciſcitemur in latibulis ubi pudor habitat, an forte Deus ibi reſideat. Ita procedunt qui turpia non patrant ex hominum pudore. Non incedunt iſti rectâ viâ: quippe non magni fit à Deo virtus quæ propter ſolum ruborem humanum fugit peccatum, fl. 15. 4. n. 26. p. 314. Potius te dolor amiſſi boni ducet. Perpende quantum dolere tibi congruat: cum ſanctiſſima Genitrix, quæ citra culpam ſuſtinuit Dei jacturam, dolens quæſierit illum: *dolentes*, &c.

Adeamus tentorium fortunæ diſquirentes an adſit in eo, quem veſtigamus. Non invenietur hic: nam ſi domum hanc ingrederetur, honoraret illam; Deus autem curavit fœlicitatem deshoneſtare, fl. 27. n. 40. 5. p. 572. Sicut econtra condecoravit infortunium: prout videre licet in eo quòd permiſerit Mariam & Joſeph dilectiſſimos amiſiſſe lumen oculorum ſuorum infœliciter: ita ut piè meditetur: S. Vincent. Ferrar. ſic:

S. Vinc. Ferr.

ſer. 4. de Epiphan. *Quando Virgo intravit, & non vidit filium ſuum, dixit Joſeph: ubi eſt filius meus? Reſpondit Ioſeph: Et non erat vobiſcum? O miſer: ego credebam ipſum eſſe vobiſcum. Tunc Virgo plangens dixit: ô miſera: quid eſt de filio meo?*

Ambitionis habitaculum inviſamus ut percontemur an iſtum invenerit opulentiſſimum theſaurum. Non dignatur Deus ad ſuperbum divertere: is quippe coram Domino res tenuiſſima, fl.27.n.23.p.564. 6. Humiles erant B. V. & S. Joſeph: meritò ſperabant ipſum invenire: *quærebamus te.*

Conſulamus amorem proprium ut nos edoceat ubi noſtram Dei perditi jacturam reparabimus. At ne conſilium poſtules ab eodem qui tibi damnum hoc intulit. Non te faciet reſipiſcere qui te mundo tradi ſuaſit, 7. fl.30.n.41.p.635. Non amore proprio; ſed amanti dolorequæritur Deus: *dolentes*, &c.

Proderunt opes, ut reſtauremus quod perdidimus? Dum poſſidentur minimè: 8. quia formidoloſum reddunt, fl.2.n.10.p.71. Imò potius paupertas conducit ad quærendum 9. Deum, fl.4.n.4.p.130. Confidenter proinde puer Jeſus ab ſponſis beatiſſimis & pauperibus quærebatur.

An in triclinio gaudij latet? Neutiquam: nam ſi voluptas tantum bonum poſſideret, non pateretur eo frui, quin illum nobis communicaret: quia gaudia ſocium deſiderant præſertim circa ſpiritualia: noverunt enim quod per ſocietatem capiunt incrementum, fl. 17. n.34.p.356. Ideo non diviſim 10. requirebant Maria & Joſeph puerum Deum (*dolentes quærebamus*) ut inſimul invenirent, atque de ſodalitate creſceret lætitia.

An poſtulabimus à mundanorum ſapientia qua via quærendus nobis erit quem deſiderat anima noſtra? Cave prudentiæ fraudes humanæ: difficile namque ſanatur anima decepta per eum quem putabat veritatis oraculum, fl. 19. n. 27. p. 395

11. Tandem ſuade tibi, quod cum ſit pretioſa margarita quam requiris: non illam reperies niſi turbidos inter dolorum fluctus; quæſivimus bene, *ſi dolentes quærebamus*: Deus enim anxietatem permittit ei qui tandem fortunatò reperturus eſt eundem, fl.31. 12. n.5. p. 638.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

THEMA.

Quid hîc ſtatis totâ die otioſi? Matth. 20.

ARGVMENTUM.

Otij labores vacui.

HÆc interrogatio ſcientis videtur habere vim negationis: q. d. nullus datur finis verus, ex quo duci queatis ad eligendum otium. Examinemus aliquot.

1. Reficere vires quieſcendo, potiùs iſtâ ſub quiete labor. Origen. *Onus erat enim otioſitas ipſa, & quod non judicabamur interim ad opera vineæ digni.* Miſerum eſt invenire laborem ubi quærebas requiem, fl. 4. n. 18. p. 139. Ne putes otium & quietem ſynonima: datur otium ſine requie, fl. 20.n.5. p.423. Requieſcere cupitis? igitur *quid ſtatis*, &c. Origen. hom. 10. in Marth. 1. 2.

2. Vitâ frui. Quinimo perdidiſti dies quibus otiaris, fl. 20. n.8.p.402. Et inſuper vitam agis nihil agendo. Mortuum reddit otioſitas, fl.28.n.41.p.592. Diligitis vitam? ergo *quid ſtatis*, &c. 3. 4.

3. Potiri bonis: quæ priſtinis temporibus laborando lucratus es. Non ex otio capitur, ſed ex labore fructus, fl.4.n.19.p.140. Putas futuram bonorum poſſeſſionem tranquillam? Crede bellorum fomitem divitias eſſe, fl. 16. n. 48. p. 338. Si fruitionem amatis proventuum, *quid hic ſtatis*, &c. 5. 6.

4. Nobilitatem probare per hoc quòd immunis à laborando tranſigas vitam. Ingenuitas non otio comprobatur, ſed laborem ſtrenuum ſuadeat, fl. 4. n. 20. p. 140. 7. S. Laurentius Juſt. *Nihil enim de cunctis operibus naturæ otioſum reperies, & tu ſolus vis ab opere vacare.* De angelis dicitur: *requiem non habebant*; & iſta nobilitatis tuæ lex vacationem tibi præcipit omnimodam? Otioſus quaſi nemo dicendus eſt, fl.4.n.26. p.144. S. Laur. Iuſt. l.d.diſcip. & perf. monaſt. converſat. c. 14.

Qui nobilium ſtemmata præſumitis, *quid hic ſtatis*, &c.

5. Voluptatibus operam dare. Otium ſectantur, ut acquirant quod moleſtiam gignit. fl. 17. n. 49.p.363. Non hæc via ducit ad gaudia; ſed potius ad anxietudines otioſitas callis eſt: nec enim tam laborioſa virtus; quòd non ſint moleſtiora crimina, fl.9.n.1.p.225. Veram deſiderantes lætitiam, *quid hic ſtatis*, &c. 9. 10.

6. Obſervare occaſionem operandi. Ne piger moreris: nam fœlicitas tardat, & adverſitas properat, fl.5.n.6.p.152. An tempus in die judicij rebus adveniet, quas nunc morosè differimus? fl.27.n.37.p.571. 11. 12.

Claudat periodum S. Thom. à Villanov. *Quid ergo ſtatis hîc tota die otioſi? Hîc ubi acquirenda fœlicitas, hîc ubi paranda corona, hîc ubi lucrandum ſtipendium, hîc ubi tantum animæ periculum, hîc non ad horam, ſed tota die, tota vita otioſi perditis vitam*, &c. S. Thom. à Villan. ſer. Dom. ſeptuag.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

THEMA.

Quod autem in ſpinas cecidit hi ſunt qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & divitiis & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & non referunt fructum, Luc. 8.

ARGUMENTUM.

Corona ſpinea mundanorum.

TRiplici ſpinarũ ordine coronat mundus inordinatos: curis: divitiis: voluptatibus.

CVRARVM

CVRARVM TRIBVLI.

Et hæ ſunt roſeæ corollæ, quas imponit
1. ſuis? Marceſcunt folia, remanent vepres, fl.3.n.9.p.91. Non dividuntur curarum punctiones à fortunatorum diademate: nam
2. ſuprema fœlicitas diſcrimen ſummum: ideo ſollicitudinibus divexantur fortunati: quarum aliæ ſpectant ad ſpem, aliæ pertinent ad
3. timorem. Quid atrocius? Plus timor lancinat pectora quam ſpes, fl.2.n.38.p.84. Timor
4. eſt exaggeratio cruciatuum, fl.10.n.7.p.241. Ne tamen ex iſto metu colligas ibi latére cor timoratum; *non omnis timor bonus eſt*
S. Baſil. hom. 10. in pſ. 33. *& ſalutaris*, ait S. Baſilius. Non ſemper ſpina pertinet ad roſam. In agro parabolæ non deerant ſpinæ, ſed inter eas nulli virtutum flores; aliter non ſementem Evangelicum ſuffocarent: *ſuffocantur & non referunt fructum.*

DIVITIARUM SENTES.

5. Spinæ ſunt gazæ! Bona mundi quàm ſi-
Idem, ibi. milia malis! fl.2.n.35.p.82. D. Baſilius: *qui enim corporales divitias, & corporales dignitates in boni locum collocat, is nomen reverendum & ſoli Deo conveniens, rebus vilibus, ac nullius momenti attribuit.* Quâ ratione bona vocabis quæ nociva ſic, ut ſementem verbi Dei non ſinant in nobis fructificare? *non referunt fructum.*

Si res tam levis momenti ſunt opes, velut ſpinæ quæ nihil ferme ponderis habent: quomodo res graviſſimi negotij videntur ita quòd propter earum acquiſitionem tot
6. pericula deglutiantur? Grave putatur quidquid ſupra cor ponitur: ſi diligis futile, graviſſimum credes, fl.17.n.6.p.343. Caduca bona lenocinantur cordi ſuamet fugaci-
7. tate, fl.5.n.43.p.172. Sed non negamus temporalia ſpernere multos poſſidentes, ita ut
S. Anton. Olyſſip. ſer. 3. d. omnibus SS. non ea corde reponant. S. Antonius Olyſſip. ad illud: *vade vende omnia quæ habes*, &c. ait: *hoc etiam conſilium aliquatenus faciunt qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur, & ſi divitiæ affluunt, cor non apponunt.* Spinæ de quibus in Evangelio, niſi radices haberent; ſed non egrederentur ſuperficiem terræ, non facerent quòd verba Dei fructum non germinarent: *non referunt fructum.*

Objicies: Deus ergo ſervis bonis quam
8. pluribus donat ſpinas, hoc eſt divitias? Largitur eas ut conferant mutuò cum ſpiritualibus theſauris, ac dijudicent quantum diſtet utraque opulentia, præferantque ſpiritus lucra, fl.27.n.8.p.344. Cur non prius ex agro ſuo ſeminator Evangelicus evellit ſpinas, quam ſeminet? Ut ex comparatione ſpinarum ad triticum in alia parte campi fœliciter pullulans, in ſpicis appareat poſtea quantum diſſideat una & altera meſſis: temporanea ſcili. veprium, & alia frumenti horreis in cœleſtibus permanſuri.

VOLVPTATVM ACVLEI.

Redimitur ſpinoſo ſerto miſerum volup-
tuoſi caput: ejus lætam ſortem affirmant
cuncti; ſed latet incluſus dolor & ſtrangulat intus. Mœror peccatoris hilari ſub facie
9. non attenditur ab ſpectantibus; gaudia ſola numerantur, fl.25.n.34.p.530. Et quam fallacia! Solus & non qualiſcumque juſtus lætitiam ſibi propriam vendicat. S. Ambroſ. S. Ambr. to. 4. l. 10. in
ad illud Chriſti Domini: *gaudebit cor ve-* Luc. c. 21.
ſtrum, ait: *ut oſtenderet perfectorum eſſe lætari, nutare infirmorum, quaſi adhuc incerta metuentium.* Ne ſpecies prima rerum nos decipiat: florere videntur agri divitiarum? Deliteſcunt punctiones. *Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui.... voluptatibus*, &c.

Eſto decipiantur cæco voluptuario plaudentes: cur ipſe fallitur adeò quòd amara
credit eſſe prædulcia? Perdidit guſtum,
10. fl. 22. n. 39. p. 467. Nonne veritates iſtæ ſe palpebris ingerunt? Ita: ſed ex eo dolum
11. patitur miſer, quia ſupra caput locat ſpinas: quomodo cernet eas? fl. 17. n. 27. p. 354. Ergo coronam ſpineam ex capite citò detrahe, luminibus admove feſtinanter priuſquam gaudio mundiali cæcus fias: nam ſolet voluptas excæcare, fl.24.n.25.p.509.
12. Ideo formidabilis eſt hæc laurea bonis. Chryſoſtomus. *Timenda ſunt Chriſtianis* Chryſ. to. 3. ſer. d. martyr.
præſentis ſæculi gaudia: & optanda pro devotione mœſtitia, quæ cæleſti lætitia repenſetur.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

THEMA.

Juſſit illum adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interrogavit illum dicens; Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam, Luc.18.

ARGUMENTUM.

Aurora pœnitentium.

PRiuſquam lucem acciperet cæcus, jam in ejus mente luceſcit, cum appropinquat juſtitiæ Soli. Adventamus ei per Eccleſiæ matris repræſentationem, tempore myſteriis, quibus redempti ſumus, dicato: para cor ut illumineris.

In primis diſcute ſomnum: comprime palpebras, ut ſolent qui deſiderant aliquid
1. in obſcuro cernere. Opportunum eſt, ut mente videas, oculos claudere, fl.32.n.27. p. 662. S. Laurentius Juſtin. *quanta ex in-* S. Laur. Juſtin. l. d. grad. perf. c. 4.
continentia oculorum proveniant mala, quis valet explicare? Expergiſcere totaliter, inquam: animæ namque ſemivigiles Deo
non placent, fl.10.n.24.p.248. Virtutis pul-
2. chritudo cœpit arridere tibi; tamen anima tua vilium amore ſuſpirat. Audi Chryſo- Chryſol. ſer. 24.
logum: *Quid ergo cum terra illi qui poſſidet cœlum? Quid illi cum humanis qui adeptus eſt jam Divina? niſi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, peſſima mors delectat, & illata mala bonis ſunt gratiora collatis.* Nihilominus frequenter ex-

perimur homines ad mundanos labores pervigili dexteritate pollere ; ad virtutem desides morari , fl. 4. n. 22. p. 141. Etiam cæcus evangelicus , quamvis clamaverit , nonnihil tarditatis admisit : nam ut Medico supercæleſti curandus approximaretur , oportuit vocari : *jussit illum adduci ad se* , &c. Verba cæci : *Domine ut videam* , refert Dionysius Carthus. Non solum ad corpoream , sed etiam ad spiritualem illuminationem : *Domine ut videam corporaliter , imo & spiritualiter.* Ad spiritus curationem expectant ægroti vocari à medico.

Dionys. Carthus. in Luc. 18.

Deinde auditum applica sonanti jam horologio , ut credas horam esse de somno surgere. Duplex reperitur horologium : aliud quod solis umbra signat horas : aliud quod æris pulsu notificat easdem. Qui mane primo recusat stratum deserere , non adhuc ab horologio monetur solari ; nec tamen (velit nolit) alterius pulsationum echo vitare poterit. *Horologium Achaz est cor humile pœnitentis* , ait : S. Anton. Olyssipo. is tamen cui sol adhuc non illuxit , isto non edocetur. Aliud nihilominus insonat, quod in memoria residet.

S. Anton. Olyssip. ser. Dom. 8. post Trinit.

Primo pulsu memorari cogit quid fuisti ? Res vilissima. Oportet meminisse tuam abjectionem pristinam , fl. 19. n. 15. p. 389. Cæcus non aliud petiit præter visum : (*Domine ut videam* ,) quo sane credibile perlustraturum postea locum in quo mendicabat : quæ recordatio perutilis foret ne deterius aliquid ei contingeret.

4.

Secundo pulsu reducit in mentem quid sis. In aera sonus dispetsus quid manet ? Nihilum. Peccator nihil est , fl. 21. n. 40. p. 445. Sed quid mirum si peccatum transformat hominem in se ? Quid est peccatum præter nihil ? An non significatur cæcitate (de qua textus) quæ mera carentia est ? S. Greg. M. *Si verò crediderit & cæcitatem cordis sui cognoverit , sed ut lumen veritatis recipiat postulat , juxta viam sedet & mendicat.*

5.

S. Greg. M. to. 2. hom 2. in Evang.

Tertio pulsu recordari suadet quid eris. Amicos & cognatos deducis ad sepulchrum: non satis alieni memoria funeris ; tuum recordare , fl. 19. n. 20. p. 392. postula , sicut cæcus illuminari : (Domine ut videam) non visu corporali , sed potius mente S. Gregor. M. *Non terrena dona , non fugitivos honores à Domino , sed lucem quæramus , nec lucem , quæ loco clauditur , quæ tempore finitur , quæ noctium interruptione variatur , quæ à nobis communis cum pecoribus cernitur , sed lucem quæramus quam videre cum solis angelis possimus.*

6.

Idem ibi.

Quarto pulsu meminisse jubemur accepta beneficia. Debiti facile , injuriarum nunquam obliviscimur , fl. 13. n. 5. p. 276. Ad quid illa Domini mora in curatione cæci ? *jussit* , &c. *interrogavit* , &c. Ut suæ sanationis casus non cursim præteriret hominem , sed radicaretur in ejus memoria.

7.

Quinto pulsu recole quantum peccaveris : nam licet inde timorem colligas non mediocrem , sic tibi congruit. Operæpretium est quod semper pavidus non audeas unquam recedere à tergo Dei , fl. 28. n. 26. p. 585. Imitare cæcum evangelicum , qui non est ausus accedere nisi vocatus : *jussit* , &c.

8.

Quintum audisti sonitum horologij. Quid ultra moreris exurgere à perfida quiete : Si remorsus istos non audis conscientiæ pulsantis , fere cares intellectu , fl. 18. n. 35. p. 382. Peior est hæc cæcitas , quam illa mendicantis Evangelici : nam hic videbat , & vocationem audiit miserantis Domini ; tu autem obsurdescis , & cæcus es , ita quòd simul diabolus oculis & auribus tuis utatur, Deoque sis mortuus. Chrysost. *Sic enim surdus apud Deum dicitur qui non audit quæ Dei sunt , sed quæ diaboli : sicut cæcus dicitur qui non corporaliter cæcus est , sed per cujus oculos diabolus videt , & non Deus : sic qui diabolo vivit mortuus est apud Deum.*

9.

Chrysost. to. 2. hom. 34. oper. imperf. in Matth.

Vel ista perpendens respondes : Hæc omnia probè nosco : vel spatia tibi promittis ad pœnitendum. Si primum , istâ circumstantiâ gravior fit acedia tua : nam qui scienter delinquit , fœdiùs peccat , fl. 6. n. 33. p. 189. An quia te cæco textus æquiparamus, putas de cæcitate concedi plurimam excusationem tibi scienter peccanti ? Mendico non erat voluntaria cæcitas ; tibi maximè.

10.

Vel respondes longum restare tempus. Dato quod residua tibi vita longissima foret , putare debuisses breve concessum spatium : nam in hoc quod est reverti ad Dominum , vel tempus permissum sit longum , vel concisum , tantumdem est , fl. 29. n. 43. p. 616. Meditare quod somno tuo graviter læditur Deus , fl. 24. n. 17. p. 505

11.

12.

PRO QVADRAGESIMALIS ingressu temporis : quadraginta horarum prævio jubileo, contra Bacchanaliorum insaniâ apposita mensa Eucharistiæ sacrosanctæ.

THEMA.

Ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Ex Epist. Pauli ad Hebr. 9.

ARGVMENTVM.

Victoria gaudij Eucharistici contra prophanum.

DUx exercitus Domini præit Amor, ut arcem intellectus obsessam liberet ab hostibus , quorum phalanges ducit. Error : qui suos milites non tam commonet ut pugnent , quam ut per insidias expolient armis adversarios. Invigilant amoris asseclæ fœliciterque sine pugnâ gaudia fugientia vincunt fame tabescentia , quæ non valent obsistere bellatoribus pastis annonâ sacrâ.

Desperantes aliter dilectionem superare deliciæ , rem conficere parant incendio. cum in earum castris multum fœni sit (ut ex floribus apparet) accenditur citò flamma,

sed

ſed in materia ſatis viridi : priuſquam perfectè ardeat, extinguitur. Voluptas quan-
1. doque finitur antequam perficiatur, fl. 17. n. 48. p. 362. En quam debilem habemus inimicum : ſeipſo perſæpe deſtruitur : ſufficit quod illum juvare nolimus. Non dixit Apoſtolus : ad pugnandum cum peccato ;
Cornel. à Lap. in epiſt. ad Heb. c. 9. ſed : *ad deſtitutionem peccati.* Cornel. Alapi. *ut ſcilicet peccatum ab omnibus deſtituatur, rejiciatur, reprobetur, & profligetur.*

Et quid animos injiciet ut ſpernantur caduca gaudia ? Panis Euchariſticus, *per hoſtiam ſuam apparuit.* Quamvis Paulus de crucis agat ſacrificio, poſſumus ad incruen-
Chryſoſt. 10. 4. hom. 17. in epiſt. ad Hebr. tum doctrinam transferre. Chryſoſtomus poſtquam de hoſtia, cujus ibi memoratur Apoſtolus, egit, ait : *hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus.* Igitur *ad deſtitutionem peccati.* Accedamus ad ſacras epulas : voluptates fluxæ non mo-
2. vebunt quem profuderint Euchariſtica gaudia, fl. 3. n. 47. p. 113.

Non tamen deponamus incendij prædicti formidinem : accidit enim ut virtutis aciei milites quidam ſibi fidentes accederent propè loca ubi graſſabatur ignis, & fumo
3. perculſa lumina retulerunt. Voluptas excæcat, fl. 24. n. 25. p. 519. Excæcati perierunt
4. illi : quia deliciæ miniſtrant morti, quò ſecuriùs falcem vibret, fl. 18. n. 9. p. 370. Parum eſt quod voluptates hoſtibus æquiparem :
S. Laur. Juſt. in lign. vit. c. 4. d. conti. nam S. Laurentius Juſtin. ait : *Quis verò hoſtis in quemquam tam perniciosus fuit, quam in quemque voluptates ſuæ ſunt ?* Sed quamvis hoc ſatis foret, additur à Deo ſuimet oblatio in altari, quâ trahat nos *ad deſtitutionem peccati.*

Non fractus per aliquorum cædem Amor ducens agmina fidelium impræſentiarum convocat illos ad pugnam. Conferuntur bellica ſigna : ſanctæ cogitationes, velut ignita jacula, contorquentur in adverſarios. Hi tamen exultant more lætantium : ſed crede ululatus eſſe, non hilarem plauſum.
5. ne transfugias ad eos, fl. 24. n. 20. p. 507 Audis perfuſos lætitia ? Miſerabiliter deſipiunt : miſerum eſt gaudere per errorem,
6. fl. 17. n. 31. p. 355. Craſſus inter alios error eſt his diebus, ut luxui valedicas, illum
S. Baſil. hom. 31. d. jejun. quærere S. Baſilius : *Ne hodierna ebrietate craſtinam abſtinentiam corrumpas improba eſt ratiocinatio, maligna cogitatio, quoniam quinque dierum nobis jejunium denuntiatum eſt, hodie nos ipſos ebrietate demergamus.* Vocamur ad deſtitutionem, peccati : non autem quærendo peccatum deſtitues illud. Hunc & ſimiles errores mens tua fugabit Euchariſtica luce ; quem illuminaverit ſacra
7. Euchariſtia non decipiet mundus, fl. 3. n. 38. p. 108. Imo intellectus humanus per acceſſum ad panem diviniſſimum, imitatur
8. angelicos, fl. 3. n. 36. p. 106. Illuminationem illam præſtat quamvis lateat ſub ſpeciebus alienis Deus : abſconditur ut à fragilitate noſtra percipi valeat. Sic & in cruce, quamvis abderetur opprobriis, *per hoſtiam ſuam apparuit.*

Inter pias cogitationes, quibus armantur pugnatores noſtri, non extremas vires obtinent illæ quæ naſcuntur ex eo quòd augetur peccatum per hilaritatem qua celebratur delictum, fl. 24. n. 22. p. 508. & præſertim quia in antequadrageſimalibus diebus vocaris ad pœnitentiam ; & hoc eodem tempore
9. defluimus per vitia ? fl. 23. n. 23. p. ..... Etſi teſtemur non ſcelera ſed gaudium non peccaminoſum quærere, periculum adeſt : voluptuoſum enim dies aptior crimini.
10. fl. 24. n. 24 p. 509

His ac ſimilibus percuſſæ gaudiorum turpium cohortes victæ recedunt. Victoria proclamatur, ſed canitur ſtatim receptui : periculoſum enim eſt hujuſmodi hoſtes fugientes inſequi : nam ſimul feriunt & volant,
11. fl. 17. n. 26. p. 353
12.

FERIA IV. CINERUM.

THEMA.

Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris. Ex officio Eccleſiaſtico.

ARGVMENTVM.

Morboſa curatur variis languoribus anima per unicum cinis remedium.

CAput phantaſias patitur ſuperbiæ. Quam agrè ſuadetur cognitio vilitatis propriæ ? fl. 19. n. 16. p. 390. *Memento.* 1.
Memoriæ ſenſitivæ, quæ phantaſiamet eſt, medicamen apponit Eccleſia mater. S. Ber-
S. Bern. ſer. 36. in Cant. nardus : *ſi ignoras te non habebis timorem Dei in te.*

Oculi cæcutiunt putantes mortem diſtare longiſſimè, fl. 28. n. 33. p. 589. Veritas 2.
autem monet ut vita velut unus dies putetur, fl. 24. n. 35. p. 513. Pulverem Eccleſia 3.
reducit in memoriam, *pulvis es.* Hic numeroſitatem præ ſe fert ; attamen eſt prope nihil. S. Gregor. Nazianz. *ſomnium ſumus*
S. Greg. Nazian. orat. 7. *nequaquam ſtabile phantaſma quoddam incomprehenſibile, volatus avis prætervolantis*, &c.

Aures obſurduerant, pulveris recordatione ſanabuntur, & percipient experientiæ voces, quæ ſuadet vitam æſtimare velut omnino tranſactam, fl. 25. n. 18. p. 532. 4.
Non ſolum revertêris in pulverem, ſed jam *pulvis es*, quaſi dudum vivendi clauſulam impoſueris.

Lingua propter ſcelus obmuteſcens, curatur cinereæ medicationis dono, cum 5.
opera mutantur in melius. Peccator verbis caret, fl. 21. n. 48. p. 449. Ad illud avari ditis :
S. Anton. Olyſſip. ſer. 2. Dom. 1. poſt Trinit. *ut refrigeret linguam meam*, ait S. Antonius Olyſſip. *linguam non habuit : ſed pro peccato linguæ pœnam ſuſtinuit.* Anima caret lingua, præſertim peccatrix, & corporeâ malè utitur. Sed ut frænetur cogitet illud æternum ſilentium quo punietur in tartaro. Sane maledico ſilere terribilius erit quàm uri, fl. 32. n. 36. p. 665. Nunc itaque ſalubriter lo- 6.
quere tibi dicens : *Memento*, &c.

Manus aridæ (hoc eſt ad eleemoſynas contractæ) ſanitatem recipient eodem amu-

leto memoriæ mortis. Hanc si præ oculis habeas, non movebunt bona temporalia cor tuum. fl.31. n.32. p. 649. Imo ex pulvere (*pulvis es*) ad pulvereæ opulentiæ despectionem traheris: nam quid est aurum, si 7. adoretur, nisi pulvis; fl.2.n.3. p.67.S. Gregor. M. *Veniet quandoque tempus ut evigilet* 8. S.Greg. M. to.1.l. 18. mor.2.c.12. *& tunc cognoscat quam vacuum fuerit quod in somno tenuerat.* In quid opes transibunt, si tu *in pulverem revertêris.*

Cor ægritudine sua necnon levabitur hoc medicamento: mortis odium convertet in amorem: illa quippe dilectione digna.fl.28. 9. n.35.p.590. Mortem non formidabis, jugi- 10. ter si memineris illius. fl.25.n.16.p.522.

Pedes etiam laborant, ut visitur in tarditate gressuum ad salutis viam. Per lethi recordationem fiet ut otium non diligas. fl. 11. 4. n.2.p. 141. Ne cunctèris, nam sæpe moriendi periculum fortiùs instat juniori. fl.25. 12. n. 20. p. 524.

FERIA VI. POST CINERES.

THEMA.

Ut sitis filij, patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Matth.5.

ARGUMENTUM.

Fœdera pacis inter dilectionem propriam & amorem inimicorum.

DEcertabant priùs: quia proprius amor tuebatur honoris insigne; quod affectus erga hostes destruebat apud homines. Ille custodiebat opes; hic demoliebatur, non solum patiens direptionem: sed benefaciens adversariis. Ille dolorem injuriæ per ultionem alleviare tentabat; hic de vindicta dolere timebat. Inierunt ergo pactum, quo sedata sunt bella, cunctaque prædicta redacta fuerunt in concordiam. Proponit amor hostium philautiæ, se homini collaturum fore quidquid antea putabatur eripuisse: promissaque fideliter adimpler.

Existimatio roboris non modici conciliatur per amorem hostis: nam ex adversario 1. amicum efficere, magnum quid opus est. fl.21.n.32. p.440. S.Thom. à Villano: *Non* S. Thom. à Villano.ser. fer. 6. ante Dom. 1. Quadrag. *cedat bonitas tua malitiæ fratris tui, non victa succumbat, sed super eum triumpha. O quanta gloria coram Deo, & hominibus, & coram ipsis inimicis, videre illum confusum verecundantem, non audentem aspicere, & attollere oculos ad aspiciendum faciem tuam dolentem & contristatum* &c. Vincit fœlicius qui sermone blando superat quem pertimescit. fl.21.n.18.p. 433. Nam victus dolet 2. quod te injuriis læserit: unde suamet injuriosa verba, seu facta, contorquent eum: cordeque feritur dum proprio mucrone vulneratur. fl. 30. n. 14. p. 623. Non degenerat sic à potentissimi Patris genio filius, *qui* 3. *solem &c.*

Insipiens judicatur à sæculo qui de ulciscendis injuriis non curat. Respondeo verbis Lactantij Firmiani: *Dissensio non est secundùm hominis rationem. Verumque est illud Ciceronis, quod ait hominem naturæ obedientem homini nocere non posse.* Tam aberrat à vero mundus in hoc, ut potius inimico benefacere sit sapientiæ testimonium. fl. 27. n. 42. p. 574. Et hoc ipsum est sapientiæ munus. Ibidem. n. 41. p. 573. *Ut sitis filij* &c. Filius æternus dicitur sapientia: filij temporales imitentur eum, qui certe clementissimus, ut à filiatione sic non deficiant. Lactant. Firmi. l. 6. d. vero cultu c.11. in princi. 4. 5.

A nobilitatis lege decisceere credunt mundani si vindictam non curent. Falluntur pessimè. Nomen ab humilitate circa hostem paratur. fl. 26. n. 28.p 544. Et si tuus adversarius te lædit actualiter adhuc, gloriosiùs ei parcis, quam si jam pœnituisset fl. 26.n.29.p.545. Non humiliari, recusas ad ima quò placeas potentibus.Prudens abjicit se plùs ut placet hostem, quam ut arrideat majori. fl. 26. n. 30. ibid. Hoc renuis tamquam vile? Viam respuis quà tenditur ad nobilissimum stemma filiationis Dei: *ut sitis*, &c. S.Maximus: *Dicet aliquis: grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres. Non parvus quidem labor est in hoc sæculo: sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficeris amicus Dei? imo non solum amicus, sed etiam filius.* 6. 7. 8. S. Maxim. ser.d. S.Stephan.

Vindictâ cupiebat mitigare dolorem proprius amor. Per veniam continget melius hoc ipsum. Non sine dolore te vindicabis. 9. fl. 13.n. 8.p.277. Quin potius ultionem sumendam, parare, cruciatum auget. fl. 13. 10. n. 6. p. 276. Incapacem offensas dolendi te reddito per patientiam, ut æterni Parentis impassibilitatem, quoàd patitur natura mortalis, tamquam filius ejusdem imiteris: *ut sitis* &c.

Direptionem opum ab adversario factam ne attendas: nam commutatæ sunt; non 11. amissæ: patientiæ occasionem obtulit ille: 12. tolerantiaque similis est divitiis. fl. 4. n. 10. p. 134. Insuper offendenti benefac: nam immerenti beneficium esse glorioſius extat. fl. 12. n.10.p.264. Sic assimilaberis ei, *qui solem suum* &c.

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

THEMA.

Jesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

ARGUMENTUM.

Duellum spiritale Regis gloriæ cum principe tenebrarum.

VSurpatum à Satana regnum Dominus exercituum restaurare volens, ut inimici frangeret vires, provocavit eum ad singulare certamen, eò quòd læsus esset in bonis,

bonis, & honore sibi debito. Patrinum elegit Spiritum sanctum : *ductus est.... à Spiritu.* Campum assignavit eremum prælio. Acceptavit angelus apostata monomachiam, & (ut mos est provocatis) elegit arma: sed inæqualia, victoriam diffidens. Nam superbiæ, gulæ, ac avaritiæ telis accessit instructus; cum Servator humilitate, abstinentiâ, paupertate muniretur: quæ quidem arma putabat malignus pugnator minus fortia, quamvis essent validiora multò. Prosequamur prædicta singula.

Patrino comitatus abit miles, imo Dux invictissimus : quasi timeret à dæmone quidquam fieret adversus eum, præter pugnæ leges. S. Thom. à Villano. *Luciferum ipsum provocavit ad duellum : & ipse prior cum patrino suo Spiritu sancto prodiit in campum.* Tutus Dominus erat: & pro nostrâ doctrinâ timentis exhibuit speciem. Nos econtrario temerariâ securitate materiem tentationis aggredimur. Vide securitatis putatæ discrimen. fl. 16. n. 33. p. 330. Chrysost. *Securitas etiam diligentes homines negligentes facit.*

S. Thom. à Villano. ser. 1. Dom. Quadrag.

1.

Chrysost. to. 2. hom. 32. operis imperf. in Matth.

Quare non dicitur ductus à Patre Filius in desertum : qui passionis prælium inturus oravit ad Patrem? Quia tunc Redemptor quatenus homo ad auxilium paternum confugit prælaturus cum hominibus. Origen. *Timor autem infirmitatis ad auxilium Dei confugere adhortatur, sicut & Dominum ipsum paululum progredi, & cadere in faciem, & orare.* Patrem, cui potestas appropriatur, oportuit orare, cum bellum adversus humanam crudelitatem susceptus erat; non autem illum ad congressum cum satana designavit patrinum : quia pugna hæc minor est illâ. Dæmonem facilius quàm hominem superabis. fl. 3. n. 74. p. 105. Ideo non dicitur ductus à Patre sed : *ductus est.... à Spiritu &c.*

Orig. hom. 35. in Matt.

2.

In desertum. Provocans eligere solet pugnandi locum. Dominus campum designans, non paradisum, neque voluptuosum alium locum; sed asperum desertum petiit, ubi non posset ad votum dæmon arma reperire: non enim ibi frutices, non deliciæ. S. Thom. à Villano : *Dominus campum eligens non paradisum, neque voluptuosum aliquem locum, sed desertum rigidum, sterilem & asperum elegit, ubi non posset ad votum dæmon arma reperire. Non enim ibi frutices, non poma, non deliciæ, non alia Heva quæ invaderet.* Tutissimus occasionem devitavit pro nostrorum eruditione bellorum. Diaboli suggestione non eget ut cadat in occasione positus. fl. 20. n. 43. p. 420. Non vitantes occasionem prosternit communis adversarius instrumento debili; timet appropinquare foribus clausis. fl. 20. n. 40. p. 418. Si ab occasione oculos non averteris, intellectus, quo polles, non te à discrimine tutabitur. fl. 20. n. 42. p. 419. Sapientia Patris Æterni expers periculi ruinæ, docet nos incentiva peccandi fugere petens *in desertum.*

S. Thom. à Villano. sup.

3.

4.

5.

Ut tentaretur. Prima tentatio ad gulam instigabat, sub colore pietatis, qua famelico suadebatur cibus. Tentatio cooperta colore præbendi remedij, terribilis valde. fl. 4. n. 24. p. 143. Sed quare hostis infensissimus ista circumloquia quærit? & non potius objicit nimis terribilem formam, curans eum à deserto pellere, ut in civitatum deliciis pateat irritamentis gulæ! Vellet quòd non quasi metu coactus à jejunio desisteret; sed ut conversione lapidum testaretur obsequi diabolo spontaneè. Dæmon cupit ut ostendamus nos illi ultroneè obtemperare fl. 5. n. 10. p. 154.

6.

7.

A diabolo. Diabolus (ait S. Isidorus Hispal.) *Hebraicè dicitur : deorsum fluens, quia quietus in cæli culmine stare contempsit, sed superbiæ pondere deorsum corruens cecidit.* Et quia malus quilibet vitij sui peculiaris desiderat socium, Satan de superbia Dominum tentavit, credens quòd semel atque in superbiam eum extulisset, ad alia scelera facile traheret. fl. 26. n. 16. p. 538.

S. Isidor. Hisp. l. 8. etymolog.

8.

Et quænam stultitia hæc? præcipitari consulit, ut miraculosè per angelorum manus liberetur? Quàm stulteseit malignus! Superbia reddit mentis inopes. fl. 20. n. 15. p. 406.

9.

Sed ô quot se dant in flagitia præcipites, & ab eis liberari per quasi prodigium expectant! Miracula ne quæras ad salutem. fl. 10. n. 6. p. 241.

10.

Tandem *à diabolo* tentatus est humillimus, ut omnia regna mundi per adorationem ipsius mercaretur. Si vel initia dilectionis inveniret in Christo Domino erga caducam bonorum possessionem, illum audaciùs impeteret. Dæmoni audaciam præbes ut oppugnet te, statim ac incipis amare mundialia. fl. 16. n. 14. p. 322. Quia bona temporalia reddunt instabilem ea diligentem. fl. 5. n. 4. p. 151

11.

12.

FERIA IV. POST DOMINICAM I. Quadragesimæ.

THEMA.

Magister, volumus à te signum videre Qui respondens ait illis : Generatio mala & adultera signum quærit, Matth. 12.

ARGVMENTVM.

Cæcus cæcum ducens.

VOluntatem ducit appetitus : non huic tamen, sed illi tamquam liberæ lapsus tribuuntur : *volumus.* Arbitrium eget ductore : quia peccando excæcatum est pene. Peccatum est morbus oculorum. fl. 32. n. 25. p. 661. Et qua ratione videbit sensus, cum anima cæcutit? Chrysost. *Nam cum multa signa vidissent, tamquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Verè enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente nunquam viderunt.*

1.

Chrysost. to. 2. hom. 30. oper. imperf. in Matth.

Eligit voluntas ducem appetitum fingens

gens velle se rectâ pergere viâ. Ante primum gressum labitur in hypocrisim : quæ
2. periculosior est quam aperta scelera. fl. 28. n. 8. p. 577. Sic scribæ ac Pharisæi fingentes intentionem bonam , petebant signum.
Idem. ibi. Chrysost. *Si ergo tu es filius Dei, ostende nobis signum , & adorabimus te* : & paulo antè dixerat : *non quidem timentes , sed timere se fingentes : neque veritatem de Christo quærentes , sed malitiam suam sub colore ignorantiæ abscondere cupientes interrogaverunt eum : Magister volumus à te signum videre,* &c. Sed nimiùm distabant à desiderio sciendi.
3. Superbia latet quandoque sub facie timoris Dei fl. 28. n. 11. p. 579. Fingens humilitatem
4. tatem renuit edoceri. fl. 15. n. 17. p. 311. Beda
Beda hom. fer. 4. post. Dom. 1. Quadrag. ibi : *magistrum etiam sub dolo appellabant , cujus doctrinæ apertâ malitiâ repugnabant.*

Et quâ viâ ducit appetitus cor ? Per sensus : *volumus.... videre.* Ecce lapsus alter : committire sensibus quæ spectant ad animam. Econtra Deus nonnumquam ob-
5. servat quod ligentur sensus ad inculcandum spiritui quod rectum. fl. 24. n. 28. p. 510. Et præsertim hoc verum est in oculis : nam isti
6. solent crassiùs errare. fl. 11. n. 12. p. 254. Cæcitas luminum voluntati nullam excusationem præbet : nam per ipsos oculos percipit motiva sapiendi meliora , nec resipiscit : unde
7. redditur supplicio dignior. fl. 28. n. 16. p. 580 Sic Pharisæi. Dyonis. Carth. *Dicendum quod*
Dyon. Carth. In c. 12. Matth. art. 24. *priora signa quæ viderant parvipenderunt , tamquam quæ fieri possent magica arte , seu opere diaboli. Ideo quærunt magnum & pœnitus supernaturale prodigium.* Benemeriti fuerunt audire : *Generatio mala & adultera* &c. Euthym. *Asperè respondit.*

Per insuetum iter cæcum cæcus ducit. Appetere hortatur singularia , fereque miraculosa pro salute consequenda. Quosdam ferme prodigiosè Deus eruit à peccato. Sed
8. ne præstolemur hoc : vita quippe brevis est ut fruaris ; longa ut eam dissipes fl. 20. n. 10. p. 403. Unde singularitatem expetis quia ad fortunam boni latronis confugis. Suppetunt
9. remedia communia cunctis ; ne quæramus singularia media. fl. 24. n. 18. p. 505. Sicut illi qui desiderabant *signum videre.*

Baculum arundineum spei vacuæ defert cæcus iste : sed parum prodest , quia solum eo utitur ut super ipsum quiescat , non ut
10. priùs tentet viam , quâ gressus figat. Spe nixus ne dormias. fl. 10. n. 17. p. 245. Ne postea flagites miraculum frustra : sicut illi, qui spe venturi Messiæ quiescentes non agnoscebant eum qui aderat , & cupiebant *signum videre.*

Per invia nimis pergit stultâ confidentiâ ductorem suum sequens noster cæcus , exoptans ire per semitas quas metuere de-
11. buisset. Pavemus desideranda ; concupiscimus horrenda. fl. 24. n. 40. p.... Vide quid Pharisæi flagitabant à Domino. S. Hieron.
S. Hieron. to. 9. com. in c. 12. Matth. *Vel in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant : vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo contra naturam loci mugire tonitrua , coruscare fulgura , imbres ruere* , &c.

His & aliis lapsibus vulnerata delassatur anima satis miserè ; non tamen seipsam cau-
satur , quæ luminibus orbo fidit , ut iter insinuaret ei ; sed quærimoniam vertit contra semitam , idest adversus mundum. Ne
12. tuum crimen ex integro conijcias in sæculum. fl. 20. n. 44. p. 420.

FERIA VI. POST DOMINICAM 1. Quadragesimæ.

THEMA.

Vis sanus fieri. Ioan. 5.

ARGUMENTUM.

Quinque porticus piscinæ pœnitentiæ.

S. Anton. Oliss. ser. fer. 6. post. Dom. 1. Quadrag. S. Antonius Olyssip. *Dicitur quod probatica piscina quæ est in Ierusalem , est pœnitentia , per quam homo pacificatur Deo.* Et infra: *Quinque porticus sunt quinque considerationes , quas debet habere peccator. Debet enim considerare majestatem quam offendit.... maculam quam contraxit.... bonitatem quam contempsit.... gloriam quam amisit.... pœnam quam promeruerit æternam.*

Prima consideratio : læsa majestas. Immensitatem divinam peccando malus dehonestat : nam per crimen dissitus est à Deo, 1.
qui præsentissimus cunctis adest. fl. 18. n. 37. p. 383.

Immortalitatem etiam Dei oppugnat : 2.
quia scelestus Deum sagittat. fl. 24. n. 16. p. 504. Dominium necnon Altissimi spernit: Dominium quippe totius creaturæ suo vellet iniquus arbitrio subjicere , ut eum tunc 3.
recipiat , cum libuerit. fl. 5. n. 31. p. 465. Sed infinita majestas accommodam exhibet se hominis libito. S. Antonius supra : *Vis sanus* Idem. ibi. *fieri ? hoc dicit ad curam suam. A causa infirmitatis incepit sicut bonus medicus , quia peccatum erat ejus causa sicut innuitur : & ideo primo voluit voluntatem ejus ordinare, quia cura spiritualis non fit nisi voluntate.* Et infrà : *homo iste infirmus significat peccatorem.*

Secunda consideratio : contracta macula. Peccatum est ignominia. fl. 2. n. 23. p. 77. 4.
Sique probrosum sit apertè delictum , obdurat cor. fl. 6. n. 23. p. 185. Ita ut à peccato- 5.
re quæri possit : *vis sanus fieri* ? At quid miramur torpescant homines in scelere , si laudatur impius in desideriis animæ suæ ? 6.
fl. 8. n. 9. p. 211. Languor Evangelici morbidi torpor vitiorum est. Beda. *Homo iste* Beda com. in Ioan. c. 5. *multorum infirmitate detentus annorum significat peccatorem quemlibet enormi scelerum magnitudine , vel numerositate depressum :* & infrà : *surge enim dicitur : id est vitiorum torporem , in quibus diu languebas, excute.* Ab hujusmodi languentibus possumus percontari : *vis sanus fieri* ?

Tertia consideratio : contempta bonitas. Lachrymas commovebit patientia bonitatis 7.
inexhaustæ , quæ peccato graviter læsa offert reconciliationem offensori. fl. 27 n. 44. 8.
p. 574. Et quis nisi Deus patienter expe-

ctaret;

ctaret pulsans ad cordis januam ? fl. 31. n. 34. p. 664. S. Cyrillus Alexand. ad illa verba : *vis sanus fieri ?* Quæ sic excripsit ille : *vis salvus fieri ?* ait *Magnum misericordiæ Christi est argumentum, non expectare semper laborantium preces, sed sua misericordia prævenire. Præcurrit enim, ut vides : venit ad jacentem, misericordia flectitur etiam antequam ei supplicetur.*

S. Cyrill. Alexan. l. 2. in Joan. c. 124.

Quarta consideratio : amissa gloria. Vere peccator amittit hanc ; non verò terrena perdit cum istorum facere videtur jacturam: ista namque sunt aliena ; sola bona spiritualia dici valent nostra. fl. 17. n. 55. p. 365. Sed heu : de temporanea vita plus quàm de salute satagitur. fl. 28. n. 47. p. 595. Ideo non Dominus quæsivit ab ægro Evangelico velitne peccatorum veniam & æternam fœlicitatem : nam fortè de his procrastinandum putaret ; de salute corporea dixit ei : *vis sanus fieri* ? Non tamen spiritualia Dei Filius obliviscebatur. Ad iliud : *surge, tolle, grabatum* &c. ait Beda. *Surge bona operando : porta grabatum diligendo proximum : & ambula expectando beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei.*

10.

Quinta consideratio : pœna debita. Utinam descenderent in infernum viventes per meditationem, & cernerent cominus id quod à se longissime distare putant. Non valde remotus est ab æterna morte qui morbidus est languore lethali spiritus. *Vis sanus fieri.* Sed homo longè putat à se positum quod timet. fl. 28. n. 17. p. 581. Supplicium præ oculis habeto : nam illud post dorsum projicere non filiorum est, sed hostium Dei fl. 14. n. 29. p. 301.

11.

12.

Hodie ad vesperum, vel alio quadragesimali die, fieri solet apud nostrates pulsima processio post vestigia Domini crucem bajulantis. De hoc vide ad finem hujus. Indicis inter conciones varias : ubi etiam pro Filio Dei exaltato in cruce.

DOMINICA II. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Domine bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula &c. Matth. 17.

ARGVMENTVM.

Tria tabernacula memoriæ, intellectus & voluntatis offeramus Deo.

S. Vincent Ferr. ser. 2. Sabba. ante Dom. 2. Quadrag.

S. Vincentius Ferrar. *Ideo dicitur : faciamus hic tria tabernacula &c. idest ædificemus meritoriè in præsenti vita tria tabernacula, & superius habebimus possessionem in gloria.* S. Antonius Olyssip. *Nota, ad dictum Petri noluit respendere, quia Petrus nesciebat quid diceret : sed ipsi respondet Augustinus : video Petre quam profunde locutus es. Nam Deo tria sunt tabernacula facienda, unum in memoria, & hic est tabernaculum legis Moyses : aliud in intelligentia, & hic est Elias propheta : tertium per voluntatem & amorem.*

S. Anton. Olyssip. serm. sabba ante Dom. 2. Quadrag.

Primum tabernaculum memoriæ. In hoc non dedignabitur Dominus immorari, quia memoriam sui magni facit. fl. 3. n. 41. p. 110. *Quæ causa est quam ob rem quis excidat à jugi recordatione Dei ? nimirum ea, si quis immemor sit beneficiorum Dei, & adversus bene de se ipso meritum ingratus exstat.* Sic respondet Basilius. Hinc est quod in eo Deum non invenimus tabernaculo. Fere miraculo est opus ne beneficia Dei nobis abeant in oblivionem. fl. 17. n. 39. p. 359. Imo quandoque beneficium Dei negat ille qui se fatetur homini debitorem. fl. 11. n. 12. p. 265. & quò majus est divinitus concessum donum, eò faciliùs obliviscimur. fl. 17. n. 40. p. 359. Beneficium assumptionis ad montem gloriæ noluit Petrus oblivisci : proinde cupiit ibi manere. Aliud majus ei factum narrat S. Matthæus : *super hanc petram ædificabo Ecclesiam.... & tibi dabo claves regni cælorum* &c. An istud jam non recordabatur ? & exoptabat in monte perpetuò manere, quin attenderet ad gubernationem Ecclesiæ ? Lira : *in ejus aspectu fuerunt sic delectati, quod voluissent ibi perpetuò manere, propter hoc dixit Petrus : Domine bonum est nos hîc esse.*

1.

S. Basil. in regul. brevioribus.

2.

3.

4.

Matth. 16. 18. 19.

Lira. in c. 17. Matth.

Secundum tabernaculum intelligentiæ. In intellectu nostro, Deo habitaculum offeramus ut maneat ; non hospitium à quo divertat : nam Deus veritas est, & oportet ut nostra mens in amplectendo vero sit constans. fl. 33. n. 36. p. 681. Adverte quod ut intelligentiâ Deum recipias (idest ritè Dominum cognoscas, debes agnoscere teipsum. fl. 24. n. 43. p. 516. Et sic prout vita mortalis patitur ascendes ad cognitionem Dei, de qua Nazianzenus : *at ex cunctis existentibus nihil est perfectius, quàm cognitio* Dei. Per hanc illustrationem plurimum lucraberis : nam si convaluerit intellectus, sanabitur etiam voluntas. fl. 5. n. 36. p. 168. Sed cave ne te decipiat cor tuum, quod aliquando audet obire munus intellectus. fl. 10. n. 10. p. 243. Et putes attingere prudentiæ scopum cum exerraveris : ut accidit Petro, qui prudenter arbitrium tabernaculorum elegisse putavit, sed amans cor ejus decepit eum, cum dixit : *Domine bonum* &c.

5.

6.

S. Greg. Nazian. orat. 17. fin.

7.

8.

Tertium tabernaculum voluntatis. Introgrediatur Deus totus illuc : nec ad limen tantùm consistat. Qui totum Deum possidere valet, ne solam partem quærat. fl. 23. n. 35. p. 489.

9.

Erravit Petrus, quia satis putavit sibi gloriâ frui quam cernebat in monte, cum tantùm quædam levis pars esset fruitionis futuræ. Ut corde totum Deum possideas, illi te resignabis integrum. *Si vis.* In his duobus verbis non erravit Petrus ; sed in cæteris. Amor Dei sit indivisus. fl. 16. n. 41. p. 344.

10.

Si mundus te dividi patitur permittens ut partim sæculi sis, & partim Deum amplectaris : ita se gerit ne totus unquam Domino teipsum tradas. fl. 10. n. 22 p. 247. Si forte jam provectus existimas in pectore tuo

11.

tria tabernacula Deo te conſtruiſſe, ac ideo tranquillè quieſcis, falleris: nam ædificium ſpirituale, ſi conſummatum eſt creſcit adhuc.
12. fl. 9. n. 7. p. 223.

FERIA IV. POST DOMINICAM. II. Quadrageſimæ.

THEMA.

Neſcitis quid petatis. Matth. 20.

ARGVMENTVM.

Errores orationum noſtrarum emendantur.

Rom. 8. 26. CUm duobus Magiſtri Divini diſcipulis dictum ſit neſcire quid poſtularent, patet quàm ſit verum illud Pauli: *quid oremus ſicut oportet neſcimus.*

Error primus: quod temporalia, vel præſertim, vel unicè, poſtulamus. S. Bernar. *Alioquin non rectè oras, ſi orando, præter verbum aliquid quæras, aut quod propter verbum non quæras, quoniam in ipſo ſunt omnia.* Sed cor noſtrum ardentiùs quærit
1. quod citiùs præterit. fl. 5. n. 44. p. 172. De duobus Apoſtolis ait Chryſoſt. *Quod igitur nihil ſpirituale petebant, nec de cæleſti regno quicquam cogitabant perſpicuum eſt.*

S. Bern. ſer. 26. in Cant.

Chryſoſ. to. 2. hom. 66. in Matth.

Error 2. Alij petunt à Deo ferè totum univerſum: & non pudet Sanctiſſimum orare ut ambitioni faveat. Pudore afficerentur ſi petitionem ſuam audirent homines. Monet Seneca: *Sic loquere cum Deo tamquam homines audiant.* Illi cuncta ſitientes orant ignoranter: nam eſto quod totum
2. illis concedatur, adhuc integra fœlicitas non eſt, ſed pars. fl. 21. n. 23. p. 436. Diſcipuli erraverunt quia volebant complecti benevolentiam totam Redemptoris aſſidentes utrique lateri.

Sen.

Error. 3. Supplicationes offerunt aliqui, ut poſſideant; non ut communicent. Congruum foret, ut ex temporalibus flagitaremus quantum ſatis ut poſſemus benefacere proximis. Clemens Alexan. *Et primum quidem petet remiſſionem peccatorum; poſtea non amplius peccare: Deinde poſſe benefacere* &c. Roga potius ut concedatur tibi quod
3. aliis diſtribuas, quàm quod ſolus haurias pro ſiti reſtinguenda. *Domine da mihi hanc aquam ut non ſitiam:* Sic rogavit Samaritana: non tamen Dominus eam ſtatim dedit petenti, ſed juſſit vocare virum. Et quare? Quia petere neſcivit. Poſtulabat aquam illam ut non ſitiret: *Domine da.... ut non ſitiam*; & oportebat orare illam undam ad hoc ut more fontis diffunderet: dixerat enim Servator: *aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons.* Non ut aliis donarent petierunt filij Zebedæi: proinde audierunt. *Neſcitis quid petatis.*

Clemens. Alexan. l. 6. ſtrem.

Ioan. 4. 15.

Ibi. n. 14.

Error 4. Eſt circa ordinem precum: nam quæ præcipuè poſtulanda forent hæc
4. reſervamus orationis fini. fl. 17. n. 11. p. 346. Quærimus Deum, quaſi non quæreremus illum; ſed alia ab ipſo. fl. 17. n. 13. p. 347. Ut non accidat nobis ita, conſpectum terræ vitet oratio noſtra. fl. 17. n. 12. p. 346. 5.
Ad terram dirigebant oculos illi, qui *nec de cæleſti regno quicquam cogitabant.* Unde fuit 6.
eis dictum: *Neſcitis* &c.

Error 5. aliquoties malum nobis oramus & ut forrunam petimus quod inforrunium dicendum potiùs? Non exiguum ſupplicium eſt amplecti falſitatè deceptos infœlicitatem ſub nomine ſortis. fl. 7. n. 17. p.... Dato quod ſit vera fœlicitas id quod ſupplicamus, 7.
ex eo forte naſcetur ærumna. fl. 23. n. 50. 8.
p. Diſcipuli petierunt ut unus maneret ad ſiniſtram, qui locus eſt reproborum? *Quomodo vos vultis ut unus ſedeat ad dexteram, & alius ad ſiniſtram? Ego vos vocavi ad partem dexteram de ſiniſtra, & vos veſtro conſilio curritis ad ſiniſtram.*

Chryſoſ. to. 2. hom. 35. oper. imperf. in Matth.

Error 6. eſt in rogando timiditas. Orationem faſcinat diffidentia. fl. 20. n. 37. p. 416. 9.
Timor aliquando conſequitur à Deo minus 10.
quam pia fiducia. fl. 7. n. 11. p. 196. Cave tamen deflectere in aliud extremum ſicut illi duo qui ſiſi cognatione Domini ſedes ambiebant.

Error 7. præſumptio. S. Bernar. *Sicut periculum eſt ſi fuerit oratio nimis timida, ſic in contraria parte non minus, imo & majus periculum eſt ſi fortè fuerit temeraria.* Præſumptuoſe duo fratres petierunt. S. Remigius nomine Redemptoris loquens: *Non eſt meum dare vobis, ideſt ſuperbis, quales vos eſtis, ſed humilibus.* Dum oraveris ne obliviſcaris qualia ſint opera tua. fl. 20. n. 36. 11.
p. 416. Et obiter nota non ideo exaudiendum facilus quia prolixus oras in multiloquio; Qui fervidiùs rogat, hic plura profert. fl. 20. n. 34. p. 415. 12.

S. Bern. ſer. 4. Quadrag.

S. Remig.

FERIA VI. POST DOMINICAM. 2. Quadrageſimæ.

THEMA.

Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, & ſepem circum dedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit &c. Matth. 21.

ARGUMENTUM.

Agricultura vineæ ſpiritualis

ORigen. *Ergo intellige mihi in unaquaque anima quaſi vineam verbum Dei plantatum.* Hanc Deus plantavit: ſed oportet homo colat & non omnia Domino linquat. Quod in animæ negotiis totum ei remittas valde commovet patientiam Divinam. fl. 24. n. 17. p. 505. In themate legis: 1.
locavit eam: quod non fruſtra factum; ſed ut in ipſius culturâ laborares.

Orig. hom. 19. in 21. Matth.

In primis apertis circùm foſſis, & non in ſola ſuperficie, renovanda eſt mortis imago, aliter ſepulchri memoria velox 2.
evaneſcit. fl. 19. n. 19. p. 392. Quamvis dicat

S. Gregor. Nyſſen. l. de homi. opifi. c. 13. in princ. dicat S. Gregor. Nyſſen. *Craſſior illa vita in terris noſtra motu quodam ac fluxione continua diverſis rebus ſuccedentibus ſibi, in perpetua viciſſitudine nunquam interquieſcit*; attamen hic anima comparatur agro ſtabili? Sic oportuit, ut reſtaurares terræ memoriam.

Deinde reſecari cura vites aridas: ideſt opera mortua, ſcilicet peccata: nam per iſta gravatur novorum palmitum vigor. S. Gregor. Pap. *Cunctis vera ſcientibus liquet quod ad vetuſtam vitam vitia pertinent, virtutes ad novam.* Onus hoc tolle: quamvis enim vinea non ſentiat dum non amputatur; poſtea cum fructuum tempus advenerit, oneroſa nimis erit illi vetuſtas hujuſmodi: Peccati onus non ſentit homo, niſi poſt ſanitatem, fl. 24. n. 10. p. 501. Satage ne reſecandum aliquid prætermittas: nam unicum peccatum grave ſufficit ut hominem depauperet, fl. 17. n. 46. p. 362. Ne vineam omiſſione deſtruas: non enim tua; ſed ejus *qui plantavit.*

D. Greg. M. to. 1. l. 19. mora c. 16.

3.

4.

Poſt reſecatas aridas vites, da operam, ut novos inſeras virtutum ſurculos. Ita de ſpiritualibus augmentis curandum & eò magis quò perantiquior eſt vinea Domini: Virtute provectus non quieſcit, fl. 10. n. 21.

5.

Labora tamquam Domino vineæ morem gerere ſtudens, quia verè pater tuus eſt. *Homo erat paterfamilias.*

Inter amputationem veterum, ac inſitionem novorum, inſpice mittat ne palmes humorem aqueum, ſeu lachrymulas: hoc enim optimum ſignum virtuoſæ fœcunditatis eſt: de quo dominus vineæ gaudebit maximè. Quanti Deus faciat lachrymas, fl. 3. n. 17. p. 95 Si vero deſint iſtæ, pave: nam ſiccitas eſt ſupplicium Dei, fl. 3. n. 15. p. 95.

6.

7.

S. Joan. Climac. in cal. paradi. grad. 7. poſt. princ. Sicut econtrario fletus eſt utilitas adeo magna, quod S. Joannes Climac. dicat: *Major ac potentior baptiſmate poſt baptiſma (etſi audax dictu id videatur) fons lachrymarum eſt.* Peccator lugeat veritus judicem, quamvis extet ille ſimul *paterfamilias.*

Orig. proxime ſup. Ex Origene, germinatio florum in vinea, pueritia eſt dans indicia virtutum futurarum. *Quantum autem proficit anima pueri operata, tantum & vinea, quæ operatur in eo, id eſt verbum Dei naturaliter implatatum proficit, & producit indicia botrionum futurorum, florentium quidem adhuc, & odorem ſuavitatis futuræ virtutis in primis dantium.* Ne quia videtur nimis ab hac ætate diſtare tempus exigendæ rationis fructuum exultes: nam primum ætatis ver propiùs accedit ad autumnum funeris, fl. 6. n. 24. p. 186. Tempus totum judica jam eſſe tranſactum ad hoc ut ejuſdem brevitatem agnoſcas, fl. 10. n. 12. In textu non invenies patremfamilias aſſignaviſſe colonis quandonam pro fructibus colligendis miſſurus foret. Dices hoc omiſiſſe quia patebat quale tempus hoc ſit. Et putas noſſe te quando tibi ſit reddenda ratio vineæ tuæ? Idem ibi. Orig. *Parisfamilias autem ſolius eſt cognoſcere verè quando uniuſcujuſque hominis tempus appropiat, vel quando adhuc longè eſt fructuum tempus.*

8.

9.

Turgeſcentibus gemmis vinea vermiculis abundat, quos detrahi congruit. *Vermis etiam eſt carnalis delectatio*, ait Lauretus. Nec mireris quòd illa ſimul placeat, & corrodat: nam gaudium de temporaneis imperfectum eſt, fl. 24. n. 36. p. 514. Etiam vineæ proſperrimæ conteruntur velut in torcu-culari.

Lauretus in allegoriis, verbo vermis.

10.

Jamiam botris pene matureſcentibus fere cuncti ſepem reſarciunt. Melius foret priùs curare ne dirumperetur, quam reſtaurare poſtea. Glorioſiùs eſt cavere quàm reſarcire, fl. 22. n. 18. p. 458. Sic multò plus in te complacebit vineæ dominus, qui ſumptibus propriis validam *ſepem circumdedit ei.*

11.

Maturis jam fructibus invigila, ne deprædentur à latrunculis: tantoque plùs quantò fuerit uberior eorum copia. Juſtus eò magis eſt ſollicitus, quò fœlicior apud Altiſſimum, fl. 16. n. 20. p. 324.

12.

DOMINICA III. QUADRAGESIMÆ.

THEMA.

Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alij tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo, Luc. 11.

ARGUMENTUM.

Humana lingua pharetra diaboli.

EJectus dæmon à fortiore armato, ad pharetram ſuam, linguam ſcilicet humanam, recurrens, triplicem ſagittam projecit in Redemptorem, quibus potius vulneravit ſeipſum: nam quando patiens verbo feritur, percutitur ventus, fl. 19. n. 30. p. 396. Et repercuſſa vento ſpicula redeunt in ſagittarium.

1.

Diabolus armis propriis caret, fl. 5. n. 25. p. 162. Idcirco mutuatur ab hominibus illa. De cunctis peccatis lethalibus affirmari poteſt quod pronuntiavit S. Ambroſius de nonnullis: *ira, furor, cædes arma ſunt diaboli.*

2.

S. Ambr. to. 2. expoſ. pſ. 36.

SAGITTA I. LIVOR HVMANVS.

Dæmon invidia hominum armatur. S. Baſilius. *Sic ad omnia penetraverunt invidiæ mala. Et unicis his armis, à jactis mundi fundamentis exorſus, uſque ad ſæculi conſummationem, omnes ſauciat, dejicit ac ſuperat peſtis vitæ noſtræ diabolus*, &c. Terribilius eſt hoc invidiæ humanæ jaculum, quam ſi tela vendicaret ſibi peculiaria tartareus hoſtis, fl. 16. n. 6. p. 317. *Quidam autem ex eis*, &c. Dionyſius Carthuſ. *Iſti ſecundùm Matthæum Phariſæi fuerunt pleni invidia contra Chriſtum*, &c. Et quis dubitat quod invidi jacula recidunt in eundem? an non illa vapulat à ſeipſa? S. Gregor. Nazianz. *Utinam periiſſet ex hominibus invidia, conſumptio eorum qui illa detinentur, pa-*

S. Baſilius hom. 39. d. invidia.

3.

Dionyſ. Carthuſ. in c. 11. Luc.

S. Greg. Nazianz. orat. 25.

tientium venenum. Verum ex omnibus passio hæc injustissima pariter est & justissima, cum quia omnes perturbat bonos, tum quia consumit obnoxios.

4. Invidiæ tela domum propriam percutiunt. *Nisusque est Saul configere David lanceâ in pariete, & declinavit David à facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem* &c. Hugo Cardin. moraliter ibi. *Per parietem corpus intelligitur. Unde Cant. 2. C. En ipse stat post parietem. David est quilibet justus: Saul persecutores Ecclesiæ:* Telum invidi figitur corpori proprio. *Quidam autem ex eis dixerunt* &c. Beda. *Ex ipsorum confessione volebat intelligi quod in eum non credendo in regno diaboli esse elegissent, quod utique adversum se divisum stare non posset.* Ecce non solos homines invidos percutiebat invidia, quos probabat voluisse dæmoni subditos esse, turpissimo sane domino: sed ipsum vulnerabat diabolum: quia ex dictis colligebatur suorum, regnum ejus esse infirmum.

1. Reg. 19. 10.

Beda hom. Dom. 3. Quadrag.

SAGITTA II. DETRACTIO.

5. Et quam pernicibus evolat pennis! A cogitatione scelus detrahentis it celeriter. fl. 24.n.39. p.515. Ex lingua sumit sagitta venenum: quia nihil in homine pejus est ore. fl.32.n.8. p.655. Unde plus morte destruit obmurmuratio. fl. 32. n. 28. p. 662. Sed ipsa maledica locutio percutit linguam. fl.32. n. 34. p. 665. Et cum in linguâ Pharisæorum, qui *dixerunt in Beelzebub* &c. dæmon esset ut in ministris nequitiæ suæ, diabolus etiam ibi feriebatur armis quæ contra Dominum assumpserat.

6.

7.

8.

SAGITTA III. ADULATIO.

S. Bern. ser. 6. in ps. Qui habit.

De vana gloria loquens D. Bernard. ait: *Ut filius lucis & diei honestè ambulans timeat sagittam.* Ad illud thematis: *tentantes signum de cœlo quærebant ab eo*, scribit Hugo Card. *ad probandum & decipiendum.* Adde Haymonem Episc. *Vel in similitudinem Eliæ cupiebant ignem de sublimi venire. . . . vel in similitudinem Samuelis petebant pluvias de cælo ruere, tonitrua mugire, fulgura coruscare* &c. Postulabant ut Christus Dominus plurimùm sonantibus prodigiis condecoraret seipsum? Inepti nesciebant quòd magna solent strepitu carere? fl.8. 21. p. 217.

Haym. Episco. expo. in hoc Evang.

9. Ditius fuit hoc spiculum quam prius: nam primum erat in fornace odij fabrefactum; hoc verò blanditiem præ se ferebat.

10. Adulationis pugna sævior odij prælio. fl.11. n.11. p. 254. Inhumana quidem jaculatio hæc: nam serpentina lingua dicatur illa

11. quæ per adulationem tentat humilitatem justi. fl.33. n.27.p.678. Ad nostram eruditionem hæc tentatio permissa fuit, ut accingamur ad victoriam assentationum satis arduam.

12. Adulationem declinare non res omnium est. fl.8.n.6.p.210.

FERIA IV. POST DOMINICAM IV. Quadragesimæ.

THEMA.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum?
Matth. 15.

ARGVMENTVM.

Processus litis: in qua rea innocentia, & accusatrix invidia; testes judicium temerarium, & lingua calumnians: advocatus pro actore malitia; patronus rei virtus: judex Deus.

ACcusatorium libellum de manibus illotis proposuit invidia. Ericus. *Re enim vera seipsos magis culpare debuerant, qui lotas aqua manus habentes conscientiam livore pollutam gestabant.* Abstinere à lotione Pharisaica, virtus erat: quia Chrysost. ait: *Unde patet multa fuisse à Sacerdotibus innovata: & quamvis Moyses magno terrore comminatus fuerit ne quid addant aut auferant.* &c. Illi vero tamquam crimen habuerunt omissionem superstitionis. Theophylactus. *Has igitur traditiones ut vidissent non observari à discipulis, putaverunt illos contemnere seniores.* Et quid mirum audeant calumniari virtutem homines: cum experientia doceat eam apertè nullo quæsito colore nonnunquàm puniri. fl.23.n.12.p.478.

Eric. hom. in hoc Evang.

Chrysost. to. 2. hom. 52. in Matth.

Theophyl. in c.15. Matth.

1.

Deinde: non miremur calumniantes Pharisæos discipulorum Redemptoris hostes: cum & amicorum experiamur calumnias. Imo quidam sunt amici dexteriores ad calumniandum, quàm adversarij. fl. 32. n.29. p. 663. Quid ergo demiraris hos, qui fuere Scribæ Pharisæique.

2.

Accusatione proposita, reus quisque discipulus objecit pro tacita defensione conscientiam rectam. Hæc prodest ad ferendas calumnias. fl.30.33.p.632. Et facit obmutescere linguas pessimas. fl.30.n. 34. p. 672. Lege textum: & non invenies ultra quidquam Pharisæos adversus Apostolos in ejusmodi causa protulisse, præter accusationem, de qua in themate: *quare* &c.

3.

4.

Et quid valeret pro invidia dicere hujus advocatus, nempe malitia? Fatuum elegere causidicum, quia malitia est duplicata stultitia. fl. 10. n. 21. p.245. Attamen cum non facilè desistat livor ab inceptis, produxit non oculares, sed inoculatos testes. Primus fuit judicium temerarium: scili. quod ex contemptu sic Apostoli se gererent. Discipulorum Domini verba, modestia, cæteraque, humilitatem oculis ingerebant: & ipsi judicabant contemptores. Humanum judicium testificat contra id quod oculi cernunt proprij. fl.14.n.18. p. 295. Falsissimus equidem testis. Multa cautione opus est ne testimonia falsa ferat: Loquamur quasi nescientes de his quæ novimus. fl. 33. n.7.p.671 Non tamen utamur interrogatione, quæ

5.

6.

7.

vim

vim affirmationis calumniantis involvati ſicut illi qui dixerunt : *quare diſcipuli* &c.

Lingua deinceps teſtificationem ſuam
8. propoſuit, & non unica lingua. Detractor facile ſocios reperiet. fl.7. n.25. p. 202. Sed hujuſmodi linguæ poſſunt appellari teſtes contra producentem. Detrahens impius
9. laudat ; ſi laudet, calumniatur. fl. 8. n. 3. p. 208.

Reorum advocata virtus eruditè pro ipſis dixit apud æquum judicem : dixit, inquam, non ſolis verbis : nam tunc tantum
10. locus erit ſermoni, cum non defuerit opus. fl.20.n. 49. p. 423. Ideo Phariſæorum frivola fuit cauſa, quia non de operibus curavere. *Manus, ideſt opera, non corporis*
S. Hiero. to. 9. comm. in Matth. c. 15. *utique ſed animæ lavandæ ſunt ut fiat in illis verbum Dei.* Sic D. Hieronimus.

Tandem ſententia profertur ut accuſatio reſpuatur. Et ore divino ſuſcipitur impugnanda fraus hypocritarum inſontibus
11. adverſantium. Calumniam paſſus honoratur à Deo. fl. 17.n.17.p. 349. Quid erit honoris eis in cæleſti curia, qui ſic à Domino decorantur in exilio ? S. Thom. à Villano.
S. Thom. à Villan. ſer. 1. d. S. Ægidi Abbat. *Si in exilio tanta eſt Sanctorum potentia, quanta erit in regno ? ſi ſic honorantur inter ruſticos, quomodo honorabuntur inter cives ?*

Diſceſſere puniti ſatis calumniatores per hoc quod habentibus aures audiendi pateat
12. eorum accuſationem extitiſſe penitus iniquam. fl. 33.n.38.p. 681.

FERIA VI. POST DOMINICAM III. Quadrageſſimæ.

THEMA.

Omnis qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum : qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum : Ioann. 4.

ARGVMENTVM.

Iterum Deus clamat : omnes ſitientes venite ad aquas.

VOcati ſunt olim verbis ultimis prædictis omnes mortales. S. Hieronymus
S. Hiero. to. 5. l. 15. in Iſai. c. 55. in eum Iſaiæ locum : *Provocat credentes ad fluvium Dei, qui repletus eſt aquis : & cujus impetus lætificat civitatem Dei : ut bibant aquas de fontibus Salvatoris, qui loquitur ad Samaritanam : ſi ſcires gratiam Dei* &c. Et infrà : *Præcipiturque ſitientibus ut nequaquàm bibant aquas Sior turbidas*, &c.

S. Thom. à Villano, ſer. fer. 6. poſt Dom. 3. Quadrag. S. Thom. à Villano. *Duplex nobis aqua in themate proponitur : una quæ ſitim non ſatiat, quæ eſt hæc mundana & terrena conſolatio ; altera quæ ſitim ſatiat* &c. Et infrà. *O anima miſera & fatua quid anxiaris ? quid fatigaris ? quid ſatietatem quæris ubi non eſt ? An ignorat quod aqua iſta maris ſalſa & turbida ſitim non, ſedat, ſed provocat ?* Dei vocem non attendens humana ſitis quærit mundiales aquas marinas relicto fonte. Viliora deſideramus ardentiùs. fl. 5. n. 42. p.171. His aquis non ſatiatur deſiderium, ſed movetur. fl.4.n.32.p.148. *Omnis qui bibit* &c. 1. 2.

Inſuper ſummo labore mundialis hauritur aqua : non enim fontana, ſeu facile fluens (ut ea quæ eſt à Deo promiſſa) ſed putealis eſt : funibus & lacertis valide laborantibus trahitur. S. Antonius Oliſſipo. *Moraliter, hæc mulier à mollitie dicta fragilem ſignificat animam peccatoris.* Et infra. *Puteus eſt mundana concupiſcentia, in qua continentur voluptates mundanæ.* Virtutis labor ſæpe minor quam delicti. fl. 9. n.11. p.225. Sed fragilitas noſtra detrectat in via recta laborare, cum tamen in peccando valeret nimis. fl. 23. n.38.p. 491. Et pejus eſt quod rerum ſæcularium anxietates jam expertus, adhuc *qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum.* Quinimo S. Vincent. Ferrar. ait : *qualibet perſona Chriſtiana peccatrix ſignificatur per iſtam Samaritanam duplici ratione, & ponuntur in Evangelio. Primò quia quolibet die pluries veniebat ad aquam nec ſatiabatur. Talis eſt conditio peccatricis quia quotidie vadit ad aquam proſperitatum temporalium, nec ſaturatur : tanta eſt cupiditas.* Et infra. *Iſta bona temporalia non intrant intus in corde.* Et ibidem : *ecce conditio aquæ bonorum temporalium, quæ non ſatiant, quia non intrant illuc ubi eſt ſitis.* S. Antonius Oliſſip. ſer. hujus ſer. 3. S. Vincent. Ferrar. ſer. hujus ſer. Idem, ibi.

Parum foret animam non ſaturari, niſi cruciaretur illarum occaſione aquarum per crimina. Peccatum dolor eſt. fl. 32. n. 24. p. 661. Quin potiùs mors appelletur. fl. 24. n. 12. p. 503. Cum aqua predicta malignas habeat qualitates immixtas, igne cupiditatis conſumpta poſt hauſtum relinquit ardorem febrilem, quæ tribui poteſt illi : proinde valemus aſſerere quod aqua temporalium torquet poſtquam deſiit eſſe. fl. 17. n. 27. p. 353. 4. 5. 6. 7.

Aliter accidit recreanti per cæleſtium potum deſideria ſua. Aqua Domini exponitur ab Hugone Cardi. ſic : *dediſſet tibi aquam vivam ideſt orationem vel eleemoſynam, quæ extinguit peccatum.* Ita remuneratur petentis fides ? Virtus præmium eſt. fl. 6. n. 32. p. 188. Hugo. Cardi. in c. 4. Joan. 8.

Nota Servatorem non uſum fuiſſe donandi verbo dum locutus eſt de aqua ſæculi ; ſed cum de ſua : nam verè mundus non dat, cum aliena donet. fl.8.n.22.p.218. Igitur mundialia dona deſpice ; divina magni fac. fl. 7. n.23. p.201. 9. 10.

Tandem adverte quàm longè præſtet aqua fontis vitæ comparata ciſternis diſſipatis. Illa, non iſtæ ; perennat. Bonum unicum ſtabile præſtat duobus inconſtantibus. fl.29. n. 23. p. 604. Quinimo ſola bona perpetua nomine digna ſunt. fl. 21.n.31.p.440 11. 12.

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

THEMA.

Accepit ergo Jesus panes: & cum gratias egisset distribuit discumbentibus, Ioan. 6.

ARGUMENTUM.

Seges congregata dispergenda.

Chrysost. to. 2. hom. 5. in Matth.

CHrysostomus. *In cœlo verò operans atque ibi fructum requirens, ubi nulla aeris qualitas, corruptio nulla ventorum est: sed plurimo ubique cum fœnore semina jacta proveniunt, cunctaris atque dissimulas, nec intelligis quid possimus & parcendo perdere, & spargendo colligere.*

Fatuus putaretur agricola, qui ne triticum perderet, nollet illud seminare. Sic
1. eleemosynam omittens, f. 22. n. 35. p. 465. An quia minus longe lateque se diffundit ager, ideo renuit paterfamilias eum colere? Similiter quò sunt plures egeni, liberaliorem te præbe, fl. 22. n. 36. p. 466. Nam ista,
2. semina jacis multiplicanda. De panibus textus hodierni, qui distributi sunt indigen-
S. Aug. tract. 24. in Joan. to. 9. tibus, ait S. Augustinus: *Panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terræ mandata; sed ab eo qui terram fecerat multiplicata.*

Paterfamilias ut serat, non discutit sitne terra mundata vel fœda. Quid tu (si tibi non incumbit) discutis mendicantis vitam? Non quæras quisnam sit ille cui donas. Potius cavebis à quo recipias aliquid,
3. fl. 12. n. 15. p. 267. Si post reprehensionis dura verba, misero feras opem, punieris,
4. fl. 22. n. 38. p. 467. *Dedit discipulis panes:*
Matt. 14. 19. *discipuli autem turbis.* Ne cogeretur à sua rectitudine Dominus benemeritos eligere, commisit eleemosynam istam discipulis, ad quos non spectabat examinare merita recipientium.

Riderent cuncti, si nollet agrorum accedere cultor ad seminanda frumenta; sed expectaret ut campus eum quæreret, pro accipiendo semine. Pauperem subleva cu-
5. rans ne detur ei locus postulandi, fl. 2. n. 15. p. 73. Divinum misericordiæ opus est illi subvenire, qui verecundiâ prohibetur po-
6. stulare, fl. 2. n. 17. p. 74. Fac secundùm exemplar, quod sane *distribuit discumbentibus*; non rogantibus turbis; nec satagentibus, sedentibus donavit.

Plusquam stultus foret qui æstivo tempore, triticum seminaret in vicini segete spicis ubere. Dona plus egenti dum hyems
7. est, scilicet adversitatis tempore; quam dilecto, dum ver prosperitatis arridet, fl. 12. n. 12. p. 265. Non amicis Apostolis Dei Filius donavisse refertur quicquam hoc loco: nam
Ibi. n. 16. dilecti discipuli non egebant, aliter non diceret illis: *date vos illis manducare*, ut scribit S. Matthæus.

Sicut seminans abscondit in terra triticum, ita sit eleemosyna tua in abscondito, fl. 2. n. 26. p. ..... *Distribuit discumbentibus:* 8.
non prius visibiliter fecit ex quinque panibus milliaria: miraculum oculos latuit cum fiebat multiplicatio. S. Hilarius. *Dat deinde discipulis panes. Non quinque multiplicantur in plures, sed fragmentis fragmenta succedunt, & fallunt semper præfracta frangentes. Crescit deinde materies: nescio utrum in mensarum loco, an in manibus sumentium, an in ore edentium.* S. Hilar. Can. 14. in Matth.

Cito fructificat ager pauperum: nam Deus quatenus amator remunerat eleemosynarium, fl. 3. n. 13. p. 94. & ita velox, ut qui 9.
pauperem alit, cibare videatur seipsum, fl. 3. n. 11. p. 92. Cur non Dominus cum his 10.
viris comedit, qui non dedignatus est edere cum publicanis? Indigebant illi: in egentibus autem Deus accipit. Hæc acceptio præmium est discipuli donantis, & celerrimum. An veretur Dominus remunerationem largientis oblivisci, cum sic afficere præmio festinat, fl. 3. n. 10. p. 92. 11.

Sed præcipuus fructus eleemosynæ salutem respicit æternam. Pauperum curam exercere præsentaneum remedium est animæ nostræ fl. 2. n. 22. p. 77 12.

FERIA IV. POST DOMINICAM 4. Quadragesimæ.

THEMA.

Venit Videns. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant quia est. Alij autem nequaquam, sed similis est ejus. Ille verò dicebat, quia ego sum, Ioan. 9.

ARGUMENTUM.

Cæcus judicans de coloribus.

S. Antonius Olyssip. ser. hujus fer.

SAnctus Antonius Olyssip. *moraliter liceat per hunc cæcum omnis peccator possit intelligi.... possum tamen distinguere quod est multiplex cæcitas quam homo à diversis peccatis incurrit.* Et, quod mirum est, iste de solis coloribus judicat: sed fallitur.

Conjicit lippientes oculos in mundi pratum: putat viridans, & spem colligendi fructus inanem firmat in creatura: *laudo enim eum qui dixit spes vigilantium somnia esse.* Sic D. Basilius. Desipit miser cæcus: S. Basil. ep. 7 ad Greg. theologum.
nam vento color nullus: & quid mundus nisi ventus? fl. 22. n. 52. p. 473 1.

Cognosces inania sæculi bona postquam desierint, fl. 24. n. 32. p. 512. Antea mendicabat cæcus Evangelicus, & non exactè noverat quam parum ei daretur, nosset equidem postquam jam non accipiebat stipem. 2.
Non mirum quod cæco mendico divites assimilem, cum Gregorius M. de his dicat: S. Greg. M. to. 2. l. 18. mora c. 12.
Quasi dormientes sunt divites: sed paupertatem suam evigilantes inveniunt. Et infra:

vilia

vilia & fugitiva fuisse quæ tenuerant, jam amissa cognoscunt.

Donatur diviti mendico nummus adulterinus (ideſt amicus fictus.) Dolum caveat: nam ſimulatus amicus deterior hoſte manifeſto. fl.11.n.4.p.251. Credat quod homines dum expectant aliquid à fortunato, nomen, genuſque, cæci noſcent ejus peroptime; ſpe verò ceſſante, bene oculatus nomen illius etiam ignorabit. fl.23.n.15. p. 479.

An mutatur facies cum fortuna? Sic acciditſſe videtur cæco Evangelico: *alij dicebant quia hic eſt. Alij autem nequaquam* &c. Licet mirum fuerit quod eum non agnoverint fœlicem, qui noverant eum prius, cum exoculatus mendicabat.

Legit cæcus mundanus floſculos fœni, reputatque roſas, ideſt voluptates veras. Funeſtas docet experientias: nam venturi doloris timor imminuit eas. fl.17.n.25.p.353 *Ille verò dicebat, quia ego ſum.* Non verba protulit exultationem teſtantia quia timebat Judæos.

Tribulationes occurrunt ſæculi cæcis, & apparent ſanguineæ. Luminum eſt illuſio: purpureæ ſunt quia illuſtres, eò quòd honorentur amici Dei per hoc quod eis pugna committatur. Adverſitate preſſus collocatur in Dei manum palmis. Cruenta ſpecies repræſentat flagellum odibile, ſæpeque ſunt afflictiones dona Dei. fl. 18.n.33.p.381 Cæcus *dicebat quia ego ſum.* Interlin. ibi. *vox grata ne damnaretur ingratus.* Gratitudinem de reſtitutione viſus oſtendebat; ſed ipſam tribulationem cæcitatis fuiſſe munus Domini tunc ignorabat.

Sortem proſperam (ex conſuetudine ſortilegij publici quo nigra vocatur fœlix) dicimus atram. Nigredo conſtantiam figurat, ſed in ſubjectâ materiâ falſiſſimè: ait enim S. Grego. Naz. *Moventur enim, ut ita dicam, univerſa.* Et infra: *adeo ut auræ citius, aut litteris in aqua ſcriptis confidi poſſit quàm proſperitati humanæ.* Potiùs fortunæ ſingularitas præſagium ruinæ. fl. 20. n. 17. p. 407. Exiſtimas hoc ita contingere ſolùm ex eo quòd impugnatoribus pateat? Sine manibus ruet. fl. 4. n. 27. p. 145. Multoties id provenit ex eo quia de ruinis alienis ædificatur ſors propria: quodque de infortuniis naſcitur, propendet in ſimilia. Fulgeat fœlicitas ſine alieno lapſu. fl. 21. n. 34. p.436. Sicut noſtri textus cæcus, cujus læta ſors nonnulli nocuit: ideo confidenter dixit: *ego ſum.*

Tandem nonnulla vitia palliata virtutis fuco peccatorem cæcutientem deludunt. S. Laurent. Iuſtin. *O quam ſæpe virtus putatur vitium, & vitium virtus.* Niveum candorem credit malus eum qui cinereus pallor eſt pulveris qui de fornace vitiorum extrahitur. Periculoſa nimis hallucinatio hæc eſt: nam peccantem ſpecie virtutis vix unquam pœnitet. fl. 17. n. 45. p. 361.

Sed in quo peccatoris mentales oculi non decipientur, qui nec ſeipſum novit? Excuſari videntur qui dicente cæco, *ego ſum*, adhuc dubitarent, imo qui non crediderunt illi, quaſi neſcienti ſeipſum. Hæc eſt maxima cæcitatum, ſe non agnoſcere. Hæc major eſt ſuperbia quam alienas excellentias ignorare. fl.24.n.42.p.515.

FERIA VI. POST DOMINICAM 4. Quadrageſimæ.

THEMA.

Prodiit qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. Dixit eis Jeſus ſolvite eum & ſinite abire. Ioan. 11.

ARGUMENTUM.

Egreſſus animæ reſurgentis.

S. Gregorius M. *Ex qua ſcilicet reſurrectione quæ geſta in illius eſt corpore, ſignatur qualiter nos reſuſcitemur in corde: cum videlicet mortuo dicitur: veni foras: ut nimirum homo in peccato ſuo mortuus, & per molem malæ conſuetudinis jam ſepultus, qui intra conſcientiam ſuam abſconſus jacet per nequitiam, à ſe ipſo foras exeat per confeſſionem. Mortuo enim: veni foras dicitur, ut ab excuſatione, atque occultatione peccati ad accuſationem ſuam ore proprio exire provocetur.* S. Greg. M. to. 1. l. 22. mora. c. 9.

Exeat igitur peccator primò à ſe ipſo: ſecundò à peccato: tertiò à propoſito nequam: quartò ab excuſatione: quintò ab occultatione: ſextò à conſuetudine.

GRESSUS I. A SEIPSO.

Non erit nimis arduus exitus à ſemetipſo ſi pependerit quod hoſtem linquat & amantem quærat. An non ſuimet adverſarius qui necat ſe? fl.17.n.56.... Ad ipſum cogit ſcelus delinquentem ad quod ſævitia ſubjectos. fl. 25. n. 18. p. 540. Origenes. *Scire autem nos oportet nonnullos etiam nunc Lazaros eſſe, qui violata amicitia quæ eis cum Ieſu intercedebat, in morbum incidunt, & moriuntur....eius voce ad ea quæ extra ejus ſunt revocantur* &c. Cum à ſemetipſis exeant, operæ pretium eſt notare hos illos eoſdem eſſe qui jacuerant quondam: *prodiit* &c. 1. 2. Orig. in expoſ. hujus Evang.

GRESSUS II. A PECCATO.

Peccatum fugiendum etiam ab eo qui ad hoſtium ſævitiam non pallet. fl. 24. n. 11. p. 502. Econtrario miſer peccator loco ſupplicij computat à ſcelere divelli. fl. 3. n. 24. p. 98. ac à tumulo peccati protrahitur ligatus manus & pedes. Sed *omnino Dominus ubi aſtiterit ad ſepulchrum, & cæcitatem quaſi lapidem quendam jacentem ſuper ſepulchrum, tolli juſſerit, in memoriam reducendo futura, & bona, & ſupplicia, clamaveritque magna voce tubæ Evangelicæ: Lazare veni foras ex ſepulchro, ne ſis ſepultus* 3. 4. Theophylac. in c. 11. Ioan.

in

in temporalibus distractionibus, & affectionibus &c. Ita Theophylactus.

GRESSUS III. A PROPOSITO nequam.

Pœnitentes exeunt ab animo peccandi ad constãs propositum non iterum labendi. Congruit hunc firmare gressum : est namque proclive nimis ut post unum peccatum
5. sequatur aliud. fl. 24. n. 40. p. 515. Amplior de futuris cavendis, quàm de tergendis præteritis cura tibi sit : nam ventura quidem
6. adhuc ad te spectant ; at verò transacta lachrymis diluta, jam quasi non tua sunt. fl. 12. n. 21. p. 271. S. Thom. à Villano. ad
S. Thom. à Villano. ser. hujus fer. illud : *exi foras*, ait sic : *exi foras non solum à delicto, sed etiam ab occasione & delinquendi proposito.*

GRESSUS IV. AB EXCUSATIONE

7. Excusare semetipsum affectans reddit crimen suum turpius. fl. 6. n. 34. p. 190. Ne ad-
8. das excusationem, vel brevi manebit pœnitentia tua. fl. 7. n. 28. p. 204. Ericus in hoc
Ericus in exposit. hujus Evang. Evang. *Nonnumquam defendunt malum quod agunt, irascuntur cum reprehenduntur. Hi tales jam quasi sepulti* &c.

GRESUS 5. AB OCCULTATIONE.

Aperi peccata : non totam rem com-
9. mittas interrogationibus Confessarij. fl. 7. n. 29. p. 204.

Ne occultans peccatum ex remedio conficias venenum : nam sic adeo tibi nocebis,
10. ut ipso crimine puniaris. fl. 9. n. 31. p. 236.
S. Aug. to. 9. tract. 49. in Joan. *Prodiit qui* &c. S. August. *quid est enim procedere nisi ab occultis vel exeundo te manifestare ? Sed ut confitearis Deus facit magna voce clamando, id est magna gratia vocando : ideo cum processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus, solvite illum, & sinite abire.*

GRESSUS VI. A CONSUETUDINE.

11. Reincidentiæ gravitas. fl. 18. n. 36. p. 383. Nisi consuetudinis tumulum relinquas, rota-
12. beris inconstans à cælo in cœnum. fl. 16. n. 16. p. 323. Beda. *Voce magna clamavit, quia*
Beda hom. in hoc Evang. *difficile surgit quem moles malæ consuetudinis premit : sed tamen surgit cum occulta gratia intus vivificatur.*

DOMINICA V. QVADRAGESIMÆ.

THEMA.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? Ioan. 8.

ARGVMENTUM.

Sol in meridie.

Pier. Valer. VEritas, inquam, illuminans, vincens, exurens : nam ex Pierio Valeri. Sol veritatis est ænigma satis dilucidum.

Quæstioni themate propositæ nulla solutio ; sed responsiones non paucæ possunt adhiberi. Resp. 1. quia veritatis jubare plurimo terrentur avium nocturnarum oculi, plus quàm si portenta cernerent. Plus fulget veritatem docens quàm prodigia patrans. fl. 18. n. 30. p. 380. Inde fit ut plus 1.
veritatem refugiat qui videt, quam cæcutiens. Malè videns plus obnoxius est fraudi, quam cæcus. fl. 19. n. 23. p. 393. Claudit 2.
igitur oculos.

Dices : quomodo percipit ergo visu mendacia ? Artem nescio ; sed scio quòd simul humana lumina patent falso, & vero clauduntur. fl. 14. n. 20. p. 296. Nec mirum quòd 3.
apertæ palpebræ dicantur insimul cæcitate clausæ : nam stat aliquis cum cæcitate visus, ita quòd aliquando ipsum videre ge- 4.
nus quoddam cæcitatis est. fl. 24. n. 26. p. 509. Non equidem naturæ oculorum vitium hoc est : nam illi veritati cognoscendæ creati sunt ; sed morbus inolevit pro na- Orig. in exposit. hujus Evang.
tura. Origenes ad verba thematis : *Aliquis enim dicat propterea non credimus, quod non videamus, quomodo id quod ait sit verum. Non videmus porro quod nondum purgati sint oculi nostri, qui naturâ vim habent videndæ veritatis.*

Resp. 2. Quia præpotens fictio est. Difficilis extat victoria veritatis : nam hæc so- 5.
cij caret, quia est unica ; fallaciæ multiplices. Mendaciorum quanta multitudo. fl. 5. n. 14. p. 150. Magis arduum est quod 6.
veritas de falsitatibus triumphet, quàm quòd amor divitiarum superetur. fl. 14. n. 19. 7.
p. 296. Vnde munus Dei est non exiguum quod veritas prævaleat. fl. 4. n. 17. p. 139.

Nihilominus quandoque sicut in æstu 8.
diei sol fugat omnes umbras) subigit adversarios, ita ut impiimet cognoscant quanti facienda sit veritas. fl. 14. n. 10. p. 291. S. S. Laurent. Iustin. ser. S. Marc. post. princi.
Laurent. Justin. *Veritas enim nullius testimonio indiget, habet testimonium in se, cui neque malus neque injustus valet objicere quicquam. Dat voces suas in cordibus omnium ratione utentium, convincit illos, & legibus suis (velint nolint) facit esse subjectos.* Propterea quasi non dissolubilem proponit Filius Dei quæstionem illam : *si veritatem dico*, &c.

Resp. 3. quia odij erga veritatem flamma fumos evaporat, quibus mentem obnubilat, eique tegit in meridie solem. Exurit malorum corda sol meridianus, nempe veri- 9.
tas, adeò quòd eam oderint plùs quàm hostem. fl. 19. n. 7. p. 385. Eandem execrantur 10.
amplius morte, cæterisque suppliciis. fl. 19. n. 8. p. 386. Imò licet veritas aliqua jucunda sit, oppugnatur ; mendacium funestum 11.
non ita. fl. 19. n. 10. p. 387.

Odium veri causa hujus est vesaniæ. Hinc fit quod si rudis amet veritatem, penetret illam, quam perspicax ignorat, si prose- 12.
quitur ipsam odio. fl. 14. n. 21. p. 297 Idcirco Pharisæi non recipiebant quia detestabantur doctrinam verissimam. Chrysostomus loquens vice Filij Dei. *Vnde procedit quòd sine ulla causa vultis me perdere, nisi quia inimici estis veritatis ? Sin minus dicite peccatum meum : ideo addidit : quis ex vobis arguet me de peccato ?*

FERIA

FERIA IV. POST DOMINICAM V. Quadrageſimæ.

THEMA.

Hyems erat. Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis, Ioan. 10.

ARGUMENTUM.

Hyems cordis.

S. Greg. M. to. 2. hom. 12. in Ezech. in princi.

S. Gregorius M. *quæ cauſa fuit ut nomen hyemis adderetur, niſi ut per qualitatem temporis oſtenderet frigus cordis? quia & cum verba veritatis acciperent frigida Iudæorum corda remanebant.*

Multa conſtituunt horrida hyemem : ſcili. frigus ; venti, ſterilitas, pluviæ, tonitrua, nubila. Hæc in pectore peccatoris cuncta ſimul reddunt illud tempus, quo detinetur in peccato, mæſtum valde.

I. FRIGVS.

1. Peccatoris frigidiſſima tarditas in reſpondendo vocanti Deo. fl.27.n.28.p.567.Si-
2. bi perſuadent expectaturum Deum quoad ipſi velint. Ibidem S.Auguſt. in hoc Evang.

S. Aug. to. 9. tract. 48. in Ioan. *Hyems erat, & frigidi erant. Ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant.*

II. VENTI.

Tranſitoriæ fælicitatis flatu quatitur
S. Greg. M. to. 1. l. 20. mora. c. 24. ſæculo deditus. S. Greg. M. *quia præſentis vitæ gloria quaſi in alto cernitur, ſed nulla ſtabilitate ſolidatur, velut elevatus ſuper ventum ponitur qui proſperitate tranſitoria lætatur, quando ad hoc ſolum hunc fugitivæ fælicitatis aura ſublevat, ut repente deterius in infimis ſternat.* Fortunæ ſedes infirmis
3. fulcitur fundamentis. fl.26.n.12.p.537. Humana gloria ſic perit facilitate ſumma, ſicut
4. hominis cogitatio. fl.26. n. 14. p. 538. Quid tunc manebat ex pompa Salomonis, præter vocabulum? *in porticu Salomonis.*

III. STERILITAS.

Nudat hybernum tempus arbores. Pec-
5. catoris pauperies. fl.14 n. 30. p. 301. Solas germinat ſpinas ejus via : quas non fugit
6. quia non cernit ; ſi videret, certe declinaret. fl. 9. n.14. p. 227.

Hugo. Cardi. in c. 10. Ioan. Hugo Cardi : *& bene comparatur hyemi ſtatus peccatorum propter novem cauſas : prima eſt propter pigritiam hominum in hyeme.... ſecunda propter ſterilitatem bonorum operum.*

IV. PLUVIÆ.

Peccatum pluviæ ſimile. S. Hilarius. *In*
S. Hilar. canon. 6 in c. 7. Matth. *pluviis, blandarum & ſenſim illabentium voluptatum illecebras ſignificat*, &c. & ſicut imbrium diebus ambulans per loca præ-
7. rupta cadit facillimè, ſic voluptuoſus dies aptior lapſui criminis. fl. 24. n. 24. p. 509. Necnon ſicut nimbi luta paſſim efficiunt, quibus fœdatur viam carpens : ita peccator maculat ſe nimis turpiter. Quantum delinquens abjicit ſemetipſum! fl.26. n. 19.p.540 8.
Aliter juſtus, qui verè templum. Beda in verba thematis : *Quantò magis penetralia cordium noſtrorum inviſere atque illuſtrare deſiderat, ſi tamen ea porticum eſſe Salomonis, hoc eſt, ſi ea timorem ſuum, qui eſt initium ſapientiæ, habere perſpexerit. Neque enim putandum eſt quia domus ſolummodo in qua orandum, vel ad myſteria celebranda convenimus templum ſit Domini, & non ipſi qui in nomine Domini convenimus, multò ampliùs templum ejus appellemur* &c. Beda in 10. Ioan.

V. TONITRUA.

Hoc eſt, comminatio pœnæ, conformiter ad Bedam, qui de tonitruis Ægypti Moyſis tempore, dixit : Poſt hæc verò veniunt de ſupernis vocis tonitrua, ſcili. grando, & ignis diſcurrens. Vide temperamentum divinæ clementiæ. Non cum ſilentio verberat, ſed dat vocem, & doctrinam cælitus emittit, per quam poſſit caſtigatus culpam ſuam agnoſcere. Sed inſanus peccator, nunc ſupplicia computat ut favores : fl. 6.n.9. p. 177. Nunc ut meram inconſtantiam ſortis accipit. fl.4.n. 25. p. 142. Et ſic 9. 10.
doctrina per comminationem flagelli cælitus inſonans fruſtratur. In feſto encæniorum rarus eſſet qui deſtructionem templi quæ præceſſit dedicationem illam ipſius, de quâ renovabatur memoria, pœnam fuiſſe peccatorum animadveteret ; hoc pene cuncti mobilitati rerum ſolummodo tribuerent.

VI. NUBILA.

Per nubem deſignatur cæcitas humana. Rupertus : nubes magna ; ideſt ejuſdem generis humani cæcitas, quæ convolutus homo & inimicus Deo factus, à viſione faciei ejus exciderat, *Ambulabat Jeſus in porticu* prope Judæos, & non illum agnoſcebant quia nolebant. Mente cæcutiens
non accipiet viſum niſi velit. fl. 27. n. 26. 11.
p. 566. Hæc non eſt omnimoda cæcitas in habentibus fidei oculum : ſed cò pejor, quia faciliùs aliquando reſipiſcunt penitus obcæcati, quam ex parte videntes. fl. 11. 12.
n. 13. p. 254.

FERIA VI. POST DOMINICAM V. Quadrageſimæ.

THEMA.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic ; omnes credent in eum : & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Ioan. 11.

ARGVMENTVM.

Concilium malignantium, in quo, præſide tenebrarum principe ſuffragantur mendacium, livor, odium, faſtus, timor, & error.

PRimò ſuffragium tulit mendacium, dicens : Veritas non puniatur ut rea ; ſed

adversus eam indicatur bellum tamquam hosti. fl. 19. n. 9. p. 386. Imo qui fratris loco habet inimicum suum, putat inimicari sibi veritatis assertorem. fl. 14.n.27. p. 300.

Ad verba thematis Theophylactus: *commune periculum in medium afferunt, concitantes populum contra Christum, quasi perditionis author ille esset futurus.*

Theophylac. in c. 11. Ioan.

Secundò suffragium livor protulit sic: extinguatur lux. Multò prius inceperant esse Judæi sub jugo Romanorum & numquam concilium collegêre dicentes: quid facimus pro communi bono contra Romanos? Nunc sibi provident in futurum, circa malum quod timent, dato quod omnis populus in Christum Dominum tanquam regem credat contra mandatum imperij Romani? Maximè, quia reputant invidi tunc exordium fieri damni sui quando cœperit alterius gloria consummari. fl. 23. n. 27. p.... Et quid mirum quod fuerit hoc repertum in hostibus, cum paulo minus inveniatur in germanis? Timet frater fœlicitatem fratris. fl. 23. n.25.p.... Non ergo miremur quod expaverint ad signa Redemptoris Pharisæi. *Quid facimus* &c. Chrysost. *Hæc ergo sine ratione ulla dicebant, sed invidiâ tantùm. Verùm id sibi contigit: cum minime expectarent, & civitatem & gentem cæperunt Romani*, &c.

Chrysost. to. 3. hom. 63. in Ioan.

Tertio loco deliberavit odium, inquiens: inimica nobis pereat innocentia. Odium, inquam, adfuit concilio; non tamen detecta facie sub persona scili. amoris boni publici: *Quid facimus.... venient Romani* &c. Cum justo non audet peccator aperto marte congredi. fl.3.n.35. p.105. Quàm iniqua pro alterius nocumento simulatio! Homo quandiu latet ejus nequitia dæmonem imitatur; si pareat, non est amplius quàm homo nequam. fl.7. n. 17. p. 204. Dyonisius Carthus. ad thema supra positum. *Tantam enim aversionem habuerunt ab eo, ob quam non poterant rectè judicare de ipso. Sed ad hoc tendit eorum conquisitio, ut inveniant modum prohibendi Iesum à solitis signis* &c.

Dyonis. Carthus. in c. 11. Ioan. art. 29.

Quartò suffragatus fuit fastus ita: conteratur humilis. Vox ista superbiæ, quia ferociam exercet, putatur valida. Fallimur; imò si pusillanimis quidam extollatur ad fortunæ culmen, evadet sævior. fl. 27. n. 24. p. 265. Meritò conjungitur arrogantiæ pusillanimitas: non deest illi quòd paveat, quia quò potentia major est citius fertur ad profundum. fl. 26. n. 15. p.558. Pro regni conservatione metuebant Pharisæi quasi jam instans malum: *quid facimus* &c. Attamen simul superbissimi Redemptorem nec nomine consueto nominarunt: Sed aiunt: *hic homo.* Dyonis. Carthus. quia *hic homo, quem ex contemptu & invidia proprio nomine exprimere non valebant.*

Idem. Ibi.

Quintò potius mussitando quam loquendo timor quid sentiret aperuit in hæc verba: Tollatur occasio instantis periculi. Discrimen trepidarunt & in aliud atrocius, quod accidit sub Tito & Vespasiano, incurrerunt. Timor humanus minoribus cedit: majora deglutit. fl. 5. n. 8. p. 153. Sed pietate caret: imo crudelitatem excedit in sævis exequendis. fl. 25. n.35.p. 531. Sævitia Pharisæorum à metu promanavit. S. Augustinus. *Nec tamen dicebant: credamus, plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent: & tamen timebant, & quasi cõsulebant: dicebant enim quid faciemus?*

S. Aug. to. 9. tract. 49. in Ioan.

Ultimò consuluit error his verbis: Dispereat qui viam docere vult: mihi namque placent invia. Ericus: *Protinus illi malitia sua contenebrati, & quò se verterent nescientes (videbant enim se signorum evidentia superari) collegerunt concilium* &c. Sed error intellectus originem traxit ex corde. fl. 20. n. 11.

Ericus in exposi. hujus Evang.

Vel dic intellectum iniqui non in sua sede morari, sed in corde residere. fl. 14. n. 17. p. 295.

HEBDOMADA MAIOR.

PRO LACHRYMIS D. PETRI.

THEMA.

Egressus foras Petrus flevit amarè.
Luc. 22.

ARGVMENTVM.

Unda restinguens unum ignem duos accendit.

DE pœnitente Chrysostomus ait: *Sicut aqua ignem extinguit ardentem, sic pœnitentia diluit crimina fontibus lachrimarum.* Extinguit fletus incendium peccati sic ut nec cineres appareant, nec fumus, & affirmare possit pœnitens nunquam peccasse.

Chrysost. to. 5. ser. de perit.

Ego autem non dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam tuam vivifica me & custodiam testimonia oris tui. Ad posteriora verba Hugo Cardin. *Potest hoc etiam legi in persona peccatoris petentis veniam, & promittentis satisfactionem, dicentis: Secundùm misericordiam tuam: quia non vis mortem peccatoris. Vivifica, per gratiam, me mortuum per peccatum.* Petit veniam, & affirmat: non dereliqui mandata tua? Pœnitens verus asseverare potest: non peccavi, nam super nivem dealbatur. De lachrymis loquens D. Bernardus: *quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ.* Preme hoc ultimum.

Ps. 118. 87. 88.

Hugo Cardin. ibi.

S. Bern. ser. 30. in Cant.

Hanc munditiem Deus per lachrymas in pœnitente perficere curat, occasione à peccato sumpta. Sors advenit ei per viam infortunij. fl.20. n.38.p. 417. Aliter accidit mundanis, quorum gaudia luctus pariunt. *Da quæso lachrymas Petri; nolo lætitiam peccatoris* Hæc S. Ambros. Deus ipse quin lædatur scientia non fallibilis asserere rex valet de vero pœnitente, non peccavisse: nec mentietur: nec id verebitur asseverare, quia Dominus vellet nescire hominum scelera.

S. Ambr. to. 1. l. 5. Heram. c. 25.

3. fl. 1. n. 22. p. 12. *Egreſſus foras.* Dei Filius permiſit quod non in ejus conſpectu ploraret, ut eidem locus daretur habendi ſe ad modum neſcientis quod Petrus ploranda commiſerit.

Accendit flammas amoris aqua lachrymarum in Salvatoris pectore. Calumniam attulerunt Phariſæi directe ferientem Apo-
4. Matth. 15. 2. ſtolos: *quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum?* Dominus tamen non diſcipulos defendit, ſed aliorum doctrinam
Ibi. n. 3. præbuit: *quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* E contrario Simon calumniatus eſt directe
Luc. 7. 39. Salvatorem, dicens intra ſe: *Hic ſi eſſet propheta ſciret utique quæ & qualis eſt mulier*, &c. Non tamen ſui, ſed Magdalenæ
Ibi n. 44. & 47. defenſionem ſuſcepit: *Vides hanc mulierem?.... dilexit multum.* Non plorabant diſcipuli; Magdalena fundebat lachrymas pœnitentiæ: per quas exarſit pectus Chriſti Servatoris, ita ut vel indirectam calumniam adverſus Magdalenam paſſus non fuerit, & in laudem proruperit illius.

Prædictæ dilectionis indicium eſto quòd à lachrymis quaſi Deum abeſſe neſcire videtur, fl. 3. n. 16. p. 95. Egreſſus foras Petrus
5. flevit: Ne fleat ante hunc egreſſum, quia fortè non permittet poſt lachrymas ipſum ab ejus conſpectu dividi piiſſimus amator dolentium.

Oppones: Quomodo lachrymæ profluentes in Apoſtoli faciem & pectus, accenderunt ignem in corde magiſtri? Neſcis quod hæ lachrymæ (ſicut & aliæ pœnitentium) collocantur in corde Redemptoris, ubi ſe-
6. des peculiariter dilectionis eſt? fl. 3. n. 18. p. 96. Dulces illæ fuerunt amantiſſimo Domino, quas *Petrus flevit amarè.*

Inde conjice quanti Deus faciat pœni-
7. tentium lachrymas, fl. 3. n. 17. p. 95. Adde ut corde pœnitentiam agentis reciperetur omnium Dominus, majeſtatem deponeret,
8. ſi fieri poſſet, fl. 32. n. 17. p. 658. Nec enim, ſi non pectore dilectiſſimum ſibi Magiſtrum deferret, abeſſe auderet *egreſſus foras Petrus.*

Incenditur etiam reſperſum pœnitentis cor oculorum aquis, ita quòd ſatis in teſtem illæ ſint amoris excellentis, ac ſupervacuum foret amplificare verbis quantum
9. diligat qui delicta plorat. *Dilexit multum*, dixit Filius Dei laudans amorem pœnitentis Magdalenæ. Phariſæus de præſenti loquebatur: *peccatrix eſt*: quare Dominus de prærerito reſpondet: *dilexit?* Quia præſentem dilectionem valde perfectam eſſe probabant pœnitentes lachrymæ: nec operæpretium erat id verbis teſtari: de hoc abunde fatur fletus.

10. Crimina plorans non ſolum amat fervi-
Joan. 21. 15. de, ſed alios antecellit. *Simon Joannis diligis me plus his?* Quare non ſimiliter interrogavit Joannem, qui videbatur debuiſſe Magiſtrum diligere plus quàm Apoſtoli cæteri tenerentur, cum eſſet magis inter eos dilectus à Domino? Quia non Joannes negaverat, ſed Petrus. Hic peccata flens cor irrigaverat aquis: & exigebatur major dilectio, veluti fructus, ubi tam frugifera præceſſerat irrigatio.

Vix fieri valet ut lachrymæ profluant, 11.
& affectus erga Deum non augeatur. Quandiu locus eſt augmento dilectionis diffluant lachrymæ; ceſſabunt cum amor augendus non erit.

Abſterget Deus omnem lachrymam ab Apocal. 7.
oculis eorum. Ex Alcazar de pœnitentium 17.
ploratu poteſt etiam accipi. *Deum eos etiam* Alcaz. ibi.
fletus comprimere & exſiccare, quos depravatæ conſcientiæ ſtimuli ſolent adducere. Ex textu conſtat ibi ſermonem eſſe de iis qui erant ante thronum Dei, hoc eſt in beatitudine. Cur non antequam ad hunc ſtatum pervenirent, lachrymæ fuerunt ab eorum oculis abſterſæ? Quia tunc tempus erat ut amor Dei augeretur in dies: quod non alio medio facilius fiet, quam hiſce fletibus. In beatitudine creſcere non valet amor. Ergo detergantur lachrymæ, ne perſeveret ploratus; & affectus non ſumat incrementa: vix enim hoc fieri valet. Permittit Redemptor ut abeat Petrus egreſſus foras; nec eum per angelum expulit inde, ne laberetur iterũ? Superfluum hoc eſſet: nam flendo ſic efferbuit pectus amore, quòd non reincideret in offenſam gravem Domini, quamvis objicerentur pericula mille.

Is eſt vere pœnitentium amor, quod videntur affectum divinum erga illos exæquare. Pœnituit Monarcham Jeſſæum numerationis populi: ſed ei datur unius de tribus optio flagelli. Delegit peſtem, dicens: *melius eſt ut incidam in manus Domini.* 2. Reg. 24.
Et non timet David manus irati Numinis? 14.
Imo cognovit affectum Dei erga ſe, cum ejuſdem commiſit regis manibus voluntatem ſuam Dominus circa deſignationem ſupplicij. Ut par ipſe redderet pari, ſe manibus Altiſſimi tradere decrevit: *melius eſt*, &c. quaſi valeret amorem quem debuit Creatori coæquare.

DE BONO LATRONE.

THEMA.

Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo, Luc. 23.

ARGUMENTUM.

Miſeria fœlix: latrocinium ſanctum: dedecus honorificum, tyrocinium coronatum.

MISERIA FOELIX.

DEi clementia viam ſalutis ita curavit 1.
multiplicare, quòd etiam per latronis patibulum iter patuit ad paradiſum, fl. 18. n. 31. p. 380. Hanc reddidit miſeriam fœlicem, ut infortunia condecoraret, fl. 27. 2.
n. 4. Non enim ſibi unam; & ſuis alteram elegit ſortem: ſed hominum cruces honorabiles efficere per voluntariam ſuſ-

ceptionem docuit is qui ſuam reddidit ho-
Chryſoſ. to. 3. ier. d. Latr. nore conſpicuam. *Et quoniam* , ait Chryſoſtomus , *crux dedecoris fuerat ſignum , & apud omnes ignomina putabatur : crucis infamiam mirandis beneficiis decoravit* , &c. Et infra. *univerſam terruit creaturam , & ad meliora convertit, & honore ſummo decoravit.* Dei juſtitia quidem permiſit (ſed tacita) quod mediante humana poteſtate Dimas in pœnam ſuſpenderetur. Cum tamen eum introducit ad vitam , apertè præſtitit hoc : *Amen dico* &c. Exinde liquet Deum pluris facere liberalitatis jubar , quam juſtitiæ
3. fulmina. fl. 3. n. 26. p. 100. Quare latro Dominum agnovit , ac dixit. *Domine memento* &c. niſi quia pro crucifixoribus audiit humaniſſimè loquentem ? Theophylactus :
Theophylac. in Luc. c. 23. *deinde unus eorum cordatior , agnoſcens bonitatem Ieſu ex voce quam fecit pro crucifixoribus. . . . quæ vox non ſolum magna miſericordia plena eſt , ſed & magnam authoritatem præ ſe fert.*

LATROCINIVM SANCTVM.

Rapuit mira dexteritate latro vulnera Chriſti Domini , fecitque propria ſibi. De
S Maxim. hom. 1. de Latrone. ipſo loquens D. Maximus : *ſcivit quod illa in corpore Chriſti vulnera non eſſent Chriſti vulnera , ſed latronis : atque ideo plus amare cœpit , poſtquam in corpore ejus ſua vulnera recognovit.* Amans dolorem dilecti
4. vendicat ſibi. fl. 23. n. 52. p. 498. Amori ſat ſuperque videtur ſuis doloribus contentum vertere torſiones in gaudia : ſed altius evolat : nam excellentius eſt aliena mala ſibi
5. propria reddere , quam gaudere ſuis. fl. 23. n. 46. p. 495. Congruum erat ut communicaret in doloribus patiendis qui futurus erat ſocius *in paradiſo.*

Rapuit & paradiſum Dimas ex D. Petro Chryſolog. *Accedit illud etiam latronis mi-*
Chryſol. ſer. 61. *rabile documentum , qui nunc rapuit paradiſum , quando latrocinij ſui pœnas eſt appenſus ut ſolveret.* Quomodo cruce detentus rapere potuit quod alij non attigerunt ? Erat latro ad crucis umbram. Ultra ſpem conſequitur qui nititur cruce Dominica.
6. fl. 29. n. 14. p. 602. En ipſe memoriam experebat : *Domine memento* &c. & ſuperatur ejus expectatio , nam accepit paradiſum : *Hodie mecum* &c.

DEDECVS HONORIFICVM.

Per tolerantiam crux Dimæ facta fuit honor , quia patientia conſtituit eum ſodalem in pœnis cum Filio Dei , & viâ ut redderetur amicus ejus. Summus inter honores quos Deus largitur eſt amicitia ipſius. fl. 20. n. 21. p. 347. Paradiſus ei pro-
7. miſſus eſt : ſed amplius per crucem jam ſpontaneam honoratur Dimas : nam affectu paterno Deus locat (ut vulgò dicimus) in manuum ſuarum palmis quem ſinit contribulari ut mereatur. fl. 8. n. 1. p. 206. Ex D.
8. Cyrillo Jeroſo. paradiſus promiſſus Dimæ cœlum eſt. Sic introducit filium Dei loquentem ad ipſum. *Tu vero hodie obediſti fidei ,*
S. Cyrill. Ieroſo. catech. 13. *hodie quoque tibi ſalus. Ille propter lignum excidit. Et tu de ligno introduceris in paradiſum.* Eximius equidem honos : at cruce quæ meritum eſt , plus extollitur latro : nam præcipuè decoramur ex meritis ; non autem cæleſtibus donis. fl. 17. n. 23. p. 352. 9.

TYROCINIVM CORONATVM.

Vix Dimas converſus , regni promiſſionem accepit ? Angeli ſancti breviſſime conſecuti ſunt coronam ; ſed poſt certamen cum ſpiritibus apoſtatis : at pœnitens, quin præcedat externa pugna , ſæpè , coronatur. Deus eum præfert angelis. fl. 32. n. 16. p. 10.
658. Et adeo ut angelos mittens in terras Chriſtus Dominus ab eis perſæpè plurimum abſit , à latrone verò minime ſit paſſus abeſſe : ideoque tyronem ſecum deferre coronandum promiſerit : *mecum eris.* Pœnitentem ita Deus amat ut ab eo diſcedere 11.
nollet. fl. 32. n. 15. p. 657. Si cupimus amari ſimiliter, imitemur Dimam beatum. Chryſoſt. ſupra. *Nec tranſitorie iſtum prætereamus latronem, neque erubeſcamus talem accipere magiſtrum , quem non erubuit Dominus noſter primum introducere in paradiſum.* Sed Chryſoſ. ſupra.
cave ne hoc etiam in illo velis imitari quòd in mortis ac vitæ confinio pœnituit. Adverte ſæpiſſimé contingere quod peccator ad mortis horam reſervans oculos in Deum levare , medium parietem inter ſe 12.
Deumque reperit. fl. 5. n. 33. p. 100. *Noverit proinde is qui peccato conſenſerit & alterum ſibi ſe oppoſuiſſe parietem , ipſum utique pravum illicitumque conſenſum : nec poteſt gloriari qui hujuſmodi eſt , quia ſtet ſibi poſt parietem Sponſus , quando jam parietes interſint, non paries. Multo minus ſi conſenſus venerit ad effectum , cum tertius quoque jam paries Sponſi arceat impediatque acceſſum , actus videlicet ipſe peccati.* Sic. D. Bernard. S. Bern. ſer. 56. in Cant.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

THEMA.

Sciens Ieſus quia venit hora ejus ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos Ioan 13.

ARGUMENTUM.

Anxius
Manens
Oblitus
Repulſus

Affectus Chriſti Servatoris perfectiſſimus : nam doloribus anxius , conſtantiâ manens , offenſarum oblitus , ingratitudine repulſus , probavit ſe dilectionis apicem , quæ depingi ſolet emblemate ſagitta ut feriat , anagramate mora , cum permaneat , imagine puer qui læſus obliviſcitur feſtinanter : & in rei veritate flammæ conditionem vendicat , quæ repulſa ,

flabello

flabello, quo posset extingui, potius accenditur.

Anxius, inquam, præcordiis & animâ ipsa. Corde vulneratos dicimus amatores, & meritò: nam ad fundendum sanguinem, non desideratur ferrum, si viget amor. fl. 1. 1. 106. p. 51. Dirum vulnus fuit istud in amantissimo Domino, potissimùm ex eo quòd in in ejus doloris motivo (scilicet in hominibus) jubeat affectus Redemptoris ut ipse complaceat. fl. 1. n. 111. p. 54. In anima etiam ictum Salvator excepit, quamvis mortis incapaci. Et erga non mortales amor peragit munia mortis. fl. 1. n. 119. p. 57. Non ait Evangelista: cum dilexisset posuit animam suam pro dilectis; dixit: *Cum dilexisset.... dilexit*: nam perinde videtur asserere: *dilexit*, ac: mortuus est: cum sit fortis quasi mors dilectio.

Manens, idest firma charitas extitit Filij Dei: quam testari potest ipse, quia novit stabilem. Solus diligere se profiteatur ille, qui prævidet permansurum in dilectionis veræ signis exhibendis. fl. 16. n. 46. p. 337. Ex amore præterito consequentia fit ad sequentem, & argumentum est optimum *cum dilexisset.... dilexit*, deductum à majori ad minus: nam plus fuit quod infinitus deliberaverit affectione prosequi mortales, qui prope nihil sumus, quàm quod mutatus non fuerit immutabilis. Chrysostomus. *Quid sibi vult ea particula: in finem dilexit eos. Hoc est semper dilexit*, &c. Ea fuit amoris hujus firmitas, ut Filius Dei suæmet impeccabilitati commisetit eam: & sic adeptus est ut fuerit illi pariter impossibile deficere à diligendis tam impense hominibus in vitæ fine, quantùm exulat ab eo peccatum: quippe qui delinqueret si contra præceptum Patris mortem non subiret, qua nos diligere valde testatus est. Amoris propositum exequi Dominum obedientiæ ducta mirabile nimis. fl. 9. n. 6. p. 223. Permanentiam suæ dilectionis insuper denuntiavit hoc signo. Satis ostendit imperturbatam: nam eam probavit audere pati, quin per dilectorum præsentiam consolaretur, cum dixerit comprehensoribus ut sinerent eos abire. fl. 1. n. 114. p. 55. Non abs re Joannes de absentia spontanea Domin mentionem egit, cum ejus amoris vim explicuit. *Ut transeat ex hoc mundo.* S. Cyrill. Alex *Cum sciret Jesus proxime jam tempus esse, ut ad cælos transiret, perfectam erga suos qui erant in hoc mundo dilectionem ostendit.*

Oblitus ac si foret, non solùm propriam utilitatem, sed injurias ab amatis acceptas. Is amat qui propria commoda non curat. fl. 2 n. 8. p. 70. Nec hominum gratitudinem venabatur Assertor, cum id contulerit eis donum, quod invitis offerri noverat. fl. 22. n. 21. p. 440. Vnicus finis amoris tanti fuit amator ipse Deus: *in finem dilexit.* S. Augustinus: *quid est enim in finem, nisi in Christum.*

Velut immemor etiam offensarum: nam sic si gerit ut videatur nescire delinquentes. fl. 13. n. 20. p. 284. Oportuit ut adverteret Evangelista scientiam de passione instante S. Cyrill. Alex. *Dilexit igitur suos qui sunt in hoc mundo: & dilexit in finem, quia non ignorans quot, quantaque passurus esset, libenter propter nos cuncta suscepit.* Nullam passus est oblivionem Dominus; tamen ita se habuit quasi multa non recordaretur.

Repulsus ab hominibus amor hic excelluit. Velut revibratus fulgor solis ab obsistente metallo duplicatur ita ut vires augeat & amplius radiet: sic dilectio Salvatoris dum fuit passa repulsam. Auctus non est affectus Divinus; ita loquimur attamen quia vicit ingratitudinem donis. Cupiit opere comprobare neminem posse ligare manus ejus, ne dilectionis exhibeat ostenta. fl. 23. n. 20. p. 482. Illa verba: *dilexit eos* non tantum Apostolos tangunt, sed comprehendunt ingratissimos, ut inde inæstimabilem æstimes affectum: Chrysostomus ibi. *Suos autem, secundùm familiaritatis rationem, alios secundùm opificium appellat.* De splendore supra memini, qui plus rutilat ex resistentiâ pectoris nostri. Nunc addo quòd tunc Deus plus fulget remittendo crimina, cùm audacius adversus eum insurrexere peccata. fl. 27. n. 18. p. 562. Sed non ideo nos prætereat quod summè dolet amor idem, nos ita repellere cordis ejus ad pectus nostrum sagittas emissas, ut eum qui noster fieri cupit habeamus velut alienum. fl. 1. n. 12. p. 7. cum econtrariò Dominus etiam ingratos dilexerit, sicut verè *suos qui erant in mundo.*

PRO DEPOSITIONE CHRISTI
Salvatoris è cruce.

THEMA.

Christus rex Israël descendat nunc de cruce, ut videamus & credamus.
Marc. 15.

ARGUMENTUM.

Christus fons bonorum omnium descendit, ut ascendat ejus largitas; prout moris est aquis.

BLasphema verba quit immutare pietas in orationis argumentum. *Ignoto Deo*, erat inscriptum apud Athenienses altari sacrilego: quæ verba suscipiens Paulus in sermonis thema, prædicavit ipsis veri Dei cultum. Sic nobis accidit usurpantibus injuriosa verba Judæorum pro sacrâ dicendi provinciâ.

Judæi rogaverant Pilatum quòd Christi Jesu, necnon latronum, cadavera tollerentur è crucibus. Ergo cur non permittit providentia Dei quod ita fiat. Voluit ut ab amicis depositio sacro-sancti corporis Filij Dei perficeretur. Quare? Vt deponentes acceptarent donum istud (scilicet ipsum Dominum) quod nollent, si non forent amicitiâ conjuncti: & sic maneret donatio valore vacua, si per inimicos rejicientes illam detraheretur à ligno. Hoc Deus nollet, quia gaudet fieri novo titulo noster. fl. 3. n. ult p. 127.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 1.

Chrysost. to. 2. hom. 69. in Joan.

S. Aug. to. 9. tract. 55. in in Joan.

p. 127. Hinc patet quòd cum nos tantum beneficium rejicimus, offerentis liberalitas exaltatur amantissima; quia conferre donum quod sit rejiciendum, eximium amoris
2. opus est, fl. 32. n. 12. Dilectionem reddentes amanti concupiamus quod offert dicamusque: *Christus rex* &c.

Si ab amicis cur non ab angelis deponitur, qui Lazarum portaverunt in sinum Abrahæ? Quia hi non mererentur in hac functione; homines verò maximè; Deus autem adeò liberalis remunerator est, ut gaudeat potius obsequio solvendo à se, quam
3 gratis accepto, fl. 2. n. 31. p. 81. Igitur non tantum expectamus dominici descensum corporis *ut videamus:* sed ut per affectus pios promereamur, ascendente per descensionem, ut exuberet ad nos, auxiliorum fonte.

Sed quare non Apostolis committitur hæc funebris actio; sed ea contingit sors duobus discipulis occultis per inspirationem cælestem qua moniti sunt ut hoc perageret? Quia tempore passionis Apostoli fugientes læserunt patientiam Divini Præceptoris: quæ timore nimio solet offendi,
4 fl. 30. n. 25. p. 628

Oppones: Et isti duo meticulosi priùs fuerant: nam de Nicodemo legimus quòd venit ad Jesum nocte: de Joseph refertur expressè quòd erat occultus discipulus propter metum Judæorum. Non electi sunt ad munus prædictum Apostoli: quia prius jactabant non se scandalizandos in passione Christi Domini. Non sic audebant Nicodemus & Joseph. Displicet Altissimo nimia fiducia: per timorem attemperetur,
5. fl. 28. n. 43. p. 593. Igitur metuentes fiducialiter pugnemus contra hostes animæ: quia sic deponitur Deus è cruce; prout econtrario, conformiter ad Pauli doctrinam, rur-
Hæb. 6. 6. sum crucifigitur à peccatoribus: *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Postulemus ergo quod ut in nobis ascendat gratia vivificans, ejus fons *Christus rex Israël descendat*, &c.

Et cur non duo amici monentur cælitus ut citiùs veniant; sed *cum jam serò esset factum*, accesserunt? Ad hoc ut expendas clementissimum Jesum brachiis expansis patienter expectantem quòd velint homines eum in sinum suum recipere: sic enim flec-
6. têris ad compunctionem, fl. 27. n. 44. p. 574. Arbitrio nostro relinquit Dominus, ut cum placuerit, quasi dicamus: *descendat nunc.*

Providentia Dei permisit ut Arimathæus peteret à Pilato sanctissimum corpus, quod ipse donare non poterat? non erant ergo securi qui sacrosanctum cadaver deposuerunt: quia tutus non est qui rem accepit à non habente facultatem donandi. Meditare quàm sit congrua in spirituali possessione Dei cautela: non te securum putes. Quiescit ille qui Deum affective non possidet;
7. aliter vigilaret, fl. 16. n. 21. p. 325. *Descendat* & ingrediatur Dominus cor nostrum, non ut somno tradamus oculos; sed ut aperiamus lumina vigiles: *ut videamus.*

Ascenderunt scalis admotis unus & alter amator Domini Redemptorem ex ligno detracturi. Dispositi supernus monitor ut permaneret exaltata Crux in cunctorum oculis, & non evelleretur simul cum corpore, ne res tanta citò laberetur ex memoria. Beneficij facile, sicut injuriæ nunquam obliviscimur, fl. 13. n. 5. p. 276. Cœlestia dona 8.
sic descendant, ut iterum (stylo aquarum) altiora petant, & in conspectu nostro maneant: & cadentes lapidem pectoris nostri cavent. S. Thom. à Villano. *Emollire emollire ô pectus humanum videns quia & lapides ipsi ad tantum beneficium comminuti sunt, & quod cordis officium pro ipsis hominibus rupes faciunt. Esto nunc discipulus lapidum*, &c. Attamen ingratitudinis nostræ cognitio ne dejiciat animos pœnitentiæ veræ: nam cum Domino amantissimo nobis res est: & amans quandoque præfert ingratos amanti, fl. 13. 9.
n. 11. p. 279. Qui pro ingratis ascendit crucem, etiam pro non gratis *descendat nunc de cruce.*

S. Thom. à Villan. ser. 3. Domin. 17. post Pentec.

Ergo nos ut Filium Dei spiritualiter deponamus è cruce criminum nostrorum, præparemus necessaria pro munere isto: scili. sepulchrum, sindonem, unguenta, & scalam. Tumulus est anima pollens constan- Theophyl. in c. 15. Marc.
tiâ lapideâ. Theophylactus: *Accipiamus verò corpus Jesu per communionem, & collocemus in monumento excisо ex petra, ideſt in animæ memori, quæ Deum non obliviscatur.* Si beneficium sibi concessum anima cognoverit, memorabitur: nam Dei munera non recordari perinde quidem est ac ea
non intelligere, fl. 17. n. 44. p. 361 10.

Pro sindone meditationem piam afferamus, quæ reperietur in cordis arca: sique fortè cor nostrum à caducis raptum fuit, nùnc illud restaurabimus, cum Deum sollicitamus. Cor suum invenit qui Dominum
quærit, fl. 14. n. 31. p. 302. Lachrymarum 11.
non deerit unctio, semel quod sindonem opportunæ meditationis præparaverimus: nam dolor manans ab intellectu corda torquet, fl. 20. n. 25. p. 411 12.

Restat scala, quam ita componamus: ejus brachia duo sint fiducia, cautelaque. Primus gradus humilitas: 2. dolor de commissis: 3. Propositum non peccandi: 4. spes in Deo locata: 5. desiderium placendi benignissimo Domino: 6. fortitudo tenens incepta: 7. amor Dei.

Ad ceremonias, quibus (ut mos est aliquibus Ecclesiis) deponitur imago Domini de cruce ad gremium B. Virginis.

Simeon Metaphrastes ait: *Venit ad Joseph Virgo Maria, & ait: da ergo mihi hanc gratiam, & communi huic Magistro: audacter pete illius corpus ut deponatur & mandetur sepulturæ. Ex me non possum quidquam facere, ut vides, cum sim sola & hospita:* Nos viceversa postulemus à Virgine Matre beneplacitum ad istam depositionem perficiendam. Annuet, imo nos juvabit: nam & olim dixit ad S. Birgittam: *Cum aliis quippe deposui Filium meum de cruce.* Revel. S. Birg. l. 6. c. 57.

Sime. Metaphras.

Scalam admoveamus cruci; non tamen soli:

soli : sed ita ut simul illam propriis manibus ideſt operibus, conemur ſuſtinere.

AD CRUCIS TITULUM.

Non tumulo ſed ligno proprium nomen permiſit apponi : quia non id ubi requiem habiturus erat ; ſed inſtrumentum pro nobis patiendi ſummè dilexit ut ſibi proprium. O Domina, tibi potiſſimè defertur honor Filij tui, quem opere, linguaque petiit livor, imo quiſque noſtrum peccando contempſit. Tranſcribamus illa quatuor verba tabulis cordis : & ſi dæmon delere ſollicitaverit, reſpondeamus : quod ſcripſi, ſcripſi.

AD CORONAM.

Spinas, quas terra germinat, & quæ viatores impediunt, ne tendentibus ab fontem ſint ulterius impedimentò, collectas habuit in vertice. O roſa Jericho Maria : ente non cuſtodiunt ; ſed tranſadigunt ſpinæ. Non coronemus nos roſis quæ deſinunt in acculeos ; potius nobis in lauream ſentes aſſumamus qui germinabunt flores immarceſſicibiles.

AD BRACHIVM DEXTRVM.

Principum ſane munus eſt collapſos erigere. Nos Domine leva jacentes. In amicitiæ reſtauratæ fœdus manum tuam Domine poſtulamus. O quam triſte perſonat ecchо ! Vtinam ictus mallei noſtra pervadat corda qui malleum conſcientiæ ſurdâ præterimus aure. Doloroſa Mater : en clavos, aut miſericordiæ clavis. Tu quæ miſerationum diſpenſatrix, accipe, ut aperias Theſaurum : ſed heu apertum eſt quinque vulnerum januis, ideo clave non eges. Sume ferrum iſtud, ô contemplator, ut pugnes contra ſpiritualia nequitiæ.

AD BRACHIVM SINISTRVM.

Nollem, ô Judex, & Pater, à te flagitare lævam : ſed ſi deſcendens ita cor tetigerit amore flagrans, mihi vertetur in dexteram. Ex hoc fiduciam erigo quod etiam vulneratam pro me cerno ſiniſtram. Ecce clavis alia (Genitrix afflictiſſima) qua ſunt apertæ fores amantiſſimi cordis : fac precibus tuis ut numquam ad ſiniſtram poſiti audiamus clauſam eſſe januam. Accipe, ô Chriſtiadum tenera devotio ferrum illud ſacrum, & confer cum ingratitudine tua, quæ durior multò : quia ferrum iſtud, & non illud, pertranſiit animam ejus.

AD TERTIVM CLAVUM, & SACRI demiſſionem cadaveris.

Expeditis Domine jam te manibus aſpicio : ſed adhuc ferreo nexu præpediris, hoc eſt duritiæ meæ, ne me ſanaturus accedat. Doloribus transfixa Domina : tibi tertius offertur clavus, ut etiam ex hoc ſanguinem tuum colligas, quò tantam ex parte jacturam reſarcias. Rotam inconſtantiæ noſtræ hoc appoſito clavo teneamus ne circumambulet : Dominum jamjam advenientem cordibus excipiamus dicentes : nequaquam, ſicut Centurio me non dignum profitebor ut meum ſub tectum introducaris : quia non de noſtra dignitate, ſed, potiùs de tua clementia metiris miſericordiam.

O Dei mater : quàm funeſta conſolatio tibi nunc offertur ! Tu dixiſti : *quaſi conſolata ſum quod corpus ejus jam de cruce depoſitum contingere potui, & in ſinum recipere, vulnera explorare, & extergere ſanguinem : deinde os ejus digiti mei clauſerunt, & oculos pariter compoſui.* Cui non ad tanti doloris funebre ſpectaculum ſtupent artus, vox faucibus hæret ? Revelat. S. Brigit. l. 4. c. 70.

PRO SOLITVDINE VIRGINIS Deiparæ.

THEMA.

Quæſivi & non inveni illum vocavi & non reſpondit mihi. Cant. 5.

ARGUMENTUM.

Remediis invaleſcebat Virginis Matris deſolatæ dolor.

S. Bernardus : *Sepulto itaque Domino, mater ejus ſepulchrum amplectitur, & voce qua poterat ſuum benedicebat filium jam ſepultum, ingemiſcenſque vocabat. O ſingularis Virgo & Mater, jam dicere poteras : Anima mea liquefacta eſt ut dilectus locutus eſt in cruce quando dixit : Mulier ecce filius tuus. Nunc dicere potes : Quæſivi & non inveni illum vocavi & non reſpondit mihi, ſcilicet ad ſepulchrum.*

Remedium 1. Fides de brevî futura Domini reſurrectione. Sed nulla mora brevis amanti, dum conſpectus amanti differtur : dies computat velut annos. fl. 1. n. 123. p. 59. 1.

Quò minus temporis diſtat ut intueatur dilectum, eò plùs angitur. Duo diſcipuli pergentes in Emaus, cum dixerunt : *& nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie*, tacitè nobis inſinuarunt ſe meminiſſe quod promiſerat Filius Dei ſe reſurrecturum tertia die. Liranus ibi. *quia prædixit ſe reſurgere, & tamen adhuc non apparuit diſcipulis, licet tertia dies ſit prope finem.* Arguere poſſumus adverſus hos diſcipulos. Quòd tertia ſit jam dies, probat non multum poſſe differri luminibus ipſorum quòd Magiſtrum videant. Quid ergo cauſantur ex eo quòd jam tertia die numeretur ? Imo dolebant magis anxij, cum inſtabat hora concupitæ ſortis : hoc ſuper cuncta mæſtos efficiebat : quia fœlicitatis adventantis vicinitas tormentum dilectoribus eſt. Ideo ſpe abjecta non quærebant Præceptorem, quia dolor judicium turbaverat : non ita B. Virgo, quæ ait, *Quæſivi* &c. 2. Luc. 24. 21. Lira. ibi.

Remedium 2. Lachrymæ, de quibus vide S. Ambroſium relatum in SS. P. P. indice, verbo Lachrymæ. Sed medicamen iſtud

plus

3. plus angit. fl. 1. n. 116. p. 56. Adde quod fletus non utcumque torquet, sed ipsa cordis amantis desideria stumulat sitientia. fl. 1.
4. n. 128. p. 61. Vocalibus lachrymis dolorosa Parens genitum vocat: sed frustra incendium respergit aqua.

Remedium 3. Spes firma de videndo gnato. Desiderium absentis à dilecto cruciat amplius eum cui spes adest restaurandi con-
5. spectum illius. fl. 1. n. 124. p. 59. Majus est
6. hoc tormentum desperatione. fl. 1. n. 125. p. 60. Non desperat piissima Genitrix, ut sævius afflictetur: sed quærit vocans: *Quæsivi.... vocavi.*

Remedium 4. Spontaneæ patientiæ robur. Quin econtrario, quò magis ultroneè
7. patitur Deipara, plus dolet. fl. 1. n. 127. ibid. Sciebat mortem Unigeniti radicem futuram, de qua progerminaretur Domino gloria summa. S. Antoninus: *Mater ejus*
S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 41. *cum stabat juxta crucem, secundùm rationem assentiebat quod filius pateretur, & quieta erat; secundùm sensualitatem summè dolebat* &c. Cogebat eam dilectio in hoc
8. ipso complacere. Dirum vulnus! fl. 1. n. 111. p. 54. Non frustra *non respondit* ei Dilectus: noverat ipsa quippe quantùm pro divina gloria conduceret interitus quem lamentabatur: & quid responderet non ignoranti?

Remedium 5. Ipse dilectus. Quærit illum Parens mæstissima: sed ait: *non inveni*: quia non ubi erat inquisivit illum; juxta se requirebat, ubi non aderat. Absens perquirere solet cominus amatum, vix credens
9. non adesse, ductum sequens desiderij. fl. 1. n. 129. p. 61. Onerosa consolatio quidem hæc erat Virgini sacræ: quia præ cæteris doloribus recusat amans eum qui ex meditatione dilecti promanat, quandiu non ip-
10. se meliorem ad sortem fœlix emergit. fl. 1. n. 130. p. 62.

11. Ergo credat Virginis amor, congruum non esse quod amantissimis desideriis me-
Ps. 136. 2. dicinam quærat. *In salicibus in medio ejus*
Beallarm. in ps. ibi. *suspendimus organa nostra.* Bellarminus ibi: *Captivi Hebræi organa lætitiæ, citharas videlicet, ut est in Hebræo, suspendebant in salicibus in medio Babylonis: id est palam & publice Babyloniis videntibus abjiciebant à se instrumenta lætitiæ, ut ostenderent sibi fletum magis cordi esse quam cantum.* Quæro tamē utquid ergo detulere secū organa gaudij? Nesciebant priùs qualiter pectus pervaderet absentia: putaverunt per instrumenta musica sumpturos extra patriam levamen. Experientia docuit nullo minorari levamento malum istud: ideo dimiserunt ea. Concludamus eximiè dolenti non aliud scutum
12. restare quo excipiat ictus, nisi hoc ipsum quod patitur. fl. 30. n. 11. p. 622. Videri possunt alia. fl. 1. delibat. 18. & 19.

AD SACRÆ SINDONIS adorationem.

Ut oculis cor Mariæ sanctissimæ conspiciatis, proponam Domini patientis imaginem: nam *clarissimum passionis Christi*
S. Laur. Just. l. d. triumph. C. agone. c. 21. *speculum effectum erat cor Virginis, necnon & perfecta mortis imago. In illo agnoscebantur sputa, convitia, verbera, & Redemptoris vulnera.* Sic D. Laurent. Justin.

En pedes quos fixit amor, ne culparum nostrarum fœditas, & segnities in aperiendo januam, cogeret ipsum à nobis divertere.

Super genua provolutus voluntati humanæ propriæ valedixit, exemplar objiciens, ne sectareris tuam.

Manus læva, quæ Justitiam; dextra quæ misericordiam denotant, junctæ sunt pariter, ut scias non posteriorem sine priori meditandam.

Apertum latus offertur tibi pectore toto. Angustum est ostium per quod non intrabit camelus nisi deponat sarcinam.

Ecce lassos humeros, quibus ovis perdita bajulatur: non enim amanti satis condonare nisi lædentem plurimi facere professus fuerit.

Respice in faciem, quæ radios diffundebat cum transfiguratus est; nunc verò quia transfigurata vix à te dignoscitur. Jam non ut antea dicetur: *non poteris videre faciem meam*; sed nisi hanc viderit oculis fidei, nemo vivet. Hic verus amans: quamvis tot loquens oribus quot vulneribus offerat misericordiam deposcentibus &c.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

THEMA.

Surrexit, non est hîc. Ecce locus ubi posuerunt eum. Marc. 16.

ARGUMENTUM ex verbis D. Laurentij Justin.

Exultemus, inquam, quia resurrexit ipse: lætemur autem, quoniam resurgemus & nos. S. Laur. Just. serm. d. Resur.

Lætitiam de triumpho Salvatoris offerimus ei: simulque manet in corde nostro gaudium idem. Deus ut exactissimè par pari referat oblationem hominis aliquando
1. præmij loco donat ipsi. fl. 4. n. 7. p. 132. Et non ideo se oblatione sibi facta privat: nam quod homini fruendum concedit hoc sibi-
2. metipsi reputat vendicare. fl. 7. n. 8. p. 194. Prædictum gaudium excellit plurima: quò namque præcessit acerbior de passione Domini dolor, eò major est subsequens lætitia. fl. 1. n. 100. p. 48. Ideo ab Angelo mu-
3. lieribus ostenditur locus ille quo depositum dolorosè fuit sanctissimum cadaver. *Ecce locus* &c.

Gaudeamus etiam de spe resurrectionis nostræ roborata. S. Thom. à Villano. *Radix nostra jam vivit, non dubium quin quandoque vivificabuntur & rami. Gloriosa jam*
S. Thom. à Villano. ser. in die Paschæ. *vitis comparuit, pro certo vivificabuntur & palmites.* Et infra: *In vita namque radicis certa est spes vitæ ramusculis. Surrexit Christus radix nostra, proculdubio surgemus & nos.* Non sibi soli Deus cupit gloriam triumphalem istam: & meritò quia minuitur gloria Si careat sociis. fl. 21. n. 19. p. 438. Ne
4. vel

vel in parvo diminueretur gloria Redemptoris, angelos habuit ſodales gaudij: qui communicare geſtiebant piis fœminis eandem exultationem, dicentes: *Surrexit, non eſt hic:* ut ſic in multa pectora diffunderetur & creſceret. Attamen præfata ſpes non radices figat in terra ubi condetur mortale corpus noſtrum reſurrecturum. fl. 29. n. 28. p. 608. S. Bernardus: *Vos ergo chariſſimi, ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite.* Tandem advertendum, non in ſolo amore Dei fulciendam ſpem hujuſmodi, nec in ejus gratitudine ſola; ſed in utroque. fl. 29.n.29.p.609

5. S. Bern. ſer. 1.d. Reſur.

6.

FERIA II. POST PASCHA.

THEMA.

Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem &c.
Luc. 24.

ARGVMENTVM.

Peregrinus in terra propria.

Filius Dei, quamvis adhuc in terris poſitus earum Dominus eſſet, ibi peregrinus factus eſt: quatenus in forma ſervi deſcendit à ſinu Patris, & viam carpere cœpit exiens à Regia ſua, non mutato loco, nec amiſſa majeſtate; ſed humili habitu, more peregrinantium, diſſumulata veniebat amore trahere corda: potentiam idcirco tegebat, ne diceretur hominem terruiſſe. fl.28.n.19. p. 582. Quia prout Chryſologus ait: *timor niſi amore fuerit temperatus, quamvis devotam ſervitutem efficit contumacem. Videns ergo Deus mundum labefactari timore, agit ut eum amore revocet* &c. Ad verba thematis Haymon. *Sive certe in peregrini ſpecie apparuit, ut eorum mentes ad miſericordiam provocaret, & eum quem Deum nondum cognoſcebant, ſaltem ut peregrinum amarent.*

1. Chryſol. ſer. 147. Epiſcop. Haymon in expoſit hujus Evang.

Exivit, inquam, Dominus à gloria ſua, non quaſi dimitteret eam: ſed quia cum non adhuc illam cunctis offerret, veluti non poſſidere putabat ipſam. fl. 23. n. 23. p.483. Domus ejus Empyreum; ab eo peregrinus advenit, quaſi domicilio carens quandiu non ad illud admittebat homines.

2.

Peregrinus itaque noſter in via poſitus vidit ibi multos, qui conſtituerant habitationem in ſemita. S. Bernardus. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt: ſe ipſos diligunt, de exilio fecerunt patriam, operibus diffitentur ſe peregrinos ſuper terram & hoſpites. Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem.* S.Bern.hom. de duobus diſcip.

Vocavit Peregrinus iſtos ut ſibi ſocij jungerentur. At ipſi tepidè reſpondent procraſtinantes iter. In ſpiritualibus moramur immeritò. fl. 27.n. 35. p. 570. Qui non ſtatim reſipiſcit, fortaſſe pœnitebit in die judicij. fl. 5. n. 32. p. 166. Ideo dici poteſt *ſolus peregrinus* noſter, dum vocati renuunt accedere viæ comites.

3.

4.

Tandem adveniunt nonnulli: ſed quaſi dimidiatim ſequentes animo Dominum. Qui bona tempororalia non ex integro dimittit non ſequitur Chriſtum. fl. 23. n. 42.p.493.

5.

De iſtis dici poteſt quod Auguſtinus de duobus euntibus in Emaus. *Magiſter ambulabat cum illis in via, & nondum illi ambulabant in via.* S.Aug. to. 10. ſer.140. d. temp.

Alios qui verè deliberarunt cum Domino iter aggredi, ſecum aſſumit ſocios Filius Dei, quaſi factus hominibus laborum comes. In re virtutis non humerum ſuppones oneri ſuavi, quin Deus alterum eidem ponderi ſubjungat. fl. 30.n. 40. p. 635.

6.

Baculum Dominus tradidit iiſdem: ſcilicet ſpem, quippe quæ laboris arduitatem diminuit. fl. 6. n.12.p.179.

7.

Alios habent obvios itinerantes per eandem viam, qui non ſodalem noſtrum vendicant Peregrinum. Iſti cum Deum non invenerint, non quærunt. Deum bene quærit qui jam invenit. fl. 27. n.34. p. 568. Sectemur oportet illius veſtigia, de quo S. Thom. à Villano. *Docet eam feſtinare in cœlum, peregrinum ſe oſtendit in mundo, faciens etiam animam peregrinam.*

8. S. Thom. à Villano. ſer. hujus Dici.

Viribus nonnumqmam deficiunt viatores: quibus dux noſter monet ut non deſiſtant, quia per ipſos greſſus promovebuntur vota proficiendi. Bonorum ſpiritualium experientia ſtimulat deſideria. fl. 25.n. 39. p. 532. Et condonandum eſt plerumque tædium laboris, cum per deſertum via protendatur iſta: hoceſt per mundum, qui ſolitudinis emblemate denotatur, etiam pro commorantibus in frequentia plurima: eò quòd peccantium turba vix unus homo ſit. fl. 6.n.21. p. 184. Viæ ſumptus liberaliſſimè ſuppeditat Princeps peregrinus comitibus: nec ſinit ut ab alio poſtulent ſubſidia: Auxilia mundi Deus vult à nobis omitti. fl.23. n.13.p.478.

9.

10.

12.

Fœlices, qui ſequentes peregrinum iſtum perſeveraverint conſtanter. Non enim beatior fortitudo, quæ nobiliorem attigit gradum: ſed quæ ſolidiorem, ac diuturniorem conſtantiam nacta fuit D.Petrus diſcipulos monebat inquiens: *tamquam lapides vivi ſuperædificamini.* Nonne juxta eundem, fideles cum leone bella gerunt? *adverſarius veſter diabolus tamqnam leo rugiens* &c. Cur ergo non alumnos hortatur ut veluti leones ignem ſpirantes obarmentur adverſus tartareum? Quia melius expreſſit conſtantiam; quam in eis cupiebat, per ænigma lapidis: quia leones animantia tandem ſunt, quæ cum reſpirent flatu vivunt; & flatu pereunt. Nobiliori quidem gradu conſtituti ſunt quam lapis; at verò ſaxum ſolidius eſt atque diuturnius. Conſtantia non illa fœlicior, quæ celſiorem pertingit apicem; fortunatior, extat quæ magis diutina, ut finem gloriæ videat in quem tendimus &c. 1. Per. 2. 5. Ibi c. 5.8.

IN DIE ASCENSIONIS.

THEMA.

Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, &c. Marc. 16.

ARGUMENTUM.

Triumphus victoris invicti.

PRæcedit Archangelus Gabriel : quia sicut fuit totius dispensationis prodromus ad Virginem : sic nunc in ovatione Principis gloriæ, munus agit antesignani. Vexillum defert, in quo visitur aquila pullis desuper alas assumptis volans, hoc suppo-
Deutero. 32. 11. sito lemmate : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* Brachio sinistro defert insertum scutum : cui cælatorio fuit insculp-
Luc. 1. 32. ptum opere quod ipse dixit : *Dabit illi Dominus Deus sedem :* innuens quod per Incarnationem, quâ semetipsum exinanivit, ascendit ad solium. Per descensum crescere
1. quid illustrius est, fl. 26. n. 36. p. 548. S. Lau-
S. Laur. Justin. ser. d. Ascens. rentius Justin. *quamobrem si recto cupis ad cœlum scandere ordine, humilitatis jace fundamentum*, &c.

Deinde post militarem tesseram gradiebatur personarum sequentium series.

1. Moyses repetens quod olim dixerat : *Surge Domine & dissipentur inimici tui.* Jam pridem hostes profligaverat ; sed nón statim ascendit, quia doctrinam discipulis instillare voluit priùs : plus Dominus de mortalium illuminatione satagebat, quàm
2. thronum conscendere suum, fl. 22. n. 11. p. 454. Tantus inerat amor Adamidum Filio Dei. Et signum istius est quòd ab eis ut Tertulianus legit *ereptus est* : seu prout D. Marcus ait : *assumptus* ; quamvis ascenderit virtute propria.

2. Elias in memoriam adducens respon-
4. Regum 2. 10. sum adhibitum discipulo : *Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti*, &c. Oculos elevemus in ascendentem Dominum, & expetamus in desideriorum præmium spiritum duplicem, quo pergamus post vestigia triumphatoris : & accipiemus : nam Deus remunerationem tribuit per quã virtus
3. augeatur, non verò mortua quiescat, fl. 1. n. 3. p. 2. Domini est sedere : *sedet à dextris*, nostrum proficisci. *Illi autem profecti*, &c.

Ut mos quondam fuit picta facinora triumphantis in pompa deferri, ducebatur hic imago fontis, ænigma liberalitatis Christi Domini, quam exercuit in mortali vita (quæ decursui lymphæ similis est, juxta
2. Reg. 14. 14. illud : *quasi aqua dilabimur.*) Picturam hinc & illinc illustrabant sacri textus oracula : *Pertransiit benefaciendo.* Act. 10. 38. *Si quis sitit, veniat ad me*, Joan. 7. 37.

Magistri vestigia premit Eliseus personam desiderij nostri gerens his verbis expressi : *non derelinquam te.* Hoc ipsum, cum
4. Reg. 2. 2. Dominus ascendit super sydera proferimus omnes ; nec opere dictum adimplemus. Ea tamen est Dei remunerantis largitas ut præmio libens afficiat quod tu cupis, nec implere satagis, fl. 9. n. 18. p. 229. Sic ostendit
4. quod omnium Dominus bonorum non eget nostrorum : *Dominus quidem Jesus.*

3. David manu gestans Philistæi caput, hac exornatus epigraphe : *David decem*
1. Reg. 18. 7. *millia.* Sed victoria hæc levis umbra fuit, si cum Servatoris nostri prælio conferatur : nam Davidica sors profuit Israëli tantùm : Assertoris autem robur, hoste proculcato gehennali, totum fœlicitavit orbem. Fœlicitas quæ pluribus utilis, ea lucet amplius, fl. 22. n. 7. p. 452. Ideo locum Salvator ob-
5. tinuit *à dextris Dei* : quò sollicitans ut advocatus causas hominum, exaltatione sua sit cunctis proficuus.

Solita sunt deferri spolia coram ovante duce vecta plaustris exornatissimis. Hîc videre licet arcuum & sagittarum congeriem, quibus pugnat amor profanus : avaritiæ claves, ferratas capsas, aureos compedes : idola plurima, quorum pars major vitrea ; nonnulla verò forinsecus argentea ; sed intrinsecus lutea.

His & similibus onustos currus minabat
Gen. 32. 10. Jacob iterum dicens : *In baculo meo transivi Jordanem istum : & nunc cum duabus turmis regredior.* Sed ô quantum præcellit veritas figuram : Jacobo quippe sors nascentium gregum dedit plurima ; Redemptori summi labores conciliavere glorioſum nomen. Fœlicitas illa major quæ meritis
6. parta, fl. 31. n. 19. p. 643. *Dominus quidem Iesus.* Cum de Ascensione glorioſissima S. Lucas agit, non magistrum appellat nomine Dei, sed vocabulo Jesus, quod glorioſius est : fuit namque meritis partum,
Ad Philip. 2. 8. 9. ut colligitur ex Paulo : *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod Deus.... donavit illi nomen*, &c.

Pictura secunda refert Domini passionem. Hic exprimitur agricola toto corpore vulneratus rigans arbores proprio sanguine. Pictori faveat, ne vocetur audax, D. Vin-
S. Vincent. Ferrar. ser. 7. Dom. Septuag. cent. Ferrar. *in optimo horto Ecclesiæ plantantur homines velut arbores in baptismo, quas Christus rigat sanguine proprio.* Rubea de torculari tormentorum facta vestis rapit in admirationem cælicolas, quorum stuporem nostro more vates Evangelicus proponit : *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ?* Exponit S. Hierony-
Isai. 63. 1. S. Hieron. to. 5. l. 17. in Isai. ibi. mus loquens de Ascensionis die : *Interrogant igitur angeli rei novitate perterriti.* Non veritus est cruentus ascendere sic ut fere vix agnosceretur à suis ? Nostro consuluit periculo, quamvis ex hoc aliquantulum
7. periclitari videretur ejus honos, fl. 20. n. 45. p. 421. Congruum judicavit Evangelista Domini vocabulo nunc uti : *Dominus quidem Iesus :* quia stigmatibus præ se ferebat servi formam.

3. Samson portans urbis inimicæ fores :
Judic 16. 3. quibus insculptum erat : *portavit ad verticem montis.* Hic heros ista fœlicitate solus potitus est ; Filius Dei beatior, qui fideles

(quos

(quos vocare possumus membra sua) transportans ad cælestis Curiæ gaudia, non sine
8. comite fortunatus. fl.22.n.8. p.453. S. Au-
S. Aug. to. 10.ser. 174. d.tempo. gustinus: *cum ascendit in cœlum nos ab illo non separamur.* Scribit S. Lucas: *assumptus est in cœium.* Non dixit assumptus est à discipulis, quia corda secum deferebat ipsorum spiritualiter ascendentia.

Cant.8.n.14 4. Sponsa Canticorum dicens, *fuge dilecte mi.* Nec enim distantiam Ecclesia timet
S. Leo. Pa. ser. 1. Ascensi. Redemptoris, de quo S.Leo: *nec à Patre descendendo abfuerat, nec à discipulis ascendendo discesserat. Tunc igitur dilectissimi, Filius hominis Dei Filius, excellentius sacratiusque innotuit, cum in paternæ majestatis gloriam se recepit, & ineffabili modo cœpit esse Divinitate præsentior qui factus est humanitate longinquior.* Ineffabilis hæc præsentia patet in summa celeritate qua solet afflictos
9. exaudire. fl.20.n.35. p.415. *Postquam locutus est eis*, ait D. Marcus: non tamen legimus Apostolos hac benignitate Redemptoris in spem erectos aliquid ab eo tunc petiisse: forte quia noverant Magistrum post absentiam celerrime petitiones eorum exauditurum.

Postremo rhedam victoris præcedebant vincti captivi, scilicet mundus, peccatum, atque diabolus. Mundus ligatus præibat catenis aureis: nam illæ quibus Deus illigavit eum, dona sunt: ac licet non totus orbis Domino colla subdiderit satis gloriæ fuit ei quòd universo benefecerit: nam Deus
10. pluris facit beneficum haberi, quam ut unicum Deum coli. fl. 29. n. 8.p.599.

Sequebatur dæmon speciem lugentis exS. Epiphan. orat. d. Ascens. hibens: nam *hodie diabolus corpus nostrum in cælum sublevatum cernens, calamitatem suam deplorat.* Sic D. Epiphan. de hac die locutus. Insignem de Satana Dominus hac luce palmam reportavit; sed non minorem assequitur, dum ipsum calcat aspidem pugnans in suis. Deo glorioſissimum est superare diabolum in nobis. fl.31.n.11.p.640
11.

Peccatum func de spinis texto compeditis manibus, ligatum ac dimissum, apparatui tanto non parum conferebat: quia Dei
12. peculiaris gloria condonare crimina. fl. 27. n.17. p.561.

Post victos, currus Incarnati Dei nivea puniceaque nube vestitus, quatuor volveS.Ambr.l.d. Joseph. lap. 7. batur velocibus rotis. *Currus quoque significat fastigium sublime meritorum.* Hæc D.Ambrosius loquens de curru Joseph, ac de meritis Christi Domini. Rotas de quatuor elementis assumpsit: primam laboris mundani, de terrea servitute: secundam fortunæ, de aëre: tertiam inconstantiæ de flamma: quartam temporis de fluentibus aquis. Hoc regale vehiculum duo trahebant equi feroces, odium & livor, quos auriga prudentia mirè domabat. Axem triumphalem stipabant angelorum catervæ proclamantes:
Apocal. 4. 11. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam.*

IN FESTO PENTECOSTES.

THEMA.

Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Ioan.14.

ARGVMENTVM.

Volatus columbæ.

QUamvis opera Trinitatis ad extra sint communia, tamen alia Spiritui sancto, alia Verbo divino, quædam Patri solent appropriari. Proinde locus datur inquirendi cuinam ex Personis divinis plus debeant mortales. Qui descendit in Jordane sicuti columba, volavit in signis affectus exhibendis ita quòd pro nostro loquendi modulo videatur in eis æternum Genitorem, Filiumque præcessisse.

Summus Parens nos ad imaginem suam creare dignatus est. Sed spiritui sancto plus obstricti sumus, per cujus gratiam restauratur alia similitudo destructa per culpam. Nam ad creationem nihil nos contulimus; ad renovationem vero spiritualem accedit meritum nostrum, per quod faventi Deo cooperamur. Ex merito & favore sors integra componitur. fl. 29. n. 42. p. 615. 1.
Gradus intellectivus non constituit imagines Dei. Hoc debemus æterno Patri? Quantò celsiùs nos intellectuales reddidit Spiritus sanctus, cùm inflammavit amore Sanctorum pectora. Aptiora sunt ad hoc ut altissima noscant amantia corda, quam ingenia peracuta. fl. 24. n. 38. p. 514. Ideo non ait 2.
Redemptor Apostolos docendos à Patre; sed: *Paraclitus.... docebit vos omnia.* S. S. Greg. M. Greg. Pa. *Et ipse Conditor non ad eruditio-* to. 2. hom. *nem hominis loquitur, si eidem homini per* 30. in Evang. *unctionem Spiritus non loquatur.*

Mundi machinam erexit Pater ut homini traderet: sed omnia in pondere, numero & mensura dispositit. Spiritus autem sanctus dona saa nobis offert ad libitum nostrum. Deus quatenus amator non donat in mensura. fl. 23.n. 49. p. 496. Liberalitas 3.
eximia fuit qua Pater orbem Adæ tradidit quem acceptavit ille. Sed multò liberalius animæ divinum Flamen impertitur auxilia, quæ sæpe respuuntur ab ea: nam eximium amoris opus est largiri quod scis rejiciendum ab eo cui offertur. fl. 32. n. 12. Ad- 4.
de quod bona temporalia Deus cum voluit, homini dedit, amicitiam verò suam divinus confert Spiritus mortalibus cum ipsi volunt auxilio cooperari. Hoc solus amor Dei præstare posse videtur: scilicet expectare velut ad januam, ut nòs aperiamus quando, & si libuerit. fl. 31.n.34 p.650. 5.
Docebit vos omnia. Habet se Spiritus sanctus ad instar magistri, qui non instruit discipulos nisi volentes, & patienter expectat disciplinæ fructum.

Excellens fuit beneficium æterni Patris

mittere in terras Unigenitum: sed ôquantis & quam diuturnis constitit precibus donum istud. Non rogaverunt Apostoli adventum Paracliti. Probat amorem Dei munus absque petitione largitum. S. Lucas narrans dimissionem peccatorum factam in domo Simonis Magdalenæ, de Redemptoris affectu circa illam nihil protulit. Joannes amorem prædictum nobis inculcat dum refert germani suscitationem. *Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.* Quare tam dispar stylus uterque; Quia vitam Lazaro restituit exoratus: unde dissimulasse visus est amorem erga Mariam: proinde congruum fuit ut ejus dilectionem tunc sacer Historiographus testaretur. Peccata verò dimisit ei non rogatus. Hoc donum, quia citra preces collatum propalabat amorem: non erat cur tunc temporis hic assereretur à D.Luca. Non Dominus dixit: petetis ab Spiritu sancto cùm venerit, ut vos doceat; nihil de rogatu monens dixit: *ille vos docebit omnia.*

Ioan. 11.5.

Verbum divinum etiam Spiritui sancto cessit victoriam in benefaciendo terrenis. Verum est quòd Filius assumpsit naturam; sed impeccabilem reddidit. Spiritus autem sanctus unitur affectivè nobis, qui mox illum deserimus ingrati. Ingrato benefacere

7. glorioſius. fl. 12.n.10.p.264. Duo sunt ejus ingratitudinis partes. Prima rejicere beneficium, secunda rependere illud offensâ. Plus dolet liberalis quod beneficium nolueris

8. quàm quòd injuriam reddideris. fl. 12. n. 8. p.263. Corda præparat Magister discipulorum promissione sua, ut beneficium acceptent, dicens: *Paraclitus* &c.

Adde, quod licet Verbum, simul & Spiritus sanctus in mysterio incarnationis operati fuerint: attamen hoc interest inter utrumque scili. quod Verbum incarnatum congregavit meritorum copiam: Spiritus verò sanctus incapax est lucri meritorij. Benefacere sine lucro peculiarissimum Dei o-

9. pus est. fl. 18. n.15.p. 373. Ubi pro accommodatione textus Exodi, S. Ambrosium ac-

S. Ambros. cipe: *columna nubis est Spiritus sanctus.* Re-
to. 4.l. 1.d. demptor dixit: *ille vos docebit omnia.* Quare
Sacram.c.6. non ait: inflammabit voluntates vestras? Quia voluntas, cum sit libera, potest reddere beneficium quod accipit; intellectus nequaquam: & Spiritus sanctus ita sine desiderio proventus proprij benefacit, ut non hîc mentio fiat eorum quæ perfecturus erat in Apostolorum voluntate, quia hæc stat solvendo.

Humiliavit se quidem Verbum incarnatum pro nobis usque ad mortem. Spiritus sanctus contenderet, si fieri posset, de humilitate cum Filio Dei, cupiens humiliari plusquam ille. fl. 1. n. 48. p. 24.

10. Humano generi sanguine suo Redemptor emit gloriam; sed Spiritus divinus donis gratiæ nos movens, illuminans, & cooperans, dignos reddit eádem gloria quod equidem videtur quid majus: nam dignum fœlicitate reddi plùs est quàm sors ipsa. fl. 32.n.11.p.656.

11. Igitur qui grates non possumus æquas amori tanto persolvere; saltem ne Spiritui divino simus injurii per ingratam rebellionem. *Quanta ab ipso in creaturam beneficia? quæ ad sæcula succedentia potestas? Erat enim & antè erat, & simul aderat Patri & Filio ante sæcula.* Sic D. Basilius. Unde cum eodem aliorsum ibidem loquente dicam: *nolite igitur contristare Spiritum sanctum.* Amor est: & amor si pecutitur, id fert acerbè. fl. 1. n. 11. p. 7. Alia vide ser. sequenti à n. 7.

S.Basil. l. d. Spiritu S. c. 19.

12.

IN FESTO SANCTISSIMÆ Trinitatis.

THEMA.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti: Matth. 28.

ARGUMENTUM.

Vox de nube lucida.

NOn scrutatores majestatis audeamus investigare penetralia inaccessa. Potiùs aptemus voci, quæ de nebula sacra personat, auditum: & nubes vocalis nostram erudiet aurem: nam *difficultas loquendi cor nostrum ad intelligentiam trahit, & per infirmitatem nostram cælestis doctrina nos adjuvat: ut quia in Deitate Patris & Filij, & Spiritus sancti, nec singularitas est, nec diversitas cogitanda, vera unitas, & vera Trinitas possit quidem aliquatenus mente sentiri, sed non possit simul ore proferri.* Sic D. Leo Papa.

S. Leo Pap. ser. 2. d. Pentec.

Mysterii summa hæc est (aurem præbeamus nubi tonanti quantumvis arcanè:) Deus unus: trinus in personis: quarum prima generat secundam loquendo intellectualiter: prima & secunda producunt tertiam, diligendo; tertia verò, quamvis donum sit & amor, non producit aliam.

Si quæras quomodo Pater genuit Filium: terrebit te severa responsione D.Gregorius Nazian. *Respondeo*, inquit, *sic generatum esse, ut novit & qui genuit Pater, & qui genitus est Filius.* Nihilominus quia non prohibemur intelligere quod credimus, theologiam explanemus concionatoriè.

S. Gregor. Nazian. l.3. de theolog. circa med.

Procedit à Patre Verbum per operationem intellectus, quæ verè locutio est. Mirarer nisi Deus operaretur loquendo: loqui operando stylus Dei est. fl. 23. n. 32. 1.
p. 298. Viceversa homines, in quorum nonnullis opera sunt mera verba. fl. 20. 2.
n. 48. p. 422. Non sic Apostoli, quibus dicitur: docete quia ipsis ad operandum aderat ille qui dixit: *data est mihi* &c.

Hoc Verbo Parens Æternus non solum dicit multa, sed etiam seipsum. S. Augustinus. *Si enim hoc verbum quod nos proferimus tempora & transitorium, & seipsum ostendit & illud de quo loquimur: quanto magis.*

S.Aug.to.3. l.7.d.Trin. c. 3.

gis Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia quod ita oſtendit Patrem ſicuti eſt Pater. Eádem operatione Genitor ſemetipſum dicit, & ſummum donum Filio præbet. Deus
3 innoteſcit donando, fl. 7. n. 17. p. 199. In Baptiſmo Dominus præcepit ut nominaretur ab Apoſtolis Trinitas: *baptizantes*, &c. ibi nomen inſonat ſacroſanctum, palamque fit Pater ubi Deus filiationem ſuam innuit baptizatis.

Manifeſtatur, inquam, Deus Pater generatione Verbi, præſertim quia communicat
S. Cyrill. Jeroſol. Catech. 7. illi quantum valet. S. Cyrillus Jeroſol. *Pater perfectus perfectum genuit Filium: omnia tradidit genito:* Dei dona quippe non dimidiantur, fl. 7. n. 20. p. 200. *Data eſt mihi*
4 S. Thom. com. in Matth. c. 28. *omnis poteſtas*, &c. S. Thom. ibi: *Notandum ſecundùm Hilarium quod datio poteſt intelligi ſive quantum ad Divinitatem: quia Pater ab æterno ſuam eſſentiam communicavit Filio: & quia ſua eſſentia eſt ſua potentia: ideo ab æterno dedit ſuam potentiam. Vel*, &c.

Pater & Filius amando producunt Spiritum ſanctum; hic verò nihil eiſdem communicare poteſt. Is eſt amoris genius: operari ſic ut nihil elucretur, fl. 2. n. 9. p. 70. Sed
5. cur infœcunda tertia Perſona, cum ſit amor, qui ſolet bona ſua libentiſſimè diffundere? Inde conjice quantùm ardeat amor Dei ſeſe profundere in nos, & à myſterij abſtruſi nube vocem percipe. Spiritus ſanctus cum ſe non communicet ad intra, ſitque dilectio: prorumpit ut ſe totus ad extra donet: ac ita quòd verear an dicere poſſimus: Amor Dei non ſe poſſidere putat quod non adhuc omnibus offert, fl. 23. n. 33 p. 488. *Data eſt mihi*
6. S. Thom. proxi. ſup. *omnis poteſtas*, &c. Quærit ibi S. Thom. *quare magis dicit poſt reſurrectionem: data eſt mihi omnis poteſtas: quam ante reſurrectionem? Dicendum quod in Scriptura dicitur aliquid fieri, quando primò innoteſcit.* Et ſtatim: *tunc fuit maximè manifeſtata quando potuit totum mundum convertere.* De poteſtate ſua Dominus agit modò, quaſi nunc primùm illi data fuerit: nam per moltorum converſionem futurum erat ut quamplures homines potentiam operandi mirabilia reciperent (quia promiſerat credentes patraturos miracula) cumque poteſtas offertur, omnibus, tunc dicitur data Chriſto Domino. Meditare dilectionem Dei erga mortales, & audi vocem de nube.

Ex tribus Perſonis divinus tantum Spiritus dicitur donum Dei: quare quia dilectio eſt. Amoris dona ſola vere munera ſunt,
7. fl. 2. n. 11. p. 71. Sed quæres cur Trinitas non decrevit ut tertia Perſona redimeret nos? Ut Spiritus ſanctus dicere poſſet habere ſe quaſi neſciret neceſſitatem noſtram. De peccatis miſeriæ proveniebant, quibus & ipſe læſus eſt: cumque ſit amor, dilectoro-
8. rum crimina videtur ignorare, fl. 1. n. 21. p. 12. *Euntes ergo docete*; non ait: reprehendite, diſſimulat amor quippe delicta.

Replicabis: an non Spiritui ſancto attribuitur quòd auxilia diſtribuit pro quærendis remediis noxarum? Ergo ſe gerit ut offenſa-
9. rum non ignarus. Reſp. Eas utique novit; ſed agnoſcit velut neſciens, fl. 13. n. 21. p. 271

Adde ſecundam rationem cur à Patre & Filio non fuerit Spiritus ſanctus miſſus ad incarnandum. Tertia Perſona martyribus conceſſit victoriam: quatenus illi pro eo animas poſuere; Spiritus verò ſanctus non non eſt mortuus pro eis. Amoris eſt gloria
10. ſponte vinci à dilecto, fl. 36. n. 9. p. 621. Adjice tertiam rationem. Perſona quæ crucem ſubiret, in præmium acceptura fuerat judiciariam poteſtatem: & amori Divino (qui eſt Spiritus ſanctus) munus puniendi non congruebat. *Data eſt mihi.... in cœlo & in terra*, de inferno tacet qui locus punitionis eſt: quia dum valediceret Apoſtolis, loquebatur amor.

Tam reluctatur dilectio vindictæ, quod
11. ſupplicia divina videantur violenter deſcendere, fl. 31. n. 31. p. 648. Inſuper (ſi fas eſt dicere) habet ſe Divinus amor tamquam
12. ignorans quà veniat puniturus, fl. 31. n. 35. p. 650

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

THEMA.

Caro mea, verè eſt cibus, & ſanguis meus, vere eſt potus, Ioan. 6.

ARGUMENTUM.

Quod ſenſibus corporis negatur, ſenſus animæ ſpirituales paſcit abundè.

EUthymius commentatur verba prothematis ita: *Verus eſt cibus, ſive aptiſſimus, utpote animam quæ propriiſſima hominis pars eſt, nutriens: & ſimiliter de ſanguine.* Cibus corporeus uno tantùm percipitur ſenſu; ferculum Euchariſticum omnes quinque ſenſus animæ recipiunt: amor ſcilicet qui munus quinque ſenſuum agit in anima. S. Bernardus: *Eſt ergo animæ vita veritas: ſenſus charitas.* Et poſt pauca: *dilectionem quidem ſi diligenter adverias, variam, & fortaſſis ſecundùm quinque ſenſus corporis quinquepertitam poteris invenire:* Omitto diſtributionem affectuum quam ibi tradidit S. Doctor, & aliam ſubjicio ad rem noſtram.

Euthym. in expoſ. hujus Evang.

S. Bern. ſer. d. vita & 5. ſenſ. animæ

Animæ ſpiritualiter inſunt oculi, necnon & aures: utrumque ſolis convenit cordibus amantium Dominum. S. Gregorius Pap. *Oculi verò atque aures cordis ſolummodo ſpiritualium ſunt, qui inviſibilia per intellectum vident, & laudem Dei ſono audiunt.* Per viſum cordis accipiam nunc illam perſpicaciam, qua dicitur oculos amoris acutiùs intueri. Per aures verò quod Lauretus ait: *Aures cordis ſunt de quibus dicit Chriſtus Luc. 8. A. Qui habet aures audiendi, audiat: quæ aures ſunt promptitudo diſcendi & obediendi.* Per olfactum ſumemus anhelitum, quo velut naribus attrahitur aura vitalis cæleſtis reſpirationis. *Sunt enim nares ſpirituales, ut legimus quas habet ſponſa.* Sic ſcribit Ambroſ. Per guſtum delectatio-

D. Greg. M. to. 2. hom. 14. in Ezechiel.

Lauretus in allego. verb. Aures.

S. Ambr. to. 4. l. 2. d. Spirit. S. c. 9.

nem quæ capitur ex Eucharistiæ sacræ dulcedine, de qua S. Laurentius Justin : *Est autem caro Christi suavissimum manna de cælo hominibus prærogatum ad vitam, in quo omne delectamentum omnisque saporis satietas continetur.* Per tactum intellige possessionem, qua ruit in amplexus, vel ut melius dicam, ascendit complectens anima Dilectum. S. Basilius. *Est autem & tactus quispiam animæ, per quam ipsa sapientiam attingit, velut amplectens amatorem suum.* Quibus positis, expende quæ sequuntur.

S. Laur. Just. ser. d. S. Eucher.

S. Basil. hom. 41. in princi. Prov.

VISVS AMORIS.

Excellens Dei cognitio datur communicantibus. fl. 3. n. 40. p. 109. An æmulatur angelorum mentem qui dignè alitur cibo Eucharistico ? fl. 3. n. 37. p. 107. Sed quid mirum si nostrûm *verè est cibus*, qui & angelorum panis ? S. Laurentius Just. *Videsne quam sapientissima dignatione juxta singulorum qualitates & status, angelis, hominibusque se communicet Christus ? Uno cibo vescuntur omnes ; quamquam aliter, atque aliter.*

1.

2.

S. Laur. Just. proxime sup.

AURES OBEDIENTIÆ PROMPTÆ.

Non oscitantium est hæc mensa ; sed vigilum & constantium. fl. 3. n. 43. p. 110. Et constantiâ tali, quòd videatur impossibile deperdere unionem Eucharisticam, utpote quæ similis est consanguinitati primi gradus. fl. 3. n. 58. p. 119. Imo sic unitur homo per mysterium fidei, quòd pene dici possit : apparet unum quid esse cum Christo Domino qui dignè pascitur altaris pabulo. fl. 3. n. 63. p. 122. Chrysostomus : *per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus cum capite uniretur.* Dominus vellet ut impossibile foret à nobis dividi eum, qui *verè est cibus* : ut nec potest ab edentibus esca separari post esum.

3.

4.

5.

Chrysost. to. 3. hom. 45. in Ioan.

OLFACTUS ATTRAHIT AURAM Vitæ.

Anhelitum si vehementer hauriamus, inde fiet ut plus aëris desideret cor anxium. Sic Eucharistiæ sacræ sumptio auget homini desiderium fruendi Christo Domino. fl. 3. n. 55. p. 117. *Vere est cibus.... vere est potus.* Cur non Sacramentum offertur solo calice, cum sit rememoratio passionis Domini, quæ calix est ? Quia cibus auget appetitum potus. Ergo sit Eucharistia potus & cibus : ut experiaris eam prout cibum, promovere sitim sui tamquam potionis.

Ut respirationem sumamus, oportet quod in faucibus & ore non obstet impedimentum quo repleantur. Ita buccella Eucharistica non vitam alit ejus cujus in ore temporalia lucra fructum impediunt salutarem. fl. 3. n. 61. p. 121. Illa quidem non pascunt animam ; solus iste *verè est cibus* cordis.

6.

7.

GUSTUS DULCEDO SPIRITUALIS.

Nil restat expetendum fruenti suavitatibus divinæ mensæ. fl. 3. n. 52. p. 116. Unde beatitudo non aliud videtur quam gaudium sacrosanctæ communionis innovatum. fl. 3. n. 49. p. 114. Proinde, cum sub emblemate comestionis proponatur nobis gloria beatorum, ita de sacra Eucharistia dicitur : *Caro mea*, &c. Eâ demùm suavitate fruitur creatura per Eucharistiam, quòd vix non ægrè feret ab ea divelli tendens in cælum. fl. 3. n. 45. p. 111.

8.

9.

10.

TACTUS POSSESSIO DEI.

Soli beati Deum possident : an quasi beatitudinis particeps per divinas epulas homo est. fl. 3. n. 51. p. 115. Idcirco deliciæ Domini sunt esse cum filiis hominum in convivio ineffabili : quia Deus gaudet ut pateat se velle fieri novo titulo nostrum. fl. 3. n. 73. p. 127.

11.

12.

EODEM DIE VESPERI.

THEMA.

Sub umbra illius quem desideraveram, sedi : & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2.

ARGUMENTUM.

In solo quiescunt igne flammæ.

S. Bernadus ad verba præfixa Canticorum : *Sub umbra illius quem desideraveram sedi : umbra ejus caro ejus.* Et infra : *mihi quoque quomodò non obumbrat caro, qui in mysterio manduco eam ?*

S. Bern. ser. 48. in Cant.

Deus, qui textu sacro legitur ignis, verè centrum est, quò flammæ nostri cordis tendunt. Et sicut materialis fax tremulâ fertur inquietudine ; sed tunc penitus quiesceret si apprehenderet ignem cælestem, qui dicitur centrum ejus : ita pectoris incendia subsident in Eucharistico cælitus igne dato, de quo Damascenus : *Accedamus ei, desiderio ardenti. Manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia & frontem : divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis, desiderij assumens eo ex carbone ignitionem, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis igniamur, & deificemur.*

S. Joan. Damasc. l. 4. de fide c. 14.

Quatuor igniculos accendit in præcordiis justi lux illa, quæ venit in terras ignem immittere : nempe timorem, desiderium, spem, & affectum.

FLAMMA I. TIMOR.

Hæc tremere desinit perceptione sacræ Eucharistiæ : amissa quippe fiducia peccato, restauratur per Eucharisticum donum. fl. 3. n. 64. p. 122. Imò satis est ad hoc locum tetigisse, quo sacrosanctum mysterium conditum fuit. fl. 3. n. 65. p. 123. Et ratio hujus est quia perfecta charitas mittit foras

1.

2.

ras timorem, & præsertim si jam opere testata sit se veracem : Eucharistiam autem
3. sacram dignè sumens probat amorem suum. fl. 3. n. 66. ibid.

Vnde quamvis in umbra positum, non pavet, sed sub protectione divinâ requiescit cor : *sub umbra illius* &c. S. Thom. ibi. *sedi. Quia in ejus protectione confido : & ab eo inter adversa gubernari spero.*

S. Thom. commen. in Cant. c. 2. ibi.

FLAMMA II. DESIDERIVM.

Sedatur in opipara mensa Domini sacra
4. fames : nec vanè cum Deus ibi cuncta bona sua tradat. fl. 3. n. 48. p. 114. Non tantùm dicam satiatur, sed exulat à corde per cibum diviniſſimum, cupiditas, quâ circa temporanea à famescimus. Terrena jam non sollicitat qui mensam attigit Dominicam. fl. 3. n. 60. p. 120. Et sane pudori verti
5. potest quod mendicet panem sæculi conviva Dei. fl. 3. n. 42. p. 110. Et nisi judicium
6. turbet irrationalis affectus, experietur quòd non saturantur corda caducis : quia totus gustus est in palato ; corque jejunat. Esca verò sanctissima replet cor, quamvis dicat sponsa : *dulcis gutturi.* S. Anselmus exponit : *gutturi meo, id est cordi meo.* Et paulo ante dixerat : *fructus ejus, id est corpus & sanguis*, &c.

S. Ansel. to. 2. in c. 2. Cant. ibi.

FLAMMA III. SPES.

Spebus humanis non daretur quies absque sacra Eucharistia, quamvis homini re-
7. velatio fieret de beatitudine sua. fl. 3. n. 59. p. 120. Ratio est quia Deus confert in mystico pane majus fœlicitatis pignus quàm
8. dum optimam sortem spondet promissione sua. fl. 3. n. 57. p. 118. Roboretur expectatio nostra per alimentum salutare : quia Deus efficitur nobis debitor per hoc quòd ejus corpore nutriamur : quin immo dat illud,
9. quasi reciperet. fl. 3. n. 72. p. 127. Forsan ideo non dixit sponsa : fructus meus, quamvis illo jam potiretur : sed *fructus ejus.*

FLAMMA IV. AFFECTVS.

Hugo Cardin. ad verba thematis *fructus ejus id est corporis & sanguinis ejus perceptio, qua reficior & sustentor in via peregrinationis meæ : dulcis gutturi meo, id est intimæ affectioni.*

Hugo Cardin. in 2. Cant.

Quietem invenit incendium dilectionis pastum Domino qui lignum est vitæ : quia
10. cor exardescens participatione mysteriorum, jam non in pectore manet proprio ; sed in Filio Dei. fl. 3. n. 54. p. 117. Et adeo sorte fœlici, quod ejusdem cum Deo gloriæ particeps videtur dignè refertus angelorum edulio. fl. 3. n. 51. p. 115. His non ob-
11. stantibus oportet adhuc in via virtutis ille non otietur, sed ultra pergat, & sit ista quies operosa. Per sacram Eucharistiam vita spiritualis non conservabitur nisi crescat.
12. fl. 3. n. 62. p. 121.

PRO SOLEMNITATIBVS B. Virginis atque Sanctorum.

IN FESTO S. ANDREÆ.

THEMA.

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4.

ARGVMENTVM.

Misit Andreas rete in triplici mari : scilicet in fluctibus mundi, pelago liberalitatis divinæ, passionisque propriæ gurgite, fœliciter ubique.

PRimò : vix novit S. Andreas Messiam divinum, cùm jam sortem suam reddidit fratri Petro communem. S. Petrus Damianus. *Novus discipulus factus non est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet aliis prodere, furtum deputat illum sine consortibus possidere.* Justus quasi non valet bona spiritualia non communicare. fl. 17. n. 32. p. 356. Vix in via virtutis pedem solvit, cum jam socios desiderat. fl. 22. n. 6. p. 452. Non aliud prius Redemptor Andreæ promittit, quam id quod illi primis in votis est, nempe homines piscari : *faciam vos* &c. *Petrum ad Evangelium allexit ; & tamquam venatus est.* Ita Chrysost.

S. Petr. Dami. ser. 1. d. S. Andr. 1. 2. Chrysost. apud Sim. Metaph.

Post adventum Spiritus sancti prædicavit pluribus populis : inter quos multi satis barbari auditores. Ministerium equidem hujus piscationis difficillimum. fl. 15. n. 13. p. 309 3.

Inveteratum luxuriis per 74. annos in lascivia senem jejuniis & orationibus castum reddidit. Plus Apostolus Deo placuit alienis obvians delictis, quam servans legem Dei totam. fl. 18. n. 27. p. 378. Non dixit Filius Dei : venite post me, docebo vos quomodo servetis legem meam, quia plus optabat ut fierent *peccatores hominum.* 4.

Secundò plurimas divitias fœlix Piscator in æquore largitatis divinæ lucratus est reti suo. Multa gratiæ dona D. Andreas accepit : quædam gratiosè quædam in virtutum præmia. Quærendum, quænam ex his pluris fecerit ? Solve pro secundis. Justus majoris æstimat parta meritis. fl. 29. n. 41. p. 615. At verò si comparatio fiat inter ea quæ data sunt in remunerationem, & ipsa merita sua (quæ sunt etiam dona Dei juxta S. Thomam. à Villano, dicentem : *meritum nostrum donum quoque tuum est*) dicendum plus laudis accedere sancto Andreæ de meritorum gloriâ quam de magnitudine premij. fl. 8. n. 20. p. 217. *Faciam vos fieri* &c. Meritum promittit hoc loco ; non præmium pro sequelâ : nam illud præ isto concupiebat Andreas. Chrysost. *manifestum est*

5. S. Thom. à Villano ser. 1. post. Pentec. 6. Chrysost. to.

2. hom. 7. in Matth. operis imperf. *est quod tunc non apostolicum cupierunt honorem, sed quæstum apostolici operis & laboris. Sciebant enim quàm pretiosa est anima hominis, quàm grata est apud Deum salus ipsius, quanta merces est hominem ædificare secundùm Deum.*

In captura piscium rationalium sumopere delectabatur S. Andreas: justi quippe gaudium
7. crescit per socios bonorum spiritua-
8. lium, fl. 17. n. 34. p. 356. Nam soli Deo sibique vacare parum est, fl. 17. n. 36. p. 357. *Venite post me*, &c. Hugo Cardin. ibi: *non tam pedibus corporis, quam imitatione & affectu mentis.* Sicut igitur Filius Dei non sibi soli vacavit, sed orbi, sic Andreas.

Hugo. Cardin. in c. 4. Matth. ibi.

Tertiò in suæ passionis procelloso gurgite jacit rete, lucrum patientiæ facturus non vulgare. In primis dum carceratus esset continuit populum ne vindictam pro Apostolo sumeret de tyranno. Insuper D. Vincentius Ferrar. ser. d. Andrea dixit illi paulo ante mortem in cruce pendenti apparuisse, ac locutum esse Filium Dei. *Cui dixit Christus secundum quod tangit Augustinus: Vis venire mecum, vel vis vindictam de isto, &c. Respondit: Domine, vos noluistis vindictam de vestris inimicis: quomodo ergo reciperem ego?* Vindictæ, quam alius pro te sumere vult obsistere, glorioſissimum est,
9. fl. 26. n. 26. p. 543

S. Vincent. Ferrar. ser. d. S. Ambr. fine.

Secunda martyrij fuit ejusdem circunstantia gaudium. Legimus in ejus vita: *Gaudens enim & exultans ibat, & à doctrina non cessans.* D. Bernardus loquens de voce D. Andreæ dicentis cum locutionem faceret cruci: *Amator tuus semper fui, & desideram amplecti te*; ait sic: *Longe est vox ista ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino si posset non venire in hanc horam. Denique si non videor temerarius longe est ab hac voce: Pater si fieri potest transeat à me calix iste.* Justus dolore gaudet, fl. 3. n. 4.
10. p. 89

S. Bernard. ser. 1. d. S. Andr.

Tertiam numera martyrij circunstantiam quod in cruce pendens edocebat populum, nolens deperdere tempus. Charitas nisi alios in via salutis instruat, perdidisse tempus
11. reputat, fl. 21. n. 13. p. 430. Interea seditione plebis motus Ægeas ivit ut Andream è cruce deponi faceret: ipse tamen se miraculo defendit ne detraheretur inde. Nollet justus eripi sibi quod patitur: quia gaudere tri-
12. bulationibus est amoris exaggeratio, fl. 23. n. 27. p. 485

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERIJ.

THEMA.

Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ, Marc. 16.

ARGVMENTVM.

Indiarum carbunculi virtutes.

S. Hiero. to. 5. l. 15. in c. 54. Isai. SAnctus Hieronymus: *Carbunculus, qui paratur, sive per ordinem sternitur, ut videtur mihi ignitus sermo doctrinæ*, &c.

Promiscue refero quæ de gemma carbunculo feruntur, quamvis quædam vera, nonnulla dubia sint, alia falsa: quia in S. Xaverio cuncta verissime reperiuntur. Primò splendet noctu. S. Isidorus Hispal. *Carbunculus autem dictus, quod sit ignitus ut carbo, cujus fulgor nec nocte vincitur. Lucet enim in tenebris adeo ut flammas ad oculos vibret.* Splendor hic se se luminibus omnium accommodat, nec lippos ferit oculos. Haud aliter Sol orientalis ita se cunctis accomodum exhibebat, ut non vocatus accederet ad eorum domos qui jacebant in cæno concubinatus, nec eorum prandium dedignaretur, ut post mensam ferculum doctrinæ suæ proponeret eis, ad hoc ut peccato valedicerent. Non austerus erat infirmis hujusmodi, qui severus alios reprehendere non omittebat. Aliquando medeberis blandè sceleri, quod asperitate non sanaretur, fl. 12. n. 18. p. 269 1.

S. Isidor. Hispal. l. 16. Orig. c. 13.

Hoc prudenter Xaverius præstavit: sal erat illæ terræ; sed aquas maris dulces quondam reddidit. Amiserat miles notabilem summam ludo, & ardescens fremebat irâ. Accedit vir apostolicus, chartas lusorias accipit, & manu propria miscet, ac hortatur prosequi ludere. Recuperavit perditas pecunias miser: & ab eo qui sibi fuerat omen dextrum admonitus ut cessaret, addidit ille promissionem non ultra ludendi. In ludo ubi alij præcipitium, invenit S. Franciscus virtutem, fl. 31. n. 20. p. 644. 2.

Prædicate Evangelium omni creaturæ: litteraliter exponitur: idest omni homini. Et probabiliter possumus interpretari sic: quia sunt quidam lasciviâ lutum, alij rapinis lupi, non pauci malitiâ vulpes, multi vanitatibus aer, nonnulli duritie lapides, &c. omnibus iis doctrinam dispergite, sed accommodè singulis.

Secundò. Carbunculus ad solem calefit, & calefactus attrahit paleas, chartarumque filos; igne tamen hic lapis nequaquam incalescit, sed eum quasi contemnit: ait enim Plinius: *principatum habet carbunculi à similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes*: quod etiam affirmat Aristoteles. Xaverius à sole Divino calefactus ardebat charitate, trahebatque homines, quos velut res leviſſimas, ventus vanitatis jactabat; sed idem virtutis martius Heros ignes tribulationum despiciebat.

Plin. l. 37. c. 7. Aristot. l. 4. Meteor. c. 48.

Charitas ejus enituit peculiariter in sequentibus. Per plateas altâ voce rogabat ut propter amorem Dei fideles mitterent ad auditionem doctrinæ Christianæ filios & servos: quasi beneficium sibi conferrent in eo quòd acceptaretur instructio doctrinalis quam offerebat. fl. 17. n. 35. p. 357 3.

Conversabatur familiariter in navi cum viro nobili; sed scandalosè moribus perdito: nec potuit obduratum flectere ad pœnitentiam, donec appulere portum, & ambo deambulantes venerunt in solitudinem. Tunc subito S. Franciscus ruit ad ejus pedes, & feriens flagello corpus ora rigabat lachrymis: affectuosisque verbis liquefecit cor impœnitentis. Per lachrymas mollire alterum

rum ad pœnitentiam, excellens opus cha-
4. ritatis est. fl.27. n.10. p.558. Quid erit ubi non in aqua tantùm ; sed in aqua & sanguine ? Hic extitit verum quod asseritur fabulosè de gemma Carbunculo : scili. esse fortunæ philtrum , & malas cogitationes auferre , ac voluntates conciliare. Hæc omnia consecutus est ille peccator ex vicinitate carbunculi nostri. Non expectabat Evangelicus præco benevolos auditores ; prædicabat *omni creaturæ*. Commentatur ibi Theophylactus : *Non dixit prædicate hisqui obtemperant, sed omni creaturæ, sive recipiant, sive non.*

Theophylac. in c. 18. Marci.

Ignes adversitatum contempsit carbunculus noster. In somnis aperta sunt illi divinitus multa quæ perpessurus erat. Respondit postulans amplius. Labores quærere mi-
5. rum virtutis opus est. fl. 31. n. 7. p. 639. Ad insulam vulgo dictam *Moro* volens pertransire ut fidem seminaret , monitus est periculis in hoc exponi. Despexit ea : quasi carbunculus , de quo Plinius ait quòd in acetum peracre jactum splendet ampliùs , ille certior factus discriminum, plus refulsit in eo quòd ardorem charitatis non deseruit. Justus ut animas lucretur despicit
6. pericula. fl. 17. n. 37.p. 358. Non monuit Christus Dominus discipulos ut eligerent ad prædicandum regionem securam , sed ait : *Euntes in mundum universum.*

Tertiò dicitur de carbunculo continere lapidum omnium pretiosorum virtutes : unde cum sit unica gemma , videtur quasi multiplex. Ita Xaverius. Quid aliud asseremus videntes quod , cum tantùm vixerit per 55. annos , ex quibus parum plusquam 10. in Oriente commoratus est : itinera confecit 33. millium leucarum , baptizavit 300. mille , convertit unum millionem , & 200. mille animas ? Vix unus homo rebus tot sufficere posset. Quasi multiplicem reddidit se : quod manifestissime testificatus est per hoc quod in Japonia , in regno Bungi loquens una lingua , perceperunt illum auditores in multis idiomatibus : pluribusque factis interrogationibus diversissimis eodem tempore , multisque percontantibus, ipse respondit unica salutatione cunctis. Justus vellet multiplicari pro negotianda sa-
7. lute proximorum. fl. 21.n. 36. p. 442. *Euntes in mundum universum.* Quare non Dominus Apostolis distribuit singulis regiones ? omnibus proponit omnes ? Ita : ut charitas in quovis eorum cupiat illum quasi multiplicatum deferre simul in plures orbis partes.

Quartò de carbunculo Indico narratur quòd in ejus profunditate visuntur septem guttæ aureæ. *Auri nomine splendor sanctitatis accipitur* , dixit M. Gregorius. Profunditas autem humilitas est , & septenarius numerus universitatem designat. Universa Xaverij sanctitas in humilitatis profundo posita radicabat : ita ut quamvis esset Nuntius apostolicus , non dedignaretur in cursu navigationis lecti loco rudentes assumere , ac pro molli pulvino ferrum anchoræ : manibusque propriis parare cibos infirmorum , necnon eorum lineas lavare vestes. In Orientalis Indiæ Metropoli frequentissimè carcere , necnon nozocomio commorabatur: & Christianæ doctrinæ rudimentis pueros instructurus ipse tintinnabulum publicè pulsabat. Accidit ut cum vellet pro facultate consequenda prædicandi toti Japoniorum ditioni ad regiam urbem commeare distantem per quinquaginta leucas nivibus , asperitate , spinis , latronibus , & bellis horribiles : ignarus idiomatis , viamque nesciens , ab humilitate ac dilectione proximi jussus fuerit locare se in servum cujusdam illuc euntis , quem equo vectum comitabatur Xaverius pedes , ac sæpe discalceatis plantis. Vir perfectus ut lucretur Domino fructus , patitur se pedibus
8. conculari. fl. 18.n. 16.p. 373. Sic tamen cruentatis vestigiis proterebat mundum. Non promisit Redemptor mundum venturum ad Apostolos , ut olim omnes Judææ gentes ad Baptistam ; sed inquit : *Euntes in mundum* &c. Ut itinerantes calcarent sæculum superbissimum per humilitatis gressus.

Nihilominus cum sic oportuit ad conversionis Gentilium lucra , se permisit Xaverius honorari. Vocatus apud Japones à rege Bungi : sciens ejus regionis gentem vanitatis non modicæ fumo cæcam divitis apparatus pompam venerari , despicereque defectum illius : ne verbum Dei contemneretur apud eos , permisit vestes proprias , religionis decentiâ servata , perornatissimè splendescere , seque Lusitanorum nobilium comite famulatu illùc introduxit. Vir sanctus non renuit humilitati suæ quadamtenus injuriam inferre , quo sic proximo
9. sit proficuus. fl. 22. n. 47. De carbunculo dicitur quod elatus in altum magis lucem detegit. An ideo profunditatem amittit. Neutiquam Omnem creaturam verbo substernere Apostolico parabat Magister Divinus : *Prædicate.... omni creaturæ* ; mittebat tamen illos humillimè gradientes.

Quintò fertur de carbunculo quod luxuriam reprimit. Xaverius igneſcens gemma restinxit ignibus ignes. Quot lascivorum sanavit libidines. Et mirum est quòd pulchritudinis idolum reliquerit istis mentem ut ejus doctrinam perciperent , cum illud abstulerit cor eisdem ! Quod tibi cor
10. eripuerit , mentem non relinquet. fl. 22. n. 41. p. 468.

Certè Xaverius in præscindendis occasionibus peccandi cherubicum exercuit munus
11. fl. 20.n.41.p.419. Adde quòd aliquando pro conversione peccatoris visus est quasi per conceptum intellectualem loquens, ut solent angeli. In civitate Meliapor ipse ad prandendum cum viro quodam illustri , semetipsum , charitate suadente , obtulit imitatus illum qui Zachæo dixit : *in domo tua oportet me manere.* Post mensam abiit inde quin exprimeret ad quid venerit illuc. Hospes (qui turpiter vivebat) confusus , in depravatæ vitæ pudorem ex consideratione rei quæ acciderat venit : & vocato Xaverio viam perditionis reliquit. O concionatorem angelicum ! an mente loqueris ? Redemptoris dictum ad Apostolos : *prædi-*

S. Greg. M. to. 1. l. 34. mora. c. 13.

cate Evangelium apprimè tua perficit lingua, nunc velut angelum mēte loquelam profers! In sistere lucris animarum munus angelicum
12. est. fl. 21. n. 10. p. 428.

IN FESTO S. NICOLAI EPISCOPI.

THEMA.

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Matth. 25.

ARGUMENTUM.

Ratiocinia Nicolai cum Domino suo.

RAtionem ponet Rex regum cum servo fideli de talentis ei traditis: quæ juxta Liram, intelliguntur quinque genera bonorum concessa Prælatis. Liranus: *vocavit servos suos, idest Prælatos Ecclesiæ.* Et infra: *bona scili. naturæ, bona gratiæ gratis datæ, bona scientiæ, bona potentiæ, & bona opulentiæ.*

Primum talentum commissum Nicolao fuit nobilitas aliis exornata naturæ dotibus: lucrum autem exinde factum fuit humilitas; & non modicum: nam plùs est per contemptum propriæ magnitudinis ascendere, quam si per mundanæ claritatis aëra volares. fl. 20.
1. n. 24. p. 410.

Ingenio permulta lucratus est: sed oportet computari quæ virtutis opera prius egerit, quàm usum rationis acciperet: jejunabat enim certis diebus hebdomadæ, cum adhuc lac sugeret infantulus. S. Thomas à
S. Thom. à Villano. ser. hujus festi. Villano: *naturalis, fere fuit huic puero sanctimonia, quoniam ab uberibus sanctus erat.* Obsequium ante libertatem Deo dicare prorsus impossibile, sed gratia divina per
2. suos ad impossibilia conatur. fl. 30. n. 7. p. 620 Vel dicamus eandem gratiam nos ita voluisse docere quòd oporteat prævenire tempus virtutis, ne contingat unam in hac re horam præterire in vacuum. fl. 27. n. 33.
3. p. 569. Satis erat expectare Nicolaum rationis usum; non tamen illi sufficit quod satis. Etiam videbatur sufficere quòd servus de tribus talentis lucra faceret, ac servaret alia duo; sed omnibus negotiatus est: *Domine quinque* &c.

Secundum talentum bona gratiæ gratis datæ. Cæteris omissis expende solam virtutem miraculorum: quæ nec post mortem finem dedere, cum dicat S. Petrus Damian: *Hic est Nicolaus, cujus miracula*
S. Petr. Damian. ser. d. S. Nicolao. *per totam mundi latitudinem diffunduntur.* Et infra: *crebrescunt enim quotidie, idest, mirabilia* &c. Elucratus est virtute patrandi miracula, tum Deo gloriam, tum proximis utilitatem spiritualem. Sed ambo fuerunt ejus lucra: nam gloriam Deus ei solet cedere qui magna cum eo simul operatur. fl. 21.
4. n. 43. p. 441. Animarum proventus hinc exorti redundabant in viri sancti magnum emolumentum: nam qui est in causa quod proximi recipiant spirituales divitias, videtur possidere quæ donantur cæteris. fl. 18. 5.
n. 13. p. 371. Non sibi solis vacant servi Dei: tamen ille, de quo in themate, solum de propria negotiatione agit, quasi peregerit ille quod proximi occasione ipsius executi sunt in re virtutis.

Tertium talentum bona scientiæ. In persecutione Diocletiani & Maximiani, robustiores Nicolaus ad martyrium exhortatus est. *Prædicare quotidie, nilque omittere,* Leonard. Justin. in vita S. Nicolai. *quo illi celso firmoque animo brevem hanc miseramque vitam pro beata illa & immortali contemnerent, non cessabat.* O quantum de talento lucrum! Stabilire justos ne deficiant videtur difficilius quam è sæculo trahere ne pereant. fl. 26. n. 50. p. 554. 6.

Contra Arrianos non modò disputationibus Idem, ibi. *& lingua, verùm multo maximè supplicationibus & assiduis ad Deum precibus Nicolaus pugnabat.* Unde quamvis in pluribus vel omnibus audientibus fructus non expectaretur sæpe, non ideo à prædicatione desistebat. fl. 32. n. 42. p. 667. Sed 7.
non dubito quin multorum ex fidelibus nutantia corda firmaverit verbo doctrinæ: quod quidem gratum peculiariter est Altissimo. fl. 21. n. 17. Talento lucrari conabatur animas. Euthymius ad verba prothe- 8.
matis: *lucrum sunt qui per illius diligentiam acquisiti sunt.* Euthym. in expos. hujus Evang.

Quartum talentum bona potentiæ. S. Thomas à Villano. de Nicolao dixit quod in episcopatu *principes arguebat, judices in-* S. Thom. à Villano. sup. *crepabat, oppressiones populi, & injustas exactiones tollebat, orphanis pater erat, patronus viduis, pauperibus & egenis unicum erat asylum: malis terrori, bonis amori* &c. Sic negotiabatur qui noverat non esse dignitatis apicem infula donari, sed onus tollere. fl. 22. n. 23. p. 461 9.
Et curæ potissimum illi fuit impedire crimina populi sibi commissi, timens alienis innodari sceleribus, quod nefas est regenti magnum. fl. 24. n. 37. 514. Sic de talento 10.
prædicto retulit non exigiuum lucrum. Chrysostomus ad verba thematis: *De presbiterio autem ipso acquisivit justitiam sollicitè præsidendo Ecclesiæ.* Chrysost. to. 2. hom. 53. operis imperf. in Matth.

Quintum talentum bona opulentiæ. Prætereo multa de misericordi liberalitate Nicolai, quò veniam ad illam sæculis decantatam, cum scili. concivi suo, (qui necessitate compulsus decreverat lasciviæ tradere tres filias, vendens ita pignora suæ posteritatis ut famem arceret) tria projecit diversis diebus auri pondera clanculum, quibus datæ sunt in matrimonium. Admirabile quidem largitatis opus: tum 11.
quia beneficium contulit sine spe colligendi fructum. fl. 16. n. 52. p. 340. Tum etiam quia per illud munus obviavit peccato. Delictis alienis obviam ire, quid rarum. fl. 21. n. 54. p. 447. Sed ita gloriam negotiatus est 12.
immortalem, vincens humanam conditionem, quæ saltem accipientis gratitudinem ex beneficio quærit, cui lucro cedebat cupiens ignorari. Nicolaus Æolica lingua so-
Ioan. Diacon. in vit. S. Nicol. nat victoriam. *Nicolaus Æolicè, victoria populi, resonans,* ait Joannes Diaconus in ejus vita.

IN

IN FESTO CONCEPTIONIS immaculatæ Deiparæ.

THEMA.

David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Matth. 1.

ARGUMENTUM.

Potestas & liberalitas Dei commendant amorem ejusdem in illibata Conceptione.

DAvid affectui suo dedecus incussit aliquale, dum qui rex erat, vassalli deperivit uxorem Bethsabee. Ut ille dilectionem suam vendicaret à nota, constituit eam reginam per matrimonium, potestatem exercens & magnificentiam. Haud aliter Deus qui malè audiebat apud angelos apostatas quod naturam humanam de se vilem amaret adeò impensè, Mariam in Conceptionis instanti primo regnare fecit, ut suus amor erga illam pateret auxilio potestatis, & per liberalis manus industriam.

PRIMA PARS.

Omnipotentia contulit in originis exemptione Mariæ fœlicitatem immunem à mœrore ac periculo.

Sæculi sortem vocamus vulgo stellam: non ergo pellit omnino tenebras: locum relinquit mœrendi. Maria fœlicissima nescivit in Conceptione sua tristitiam. fl. 1.
1. n. 28. p. 15. Non sufficeret quod gratia in secundo instanti concederetur ei, quia non ideo præteriret humana memoria primum instans fœdatum originali. Qui permisit se putari peccatorem Filius Dei, noluit ut propriæ matris honos ab hominibus occasione labis hujus dehonestaretur. Deus curâ sollicitiori prospexit origin. B. Mariæ, quàm
2. divinæ majestatis apud homines opinioni. fl. 1. n. 37. p. 17.

Noluit ut accideret Mariæ quod Bethsabee, cujus delictum non est, per coronam oblivione deletum; imo tacitè sugillatur ab Evangelista dicente: *quæ fuit Uriæ.*

Lætitia conceptionis immaculatæ Virginis diffunditur in orbem universum, quod nisi Deus præservaret Mariam, videretur
3. totum redemptionis perturbasse gaudium omnesque subvertisse. fl. 1. n. 43. p. 21. Multò plùs potuit affectus Omnipotentis, quàm Davidis amor erga Bethesabee, qui non valuit eam liberare ab infamia quæ insinuatur, cum dicitur: *quæ fuit Uriæ.*

Deinde notandum quòd originalis exemptio B. Mariæ fuit verè donum permanens. Altitudo B. Virginis nunquam non secura.
4. fl. 1. n. 31. p. 36. Pulchritudo animæ illius
5. radices egit. Ibidem: & sic ut privilegium immunitatis ejus à culpa originis prima fa-
6. cie videatur ipsi connaturale. fl. 1. n 38. p. 19. Non ita sors Bethsabee, cujus vectio ad solium satis contingenter accidit: nam prius uxor *fuit Uriæ.*

SECUNDA PARS.

Liberalitas Dei mira conceptionem Virginis expertem culpæ voluit.

Totam cælestem creavit Matrem suam Deus, ita ut nihil haberet originis terreæ præter id quod est edere fructum. Num. 24. *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israël.* Hugo Cardin. ibi: *Christus dicitur stella & virga.* Virga germinatur in terra; stella nascitur in cœlo: ergo quomodo vocatur idem & stella & virga? Quia natus ex Virgine fuit, quæ cum terrena foret, conditiones habuit cæli: solumque de terreis proprietatibus hanc servavit, scili. edere fructum. Hoc extitit in Virgine peculiarissimum, quòd non hæc incepit emergens è peccati profundo ad cælestem similitudinem: nunquam descendit; sed statim primo conceptionis puncto cœpit ascendens. Parem fortunam David non præstitit Bethsabee dilectæ: prius illa cecidit in 8.
scelere, quam ascenderet ad coronam. Sed quæro: mirabiliusne Deum à Virgine purissime concepta coronari, an econtra Mariam à Deo? fl. 1. n. 39. p. 20. Quis non 9.
miraretur si Bethsabee coronam donaret regi Davidi?

Coronandum cum esset per Virginis intemeratam conceptionem Verbum Dei, hanc plus habuit in votis quam totius orbis illuminationem. fl. 1. n. 40. p. 20. Quia 10.
sufficeret ut honorificum Salvatoris vocabulum assequeretur, quod eximeret à primordiali noxâ matrem suam; licet non redimeret cæteros. fl. 1. n. 42. p. 21. Quadam 11.
circumstantia non vulgari refulgere fecit largitatem suam Dominus erga Virginem. Ditavit eam in puncto primo conceptionis eo stylo, quòd non potuerit illa rogare ut ipsam eriperet. Benefacere incapaci postulandi beneficentiæ splendor est. fl. 1. n. 35. 12.
p. 18.

IN FESTO S. LUCIÆ VIRGINIS & Martyris.

THEMA.

Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth. 13.

ARGUMENTUM.

Lux non superatur à tenebris.

S. Vincentius Ferrar. *Cum ergo beata Lucia in tota vita sua haburit proprietates, virtutes, & conditiones lucis, congruè vocata fuit Lucia, quæ dicitur à luce.* S. Vincent. Ferrar. ser. S. Luciæ.

Copia pro concionibus.

Verba textus explicat S. Gregorius M. *Cæleſte regnum negotiatori homini ſimile dicitur, qui bonas margaritas quærit, ſed unam pretioſam invenit, quam videlicet inventam omnia vendens emit: quia qui cæleſtis vitæ dulcedinem inquantum poſſibilitas admittit, perfectè cognoverit, ea quæ in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit.*

S. Greg. M. to. 2. hom. 11. in Evang.

Deinde pro introductione argumenti nota quod umbræ ſunt divitiæ, necnon mali, tribulationeſque. De primo ſapient. 5. *divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra*, &c. D. ſecundò S. Gregorius M. *umbra ergo mortis ſunt omnes reprobi.* De tertiò S. Auguſtinus *Adverſitas autem & amaritudo tribulationum, vel ignobilitas, tamquam tenebræ ſunt noctis hujus.* Omnes iſtas umbras Lux hodierna vicit.

Sapient. 5. 8. 9.

S. Greg. M. to. 1. l. 33. mora. c. 3.

S. Aug. to. 8. in pſ. 138.

Sancta virgo Lucia dotem petiit à genitrice ſua, quam, ſi nuberet erat acceptura; cupiebat enim illam in eleemoſinas diſtribuere. Mater hoc differebat poſt obitum ſuum. Reſtitit Lucia, duplici de cauſa. Prima quia procraſtinanda non eſt ſolutio: virgoque utpote valde miſericors, donabat pauperibus, ac ſi deberet eis quod largiebatur. fl. 2. n. 40. p. 86. Secunda ratio. Si donarentur eleemoſynæ vivente matre, huic & non Luciæ filiæ familias tribuerentur apud homines. Beneficus animus vult beneficij plauſum non ſibi ſed alteri tribui. fl. 3. n. 69. p. 125. Vicit opum tenebras Lucia diſpergendo illas in pauperes: & optimum negotium peregit, emit namque umbris claritatem cæleſtem: *vendidit omnia* &c. S. Laurent Juſtin. *Dei enim amator mercator eſt optimus, fanerator regregius: dat quod non poteſt retinere, ut recipiat quod non poteſt amittere.*

1.

2.

S. Laur. Iuſt. l. d. ligno vit. c. 11. d. charitat.

Sciens hoc Paganus qui eam cupiebat in uxorem exarſit irâ. Sævum eſt odium quod gignitur ex amore. fl. 8. n. 27. p. 220.

3.

Odio ſuadente, coram Præfecto accuſavit eandem tanquam ſacrilegam & magam. Iniquus ut certum ſupponit quod vult criminari. fl. 22. n. 7. p. 452. Siſtitur coram tyranno, qui blandè curavit eam diſſuadere à fide. En prima pars martyrij non modica: pejus eſt ab improbo amari quàm odio haberi. fl. 8. n. 28. p. 220. S. Iſidorus Hiſpal: *Melius eſt habere malorum odium quam conſortium.* Superavit Lucia tyrannum velut umbram, dicens vero Deo ſe ſacrificium obtuliſſe donando ſua pauperibus: *vendidit omnia* &c.

4.

5.

S. Iſidor. Hiſpal. l. 2. Synon. c. 8.

Juſſa fuit ad lupanar duci: ſed nulla vi potuit à loco moveri. Quare? Ne violationem pateretur, quam non poterat amare. Acerbiſſimum eſt juſto pati quod ipſe diligere prohibetur. fl. 3. n. 7. p. 90. Immobilis corpore ſtabat etiam conſtans animo pro tormentis ferendis ad honorem Dilecti: tum quia tamquam Dei amatrix multi faciebat quod ipſius Domini dilectrix agnoſceretur. fl. 3. n. 67. p. 124. Tum quia gaudebat offerri occaſionem quâ per tribulationes amori divino ſatisfaceret pro viribus. fl. 23. n. 37. p. 490. Negotiabatur fœliciter: ideo quæ *vendidit omnia quæ habuit*, etiam ſeipſam offerre peroptabat in holocauſtum.

6.

7.

8.

Accenſo circum eam igne perſtitit illæſa. Chryſoſtomus: *Quod auro ignis, hoc animabus afflictio* &c. Juſti per patientiam quantò plus eluceant! fl. 21. n. 43. p. 447. Tranſadegit ejus guttur gladius, & adhuc loquens prædixit libere Chriſtianis pacem futuram Eccleſiæ: hoſteſque hujus Imperatores Romanum relicturos fore ſolium. Sancta libertate loqui poſt experientiam tormenti, terret inimicum. fl. 21. n. 19. p. 433. Tantùm abeſt ut premant umbræ lucem.

Chryſoſt. to. 4. hom. 26. in epiſ. 2. ad Corinth.

9.

10.

Locuta eſt & oravit Lucia gladio transfixa quantum libuit ei, ac tunc expiravit cum voluit. Quiſque donum ſibi collatum acceptat quando vult: ideo tum obiit cum ei placuit, quia mors ipſi munus erat Altiſſimi. fl. 25. n. 21. p. 524. Quo ditata dono, ſolvit liberaliter, margaritæ cæleſtis pretium: *& emit eam.*

11.

Fidelium devotio ſanctam Luciam implorat in oculorum remedia. Congruit illam invocare cunctis: videntibus nempe: necnon & luminibus ægris: nam etiam quandoque viſio numeratur inter cæcitates. fl. 15. n. 24. p. 314.

12.

IN FESTO EXPECTATIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Fiat mihi ſecundùm verbum tum.
Luc. 1.

ARGVMENTVM.

Florete flores quaſi lilium: hoc eſt: O ſpes mortalium expectationem B. Virginis aliquatenus imitamini.

LIlium ænigma eſt ſpei vulgare: quia præſciſum vireſcit in aqua. Lilium pulcherrimum (ſeu ſpes Deiparæ) fuit ſuavitate delectabile, radice firmum, altitudine ſublime.

SUAVITAS.

Tam dulcis erat hæc ſpes, quaſi jam foret velut poſſeſſio. fl. 1. n. 34. p. 17. S. Ambroſius: *Ecce enim ancilla Domini, apparatus officij eſt: contingat mihi ſecundum verbum tuum conceptus eſt voti.* Eiſdem omnino Maria verbis poſſeſſionem ſumpſit incarnati Verbi, votumque ſeu ſpem explicuit de conceptione Dei. Hanc imitetur expectatio noſtra: nam omnis quæ locata fuerit in Deo vim poſſeſſionis obtinebit. fl. 23. n. 18. p. 481. Virgo ſanctiſſima verbis, *Ecce ancilla* &c. noſtram ſimul excitavit ſpem: quia quodammodo reddidit Verbum novo titulo noſtrum & nos in ipſius aliqualem poſſeſſionem velle mittere ſignificavit hoc dicto ſuo. S. Thomas à Villano: *conceptura Deum ſui meminit ancillatus, ut orientem à ſe filium, mundi obſequio manciparet.*

1.

S. Ambr. to. 3. l. 2. in Luc. c. 1.

2.

S. Thom. Villano. ſer. 1. de Annun.

Niſi

Nisi collocetur in Deo non ita se habebit expectatio nostra: in primis erit socia timoris, fl.1.n.71. p. 35. Deinde comitabitur eam desperatio, fl.23.n.16.p.480. Non sic spes Virginis Deiparæ, quæ sola potest suavitatem hujus exponere lilij. Proinde Idom ibi. idem S. Thom. ait ad illam: *Dic nobis Beata quos scaturit dulcedinis globos fons ille perennis uteri arctatus angustia?*

FIRMITAS.

Intra viscera claudebat Maria Verbum Patris: & adhuc spes ejus adeo permanens erat, ut nec ista possessione finiretur! Desiderium erga Deum non ipsum inveniendo 5. perit, fl. 1.n.103.p.50. Perdurabat in Virgine spes potiendi Salvatorem: quia se nec post incarnationem adhuc integre fœlicem putabat, quamdiu non homines tanto bono 6. fruebantur, fl. 1. n.58.p.29. Non solum dixit Mater Dei: *fiat mihi:* sed addidit: *secundum verbum tuum:* quod refertur ad omnia quæ dixerat Gabriel, inter quæ prænuntiaverat utilitatem hominum futuram per incarnationem: non enim sibi soli mysterium expectabat piissima Virgo. Pro explicatione verborum Archangeli: *& regni* Chrysolog. *ejus non erit finis*, accipe Chrysologum. ser. 144. *Veniet ut quibus est gloria de regno, sic de familiaritate fiducia. Et regni ejus non erit finis. Qui ejus adventum credis, gaude quia regnum sine fine promisit.*

Ad imitationem Deiparæ corroboremus nostram spem: & licet gratuitum expectemus beneficium; tamen sit expectatio firma velut si peteremus à Deo rem debitam, 7. fl.29.n.7.p.598. Dominus ipse liberalissimus largitor addit humanæ spei robur: & plus illi debemus eam assecuranti, quam prout 8. munus largienti, fl.29.n.21.p.605. Ad similitudinem lilij radices agat hominum expectatio, Virgineam imitata.

SUBLIMITAS.

Cælestia, non terrena, quærit lilium. sic spes Auroræ nostræ ferebatur in solum puelli Jesu conspectum: sciebat enim gaudium extare maximum implere desideria 9. per dilecti præsentiam, fl.1.n.102.p.49

Non creaturis per vanum earum amorem, sed soli Deo se tradit Maria: *Ecce ancilla Domini:* in quo tantùm spes constituenda, 10. fl. 16. n. 25. p. 322

Nisi sic expectatio tua se gerat, stabis in re virtutis ad limen, desiderans vile tempo- 11. rale bonum, fl.5.n.30.p. 165. Oportet igitur ut spes in te mundana marcescat: & 12. sic sequéris Christum ducem, fl. 23. n. 19. p. 481

IN FESTO S. THOMÆ, Apostoli.

THEMA.

Thomas unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, &c. Ioan. 20.

ARGUMENTUM.

Thomas abyssus geminus.

DE hoc prothemate S. Vincentius Ferrar. ait: *est quasi descriptio continens nomen & conditiones sancti Thomæ.* Et infra: *Thomas quod Hebraicè interpretatur abyssus.* S. Isidorus Hispalens. inquit: *Thomas Apostolus Christi, Dydimus nominatus, & juxta Latinam linguam, Christi geminus, & similis Salvatori*, &c. Geminum igitur abissum in eo meditemur, scili. amoris, & humilitatis.

S. Vincent. Ferrar.ser.d. S. Thom. Apost. S. Isidor. Hispal. l. d. vit. & mor. SS. n. 75.

ABYSSUS AMORIS.

Affectus in Thoma probatur eximius ex illo: *Eamus & nos ut moriamur cum eo.* Ioan.11.16. *Ubi.* Rupertus: *Postponentes (inquit Thomas) vitam nostram voluntati, vel imperio* Rup.l.10. in *domini & magistri nostri, eamus & nos, & si sic fieri necesse est, moriamur cum illo.* Amabat discipulus, & vitam parvipendebat semel quod Filius Dei moreretur. Amans dolet mortem alienam plùs quàm suam, fl. 1. n. 118.p.57. Recte vocatur *Thomas.* D. 1. Vincentius Ferrar. *Ecce quomodo erat in al-* S.Vincent. *tiori charitate. Iste gradus charitatis ostenditur in hoc quod dicitur: Thomas quod Hebraicè interpetratur abyssus*, &c. Ferrar.proxime sup.

Verebatur D. Thomas absentiam dilecti Domini. Ericus ad illa verba: *moriamur*, &c. Ericus in dixit: *Quibus verbis verum prodit amantis* exposit. hu- *affectum.... eamus & nos, & cum eo moria-* jus Evang. *mur: ne post ejus necem deserti & inconsolati remaneamus.* Absentis dilecti desiderium plùs cruciat quolibet alio dolore, fl. 1. 2. n. 131. p.62. Conferamus hoc tormentum cum ingratitudine vel contemptu, quo dilectus prosequitur diligentem: & inveniemus etiam isthæc ab anxietate absentiæ superari. De ingratitudine, fl. 1.n.122.p.58. De con- 3 tempu ibidem, ibid.n.121. O dilectionis pe- 4 lagum! *Thomas quod Hebraice interpetratur abyssus.*

In eodem casu D. Thomas amorem probavit per hoc quòd spontaneè mortem eligeret. Plus patitur qui sponte, fl.16.n.29. 5. p. 329. Qui tam vehementer amabat velut execrabatur vitam propriam superstitem post Magistri dilecti necem, fl.1.n.110.p.53. 6. O profundam charitatis abyssum, quæ dicitur *Thomas.*

ABYSSUS HUMILITATIS.

Simeon Metaphrastes refert qualiter Simeon Me- S. Apostolus ingressus est Indiarum regio- taphr.in vi.

ta S. Thom. Apost. nem: *coma sordidus, vultu pallidus, totus aridus, & exanguis, & plane succo carens.... sordido & trito amictus pallio, moribus lenis, sermone utilis, factis valde admirabilis humilioribus se accommodabat, spiritus altiorum deprimens.* Abjectionem diligebat: & ut animas lucraretur, non recusaret humiliari per contemptum. fl. 17. n. 7. Sollicitabat imitari Dominum per crucem: proinde non refugiebat sperni, quia crucifigi, contemnique simillima sunt. fl. 15. n. 14. p. 320. O non inanem humilitatis abyssum, quæ dicitur alio verbo: Thomas!

Vera prædicavit Apostolus, & mirabilia peregit. Veritatem aperire potentibus plus est quàm perpetrare miracula. fl. 33. n. 17. p. 674. Et mirum existimo quod habitu paupertatem insinuanti multi præbuerint auditum: nam qui premitur egestate reputatur insipiens fl. 15. n. 6. p. 306. Sed Metaphrastes ita scribit de Thom. *Moti admiratione Indi rogare cœperunt quisnam esset, & cujas genere, & quænam esset ejus religio.* Et infra: *Indorum populus ad mysterium introductus suis animis suscepit verbi semen.*

Idem. ibi.

Thomas, id est abyssus, profundam necnon humilitatem operuit, cum dixit quæ jam subjicio ex Joanne. Affirmante Præceptore divino: *& quò ego vado scitis; & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis*: humilis animi egregiam submissionem demirare. Humilitas est sapientiæ totius epilogus. fl. 15. n. 16. p. 310. Stat veritas Redemtoris dicentis: *Quò ego vado scitis*: unde Thomas docere poterat quod ignorare profitebatur. fl. 30. n. 20. p. 627. De hoc Apostolo cum Resurrectionem Dei Filij nesciebat, dixit S. Augustinus: *quam bona ignorantia quæ erudivit ignaros, quæ instruxit incredulos.*

Ioan. 14. 4. 5.

S. Aug. to. 10 ser. 156. d. temp.

IN FESTO S. JOANNIS Evangelistæ.

THEMA.

Sic eum volo manere. Ioan. 21.

ARGUMENTUM.

Aquila contendit cum sagittis amoris de celeritate volatus.

S. Hiero. to. 9. procem. in Matth.

AQuilinus est volatus Evangelistæ dilecti. S. Hieronymus: *Joannem Evangelistam, qui assumptis pennis aquilæ, & ad altiora festinans de Verbo Dei disputat.* Pennæ dici possunt virtutes Beda: *electis qui pennas habent spei & charitatis, caterarumque virtutum.*

Beda in c. 1. Prov.

Audet Aquila certare cum sagittis: quia istarum pennæ sunt non naturales; moventur impulsu; alarum verò plumæ sunt à natura volatiles. Itane Deus Joanni sic indidit virtutum copiam, ut hæ videantur ipsi naturaliter inesse? fl. 29. n. 9. 599. Proinde conatus est Joannes amorem Dei suæ dilectionis volatu superare. fl. 30. n. 8. p. 621.

1.

2.

Et non recusavit Altissimi Filius amoris aliquâ demonstratione vinci à discipulo quem diligebat. Non apparuit peculiariter ipsi Dominus in die Resurrectionis; Petro autem maxime. Noluit ut Simon putaret se tunc superavisse Magistrum dilectione, si Præceptor non quæreret specialiter Petrum, qui requisivit eum in sepulchro. Sed Joanni victoriam hujusmodi cessit: quatenus non fuit quæsitus à Domino per specialem apparitionem, quamvis dilectus discipulus quærens Magistrum venerit ad monumentum. *Sic eum volo manere.* Commentatur Rupertus: *de isto dixit: si eum volo manere donec veniam, quid ad te? verè enim ter beatus usque ad finem suum in sinu amantis Domini suavissime recubuit.* Et quare non dicitur quod in pectore discipuli Salvator mansit; an concessit Joanni Dominus excessum istius permanentiæ, quia permansio qualitas propria veræ dilectionis est?

3.

Ruper. l. 11. in Ioan. c. 13.

Non mirabor si tam sublimiter ascendit Aquila volans: nam victoriam concedens ei Magister non deperdit eam: quod enim de Joanne putaverimus, de corde Servatoris affirmamus. Amicus quasi cor diligentis eum dici potest. fl. 33. n. 20. p. 675. Et si videre est in primo ex tribus insigniter affectuosis beneficiis Domini erga dilectum discipulum: quæ subjiciam, & quatenus in eis Joannes divinum superaverit amorem (seu Aquila prætervolaverit sagittas) probare conabor.

4.

Revelavit Christus Dominus ei proditorem. Eximium quidem signum dilectionis! at per hoc Redemptor levavit dolorem suum de proditione Judæ. Levamen aperiendi pectus anxium amico, sic desiderat cor fidele, ut vix fieri possit quod amans abscondat amato præcordia. fl. 33. n. 20. p. 675. Sic Dominus partitus est anxietatem suam cum Joanne. Quid ergo plus? an quod Filius Dei levamentum hoc quæsierit in discipulo? an quod iste sollicitaverit cruciatus Magistri sui particeps fieri? Hoc secundum excelsius amoris opus.

5.

6.

Declaratur exemplo. Dilectione Thamaris Amnon filius David tabescebat. De hoc textus ait: *Erat autem Amnom amicus, nomine Jonadab filius Sammaa fratris David, vir prudens valde. Qui dixit ad eum: quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi?* Nota quòd non dicitur hic Amnon amicus istius; econtra Jonadab vocatur amicus Amnonis. Quare? Quia plus amare testatus est Amnonem Jonadab in eo quòd voluit participem se doloris illius reddi, qui pectore latebat principis, quam iste dum aperiendo cor suum ipsi, levamen quæsivit, & invenit. Applicabis facile. Cum ergo Joannis amor in ea nocte, qua recubuit supra Domini pectus, effulserit sicut prædiximus; æquum erat quod ibi maneret: *sic eum volo* &c.

2. Reg. 13. 3. 4.

2. Dilectionis præcipuæ beneficium extitit illa permissio familiaritatis discipuli recumbentis. At magis enituit amor Apostoli per audaciam piissimam, quam Dominicus affectus per consensum benignum. S. Thomas à Villano. *Joannes dilectus, non jussus, non petita venia, confidenter recumbit*

7.

S. Thom. à Villano ser.

d. S. Ioan. Evang. *bit super Domini pectus. Amor fecit hoc, est enim supra modum audax dilectio.* Firmatur proximè dictum exemplo Sponsæ Cantic. *Osculetur me osculo oris sui:* exponit S. Bernardus: *non immerito sponsæ nomine censetur anima quæ amat. Amat autem quæ osculum petit.* Bene: sed cur non scribitur Sponsum annuisse petitioni? Quia benignitas hæc Dei prædictam admittentis amantem confidentiam, non adeo micat, sicut sponsæ dilectio, quæ se non valens continere flagitavit osculum. Sileatur Sponsi consensus, qui non tam præcelsa fuit amoris demonstratio. Apta Joanni dilecto: cujus fiducia familiaris ita Filio Dei placuit, ut ibi permanere voluerit. *Sic enim volo* &c.

Cant. 1. 1. S. Bern. in Cant. ser. 7.

3. Beneficium fuit illa B. Virginis affectiva filiatio, quæ fratrem Domini constituit eum. S. Petrus Damianus. *Joannes autem tantò nobilius frater est, quantò & ipsius naturæ Dominus eum in affinitatem sibi spiritualis adoptionis assumpsit.* Sagittavit amor Salvatoris discipuli cor, hoc amoris vehementissimi signo; sed volavit sublimiùs Aquila dilectionis pennis: plus enim egisse videtur Joannes tacendo, quàm Assertor dicens: Ecce mater tua. D. Bernardus vocat Joannem, cum in Calvario taceret, martyrem: *tacebant ambo illi martyres.* Ratio dicti præcedentis est: Filius Dei loquens detexit amorem discipuli; Joannes tacens, neque gratias agens verbo, dissimulabat affectum erga Dominum, ne Judæi eum divellerent inde, Magisterque levamen, quod ejus præsentia conferebat, amitteret. Amoren dissimulare quia sic dilecto congruit, eximia dilectionis commendatio dici potest.

S. Pet. Dami. ser. 2. d. S. Joann. Evang.

D. Bern. d. lament. B. Mariæ.

8. Contra Jonatham, filium suum, quia tuebatur coram se Davidem, *arripuit Saul lanceam ut percuteret eum.... Surrexit ergo Jonathas à mensa in ira furoris* &c. Fugit amicissimus Davidi, cum periculum propter eum sibi cernit imminere? Fugam cepit, quia sic utile futurum erat amico, scilicet ut haberet iste patronum; quem perderet, si Jonathas occideretur à Saule. Egregium putavit amoris opus fugâ tegere dilectionem, cum sic erat amato proficuum.

1. Reg. 20. 33. 34.

9. In Calvariæ monte contexit affectum Joannes, quia sic oportuit. Sed amor ignotus eluceſcit. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Cur non ait: sic diligit, quòd largietur Spiritum sanctum? Quia donavit hunc Pater discipulis agnoscentibus donum: & eodem die plurimis credentibus res palam facta fuit. At Verbum genitor misit in terras, & absconditum protunc mansit: nam *mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt.*

Ioan. 3. 16.

Ioan. 1. 10. 11.

Cum sic altiora per amoris volatum petierit Aquila, dilectionem suam nesciebat: *non quasi nos dilexerimus Deum*, scripsit ille. Hæc est diligentis animi generosa celsitudo. Nonnunquam insignis amator affectum suum ferventissimum putat exiguum. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Cur ita visum est amantium exemplari, cum isti soleant velut annos computare dies, quibus differtur boni dilecti possessio? Quia cum annorum labor esset pro Rachele susceptus, videbatur Jacobo breve tempus, ut sic judicaret non magnam esse dilectionem, quæ laborem susceperat paucorum, ut putabat, dierum.

1. Ioan. 4. 10.

Gen. 29. 20.

Vicit ergo Joannes, amore divino cedente. Coronam accepit similem ei qua potitur illa Regina cujus filius dicitur ipse. Dignum plane stellis coronari caput quod recubuit supra pectus Domini, postque discessum ejus ibidem permanebat: *sic eum volo* &c. Apparuit illi Servator in Pathmos, & pavens ille cecidit ad pedes ipsius. Tunc Dominus ut confortaret eum dextram extendit ponens eam super illum: *& posuit dexteram suam super me dicens: Noli timere:* &c. Quare non dextera sua manum apprehendit Joannis ut allevaret eum qui ceciderat? Quia in manu dextera stellas habuisse legitur: *Et habebat in dextera, sua stellas septem: & de ore ejus gladius utrâque parte acutus* &c. Stellas igitur imposuit super discipulum, quasi volens eis coronare Joannem.

Apocal. 1. 17.

Ibi. n. 16.

Ne moveat scrupulum quod sponte victum divinum amorem dixerimus ab Aquila Evangelica: quidquid enim proferimus in Joannis laudibus, ad Filium Dei pertinet, quasi discipulus dilectus non foret alter à Domino. *Habens*, ait ille, *nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.* Commentatur Hugo Cardin: *nomen quod est Deus homo Emmanuel.* Quomodo ergo Scriptor ipse mox ait: *& vocatur nomen ejus Verbum Dei?* Quia quod sciat nomen istud Joannes ferè non est sciri vocabulum ab alio, quàm à Filio Dei: nam fidelis amicus, alter idem.

Apocal. 19. 12. Hugo. Cardin. ibi.

Ibi. n. 13.

IN FESTO S. P. N. PAULI PRIMI Eremitæ.

THEMA.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Matth. 11.

ARGUMENTUM.

Dei domus in solitudine.

LAboribus afflictos vocat? Quid magnum exequentur si veniant ad eum, qui reficiet illos? Mæstitiæ tempore Deum quærere sæpe majus quid erit, quàm si gaudia reliquisses ut sequaris Dominum. fl. 16. n. 35. p. 331. Ita videre est in vocatione Pauli: quem Deus ad vitam eremiticam traxit eo tempore, quo de persecutione quam Ecclesia patiebatur afflictus erat. Ex ejus vita mirabili nimis aperiamus quæ non latent. I.

Natus est in urbe Thebis: cujus non describo magnitudinem, ad quam centum portæ patebant: quia non de patria terrena con-

decoratur

decoratur qui cœli fuit incola dum commoraretur in terris. Non laudatur domus propter urbem, in qua sita; sed econtra. Nativitas alia commendetur in Paulo, cum scilicet virtutis lucem primùm vidit. Sanctis
2. cum virtus incipit, tunc & vita, fl.21.n.42. p.446. Ignorantur Pauli parentes. Ita placuit ei qui necnon ignobiles vocat: *venite*
Chrysost. to.2. hom. 39.in Math. *ad me omnes.* Chrysost. *non hic aut ille, sed omnes.* Opera cujusque genus ejus, fl. 20. n. 23.p.420. Ad æstimationem ædificij, non
3. attenditur sint ne jaspides in fundamentis ejusdem, si lutei sunt parietes.

Quindecim numerabat annos cum de illo
S. Hieron. to.1.in vit. D. Pauli. S. Hieronymus ait: *Deum valde amans.* Vix ad hunc amoris gradum ascendunt alij post multam seriem temporum: sed adolescentia, si eâ bene utaris, longissima est,
4. fl.6.n.26.p.186. Mirum est quod juventutis illecebra, quamvis fugace non irretiretur, quia floridæ solet ætatis instabilitas ipsa
5. movere complacentiam ejusdem, fl.6.n.25. p. 186

Nos inania tenent. Nihil peccato futilius, cum sit merum nihil: & nihilominus ita voluntatem propellit, ut de illo tamS. Hilar. can.11. in Matth. quam pondere sermo sit in themate. S.Hilarius: *peccatis sæculi oneratos ad se advocat.* Sed Paulus quia domus erat regia Dei, jam in exordio fundationis, idest ætate juvenili; summi Regis præ se ferebat magnificentiam, virtutum divitiis probatam.

S. Hiero. sup. *Litteris tam Græcis quam Ægyptiacis apprimè eruditus* erat S. Hieron. teste. Justus
6. solus vere sapit, fl.1.n.16.p.9. Domus quam Deus habitabat non tenebras patiebatur ignorantiæ, quia lucerna ejus est Agnus, qui
S. Hilar. proxime. vocat illuminandos: *venite*, &c. S.Hilarius ibi: *jugi suavis & levis oneris blandimenta proponens, ut credentibus ejus boni scientiam præstet, quod solus ipse novit in Patre.*

Cum Ecclesiæ persecutionis fureret procella, secessit Paulus in remotiorem villam. Declinat martyrium? Ne semel tantùm occumberet. Sic assecutus est ut amor occide-
7. ret sæpè vitam ipsius, fl. 1. n. 120. p. 57. Noluit quod aliquibus videretur se trahi violenter ad sequelam Christi Domini per martyrium, cum ipse vocet homines, ut sponte veniant ad eum: *venite*, &c. Nequaquam itaque timor concussit eum qui domus erat firmiter ædificata. Tyranno proditus est Paulus à cognato, qui tueri debuerat illum. Hostem experiri quem protecto-
8. rem credere posses, acerbum est, fl.22.n.40. p. 468. *Qui laboratis*, Dominus inquit sæculo deditis? Ita: quia hostiles ictus experiuntur à mundi proditoris infidelitate. Sed curavit Altissimus ne traderetur in manus hostium domus dilecta.

Arrepta occasione secessit in eremum, ubi præparatum à Divina providentia locum incoluit usque ad 113. annum ignotus mundo. Nesciunt mortui mali quid agatur in terris: quidni Paulum, cujus conversatio in cœlis erat, pessimum sæculum ignoraret? Mundus justo mortuus est, fl.5.n.9.
9. p. 154. Solus illum vocare potest, qui suscitare valet vitafunctos: *venite*, &c. Ideo in domo Dei, scili. Paulo non morabatur mundus; quia mortui habitatio non domus est, sed tumulus.

Qualiter ibi pugnaverit, quidve cælitus acceperit, nescitur. Hoc tamen apud Hieronymum legis, quod *vitam cælestem ageret in terris.* Solitudo ænigma gloriæ videtur. 10.
Apud Joel habes: *stillabunt montes dulcedi-* Joel. 3. 18.
nem, ubi Lira. *Per ista intelligitur suavitas* Liran. ibi.
quæ erit in cælesti patria: & idem paulo prius ibi vocaverat Propheta cœlum, quo beati residente, urbem: *habitans in Sion in*
monte sancto meo: & erit Jerusalem san- Ibi n. 17.
cta, &c. Liranus ibidem: *habitans in Sion,* Lira. ibid.
scilicet cælesti, de qua dicit Apostolus ad Hebr. 12. C. accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem: de qua subditur: & erit Jerusalem sancta. Thebaïda quidem optimo jure gloriam æmulatur: erat enim ibi Paulus domus Dei dissita nimis ab ea regione miseriarum, in quâ lassantur cuncti: *venite ad me omnes qui laboratis*, &c.

Prope mortis ejus diem ab Antonio divinitus admonito quæsitus fuit. Ex multis quæ notari possent in SS. senum familiari colloquio meditandum eligo quàm de se quisque sentiret humiliter. Paulus inquit:
En quem tanto labore quæsivisti, putridis se- S. Hieron. sup.
nectute membris operit inculta canities: quasi diceret: dignus non eram ut labore tanto quærerer, ac si forem sanctitatis cultor insignis. Antonius autem dixit duobus discipulis de virtute Pauli stupens: *falsi monachi nomen fero.* Justus provectus putat se nihil profeciisse, fl. 5. n. 12. p. 155. 11.

Audit virtutis assecla vocem Dei vocantis: *venite*, &c. putansque non adhuc gressum in via posuisse, pergere curat: Domum Dei Paulum replebat ignis charitatis, & flamma non solet injecto pabulo dicere: sufficit.

Tandem, quia perfectio ædificij consistit in eo quod ejus partes, usque dum consummentur fervent inter se proportionem, Paulus qui jugiter orando vixerat, in
oratione genibus flexis mortuus est. *Vidit* S. Hieron. supra.
genibus complicatis (ait S. Hieronym.) *erecta cervice, extensisque in altum manibus corpus exanime:* & paulo post: *intellexit quod etiam cadaver sancti, Deum* (*cui omnia vivunt*) *officioso gestu precabatur.* Mors justi simillima vitæ, fl.25.n.22.p.525. 12.

IN FESTO S. MAURI ABBATIS.

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Matth. 19.

ARGVMENTVM.

Fuga victrix.

S. Bernard. *Petrus cogitatum suum ja-* S. Bernar. de-
ctans in Domino, & omnem sollicitudi- clama. in E-
nem

vang. Ecce nos, &c. *nem ſuam in eum projiciens, certus quod illi foret cura de eo, reliquit omnia: ſecutus eſt Dominum ne interrogans quidem de præmio*, &c. quomodo percontatur nunc? noluit quòd apud homines factum ſuum clareſceret, quaſi pure dilectionem Chriſti Domini vendicans pro motivo maneret in ejus diſcipulatu. De primo quæſivit, ut non adeo laudaretur, ne vanægloriæ pateret. Neque ſanctitatis heroes immunes à periculo

1. glorioſæ ſunt, fl. 26. n. 35. p.

Iuſtitia quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes favores hominum, mundi gloriam non requirit. Hæc

Chryſol. ſerm. 9. D. Petrus Chryſol.

Unde S. Maurus præcipuè curavit ſuam deshoneſtare virtutem, ne lucraretur hominum opinionem, ſed potius mundi vanitatem fugiendo ſuperaret.

In primis cum jam ad annos perfectæ diſcretionis perveniſſet, non ingreſſus eſt religionis diſciplinam quaſi per electionem propriam; ſed à parente fuit oblatus D. Benedicto, quaſi nihil ageret qui jam incipiebat vincere ſæculum fugæ præſidium ſumens. Super hanc humilitatis baſim ædificare cœpit. O quam ſtabile fundamentum eſt

2. humilitas! fl. 10. n. 12. p. 143. Illum qui de ſe dixit *mitis ſum & humilis corde*, ſequuntur ita qui dicere valent: *reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.*

Amabat S. Benedictum D. Maurus ut patrem: propoſuit eum pro viribus imitari.

3. Sanctos qui non imitatur, non amat, fl. 8. n. 17. p. p. 210. Juſtorum exemplar ſupremum eſt is cui Petrus dixit: & ſecuti ſumus te: attamen in illius abſentia ſanctorum exempla ſubſtituuntur. S. Thom. à Villano.

S. Thom. à Villan. ſer. S. N col. Pontif. *Sed quia exemplar illud unicum & ſingulare ab oculis noſtris ad dexteram Patris aſſumptum eſt, neque jam corporeis oculis in hac vita videri poteſt à nobis: ideo ab illo plurima tranſlata ſunt exemplaria*, &c. Et poſt pauca mox: *exemplaria ſunt ſancti, quorum nobis vita imitanda proponitur.*

Crevit in virtute Maurus ita quod eum proponebat cæteris monachis Benedictus ut prototypum: ſed terga dabat victor ille ſuperbiæ. Publicabatur virtus, & non peribat! Rem miram! quia virtuti videtur idem

4. eſſe publicari, ac non extare, fl. 15. n. 22. p. . . . Oppones, quare Petrus ait manifeſte: *reliquimus omnia*? Quia in iſta relictione, quod patebat, ſcili. dimiſſio retium, &c. non erat quid magnum; affectus autem calcatus unde provenit huic operi pretium non

Theophyl. in c. 19. Matth. exiguum, latebat. Theophylactus: *diſce quod reipſa multum etiam ipſe reliquerit. Etenim & pravarum rerum magna tenemur affectione.*

Non ſuperbiebat cernens Maurus quanti haberetur pluſquam cæteri monachi à S. Benedicto: nam æſtimatione propriâ decreſcebat. Putat humilis minui cum augetur,

5. fl. 26. n. 38. p. 549

Puerum claudum & mutum ſanavit impoſita ſtola, quam largitus fuerat illi. S. Benedictus: & huic attribuit Maurus; non verò ſibi, miraculum: ac ſimili humilitate fuit uſus, cum juſſus à S. Benedicto, Divum Placidum adhuc puerum extraxit ab aquis. Miracula propria fugiebat, fl. 8. n. 9. 6.

O fugam ſtrenuam! Sed qui cum Petro dicere poterat: *ecce nos*, &c. quomodo non ſperneret vanam gloriam, quæ nihil eſt.

Deſtinatur à S. Benedicto D. Maurus, ut ad fundationem pergat novi monaſterij. Sed Epiſcopum, cujus expenſis res erat exequenda, mortuum reperit, & ejuſdem ſucceſſorem nolle ſuſcipere ſui prædeceſſoris opus iſtud piiſſimum. S. Mauri ſocij defecerunt animo. Digni quidem ſunt excuſatione: nam ſpem abſcindi plus cruciat quàm poſſeſſione privari, fl. 29. n. 26. p. 607. Maurus 7.

autem ſtabat ſpe conſtans, quam rei probavit exitus. Qui fiduciam fixit in Deo, putet non diſtare procul expectationis eventum, fl. 29. n. 5. p. 597. Non, inquam, fixe- 8.

rat ſpes in ſæculo: nam aliter quomodo dicere poſſet: *reliquimus omnia.*

Non D. Maurum ſua fefellit confidentia: quia Florus Dynaſta deliberavit cœnobium extruere, filium ſuum atque reditus copioſos, necnon ſemetipſum, Religioni tradere. Cœpit ædificium fabricari. Sed quidam opifices ibidem laborantes detraxerunt ſanctitati viri Dei. Puniti ſunt ex illis tres: alter interitu: duo verò per ſatanam obſeſſi. Cernens hæc Maurus flebat.

O charitatem fervidam gratiſſimam Do- 9.

mino! Depoſuit per Samuelis vocem de regno Iſraël Saulem Deus: attamen doluit hoc vates, & lachrymas effudit: quibus Deus obviam ivit, inquiens: *Uſquequo tu* 1. Reg. 16. 1. *luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet ſuper Iſraël?* Flevit etiam David mortuum Saulem: cur ei non dicitur: uſquequo tu luges Saul? quia celſior erat charitas ploratus Davidis quàm Samuelis: ideo pergratos regis fletus noluit abſtergere Dominus. Præcelſior, inquam, nam cum Dei manus pro Davide ſuſcepiſſet à Saule vindictam, Heros mitiſſimus planxit offenſorem punitum.

S. Maurus: qui verbis illuminatus Apoſtolorum principis: *reliquimus omnia*, ſemetipſum liquerat (juxta doctrinam D. Bernardi dicentis: *qui relinquere univerſa diſponis, te quoque inter relinquenda numerare memento.*) Proprias injurias adeò non curabat, quòd à Deo ſumptam pro eo vindictam defleret. Quinimò ſuſcitavit mortuum detractorem ac liberavit duos dæmoniacos. Non dubito quòd fatuus haberetur, quia benefecit iis qui ſibi detraxerunt: Potiùs qui beneficio proſequitur adverſantes probat ſapientiam ſuam, fl. 27. n. 42. p. 574. Suſcitato juſſit utnon ultra compareret 10. ibi vivente Mauro. Non minus hunc timorem vanæ gloriæ ſtupeo, quam ejus portenta: laudes hominum quippe declinare non omnium res dici valet, fl. 8. n. 6. p. 210 11.

S. Bern. declama. in Evang. Ecce nos. poſt prin.

Conſummato denique monaſterio Florus pompam ſæculi commutavit pro religioſo habitu. Computetur quaſi unum ex mirabilibus Mauri quòd ad Chriſti ſequelam ita venerit aulicus ut fortiori ratione quàm Petrus piſcator aſſerere poſſet: *reliquimus*

omnia : nam post fortunam colere virtutem
12. instar prodigij dicendum. fl.31.n.24.p.645.

IN FESTO S. SEBASTIANI.

THEMA.

Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam malum &c. Luc. 6.

ARGVMENTVM.

Miles in pace pugnans : in pugna triumphator.

I. PARS.

Simeon Metaph. in ejus vit.

DE S. Sebastiano scribit Metaphrastes : *Tyrannis erat adeò venerandus, quod videretur in omnibus vir spectatus, & probatus, ut connumeraretur inter amicos fidelissimos, & primas partes teneret in numero militari.* Sebastianus sciens non ibi sitam beatitudinem, sed noscens quàm verum sit illud : *beati eritis cum vos oderint* &c. pugnabat cum sæculo, despiciens hunc honorem. Et meritò, cum Imperator etiam condecoraret eos qui ob idolatriam erant indigni. Benemeritus non tanti facit sortem, qua
1. videt potiri simul indignum. fl. 21. n. 41. p. 446. Odium de quo thema vera sors est: *beati* &c. quia nemini contingit non digno fœlicitate.

Nihilominus honores Imperatoris acceptavit ut proculcaret. O strenuum pugnatorem tempore pacis, fl. 17.n.20.p.350. Cum
2. Diocletianus foret hostis religionis catholicæ, tamen Sebastianus propterea dissidium cum eo gerens, occultam fundens orationem pro illo, reddebat bonum pro malo. Ipse postea dixit Imperatori : *Dicatis quod ego fuerim fidelis Iesu Christo, & vobis, pro quo oravi semper.* Sic refert S. Vincentius Ferrar. Obsequium istud nesciebat Imperator. Beneficium eligit aliquando conferre liberalis quod ignoretur ab accipiente. fl.2.n.20.
3. p. 76. Odio solvit postea Diocletianus hoc debitum, sed ei sufficit remuneratio dicentis: *beati estis cum vos oderint* &c.

S. Vincent. Ferrar. ser. d. S. Sebast.

In persecutionis furore, sed pace fruens adhuc, quia nondum se detexerat, Sebastianus præliabatur sustinens valida fortitudine per compassionem dolores martyrum, quin adhuc lucraretur martyrij coronam. Durissimum est malis angi, nec eorum emo-
4. lumenta consequi. fl. 23.n. 30. p.487. Secretè miles noster Christianos titubantes confortabat ut pro fide starent; & lapsos hortabatur, ut ad viam salutis regredi curarent. Propter hujusmodi fervidum veritatis Christianæ zelum S. Caius summus Pontifex ei contulit honorificum nomen, defensoris fidei: sed præcipuum ejus decus fuerunt ani-
5. mæ, de quorum salute agebat utilitate fl. 22. n. 12. p. 455. Sed pluris illo nomine fecit Martyr inclitus quòd postea nomen suum fuerit ejectum propter Dominum qui dixit: *beati eritis cum.... ejecerint nomen vestrum* &c. Largius Pontifice muneravit eum Filius Dei. Cùm Sebastianus plura dixisset sanctis Marco & Marcelliano fratribus propter fidem vinctis, cupiens eos ad martyrium corroborare, Jesus Christus apparuit ei comitatus angelis, & accedens osculatus est eum, ac dixit ei : *in semper mecum eris.* Sic Dominus maxime devictum se testatus est pro se pugnanti Sebastiano : quia Filius Dei nollet vel unum de suis perdere, fl. 22.n.14. 6.
p. 456. Nedum illos duos martyres, quos jam numerabat inter beatos, juxta illud : *beati eritis* &c. Hucusque de Sebastiano pugnante pacifice : nunc de fœliciter ovante belli sui tempore.

Ex Ribadeneira in vita S. Sebast.

II. PARS.

Quam facilè dilectio quâ Diocletianus fidum prosequebatur amicum, versa fuit in
7. odium, fl.13. n.13. p. 281. Sed Imperatorum Dominus suis injecit animos dicens : *beati eritis cum vos oderint* &c. De ingratitudine calumniatus est martyrem Imperator exprobrans illi quòd, cum ab eo fuerit affectus honore magno, tamen ipsi fuisset infidelis. Ecce nomen Sebastiani beati patitur propter Christum notam ingratitudinis : *exprobraverint, & ejecerint, nomen vestrum* &c. Honor mundanus merum nihil est : sed eo ipso conjicitur in faciem accipientis, quasi res maxima sit. Qui nihil donat, exaggerat factum ; qui verò plus de-
8. derit, conticebit. fl. 23. n. 11. p. 477. Iussu tyranni raptus est è conspectu ejus, & positus velut signum ad sagittarum nimbum. Non tam pugnans in hoc prælio, quàm triumphans, martyr assumebat has pennas, ut volaret illuc ubi requiesceret. Sed interim quia separatus ab improbo (*separaverunt vos*) beati nomine quadantenus fulgebat: *beati eritis* &c. Egregio robore sustinuit diutinum tormentum, & per consequens
9. acerbius morte. fl. 3.n.25. p.99.

Non tam strenuè se gessit quando prius Imperij Romani bellis exercebatur, quàm fidei modò palmam reportans. Amor strenuitate audacior. fl.31.n. 8. p. 639. Satis pa-
10. tuit ejus amor in eo quod testatur S. Vincentius Ferrar. scilicet quod *in quolibet ictu dicebat Iesus.* Credo quod in præmium fortitudinis qua passus est ejici nomen suum velut malum (*ejecerint nomen vestrum*) amantissimi nominis Iesu pronuntiatio validè roboravit ejus amorem. De hoc nomine sacrosancto D. Bernard. *Tristatur aliquis nostrum, veniat in cor Iesus: & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen nubilum omne difugit :* Et infra : *Cui in adversis diffidenti, jamjamque deficienti, si nomen adjutorij sonuit, defuit fortitudo ?* Unde colligo quòd martyris hujus amor triumphalis dolores transmutavit in gaudia. fl. 3.n. 71. p.126. 11.

S. Vincent. Ferrar. sup.

S. Bern. ser. 15. in Cant.

Non sagittarum ictibus emortuus, postea voluntariè sese obtulit Imperatoris conspectui, qui jussit eum occidi, cum prius expaverit Sebastianum videns. Hic imperterritus ferocem sola visione sui terrificavit!

Robustior

Robustior est sanctitas imbellis, quam strenuitas vacua virtutibus, fl. 30. n. 22. p. 627

IN FESTO PURIFICATIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundùm legem Moysi tulerunt illum in Jerusalem ut sisterent eum Domino, Luc. 2.

ARGVMENTVM.

Dominus in templo sancto suo cujus thronus Maria sedes ejus.

S. Anton. Olyssip. ser. 2. Dom. 5. post Trinit.

SAnctus Antonius Olyssip. *thronus dicitur Beata Maria.* In hoc solio *sedile aureum, id est scabellum* (inquit idem) *fuit humilitas B. Mariæ:* ad quod per tres gradus ascenditur, & sunt obedientiæ tres, quas virgo Purissima præstitit hodie legi triplici: Deinde: *iste thronus fuit vestitus auro paupertatis. O aurea paupertas gloriosæ Virginis.* Ita idem Antonius: & addit: *Summitas throni rotunda in parte posteriori: Beatæ Mariæ summitas fuit charitas.*

Idem ibi.

Summa fuit in actione hodierna purissimæ Virginis humilitas. An ei non satis quod angelorum regina facta sit sponsa fabri? sed puritatis honorem exponit obediens purificationis legi? Humilis nunquam

1. abjectioni suæ dicit: satis est, fl. 26. n. 32. p. 546. Quæro quandonam se plus Dei Mater demisit: cum dixit coram Sponsi sui servo Gabriele: *Ecce ancilla Domini:* an cum purificationi, qua non egebat, sese libenter subjecit? Solve pro secundo: quia se nominans ancillam videbatur ignara propriæ celsitudinis; at purificari quærens purissima cupiit latere propriam excellentiam apud mortales: & plus humiliat se qui seligit quo delitescat, quàm qui se agnoscit

2. ne superbiat, fl. 26. n. 34. p. 547. Ut se D. Lucas genio B. Virginis accommodet, nomen ipsius abscondat inquiens: *dies purgationis ejus:* quia Mariæ nomen est majestate ple-

S. Epiphan. num. S. Epiphanius: *Mariam interpetrari solemus dominam.*

Throni primus gradus extitit obtemperare sacram puerperam præcepto de oblatione avium, quæ pauperibus congruebat. Ecce aurum quo solium Dei Maria vestitur magnificè: paupertas voluntaria. Aurum inquam: nam sic est pretiosa, quod parem

3. diviti reddit egenum, fl. 2. n. 5. p. 68. Paupertatem suam immolabat Genitrix Dei, quod holocaustum apud Altissimum tanto fuit in pretio quàm si pro legi præstanda obedientia mortem obiret: nam regibus orta Domini parens erat: & egestas clari san-

4. guine synonima mortis est, fl. 16. n. 12. p. 320.

Quæstiones propono duas. Prima sit. Supponamus cum probabili saltem sententia Guerrici Abb. Dionys. Cart. & aliorum, oblationem prædictam fieri solitam pro matre simul & infante. Quæro: quisnam se demisit excelsius: Filiusne Dei sinens ut pro se fieret oblatio, quasi foret ex viri semine ortus? an B. Virgo pro semet offerens, ac si non esset pura? Vide solvendum an sit pro Maria dubium. Rationem offero. B. Virgo sic se gerens exposuit hominum erroneo judicio maternitatem Dei, quia non crederetur hæc à videntibus eam, se prout aliæ matres in purificationis observantia se habere. Puer Jesus permittens pro se dictam oblationem fieri, sinebat filiationem Divinam, qua potiebatur, objici periculo simili. Videtur quod Mater nunc ipso permittente gnatum præcessit, quia Filiationem Christus Dominus non ex meritis accepit; maxime verò B. Maria Dei maternitatem: & quisque solet pluris facere quod meritis assecutus est, fl. 31. n. 19. p. 643.

5.

Secunda quæstio sit facta comparatione inter obedientiam, quam præstitit puer Jesus legi circumcisionis, & eam quam exhibuit Genitrix prædictæ oblationis præcepto: quænam fuit mirabilior? Pro Virgine solve: quia Jesus in circumcisione texit excellentiam quâ erat ab ea lege penitus immunis: Virgo beatissima præterea texit puritatem suam, quæ magnum extitit Dei beneficium: & cum gratus animus optet propalare suscepta dona pro gratitudine testanda, mirandum est virginem dissimu-

6. lare quod à Divina largitate suscepit, ut eidem Domino morigeretur. *Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Beda, *Conferebat ea quæ secum acta de Domino, cum his quæ noverat à Prophetis scripta de Domino.* Quare non potius Lucas notat æterni Verbi taciturnitatem? Quia Verbum factus puer tacebat excellentiam suam; Virgo silens quæ secum acta fuerant dissimulabat beneficia recepta: quod arduum est animo grato. Ideo dixi, &c. S. Lucas de circumcisione loquens tacuit legem; nunc autem ait *secundum legem* Moysi, ut B. Mariæ celebremus obedientiam.

Bed. l. 1. in 2. Luc. cap. 6.

Secundus gradus throni fuit obedientia præstita legi, qua præcipiebatur Exod. 13. 2. Offerri primogenitos. Confert S. Bern. hanc Mariæ oblationem cum sacrificio quod obtulit Salvator in cruce, dicitque: *Illud erit sacrificium vespertinum: istud est matutinum: istud quidem jucundius, sed illud plenius: istud enim tempore nativitatis: illud jam in plenitudine ætatis.* An acceptius B. Virginis Deo sacrificium? solum scio Domino tunc acceptiores oblationes cum fuerint utiliores offerenti, fl. 2. n. 33. p. 82. Christus Dominus ex oblatione sua sibi lucratus est gloriam corporis, & similia Virgo sanctissima reportavit è sacrificio suo plurimos gradus essentialis gloriæ.

S. Bern. ser. de Purific.

Affirmant Commentatores oblationem hominis primogeniti potuisse fieri decurso tantum post nativitatem ejus unico mense. Nihilominus quia si Maria hoc modo Unigenitum offerre anticiparet, non posset hoc perficere per semetipsam in templo (nam ad istud non admitteretur ante com-

pletos dies purificationis juxta legem) disposuit providentia divina quod fieret hodie: ut per manus Mariæ Verbum incarnatum offerretur. Nam licet hoc munus infinitum sit: attamen Deo gratius erat oblatum per Deiparam. *Dabo tibi poculum ex vino condito*, ait Virgo. Rupertus exponit: *& dabo tibi poculum ex vino condito, ideſt ſacrificium offeram ſacratum & verè ſanctum inviſibili paſſionis ſuæ ſacramento.* Et quid offert in hoc Maria, quod Redemptor non obtulerit? Neſcio quam venuſtatem accipit Chriſtus Dominus oblatus per Mariam, quòd veluti quid ſpeciale placebat amori Divino valde. In prothemate noſtro legit S. Ildefonſus: *dies purgationis ejus, quando obtulerunt Jeſu.*

8. Rup. l. 7. in Cant. c. 8.

S. Ildefonſ.

Tertius gradus throni eſt obedientia præſtita præcepto Num. 18. 15. quo ſtatutum erat hominum primogenita redimi pretio. S. Tho. a. V. N. *O bone Jeſu jam noſter es, & duplici jure es: te nobis Pater dedit, te nobis Mater emit.* Hem! Filius Dei emptus fuit à Maria? Quod emitur exit à poteſtate vendentis, & tranſit ad emptorem. An, ſi fieri poſſet; Verbum incarnatum relinqueret Æternum Parentem, ut poneretur ſub Mariæ poteſtate, fl. 1. n. 54. p. 27. Ne res moveat ſcrupulum: nam quidquid in Virginis laudibus profertur pertinet ad Altiſſimum: illa quippe niſi fides reſiſteret, videretur nobis idem cum Deo, fl. 1. n. 45. p. 22.

S. Tho. à V. N. ſer. de hoc. feſto.

9.

10.

Throni ſummitas (inquiebam) eſt Virginis amor: Meritò celſo collocatus fuit loco, quia potiſſimum enituit hodie Dei Genitricis affectus in oblationibus ab ea dicatis: Et quidem dilectionis donaria gratiora Domino ſunt, fl. 23. n. 43. p. 493. Et præſertim hoc verum eſt in affectu Mariano, quem hac huc Dei Parens teſtata fuit opere: quia cum libera foret ab eo quod præſtitit obediens ultra legem: voluit quòd ejus amor videretur ſic operari coactus à præcepto. Vellet Maria libertate carere in iis quæ ad profitendam dilectionem Dei ſpectant, fl. 1. n. 132. p. 63.

11.

12.

IN FESTO S. MATHIÆ Apoſtoli.

THEMA.

Ita Pater: quoniam ſic fuit placitum ante te. Matth. 11.

ARGVMENTVM.

Fortuna benemeriti.

SAnctus Vincentius Ferrar. *Chriſtus dicit Patri: ita Pater: ſcilicet, eſt ita ſanctus Matthias, & inde ſic fuit placitum ante te.*

Gratias egit Filius ſummo Parenti de vocatione Apoſtolorum ad lucem veritatis. In his adhuc continebatur S. Mathias. Unde pro hujus electione ſpeciales gratias in cœlis dediſſe poſtea veroſimile. Illa quidem digna fuit peculiari nota, cum in ea fœdus pacis inierint fœlicitas & meritum. Ambo convenerunt ſuffragiis ad eligendum S. Mathiam. Circa quod propono 3. quæſtiones: 1. Cur non omiſſo Juda potius Redemptor Mathiam elegit antea. 2. Quare ſaltem non eum delegit Salvator quandiu moratus eſt in terris poſt reſurrectionem? 3. Eccur non deſignatus fuit voce de cœlo, ſed ſorte?

AD PRIMAM QUÆSTIONEM.

Si Filius Dei Matthiam, & non Judam eligeret, Apoſtolatus honoraret electum Aſſumpto Juda, qui poſtea diabolus factus eſt, locus ejus quodammodo fœdatus videbatur ab infamia poſſeſſoris mortui. Ut ergo decorem accipiat munus Apoſtolicum à S. Mathia, ſuccedat loco Judæ. Tronus extollitur à Sedente digno. fl. 31. n. 23. p. 644. Mathias ex Gloſſa interlin. ad Acto. 1. n. 23. interpretatur: *Donatus vel donum Dei.* Quaſi donavit eum Dominus collegio Apoſtolico, ut illud honoraret. Et ſi dicas: ergo quare permiſſus eſt Judas accipere locum ſanctitatis? Reſpondetur verbis Chriſti Domini: *ſic fuit placitum.*

1.

Replicabis: eligitur S. Mathias quia dignus Apoſtolatu? datur illi munus Apoſtolicum in præmium? an non ſatis annexum erat oneris officio huic? Charitas lucrantium animas Deo ſortitur in præmium laborem ſuum. fl. 22. n. 55. p. 473. Et inſuper ipſum emolumentum ſpirituale proximorum, quod ex hoc labore promanat, adhortantis virtutem lucrum eſt. fl. 21. n. 13. p. 430. At quantumvis remuneratio, coaleſcens ex Apoſtolatu & fructu illius, magna ſit: S. Mathias potiùs de merito ſuo gloriatur, quàm de magnitudine præmij. fl. 4. n. 30. p. 147. Electionis igitur ejus altera fuit ratio meritum ipſius: præcipua verò beneplacitum Dei. *Sic fuit placitum* &c.

2.

3.

4.

AD SECUNDAM QUÆSTIONEM.

Non elegit poſitus in terris Filius Dei Mathiam: primo quia ſic videbitur minus ei donum contuliſſe, cum id ſorte contigerit. Beneficium ſic tribuendum ut accipienti appareat minus quam ſit. fl. 4. n. 31. p. 148.

5.

Secundò ne videretur quòd munus iſtud involvebat commodum illud Chriſti Domini conferentis, quod ex eo proveniebat quia ſocios tribulationum elegit Apoſtolos. fl. 2. n. 11.

6.

Tertiò quia gloriam eligendi S. Mathiam ceſſit Redemptor divino ſpiritui. fl. 3. n. 69.

7.

Non tamen exiſtimes hanc electionem à ſolo Spiritu ſancto proceſſiſſe. Verbum divinum etiam ad illam ſuffragatus eſt: non enim eligere amicum pertinet ad ſolum amorem, ſed comite ſapientiâ. fl. 11. n. 5. p. 251.

8.

AD TERTIAM QUÆSTIONEM.

Non dubitas D. Mathiam ex meritis electum ad Apoſtolicam dignitatem. Clemens Alex. *Mathias cum ſe præbuiſſet dignum ut fieret Apoſtolus, ſufficitur in locum Judæ.* Sed cur

Clem. Alex. l. 6. Strom. poſt. med.

cur non voce de cælo facta designatur? Ut forte acciperet quod virtutibus promerebatur: & sic ejus electioni rationem assignamus arbitrium Dei: *sic fuit placitum ante te.* Ex merito, favoreque sors integra con-
9. ponitur. fl. 12. n. 7. p. 262.

Cum providentia divina decreverit S. Mathiam reddere fœlicem, curavit ut esset
D. Antonin. p. 1. hist. tit. 6. c. 2. sapiens (nam B. Antoninus ait, *Mathiam fuisse in lege eruditissimum*) nam fortunatus eget majori sapientia. fl. 26. n. 22. p. 541.
10. Sanctus erat ante sortem istam: & sanctus fuit post illam. Fælicitas non mutat
11. benemeritum. fl. 26. n. 21. p. 541. Non sors eum reddidit inconstantem quia permanens erat cælitus delapsa. Non ita solet esse mun-
12. dana felicitas: quæ præterisse dicatur cum incipit. fl. 26. n. 43. p. 552.

IN FESTO S. JOSEPH.

THEMA.

Joseph autem vir ejus, cum esset justus. Matth. 1.

ARGUMENTUM.

Joseph nomen significat augmentum: sed in persona, quam designat augmenta multa reperiuntur.

AUgmentũ primum in vita. Nostra vita, si rigorosè loquamur, nec à nativitate
1. potest computari, quia nascitur in peccato, & peccatoris vita mortua est. fl. 2. n. 42. p. 87. S. verò Joseph sanctificatus fuit in utero matris. Gerson. *Joseph post originale contractum sanctificatus est in utero baptismo flaminis, sicut Ioannes Baptista, & aliorum plurimi.* Ac proinde cœpit vivere Deo prius-
Gers. p. 3. ser. d. Nativ. B. M. quam nasceretur. Ad Jeremiam Dominus:
2. Ierem. 1. 5. *antequam exires de vulva sanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te.* Hæc ultima verba preme: *dedi te.* Prophetæ nonne dicuntur dari cum ad prophetandum à Deo mittuntur? prædestinavi dicat, seu decrevi; non autem datum affirmet, quia dari & mitti congruit viventi; non autem nondum nato. Quo stylo Deus loquitur ad vatem? Fatur ad eum quasi ante nativitatem jam viveret, quia verè Deo vivebat in visceribus matris qui erat sanctificatus ibidem. Merito qui ex isto capite vitam accepit auctam, dicitur Joseph, idest augmentum.

Augmentum secundum in nobilitate. Non de mundana loquor, quia *cum esset justus*, non hanc præ oculis habebat; sed virtutis claritatem amabat; sciens quod gloria in virtute sita dicitur propria hominis, quasi cæteræ sint velut alienæ in vita mor-
3. tali. fl. 17. n. 22. p. 351. Transit ad nobilitatem spiritualem, qua scili. Joseph natus est filius Dei per gratiam. Hæc nobilitas adaucta est per nomen patris incarnati Verbi. Hunc enim titulum pluris Joseph fecit, quam illam filiationem: quia istam sine meritis accepit in utero matris; nomen verò parentis Christi Domini suscepit ex merito, nam vir factus est Mariæ *cum justus esset*: ac meritis obtenta sors major est. fl. 31. n. 19. p. 643.
4.

Sanctitatis magnus gradus est amor filialis erga Deum. Quid erit in Iosepho ad hoc ascendisse ut Christum Dominum amore prosequeretur paterno? Chrysostomus: *Quamquam enim non sit filius tuus iste qui nascitur, tu tamen curam erga illum, & sollicitudinem ostendes parentis.* Sic verba S. Doctor exponit angeli ad Joseph, Matth. 1. Unde ipse paternalis affectus ut admissus à Verbo incarnato præmium erat, propter dignationem Filij Dei admittentis, & simul fuit meritum ob devotionem Josephi offerentis. Justi putant se nihil habere quod offerant Deo nisi præmia quæ accipiunt ab ipso. fl. 2. n. 30. p. 80. Plurima tamen quæ
5. dicaret Altissimo possidebat ille, *cum esset justus.*
Chrysost. hom. 4. in Matth.

Augmentum 3. in familiaribus fiduciæ signis erga Deum. Amicitiæ Dei prius quàm desponsaretur gaudebat privilegiis *cum justus esset*: multò majori tamen confidentiâ potitus est de paterno more S. Bernardus. *Arbitror & Ioseph virum Mariæ super genua frequenter illi arrisisse.* Quò tamen ar-
S. Bern. ser. 43. in Cant. fine. ctiùs Deum incarnatum complectebatur Iosephus ulnis, eò plùs cupiebat eidem conjungi. Sancti sollicitiores in Deo quærendo, cum se fæliciores apud illum experiuntur. fl. 16. n. 20. p. 324.
6.

Tunc temporis in hisce demonstrationibus affectus permittendis Jesus adhuc infans: cum non loqueretur, affectuosam liberalitatem ostendebat. Qui tibi plus donat ille tacet. fl. 23. n. 11. p. 477. Sed quod silet puel-
7. lus, quodammodo palam facit nomen *Joseph.*

Augmentum 4. in honore. Nisi sors adeò læva fuisset, ut Josephum, qui de domo David stirpem ducebat, coëgisset ad artis fabrilis exercitia, non dubito quòd ab hominibus honoraretur: sed amplius longè condecoratur ex eo quod cum esset vir Deiparæ (*Joseph autem vir ejus:*) Salvator obediebat ei: *& erat subditus illis.* Videtur prima facie quod sic dedecorabat majestatem Filius Altissimi: sed plus movet Deum Sanctorum honos, quam proprius. fl. 8.
8. n. 16. p. 215.

Inter alia obsequia quæ Servator præstitit Josepho habitans in ejus domo, numerantur ea quæ attinebant ad fabrile munus. S. Justinus martyr: *Christus faber esse videbatur: hæc enim fabrilia opera, cum inter homines versaretur, aratra & juga faciebat.* Beneficium erat non vulgare quòd in auxilium paupertatis Josephi manus illæ quæ fundaverunt cælos, ad ferram, & similia, demitterentur; nihilominus videntes hoc æstimare nescirent, judicantes filium ad sustentationem suimet juvare parentem. Deus quandoque donat quasi proprium in largiendo commodum attendens. fl. 2. n. 32. p. 8. Hoc redemptoris obsequium præstitum Josepho præmium existit meritorum ipsius: illud tamen D. Lucas tacet, ac narrat fuisse justum: *cum esset justus:*
S. Iustinus martyr. dial. cum Tryphone.

nam ſancti melius laudantur de merito, quàm
10. de præmio. fl. 8.n.20.p.217.

Notandũ denique quòd à Joſepho Deus incarnatus per longum tempus accepit alimenta. Beneficiumne præſtabat Joſepho in recipiendo, donumne ſuſcipiebat Dominus de ipſo! Ne quæſtionem examines, nam Deus ita donat peramanter quaſi reciperet
11. fl. 2.n.72.p.127. Curabat S. Joſephus Domino ſuo pauperem victum offerre. Sed ipſa oblatio, cum fuerit paternæ munus curæ, habuit rationem præmij virtutum, ex quibus dicitur: *cum eſſet juſtus.* Etiam hîc verum eſt Deum aliquando remunerare juſtum
12. obſequio ipſius. fl. 21.n.30.p.439.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.
Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Abſciſſus lapis deſcendit ſine manibus & factus eſt mons.

S. Laur. Juſt. ſer. de Annun. B. M. S. Laurentius Juſtin. *Tunc ſine manibus de monte abſciſſus eſt lapis, qui totius orbis ſuperficiem occupavit.* Alludit ad notiſſimum locum Danielis, qui præbuit occaſionem argumento præfixo.

Lapis dicitur Verbum Dei? Appoſitè, quia ſicut lapis deſcendens quærit centrum: ita Filius altiſſimi veniens uti centrum quæſivit Mariam. Scio Deum habere centrum in
1. ſeipſo: ſed Virgo divinitati ſimilis. fl. 1. n.44.p.22. S. Tho. à Villa. No. *In omni-*
S. Tho. a V. N. ſer. 3. de Nat. Virg. *bus Mater nihil fuit niſi Filij adumbrata imago, & Filius Matris expreſſa figura.*

Deſcendit, inquam, lapis angularis eâ, imò & majori velocitate, quam lapis ad centrum: quia dies quibus differebatur incarnatio quaſi Deo videbantur æterni. fl. 1.
2. n.55.p.27. Et quamvis feſtinatio hæc poſſet apparere mendacibus hominum judiciis ex indigentia fieri, ſcilic. ut ſumma Dei fœlicitas complementum acciperet: pateretur Deus majeſtatis (ob nubila mentis humanæ) ſplendorem tegi apud homines ut deſcen-
3. deret ad viſcera B. Mariæ. fl. 1. n.56. p.27. Celeritas iſta verbis inſinuatur angeli: nam illud, *Ecce*, particula demonſtrans eſt: quaſi diceret: Iamjam venit feſtinus cupiens à te generari.

Deſcendit lapis itaque velut abſciſſus unde natus erat æternaliter: nam licet impoſſibile ſit Verbo derelinquere Patrem: tamen ſi fieri poſſet, eum deſereret, ut ad B. Ma-
4. riæ viſcera veniret. fl. 1. n.54. p.27. An ſuſpicari poſſumus prætuliſſe generationi divinæ filiationem, qua Mariam agnoſcit
5. Matrem. fl. 1. n. 53. p. 26. Prius ab angelo vocatur Verbum incarnatum genitus Mariæ ſanctiſſimæ: *paries filium*, quam appelletur *filius Altiſſimi.*

Sine manibus præciſſus eſt lapis. Manus Filius Dei. S. Greg. Pap. *Manus vel brachium Domini Filius dicitur, quia per ipſum omnia facta ſunt.* Certè non ſine hac manu facta eſt incarnatio, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa. Nihilominus adeò magni facit Verbum habere Mariam genitricem, ut, quaſi hæc ſibi gloria ſine propriâ induſtria data ſit, æſtimet eam non aliter quam ſi per ſortem aſſecutus fuerit illam, fl. 1. n. 51. p. 25 6.

S. Greg. M. ro. 2. hom. 2. in Ezech.

Abſque manibus dicitur incarnatio peracta, quia noſtro loquendi modo Deus Pater ex eo manibus uti dicitur quia dona diſtribuit creaturis. Cæteris munera dividit, Deiparæ verò totus Deus confertur, fl. 1. 7.
n. 33. p. 17. S. Bernardus: *Deſcendit per aquæductum vena illa cœleſtis, non tamen fontis copiam, ſed ſtillicidia gratiæ arentibus cordibus noſtris infundens: alij quidem plus; alij minus. Plus equidem aquæductus ut accipiant cæteri de plenitudine; ſed non plenitudinem ipſam. Advertiſtis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum: qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens, nobis dedit illum: ſed ſi non prout eſt, prout capere poteramus: noſtis enim cui dictum ſit. Ave gratia plena.* Non dimidiat amor eximius dona: Filiique nomen amorem denotat: *paries filium.*

S. Bern. ſer. de Nat. Beatæ Mariæ.

Lapis ille, cum Æterni Parentis altitudinem coæquaret, paruus eſt viſus dum ſe demitteret in terras: quia exinanivit ſemetipſum, jura maternitatis puellæ ſacratiſſimæ concedens. Ad aliam exinanitionem ſic tendebat, quà ſeipſum Deus humiliavit uſque ad mortem crucis: mirabilius attamen Verbum obedire Matri quam emori, fl. 1. 8.
n. 46. p. 23. Illam humilitatem in hodierna die Altiſſimus exercuit, utpote verus hodie Filius: *ecce concipies*, &c. Nam ut S. Hilarius Arelat. ait: *Inter ipſa adorandæ Nativitatis beata primordia per innuptam veniens matrem, ita inviolabiliter ſinum Virginis pertranſivit, ſicut reverenter implevit.*

S. Hilar. Arelat. hom. 1. de Aſcenſ.

Crevit lapillus Danielicus. Non auctum eſt Verbum: augere tamen viſus eſt. Ideo non dixit angelus: hic eſt magnus; ſed: *hic erit magnus.* Celſitudone Chriſti Domini ſupereminet ex brachiis Matris excelſæ, fl. 1. n. 60. p. 30. Si fieri poſſet à creaturâ mutuari lucem, Deus illuſtraretur à Maria, 9.
fl. 1. n. 61. p. 30. Ideoque ſi valeret inter Verbum divinum, & Spiritum ſanctum dari diſſidium, contenderent uter eſſet futurus 10.
filius Virginis, fl. 1. n. 48. p. 14. Nam, ſi humilitatem exinanitionis attendamus, non veritus fuiſſet Spiritus ſanctus humiliari, ut 11.
Mariam ſortiretur matrem, Ibid.

IN

IN FESTO GAUDIORUM DEIPARÆ.

THEMA.

Stabat juxta crucem Ieſu Maria mater ejus, Ioan. 19.

ARGUMENTUM.

Poſt umbras aurora refulget.

EX revelationibus S. Birgittæ, l. 6. c. 9. habetur Virginem puriſſimam ſic locutam: *Filius meus reſurgens primò mihi apparuit, quam alicui alij.* Revelat. S. Birg. l. 6. c. 9.

Quò acerbior præceſſit doloroſæ Matris anxietas, dum *ſtabat juxta crucem*: eò major de reſtauratione chariſſimi Geniti lætitia, fl. 1. n. 137. p. 65. Prætertim quia triduum illud, quamvis imperfectum, fuit attamen longum valde, quia mœſtiſſimum. 1. 2. Læta dies brevis, funeſta verò prolixa, fl. 31. n. 38. p. 651. Unde etiam hic verum eſt illud Auguſtini: *Diu deſiderata dulcius obtinentur.* Aug. to. 10. ſer. 5. de ver. Dom. Meritò nunc recordamur ergo doloris quem paſſa fuit quando *ſtabat juxta crucem*: nam poſt umbras aurora refulget.

Prima circumſtantia hujus gaudij fuit ſocietas: nam eádem die multa pectora ſol Divinus illuſtrans læta reddidit. Maria lætitiæ cauſas tunc excipit corde cum ſimul videt homines exultantes, fl. 1. n. 57. n. 28. 3. Et meritò quia pluris valet unicum gaudium cum ſocio, 4. quàm duo ſine ſodali, fl. 22. n. 10. p. 454. Quinimo dicere poſſumus quòd bonum 5. communicatum beat habentem, fl. 22. n. 9. p. 453. Vocatur Filius Dei Jeſus, cùm dicitur Maria genitrix illius: quia non tam glorioſa foret illi maternitas, quâ nulla potitur alia fœmina, niſi filius eſſet Jeſus, ideſt Salvator, quod cedit in utilitatem plurimorum: *ſtabat juxta crucem Jeſu.*

Secunda circumſtantia ejuſdem lætitiæ numeretur quòd ejus cauſa non acceſſit extrinſecus; ſed intra præcordia latebat: ſcilic. amor (erat enim *mater ejus*:) veri quippe gaudij cauſam nunquam extra te 6. quæras, fl. 17. n. 24. p. 352. Exultat igitur in corde Virginis amor, quòd per conſpectum ſpecioſi forma præ filiis hominum finem deſideriis impoſuerit. An maius reſtat in 7. vita mortali oblectamentum, fl. 1. n. 102. p. 49. Sed potiſſimùm ex eo lætitiam capiebat quod ſummè dilectum contuita fuit glorioſum. B. V. plus cupiebat Filij gloriam, 8. quàm ſuam, fl. 1. n. 134. p. 64. Nam ſolis claritas auroræ ſplendor eſt.

Tertia circumſtantia. Dei Genitrix exultationem, quam de reſurrectione Filij concepit, induſtriâ propriarum precum ſollicitavit: & quod propriâ diligentiâ ſatagimus, plus nos gaudere ſuadet, fl. 1. n. 101. 9. p. 49.

Neque opponas quòd viſo Domino ceſſavit in B. Virgine cupiditas eum conſpiciendi: ac proinde voluptas eſt imminuta. Non enim ſic in ſpiritualibus ut in temporaneis exiſtimandum ſe rem habere. Invento Deo non ceſſat ardor inveniendi eum, fl. 1. n. 103. p. 50. S. Laur. Juſt. ait: *Deſideria autem ab amore tamquam calor ab igne prodeunt.* Quomodo ergo quia inventus eſt ignis ceſſabit calor? nonne Deus in S. Pagina vocatur ignis? Quin potius augetur ſitis cum guſtantur cœleſtia, fl. 23. n. 32. p. 488. 10. S. Laur. Juſt. de diſc. & perfect monaſtic. converſat. 11.

Nec rurſus dicas: Ergo ſi B. Maria ſic afficiebatur deſideriis ut ejus gaudia probant: ſi ad ejus preces antelucanus reſurrexit Chriſtus Dominus: cur non poſtulavit ab eo quòd in triduo veniret anima ejus & conſolaretur eam? Qui totum Deum incarnatum poſſidere valet, non partem ſolam ejuſdem ſollicitet, fl. 23. n. 35. p. 489. 12.

EADEM CONCIO SUB ALTERO themate juxta ritum aliarum diœceſum.

THEMA.

Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, Matth. 28.

ARGUMENTUM.

ADde n. 1. fine. in monumento quid eximij doloris fuit cauſa, repetere gaudium: *de monumento cum....* gaudio magno.

N. 3. Non vocatur magnum gaudium quod Magdalena concepit cum ſola vidit Chriſtum Dominum eádem luce. Cum autem mulieribus apparuit, & ſimul gaviſæ ſunt, appellatur magnum gaudium: *& gaudio magno.*

N. 6. Reliquerunt angelum, & gaudium non amiſerunt: hoc enim cauſam ſui vendicabat amorem earum cordibus inſidentem.

N. 9. Magnum dicitur gaudium tunc (*gaudio magno*) non autem poſt pauca *Jeſus occurrit illis*, quia priorem exultationem mulieres euntes ad ſepulchrum diligentiâ propriâ lucratæ ſunt.

N. 11. Per nuncium ab angelo datum inceperunt guſtare mulieres lætitiam illam cælitùs miſſam. Nihilominus *exierunt citò*: ut explerent ſpiritualem ſitim, quia promiſerat angelus: *ibi eum videbitis.*

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI.

THEMA.

Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis, Ioan. 14.

ARGUMENTUM. ex D. Iſidoro Hiſpalenſi.

Philippus os lampadarum, vel os manuum. S. Iſidor. Hiſpal. l. 7. etymo. & l. de vita & mor. SS. n. 78.

Et alibi de S. Jacobo Minori dixit: *Homo lucis & operarius veritatis.*

STatim atque Philippus ad Salvatoris veſtigia ſequenda vocatus eſt, illuminare curavit

curavit fratrem suum Nathanaelem. Vix accensa lampas jam erat *os lanpadarum*. Sciebat quod spirituale Fratris emolumentum lucrum est monentis eum. fl. 21. n. 13. p. 430.

1. Charias Philippi satis eluxit in verbis illis : *Ostende nobis Patrem* : Non enim soli sibi petiit. Similiter in D. Jacobo : de cujus ore manibusque Metaphrastes ait : *Os in quo tamquam aliqua delicia lex erat perpetuò. Manus quæ semper movebantur ad benefaciendum.* Erat igitur vere homo lucis & operarius veritatis. Unde ex his præsertim autem ex eo quòd animas eripuerint à peccato hi duo Apostoli dici possunt lumina oculorum Domini. Eruere animas à delicto munus

Sim. Metaphra. in comm. rerum certarum S. Jacobi mi.

2. est quod exercent oculi Dei. fl. 22. n 13. p. 455. Et ex hoc munere quod præstaturus fuerat, sic erat Philippus Redemptori dilectus, ut pie sic ausis postulare dicens : *Ostende nobis* &c.

Hanc dilectionem Domini erga Philippum videre licet in eo quòd Gentiles de quibus Joan. 12. 21. ipsi proposuére desiderium videndi Jesum : quasi ad Servatorem per Philippum facillimus pateret accessus. Ille simul cum Andrea votum Gentilium obtulere Domino ? cui præstitum fuit in hoc ipso Philippi ministerio non parvum obsequium : eò quod sit verosimile filium Dei Gentiles isto attraxisse : quamvis id non affirmet Evangelista: sed S. Thom. ait : *Etiam ipsi Gentiles honorabant Christum.* Et infra: *Devotio autem Gentilium ad Christum ostenditur per hoc quòd desiderabant eum videre.* Unde non eos reliquisse privatos lumine fidei Saluatorem credibile satis est. Non mediocre gaudium obtulit ergo Philippus Domino, qui nostrûm adeo amans est, ut non videretur computare dies quibus non

S. Tho. in c. 12. Ioan. lect 4.

3 lucrabatur homines. fl. 21. n. 14. p. 430. Et sciens Philippus Dominum servare in remunerando proportionem premij ad meritum : qui ostendit hominibus Christum Dominum tamquam lampas, *os*ve *lampadarum*, confidenter postulavit ut sibi ostenderetur Pater.

Dende peculiaris amor erga D. Jacobum patet ex benevolentia qua solvit illius insignem demonstrationem doloris præstitam in triduo mortis Dominicæ. De illo S. Vinc. Ferrar. dixit : *Mortuo Domino in die veneris sancta votum vovit se non comesturum donec videret Dominum à mortuis surrexisse.* [Quid non amantia pectora coget spei desiderioque junctus angor?] fl. 29. n. 16. p. 602. Et infra : *In ipsa autem die resurrectionis, cum usque ad diem illam non gustasset eidem Dominus apparuit. . . . panem accipiens benedixit : & dedit Jacobo dicens: surge frater mi comede : quia Filius Hominis à mortuis resurrexit.* Nonnè congruentius foret ut anima Christi Domini appareret Apostolo in triduo ? Non satis ad solatium pars dilecti.

S. Vinc. Ferrar. ser. hujus diei.

4. Idem ibi.

5. fl. 1. n. 117. p. 56. Gaudium quandoque dicit sat est : ut ex ore Philippi desiderium cordis ejus protulit : *& sufficit nobis*, dolor autem absentis, oblata remedij parte, non inquiet: sufficit.

Dilectionem Domini signis probatam non paucis agnoscens Apostolus uterque solue recuravit pro Magistri decertans honore. Philippus animarum conversioni plurium annorum spatio incumbens, divinæ clementiæ condonandi multitudinem delictorum occasionem præbuit, ac sic ejus coronam illustravit mirifice : nam peccatorum venia corona divinæ majestatis est, fl. 27. n. 19. p. 562. In civitate Hierapolis occidit serpentem qui adorabatur ibi, ne cæca Gentilitas amplius eum coleret. Idola quædam sunt quæ non agnoscuntur nisi postquam destructa sunt. fl. 24. n. 33. p. 513.

6.

7. Cum esset Philippus crucifixus & in pœnam hujus crudelitatis factus esset horribilis terræmotus : *festinabant autem* (ait Metaphras.) *ut è ligno citò demitterentur: & solvunt quidem Bartholomæum : Philipus autem eorum repressit conatum.* Non sibi patitur Philippus crucem auferri, quia laboribus consolabatur. fl. 3. n. 6. p. 89. Et mox obdormivit in Domino, & ascendit obtinere quod petierat inquiens : *Domine ostende nobis Patrem* &c.

Metaphras. sup.

8. Jacobus veò in ipsa Jerusalem testatus est veritatem Evangelicam, restaurans honorem ejus qui veritas est in oculis occisorum Filij Dei. Vicit insigniter eam difficultatem quæ visitur in aperienda veritate. fl. 27. n. 6. p. 557. Imò ex Eusebio Cæsarien. multi ex Principibus per Jacobum crediderunt. *Qui verò crediderunt, per Jacobum crediderunt. In quibus cum multi etiam ex Principibus credidissent* &c. Difficilius est objicere potenti veritatem nudam, quam ipsum falsâ contumeliâ ferire. fl. 19. n. 12. p. 388.

9.

Euseb. Cæsar. l. 2. histo. Eccle. c. 23.

10. *Cum ergo septem diebus Jacobus cum aliis Apostolis in templo prædicasset coram Caipha,* inquit S. Vinc. Ferrar. Et infra de quodam audace refert sic : *Ascendit autem Homo iste super gradus ubi Jacobus prædicabat, & ipsum præcipitavit deorsum : & ex tunc claudicavit. Cum alios infirmos sanaret, noluit seipsum sanare: sed propter honorem Iesu Christi illam divisam voluit portare ut bonus miles.* Quid miramur quod se non sanaverit cum justus dolore gaudeat ? fl. 3. n. 5. p. 89.

S. Vinc. Ferrar. sup.

11. Pharisæi videntes quòd plurimos ad fidem Jesu converteret, non audentes protunc in eum mittere manus, voluerunt illum ad suas trahere partes. Dixerunt ei post amicabilia verba. *Tu ergo suade populo de Iesu ne erret, quia omnes tibi obedimus.* Ita refert Eusebius Cæsar. O grandius equidem illud malum quod pectore latet. fl. 12. n. 25. p. 273. Sed astum fæliciter vicit, & morte peremit ovante.

IN FESTO INVENTIONIS S. CRUCIS.

THEMA.

Exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3.

ARGUMENTUM.

Arbor Crucis radice firma, trunco stabilis, floribus læta, frondibus obumbrans, fructu vitalis.

S. Ambr. to. 2. in ps. 35. ad titu. S. Ambrosius. *Paradisum nobis Crux reddidit Christi. Hoc est lignum quod Adæ Dominus demonstravit, dicens de ligno vitæ quod esset in medio paradisi edendum.*

Abor Crux discordat à mundiali frutice in radicibus. Crux firmissimas generosasque jecit; mundi verò prosperitas, quamvis florentissima, peculiarique sollicitudine culta, numquam stabilis. Lignum germinans dolores fixum solet esse; non ita verò
1. illud quod fortunam temporalem spondet. fl. 26. n. 42. p. 551.

Radices inquam, S. Crucis amplectuntur terram cordis nostri ne dissipetur, & firmant illam. Proindeque mediante cruce Do-
2. minica cessant spiritualia discrimina. fl. 31. n. 14. p. 641. S. Ephrem : *Hac te lorica circumcinge, membraque tua omnia salutari signo*
S. Ephr. ser. d. S. & vivifica Cruce. *exorna, & non accedent ad te mala.* Meritò Dominus asseruit: *Oportet exaltari* &c. Nam nisi plantaretur hæc arbor, cunctus orbis periret.

Truncus offert baculum fragilitati nostræ solidissimum. Infirmitas hæc dividitur in duas. Prima est imbecillitas animi, qua velut naturaliter pavemus aggredi magna. Huic remedium invenitur apprehensa Cruce. fl.
3. 31. n. 15. p. 641. Secunda numeratur illa debilitas, quæ solet esse peccati fructus. Et ista pellitur signo Crucis. fl. 31. n. 16. p. 642.
4 Nam effectum illum culpæ non relinquit insanatum Crux, quæ medelam attulit morbo ex quo manavit, ne peritemus : *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat* &c.

O quam aliter se habent illi baculi, quos ex ramis arboris mundanæ colligis! Tantum absunt quod te sustineant ut potius tibi vires auferant instigando ad crimina. Robur emollit qui provocat in peccatum. fl. 30.
5. n. 23. p. 627. Quinimo quos putabas ex amicitiæ lege futuros necessitati tuæ sustentacula, te feriunt adversarij tibi facti. Hostem experiri quem putabas amicum, durum est
6. valde. fl. 11. n. 6. p. 251. Verus amicus ille qui ut homo non pereat, se dixit oportere Cruce levari. *Oportet.* &c.

Folia ligni hujus, cum non ea ventus rapiat, condensam parant jugiter viatoribus umbram : & non mœstam. Lœtior fortè vives in umbra Crucis quàm sub protectio-
7. ne Dei. fl. 29. n. 10. p. 600. Ratio hujus est : quia justus, licet suspicetur ex signis amoris protegentis Dei se positum ad ejus dexteram: conjicit oculos ad sinistram, quâ terretur, quia locus damnandorum est. Non ita continget ei qui se constituerit ad quodcumque latus Crucis Dominicæ : videtur enim utrumque hujus brachium esse dexterum. fl. 29. n. 11. p. 600. Bene offertur om- 8.
nibus vita semel exaltato in Cruce Domino : *Vt omnis qui credit. . . . habeat vitam æternam.*

Flores designare solent spes. Si Cruci adhæreas facilè assequéris quod expectas. fl. 29. n. 12. p. 601. Imo consequitur ultra 9.
spem qui nititur Cruce Dominica. fl. 29. 10.
n. 22. p. 602.

Fructus vitalis, idest Christus Dominus per Crucem invenitur: imò in ea sola Deum 11.
invenies. *Non est hic aliud* (dixit Jacob) Gen. 28. 17.
nisi domus Dei, & porta cæli. Et non erat hîc Deus. *Vere Dominus est in loco isto*, dixerat ipse. Quomodo nunc ait : Non est hîc aliud ? Quia disparuerat scala figura Crucis : & nisi Crux adsit, Deus non reperitur. S. Augustinus : *Quid est in scala ineum-* S. Aug. to. 10. ser. 79. de
bere, nisi in ligno pendere ? Considerate fra- temp.
tres, quis in ligno Crucis pro Judæis oraverit, & agnoscetis quis ad Jacob scalæ incumbens de cœlo clamaverit.

Attamen quamvis Crux adsit, & illi humerum supponas, oportet hoc sponte præstes : aliter Dominus, quem possidere quæ-
ris, tibi terga dabit. fl. 31. n. 9. p. 639. 12.

IN FESTO S. IOANNIS ANTE portam Latinam.

THEMA.

Calicem quidem meum bibetis. Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Vt mors dilectio.

NOtum est illud Tertulliani : *Dilectio martyrem excudit.* Hæc signat martyrium D. Ioannis : nam quamvis ad mortem crudelitas exequendam non devenerit; amor loco funeris extitit. Tertull. in Scopiac. adversus Gnostic. c. 6.

Quæstio materiam subministret unica, Qui tam valido sese dicavit affectu, cur non in passione sua tradidit spiritum ? Rationes aliquot afferam, pro Dei providentia miraculosè illum eripiente : alias adducam pro Ioannis amore, qui non petiit animam recipi suam in cælestes mansiones per tyranni sævitiam.

PRIMA PARS.

1. Noluit Servator quòd obiret in martyrio : quia licet jam plurimis prædicasset : non adhuc totam illuminaverat Ecclesiam per Evangelij conscriptionem. Oportuit quòd lux illa non solum quibusdam, sed cunctis illuxerit : sic enim plùs refulsit.

Copia pro concionibus.

1. fl. 18. n. 12. p. 372. Evangeliſtæ ſplendori congruebat ut per calamum Evangelicum offerretur univerſis, veluti gratia Dei. S. Iſidorus Hiſpal. de illo ſcribit : *Joannes quodam vaticinio ex merito nomen accepit : interpetratur enim : in quo eſt gratia, vel Domini gratia. Amplius enim eum cæteris Apoſtolis dilexit Ieſus.* Unde colliges eum non
2. ſolum ſanctum, ſed quodammodo ſanctitatem vocari poſſe. fl. 18. n. 28. p. 379. Proinde cum gratia, quia ſpiritualis eſt, ſit quid immortale, Ioannes tyranno traditus mortem evaſit. Nihilominus calicem Domini bibit : *calicem quidem* &c. imitatus divinitatem Redemptoris in hoc quod iſta ſimul cum ſacratiſſimo corpore oblata eſt in Cruce, non tamen divinitas fuit mortua.

S. Iſid. Hiſp. l. 7. etymo. c. 9.

2. Sic Dei Filius præordinavit, ut altiùs aſcenderet amor Ioannis. Velut enim ſagitta manu alienâ retrotrahitur ut ſublimiùs evolet : ita diſcipuli dilectio vitam concupiens immolare, detinetur ne mortem à crudelitate ſuſcipiat, & ſic fertur vehementiùs
3. in ſublime. fl. 9. n. 10. p. 225. Sed quare non potius, ut miraculo tyrannidem impediret Deus, illum reddidit inviſibilem ne comprehenderetur ? Quia nullum in hoc meritum acquireret Ioannes. Deus autem nonnunquam in creatura nonvult gloriari,
4. niſi hæc inde meriti lucrum accipiat. fl. 1. n. 7. p. 4.

Aliud peregit Omnipotentia miraculum ſcilic. quod ignis olei ſuppoſitus dolio vim amitteret : quia Ioannes meritis cumulabatur ita, calicique Domini ſimilem exhauriebat. Dyoniſius Carthu. *Calicem quidem meum bibetis : ideſt paſſionem meæ paſſioni aliqualiter ſimilem, & propter me infligendam guſtabitis. Ioannes enim affectu ſuſtinuit mortem pro Chriſto, ferventis olei dolium ingrediendo, peſſimumque venenum potando, à quorum utroque manſit illæſus*, &c.

Dyon. Carthu. in c. 20. Matth.

3. Sic diſpoſuit Altiſſimus, ut ſupervivens Ioannes & exul in Pathmos, eximia Dominicæ dilectionis experiretur ſigna, revelationes accipiens Apocalypſeos, aliaſque cæleſtes delicias. Iuſtus poſtquam pa-
5. titur pluris fit à Deo. fl. 18. n. 8. p. 369.

4. Noluit Redemptor, ut adeo citò dilectus diſcipulus è medio tolleretur : nam
6. cui occiditur amicus, feritur nimis. fl. 33. n. 30. p. 679. Amicitia ſatis hæc oſtenditur in ſodalitate patiendi : *calicem quidem meum bibetis.* Chryſoſtomus ibi : *Magna vobis certe bona prædico : martyrij enim corona potiemini, & violentâ morte, ſicuti & ego à vita decedetis.*

Chryſoſto. to. 2. hom. 66. in Matt.

SECUNDA PARS.

Nunc ad rationes quare S. Ioannes Evangeliſta non petiit à Deo, ut ſpiritum ſuum in martyrio ſuſciperet.

1. Vellet charitas ejus per majus vitæ ſpatium Eccleſiæ prodeſſe doctrinâ : nam
7. torquetur amor ſi docere non ſinitur proximos. fl. 15. n. 10. p. 308. Et minus Deo placeret ſi tædio preſſus laborum cuperet
8. accelerari ſibi quietem perpetuam. fl. 4. n. 6. p. 131. Non dixit Redemptor : ſedebitis ad meam dexteram in beatitudine; ſed veluti ſi rem eis magis placitam ſponderet ait : *Calicem quidem* &c.

2. Promiſerat ei Dominus paſſionem ſuæ ſimilem quadantenus. Non deſideravit igitur Ioannes in olei tormento, ſed in Cruce mori. Cumque negaretur hæc ipſi, voluit in ſpe gloriæ ſuperſtes vivere : nam ſpes gloriæ ſimillima cruci. fl. 29. n. 15. 9.
p. 602. Ut ſic expreſſiùs adimpleretur promiſſio Magiſtri : *Calicem.* &c.

3. Quamvis pluſquam verum ſit illud S. Anſelmi : *Ioannes in ferventis olei dolio miſſus, & in Pathmos relegatus, animo non defuit martyrij.* Nihilominus qui videret eum ex hoc evaſiſſe miraculoſe, forſan putaret illū id petiiſſe à Domino ex amore vitæ; cum tamen totus arderet charitate nō ſolum erga Deum ſed erga Eccleſiam, cui vita ejus adeo fuerat neceſſaria. Excellens opus amoris igitur extitit iſtud quod tegitur utilitatis propriæ putatæ velo. fl. 1. n. 4. p. 3. E- 10.
reptus eſt ergo, promiſſioque Servatoris impleta fuit : *Calicem quidem* &c.

S. Anſel. in c. 20. Matth.

4. Vidit Ioannes quòd per mortem feſtinaret ad coronam; per evaſionem perſeveraret in vitæ pugna : cupiit augere merita, licet præmium differretur. fl. 26. n. 29. 11.
p. 58. Ideo dixit ei Præceptor divinus : *Calicem quidem meum* &c. non tunc ſpopondit cathedram : nam licet quæ diximus tunc ignoraverit, poſtea ſcivit apprimè. Optimo jure ſic Diſcipulus merita ſua peroptabat incrementari : nam ſi præmium decus unum eſt, meritum bis honorat. fl. 3. n. 56. 12.
p. 118.

IN FESTO S. ANTONII Olyſſiponenſis.

THEMA juxta ritum conceſſum pro Regno Portugalliæ.

Vos eſtis lux mundi, Matth. 5.

ARGVMENTVM.

Lux ardens, lucens, urens, & illuminans.

HÆc omnia permixtim patebunt ex ejuſdem vitæ ſerie, quam ſolita brevitate deſcribam : ejuſdem ſancti teſtimoniis illuſtrabo.

Natus eſt Olyſſipone, quam decoravit ortu ſuo. Non honorantur Sancti ex patria nobili : quia patriam non agnoſcunt in terris, cum ſint ibi peregrini. S. Antonius Olyſſip. *Animæ igitur ſanctorum quamdiu ſunt in corpore, ſunt quaſi peregrinæ in carcere, in vinculis, in tenebris, in exilio, inter hoſtes.* Econtrariò etſi non aliud eſſet quo civitas condecoraretur, nota fieret ex eo quòd Sanctos genuerit. Joan. 1. 44. *Erat autem Philippus à Bethzaida civitate Andreæ & Petri.* Cur non deſcribit civitatem hanc ex loco ubi ſita erat ? vel provinciâ ad quam pertinebat ? Quia erat urbs parva, ideo enim à Domino vicus appellatur apud Matthæum

S. Ant. Olyſ. ſerm. 1. de uno martyre.

1. Ioan. 1. 44.

Matth.8.26. Matthæum. Ut illam Evangelista nobilitaret, annotavit fuisse patriam sanctorum, *civitate Andreæ & Petri.* Licet Olyssipo non esset orbis in urbe, sufficeret ut insigniretur inter alias quod Antonij cunis potita fuerit. Erat *lux mundi:* & hæc non accipit splendorem à loco in quo accenditur; sed econtrariò. Sic ille nascens fuit lux illuminans.

Fulgor iste fovebatur à parentibus educationis rectæ mira sollicitudine. Sed non ideo ardens flamma tuta dici poterat à vento (seu mundo) proindeque religionem Canonicorum regularium quæsivit, ut silentio, & peculiari clausurâ lateret. Virtutem in publico sæpe non consummabis, fl.20.n.30.p.413. Quam sit opportuna fuga

2. S.Anton. Olyssip. ser.9. de Apost. sæculi probè norat S.Antonius, qui dixit: *Mundus relinquendus est propter suam fraudulentiam.* Erat ipse *lux mundi*, velut sol qui se abdit quotidie, non se hominum denegans utilitati, sed ut melius prosit lucens, & illuminans.

Accensus ardore martyrij, strictioriſque vitæ cupiditate motus transivit ad Ordinem Seraphicum, imitatus Redemptorem, de

Idem ser.3. de virg. quo S. Anton. dixit: *Bis mutavit habitum Christus pro nobis: scilic. in incarnatione, in quâ habitu inventus est ut homo: & in Sacramenti institutione.* Similiter Anton. bis mutavit habitum: & jam consummatus in una perfectione, revertitur per aliam ad initia. Sed ô quam gratum est Deo animam videre

3. Luc.12. 49. positam in primordiis post virtutis progressus! *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur.* Exponit S.Anton. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat? Sicut enim ignis supremus est in candela, ita charitas inter virtutes.* An Dominus amoris ignem volebat accendi tantum? nonne cupiebat augeri, centrumque petere flammis? Ita: sed vellet ut ad fervorem primitivum conservandum reviseret exordia rursus dilectio: quasi denuo semper accenderetur: *Quid volo nisi,* &c. Amor Antonij nova professione religiosa desiderata reaccenditur, quin extinctus fuisset imitatus Phœbum (erat enim *lux mundi.* Quem non piget quotidie renasci. Et quamvis altissimè lucens & ardens, ad incunabula novitiatus regreditur.

Serm. 2. de uno conf.

Frustratur divinitus Antonio cupiditas martyrij: sed moriendi voluntas mortificata placuit amplius Deo, quam accepta foret

4. executio. Cur non percontatur Dominus filiis Zebedæi an velint calicem passionis bibere, cum non stet meritum in eo quòd possint, sed in volendo? Quia respondeRent: volumus, & huic volitioni, quæ protunc erat impedienda postea per Domini providentiam (*finite hos abire*) quasi non posset Filius Dei negare primas cathedras. Cumque istas eis conferre suum non esse dixerit, noluit ut exprimerent votum sequendi vestigia Dominicæ passionis. Inde conjice quam placeat hoc Altissimo. Et peculiariter in Antonio Deus dispósuit ut cupiditas patiendi cessaretur, ad hoc ut qui *lux mundi* fuit ardens amore, foret etiam lucens & illuminans plurimos, urensq; vitia.

Amore ductus videndi S. Franciscum venit ad Capitulum generale, ubi despectus vix invénit superiorem qui seligeret eum in subditum. Secessit in monasterium montis Pauli: ubi aquâ & pane victitans, humilibus deditus exercitiis degebat adhuc *lux mundi* jam ardens & lucens, nube tamen contecta. Sapientiam tegere arduum, fl.21. n. 12. p. 429. Noverat hoc Antonius qui dixit: *Humilitas tenet hominem firmum, licet sit tota inter prospera & adversa. Inter prospera, quia nec humana laude extollitur. Etenim sicut aurum probatur in fornace: sic virtus humilitatis ore laudantium non evaporat fumum vanæ gloriæ,* &c. Serm. fer.3. in Passione.

Sed non post nimium temporis, jussu quodam prælati ducente, lux posita fuit super candelabrum. Sapientia splendet ubi communicatur, fl.32.n.38.p.666. Totum igitur se tradidit utrique muneri: scilic. instruendi proximos, & quiete contemplationis fruendi. Sciebat enim quod ipse docuit inquiens: *Vita activa tamquam pars inferior debet servire contemplationi: quoniam inferior pars non est nisi propter partem superiorem.* Nec unum obsistebat munus alteri: nam virtutes amicissimæ sunt ad invicem: quod uni acquiritur, alteri non detrahitur, fl. 16.n.40. p. 334. Ne prædicationem relinqueret dimidiatam præsentias duplicavit ut choro adesset eádem horâ. Dignus equidem duplici loco Sanctus qui seipsum pro virtutis actibus multiplicare cupiebat. *Dispono vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut.... sedeatis super thronos,* &c. & in Apocalypsi dicitur: *Qui vicerit dabo ei sedere meum in throno meo.* Si cuique Apostolorum thronus peculiaris decretus est: quomodo & ipsi erunt in solio Filij Dei? An duplicem obtinebunt honoris locum? Luc.22.30. Apoc. 3.20.

Sic se diffundebat *lux mundi*, quòd ad irrationalia, prout capacitas eorum sinébat, pervénit in casu piscium, & in miraculo bruti sacram Eucharistiam adorantis. Liberalitas est omnibus accommoda, pro singulorum accipientium diversitate, fl. 21. 9. n. 11. p.428

Lux mundi Antonius prædicatione sua coruscans urebat vitia, non hominem. fl.22. 10. n.46.p.470. Sed pro fragilibus ita benignâ charitate doctrinam insinuabat, ut simul piâ suavitate recrearet auditores, & communem inimicum expelleret. Remedium dæmonem feriat, recreet peccatorem. fl.12.n.20.p.271. 11. Claudat periodum insignis pietas: quâ peccatoribus non semel apparens in somnis, illos hortatus est ut surgerent, & à peccato suo per confessionem expiarentur. Ita quin isti pudorem paterentur medebatur eis. fl.21. 12. n. 15. p. 431.

Videri potest. fl. 21. à n. 30. p. 439

CONCIO EADEM SUB ALIO THEmate juxta officium universalis Ecclesiæ.

THEMA.

Lucernæ ardentes in manibus vestris
Luc. 12.

AD n.2. Lucernam vento non exponit qui servare vult. Ad. n. 3. *Lucernæ ardentes :* non dixit, lucentes, & illuminantes : patet enim nolle Dominum quod solùm ardeant: nam ardere, non autem illuminare multò minus est. Ad n. 6. Non in præcordiis lucernas dixit ut ferrent ; sed in manibus, ubi radios aliis dispergerent. Ad n. 9. Nihil est cui lucernæ fulgor non prosit, nisi sit oculis æger. At n. 10. Tenebras dissipat lucerna : minimè verò eos quos illuminat: sed istos recreat, & illas evertit.

IN VIGILIA S. IOANNIS BAPTISTÆ.

THEMA.

Multi in nativitate ejus gaudebunt.
Luc. 1.

ARGVMENTVM.

Renuntiatio crastinæ solemnitatis.

SEquenti luce cor nostrum celebritatem offeret divino Præcursori, velut ægerconvalescens à vulneribus quæ suscepit sagittis quibus petiit illũ absentia Baptistæ dilecti, sanitatem aliquatenus adeptus est per nativitatis ejus repræsentationem, quâ velut acquirit novam ipsius præsentiam: ac obsequiosus pro recuperata salute affert munera Joanni puello : nempe laudes, gaudia, desideria placendi amico sponsi, gratitudinem pro debitis, dilectionem, ac memoriam disertam. Singula trutinabimus.

Laudes inquam, Baptistæ dedicabuntur: quibus ille quamvis humillimus exultat, eò quòd ejus laudatio sit præconium divinæ
1. majestatis. fl. 8. n. 17. p. 216. Parcè, licet verè, dixit Pet. Dami. loquens de Joanne: *Non derogamus regi, si regis militem honoramus.* Addere posset : extollimus principem, cum servum illius prosequimur honore.
S. Pet. Dami. ser. 1. de Bapt.

Dicet aliquis: Et quam dicamus oblationẽ Joanni, cum ei suamet sacramus præconia? Nonne ipse novit excellentias proprias ? Vereor ne dicere possimus illas ignorare
2. (fl. 26. n. 38.) cum tamen sic patuerint ut quamplures fecerint exultare in ipsius ortu. *Multi in nativitate* &c.

Gaudia præparemus exortui Joannis: nam illa benignus accipiet ita quod nobiscum simul gaudere perhibeatur. Quomodo (inquis) gaudio perfunditur ille de seipso? Vide
3. fl. 17. n. 24. p. 352.

Si rectè perpenderimus lætitiæ causas occurrentes in Ioannis nativitate, ita collætabimur, ut exultatio nostra similis videatur cælesti voluptati : nec enim de aliorum lachrymis componitur, ut mundana ; sed ad multos extenditur, sicut accidit cum ortus est. *Multi in* &c. Ne tamen decipiamur putantes nos in cælorum fælicitate constitutos cum de Baptistæ natali gloriamur ; cruciabimur desiderio præ illius absentiâ. Difficillimè quidem desideria superari valent, quæ ab amore Joannis enascuntur. Occisus est Baptista. *Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum.* Præ dolore de morte amici Dominum discessisse non dubito. Sed qui necem Præcursoris doluit, cur non impedivit ejus occisionem? Quia vicit amorem ut locus daretur coronæ martyrij: quandiu namque dilectioni desiderium non jungitur absentis dilecti, bene ordinatus amor à prudentia superatur. Postea mortuo Ioanne, desideriis ejus torquebatur cor Domini : quibus conjunctum vix aliquis vincit affectum.
4. Matth. 14. 13.

Deinde cordis nostri votum, quo Joanni placere quærimus, ei mane dicabimus, & obtinebimus. Non tam Baptistæ morigerabimur in eo quòd eum afficiemus honore: sed ampliùs quia Deus exhinc honorabitur. Præcursori plus complacet Altissimi præconium, quàm suum. fl. 20. n. 22. p. 409.
5. Quinimò si quæras quid ampliùs Baptistæ placeat: nostrane dilectio an decus proprium: Solvam pro amore. fl. 8. n. 14. p. 214. Non dixit angelus Zachariæ : multi in nativitate illius eum condecorabunt : sed : *gaudebunt :* quia hoc est amoris indicium.
6.

Memoriam insuper nostram hortemur, ut ad festivitatem, quam prævenimus præstò sit : & in oblivionis anathema *scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui : scribamus prænuntium Christi non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Hæc Ambrosius. Festum ergo Joannis celebret memoria nostra: Sed oportet quod hæc
7. ratione utatur, ad hoc ut simul penetret excellentias. Cur Zacharias dubitans plectitur potius in lingua, quam in mente, quâ hæsitavit ? Quia cum in die nativitatis Baptistæ non adhuc à pœna propter dubitationem inflictâ futurus esset liber : congruum non foret, ut eo nascente careret usu rationis parens, aliter vix impleretur illud : *Erit gaudium tibi* : nam *Zachariæ memoria Domini*, juxta S. Isidorum Hispal. interpetratur : & memoria debet esse diserta, ut plaudat ortui Præcursoris. Verum est quod amplius exultaremus, si nobis concessum foret exactè nosse quantus ille sit, quo non surrexit major. At humillimus ipse gaudet quòd non omnimodè celsitudinem ejusdem nos introspiciamus. Ideo ne displiceret Joanni quòd ejus præconia discipuli sui cognoscerent apprimè Salvator post illorum abscessum, laudavit illum. Trahi possunt huc ea quæ dixi. fl. 26. n. 35. p. 547. *Multi in nativitate* &c. Sed an exceptis parentibus agnoscebant cæteri quænam esset puelli dignitas ? Imo hærebant dicentes : *Quis putas puer iste erit.*
Ambr. tom. 3. l. 2. in huc. c. 2.
Luc. c. 14. S. Ibid. Hispal. l. 7. Etym.
8.

Gratitudinem

Gratitudinem advocemus ut adsit festivo nimis diei. Quantum debeamus Præcursori judica legens D. Bernardum. S. Bern. ser. de Nat. Bapt. *Ponamus*, inquit, *tamen necdum venisse Ioannem: necdum significasse de Christo. Ubi salutem quærimus?* Cum spes quæ differtur sit molestissima, tamen ille sustulit ejus molestiam, insinuans orbis expectationem citò complendam: *appropinquavit enim regnum cœlorum.* Spes festinanter explenda lætitiam affert ante possessionem. 9. fl. 29. n. 6. p. 598. Morralium spes ferè languentes ita Joannes roboravit, ut expectantes reddiderit similes possidentibus fl. 23 n. 18. p. 481. *Multi in nativitate* &c. 10. sed postquam prædicare cœpit, omnibus gaudium obtulit.

Amorem, qui gaudij solet esse diadema pedibus nascentis Baptistæ sistamus. Diadema, inquam, nam eximio decoratur honore qui Joannis amator esse dignoscitur. Aliqui Præcursoris discipuli detulerunt ad eum 11. quod Christus Dominus magistri mnuus exerceret. Joannes ut istis insinuaret quantum sibi deberet anteferri Dei Filius, hæc verba protulit: *Qui habet sponsam sponsus* Ioann. 3. 29. *est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi: Hoc ergo gaudium meum impletum est.* En amicum se Redemptoris affirmat: & putabam dicturum potius foret semetipsum servum ejus. Cur non ita? Quia sic ejus ori Dominus idem sermonem instillavit: nam si Baptista se diceret Assertoris nostri servum, ipsum declarabat omnium Dominum. Pluris ducit Salvator agnosci dilector Joannis: & hoc præcitatis verbis expressum est dictante Domino quia cedebat in Jesu Christi decus non vulgare.

Adde quòd ipse gloriæ Princeps majoris facit amicum haberi Baptistæ, quam se 12. Deum credi. Secundò meditemur discessionem Servatoris in desertum post Joannis mortem. Quare nuntiantibus istam non respondit: quod ad me defertis ego prior vobis agnovi? accipit nuntium, & permittit putari quòd antea nesciverit hoc, quasi Deus non esset? Parvipendit quòd protunc non existimaretur Deus: dummodo pateret amare se Baptistam. Si responderet: quod mihi nunciatis jam noveram qui cuncta scio, Deum se diceret: sed argueretur non diligere Joannem, cum agnita priùs ipsius nece, nullum doloris usque tunc exhibuisset documentum. Sicut quòd sibi tamquam ignaro res nuntiaretur, quia cum statim discessu probaverit suo quantum de morte doleret amici, satis hoc ad commendationem suam honorificam Dominus putavit.

IN FESTO S. JOANNIS Baptistæ.

THEMA.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa & congratulabantur ei Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Stella matutina.

CHrysologus: *Jam nascatur Ioannes, quia instat nativitas Christi: surgat novus lucifer, quia jubar veri solis erumpit.* Chrysolog. ser. 91.

Sex radiis micat sydus, scilic. nobilitate, cognitione, lætitiâ, fortunâ, merito, ac divitiis. Hæc omnia simul auspicatissimam reddunt ejus nativitatem.

Primus radius nobilitas. Excedit ordinem naturæ: nam filius est gratiæ. Chrysostomus: *supervenit gratia sancti Spiritus, & genuit supra naturam: aliud enim est naturæ opus, aliud gratiæ. Erat enim miraculum quod fiebat ab Ioanne, & non tantum habebat paterni generis, quantum Dei Verbi.* Si conceptio Baptistæ fuit miraculosa; partus verò minimè suppositâ conceptione: cur angelus non dixit: Elizabeth concipiet; sed pariet? Quia filiatio contrahitur in conceptione; non autem in partu. Sileatur conceptio, ut gratiæ tribuatur tamquam genitrici Joannis. 1. Chrysost. hom. 2. de Nat. Bapt. apud Metapl.

Filius, inquam, gratiæ sic dilectus, ac si foret Unigenitus illius Præcursor. *Visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.* Usque tunc Verbum incarnatum visitaverat solum Joannem (juxta illud notissimum Ambrosij: *Superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem.* Quomodo igitur ait visitavisse plebem, hoc est, ut exponit Hugo Card. *visitavit mundum*? Quia sic dilectus erat Baptista, quasi nullus alius esset justus in terris. 2. Luc. 1. 68. Amb. to. 3. l. 2. in Luc. c. 1. Hug. Card. in Luc. 1. 68.

Secundus radius, rationis usus anticipatus. D. Ambrosius: *Habebat intelligendi sensum qui exultandi habebat affectum.* Quare tam citò? Ut beneficium gratiæ nosceret. Dei donum qui non intelligit, non accipit. fl. 17. n. 42. p. 360. Abro. supra c. 2. 3.

Isto radio clarè stella prævia designabat quòd Sapientia Patris esset ille sol quem præcedebat: nam ad scientiæ divinæ decus videtur satis quòd manifestum sit elegisse Baptistam in amicum suum, cujus intellectus ultra naturæ vires manicavit. *Exultavit infans in utero ejus.* Et cur non similiter exultationem ostendit puer Jesus in claustro virgineo B. Mariæ? Quia si accideret ita, pateret quòd ratione Christus Dominus utebatur in viscеribus Matris clausus. Hoc cederet equidem in honorem in- 4. Luc. 1. 41.

carnatæ ſapientiæ : ſed ut glorificetur iſta, ſatis quòd idipſum intelligamus de Baptiſta, legentes exultationem ejus intelligentiæ ſignum. Denique ſic diſertus eſt natus Præcurſor, ut ipſa nativitate docuerit excellentias divinæ miſericordiæ : *Audierunt vicini* &c.

Tertius gaudium ſyderis radius eſt: quia non in vinculis peccati fuit ortus. S. Maximus : *Solus Baptiſta Domini ultra legem naſcentium nativitatem ſuam lætitiæ exultatione prævénit.* Et quare non Joannem omnipotentia præſervavit ab originali noxa ? quia recordatio hujus infelicitatis poſtea faceret ei lætiorem nativitatem. fl. 1. n. 104. p. 50. Sic de matre dicitur : *Congratulabantur ei :* quia ſcilic. præceſſerat ſterilitas.

S. Max. hom. 1. de Bapt.

5.

Quæro. Duo gaudia perfundebant in ortu Præcurſorem : primum ex acceptis à Deo gratiis : ſecundum, quia naſcens teſtimonium ore muto proferebat in exaltationem divinæ miſericordiæ : *audierunt.... quia magnificavit Dominus miſericordiam* &c. Qualenam ex iſtis lætius fuit? ſolve pro ſecundo : quia majus quid eſt quòd creatura Deo præbeat honorem ; quam quod acceptat. Denuò ſolvam dubium cui reſponſum aliorſum adhibui concione præterita. Cur, inquam, ibi loco citato Baptiſta non ſe dixit ſervum ſponſi ; ſed amicum ? Quia Sponſus admittens benignè ſervos ſuos ad nuptias, honorat eos : amicos verò vocans ad illas, honoratur ab eis: Dicatur Joannes amicus & non ſervus, quia plùs fuit horæ ſponſum afficere, quàm honorari ab eo. *Audierunt vicini* &c. Quid? Non ait audiiſſe quod extaltavit Dominus Baptiſtam, ſed: *quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam : quod ſane præſtavit media nativitate Vocis Dei.*

6.

Quartus radius, fortuna coram Deo, & hominibus. Coram Deo inquam, non aliis eſt ſatis quod vocentur ab illo ; Joannes quærebatur à Domino. fl. 3. n. 68. p. 124. Necnon coram hominibus : quia dilectus fuit ab eis, non propter accepta beneficia ſanitatum, vel ſimilibus : ſed velut ex inclinatione cordis. *Præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Ergo quare non patravit miracula ? De Elia dicitur: *Amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis ;* & de Baptiſta : *Ioannes quidem ſignum fecit nullum.* Ut acceptus eſſet Præcurſor hominibus, & venirent ad eum non egebat operari portenta : eos amor traheret In Elia oportuit miraculoſis operibus, ejus voci corda ſubjugari. In vicinis invidia ſolet vigere ; ſed hoc in fortunato Baptiſta ceſſat. *Audierunt vicini.... & congratulabantur ei.*

7.

8.

Luc. 1. 17.

Eccli. 48. 4.

Ioan. 10. 41.

Quintus radius meritum: in quo ſatis auctus ortus eſt : non enim accepit in utero fruſtra rationis uſum. Origenes: *Valde quippe indignum eſt in puncto exultare infantem, repletamque eſſe Spiritu ſancto Eliſabethã per tres verò menſes nec Ioannem, nec Eliſabeth, ex vicina Matris Domini, & ipſius Salvatoris præſentia profeciſſe.* Proinde jam incepit in ſua nativitate magnus. *Ille erat lucerna*, quare non de Joanne Dominus dixit : erat ſol ? Quia ſol minus lucet in ortu; lucerna verò cum accenditur, jam ſplendet jubare toto.

Orig. hom. 9. in Luc.

9.

Ioann. 5. 35.

Dubitabis ubinam claruit amplius meritò. in martyrio, an in viſceribus matris ? Vide ſolvi ne dubium valeat pro ſecundo : quia dum occubuit, explevit dilectionis vota ; clauſus in utero violentiam patiebatur ejus amor, quòd videtur difficilius. Inviſit Baptiſtam in præcordiis poſitum Eliſabethæ Dominus ; & non in carcere. Cur ita: Quia vinctus demonſtrabat amorem Dei, & patiendo ſaturabat affectum, quem tegebat difficulter, nec explebat, antequam natus eſſet. Chryſoſtomus *non fert enim præſente Domino contineri, non ſuſtinet naturæ expectare terminos, ſed contendit rumpere carcerem ventris, & ſtudet præſignificare venientem Salvatorem.* Si hæc ſcirent qui loquentes matri *congratulabantur ei*, potius puello de nativitate congratularentur.

10.

Chryſoſt. ſupra.

Sextus radius, divititiæ ſpirituales. Ita natus eſt opulentus gratiis, ut videatur potius dicendus ſanctitas quam ſanctus. fl. 18. n. 28. p. 379. Hugo Cardin. ad 84. locum pſ. *ideſt Ioannes Baptiſta præcurſor erit Chriſti.* Dicti ratio ſit hæc : Alij juſti ſequuntur exempla Chriſti Domini : unde incipiunt venientes à longè, poſteaque propius accedunt : Joannes autem non ſequebatur veſtigia Domini, ſed præibat. S. Auguſtinus : *Hic ergo Ioannes non invenitur inter diſcipulos Domini*, &c. Verſare liceat iterum eadem verba Pſalmiſtæ quæ proxime citatis verbis Hugonis Card. explicantur, ſcilic. *Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.* Videbitur illud : *Ponet in via greſſus*, dictum ſuperfluè fuiſſe poſt verbum *ambulabit.* Falleris : nam alij juſti ponunt plantas in veſtigiis Domini, cõmenſurantes eis greſſus quos faciunt ? Baptiſta verò non in veſtigiis Chriſti; ſed in via poſuit greſſus ſuos, quia præibat.

11.

Hug. Card. in pſ. 84. 14.

S. Aug. to. 10. ſer. 25. de SS.

pſ. 84. 14.

IN FESTO S. PETRI Apoſtoli.

THEMA.

Tibi dabo claves regni cælorum.
Matth. 16.

ARGVMENTVM.

Quatuor claves traditæ Petro, ſcilic. doctrinæ, ſeveritatis, clementiæ, ac exempli.

BEd. ibi. *Claves autem regni cælorum ipſam diſcernendi ſcientiam potentiamque nominat, qua dignos recipere in regnum, indignos ſecludere, debere à regno.* Theophilactus ibidem. *Claves autem intelligas quæ ligant & ſolvunt, hoc eſt delictorum vel indulgentias, vel pœnas.* Et infra : *Cæli autem dicuntur & virtutes, quarum claves ſunt bonæ operationes. Nam operando ingredimur, quaſi per claves quaſdam aperientes unamquamque virtutum.*

Bed. hom. in id Evang.

Theophylac. in Matt. c. 16.

CLAVIS

CLAVIS DOCTRINÆ.

Clavis hæc symbolum honoris est. Quantum Deus honoret eum cui delegavit animarum instructionem! fl. 22. 52. p. 474.

1. Chrysostomus: *quid autem Petro quoque dicemus, qui est dulce Ecclesiæ spectaculum? Is revera est lampas universæ terræ.* Exhinc splendet valde Petri dignitas: nam luminare ducens ad agnitionem veritatis peculiari jubare fulget. fl. 18. n. 29. p. 379. Hujusmodi clavi prudenter Apostolus utebatur, nam aliquando claudere quibusdam scientiam congruebat. fl. 15. n. 12. p. 309.

Chrysost. hom. in hoc festo apud Metaph.

2. Ideo non dixit Præceptor divinus: tibi dabo sceptrum regni; sed *claves*, quia sceptrum non claudit.

3.

CLAVIS SEVERITATIS.

Hâc sic utebatur ut cuperet evertere delictum; non autem peccantes. fl. 3. n. 20. p. 95. Amabat ut pastor oves Domini sui: amor autem simul reprehendit & excusat. fl. 13. n. 19. p. 284. Hic amor gregis ita

4. gratam reddebat Apostoli potestatem, quòd

5. ei subdi fuerit nimiùm desiderabile. Imo vereor ne Filius Dei concupierit subditus esse Petri. fl. 22. n. 30. p. 464. Non inquit Redemptor. Tibi dabo claves Ecclesiæ; sed;

6. *regni cælorum.* In cælis futurus erat Assertor noster non post longum spatium vitæ: an esse desiderabat ille sub Apostolorum Principis custodia?

CLAVIS CLEMENTIÆ.

Clementiam suam, tamquam vicario, Deus commisit Petro. Omnipotentiam quidem tradidit ei, concedens miraculorum potestatem, & cupiens ei cedere gloriam.

7. fl. 22. n. 31. p. 464. Sed amplius est clementiam divinam ei delegavisse: nam faciliùs Deus homini potentiam confidit suam, quàm

8. benignitatem. fl. 22. n. 25. p. 461. Vtrumque tamen libens Dei Filius Apostolo dedidit: quia non recusabat Salvator ei videri com-

9. par. fl. 22. n. 28. p. 463. Christi Domini vice loquens angelus ait ad Joannem: *Ha-*

Apoc. 1. 18. *beo claves mortis & inferni*: de Petro legimus: *Tibi dabo claves regni calorum.*

CLAVIS EXEMPLI.

Opere tamquam injecta clave, cœlos, ideſt virtutes aperuit sibi ac nobis. Clavis dicitur opus bonum, quia signum illa dominij solet esse: justus enim peculiare dominium videtur habere in operando. fl. 17.

10. n. 52. p. 364. Cor illud quod Apostolus doctrinæ clave non plenè reseraverat, exempli clave fœliciter aperuit. Exemplum est

11. præcipua pars magisterij. fl. 22. n. 47. p. 470. Manserunt ista clave non solùm aperta córda, sed viceversa cordibus perviæ factæ

12. sunt virtutes. Exemplum difficultatem imminuit bene operandi. fl. 17. n. 53. p. 364.

IN FESTO VISITATIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Magnificat anima mea Dominum.
Luc. 1.

ARGUMENTUM.

Maria visitans Elizabeth ostendit magnum liberalitate, potentiâ, majestate, dilectione, sapientiâ, dominioque Deum.

VOx, Magnificare, inter alias expositiones hic accipit istam: ideſt magnum ostendo. Dyonysius Carthu. ibi: *Illum magnifico, ideſt magnum, summum, immensum fateor, contestor, demonstro* &c. Dyoni. Carthu. in c. 1. Luc.

Supponendum ex D. Bernardino, quòd *in tertio Virginis verbo quo salutavit Elizabeth, statim talis impressio subsecuta est, quod Joannem in utero matris sanctificavit.* S. Bern. to. 3. serm. 6. art. 1. c. 3. Sic Deipara liberalitatem Domini, potentiam, majestatem, dilectionem, sapientiam & dominium demonstravit magna.

Verè gratiâ plena Maria: manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cujus munificentiâ, tam copiosè tam magnificè principaliter in Matrem, de Matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Ita Guerricus Abb. Deus in Mariam largissimus ut hominibus superefluat. fl. 1. n. 59. p. 29. Summa largitas Dei visitur in eo quòd Baptistam mediante Virgine sanctificaverit, gratis donans ei sanctitatem. fl. 23. n. 31. Largitatem ergo Divinam Deipara tanquam instrumentum Altissimi hodie *magnificat.* Guerr. Abb. ser. 1. de nat. Bapt. 1. 2.

Potestatem suam ad munus prædictum exhibendum delegavit Mariæ Dominus: & inde splenduit omnipotentia? Quæ relucet communicata. fl. 7. n. 18. p. 199. Et cùm facit apparet instar plurium. fl. 7. n. 19. p. 200. 3 4.

Majestas Authoris gratiæ fulsit ibidem: non enim per Mariam Joannes qualitercumque sanctificatus est; sed abunde, juxta illud: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero.* Deus tunc oculis humanis claret glorioſiùs, cum beneficium confert uberiùs. fl. 23. n. 48. p. 496. Hoc specialiter in subjecta materia verificatur: quia Joannes è captivitate dæmonis, quam per originale patiebatur, erutus est. Deo glorioſissimũ superare diabolum in nobis est. fl. 31. n. 11. p. 640. Maria terribilis ut castrorum acies, ita Satanam detriumphans *magnificat* Dominum. Luc. 1. 15. 5. 6.

Divinus amor eluxit necnon hac die, quia suasit Mariæ quod ad Joannis utilitatem accederet *cum festinatione.* Amor Dei volat ut benefaciat. fl. 23. n. 47. p. 495. Tum etiam quia non potuit non esse amoris opus conferre Baptistæ gratiam non amittendam: quia solet amans adjicere permanentiam dono suo. fl. 1. n. 30. p. 16. Adde. S. Tho. à V. N. *Prospicit* (loquitur de Filio Dei.) 7. 8. S. Tho. à V. N. ser. de Visita.

Dei) *ſtatim ſub jugo preſſum amicum, & communi tabe fœdatum: dolet amici vicem amicus pius, feſtinat liberare dilectum.* Sic. Verbi Genitrix feſtinans ad exequendum divinæ dilectionis officium, amorem illum Dei *magnificat.*

Dominium Conditoris eâdem occaſione
9. manifeſtatur. Nam Deus videtur eſſe ditior datis, quam poſſeſſis. fl. 23. n.22.p.483. Et ne putaretur eſſe tantùm dominus Baptiſtæ poſt nativitatem, exercuit arbitrij ſui propoſitum antequam oriretur ille. An Deus id tantùm exiſtimat eſſe tempus ſuum quo
10. benefacit. fl. 23. n. 25. p. 484. Dominationem igitur Creatoris *magnificat* Maria præveniens Ioannis fortunata natalia.

Item ſapientia Dei tunc micavit inſigniter: primò quia fœdus iniit amicitiæ cum Baptiſta, quem non ſolus amicum elegit
11. amori ſed comite ſapientia. fl.11.n.5.p.251. Et accedit divinæ ſcientiæ propriiſſimum fuiſſe communicati Præcurſori, cum ejus
Idem, ſupra. intellectum expedivit in utero matris. *Ioannes non ſolum à peccati contagio mundatur, ſed etiam accelerato judicio præſentem inſpicit:* ait S.Tho. à V. N. neque veroſimile quòd uſum rationis contulerit, quin iſtum valde illuminaverit. Et in hoc ſublimitas apparet ſapientiæ Dei: ſapientia quippe ſu-
12. blimior communicatur. fl.15.n.25. p. 299. Tot nominibus exaltans Unigenitum, jure dicat optimo Virgo ſanctiſſima Parens: *Magnificat* &c.

IN EODEM FESTO, ALTERA concio ad Congregationem Operibus miſericordiæ incumbentem in Regno Luſitaniæ.

THEMA.

Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me. Luc.1.

ARGUMENTUM.

Offertur ab egeſtate clariſſimo exemplari miſericordiæ ſupplex libellus.

DUbium genitricis Baptiſtæ ſolvam contentum in themate. Motivum hujuſce viſitationis extitit quod narro. Miſericordiæ tribunal in corde Matris Dei aderat, eique ſupplicatio pro remedio cujuſdam pauperis oblata fuit in hunc modum. Ait neceſſitas, quam patitur Joannes, illum ſummè cruciari triplici de cauſa: primò quia nobilis egenus: ſecundò quia mendicare non valet: tertiò quia paupertas quam patitur (ſcilic. peccatum originale) periculum affert offendendi poſtea Deum. Ex quibus poſtulat remedium, & accipiet charitatis donum.

Placuit ſupplex libellus exceptis duobus ultimis verbis, quæ delevit miſericordia Matris Dei, & eorum loco addidit: quaſi juſtitiæ debitum. His adjectis, in hæc verba ſuſcripſit decretum: Jubet miſericordia Deiparæ ſollicitudini, ut quærat feſtinanter Baptiſtam, & petens à Deo gratiam illam diſpendat, eumque ſublevet. Ita peractum eſt. S. Gregorius. Thaumatur. *Vox igitur Mariæ efficax fuit, & Spiritu ſancto replevit Elizabeth, ac veluti ex perenni quodam fonte inſtrumento linguæ, flumen chariſmatum per Prophetam cognatæ ſuæ emiſit.* Expendam tria motiva quibus nitebatur poſtulatio. S. Greg. Thom. ſer.2. de Annum.

Sed prius nota quòd non Baptiſtæ, vel Elizabethæ nomine ſupplicatum eſt, ne videretur cognationi, vel amicitiæ delatum, & non indigentiæ. Paupertas anteponenda venit amicitiæ. fl.2. n. 21.p.76. Imo ipſi dilecto potiùs donandum eſt munus quia eget, 1.
quàm ex eo quòd ametur à donante. fl. 12. 2.
n.12. p. 265. Elizabeth quærit: unde hoc mihi &c. Reſpondeo non à conſanguinitate, non ab amicitiâ; ſed ab inopiâ Joannis. Primum ſuprapoſitæ petitionis motivum eſt nobilitas. Penuria ſanguine clari ſynonyma neciseſt. fl. 16. n. 12. p.320. 3.

Et præſertim quia cum abundabat olim, eleemoſynas erogavit, & circumſtantia hæc torquet eum poſtea preſſum à miſeria. fl. 2. 4.
n. 16. p. 74.

Motivum ſecundum incapacitas poſtulandi. Pluſquam humanum videtur pati neceſſitatem, nec auxilium flagitare. fl. 23.n.45. 5.
p. 494. Ideo qui prævenit pauperem ne pudeat in petendo, acceptior Deo eſt. fl. 3. 6.
n. 12. p. 93. Idcirco ſanctiſſima Virgo, Baptiſtam dum poſtulare non poterat quæſivit, ut tamquam gratiæ diſpenſatrix illi ſubveniret. Hoc neſciebat Elizabeth, propterea ſciſcitatur: *Vnde hoc* &c.

Motivum tertium fuit quòd miſeria (originale ſcilic.) occaſio eſt peccatorum. Applica multorum indigentiæ. S. Ambroſius: *Pleroſque indigentia cogit in flagitium, impellit in crimen.* Sic una tradit in aliam inopia, certèque majorem: nam peccatum eſt penuria reſidens in corde: tunc autem verior eſt paupertas cum penetravit ad cor. fl.22.n.51.p.472. Cum ergo per eleemoſynam 7.
itur obviam peccatis, quæ veniunt ab egeſtate, magnum exhibetur charitatis opus, ac ſimilæ miſericordiæ Dei, qui potiſſimum delet calamitates, quibus crimina ſolent excuſari. fl.3.n.27.p.100. 8.

S. Amb. tom. 1.l. 5. Alexam. c. 17.

Nunc ad circumſtantiam duplicem decreti quod à miſericordia B. Virginis appoſitum eſt prædictæ ſupplicationi veniamus. Prima fuit quod petitionem corrigens inſinuavit ſe huic pauperi opem ſedulò præſtare juſſiſſe, quaſi deberet illam; non autem donaret. Ne quærat Elizabeth: *Vnde hoc mihi* &c. nam venit Maria quaſi cupiens debitum ſolvere. Eleemoſynam largitur miſericos more debentis potiùs quàm donantis. fl. 2. n.40. p. 86. Sic imitatur Dei miſericordiam, qui donat quaſi deberet. Unde petens à Domino valet ita firmare ſpem, quaſi poſtularet ab ipſo rem debitam. fl. 29. 10.
n. 7.p.598. 9.

Secunda circumſtantia velocitas. Non expectavit Maria quòd eam quæreret Elizabeth; ſed venit ad eam. *Ut veniat mater Domini mei* &c. Sciebat quod liberalitas gratiam

gratiam perdit extorta precibus importunis.
11. fl. 2. n. 19. p. 75. Et præcipue quia pauperem torquet plus mora quàm esuries. fl. 2.
21. n. 14. p. 73.

IN FESTO S. MARIÆ Magdalenæ.

THEMA.

Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. Luc. 7.

ARGVMENTVM.

Naufragium salubre.

D. Gregorius M. *Spiritus ergo vehemens Tarsis naves conterit, cum vis*
D. Greg. M. tom. 1. l. moral. c. 17. *compunctionis valida, mentes nostras huic mundo quasi mari deditas salubri terrore confundit.* S. Vincentius Ferrar. *Mare significat pœnitentiam: quia dicitur mare ab amaritudine, quasi amarum. Et hoc est pœnitentia &c.*
S. Vinc. Ferrar. ser. 1. Dom. 4. Quadr.

His præmissis. Narratur quòd navigabat fœliciter in æquore sæculi bellica navis Magdalena. Tormenta diritùs adversus hominum corda per ostiola voluptatum explo-
1. debat, quàm si per odium certamen ageretur. fl. 18. n. 10. p. 370. Vix aliquis ei resistebat, quia cum peccatoribus navale bellum gessit, & peccacor non homo, sed no-
2. men hominis est. fl. 8. n. 24. p. 218. Spoliis onusta navis mergebatur, victis in egestate redactis: nam omnis peccator pauper
3. est. fl. 17. n. 46. p. 362.

Misertus illius Dominus, qui conterit naves Tharsis, flavit in spiritu vehementi, pepulitque navigium ad mare pœnitentiæ: quo per naufragium delictorum salutem invénit animæ: quia cælestis divini amoris fulmine percussa *dilexit multum.* Submersa sunt crimina quasi plumbum in oculorum aquis vehementibus: *Remittuntur ei peccata multa.* Deus eruit ex nostro delicto
4. virtutem. fl. 20. n. 28. p. 413. Suasit ei per internam inspirationem ut Pharisæi domum adiret, quamvis primâ facie videretur opportunum ut oculos fugeret quæ tot lumina cæcaverat intuentium, ne laberetur iterum: Deus attamen aliquando per medium
5. à quo damnum timeri poterat, operatur bonum. fl. 21. n. 47. p. 448. Confidenter accessit ad eum quem læserat nimis (*peccata*
6. *multa*) sciens Deum offendi timore nimio fl. 30. n. 25. p. 618. Pavorem abstulit egregius amor: *Dilexit multum.*

Confidebat se diligi, quamvis odio Dei
7. dignam. Quandoque plùs amatur is cui non debetur amor. fl. 1. n. 49. p. 24. Nihilominus prudentem servavit simul cum audaLuc. 7. 38. cia formidinem, ideo accessit *stans retro*: nam peccatori congruit, ut in eo simul cum
8. spe timor excitetur. fl. 10. n. 5. p. 240. *Peccata multa.* Non dixit: omnia ut aliquatenus trepidaret.

Eventus hic attulit summam Domino, Magdalenæque gloriam; Domino, inquam, Deus etenim quò graviora dimittit crimina, tantò plùs gloriatur. fl. 27. n. 20. p. 563. 9.
Et accedit quòd ipsa venia satis ostendit patientiam, qua prius ferebat offensas tot ut ore proprio dixerit fuisse quamplures: *Remittuntur ei peccata multa.* Tolerantia hæc Dei maxima gloria dicenda est. Deus præfert omnipotentiæ laudi patientiam offensarum. fl. 27. n. 22. p. 564. Naufragans 10.
in mari pœnitentiæ turpitudo Magdalenæ invenit ibi margaritas quibus hujus exornaretur postea corona. E lachrymis pro diademate margaritæ. fl. 16. n. 31. p. 330. Et 11.
multam collegit ex istis fluctibus unionum copiam per annorum seriem quibus vixit in solitudine pœnitens, licet in cœlum quotidie sæpius elevaretur ad cælicolarum laudes audiendas. Ecce gaudium erat in Magdale- 12.
na simul cum lachrymis. fl. 23. n. 26. p. 484.
O verè fœlix (exclamat S. Tho. à V. N.) S. Tho. à V. N. ser. de Magdal.
& nimium fœliciſſima, quæ corporis adhuc ergastulo clausa, cœlestibus jam agminibus associari meruisti, angelicisque choris inserta mirificos cantus simul cum illis Domino personabas. Vide concionem de lachrymis D. Petri, ubi quædam huc spectantia reperies.

IN FESTO S. JACOBI APOSTOLI.

THEMA.

Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis. Matth. 20.

ARGUMENTUM.

Repulsa fortunata.

SEdes negavit; calicem concessit. Plus ei contulit, quàm petierant: nam illi quietem postulaverant, Dominus verò martyrij diadema largitus est. Gloria inter contraria 1.
fulgens, magis elucet. fl. 8. n. 15. p. 215. S. Laurentius Just. *Longe excellentius pro Dei gloria, suaque profectu gratia sublatus est de sæculo, & in deliciarum paradiso locatus, quàm uti poposcerat, quiescit in Domino.* Sic ille de S. Jacobo. Quinimò, si conferamus ad invicem præmium & meritum: istud bis 2.
honorat; illud autem semel. fl. 3. n. 56. p. 118. Posset equidem Filius Dei Jacobo largiri meritum excellens & citra prælium cruentum: verbi gratia, per vitam solitariam contemplationis requie fruentem, & cælestium beneficiorum dulcedine suavem. Voluit attamen potiùs ut ille plùs crescceret per tentationis procellam, quàm per benignum gratiæ rorem. fl. 5. n. 29. p. 164. 3.
Et accedit quòd illi nescientes petebant ipsorum alteri sinistram: proindeque negata clementer fuit, & amanter. S. Laurentius Just. *Non enim memoriæ commendaverant Dominum dixisse: Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ judicaturus sæculum, oves quidem ponet ad dexteram, hœdos au-* Idem ibi.

tem ad ſiniſtram.... Quoniam verò quod illis perniciosum erat flagitabant, audire à Domino neſcitis quid petatis, neque exaudiri meruerunt. Illos nempe exaudiſſet iratus, ſi quod petierant, tradidiſſet. Divini amoris excellentia quandoque dici poteſt negare poſtulatum. fl. 7. n. 13. p. 297. Ideo non de ſedibus tacuit ſed negatum addidit conceſſo calici, dicens: *Calicem quidem* &c. 4.

Certamen D. Jacobi ſic accidit. Poſtquam ab Hiſpania regreſſus eſt Apoſtolus in Jeruſalem in hac permultos ad vetitatem Evangelicam adducebat. Quod iniquè ferentes Judæi, commendarunt Hermogeni mago, Filetoque hujus diſcipulo quòd eum diſputatione convincerent, ac ope diabolica vexarent. Econtrariò convictus fuit, & illuſtratus Apoſtolicâ doctrinâ Filetus miſſus ab Hermogene. Inſigne fuit ſapientiæ teſtimonium convertere Filetum: nam hoſti benefacere ſpectat utique ad ſapientiam, fl. 27. n. 41. p. 573. Hermogenes actus in rabiē auxilium dæmonum fruſtra contra Jacobum imploravit, & converſus tandem fuit, quia vidit ſe ligatum à diabolo, juſſu D. Jacobi. En juxta Dei providentiam deſtructa fuit nequitia magi per id inſtrumentum quod ille malitiæ ſuæ adhibuit, fl. 32. n. 9. p. 556. Agnovit digitum Dei magus: nam faciliùs neſcimus flagellum quàm beneficium, fl. 17. n. 43. p. 360. Inclyta fuit hæc Apoſtoli victoria, quia propriis eſt ſuperatus armis inimicus: ideſt à diabolo, quem adjutorem putabat, ligatus fuit Hermogenes, fl. 30. n. 14. p. 623 5. 6. 7. 8.

Tunc Judæi de comprehenſione S. Jacobi cogitarunt. Cedit Satan; audent homines! Hi vincuntur difficiliùs quam dæmon, fl. 3. n. 23. p. 104. Cum in Apoſtolum homines injecerunt manus, tunc fortiùs Divina virtute roboratus eſt, quàm priùs quando mediante mago duellum cum diabolo ei offerebatur, Deus potius ab hominibus impetito ſubvenit, quàm à dæmone vexato, fl. 3. n. 22. 9. 10.

Scribam quendam nomine Joſiam, qui majori furore, ſuperbiaque præcelluit cæteros in Apoſtoli comprehenſione, per ipſius preces luce Divina perfuſus martyr effectus eſt. O quaſi creationem ex nihilo! Ex impio ſcilic. juſtum formavit Jacobus annuente Dei gratiâ: nam inter juſtum & nihil non datur medium, fl. 21. n. 51. p. 450. Statim atque converſus eſt, petiit à Jacobo veniam: & iſte (ſciens quod poſtea dixit Baſilius: *Neque verò ex his quæ patimur quicquam nocivum eſt.*) humaniſſimis verbis utens, dedit illi pacis oſculum. Quam propria eſt juſtis concordia, fl. 26. n. 47. p. 553 11. S. Baſil. M. ora. 8. inter var. quod Deo, &c. 12.

IN FESTO S. ANNÆ MATRIS B. VIRGINIS.

THEMA.

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum, Matth. 13.

ARGUMENTUM.

De ſpinis pullulant grati flores.

HOc eſt ſuccedunt ſterilitatis anxietudinibus gaudia maternitatis ejus quæ filiam genuit Deiparam.

Spina prima, contemptus: eò quòd in lege veteri defectus prolis opprobrium eſſet. Contemptus horribilior cruce, fl. 15. n. 15. p. 310. Nihilominus, velut æger Evangelicus licet ſub pedibus tereretur, dives erat præ theſauro condito: ſic Anna meritis dives degebat ſub ſterilitatis injuriâ. 1.

S. Vincentius Ferrar. *Joachim & Anna ſteterunt viginti annis orantes, eleemoſynas dantes, jejunantes, & voventes, & cum toto hoc non obtinuerunt prolem. Et quia in iſta verecundia à ſacerdote ſibi facta habuit patientiam, ſtatim habuit promiſſionem de prole.* Quamvis loquatur de S. Joachim ſecunda verborum pars: tamen de conjuge illius Anna dici poteſt idem, cum ſit unum conſors uterque. Ex hoc merito patientiæ liquet contemptum eſſe pretio æſtimabilem, fl. 30. n. 18. p. 625. Non textus ait hominem pecuniâ comparaviſſe theſaurum, ſed agrum: quia ſæpe quod: velut ager, ſub plantis hominum deſpicitur, hoc pretioſius eſt, quam id quod, tamquam theſaurus, amatur. S. Vinc. Ferr. ſer. de S. Anna. 2.

Secunda ſpina calumnia ex eodem motivo: nam videbatur hominibus quod propter occultum delictum conjuges illi beatiſſimi privabantur fructu matrimonij. Ibi delicta videmus ubi non ſunt, fl. 27. n. 27. p. 566. Sed abſcondebatur Anna præ confuſione, quia calumniæ nullum aliud extat remedium niſi latére, fl. 32. n. 32. p. 664. Abſcondit homo theſaurum ne judicaretur hic acquiſitus furto: nam promptiſſimi ſunt homines ad judicandum perperam. Sed laudanda venit Annæ patientia per quam cędere poterat contemptores, ſi adverſus eam obloquerentur, fl. 19. n. 31. p. 397 3. 4. 5.

Tertia ſpina fuit ſpes: non enim decidit ab expectatione quòd Altiſſimus ei benedictionis germen foret collaturus. Nam Damaſcenus ait: *Quemadmodum vetus Anna ſterilis effecta per votum & repromiſſionem habuit Samuelem: hunc in modum & hæc perc. ſupplicationem & repromiſſionem à Deo Deiparam profert.* Minus cruciaretur B. Anna ſi deſperaret, fl. 29. n. 17. p. 603. Hæc ſpina duplex fuit: nam & ſpe torquebatur, & Damaſc. l. 4. fidei ortha. c. 13. 6.

metu

metu amittendæ spei præ dilectione boni desiderati. Sicut fortunatus homo, de quo in parabola, festinans agrum emere, insinuavit formidare ne si differet, amitteret spem acquirendi thesaurum: ita B. Anna trepidabat ne contingeret ut spes ejus annorum pondere gravata deficeret. Justus vellet
7. spem suam immutabilem. fl. 16. n.17.p.323.

Ex hujusmodi spinis prodierunt varij gaudiorum flosculi. Primum est majus illo de quo dicitur in themate: *præ gaudio illius*: hoc enim erat de consequendo; lætitia verò Annæ fuit de donanda vita B. Mariæ per ejus conceptionem, & beatius est magis dare quam accipere. Gavisa fuit, inquam, Anna summopere, quia prima extitit genitrix donans fœtui suo vitam integram: nam concepit Virginem sine originali peccato, & consequenter vivam tam animâ quam corpore; cæteræ verò matres concipiunt filios emortuos. Cum enim homo
8. sit nihil præter animam (fl. 17. n. 5. p. 343.) Fœtus in conceptione incipiunt esse mortui per peccatum. Non ita contigit in visceribus Annæ.

Secundum gaudium est fœcunditatem ex meritis acquisivisse. Naturæ bona meritorum industriâ consequi, magna gloria.
9. fl. 28. n. 28. p.586. Multò fœlicior Anna quam inventor thesauri, qui sorte illum invenit, non meruit.

Tertium gaudium fuit in B. Virginis nativitate, cum donum tam excellens post annorum seriem possedit. Nonnumquam differri donum incrementat illud. Ideo Deus
10. absque dedecore suo differt aliquando postulatum. fl. 7. n. 14. p. 197. Excessit lætitia hæc exultationem illius, emptoris agri, cujus fœlicitatem, de qua gavisus narratur, dilatio non præcessit.

Quartum gaudium extitit in die purificationis Annæ, cum de more priscæ legis obtulit infantulam Mariam in templo. Gratissimum dicavit donarium Deo: nam Virgo
11 sanctissima valet quasi cuncta. fl. 1. n. 52. p. 26.

Quintum gaudium, cum post educationem consecravit Virginem puellulam triennem templo in die Præsentationis: nec eam ideo perdidit; sed tunc specialiùs ha-
12. buit, cum Domino dicavit illam. fl. 7. n. 9. p. 195.

IN FESTO S. DOMINICI.

THEMA.

Lucernæ ardentes in manibus vestris.
Luc. 12.

ARGUMENTUM.

Fax de supernis ignibus accensa.

Dyonis. Carthus. in c. 12. Luc.

DYonisius Carth. ad verba thematis. *Per lucernas intelliguntur discretio rationis in agendis, & eruditio aliorum verbo aut facto.* Ex nobili Guzmanorum familiâ, nobilior tamen est alio ex capite: scilicet, quia Dominicus, hoc est vir Domini. Præ- 1.
celsior est ingenuitas ista. Exemplum addo. Gabriel idem valet atque *vir Dei*. Et cur adeo sublimis hic spiritus non gaudet nomine significante: Angelus Dei? sed: *Vir Dei*. Quia ut illustrissimè nobilitaretur, præcipuum est quod ipse dicatur esse *Dei*: quod autem nomen exprimat virum vel angelum, parum refert. Applica B. Dominico cujus eximia claritas est in eo quod sit fax tendens per opera virtutum in cæleste centrum; non verò in eo quòd materia facis cui juncta fuit flamma, magis vel minus extiterit in sæculo generosa. *Lucernæ.... in manibus.* Apostoli erant integrè lux: & Magister divinus de solis manibus eorum curat? Operum bonorum fulgorem sollicitabat: *Beati in quorum manibus bonorum ope-* Chrysol. ser.
rum lucent lucernæ, ait Chrysologus. 22.

Sex vel septem numerabat Dominicus annos, cum postquam genitrix eum relinquebat in lecto, surgens se projiciebat in solum. Non resistebat matri, quæ somnum ab ipso blande capi desiderabat, ne virtutis opus laudibus pateret. Terga laudibus danda. fl. 8. n. 5. p. 209. *Lucernæ* &c. Potuit 2.
virtutis actus vocare stellas. Potius assimilavit flammis lucernarum, quo tacite doceret virtutem à vento vanæ gloriæ custodiri oportere.

Missus ad studia literarum, brevî profecit nimis: nec ideo sancta dimittebat exercitia: quia his didicit nescire quæ ignorare congruum est. Nonnunquam nescientia pertinet ad eruditionem. fl. 6. n.5.p.176. 3.

Charitatis incendio fax ardebat ita, quod mulieri cuidam sese obtulit ut eum venderet ad hoc ut fratrem captivum redimeret. Quomodo sanctus alteri suadebat vendere quod suum non extabat? Respondeo. Amore proximi flagrans Dominicus putavit se positum sub dominio mulieris illius. Verus amans possidetur ab amato. fl.1.n. 27. p. 14. 4.
Lucernæ ardentes &c. Hic insinuatur compassiva charitas. Hugo Card. ibi. *Secundum est ardor compassionis, quod debetur infirmis. Unde dicit ardentes.*

Vocatus ab Antistite Osmæ factus est ibi Canonicus regularis, & floruit virtutibus. Excelluit lachrymis. Oportebat sic athletam inungi: nam lachrymæ quandoque robur addunt. fl. 3. n. 19. p. 96. In- 5.
census amorè proximi liquefiebat, fletus pro aliis emittens fax excelsa. Unde opera ejus non tantum sibi erant *lucernæ ardentes*, sed proximis.

Electus in prælatum acquievit sed timens: quia discrimini patet qui major habetur. fl.10. n.13.p.244. Cum Præsule Os- 6.
mæ viam arripuit in Galliam indeque Romam. Hinc reversus invenit Abbates quosdam Cistercientes quibus persuasit ut apparatu famulorum depositio Apostolicam paupertatem præ se ferentes prædicarent adversus hæreticos: nam doctrina venit æstimanda non à dignitate dicentis; sed à veritate. fl. 15. n. 9. p. 307. Sicut lucernæ 7.
fulgor non ex magis vel minus nobili materia judicatur, sed ex radiis quibus tenebras dissipat.

Dominicus ergo facis exequens munia, prædicationis exercebat officium, & perſecutionem ab hæreticorum linguis patie-
S. Cypr. ep. 2. batur. nec mirum quia *eſſe jam inter nocentes innoxium crimen eſt*, ut S. Cyprianus dixit. In ejus doctrinam audaciter invehebantur. Quod arriſit palato excipitur encomiis; quod verò diſplicuit ſibilatur injuriis.
8. fl. 8. n. 4. p. 209. Non tamen ideo ceſſabat fax emittere ſplendorem veritatis, quantumvis oppugnaretur à tenebris. Claritas docere non deſiſtit, licet in quibuſdam
9. fructum non videat. fl. 32. n. 42. p. 667.

O menſi Epiſcopo mortuo concionatores multi Dominico ſe comites adjunxerunt: quod occaſionem obtulit ut præclariſſimum Prædicatorum Ordinem inſtitueret. Et ſanè congruebat ut homines qui abdicato ſæculo ſpem ſimul ac timorem temporalium rerum depoſuere, veritati prædicandæ incumberent. Non ſolum timorem, ſed ſpem dimittat oportet is qui verum ex officio pro-
10. fatur. fl. 27. n. 7. p. 557. Quo peracto, ſic Dominicus laboravit indefeſſus ut Virgo ſanctiſſima Domino dixerit ad criminum vindictam parato ſe correctionem peccatorum confidere futuram Dominico mediante. Unde ipſe dici poteſt quaſi tenuiſſe
11. manum Dei ne crimina vindicaret. fl. 26. n. 48. p. 556.

Aliquando, cum per plateas incederet, fideles devotione moti fruſtra detrahebant ex ejus habitu. Dumque vellent iſtos coercere qui comitabantur eum, occurebat ille dicens: ſinite quòd pietati ſuæ faciant ſatis. An Dominicus non timebat vanam
12. gloriam? Hæc mehercle pavenda valde. fl. 15. n. 21. p. 312. Quid non ſuperaret ille quem iſta virtutum peſtis non tetigit?

CONCIO EADEM APTATUR ALTERI themati, Secundum ritum Ordinis Prædicatorum.

THEMA.

Vos eſtis ſal terræ.... Vos eſtis lux mundi. Matth. 5.

AD. n. 1. duplici titulo diſcipulos inſignit inæquali: nam ſal & lux nimis diſtant: ſed minus de iſtorum majoritate, vel inferioritate curandum: & præcipuè attendendum quid more ſalis, & lucis exhiberent operis. Ad n. 2. Inſenſibilibus confert Apoſtolos: & certè ne laudes humanas percipiant, congruit habere ſe quaſi ſenſu careant. Ad n. 4. Lux nemini eſt aliena. Ad n. 7. Non dixit ſol mundi: quia ſol præeſt aſtris plenus apparatu. Ad n. 8. Vulneratis acre ſal eſt: & oculis ægris lux odioſa. Ad n. 9. Dum ſal ſpargitur ad impediendam putredinem, parum refert quod pars illius ibi cadat ubi fruſtratur. Ad n. 10. Sal cum ſterilem terram faciat, non ſperat fructum: hoc, cum vulnerari non poſſit, quamvis eſſet intelligendi capax, non timeret vulnera.

IN FESTO S. MARIÆ ad Nives.

HUc ex variis concionibus B. Virginis in hoc Indice contentis vocari poſſunt multa ibi videnda, & aptari valent proprietatibus nivis. Quarum prima eſt quod nix mitigat rigorem ſolis, & Virgo puriſſima ſeveritatem juſtitiæ divinæ. Secunda quòd favente nive radices agunt plantæ: ſic protegente Deiparæ ſecuritas additur beneficiis Dei. Tertia: nix totam ſe in agri fœcunditatem diffundit. Hinc liberalitatis Marianæ candidum patet ænigma. Quarta ſol quamtumvis feſtinus, non priuſquam nix valles fœcundat: ſed cum adhuc oriens planeta cacumina montium operta nive tangit: hæc jam currit ut faveat plantulis in valle deliteſcentibus. Ita Dei parens velocius Domino ſubvenit afflictis.

IN FESTO S. CAIETANI Fundatoris Clericorum regularium.

THEMA.

Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Matth. 6.

ARGVMENTVM.

Providentiæ divinæ decus.

S. Hilarius Picta. ad verba thematis. *Duum dominorum infidele ſervitium eſt, nec par ejuſdem poteſt eſſe ad ſæculum, atque ad Deum cura. In alterum enim neceſſe eſt odium ſit, in alterum amor: quia cùm idem opus diverſæ dominorum non conveniat voluntati, nec pauperes ſpiritu Deo placentes, ambitioſæ ſæculi hujus poſſunt apti eſſe jactantiæ.* S. Hilar. Picta. can. 5. in Matth.

Natus eſt Caietanus ex nobili familiâ Thienæa: ſed nobilitatem proculcavit humiliter. Potuit Dei providentia diſponere quòd in captivitate, vel ſimilibus miſeriis enaſceretur, ac eas patienter ob Dei amorem ferret. Sed glorioſius eſt per fœlicitatis contemptum, quàm per ſolam adverſitatum tolerantiam promereri. fl. 26. n. 25. 1.
p. 542. Sprevit illuſtris ortus pompam ut ſervit uti Domini ſe manciparet, quia *nemo poteſt duobus dominis ſervire.*

Adhuc infantulus oblatus fuit à matre ſua Deiparæ Virgini. Sic Deus providit: quia ſpecialiter charos committit protectioni B. Mariæ. fl. 1. n. 92. p. 44. S. Germa- 2.
nus ad Virginem ait: *Patrocinium tuum majus eſt quàm intelligentia apprehendi poſſit.* S. German. hom. de Zona B. V.

A teneris annis moribus honeſtiſſimus, in ætate periculis referta ſanctus dictus eſt. Brevi conſummatus explevit tempora multa. Adoleſcentia, ſi bene utaris, longiſſima dicitur. fl. 6. n. 26. p. 186. Nec ſimul, 3.
neque diverſis temporibus, eum divina providentia

providentia permisit, *duobus dominis servire.*

Juris utriusque lauream adeptus est, ac à Summo Pontifice collocatus inter prælatos Curiæ. Honores istos non rejecit : sed imperterritus accepit ut calcaret : quod roboris est maximi. fl. 17. n. 20. p. 350. 4. Non tamen strenuitas ista poterit *duobus dominis servire*; sed uni, cujus providentia sic regebat dilecti vitam ordinans ad majora. Reliquit honorem, & ad nosocomia se contulit ut inserviret ægrotis. Non distulit fugam expectans augmenta sæculi : sciebat quippe fœlicitatem quò plus viribus prævalet, citius ferri ad profundum. fl. 26. n. 15. p. 538. 5. Proindeque noluit in Curiæ Romanæ aulâ persistens ingredi penitiùs ad sortem. fl. 26. n. 23. p. 542. 6. Servitio totus Altissimi se dicavit, relicto sæculo : quia *nemo potest duobus* &c.

Apostolicam viræ normam instaurare cupiens erexit Congregationem sub specialis tutela divinæ providentiæ, sic ut solis eleemosynis viveret sponte oblatis, quin postulentur. Plusquam humanum videtur indigere tam spontanè quòd auxilium non 7. efflagitet indigens. fl. 23. n. 45. p. 494.

Sed ubi paupertas voluntaria ibi spiritus duplex. fl. 23. n. 44. 491. 8. Non tamen ita quòd spiritus dividatur in Deum & sæculum, quippe *nemo potest duobus* &c.

Quæstio fieri potest quid in Caietano maius : dum puer esset eleemosynas petere ut subveniret pauperibus : an vir factus non postulare quo propriam sublevaret indigentiam ? Excellentius fuit postulans in ætate puerili reddere suam quam alij patiebantur miseriam; quàm pro se non mendi- 9. dicando, gaudere de malo proprio. fl. 23. n. 46. p. 495.

Extraordinariam paupertatem spiritus divina providentia miraculis testata fuit sibi placuisse. Pauperibus voluntariis Deus adest. 10. fl. 23. n. 41. p. 492. Hoc exquisito vivendi genere Caietani cor ne duobus dominis inserviret è terra sese levabat in cælestia. Refertur in ejus vita cor Caietani ad consistorium sanctissimæ Trinitatis volando ascendisse. Possidebat cor ejus affectu Deum, sed ex ipso tendebat in eundem sollicitè. 11. fl. 16. n. 21. p. 325. *Facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret*, inquit S. Bernardus in declama. super. Evang. Ecce nos. Quinimo quò fœlicior Caietanus apud Altissimuum, eò solicitior in Deo quærendo. 12. fl. 16. n. 20. p. 324.

S. Bern. in declam. sup. Ecce nos.

IN FESTO S. LAURENTII Martyris.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet : Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Ioann. 12.

ARGUMENTUM.

Granum frumenti Christus Dominus germinavit aliud sibi simile, nempe D. Laurentium.

PRima similitudo. Concupivit pati Christus Dominus. Similiter Laurentius. *Flagrabat ardore martyrij.* Nec mirum : nam justus dolorore gaudet. fl. 3. n. 4. & 5. p. 89. Sciebat quòd tribulationes dona Dei sunt. fl. 18. n. 33. p. 387. Ideoque Salvator passionem suam explicuit per seminationem frumenti, quæ fructuosa est, ac materia desiderij. S. Laur. Just. ser. de S. Laur. 1. 2.

Secunda similitudo. Ante martyrium Laurentius præmisit eleemosynas, quasi ad venturum discrimen se præparans, acquirens amicos fideles. Pauperes amici fidi sunt. fl. 22. n. 37. p. 466. Et eleemosyna 3. prævenit hostiles ictus, ut avertat. fl. 3. 4. n. 14. p. 94. Sic & granum frumenti Filius Dei seipsum per mortem nobis pauperibus donans amicos acquisivit, & ad immortalem transiit vitam, qua deluderet hostium conatus.

Tertia similitudo. Sicut Redemptor appellans calicem passionem suam : insinuavit istam fore sibi præ dilectione suavem, ita de S. Laurentio dicitur ab Augustino ad illud Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat* &c. *Hoc igitur igne B. Laurentius accensus flammarum non sentit incendium.* Et S. Bernardus ait : *Quomodo crux judicatur insipida ubi dulce sapit & flamma ? Quid enim sapiebat Laurentio ignis cum irrideret carnifices ?* Imò dixit Martyr inclytus ipse tyranno : *Disce miser quia carbones tui mihi refrigerium præstant.* Verus patiens consolatur laboribus. fl. 3. n. 6. p. 89. Agnoscit quippe Deum adversitatem permittere 5. illi quem præparat sorti. fl. 31. n. 5. p. 637. 6. Idcirco fortasse quamvis Angelus ad Laurentium dum pateretur venerit, non eum verbo confortavit : quasi diceret : si Levita fortissimus in afflictionibus invenit requiem, utquid conabor verbis corroborare ? Licet ad Salvatorem accesserit Angelus confortans eum juxta Lucam; non ita se gessit alter qui Petro apparuit in carcere. Quare ? Quia Redemptor cruciabatur in oratione ? Petrus autem in custodia dormiebat. Unde cælestis legatus videtur quasi dixisse : quid confortabor quiescentem in carcere prope mortem ? Similiter Beato Laurentio Angelus asserere potuit. Ad quid 7.

S. Aug. to. 10. ser. 36. de SS.

S. Bern. ser. de S. Laur.

ergo descendit Primò ut præsentiâ suâ roboraret carnis innatam fragilitatem: quamvis enim divina gratia securum redderet martyrem: Deus tunc homini specialiter
8. providet cautelam cum jam contulit securitatem. fl. 31. n. 39. p. 652. Secundò venit ut sudorem Laurentij deferret ad solium summi Regis. S. Romanus qui tunc aderat ut imperatorius miles, dixit: *Video ante hominem pulcherrimum stantem cum linteo, & extergentem membra tua.* Sudorem detulit (nostro more loquimur) ut ejus guttæ numerarentur ad præmium quasi non sufficeret amori divino dolorem Laurentij munerare velut unicum. Deus merita nostra numerat ea ratione quâ plura inveniat. fl. 7.
9. n. 22. p. 201

Vicit igitur Laurentius tormenta: coronam accepit glorioſissimam, quia per manus
10. inimicorum suscipiebat illam. fl. 31. n.6. p. 638. Imo priusquam finiretur pugna, laureâ donatus est, quam præ se fert ipsius nomen: quia certus de victoriâ coronatur
11. prius quàm vincat. fl. 30. n. 12. p.622. Sed adhuc illustrius, quàm adversarios, Laurentius diuturniori pugnâ superavit semetipsũ.
12. fl. 4. n. 29. p. 146. quod nos possumus imitari citra ferrum & ignes, favente Dei gratiâ &c.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ.

THEMA.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum. Luc. 10.

ARGVMENTVM.

Corona stellarum duodecim.

VErba thematis ex parte referuntur ad æternam fælicitatem. S. Aug. *Quod Maria elegit, ibi pascimur, non pascimus. Ideo hoc ibi erit plenum atque perfectum quod hic elegit Maria. De illa mensa opulenta, de verbo Domini micas colligebat. Nam vultis nosse quid ibi erit? Dominus ipse dicit servis suis: Amen dico vobis quia faciet eos recumbere.*

S.Aug.to.10. ser. 26. de ver.Domini.

Ex duodecim voluptatibus compactum diadema Virgo Dei genitrix accepit, velut è stellis totidem. Prima fuit illud incrementum lætitiæ, quod attulit Beatis ingressus B.Virginis in cœlum. *Virgo hodie gloriosa cœlos ascendens, supernorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis.* Ita D. Bernardus. Deipara non se consummatè fœlicem reputabat nisi cum gaudij socium
1. inveniebat. fl. 1. n. 58. p. 29. Ad eum locum Deiparentis nomine loquens D. Thom. à V. N. inquit: *Tu me beatam dicis, nimirum quia neque prima, neque sola: ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes.*

S.Bern. ser. 1. de Assũpt.

S. Tho. à V. N. ser. de Visita.

Secunda stella fuit exultatio, qua perfusa est Dei Mater ex eo quòd ad Unigeniti, pedes acceptam coronam offerret: quasi nihil haberet quod ei dicaret, nisi præmium quod recipiebat. fl. 2. n. 30. p. 80. 2.
Sed quia hæc oblatio promanabat ex humilitate Deo summè placente, Dei Parens etiam in hoc elegit optimum.

Tertia stella recordatio gavisa de meritis, quibus tantam adepta est gloriam: nam honor ille præcelsior, quem propriis actibus quisque sibi contulit. fl. 31. 3.
n. 22. p. 644.

Quarta stella spei suæ fœlix adimpletio. Nisi dicamus quòd expectatio Reginæ cælorum fuit potius commutata, quàm expleta: quia spes illius in terris erat quædam fere possessio. fl. 1. n. 34 p.17. 4.

Quinta stella hilaritas ex conspectu majestatis Filij: Virgo namque Geniti gloriam cupiebat plus quàm suam. fl. 1. n. 134. p. 64. 5.

Sexta stella, dimisisse in beatitudinis ingressu libertatem discedendi à Deo, quam sane concupiverat amittere. fl. 1. n. 132 p. 63. 6.

Septima stella obsequium quod Servatori detulit, comitatum illi exhibens in cœlesti curiâ. Christus Dominus patiebatur ne solitudinem in throno suo sine Maria, quandiu non est assumpta? fl. 1. n. 136. p. 65. 7.

Octava stella, vicisse præteritam de absentia dilecti anxietatem: ex cujus memoria triumphus Mariæ hilarescit. fl. 1. n. 137. p. 65. 8.

Nona stella fulgor miraculi, quod experta est in se, cum amor ejus liber, factus beatificus transivit in necessarium, quin cessaret. fl. 1. n. 133. p. 63. 9.

Decima stella, videre gaudentem Gnatum de gloria Genitricis: utpote qui a Guerrico dicens introducitur: *Ut matrem honorarem in cœlum reascendi: ascendi, & præparavi ei locum thronum gloriæ.* In Assumptione Mariæ quale gaudium extitit Redemptoris. fl. 1. n. 135. p. 64. 10.

Guerr. Abb. ser. 2. de Assumpt.

Undecima stella quòd splendor Solis justitiæ radios mittens ad crystallum purissimæ Parentis, appareret oculis ac si foret inde major, cum tamen esset idem. At si posset Deus à creaturâ mutuari lucem, illustraretur à Maria. fl. 1. n. 61. p. 30. 11.

Duodecima stella, vidisse quòd jam cœlum, non ut antea clausum, patebat mortalibus. fl. 1. n. 94. p. 45. 12.

IN FESTO SANCTI BERNARDI.

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Matth. 19.

ARGUMENTUM.

Reliquit seipsum Bernardus, ac per humilitatis & patientiæ semitas Christum secutus est ducem à quo dona suscepit.

S.Bernardus de humilitate pronuntiavit hæc: *virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas.* Idcirco humanam gloriam non venabatur. Et ut videas

S.Bern l. 5. de consid.

videas qualiter se reliquerit, leges in ejus vita sic: *Denique, sicut sæpius fatebatur, inter summos quosque honores & favores populorum, vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus.* Laudes hominum reputandæ
1. velut somnia. fl. 20. n. 19. p. 406. Non dicitur omnia reliquisse qui mundo plaudenti non terga dat. Quod ut facilius præstaret S. Bernardus, etiam sibi non placere studuit, putans virtutem suam crimen esse. Sic legitur in ejus vita: *Sacrilegij arguens quod servitio Dei & fratrum suorum abstulerit corpus suum: dum indiscreto fervore imbecille illud reddiderit ac penè inutile.* Doctor melliflue tecum arguam ex doctrina
Idem. ser. 39. sup. Cant. tua. Dicebas olim: *Vides quia carnis infirmitas robur spiritui augeat:* & alibi: *Primus*
Idem. ser. 3. de 7. panibus. *siquidem continentiæ nostræ hostis caro est.* Quid ergo delictum vocas inimici vires infringere? spiritui robur addere? Humilis de
2. virtute sua sic abjectè judicat, ut peccaminosam esse puet. fl. 26. n. 40. p. 550. Ita Bernardus relinquebat inter alia seipsum. Ipse dixit: *Age ergo qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento.*

Adeò se demisit ut necnon minorem crederet insensibilibus. Fatebatur quòd in scripturis spiritualiter intelligendis magistras habuerit arbores. Non est discipulus super magistrum: proindeque semetipsum lignis
3. postponebat. fl. 26. n. 33. p. 546. Venit demum ad humiliatis apicem cum immolavit eam in casu sequenti. A prædicando fratribus Ordinis sui se retraxerat existimans nimiùm severam eis proposuisse doctrinam. Apparuit ei Angelus, & jussit ut confidenter concionaretur. Humilitatem sacrificans obedivit. Hæc submissio maxima quidem.
4. fl. 16. n. 27. p. 328. Etiam virtutis actum reliquit ob charitatem? Verè dicet: *Reliquimus omnia.*

Reliquit omnia rursus, & secutus est Dominum per patientiam Bernardus: utpote qui ait: *Utrumque es mi Domine*
Idem ser. 47. in Cant. *Jesu, & speculum patiendi & præmium patientis. Utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit.* De seipso protulit: *læsus de lædente vindictam non expetivi*: Quin potius contigit ut à quodam feriretur alapâ Bernardus. Qui aderant involabant in sacrilegum. Sed Domini servus prævénit eos, clamans & adjurans per nomen Christi nullatenus eum tangere. O victoriam glo-
5. riosissimam. fl. 26. n. 26. p. 543. Sic relicto se Filium Dei secutus est: *Reliquimus omnia* &c.

Progressus ad altiorem patientiæ gradum benefecit offensori. Consanguineus ejus duris verbis utens calumniabatur eum, & annihilabat ejus mirabilia. S. Bernardus eundem sanavit ægrotum. Hoc excelsius est
6. quàm purè nolle vindictam. fl. 26. n. 27. p. 544. Etiam in hoc imitatus Christum Servatorem. *Et secuti sumus te.*

Ulteriùs gressum tetendit ejus patientia
Idem l. 2. de consid. gaudens offensarum ictibus. *Gloria mihi est,* (ait ille) *consortem fieri Christi, cujus illa vox est: Opprobria exprobantium tibi ceciderunt super me.* Amoris est victoria tormentis gloriari. fl. 23. n. 28. p. 486. *Bonum* 7.
mihi (scripsit idem proxime supra) *si dig-* Idem ibi.
netur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum ut non ad ipsum perveniant. Sed quia Bernardus ob Dei causam patiebatur calumnias, Deus illum etiam in terris degentem reddidit glorioſum. Calumniam ob virtutem passus honoratur 8.
à Deo. fl. 17. n. 17. p. 349. Sic omnia compensantur eis qui dicere valent: *Reliquimus* &c.

Secutus est etiam Deum S. Bernardus charitate proximi. Quendam paraliticum sanavit per partes. Legitur in ejus vita: *Prius alteram manum, secundò alteram recuperavit. Exinde profecturus palliolo suo operuit postulantem, & subitò in brevi obtinuit etiam reliqui corporis sospitatem.* Ad quid istas moras trahit? Quia delectabatur in be- 9.
nefaciendo: proindeque reputabat breve tempus quod in hoc insumebat. Ad Hero- Luc. 11. 32.
dem verba Dominus hæc denuntiari curavit: *Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.* Ex textu D. Lucæ colligitur hæc dicta fuisse multò ante Salvatoris obitum. Qua ratione asserüit se tertia die finem daturum vitæ mortali. Quia cùm in beneficiis distribuendis insumpturus esset reliquum tempus vitæ, computabat hoc adeo breve, quasi tres tantum dies numerarentur. Similiter Bernardus &c.

Benedixit vir Dei quosdam panes, asseveravitque sanitatem recuperaturos ægrotos, qui de ipsis ederent. Aderat quidam: qui adjecit prædictionem S. Bernardi sic intelligi ut si cum fide comederent, sanarentur. Tunc ille promissionem suam noluit per conditionem hanc limitari: sed addidit *Non ego hoc dixerim: sed verè qui gustaverint sanabuntur.* Liberalis aliquoties metitur benificium non ex accipiente, sed ex dante. fl. 23. n. 21. p. 482. Vel dicemus Ber- 10.
nardum putavisse teneri se ad sanandos omnes illos ægrotos: ideoque noluisse quod alicui non conferretur salus defectu fidei, ardens charitate putat se delinquere nisi reipsa benefaciat: quamvis non culpâ suâ frustretur ejus desiderium. Dixit Moyses ad 11.
Dominum quòd nisi parceret Israëli, deleret eum de libro suo. Nonne sciebat neminem ab hoc libro deleri nisi propter scelus? Ita: sed putabat se delinquere, si post adhibitam diligentiam non benefaceret populo sic ut sortiretur effectum.

Ea fuit Bernardi charitas ut proximo benefacturus culpam in se conjecerit, quâ certè carebat. Revocaturus quendam, qui à Cistercienſi Ordine ad aliam discesserat, scripsit ei sic: *Fuerit certè meæ culpæ, quod discessisti.* O eximium dilectionis opus! Plús extitit hoc, quàm si pro eodem proximo pateretur magna: quia peccatum cruciat plusquàm pœna.

IDEM SERMO SUBJICITUR ALTERI themati juxta ritum Ordinis Ciſtercienſis.

THEMA.

Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Matth. 5.

TRes concionis præteritæ partes : nempe humilitas, patientia, charitaſque Bernardi, facilè poſſunt aptari tribus claræ civitatis conditionibus. Hoc eſt quòd ſit à fundamentis valida : bellis impavidè munita : & cunctorum ad ipſam accedentium refugium.

Ad n. 1. Non ſupra mundanarum laudum aërem civitas erat ; ſed *ſupra montem* poſita. Ad n. 2. Qui aperit fundamenta civitatis, diruens ædificat. Ita Bernardus ſeverè judicans de virtute ſuâ, videbatur eam deſtruere, ſic jaciens altiſſimæ humilitatis fundamina. Ad n. 4. Oportebat quod ita de cœlo moneretur Bernardus, ne abſconderetur civitas, quam *ſupra montem* poni congruebat. Ad n. 6. Civitatis proprium eſt ut eam pedibus conculcantes protegar. Ad n. 7. Civitatis bellica munitione potentis eſt gloria non modica certamen quod patitur ab hoſte ſecura. Ad n. 8. Sic etiam terrena civitas à Principe ſolet honoribus cumulari cum per hoſtes fortiter impugnata reſtitit fideliter. Ad. n. 10. Civitatis magnæ protectio haud menſuram ſumit à mendico ; ſed parvulum hoſpitem ingenti, ſibique proportiornatâ contegit umbrâ : neminem etiam urbs ejicit licet indignum tutela.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

THEMA.

Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus eſſet vocavit diſcipulos ſuos. Luc. 6.

ARGUMENTUM.

Aſcenſus ad ardua.

S. Ambroſius ad verba thematis : *Non veſtigiis corporalibus, ſed factis ſublimioribus in hunc montem aſcende, & ſequere Chriſtum, ut ipſe eſſe mons poſſis. Montes enim in circuitu ejus. Quare in Evangelio invenies ſolos cum Domino montem aſcendiſſe diſcipulos.* S. Ambr. to. 3. l. 5. in Luc. c. 6.

Igitur S. Bartholomæus divinum ſecutus Magiſtrum conatus eſt difficilia, montem conſcendens geſtis præclariſioribus. Et quia Præceptor duellum ſuſceperat cum principe tenebrarum, ſic & ille tanto doctus exemplo. Poſtquam prædicaſſet in Lycaonia, & Indiâ citeriori, tranſiit ad majorem Armeniam : cujus in civitate quadam nobili colebatur idolum Aſtarot, in quo dæmon reſponſa dabat mendacia : ut plurimum. Ingens equidem dolus : nam difficillimum eſt remedium ſi veniat fraus à quo veritas expectabatur. fl. 22. n. 24.

Quoſdam idolum verè ſanabat : cupiebat enim quòd viſis beneficiis homines illud quærerent ſpontanei. Dæmon cupit ut oſtendamus nos ſponte obſequi. fl. 5. n. 10. p. 154. 1.

Sanati à dæmone grati redibant idolo : nec agnoſcebant quàm obſtricti eſſent Conditori. Ingratus, quidquid occurrat cui beneficium referat acceptum, id potius creaturæ quàm Deo ſe debere fatetur. fl. 23. n. 14. p. 479. 2.

Ingreſſus eſt Apoſtolus templum Aſtarot, & ſtatim diabolus obmutuit : & credo quod hoc ſilentium ægriùs tulit ille quàm inferni flammas. fl. 32. n. 36. p. 665. 3.

Conſultum idolum Berit cur Aſtarot fileret, reſpondit cauſam eſſe Bartholomæum, & bene locutus eſt de illo, non dubito quòd ſatis dolens, quia duriſſimũ eſt iniquo ad laudandum cogi quem odit. fl. 32. n. 25. p. 665. 4.

Fama delata eſt Apoſtoli ad regem Polemonem qui vocavit eum ut filiæ ſuæ mederetur. Rex iſte converſus eſt denique, ſed non priori loco de ſalute ſpirituali curavit : primùm ſanitatem corpoream filiæ quæſivit : animæ bona poſtremo loco poſtulare ſolemus. fl. 27. n. 11. p. 346. 5.

Gratus ob miraculoſam curationem Rex ei munus miſit magnificum ; ſed non potuit inveniri Bartholomæus : quia *vir iſte mirabilis qui ſpem ſuam in æternitate poſuerat* (ita loquitur de illo S. Petrus Dami.) caduca deſpiciebat, ut ſolent illi qui ſecuti Chriſtum ducem per ardua, ſanctitatis montes facti ſunt. S. Laurentius Juſt. *Horum unus B. extitit Bartholomæus. Porrò cum temporalium divitiis, corporis voluptatibus, dignitatis celſitudine poſſet affluere, contempſit omnia ut verus Chriſti efficeretur diſcipulus.* 6. S. Petr. Damia. S. Laur. Iuſt. ſer. de S. Barthol.

Potuiſſet Apoſtolus regale munus accipere benevolè manibus, & remittere : ſed noluit tangere contagioſa bona. Peccator tecum non dividet quæ poſſidet, quin & communicet ſceleris contagium. fl. 27. n. 39. p. 572. 7.

Poſtea Bartholomæus eidem Regi noctu januis clauſis apparuit, & veritatem Evangelicam aperuit. Quare non expectavit Apoſtolus quod rex miraculo præterito motus vocaret illum ut ab ipſo audiret verum ? Quia licèt homines ad corporeas utilitates valde ſolliciti ſint ; non ita pro bono ſpiritus : ad vitæ commodum aſcendunt ſuper tectum ; ad ſpiritualia nec pulſant januam. fl. 17. n. 10. 8.

Ut plurimum Salvator ad ſpititualia diſtribuenda non expectabat ab hominibus quæri : ſic Bartholomæus ejus veſtigiis inſiſtens : utpote qui ſpecialiter vocatur filius Dei, proindeque juxta nomen ſuum, imitatus eſt parentem. S. Petrus Dami. *Inter quos utique fluvios B. Bartholomæus inſignis eſt atque conſpicuus : qui quodam præſagio futurorum, hujus myſtici vocabuli titulo cernitur inſignitus Nam cum dicitur filius ſuſpendentis aquas, dicitur* S. Pet. Dami. ſer. de S. Barthol.

dicitur proculdubiò Filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, sed propensionis gratiæ dignitate. Hæc Damianus ex ethymologia nominis *Bartholomæus*, quod idem valet ac: *Filius suspendentis aquas.*

Insuper dæmon qui loquebatur in Astarot jubente Apostolo suas confessus est fraudes, & multi qui aderant conversi sunt ad fidem. Expende quale tormentum subierit ex ista conversione diabolus: ille namque ab hominum sorte meliori videtur incipere
9. computare cruciatum suum, fl. 21. n. 28. p. 438

Ita superato communi hoste, non adhuc sacerdotes idolorum cessarunt: imo potius regis fratrem incitarunt adversus Bartholomæum: Dæmonem facilius superabis, quàm
10. hominem, fl. 3. n. 34. p. 105. Multa patraverat Apostolus mirabilia: nec tamen Astyages regis germanus oculos aperuerat. Meditare peccatoris insipientiam, fl. 1. n. 16.
11. p. 9. Credebat sacerdotibus qui ex cultu idolorum capiebant lucra: & miser Astyages diabolo sine commodo serviebat. Miserum est quòd peccator dæmoni traditus vi-
12. vat, ut alter inde lucretur, fl. 2. n. 28. p. 79. Sed brevi luit Astyages pœnas postquàm Bartholomæus ad montem ascendit Olympi.

IN FESTO S. AUGUSTINI Episcopi.

THEMA.

Vos estis lux mundi, Matth. 5.

ARGVMENTVM.

Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, 2. Cor. 4. 6.

POstquam Augustinus humanioribus litteris eruditus est ita quòd in patria sua Grammaticam docuerit: ob ingenij præstantiam deductus est Carthaginem ut ibi Rhetoricam publicè profiteretur. Ibi contigit ut in errorem incideret Manichæorum. *Offendi* (sic lamentabatur postea S. Doctor)
S. Aug. to. 1. l. 3. conf. c. 6. *in illam mulierem audacem, inopem prudentiæ, ænigma Salomonis, sedentem super stellam in foribus, & dicentem: panes occultos libenter edite, & aquam dulcem furtivam bibite. Quæ me seduxit, quia invenit foris habitantem in oculo carnis meæ, & talia ruminantem apud me, qualia per illam voraſſem.* Ecce de plausu quo mundus Augustinum extulit præcipitatus est in errorem pessimum. Ex fortunæ dono sequitur in-
1. fortunium, fl. 23. n. 50. p. 497. Non adhuc erat Augustinus *lux mundi* sed mundana, quam tenebræ comprehenderunt.

Plorabat S. Monica filij lapsum. O charitatis vim! Per lachrymas de salute aliena
2. curare præcellens opus amoris est, fl. 27. n. 10. p. 558. Idem scripsit de genitrice sua:
Idem ibi. l. 5. conf. c. 9. *Non enim satis eloquor quid erga me habebat animi, & quantò majore sollicitudine me parturiebat spiritu, quàm carne pepererat.* Flebat, inquam, non Augustinus adhuc, sed Monica: facilius flet innocens quam reus, fl. 12. n. 26. p. 273. Igne tamen illo, qui li- 3.
quefaciebat Monicæ cor reaccensa fuit extincta fax Augustini (ut fieret *lux mundi:*) post varios circuitus: nam perrexit pia mater sequens gnatum Romam, indeque Mediolanum. Difficilis fuit parenti conversio geniti. Attamen postea *lux mundi* crevit sic, ut non multo transacto tempore normam dederit Simpliciano; Pisanique montis Eremitis. Difficilius est peccatorem à via mala retrahere, quam reversum ad virtutes promovere, fl. 9. n. 24. p. 232. Antea cæcutie- 4.
bat? Nunc ducit alios? Ingenium virtus alit, fl. 27. n. 13. p. 560. Et non utcumque 5.
virtus mentis acie pollet, sed qui dum peccator ineptus erat ut addisceret, magister esse valet cum justus factus est, fl. 27. n. 14. 6.
p. 560. Sic Augustinus conversus jam docebat alios, qui nuper umbrâ cæcatus erroris, licet multa sciret, tamen exerrabat infœliciter, nec veritatem capiebat: *infœlix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit.* Idem ibi. c. 4.
Verba sunt S. Doctoris Deum alloquentis. Postquam verò Dominus dixit de tenebris lucem splendescere Augustini, tunc fortunatè sapiens.

Ordinatus est Episcopus cogente S. Valerio: sciebat enim Augustinus quasnam vires postulet Prælatura, fl. 22. n. 22. p. 460. Ipse 7.
ad S. Valerium scribens ait: *Peto ut cogitet religiosa prudentia tua.... nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, pereculiosius Episcopi aut presbyteri aut diaconi officio*, &c. Et statim satagere cœpit ut Hipponensis Ecclesia reformaretur, sciens quòd non est dignitatis apex infula fulgere, sed onus tollere, fl. 22. n. 23. p. 461. Lux non fulget nisi 8.
prosit. Aug. tom. 2. Epist. 148. in princi.

Cum esset *lux mundi* curavit ut animarum lucris per librorum scriptionem universaliter se diffunderet per orbem. Virtus antequam se perfectè profundat in aliorum commoda, non videtur consummata, fl. 17. 9.
n. 33. p. 356. Quamvis esset excellens rhetor, eruditionem universis accommodam suis in scriptis exhibuit, ad instar lucis quæ parvam & magnam domum æqualitate replet inæquali: *qui enim* (ait S. Doctor) *eloquenter dicunt; suaviter: qui sapienter, salubriter audiuntur.* Excelsum quid est sapientem 10.
verba moderari, ne fastum ambiat, fl. 20. n. 55. p. 425. Nec tamen propter litterarios labores, ab oratione desistebat aliarumque virtutum exercitio: copulantur illæ namque sic, ut virtute carens unica vix ullâ potiri videatur, fl. 6. n. 30. p. 188. Peculiariter 11.
hæreticis refutandis insumpsit operam eos veritatis radiis profligans de quibus dici poterat quod ipse scribit. *Propter eam rem oderunt veritatem, quam pro veritate amant. Amant eam lucentem, oderunt eam redarguentem*; Veritatis amaritudo torquet plùs quàm supplicium, fl. 14. n. 26. p. 299 S. Aug. to. 7. lib. 10. conf. c. 23.

IN FESTO DECOLLATIONIS S. Joannis Baptistæ.

THEMA.

Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Marc. 6.

ARGUMENTUM.

An dici valet Herodiadam necare non potuisse Præcursorem.

S. Petr. Chrysolog. ser.

S. Petrus Chrysolog. inquit : *Non hic persona, sed infirmitas perit : non hic Joannes, sed magis mors tali morte succubuit.*

1. Duplex est moriendi genus : nam etiam infamia mors est. fl. 1. n. 107. p. 52. Unde qui per mortem exaltatur honore, numerari quit post obitum inter vivos. fl. 30.

2. n. 13. p. 613. Expende Joannis excellentias in morte minime periisse, quasi non potuerit eum Horodias occidere. Baptista vocatur Angelus, Vox, & Lucerna. Tria hæc in morte perseverarunt. Quinimò plùs effulserunt.

Ad ordinem Cherubicum reduci poterat Joannes dum viveret : quia venit *ad dandam scientiam salutis : & Cherubim denominatur à scientia.* Cum autem Seraphim nomen accipiant ab amore juxta eundem Angelicum Doctorem dicentem : *Seraphim verò denominatur ab ardore charitatis:* Joannes in martyrio videtur ad seraphicorum altitudinem assendisse, quia ferventissimum detexit amorem Dei cùm luxuriam Herodis impedire curavit ne Deus offenderetur. Alieno peccato vix obstant amantissimi. fl. 21.

3 n. 44. p. 447. Tam vehemens fuit Baptistæ dilectio quòd mortem subierit sine levamine doloris illo, quo mitigantur martyrum tormenta, scilic. quod per mortis januam

4. tendunt ad conspectum Redemptoris. Hoc levamento carebat Præcursor, qui dum obiit reliquit in terris viventem Christum Dominum. O martyris egregium robur ! Non apparuit Stephano certanti Spiritus divinus, quamvis ei tribuatur corroborare per gratiæ dona corda militum Christi : sed vidit in agone Filium Dei. Quare ? Ut mors illi redderetur mitior meditanti quòd per interitum ad præsentiam Salvatoris pergebat, à quo pro tunc aberat inclytus amator. Hæc ratio non militabat in Spititu sancto, qui præsens adest ubique. Cùm igitur Joannes moriens non viam fecerit ut potiretur præsentia Redemptoris, validum nimis in holocausto suo testatus est amorem & sane Seraphicum.

Vocem Dei Joannem esse vita clamat Præcursoris ; sed clariùs id in morte personuit, quia propter vetitatis assertionem occisus est : unde satis probavit non esse hominis vocem : nam timent homines vera lo-

5. qui. fl. 27. n. 5. p. 556. Quia veritatem ferè

6. nullus in domo sua vult. fl. 14. n. 11. p. 291. Is est metus vera dicendi, quòd sapiens balbutit, cum vetitatem coram potente liberè loqui oportet. fl. 19. n. 11. p. 387. Sed Baptistam nec spes fallebat mundialis, nec timor 7.

terrebat humanus. fl. 27. n. 7. p. 557. En 8.

Præcursor quatenus vox Dei non potuit à crudelitatis viribus extingui.

Nec etiam prout lucerna fulgorem Joannes amisit patiens : nam justi per patientiam plus lucent. fl. 21. n. 43. p. 447. Plùs res- 9.

plenduit veritatem proponens, quam si mirabilia patraret. fl. 18. n. 30. p. 380. An 10.

plus rutilavit in martyrio, quam nunc in cœlis ? Sane gloria inter contraria, præcellit. fl. 8. n. 15. p. 215. Hoc unum scio, 11.

quòd post interitum Joannes clariùs quàm priùs micat. Post mortem lux rationalis clarior coruscat. fl. 25. n. 28. p. 525. 12.

IN FESTO S. ROSÆ VIRGINIS ex Prædicatorum Ordine sacro.

THEMA.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13.

ARGUMENTUM.

S. Rosa Christi Domini effigies.

S. Hilarius : *Grano sinapis se Dominus comparavit.* Theophylactus : *Et tu quoque esto granum synapis.* S. Hilar. can. 13. in Matt. Theophilact. in c. 13. Matth.

Sicut Christus Dominus nativitatem elegit pauperem : sic in paupertie Rosa nata fuit : quia juxta divinam expositionem parabolæ seminantis divitiæ sunt spinæ : & si quæramus de statu innocentiæ, *rosa tunc sine spina erat*, ait S. Basilius. Beneficium S. Basil. ho. 5. in Hexam.

Dei fuit hujusmodi spinarum, seu opum, defectus in Rosa : quia paupertas monitor optimus ut invocetur Deus. fl. 4. n. 4. p. 130. 1.

Ecce Rosa similis grano sinapis, quod pauperrimum est quia minimum.

Redemptori cælitus impositum est nomen : etiamque Rosæ. Quæro cur non dicta est Rosa à Jesu ? sed à S. Maria ? Quia sic Dei Filius insinuavit se velle Rosam possidere tamquam tem à Virgine Matre promanantem, quasi (ut ita dicam) dono sortis habitam. Salvator sortem suam putat quod anima spiritualiter jungatur ipsi. fl. 22. 2.

n. 16. p. 457.

Præter egestatem & nomen cæleste, accedit alia similitudo, scilic. quod Verbum exinanivit semetipsum : & Rosa se redigebat in nihilum dicens peccata sua reddere Oceanum amarum : necnon affirmans mirari se quòd non subverteret Deus mundum quem habitabat illa : prætereaque tribuens propriis criminibus quidquid mali contingere sciebat. Ita videmus nescivisse proprias excellentias, quasi parum fuisset illas despicere. fl. 26. n. 37. p. 548. Granum sinapis est 3.

quidem parvulum sed non minuit se : minor humilitate fit Rosa, quæ seipsam exinanibat.

Ulterius

Ulteriùs descendebat ejus humilitas in eo quod videbatur virtutem suam reputare
4. crimen. fl.26. n. 40. p. 550. Excelluit spontaneâ demissione Rosa cum sub pedes ancillæ parentum suorum se misit ut eam rogata conculcaret. Virtutis Heroina relinquere nolebat electioni alienæ ut proculcaret eam. fl. 26. n. 31. p. 546. Amorem suum
5. erga Deum sic anhilabat, ut dixerit Sponso: Quandone incipiam te dignè diligere mi bone Jesu? Quanti faciat Deus animam
6. diffidentem de proprio volatu. fl. 28.n.27. p. 585.

Ex ista generosâ diffidentiâ provenit illud nobile desiderium, quo Rosa percupivit diligere Deum ea dilectione, qua seipsum amat ille. Hem! similis esse peroptat ipsi Deo? an non periit Lucifer quia similari voluit Altissimo. Virtutem cor
7. perfectum invenit ubi alij præcipitium. fl. 31. n. 20. p. 644. Et quare Rosa desiderabat hoc? Quia Deus amat semetipsum
8. necessariò: & Rosa vellet amittere potentiam Deum non amandi. fl. 31. n. 13. p. 641. Ut fieret exactior Divinitatis effigies per gratiam, ut unum granum alteri. Similis etiam extitit Rosa Christo Domino in vitæ decursu: quia tota Servatoris ætas Crux fuit. Similiter & Rosæ teneris ab annis usque ad mortem. Sed virtutis via suavis
9. amanti. fl.16. n. 57. p. 341. Meditare coronam infixam capiti, ferream catenam, lectum horribile, seu potius catastam, qua torquebat innocentes artus.

Assimilata fuit etiam Sponso in amore salutis animarum, quem testantur lachrymæ pro Paganis, & quotidiana flagellatio sanguinea pro Christianis perperàm degentibus. Nec ejus virtus foret perfectè consummata: nisi cunctis ambiret esse proficua.
10. fl. 17. n. 33. p. 357. Cupiit pati pro fide:
11. certeque gauderet: nam sic amori Servatoris erga seipsam satisfaceret. fl. 23. n. 37.
12. p. 490. Et cur Deus non implevit hoc illius desiderium? Ut potiùs amor eam occideret multiplici morte. fl.1.n.120.p.57.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ.

THEMA.

Mariæ de quâ natus est Iesus. Matth. 1.

ARGVMENTVM.

Ædificatio domus Dei.

S.Petr.Dam. ser.2. de Nativ. Virg.

S. Petrus Dami. *Necessarium fuerat ut Virgo, ex qua Verbum caro fieret, nasceretur. Oportebat quippe prius ædificari domum, in quam descendens Cælestis Rex habere dignaretur hospitium.*

S.Tho. à V. n. infra.

Post Conceptionis gaudia fulsit lætus nativitatis Mariæ dies, de quo S. Thomas à Villa. N. *Hodie enim velut placidus Lucifer, in medio caliginis, tenebrosa nocte repente mundo apparuit. Lætantur Angeli, festivumque Virgini carmen exolvunt: tripudiant quia salus mundi jam instat, jamque nascentia primordia vident, quibus instauranda civitas sua est.*

In ædificiorum fundamentis pecuniæ mitti solent. Merita velut nummi sunt quibus comparatur præmium. Cum fundaretur domus Dei, B. Virginis merita fuerunt in mente Domini præjacta: nobilitatem, inquam, aliaque dona, quæ naturalia vocamus accepit in prævisæ virtutis remunerationem. Bona temporalia meritis acquisivisse magnum sortis incrementum est. fl. 28.n. 1.
28.p.586. Imo Dei Genitrix accipiens à Deo naturæ dona ut rursus illa consecraret ipsi, fuit eadem acceptio meritoria. Disponit providentia Dei, quod in accipiendo promereatur animus qui sibi complacuit. fl. 31. 2.
n. 18. p.643. Unde ut se coram Domino humiliaret B. Virgo agnovit citra superbiæ periculum, & projecit ad Unigeniti pedes nobilitatem suam, quæ fuit maxima. S. Thomas à Villa N. *Licet pauperem & humilem matrem elegerit Deus, sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimamque multò amplius secundùm carnem, quam sit modo quæcumque illustris fœmina.* S. Tho. à V. N. ser. 2. de B. Mariæ.

Quamvis fuerit nativitas hæc lætissima, tamen Deipara plorans, ut cæteri, nata est: & fortè sic oportebat in testimonium innocentiæ, nam faciliùs plorat innocens, quàm peccator. fl. 12. n. 26. p. 273. Et fletu vitæ brevitatem fatebatur, quod magis 3.
proprium animæ Deo placentis. fl.28.n.33. 4.
p. 589.

Duplici luce domus hæc Dei fuit illustrata: scilic. gratiâ, quam in Conceptione receperat, & usu rationis. Vides quot fœlicitatibus dives nascatur puella? Non solent sic annecti sortes mundanæ, quin potiùs prudenter post primam fortunam dubitabis de secunda. fl. 29. n. 26. Quæ 5.
usque huc diximus tacuit Evangelista, solamque protulit maternitatem: Mariæ de qua natus est Jesus: quia præcipua hæc est ejus laus. S. Anselmus: *Quamvis igitur hoc solum de S. Virgine prædicari, quæ Dei Mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel cogitari. potest.* S. Anselm. l. de excell. Virg. c. 2.

Fulget in ortu Maria domus crystallina perfusa claritate Dei, splendidiùs quam in assumptione: Quia gloria cælesti sua potitur ea sola; natæ verò lux, idest vita, profuit mundo toti: & lucet amplius quod 6.
pluribus prodest. fl. 22. n. 7. p.452. S. Bernardus: *Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum: ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni & speciosi: quid nisi caligo involuens & umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?* S. Bern. ser. de Nat. B. Ma.

Licet enim ex Adæ limo compacta fuerit, illam tamen vocamus lucem ore pleno, quia mundum suo collustravit ortu: & quod agis, hoc es. fl. 4. n. 28. p. 146. Nec refert quod eam non ita nomine Evangelista: 7.
quia satis appellare Matrem divini solis: *de quæ natus est Jesus*: S. Tho. à Villa. N. *Quidquid igitur de Virgine scire aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: de qua natus est Iesus: hæc lon-* S. Tho. à V. N. sup.

ga & plenissima historia ejus est.

Attamen cum lux esset Maria, positam se in umbra putabat quamdiu nondum illius
8. desideria plenè complebantur, fl. 28. n. 45. p. 594. Sed quia explenda erant certissimè per triumphum, ingreditur vitæ stadium coronam jam portans. De victoria certus coronatur priùs quàm certamen consummet,
9. fl. 30. n. 12. p. 622. Quidni diadema gestaret *de qua natus est Jesus* Rex regum.

Ad finem quæres quare tam citò receperit usum rationis, quæ solet torquere mortales? Ne si Dei Genitrix experiretur ignorantias ætatis primæ, truncatam vitam reciperet. In vita nostra computetur ætas ignorantiarum,
10. fl. 28. 38. p. 591. Imo cumulatam accepit Maria vitam: illi namque vita computari potest à conceptione: nam vivere incipit homo, cum cœpit conjungi Deo,
11. fl. 21. n. 42. p. 446. Congruum fuit ut Dei Parens abundaret vitâ, quia futura erat vita nostra. Deus in Mariam largissimus ut ho-
12. minibus effluat, fl. 1. n. 59. p. 29.

IN FESTO S. MATTHÆI Apostoli.

THEMA.

Vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum, Matth. 9.

ARGVMENTVM.

Metamophorsis gratiæ Dei.

Dionys. Carth. in c. 9. Matth.

SEdebat Matthæus. Dionysius Carthus. *Sedentem in telonio, idest occupatum in colligendo vectigalia, seu tributa: & forte ad litteram tunc sedebat quantum ad situm corporis.* Sedebat, inquam exteriùs; intùs verò quiete carebat: quia bonorum temporalium
1. dilectio requiem suffuratur, fl. 5. n. 41. p. 170. Nam securitas peccatoris vix unquam
2. periculo vacat, fl. 25. n. 25. p. 526. præsertim propter conscientiæ vermem,
3. fl. 30. n. 36. p. 633. Et ipsius mœror sub hi-
4. lari facie non attenditur, fl. 25. n. 34. p. 530. Ad vocationem Domini transmutatus est repente: nam onere dimisso invénit requiem: & in protectione Magistri cuncta potentis illusit pericula: Conscientiæque testimonio securus, internam lætitiam junxit exteriori, qua Domino convivium exhibuit. S. Petrus piscator factus est animarum: & Matthæus ab animabus tributa spiritualia Deo

S. Petr. Chrisol. ser. 30.

collegit. S. Petrus Chrysolog. *Hodierna Evangelica lectio Matthæum publicanum sic in Apostolum commutavit, ut qui erat fraudator pecuniæ, fieret gratiæ distributor, & de impietatis schola ad pietatis magisterium perveniret.*

Sessio laboriosa (*sedentem in telonio*) mutata est in viam suavem: *surgens secutus est eum.* Virtutis via quidem ardua: sed facilitatur per divini Magistri sequelam: nam difficultatem imminuit exemplum, fl. 17 n. 53. p. 364. Sedebat ille velut servus alligatus ad rotam. Divitiæ insidiantur libertati, fl. 3. n. 31. p. 103. ipsumque laborem suum 5. 6.
sollicitabat Matthæus: Peccator quippe labores quærit, fl. 9. n. 13. p. 227. Vocatus à 7.
nostræ libertatis Assertore *surgens secutus est eum:* & ex opum servitute misera erutus ascendit ad honorem discipulatus Domini pro animarum salute curanda. Quantum Deus honorat eum cui delegat fidelium salutis ministerium, fl. 22. n. 32. p. 464. 8.

Solent exactores tributorum potius quærere culpam veram vel falsam omittentium solvere vectigalia, quam redditus regios, fl. 30. n. 18. 9.

Nescimus utrum ex istis esset S. Matthæus. Hoc unum fatemur quòd periculosum tractabat opus. D. Thomas: *Erat in quodam statu ubi vix homo vivere potest sine peccato.* S. Thom. in c. 9. Marc. Et adeo ut idem S. Doctor dicat: *Quia enim miraculum reputavit vocationem ejus, ideo inter miracula recitavit.* Prudenter discrimina fugiens, ad primam vocationem Domini *surgens secutus est eum.* Equidem nullus peccator cunctaretur, si periculum suum cerneret, fl. 27. n. 29. p. 567. Nec fideret 10.
in dilatione divini supplicij: quia malus plus mansuetudine Dei cæditur, fl. 28. n. 25. 11
p. 584. Advertendum tamen quod isto flagello non paternè punitur, sed ei pœnam procrastinari signum est grandis iræ Dei, fl. 8. n. 26. p. 219 12.

IN FESTO S. FRANCISCI.

THEMA.

Venite ad me omnes qui laboratis, Matth. 11.

ARGVMENTVM.

Seraphim sex alis ornatus omnibus tamen eis volitans.

SEraphicè vixit Franciscus imitator Domini qui Seraphim dictus est ab Antonio. *Duo Seraphim Filium, & Spiritum sanctum significant. Filius ad redemptionem humani generis volavit.* Et cum sufficeret minor velocitas, ut hortatum sequeretur dicentis: *Venite ad me*, volavit sex alis Franciscus ad illum: scilic. humilitate, contemptu mundi, paupertate, dilectioneque Dei.

D. Anton. Olyssip. ser. Domin. 12. post Trin.

Inter alia signa humilitatis ejus eminet quòd non renuebat in spiritualibus ab indoctis instrui. Humilitatis vertex dici potest lucem accipere ab eo qui eget illuminari, fl. 15. n. 19. p. 311. Et patet hanc esse humi- 1.
litatem solidam: quia demissionem fingens renuit edoceri, fl. 15. n. 17. p. 311. Longè 2.
aberat à fictione Franciscus, qui sibi desponsavit humilitatem, agnoscens quod postea dilectus ejus filius dixit: *Beatus ille pauper qui ducit in sponsam sibi humilitatem.* Audierat eum, qui vocavit in ascen-

Idem. Dom. infra oct. Nativ.

dendo

dendo laborantes (*Venite*, &c.) ut ad illum descenderent, qui lilium est, & floret in convallibus. Proindeque volans humilitate se demisit Franciscus ex opulentiæ mundialis colle.

Ala secunda fuit sæculi contemptus. Ejus fallaciam noscens despexit illud forti pectore. Astutias mundi timebis quamdiu non
3. agnoveris, fl.19.n.34.p.398. Et nota quod arridentem sibi mundum contempsit: nam plures agnoscunt bonorum temporalium inanitatem solum postquam illa desinunt,
4. fl. 24. n.32.p.512. Sed judicavit prosperitatem, quâ potiebatur, sudore madentem, nec falsus est, quia fœlicibus etiam dicitur: *Venite ad me omnes qui laboratis.*

Ala tertia paupertas. Hujus tantùm initia meditabor. Renuntiavit hæreditati paternæ. Bona temporalia respuere plusquàm
5. humanum est, fl.31.n.26.p.646. Sed eorum futilitatem agnoscebat luce spontaneæ inopiæ hæc etenim fulgore non caret. S. Vin-
S.Vinc Ferr. ser.de S. Franc. centius Ferrar. ait: *Dico primo quod B. Franciscus dedit huic mundo radium paupertatis Apostolicæ.* Novit, inquam, (& hoc renuntiatione sua expertus est) aliquando
6. bona terrena prius perdi quàm habeantur, fl.10.n.15.p.244. Illorum amatoribus etiam, qui frustra delassantur, dicitur: *Venite ad me*, &c.

Ala quarta, Spes. Quamvis expectatio soleat premere corda: Franciscí spes erant pennæ quibus levabatur in æthera. Spei
7. tormentum Deus alleviat quin ista fraudetur merito, fl. 29. n. 19.p.604. Spei multos inquietudo fatigat: qui verò cupit in spe
8. quiescere, Franciscum imitetur, Deum habens in conspectu suo jugiter, fl. 23.n.17. p. 480. Sic ille dum juvenis mundo traditus laborabat: sed mutavit pondus in alam, ad vocem illam vocantis Domini: *Venite ad me omnes qui laboratis.*

Ala quinta, amor proximi: & præcipuè in spiritualibus divitiis communicandis. Hæ pluris fiunt, si vendicat homo sodalem,
9. fl. 12. n. 17.p.269. Et insuper videtur quòd
10. spiritus opes distribuens lucratur sibi quæ cæteri recipiunt ab illo, fl. 18. n. 13.p.372. Hæc non ignorans mercator cœlestis Franciscus in acquirendis animabus incumbebat negotiationi ei commissa à Domino suo.
S. Anton.Olyssip. ser.3. Dom. 1. Quadrag. S. Antonius: *Humilis Franciscus intellexit se ad hoc missum à Deo, ut animas lucraretur, quas diabolus conabatur auferre.* Non sigillatim vocat Redemptor homines; potiùs ait, *Venite ad me omnes*, &c. Nam quicumque venit socios desiderat.

Ala sexta, Dei amor: qui semper ulteriora petens volabat nunquam in altum ascendisse contentus: quia dilectionis præsentia censetur ex futuritione, fl. 16. n. 45.
11. p. 336. Id altitudinis fastigium tetigit volatu Franciscí fervens amor, ut plagas Do-
12. mini reddiderit sibi proprias, fl. 23. n. 52. p. 498

IN FESTO SS. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

THEMA.

Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt & vestrum servabunt, Ioan. 15.

ARGUMENTUM.

Tres victoriæ quas de mundo reportarunt.

IN Persiam sui agonis theatrum devenerũt Apostoli cum Dux Generalis exercitus Babylonici bellum parabat committere cum Indica Gente. Curis angebatur eò quòd ab idolis habuisset responsum de infœlicitate prælij. Oracula mendacia irriserunt Apostoli, pacemque ab hostibus ei postulandam prænuntiaverunt. Exitus dicta probavit: indeque factum est ut sancti honore affecti fuerint, ipsisque oblatæ divitiæ sint, ac deorum nomine decorati. Ecce tria tela retuderunt: scilic. honorem vanum: opes caducas: adulationem subdolam, quibus mundus eos dejicere cupivit.

Videntur verba thematis narratæ historiæ adversari. Summa veritas prophetavit eos persecutionem passuros: & vos persequentur: hic tamen cernimus illos affectos honore, ac gratitudinem expertos. Quomodo sæculi stylum hic indicabimus? hostiliter se habuit nunc in eos, an amicè? Ne rem examines: quia cum odiendo profit mundus & amando noceat, nec diligere scit nec odisse, fl. 10. n. 16. p. 245. Non ergo 1.
falsa reddita fuit prophetia, *& vos persequentur.*

Honorem Apostoli vicerunt oblatum, scientes quòd honor mundi nugæ, fl. 17. 2.
n. 19. p. 350. Non etiam victi sunt divitiis quia solas ambiebant æternas, comparatione quarum, sunt modica cuncta bona sæculi. S. Anselm. *Pauca enim sunt omnia bona* S. Anselm. to. 1. in c. 25. Matth. *præsentis vitæ. Quamvis multa videantur, quæ non sunt sine molestia. Multa verò bona æterna sunt, quia sine omnis corruptionis molestiâ sunt.* Tantum abest ut sæcularia bona vocari possint magna quòd potiùs appellari debent nihil, fl.24.n.31.p.512. Similiter 3.
superaverunt adulationem quamvis ab animis gratis procedere visa sit. Assentatio quandoque sumit colorem gratitudinis, fl.33.n.23.p.677. Adulationis jaculum con- 4.
torsit mundus in Filium Dei cum populus voluit eum regem proclamare in solitudine gratus. Similiter impetivit Apostolos, quia *non est servus major domino suo.*

Secundum certamen inierunt Apostoli cum hominum ignorantiâ, disseminantes veritatem: quia cum peccatoribus illis res erat, & omnis qui delinquit stulteſcit, fl. 1. n. 23. p. 12. Et adeò quòd beneficium 5.
in se collatum cum reprehenditur non agnoscat: cum tamen plurimùm debeat increpanti,

panti. fl. 33. n. 19. p. 675. Et præcipuè ratione carere videntur inter malos illi, qui ſumptibus propriis militant mundo, non aliti ab eo, ſed alentes illum. fl. 3. n. 11. p. 92.

Fateor quòd ad multa ſunt & iſti nimio pollentes ingenio: ſed vocari poſſunt ſemihomines. fl. 30. n. 38. p. 634. Non parva fuit Apoſtolorum gloria humanam ſubigere inſipientiam. Ideo Salvator in præmium perſecutionum quas illis prædixit: *vos perſequentur*: aſſignavit quod ab hominibus accipienda fuerat eorum doctrina: *ſi ſermonem meum* &c.

Tertius Apoſtolorum conflictus adverſus crudelitatem commiſſus eſt. Poſt regios honores, de quibus dictum ſupra, Sacerdotum manibus audaciter in fruſta ſecari duriſſimum extitit. Torquetur ampliùs qui poſt fœlicitatem patitur. fl. 23. n. 51. p. 497. Etiam Paſſionem Dominicam trumphus præceſſit Jeroſolimitanus: & *non eſt ſervus major domino ſuo.* Sed atrociſſimi Sanctorum homicidæ potiorem habebant, quàm Apoſtoli, dolendi cauſam: ideſt culpam. fl. 1. n. 24. p. 13. Chryſoſtomus: *Magnum enim ſupplicium peccare, etiamſi non puniamur... peccans etiamſi non puniatur omnium eſt miſerrimus: & tunc maximè miſer, cum non punitur & grave nihil patitur.*

Chryſoſ. to. 5. hom. 6. ad pop.

Ita vicerunt Apoſtoli fœliciter, ut virtus eorum in tribulatione poſita creſceret. fl. 5. n. 29. p. 164. Superaverunt, inquam, occiſores ſuos: glorioſiùs tamen triumpharunt de ſemetipſis. fl. 16. n. 23. p. 326. Claudat periodum. S. Laurentius Juſt. de illis inquiens: *Nunquam labores peregrinationis, judicum minas, tormenta Carnificum, martyrij ſuperaſſent agonem, ſi non charitatis jugo interioris hominis colla ſtraviſſent.*

S. Laur. Iuſt. ſer. hujus feſti.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

THEMA.

Merces veſtra copioſa eſt in cœlis.
Matth. 5.

ARGUMENTUM.

Torrente voluptatis rigantur flores immarceſſibiles in cæleſti prato.

LIcet verum ſit Iuſtum potius de merito, quam de magnitudine præmij gloriari (fl. 4. n. 30. p. 147. nihilominus Dei politica non ſicut mundialis eſt: Solet enim mundus mulctare delicta; non tamen benegeſta præmio afficere, Deus autem non ſolum damnat crimina; ſed virtutes remunerat. fl. 7. n. 5. p. 192. Ideo proponit in præſenti cæleſtis beatitudinis largitatem: *Merces veſtra* &c.

Enimverò cœperat juſtos in terris donis replere ſuis: & quidem verè donis: quia dat ille ſolus revera qui non commodo ſuo proſpexit cum donaret. fl. 2. n. 11. p. 71. Sed hoc minus erat quia beneficium non videtur Dei, quod adhuc non apparet ſecurum. fl. 29. n. 20. p. 604. In cœlis autem uberiùs honorati ſunt, ac diverſis manſionibus radicati, velut in areolis varij flores ab æterno fonte fœcundantur aſſiduè.

Ibi tanquam præcelſa heliotropia eminent Apoſtoli: non tam dignitate Apoſtolatus quàm laborum coronâ: nam iſtam acquiſiére meritis; non illam: & bonum illud eſt majus quod induſtria propria parit. fl. 1. n. 101. p. 49. Illic virent martyrum purpurata roſeta: quæ ſpinis fortitudinem armatam, ac florum teneritudine cautelam pluſquam vitream præ ſe ferunt. Fortitudo ſocia cautelæ. fl. 30. n. 10. p. 622. Deinde florent Anachoretarum conſtantes amaranthi quibus datum fraudibus mundanis, cum degerent in terris minime ſeduci: quod equidem magnum Dei beneficium extat. fl. 4. n. 17. p. 139. Cui grati contempſere quæ ſemel dimiſerunt ſcientes quod *merces... copioſa eſt in cœlis.*

Splendet ibidem confeſſorum innumerabilis multitudo: qui non lenem conſummarunt pugnam: præſertim ij quorum cum fuerit habitatio mediis in fluctibus mundi; converſatio tamen in cœlis erat: nec enim illi viventes in ſæculo minus diſtabant quàm cœlum à terra (*Cœli ſancti homines propter cœleſtem converſationem nuncupantur*, inquit, Beda) *nec inter homines ab amante quiſque remotior eſt quàm non amans.* Inter prædictos purpuraſcunt violæ pœnitentium candorem æmulantes innoxium, quia *liberter obliviſcitur omnipotens Deus quod nocentes fuimus, paratus eſt pœnitentiam noſtram nobis ad innocentiam deputare.* Sic Gregorius M. Etiam his *merces... copioſa* donatur *in cœlis*: quia non exiguam difficultatem ſuperavere. Peccatorem reſurgere difficiliùs eſt quam tentationem peccandi vincere. fl. 24. n. 15. p. 504. Quia maxime arduum opus eſt ſecundo naſci, quod prodigium fletui ſuo debent pœnitentes, juxta illud ejuſdem S. Doctoris: *Renaſcamur ex lachrymis.* Et potiſſimùm verificatur hoc in illis qui poſt ſanctitatem lapſi denuò ſunt. fl. 32. n. 22. p. 660. Denique pulcherrima candent virginitatis lilia: in quibus licet divinos rapiat oculos nivea puritas, omnigena tamen reperitur ſanctitas: Quia virtutes conſociantur amicè. fl. 17. n. 50. p. 363. Proindeque niſi omnes haberent, carerent cunctis. fl. 20. n. 29.

Beda in Job. l. 3. c. 6. S. Bern. ſer. de vita. & 5. ſenſibus animæ.

S. Greg. M. tom. 2. hom. 25. in Evan.

Idem. ibi.

Sic omnes ſancti potiuntur indeficientibus aquis. Ad horum conſortia vocamur qui regionem ſitientem incolimus. Verum eſt quòd juſti, de augendis obſequiis plùs quam de conſequendo præmio ſatagunt. fl. 28. n. 29. p. 587.) ſed utinam ſaltem remunerationis amore tradamur ad meliora. Enim verò *durus nimium eſt qui nec pretio acquieſcit amaro.*

S. Tho. à V. N. ſer. de Magdal.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM fidelium defunctorum.

THEMA.

Deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Apoc. 7.

ARGUMENTUM.

Felicitas lachrymabilis.

FÆlices proculdubiò sunt animæ: quæ deluserunt inconstantiam, dimiserunt corpus inimicum, & perpetua dona certitudine securissimâ præstolantur: sed multus earum dolor sortem istam devenustat.

A vinculis carnis expeditæ noscunt perfectiùs divinam pulchritudinem quâ privantur ad tempus. Ideò plùs dolent absentiam: 1. nam qui plus novit, plùs cruciatur. fl. 20. n. 26 p. 411. Forsan putares intellectum eis adducturum motiva solatij. E contrariò doloris affert incentiva. Perpendunt quod Bernardus asseruit: *Non potest seipsum negare Deus*; & expertæ quòd nondum se Dominus illis concedit, mens illas meditatione torquet accerrimè. Durum est ut dolor tuus augeatur à quo levandum putabas. 2. fl. 25. n. 28. p. 527. Crede quod præcipuum 3. afflictionis malum est illud cernere. fl. 25. 4 n. 29. p. 528. Bis miser est qui videt quod 5. patitur. fl. 14. n. 15. p. 294. Et præsertim si tormentum sit in ipso intellectu. fl. 11. n. 7. p. 252. Mentes animarum purgantium premuntur, qui privantur præcipua parte beatitudinis nempe visione Dei. Unde intellectus earum asserere potest verbis Augustini: *Quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.* Cumque facultas intellectiva sit animæ oculi, flent ipsi quibus videre non datur: sed *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis.*

D Bern. ser. 68. in Cant.

S. Aug to. 1. l. 10. confess. c. 28.

Remedium animæ bus incolentibus expiatrices flammas facillimum occurrere videbatur, scilic. malo suo voluntatem flectere sic, ut illud reddant voluntarium: sed agrè volet amans absentiam dilecti: *subractio enim rei amatæ augmentatio desiderij est*, ait Ricardus Victor: quod imprimis verum habet si frui sperat absens. Spei restaurandi præsentiam junctum desiderium absentis multùm cruciat. fl. 1. n. 26. O miram dilectionis anxietudinem! Deploranda nimis est ægritudo cum nocent alimenta. Animabus Purgatorij auget spes angorem, de qua dixit Philo: *Spem quæ est alimentum animarum virtutem amantium.* Hinc ratio suadet eis ut supradictam omittant medelam: omissio autem ista pœnalis est eis valde. fl. 25. n. 30. p. 528. Refrigerium denegatur: sitis augetur: at misericors tandem sponsus *deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Ricar. Vict. de gra. char. c. 1.

6.

Philo Hebr. tom. 1. l. Quod deterior. &c.

7.

Aliud est in sanctis animabus medicamen gemituum: scilic. amor erga Deum, cui placet ut pœnas luant: Nihilominus amor iste qui remedium conferre valebat illis, tortor earum est. Remedio torqueri durius quam ægritudine angi. fl. 9. n. 28. p. 235. Nota quod animarum desiderium videndi Deum est quidem rectissimum, & simul rationi contrariatur, quæ postulat ut in Purgatorio debita persolvant. Acris est pugna voti boni cum adversante ratione. fl. 25. n. 31. p. 529. Nos fateor etiam concupiscere vultum Dei: non tamen absentiæ simile tormentum experimur quia nobis non debetur beatitudo; maxime verò sanctis animabus. Desiderium plus vexat eum, cui bonum cupitum debetur. fl. 25. n. 32. p. 529. 8. 9. 10.

Nec pures alleviari pressuram animarum, cum jam restat minus patiendi tempus, quo breviter peracto Dominus *deducet eos ad vitæ fontes aquarum*: quia diligenti Deum brevis dilatio, quâ tantum bonum procrastinatur, millia dierum sunt. fl. 25. n. 33. p. 530. Nescio an plus paterentur animæ si detruderentur in chaos inferni: nam spes amplius cruciat quàm desperatio. fl. 29. n. 17. p. 603. 11. 12.

IN FESTO S. CATHARINÆ Virginis & martyris.

THEMA.

Surrexerunt omnes virgines illæ & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro. Matth. 25.

ARGUMENTUM.

Fumo, auræ, turbini restitit splendida lampas.

FUmus, inquam, superbiæ Philosophorum, aura blanditiarum Imperatoris, ac turbo crudelitatis ejus non potuerunt extinguere Cathatinæ lucem.

Pro thematis explicatione recolatur Hieronymus ad eum locum dicens: *Omnes virgines surrexerunt, & ornaverunt unaquæque lampades suas, ideſt sensus, in quibus oleum scientiæ recipiebant, ut haberent opera virtutum, quæ ante verum judicem refulgerent.* S. Hiero. in Matth. c. 25.

Quia virtutis lumen oleo doctrinæ fulgens, plùs quàm sanguine regio nobilitabatur Catharina, sponsum elegit Sapientiam incarnatam. Nota satis est ejus desponsatio quam refert Petrus à Natalibus in somnis, cum Filio Dei celebratam ita fœliciter, ut annulum digito insertum expergefacta repererit. Eccur non Catharinæ vigilanti Salvator apparet, ut cum eâ nuptialia fœdera jungat? Quia nollet anima suscipere sensus in consortium bonorum quæ pertinent ad spirituale negotium. fl. 23. n. 34 p. 489. Idcirco ligatis per somnum Caharinæ sensibus consociatum est hymenæum fortunatissimum. Fœlicior Alexandrina Sponsa Christi quam virgines parabolæ, quæ Sponso vigiles occurrentes, discriminibus patuerunt Pet. à Natal. l. 11. c. 103. 1.

runt, quæ ſolent ſenſus miniſtrare fallaces.

Sponſa Regis æterni facta Catharina, zelavit hujus honorem, cum ſe obtulit occaſio congrua. In faciem objecit Maximino cæcitatem quâ venerabatur idola. Virilem in hoc oſtendit fortitudinem: quia 2. veritatem ferè nullus vult. fl. 14. n. 9. p. 291. Sic holocauſtum incepit Altiſſimo, perniciei animarum quæ per idolatriam peribant obviam ire deſiderans. *Nullum Omnipotenti Deo tale ſacrificium quale eſt zelus animarum*, ait S. Gregorius Papa. Ideo Martyr inclyta non ſolum ſuam ornavit lampadem, ſed alienas extinctas accendere curavit.

S. Greg. M. tom. 2. hom. 22. ſup. Ezech.

Vocati ſapientes convenerunt cum ea diſputaturi. Superbè deſpexit illam unus ex ipſis dicens Imperatori: *Quid eſt enim mulier ad artem rhetoricam?* Intolerabilis eſt ſuperbia præſumentis non errare cum deſipit. 3. fl. 18. n. 20. p. 375. Sed os peccatoris dum tonat, 4. aperit proprios defectus. (fl. 26. n. 8. p. 535.) ignorantiam ſcilicet: nec enim ſuperbus verè doctus eſt. S. Iſid. Hiſp. *Nunquam conſequuntur legendo perfectam ſcientiam arrogantes.* Inſipientior philoſophus hic erat fatuis parabolæ: nam hæ dixerunt ad prudentes: *Date nobis de oleo veſtro*, ille verò recuſabat oleum doctrinæ recipere à prudentiſſima Virgine: quinimo renuebat eam fateri doctam eximiè.

Ex Metaphr. in vita S. Catharin.

S. Iſid. Hiſp. l. 3. ſent. c. 11.

Initum eſt certamen inter Catharinam & unum ex oratoribus; qui tandem convictus eſt cæterique detrectaverunt pugnam: & omnes facti ſunt Chriſti martyres. O gloriam Altiſſimi, quam ille videtur ceſſiſſe Sponſæ dilectæ fl. 21. n. 24. 5. Et ornavit Virgo prudens lampades Oratorum; quamvis in parabola ſapientes noluerint de oleo ſuo ſubvenire fatuis. Et notandum quàm glorioſa fuerit concertatio, quam triumphus hic ſubſecutus eſt. Neſcio ſane viceritne Martyr illuſtriùs tyrannum vitam exponens gladio: Etenim cum intellectibus hominum pugnanti opus eſt majori robore quàm ſi prælietur cum ſævitia. 6. fl. 32. n. 21. p. 660. Vidiſti ſuperbiæ fumum evaneſcentem quin lampadi noceret.

Nunc auram blanditiarum verbis adulatoriis Maximini flantem accipe: quam irridere poterat Catharinæ lux quia fallit 7. adulatio ſolos dormientes. fl. 32. n. 43. p. 668. Id cautelâ dignius in Barbaro, quòd vultu blando fuit allocutus Martyrem. 8. Hominis facies aptior ad fallendum quàm lingua. fl. 7. n. 24. p. 202. Reſtitit attamen Heroina ſacra venemo aſpidis illecebroſæ ſciens quòd miſerior eſt qui fallitur ab aſſentatore, quàm ſi prematur ab adverſante. 9. fl. 26. n. 9. p. 535.

Cernens Imperator fruſtrati doloſam pietatem ſuam, juſſit Martyrem duci ad cuſtodiam, poſtquam duriſſimè flagellata fuit. Ibi venit ad eam Imperatrix, cui Virgo prædixit martyrium pro Chriſti nomine ſubituram. Poſtea Jeſus Chriſtus apparuit ei in carcere ultima nocte priuſquam rotis alligaretur. Simeon Metaph. *Totis enim illis duodecim diebus, in quibus eam habebat cuſtodia, per columbam alimentum accipiebat à ſuperis. Deinde ipſe quoque egregius agonotheta Chriſtus, cum iis qui circa ipſum erant copiis, & gloria ſua apparens, magis confirmavit ejus fortitudinem, & implevit audacia dicens: Ne extimeſcas, ego enim ſum tecum.* &c. Quare non ab Sponſo Catharina poſtulat ut ipſam deferat ſecum ad cæleſtia? an amori non ſatis quod paſſa jam fuerat? Juſtus non contentus eo quod ſatis, accingitur ad melius fl. 30. 10. n. 37. p. 633. *Ornaverunt lampades ſuas.* Aptè virtus confertur igni: qui numquam dixit ſat eſt.

Sime. Metap. ſup.

Ducitur iterum ad tyrannum Catharina, qui generoſam bellatricem jubet ligari rotarum attroci machinæ, moverique hanc ut illa dilaceraretur. Sed Angelus Domini Virginem ſolvit, & molem deſtruxit. Auguſta egrediens increpavit Maximinum: quam hic juſſit ab oculis tolli, & decapitari. Nece fortè fuit amarius uxori quòd eam juſſerit Imperator ab oculis amoveri, quàm quod capitis pœna damnaverit. Contemptus ab eo qui te prius dilexerat, non vulgare tormentum. fl. 8. n. 7. p. 210. Poſtremò 11. Roſam Alexandrinam ſæva manus gladio demetere auſa eſt: victaque tempeſtate furenti flos eò tranſplantatus eſt ubi caducus non eſſet. Cur eam Chriſtus amator omnipotens ita permiſit pati? Ut inſinuaret quanti faceret illam. In manuum palmis Deus locat quem affectu paterno finit con- 12. tribulari. fl. 8. n. 1. p. 206.

CONCIONES VARIÆ.

Pro veſtigiis Domini: quibus pia ſolet imitatio Fidelium inſiſtere pergens dum crucem bajulat.

THEMA.

Aſcendet pandens iter ante eos.
Michææ. 2.

ARGUMENTUM.

Exhortatio cordium cupientum ſequi ducem Chriſtum: nam cor hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus ejus. *Prov.* 16. 9.

PRo commẽtario thematis Rupertus ibi. *Quomodo iſte aſcendit pandens iter ante eos? cum, inquit proprias oves emiſerit, ante eas vadit, & oves illum ſequuntur quia ſciunt vocem ejus. Quomodo ante eas niſi patiendo pro illis, relinquens exemplum patiendi, & aperiens aditum paradiſi? Aſcendet, ergo, inquit, ſubauditur in crucem.* Rup. in Mich. l. 1. ad c. 2.

Poſt latam injuſtiſſimam ſententiam, properabat in executionem humana crudelitas & Salvatoris amor: uterque lætus: nam vehementius diligens vertit dolores in gaudia. fl. 29. n. 18. p. 603. Fac tu ſimiliter: 1. nam ille vadit pandens iter: & prout S. Bernardus ait, *Chriſtus pro peccatis noſtris crucifixus eſt, & crucem amaram ſuis amatoribus dulcoravit.* S. Bern. ſer. de Paſſ.

Incertum

Incertum eſt quanam ex arbore facta fuerit crux Domini. Tu ne velis eligere lignum: de quo formetur crux tua, quò
2. ſic evadat minus gravis. In tribulationibus non datur optio. fl. 30. n. 6. p. 619. Quantumlibet grave fuerit Salvatoris patibulum gravior tu crux extas eidem: nam *fortaſſis.*
S. Bern. ſer. 4. de Vigilia Nati. (ait idem Bernardus) *crux ipſa nos ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam ſi manus extenderit, exprimet manifeſtius.* Nollet iſtam crucem Dominus: ideo ſæviùs te patitur ipſam, quàm Calvariæ lignum. Minus do-
3. let quod ultrò patimur. fl. 18. n. 7. p. 369: Imitamini Dei Filium in ſpontanea ſumptione crucis: ipſe namque *pandens iter* vos exemplo docet.

Induerunt Dominum veſtimentis propriis, ut ſic agnoſceretur à cunctis. Poſt ejus tot beneficia pluribus aliter eſſet ignotus! Quid miraris? Turpius eſt quòd illum
4. tu non ſequeris quàm ſi penitus ignorares. fl. 18. n. 5 p. 367. Accingere ſequelæ benefactoris, cum agnoſcas eum, qui aſcendit *pandens iter.*

Exivit igitur bajulans crucem, & cœpit voce præconis populo denuntiari malefactor. Permittit hoc Dominus, ut mortem
5. pro nobis anticiparet: infamia quippe vices agit mortis. fl. 1. n. 107. p. 52. Honorem proculcemus nos mundialem, ſequentes eum qui præit *pandens iter.*

Poſt 106. Paſſus ab atrio Pilati, ſub pondere procedit Agnus. Cecidit non caſu: faciem fortaſſe texit pudens quòd ab homi-
6. ne repulſam patiatur amor tot exceſſibus eum ſollicitans. fl. 31 36. Quis dubitat ex iſto lapſu lætitiam hoſtes Domini cepiſſe viſuque dolorem illius celebraſſe. O tormentum! Hoſtem de patientis damno gau-
7. dentem videre torquet acerbè. fl. 1. n. 109. p. 53.

Poſt 60 greſſus occurrit ei Mater dolorosa. Quantùm ambo doluerint ex eo conjice quòd tunc uterque mutuò vulnerabantur amati conſpectu. Minùs acerbum eſt ab
8. hoſte cædi, quàm à dilecto feriri. fl. 16. n. 30. p. 329. Sed tacens progreditur in cœptis, Matrem linquens. Fac ſecundùm exemplar hoc tibi *pandens iter.*

Ultra progreſſus erat per 71 paſſus: & coactus Cyreneus datur illi coadjutor ferendæ cruci. Doluit Filius Dei quòd iſte favorem ignorantiſſimè reſpuens acceſſerit invitus. Plus Chriſtus Dominus odit quòd tribulationem patiens eum ſequaris non li-
9. bens, quàm quòd ipſum lædas in faciem fl. 18. n. 6. p. 368.

Parum pluſquam 191 paſſus ulteriùs confecit. Ibi fœlix Veronice reportavit effigem Dominicam in liteo, præmium pietatis qua deterſit faciem Salvatoris. En unicum hoc miraculum in Calvariæ montis viâ patravit Omnipotens: cum poſſet mirabiliter & crucem levigare, necnon ſuas augere vires. Non tam de utilitate propriâ curat, ut pro ea mirabilia peragat. Comedit ex aſſo piſce poſt reſurrectionem:
Luc. 24. 43. *& cum manducaſſet coram eis.* &c. Jam non alimentis nutriebatur ſanctiſſimum corpus utpote glorioſum: ad quid ergo comedit? Potiùs expectabam comeſturum ſimul cum turbis in deſerto. Nequaquam: ibi quippe miraculoſas appoſuit ille dapes, de quibus non manducavit, ne videretur ſibi conſuluiſſe per operationem prodigij. Piſcis aſſus, & favus mellis, miraculoſus non fuit; ſed oblatus ab Apoſtolis: *obtulerunt* Ibi. n. 42. *ei partem piſcis aſſi, & favum mellis.* De iſtis comedit; non autem de mirabili ſuo. Simili de cauſa Dominus crucis mole preſſus non ſibi per omnipotentiam auxilium præſtare voluit, qui totus in hominum commoda expenſus ad crucem feſtinavit *pandens iter ante eos.*

Inde viam carpens, ad nonnihil amplius quam 336 greſſus, iterum cecidit Fortitudo propter nos infirmata. Sanguinem ruptis venis profluentem, quo terra madebat, quaſi tegere cupiit? velut ſi fieri poſſet (humano more loquimur) ut impietas inimicorum quam ſanguis ille, melius quàm Abelis, de tellure clamabat, Æterni Parentis oculis & auribus abſconderetur ſuperjecto corpore ſacratiſſimo? Offenſam operit
10. ingenioſus amor. fl. 13. n. 9. p. 278,

Poſt 348. paſſus & aliquantùm plùs, filiabus Jeruſalem diſſuadere curavit fletum ſuæ commiſerationi fideliter impenſum. Ac ſimul ſuaſit ut ſeipſas flerent propter venturam populo ſuo cladem. Hæc effectus culparum fuit: Delictis igitur potiſſimum reſervandæ lachrymæ: non propter innocentiæ vexationem ſunt fundendi ploratus: nam
11. delictum præponderat graviſſimis doloribus. fl. 24. n. 9. p. 501.

Non multum pluſquam, 161 greſſus tertiò concidit qui lapſos erecturus deſcendit: forſan ut agendus in crucem nunc terræ valediceret amplexatus eſt eam, quaſi plurimùm beneficam relinquere cogeretur. Ingrata fuit illa; ſed amor ipſis in offenſis
12. invenit quò ſe devinctum beneficio fateatur. fl. 13. n. 10. p. 279. Sequere tu Dominum dimittens ad minus injuriam hoſti: nam Filius Dei (ut expendit S. Thomas à V. N.) nobis ait: *Si quid aſperum præcipio* Tho. à V. N. ſer. 3. de uno martyre. *ipſe præcedo: quis enim Domine crucem ſuam tolleret, niſi tuam prius ipſe tuliſſes.* addit ſc. S. Doctor.

Se rurſus è ſolo Dominus levavit & per 18 paſſus eò venit quò detractæ ſunt illi veſtes (de quo ſequenti concione.) Deinceps per 12 paſſus acceſſit ad crucifixionis locum: & jam fixus delatus eſt per ultimos 14. illuc ubi præparato foramine Crux eſt in aëra, dulciſſimo pondere dives, crudeliter exaltata. Sic perfecti fuere 1321. greſſus viæ regiæ S. Crucis.

Pro ſacroſancta Redemptoris effigie detegenda Crucem portantis.

Reſtat ut intueamur illius faciem, cujus ductum ſequimur. Sed attendite ſit ne velum in cordibus noſtris: quod niſi dimoveatur parum proderit imaginem Dei manifeſtam comparere. Moyſes fuit imago Salvatoris ex doctrina S. Bernardi, qui ait: *Quomodo Moyſem filia Pharaonis ita Chri-* S. Ber. ſer. 2.

de Oct. Pasch. *ſtum quoque Ægyptus, quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia, ſuſcepit conſervandum.* Loquens Paulus de velamine quo ſolebat Moyſes operire faciem, aſſeruit adhuc impoſitum extare, nec ablatum fuiſſe

2. ad Cor. 3. 14. *Uſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non revelatum.* &c. An non in Thabor facie revelata Moyſes adſtitit? Maxime: ſed quid refert quòd ab imagine Filij Dei (ſcilic. Moyſe) ſublatum faerit velum, ſi manet adhuc in cordibus multorum? Apoſtolum ibidem audi? *Velamen poſitum eſt ſuper cor eorum.*

Ibi. n. 15.

CONCIO PRO DEI FILIO IN Calvariæ monte crucifixo.

THEMA.

De vertice ramorum ejus tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum & eminentem. In monte ſublimi Iſraël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum. Ezech. 17.

ARGVMENTVM.

Amor exhauſtâ jam pharetrâ mutuatur crudelitatis arma quibus feriat cor amantiſſimum Jeſu Chriſti.

Theodore. in cum locum Ezech. PRæfixa verba commentatur ſic Theodoretus: *Crucifigam Chriſtum in monte Calvariæ.* Septuaginta vero legunt: *ſuſpendam illum in monte ſublimi Iſraël.*

Detrahitur ſævè ab exulcerato Salvatoris humero Crucis onus. Crudelitate hac uſus eſt affectus Domini, percuſſitque præcordiis

1. illum, quatenus doluit Redemptor à dilecto ligno divelli. Nollet amans eripi ſibi quod patitur. fl. 18. n. 34. p. 382. Quaſi ramus avulſus ab arbore (de quo apud Ezechielem) Redemptor à ligno Crucis diviſus eſt.

Potus Domino more ſolito datus ut confortaretur. Oneroſum ſolamen hoc extitit ei, cui gaudium afflictiones attulerunt (quaſi foret inſenſibilis ramus): at hoc eſt amoris victoria quæ 'am tribulationibus

2. gaudere. fl. 23. n. 28. p. 486. Vincebat amor, & vulnerabat victum.

Expoliatus veſtitu paſſus eſt Dominus

3. omnium nuditatis confuſionem. Horribilior morte confuſio. fl. 15. n. 15. p. 310. Inde ſagittabat eum dilectio meditari ſuadens pauperiem noſtram, quam veſtire ſatagebat: hic enim fructus inter alios, paſſionis extitit: *erumpet in germen* &c.

S. Laur. Iuſt. l. de triũph. Chriſti agone, c. 16. *Redemptore ergo denudato illum ſupinum ſuper Crucis ſtipitem poſuerunt.* Hæc S. Laurentius Juſt. Et infra: *Dextrum crucifixoribus exhibuit brachium: quod illi ſine cunctatione apprehendentes toto conamine, dilaniata potius, quàm perforata manu clavo preſſerunt in ligno.* Et poſt aliqua S. Doctor

Ibem ibi. idem addit: *Vi maximâ manum alteram fixerunt in ligno. Demum conglobati pariter funes ligantes in pedibus manuum dilatata foramina, atque jam contractas brachiorum juncturis extenſis pedum plãtas Crucis confixere patibulo.* Et quare permiſit providentia Dei potius ut ſuper terram figeretur Cruci Redemptor, quàm in aëre? Ut magis vicinum perſonaret echo vocis, quam emittebat ſanguis ad æternum Patrem, juxta illud Bernardi: *Ecce vox ſanguinis noſtri Ieſu clamat ad te de Cruce.* Oportuit ut clamaret poſitus in terra quò ſic audiretur à peccatoribus qui valido ſomno ſopiti clamoribus vicinis egent. Peccatoris ſomnus difficile pellitur. fl. 18. n. 11. p. 371. Ob-

S. Bern. ſer. de Paſſ. 4. ſtinationem iſtam videns percutiebat amor præcordia Filij Dei: qui duritie telluris lapideæ, quaſi ramus tener, conſtringebatur, ut fructificaret.

Titulus eminebat in Cruce, quo non fuit ſcriptus malefactor. Sed ideo tormentum Domini dirius extitit: quia plus innocens dolet cum patitur. fl. 16. n. 28. p. 328.

5. Amor inſcriptus erat ibi, verbo *Ieſus.* Affectus crudelitati ſociatus angebat amantem: cui ratio tribuebatur falsò mortis infandæ; latebatque vera cauſa mortis: nempe dilectio, qua tenerrimus ille ramus) (*tenerum diſtringam*) nullam peccati nodoſitatem habens diſtringebatur.

Luc. 23. 34. *Pater*, ait, *dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Peccator delictum ſuum non agnoſcit. fl. 14. n. 12. p. 292. Hoc audito

6. converſus eſt latro: cum enim diabolus è collegio Apoſtolico furatus Judam fuerit: Dominus in compenſationem abſtulit à poteſtate dæmonis Dimam, nec unius hominis jacturam pati volens. fl. 22. n. 14 p. 456.

7. Ecce jam planta fructificare cœpit: *Erumpet in germen, & faciet fructum.*

Chryſoſt. to. 2. hom. 88. in Matth. Verbis contumelioſis petitus eſt. Chryſoſtomus: *In patibulo pendentem videntes & ipſi & tranſeuntes omnes amaris impetunt verbis, quæ & rebus ipſis mihi graviora videntur.* fl. 19. n. 35. p. 398. Sed quin obſtet

8. linguæ flamma gehennalis, ramus *erumpet in germen.* &c.

Stabat Mater afflictiſſima dolens inſtar

9. plurium. fl. 1. n. 105. p. 51. Donatur ei Joannes in levamen: ſed nimis amans in in ploranda morte dilecti ſocium non cupit

10. fl. 1. n. 112. p. 54.

Matth. 27. 46. Quæſivit à Patre ſummo Redemptor dicens: *Ut quid derelequiſti me?* quaſi neſciret: Velut ignorat ſcelera dilecti qui ve-

11 hementer amat. fl. 1. n. 21. p. 12.

Dixit: *Sitio.* Hæc ſitis lachrymis noſtris extinguetur. Ad illud pſ. *Et aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini,* dixit Chryſolog. *Vt juxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini.* Si oculorum lamenta profluunt in terris: quomodo ſunt iſta cæleſtes aquæ: an tranſportantur illuc ad extinguendam ſitim divini amoris?

Pſ. 148. 4. Chryſolog. ſer. 93. 12.

Vt imago Christi Domini pendentis in cruce reveletur adoranda.

Congruum est quòd faciem vita functi Salvatoris cernamus, ut corda nostra conspectus illius facile trahat. Tenebræ cœperunt ante Filij Dei mortem, & finem dederunt cum expiravit, vel parumper ultra. Nonnemo diceret, equum fore quòd à morte Christi Domini sumerent initium, & in luctus universalis testimonium perdurarent ad Resurrectionis matutinum. Aliter factum: quia congruebat ut homines apertè contuerentur demortuum amantissimi Domini vultum ad hoc ut raperentur in ejus amorem, vel saltem reducerentur ad pœnitentiam. Scindatur ergo velum templi &c.

CONCIO DE BEATA MARIA

su btitulo necessitatum, spei, afflictorum à beneficiis, remediis, vel similibus.

Thema nunc omitto, necnon in duplici sermone sequenti, quia cum festivitates istæ diem fixum non vendicent, nec semper in eis missa votiva B. Mariæ celebretur: duxi consultius hoc remittere ingenioso lectori, quàm accommodationum pluralitate confusam hic nectere farraginem.

ARGVMENTVM.

Nubes ad solem.

S. Bonav. in psalte Virg.

S. Bonaventura loquens de piissima Virgine *Venite ad eam qui laboratis & tribulati estis, & dabit refrigerium animabus vestris.* Et infra: *Ipsa est porta vitæ janua salutis, & via nostræ reconciliationis. Spes pœnitentium, solamen lugentium, pax beata cordium, atque salus.*

Licet Phœbus non ut antea exurens ardore terram; sed vultu benigno fulgens, veluti promittat sitientem fœcundare glebam: nisi tamen interponatur nubes, tellus non irrigabitur aquis. Ita non nisi per Mariam exequitur Deus promissum beneficium. fl. 1. n. 89. p. 43. Adde divinam providentiam commoda nostra Virgini commisisse, quia Dei Genitrix utraque manu benigna cumulat hominibus dona. fl. 1. n. 90. p. 43. Videtur ne Dei Parens liberalior Domino. fl. 1. n. 91. p. 44. Phrasi vulgari dicimus plurima dispergentem veluti pluere. Quo posito meditari licet non solem pluere, sed nubem. Meditationis hujus permittit occasiones frequenter Altissimus: quia ut Mariam adeamus ille quodammodò suo cedit honori. fl. 1. n. 93. p. 44. An dedignatur sol quòd luminibus nostris cum nubes obumbrat agros irroratura?

1.
2.
3.
4.

Velocitas etiam clementissimæ Virginis delineatur eodem ænigmate, vides enim quàm festinanter nubes emittat undas. Mariæ velocitas in muneribus concedendis. fl. 1. n. 95. p. 45. An celeritate largitionis præcellit Unigenitum Virgo Mater. ibid.

5.

Hoc unum scio, quòd Mariæ beneficia quærunt homines. fl. 1. n. 97. p. 47. Ita non plantæ quærunt nubem ut rigentur, sed illius aquæ demissæ currûr ad plantulas. Quinimo licet manicare non pigret petentis desiderium ocyor est Maria placido rore suo lætificans mortales. fl. 1. n. 96. p. 46. Aliquando concedit afflicto plus quam ille vellet. fl. 1. n. 84. p. 40. Sicut imber à nube non profluit ad mensuram arboris arentis. Ac insuper ad radices usque penetrat aqua cælestis Mariæ: quia nonnunquam securitatem addit beneficio Dei. fl. 1. n. 98. p. 47. Ad finem i utile non erit advertere ne sola temporalia postulemus ab ea quæ dicitur Mater gratiæ. Non minus illa potest, ut animæ conflictationibus opem ferat. *Non sic timent hostes visibiles quasi castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum.* Et Parens misericordiæ gaudet peccatores ad Filium reducere: quia difficilius est unum illuminare, quàm reversum ad virtutes promovere. fl. 9. n. 24. p. 232. Proinde Reginam cælorum honoramus si D. Ephrem verbis illam salutemus dicentes: *Ave peccatorum refugium & hospitium.* Ita de bono delinquentium Virgo sibi complacet, quòd in Liberatoris nostri nativitate gaudia sua vix propalare potuisse videatur. fl. 1. n. 11.

6.
7.
8.
9.
10.

S. Bern. apud S Bonav. in spec. Virg. c. 3.

11.

S. Ephrem. de laud. Deiparæ.

CONCIO DE SANCTISSIMA

Virgine sub titulo à protectione, auxilio, misericordia &c.

ARGUMENTUM.

Vmbra metum pellens.

S. Germanus ad Mariam Virginem ait: *Quis post Filium tuum curam gerit generis humani sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus.*

S. Germ. hom. de Zona. Virginis.

De suppliciis nemo loquatur dum Christus Dominus residens in brachiis Mariæ recolitur. fl. 1. n. 66. p. 33. Quia Judex supremus videtur expectare ad puniendum quòd homo patrocinium Deiparæ negligat implorare. fl. 1. 65. p. 32. Imo quærere non dubitabit aliquis an timeri valeat quòd Maria decreta Dei adversus hominem faciat revocari. fl. 1. n. 64. p. 32. Olim fulmina mittebat cælestis ignis consumens (quo vocabatur nomine Deus) nunc ad umbram Mariæ timor propulsatur. Postquam Virgo Deum carne induit, vix apparet in terris divina severitas. fl. 1. n. 63. p. 31. Quia Verbum donante Virgine frater effectus est noster. S. Bernardus: *Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato... Hunc tibi fratrem Maria dedit.*

1.
2.
3.
4.

S. Bern. ser. de B. Mariæ Nativ.

Eò ascendit Mariæ dilectio erga terrigenas, ut si quandoque non avertit flagellum Dei, cupiat ejus partem in semetipsa recipere. fl. 1. n. 67. p. 33. Vereor ne devotio sic audeat ut affirmet Mariam sibi metuere cum periclitantur Adamides. fl. 1. n. 74. p. 36. Maternus est ejus amor, nosque non sine cruciatu parturivit. S. Antonius: *Bea-*

5.
6.

S. Antonin. p. 4. tit. 15. c. 2. poſt. prin.

ta Virgo Maria nos genuit & peperit in maximis doloribus Filio compatiendo. Devotionem equidem ſic audentem ipſa non increpabit, ſciens quantum his meditationibus ad illam proficuè inclinentur corda noſtra.

7. Et Maria quaſi dicit: Dummodo magis proſim, eſto minus luceam. fl. 1. n. 69. p. 34.

Timor ad umbraculum arboris, quæ vitam protulit, confugiat. Ardua timens corroborabitur, ſi fiduciam ingerat umbra Mariæ.

8. fl. 1. n. 68. p. 34. Nam ſub ejus tutela metui

9. locus non eſt. fl. 1. n. 73. p. 36. Solum ti-

10. mebis cum à Maria diverteris oculos. fl. 1. n. 72. p. 35. Ad eam ſi recurras, etiam ſuperabis invidos. fl. 1. n. 88. p. 42. Quid ergo pavebis adhuc? Securitas advenit ex protectione Mariæ. fl. 1. n. 70.

11.

12.

CONCIO DE PURISSIMA DEIPARA ſub titulo à ſalute.

ARGVMENTVM.

Flos medicina grata.

S. Antonin. proxime ſup.

S. Antoninus: *Et quod ait ſapiens: Vbi non eſt mulier ingemiſcit ager: & verò poteſt intelligi de hac muliere, quam filius ſuus ſic vocavit, cum ait: Mulier ecce filius tuus. Non reperitur aliquem ſanctorum ita compati, & adjuvare in infirmitatibus ſpiritualibus, & corporalibus ægris perſonis, ſicut mulier hæc B. Virgo Maria.*

1. Infirmorum ſalus ad Mariam peculiariter attinet. fl. 1. n. 76. p. 37. Pietas enim ejus talis

2. eſt, ut videatur non poſſe mortalium angores noſcere quin ſubveniat. fl. 1. n. 83. p. 39. Be-

S. Ioan. Damaſ. orat. 1. de dormit. B. Mariæ.

ne vocatur à Damaſceno Maria *agrotantibus medicina*: quia medicus poterit remedium denegare: medicamentum verò non valet non ſanare, ſi ritè applicetur flos medicinalis.

Non huic, vel illi, morbido coarctatur medicamen, quod Maria præbæt; cunctis

3. defertur. fl. 1. n. 78. p. 38. Nec erit malum adeo valens ut reſiſtat. Ad præſentiam Vir-

4. ginis mala noſtra evaneſcunt. fl. 1. n. 75. p. 37. Et ita quòd per oſtium quà poſſet

5. ingredi damnum veniet fœlicitatis nuntium ſi Maria faveat. fl. 1. n. 86. p. 41.

6. Accedit quòd Mariæ jucundiſſimum opus eſt ſanare languidos. fl. 1. n. 81. p. 39. Unde tam feſtina morbis opitulatur quòd ab ea

7. non tam ſalutem videtur æger accipere, quàm ſumere propriâ manu. fl. 1. n. 79. p. 38. Sic florem ipſe carpit qui eget illo.

8. Inſuper ſolet Maria medendo ſanitatem

9. reddere ſecuram. fl. 1. n. 80. p. 38. An pietas illi ſuadet ut cupiat noſtra pericula ſibi. fl. 1. n. 87. p. 41. Sciens beneficium inconſtantiâ devenuſtari, liberat homines à diſcri-

10. mine quos protegit. fl. 1. n. 85. p. 40. Cumque ſic de ſanitatibus hominum Maria congaudeat, Salvator ut morigeraretur illi gaudebat ſanitates donare non tam prout

11. Genitus Patris, quàm uti gnatus Virginis. fl. 1. n. 82. p. 39. Sed replicabit aliquis: & cur nonnullos ægrotantes, licet invocent Mariam, non exaudit illa? Quia fortè non expedit earum æternæ ſaluti: Deipara quippe vellet ea potius hominibus negotiari bona, quæ perpetua erunt. fl. 1. n. 99. p. 48.

12.

IN FESTO SACRATISSIMI Roſarij.

THEMA.

Mariæ de qua natus eſt Ieſus. Matth. 1.

ARGUMENTUM.

Apibus non ſteriles roſæ.

VIrgo Dei Parens præcipua fuit inſtitutrix hujus piiſſimæ orandi formulæ qua docuit homines deprecari Deum: & ſic eis fiduciam tribuit ad offerendas preces. Fiducia in Deum, grande munus eſt. fl. 10. n. 4. p. 229. S. Bonaventura inquit ad Vir-

1.

ginem: *Gratia tua relevat pauperem in adverſitate, & invocatio tui nominis immittit ei confidentiam bonam.* Donum inquam illud eſt valde perutile: quia plus aſſequitur à Deo pia fiducia, quàm timor. fl. 7. n. 11. p. 196. Et ita Deo placet modus hic accedendi fiducialiter ad amantiſſimum Dominum per orationem: quòd Salvator apparens viſibiliter S. Dominico Roſarium vocavit ſuum dicens illi: *Prædica ergo pſalterium meum.* Confidenter itaque, necnon prudentiſſimè petitiones replicamus Roſarium recitantes. Quindecim vicibus orationem Dominicam proferimus, in qua ſeptem continentur ſupplicationes: cum tamen in ſalutationibus angelicis nihil poſtulemus à Virgine præterquàm quòd precetur pro nobis. Ora pro nobis peccatoribus. Meritò Deum alloquimur ita confiſi de illius benevolentia: in eo namque nitimur, quod filia quædam naturæ humanæ ipſa eſt *de qua natus eſt Ieſus.*

S. Bonav. in pſalt. Virg.

2.

Finis inſtitutionis Roſarij fuit, ut memorarentur homines oblita Dei pro noſtra redemptione beneficia: quia obliviſci donum, eſt quaſi non intelligere illud. fl. 17. n. 44. p. 361. Et non intelligere munus eſt idem atque ipſo carere. fl. 17. n. 41. p. 360. Ex quo valet inferri quòd Maria prædicta beneficia Dei per oblivionem deperdita reſtauraverit quodammodò nobis per inſtitutionem ſanctiſſimi Roſarii. Minus eſt quod ab ea petimus, maxima ſunt quæ ſuſcepimus ab eádem. *Ea commoda per Virginem Matrem nobis obvenerunt, quæ excedunt omnem orationis menſuram.* Sic D. Baſilius. Quid nobis non conferre putandum illam quæ donavit bonorum fontem? *de qua natus eſt Ieſus.*

3.

4.

S. Baſil. orat. de Incar. Verbi.

Ex miſteriis Rorarij gaudioſis quodnam lætius?, inventio pueri Jeſu ſedentis in templo? an Incarnatio Verbi divini? Pro primo facit quod mirabillimum eſt Salvatorem ut feſtinaret ad juſſa Mariæ capienda diſtuliſſe protunc negotia Patris. fl. 1. n. 47. p. 23. Pro ſecundo ſtat quòd prædictam

5.

dictam lætitiam templi posset subsequi mœror alius Virginis ex causa simili: si nempe die sequenti Puer Divinus oculis maternis iterum subtraheret se. Maternitas verò Dei fuit bonum à Deipara non amittendum. Excellentius est Mariam accipere gratiarum dona securè fruenda, quam abundanter, 6. fl.1.n.32. p. 17. Textus equidem de sola maternitate agit: *de qua natus est*, &c.

In secunda psalterij Virginei parte Passionem Redemptoris animo versantes compatimur ipsi, necnon & Matris dolorosæ cruciamentis. Videtur quòd in Maria sit major compatiendi ratio, quam in morte Christi Domini: nam hæc brevi duravit: de Virgine autem Rupertus inquit ejus nomine fatus: *Ex quo Mater ejus facta sum* Rup. l. 1. in cant. c. 1. *scivi eum ista passurum. Cum igitur talem Filium in sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem: qualem, quantam, quamque prolixam me putaris Matrem doloris pertulisse passionem?* Tormentum diutinum acerbius morte, 7. fl.3.n.25.p.99. Igitur quare salutationibus non consolamur eam dicentes in hac secundâ Rosarij parte sic: Ave Maria tam doloribus quàm gratiâ plena: nunc ab oculis tuis abest qui priùs Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, quæ te sociam exhibuisti Cruci, quam patitur benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta plusquam martyr Maria Mater patientis Dei ora pro nobis peccatoribus, ut agonis tui participes fiamus nunc & in hora mortis nostræ Amen. Melius adsumus dolenti Virgini offerentes ei salutationem angelicam ordinario modo prolatam. Deipara *libenter nos salutat cum gratiâ, si libenter* S. Bonavent. in specul. Virgi. c. 4. *eam salutamus cum Ave Maria.* Consolatio prudens afflicto nimis, non verbo præstatur sed ore muto. 8. Venerunt amici Job: Job. 2. 13. *& sederunt cum eo in terra septem diebus & septem noctibus. Et nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Cum David contristatus esset adhuc de morte Absalonis ei locutus est Joab ut mœrorem tolleret illius. Quare non & amici Job cum accesserunt levare conantur ejus mœstitiam? Quia hi venerunt ut consolarentur Jobum: *condixerant enim ut pariter ve-* Ibi n. 11. *nientes visitarent eum & consolarentur.* At verè Joab non venerat ut solatium Davidi præberet, sed potius ut quereretur de ni- 2.Reg.19.5. mietate qua dolorem ostendetat: *Confudisti hodie vultus omnium servorum tuorum*, &c. Taciturnitas erat opportuna consolatio Jobo. Sic de silentio quo Matris Dei cruciatus nostra compassio tacet. Ejus agonem cordis nullus exprimit Evangelista: cum tamen non defuerint verba Matthæo, quibus S. Thom. à Villan. ser. 3. de Nat. Virg. explicaret maternitatem Dei: *de qua natus est Jesus:* licet illa sit res tanta, quòd S. Thom. à Villan. dixerit: *Habet quandam infinitatem esse matrem infiniti.*

Quæstio sit. Superavit patientia Mariæ dolores in unigeniti passione: triumphavit fortissima turris David mediante Rosario de principe tenebrarum: quid gloriosius? Videtur standum pro secundo triumpho: nam hic eam reddidit nova ratione amabilem. Illustrius est amari meritò, quam robore prævalere. Invidit Saul mulierum præconia collata Davidi? non autem victoriam de Golia, quem Saul timuit? Si nonnihil prudentiæ concedendum invido, forsan judicavit non tam gloriosam Davidi fortitudinem, qua prævaluit adversus gigantem, quàm dilectionem Israëlitarum, cujus testis fuit muliebris cantus. Multa posset Evangelista proferre in laudem B. Virginis: tantum scripsit quòd eam nobis reddit maxime dilectam: scilic. illam esse *de qua natus est Jesus.* 9.

In ultima parte Rosarij sumimus initium à Christi Domini resurrectione. Anima quæ non timuit, velut apis, dolorum spinas, nunc legit mella. Conspectum gnati restaurans Deipara sortem obtinuit in qua recondunt plures. Fœlicitas unica non permanet: sit instar multarum ut perduret, fl. 21. n. 20. p. 434. 10.

Ascensionem recolimus: & non prætermus quàm citò Maria venit ad novam Salvatoris absentiam, quam cæteris ejus amatoribus plus doluit illa *de qua natus*, &c. Mors Filij Dei per triginta tres annos dilata fuit, quamvis ab ea pependerit mundi libertas? Et lætitia de conspectu ejusdem abit post quadraginta dies! Citiùs perit gaudium quàm dolor veniat, fl. 17. n. 28. 11. p. 354. Ex aliis tribus mysteriis quid gloriosius B. Virgini? Pentecostes: quia tunc manifestissimè patuit amor Dei erga illam. Creaturæ glorioſissimum est quòd amor 12. divinus erga ipsam detegatur apertè. *Mihi* Ad Galat. 6. *autem absit gloriari nisi in Cruce Domini* 14. *Jesu Christi.* Cur non ait gloriari se de Servatoris exaltatione: quia non hæc, sed Crux amorem erga Paulum testata fuit: Ibi c. 2. 20. *Tradidit semetipsum pro me.*

CONCIO PRO SOLEMNITATE
Monasticæ professionis.

THEMA.

Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, Psalm. 65.

ARGUMENTUM.

Sacrificium citra sanguinem.

SAnctus Bernardus apud Lorinum ibi. *Rogo soror dilecta, ut dicas cum prophe-* S. Bern. ser. 62. ad sororem apud Lorinum in Psal. 65. *ta: Introibo in domum tuam, id est in monasterium: in holocaustis, hoc est in spiritu contritionis, & compunctionis: reddam tibi vota mea, ideſt me integram offeram tibi in ara cordis, quam tibi vovi.*

Festus oportet sit dies iste non tantum spectatoribus incruenti sacrificij: sed ipsi victimæ. Lætus antea si cum offertur Deo sit mœstus, displicet illi, fl. 30. n. 29. 1. p. 630.

Hostia hæc tribus mactatur ictibus: hoc est per triplex votum. Primum obedientia,

vulnus ad ſanitatem conſervandam proficuum. Juſſis alienis te ſecuriùs committes
2. quàm voluntati propriæ, fl. 16.n.37.p.332. Tuta inquam remanet anima tamquam repoſita in palatio ſummi Regis: *Introibo in domum tuam.* Et adeo tuta, quòd obediens poteſt clauſis oculis degere. Obedientia
3. cœca promptior, fl. 16. n. 38. p.333. Ideo non tam intellectui tribuitur obedientia, quàm cordi, quia non hujus proprium cernere. S. Antonius Olyſſip. *Cum tui prælati vox quæ eſt aër (Nihil enim debet habere de terra) reverberat tuam aurem: non aure, ſed auris auditu ideſt interiori cordis affectu debes audire, dicens cum Samuele primi Regum 2. Loquere quia audit ſervus tuus.*

S. Anton. Olyſſip. ſer. dom. 12. poſt Trinit.

Adeo congruum eſt ſtatui perfectionis obedientiam complecti exoculatam, ut ſi quando virtutis opus inhibitum fuerit à ſuperiore cedat libenter, attendens quòd religioſi virtus, cum à jubente retrotrahitur, non impeditur, ſed promovetur, fl. 16.
4 n. 39. p. 333. Introitus equidem, ideſt aſcenſus ad ſtatum religioſum, voluntariùs eſt: *Introibo in domum tuam*; quæ verò ſequuntur debita ſunt: *Reddam tibi*, &c. Et anteponenda ſolutio venit operi ſpontaneo. Nunc vovens mactat incruentè voluntatem propriam: longe aberit à miraculo ſi poſtea reſurgat.

Per votum paupertatis expeditur anima carpens viam ad cœleſtia. A bonis temporalibus levat oculos ut in cœlum figat,
5. fl. 17. n. 7. p.344. Neque timendum quod pauperi deficiant ſumptus ut conficiat viam ſalutis: nam ſpontanea paupertas maximè dives. S. Laurentius Juſt. *Unde tibi ô tu, qui egenus propter Chriſtum factus es, non diſpliceat paupertas tua, nec te frangat egeſtas, vel temporalium penuria. Vis cognoſcere quam locuples ſit. Cœlum emit.* Enimverò caduca bona, velis, nolis, amittenda ſunt: ſed ea deperdere quid eſt? oportet relinquere,
6. fl. 31. n. 42. p.653. Nec tamen dimidiatim; ſed ex integro: nam ſacrificium iſtud eſt ſimile holocauſto veteri (*Introibo in domum tuam in holocauſtis*) quod totum conſumebatur igne.

S. Laur. Juſt. in lign. Vi. c. 2. de paup. fine.

Sic expedita perget anima communis adverſarij timore pulſo. Dæmon cum paupere
7. certare pavet, fl. 4. n. 14. p. 137. Nec ſufficiet ad perfectionem conſequendam quòd opes contemnantur, niſi deponatur amor earum. Aliqui deſpiciunt bona mundialia mente;
8. ſed amant corde, fl. 31. n. 33. p. 649. Nihilominus ditiſſimus erit animus paupertatem diligens, & adeò quòd ſolvere poſſit cunctorum Domino promiſſa: *Reddam tibi vota mea.*

Caſtitatis florem evellens è terra litat eam Virginis Filio libens animæ ſenſuum januas claudere decernens. Aliquando putabit non adeſſe periculum; credet attamen prælato, ſic immolans intellectum: Quod quidem eſt majus libamen, fl. 9. n. 9.
9. p. 224. Ne ſibi fidens audeat viſum diſpergere, credens facile ſibi fore oculos internos occludere. Tutius eſt animam ab alio claudi, quam à ſe, fl. 16. n. 36. p. 332. Caveat
10. cor mundum, ne dicat: Volo periculoſam egreſſionem; ſed periculum execror. Hoc aſſerere ſuadet propria voluntas: quæ majorem ducit ad ruinam quàm peſſimi homines, fl. 18. n. 18. p. 374. Imo pejor conſi- 11.
liarius eſt diabolo, fl. 18. n. 19. p. 375. Vigilet 12.
ergo ne qui ſemel deliberavit inquiens: *Introibo in domum tuam*, divagetur, ita ut corpus ſuum deſinat eſſe domus Dei. *Habemus corpus de terra.... Ipſum dat religioſus Domino per votum caſtitatis.... Pro iſto Deus dat religioſo caſto & honeſto reſurrectionem incorruptibilem.* Hæc S. Vincentius Ferrar. Ut promiſſa puritas obſervetur, erit perutile monachum in clauſtro manere ſicut piſcem in aqua. S. Bernardus: *Meritò ſiquidem ſtagnis monaſteria comparantur, ubi quodammodo incarcerati piſces evagandi non habeant libertatem.*

S. Vinc. Ferr. ſer. Fer 6. poſt Dom. 2. Quadrag.

S. Bern. ſer. 1. de S. Andrea.

IN CELEBRATIONE CAPITULI Regularis.

THEMA.

Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent, Luc. 9.

ARGUMENTUM.

Nec ſolis vices aget nox: nec ſanabit ulcera fulmen.

DEſignaverat Sapientia Patris 72 diſcipulos, ex quibus duodecim ſegregaverat Apoſtolos. Confert poſtea Dominus eis poteſtatem ad ſpiritus malignos expellendos, morboſque ſanandos. Conjiciendum hinc eſt quantò plùs requiritur deliberatio matura ut deligantur illi, quibus juriſdictio datur ad expellenda dæmonia per vitiorum correctionem, ægritudineſque medicandas animarum. Hugo Cardin. ad Hug. Card. in 9. Luc.
verba thematis: *Per duodecim Apoſtolos ſignificantur Prælati.* Male committentur ſanationes illæ dicere valenti, prout alter, de quo Iſaias: *Non ſum medicus.* Non re- Iſaiæ. 3. 7.
fert quòd vicem gerant Chriſti Domini, qui vera ſalus: nam ſaxum repreſentans Salvatorem non ideo deſinit eſſe petra, fl. 11. 1.
n. 18. p. 257. Fallitur ergo qui ſtatuens in culminibus hujuſmodi lapides, potiùs eligit ſibi ſocios ad faſtum, quam lucernas ad ſubditos dirigendos: nam eligens indignos manet ſolus, fl. 5. n. 20. p. 160. Et ſimiliter 2.
dicam ſi ductus rationibus humanis dignos eligat, fl. 5. n. 21. p. 160. Poteſtatem de qua 3
thema loquitur, multis qui Filio Dei erant ſanguine vincti, conceſſa non eſt, quamvis ejus capaces fuerint. Quantò plùs id attendendum in juriſdictione ſpirituali? S. Vincentius Ferrar. loquens occaſione fœlicis S. Vinc. Ferr.
electionis D. Matthiæ: *Exemplum habetis* 3. p. ſer. de S. Mathia.
ne in electione juratorum, ſeu conſulum, vel aliorum, qui habent regere civitatem, vel communitatem, reſpiciatis parentes vel amicos, ſeu propriam utilitatem, ſed bonum commune.

mune. Hæc Dei amore munitus Orator postquam ibi dixerat : *Christus non elegit*
Idem ibi. *consanguineum germanum suum , licet esset sanctus.*

Non sic assolet mundus evehens quos inutiles agnoscit. Homo non renuit quòd adoretur idolum , si hoc dici valuerit opus
4. ejus. fl. 5. n. 22. p. 162. O quàm nociva sunt idola ista , quæ morbis mederi non valent ! Prælatis autem traditur potestas
Hugo Card. ut ægros curent. Hugo Card. ad illud the-
in c. 9. Luc. matis : *Et ut languores &c. ideſt illos qui diu fuerant in peccatis.*

Fateor quod Bernardus ait : *Nil in Ec-*
S Bern. 248. *clesia pretiosius , nil optabilius bono utilique*
ad Eugen. *pastore. Nempe rara avis est ista.* Sed com-
Papam. munitatem ex qua Prælatus assumitur augebit unanimitas, ne deficiant utiliter eligen-
5. di. Concordia crescendi ars. fl. 6. n. 14. p. 180.
Hug. Card. Hug Cardin. citatus proxime : *Convocatis :*
ad verba *ideſt concorditer & ad unum vocatis.* Caveathemat is. tur attamen concordia mala , cujus partus
6. grande solet scelus esse. fl. 6. n. 18. p. 183. *Convocatis. . . Apostolis :* hoc est Prælatis. Non poterit non esse concordia bona illorum qui conjunguntur Domino.

Deinceps electi moneantur ut præbeant exemplum subditis. *Dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia.* Hugo Card. ibi : *sunt autem tria dæmonia , quæ debent ejicere prælati , & prædicatores, atque doctores. Primo à se , postea ab aliis.* Non
7. reprehendit crimen qui commisit idem. fl. 15. n. 11. p. 308. S. Thomas à Villa No-
S. Tho. à V. va : *Quid est esse prælatum ? Esse pastorem ,*
N. ser. Dom. *non dominum , non principem : non domi-*
3. Adv. *nantes in clero* (*ait Petrus*) *sed forma facti gregis , exemplum sanctitatis in populo.* Nota quod ait : *non Dominum* : quia prælati nonnulli potestate requiem sibi quærunt , eâ
8. utentes ut baculo ; subditosque feriunt eádem tamquam virgâ ? fl. 3. n. 22. p. 98. Aliquando sane melius medebuntur malis me-
9. dicamine blando. fl. 12. n. 18. & 19. p. 269.
10. Itaque ne timeri nimis velit. fl 13. n. 16.
S. Laur. Iust. p. 282. S. Laurentius Just. *Sanè principibus*
1. de institit. & regi. *cum terrore licet regere ; Ecclesiasticis verò*
prælat. c. 9. *præsulibus cum charitate & lenitate. Illis tamquam dominis , istis autem ut patribus.*
11. Pastor qui solam severitatem erga subditos curat , sugillatur. fl. 22. n. 25. p. 461. Ac-
22. cidet quippe quòd si prælatus in terram projiciat subditum , hic evadet coluber ; si manu teneat , flectet in virgam. fl. 13. n. 17. p. 283. Deus illis contulit *potestatem super omnia dæmonia* : sed non universi spiritus maligni prorsus eodem ejiciuntur modo.

Eadem concio si religiosa comitia celebrentur in festo Pentecostes ; inservire poterit diversis diebus in hunc modum.

Ioann. 14. 27. Pro die Pentecostes thema sit : *Pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat ego do vobis.* In prima parte non difficulter accomodabitur electioni dignorum : quia Deus dignos invenit & facit ; mundus nec facere valet , nec eos extollit. Concordia monetur ibidem : *Pacem meam do vobis :* & non quæcumque concordia pax Christi dici potest. Mansuetudo necnon insinuatur: quia non gladium pro sceptro gestari vult ille , qui pacem discipulis reliquit suam.

Secunda die infra Octavam eligè, si placet, verba hæc : *Non enim misit Deus Filium* Ibi. c. 3. 17. *suum in mundum , ut judicet mundum , sed ut salvetur mundus per ipsum.* Joann. 3. 17. Expende quam fuerit matura electio Salvatoris : utpote qui ab æternitate designatus fuit Pontifex. Meditare concordiam : nam electores fuerunt Personæ 3. divinæ , quarum est una voluntas : & adde quod Epis- 1. Pet. 2. 25. copus animarum nostrarum (sic illum vocat S. Petrus) non semetipsum ingessit dignitati ; sed præceptum accepit subeundæ crucis. (quid aliud est prælatura?) Exemplum quam sit utile patet ibidem. Non missus est Spiritus sanctus ut salvetur mundus per ipsum , qui cùm non assumpserit carnem exempla nobis non dedit ut ejus vestigia sequamur. Incarnati Verbi benignitas effulget in eo quod licet jam decretus esset judex , mundum tamen ægrotum curavit , se habens ut hominum frater.

Tertia die infra Octavam occurrunt hæc: *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Ioann. 10. *Huic ostiarius aperit , & oves vocem ejus au-* 2. 3. *diunt.* Joann. 10. D. Tho. ad hunc locum : D. Tho. in *Mali verò pastores non intrant per ostium* Ioann. c. 10. *sed per ambitionem , & potentiam sæcularem* lect. 1. *& simoniam , & isti sunt fures & latrones.* Cum ostium illud sit Christus Dominus , non intrat ritè prælaturam , qui non per illum sed per temporalia commoda ingreditur. Nisi electores coadunentur sanctè , singuli præsumunt esse ostium ad ingressum. Exemplum indicat officium pastoris qui præit ante oves ut sequantur eâdem viâ. Mitem hortatur esse tacita munitio de hoc quod non leones regit , sed oves : erga quas non semper utitur fundâ pastor & baculo quandoque vox erit satis : *oves vocem ejus audiunt.*

IN PUBLICIS PRECIBUS.

THEMA.

Ipse vulnerat , & medetur : percutit , & manus ejus sanabunt. Iob. 5.

ALIVD THEMA.

Oratio humiliantis se , nubes penetrabit : & donec propinquet non consolabitur : & non discedet donec Altissimus aspiciat. Eccli. 35.

ARGUMENTUM.

Facendo volat oratio.

ECce prosternimur coram Domino, supplicium ejus agnoscentes : quæ certè cognitio magna flagelli pars est. fl. 14. n. 14. p. 294. Sed non satis novimus divinæ punitionis 1.

tionis utilitatem. fl. 14. n. 16. p. 294. *Flagella quippe bonorum aut vitia perpetrata purgant, aut ea quæ poterant perpetrari futura devitant.* Hæc D. Gregorius Magn. Dominus *vulnerat*, & quandoque pendet ex vulnere salus. Ne superbè detestemur dolorem: nam oratio *humiliantis* &c.

D. Greg. M. l. 16. mor. c. 2.

Anxietas nos manuduxit ad Deum: & ut perpendatur, quòd sicut per temporalia delinquimus, punimur per ea quibus peccamus. fl. 1. n. 8. p. 5. Et sic mitiùs vapulamus ab amantissimo Parente, qui *vulnerat, & medetur.* fl. 1. n. 9. p. 6. Et oratio nostra *non discedet donec* &c.

3.

4.

Oremus confidenter pro aversione supplicij: cæterarumque postulationum exitu fœlici: quia Deus habet se quasi puderet ulciscì offensas. fl. 13. n. 12. p. 280. Imò punit quasi sibi vim faciens. fl. 25. n. 36. p. 531. Bene dici potest optare Dominum quòd sententia sua contra criminosos proferenda nullius valoris esset. fl. 25. n. 14. p. 521. Ideo manu propria tollit infligtam pœnam *Percutit: & manus ejus sanabunt:* proinde oratio nostra *non discedet donec* &c. Et quamvis humilis jaceat, volitabit perniciter *nubes penetrabit* citò: tamque celeriter exaudietur quasi Deo sistatur priùs quàm exeat à corde. fl. 20. n. 35. p. 415. Ingratitudinis nostræ nubes obstaculum non erit: quia oranti fors occurrit, quamvis gradiatur per viam infortunii. fl. 20. n. 38. p. 417. Cum fœlicitas nostra expectetur à potentissima Dei manu (*manus ejus sanabunt*) prævalebit oratio adversus hostes, & non unicam victoriam consequetur. fl 20. n. 39. p. 418. Sed animadvertenda sunt duo: primùm quòd in causa communi non obtinet præcatio petitum, si unus oret dormientibus aliis. fl. 26. n. 49. 554. Et non perfunctoriè sed assiduè supplicationibus insistere congruit. S. Macarius. *Præcipuum autem est omnium continuatio precum opportuna.* Secundùm quòd in postulando pluries erratur. fl. 33. n. 8. p. 671. Si debitis circumstantiis deprecemur, petitio *nubes penetrabit* aligera. *Qui orans jejunat binas possidet alias, quibus ventos ipsos volando prætervehitur.* Attendendum etiam quod monet S. Antonius Olyss. dicens: *In postulationibus piè ac fideliter orandum est, sed non illis pertinaciter inhæ endum: quia nescimus, sed Pater qui est in Cœlis, quid in temporalibus istis necesse sit nobis.*

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

S. Macar. hom. 3. 12.

Chrysos. to. 2. hom 58. in Matth.

S. Anton. Olyss. ser. dom. 5. post. Pasc.

Quæ prædicta sunt adaptabit eruditus Orator ad alia themata pro diversis rogationum motivis: aliqua subjiciam. Ad petendam pluviam: *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos.* Isai. 41. Ad hoc ut obtineamus quod cessent imbres nimij. *Dedit nobis aquam fellis: peccavimus enim Domino* Ierem. 8. Tempore belli: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* 1. Reg. 17.

IN SOLEMNI GRATIARVM actione.

THEMA.

Gratias Deo super inenarrabili dono ejus. 2. Cor. 9.

ARGUMENTUM.

Vincula fælicia, libertas infausta.

S. Maximus: *Non verecundæ sed ingratæ mentis indicium est beneficia tacere divina.* Verbis aperiemus quòd munera Dei non parvipendamus. Ejus dona magni facienda fl. 7. n. 23. Sed heu quam citò fœlicium eventuum recordationem deponimus. fl. 31. n. 29. p. 647. Chrysostomus: *Secundarum rerum oblivio citò irrepit; adversarum verò memoria jugis, ac stabilis est.* Hinc fit ut solùm tribulationis tempore recordemur Domini. Sed ille responsum denegat eis qui tantùm cum tribulantur, se committunt eidem. fl. 5. n. 34. p. 167. Oporteret expendere, prospera festinatò nobis auferri, quia sunt velut aliena. fl. 1. n. 26. p. 14. At prosperitates sequimur inertes, & ærumnis deprimimur. Verùm *neque prospera ignavos erigunt, neque fortes adversa prosternunt: quia neque divitiæ, neque paupertates, sed animus, aut ducit gratos ad præmium, aut ad pœnam deducit ingratos.*

S. Max. ser. 1. anniversar. assumpt. ad Pontificatū.

Chrysos. to. 2. hom. 54. in Matth.

Chrysolog. ser. 124.

Favente sorte læti dificiliùs agnoscimus beneficium Dei, quàm soleamus videre flagellum. fl. 17. n. 43. p. 360. Aliqui sunt qui neutrum attendunt. Hos omitto, quia ferè desperatur eorum bonum: *magnum enim periculum est esse homines ingratos Deo: & per oblivionem beneficiorum eius, nec de correptione compungi nec de remissione lætari.* Hæc S. Leo Pap. Persequar illos tantùm increpare qui prætereunt manifesta Dei dona: quamvis fateat, in hoc aliquando citra culpam homines hallucinari. Tunc ignoramus acceptum à Domino quando clariùs nostris objicitur oculis. fl. 17. n. 41. p. 359. cum tamen ineffabilia sæpissime sint quæ nobis elargitur: *super inenarrabili* &c.

S. Leo Pap. ser. in Oct. SS. Pet. & Pau.

Quæres quis ampliùs ingratitudine fœdetur: nesciens illius dona culpabiliter; an sciens & recusans esse gratus Deo: Primum præfero. fl. 31. n. 40. p. 653. Ubi fœlicia sunt vincula, quibus obstringimur: infœlix est qui amat expediri. Adeo libertatem hanc infaustam diligit ingratus, quod beneficium computat velut injuriam. Si grates forent peccaminosæ, fortassis gratias ageret quas non debet. fl. 18. n. 21. p. 376. Quærit miseras catenas; odit aureos nexus. Accidit nonnumquàm ut manu eadem, qua recipit homo largitionem Dei, lædat ipsum fl. 29. n. 34. p. 611. Patientiam interminatam quis enarrabit: Idcirco sæpius exclamamus: *Gratias Deo super* &c.

Cum

Cùm nos exhibeamus ingratiſſimos, putamus dilectione Dei non carere? Ingratus debitor hoſte pejor. fl. 16. n. 9. p. 319. 10.
Sed quando ligare Deum ingrati volunt homines; oſtendit ille ſibi neminem præpedire poſſe manus ut non benefaciat. fl. 23. n. 20. p. 482. 11.
Imo potiùs Deus poſt homines terga ſuis dantes benefactis pergit invitans illos: ut quaſi fugitivos vinciat liberalitate, ſed fœliciter. fl. 23. n. 24. p. 484. 12.

ORATIO FVNEBRIS DVM perſolvuntur juſta Regis, dynaſtæ, vel Præſulis eccleſiaſtici.

THEMA.

Vos autem ſicut homines moriemini: & ſicut unus de principibus cadetis. Pſ. 81.

ARGUMENTUM.

Si colles ruunt, nec tutus à fulmine vallis.

S. Hieronymus ad eum Pſ. *Æqualiter omnes naſcimur, & imperatores & pauperes: aqualiter & morimur.* S. Hiero. in pſ. 81.

Non fruſtra David principes admonet ſe morituros: illi namque præſumunt immunitatem à lege mortis. fl. 18. n. 32. p. 381. 1.
Non deſunt mortalitatis eorum frequentes monitores: ſed à memoria ipſorum velox evaneſcit recordatio mortis, fl. 19. n. 19. p. 392. 2.
quia moleſtiſſima illis extat: *Mors* ait Chriſoſtomus, *regi terribilis eſt; éadem philoſopho minimè moleſta.* Chriſoſt. to. 5. libello de compar. regis & monachi.
Prædeceſſorum funera, clamant ad principes ut ſe norint mortales: *ſicut unus de principibus cadetis.* Genebrarbus ibi: *ſicut quivis de principibus in mortem incidetis: eam non magis vitabitis, quàm reliqui principes, quos jam mortuos cernitis.* Geneb. in pſ. 81.

Si Reges vel Primates pompam deponerent (ut contigit Jobo) ſcirent quòd vita noſtra mortis agit munus. fl. 25. n. 24. p. 525. 5.
Id oſtendit velocitas quâ nos ipſa vita diſparere facit. *Vnus quaſi de volatilibus eſt homo*, dixit Ambroſius. S. Ambr. to. 1. l. 6. Haxa. c. 9. fine.
At principes curant obliviſci terminum vitæ, velut Ezechias. fl. 28. n. 34. p. 589. Ita ſuperbit eorum ſublimitas: colles tamen iſti lutei ſunt & corruent, *cadetis.* 4.
Fortè provenit ſuæ conditionis oblivium ex eo, quòd tutos à periculis putant ſe de poteſtatis beneficio. Deſipiunt: nam altiora quærunt ictus. fl. 29. n. 37. p. 613. 5.
Et ſi de rege inferioribus loquamur potentibus, faciliùs hoc docet experientia: nam poteſtas quæ fœlicem evexit, quandoque non valet eum tenere ne cadat. fl. 22. n. 19. p. 458. 6.
Magnatum ruinæ mortem reducere valent in mentem, quia ruina fœlicis eſt ſimilis morti. fl. 26. n. 44. p. 552. & morte durior. 7.
fl. 26. n. 45. p. 553. Sique montibus inſtat caſus, tremiſcat etiam à fulmine vallis. 8.
Igitur cui fidimus? Aëri: & in aërem diſpergitur hæc fiducia. fl. 16. n. 19. p. 324. 9.
Potentibus familiaris eſt hæc præſumptio, quibus experientia clamitat lapſuros infœliciter ante funus, & poſtea projiciendos in ſepulchrum. *Nulla potentia potens eſt*, dixit Petrarcha. Petrar. dial. 91. proſ. fort.
Fortunæ ſedes infirmis fulcitur fundamentis. fl. 26. n. 12. p. 537. 10.
Etiam throni majeſtatis humanæ diſſipantur velociſſimè. fl. 26. n. 13. p. 537. 11.
Saltemque diruet illos mors æquans omnia: *Sicut homines moriemini*, Ocyus peribit cui contigit adorari. fl. 26. n. 13. p. 537. 12.

Quædam pro ſuprapoſitis, aliiſque diverſis argumentis non inidonea ſuppeditabit inſuper tabula ſententiarum ad finem ſubjicienda.

SYLLABVS DOCTRINÆ SANCTORVM PATRVM, & priſcorum Sapientum.

A

AARON.

AAron plus reliquis peccavit in caſu vituli: Caiet. fl. 29. n. 8. p. 599

ABRAHAM.

Abraham cupivit diem Chriſti videre. Aug. & Haymon, fl. 3. n. 52. p. 116
Recepit hoſpitio figuram Trinitatis, S. Iſidor. Hiſpal. fl. 3. n. 72. p. 127
Ejus humilitas. Chryſoſt. ibi.
Quid ſignificatum vitulo, quem appoſuit hoſpitibus. Amb. ibi.
Abraham quid ibidem ſignificaverit. S. Iſidor. Hiſpal. ibi.
Abrahami fides circa reſurrectionem Iſaac. Aug. fl. 4. n. 7. p. 132
Abraham humiliter queſtus eſt. Rup. fl. 7. n. 7. p. 194
Quales putaverit ſuſcipere hoſpites. Chryſoſtom. fl. 12. n. 15. p. 268
Cur ei Deus juſſerit immolare filium in monte; non alibi? Amb. fl. 20. n. 30. p. 413
Quare locutus fuit ſervis diſſimulans. Idem ibi.
Abrahamo Trinitas apparuit. Amb. fl. 31. n. 35. p. 650

ABSENTIA.

Abſentia tantò moleſtior, quantò plùs deſideratur quod abeſt. Dionyſ. Carth. fl. 25. n. 28. p. 527
Abſentia brevis Dei materia maxima doloris. Bern. fl. 25. n. 23.
In abſentia languet amor, & quælibet feſtinatio tarditas reputatur. Bern. fl. 29. n. 16. p. 603

ABSALOM.

Abſalom adulabatur. Hug. Card. fl. 11. n. 10. p. 253
Perdidit ſenſum. Chryſoſt. ibi.
Abſalonem quare luxerit David. Theod. fl. 25. n. 21. p. 524

ACHAB.

Achabum pœnituit homicidij. Tertull. fl. 32. n. 22. p. 660

ADAM.

Adam peccavit ex amore mulieris. S. Thom. & S. Bonav. fl. 1. n. 10. p. 7
Prius peccavit per ſuperbiam, quàm per comeſtionem. Rup. fl. 4. n. 21. p. 141
Cur deſtinatus ad operandum terram ex qua formatus eſt. Chryſoſt. Ibi.
Quare peccaverit. Aug. fl. 6. n. 18. p. 183. Thom. fl. 18. n. 19. p. 375
Qua de cauſa ſe veſtierit foliis. S. Iren. fl. 7. n. 28. p. 204
Potuiſſet edere de ligno vitæ ſecundùm Chryſoſt. fl. 17. n. 30. p. 355
Non cognovit lignum vitæ ſecundùm Rup. ibi.
Comedit pomum non ſuum. Idem. fl. 28. n. 9.
Adamo Deus apparuit in ſpecie ſenſibili hominis, puniturus eum. Caiet. fl. 28. n. 10
Adam quo ſenſu latro. Bern. fl. 27. n. 41. p. 573
Quomodo interrogaverit Deus ubi eſſet Adamus. Amb. fl. 28. n. 18. p. 582
Adamum ſepultum eſſe ubi Chriſtus Dominus fuit crucifixus, traditio eſt. Orig. fl. 29. n. 12. p. 501 & S. Epiphan. ibid.

ADVERSITAS. AFFLICTIO.

Adverſitas præſtat intellectum. Laur. Juſt. fl. 5. n. 34. p. 167
Facilius eſt adverſa propulſare, quàm ſecundas res detinere. Cleobul. fl. 6. n. 4. p. 175
Adverſitas infrænat. Greg. M. ibi.
Adverſitas eſt miſeratio Dei, & lacerat utiliter peccatorem. Rup. fl. 9. n. 14. p. 227
Affl ctio carnis eſt utilis. Orig. fl. 9. n. 26
In adverſitate quare aliqui non vincant, Greg. M. fl. 16. n. 35. p. 331
Adverſitati cedere illum qui extra periculum philoſophabatur, abſurdum eſt. Hieron. fl. 20. n. 41
In adverſitate genus infortunij eſt infœliciſſimum fuiſſe fœlicem. Boët. fl. 23. n. 51. p. 497
Adverſitates veniunt ſicut fluctus, una ſuper aliam. Baſil. ibid.
Adverſa corporis remedia ſunt animæ. Iſidor. Hiſpal. fl. 24. n. 5. p. 499
Adverſitas non dejicit, quem proſperitas non corrumpit. Greg. M. fl. 26. n. 24. p. 542
Adverſa multa videntur quæ proſpera ſunt: & viceverſa. Aug. fl. 29. n. 40. p. 614
Afflictis revelatur lumen veritatis negatum ſuperbis, & occupatis mentibus. Greg. M. fl. 30. n. 20. p. 626
Omnes affliguntur in hoc mundo. Innocen. fl. 30. n. 24. p. 628
Adverſitas vocatur tenebræ. Aug. Ind. Concio. ſerm. S. Luciæ in princi.
Afflictio eſt animabus ut ignis auro. Chryſoſt. ibi 8.
Adverſitatum recordamur conſtanter. Chryſoſt. Indi. Concio. ſerm. pro actione gratiarum 2.
Adverſa non ſternunt fortes. Chryſolog. ibidem 4.

ADULATIO, ADULATORES.

Adulantis lingua canina. Greg. M. fl. 8. n. 10. p. 212

Syllab. ſanct. Patr. & priſcorum ſapientum.

Adulator eſt inimicus, & cæcat rationem alienam. Chryſoſt. fl. 11. n. 8. p. 252
Adulationis blanditiæ. Caſſ. fl. 11. n. 9. p. 253
Adulator interficit animas. Incertus Hieron. fl. 11. n. 9. p. 253
Serviliter laudat reprehenſibiles. Iſido. Peluſio. fl 5. n. 19. p. 159
Similis umbræ ſpectat quæ placent potentibus. Epict. fl. 5. n. 19. p. 159
Adulatoris lingua perſequitur plùs quàm manus perſequentis. Aug. fl. 11. n. 11. p. 254
Adulator non minus malus quàm detractor occultus. Bernard. fl. 15. n. 22. p. 313
Adulatores nihil priùs meditantur quàm auditoribus gratiſſima. Caſſiod. fl. 15. n. 25. p. 314
Adulationes inſidiæ ſunt, Idem ibi.
Adulatores reprehenduntur. Ariſtot. fl. 2. n. 12. p. 79.
Adulationis frequentia. S. Thom. à Villan. fl. 5. n. 17. p. 158
Adulationis fraus nociva. Aug. fl. 5. n. 18 p. 158
Adulatio quid ſit, Idem. fl. 5. n. 19. p. 159
Adulator ſimilis eſt amico. Maxi. Tyrius. fl. 5. n. 23. p. 161
Adulatio non tantum imitatur ſed vincit amicitiam. Senec. ibid.
Adulatio deſcribitur. Caſſiod. fl. 19. n. 5. p. 385
Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Aug. fl. 21. n. 39. p. 445
Laudantes peccata reprehenduntur. S. Thom à Villan. fl. 24. n. 37. p. 514
Adulator mendax eſt muſicus diaboli, & ſimilis ſpeculo, quod arridet ridentibus, & plorat cum plorantibus. Gerſon. ibid.
Adulatores quidam laborant occupationibus alienis: ad alienum ambulant greſſum. Senec. fl. 25. n. 3. p. 517
Adulatores aliqui citò detecta facie fiunt acerbiores accuſatoribus. Chryſoſt. fl. 29. n. 31. p. 610
Adulationis damnum. Greg. M. fl 32. n. 43. p. 668
Adulator eſt amicus in obſequio, hoſtis in animo. Et ibidem alia ejus elogia mala. S. Laur. Juſt. fl. 33. n. 32. p. 676
Adulatio eſt inimicitia clandeſtina magis quàm amicitia. Hieron. fl. 33. n. 25. p. 677
Melior eſt ſevera juſti miſericordia, quàm blanda peccatoris adulatio. S. Proſp. fl. 33. n. 25. p. 677
Adulatio duplicat linguam. Aug. fl. 33. n. 33. p. 680
Vide amicitia.

ÆGYPTIA, ÆGYPTIJ, ÆGYPTUS.

Ægyptiæ fœminæ circa Joſephum ſævus amor. S. Proſp. & S. Amb. fl. 1. n. 108. p. 52
Ægyptiæ hujus fœdus amor pulchrè depingitur à S. Proſpero. fl. 33. n. 29. p. 679
Ægyptiæ eidem ſimilis mundus eſt. Hieron. fl. 16. n. 2. p. 316
Ægyptij quare ſpoliati ab Hebræis. Greg. M. fl. 3. n. 31. p. 103
Ægyptij ſequentes Pharaonem quid ſignificent. Orig. fl. 14. n. 13. p. 293
Ægyptus ſignificatur per filiam Pharaonis. Bern. Indi. Concion. ſerm. de Veſtigiis Domini. fine.
Æternitas. Vide Dies.

ALIENUM.

Alieno utens negligit proprium. Amb. fl. 5. n. 15. p. 157
Alienum bonum plus placet. Senec. fl. 23. n. 9. p. 76
Aliena appetens perdit ſua. Greg. M. fl. 23. n. 8. p. 476

AMBITIOSUS, AMBITIO.

Ambitione futuri dimittimus præſentia. Senec. fl. 3. n. 48. p. 115
Ambitio currentium ad eccleſiaſticas dignitates. Bern. fl. 22. n. 22. p. 460
Ambitio crux placens. Idem. fl. 23. n. 29. p. 486.
Ambitioſus ſervit & curvatur ut fiat ſublimior. Amb. fl. 26. n. 18. p. 540
Ambitio pati jubet ea, quæ non imperantur ſervis. Chryſoſt. Ibid.
Ambitioſi quidam laborant in titulum ſepulchri. Senec. Ibid.
Ad aſcenſum faciles ſunt homines; deſcenduntque difficilè. Bern. fl. 26. n. 24. p. 542
Ambitio & turpis quæſtus ſubvertunt animam. Chryſoſt. fl. 31. n. 22. p. 644
Vix reperitur qui præeſſe non deſideret. Laur. Juſt. fl. 31. n. 24. p. 645
Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex. Bern. fl. 33. n. 24. p. 677
Vide Prælaturæ.

AMICITIA, AMICUS.

Amicis carens degit ſolus. Aug. fl. 8. n. 8. p. 210
Amicis anima una, & cor unum. Chryſoſt. fl. 11. n. 3. p. 250
Amicitia non datur in terris. Chryſoſt. ibid.
Amicus velut nummus probandus antequam eo ſit opus. Plutar. ibid.
Vt amicos faceret Chriſtus Dominus mortuus eſt. D. Thom. fl. 11. n. 4. p. 251
Amicum ſe fingens pejor eſt fabricante falſam monetam. Ariſtot. fl. 11. n. 8. p. 253
Amicitia veluti ſol. Tull. fl. 2. n. 9. p. 70
Amicitia vera eſt idem velle, & nolle. S. Anton. ibid.
Amicitia, quæ deſinit eſſe, nunquam vera fuit. Hieron. fl. 11. n. 15. p. 256
Mala viventis abſque amicis. Caſſiod. ibid.
In amicitia non datur dolus. Petrar. fl. 11. n. 4. p. 251.
Amicos facile credimus qui non ſunt, & perdimus tam citò ſicut quærimus. Idem ibid.
Amici tres panes petentis parabola quid ſignificet. S. Titus. fl. 12. n. 4. p. 261
Amici fortunæ recedunt cum illa, & cum eadem redeunt. Hug. Card. fl. 12. n. 14 p. 267
Amicos falsò putant dives & potens. Senec. fl. 16. n. 9. p. 319
Amicitia mendax. Chryſoſt. fl. 2. n. 8. p. 70
Solem è mundo tollunt qui tollunt amicitiam. fl. 11. n. 10.
Amicitia mali nociva. Baſil. fl. 2. n. 25. p. 78
Amicitiæ pretioſitas. Amb. fl. 4. n. 11. p. 135
Amicitia iniqui ſimilis inferno. Aug. fl. 2. n. 28. p. 84
Ad amicitiam Dei qualiter perveniatur. Chryſoſt. fl. 17. n. 21. p. 351
De amicitiis aliquibus dubitat Auguſtinus an ſint Chriſtianæ, fl. 18. n. 23. p. 377
Cum amicis aliquibus certamen requirit ſolicitudinem. Hieron. fl. 19. n. 34.
Amicitia nititur ſimilitudine. Ariſtot., fl. 21. n. 8. p. 427.
Sine amicitiâ nulla bonorum utilitas. Chryſoſt. fl. 22. n. 8. p. 453
Amicitiæ tunc veræ cum veritatis fuerint fœderatæ conſortio. Bernard. fl. 27. n. 5. p. 557
Amicitiæ quæ contrahuntur cum malis ſunt noxiæ. S. Baſil. fl. 27. n. 39. p. 572
Amicus aſſumptus de utilitatis cauſa placebit

quandiu fuerit utilis. Senec. fl.92.n.32.p.611.
Frequenter divites carent amicis. Amb. fl. 29. n.33. p. 611
Nolite credere in eis qui de amicitiis quærunt lucra. Isti se tantùm diligunt. Hiero. ibi.
Vera amicitia non datur inter scelestos. S. Laur. Iust. fl.30. n. 42.p. 635
Amicitia vera habet objurgationem aliquando; adulationem nunquam. Bern. fl.33. n.20. p.675

Amor. Amans.

Amantis non est honorare; sed metuentis. Bern. fl. 7. n. 11. p. 196
Amore pleniùs capitur magnificentia Dei, quàm timore. S. Laur. Iust. ibi.
Amore solvitur peccatum. Idem, ibi.
Amorem contristat mors dilecti. Aug. fl. 8. n. 2. p. 207
Amoris erga Deum excellentia. Bernard. fl.8.n.7.
Amor componit unum spiritum de duobus. Idem, ibid.
Amoris author similitudo Plato. fl. 8.n. 18. p. 216
Amor nequam pejùs blanditur quàm furit. S. Zeno. fl. 8. n. 28.p.220.
Amori nec modus nec ratio: ipse sibi ratio, modus & lex. S. Tho. à V. N. fl.9.n. 6. p.223
Amoris oculus tenebras illustrat mentis. Greg. M. fl. 9. n. 19. p.230
Amoris eloquentia S. Thom. à V. N. fl. 9. n. 20. p. 230
Amor & intellectus sunt duo pedes. Hug. Card. fl. 10. n. 10. p.243
Amor delicta non videt. Chrysolog. fl. 13. n. 9. p. 278
Ex amore totum bonum & malum. Aug. fl. 13. n. 13. p. 281
Amor impurus vertetur in odium. Philo Carpat. ibi.
Sub specie amoris latet odium aliquando. Basil. fl. 13. n. 15. p. 282
Amoris jura ignorantur à privato commodo. S. Laur. Iust. fl. 16. n.25. p. 314
Amor non est qui post horam desistit. Gilbert. fl. 17. n. 18.
Amare volare est. Aug. fl.16. n. 43.p.335
Minus amat qui simul cum Deo diligit aliud non propter ipsum. Idem, ibi.
Amor nimius sæpe obcæcat. S. Tho. à V. N. fl. 17. n. 6. p. 343
Amor erga Deum quàm potens. S. Laur. Just. fl. 1. n. 2. p. 2
Amor Dei non est otiosus. Greg. M. fl.4. n.3.p.129
Amor perfectior se solo contentus. S. Tho. à V. N. fl. 1. n. 3. p. 2
Amor suspectus est qui lucrum desiderat. S. Bern. fl. 1. n. 4. p. 3
Amor offensus non cessat. Greg. M. fl. 1.n.11.p.7
Amoris sancti proprietates. Bern. fl.1.n.12.p.8
Amor sæpe dirigit judicium. Dyon. Carth. fl.1.n.20. p. 11.
Amantes Deum velut non proprij sunt juris. S. Dyon. Areopag. fl.1.n.27. p.15
Amoris vis. S. Tho à V. N. fl. 1. n. 49. p. 24. Et Chrysolog. fl. 1. n. 53. p. 26
Amor Dei sagitta. Orig. fl. 1. n. 106. p. 51. Et S. Bern. ibi.
Salubris mors amoris optabilis est. Bern. fl. 1. n. 120. p. 58.
Amor patiens est offensarum. S. Tho. à V. N. fl.1. n. 121. p. 58.
Amor credit semper invenire desideratum. Amb. fl. 1. n. 129. p. 61
Amoris sollicitudo, & impatientia. S. Laur. Just. ibi.
Amoris Dei libertatem renuntiare convenit. S. Tho. à V. N. fl. 1. n. 132. p. 63
Amor alleviat gravia. Aug. fl.3. n.7.p.90
Amor dilectum præsentem habere vult. S. Tho. fl.3. n. 16. p. 95.
Res dilecta cor trahit ad se. S. Vincent. Ferrar. fl. 3. n. 54. p. 117
In amore Dei vita. S. Tho. à V. N. fl. 3. n. 62. p. 121
Amantium Deum fœlicitas. Bern. fl.3. n.63.p.122
Amorne reddit hominem unum cum Deo? Idem, ibi.
Amanti Christum ardenter nihil arduum. S. Laur. Iust. ibidem.
Amor præmium sui. S. Tho. à V. N. fl. 4. n.7.p.133
Amoris lingua barbara est non amanti. Bern. fl. 4. n. 22. p. 142.
Amore Dei nihil pretiosius. S. Tho à V. N. fl. 17. n. 21. p. 351
Amor de filio facit servum S. Anton. fl. 17. n. 23. p. 352
Amor solus est res, & spes sponsæ. Bernar. fl. 18. n. 3. p. 367
Amor purus de spe vires non sumit. Bern. fl. 18. n. 4. p. 367
Amor castigans infert dulces plagas. Amb. fl. 18. n. 23. p. 377
Amoris oculus intuetur accutiùs. Chrysolog. fl.19. n. 26. p. 395
Talis est quisque, quale est id, quod amat. Aug. fl. 21. n.8.p.428
Amoris proximi proprietates quædam. Senec. fl.22. n. 9. p. 454
Amor proximi instruitur exemplo membrorum corporis. S. Laur. Just. fl. 22. n. 10. p.454
Amor quisnam erigat mentem. Greg. M. fl.22.n.46. p. 470
Non expectatur ratio ubi trahit affectio. Bernard. fl. 23. n. 23.p. 483
Ubi est amor non est labor. Bernard. fl. 23. n. 27. p. 485
Amator stultus est martyr diaboli. Gerson. fl. 23. n. 29. p. 487
Amoris erga Deum vulnus cor nesciens malam possidet salutem. Greg. M. fl.23.n.33.p.488
Amor est pes animæ Aug. fl. 23.n.42.p.493
Amor verus angustias alienas facit esse suas. Chrysolog. fl.23. n.52. p. 498
Mirum est amari quod est nihil. Bernard. fl. 24. n. 31. p. 512
Amor & timor necessarij contemplationi. Greg. M. fl. 24 n. 38. p.514
Amor ut pondus animam defert in Deum quasi centrum. S. Tho. à V. N. fl. 25. n.30.p.528
Amore Dei nolens peccare recessit à malo penitus; non verò qui solo timore. Greg. M. fl. 28. n. 7. p. 577
Si tui amator tibimet; non displicueris, Deus tibi non placebit. Aug. fl.28.n.10.p.579
Amavisse ipsum defectum faretur Aug. ibi.
Amor proprius multorum malorum radix. Aug. & Tho. fl.28.n.10.p.578
Qui ut diligat Deum non diligit se magis amat seipsum, quàm si diligeret. Aug. ibidem.
Nihil amemus nisi vel Deum, vel propter Deum. Bern. fl.28.n. 12. p. 579
Amor languet si habes quod amatur. Bern. fl. 29. n. 16. p. 603

Amore ſaucia deſcribitur anima. Orig. fl. 29. n. 18. p. 603
Ubi amor urget, præſumptio non damnetur. Ber. fl. 30. n. 16. p. 620
Qui ſe, non Deum, amat, non ſe diligit; & viceverſa. Aug. fl. 30. n. 16. p. 624
Amor inimici eſt martyrium. Greg. M. ibi.
Ama Deum ſaltem propter te. S. Tho. à V. N. fl. 30. n. 41. p. 635
Amoris magna potentia. Bern. fl. 31. n. 7. p. 639
Amor vehemens non ſinit cogitare aliud præter ſe. Idem, ibi.
Amor vocatur cœna. c. 19. Apocalypſis. Rup. fl. 32. n. 17. p. 658.
Amor erga Deum vocatur vita æterna. Idem, ibi.
Vincula ſpiritualia verbi Dei, & ſapientiæ, ſunt ferrea quandiu timent homines, ament & erunt aurea. Hug. Indi. Concio. ſer. Dom. 4. Adventus 9.
Amor excudit martyrem. Tertull. ibi ſer. S. Joann. ante portam Lati. in principi.
Vide Abſentia.

S. Andreas.

Andreæ fides & obedientia. Chryſoſt. fl. 23. n. 19. p. 481
Andreas curavit communicare theſaurum, quem invénit: putans furtum ſi non ita ſe gereret. S. Petrus Dami. ſer. de S. Andrea. 1.
Laudantur verba S. Andreæ deſiderantis crucem. S. Bern. ſer. de S. Andræa. 9.
Ad S. Andream apparitio & verba Chriſti Domini. S. Vinc. Ferrar. ſer. de S. Andrea. 2.

Angeli.

Angeli ſepulchri quare apparuerint Magdalenæ non verò Petro & Joanni. S. Cyrill. Alex. fl. 1. n. 128. p. 61
Angeli paſcuntur in altari. Ricard. à S. Laurent. fl. 3. n. 37. p. 107
Angeli quare miniſtraverunt Chriſto Domino in deſerto. Hiero. fl. 31. n. 37. p. 651
Angelicæ poteſtates vocantur ſolium. Dei. Greg. M. fl. 32. n. 16. p. 658
Angelorum verba ſunt illa apud Iſaiam. c. 63. n. 1.
Quis eſt iſte qui venit de Edom. &c. Hiero. Indi. concio. ſer. de Aſcen. 6.

Anima.

Anima juſti ſoror ac ſponſa Dei. Bed. fl. 1. n. 51. p. 26
Animæ mors peccatum & infernus. S. Anton. fl. 2. n. 42. p. 87
Anima juſti quaſi navis. Bed. fl. 5. n. 12. p. 156
Animarum reſurrectio mirabilior quàm corporum. S. Laur. Iuſt. fl. 2. n. 17. p. 75
Animæ ſua ineſt loquela, viſus & auditus S. Anton. fl. 21. n. 48. p. 449
Anima hominis pretioſa & quanta eſt merces prodeſſe ſpiritualiter animæ proximi Chryſoſt. fl. 22. n. 53. p. 473
Anima terrenis abſoluta cupiditatibus fit ardentior, & velociter ad ſublimiora. Nyſſ. fl. 25. n. 28. p. 528
Animas à Purgatorio Chriſtus Dominus antequam reſurgeret liberavit. Aug. fl. 29. n. 16
Anima interdum quieſcit in ſummo ſilentio, fruens voluptate indicibili. Macari, fl. 29. n. 22. p. 605
Animæ hominis, & ſalus ejus quid gratum eſt apud Deum Chryſoſt. Indi. Concio. ſer. d. S. Andrea. 6.
Animam ſpiritualiter dirigere eſt quid æſtimabile tamquam Dei merces. Idem, ibi.
Animæ, quas Deo lucramur ſunt lucrum noſtrum Euthym. Indi. Concion. ſer. S. Nicolai.

S. Anna.

S. Annæ virtutes aliquot. S. Vincent Ferrar. Indi. concion. ſerm. de S. Anna 1.
Per orationem genuit Deiparam. Damaſc. ibi. 4

Anna Mater Tobiæ.

Ejus dolor in abſentia filij. Ambroſ. fl. 1. n. 126. p. 60.

S. Antonius.

S. Antonij paupertas. Greg. Nazianz. fl. 21. n. 37 p. 443

Appetitus.

Per appetitum etiam dicimur videre. Greg. M. fl. 14. n. 17. p. 495
Appetitus mortalium fecit mortalem. Bernard. fl. 5. n. 4. p. 151
Appetitus generat ſaturitatem, & ſaturitas faſtidium. Greg. M. fl. 17. n. 30. p. 355

Apis.

Apis nemini officiens laborat. Baſil. fl. 11. n. 19. p. 258

Apoſtoli.

Apoſtoli ſi caperentur ſimul cum fuit comprehenſus Chriſtus Dominus periiſſent ſpiritualiter. Dyoni. Carthu. fl. 18. n. 6. p. 368
Apoſtoli ſignificati ſunt verbis pſ. 113.
Facta eſt Iudæa ſanctificatio ejus. Hugo. Cardi. fl 18. n. 28. p. 379
Apoſtoli ſunt oculi Chriſti Domini. Bed. fl. 22. n. 13. p. 455
Apoſtolos in horto non comprehendi fuit opus divinæ omnipotentiæ. Chryſoſt. fl. 23. n. 20. p. 482
Apoſtolorum labor apud Marcum. c. 6. ſignificavit adverſitates Eccleſiæ. Euſeb. Gallic. fl. 16. n. 17.
Apoſtolos in mari præterire quare voluit Chriſtus Dominus. Bed. ibi.
Apoſtoli qualiter ſe habuerint aſcendente Chriſto Domino. Aug. fl. 30. n. 8. p. 621. & S. Laur. Iuſt. ibi.
Apoſtoli aſcendente Magiſtro ploraverunt. Ber. ibi.
Vide Petrus. Ioannes. & Zebedæi filij.

Aqua.

Aqua de qua Chriſtus Dominus ad Samaritanam quid ſignificet. S. Cyrill. Alex. fl. 12. n. 2. p. 258
Aquas haurire de fontibus Salvatoris quid ſignificet. Idem, ibi.
Aquæ in Ægypto cur verſæ ſunt in ſanguinem. S. Aug. fl. 1. n. 8. p. 5
Aqua de petra ſignificat ſanguinem de Chriſto Domino prodeuntem. Amb. fl. 23. n. 24. p. 484
Aqua fontis Sichar eſt conſolatio mundana non ſatians. S. Tho. à. V. N. Indi Concio. ſextæ Fer. 4 Quadra. poſt princip.
Aqua viva ſignificat orationem vel eleemoſynam. Ibidem. 7.

Arbor.

Arbores vel homines ambulantes quid ſignificent apud Marcum. Bed. fl. 15. n. 24. p. 314
Arbor ſcientiæ creata fuit in medio paradiſi. S. Bonav. fl. 1. n. 64. p. 33.
Arbor vitæ figuræ B. Mariæ. Idem, ibi.
Virtus Arboris vitæ. Aug. & Bed. fl. 1. n. 76. p. 37

Arca.

Arcæ Noë ædificatio quid ſignet. Orig. fl. 16. n. 36. p. 332
Arca teſtamenti vicit Philiſtæos Rup. fl. 22. n. 20. p. 459

Argentum.

Argentum palea. Chryſoſt. fl. 4. n. 32. p. 149

Syllabus doctrinę SS. Patrum

Argentum eſt terra alba. Bernard. fl.16.n.49.p.338

ASSUERUS.

Aſſueri ſollicitudo. Hug.Card. fl.20.n.50.p.423

ASTUTIA.

Aſtutiæ cautæ metus. Hiero. fl.10.n.2. p.238

Aſtutia eſt morbus. Phil. fl. 10.n.3.p.239

Vide Calliditas.

AVARITIA. AVARUS.

Avarus quò plùs habet,plùs egèt. Guerr. fl. 3.n.31. p. 107

Non habet ſed habetur.Idem. ibi.

Avaritia facit divitem nudum & mæſtum. Ambr. fl. 4. n. 15. p. 438

Avaritiæ malum. Anſel. fl. 4. n. 3. p.136

Eſt inſatiabilis.Idem. ibi.

Avaritia eſt velut altera Jezabel. Amb. fl. 4. n. 15. p. 138

Avari mens ſemper videt aurum, argentum. Idem. fl. 19. n. 25.p. 394

Avarus eſt auri cuſtos, neſcit quietem. Chryſolog. fl. 22. n. 42.p.469

Avaro nunquàm potuit deeſſe iracundia, & mæror. S. Joannes Clima. fl. 23.n.29.p.486

AUDITUS. AURES.

Auditus ſurdeſcit rei odio habitæ. Chryſolog.fl.5. n. 40. p. 170

Auditores aliqui reprehenduntur. Phil.Heb. & Senec. fl. 8.n. 4.p. 209

Auditu fallimur. Amb. fl.11.n.12.p.254

Audimus libenter quod delectat, & offendit quod nolumus. Hiero. fl.14.n. 11.p.292

Auditus prima janua mortis. Bern. fl. 19. n. 22. p. 393

Auditor ſufficit unus vel alter. Senec.fl.22.n.4.p.451

Aures cordis virorum ſpiritualium. Greg. M. Indi. concio. Ser. de Eucha. in prin.

S. AUGUSTINUS.

Aguſtini ſanctum odium ſui. Aug. fl.8. n. 18.

Auguſtini humilitas. Aug. fl.15.n.20.p.312

Auguſtinus contempſit judicium iniquum de ſeipſo. Aug. fl. 17.n.18.p. 349

Auguſtinus requieſcebat in pectore Chriſti. Aug. fl. 22. n. 48. p. 471

Auguſtinus plorat ſuum lapſum in errorem Aug. Indi. concio. ſer. de eodem in prin.

S. Monicæ amor in eum.Idem. ibi.

AURUM.

Aurum materia laborum, periculum poſſidentium. Aug. fl. 16. n. 10. p. 319

Aurum non amandum. Tertull. fl. 16.n. 47.p.338.

Aurum eſt terra rubra pretioſa per errorem. Bern. fl,16.n. 49. p. 338

Auro non prius ſatiabuntur corda,quam corpus aura. S. Bern. fl. 23. n.32.p. 488.

Aurum ſimile vitro c.21.Apoca. n. 18.quid ſit Rup. fl.30.n.10. p.622

In auro laqueus, in argento viſcus. Amb. fl. 31. n. 20. p. 644

Auri poteſtas. S. Pet. Dami. fl. 31. n. 26. p. 646

Spernere aurum res mira. Bern. ibi.

Aurum quomodo offeratur Deo. S. Tho. à V. N. Indi. concio. ſer. de Epiph.11.

Aurum dicitur ſplendor ſanctitatis. Greg. M. Indi. concio.ſer.de S. Franciſ. Xaverio.7.

B.

BABEL.

BAbel turris ædificatores quomodo miſericorditer puniti. Chryſoſt. fl. 12. n.18.p.270

Eos Deus permiſit in illa fatigari per aliquod tempus. Chryſoſt. fl.26.n.18. p.640

Ipſos imitantur omnes perverſi. Greg.M. ibi.

BALAAM.

Balaam quid ſignificet. Iſid. Hiſp. fl. 15. n. 23. p. 313

Balaamo fuit aſina perſpicacior. Phil.Heb.fl.15.ibi.

BALTAZAR.

Baltaſſar vidit ſolus manum : litteras tamen ſcriptas alij viderunt. Refert Hug. Card. fl. 28. n. 16. p. 581

BAPTISMUS.

Baptiſmi ſymbolum aqua de latere Chriſti Chriſoſt. fl. 3.n.65.p.123

S. BARTHOLOMÆUS.

S. Bartholomæi laus S.Laur. Iuſt. Indi. concio. ſer. de eodem. 6. & Petr. Dami. ex interpretatione illius nominis. ibi.

BEATITUDO.

De beatitudine facilius eſt dicere quid ibi non ſit quam quid ſit. Aug. fl. 25.n.29.p.528

Beatitudo dicitur dies. Greg. M. fl. 28. n. 4. Vide Dies.

Beatitudinem nemo nonvult. Chryſoſt. fl.29.n. 3.

BENEFICIUM.

Beneficium non eſt quod fit ad nomen conſequendum. Senec. fl. 2. n. 11. p. 72

Beneficium maximum eſt quod neſcitur, vel reſpuitur ab accipiente. Senec. fl. 4. n. 31. p. 148

Beneneficiorum onus. Bern. fl.6.n.11.p. 17

Beneficiorum Dei immenſitas S. Laur. Iuſt. fl. 7. n. 3. p. 191

Beneficium non eſt niſi ratione ducatur. Senec. fl.7. n. 6. p. 194

Beneficium tunc juvat accepiſſe quando ratione datum. Idem. fl. 21. n.41.p. 446

Beneficium Dei exprimitur per luctantem cum Jacob. Bed. fl.7.n.17.p.p.199

Beneficia divina redundant. Ambr. fl.7.n.20.

Beneficium tuum periiſſe ferto exemplo Chriſti Domini. Amb. fl.8.n.8.p.210

Beneficia læta ſunt uſque dum videntur ſolvi poſſe. Tacit. fl.12.n.8.p.263

Non ab omnibus accipiendum Senec. fl. 10. n.15. p. 267

Beneficium non eſt quod fit ob lucrum.Senec.fl.18. n. 14. p. 373

Beneficiis quis offendatur. Idem. fl.18. n.21. p.376

Beneficium accipienti quatenus manifeſtandum ſit? Senec. fl. 21. n. 15.p.431

Beneficium accipiens interdum neſciat benefactorem. Idem. ibi.

Quod pudet debere, ne acceperis. Idem ibi.

Benebeficium accipiendo das, dando accipis. Senec. fl. 21.n. 29.p.438

Beneficium qui libenter accepit, gratificavit. Senec. fl.22.n. 21.p.460

Beneficium qui tardè contulit, diu noluit. Senec. fl.23.n.10.p.477.

Beneficium accipere eſt libertatem vendere Senec. fl. 23. n. 14. p. 479

Beneficium unum ſit radix alterius. Idem. fl. 23. n. 50. p.497

Beneficiis vinci turpe. Senec. fl.26. n. 28. p. 545
Beneficij gratia major quò minus differtur. Idem fl. 29. n. 6. p. 598
Beneficium tacet ingratus. S. Max. Indi.concio.ſer. actio. grati. in princ.
Vide Donum. Liberalitas.

BENEVOLENTIA.

Benevolentia perfecta liberalis. Amb. fl. 2. n. 11. p. 71

S. BERNARDUS.

S. Bernardo fuit gloria quod erat opprobrium. Bern. Indi. concion.ſer. de eodem. 6.

BETHLEEM.

Bethleem nominis interpretatio. S. Ambr. fl. 3. n. 45. p. 112
Bethleem non dicitur ille qui cogitat redire ad vomitum, nutat, hæſitat. Bernard. fl. 28.n. 31. p. 580

BONA SPIRITUALIA.

Bona ſpiritualia ab expertis plus diliguntur. Aug. fl. 1. n. 103. p. 50
Sunt alæ. Theodore. fl. 7. n. 14. p. 198
Creſcunt ſi hauriantur. Chryſoſt. fl.12.n.17.p.269
Illorum minus cupidos inveniri nos pudeat quàm voluptatum. Bernard. fl.17.n.10.p.345
Bona ſpiritualia perpetuò clara, florida, & indies ſplendidiora. Chryſoſt. fl. 17. n. 31.p.356
Bona vera ſunt perpetua. Senec. Ibid.
Bonorum ſpiritualium tantò plùs quis ſitit, quantò bibit ampliùs. Hieron. fl.23.n.33.p.489
Spirituales deliciæ quantò magis guſtantur, plus cupiuntur. Greg. M. fl. 25. n.39.p.532
Spiritualia comedens avidè, poſtponit omnes voluptates mundi. Greg. M. ibid.
Bona verè ſunt quæ ſpiritualia. Cyprian. fl. 27. n. 32. p.569

BONA TEMPORALIA.

Bona temporalia ſpernenda. Boët. fl.1.n.18.p.11
Noſtra non ſunt. Bern. fl. 1. n.26.p.14
Vileſcunt per experientiam, nec ſatiant. Aug. fl. 1. n. 103. p. 50
Non replent animam. Bern. fl. 3. n. 28. p. 101. & Laur. Juſt. ibid. n. 38. p. 108
Sunt picta. Chryſoſt. fl. 2. n. 5. p. 68
Eorum vanitas. Amb. fl. 2. n. 36. p. 83
Bona temporalia quorundam ſunt mala. Senec. & D. Thom. fl. 2. n. 35. p. 83
Temporalia laborioſa potiùs volumus quàm ſpiritualium quietem. Greg. M. fl.3.n.24.p.99
Illorum falacia. Laur. Juſt. fl.3.n.38.p.108
Ipſorum inconſtantia. Theodore. fl.4.n.27.p.145
Boët. fl. 4.n. 1.p.128. & Aug. fl.5.n.4.p.151
Bona temporalia nec bona nec mala ſunt. Hieron. fl. 9. n. 12.
Sunt occaſio litium. Chryſoſt. fl. 4. n. 16. p. 138
Illorum abundantia tollit ſollicitudinem de morte. Rup. fl. 4. n.19.p 140
Non ſatiant. Laur. Juſt. fl.4.n.32.p.149
Pro temporalibus laboratur in vanum. Chryſoſt. fl. 5. n. 1. p.150. S. Anton. Ibid. n. 41. p. 171. S. Hieron. Ibid. n. 44. p. 172
Ea qui non deſpicit, cœleſtia non miratur. Chryſoſt. fl. 5. n 30.p.165
Bonorum temporalium inconſtantia nobis conveniens. S. Antonin. fl. 5.n.43.p.172
Non præponenda perpetuis. Baſil. ibid. 42
Quæruntur & ſervantur moleſtè. Greg. M. fl. 6. n. 1. p. 173
Non habita deſiderantur, habita vileſcunt plerumque. Idem ibid. 2.
Omne ſuperfluum eſt malum. Ariſtot. fl. 6. n.8. p. 177
Bona temporalia meliora ſunt ſperantibus quam poſſidentibus. Senec. fl. 6. n.12.p.180
Quod nimium eſt optanti, non ſatis eſt poſſidenti. Idem ibid.n. 13
Concupiſcentia commendat bona temporalia. Tertull. ibidem.
Hæc non faciunt beatum. Amb. fl. 8. n.11.p.212
Apprehenduntur laboriosè. Greg. M. fl. 9. n.11. p. 225
Illorum eſt amor viſcum. Aug. fl. 16.n.47.p.337
Bonum non eſt quod eſt majus quàm oporteat. Ariſtot. fl. 17. n. 3.p.343
Illa deſiderare non poteſt qui amat æterna. Chryſoſt. fl. 17. n. 6. p. 343
Sunt umbræ. Idem, ibid.n.8.p.345
Relinquuntur difficulter ſi non prælibantur æterna. Laur. Juſt. ibidem. p. 345
Malè præferuntur æternis. Baſil. fl. 17.n.9.p.345
Sunt aliena. Senec. fl.17.n.22.p.351
Sunt veſtimenta. Chryſog. fl.17.n.30.p.355
Sunt inconſtantia. Chryſoſt. ibid. 31
Nondum perfectè advenerunt, & jam evolarunt. Idem, ibid. n.48. p. 362
Ea magnâ fatigatione apprehendere grandis labor eſt. Greg. ibid.n.54.p. 364
Bonum pluris fit ſi perditum reſtauretur. Petrar. fl. 20. n. 11. p.403
In bonis quæ poteſt amittere quis invitus, nemo ſecurus eſt. Aug. fl.21.n.22.p.435
Bona temporalia ſunt ſervilia. Senec. fl. 21.n.41. p. 440
Quod præterire potuit fuit modicum. Greg. M. ibid.
Sub bonis temporalibus ſpinæ. Greg. M. fl. 22. n. 39. p. 467
Pro eis laboratur in vanum. Chryſoſtom., fl.23. n. 5. p. 474
Tuum non eſt quod tecum ferre non potes. S. Anton. fl. 23. n. 7. p. 475
Intus inania, foris pulchra. Amb. fl. 23. n. 11 p. 477
Faſtidit anima ſancta quæ ſentit per corpus, & in ſpiritualia commutari concupiſcit. Greg. M. ibid.n.34. p. 489
Bona temporalia relinquenda. Bernard. fl. 23. n. 42. p. 493
Bona temporalia ſola curans accepit animam in vanum. Amb. fl. 24. n.19.p.506
Carni & ſanguini nimis dediti ſeipſos videntur neſcire. Bern. fl. 24. n. 19.p.506
Viſibilia cupiens non intelligit malum ſuæ peregrinationis. Greg. M. fl.24.n,32 p.512
Gratiſſima ſunt poma cum fugiunt. Senec. ibid.
Bonis temporalibus inhians eſt pauper. Chryſoſt. fl. 25. n. 3. p.517
Bona temporalia tibi ſint velut ſtabulum. Aug. ibid.n.17. p. 523
Parum eſt quidquid finitur. Greg. M. fl. 25. n.19. p. 523
Bona temporalia diſtant ab æternis, quantùm ab ſpica granum. Nyſſ. ibid. n.29.
Tranſitoriis ſucceſſibus lætantes poſiti ſunt ſuper ventum. Greg. M. fl. 26.n.16.p.538
Bona temporalia comparantur navium curſui. Hieron. fl. 26. n. 43. p. 552
Etiam quod tenetur labitur. Senec. ibid.
Bona temporalia contemnenda. Cyprian. fl. 27. n. 32. p. 569

Bona quæ homines extollunt, & magni faciunt, reputantur à Deo pro nihilo. S.Thom.à Villan. fl. 27. n. 40. p. 573
Si facis opus bonum ut aliquid temporale tibi retribuatur, miſcet ſiniſtra ſe operibus dextræ. Hoc Deus vetat. Auguſtin. fl. 28. n. 20. p. 582
Radicatorum in terra difficilis avulſio, & amara. S. Thom. à Villan. fl. 28. n. 35. d. 590
A bonis temporalibus qui non poſſunt divelli, ſimilantur ſubmerſis qui periclitantur in aquis. Bern. fl. 29. n. 30. p. 610
Ad diſcernendum de bonis temporalibus quid noceat, multa requiritur ſcientia. Nyſſ. fl. 29. n. 40. p. 614
Terrena putare fixa dementiæ eſt. Idem ibid.
Adhærens temporaneis inhæret vento, captat formidinem & contumeliam. Fulgent. fl. 31. n. 3. p. 637
Ea non deſpici ab hominibus mirum eſt. Chryſoſt. ibid. n. 26. p. 646
Qui putat illa eſſe bona patitur febrim, & phreneſim. Aug. fl. 31. n. 32. p. 649
Melius eſt amittere quod periturum eſt, velimus, nolimus. Hieron. fl. 31. n. 42. p. 653
Relinquere mundum expedit magis quàm relinqui. Bern. ibid.
Bona temporalia tenentur velut in ſomno. Gregor. M. Indi. Concio. Ser. Fer. 4. Ciner. 8.
Non intrant cor, ideo non ſatiant. S. Vincent. Ferrar. ibid. Fer. ſexta 4. Quadrag. n. 4.
Quodammodo moveri cuncta dixit Nazianz. ibid. Fer. quarta 5. Quadrag. 7.
Bona temporalia ſunt exigua, æterna verò multa. Anſel. ibid. Ser. SS. Simonis & Judæ.

C

Cadaver.

Cadaveris etymon. Iſid. Hiſpal. fl. 26. n. 44. p. 552

Cain.

Cain temporalem mortem veritus eſt; non perpetuam. Amb. fl. 30. n. 5. p. 619
Cain quare intellexerit ſe occidendum à quovis. Hieron. ibid. n. 36. p. 633

Capilli.

Capilli ſignificant cogitationes. Cyril. Alexand. fl. 7. n. 22. p. 201

Caput.

Caput pro mente in Canticis. D. Thom. fl. 7. n. 22. p. 201
Idem in Evangelio Lucæ. Cyrill. Alex. ibid.

Castitas.

Caſtitatis præmium. S. Vincent. Ferrar. Indi. Concion. ſer. in Profeſſ. religio. 12.

Calliditas.

Calliditas eſt ſimia prudentiæ. Carol. Paſchal. fl. 33. n. 2. p. 669
Vide Aſtutia.

Calumnia.

Calumnia eſt malum ſummum. S. Greg. Thaumat. fl. 1. n. 108. p. 52

Carbunculus.

Carbunculus dicitur ſermo doctrinæ. Hiero. Indi. Concio. Ser. S. Franciſc. Xaver. in princ.
Carbunculi nomen unde dicatur. Iſid. Hiſpal. ibid.
Inter lapides pretioſos principatum habet. Plini. ibid. 2.
Non ſentit ignem. Idem ibid.

Cæcitas. Cæcus.

Cæci à nativitate obedientia. Chryſoſt. fl. 10. n. 12. p. 243
Is quare luto curatus. Theophylact. ibid.
Cæcus non poteſt cognoſcere jucunditatem lucis. Chryſoſt. fl. 15. n. 13. p. 309
Cæcus eſt qui ſupernæ contemplationis lumen ignorat. Greg. M. fl 20. n. 14. p. 405
Cæcitas eſt videre quæ non ſunt. Tertull. fl. 24. n. 26. p. 509
Cæcus eſt à nativitate qui convertit oculum ad ſæculum. S. Anton. ibid.
Cæcus putari debet quiſquis multoculus eſt. Nyſſ. ibid.
Cæcum juxta Jericho ad lumen redire quid ſignificet. Bed. fl. 27. n. 26. p. 566
Hunc cæcum quare Chriſtus interrogavit. Euthym. ibid.
Quanta cæcitas eſt nolle aperire Deo pulſanti. S. Thom. à Villan. fl. 27. n. 28. p. 567
Nec videmus quid noceat, nec quid expediat. Senec. fl. 29. n. 40. p. 615
Cæcitas aliqua fœlix. Bern. fl. 32. n. 27. p. 662
Cæcus juxta viam mendicans quid. Gregor. M. Indi. Concio. Ser. Dom. Quinquag. 5.
Cæcus à nativitate ſignificat peccatorem. S. Anton. ibid. Fer. quarta. 5. Quadrag. in princ.
Cæcitas multiplex datur veniens à diverſis peccatis. Idem. ibid.
Vide Chriſtus Dominus.

Cautela.

Cauti ſumus in minimis, non in magnis. Hiero. Incertus. fl. 6. n. 3. p. 174

Cedrus.

Cedri medulla quid apud Ezechielem. Hug. Card. fl 5. n. 11. p. 155

Cella.

Cella vinaria quid in Canticis. S. Thom. fl. 3. n. 73. p. 127

Coelum.

Cœlum proprius eſt locus theſauri. S. Anton. fl. 21. n. 37. p. 443
Cœlum meritis poſſidentium micat. S. Proſp. fl. 30. n. 14.

Cete.

Cete Jonæ ſignificat mortem. Anſel. fl. 13. n. 10. p. 279

Charitas.

Charitas obedientiam facit acceptabilem. Bern. fl. 7. n. 12. p. 196
Charitas abundat neceſſariis ad ſalutem. S. Bern. fl. 12. n. 2. p. 259
Charitatis liberalitas in ſpiritualibus. Idem. ibid.
Charitate nihil ſuavius nihil beatius. Iſid. fl. 13. n. 4. p. 275
Charitas eſt lumen neceſſarium volentibus ſalvari. Laur. Iuſt. fl. 13. n. 9. p. 278
Ex charitate diſſenſiones aliquando. Aug. fl. 6. n. 17. p. 182
Charitas poteſt plùs quàm cupiditas. Gerſ. fl. 17 n. 18.
Charitatis excellentia: quæ fons bonorum eſt. Aug. fl. 17. n. 23. p. 352
Sine charitate cætera bona ſpiritualia nequeunt prodeſſe. Anſel. fl. 17. n. 51. p. 364
Ex charitate colliguntur ſparſa. S. Anton. fl. 18. n. 13. p. 372
Charitas fons. Aug. fl. 21. n. 13. p. 430.
Charitatis proprietates. Laur. Juſt. fl. 21. n. 29. p. 438

Charitas mirabiliter ſurgit cum ad infima proximorum miſericorditer deſcendit. Greg. M. fl. 21. n. 44. p. 447
Charitas aliena mala reputat propria. Aug. fl. 22. n. 17. p. 457
Charitas eſt mors criminum, concordia mentium, ſocietas electorum. Caſſiod. fl. 26. n. 47. p. 553
Charitas patiens & benigna. Bernard. fl. 27. n. 18. p. 562
Charitas perfecta ſitit ſummum bonum ſolum. Bernard, fl. 29. n. 2. p. 596
Charitas dicitur ſenſus animæ quintuplex. Idem Indi. Concio. Ser. de S. Euchariſtia, in princ.
Charitas eſt ignis ille de quo Luc. c. 12. n. 49. S. Anton. ibid. ſer. ejuſdem 3.

CHERUBIM.

Cherubinorum Ezechielis pennæ quid? Greg. M. fl. 6. n. 17. p. 183
Cherubim denominatur à ſcientia. S. Tho. Indi. Concion. ſer. de decollat. Baptiſtæ. 2.
Cherubim plenitudo ſcientiæ. Rup. & Rab. fl. 20. n. 41. p. 419

CHRISTUS DOMINUS.

Chriſtus Dominus pluris animas fecit quàm corpus ſuum. Laur. Juſt. fl. 6. n. 33. p. 190
Pro quibus oraverit in cruce. Bed. ibid.
Chriſti Domini reſurrectio confirmavit mortuorum reſurrectionem. Hilar. fl. 7. n. 12. p. 197
Chriſtus natus eſt ut ſol. Theodore. fl. 7. n. 14. p. 198
Voluit agnoſci ex beneficentia & cruce. Athanaſ. fl. 7. n. 17. p. 199
Significatus Angelo luctante cum Jacob. Iſid. Hiſpal. ibid.
Chriſti potentia, & clementia apparuit per incarnationem & ſuſceptionem mortalitatis & patibuli. Amb. fl. 7. n. 19. p. 200
Chriſti nomen de quo 2. ad Philipp. & ad Heb. quidnam ſit? Hug. Card. fl. 8. n. 2. p. 207.
Chriſtus noluit à diabolo nominari. Hug. Card. fl. 8. n. 3. p. 208
Chriſti Domini exemplo ſuffer proditorem. Amb. fl. 8. n. 8. p. 210
Chriſtus Dominus quomodo dicatur ſeſſurus. ſuper ſedem David. Theophylact. fl. 8. n. 15. p. 215
Ad Chriſti latera cur duo latrones. S. Amb. fl. 9. n. 17. p. 219. & Chryſoſt. fl. 26. n. 34. p. 547
Utrique latroni dedit ibi ſententiam æquam. Rup. fl. 9. n. 17. p. 229
Chriſti dextrum latus eſt locus dignior. Dionyſ. Carthuſ. ibid.
Poſt Chriſti Domini abſentiam major Apoſtolorum fiducia. Theophylact. fl. 10. n. 4. p 240
Chriſtus Dominus quare timuit mortem. Idem ibid. n. 8. p. 242
De Chriſto Domino quomodo à Baptiſta dictum eſt oportere creſcere? Rup. fl. 10. n. 13. p. 244. & Aug. fl. 26. n. 38. p. 549
Chriſtus Dominus mortuus eſt ut faceret amicos. D. Thom. fl. 11. n. 4 p. 251
Quare fleverit in ſepulchro Lazari. Euthy. & Aug. fl. 11. n. 15. p. 256
Significatus eſt in petra. Anſelm. fl. 11. n. 18 p. 257
Chriſtus Dominus fons. Bern. fl 12. n. 3. p. 260
Significatus in aqua. Idem. ibid.
De latere Chriſti fons. Cyprian. ibid. p. 261
Amicus noſter eſt, ſi bene vivamus. Hieron. fl. 12. n. 4.
Chriſtus Dominus quare mane ſanaverit. Amb f. 12. n. 10. p. 265. ex Cyrill. fl. 1. n. 82. p. 39
Chriſtus Dominus ſatiavit ex ſe diſcipulos in littore poſt reſurrectionem. S. Proſp. fl. 12. n. 19 p. 271
In ſepultura traditus oblivioni Damaſc. fl. 13. n. 10. p. 279
Chriſti Domini verba: Quare dereliquiſti me? explicantur. Orig. fl. 13. n. 11. p. 280. & ibid. n. 23. p. 286. & Euthym. & Anſelm. ibid.
Ejus amor in reprehenſione diſcipulorum Emaus, Bern. fl. 13. n. 19. p. 284
Quare reſurgens retinuit cicatrices. Cyrill. Alexand. ibid. n. 22.
Non fortuitò reperivit in libro caput Iſaiæ. Orig. fl. 14. n. 6. p. 290
Cur tacuerit coram Pilato. Euthy. fl. 24. n. 8. p. 291
Quare ſe abſcondit. Theophylact. fl. 15. n. 10. p. 308
Chriſtus Dominus puer quare non habuerit locum in diverſorio. Amb. fl. 15. n. 18. p. 311
Chriſtus Dominus in throno Iſaiæ. Hieronym. fl. 1. n. 37. p. 19
Chriſtus Dominus incumbens ſcalæ Jacob, ac in iſto figuratus. Aug. ibi.
Quid acceperit à Virgine. Bernardin. fl. 1. n. 60 p. 30
Declaratus in Epiphania fuit homo. S. Bernar. ibi. Ricar. Victo. fl. 1. n. 61. p. ibid.
Chriſtus Dominus prophetatus eſt judex à Simeone. Amb. fl. 1. n. 66. p. 33
Chriſti Domini gaudium de morte Lazari quare. Chryſolog. fl. 1. n. 100. p. 49
Chriſtus Dominus cur triduanus reſurrexerit. Idem. ibid.
Mortuus eſt ſimili die quo fuit conceptus. S. Bern. fl. 1. n. 106. p. 51
Chriſtus patiens fuit Matris exemplar. S. Antonin. ibid.
Chriſti mœror & oratio qualis in horto. S. Amb. ibid.
Chriſtus cur ſepultus. Chryſolog. fl. 1. n. 118. p. 57
Quare interrogavit cæcum quid vellet. Chryſoſt. fl. 2. n. 7. p. 70
Chriſti Domini mors dicitur baptiſmus. Theophylact. fl. 3. n. 7. p. 90
Ipſius deſiderium moriendi. Chryſoſt. ibid.
Quàm ſuavis ei paſſio. Idem. ibid.
Chriſtus lilium in paſſione. Rup. fl. 3. n. 9. p. 91
Ejus cor lancea perforatum, & amore percuſſum. Bern. fl. 3. n. 18. p. 96
Chriſti Domini caro victum omnibus miniſtravit. Amb. fl. 3. n. 35. p. 106
Chriſtus cur in præſepio reclinatus. Greg. M. fl. 3. n. 36. p. 107
Chriſtus arbor. Bernard. fl. 3. n. 44. p. 111. & & Greg. M. fl. 25. n. 39. p. 532
Chriſti reſurrectio quam neceſſaria. Bed. fl. 3. n. 54. p. 117
Chriſtus reſurgens detulit in pedibus vulnera. Euthy. fl. 3. n. 65. p. 123
Permiſit aperiri latus ut cor donaret. S. Anto. fl. 3. n. 73. p. 128
De Chriſti latere cur manaverit ſanguis & aqua. Tertull. ibid.
Chriſto Domino baptizato cur aperti cœli. Aug. fl. 4. n. 13. p. 137
Chriſtum Dominum crucifigi oportuit ut mundus crucifigeretur homini. Aug. fl. 5. n. 9. p. 154
Chriſti onus quid. Bern. fl. 6. n. 16
Chriſtus Dominus quare non fuerit comprehenſus c. 7. Joan. Alc. & Dion. Carth. fl. 15. n. 28. p. 315

Syllabus doctrinę SS. Patrum

Per Christi Domini sanguinem conscissus est saccus peccatorum nostrorum: abiecimus pannos iniquitatis. Ansel. fl.16.n.12.p.321
Christi paupertate sumus ditati. Idem ibi.
Christus diabolum vicit mansuetudine. Chrysost. fl. 16.n. 25. p. 327.
In horto volebat bibere Calicem. Orig. fl. 16. n. 29. p. 329.
Non timuit mortem. Hilar. & Hiero. ibi.
Christus quando dicatur sol, & quando stella. Rup. fl.17.n.7. p.344
Christum milites adoraverunt nolentes. S. Ambr. fl. 17. n. 19. p.350
Puer inter doctores quare audiebat & respondebat.Bed. fl.17. n. 20. p. 350. Origen. fl.21.n.12. p. 430
Ad fontem Sichar Christus non bibere volebat sed potum dare immortalitatis. Chrysost. fl.17. n. 35. p. 357
Salutem mortalium sitiebat ut potum præberet. Idem, ibi.
Christus Dominus quo sensu dicatur dives ab Anselmo. fl. 17. n. 47.p.362
Christum Dominum sequitur qui eum imitatur. August. fl. 18. n. 5. p.367
Cum Christo multi regnare volunt, sed non compati. Bern. ibi. p. 368
Christus elegit militem voluntarium. Ambr. fl.18. n. 6. p. 368
Quid petiit in horto? Hilar. ibi.
Cum Christo non resurgit qui non quiescit cum illo. Ambr. fl.18.n.11.p.371
Christus sitiebat Judæos. Augustinus. fl. 18. n.27. p. 373
De Christo Domino agitur in ps. verbis. *Laudate eum sol.* &c. S. Prosp. fl. 18. n. 29. p.380
Christi puelli benignitas. Bern. fl.21.n.22.p.436
Christus in præsepio sol. Dami. fl.21.n.24.p.437
Christus fons. Paulin. ibi. n. 33. p.441
Christus apud Malachiam. S.Tho. fl.21. n.6.p.452
Quare monetam in pisce voluerit à Petro inveniri. Chrysost. fl. 22. n. 7. p.453
Cur ab oculis discipulorum Emaus evanuerit. Euthy. ibi n.11. p. 455
Christus introducitur dicens ad Patrem: pati non possum perire homines fratres meos. S. Tho. à V. N. fl. 22. n. 14. p. 456
Christum Dominum puellum fugisse mirum est. Chrysolog. fl. 22. n.18. p.458
Christi Domini sessio significat in Ps. 109. potestatem regiam. Amb. ibi.n.24. p. 461
Christus vocatur manus Dei. Prosp. fl.22. n. 25. p. 461
Christi pietas flagello expellentis de templo sacrilegos. Amb. ibi. n. 25. p.462
Christone damnum est non habere quos salvet. Chrisost. fl.22. n. 32. p. 464
Ejus vita exemplar imitabile, magisterium obedientiæ. Laur. Just. ibi.n. 30.
Christus flevit stupiditatem Jerusalem. Theophylact. fl.22.n.44. p.470
Est pauper de nostro; dives de suo. Cassiod. fl. 23. n.4. p. 474.
Ejus benignitas in comprehensores. Chrysost ibid. n. 20. p. 483
Christi mors grata pro nostra salute. Theophilus. fl. 23.n. 28. p. 486
Christo calicem passionis dedit Pater amore, ut Pater; non ut judex. Rup. ibid.
Christi infantuli paupertatis laus. Bern. ibi. n. 40. p. 492
Panni præsepij Christi sunt divitiæ nostræ. Idem,ib.
Forte vultum avertebat ab auro Magorum. S. Bonavent. fl. 23.n.43. p.493
Dicens: Sitio, ostendit mortem suam esse veram. S. Thom. fl. 23. n.45. p.495
Christi paupertas in Cruce. Hug. Cardin. fl. 23. n. 46. p. 495
Christus arbor malus. Greg. M. fl. 23.n.49.p.497
Christi Domini factum mirabile fuit ejicere vendentes de templo. Hiero. fl. 24. n. 10.p.502
Chistus est anima nostræ animæ. Chrysolog. fl.24. n. 12. p. 503
Habuit in vita passivam actionem, & in morte passionem activam.Bern. ibi.n. 35. p. 513
Christi cicatrices in die judicij erunt contra reos intolerabilis sententia. Eusb. fl. 25.n.11.p.520
Ejus opera sunt lilia. Bern. fl. 26. n. 33. p. 547
Ipsius mors exaltatio. S. Tho. ibi. n.34.p.547
Cur laudavit Joannem in absentia discipulorum ejus. Dyoni.Carhu. fl. 26.n.35.p.548
Christum Dominum irridentes fassi sunt, quin agnoscerent. Bern. fl. 27. n. 18. p.562
Chisti corona spinea quid significet. Tertull. ibidem. & Lactant. Firm. ibi. n. 19. p. 593
Christus quomodo fuit exauditus in cruce orans pro inimicis. Hiero. fl. 27. n. 19.p.563
Quare caput inclinavit crucifixus. Laur. Just. ibid.
Ejus amor pro adversariis in cruce orantis. Caier. fl. 27. n. 21. p.564
Quare noluit Ioan. 6. fieri rex. Greg.M. fl.27. n.40. p. 573. & Hug. Card. ibid.
Christus aspectu corporeo excitavit Petrum ad lachrymas. Theophilact. fl.27.n.44.p.574
Christus introducitur à Chrysologo dicens: si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem. Chrysog. fl.28.n. 19. p.582
Christi verba: *Implete hydrias*, quid significent. S. Bern. ibi. n. 23. p. 584
Christus dicitur à Petro Lucifer. Qualiter oriatur in corde justi. Hug. Card. fl. 28. n. 30. p. 587. Cyril. Alex. fl. 32. n. 13. p. 657
Christus nascitur in corde humano. Amb. fl. 28. n. 30. p. 587
Nativitate sua discussit peccatorum tenebras & intulit lucem diebus. Idem ibi.
Natus est ut innotesceret. Bern. ibi.
Ejus nativitas æterna posuit tenebras latibulum suum. Idem fl. 28. n.30. p. 588
Christus prætulit consanguinitati propinquitatem spiritualem. Bed. ibi.
Christum non diligens cor vacillans est. Bern.fl. 31. ibid.
Christi brachia extensa in cruce ps. 62. 8. dicuntur alæ. Hug.Card. fl.29.n.10. p.600
Christi Domini amor qualis. Laurent. Just. fl. 30. n. 8. p. 621
Christus Dominus maluit dissimulare de jure suo, quam de charitate deponere.Amb. ibi.n.9.
Christus quare solverit tributum. Nazianz. fl. 30. n. 18. p. 626
Quid manifestetur in hac solutione Hiero. ibid.
Christus cur dixerit comprehensoribus: *Sinite hos abire.* Cyril. Alex. fl.30. n.25. p.629
Est frater noster. Chrysost. fl.31. n.3. p.637
Amavit nos plus se. Cyrill.Alex. fl.31. n.11. p.640
Voluit diabolum vincere per humilitatē.Hiero.ibid.
Habuit regiam dignitatem in titulo Crucis.Bed.ibi. n. 17. p. 643
Quomodo in Cruce traxerit omnia. Theophylact. fl. 32. n. 14. p. 657

Chriſtus ſpolia à diabolo abduxit in paradiſum. Idem, ibi.n.15.
Chriſti divinitas oſtenditur in converſione latronis. Chryſoſt. ibid.
In Chriſti facie lucebat ſapientia divinitatis. Bed. fl. 32. n. 38. p. 666
Chriſtus eſt ſeminator parabolæ c. 8. Luc. Bed. fl. 32.n.42.p.668
Doctrinam ſuam omnibus obtulit.Chryſoſt. ibid.
Chriſti patientia : Indi. Concio. Dom. 2.Adven. 3. S. Ambr.
Per Chriſtum Dominum quomodo valles impleti, montes & colles humiliati. S. Titus ibi. Dom. 4. Adven. 1. & Orig. ibid. 2.
Chriſto naſcituro non fuiſſe locum inventum in diverſorio, quid ſignificet. S. Maxi. ibi. ſer.Vigil. Nativ. Chriſti.
Chriſti nativitati parandum noſtræ humilitatis diverſorium. Laur. Juſt. ibid.
Paremus nos ut Chriſtus naſcatur in nobis. Bern. ibi. 6.
Chriſti nativitas deſcribitur. S. Tho. à V. N. Indi. concio. ſer. Nati. Domi. in princ.
In Chriſti nativitate fuimus nati. S. Max. ibi.n.12.
Chriſtus quare pugnaverit cum diabolo in deſerto. S. Tho. à V. N. Indi, Concio.Dami. 1. Quadr.2.
Chriſti miſericordiæ magnum argumentum eſt prævenire preces. Cyril. Alex. ib. Fer. ſexta 2. Quadra. 8.
Chriſti oratio pro crucifixoribus miſericordiam & authoritatem præ ſe fert.Theophylact.Indi.Concio. ſer.de bono latrone.3.
Chriſti vulnera quo ſenſu dici poſſint non ſua. S. Max. ibid.
Chriſti amor quare prope mortem dicatur ab Evangeliſta : *In finem.* Chryſoſt. Indi. concio. ſer. in Cœna Dom. 4. & Cyril. Alexandr. ibi. 6. & 9 & Auguſt. ibid. 8.
Chriſtus crucem ſuavem reddidit. Bern.Indi.concio. ſer. de Veſtigi. 1.
Chriſtus fuit crucifixus ſupinus. Laur.Juſt. ibi. ſer. de Chriſto crucifi. 3.
Chriſti ſanguis in cruce clamavit. Bern. ibid.
Crucifixus Dominus fuit verbis amaris impetitus. Chryſoſt. ibi. 7.
Chriſti monumentum ſignificat animam memorem Theophylact. Indi. Concio. ſer. depoſitionis Chriſti de cruce. 9.
In Chriſti reſurrectione rationes gaudij. Laur. Juſt. ibid. Ser. Paſcha. in princ.
Chriſti reſurrectio firmat ſpem noſtræ reſurrectionis. S. Thom. à V. N. ibid. 3.
Chriſtus cur apparuerit in ſpecie peregrini diſcipulis euntibus in Emaüs. Hay. Indi. concio. Fer. 2. Paſcha. 1. & S. Thom. à. V. N. ibid.8.
Chriſto aſcendente lætitia cœli qualis. Laur. Juſt. fl. 30. n. 8. p. 621
Cum Chriſto aſcendente in cœlum pergimus.Aug. Indi. concio. ſer. de Aſcenſ. 8.
Chriſtus aſcendens in cælum factus Divinitate præſentior dicitur à S. Laur. Juſt. ibid.
Chriſtus proprio ſanguine rigat homines velut arbores. S. Vincent. Ferrar. ibid. 6.
Chriſto data omnis poteſtas quomodo intelligatur apud Matthæum. S. Hilar. apud S. Tho. Indi. concio. ſer. de Trinit. 4.
Quare prædicta verba dicta ſunt poſt Reſurrectionem. S. Thom. ibid. 6.
Chriſtus cibus Angelorum. Laur. Juſt. Indi. concio. Ser. de Euchariſt. 2.
Chriſtus dicitur ſtella & virga. Hug. Card. ibid. Ser. de Concept. 7.
Ex Chriſti primo adventu fiducia. Chryſolog. Indi. concio. Ser. de Expecta. 6.
Chriſtus bis mutavit habitum pro nobis. S. Anton. ibid. Ser. ejuſdem. 2.
Chriſtus eſt ſpeculum patiendi, & præmium patientis. S. Bern. ibid. ſer. ejuſdem. 4.
Chriſtus præcedit adaſpera, quæ præcipit, exemplo. S. Tho. à. V. N. Indi. concio. Ser. de Veſtigi. 12.
Chriſtus ſignificatus per Moyſen. Bernard. ibid. fine.
Chriſti crucifixionis enarratio. S. Laur. Juſt.ibid. Ser. de Chriſto crucifixo. 3.
Chriſti ſanguis clamat ad Patrem de cruce. S. Bern. ibid.
Non niſi per Chriſtum itur ad Chriſtum. S. Leo. fl. 30. n. 41. p. 635

CHRISTIANI.

Chriſtiani ſunt cives cœlorum. Chryſoſt. fl. 3. n. 46. p. 113
Chriſtianorum hæreditas Deus. Macar. ibid. n. 53. p. 116
Chriſtiani aliqui barbaris deteriores. Salvian. fl. 18. n. 5. p. 367
Chriſtianorum fraternitas major quam ſanguinis. Amb. fl. 21. n. 24. p. 436.
Chriſtianorum viventium juxta Evangelium vita crux eſt. Thom. à V. N. fl. 24.n. 35. p.513
Chriſtiani mali, vivunt pejus Paganis. Auguſt. fl 26. n. 46. p. 553
Chriſtiani vita ſit pura tamquam pupilla oculi. Salvian. fl. 27. n. 9.p.558
Chriſtianorum dignitas. Leo. fl. 31. n. 40. p. 653
Chrſtiani nomen qui non imitatur Chriſtum ſortitur fruſtra. Aug. fl. 33. n. 37.p.681

CICATRIX.

Cicatrices putreſcere quid ſpiritualiter. Greg. M. fl. 18. n. 36. p. 383

CIVITAS.

Civitas ſpiritualis. Bed. fl. 16.n. 14. p.321

CLAUDUS.

Claudum ſurgere, &c. quid? Bed. fl. 5. n. 30. p. 165

CLAVUS.

Vide, Crux.

CLERICI.

Clerici honorandi ab Epiſcopis. Hieron. fl. 13. n. 17. p. 283

COGITATIO.

Cogitationes ſuperfluæ amputandæ : ſed non poſſunt funditus amputari. Greg. M. fl. 33. n. 3.p.669

COGNITIO.

Carentia cognitionis propriæ parit ſuperbiam. Bern. fl. 15. n. 13. p.309
Cognitio ſui difficilis. Thales. fl. 3. n. 39. p. 108
Cognitio propria præmittenda cæteris. Bernard. ibid.
Cognitio ſui neceſſaria ad ſalutem. Idem ibid.
Ea requiritur ut diligas ac timeas Deum. Idem fl. 3. n. 40.p.109
Cognoſcit homo ſe melius conſiderans alios. Iſid. Hiſpal. fl. 4. n. 2. p. 129
Cognitio futurorum & præteritorum ſobriæ mentis eſt. Amb. fl.6. n. 6. p.176
Cognitio ſui prodeſt ad miſerationem. Bernard. fl. 18. n. 4. p. 367
Cognitio ſui laudatur. Aug. fl. 19. n. 16.p.390

Cognitionis propriæ difficultas. Greg. M. ibid.
Cognitio sui necessaria ad cognitionem Dei. Hug. victor. fl 19. n. 18. p. 391
Cognitione propria incipiente deficere seducitur acumen intellectus. Laur. Just. fl.22.n.14.p. 468
Difficile est comprehendere & maxima & minima. Senec. fl. 24. n. 31. p. 512
Cognitio sui adjuvat ad emendationem. Chrysost. ibid. n. 43. p. 516
Si vis esse judex cognosce teipsum. Chrysostom. fl. 29. n. 45. p. 617
Si ignoras te non habebis timorem Dei in te. Bern. Indi. concio. Fer. 4. Cine. 1.
Cognitionis de Deo magna perfectio. Nazianz. ibid. Domi. 2. Quadra. 6.

COLUMBA.

Columba emissa ex arca Noe quid significet. Isid. Hispal. fl. 28. n. 27. p. 586

COLUMNA.

Columna nubis in Exodo significat Spiritum sanctum. Amb. Indi. concio. Ser. Pentecostes 9.

CONCIONATOR.

Concionatores sunt nubes. Aug. fl. 9. n. 29. p. 235
Concionatoris lenitas. S. Anton. fl. 12. n. 19. p. 270
Concionatores vocantur cœli. Aug. fl. 14. n. 5. p. 289
Illis generoso est opus animo erga auditores. Chrysost. ibid. n. 6.
Concionator ignotæ vitæ aliquando despicitur. Greg. M. fl. 15. n. 8. p. 307
Concionator sanctus, & perfectus, vocatur dies. Hug. Card. fl. 15. n. 13. p. 309
Concionator accommodetur capacitati auditorum. Idem ibid.
Concionator verus non plausum quærit; sed auditorum profectum. Gerson. fl. 18. n. 25. p. 378
Prædicationis lux significata per lucernam. Gregor. M. fl. 15. n. 20. p. 312
Concionator ab imperitis judicatur miserrimè. Hieron. fl. 18. n. 26. p. 378
Concionatoris meritum. Greg. M. ibid. n. 27
Concionatores lucrantur spirituales utilitates proximorum Idem. ibid.
Concionator vocatur rex. Idem fl. 18. n. 29. p. 380
Concionatores sancti sunt maxillæ Ecclesiæ. Gregor. M. ibid.
Prædicatores significati per Samuelem. Idem. ibid.
Similes sunt radiis solis. Clemens. fl. 18. n. 30. p. 380
Concionatoris munus est imbuere corda; non exponere verba. Bern. fl. 20. n. 46. p. 422
Concionatores veritatis dicuntur Angeli. August. fl. 21. n. 10. p. 428. & Rup. ibid.
Sunt nunc sicut sol: nunc sicut stellæ. Greg. M. fl. 21. n. 11. p. 429
Eorum verba sunt pecunia Domini, quæ accipitur fœnerata. Orig. ibid. n. 12.
Concionator prædicando efficitur mater Christi. Greg. M. fl. 28. n. 30. p. 588
Concionatores columbæ: & auditores pulli eorum. S. Anton. fl. 22. n. 45. p. 470
Prædicans ut laudem vel munus venetur privat se æterna mercede. Greg. fl. 27. n. 7. p. 557
Quid de prædicatore significet apud Job. c. 39. 3. *Incurvantur ad fœtum*? Idem ibid. n. 10. p. 559
Prædicatores sancti seminant in lachrymis ut metant gaudia. Idem ibid.
Concionatoribus negare libertatem dicendi non est dignum gerente imperium. Amb. fl. 33. n. 17. p. 674
Sacerdotis non est non dicere quod sentit. Amb. ibid.
Pro prædicatione subeundum omne periculum. Cyrill. Alex. ibid.
Concionatoris verba quomodo comparentur melli. Amb. fl. 33. n. 25

CONCORDIA.

Concordia similis conversationi angelicæ. Cassiod. fl. 21. n. 17. p. 432
In concordia antecellimus bruta. Chrysost. fl. 27. n. 41. p. 573
Concordiæ utilitas. Idem fl. 6. n. 14. p. 181
Concordiæ excellentia. Nazianz. fl. 6. n. 15. p. 182
Concordiæ harmonia. Aug. fl. 6. n. 17. p. 182

CONFESSIO.

In confessione non erubescendum aperire peccata Amb. fl. 6. n. 34. p. 190.
Fassus peccata ut decet quasi impeccabilis est. Aristot. fl. 12. n. 20
Vide Unio. Pax.

CONSCIENTIA.

Conscientia theatrum virtutis. Tulli. fl. 6. n. 20. p. 184
Conscientia pœna gravissima. Isid. Hispal. fl. 14. n. 14. p. 294
Conscientia peccati metum incutit. Chrysost. fl. 30. n. 3. p. 618
Ista conscientia meritò formidanda est. Senec. fl. 30. n. 5. p. 619
Conscientiæ fidelis fiducia dicitur fortitudo. Bern. ibid. 32
Conscientiâ contentus erat Augustinus spernens judicium cujusdam contra se. Aug. fl. 30. n. 33. p. 632
Bene sibi conscius non moveatur convitiis. Amb. ibid.
Conscientiæ testimonio sæpe contenta virtus. Bern. fl. 26. n. 6. p. 534
Conscientia testis locuples fugat opprobria & mala. Amb. fl. 30. n. 34. p. 632
Conscientia accusans est judex incorruptus. Chrysost. ibid. n. 35. p. 633
Animus reus nunquam securus est. Isid. Hispal. ibid.
Conscientia delictorum est maxima tribulatio. Aug. ibid. n. 36.
Conscientia delicti vocatur ignis. Hieron. ibid.

CONSERVARE.

Conservare magnum est: adipisci verò parum. Cypri. fl. 26. n. 50. p. 554

CONSUETUDO.

Consuetudinis vis. Tull. fl. 30. n. 1. p. 618
Consuetudo diuturna vertitur in quasi naturam. Basil. ibid.

CONSTANTIA.

Constantia est ubi virtus. Amb. fl. 31. n. 4. p. 637
Vide Perseverantia.

CONTEMPTUS.

Contemnere contemptum proficit ad fœlicitatem. Senec. fl. 30. n. 18. p. 626
Contemptus aliquis desiderabilis est. Idem. ibid. 19

CONTEMPLATIO.

Vide. Virtus.

CONTUMELIA.

Contumeliæ ferendæ difficultas. Senec. fl. 15. n. 15. p. 310
Contumeliam faciens aliquando lædit se. Chrysost. fl. 19. n. 12. p. 338
Contumelia non vulnerat bonam conscientiam. Aug. fl. 19. n. 30. p. 397

Contumeliam ferre facit venerabilem, & Angelis parem. Chryſoſt. ibid. n. 31.
Contumelioſus homine pejor. Idem ibid.
Is deſtruitur per patientiam. Chryſoſt. fl. 19. n. 31.
Contumeliæ quomodo ferendæ. Idem ibid.
Contumeliam contumeliæ reddens reprehenditur. Baſil. fl. 19. n. 39. p. 399

CONVIVIUM.

Conviviorum aliquorum damnum. Chryſolog. fl. 24. n. 24. p. 509
Conviviorum magnorum gaudia ſequitur aliquid moleſtum. S. Vinc. Ferrar. fl. 29. n. 35. p. 612

COR.

Cordis duri deſcriptio. Bernar. fl. 13. n. 5. p. 276.
Cor qualiter inveniatur. Aug. & Greg. M. fl. 14. n. 31. p. 302
Cordi tribuitur ſapientia. S. Anton. fl. 1. n. 14. p. 9
Deus non quærit niſi cor. Aug. fl. 30. n. 11. p. 622
Cor noſtrum aſcendere bonum. Aug. fl. 3. n. 54. p. 117
Cor aliqui quomodo dividant. S. Tho. à V. N. fl. 16. n. 41. p. 334
Cordis diviſio mors animæ eſt. Idem ibid.
Corde ſtat homo. Amb. fl. 16. n. 45. p. 336
Cordis magnitudo. Idem. fl. 20. n. 27. p. 412
Cor noſtrum eſt mare. Greg. M. fl. 21. n. 21. p. 444
Cor magnum habet luxurioſus, ſed inconſtans eſt. Anton. ibid.
Cor ſcaturigo cogitationum. Amb. fl. 22. n. 41. p. 468
Cor eſt ſedes mentis. Nyſſ. fl. 28. n. 13. p. 579
Cor ſapientiæ locus eſt. Chryſoſt. ibid.
Corde corrupto quæ utilitas in corpore cætero? Idem. fl. 30. n. 11. p. 622
Cor eſt conclave ſponſi. Nyſſ. fl. 32. n. 13. p. 657
Cordium emendatio denuntiatur c. 3. Luc. per illud: *Erunt prava in directa.* Greg. M. Indi. Concio. Domi. 4. Adven. 6.
Cor eſt domus noſtra interior. Aug. ibid. Serm. Vigil. Nativit. in princ.
Non in corde abjecto Deus habitat. Amb. ibid. 4.
Cordis habitaculum mundandum, & quomodo exornandum. S. Thom. à V. N. Ibid. 9.
Cor peccatoris ſimile diverſorio. Clem. Alexand. ibid. 6.
Cor adhæret facilè omnibus quæ frequentat. Bern. ibid. Ser. S. Caieta.
Corde nihil ſublimius, vel ſimilius Deo. Hug. fl. 30. n. 11. p. 622

CORONA.

Coronæ olim ſcuta. D. Tho. fl. 10. n. 14. p. 244
Corona ſi non deſcendit ex labore parum laudis habet. Laur. Juſt. fl. 12. n. 7. p. 262
Coronas in Apocalypſi mitti ante thronum quid ſignificet. Bed. fl. 2. n. 30. p. 81
Corona tantò præcellentior quantò plura certamina. Amb. fl. 29. n. 41. p. 615
Vide. Chriſtus Dominus. Crux.

CORRECTIO.

Correctio non miſcenda opprobrio peccantis. Baſil. fl. 13. n. 21. p. 285. Chryſoſt. ibid. n. 22.
Id probat ſpiritualem virum. Aug. ibid. n. 21.
Correctio ſecreta. Chryſoſt. & Aug. fl. 13. n. 22. p. 285
Caſtigare lachrymando. Chryſoſt. ibid.
Correctio publica criminum manifeſtorum. Gregor. M. ibid.
Superbia verborum in corrigente non ſanat infirmum, ſed occidit periclitantem. Hieron. fl. 12. n. 20. p. 271
Corrigenti diſſuadetur ira. Greg. M. fl. 13. n. 17. p. 283
Correptione multi indignantur. Orig. fl. 14. n. 27. p. 300
Diſſimulanda ſunt quæ non poſſunt corrigi ſine culpâ corrigentis. Greg. M. fl. 27. n. 42. p. 574
Correctionis lenitas. Chryſoſt. fl. 33. n. 35. p. 680
Vide Prælat. 9. Reprehenſio.

CORPUS.

Corporis nobis major eſt cura quàm animæ. Chryſoſt. fl. 1. n. 25. p. 13
Corpus vincula. Amb. fl. 3. n. 52. p. 116
Corpus ſignificatur per parietem. 1. Reg. 19. 20. & Cant. 2. Bed. Indi. Concio. Dom. 3. Quadrag. 4.
Corporis infirmitas auget robur ſpiritui. Bern. ibid. Serm. ejuſdem. 1.
Caro eſt primus hoſtis continentiæ. Idem ibid.
Vide Homo.

CREATURA.

Creaturæ ſunt ipſa panpertas. Anſel. fl. 2. n. 28. p. 80. & Aug. fl. 22. n. 43. p. 469
Creaturarum inconſtantia. Tertuil. fl. 6. n. 3. p. 468
Quidquid præter Deum eſt, dulce non eſt. Aug. fl. 22. n. 39. p. 468

CRUX.

Crux fuit cathedra. Aug. fl. 15. n. 15. p. 310
Crux miſerorum ſpes & conſolatio. Dami. fl. 1. n. 75. p. 37
Crux peccata crucifixit. Amb. fl. 3. n. 35. p. 106
Crucis dies vocatur dies Chriſti. Chryſoſt. & Euthy. fl. 3. n. 52. p. 116
Crucem formant aves volantes. Hieron. fl. 5. n. 5. p. 152
Crucis clavi vocantur claves. Bern. fl. 23. n. 20. p. 482
Crucis titulus ſignificat excellentiam regni Chriſti Domini. Amb. fl. 27. n. 40. p. 573
Crux Dominica nobis eſt corona. Chryſoſtom. fl. 29. n. 10. p. 600
Crucis Domini laudes. Raban. ibid. n. 11.
Figurata in brachiis commutatis Jacobi. Iſid. Hiſpal. & Damaſc. ibid. p. 600. & p. 601.
Crucis victoria nulli infirmorum negata. Leo. fl. 29. n. 12. p. 601
Crucis Domini effectus. Damaſc. ibid.
Crux eſt cauſa chriſtianæ ſpei. Leo. fl. ibid. n. 13
Repreſentata in brachiis Joſue ſiſtentis Solem. Amb. ibid. n. 13
Præſignificata in ſycomoro Zachæi. Bed. fl. 29. n. 14. p. 602
Per ſanctam crucem annuntiatur ſalus deſperabundis. S. Nilus. ibid.
Crux vocatur hæreditas. Amb. fl. 31. n. 6. p. 638
Crux ablata à Domino impoſita eſt Cyrenæo. Leo. fl. 31. n. 9. p. 639
Crux eſt in Eccleſia ſicut arbor in navi. Amb. fl. 31. n. 14. p. 641
Crucis epitheta. Caſſiod. ibid. & Damaſc. ibid. n. 15
Crucis potentia contra diabolum. Chryſolog. ibid. n. 14.
Crux figurata in virga Moyſis. Damaſc. ibid. n. 15
Et in brachiis Samſonis. Aug. ibid. n. 16. p. 642

Cruces duorum latronum carebant titulis. Euthy. Theophylact. & Chryſoſt. fl. 32. n. 31. p. 664
Crucem ſuam Dominus quare honoraverit. Chryſoſt. Indi concio. Ser. de bono latrone 2.
Crux patebit die judicij fulgens. Id. fl. 25. n. 9. p. 519
Homo formam crucis habet, & fortè crux ipſe Chriſto Domino eſt. Bern. ibid. ſer. de veſtig. 1.
Crucem quis tolleret niſi Dominus prior tuliſſet. S. Tho. à V. N. ibid. 12.
Crux nobis reddidit paradiſum. Amb. ibid. Ser. Inventi. S. Crucis. in princip.
Quomodo crux tueatur hominem. S. Ephrem. ibid. 2.
Crucem Dominus ſuis amatoribus dulcoravit. ibid. Ser. de Veſtig. Bernard.
Crux accuſatio infidelium die judicij. Euth. fl. 25. n. 9. 519.

CUPIDITAS.

Cupiditas marceſcente fomite non ſubſiſtit. Nazianz. fl. 13. n. 13. p. 281
Cupiditas non ſedatur bonis fortunæ. Senec. fl. 2. n. 2. p. 66
Minuit poſſeſſionem. Idem ibid.
Cupiditates portæ mortis. Aug. fl. 18. n. 9. p. 370
Cupiditas radix malorum. Innocent. fl. 19. n. 25. p. 394
Cupiditatis ignis conſumit omnia bona. Aug. fl. 27. n. 3. p. 556
Cupiditas vehemens ob metum adjunctum incertam habet voluptatem. Plutar. fl. 29. n. 24. p. 606

D.

DALILA.

DAlila figura carnis. Iſid. Hiſpal. fl. 30. n. 23 p. 628

DANIEL.

Daniel doluit & palluit ante interpetrationem ſomnij Nabuchodonoſoris. Hieron. fl. 20. n. 26. p. 411

DAVID.

David quare conſolatus ſuper morte Amnon. Hug. Card. fl. 1. n. 111. p. 54
David ſaltans ante arcam quid ſignificet. Rup. ibid. n. 135. p. 65
David ciſternæ aquam effundens vicit cupiditatem. Amb. fl. 5. n. 42. p. 171
David adulterio & homicidio quomodo fecerit blaſphemare inimicos Domini Hug. Card. fl. 8. n. 32. p. 218
David qualiter amabat filium parvulum. Chryſoſt. fl. 17. n. 29. p. 355
David adulterium non fuit unicum peccatum: & ſimiliter de homicidio. Chryſoſt. fl. 18. n. 36. p. 383
David cælitus cognovit Amalecitam mentitum eſſe dicentem occidiſſe Saulem. Amb. fl. 20. n. 33. p. 415
David volebat addi ſibi timorem Dei. S. Proſp. fl. 25. n. 11.
Cur David flevit Abſalonem. Theodore. fl. 25. n. 21. p. 524.
David quare deprecatus eſt ſecundum magnam miſericordiam. Aug. fl. 27. n. 20. p. 563
David lachrymæ. Hilar. fl. 30. n. 33. p. 632
Davidis oratio contra calumnias. Proſp. ibid.
David dicens pſ. 7. 15. *Concepit dolorem*, &c. explicatur de invidia vel odio. Bellar. fl. 32. n. 32. p. 661
David dicens. pſ. 30. 18. *Muta fiant labia*, &c. exponitur de Achitophele. fl. 32. n. 36. p. 665
Vera teſtimonio nullius egent. Clamat veritas in cordibus ratione utentium, & convincit eos. Laur. Juſt. Indi. Concion. Dom. 5. Quadra. 8.
Veritas eſt vita animæ. Bern. ib. ſer. de Euchariſt. in princ.
Vide Lingua. Mendacium.

VESTIS.

Veſtem exteriorem Chriſti Domini quare milites diviſerunt. Proſp. fl. 29. n. 34. p. 612

VICTORIA.

Victoria ſui maxima eſt. Plato. fl. 4. n. 29. p. 147
Victoria ſine contradictione non eſt integra. Chryſoſto. fl. 8. n. 15. p. 225
Vincere ſe eſt victoriarum prima & optima. Plat. fl. 30. n. 7. p. 620
Victoria ſui deſcribitur. Amb. ib.
Impoſſibile eſt ejus æſtimare virtutem, cujus vinci victoria eſt. Zeno ib. n. 10. p. 622
Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt. Chryſolog. fl. 30. n. 14. p. 623
Bis interimitur qui ſuis armis perit. Senec. ib.
Vide Martyres.

S. VINCENTIUS.

S. Vincentio patiente diabolus magis torquebatur. Auguſt. fl. 30. n. 15. p. 624

VINDICTA.

Vindicta aliquando fatetur peccatum quod negamus. Amb. fl. 21. n. 49. p. 449
Vindicta eſt confeſſio doloris. Senec. fl. 13. n. 12. p. 280
Deus non deſiderat vindictam. Clem. Alex. ib.
Vindictam omittere facit parem Deo. Chryſoſt. ib.
Vide Hoſtis.

VIRGA MOYSIS.

Virga Moyſis verſa in colubrum, quid? Bed. fl. 13. n. 16. p. 283

VIRGINITAS. VIRGINES.

Virginitas eſt vellus. Chryſolog. fl. 21. n. 11. p. 429
Virgines & pœnitentes ſignificati in Apoca. D. Th. fl. 3. n. 36. p. 107

VIRTUS.

Virtus inconſtans non poteſt proficere. Clim. fl. 16. n. 16. p. 323
Virtutis culmen eſt diligere Deum relictis creaturis S. Tho. à V. N. ib. n. 41. p. 334
Vita ſpiritualis quomodo perficiatur in aliquibus Nyſſ. ibid. p. 335
Nihil difficile, Deo comite. Bern. ibid. n. 57. p. 342
Virtutes lilia. Idem fl. 17. n. 17. p. 349
Virtutes velut radiis ſolaribus reddunt animas lucidiſſimas. Phil. Heb. ib. n. 32. p. 356
Anima virtuti dedita ſimilis fonti perenni. Epict. ibidem.
In virtute perfectus quiſnam ſit. Bern. fl. 17. n. 33. p. 356
In virtute facilitas; in vitio labor & ſudor. Chryſoſtom. fl. 12. n. 49. p. 363
Virtus libertas eſt. Amb. ib. n. 52. p. 364
Virtutis magnus fructus communicatione capitur. Tull. fl. 18. n. 13. p. 372
Virtutes hæreditabis à bono magiſto ſpirituali. Baſil. ibid.
Virtus perit exercita ob laudem. Greg. M. fl. 20. n. 11. p. 409
Virtus argento ſignificata. Hug. Card. ibid. n. 28 p. 412
Una ſine aliâ, vel nulla vel minima. Greg. M. ibid. n. 29. p. 413
Virtutis innocentia difficilis inter malos. Amb. ib. n. 40. p. 418
Ex virtute percipitur fœlicitas. Phil. Hebr. fl. 21. n. 21. p. 435
Virtus aſſimilatur theſauro. Chryſoſt. ibid. n. 30. p. 439
Virtutis profectus ſignificatus verbis Geneſ. *Creſcite & multiplicamini.* Auguſt. & Baſil. ibid. n. 36. p. 442
Nihil S. Scriptura vocat bonum niſi honeſtum. Ambro. fl. 22. n. 39. p. 468

Virtute nihil reddit ſapientiores. Chryſ. ib. n. 50. p. 472
Innocentem eſſe inter noxios crimen eſt. Cyp. fl. 23. n. 12. p. 478
Virtus g[e]ſtata parit deſiderium ſui. Bern. ib. n. 32. p. 488
Virtutis color eſt rubor. Demoth. fl. 25. n. 12. p. 521
Virtutis diffinitio. Aug. fl. 1. n 15. p. 9.
Virtutes noſtræ coronant Deum. Hiero. ib. n. 59.
Virtus laudabilior inter malos. Greg. M. fl. 1. n. 92. p. 44
In virtutibus vera bona. Tacit. fl. 4. n. 5. p. 131
Virtus in electis creſcit cum ætate. Hug. Card. ib.
In virtute nolle proficere deficere eſt. Bern. ib. 6.
In virtute ſemper proficiendum. S. Tho. à V. N. fl. 5. n. 12. p. 136. Aug. &. Bern. ib. 13.
Virtus mitis. Phil. Heb. fl. 5. n. 38. p. 169
Virtus eſt ſol. Idem fl. 6. n. 30. p. 188
Virtutes ſunt connexæ. Amb. ibid. Hiero. fl. 12. n. 3. p. 260 Amb. fl. 17. n. 50. p. 363. Climac. ib. n. 51. p. 364. & Macar. fl. 31. n. 2. p. 637
Virtus unicum bonum hominis. Senec. fl. 6. n. 32. p. 189
Sola virtus non eſt ſubjecta fortunæ. Tull. ibid.
Virtutes dicuntur eſſe alienæ ab eo qui exercet illas ob tranſitoriam retributionem. Anſel. fl. 7. n. 7 p. 194
Virtus conſummata tunc incipit. Bern. fl. 9. n. 7. p. 223
Perfecti creſcunt adhuc. Anſel. ib. p. 224
Virtus nolens creſcere increpatur. Idem ib.
Virtutem & ſæculum ſimul ſectari velle ſtultum eſt. S. Tho. à V. N. fl. 11. n. 13. p. 255
Virtute una qui caret, omnibus orbatur. Hiero. fl. 12. n. 3. p. 260
Ad virtutem pigri; & aliquin ſtrenuj ſumus. Aug. ibid.
Virtutem vitio ſæpe miſcemus. Climac. fl. 12. n. 14. p. 267
Virtutis vires. S. Tho. à V. N. fl. 13. n. 18. p. 283
Virtus ducem deſiderat. Senec. fl. 14. n. 13. p. 293
Virtutes proditæ non permanebunt. Chryſolog. fl. 15. n. 22. p. 313
Virtus ſæpe contenta teſtimonio conſcientiæ. Bern. fl. 26. n. 6. p. 534
Innocentia habetur apud quoſdam pro ignavia. Amb. fl. 27. n. 38. p. 571
Virtutis quàm ætatis curſus celerior. Tull. fl. 28. n. 3. p. 576
Virtutes ſunt veſtes noſtræ. Bern. ib. n. 11. p. 579
Virtus mater gloriæ & gradus ad illam. Bernard. fl. 28. n. 28. p. 586
Virtus eſt candida; peccata nigra. Bernard. fl. 30. n. 3 p. 618
Virtutem quaſi ferream dicentes non audiendi ſunt Tull. ibid.
Virtutis nomen dirivatur à viro. Idem & Lactan. Firm. fl. 30. n. 4. p. 618
Virtutes ſunt maſculæ. Amb. ib.
Virtutis via regia. Bern. fl. 30. n. 4. p. 619
Per viam virtutis currit qui exoneratus & accinctus. Idem ibid.
Virtus & ſapientia quomodo ſe mutuò juvent. Ber. fl. 32. n. 1. p. 654
In virtute lætandum, & quare. Athan. fl. 30. n. 29. p. 630
Cum virtutes per uſum vertuntur in naturam, tunc verè ſanari dicimur. Orig. fl. 30. n. 30. p. 631
Virtutis via eſt ardua deſidioſis: & quare vocetur leve onus. Chryſoſt. ib.
Virtutis via arcta videtur cum cœperis ingredi; non poſtea. Bed. ibid.
In virtute quidquid ante finem fuerit gradus eſt; non terminus. Cyp. ib. n. 31.
Integritas animæ ſervanda, quaſi hæc conſtaret partibus. Hiero. fl. 30. n. 38. p. 634
In virtute aut aſcenditur, aut deſcenditur. Bern. ibid. n. 39
Non eſt animus in recto cujus acta diſcordant. Senec. fl. 31. n. 2. p. 637
Virtus non tota ſimul. creſcit. Ambr. fl. 32. n. 40. p. 667
Nemo infima deſerens fit repentè ſummus. Greg. M. fl. 32. n. 41. p. 667
Virtus eſt cognata ſapientiæ. Bern. ib. n. 42.
Virtutes pertinent ad novam vitam; vitia ad veterem. Greg. M. Indi. Concio. fer. ſexta. 3. Quadra. 2.
Virtutis profectus in tenera ætate deſcribitur. Orig. ib. 9.
Virtutes vocantur pennæ. Bed. Indi. Concio. ſer. de S. Joann. Evang. in princ.
Virtus non quærit gloriam mundi. Chryſolog. ib. ſer. S. Mauri 1.
Contemplationi debet ſervire vita activa. Anton. Indi. Concio. ſer. de ipſo. 6.
Vide Bona ſpiritualia. Iuſtus. Opera. Sanctus. Vita.

VITA.

Vitam ſine gemitu tranſigere impoſſibile. Greg. M. fl. 18. n. 6. p. 368
Vitæ ſpatium quale. Deus nobis concedet non meditamur. Baſil. fl. 19. n. 19. p. 392
Quotidie morimur, & credimus nos æternos. Hieron. ibid.
Vita noſtra eſt diaria. Nyſſ. fl. 20. n. 9. p. 403
Vitæ noſtrum eſt ſolum præſens tempus. Idem ib.
Hoc tempus quo loquimur ſpectat ad mortem. Hiero. fl. 20. n. 12. p. 404
Vitæ labores telæ aranearum. Idem ib. p. 405
Vitam non agnoſcere provenit ab ſpe vivendi. Aug. ibid.
Vitam nimis amans non poteſt colere virtutem. Tul. ib. n. 14.
Vitæ varietas indiget gubernatore valde ſagaci. Baſil. fl. 20. n. 52. p. 424
Vivimus tantùm illo tempore quo innocentiam & humilitatem ſervamus. Greg. M. fl. 21. n. 42. p. 446
Vita noſtra dicitur tentatio. Aug. fl. 23. n. 4. p. 474
Vita figuras, non res habet. Theodore. ib. n. 6. p. 475
Vitæ amor quomodo ſalubriter vertatur in tædium Greg. M. fl. 23. n. 29. p. 486
Singuli dies ſunt ſingulæ vitæ. Senec. fl. 24. n. 35. p. 513
Vita fallax eſt: modò ſe brevem cauſatur; modo ſimulat longiorem. Bern. ibid.
Vita eſt fumus, ſomnus, & umbra. Iſid. Pelus. ibid. n. 35. p. 513
Vita eſt mutuum. Tertull. fl. 25. n. 17. p. 522
Vita ſit velut ſtabulum; non domus. Aug. ibid. p. 523
Morimur ex quo cœpimus eſſe in corpore. Idem ibid. n. 18.
Vita longa, vel parca, tantundem eſt veniente fine Hiero. ib. n. 19.
Vita perditur in verbis. Bern. fl. 1. n. 107. p. 57
Vita nihil habet quo delecter. Amb. ibid. n. 110. p. 53

Vita poſt dilecti mortem amarior obitu. Ber. ibid. n. 118. p. 57
Vita dicenda eſt mors. Pius Pontif. fl. 2. n. 41. p. 86
Simul incipimus vivere ac mori. Senec. ib.
Sola æterna eſt vita. Chryſolog. ibid. n. 41. p. 87
Vivere militare eſt. Senec. fl. 3. n. 32. p. 104
In vita non ceſſat conflictus. S. Tho. à V. N. ibid.
Vitæ inconſtantia. Theodore. fl. 4. n. 27. p. 145
Aug. fl. 5. n. 4. p. 151
Vita ubi ſit vera ignoramus. Hiero. fl. 6. n. 3. p. 174
Vita periculoſior quando incauta. Petrar. fl. 6. n. 24. p. 186
Vitam fecimus brevem. Senec. ib. n. 26.
Vita noſtra vita non eſt. Amb. fl. 6. n. 27. p. 187. & Aug. ibid. n. 28.
Initium vitæ exordium eſt mortis. Amb. ibid.
Parum eſt quidquid finitur. Greg. M. fl. 25. n. 19. p. 523
Si plus vivere non poſſum, hæc eſt mea ſenectus. Senec. ibid.
Vitam conſummare pulchrum eſt. Idem. ibid. n. 20. p. 524
Qui quaſi non vivit in oculis propriis, veraciter vivit in oculis Dei. Greg. M. fl. 25. n. 24. p. 525
Vita tentatio continuata. Aug. ib. n. 26. p. 526
Vitam ſibi promittere longiorem valde fallit homines. Hiero. fl. 27. n. 35. p. 575
Vitam longam promiſit Deus obedientibus ſibi. Theodore. fl. 28. n. 5. p. 576
Non vivitur utiliter niſi ad merendum. Aug. ib. n. 6. p. 577
Vivendum ſibi eſſe amplius putans non ſe corrigit, quamvis Deum timeat. Multis, cum dicunt: Cras, oſtium clauditur. Aug. ib. n. 17. p. 581
Vitam cogimur tolerare quæ vocatur tentatio. Bed. ibid. n. 28. p. 586
Vitam ſancti nihil eſſe conſpiciunt cum æternitatem meditantur. Greg. M. ib. n. 33. p. 589
Vita ſomnium, ſi comparetur cum futura: imò infinitò minus. Chryſoſt. ibid.
Vita brevis eſt ut elati de ſua proſperitate diutius non gaudeant; & inglorij ſuæ dejectionis incommmodum feſtinanter evadant. Dami. ibid.
Vita dicitur præcipitis fati à Nyſſeno. ibid.
Vivere noſtrum eſt mori. Vincen. Ferrar. fl. 28. n. 35
Propter vitam ingemiſce; non propter mortem. Chryſoſt. ibid.
In vita plùs eſt amaritudinis quàm voluptatis. Amb. fl. 28. n. 83. p. 590
Vitam reputat calamitatem qui vitam deſiderat incorpoream. Nyſſ. fl. 28. n. 37. p. 591
Non ſibi vivit qui nemini. Senec. ib. n. 38.
Vita in deliciis eſt mors. Bern. fl. 28. n. 40. p. 592
Quidam non vivunt; ſed victuri ſunt. Senec. ibid. n. 41.
Vita perit augmento ſuo. Iſid. Hiſpal. ibid. n. 44. p. 594
Vita Ezechiæ ſignificata in retrogreſſu facto in horologio Achaz. Hiero. ibid.
Vita decreſcit cum creſcimus. Senec. ibid.
Vita præſens nox eſt. Greg. M. ibid. n. 45.
Reſpectu futuri ſæculi vivimus in umbra. Bernard. ibidem.
Vita noſtra mors eſt. Baſil. ib. n. 46.
Humanum genus eſt morte damnatum. Senec. ibid.
Solum in futuro ſæculo vivit anima. Amb. ib. n. 47. p. 595
Vita ludus. Chryſoſt fl. 29. n. 20. p. 604
Vita fortunato brevis; infortunato longa Apollon fl. 31. n. 38. p. 651
Vitæ non adjicitur tempus ut maneat. Amb. ibid. n. 41. p. 653
Vita dicitur rota. Bed. ibid.
Vita quare nobis data brevis. Ambr. fl. 32. n. 4. p. 654
Vita non quieſcit. Nyſſ. Indi. Concio. fer. ſexta. 3. Quadra. 2.
Vide Mors. Tempus.

VITIS.

Vitis genimen in regno Dei, quid? Bern. Paſchaſ. & Theophylact. fl. 3. n. 49. p. 115

VITIUM.

Vitium eſt invidum, amarum, malignum. Phil. Hebræ. fl. 5. n. 38. p. 169
Vitia quomodo impetant juſtum ut tuere faciant. Hiero. fl. 24. n. 20. p. 507
Vide Peccator. Peccatum.

UNIO.

Ex unione permanentia. Boët. fl. 6. n. 14. p. 181
Unionis perfectio. Bern. ib. n. 17. p. 182
Vide Concordia. Pax.

VITULUS.

Vituli aurei caput. quid? Aug. fl. 16. n. 11. p. 537

VOLUNTAS.

Voluntate propria proſtratus eſt homo. Laur. Juſt. fl. 16. n. 37. p. 332
Voluntas propria virtutes facit non acceptas Deo. Bern. ib. n. 39. p. 334
An nec ſemper velle debemus quod Deus vult? Anſelm. ib. n. 40.
Voluntas propria vocatur lepra. Bern. fl. 18. n. 18. p. 374
Voluntas propria ſugillatur. Idem. ib. n. 19. p. 375 & fl. 9. n. 1. p. 221. & Lauren. Juſt. fl. 16. n. 37. p. 333
Peccati cauſa non eſt caro ſed voluntas. Ambr. fl. 32. n. 7. p. 655
Voluntatis propriæ damna Laur. Juſt. ibid. n. 19. p. 559

VOLUPTAS.

Voluptas hoſtis credulis eſt Rup. fl. 18. n. 10. p. 370
Voluptas præfertur multis mortibus. Chryſoſt. ibid. n. 10. p. 371
In voluptate dignior noſtra pars obtemperat, & abjectiſſima imperat. Chryſoſtom. fl. 24. n. 20. p. 504
Voluptates vocantur latrones. Senec. ib.
Voluptatibus ſerviens habet familiaritatem cum dæmonibus. Chryſoſt. ib. n. 21.
Voluptas Deo non placet. Chryſoſt. ibid. n. 24. p. 509
Voluptates lachrymis plenas concupiſcimus. Greg. M. fl. 3. n. 24. p. 99
Voluptas volat. Petrar. fl. 5. n. 41. p. 170
Voluptas flagellat. Laur. Juſt. fl. 12. n. 9. p. 264
Voluptatem liquidam non guſtat animus à ſe diſcordans. Tull. fl. 16. n. 2. p. 316
Voluptatibus diffluens indignus virili nomine. Rup. fl. 27. n. 24. p. 565
Voluptas hodie flos, cras pulvis. Chryſoſt. fl. 29. n. 35. p. 612
Voluptas hoſtis perniciosiſſimus. Laur. Juſt. Indi. Concio. ſer. in jubilæo. 40. horarum. 4.
Voluptas ſignificata per pluvias. Hilar. ib. fer. quarta 6. Quadra. 6.

VULGUS.

Vulgi approbatio vexat. Chryſoſt. fl. 29. n. 38. p. 613

Vulgi ſcita magnâ ex parte ſapientes abrogant. Senec. fl. 31. n. 19. p. 643

Vide Laudes. Concionator.

Z

ZACHARIAS.

ZAcharias quid ſignificet. Iſid. Hiſpal. Indi. Concio ſer. Vigil. Baptiſ. 7.

ZACHÆUS.

Zachæi domeſtici pœnituerunt exemplo illius. Dyoni. Carth. fl. 7. n. 11. p. 196

Zachæum ad quid Chriſtus Dominus hortatus fuerit deſcendere. Chryſolog. fl. 23. n. 42. p. 493

Zachæi ſycomorus deſignat Crucem. Bed. fl. 29. n. 14. p. 602

ZEBEDÆUS.

Zebedæi filiorũ petitio qualis? Chryſ. fl. 1. n. 18. p. 11

Horum fides. Euthym. fl. 8. n. 8.

Zebedæi filiis verba quædam protulit Dominus ut cæteros Apoſtolos caſtigaret. S. Cæſar. fl. 26. n. 17. p. 538

Zebedæi filii nihil ſpirituale petierunt per matrem. c. 20. Matth. Indi. Concio. fer. quarta 3. Quadra. 1.

In prædicta petitione, error petendi ſiniſtram. Idem. ib. 8.

Illos Chriſti nomine vocavit ſuperbos Remig. ibid. n. 10.

Zebedæi filij c. 20. Matth. petebant quod illis erat pernicioſum. Laur. Juſt. Indi. Concio. ſer. S. Jacobi majoris. 3.

Eos Dominus exaudiret iratus, ſi tradidiſſet quod tunc petierunt. Idem ib.

ZELUS.

Zelus animarum eſt maximum Deo ſacrificium. Greg. M. Indi. Concio. ſer. S. Catharinæ. 2.



ALPHABETICA TABVLA SENTENTIARVM,

S. PAGINÆ TESTIMONIO LVCEM ACCIPIENTIVM.

A

Abſentia.

VT ſuam ſtabilitatem probet amor, oportet quod oſtendat poſſe dolorem ſuſtinere, quin à præſentia dilecti mitigetur. fl. 1. n. 114. p. 55

Dilecti pars ſi deſit, ſufficit ad angorem; ſi pars tantum adſit, non ſatis ad ſolatium. ibid. n. 117. p. 56

Amans præfert contemptui dolorem abſentiæ. ibid. n. 121. p. 58

Amans præfert ingratitudini tormentum abſentiæ. ibid. 122.

Abſentiæ dies computat velut annos. ibid. n. 123. p. 59

Abſentis deſiderium junctum ſpei reſtaurandi præſentiam plùs torquet. ibid. n. 124. & n. 126. p. 60

Abſentem quæris cominus qui amat & abeſt, vix credens non abeſſe. ibid. n. 129. p. 61

Abſentis deſiderium de videndo dilecto plus angit quàm alius dolor. ibid. n. 131. p. 62

Abſentium deſiderium conveniens non eſt quærere doloris levamen. Indice Concion. ſer. d. ſolitud. B. Mariæ. n. 11.

Vide Amans. Gaudium. Spes.

Acedia.

Vide Deſidia.

Adoleſcentia.

Adoleſcentia propiùs accedit funeri. fl. 6. n. 24. p. 186

Adoleſcentibus ſeniores vix dicendi poteſtatem faciunt, niſi poſt erratum proprium. fl. 15. n. 7. p. 306

Inſtabilitas ætatis floridæ movet ejus complacentiam. fl. 6. n. 25. p. 186

Adoleſcentia, ſi bene utaris, longiſſima eſt. ibid. n. 26.

Vide Mors. Tempus. Vita.

Adorari.

Ocyus peribit cui contigit adorari. fl. 26. n. 11. p. 536

Throni majeſtatis humanæ citò diſſipantur. ibid. n. 13. p. 537

Idola quædam non agnoſcuntur niſi poſtquam deſtructa. fl. 24. n. 33. p. 513

Vide Fœlicitas. Potens. ſuperbia.

Adverſitas.

Adverſa noſtra ſunt, læta velut aliena. fl. 1. n. 26. p. 14.

Plùs patitur qui malo ſuo conformiorem exhibet ſe. fl. 16. n. 29. p. 329

Minus acerbum eſt ab hoſte lædi, quàm à dilecto vulnerari. ibid. n. 30.

Adverſitas properat. fl. 5. n. 6. p. 152

Diutina durior morte. fl. 3. n. 25. p. 99

Bis miſer eſt qui videt quod patitur. fl. 14. n. 15. p. 294

Adverſitates dona Dei ſunt fl. 18. n. 3. p. 381

Eas eripi ſibi nollet juſtus. fl. 18. n. 34. p. 382

Eis gaudere hyperbole amoris eſt. fl. 23. n. 27. p. 485

Hoc eſt dilectionis victoria. fl. 23. n. 28. p. 486

Peculiariter angitur patientia per id quod amaverat antea; nunc execratur. ibid. n. 29.

Duriſſimum eſt malis angi, nec eorum emolumenta lucrari. ibid. n. 30. p. 487

Adverſitatibus gaudet qui per eas facit alieno amori ſatis. fl. 23. n. 37. p. 490

Illis torquetur ampliùs qui poſt fœlicitatem patitur. ibid. n. 52. p. 497. & fl. 28. n. 24. p. 584

Adverſitatibus eligendis non datur optio fl. 30. n. 6. p. 619

Adverſitatem fert ille quem Deus præparat ſorti. fl. 31. n. 5. p. 637

Adverſitates quærere mirum virtutis opus. ibid. n. 7. p. 639

Adverſitatis tantùm tempore ſe Deo committens indignus eſt divino reſponſo. fl. 5. n. 34. p. 167

Adverſitatibus preſſus collocatur in manuum Divinarum palmis. fl. 8. n. 1. p. 206

Vide Fœlicitas. Infœlicitas. Malum. Patientia Tormentum. Tribulatio. Triſtitia.

Adulatio. Adulator.

Adulatoribus obſeſſus in ſolitudine moratur. fl. 5. n. 19. p. 159

Adulator crimina laudans graviùs peccat exequente. fl. 8. n. 9. p. 211

Eligit in potente laudandum crimen potiùs quàm virtutem. ibid. n. 10. p. 212

Adulationis ingenium ſervile placito ligatur alieno. fl. 11. n. 10. p. 253

Ejus duellum dirius quam odij pugna. ibid. n. 11. p. 254

Qui ab adulatore fallitur miſerior eſt, quàm ſi prematur ab hoſte. fl. 26. n. 9. p. 535

Adulator fallit ſolos dormientes. fl. 32. n. 43. p. 668

Adulabitur etiam diligens, ſi pendeat ab amato. fl. 33. n. 22. p. 676

Adulatio ſumit colorem gratitudinis. ibid. n. 23. p. 677

Adulator frænabitur difficilè ne mentiatur. ibid. n. 24.

Magnifit à multis. ibid. n. 25.

Adulatoris lingua ſerpentina eſt, quæ tuam humilitatem pervertere vult. ibid. n. 27. p. 678

Tabula ſententiarum.

Adulator loquitur verbis alienis. ib.n.33.p.680
Adulatio parvipendenda illius qui adorat ut comedat. fl. 2. n. 12. p. 72
Coram principe non ita ſe geret amans, quòd plùs ultra non præcucurriſſe videatur adulator. fl. 5. n. 23. p.161
Coram principe confidenter accedit adulatio. ibid. n. 24. p. 162
Is quo eges videtur angelus tibi licet ſit ferinus. fl.15. n.25.p.314
Famæ plauſu celebris auditur, laudatur; ignotus verò, quamvis multùm ſapiens deſpicitur. fl.15. n.8. p.306
Qui placet potentibus habetur ſanctus.fl.33.n.26. p. 678
Adulationem declinare non omnium res eſt. fl. 8. n. 6. p. 210
Vide Laus. Peccator.

Afflictio.

Vide adverſitas fœlicitas.Infœlicitas. Tormentum. Tribulatio. Triſtitia. Malum.

Aliena.

Aliena tunc placent quando à nobis profecta fuiſſe novimus. fl. 1. n. 20 p.11
Aliena ambiens exponit periculo propria.fl.23.n.8. p. 476
Aliena bona plùs arrident. ibid.n.9.
Aliena faciliùs perſpicimus. fl.29. n.45.p. 617

Amans.

Amantis eſt dilecti crimina velut ignorare. fl. 1. n. 21. p. 12
Amans eximiè non poſſidet, habetur. ib. n. 27
Oculorum acie ſapientiſſimum præcellit. fl.9.n.20. p. 230
Offenſam operit. fl. 13. n.9.p.278
Putat ſe remiſsè diligere. Indi. Concion. ſer. S. Joann. Evang. n. 10.
Invenit in ipſa injuria quo ſe devictum fateatur. fl. 13. n. 10.p. 279
Amanti quandoque præfert ingratos. ibid.n.11.
Simul reprehendit & excuſat. ibid.n.19. p.284
Dilecti defectum ſcit velut neſciens. ib.n 21. p.285
Benefacit non expectato lucro. fl.23. n.37.
Dolorem dilecti reputat proprium. fl. 23. n. 52. p. 498
Aptiora ſunt ut altiſſima noverint amantia corda quàm ingenia peracuta. fl.24.n.38.p.514
Vehementiùs diligens vertit in gaudia dolores. fl. 29.n.18. p. 603. fl. 3.n.71.p.126
Amans fert acerbè quòd percutiatur amor. fl. 1. n. 11. p. 7.
Vitam propriam execratur potiùs quàm dilecti mortem, cum de iſta dolet. ibid. n. 110.p. 53
Eò plus angitur quò minus temporis diſtat ut intueatur dilectum. Indi. Concio. ſer. de ſolitud. B. Mariæ n. 2.
Amanti non eſt conveniens quærere levamen dolori abſentiæ. ib. n. 11.
Si commodis propriis animum videris inhiare, dilectione carere judicabis prudenter. fl.2. n.8. p. 70
Vehementer amans ſocios in ploranda morte dilecti non deſiderat. fl.1. n. 112.p.54
Amans ut ſuam probet conſtantiam,oportet oſtendat poſſe dolorem ſuſtinere quin præſentia dilecti mitigetur. ibid.n.114.p.55
Amantem ferit atrociùs aliena mors quàm ſua. ibid. n. 118. p. 57
Amans plus feritur malis quò magis voluntariè patitur. ibid.n.127. p.60
Præ cæteris doloribus recuſat eum qui de meditatione dilecti promanat, dum patitur iſte. ibid. n. 130. p. 62
Amans nihil ex unione lucretur. fl.2. n.9. p. 70
Amantis ſola munera vera dona ſunt. ibid. n. 11. p. 71
Amans adjicit ſecuritatem donis ſuis. fl. 1. n. 30. p. 16.
Amat ardentiùs qui non ex debito, ſed ultro. ibid.n.9.p.24
Amantis conſtantia. fl.16.n.46. p.337
Vide Abſentia. Adverſitas. Amor in communi. Amicus. Amor erga Deum. Amor proximi.Deſiderium.

AMBITIO.

Ambitioſus pluris facit minimum ſi deſit, quàm magna quibus abundat. fl. 5. n. 39. p. 169
Fundamenti non memor nimiam cupit altitudinem fl. 6. n. 14.
Ambitionis vento rotari quàm periculoſum. fl.26. n. 17. p. 539
Ambitio gloriolæ ſuperbum cogit ad hoc ipſum quo tyrannis miſeros opprimit. fl. 26. n. 18. p. 540
Ambiens aliena exponit periculo propria. fl. 23. n. 8. p. 476
Vide Fœlicitas.

AMICUS.

Ab eo qui te dilexerat olim contemni tormentum eſt non vulgare. fl. 8.n.7.p. 210
Quem numerabat quondam inter amicos, nunc hoſtem experiri pavebit fortiſſimus. ibid. n. 8.
Amicus ſimulatus deterior hoſtibus manifeſtis. fl.11. n. 4. p.251
Amicum non eligat ſolus amor; ſed comite ſapientia. ibid. n. 5.
Amicorum ſoli uni permitte quòd manum in tuum pectus mittat; ſed non ideo ſecuriſſima fidelitas ejus. fl. 11. n.19.p.257
Senſim procede in ſecretis amico detegendis. fl.33. n. 9. p. 671
Vix fieri poteſt ut amico pectus claudas.fl.33.n.20. p. 675
Amicis dona largiùs dum egent, quàm dum ſors arridet. fl. 12. n. 12.p. 265
Non ita moris eſt. ibid. n.13.p.266
Amici fidi pauperes. fl. 22. n. 37. p. 466
Ab eo quem amicum putabas lædi valde torquet. fl. 11. n. 6. p. 251
Qui ſimulans amicitiam te lædit, plùs offendit patientiam. fl. 11. n. 8. p. 252
Grandius eſt malum quòd pectore latet. fl. 12. n. 25. p.273
Amicum qui neſcivit & hoſtem putabat, fleat. fl. 18. n. 23. p. 377
Hoſtem experiri quem protectorem habueras acerbum eſt. fl. 22. n.40.p.468
Quidam cum indigent, ſe domi tuæ introducunt; poſtea ſi eis egeas, foris te manere facient.fl.29. n. 31. p.610.
Falsò exiſtimata utilitas docebit velut angelum habere illum cujus opera uteris; ejus autem & vera, & putata, miſeria reperiet contemptum. fl. 29. n.32. p.610
Qui tibi ſocium ſe junxit ſuo ductus emolumento, terga dabit durante adhuc ſpe lucri. fl. 29.n.33. p. 611
Dum à te expectat, vel cæcus genus nomenque tuum agnoſcet; aliter, bene oculatus nomen etiam ignorabit. fl. 23. n. 15. p.479

quæ firmantur ex Pagina S.

Amici quidam aptiores ad calumniam. fl.32. n. 29. p. 663
Amici ut ſolentur tacent ; ut calumnientur, vix continere ſe valent. ibid. n. 30.
Amicus quaſi cor tuum. fl. 33. n. 20.p.675
Cui amicus aufertur, nimis feritur. ib.n.30.
Amicis improbis potiri ſupplicium Dei eſt. fl. 2. n. 25. p. 78
Amicus nequam plùs nocet hoſte. ibid. n.26.p.76
Amicum vix aliquis exhibet ſe mortuis. ib. n.27.
Ab amicis deſeri graviùs eſt quam ab hoſtibus impeti. fl. 4.n.11. p.135
Niſi quandoque diſcordent qui eâdem incedunt amicabilier viâ, veteor ne parum proficiant. fl.6. n. 17. p.182
Malæ concordiæ partus ſolet eſſe grave ſcelus. fl.6. n. 18. p. 183
Amici jacturam lugeat is, quem eam ſolam deflere, non verò perdita lucra lamentari credamus. fl.11.n.15. p.255
Vide Adverſitas. Amans. Amor in communi. Amor proximi. Hoſtis. Spes.

Amor in communi.

Amorem oſtendit qui donat quin poſtuletur. Indi. Concio. ſer. in Feſ. Pent. n. 6.
Pejus eſt amari ab improbo, quàm odio haberi. fl. 8. n. 28. p. 220
Odium fructus amoris, quàm ſævum. ibid. n. 27.
Amoris propoſitum exequi ductu obedientiæ, humilitatis apex eſt. fl. 9. n.6.p.223
Amoris compendioſum eſt magiſterium. fl.1. n. 13. p. 8.
Quod non amatur, neſcitur. fl.9.n.19.p.230
Amor perſpicax eſt. ibid.n. 20. fl. 24.n.38.p.514
Amoris conſtantia. fl.16.n.46. p. 337
Amor ſe abdens quia dilecto congruit, eluceſcit. Indic. concion. ſer. d. S. Joan. Evan.n. 9.
Amor ſtrenuitate audacior. fl. 31.n. 8.p.639
Ad ſanguinem non deſideratur ferrum, ſi viget amor. fl. 1. n. 106. p.51
Dirum vulnus eſt cujus in motivo complacere jubet amor. fl. 1 n 111.p.54
Amor erga immortalem agit munera mortis. fl. 1. n. 119. p. 57
Occidit ſæpe vitam eandem ibid. n. 120
Vide Adverſitas. Amicus. Amor proximi. Amor Dei. Odium.

Amor divinus.

Vide Deus. Euchariſtiæ liberalitas. Lachrymæ.

Amor erga Deum.

Amor Dei ſit indiviſus. fl. 16.n.41.p.334
In amore Dei ex eo quòd erit judicatur quid ſit. ibid.n. 45
Amoris donaria gratiora Deo quàm poteſtatis largitio. fl.23. n. 43.p. 493
Amans Deum conatur amorem quo diligitur à Domino ſuperare. fl.30.n. 8. p. 620
Amans Deum quanti faciat quòd verus amator Dei exiſtimetur. fl. 3.n.67.p. 124
Vide Euchariſtiæ amor. Juſtus. Lachrymæ Pœnitens.

Amor erga Sanctos.

Vide Sanctus

Amor inimicorum.

Vide Hoſtis. Patiens. Vindicta.

Amor proprius

Amore proprio fœdatur quandoque is qui timoratus videtur. fl. 28. n. 9. p.577
Amor proprius tectus ſpecie virtutis pejora docet quàm diabolus. ibid.n.10. p.578
Vide Aliena.

Amor proximi Amor humanus.

Amor humanus in odium vertitur facile, non econtra. fl. 13.n.13.p. 281
Ita cæcus eſt ut aliquando lædat amatum, ſibique paret injuriam ab eodem accipiendam. ibid. n.14.
Amoris eximium opus eſt id conferre donum quod ſcis rejiciendum. fl.32.n.12.p.612
Excelſius dilectionis opus eſt quod tegitur velo putatæ utilitatis proptiæ. fl. 1. n. 4. p. 3
Dirum vulnus eſt cujus in motivo complacere jubet amor. fl.1.n.111. p. 54.
Vide Amans. Amor in communi. Charitas.

Anima.

Animam in cœlum introducere munus eſt excelſum. fl. 22.n.24. p.461
Anima non admitteret ſenſus in conſortium bonorum cæleſtium, ſi poſſent illi eis frui. fl.23. n.34. p. 489
Animæ ſalutem ut conſequaris, utere mediis communibus ; ne ſingularia quæras. fl. 24. n. 18. p. 505
Quod in negotiis animæ totum Deo relinquas, valde commovet divinam patientiam. ibid.n.17.
Animam à perditionis via retrahere difficilius eſt, quàm ad virtutes promovere. fl.9. n. 24. p.232
Animam unicam reducere conari, majoris meriti res dicenda, quàm plures juſtos ad veritatem roborare. ib.n.19.p.230
Animæ peccatoꝛ minus curat remedium, quàm vitæ incolumitatem. fl.28. n. 47. p. 594
Animæ ſuæ malum neſciens compaſſione dignior. fl. 32. n.26. p. 662
Animæ bona poſtremo loco poſtulare ſolemus. fl. 17. n.11. p. 346
Animæ bona vix fieri poteſt ut juſtus non communicet vel ut communicata non augeat. fl. 17. n. 33. p. 356
Vide Concionator. Juſtus. Peccator.

Sanctus Antonius Olyſſip.

Vide fl. 21. à n. 30. p. 439

Appetitus.

Vide Bona temporalia. Deſiderium.

Aſtutia

Non parit veram ſapientiam. fl.22.n. 50.p.472
Eſt duplicata ſtultitia. fl. 10.n. 21. p.247
Fere defectus eſt intellectus. fl. 30. n. 21.p.627
Aſtutias mundi timebis quandiu non agnoveris. fl. 19. n.34. p. 398
Eis non ſeduci grande munus Dei extat. fl.4. n.17. p. 139
Aſtutia odij eſt remunerando fallere. fl. 17. n. 16. p. 348
Vel ſapientiſſimo curandum ne decipiatur aſtu. fl.24. n. 41. p. 515
Aſtutus mentitur quandoque tacendo. fl. 19. n. 37. p. 299

Avaritia.

Avaro præpoſterè ſuccedunt induſtriæ. fl.4. n. 3. p. 129
Aurum ſi adoretur, pulvis eſt. fl. 2. n. 3. p.67
Amplius conturbat habendi amor, quàm timor amittendi. ibid. n.38. p. 84
Divitiæ quàm charæ mortalibus. fl. 16.n.47. p. 337
Poſſident habentem avarum : qui ſe redimet expendens recte. ibid. n. 49.p. 338
Propria diſcrimini exponit ambiens aliena. fl. 23. n. 8. p. 476
Divitiarum commodis animum ſi credideris inhiare vacuum dilectione judicabis. fl. 2. n. 8. p.70

Tabula ſententiarum

Vide Dives, Eleemoſyna. Homo. Mundus.

Audacia. Audax.

Audax apud ſæculum ſolus habetur is qui ad ſcelus audet. fl. 21. n.39. p. 445

Audemus ad majora ; minoribus cedimus. fl. 5. n. 8. p.153.

Audemus ad vera diſcrimina , pavemus putata. fl. 10. n. 9.p.242

Metuenda cupimus ; timemus deſideranda. fl. 29. n. 4. p. 597

Audaciæ prudentis defectu quandoque læditur Deus. fl.30. n.25. p.628

Audaciam tribuit conſcientia recta. fl. 30. n. 32. p. 631

Vide Timor.

Auditores. Auditus.

Auditus fallit nos plùs quàm mendaces. fl.19.n.21. p. 392

Audiens detractorem loquitur male. ib.n. 40. p.400

Audiendo detractorem lædis offenſum amariùs quàm ipſe. ibid.n.41.

Aures claude ne pateant fraudibus. ib.n. 22. p.392

Pro diverſa diſpoſitione audientium ſonat vox è cœlo veniens una multis. fl.25. n.7.p.518

Auditorum laudes quare non curandæ ſint à concionatore. fl.18. n.26.p.378

Auditores putant intelligere quod neſciunt. ibid.

Auditores ne præſcribant concioni breviſſimos terminos. fl. 20.n. 47. p.421

Quod arriſit palato excipitur encomiis ; quod diſplicuit ſibillatur injuriis. fl. 8. n 4. p.209

Vide Fraus.Lingua. Laudator.

Aulicus.

Coram rege ſapientem ſe oſtendat qui nihil habet cujus timeat jacturam. fl.15. n.5.p.304

Vera dicere potenti plùs eſt quàm patrare mirabilia. fl. 33. n.17.p. 674

Balbutit ſciens dum coram potente verum libere loqui oportet. fl.19.n. 11.p.387

Facilius eſt principem falſa contumelia ferire quàm veritatem ei objicere nudam. ib. n.12. p.388

Perfectus vir aulam frequentans cavet ſibi ne lucri ductus amore veritatem adulteret. ibid. n. 13.

Veritatem aperire timorem movet dicturo. fl. 27. n. 5.p.556

Vide Dives. Veritas.

B

Bachanalia.

TEmpore quo Deus vocat homines ad pœnitentiam , illi currunt ad ſcelus. fl. 24. n. 23. p. 508

Voluptuoſus dies aptior ſceleri. ibid. n. 24. p. 509

Voluptas excæcat. ib. n. 25.

Gaudere per errorem miſerum eſt. fl.17. n.31.p.355

Gaudia peccatorum oportet credas eſſe ululatus , ne illis aſſociari velis. ib. n.20.p.507

Augetur peccatum per hoc quòd illud gaudio celebretur à peccante. ib. n.22.p. 508

Gaudium de temporaneis imperfectum. ibid. n. 36. p. 514

Vide Gaudium. Lætitia. Voluptas.

Benefacere Beneficium.

Beneficium aliquando tribuendum ſic ut accipienti appareat minus quàm ſit. fl. 4. n. 31. p. 148

Non ab omnibus accipiendum. fl.12.n.15.p. 267

Beneficij facile ; injuriæ numquam obliviſcimur. fl.13. n. 5.p.276

Beneficium à te ſibi collatum juſtus reputat ſi ejus doctrinam ſpiritui aptam non recuſes. fl. 17. n.35.p.357

Beneficium Dei tunc ignoramus quando clariùs nobis objicitur oculis. ibid. n. 41. p. 359

Illud ignorare valet idem ac eo carere. ibid. n. 42. p. 360

Id non tam facilè agnoſcimus ſicut flagellum.ibid. n. 43

Illud obliviſci perinde eſt ac non intelligere.fl. 17. n. 44. p. 361

Beneficium ſine lucro divinum pene opus eſt.fl.18. n. 15. p. 373

Beneficium Dei non videtur adhuc quod non apparet ſecurum. fl.29.n. 20. p.604

Beneficium Dei quietem non turbat humanam. ib. n. 22. p. 605

Benefacere non valenti rogare , beneficentiæ non modica exaggeratio eſt. fl. 1. n. 35. p 18

Beneficentiæ laus eſt quòd accipiens beneficium non emat labore. fl.3.n.68.p.124

Beneficii plauſum vult beneficus alteri tribui. ibid. n. 69

Beneficium nolle quàm torqueat liberalem. fl. 12. n. 8. p. 263

Beneficium Dei quandoque negat qui ſe fatetur homini debitorem. ibid.n.11.p.205

Beneficij majoris facilior oblivio. fl. 17. n 40.p.359

Beneficium ut non excidat è memoria , fere miraculo eſt opus. ibid.n.39

Beneficium computat homo tamquam injuriam , ſed ut peccet , grates agit de eo quòd non deber. fl.18.n.21. p.376

Beneficium largitur homo habenti ; negat egenti. fl.12. n.14. p. 267

Beneficium nonnunquam detur ita quòd accipiens ignoret illud. fl.2. n. 20. p.76

Benefacere non merenti glorioſius eſt. fl. 12.n.10. p. 264

Beneficia ſparge ſine ſpe colligendi. fl. 16. n. 52. p. 340

Beneficentior tacet quamvis plùs donet. fl.23. n.11. p. 477

Beneficium accommoda capacitati recipientium. fl. 21.n. 11. p. 429

Beneficium illuſtre quod invitis confertur. fl. 21. n. 21. p. 460

Beneficium aliquoties metitur ſolum ex ſeipſo liberalis. fl.23. n. 21.p.482

Beneficium verum non involvit commodum dantis. fl.2. n.11.

Vide Amans. Ingratitudo. Eleemoſyna. Hoſtis.Liberalis.

Benemeritus.

Benemeritus non adeo gaudet ſorte aqua ſimul potiri videt indignum. fl.21.n.41. p.446

Benemeritos eligens ductus rationibus humanis , remanet ſolus. fl. 5. n. 21.p.160

Benemeritum eſſe major laus eſt. fl.8.n. 20. p. 217

Benemeritum eſſe ſimul atque fœlicem , completa ſors eſt. fl.12.n.7.p.262. fl.29. n.42. p. 615

Meritis acquiſiviſſe bona ſortis , magnum gloriæ incrementum. fl. 28.n.28.p.586

Meritis parta pluris facit Juſtus. fl.29. n. 41. p.615

Meritis parta ſors major eſt. fl. 31. n.19.p.643

Diſponit providentia Dei , ut quandoque ſit meritoria ipſa temporalium bonorum acceptio.ibid. n. 18.

Dignum ſorte reddi res major eſt ipſa fœlicitate. fl. 32. n. 11. p.656

quæ firmantur ex Pagina. S.

Meritum bis honorat. fl. 3. n. 56. p. 118
Juſtus potiùs de merito, quàm de magnitudine præmij gloriatur. fl. 4. n. 30. p. 147
Vide Juſtus. Meritum. Thronus.

Bona.

Sola bona quæ perpetuò durant, nomine digna. fl. 21. n. 31. p. 440
Bonum quod pluribus prodeſt, elucet amplius. fl. 22. n. 7. p. 472
Bonum quo potiris non ſine comite, meliori jure movet exultationem. fl. 22. n. 8. p. 453
Bona ſua plùs aliquibus nocent, quàm eos mala ferirent. fl. 22. n. 43. p. 469
Bona propria exponit periculo qui ambit aliena. fl. 23. n. 8. p. 476
Bona aliena plùs placent. ibid. n. 9
Bonum unicum ſtabile præſtat duobus inconſtantibus. fl. 29. n. 23. p. 605
Bonum communicatum beat habentem. fl. 22. n. 9. p. 453
Bonum meritis partum majus eſt. fl. 31. n. 19. p. 643 fl. 29. n. 41. p. 615
Bonum illud eſt majus quod induſtria propria parit. fl. 1. n. 101. p. 49
Bonum eò plùs exhilarat quò præceſſit anxietas acerbior. ibid. n. 100.
Vide Fœlicitas. Gaudium. Bona ſpiritualia. Bona temporalia.

Bona ſpiritualia.

Bona ſpiritualia non niſi coacta detinebis ne diffluant in alienum commodum fl. 12. n. 16. p. 268
Pluris fiunt ſi vendicat homo ſodalem. fl. 12. n. 27. p. 269
Illa poſtulare ſolemus ultimo loco. fl. 17. n. 11. p. 346
Quærunt aliqui Deum quaſi non quærerent. ibid. n. 13. p. 347
Bonum ſpirituale conſummatum non eſt antequam ſe diffundat perfectè in profectum aliorum. ibid. n. 32. p. 356
Circa bonum ſpirituale nec horam in vacuum abire permittas. fl. 27. n. 33. p. 569
Bona ſpiritualia vix fieri poteſt velut juſtus non communicet, vel ut communicata non augeat. fl. 17. n. 32. p. 356
Bonorum ſpiritualium gaudium ſocietate creſcit. ibid. n. 34
Bona æterna ut propria temporalia reputemus ut aliena. ibid. n. 55. p. 365
Potu de cæleſtibus augetur ſitis. fl. 23. n. 31. p. 488
Senſus non admitteret anima in conſortium bonorum ſpiritualium, ſi poſſent illi eis frui. fl. 23. n. 34. p. 489
Qui totum Deum poſſidere valet, ne partim adipiſci tantùm ſollicitet. ibid. n. 35
Bonorum ſpiritualium experientia promovet eorum deſideria. fl. 25. n. 39. p. 532
Vide Juſtus. Virtus.

Bona temporalia.

Bonum intra naturæ limites illud majus, quod eſt intra habentem. fl. 1. n. 18. p. 10
Bona mundialia quàm ſimilia malis. fl. 2. n. 35. p. 83
Si non augentur corruunt. fl. 4. n. 27. p. 145
Non permanent. fl. 21. n. 20. p. 433
Amplius exhilarant ſi obtingant ſorte quàm ſi meritis comparentur. ibid. n. 21. p. 435
Integra non ſunt. fl. 21. n. 23. p. 436
Ea putemus aliena. fl. 17. n. 55. p. 365
Conſervatio eorum difficilis. fl. 22. n. 19. p. 459 fl. 6. n. 8. p. 177
Ex bono temporali provenit infœlicitas. fl. 23. n. 50. p. 176
Bona temporalia meritis acquiſiviſſe magnum ſortis incrementum. f. 28 n. 28. p. 586. fl. 31. n. 19. p. 643
Bonorum temporalium marceſcunt flores, manent ſpinæ. fl. 3. n. 9. p. 91
Viliora deſideramus ardentius. fl. 5. n. 42. p. 171
Bonum quod tenes putabis majus, ſi alia via deſideraveris. fl. 6. n. 13. p. 180
Bona temporalia non ſatiant appetitum; ſed movent. fl. 4. n. 32. p. 149
Reddunt inſtabilem amantem illa. fl. 5. n. 4. p. 151
Avide quæſita facient ut in re virtutis ad limen ſtes. fl. 5. n. 30. p. 165
Lenocinantur cordi ſuamet fugacitate. ibid. n. 43. p. 172
Ardentiùs quæruntur quæ citiùs prætereunt. ibid. n. 44.
Aliquoties priùs deperduntur, quàm habeantur. fl. 10. n. 15. p. 244
Aliena ſunt non mundi propria. fl. 8. n. 22. p. 218
Ea ſi diligas, præbes audaciam diabolo ut te oppugnet. fl. 16. n. 14. p. 321
Nihil ſunt. fl. 24. n. 31. p. 512
Agnoſcuntur inania poſtquam deſinunt. ibid. n. 32. p. 512. & n. 33. p. 513
Leviſſima ſunt, quia tamen deliguntur, gravia videntur. fl. 17. n. 6. p. 343
A bonis temporalibus leva oculos ut in cœlum figas. ibid. n. 7. p. 344
Bona temporalia nobis Deus tribuit, ut videntes quantùm ab ſpiritualibus diſtent, hæc illis præferamus. ibid. n. 8.
Ad temporalia conſcendunt homines tecta; pro ſpiritualibus, nec pulſant januam. ibid. n. 10. p. 345
Temporalia priori loco poſtulare ſolemus. ibid. n. 11. p. 346
Nomine digna non ſunt. fl. 21. n. 31. p. 446
Temporalium lætitia imperfecta. fl. 24. n. 36. p. 514
Temporalia dimidiatim relinquens non ſequitur Chriſtum. fl. 23. n. 42. p. 493
Temporalium phraſi Deus utitur dum nobis inculcat æterna. fl. 28. n. 32. p. 589
Bona temporalia reſpuere pluſquàm humanum. fl. 31. n. 26. p. 646
Ea jam aliqui deſpiciunt intellectu, ſed amant corde. ibid. n. 33. p. 649
Ea perdere quid eſt? Oportet relinquere. ibid. n. 42. p. 653
Ea quamvis à Deo collata, ventus aufert. fl. 5. n. 7. p. 153
Illorum amor quietem furatur. ibid. n. 41. p. 170
Vide Cæcitas. Dæmon. Divitiæ. Euchariſtiæ. Gaudium. Euchariſtiæ. Liberalitas. Gaudium. Fœlicitas. Juſtus. Mundus. Pauper.

C

Calumnia.

Virtutem punire mundus declarat. fl. 23. n. 12. p. 478
Calumniam ob virtutem paſſus honoratur à Deo. fl. 17. n. 17. p. 349
Calumniator ſupponit ut certum quod vult criminari. fl. 22. n. 7. p. 452
Ad calumniã aptiores amici quidam. fl. 32. n. 29. p. 663
Adverſus calumniam unicum remedium latere. fl. 32. n. 32. p. 664

Tabula Sententiarum

Calumniator ſatis punitur in eo quòd pateat ejus verba fuiſſe iniqua. fl. 33. n. 38. p. 681
Conſcientia bona prodeſt ad ferendas calumnias. fl. 30. n. 33. p. 632
Eadem facit obmuteſcere linguas calumniantium. ibid. n. 34.
Vide Lingua.

Cautela.

Is eſt ſapientiſſimus qui à cavendo damno ſollicitus. fl. 22. 17. p. 457
Glorioſius eſt cavere, quàm reſarcire. ibid. n. 18. p. 458
Cautelam comitem habeat fortitudo. fl. 30. n. 10. p. 622
Cautelam tunc ſpecialiter Deus providet, cum jam contulit ſecuritatem. fl. 31. n. 39. p. 652
Si peccator cerneret vitiorum ſpinas, mutaret viam. fl. 9. n. 14. p. 227
Timent homines ubi non eſt timor, confidunt cum formidandum erat. fl. 16. n. 34. p. 331
Timor virtutum radix. fl. 28. n. 42. p. 593
Vide Amicus. Aſtutia. Deus.

Cæcitas.

Cæcitas fortè placebit alicui, ne vel minimum lucrum ceſſet, ſi viſum recuperet. fl. 2. n. 7. p. 69
Faciliùs aliquando reſipiſcunt obcæcati, quàm ex parte videntes. fl. 11. n. 13. p. 254
Malus vicinos oculos cæcutire facit. fl. 27. n. 25. p. 565
Cernere obvium eſt quod videntis non intereſt; ſi autem interſit non videbit poſitum in conſpectu. fl. 15. n. 23. p. 313
Cernere quæ non extant, cæcitas eſt. ibid. n. 24. p. 314
Mente cæcus niſi velit non recipiet viſum. fl. 27. n. 26. p. 566
Majori fraudi obnoxius eſt male videns, quam cæcus. fl. 19. n 23. p. 393
Aliquando videre genus cæcitatis eſt. fl. 24. n. 26. p. 509
Excæcat voluptas. ibid. n. 25.
Vide Fictio. Homo. Intellectus. Oculi. Peccator. Peccatum. Vita.

Charitas.

Charitas niſi alios in via ſalutis inſtruat, perdidiſſe tempus reputat. fl. 22. n. 13. p. 430
Peramanter animæ vulneri medetur qui medicamentum apponit ſine accipientis pudore. ibid. n. 15. p. 431
Adhuc juſtus pedem non ſolvit in via perfectionis, & jam deſiderat ſocios. fl. 22. n. 6. p. 452
Excellentius eſt aliena mala ſibi propria reddere, quàm gaudere ſuis. fl. 23. n. 46. p. 495
Plusne Deo placet alienis obviam ire delictis, quàm ſervare totam legem Dei?. fl. 18. n. 27. p. 378
Animarum ſaluti inſiſtere opus angelicum. fl. 21. n° 10. p. 428
Fratris emolumentum ſpirituale, monentis lucrum eſt. ib n. n. 13. p. 430.
Præcipuè Deus à nobis deſiderat ut proximorum nutantia corda teneamus ne dilabantur. fl. 22. n. 27. p. 462
Charitas lucrantium animas Deo ſortitur in præmium laborem ſuum. ibid. n. 53. p 473
Charitas concionatoris non deſiſtat, licet in quibuſdam fructum non videat. fl. 32. n. 42. p. 667
Torquetur charitas, ſi docere fructuoſe non ſinit invidia, vel impedit infirmitas audientium. fl. 15. n. 10. p. 308
Charitas beneficium à te ſibi factum reputat ſi doctrinam ejus aptam ſpiritui non recuſas. fl. 17. n. 35. p. 357
Juſtum ſoli Deo, vel ſoli ſibi, vacare parum eſt. ibid. n. 36
Charitas ut animas lucretur deſpicit pericula. ibid. n. 37. p. 358
Charitate ſaucius videtur poſſidere quæ ab eo recipiunt cæteri. ibid. n. 13. p. 372
Juſtus ut fructus Deo edat, patitur pedibus conculcari. ibid. n. 16. p. 373
Ad eundem finem vellet ſemper ampliùs deſcendere. ibid. n. 17. p. 374
Juſtus multiplicari vellet ut animarum ſalutem negotiaretur. fl. 23. n. 36.
Juſtorum concordia. fl. 26. n. 47. p. 553
Vide Amor. Anima. Bona. Bona ſpiritualia. Doctrina. Fœlicitas. Gaudium. Juſtus. Lachrymæ. Lux. Virtus.

Chriſtus Dominus.

Chriſti ſequelam refugere turpiùs eſt quàm illum ignorare. fl. 18. n. 5. p. 367
Chriſtus videtur ampliùs odiſſe quòd tribulationem patiens eum ſequaris invitus, quàm quòd ipſum lædas in faciem. fl. 18. n. 6. p. 368
Chriſtum ſequitur qui valens tollit crucem: non qui patitur invitus. ibid.
Chriſtus Dominus ocyùs ſatagebat homines illuminare, quàm ad cæleſte ſuum conſcendere ſolium. fl. 22. n. 11. p. 454
Non ſuam curabat utilitatem per miraculorum effectionem, ſed hominum commoda Indic. Concion. Ser. de veſtigiis Domini. n. 9.
Nec unius hominis jacturam pati vellet. fl. 22. n. 14. p. 456
Non tam de vita propria, quàm de non perdendo uno ex hominibus ſuis erat ſollicitus. ibid. n. 15.
Sortem ſuam putat quòd homo ei ſpiritualiter jungatur. ibid. n. 16. p. 457
Poſt homines terga dantes pergit ſuis illos beneficiis invitans. fl. 23. n. 24. p. 484
Dies quibus differebatur incarnatio videbantur æterni Verbo Divino. fl. 1. n. 55. p. 27
Poſt incarnationem quàm benignior ſe Deus gerat. fl. 1. n. 94. p. 45
Dide Deus. Lachrymæ. Maria.

Chriſtianus.

Vide Peccator. Peccatum.

Clauſura.

Tutius eſt animam à creatura Dei vicem gerente claudi, quàm à ſeipſa. fl. 16. n. 36. p. 332

Clementia Dei.

Vide Deus.

Cognitio ſui.

Cognitio ſui quàm difficilis. fl. 19. n. 16. p. 390
Ut agnoſcas Deum noſce te. fl. 19. n. 18. p. 391
Seipſum non agnoſcere major eſt ſuperbia quàm alienas excellentias ignorare. fl. 24. n. 42. p. 515
Judicare de ſeipſo difficile; non ſic de aliis. ibid. n. 43. p. 516
Vide Euchariſtiæ ſplendor intellectualis.

Concionator

Remedium recreet peccatorem; feriat dæmonem. fl. 12. n. 20. p. 271
Auditorum laudes quare non curandæ ſunt à concionatore. fl. 18. n. 26. p. 378
Quod arriſit palato excipitur encomiis; quod diſplicuit ſibilatur injuriis. fl. 8. n. 4. p. 269
Plusne Deo placet alienis obviam ire delictis, quàm ſervare totam legem Dei. fl. 18. n. 27. p. 378

Qui

quæ firmantur ex Pagina S.

Qui animas illuminat, ſanctus, an ſanctitas eſt? ibid. n. 28. p. 379
Luminare ducens ad veritatis agnitionem peculiari dignitate ſplendet. ibid. n. 29
Ne concioni auditores nimis breves terminos præſcribant. fl. 20. n. 47. p. 422
Fulget præclariori jubare mores informans, quàm miracula patrans. fl. 18. n. 30. p. 380
Ab animarum ſalute ſatagenda quieſcere humanum eſt; ipſi verò inſiſtere angelicum. fl. 21. n. 10. p. 428
Fratris emolumentum ſpirituale, monentis lucrum eſt. ibid. n. 13. p. 430
Ex hoſte amicum Dei efficere quid magnum. ibid. n. 32. p. 440
Valde mirum quòd ratione non utentem domes. fl. 21. n. 35. p. 442
Peccatis alienis obviare rarum. ibid. n. 44. p. 447
Præcipuum juſti decus eſt animæ quas edocet. fl. 22. n. 12. p. 455
Animas à peccato eripere munus eſt conveniens. oculis Dei. ibid. n. 13
Præcipuè Deus à nobis deſiderat ut proximorum nutantia corda teneamus ne dilabantur. fl. 22. n. 27. p. 462
Quantùm Deus honoret illum cui ſalutis animarum delegat miniſterium. ibid. n. 32. p. 464
A concionatore ne feriatur auditor per ſacræ Paginæ verba. ibid. n. 45. p. 470
Qui aliorum curat ſalutem, urat vitia non hominem. ibid. n. 46
Præmij loco reputet laborem ſuum qui lucratur animas. ibid. n. 53. p. 473
Concionator nec favore, nec opprobriis hominum commoveatur. fl. 27. n. 8. p. 556
Concionator non deſiſtat, quamvis in quibuſdam fructum non videat. fl. 32. n. 42. p. 667
Per lachrymas mollire ad pœnitentiam excellens opus charitatis eſt. fl. 27. n. 10. p. 558
Veritatis aſſertores putat peccator hoſtes; quamvis aliquando fratris loco habeat inimicum. fl. 14. n. 27. p. 300
Veritas plùs odio habetur quàm hoſtis. fl. 19. n. 7. p. 385
Et pluſquam mors, cæteraque ſupplicia. fl. 19. n. 8. p. 386
Veritas etiam jucunda petitur lapidibus; mendacium, licet funeſtum, non ita. ibid. n. 10. p. 387
Balbutit ſciens dum coram potente verum liberè loqui oporter. ibid. n. 11
Facilius eſt principem falsâ contumeliâ ferire, quàm veritatem ei objicere nudam. ibid. n. 12. p. 388
Perfectus vir aulam frequentans cavet ſibi ne lucri ductus amore veritatem adulteret. ibid. n. 13
Veritatem aperire timorem movet dicturo. fl. 27. n. 5. p. 556
Veritatis aſſerendæ difficultas. ibid. n. 6. p. 557
Non ſolum timorem, ſed ſpem objiciat oportet is qui veritatem ex officio profatur. ibid. n. 7
Vide Auditores. Charitas. Doctrina. Intellectus. Juſtus. Laudator. Peccator. Peccatum.

Concordia.

Concordia quàm valida ſit pro conſervatione. fl. 6. n. 16. p. 182
Concordiæ malæ ſolet eſſe partus grave ſcelus. ibid. n. 16
Concordia creſcendi ars. ibid. n. 14. p. 180
Concordia juſtorum. fl. 26. n. 47. p. 552
Vide Amicus. Societas.

Confeſſio.

Confitens peccatum ne addas excuſationem, vel modicum permanebit pœnitentia. fl. 7. n. 28. p. 204
Confeſſarij percontationibus ne totum committat pœnitens. ibid. n. 29
Excuſationem affectans reddit crimen ſuum turpius. fl. 6. n. 34. p. 190
Pejus agit peccatum ſuum excuſans, quàm tacens. fl. 33. n. 21. p. 676

Conſcientia.

Conſcientiæ contemnens increpationes videtur intellectu deſtitutus. fl. 18. n. 35. p. 382
Conſcientia bona pellit metum. fl. 30. n. 32. p. 631
Prodeſt ad ferendas calumnias. ibid. n. 33. p. 632
Facit obmuteſcere linguas calumniantium. ibid. n. 34
Conſcientiæ propriæ judicium an horribilius divino. ibid. n. 35
Conſcientiæ accuſantis remorſus æquipollet pluribus ſuppliciis. ibid. n. 36. p. 633
Conſcientia reprehendente qui non pavet, magno corde pollet. fl. 21. n. 38. p. 444

Conſtantia.

Vide Amor erga Deum. Amans. Fœlicitas. Fortitudo. Perſeverantia.

Conſuetudo.

Vide Reincidentia.

Contemptus.

Contemptus ab illo qui te quondam dilexerat non vulgare tormentum. fl. 8. n. 7. p. 210
Contemni & crucifigi ſimillima ſunt. fl. 15. n. 14. p. 310
Confuſio horribilior cruce. ibid. n. 15.
Contemptus eſt morte durior. fl. 30. n. 17. p. 624
Eſt pretio æſtimabilis. fl. 30. n. 18. p. 625
Dolet minùs quàm abſentia dilecti. fl. 1. n. 121. p. 58
Vide Contumelia.

Contumelia.

Contumeliâ laudas quem deprimere putas. fl. 19. p. 396
Si libenter audis convitiantem non te cædit ille, ſed ventum. ibid. n. 30
